D

Ent. 23
Lib. 6.
no 123

EXPOSITIO
LITTERALIS ET MORALIS
SANCTORUM
EVANGELIORUM
JESU CHRISTI
SECUNDUM
MATTHÆUM, MARCUM, LUCAM, ET JOHANNEM,
AUCTORE

R.P.F. NATALI ALEXANDRO

Ordinis Fratrum Prædicatorum, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctore, & emerito Theologiæ Profeſſore.

OPUS SACRARUM LITTERARUM CULTORIBUS, necnon Verbi Dei Præconibus utiliſſimum.

EDITIO NOVISSIMA

NOVO INDICE CONCIONATORIO LOCUPLETATA, ET AB INNUMERIS MENDIS ac malis Citationibus, quæ in aliis Editionibus irrepſerant, ſummo labore expurgata.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS,
MDCCLXXVII.

Apud THOMAM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO,

F. NATALIS ALEXANDER

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM PROFESSOR,

Sempiternam Felicitatem.

DUDUM *mihi in votis erat*, BEATISSIME PATER, *ſummam veneration-tionem obſervantiamque meam in Romanam Eccleſiam publico monumento in totius orbis Chriſtiani luce profiteri, ac intimos animi mei ſenſus ære perennioribus inſcribere tabulis ad fidelium ædificationem, cui conſulere inprimis Catholici Doctores debent. Hanc ut agnovi ſemper & colui, ita magna cum animi alacritate prædicare geſtio Matricem Religionis & fidei, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram, Columnam & Firmamentum veritatis: in qua ſemper conſervata eſt traditio & doctrina, quam ipſi totam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt: Ad quam & eo nomine, & propter potentiorem principalitatem, omnem Eccleſiam, ſeu fideles univerſos, undique convenire oportet. Hoc centrum Eccleſiaſticæ unitatis, cui indivulſo communionis vinculo cohærere omnia Eccleſiæ membra neceſſe eſt. Hic in Apoſtolica ſua Sede vivit, & præſidet S. Petrus, & a* CLEMENTE XI. *Succeſſore ſuo, Chriſtique pariter Vicario, quærentibus præſtat fidei veritatem. Hic non modo ovium Chriſti, ſed & Paſtorum omnium unus eſt Paſtor, vocatus non in partem ſollicitudinis, ut ceteri; ſed in plenitudinem poteſtatis. Hunc ut omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem revereri, audire, ejuſque auctoritati de Scripturis ſanctis depromptæ, ejus Conſtitutionibus, ac Decretis ſpiritualem Eccleſiæ ſtatum & animarum ſalutem ſpectantibus parere neceſſe eſt omnes, qui ſalvi per Chriſtum eſſe velint.*

Hæc ad pedes Sanctitatis tuæ provolutus ſincera animi devotione ut profiteri valeam, BEATISSIME PATER, *ſuaviſſimæ clementiæ tuæ debeo, quæ & ad me, & ad litterarium Theologiæ Dogmaticæ & Moralis munuſculum tenuitatis meæ nomine Tibi oblatum, cum litteris obſervantiæ meæ ac devotiſſimæ reverentiæ in Sedem Apoſtolicam & Sanctitatem tuam teſtibus, reſpicere dignatus es; & dulciſſimæ benevolentiæ memor qua me licet immeritum proſequi cœperas, cum adhuc Cardinalem ageres, paternum Pontificiæ benignitatis ſinum mihi peramanter expandiſti. Indulgentiæ tuæ debeo*, SANCTISSIME PATER, *quod elucubratum a me in quatuor Evangelia Commentarium Pontificiæ Majeſtati, Nominique tuo gentibus omnibus venerando dicatum prodire in publicum permiſeris, ut juſtæ reverentiæ ac pietatis officium (quod vehementer optabam) Apoſtolicæ Sanctitati tuæ perſolverem.*

Nemini convenientius offerri poterat, & conſecrari hoc Opus, quam Tibi, MAXIME ET OPTIME PONTIFEX, *cujus vita ſpirans eſt Evangelii Commentarius. Evangelium Fidei doctrinam Morumque documenta ab ipſo Chriſto ſummo Legislatore & Magiſtro tradita complectitur: Tu fidei puritati, ac Morum diſciplinæ vindicandis, aſſerendis, propagandis, & olim conſtanti ſedulitate adlaboraſti, cum Romanæ Eccleſiæ in majoris dignitatis, præcipuique momenti Officiis operam navares; & nunc ſtudio, zeloque ferventiore adlaboras in celſiore faſtigio ſpeculæ Paſtoralis. Humilitatem ſingulariter commendat Evangelium, honores dignitateſque fugere docet: Tua hæc*, BEATISSIME PATER, *ut Chriſti, cujus vices geris, chariſſima virtus; cujus admirandum ſæculis omnibus exemplum præbuiſti, cum*

ad Summum Pontificatum ferventibus omnium votis expetitus, nihil non egisti ut electionem tui Emin. Patribus dissuaderes: & summo consensu electus, expavisti ad onus angelicis humeris formidandum. Neque vero illud magnanima humilitas tua subiisset, nisi doctorum, ac spiritualium virorum adducta consiliis, quorum sententiam rogare voluisti, tuis ipse, tametsi superioribus luminibus diffidens. Cessisti tandem gemens, intellecta Dei voluntate & vocatione, Te summæ imparem Dignitati difficillimis temporibus contestatus; dum omnes solam CLEMENTIS XI. *mentem tantæ molis capacem ob insignem pietatem, ob exquisitam eruditionem, ob prudentiam longo rerum usu comparatam, in florente vividaque ætate; ob patientiam laboris, ob constans boni & æqui studium, ob magnanimitatem, ob amorem pacis, alienumque a partibus animum; ob propensam ad benefaciendum omnibus voluntatem, ob modestiam ac mansuetudinem eximiam, consensione summa conclamabant.*

Charitas Evangelii finis, sacri Ministerii tui, ac Apostolici Principatus anima est, BEATISSIME PATER: *Hac incensus, ad unam Dei gloriam, ad unam Ecclesiæ utilitatem, ad unam ovium Christi sanguine redemptarum, & tuæ curæ Pastorali commissarum salutem intendis. Hæc pias ex sacris oculis lacrymas elicit, quas Deo jugiter offers quasi Pontificii sanguinem cordis ad eum placandum, & flagella iræ ejus a Christiani populi cervicibus avertenda. Cœlestis hæc virtutum regina facundissimum os tuum aperit, & flexanimam linguam movet, ut florentissimum Romanæ Ecclesiæ Clerum, Populumque ad pietatem & pœnitentiam, ad vitam secundum Evangelium instituendam, doctis, elegantibus, ac mirifica Sancti Spiritus unctione perfusis Homiliis, pro more Sanctorum prisci ævi Pontificum, in maximis Solemnitatibus, & publicis calamitatibus, commoveas & inflectas. Hæc manus liberalissimas expandit, ut pauperum non urbanorum modo, sed provincialium & exterorum, necessitatibus subvenias, & ærumnas subleves. Nullis sumptibus parcis, ubi de charitatis & misericordiæ operibus agitur: in propinquos dumtaxat tuos, pro singulari animi tui modestia, beneficia temperare didicisti. Hac impulsus charitate, Episcopos & Evangelicos Operarios in Orientem mittis, quos Evangelium prædicare, & Ecclesias instituere, ac regere jubes eo spiritu, eaque fidei ac disciplinæ puritate, quam Catholica Romana Ecclesia ab Apostolis accepit, quam Apostoli a Christo didicerunt, quam Christus a Deo tradidit. Hac incitatus charitate, gentes a Sedis Apostolicæ communione luctuoso dudum schismate distractas, ad Ecclesiæ unitatem; Catholicos Principes ad pacem & concordiam, per litteras, Nuntiosque, viros industria, prudentia, negotiorumque difficillimorum tractandorum peritia non minus, quam dignitate eccellentissimos, adhortaris, urges, obsecras. Te denique divina illa charitas ad majores sanctæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ causas, & difficiliora negotia assidue applicat: Te sacris Cardinalium Congregationibus præsentem, ad ea secundum jus & æquum finienda; Te ad medendum malis omnibus, quæ Christianam Rempublicam undique infestant; Te ad providendum Urbi, totique Romanæ Ditioni, instar optimi parentis potius quam imperiosi Principis, promptissimum facit.*

In hoc tanto tamque immenso laudum tuarum campo longius, & alacrius excurrerem, BEATISSIME PATER, *nisi humilitas modestiaque tua prohiberent; quarum, ut & omnium heroicarum virtutum, non minus quam supremæ Potestatis Primatu, toti orbi Christiano venerandus affulges. Ad gratias potius Deo Optimo Maximo agendas me converto, qui tantum Ecclesiæ suæ Pontificem dedit, Gregorio Magno eruditione, sapientia, charitate, mansuetudine, zelo Apostolico simillimum; singulis compassione proximum, præ cunctis contemplatione suspensum. qui nec interiorum curam in exteriorum occupatione minuit, nec exteriorum providentiam in internorum sollicitudine relinquit. Gratiarum actioni preces adjungo ferventissimas, quibus flagito* SANCTITATI TUÆ *vitam prolixam, Clerum ubique canonica disciplina florentem, domum tutam, Principatum securum, Populum probum ac fidelem; Orbem Christianum ex omni parte quietum & pacatum, & quæcumque Optimi Pontificis vota sunt. Servet Populo suo ad multos annos sospitem incolumemque Deus Pontificem sanctum, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, stans juxta Aram impavidus, dum terra motibus insolitis terribilem in modum quateretur; precibus suis Templum Urbemque suffulciens, trepidantem plebem confirmans, Dei misericordiam secum implorare docens, pœnitentiam dedicans in semetipso; Romam advocato de cœlis Dei Spiritu renovans, ut sit modis omnibus civitas sancta. Servet Dominus Episcopum Episcoporum, a quo ut ab exemplari discunt per semetipsos pascere gregem Sacramentorum ministerio, prædicationis verbo, Eleemosynarum abundanti subsidio!, sanctæ conversationis exemplo.* CLEMENTEM XI. *servet, ut salva sit Roma ejus pietate ac regimine diutissime felix. Quod enim de Alexandro Imperatore Mammeæ filio profanus olim Historicus adulatorie scripsit,* Salva Roma quia salvus Alexander; *id citra suspicionem ullam adulationis de Pontifice nostro dicere licebit:* Salva Roma quia salvus CLEMENS.

Dum vero Sanctitati tuæ hos in Evangelia Commentarios tota animi devotione ac demissione nuncupo; cetera etiam Opera quæ in hanc usque diem in publicum emisi, sacris pedibus supponens, & Apostolico judicio, ac censuræ in omnibus subjiciens, humillime precor, BEATISSIME PATER, *ut me Pontificia benedictione digneris consolari.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

MULTIS variisque Operibus publicam in lucem editis, in Scripturæ sacræ lectione quiescere decrevi, in ejus meditatione consenescere. Sanctum Evangelium in manus sumpsi, ut Christi Jesu Domini ac Salvatoris nostri præcepta relegens, & exempla, iis animum, nutrirem, roborarem, consolarerque meum. Sacrum illud studium, tam suave mihi est, ut aliorum fastidium quoddam mihi creet; peneque me in alia incubuisse pœniteret, nisi & illa sacra essent, eoque animo suscepta, ut Ecclesiæ quoquomodo serviant. Quid dulcius, quam Deum loquentem audire, & ex ejus verbo argumenta haurire sacrorum cum divina ejus Majestate colloquiorum?

Observationes porro meas scriptis commendans, Expositionem continuam adornavi S. Evangelii secundum quatuor Evangelistas, litteralem sensum ac moralem seorsim, quantum potui, elucidans. Ex parallelis sacræ Scripturæ locis, & ex SS. Patrum commentariis explicationes hausi, quas in publicam utilitatem effundo. Nihil enim in hoc studii laborisque genere licere existimo novitati; quia nihil detrahi convenit vetustati. Quod in Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ schola didici, non quod a me ipso inveni, me in hoc Opus contulisse profiteor; res non ingenioli mei, sed antiquæ doctrinæ; non privatæ usurpationis, sed venerandæ Traditionis. Vulgatam Versionem Latinam Ecclesiæ Decretis usuque consecratam religiose secutus sum; quamvis & Græci Textus, & Orientalium Versionum vim (si cubi opus erat) adnotare non neglexerim.

Nullus mihi, ut existimo, præteriit locus, dogmatibus Fidei aut regulis Morum fundandis seu firmandis idoneus, cujus sensum non attigerim, finem non indicaverim. Hanc enim insistere viam Catholicos Scripturæ sacrę interpretes debere, mihi plane persuasum est. Quatuor Evangelistarum Concordiam & Harmoniam, quam Eruditi plerique Viri data opera illustrarunt, passim attingere & breviter exponere satis habui. Exquisitas licet, ex Profanis Oratoribus, Poetis, & Philosophis sententias corrogare ad commentationem Evangelii, dignum non duxi tam sacri Operis gravitate. Ex Rabbinorum Officinis, aut Heterodoxorum Auctorum, seu Catholicorum etiam quorumdam, studio novitatis in transversum abreptorum penu, absit ut novas, & Antiquis incognitas Scripturæ sacræ explicationes hauserim ad vanam singularis, & abstrusioris eruditionis ostentationem, & ad humanam gloriolam aucupandam, quod Christi Sacerdote indignissimum est: immo vero eorum errores notavi, confutavi, confixi. Videar minus eruditus iis qui novitatem etiam in doctrina sacra, & divinarum interpretatione Litterarum amant: dummodo in iis exponendis eum sensum sequar, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est de vero illarum sensu judicare; nec transversum unguem unanimi Patrum consensu discedam.

Moralem vero Sensum studiose prosecutus sum & illustravi ex ipsis sacrarum Litterarum & SS. Patrum fontibus, ut divini verbi Prædicatoribus & Pastoribus Animarum consulam, quibus Evangelium Christiano Populo explicare ex officio incumbit. Existimavi e re Ecclesiæ esse, quæ Evangelii prædicatione propagata est, eaque filiorum suorum fidem nutrit, mores ædificat, uberem sacrarum Concionum materiam subministrare ex ipso Evangelii fundo depromptam. Veterem concionandi rationem, quam sancti Patres & antiqui Episcopi sectati sunt, in Ecclesia revocari optandum certe esset; ut nempe totius Evangelicæ lectionis, quam fidelibus proponit, series explicaretur; Sensuque litterali, quantum necesse est, expositio, Moralis erueretur, cui potissimum Ecclesiastes insisteret. Expendant sacræ Eloquentiæ Magistri, primique ordinis Concionatores, an huic Patrum usu consecratæ methodo anteponi debeat nova concionandi ratio, quæ unica Evangelii sententia pro themate assumpta (extra quam divagatur ut plurimum Concionator, ejusque se velut immemorem in progressu Sermonis ostendit,) humanis conceptibus, ingeniosis certe, sed sterilibus & exsuccis; & elegantibus quidem, sed sæpius infructuosis morum humanorum picturis, auditorum pascit, seu potius jejunos dimittit animos; ac molli eloquentia, comptæque orationis ornatu ac leporibus demulcet, non instruit, non movet, non flectit. Quo fit, ut tam infrequentes sint peccatorum conversiones, cum nunquam tantus fuerit Concionatorum numerus, nunquam major Concionum frequentia. Utinam Ecclesiæ ædificationi & utilitati serviat Commentarium istud, quod forte postremum erit Operum meorum! Ultra sexagenariam enim provectus ætatem, lassescere incipio. Nullos tamen refugiam pro Dei gloria & Ecclesię obsequiis labores, quamdiu vires suppetent, si ab iis qui Dei vice mihi pręsunt, imperentur.

Natal. Alex. In Evang.

Hos Commentarios ut Summo Pontifici dicem & conſecrem, una me Religio, fons obſervantiæ, reverentiæ ac devotionis erga Sedem Apoſtolicam, & ſedentem in ea digniſſimum Sancti Petri Succeſſorem CLEMENTEM XI. impellit. Poſtquam ex immenſo & ſcrupoſis cotibus infeſto, ſcopuliſque, ad quos non offendere, non allidi, difficillimum eſt, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pelago enavigavi: poſtquam vaſtum Theologiæ Dogmaticæ & Moralis gurgitem, obmurmurantibus ex adverſo ventis ſuperavi: in altum Scripturæ ſacræ aſpirante Deo ductus, naviculam ſolis Evangelii opibus onuſtam ad Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ portum appello, ſub S. Petri navi colloco; ad Petram immobilem & inconcuſſam alligo, ſupra quam fundata eſt Eccleſia; ut in ea ceu tutiſſima ſtatione conquieſcat, ad ejus nutum ſolvenda, cui a Domino dictum eſt, *Duc in altum*, cum quo qui non colligit, ſpargit. Quod me ſemper ſenſiſſe & conſtanter ſentire conteſtor; nec unquam dubitaſſe, aut ſalva fide in dubium revocari poſſe exiſtimaſſe, quin famoſæ illæ Propoſitiones quinque ad Innocentio X. & Alexandro VII. in ſenſu Janſenii damnatæ hæreticæ ſint; juſteque in ejuſdem Auctoris ſenſu, quem verba præferunt, confixæ ac proſcriptæ: quin Summorum illorum Pontificum Conſtitutionibus, aliiſque ad illarum Confirmationem editis Sedis Apoſtolicæ Decretis, parem debeant Fideles omnes, tam oves quam Paſtores, non exteriorem ſolum, ſed internam obedientiam, ſimplicemque & abſolutam mentis & cordis adhæſionem. Qua ſine, externa ſpecies obedientiæ mera ſimulatio eſt, illuſio, mendacium adverſus Spiritum ſanctum, ſacrilego etiam perjurio confirmatum ab iis qui credere ſe vel ſentire jurant ſuper ſancta Evangelia, quod reipſa non credunt vel ſentiunt: ſeque parere Conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Hanc fidei doctrinæque meæ integritatem, ex Operibus etiam a me editis Eminentiſſimo Cardinali Noalio Archiepiſcopo Pariſienſi approbatam, coram Summo Pontifice, cujus ad pedes hoc Opus, ceteraque humiliter depono, & coram Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa vindicare neceſſarium duxi adverſus maledicorum libellorum anonymos Auctores, & inquietos homines, qui in via qua ambulabam confidenter, quia ſimpliciter, abſconderunt laqueum mihi.

Nemo tamen exiſtimet, me a Sanctorum Auguſtini & Thomæ tutiſſimis & inconcuſſis dogmatibus de Gratia per ſe efficaci, & omnino gratuita Prædeſtinatione Sanctorum, a Sede Apoſtolica approbatis & commendatis; aut a ſanioris Moralis defenſione, vel latum unguem unquam deflexurum. Theologis omnibus eumdem ſenſum adprecor; neceſſariamque nobis inter tot humanæ vitæ & rei litterariæ ſcopulos cautionem & prudentiam Spiritus (nam prudentia carnis, mors eſt) a Deo ſupplex efflagito; ut velificata Spiritu Dei fides naviget tuta, ſi cauta; ſecura, ſi attonita. Votis ferventiſſimis exopto & precor ut omnes homines litterati privatos ſenſus ſuos & opiniones Sedis Apoſtolicæ & Epiſcoporum judicio in rebus Fidem aut Diſciplinam quovis modo ſpectantibus religioſe ſubjiciant & conforment: Eccleſiæque ordini, paci, & unitati, propriæ ſententiæ amorem ſacrificent. Cujus quidem pacis & unitatis bono Epiſcopos ipſos propriam immolare Dignitatem, ſuiſque Cathedris cedere debere (ſi opus foret) Catholicæ Eccleſiæ Africanæ Præſules S. Auguſtino Duce aſſerere non dubitarunt, ad idque ſe animo paratos profeſſi ſunt.

Oro tandem, ut omnibus Theologis, in variarum, quas tollerat Eccleſias, opinionum diſſidio & conflictu, charitatem ſcientiæ ſupereminentem Deus largiatur; charitatem veritatis; veritatem charitatis. Minus aſſequatur illa quæ inflat, modo omnium animis dominetur illa quæ ædificat. Omnium hæreat animis penitus defixa illa S. Auguſtini ſententia: *Ideo plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus eſt major, comprobetur, vel quo modo teneant unitatem, cum in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt: vel quo modo accipiant veritatem, cum contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt.*

Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt. c. 5.

Traditam denique a Ferrando Carthaginenſi regulam Viri Theologi religioſe amplectantur, perſuaſumque habeant ſanctæ Epiſcoporum unanimitati & Romani præſertim Pontificis judicio, in omnibus cauſis Eccleſiaſticis aſſentiendum eſſe & acquieſcendum. *Loquantur & prædicent* (inquiebat eruditus ille Diaconus) *quibus honor Sacerdotii docendi auctoritatem tribuit; nos diſcere parati ſumus, docere alios non præſumimus. Interroga igitur, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diverſa terrarum loca Pontifices.* Hac ſimplicitate nihil tutius; nihil ad litium alias interminabilium ultimas fibras revellendas, & præcidendas conducibilius; nihil ad litigandi pruriginem, qua eximia ceteroquin ingenia interdum laborant, omnino ſanandam convenientius; nihil ad os occludendum inſidioſis & importunis verborum & ſyllabarum aucupibus accommodatius.

Epiſt. ad Severum Scholaſt.

T Y-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

REm tibi, candide Lector, non injucundam, nec admodum a propoſito alienam facturum me eſſe arbitratus ſum, ſi clariſſimi Authoris egregiam ſane, ac luce publica dignam Epiſtolam ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum hujus libri occaſione conſcriptam, quæ nuper ad manus meas delata eſt, oculis tuis ſubjicerem. Cum enim noxium quemdam libellum ſub titulo neſcio cujus Caſus conſcientiæ deciſionis magno litteratorum ſtrepitu in Gallia editum Pontifex per litteras Apoſtolicas condemnaſſet, & adverſus complures Doctores, qui eidem ſubſcripſerant, inter quos Pater ipſe Alexander, vel incauta facilitate ductus, vel aliena fraude deceptus numerabatur, graviter indignatus, cum ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum Pariſienſem, tum ad Regem Chriſtianiſſimum de plectendis novarum rerum Authoribus plura ſcripſiſſet, videbatur id impedimento eſſe, ne præſens in Evangelia Commentarium, & ſi antea Sanctitas ſua ſibi nuncupandum indulſerat, ad ejus pedes minus grati jam Authoris nomine offerri liceret. Quamobrem Pr. Alexander, ut omnem ex mente Pontificis offenſionem tolleret, præter ea, quibus in hujus præfatione Operis de ſincera cordis ſui fide circa damnatas in ſenſu Janſenii famoſas quinque propoſitiones, Romanorumque Decretorum obſervantia luculenter proteſtatus fuerat, ſuarum inſuper partium eſſe cognovit peculari aliqua obſequii ſignificatione demulcere prius irati Pontificis animum, præfatamque inconſultæ ſubſcriptionis culpam deprecari. Id vero egregie præſtitit hac ipſa Epiſtola, quam hic commode inſerendam duxi, & ad majorem memoratæ operis præfationi lucem afferendam, & ad perennem ſimul ſapientiſſimo Authori laudem comparandam, qui poſterioribus ſuis, adeoque & melioribus curis teſtatum omnibus maxime voluit debito ſe magis erga Sanctam Sedem obſequio, & obedientia, quam doctrina, & eruditione gloriari.

Bea-

Beatiſſimo Patri, ac Domino, Domino Noſtro

CLEMENTI XI.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

ROMAM.

BEATISSIME PATER.

QUamvis nihil prætermiſiſſe videar, quod ad officii mei rationem pertineret, ut publicæ mederer offenſioni, quæ ex editione infauſti Conſcientiæ Caſus orta erat, doluerimque ex animo quod nomen meum inter ejus approbatores ſubſcriptum legeretur; idque publicis actis declaraverim Eminent. Cardinali Noalio Archiepiſcopo Pariſienſi, meique animi ſenſa ejus Eminentiæ aperuerim datis ad eum litteris die 8. Januarii ultimo præteriti, quæ per omnium manus, ipſo primum exemplar, ſeu potius autographum communicante, volitarunt. Quamvis illi doctrinæ meæ integritatem plene approbaverim etiam ex operibus meis, Theologia præſertim dogmatica, & morali, quoad ea, de quibus quæſtio vertebatur; quamvis declaratio mea plurimos e XL. Doctoribus revocaverit ad officium, & ad ejurandam ſubſcriptionem impulerit; idque totum a me ſponte, nullius juſſu, aut ſuggeſtione peractum ſit, antequam caſus ille male vulgatus, aliquo judicio Eccleſiaſtico damnatus eſſet. Quamvis Emin. Cardinalem Archiepiſcopum Pariſienſem integritatis fidei meæ, ac doctrinæ vadem, & obedientiæ abſolutiſſimæ erga Sedem Apoſtolicam, & Sanctitatem Veſtram, teſtem, interpretem, ſponſorem fuiſſe (quæ ſumma ejus benignitas eſt cum æquitate conjuncta) certo noverim: animum tamen meum effundo lubens ad pedes Sanctitatis Veſtræ, illoſque devote exoſculatus, me plurimum, & ex animo dolere profiteor, quod hujuſmodi Caſui nimia facilitate ſubſcripſerim; plura in foliis editis addita, vel interpolata ſuſpicor, quæ in originali a me ſubſcripto non extabant, (nec inanes eſſe, ac male fundatas ſuſpiciones meas agnoſceretis, ſi inquieti homines qui caſum temere ediderunt, autographum cum ſubſcriptionibus exhiberent) ſed illud ſupprimere, e re fuit petulantium hujuſmodi ingeniorum, & ad perturbationem Eccleſiaſticæ pacis ſcripturientium, ne illorum maliguitas palam fieret.

Ut ut eſt, Beatiſsime Pater, non ſolum ex animo doleo de ſubſcriptione, qualiſcumque illa fuerit: non ſolum illam ejuro, quæ per obreptionem a me impetrata eſt: (nec enim retractare me pigebit unquam, & cenſorio ſtylo denotare, quæ a me ſcribi, aut ſubſcribi minime debuerant) verum etiam pari animi demiſsione, obedientia, adhæſione mentis, & cordis abſolutiſsima, ſubſcribo litteris Apoſtolicis, ac Decreto Sanctitatis Veſtræ, quo folia Gallico idiomate edita, & conſcientiæ caſum cum ſubſcriptionibus Doctorum continentia, veſtro judicio damnata ſunt, & prohibita; parem (inquam) Apoſtolico Veſtro decreto die 12. Februarii ultimo præteriti dato, obedientiam exhibeo, quam Conſtitutionibus Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Innocentii XII. Deceſſorum Veſtrorum, quibus quinque propoſitiones famoſæ in ſenſu Janſenii damnantur. Quod ſemper me præſtitiſſe abſque reſtrictione prorſus nulla, aut æquivocatione, & tota animi ſinceritate coram Deo, & Veſtra Sanctitate profiteor: illiſque, qui contrarium ſaperent, palam, ac libere cum S. Yvone Carnotenſi Epiſcopodico: *Manifeſte contra Sedem Apoſtolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, Vos, quantum in vobis eſt, deſtruitis; & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis: Cujus judiciis, & Conſtitutionibus obviare, plane eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere: nam Hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.* Hunc animi mei ſenſum toti Eccleſiæ ſatis ſuperque expoſuiſſe mihi videor in præfatione Commentarii in quatuor Evangeliſtas nuper a me editi, nominique Beatitudinis Veſtræ dicati; quem ad ejus pedes deponet Magiſter Generalis Ordinis noſtri. Benedictionem Apoſtolicam ſumma devotione exopto, & deprecor, dum votis ac precibus aſſiduis multos annos, pro ſperam ſemper valetudinem, & cœleſtium donorum incrementa S. V. a Deo flagito

Pariſiis pridie Kal. Novembris 1703.

Beatitudinis Veſtræ

Obſervantiſſimus, Devotiſsimus & Obſequentiſsimus
Filius & Servus F. Natalis Alexander Ordinis
FF. Prædicatorum.

Pontificias porro litteras, ſeu Brevia, ut vocant, de quibus ſupra incidit mentio, hic pariter habes, Amice Lector, ne quid tibi de tota re deſiderandum ſuperſit. Sunt autem hujuſmodi.

SS.

SS. D. N. D. CLEMENTIS Divina Providentia Papæ XI. Damnatio, & prohibitio quorumdam foliorum impreſſorum ſub titulo : *Lettre de M. * * * Chanoine de B. A. Mr. T. D. A. &c. Cas de Conſcience proposè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite &c.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm nuper in lucem prodierint quædam folia Gallico idiomate edita ſub titulo : *Lettre de M. * * * Chanoine de B. A. Mr. T. D. A. &c. Cas de Conſcience proposè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteur de la Faculté de Theologie de Paris.* Quamplures autem ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum ſpecialiter delegimus, audita, ac diligenter perpenſa foliorum hujuſmodi Cenſura, quæ coram Nobis relata fuit, folia ipſa damnanda, & prohibenda eſſe cenſuerint : Hinc eſt, quod Nos pro commiſſa Nobis ab æterno Paſtore gregis ſui cura, Dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis præſervare cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, folia prædicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate præfata mandantes, ut quicumque eadem folia penes ſe habuerint, illa ſtatim atque præſentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ut autem eædem præſentes litteræ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut illæ ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, & ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 12. Februarii M.DCCIII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

F. Oliverius.

Dile-

Dilecto Filio Noſtro LUDOVICO ANTONIO Tituli Sanctæ Mariæ ſuper Minervam S.R.E. Presbytero Cardinali de Noailles nuncupato.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte fili noſter ſalutem &c. Non ſine magna paterni cordis noſtri amaritudine nuper accepimus editum Pariſiis, ac pervulgatum fuiſſe libellum quemdam, cujus Titulus: *Cas de Conſcience propoſé par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris*: Mole quidem perexiguum, ſed multiplici noxiæ Doctrinæ veneno abunde refertum, quo ſcilicet plures damnati errores, pernicioſæque novitates adſtruuntur, ac ipſæ etiam felic. rec. Alexandri VII. Prædeceſſoris noſtri ad Janſenianam hæreſim non modo iterum damnandam, ſed & præcluſis omnibus callidorum hominum effugiis, ac tergiverſationibus radicitus evellendam tanta maturitate editæ Conſtitutiones, quibus & Nos firmiſſime inhæremus, indirecte quidem, ac veluti per cuniculos impetuntur. Quid enim aliud eſſe dixerimus libelli hujuſmodi Authores, tam ſplendido Verborum apparatu erga Pontificias Conſtitutiones internam ſemper obſervantiam polliceri, quam interim exterius violant, & ut ſilentium polliceantur, quotidie ſilentium rumpere? Quid inanibus quæſtionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad ſubverſionem audientium, Eccleſiaſticarum Sanctionum perſpicuitati tenebras vel offundere; niſi malum, quod corde fovent, per quamdam diſſimulationem aperire; ita ut illud jure uſurpari poſſit: Sermo eorum ut cancer ſerpit; & aliud: Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Ingemuimus plane videntes homines, qui ſe Catholicos profitentur, eo temeritatis, & pervicaciæ deveniſſe, ut præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque hujus ſanctæ Sedis Decretis adhuc obviam ire, eorumque vim emendicatis undique captioſis ſubtilitatibus eludere ſe poſſe confidant. Verum cum ſubdolis eorum artibus non modo, ut par eſſet, minime obſiſtere, ſed potius patrocinari, ac veluti manum porrigere conſpexerimus non paucos Pariſienſis Scholæ Doctores, qui libellum ipſum palam auſi ſunt ſuo calculo comprobare, obſtupuimus plane, & magna ſimul perturbatione pro Domo Dei exarſimus, ſtatimque, ne commiſſo nobis cœlitus muneri deeſſe videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus. Quapropter libellum ipſum prævio, ut moris eſt, Theologorum examine, Apoſtolica auctoritate damnavimus, ac prohibuimus, ne ejus lectione fidelium mentes inficerentur. At vero quoniam, ut Sanctus Proſper præclare admonet, hujuſmodi hominum pravitati non tam diſputationum ſtudio, quam auctoritatis privilegio eſt reſiſtendum, Circumſpectionem tuam ſedulo admonemus, ut zelum, quo maxime ferves pro ſana doctrina, Eccleſiæque pace tuenda excites, exeras, atque intendas inveſtigandis omni ſtudio, diligentiaque libelli hujus Auctoribus, ac præcipuis Promotoribus, atque Evulgatoribus, (neque enim clam fieri potuit, quod non niſi a multis valuit perpetrari) ac in eos poſtmodum gravibus, ut tantæ debetur audaciæ pœnis animadvertas. Porro Doctores illos, quos ſane decebat magis expugnandis Eccleſiæ deterrimis hoſtibus, quam convellendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus nomen inſcribere, omnino volumus ſeveram adeo, te puniente, diſtrictionem ſubire, ut ceteri in poſterum a ſimilibus abſterreantur. Chariſſimum inſuper in Chriſto filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum, & datis litteris, & per Venerabilem Fratrem Philippum Antonium Archiepiſcopum Imolenſem Nuncium noſtrum, qui plura tecum etiam hac de re differet, enixe rogamus, ut Circumſpectioni tuæ in exequendis hiſce mandatis noſtris pravorumque hominum nequitia coercenda regalis quoque velit auxilii brachium impertiri, quod quidem Majeſtatem Suam pro ſummo, quem in compeſcendis hæreſum, ac novitatum fautoribus hactenus oſtendit, zelo confidimus egregie præſtituram: & tibi interim, dilecte fili noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ &c. Die 13. Februarii 1703.

Ulyſes Joſeph Archiepiſcopus Theodoſienſis.

Cha-

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro

LUDOVICO FRANCORUM

REGI CHRISTIANISSIMO.

CLEMENS PAPA XI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem &c. Audivimus nuper, audaci plane, & ſubdola nonnullorum hominum opera, qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ, ac Reipublicæ pacem turbare non ceſſent, libellum quemdam prodiiſſe, cui titulus: *Cas de Conſcience propoſè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris:* quo ſane plura pernicioſæ doctrinæ capita, erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii dogmata non obſcure foventur, dum editæ olim pro iis omnino abolendis Apoſtolicæ Conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eluduntur. Id porro in quantum Chriſti Fidelium ſcandalum, atque utriuſque regiminis perturbationem vergat, Majeſtas tua, cujus mentem tanta in gubernandis Populis ſapientia illuſtravit Altiſſimus, ex ſe ſatis ipſa deprehendet. Quoniam vero contra iſtiuſmodi homines continua novitatum prurigine laborantes non amplius legibus, ac Sanctionibus, quæ ſatis multæ hactenus promulgatæ fuerunt, ſed gravium potius adhibitione pœnarum agendum videtur, ne malum toties compreſſum, & quotidie reviviſcens ulterius ſerpat, opportunuum exiſtimavimus, damnato prius hic juxta Sedis Apoſtolicæ morem libello, Dilecti Filii noſtri Ludovici Antonii S. R. E. Cardinalis de Noailles Eccleſiæ Pariſienſis Præſulis zelum, ac pietatem per Apoſtolica ſcripta excitare, ut in ejuſdem libelli Auctores, Evulgatoreſque præcipuos ſummo ſtudio conquiſitos ſeverius animadvertat, Doctoreſque non paucos, qui Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, & Regia etiam Majeſtatis tuæ Decreta contemnentes eidem libello palam ſubſcribere non ſunt veriti, debitis pœnis afficiat. Ea autem in re, qua non Eccleſiæ ſolum quæ Majeſtati tuæ maxime curæ eſt, ſed ipſius Regni utilitas quæritur, ſummopere decet Regalis Brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exeri poteſtatem, atque ita pravorum hominum temeritatem compeſci, ut palam fiat omnibus eam hodie inter Sacerdotium, & Imperium, miſerante Domino, vigere concordiam, ut impune non liceat turbulentis ingeniis, & numquam cavillandi finem facientibus Eccleſiaſticas ſimul, ac Regias leges infringere. Novit profecto, Chariſſime fili noſter, novit, & gratulatur Eccleſia omnis, quanto pietatis ſtudio, quanta Regii Nominis laude eliminandis Catholicæ Fidei, ac diſciplinæ adverſis Erroribus, & novitatibus, præcipue vero radicitus extirpandis Janſenii Dogmatibus adlaboraveris. Tuæ nunc prudentiæ, tuæ Religionis, ac pietatis eſt cœpto operi ſupremam manum adjicere, traditamque tibi ab Altiſſimo poteſtatem in ipſius, atque Eccleſiæ ſuæ obſequium exercere. Ne patiaris igitur, Chariſſime Fili, ut tot labores, ac ſtudia, quæ exterminandæ ex Florentiſſimo Regno tuo peſſimæ hæreſis contagioni adhibuiſti, paucorum hominum veſania fructu vacuentur, & pereant. Sileant inquieti homines, coerceantur protervi, pareant contumaces, & quos Eccleſiæ manſuetudo non flectit, poteſtas Regalis compeſcat, & conterat, ut ita quam Eccleſiæ Dei dederis, Deus ipſe Regnis tuis donet, ac perpetuo ſervet tranquillitatem. Eam interim Nos Majeſtati tuæ una cum ceteris bonis omnibus ex animo precantes, Apoſtolicam ſimul Benedictionem Tibi amantiſſime impertimur.

Datum Romæ &c. Die 13. Februarii 1703.

Ulyſſes Joſeph Archiepiſcopus Theodoſienſis.

Chari-

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro

LUDOVICO FRANCORUM

REGI CHRISTIANISSIMO.

CLEMENS PAPA XI.

CHariſſimo in Chriſto fili noſter ſalutem &c. Ex iis, quæ Venerabilis Frater Philippus Antonius Archieſpiſcopus Epiſcopus Imolenſis Nuncius noſter ad Nos retulit, non ſine maximo animi gaudio percepimus Regium Majeſtatis tuæ zelum, Noſtris nuper paternis vocibus excitatum, cœpiſſe in præcipuos deterrimi libelli approbatores condignis pœnis animadvertere, Ludovicum du Pin nequioris doctrinæ hominem, temeratæque pluries Apoſtolicæ Sedis Dignitatis Reum exulare jubendo. Qua de cauſa ſingulare tuum, ac fervens Eccleſiæ favendi ſtudium, religioſamque Pontificiis monitis obſecundandi voluntatem dignis commendare debemus laudibus, Tibique etiam gratias agere, utque cœptum egregie opus proſequi velis, vehementer adhortari; quandoquidem adverſus homines agitur, qui non niſi pœnarum ſeveritate coerceri valent. Neque vero excuſationem obtendere jure poſſunt, qui tot Eccleſiæ, Regnique legibus, non quidem ignotis, aut ambiguis, ſed palam editis, atque perſpicuis, obviam ire ſunt auſi; neque admiſſi criminis veniam ſola Epiſcoporum judicii agnitione demereri, qui publice in Eccleſiam, Eccleſiæque Caput Romanum Pontificem non uno nomine deliquere. Nimia videlicet erit impune peccandi licentia, ſi gravia quævis, & aperta facinora vel una ſatis deprecatione purgentur. Ceterum quod libellum eumdem Apoſtolicæ damnationis ſententia confixum Edicto quoque Regio proſcripſeris, ſummopere gaudemus; ne tamen ex quibuſdam ipſius Edicti verbis quiſquam inferre præſumat non ſuſtinendæ modo, ſed & pariter impugnandæ Janſenianæ hæreſeos in poſterum viam præcluſam eſſe; quod quidem ab æquiſſima Majeſtatis tuæ mente prorſus alienum eſſe nemo eſt, qui neſciat; utque nova omnis ſubdolis ingeniis cavillandi anſa penitus præcidatur, maxime expedire arbitramur, ut Majeſtas tua ea de re voluntatem ſuam expreſſius declarare non gravetur, quemadmodum idem Nuncius Noſter tibi uberius explicabit; quod ſane & fovendæ Chriſtianæ Fidei puritati opportunum, & Nobis porro gratiſſimum fuerit. Ita enim publicæ conſulendum tranquillitati eſt, ut Catholicæ veritati, ſalvis ſemper charitatis, atque modeſtiæ legibus, tuendæ locus non adimatur; ac Majeſtati tuæ Apoſtolicam Benedictionem perpetuo cum felicitatis tuæ Voto conjunctam amantiſſime impertimur.

Datum Romæ &c. Die 10. Aprilis 1703.

Ulyſſes Joſeph Archiepiſcopus Theodoſienſis.

EXPO-

EXPOSITIO
LITTERALIS ET MORALIS
S. EVANGELII
SECUNDUM
MATTHÆUM.

I. SANCTUM *Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum*. Hunc Titulum appoſuit Eccleſia, cum ut Libro conciliaret auctoritatem, tum ut Evangelium iſtud a tribus aliis, & ab apocryphis diſcerneret. *Marcionem* Hæreſiarcham reprehendit *Tertullianus*, quod *S. Lucæ* Evangelium ſolum recipiens, *Nullam fidem repromittat de plenitudine Tituli, & profeſſione debita auctoris*. Auctoritas Eccleſiæ proponentis Evangelium, velut ſigillum eſt quo obſignatur. *Evangelio non crederem*, (inquit S. Auguſtinus) *niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Tertull. lib. 4. contr. Marc. c. 2. S. Auguſt. lib. cont. Epiſt. Manich. c. 5.

2. *Evangelium* definiri ſolet ab Eccleſiaſticis Tractatoribus, bonum nuntium, quo peccatores ad indulgentiam per Chriſtum vocantur. Cum vero interdum ſumatur in Novo Teſtamento Evangelii nomen pro re ipſa læta quæ nuntiatur, quandoque pro doctrina Chriſti, alias pro prædicatione: hic uſurpatur pro Hiſtoria quæ Evangelium, ideſt, Chriſti ad homines adventum, & inter homines converſationem, vitam, geſta, miracula, legem ac præcepta, paſſionem, mortem, Reſurrectionem deſcribit & narrat.

S. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum c. 1. *Inter omnes divinas auctoritates, quæ ſanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonſtratur*; (ait S. Aug.)

Idem c. 35. Evangelii finis eſt humani generis cum Deo reconciliatio per Jeſum Chriſtum, perductio ad cognitionem veritatis, ad conſecutionem beatæ æternitatis. *Ut ergo ab imis ad ſumma revocemur* (inquit S. Auguſtinus,) *atque id quod ortum eſt recipiat æternitatem, per fidem veniendum eſt ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquid medium reducuntur, & ab æterna juſtitia temporalis iniquitas nos alienabat: opus ergo erat media juſtitia temporali, quæ medietas, temporalis eſſet de imis, juſta de ſummis, atque ita ſe nec abrumpens a ſummis, & contemperans imis, ima redderet ſummis. Ideo Chriſtus Mediator Dei & hominum dictus eſt, inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipſe eſt nobis fides in rebus ortis, qui eſt veritas in æternis. Hoc magnum & inenarrabile ſacramentum, hoc regnum & ſacerdotium Antiquis per prophetiam revelabatur, poſteris eorum per Evangelium prædicatur. Oportebat enim ut aliquando in omnibus Gentibus redderetur, quod diu per unam Gentem promittebatur. Proinde qui Prophetas ante deſcenſionem ſuam præmiſit, ipſe & Apoſtolos poſt Aſcenſionem ſuam miſit.* Evangelium omnes Apoſtoli prædicarunt, duo tantum ſcripſerunt, ſcilicet *S. Matth.*, & *S. Joannes*. Conſtituimus imprimis (inquit Tertullianus) *Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum. Si & Apoſtolicos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos. Quoniam prædicatio Diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non adſtat illi auctoritas Magiſtrorum, immo Chriſti, qui Magiſtros Apoſtolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apoſtolis Joannes & Matthæus inſinuant: ex Apoſtolicis Lucas & Marcus inſtaurant, iiſdem Regulis exorſi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, & Chriſtum ejus, natum ex Virgine, ſupplementum Legis & Prophetarum.*

Tertull. lib. 4. cont. Marc. c. 2.

Natal. Alex. In Evang.

3. *Sanctum* eſt Evangelium ratione auctoris & objecti, qui Chriſtus eſt, *Sanctus ſanctorum*: ratione materiæ, quia illius documentis & verbis conſtat adorandis; ratione finis, quia homines ad ſanctitatem informat: *Lex Domini immaculata convertens animas*. Quamobrem a S. Matthæo vocatur *Evangelium Regni*, Dei ſcilicet; quod quidem regnum intra nos eſt per charitatem, quam Spiritus ſanctus in corda noſtra diffudit. *Evangelium gratiæ Dei*, a S. Paulo, *Evangelium pacis*; item, *verbum veritatis*, *Evangelium ſalutis veſtræ*, *in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*. Chriſtus opus ſuum nobis dedit in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ut nobiſcum maneat uſque ad conſummationem ſæculi, noſque ex ſubſtantia ſua nutriat: vitam ac verba ſua atque documenta nobis reliquit in Sacramento Evangelii, ut per ſe ipſum nos erudiat. Deus enim qui multifariam multiſque modis nobis locutus eſt in Prophetis, *noviſſime nobis locutus eſt in Filio ſuo*, & in Evangelio loqui non ceſſat. *Nos itaque ſic audiamus Evangelium quaſi præſentem Dominum; nec dicamus, O illi felices qui eum videre potuerunt! quia multi in eis qui viderunt & occiderunt; multi autem in nobis qui non viderunt & crediderunt. Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini, & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum, & propter nos recitatum. Surſum eſt Dominus; ſed etiam hic eſt veritas Dominus.* Sanctificat animam frequens Evangelii Lectio, ejuſdemque in tabulis cordis deſcriptio. *Nam ſi in quacumque domo Evangelium eſt, illuc diabolus ingredi non audet: quanto minus animam ei aſſiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animum, ſanctifica corpus, hoc continget ſi Evangelium ſemper & animo habueris & lingua. Quod ſi linguæ obſcœnitas animam coinquinet, ſi dæmones vocet, perſpicuum eſt ſpiritali lectione eam ſanctificari, & gratia Spiritus ſancti affatim infundi.* Ne igitur in noſtras ipſi animas crudeles ſimus, ſpirituali illa fame eas occidendo, de qua Dominus per prophetam: *Ecce dies veniunt, & mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.*

Pſalm. 18. Matth. 4. *Act. 20. Epheſ. 6. Epheſ. 1.* *Hebr. 1.* *S. Auguſt. Tract. 30. in Joan.* *S. Joan. Chr. Hom. 31. in Matt.* *Amos 8.*

4. Evangelium eſt *Jeſu Chriſti*, non ſolum quia ejus geſta, miracula, verba, documenta, paſſionem, mortem, Reſurrectionem, populique novi, nimirum Eccleſiæ ab illo regenerationem commemorat: verum etiam quia ita ſuſcipiendum & colendum eſt, quaſi ipſius Chriſti Domini manu ſcriptum eſſet. *Omnibus enim Diſcipulis ſuis per hominem quem aſſumpſit, tamquam membris ſui corporis caput eſt. Itaque cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt quod ipſe non ſcripſerit: quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod*

S. Auguſt. Lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 35.

dictante capite cognoverunt. Quicquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium, & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus Discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quam pudendum est ut Christiani ad theatra & spectacula confluant, fabulas & res inanes a scenicis hominibus & mimis audituri; ad Ecclesiam vero ire negligant, Christum in Evangelio loquentem audituri! Quam indignum ut libros non solum inutiles legant, sed noxios, Evangelii vero lectionem prætermittant! S. Joan. Chrysost. Hom. 2. in Matt. *Non sum* (inquit) *ego Monachus, uxorem habeo, & filios, & curam domus gero. Hoc est quod omnia quasi una quadam peste corrumpit, quoniam lectionem divinarum scripturarum ad solos putatis Monachos pertinere, cum multo magis vobis quam illis sit necessaria. Qui enim versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine. Itaque multo est gravius atque deterius, rem superfluam esse legem Dei putare, quam illam omnino non legere. Hæc enim verba sunt, quæ de diabolica prorsus meditatione promuntur.*

S. Iren. lib. 3. c. 1. Euseb. l. 3. cap. 24. S. Hieron. in catal. Vir. illust. & Præf. in Matth. S. Joan. Chrysost. Homil. 1. in Matth. S. Epiph. Hæres. 51.

5. *Secundum Matthæum.* Matthæus, qui & *Levi*, Galilæus, ex Publicano Apostolus, primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit, propter eos maxime qui ex Circumcisione in Jesum crediderant. Exemplar Hebraicum S. Hieronymi ætate in Cæsareensi bibliotheca adhuc servabatur. Exinde periit. Græca versio ab aliquo temporum Apostolicorum interprete facta habetur. Quis fuerit illius Versionis Auctor, incertum est, S. Hieronymo judice. Minus enim probabile videtur, quod habet additio Synopsi S. Athanasii assuta, S. Jacobum Hierosolymorum Episcopum Evangelium Matthæi interpretatum fuisse. Qua enim necessitate, vel qua occasione ipse Hebræis regendis ab Apostolis præpositus, Evangelium eorum lingua vernacula scriptum Græco sermone donasset? *Matthæus* primus Evangelii scribendi Provinciam nactus est (inquit S. Epiphanius:) *oportebat enim eum ipsum, qui ad conciliandam humano generi salutem advenerat, quique dixerat: Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam; ad eorum qui servandi erant exemplum, ei homini potissimum prædicandæ salutis munus injungere, qui ab innumeris peccatis conversus, & a Telonio suscitatus fuerat, ut ab illo quanta sibi esset Adventu Christi humanitas collata, mortales discerent. Quippe post peccatorum condonationem, hoc eidem concessit, ut & mortuos excitare posset ad vitam, morbos depellere, purgare lepram dæmonesque propulsare: Ne dicendo solum persuaderet auditoribus; sed Evangelicam Doctrinam factis etiam ipsis prædicaret, ac perditis hominibus nunciaret, posse illos pœnitendo recuperari, & iis qui ceciderant, resurrecturos se esse.* Evangelium vero Librum suum apposite vocavit, (inquit S. Jo. Chrysost.) *Siquidem pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem atque justitiam, redemptionem, adoptionem etiam filiorum, & cælorum hæreditatem, & cum Dei Filio fraternitatem omnibus, tum inimicis, tum improbis & in tenebris sedentibus nuntiavit.* Quid tam faustis nuntiis melius ac felicius nuntiari possit? Propterea *Evangelium* vocatur hæc Historia, quasi omnia alia verba inania doceantur & vacua, quibus solent præsentia promitti, ut copia divitiarum, potentiæ magnitudo, gloria, honores, & quæcumque alia bona esse homines arbitrantur. *Quæ vero piscatorum sunt annuntiata verbis, proprie ac vere Evangelia nominantur, non tantum quia firma sunt ac penitus immobilia, supraque nostram eminentia dignitatem: sed quia cum omni etiam facilitate nobis donata sunt. Non enim laboribus nostris atque sudoribus, sed per Dei tantum in nos charitatem, tam grandia hæc promissa suscepimus.*

Homil. 1. in Matth.

6. In Evangelio, aliisque canonicæ scripturæ Libris nonnulla sunt humanæ menti ad intelligendum difficilia; quæ tamen ab Evangelii lectione Christianos homines, quantumvis simplices & Theologica Doctrina destitutos deterrere non debent. Non enim legent vel audient, sine fructu, etsi non capiant omnia quæ leguntur vel audiunt, modo cum fide, pietate, & humilitate legant vel audiant. „ Valde caute hæc audire debemus „ (inquit S. August.) ad quæ capienda parvuli sumus; „ & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc „ tenentes Regulam sanitatis, ut quod secundum fidem „ qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam „ de cibo gaudeamus: quod autem secundum sanam fi„ dei regulam intelligere nondum potuerimus, dubita„ tionem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, „ ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen & verum „ esse minime dubitemus. Et ego, fratres, qui suscepi „ loqui vobis, cogitandus sum a vobis qui susceperim, „ & quæ susceperim: Suscepi enim tractanda divina ho„ mo, spiritalia carnalis, æterna mortalis. Etiam a „ me, chariſſimi, longe sit vana præsumptio, si volo sa„ nus in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vi„ vi, columna & firmamentum veritatis: pro modulo „ meo capio quod vobis appono: ubi aperitur, pascor „ vobiscum; ubi clauditur, pulso vobiscum. " Surgamus, quæramus, suspiremus, anhelemus desiderio, & ad clausa pulsemus. „ Extorqueatur tamquam pueris ludicrum „ nescio quid, quo se male avocant, ut possint inseri „ utiliora grandioribus, ut possint proficere qui repebant „ in terra . . . Mores perducunt ad intelligentiam: genus vitæ perducit ad genus vitæ. Alia vita terrena, „ alia vita cœlestis, alia vita pecorum, alia vita ho„ minum, alia Angelorum. Vita pecorum terrenis vo„ luptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in ea pro„ na atque projecta est: Vita Angelorum sola cælestis: „ Vita hominum media ... Si vivit homo secundum car„ nem, pecoribus comparatur: Si vivit secundum spiri„ tum, Angelis sociatur. Quando secundum spiritum vi„ vis, quære etiam in ipsa Angelica vita, utrum par„ vus an grandis sis. Si enim adhuc parvus es, dicunt „ tibi Angeli, Cresce, nos panem manducamus, tu la„ cte nutrire, lacte fidei, ut pervenias ad cibum spe„ ciei " . . . Desideremus quam hic plene non habemus, mysteriorum ac rerum divinarum, latentiumque scripturæ sensuum intelligentiam. *Multum interest inter aversantem & desiderantem, & iterum multum interest inter desiderantem, & fruentem. Vivis ut pecora, aversaris: desideras aliquid, & non capis: inchoasti ipso desiderio vitam Angelorum. Crescat in te, & perficiatur in te: & capias hoc non a me, sed ab illo qui & me fecit, & te.*

Tract. 18. in Joan.

1. Timot. 3.

CAPUT PRIMUM.

Sensus Litteralis.

1. *Liber generationis.* Faustus Manichæus insigni impietate negavit Genealogiam Christi Evangelium esse, vel ad Evangelium pertinere, cujus errorem non tam rationibus, quam cavillis & inanibus argutationibus defensum, *S. Augustinus* refellit

Liber generationis, id est, series progenitorum sive majorum Christi secundum carnem. Liber scilicet interdum usurpatur scripturæ phrasi pro descriptione quavis, narratione, sive catalogo; sive justo volumine, sive schedula tantum vel Epistola contineatur. Hinc Matth. 19. *Libellus repudii*; & Jerem. 32. *Liber emptionis & possessionis.* Vel *Liber generationis Jesu Christi*, id est, Liber de Vita Christi. Non solum enim generationis actum, aut genealogiæ seriem nomen Hebræum *Tholedah* significat, sed totum vitæ cursum, & quicquid homini accidit in vita. Hoc sensu Noe dicitur *Vir justus atque perfectus in generationibus suis.* Egregiam antithesim innuit Evangelista inter Catalogum generationis primi Adam, & secundi Adam, cum ab utroque originem trahamus, ab illo naturæ, ab isto gratiæ. Gen. 5. vers. 1. *Hic est liber generationis Adam.* Nam *totum genus humanum* (inquit S. Aug.) *quodammodo sunt homines duo, primus & secundus . . . . Per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus a quo factus est; iste nos salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus a quo missus est: in horum ergo duorum hominum causa proprie fides christiana constitit. Unus est enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hinc subdit Evangelista.

Lib. 2. 3. 7. & 23. Genes. 6. Lib. 2. op. imperf. cont. Jul. c. 163. & lib. de peccato orig. cap. 24. 1. Tim. 2. 5. Act. 4. 12.

2. *Jesu Christi.* Salvatoris & Messiæ a Deo promissi, qui Spiritu sancto unctus est præ consortibus suis, non aliqua spiritalis unguenti participatione delibatus, sed totius gratiæ plenitudine, & Divinitatis inhabitatione ac unione personali sanctificatus. *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus;* (inquit Andreas Simoni fratri.) *Scio quia Messias venit* (inquit mulier Samaritana) *qui dicitur Christus.* Jesus dicitur & ille, qui post Moysen populum in terram promissam introduxit. „ Typus ille, hic veritas. Ille in terram repromis„ sionis, hic in cælum, & ea quæ sunt in cælis bona. „ Ille postquam Moyses mortuus est, iste postquam Lex „ per Moysen data cessavit. Ille Ducis dignitate, iste „ Regis majestate præfulgens. Sed ne Jesum audiens, „ de societate nominum patereris errorem, continuo „ subjunxit & *Christum*; " ait S. Jo: Chrysost. *Christus*, id est *unctus*, ut Rex, Sacerdos, Propheta. Rex, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem sanctum ejus.* Sacerdos, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Propheta, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi:* Et, *Hic est Jesus propheta a Nazareth Galileæ.* Et, *Quem scripsit Moyses in Le-*

Joan. 1. 41 Joan. 4. 25 Hom. 1. in Matth. Ps. 2. 6. Ps. 109. 5. Deuter. 18. Matth. 21. Joan. 1. 45.

in Lege, & Prophetæ, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth.

3. *Filii David, filii Abraham.* Hi duo potissimum ex Christi progenitoribus a S. Matthæo memorantur, quia alter caput erat gentis Judaicæ, ex qua Christus, alter familiæ. 2. Quia Abrahamo & Davidi potissimæ & frequentissimæ de Messia venturo factæ erant promissiones.
Gen. 12.13. & 18. Abrahamo, *benedicentur in semine tuo omnes gentes*; quod S. Paulus de Christo intelligendum esse docet.
Gal. 3.16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno:*
2. *Reg.* 12. 13. *Et semini tuo, qui est Christus.* Davidi vero: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo: & stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ promissio etsi ad Salomonem typice pertineat, Christum tamen spectat prophetice, de quo dictum est ab ipsomet:
Luc. 1. *Ecce plusquam Salomon hic:* qui domum, ideſt, Ecclesiam ædificavit, in qua Deus in spiritu & veritate adoratur; cujus regnum *in domo Jacob* æternum est, & *Regni ejus non erit finis.* Qui Dei Filius est, secundum
Isai. 52. æternam generationem, de qua Propheta, *Generationem ejus quis enarrabit?* Idemque Davidis filius, secundum generationem temporalem. Hic *Altissimi Filius*, cui dedit Dominus *sedem David Patris ejus*, ut Angelus Mariæ ejus matri castissimæ nuntiavit: Quod & in Psal-
Luc. 1. mis ipse David prædixerat: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Porro Davidem Abrahamo præmittit Evangelista, quia recentior erat, specialior, & honorificentior Davidi facta promissio, omniumque ore magis celebrata, ut S. Joannes Chrysostomus observat; omnesque etiam vulgo sciebant, Messiam Davidis filium esse oportere. Hinc turba ipsa popularis, visis admira-
Ps. 131.11. bilibus Christi factis dicebat: *Numquid hic est filius David?* Et eo Jerusalem ineunte triumphantis instar, ac-
Hom. 1. *in Matth.* clamavit, *Osanna filio David.* Populares etiam homines
Matth. 21.9 erant, qui dicebant, *Nonne scriptura dicit, Quia de*
1. *Joa.* 7.42. *semine David, & de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?* Hinc omnes qui a Christo beneficia petebant, filium Davidis appellabant, ut Messiam illum esse significarent, qui populum suum omni beneficiorum genere cumulaturus esset. *Miserere nostri, filii David.*
Matth. 9. *Miserere mei Domine fili David.* Interrogati denique a
27. & 15. 22. Christo Pharisæi, *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?* Absque hæsitatione respondent, *David.* Quibus ille reponit: *Quomodo ergo David vocat eum Dominum, dicens; Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?*
Matth. 22.

4. *Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.* Non solus Judas, a quo Christus genus duxit, & de cujus tribu ortus est, quique toti genti nomen dedit, cui pro-
Genes. 49. missus est Christus, & cui benedicendo insigne vaticinium de adventu Messiæ Jacob edidit, *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium:* Sed & Judæ fratres in Christi genealogia recensentur, non tanquam Christi parentes, sed tanquam regni ejus & reipublicæ conditores. Fuerunt enim suæ quisque tribus Patriarchæ. Horum etiam mentione humiliatur immodica de progenitorum nobilitate jactantia, ut S. Chrysost. observat. Multi enim ex ancillis matribus nati sunt, & tamen pariter Patriarchæ, Tribuumque principes extiterunt. Privilegium Ecclesiæ ista designat æqualitas. Hæc quippe nostræ nobilitatis prærogativa est, ut nulla sit inter servos & nobiles in Regno Dei disparitas, nisi & gratia & virtute. Omnes ex Deo nati, omnes filii Dei & hæredes, fratres autem & cohæredes Christi.

5. *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.*
Genes. 38. Zaram cum Phares nominatus, propter eventum singularem & admirabilem, qui in eorum ortu contigit: neque enim erat consequentiæ naturalis, ut is qui manum emisisset, eamdem, postquam filo coccineo alligata erat, re-
S. Joan. Chrys. Homil. 3. *in Matth.* traheret, alterique primas nativitatis cederet. *Non fit lege nascentium, sed ex Dei gratia, quæ tunc pueris aderat ista dispensans, & nobis quamdam imaginem futurorum in eorum nativitate depingens.* Duorum populorum typus fuere hi pueri, Judaici sub Mosaica, & Gentilis sub Christiana Lege viventis. Posterioris status præluxit ortui prioris. Nam Republica illa spirituali, quæ temporibus Abrahæ fuit, illucescente, & deinde medio cursu subito revocata, Judæorum populus ortus est, & Respublica condita, cui data est Legis sepes, spiritualis illius reipublicæ libertatem, (quæ manum, ideſt, opera fidem in Christum testificantia, ejusque sanguinis pretio, ac virtute ad meritum insignia produxerat) intercludens. Quod nomine *Phares* significatum, qui cum ex utero matris prior egressus esset, dixit obstetrix, *Quare divisa est propter te maceria?*

Thamar, aliasque famosas mulieres in Genealogia Salvatoris Evangelista commemorat, nullam ceterarum,
Natal. Alex. In Evang.
quia cum Judææ essent ac legitimæ uxores, eas nominari minime opus erat, quia nemo dubitare poterat filios, quos recensebat, ex illis fuisse genitos. At de *Thamar* dubitari potuisset, quia extra legitimum conceperat; de *Rahab*, quia fuerat meretrix & alienigena; de *Ruth*, quia Moabitis; de *Betsabee*, quia adultera. Ideo specialis earum mentio facta. Rationem affert alteram *S. Hieronymus*; observatque, excepta Matre Domini, in Genealogia Salvatoris nullam sanctarum Mulierum nominari, sed eas quas Scriptura reprehendit, *Ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.* Tertiam addit S. Joannes Chrys. Id factum ad reprimendam Judæorum superbiam, qui nobilitatis illius quæ ad animam pertinet, insignia negligebant, & nimium insolenter de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem esse rati vitiorum suorum. Ideo nec parentum virtutibus gloriandum, nec de illorum vitiis erubescendum esse docet, modo ipsi virtutem sectemur, quæ una & vera est nobilitas.
S. Hieron. in c. 2. S. Matth. Teodoret. in Lib. Ruth. S. Joan. Chrys. Homil. 3. *in Matth.*

6. *Salmon genuit Booz de Rahab.* *Booz* ille in sacro libro *Ruth*, & 1. Paral. 2. celebratus. Rejiciendum namque *Lyrani* Interpretis alioquin eruditi figmentum, tres *Booz* admittentis contra Scripturæ fidem. Nec vero incredibile est, quatuor homines, nempe *Salmonem*, *Booz*, *Obed*, & *Jesse* trecentorum sexaginta sex annorum spatium inter se vivendo fuisse partitos, eo præsertim tempore, quo hominum vita sive naturæ vi, sive temperantia, longius protendebatur.
Isai. 11. 1.

7. *Jesse autem genuit David Regem.* Hæc Radix ex qua Christum oriturum Isaias prænuntiaverat. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.*

8. *Joram autem genuit Oziam.* Tres ibi Reges prætermissi. Joram enim immediate non genuit Oziam, sed Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amasiam, ut constat ex libris Regum & Paralipomenon. Ideo vero prætermissi sunt, quia constitutum fuit Spiritui sancto totam seriem progenitorum Christi tribus tessaradecadibus, ideſt numero quatuordecim personarum ter repetito complecti. Hos vero potius quam alios prætermisit Evangelista, ob maledictionem in domum Achabi latam 3. *Reg.* 21. & 4. *Reg.* 9. quicquid videlicet Achabi esset, excisum iri usque ad mingentem ad parietem; Ochozias enim a Joramo ex Athalia Achabi filia genitus fuit. Ideo tres illi Reges ex Christi progenitorum catalogo expuncti sunt, quasi capite minuti, sicut & Tribus Dan ex signatorum albo erasa est, sive in eo prætermissa, *Apoc.* 7. quod a Dei cultu ad idola jam olim defecisset, seque cum Gentibus permiscuisset, ut refertur *Judic.* 18. Prætermissi vero ceteri non fuere, qui in eadem linea ab Achabo mediate descenderunt, quia Dei maledictio in puniendis filiis ob peccata parentum ultra tertiam, vel quartam generationem extendi non solet, secundum Legis effatum, *Exod.* 20.
T. Hilarius & Hieron. in c. 1. Matth.

Ochozias quidem genitus dicitur ex *Athalia* filia *Amri* Regis Israel, 4. *Reg.* 8. 26. Sed hæc *Amri* filia vocatur, hoc est neptis, Hebræorum more. Fuisse autem revera filiam Achab, qui erat filius Amri, constat ex 3. *Reg. cap.* 16. *vers.* 28. 29. & 30. & 4. *Reg. cap.* 8. *vers.* 16. & 27.
Reg. 24. & 25. 1. *Paral.* 3. & 2. 34. & 35. *Jerem.* 22.

9. *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis.* Ex libris Regum & Paral. constat, Josiam habuisse filios quatuor, diversorum plane nominum, *Johanam*, qui & *Joachas*; *Joachim*, qui & *Eliachim*; *Sedechiam*, qui & *Mathanias*, & *Sellum*. Qua ergo ratione Josias dicitur genuisse Jechoniam? Probabilis responsio est, Joachim Josiæ filium fuisse binomium, & dictum etiam Jechoniam, ut *SS. Epiphanio* Hæresi 6. *S. Ambr.* in cap. 3. S. Lucæ, & *S. Hieronymo* visum est, & duos Jechonias fuisse, unum ante transmigrationem, alterum in ipsa transmigratione genitum, patrem & filium; Evangelistam neutrum suppressisse, sed utrumque uno nomine indicasse euphoniæ gratia; patrem in fine secundæ tessara decadis, filium initio tertiæ, ut etiam *S. Augustino* placet. *Joachim* certe Josiæ filium Auctor Libri III. *Esdræ* c. 1. vers. 34. *Jechoniam* vocat. Vel dicendum cum *S. Epiphan.* generationem unam scriptorum incuria prætermissam fuisse, post hæc nimirum verba, *Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis*, hæc intercidisse, *Jechonias autem genuit Jechoniam.* Sed prior Responsio melior est. Vulgata enim lectio vetustissima est, emendatio mera conjectura, nullius Codicis auctoritate nititur: nec tantum permittendum est conjecturis nostris in Libros sacros, ne infirmis vacillandi, procacibus insultandi, omnibus de sacri Textus auctoritate dubitandi detur occasio.
S. Aug. lib. 2. *de consensu Evang. cap.* 4.

Et fratres ejus. Jechonias pater plures fratres habuit. Jechonias filius nullos. Ideo porro fratrum Jechoniæ prioris in Genealogia Salvatoris facta mentio, vel quod omnes ad Regiam dignitatem evecti fuerint, primo *Joachas*, deinde *Joachim*, tertio *Sedechias*: vel quod in illorum tempora insignes & extraordinariæ prorsus mutationes inciderint, & omnes eamdem cum *Jechonia* patre sortem experti fuerint, tragicos nimirum exitus. Omnes enim a Regibus exteris solio avito exturbati, & quidam hac, quidam illac captivi abducti fuere.

Unde non ſine cauſa tranſmigrationis meminit S. Matth. Joachas enim in carcerem conjectus a Pharaone, Sedechias a *Nabuchodonoſore* Babylonem pertractus, narratur ibidem, æque ac *Jechonias* nepos, *Jechoniæ* pater, ſive *Joachimus* vinctus dicitur a Nabuchodonoſore, ut in Babylonem deportaretur, *Ib. & Ezech.* 19. Tranſmigrationis autem mentione divinarum promiſſionum de Meſſia venturo firmitas demonſtratur, quæ tot mutationibus & caſibus non obſtantibus adimpletæ nihilominus fuerint.

In tranſmigratione Babylonis. Id eſt, imminente tranſmigratione, quæ facta eſt tertio menſe Regni Jechoniæ filii Joachim, ut habetur 4. *Reg.* 24. Una vero dicitur tranſmigratio, quamvis plures fuerint, eo quod intra paucos annos omnes acciderint, & potius una quam diverſæ videantur, cœpta ſcilicet ſub Joachimo, continuata ſub Jechonia, conſumata ſub Sedechia.

10. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis*, tempore ſcilicet exilii, in ipſa captivitate Babylonica, *Jechonias genuit Salathiel.* Quamvis enim Deus denuntiaverit eum futurum ſterilem, *Jerem.* 22. non orbitatem certe prolis, ſed regni proſperitatiſque negationem divina illa maledictio ſignificat. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Jechoniam filios habuiſſe teſtatur *Jerem.* cap. 18. Sed ii e regio faſtigio exciderunt, & in ſtatum inferiorem ſunt redacti, illumque maximam partem luctuoſum, & variis calamitatibus inſignem.

11. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Non de Salathiele, ſed de Phadaia Salathielis fratre ortum Zorobabelem legimus 1. *Paral.* 3. v. 19. An alius *ab iſto* Zorobabel Matthæi ut *Toſtato* Abulenſi Epiſcopo viſum? id quidem probabile: Nam Zorobabel Matthæi genuiſſe dicitur filium *Abiud.* Loco vero Paralip. mox laudato inter filios Zorobabelis nullus nominatur *Abiud.* An *Salathiele*, abſque liberis defuncto, *Phadaias* frater ejus, jure Levitatus, ducta ejus uxore, ſemen ei ſuſcitavit; ob idque Zorobabel ex eo genitus cenſetur filius Salathielis, non Phadaiæ, quamvis ab hoc proprie genitus fuerit? An S. Matthæus Abiud & ejus poſteros, non ex Paralipomenon quidem libris, ſed ex Tabulis Genealogicis recenſuit, quæ apud Judæos maxima cura ſervabantur? An forte binonimes fuere majores illi Chriſti; quorum nomina cum iis qui in Libris Paralipomenon recenſentur, non conveniunt? Probabiles quidem Reſponſiones illæ, ſed difficultatem omnem ac ſcrupulum non eximunt.

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 2. in Matt. S. Ambroſ. lib. 3. in Lucam. S. Hier. in c. 1. S. Matt. S. Aug. lib. 2. de conſenſu. Evang. c. 2. & Quæſt. 47. in lib. Judicum.

12. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ.* Genealogia Joſeph, non *Mariæ* a Matthæo deſcripta eſt, tum quod fœminarum genealogiæ in Scripturis deſcribi non ſolerent: Unde Axioma illud Judaicum, *Familia matris non Familia.* Tum quod ex una tribu fuerint Joſeph & Maria: unde ſatis fuit Ioſephi Genealogiam contexi, ut inde Mariæ genus dignoſceretur. Nuptiæ enim non quærebantur extra Tribus, ex quo ea de re lata lex eſt, *Num.* 36. præſertim a juſtis, qualis erat Joſeph. Lata quidem lex eſt ut caveretur confuſio poſſeſſionum, ne illæ transferrentur de tribu in tribum, cum nuberent puellæ, quibus ex obitu patrum & fratrum obtigerant fundi hæreditarii. Quamvis autem hæc ferendæ legis ratio, cui occaſionem dederunt filiæ Salphaad, & Tribus querela patrum Manaſſes, lex tamen poſtea univerſalis fuit, & a piis communiter obſervata; quia tametſi pauperes actu transferre poſſeſſiones per Nuptias non poſſent, illis tamen ex obitu fratrum aut agnatorum fundi & poſſeſſiones hæreditario jure obtingere poterant, quarum alienatio cavenda eſſet. Mariæ igitur paupertas ratio non fuit, cur ipſa legis obſervantiſſima nuberet viro alterius Tribus. Accedit, S. Virginem hæredem fuiſſe revera, quamvis tenuis eſſet illius hæreditas. Unde *S. Epiphanius* Hæreſi 78. quæ eſt *Antidicomarianitarum*, Num. 7. ait: *Beata Virgo Joſepho tradita eſt, quo illam jura hæreditatis, quam poſſidebat, adegerant*: Joſeph igitur & Maria erant ex una Tribu Juda; addiderim, & ex una familia David. Matthæus igitur Genealogiam Chriſti a Davide ad Joſephum per Salomonem perducens, ſatis oſtendit genus Mariæ. Unde ait: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus.* Ita Chriſtus ex Tribu Juda ortus demonſtratur per Matrem Virginem. Unde Apoſtolus ad *Hebr.* 7. ait: *Manifeſtum eſt quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Nec refert, quod Maria cognata eſſet Elizabethæ ex filiabus Aaron: Hinc enim recte non colligitur Mariam fuiſſe ex Tribu Levi, ſed aliquem ex Tribu Juda & familia Davidis aliquam ex Tribu Levi duxiſſe uxorem, unde Virgo Deipara originem traxit.

Joſeph virum Mariæ. Vero ſcilicet Matrimonio conjuncti erant Maria & Joſeph. Neque fas erat ut ob hoc eum a conjugio Mariæ ſepararet Evangeliſta, quod Virgo peperit Chriſtum. *Hoc enim exemplo magnifice inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu continentia poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu .... Neque enim propterea non erat appellandus Joſeph Pater Chriſti, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem recte Pater eſſet etiam ejus quem non ex ſua conjuge procreatum aliunde adoptaſſet* (inquit S. Auguſt.....) *Erat quippe illa Virgo ideo ſanctius & mirabilius jucunda ſuo viro, quia etiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolum illa mater, verum etiam ille Pater ejus, ſicut conjux Matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater ſola mente, ſive illa mater & carne, parentes tamen ambo, humilitatis ejus, non ſublimitatis; infirmitatis, non divinitatis.* Unde in Evangelio dicitur: *Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo... Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem.* Et paulo poſt: *Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Sed cum ex ſemine viri Maria non peperiſſet, profecto nec ipſius formæ ſervi parentes ambo eſſent, niſi inter ſe etiam ſine carnis commixtione conjuges eſſent. Unde ſeries generationum uſque ad Joſeph erat perducenda. „ Ne in illo conjugio, virili ſexui utique potiori fieret injuria, „ cum veritati nihil periret, quia ex ſemine David ex quo „ venturus prædictus eſt Chriſtus, & Joſeph erat & Maria. Omne itaque Nuptiarum bonum impletum eſt in „ illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum: „ prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum: Fidem, „ quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum „ divortium . . . ſicut caſte conjux illa, ſic ille caſte maritus; & ſicut illa caſte mater, ſic ille caſte pater. „ Qui ergo dicit, Non debuit dici pater, quia non ſic „ genuerat filium, libidinem quærit in procreandis filiis, „ non charitatis affectum. Melius quod alius carne implere deſiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant „ filios, caſtius eos corde gignunt, quos carne non poſſunt . . . Numeremus ergo per Joſeph; quia ſicut caſte maritus, ſic caſte pater eſt. Sed præponamus virum „ fœminæ ordine naturæ & legis Dei. Nam ſi remoto „ illo illam conſtituamus; dicit ille, & recte dicit, „ Quare me ſeparaſtis? Quare non per me, generationes aſcendunt vel deſcendunt? An dicitur „ ei, Quia non tu genuiſti opere carnis tuæ? ſed reſpondebit, Numquid & illa opere carnis ſuæ peperit? „ Quod Spiritus ſanctus operatus eſt, utriſque operatus „ eſt. Spiritus ſanctus in amborum juſtitia requieſcens, „ ambobus filium dedit, ſed in eo ſexu quem parere „ decebat, operatus eſt hoc, quod etiam marito naſceretur.“

S. Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evang. c. 1. Idem *lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap.* 11.

S. Aug. ſerm. 1. de Conc. Matt. & Luc. Edit. poſtremæ Pariſ. cap 20.

13. *De qua natus eſt Jeſus.* Omnes beatiſſimæ Virginis Mariæ laudes hoc uno continentur elogio, omnis ejus dignitas his verbis exprimitur. Vetus Orator *Philippo* Macedoni adulatus dixit: Sufficiat tibi filium habuiſſe *Alexandrum.* Beatæ Mariæ Virgini citra adulationem dicimus: *Sufficit tibi filium habuiſſe Jeſum.* „ A ſæculo non „ eſt auditum (inquit S. Bernardus) ut aliqua ſimul mater eſſet & virgo. Quod ſi & cujus mater „ attendas, quo te tua ſuper ejus mirabili celſitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc ut te videas non ſatis „ poſſe mirari? Nonne tuo, imo veritatis judicio, illa „ quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros „ exaltabitur Angelorum? An non Deum & Dominum „ Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium, dicens: „ *Fili quid feciſti nobis ſic?* Quis hoc audeat Angelorum? „ Sufficit eis, & hoc pro magno habent, quod cum ſint „ ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati „ Angeli, teſte David: *Qui facit*, inquit, *Angelos ſuos ſpiritus: Maria vero matrem ſe agnoſcens, majeſtatem illam cui illi cum reverentia ſerviunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium; nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt.*

S. Bernardus, Hom. 1. ſuper Evan. Miſſus eſt.

14. *Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim, &c.* In tres teſſaradecades ſeu numerum quatuordecim ter repetitum generationes omnes diviſit S. Matthæus, ut triplicem populi ſtatum, ſub Judicibus, ſub Regibus, ſub Ducibus & Sacerdotibus deſignaret, ſimulque ſignificaret, Deum, antequam mitteret Filium ſuum, prius omnes tentaſſe vias, ut populum ſuum per Judices, Reges, Duces & Sacerdotes in officio contineret, vel ad officium revocaret; cum vero fruſtra in eo laboraſſet, pro ultimo tandem remedio miſiſſe Filium ſuum, quod cum Evangelica parabola convenit, ubi Dominus vineæ ter ſervos miſit ad vinitores ad repetendum fructum; qui cum nihil obtinuiſſent, miſit demum filium ſuum.

S. Joan. Chryſ. Hom. 5. in Matt.

Luc. 20.

15. *Chriſti autem generatio ſic erat.* Ne aliis generationibus ſimilis putaretur Chriſti generatio, modum ejus mirabiliter ſingularem, & ſingulariter mirabilem exponendum ſuſcipit S. Evangeliſta.

16. *Sum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph.* Promiſſam dumtaxat Joſepho, nondum nuptam intellexerunt SS. Hilarius, Baſilius, Epiphanius. Matrimonio conjunctam probabilius interpretantur S. Joannes Chryſoſtomus, & S. Ambroſius, cum Joſeph *vir ejus*, & ipſa Joſephi *conjux* a S. Matthæo appelletur. Non dixit, *Prius quam in ſponſi domum addiceretur: intus enim*

S. Hilar. in c. 1. S. Matt. S. Baſil. hom. de hum. Chriſti generatione.

S. Epiph. hær. 78. *S. Joan. Chryſ. hom. 4. in Matth.* *S. Amb. lib. 8. in Luc.* *S. Amb. lib. 2. in Luc.* *S. Joan. Chr. Hom. 4. in Matth.*

enim jam erat (inquit S. Chryſoſtomus ;) cur autem non antequam deſponſaretur ſeu nuberet Virgo concepit? S. Ignatius martyr hanc affert cauſam , quam etſi non ſatis capiam , refellere tamen vereor , cum præſertim illam Origenes , & SS. Baſilius & Hieronymus approbent : ut diabolo Chriſti partus celaretur , cum eum non de Virgine , ſed de conjugata , aliorum hominum more natum putaret . *Latuit principem hujus ſæculi virginitas Mariæ , & partus ipſius ; ſimiliter & mors Domini . Tria myſteria clamoris , quæ in ſilentio Dei operata ſunt :* (inquit S. Ignatius , Epiſt. ad Epheſios .) Ratio altera , ut Beatæ Virginis famæ ſimul & vitæ conſuleretur , ne in ſtupri ſuſpicionem adduci poſſet , & ob id vel probro , vel etiam pœnæ obnoxia reddi . Maluit enim Chriſtus filius Joſeph , quam impudicæ fœminæ videri . *Maluit aliquos de ſua generatione , quam de Matris pudore dubitare , nec putavit ortus ſui fidem Matris injuriis adſtruendam ,* (inquit S. *Ambroſius* .) Cum enim ille qui præcipuo zelo poſſet ardere , cernitur non ſolum non abjicere ſponſam , ſed etiam recipere in conſortium , eique poſt conceptionem inſervire : profecto manifeſtum eſt , quod niſi aperte noſſet ex operatione Spiritus ſancti illam concepiſſe , nec illam apud ſe retinuiſſet , nec ei in omnibus , quorum indiguit , miniſtraſſet . Nuptam igitur matrem ſuam Joſepho Chriſtus eſſe voluit , antequam conciperet , ut Joſeph teſtis eſſet virginitatis Mariæ . Tertia ratio ex iſta conſequens fuit , ne Jeſus ipſe ſpurius videretur . Quarta , ut Joſeph Mariæ , & infanti Jeſu cuſtodiæ , ſolatio & adjumento eſſet . Hunc enim beatiſſimum virum Chriſtus elegit ſuæ carnis nutritium , ſuæ matris ſolatium , ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fideliſſimum , ait *S. Bern.*

S. Hier. in c. 1. Matt. & lib. cont. Helvid. S. Epiph. hær. 78. S. Joan. Chr. hom. 4. in Matth. *Ezech. 44. Zachar. 6. Luc. 1.*

17. *Antequam convenirent* . Non ſequitur quod poſtea convenerint , ſed Scriptura quid factum non ſit , oſtendit , ut S. Hieronymus obſervat . Vulgata eſt Scripturæ phraſis . Geneſ. VIII. 7. *Qui egrediebatur & non revertebatur , donec ſiccarentur aquæ ſuper terram* . II. Reg. 23. *Michol filiæ Saul non eſt natus filius uſque in diem mortis ſuæ* . Pſalm. LXXI. 18. *Uſque in ſenectam & ſenium , Deus ; ne derelinquas me , donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt* . 1. Cor. 15. verſ. 26. *Oportet autem illum regnare , donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus* . Sic Helvidium Hæreticum perpetuæ virginitatis Beatæ Mariæ Matris Dei hoſtem mortuum eſſe dicimus antequam pœnitentiam ageret : nec tamen ſequitur illum poſt mortem pœnitentiam egiſſe . Igitur Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto ; antequam a Joſepho cognoſceretur ; nec tamen ſequitur fuiſſe ab ipſo poſtea cognitam . Hæc enim *Porta ſanctuarii* reſpiciens ad orientem , ad eum de quo ſcriptum eſt , *Oriens nomen ejus* , & *Viſitavit nos Oriens ex alto* . Et dixit Dominus : *Porta hæc clauſa erit : non aperietur , & vir non tranſibit per eam : quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam* . Quamvis igitur de S. Joſeph poſtea dicat Matth : *Et non cognovit eam , donec peperit Filium ſum primogenitum* , non ſequitur quod illam poſtea cognoverit .

S. Leo ſerm. 21. in Nat. Dom. 2.

18. *Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* ; contra conſuetudinem & præter omnem ſpem expectationemque Maria Virgo gravida apparuit , non uni Joſepho , ſed omnibus qui in illam oculos converterent . *De Spiritu ſancto* , non de Spiritus ſancti ſubſtantia , quaſi Chriſti pater fuerit , ſed ejus virtute , in caſtiſſimo Virginis utero formatum infantis Jeſu corpus ex ipſius Deiparæ Virginis ſubſtantia , ut qui conſubſtantialis erat æterno Patri ſecundum Divinitatem , conſubſtantialis fieret & nobis ſecundum humanitatem . „ Nova nativitate genitus eſt , „ inquit *S. Leo* , conceptus a Virgine , natus ex Virgine , „ ſine paternæ carnis concupiſcentia , ſine maternæ integritatis injuria : quia futurum hominum Salvatorem talis „ ortus decebat , qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ „ naturam , & humanæ carnis inquinamenta neſciret . „ Auctor enim Deo in carne naſcenti Deus eſt ... Oportuit ut novo naſceretur ordine , qui novam impollutæ „ ſinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat . Oportuit ut primam Genitricis integritatem naſcens in„ corruptio cuſtodiret , & complacitum ſibi clauſtrum pu„ doris , & ſanctitatis hoſpitium Divini Spiritus virtus in„ fuſa ſervaret , quæ ſtatuerat dejecta erigere , confracta „ ſolidare , & ſuperandis carnis illecebris , multiplica„ tam pudicitiæ donare virtutem : ut virginitas quæ in „ aliis non poterat ſalva eſſe generando : fieret in aliis „ imitabilis & confitendo , & renaſcendo . “

19. *Joſeph autem vir ejus , cum eſſet juſtus , & nollet eam traducere , voluit occulte dimittere eam* . Juſtus erat Joſeph , id eſt omni genere virtutum ornatus , ſed præcipue charitate , in qua omnis Chriſtiana juſtitia conſiſtit , ſecundum S. Auguſtini mentem . Quamobrem uxorem caſtiſſimam , cujus conceptus myſterium neſciebat , ignominioſe accuſare noluit velut ream adulterii , ſed occulte dimittere cogitavit , modo qui & conſcientiæ ſuæ anxietati ac ſcrupulis ſedandis , & ſponſæ famæ ſervandæ conveniret . Anxietatem ſuam ac mœrorem Virgini nullatenus ſignificavit , parcens ejus pudori , nec ipſi moleſtus eſſe volens . Impotentis enim æmulationis ac zelotypiæ expers erat . Unde miſſus ad illum Angelus eſt , qui ſuſpicionem ejus ac dubitationem ex ignoratione myſterii nondum illi revelati profectam diſpelleret . Apparuit autem in ſomnis , non aperte ſicut Paſtoribus & Zachariæ apparuerat , & Virgini : quia vir erat fide inſignis , nec manifeſtiori revelatione indigens . Nam Virgo quidem , cui tam nova nunciarentur & magna , multoque majora quam Zachariæ fuerant nunciata , & ante rem ipſam doceri debuit , & apertiſſima revelatione doceri . Paſtores quoque tanto debuerunt inſtrui manifeſtius , quanto magis ab ejuſmodi diſciplina per agreſtem vitam erant remoti . Ioſeph vero cum tumentem ſponſæ uterum vidiſſet ; ac de cauſa tantæ novitatis dubitaret , facilius inclinari poterat ad revelationem ſuſcipiendam . Nam facilius quæ facta ſunt , divinitus & præter naturæ leges fieri potuiſſe credimus ; quam fieri poſſe quæ facienda ſunt . Angelum autem a Deo miſſum dubitare non poterat , cui intimæ cogitationes ſuæ & cordis arcana patebant . *Joſeph* (inquit) *fili David , noli timere accipere Mariam conjugem tuam* . Filium David vocat , ut divinas promiſſiones in memoriam illi revocet , ſimulque ſignificet , filium qui ex Virgine ſponſa ejuſdem familiæ conceptus erat , Meſſiam eſſe judaicæ genti a Deo promiſſum , & tamdiu exſpectatum , Davidis filium futurum . *Noli timere* , ne dubites *accipere Mariam conjugem tuam* . Quam mente demiſiſti , apud te retine , & cum ipſa mane ad ejus ſolatium & virginitatis teſtimonium , non ad uſum nuptiarum . *Sicut enim illam poſtea commendat Chriſtus Diſcipulo , ſic Angelus ſponſo* . Noli timere , quaſi diceret , Suſpicionem omnem ac mœrorem depone . Non modo enim illicito non eſt violata complexu , verum etiam ſupra naturam moremque fœcunda eſt . *Quod enim in ea natum eſt , de Spiritu Sancto eſt* .

S. Joan. Chryſ. Hom. 4. in Matth.

Ibid.

20. *Pariet autem filium , & vocabis nomen ejus Jeſum* . Non dixit , *pariet tibi* , ſed indefinite , *pariet* , non enim illi , ſed univerſo prorſus orbi peperit Chriſtum (inquit S. Joannes Chryſoſtomus .) *Et vocabis nomen ejus Jeſum* . Non enim quia a Spiritu ſancto eſt , idcirco tea miniſterio tantæ diſpenſationis exiſtimes extraneum . Nam etſi nihil habeas in hac generatione commune , tamen quod eſt proprium patris , quodque Virginis integritatem non infuſcat , nato nomen impones . Ambobus jubet Angelus ut puero nomen imponant : *ubi declaratur parentum auctoritas* . Dicitur Joſeph , dicitur & Mariæ : *Vocabis nomen ejus Jeſum* . Nomen *quod eſt ſuper omne nomen* , quod infinitos continet ſpiritalium bonorum gratiarumque theſauros , quo qui appellandus eſt , remiſſionem peccatorum ac æternam ſalutem populo ſuo collaturus eſt . *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum* . Deum eſſe qui naſciturus eſt oſtendit his verbis Angelus . Solus enim Deus ſalvos facere poteſt homines a peccatis . Non ſolum populum Judaicum , ſed omnes qui in eum credunt , ejuſque legem obſervant . „ Duos Jeſus „ lego in typum Chriſti Jeſu præceſſiſſe , ambos populis „ præfuiſſe ; quorum unus populum ſuum de Babylone „ eduxit , alter populum ſuum in Terram promiſſionis „ introduxit . Et illi quidem illos quibus præerant , ab „ hoſtibus defendebant ; ſed numquid ſalvabant a peccatis eorum? “ *Is autem noſter Jeſus & a peccatis ſalvat populum ſuum , & introduxit in terram viventium . Utinam & me peccatorem dignetur Dominus Jeſus annumerare populo ſuo , ut ſalvum me faciat a peccatis meis . Vere enim beatus populus , cujus iſte Jeſus Dominus Deus ejus ; quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum* (inquit S. Bernardus .)

Luc. 1. S. Aug. Serm. 51. de cor. Matth. & Luc.

E. Bern. Hom. 3. in Ev. Miſſus eſt.

Sic Joſephi ſuſpiciones depulſæ , a quibus per Angeli revelationem liberari meruit , quia malevolæ non erant neque cum charitate pugnantes . Qua de re præclare S. Auguſt. : *Qui liberavit Suſannam mulierem caſtam , conjugem fidelem a falſo teſtimonio ſeniorum , ipſe liberavit & Virginem Mariam a falſa ſuſpicione mariti ſui . Inventa eſt ergo Virgo illa prægnans , ad quam vir non acceſſerat . Uterus quidem fetu intumuerat ; ſed virginalis integritas manſerat . Seminatorem fidei fide conceperat , Deum in ſuum corpus aſſumpſerat , qui ejus corpus violari non permiſerat : Marito tamen tamquam homini venit in ſuſpicionem . Aliunde eſſe credebat , quod de ſe non eſſe ſciebat , & ipſum aliunde adulterium ſuſpicabatur . Ab Angelo corrigitur . Quare dignus fuit ab Angelo corrigi? Quia non in illo erat malevola ſuſpicio : quales Apoſtolus dicit malevolas ſuſpiciones naſci inter fratres . Malevolæ ſuſpiciones ſunt calumniantium , benevolæ ſuſpiciones ſunt gubernantium . Licet cuiquam de filio male ſuſpicari , ſed de filio non licet calumniari : utique ſuſpicaris malum ſed optas invenire bonum . Qui benevole ſuſpicatur , vinci cupit : Tunc enim bene lætatur , quando falſum inventum fuerit , quod male ſuſpicabatur . Talis erat Joſeph circa conjugem ſuam , cui corpore non erat mixtus , ſed tamen fide jam fuerat copulatus . Venit ergo & Virgo in falſam ſuſpicionem : ſed ſicut pro Suſanna adfuit in Daniele Spiritus , ſic pro Maria adfuit Angelus . Ad Joſeph inquit Angelus* , „ Noli timere accipere „ Mariam conjugem tuam : quod enim de ea naſcetur ,

S. Aug. Serm. 349. alias 2. inter editos ex miſſ. Carthuſiæ majoris.

1. Tim. 6. 4.

de

de Spiritu sancto est. " *Ablata suspicio est, quia inventa redemptio est.*

21. *Hoc autem totum factum est: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium; & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Isai. 7. 14. Hujus Isaiæ Vaticinii applicationem ad Jesum Christum a S. Matthæo factam a Judæorum cavillis vindicant Patres & interpretes Christiani: 1. auctoritate interpretum, qui Judæis suspecti esse non possunt, scilicet Versionis 70. interpretum, & Chaldaicarum paraphrasum Onkeli & Jonathanis. 2. Ex vi & notione vocis Hebraicæ *Hahalmah*, quæ non solum virginem, sed virginem absconditam & diligenter custoditam significat, quæ ne quidem virorum oculis pateat. Et nusquam in scriptura nisi pro virgine usurpatur, ut *Gen.* 24. 16. de Rebecca virgine pulcherrima, & incognita viro, & *Exod.* 2. 8. de Maria sorore Moysis. 3. Ex illis verbis quæ Propheta præmisit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Nisi enim virgo maneret quæ in utero habitura esset, sed communi fieret lege connubii ut puella filium conciperet, signum dici non posset ac prodigialis novitas. Plura vide in Dissertatione nostra 27. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 1.

S. Justin. Dial. cont. Tryph. Tert. lib. adv. Jud. S. Epiphan. adverf. Ebion. SS. Cyril. Alex. & Hier. in Isa. S. Joannes Chrys. Hom. 5. in Matth.

22. *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Apud Isaiam legitur, *vocabis*, sed Evangelistæ sæpe sententiam, non verba Veteris Testamenti citare solent. *Emmanuel.* Hic ab eventu nomen imponitur. Quid enim est aliud, *Vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quam, Videbunt oculi mortalium Deum inter homines versantem, qui etsi ante cum hominibus fuit, non tamen humana carne indutus *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est?* Non igitur significant Prophetæ & Evangelistæ verba, Christi nomen proprium esse *Emmanuel*, sed rem eo nomine significatam illi convenire; quemadmodum de eodem dixit, *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere:* Isa. 8. *Festina prædari*: quia illo nato detractio spoliorum Samariæ, nimirum idololatriæ destructio fieri cœpit. Eadem ratione dixit, fore ut vocaretur nomen ejus, *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Non quod tot nominibus appellandns esset, sed quod divinæ dotes his nominibus significatæ illi excellenti modo convenirent. *Sic* Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei*, id est, erit. Sic *Isai.* 1. 26. de Jerusalem dicitur, *Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis*, & Zachar. 8. *Et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, & Mons Domini Exercituum, mons sanctificatus*: non utique quod his nominibus vocanda esset, sed quod talis esset futura, ut merito ita vocari posset. Sic de Christo dicitur Jer. 23. 6. *Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus justus noster*: Non appellatione externa nominis, sed rei per nomen designatæ convenientia: Vere etenim Christus Dominus justus noster est. Sic etiam Emmanuel vocandum significat Propheta & Evangelista, quia res hoc nomine significata illi convenit, nempe, *Nobiscum Deus*. Idem est ergo Jesus & Emmanuel, *non sono, sed sensu*, ut Tertullianus ait: Is enim est *Verbum caro factum*, quod *in nobis*, sive inter nos *habitavit*.

S. Joan. Chrys. Hom. 5. in Matth. Tertul. lib. adverf. Judæos.

23. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Negationem hanc ante partum, nihil affirmare de tempore posteriore, id est, non recte inferri quod postea cognoverit, superius observatum ac probatum est variis scripturæ locis parallelis, quibus hæc addi possunt. Genes. 28. 15. *Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi.* Psal. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* 1. Reg. 15. 35. *Et non vidit Samuel ultra Saulumque ad diem mortis suæ.* Job 27. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Isai. 22. 14. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Matth. 5. v. 18. *Donec transeat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

Filium suum primogenitum. Primogenitus Mariæ Christus dicitur, non quod post eum alius, sed quod nemo ante illum genitus sit. Hic enim vero Scripturæ sacræ usus, ut unigeniti etiam primogeniti dicantur. Hinc *Exod.* 12. 29. Deus dicitur *percussisse omnia primogenita* Ægypti: Inter quæ non dubium quin aliqui unigeniti essent. Et cap. 13. 2. & 22. 29. Jubet *omne primogenitum sibi sanctificari.* Quo nomine etiam unigenitos significari docet consuetudo Legis interpres: Alioqui expectandum fuisset donec alii posterius geniti nascerentur. Apostolus etiam Hebr. 1. 6. Christum *Primogenitum Dei*, id est, unigenitum appellavit. Ideo porro Evangelista hoc epitheton addidit, *Primogenitum*, ut dignitatem & jura præcipua, quæ antiquitus, etiam ante legem Mosaicam tribuebantur tam filiis unicis, quam natu maximis, Christo competere significaret, principatum scilicet, sacerdotium, & prælationem in hæreditate, ut observat eruditus Commentator.

SENSUS MORALIS.

1. AD stirpem Christi pertinere per ejus gratiam possumus, si voluntati ejus obsequamur, & mandata ejus servemus. *Qui* enim, inquit, *facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Parentes Christi sumus, si fidem & obedientiam Abrahæ, si Davidis pœnitentiam & mansuetudinem, si Mariæ & Josephi humilitatem, fidelitatem, paupertatem imitemur. Christus *nobiscum Deus*, ambulemus coram illo, & simus perfecti, quemadmodum Abrahamo dictum est *Ambula coram me, & esto perfectus.* Vivamus semper & operemur tamquam Deum præsentem cogitantes. Beatæ Mariæ Matris Dei, ante partum, in partu, & post partum Virginis, castitatem ac puritatem æmulemur, ut & ipsi Christi Mater simus. „ „ Mater ejus est tota Ecclesia (*inquit S. Augustinus*) quia „ membra ejus, id est, fideles ejus per Dei gratiam ipsa „ utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, „ faciens voluntatem Patris ejus fœcundissima charitate „ in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritaliter autem & soror „ & mater. Ac per hoc una fœmina illa, non solum „ spiritu, verum etiam corpore, & mater est & virgo. „ Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est „ ipse Salvator, ex quo magis illa spiritaliter nata est; „ quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa „ est, recte filii sponsi appellantur: sed plane mater „ membrorum ejus, quod nos sumus: quia cooperata est „ charitate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capitis membra sunt: corpore vero ipsius capitis „ mater. Oportebat enim caput nostrum propter insigne „ miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo „ significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura." In beatæ Virginis Mariæ Matris nostræ clientelam nos conferamus. Nostræ originis agnoscamus dignitatem. Regeneravit nos Ecclesia Virgo de Spiritu sancto, fecitque filios Dei per Baptisma. *Omni* enim *homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & Virginem: ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra Conceptio, hic mystica tollat ablutio*; (inquit S. Leo): secundum spiritum ergo vivamus. Per baptismatis sacramentum, Spiritus sancti templum effecti, ne diaboli servituti nos iterum subjiciamus, quia pretium nostrum sanguis Christi est; qui in veritate nos judicabit, qui in misericordia nos redemit. Quisquis igitur christiano nomine pie & fideliter gloriaris, reconciliationis tuæ gratiam justo perpende judicio. „ Tibi enim „ quondam abjecto, tibi extruso a paradisi sedibus, tibi „ per longa exilia morienti, tibi in pulverem & cinerem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi, „ per Incarnationem Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris Auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium: ut qui ex corruptibili carne natus es, „ ex Dei Spiritu renascaris; & obtineas per gratiam, „ quod non habebas per naturam: ut si te Dei filium „ per Spiritum adoptionis agnoveris, Deum patrem audeas nuncupare. Malæ conscientiæ reatu absolutus, „ ad cælestia regna suspires, voluntatem Dei facias divino fultus auxilio, imiteris Angelos super terram, „ immortalis substantiæ virtute pascaris, securus adversus inimicas tentationes pro pietate confligas; & si „ cælestis militiæ sacramenta servaveris, non dubites te „ in castris triumphalibus Regis æterni pro victoria coronandum."

Luc. 11. Genes. 17. S. Augustin. lib. de sancta Virg. c. 5. Galat. 4. 19. 5. Leo serm. 24. in Nat. Dom. 4. Idem Serm. 22.

2. Jesus implevit sui nominis & muneris officia salvum faciendo populum suum a peccatis eorum. Nos Christiani nominis officia impleamus, ut nobis partam a Christo Jesu salutem consequamur. Christianus enim non modo ex Mysteriorum communione, verum ex novitate vitæ debet agnosci. Illum *sal* esse convenit, & *luminare mundi*. Si vero ne tibi quidem ipse luceas, & ne propriam quidem putredinem fœtoremque detergas, quibus te indiciis fidelem agnoscere potero? An quia sacri Fontis aquis ablutus es? At hoc ipsum quod tibi datum fuerat ad salutem, fit tibi gravioris causa supplicii. Igitur fidelem non ab his tantum quæ accepit a Deo, verum etiam ab his quæ obtulerit ipse Deo, convenit refulgere, & undique esse notum ac manifestum, ab incessu, ab aspectu, a voce. (Inquit S. Joannes Chrysost.)

S. Joannes Chrysost. Hom. 4. in Matth.

3. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus.* Quamvis ex Maria sola genitus sit Christus, ejus tamen genealogia per Joseph, ejusque majores descripta est, *Ut discerent fidelia conjugia, multo familiarius se adhærere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi.* Joseph igitur & Mariam imitari studeant Christiani conjuges, servent conjugalem castitatem, si quidem virginalem servare non poterunt, nec ad eam perfectionem sunt vocati: fidem sibi mutuo servent, continentiam ad tempus saltem colant, *ut vacent orationi*, & sacris Mysteriis communicent. Amore casto se di-

S. Augustin. lib. 23. cont. Faustum c. 8.

ſe diligant, & conjugio ſuo utantur ut filios pariant, qui per baptiſmum filii Dei, & Chriſti Jeſu fratres fiant, qui *Primogenitus eſt in multis fratribus*: Non utantur conjugio, ut gentes quæ ignorant Deum. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus* ita Chriſtianorum conjugum in cordibus regnet, ita illorum animos in Deo conjungat, ut ſpiritaliter in ipſis naſcatur Jeſus. Sic felicitatis Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, erunt participes, quæ *beatior* fuit *percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti*. Chriſti enim cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde quam carne geſtaſſet*. Sed & alius modus eſt, quo Chriſtum parere poſſimus: *Qui* enim *Chriſti frater & ſoror eſt credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, ſi per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur.*

S. Aug. lib. de ſancta Virginit. c. 3.

S. Greg. M. Hom. 3. in Ev.

CAPUT SECUNDUM.

Senſus Litteralis.

Micheæ. I. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda, in diebus Herodis Regis.* Locum, tempus, & eventa Nativitatis Chriſti accurate deſcribit Evangeliſta. Locus deſignatur his verbis, *In Bethleem Juda*, ortu Davidis Regis celebri, juxta Micheæ Prophetæ vaticinium. *Bethleem Juda* dicitur, non Judææ, id eſt, urbs ad ſortem Tribus Juda pertinens, ſeptem milliariis Hieroſolymis diſtans; diſtincta ab altera ejuſdem nominis in Tribu Zabulon ſita, ex qua erat Abeſſam Judex. (*Joſ.* 19. 15. *Jud.* 12. 8.) Tempus notatur his verbis, *In diebus*, id eſt, tempore Herodis Magni, filii Antipatri, Aſcalonitæ, Regis Judææ & adjacentium regionum ab Auguſto Cæſare conſtituti, cum ſceptrum de Juda, juxta Patriarchæ Jacob oraculum (*Geneſ.* 49.) defeciſſet. Alius ab iſto *Herodes* fuit, *Antipas* appellatus, hujus filius, Tetrarcha Galilææ, qui & S. Joannem Baptiſtam occidit, & Chriſto in Paſſione illuſit. De quo *Lucæ* 13. 31. & 23. & *Matth.* 14. Rurſus alter Herodes, cui nomen *Agrippa*, Antipæ filius, Magni nepos, Rex tantum Traconitidis, Galilææ & Iturææ, qui *Jacobum Apoſtolum*, fratrem Johannis, occidit gladio & *Petrum* in carcerem conjecit. (*Act.* 12.) Deſcribuntur deinde quæ nato Chriſto evenerunt.

2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam*. Statim ab ortu Chriſti veniſſe, indicat vox, *Ecce*, cujus ea vis eſt, ut quod narratur ſtatim contigiſſe ſignificet, ut Geneſ. 24. 19. *Necdum intra ſe verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur*. Geneſ. 29. 9. *Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui*. Venerunt igitur ante Purificationem Deiparæ Virginis, ſiquidem Chriſtum in Bethleem invenerunt, ubi Joſeph & Maria non manſerunt cum puero ultra dies quadraginta Purificationi Moſaicæ Lege præſcriptos: Statim enim Hieroſolyma venerunt *Ut ſiſterent eum Domino*, & mox in Galilæam ſunt reverſi. Minus ergo probabilis *S. Epihanii* ſententia, quod Joſeph & Maria ſingulis annis ex Ægypto in Bethleem ea die venire conſueviſſent, cumque poſt triennium a Chriſti Natali rediiſſent, Magos ibi illos invenïſſe.

Magi, Sapientes, Philoſophi, ſcrutandis rerum cauſis, & ſiderum contemplationi dediti, non Magiæ præſtigiatrici & infami addicti. Plures fuiſſe certum eſt. An Reges proprie fuerint, anxie diſputandum non putamus, cum ea de re ſileat Evangelium, & oraculum illud Davidicum Pſal. 72. 10. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent*, vocationem gentium, & procerum etiam ex gentibus a Chriſto & ad Chriſtum prænuntiet, unde ſubditur: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. Magos tamen adoratores Chriſti Dynaſtas fuiſſe ac Regulos probabile eſt. Unde a Patribus & Auctoribus Eccleſiaſticis Reges appellantur. Antiquiſſimus *Tertullianus* Lib. 3. contra Marcionem, cap. 13. ait: „ Maneant enim Orientales illi Magi in infantia Chriſtum recentem auro & thure munerantes; & acceperit infans „ virtutem Damaſci ſine prælio & armis .... Nam & „ Magos Reges habuit fere Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam tranſcripta eſſet in „ Syrophenicem ex diſtinctione Syriarum; cujus tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia ejus, aurum ſcilicet & odores. Spolia autem Samariæ ipſos „ Magos, qui cum illum cognoviſſent, & muneribus „ honoraſſent, & genu poſito adoraſſent, quaſi Deum & „ Regem, ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ, ſpolia „ facti ſunt Samariæ, id eſt Idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum.

Ab Oriente. Ex regione aliqua, quæ Judææ reſpectu Orientalis eſſet, quam alii Arabiam Felicem, alii Perſidem fuiſſe volunt, alii Chaldæam, vel Meſopotamiam. De re circa quam Patres & Interpretes ſacri varias in ſententias abiere, contendere nolumus; nec inquirere curioſius neceſſe eſt quod Evangelium non explicuit, nec ullius eſt momenti ad ſalutem. Vide quæ ſcripſimus in Synopſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi ſæculi *capit. I. §. 4.*

Jeroſolymam. Regiam Urbem venerunt, natum Judæorum Regem quæſituri: cum ut Judæi inexcuſabiles eſſent, qui non poſſent ignorare quod Gentiles homines ſpectabiles ſapientia, in Judææ Metropoli in ipſaque Herodis Aula, non dubitanter nunciaſſent: tum ut prius a Gentibus quam a Judæis Chriſtus Rex natus prædicaretur, ne Judæorum de ſuo Rege teſtimonium ſuſpectum haberetur. „ Hæc Magorum illuminatio (inquit *S. Auguſtinus*) magnum teſtimonium, cæcitatis extitit Ju„ dæorum. In Terra eorum iſti requirebant, quem illi „ in ſua non agnoſcebant. Apud eos iſti infantem iu„ venerunt, quem illi apud ſe docentem negaverunt. „ In his terris de longinquo iſti peregrini puerum Chri„ ſtum nondum verba promentem adoraverunt, ubi ci„ ves illi juvenem miracula facientem crucifixerunt. Iſti „ in membris parvis Deum agnoverunt, illi in factis „ magnis nec tamquam homini pepercerunt: Quaſi plus „ fuerit videre novam ſtellam in ejus nativitate fulgen„ tem, quam ſolem ejus in morte lugentem.“

S. Baſil. Hom. de hum. Chriſti generatione.

S. Ambr. l. 2. in Luc.

S. Hieron. in cap. 2. Matt.

S. Joan. Chryſ. Hom. 7. in Matt.

S. Aug. ſerm. in Epiph.

3. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*. Stellam ejus, indicem nempe natalis ejus, de quo vaticinatus erat Balaam Num. 24. 27. *Orietur ſtella ex Jacob*. Magos enim Balaami poſteros fuiſſe, aut ab ejus poſteris, qui vicini fuerint, hanc traditionem accepiſſe, quod oritura eſſet aliquando ſtella magni Regis nativitatem nuntians veteribus pleriſque Patribus viſum eſt. *Non ex illis erat hæc ſtellis, quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt, ſed novo Virginis partu novum ſidus apparuit*; (inquit S. Auguſtin.) Hæc nempe ſtella numquam antea, nec deinceps viſa eſt. 2. Ab Oriente in Occidentem contra naturalem curſum ferebatur. 3. Non ſolum noctu, ſed etiam interdiu lucebat. 4. Non erat in Cœlo, ſed in aere, alioqui viam monſtrare non potuiſſet. 5. Quandoque apparebat, quandoque occultabatur. 6. Continuo curſu non movebatur, ſed interdum ſtabat, ut columna nubis in deſerto: Ut ut eſt, *Illa ſtella quam viderunt Magi Chriſto ſecundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur; nec eum ſubjiciebat imperio, ſed indicabat obſequio*. Certe *ſi ſtella illa ex iis erat quæ in Cœlo peragunt ordines ſuos, quomodo poterat decernere quod natus Chriſtus acturus erat, quæ nato Chriſto juſſa eſt relinquere quod agebat? Si autem, ut probabilius creditur, ad demonſtrandum Chriſtum quæ non erat exorta eſt, non ideo Chriſtus natus eſt, quia illa exſtitit; ſed ideo illa exſtitit, quia Chriſtus natus eſt. Unde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus. Ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſam. Si ergo ſunt fata quæ a fando, id eſt, a dicendo appellata ſunt: quoniam Chriſtus Verbum Dei eſt, in quo antequam eſſent, dicta ſunt omnia; non conſortium ſiderum fatum Chriſti eſt, ſed fatum etiam ſiderum Chriſtus eſt: Qui & ipſam carnem ſub Cœlo creatam ea voluntate aſſumpſit, qua etiam Cœlum creavit; ea poteſtate depoſuit & recepit, qua etiam ſideribus imperavit.*

S. Aug. lib. 2. cont. Fauſt. cap. 5.

S. Th. 3. p. qu. 26. Art 7.

S. Aug. ibid.

Ceterum illuſtrioris ſtellæ, ſcilicet divinæ gratiæ fideique ſplendore Magi illuminati, Meſſiam Regem recens natum, cujus ſtellam in Oriente conſtituti viderant, adoraturi, in Judæam venerunt. „ Tribus igitur Magis „ in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit, „ quæ illuſtrior ceteris, pulchriorque ſideribus, facile „ in ſe intuentium oculos animoſque converteret: ut „ confeſtim adverteretur non eſſe otioſum, quod tam „ inſolitum videbatur. Dedit ergo aſpicientibus intelle„ ctum, qui præſtitit ſignum: & quod fecit intelligi, „ fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus.“ Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed *fidei* fœcunditate generanda; & ideo ſtellarum multitudini comparata ut ab omnium gentium patre, non terrena, ſed cœleſtis progenies ſperaretur. „ Ad creandam ergo promiſſam po„ ſteritatem, hæredes in ſideribus deſignati, ortu novi „ ſideris excitantur .... agente hoc ſine dubio in eo„ rum cordibus inſpiratione divina, ut eos tantæ viſio„ nis Myſterium non lateret; & quod oculis oſtendeba„ tur inſolitum, animis non eſſet obſcurum ... Hoc ſi„ gnum quod Magos in longinquo poſitos & efficaciter „ movit, & ad Dominum Jeſum perſeveranter attraxit, „ illius ſine dubio gratiæ Sacramentum, & illius fuit „ vocationis exordium, qua non in Judæa tantum, ſed „ etiam in toto mundo Chriſti erat Evangelium prædi„ candum, ut per illam ſtellam quæ Magorum viſui „ ſplenduit, Iſraelitarum vero oculis non refulſit, & „ illuminatio ſignificata ſit gentium, & cæcitas Ju„ dæorum.

S. Leo ſerm. 30. in Epiſt. Domi. 1. Idem. ſer. 32. in Epiph. 3.

Et venimus adorare eum, non civili tantum adoratione, ſed

ne, ſed religioſa, eaque ſuprema, quæ Deo debetur & Salvatori.

4. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.* Herodes audiens Judæorum Principem natum, ſucceſſorem ſuſpicatus, expavit; & molitus necem ſalutis Auctori, falſum ſpondet obſequium.

Et congregans Principes Sacerdotum, id eſt, capita familiarum Sacerdotalium viginti quatuor, in ſummo Judæorum Concilio, quod Sanhedrin vocant, in quo tractabantur ea quæ ad Religionem & Legem ſpectarent, Senatores ordinarios, de quibus 1. *Paralip.* 24.

Et Scribas populi, id eſt, Legiſperitos, quorum officium erat Scripturas ſacras incorruptas ſervare, ſcrutari, populo legere, exponere, ad quorum officium alludens Chriſtus, *Ideo*, inquit, *omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum, ſimilis eſt homini patri-familias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera*. Hoc ſenſu Eſdras *Scriba Legis Dei cœli doctiſſimus* vocatur.

Mat. 13. 52. 1. Eſdr. 7.

Sciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur, id eſt, ubi naſci deberet Meſſias Rex ſecundum Prophetarum oracula. Ipſi vero reſponderunt.

5. *In Bethleem Judæ*, ſecundum Michææ vaticinium: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Prima fronte diſſenſio hic eſſe videtur Evangeliſtæ cum Propheta, cujus Vaticinium his verbis conceptum eſt: *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Verum nulla inter ſacrum utrumque Scriptorem diſſenſio eſt. Prophetæ vaticinium ejus verbis referre noluit S. Matthæus, ſed explicationem & verba Scribarum. Propheta dixerat, *Et tu Bethleem Ephrata*, quia alio nomine *Ephrata* vocabatur: Scribæ vero explicationis cauſa dixerunt: *Et tu Bethleem terra Juda*, quia erat & alia Bethleem in Tribu *Zabulon*, ut ſuperius obſervavi. Propheta dixit, *Parvulus es*, quod Scribæ vel per interrogationem, vel per ironiam dictum eſſe intelligentes, clariſſimo ſenſu expreſſerunt, *Nequaquam minima es*. Propheta dixit, *in millibus*, id eſt, in chiliadibus, in quas ſingulæ Tribus diviſæ erant jam a temporibus Moyſis, juxta conſilium Jethro. Scribæ reddiderunt, *In principibus*, Principes ſubſtituendo pro chiliadibus ſeu millibus quibus præſunt; ut cauſam explicarent cur Bethleem non erat minima, quod nempe ortu principum nobilitata eſſet, qui jam ex ipſa prodierant, ſcilicet Abeſam, Booz, Iſai, David, ſed maxime ortu Meſſiæ nobilis evaſura: unde hoc explicantes ſubdunt, *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*: Dux ſcilicet ille a Deo Iſraelitis promiſſus, tamdiu expectatus, tantopere deſideratus.

Michææ 5. 2.

Gen. 48. 7.

Exod. 18.

Obſervat *S. Auguſt.* Stellam Magis Jeruſalem appropinquantibus ſe ſubduxiſſe, ut de Civitate, in qua Chriſtus naſci debebat, Judæi ab ipſis interrogati reſponderent, *In Bethleem Juda*, & Prophetæ oraculum ea de re proferrent. Quo ſignificavit divina providentia, *Apud Judæos Solas Divinas Litteras remanſuras, quibus Gentes inſtruerentur, illi excæcarentur; quas portarent non ad adjutorium ſalutis ſuæ, ſed ad teſtimonium ſalutis noſtræ. Nam hodie cum præmiſſas Prophetias de Chriſto proferimus, jam rerum completarum luce declaratas, ſi forte Pagani dixerint, non eas tanto ante prædictas, ſed poſt rerum eventum, ut hæc quæ facta ſunt prophetata putarentur, a nobis eſſe conflictas: Judæorum Codices recitamus, ut tollatur dubitatio Paganorum; quia jam in Magis illi figurabantur quos Judæi de civitate in qua natus eſt Chriſtus, divinis eloquiis inſtruebant, & eum ipſi nec requirebant, nec agnoſcebant*. Magi per Scribas atque Doctores quod ſacra de ortu Chriſti prænuntiaverat Script. didicerunt; *Ut gemino teſtimonio confirmati ardentiori fide expeterent, quem & Stellæ claritas & Prophetiæ manifeſtabat auctoritas*, inquit S. Leo.

S. Aug. ſerm. 200. in Epiph. Dom. 2.

S. Leo ſerm. 33. in Epiph. 4.

Qui regat populum ſuum Iſrael. Non Judæis ſolum, ſed etiam Gentibus regendis Rex natus eſt Chriſtus. Unde Apoſtolus ad Romanos ait: *Non omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: Id eſt non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*. Si vero non omnes recepit vocatorum, crimen eſt non vocantis (inquit S. Jo: Chryſoſtomus) conſequens certe fuit ut Hebræorum proceres crederent quod docebant: ſed apparet illos carnaliter cum Herode ſapuiſſe, & Regnum Chriſti commune cum hujus mundi poteſtatibus æſtimaſſe; ut & iſti temporalem ſperarent Ducem, & terrenum metueret ille conſortem.

Rom. 9.

S. Jo: Chryſ. Hom. 7. in Matth.

S. Leo ſerm. 33.

6. *Tunç Herodes clam vocatis Magis*, ut inſidias tegeret, quas Chriſto parabat, *diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ*; accurate ab ipſis quæſivit, quo primum tempore ſtella ipſis apparere cœpiſſet: ut ex loci temporiſque circumſtantiis Puerum deprehendere poſſet, ſi forte a Magis falleretur.

Videntes autem Stellam, quæ ſe ſubduxerat ad tempus, gaudio incredibili perfuſi ſunt. An totius itineris dux fuiſſet, an ipſam in Oriente quidem poſiti vidiſſent, fruſtra quæritur. Totius viæ ducem illis fuiſſe, ſaltem donec in Judæam perveniſſent, probabilius aſſeritur poſt SS. Patres, Baſilium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Auguſtinum. Diſparuit autem cum eſſent Jeroſolymis, de Regis Judæorum, cujus ſtellam in Oriente viderant, natali Judæorum Proceres interrogaturi. *Humanum flagitantes conſilium* (inquit S. Bernardus) *divinum amiſere ducatum: converſos ad terrenum documentum, ſignum cœleſte deſeruit*.

S. Bern. ſerm. 3. de Epiph.

7. *Et intrantes domum*, ſeu præſepe in quo jacebat Deus infans, ut Patribus viſum eſt, quos ſequi præſtat in expoſitione Scripturæ ſacræ; ſeu commodiorem ædium partem, in quam Virgo Deipara ſuſcepta fuiſſet conſecta deſcriptione, & hoſpitio, turbarum diſceſſione, quæ Bethleemum cauſa cenſus confluxerant, vacuato. *Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus*, abſente Joſepho, cujus Evangeliſta hic non meminit: cum tamen S. Lucas Paſtores Puerum cum Joſeph & Maria inveniſſe commemoret.

Et procidentes adoraverunt eum. „ Viderunt & adoraverunt puerum, quantitate parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem. Quia ſicut fidelia erant teſtimonia, quæ in eo majeſtatem inviſibilis Deitatis aſſererent, ita probatiſſimum eſſe decebat, Verbum carnem factum, & ſempiternam illam eſſentiam Filii Dei, hominis veram ſuſcepiſſe naturam: ne vel ineſfabilium operum ſecutura miracula, vel excipiendarum ſupplicia paſſionum, Sacramentum fidei ex rerum diverſitate turbarent: cum juſtificari omnino non poſſent, niſi qui Dominum Jeſum verum Deum, & verum hominem credidiſſent. " *Videte quam oculata ſit fides, quam lynceos oculos habeat. Cognoſcit Dei Filium latentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: Ille clavis infixum, iſti pannis involutum*. „ Non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem, non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt; ſed puerum ſilentem, quietum, & ſub Matris ſolicitudine conſtitutum: *In quo nullum quidem apparet de poteſtate ſignum, ſed magnum præbetur de humilitate miraculum*. Ipſa itaque ſpecies ſacræ infantiæ cui ſe Dei Filius aptarat, prædicationem auribus intimandam, oculis ingerebat: Ut quod adhuc vocis non proferebat ſonus, viſionis jam doceret effectus. " *Tota enim victoria Salvatoris, quæ & diabolum ſuperavit & mundum, humilitate eſt confecta ... Ideo Bethleem præelegit Nativitati, Jeroſolymam Paſſioni*.

S. Leo ſerm. 33. in Epiph. 4.

Idem ſer. 2. in Epiph.

8. *Et apertis theſauris ſuis*, ſeu theſaurorum thecis, *Obtulerunt ei munera*, ut moris erat Orientalium; qui nuſquam ſine munere coram Regibus ſuis comparebant, aut coram illis quibus honorem vel debebant vel habebant, ut oſtenditur exemplo filiorum Jacob munera ad Joſeph deferentium, *Geneſ.* 43. & Reginæ Saba muneribus Salomonem ſibi conciliantis, 3. *Reg.* 10. Accedit & divinum Mandatum, Exod. 23. 15. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Quæ lex ut ignota Magis, inter populos Orientales invaluerat uſu ſolo & dictamine naturæ, Deum demerendum eſſe vel placandum muneribus. Cum igitur Magi Chriſtum pro Rege ac Deo habuerint, merito gratiam ejus muneribus exambierunt. Et ſane grati animi ſignificatio debebatur, & vocanti, & illi ad quem vocabantur, ob gratiam illam ſingularem tum ſideris in æthere, tum aſtri ſpiritualis, ſcilicet fidei in animis ſuis accenſæ. Offerunt porro *Aurum*, *thus & myrrham*, quæ pretioſiſſima, & offerri ſolita Magnatibus a Sabæis, & Arabiæ populis. Pſ. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper*. Et Iſa. 60. 6. *Super te orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui ... Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*. Non dubium etiam, quin munerum illorum, auri cum primis oblatione Deus proſpexerit paupertati parentum Chriſti, ut hoc viatico inſtruerentur ad fugam in Ægyptum commodius ſuſcipiendam. Nec allegoricæ deſunt ſignificationes his muneribus. Præcipua, & ab Eccleſia probata hæc eſt, quod thus Chriſto Magi obtulerint ut Deo; aurum ut Regi; myrrham ut homini mortali. Id breviter expreſſit *Juvencus* Poeta Chriſtianus hoc verſu a *S. Hieron.* laudato:

S. Hier. in c. 2. Matt.

Thus, aurum, myrrham, Regique, hominique, Deoque, Dona ferunt.

Aurum enim quod Regibus tributum penditur, convenit Regiæ dignitati; thus apud omnes gentes Deo adoletur: myrrha condiendis mortuorum corporibus adhibetur, ne putreſcant. Unde naturam humanam morti obnoxiam, corruptionis expertem in Chriſto indicat: „ O perfectæ ſcientiæ mirabilem fidem, quam non terrena ſapientia erudivit, ſed Spir. Sanctus inſtituit! Unde enim hi viri, cum proficiſcerentur de Patria, qui non-

S. Leo ſer 33. in Ep. 4.

„ nondum viderant Jesum, nec aliquid contuitu ejus, „ quo eum tam ordinate venerarentur, adverterant, „ hanc deferendorum munerum servavere rationem? nisi „ quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum in„ citavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum cor„ da perdocuit, ut prius quam labores itineris inchoa„ rent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro „ regius honor, in thure divina veneratio, in myrrha „ mortalitatis confessio deberetur? Et hæc quidem quan„ tum ad illuminationem fidei pertinebat, potuerunt il„ lis credita & intellecta sufficere, ut corporali intui„ tu non inquirerent, quod plenissimo visu mentis in„ spexerant. Sed diligentia sagacis officii, usque ad vi„ dendum Puerum perseverans, futuri temporis populis, „ & nostri sæculi hominibus serviebat: Ut sicut omnibus „ nobis profuit, quod post Resurrectionem Domini ve„ stigia vulnerum in carne ejus Thomæ Apostoli explora„ vit manus; ita ad nostram utilitatem proficeret, quod in „ infantia ipsius Magorum probavit aspectus. *Magi* ado„ rando *Christum* facti fuerant sacerdotes cum supplica„ tione etiam muneribus oblatis" (inquit S. Jo. Chry„ sostomus.)

S. Jo. Chrys. Hom. 7. in Matth.

9. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem*, ne puerum & se ipsos periculo exponerent, *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Paulatim ad altiora provecti sunt Magi. Primo enim sideris insoliti fulgore ad Christi cognitionem sunt perducti; deinde Prophetarum vaticiniis per homines eruditi; denique divino oraculo, seu Angeli responso admoniti.

10. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Non statim post Magorum discessum, sed post Christi oblationem in Templo & Deiparæ Virginis Purificationem, cum parentes Christi Nazarethum reversi essent, fugam in Ægyptum contigisse, colligitur ex cap. 11. S. *Luc.* v. 39. in Ægyptum porro fugerunt, cum ut ab insidiis Herodis tutus Puer esset extra ejus Imperium degens; tum ut Propheticum Oraculum impleretur Os. 11. 2. *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, quod typice de populo Israel, de Christo proprie dictum est, cujus populus Israel typus erat. Impleta est ergo Prophetia in populo velut in typo; impleta in Christo est velut in antypo. Quamobrem illam de Christo S. Matth. recte interpretatus est, qui potiori titulo Dei Filius, quam Israel, genitus quippe in *hodie* illo æternitatis, *ex utero, ante lucifernm*, adeoque non adoptivus, sed naturalis: cui propterea Deo gratior est populo, cum non nisi per illum & propter illum populus Deo gratus esse possit. Septuaginta verterunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus*, variante in eorum codicibus Hebraicæ vocis lectione; sed S. Matth. Prophetæ citavit Oraculum juxta Hebraicam veritatem. Calumniatur Julianus Apostata, & dicit, quod de Israele scriptum est, Matthæum Evangelistam ad Christum transtulisse, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Respondet S. Hieronymus: Primum Matthæum Evangelium Hebræis Litteris edidisse, „ quod non poterant „ legere nisi hi qui ex Hebræis erant: ergo non pro„ pterea fecit ut illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræis „ illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit. Stul„ titiam ipsum Volumen excusat, quod prudenter ordi„ nateque compositum est: Imperitum non possumus di„ cere quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam „ Legis habuisse cognoscimus. Superest ut illud dica„ mus, quod ea quæ typice præcedunt in aliis juxta „ veritatem & adimpletionem referantur ad Christum: „ quod Apostolum in duobus montibus Sina & Sion, & „ in Sara & Agar feciss cognovimus. Neque enim non „ est Sina mons, & non est Sion; non fuit Sara, & „ non fuit Agar, quia hæc Apostolus Paulus ad duo re„ tulit Testamenta. Sic igitur hoc quod scriptum est; „ *Parvulus Israel, & dilexi eum: & ex Ægypto voca„ vi filium meum*: Dicitur quidem de populo Israel qui „ vocatur ex Ægypto qui diligitur, qui eo tempore post „ errorem Idololatriæ quasi infans & parvulus est voca„ tus: sed perfecte refertur ad Christum. Nam & Isaac „ in typo Christi fuit quod futuræ mortis ligna sibi por„ taverit: & Jacob, quia Liam dolentem oculos, & Ra„ chel pulchram habuerit uxorem. In Lia, quæ major „ erat, cæcitatem intelligimus Synagogæ; in Rachel, „ pulchritudinem Ecclesiæ: & tamen qui ex parte typi „ fuerunt Domini Salvatoris, non omnia quæ feciss „ narrantur, in typo ejus feciss credendi sunt: typus „ enim partem indicat: quod si totum præcedat in typo, „ jam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est. „ Eodem pene modo hunc locum interpretatur S. Jo: „ Chrysost. *Si vero* (inquit) *de Prophetia Judæi ambigerent, dicentes*, Ex Ægypto vocavi filium meum; *de se dictum potius, quam de Christo prædictum*; *respondebimus profecto esse hunc quoque Prophetiæ morem, ut multa sæpe de aliis dicantur quidem, sed in aliis impleantur ... Hoc igitur in præsenti etiam potest quæstione defendi. Quis enim magis ac proprie Dei Filius esse dicitur? Ille ne populus, qui adorabat vitulum, qui Beelphegor*

S. Hier. in c. 11. Osee Proph.

S. Jo. Chrys. h. 8. in Matth.

Natal. Alex. In Evang.

initiabatur, qui filios suos Dæmoniis immolabat: An vero Dominus Jesus Christus, qui natura Dei Filius est, & toto Patrem honore veneratur? Itaque nisi advenisset iste, nequaquam Prophetia dignum finem habere potuisset.

Fuga declinare periculum voluit Christus, non omnipotentia dissipare vel avertere; ut assumptæ naturæ veritas ostenderetur, ut servaretur decretæ dispensationis ordo, quo injuriis & passionibus cedere venerat, non resistere: utque justis exemplum fugæ in persecutionibus & auctoritatem præberet. *Fugit non formidine humana, sed dispensatione divina. Fugit non necessitate, sed potestate*; (inquit S. Fulgentius.) *Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pavoris: potens quando se subducit infimo, insequentem non pavet, sed foris producit; vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam. Hinc est quod Christus fugit, ut cedat tempori non Herodi... Christus si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas; non virtus fuerat, sed infirmitas; necessitas fuerat, non potestas, & innocentiæ fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset.* Christus se in carne venturum, ascensurum per ætatum gradus, annuntiaturum gloriam cœlestis Regni, prædicaturum fidei doctrinam, miracula editurum, Ecclesiam fundaturum, per Legem promiserat & Prophetas. Unde hæc Christus impleturus vir, *Infans mortem distulit, non fugit: Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parvulum permisisset occidi ... Fugam ejus non de periculi metu, sed de Prophetiæ venisse Mysterio Evangelista asserit:* „ Accipe Pue„ rum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: ut im„ pleretur quod dictum est a Domino per Prophetam di„ centem; Ex Ægypto vocavi filium meum. " *Christus ergo fugit ut staret Legis veritas, Prophetiæ fides, Psalmistæ testimonium*, dicente ipso Domino: *Necesse erat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me.* CHRISTUS *fugit nobis, non sibi Christus fugit, ut dispensata temporibus Sacramenta servaret ... Christus fugit ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr debet fugere persequentem, ut & persecutor indulgeat respiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino*: Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. *Persecutorem qui provocat, facit; corrigit, qui declinat ... Si Paulum martyres non fugissent, Paulum non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exemplum; ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus.* Verba sunt *S. Petri Chrysologi.*

S. Fulg. ser. de Epiph. S. Petr. Chrys. serm. 150. & 151. De fuga Christi in Ægyptum.

Luc. 1.

Matth. 10.

In Ægyptum fugit Christus, *Repetens Hebrææ gentis antiqua cunabula* (inquit S. Leo) *& principatum veri Joseph majoris providentiæ potestate disponens, ut illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferret, nec sine illa regione pararetur singularis Hostiæ Sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum.* Ægypto Salvator illatus est, *Ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam salutem per occultam gratiam vocaretur; & quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet Veritatem....* Cum dixit Angelus, *Fuge in Ægyptum*, nequaquam se socium itineris futurum esse pollicitus est, neque illuc euntibus, neque redeuntibus: proculdubio designans, maximo ipsius Pueri, propter quem fugiebant, munitos esse comitatu: qui ubi apparuit, in melius cuncta convertit, effecitque ut hostes divinis consiliis inservirent. Nam & Magi superstitionem patriam relinquentes, ad verum Dominum adorandum veniunt: & Augustus futuro in Bethleem partui per descriptionis ac census imperium famulatur: & Ægyptus suscipit ac tuetur fugientes insidias Tyranni. *Namque tactu Domini gustum quemdam sanctificationis adipiscitur: Ut cum illum audierit ab Apostolis prædicari, hujus quasi privilegii honore decoretur, quod Dominum prima susceperit. Et certe solius hic Palestinæ videbitur esse primatus; sed facta est postea ista fervention.* Christi infantis præsentiæ debuit Ægyptus, quod tot postea martyrum irrigata sanguine est, quod tot sanctissimorum Monachorum turbis, imo Angelorum in carne mortali viventium, vastissimæ illius solitudines sunt refertæ, quod tot sacrarum Virginum choris est ornata. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, majora hæc & illustriora miracula, his quæ Christo in Ægyptum intrante, aut ibi commorante edita feruntur.

S. Leo ser. 32. in Eph. 3.

Idem serm. 31. in Eph. 2.

S. Joan. Chrys. Hom. 8. in Matth.

11. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis.* Ita visum est Herodi, quamvis ipsi illudere Magi non statuissent, sed Dei mandato parendum illis fuisset, prohibentis ne redirent ad Tyrannum, insidias Puero struentem. *Iratus est valde, & mittens* Satellites & carnifices, *occidit omnes pueros qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus ejus.* Etsi de hac cæde fileat Josephus, in dubium revocari sine impietate & infidelitate non potest. Satis est quod a S. Matthæo referatur, qui Spiritu sancto afflatus, Evangelium scripsit;

cujus aliunde etiam candor & fides elucent adeo ut nec sibi famæque suæ pepercerit: & quem nemo sanæ mentis credet conficta narratione, & quidem rei recenter & in publico apud Judæos gestæ, Historiam suam inchoare voluisse. Præterea, *Macrobius* scriptor Ethnicus, lib. 2. *Saturnal.* cædis infantium bimulorum ab Herode imperatæ mentionem facit. *Cum*, inquit, audisset Augustus, *Inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium.* Multa rerum Judaicarum in Veteri Testamento scripta Josephus prætermisit, quibus propterea fidem abrogandam nemo dixerit, sive Christianus, sive Judæus. Josephus verbo tantum Christi meminit, omnia quæ a Christo, aut circa Christum gesta sunt, silentio præteriit; quid mirum ergo si stragem in vico ignobili, & in ejus territorio, Christi occasione editam prætermisit? Adde, *Josephum*, lib. 17. cap. 3. insigne Herodis facinus narrare, quod aliquo modo huc referri potest: Pharisæos scilicet Pheroræ uxori prædixisse, Deo decretum esse, Regnum ab Herode auferri, & in ejus progeniem transferre; novo Regi omnia prospere cessura: Hanc prædictionem cædes complures secutas. Etsi enim per adulationem aulicam talia ad Pheroræ familiam a Pharisæis translata, res tamen eadem indicium de transferendo Regno, & novo Rege constituendo, quod secutæ cædes. Quid obstat reliquis cædibus, Herode ob varias id genus prædictiones in furorem acto, Bethleemitanorum puerorum cædem adjectam? An mirum rumoris illius & cædium subsecutarum partem a Josepho narratam, partem suppressam? Et si uni Josepho cædes Bagoæ, Cari, & aliorum referenti fidem habemus, cur minor habenda Matthæo referenti infanticidium Bethleemiticum, cujus tam aperta causa præcessit, indicium nimirum de Messia recens nato, confirmatio Prophetica Nativitatis ejus Bethleemi, rumores die Purificationis B. Mariæ de Christo Jerosolymis in Templo viso & celebrato sparsi, furor Herodis se delusum a Magis existimantis? His omnibus Tyranni pectus implentibus & cruciantibus, mirum non est tam horrendam stragem illius imperio Bethleemi patratam fuisse.

Occidit autem omnes pueros masculos, *a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis*: Idest bimulos, iisque minores, qui circa vel ante tempus quo Stella Magis primum apparuerat, non autem post tempus apparitionis illius phenomeni nati erant, occidi jussit. Stellam enim indicium esse Messiæ, jam nati, non nascituri, a Magis audierat. *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente.* Quamvis autem stellam ante duos circiter menses Magis in Oriente positis videri cœptam intellexisset Tyrannus, metuens tamen ne forte ante stellæ ortum & apparitionem natus esset Christus, vel major quam pro ætate, gladium carnificum evaderet, non solum loco, sed etiam tempore, plusquam necesse erat, crudelitatem extendit, causa securitatis majoris, interfici jubens non solum pueros circa tempus quo stella orta erat, seu videri cœperat, natos, sed bimulos omnes; non solum Bethleemi, ubi Christum nasci debere audierat a Sacerdotibus, sed in omnibus finibus ejus, seu toto qua late patebat territorio Bethleemitico.

Jerem. 23. 15. *S. Hier. in cap. 31. Jerem.*

12. *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* De abductione decem Tribuum in captivitatem editum Jeremiæ Vaticinium, S. Matthæus infantium Bethleemitarum cædi ab Herode factæ appositè accommodavit, judicans hanc Prophetiam multo aptius de Innocentibus pueris crudeli Herodis edicto Bethleemi occisis, quam de captivis Israelitis dici potuisse. Hi enim viri, isti infantes; Hi meriti, isti immerentes: Hi non sunt, idest, non inveniuntur, quia in captivitatem abducti; isti non sunt, idest gladiis carnificum e vivis sublati sunt: ut merito istos magis lugere debeat *Rachel*, idest *Bethleem*, quæ figurate per Rachel intelligitur, quia non procul a Bethleem sepulta est, ut legitur *Genes.* 35. quam ipsa *Rachel* avia *Ephraim* luxerit decem Tribus in captivitatem abductas, *Ephraim* nomine significatas, quia primus earum Rex fuit *Jeroboam* e Tribu Ephraim oriundus. Herodis immane facinus prophetici vaticinii accommodatione pathetice descripsit *S. Matthæus*, significans tantam fuisse calamitatem a Tyranno inflictam Bethleemitis, ut vel mortuorum luctu opus esset, cum viventium planctus nequaquam dolori par esse posset; immo viventium planctum ad mortuorum usque aures pertigisse, & eos ad parem luctum excitasse. Innuit etiam S. Matth., non tantum neminem digne satis deflere potuisse stragem illam, sed ne ausos quidem fuisse Bethleemitas, metu Tyranni, vel satellitum ejus furore, illam cladem ejulatibus suis prosequi, quod ne miserrimis quidem invideri solet. Ita ut denuo *Rachelis* pridem defunctæ opus fuerit, sicut jam olim in clade Populi Dei. Denique quia gravissimus erat dolor matrum infelicium, e quorum gremio avulsi infantes sub eorum oculis trucidabantur, nec admittebat consolationem, & hujusmodi dolor mutus est, & voci viam intercludit, quæ in mediocribus tantum calamitatibus laxatur, introducitur appositè *Rachel*, velut communis Mater populi Dei, planctu, lacrymis, & multo ejulatu innocentium puerorum cædem prosequens. Audita porro dicitur vox ejus *in Rama*, idest, *in excelso*, quia planctus ille ad cœlos usque pertigit; sicque apud *Jeremiam* legimus, secundum *S. Hieronymi* interpretationem: Vel *in Rama*, Civitate Tribus Benjamin. Notum quippe est Tribus Judæ & Benjaminis conjunctas fuisse, inde a scissione Regni, & unam ex utraque Monarchiam conflatam. Unde mirum videri non debet, quod uni accidit alteri tribui. Sic *Benjamin* sub *Juda* comprehenditur 3. *Reg.* 12. 20. cum constet ex cap. 11. decem Tribus per decem pallii fragmenta designatas Jeroboamo cessisse. Nam 2. *Paralip.* 11. in *Roboami* fide *Juda & Beniamin* perstitisse leguntur, qui tamen 3. *Reg. cap.* 11. Tribus una vocantur. Non mirum ergo, quod in Tribu Juda contigit, per locum vicinum in sorte Benjaminitarum situm a *S. Matthæo* exprimi, cum tanta utriusque Tribus fuerit conjunctio, ut prospera & adversa alterutrius ad utramque pertinerent. Adde, Ramam vicinam admodum fuisse Bethleemo, ut colligitur *ex cap.* 19. Libri Judicum. Levita enim sub occasum Solis Jerosolyma exiens dicitur adhuc Ramam versus iter destinasse, Idem Bethleemo post meridiem discesserat, & tamen eadem die Ramam se perventurum putabat. Nec absurdum est Ramam in duarum Tribuum velut confinio sitam pro alterutra sumi: vel Prophetam innuere, planctum adeo altum excitatum fuisse in Tribu Juda, ut ad Ramam usque in Tribu Benjamini fuerit exauditus. Addi potest, non clamorem Matrum tantum, sed & carnificinam Herodis eo usque pertigisse, quod *Origeni* visum est; cum non solum infantes Bethleemi jugulatos Evangelista referat, sed & stragem factam *in omnibus finibus ejus*. Ut igitur paucis colligam, Rachel communis velut Mater Populi Dei, pueros prope sepulchrum suum trucidatos lugens introducitur per egregiam prosopopejam. Sic alibi Prophetæ cœlum & terram contestantur, & Christus lapides etiam clamaturos asserit, si hi vel illi tacuerint. Sic Apostolus creaturas etiam inanimatas *ingemiscere & parturire* ait *usque adhuc*. Planctus autem ejus in excelsis locis, qualis erat *Rama* vel ipsa nominis significatione, auditus, longe lateque diffusus dicitur. *Rom. 8. 22.*

Quod autem subjungitur, noluisse Rachelem admittere consolationem super morte filiorum suorum, *quia non sunt*, quod humano sensu dictum, quia non sunt amplius superstites in hoc mundo, quamvis apud *Deum Abraham, Isaac & Jacob* vivant, quia *non est Deus mortuorum, sed viventium*: & in specie innocentes Martyres pro Christi causa occisi, ad glorioſam, beatam, æternamque vitam translati sint, ut merito Racheli stragem illorum lugenti dici possit: *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, & revertentur de terra inimici. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus: & revertentur filii ad terminos suos.* Melius enim de parvulis intelligimus, ut *S. Hieron.* observat, quod mercedem habeant effusi sanguinis pro Christo; & pro terra Herodis inimici teneant Regna cælorum, & reversuri sint in sedem pristinam, quando pro corpore humilitatis, corpus receperint glorioſum. Ista est spes novissima, quando justi fulgebunt sicut sol, infantes quondam parvuli atque lactentes, absque ætatum incremento, & injuriis ac labore corporeo, resurgent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. „ Præmisit Christus suos Milites, non „ amisit: recepit suas acies, non reliquit. Beati, quos „ Martyrio natos vidimus, non sæculo. Beati qui labo„ res in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in „ gaudium commutarunt. Vere vivunt, qui pro Christo „ merentur occidi. Beati ventres, qui portaverunt tales: „ beata ubera quæ se talibus insuderunt: beatæ lacry„ mæ, quæ pro talibus fusæ, flentibus gratiam baptis„ matis contulerunt. Nam diverso modo, dono uno, in „ lacrymis suis matres, & filii suo sanguine baptizan„ tur ... Isti sunt gratiæ Martyres, confitentur tacen„ tes, nescientes pugnant, vincunt nescii, moriuntur in„ conscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt igno„ rantes. Sed quid dicemus, quod Rex ipse qui stare de„ buit, fugit solus, & fugit monente Patre? Fugere istud, „ est amoris intimi, non timoris ignavi. Si stetisset Chri„ stus, haberet eos Synagoga filios, Ecclesia Martyres non „ haberet. " Verba sunt *S. Petri Chrysologi*. Felicior ignorantia Infantium, quos persecutor occidit, quam scientia Sacerdotum, quos in sua perturbatione consuluit. Isti noluerunt Regnum Christi recipere, cujus oppidum potuerunt ostendere: Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum potuerant confiteri. *Itaque Christus, ne ullum ei tempus esset absque miraculo, ante usum linguæ potestatem Verbi tacitus exerebat: & quasi jam diceret,* Sinite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum cœlorum, *nova gloria coronabat Infantes, & de*

Jerem. 31. 16. 17.

S. Hier. lib. 6. comment. in Jerem. ad eum locum.

S. Petr. Chrys. serm. 152. & 153. de Infant. nece.

S. Leo serm. 51. in Epiph. 3.

Matth. 19.

initiis

initiis suis parvulorum primordia consecrabat; Ut discereturneminem hominum divini incapacem esse sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ apta esset Martyrii.

Psalm. 8.2. Hæc *S. Leo*. Ante hunc *S. Augustinus* beatorum Infantium triumphum celebrat, ex quorum non aure, sed sanguine, non sermone, sed laude, Deus perfecit sibi laudem. *Christus nondum locutus, credentes inveniebat; & nondum passus, etiam Martyres faciebat. O Parvuli beati, modo nati, numquam tentati, nondum luctati, jam coronati! Ille de vestra corona dubitaverit in passione pro Christo, qui etiam Baptismum parvulis prodesse non existimat Christi. Non habebatis quidem ætatem qua in Christum passurum crederetis: sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.* Ne meram carnificinam putes: sacrificium est oblatum Altissimo. *Cui alii nisi Deo talis victima debebatur? Expers licet sensus infantia, Deum tamen pro quo interimitur, confitetur;* (inquit S. Ambrosius.) *Sapientia filiis suis vitam inspirat,* (inquit Sapiens,) Legit Tertullianus: *Sophiæ jugulavit filios suos*. Id cum sententia Salomonis consonat: *Sapientia immolavit victimas suas*. Victimæ illæ sunt sancti Innocentes, quos *Sapienter utique jugulavit, dum in vitam, & rationaliter, dum in gloriam. O parricidii ingenium! O sceleris artificium! argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit! O bonam Matrem! Opto & ipse in filios ejus redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi ut filius fiam.* Infantes propter Christum occisi, mori nos quoque & persecutionem pati docuerunt. „ Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea „ exstitit ad coronam: Ut appareret innocentes esse, „ qui propter Christum necantur. Infantia innocens ob „ nomen ejus occisa est. Ostensum est neminem esse a „ periculo persecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt. Quam ergo gravis causa sit hominis „ Christiani, servum pati nolle, cum prior passus sit Dominus: & pro peccatis nostris pati nolle, cum peccatum suum proprium non habens passus sit ille pro „ nobis? Filius Dei passus est, ut nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult, ut esse Dei filius perseveret?

S. Aug. serm. 383. alias de diverf. 66. de Epiph. 1. S. Ambr. lib. 2. in Luc. n. 49. Eccl. 4. 12. Prov. 9. 12.

Tertull.

S. Cyp. Epist. 56. ad Thibar. de Exhort. Martyrii.

13. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & Vade in Terram Israel: Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Ad mortem usque Herodis in Ægypto mansit Christus cum Maria Matre, & Josepho . . . . . Quot annos ibi manserit, incertum; cum Epocha annorum Herodis, Regnique illius periodus intricata sit & obscura. Probabilior, opinio quæ Herodem Christo nato anni circiter unius spatio superstitem fuisse asserit.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Revelationes noctu & in tenebris potissimum adhibitæ sub œconomia Veteris Testamenti: Tunc enim Deus minus patebat hominibus, majore lucis gradu reservato œconomiæ Novi Testamenti. Si vero id etiam contigit quandoque in Novo Testamento, *ut Magis & S. Josepho*, eo ipso testatum Deus voluit omnem cognitionem & revelationem cœlestem, quæ nobis viatoribus fit in hac vita, mixtam esse tenebris, obscuram, symbolicam, ænigmaticam, præ luce illa quæ comprehensoribus in futura vita parata est. Sic etiam ostensum, nullum esse tempus non aptum meditationibus sacris, piis cogitationibus ac precibus; nullum tempus quo Deus hominem alloqui & ipsum erudire ac monere non possit, etiamsi homo dormiat exterior, modo interior cordis homo vigilet.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Pluralis numerus pro singulari usurpatur: De solo enim Herode sermo est. Usus ejusmodi numerorum pluralis pro singulari, & vice-versa, in Scrip. Sacr. frequens. Sic *Exod.* 32. 4. dicitur de vitulo conflatili: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Exod.* 4. 19. Dixit Dominus Moysi: *Vade, & revertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Quod de uno dictum Pharaone, *Josue* 7. 1. scriptum est: *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate.* Quod tamen unius Achan crimen fuit. *Psal.* 104. v. 30. *Edidit terra eorum ranas, in penetralibus Regum ipsorum*, id est Pharaonis, qui Moysis tempore Regnum Ægypti solus obtinebat. Sic *Joan.* 6. 45. dicitur: *Est scriptum in Prophetis, Erunt omnes docibiles Dei*; Quod legitur tantum *Isai.* 54. 13. Sic *Act.* 13. 40. denuo *In Prophetis* dictum dicitur, quod *Habacuc* 1. vers. 5. dumtaxat reperitur. Sic *Act.* 15. 15. verba *Amos* vocantur *Verba Prophetarum*. Sic *Matth.* 26. 8. Discipuli dicuntur indignati de effusione unguenti pretiosi super caput Jesu, cum tamen id uni Judæ tribuat *Sanct. Joan.* cap. 12. 4. 5. Sic pluribus latronibus adscribitur *Matth.* 27. 44. quod ab uno dumtaxat factum testatur *S. Lucas* cap. 23. 39. Non est igitur absurdum, quamvis solus Herodes mortuus esset, soluisque *animam*, id est, vitam *Pueri* quæsivisset, Evangelistam in plurali numero loqui, & dicere, Tyranno extincto, mortuos esse illos qui Christum ad necem quærebant, cum præsertim Tyrannus ille multo satellitio stipatus in Christum grassatus fuerit, & carnifices multos in ejus perniciem armaverit, quorum rabies mortuo Herode extincta est.

Natal. Alex. in Evang.

14. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire.* Cum limites Terræ Israel Ægypto proximos *S. Joseph* attigisset, audivit *Archelaum* Herodis filium Judææ regia potestate præesse, tametsi non Regio nomine. Quamvis enim hæres Regni ex asse ab Herode scriptus esset, Rex a cohortibus salutatus, thronumque Regium occupasset: tamen Cæsar, cujus judicio Testamentum suum Herodes subjecerat, *Archelaum* non Regem constituit, sed Ethnarcham, id est gentis Principem in dimidiam partem Regni paterni, hoc est, in Judæam, Judumæam, & Samariam Partem Regni alteram in reliquos duos Herodis filios partitus est, Antipam scilicet, quem Tetrarcham Galilææ & Pereæ; & *Philippum*, quem Bataneæ, Itureæ, & Traconitidis Tetrarcham creavit, spe Regii nominis facta *Archelao*, si virtute sua illud promereri satageret. Merito ergo ac vere dixit Evangelista, *Archelaum in Judæa regnasse pro Herode patre suo*, id est, Herodi successisse; quia multos annos Regia potestate Judææ præfuit, nec ejus Imperio *Philippi & Antipæ* fratrum dignitas & ditio conferendæ erant. Addiderim, ab Hebræis, Græcisque Scriptoribus, cum Græcis, tum profanis, illos Reges sæpe appellari, latiori vocis significatione, qui principatum quemcumque gerunt, etiam infra Regiam Dignitatem. Quidni ergo *Archelaum* Regem appellaverit, seu regnasse scripserit S. Matthæus, qui amplissimæ ditioni, & cum summo imperio præerat? Singulari porro Dei providentia factum est, ut Christo Rege nato, nullus amplius Rex Judæorum designaretur.

Joseph. lib. 17. Antiquit. Jud. cap. 10. 11. 13.

Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Galilæa, Syriæ regio ad Septentrionem Judææ sita dividitur a Geographis in superiorem & inferiorem. Superior juxta Tyrum, Sidonem, & Cæsaream Philippi sita est, & vocatur *Galilæa gentium*, Isai. 9. & Matth. 4. vel quia illic Gentes usque ad *Salomonis* tempora habitarint, vel quod *Hiramo* Regi Tyriorum oblata sit, 3. Reg. 9. Hæc in Tribu Nephtali sita fuit. Inferior Galilæa circa Tiberiadem, & stagnum Genesareth, in Tribu Zabulon posita est, in qua frequenter versatus est Christus, *Joan.* 4. Unde etiam *Galilæus* vocatus est, *Matth.* 26. & ejus Discipuli *Viri Galilæi* vocantur *Act.* 1. Galilæos a reliquis Judæis contemptui habitos, Scriptura Sacra testatur. *A Galilæa* (ajunt Pharisæi, Joan. 7.) *Propheta non surgit*. Et Nathanael Joannis 1. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Hinc Julianus Apostata Christianos per contemptum *Galilæos* solebat appellare.

15. *Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Per Prophetas dictum S. Matthæus scripsit, quod ab Isaia dictum est, *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*. Hebraice *Netzer*, unde *Nazaræus*. Duobus scilicet modis aliquid scriptum vel dictum asseritur per Prophetas: Primo, quia verbis eisdem aut non dissimilibus scriptum reperitur: Secundo, quia rebus ipsis, licet non verbis expressum est. Hoc secundo modo prædictum est Christum vocandum *Nazaræum*, siquidem ab *Isaia* nomine *Netzer*, quod *Florem* significat, & per Nazaræum reddi potest, designatur. Unde *Sanctus Hieronymus* iisdem verbis *juxta Hebraicam veritatem* in Isaia scriptum esse asserit: *Exiet virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet*. Idque confirmat in Epist. ad Pammachium *De optimo genere interpretandi*. Et in Epist. 17. ad Marcellam: *Ibimus*, inquit, *ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ*. Divino itaque instinctu Joseph oppidum Nazareth ad habitationem sibi delegit, quo Christus ab educationis suæ loco Nazaræi nomen traheret, & qui pro vero flore de radice Jesse orto & ab *Isaia* descripto ac prædicto non agnoscebatur a Judæis, tamen ab illis, quamvis invitis, & alia cogitantibus, *Flos* sive *Nazaræus* appellaretur. Denique urbs *Nazareth*, ubique per *Tzade* scripta reperitur, non per *Zain*, unde Christus *Netzer*, teste S. Hieron. Alii Christum Nazaræum vocatum volunt a nomine & instituto Nazaræorum veterum, non quod institutum illud ac votum susceperit; sed quod *Nazaræi* nomen & institutum, *consecrationem & sanctificationem* significet. Christus autem in tota scripturarum serie, & maxime in libris Prophetarum, *Sanctus & Sanctus Sanctorum* appellatur. Hinc eximiis Christi Domini typis *Nazaræi* nomen tributum est; tametsi voto Nazaræi non essent, quia dignitate vel egregiis virtutibus a vulgo segregati erant, ut Josepho & Samsoni *Genes.* 49. 26. de Joseph dicitur: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: Donec veniret desiderium collium æternorum: Fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos*. De Samsone vero, Judicum 15. *Erit Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum*. Mirabili ergo Dei providentia factum est, ut Christus occasione educatio-

Isai. 11. 1.

S. Hier. Comment. in cap. 11 Isai. & i 2. Matth.

Dan. 9. 24. Tertul. Eu seb. Cæsar.

nis suæ in oppido Nazareth, vocaretur *Nazarænus*, a Judæis quidem per contemptum, a Deo vero ut designarentur ipsius sanctitas incomparabilis, segregatio a peccatoribus, & consecratio non extrinsecus adveniens, sed innata ex personæ divinitate. Unde *Psalm.* 132. 17. 18. *S. Hieron.* de Christo dicitur. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo: inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Hujus interpretationis auctores habemus Tertullianum, Eusebium, S. Hieronymum. *Tertullianus* lib. 4. *Adversus Marcionem*, cap. 8. *Nazaræus*, inquit, *vocari habebat secundum prophetiam Christus Creatoris; unde & ipso nomine nos Judæi appellant per eum. Nam & sumus de quibus scriptum est*; Nazaræi exalbati sunt super nivem. *Qui scilicet retro luridati delinquentiæ maculis, & nigrati ignorantiæ tenebris. Christo autem appellatio Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris, ad quas apud Nazareth descendit, vitando Archelaum filium Herodis.* Eusebius lib. 7. Demonstrationis Evangelicæ, cap. 1. pag. 349. *Christus in Nazaris educatus esse dicitur, & sic Nazaræus vocandus. Scire igitur oportet, quod nomen est Hebraicum Nazaræum in Levitico, in ejus Christi unctione quem ipsi habebant. Porro hic erat principatum obtinens secundum imaginem magni & veri Pontificis Christi Dei, adumbratum videlicet quemdam & figuratum Christum repræsentans. Ubi vero Septuaginta de Pontifice ita interpretati sunt*, „ Et non polluet quod „ sanctificatum est Dei sui, quoniam sanctum oleum un„ ctionis Dei sui: " *In Hebraico legitur*, Quoniam Nazer oleum. *Aquila autem sic vertit*, quoniam segregatio, oleum unctionis Dei sui super ipsum. *Theodotion vero*, Quoniam Nazer oleum unctionis a Deo suo super ipsum. „ Quare Nazer ipsos quidem Septuaginta sequentis, san„ ctum erit; ipsum vero Aquilam, separatio; Symma„ chum autem, intactum. At vero quoniam prisci qui„ dem Sacerdotes, cum oleo comparato, quod apud „ Moysen Nazer appellatur, ungerentur, ex derivatione „ a Nazer vocabantur Nazaræi. Sed Salvator & Domi„ nus noster, suapte natura in se habens & sanctum, „ & intractum, & separatum, neque alicujus indigens hu„ manæ unctionis, tamen Nazaræi appellationem apud „ homines obtinuit, non quod ab oleo, quod Nazer vo„ caretur, Nazaræus extiterit; sed quod quamvis natu„ ra quidem talis esset, tamen a civitate Nazareth „ apud homines Nazaræus vocatus sit, ubi apud suos, „ qua homo, erat parentes, puerilem educationem ob„ tinuit. Ex quo apud Matthæum dictum est: Responso „ autem in somnis accepto, (*ipse videlicet Joseph*) se„ cessit in partes Galilææ: & veniens habitavit in ci„ vitate quæ dicitur Nazara, ut impleretur quod dictum „ est per Prophetam, quod Nazaræus vocabitur. Opor„ tebat enim usquequaque, cum ipse suapte natura & „ revera Nazaræus esset, hoc est, sanctus, intactus, se„ gregatus, illum ab hominibus hac appellatione voca„ ri: sed quoniam non a Nazer oleo hanc appellatio„ nem obtinuit, quippe qui humanæ nullius unctionis „ indigebat, a loco Nazareth denominationem accepit. „ Denique S. Hieronymus *in cap.* 2. S Matthæi ubi præmisit, S. Evangelistam plurali numero Prophetas citantem, ostendere se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum; subdit: *Nazaræus, sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat.*

SENSUS MORALIS.

I. MAgi ad Christum adorandum stella duce vocati, primitiæ gentium fuerunt, per Christi gratiam ad eum in Ecclesia adorandum vocatarum. Magi (inquit *S. Augustinus*) ex gentibus erant, ipse etiam Pila- *S. Aug. serm. 201. alias de Tempore* tus ex gentibus. Illi stellam viderunt in cœlo, ille ti- tulum fixit in ligno. Utrique tamen non Regem gentium, sed Judæorum quærebant vel agnoscebant. Judæi *31. in Eph.* vero ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consense- *Dom. 3.* runt. Jam igitur præsignabatur quod postea ipse Dominus dixit: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in Regno cœlorum: filii autem Regni ibunt in tenebras exteriores.* „ Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente vene„ rat. Unde illi orienti, hoc est, nascenti; ille autem „ occidenti, hoc est, morienti attestabantur Regi Ju„ dæorum; ut cum Abraham & Isaac & Jacob, ex qui„ bus Judæi ducebant originem, recumberent in Regno „ cœlorum; non ex eis propagati per Carnem, sed „ eis inserti per fidem; ut ille de quo Apostolus loqui„ tur, olivæ inserendus jam præmonstraretur oleaster. „ Propterea quippe non Rex Gentium, sed Judæorum ab „ eisdem gentibus vel quærebatur vel agnoscebatur; quia „ oleaster ad olivam, non ad oleastrum oliva veniebat. "

2. Divinæ gratiæ nos vocantis ductum fideliter & obedienter sequamur, ac mystica munera Domino offeramus. Quamvis enim narratio Evangelicæ lectionis illos *S. Leo serm. 35. in Eph.* proprie recenseat dies, in quibus viri, quos nec Prophetica prædicatio docuerat, nec testificatio Legis instruxerat, ad cognoscendum Deum a remotissimis Orientis partibus venerunt; hoc idem tamen & manifestius nunc, & copiosius fieri in omnium vocatorum illuminatione perspicimus. „ Unde cum cernimus homines humanæ sa„ pientiæ deditos; & a Jesu Christi confessione longin„ quos, de profundo erroris sui educi, & ad agnitio„ nem veri luminis advocari, divinæ procul dubio gra„ tiæ splendor operatur; & quicquid in cordibus tene„ brosis novæ lucis apparet, de ejusdem stellæ radiis „ micat: Ut mentes quas suo fulgore contigerit, & „ miraculo moveat, & ad Deum adorandum perducat. „ Si autem solicito intellectu velimus aspicere, quomo„ do triplex illa etiam species munerum ab omnibus, „ qui ad Christum gressu fidei veniunt, offeratur, non„ ne in cordibus recte credentium eadem celebratur ob„ latio? " *Aurum etenim de thesauro animi sui promit, qui Christum Regem universitatis agnoscit; Myrrham offert, qui Unigenitum Dei credit veram sibi hominis univisse naturam. Et quodam eum thure veneratur, qui in nullo ipsum Paternæ Majestati imparem confitetur.* Aurum charitatem, thus devotionem, myrrha corporis mortificationem designat.

3. Magorum devotionem imitemur, longo itinere curramus, ut Christum videre mereamur. Hi nisi patriam, domumque reliquissent, Christum invenire ac videre minime *S. Joan. Chrysostom. Hom. 7. in Matth.* potuissent. Recedamus igitur a terrenis negotiis & curis. Magi in Patria sua stellam tantummodo viderunt, longe vero a Patria Solem conspexerunt justitiæ. Surgamus & nos, & licet omnes turbentur, nos tamen alacres & prompti ad Pueri domum accurramus. Nihil fervorem nostrum in via mandatorum Dei retardet, non terrores, non tumultus, non pericula. In Bethleem accurramus, ad domum spiritualis panis, ad domum panis vivi. Nihil nos ad Regem introire prohibebit, modo ut adoraturi Dei Filium, non conculcaturi veniamus. *Cave ne Herodi efficiaris similis, & dicas*, Ut & ego veniens adorem eum: *Cumque veneris, interimere coneris. Hujus etenim similes sunt, qui indigne* 1. Cor. 11. *abutuntur Communione Mysterii.* Reus est enim iste Corporis & Sanguinis Domini. „ Qui enim ejusmodi sunt, ha„ bent in se tyrannum Regno Christi jugiter invidentem, „ longe sane Herode illo nequiorem, Mammonam scilicet. „ Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cul„ tores simultate mittit ad Christum, ut adorare quidem „ videantur, quantum vero in ipsis est, eum interimunt. „ Timeamus igitur ne quando speciem supplicum atque ado„ rantium geramus, opere vero existamus inimici. Adora„ turi Christum, cuncta projicianus e manibus. Si habue„ rimus aurum, offeramus ipsi, non terræ insodiamus. Si „ enim illi tunc Barbari in honorem tantummodo Domini „ libenter obtulerunt aurum, qualis tu eris, si non tribuas „ indigenti? Illi tam longo itinere concurrerunt ut natum „ viderent. Tu vero qua tandem satisfactione poteris absol„ vi, qui ne brevis quidem platee spatium transis, ut visi„ tes egritudine afflictum & vinctum catenis? Et certe so„ lemus egrotantium, atque vinctorum, etiamsi inimici „ sint, misereri: Tu vero ne erga Dominum quidem tuum, „ qui tantorum tibi auctor est bonorum, hoc permoveris af„ fectu? & illos quidem aurum legimus obtulisse: Tu vero „ panem vix tribuis. " Quid excusabimus, aut quam veni- am promerebimur, si cum Christus nostri causa descenderit *S. Joan. Chrysost. Hom. 31. ad Pop. Ant. de beato Philogomo.* e cœlis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur? Cum Magi ex remota Orientis regione occurrant, ut illum videant in præsepi jacentem; nos vero qui Christiani sumus ne breve quidem spatium itineris conficiamus, ut felici illo spectaculo perfruamur? „ Nam si cum fide accesserimus; „ proculdubio videmus illum in præsepi jacentem. Si qui„ dem hæc Mensa vicem explet præsepis. Nam & hic po„ nitur Corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum „ sicut tunc, sed Spiritu sancto undequaque convestitum. „ Ac Magi quidem nihil aliud, quam adorarunt: Tibi vero „ si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut su„ mas, & sumpto domum abeas. Accede igitur tu quo„ que munera offerens, non qualia offerebant illi, sed „ multo religiosiora. Obtulerunt illi aurum: offer tu tem„ perantiam & virtutem. Obtulerunt illi thus; offer tu „ puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Ob„ tulerunt illi myrrham; offer tu humilitatem, & cor „ summissum cum eleemosyna. Quod si hisce cum mu„ neribus accesseris, multa cum fiducia particeps eris „ hujus sacræ Mensæ. " Offeramus fidem, spem, charitatem, obedientiam. Admirabilis certe Magorum fides: qui nullatenus turbantur, nullo scandalo moventur propter ea, quæ ipsis eveniunt. Non ajunt intra se: „ Si *Idem Hom. 8. in Matth.* „ magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid ob„ tineret, nobis adoratoribus ejus quid opus esset fuga oc„ cultusque discessus? Cur enim nos qui palam ac libere ve„ nimus, nec tanti populi fragorem, nec Tyranni furorem „ paventes, quasi exules quosdam atque fugitivos Angelus „ e civitate propellit? Verum nihil omnino tale vel ore „ proferunt, vel mente concipiunt. " *Hoc est enim fidei insigne, ut absque controversia ulla obediant imperanti, nec ullam rationem exposcant imperii.*

4. Adorato Christo, per aliam viam revertamur, ut *S. Aug. Serm. 202. alias de* Magi. „ Nos charissimi, quorum erant illi Magi pri„ mitiæ: nos hereditas Christi usque ad terminos terræ, pro-

Temp. 32. *in Epip.*

„ propter quos cæcitas ex parte in Israel facta est, ut „ plenitudo gentium intraret, cognito Domino & Salvatore nostro Jesu Christo, qui propter nos consolandos „ tunc jacuit in angusto diversorio, nunc propter sublimandos sedet in cœlo; sic eum annuntiemus in hac „ terra, in hac regione carnis nostræ, ut non qua venimus, redeamus, nec prioris nostræ conversationis vestigia repetamus. Hoc est enim quod & illi Magi „ non qua venerant redierunt. *Via mutata, vita mutata est.* Et nobis cœli enarraverunt gloriam Dei; & „ nos ad Christum adorandum fulgens ex Evangelio veritas, tamquam de cœlo stella, perduxit; & nos prophetiam in Gente Judaica celebratam, tamquam indicium Judæorum non nobiscum pergentium, fideli „ aure percepimus; & nos Regem & Sacerdotem, & „ pro nobis mortuum Christum agnoscentes atque laudantes, tamquam in auro, & thure, & myrrha honoravimus: " *Superest ut eum evangelizantes novam viam carpamus, non qua venimus, redeamus.*

5. Herodes Politicorum impiorum typus, qui Religionem suæ cupiditati ac temporalibus utilitatibus subjiciunt, fruuntur mundo, ut utantur Deo. Hi turbantur, cum Doctores Prædicatores veritatis, qui eorum pravis desideriis adulari non possunt, eorum mores & vitia palam impugnant & damnant. Quanti inde tumultus ac motus? Quanta perturbatio? *Turbatus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo.* QUID *erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cunæ terrebant infantis?*

S. August. serm. 200. *2. de Epiph.*

6. Principes Sacerdotum Judaicæ gentis, & Scribæ populi, qui Christum in Bethleem Judæ nasci respondent, nec ad illum adorandum veniunt, figuræ sunt Sacerdotum plurimorum Ecclesiæ Christianæ, qui Scripturas sacras legunt, nec ex earum lectione ad vitam suam recte instituendam, moresque componendos proficiunt; Christum aliis ostendunt, nec illum sequuntur; viam salutis docent, nec in ea ambulant. *Pastores, & Idola!*

S. Leo serm. 35. *in Epiph.*

7. Christum natum persecutus est Herodes; Christianos secundum Christum viventes mundus, Diabolusque persequuntur. Invenimus, inquit *S. Leo*, etiam Herodis non deesse personam, cujus ipse Diabolus, sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefessus est imitator. „ Cruciatur enim vocatione gentium, & quo„ tidiana potestatis suæ destructione torquetur. Dolens „ ubique se deseri, & verum Regem in locis omnibus „ adorari, parat fraudes, fingit dissensiones, erumpit in „ cædes, & ut reliquiis eorum, quos adhuc fallit, utatur, invidia uritur in Judæis, simulatione insidiatur „ in Hæreticis, sævitia accenditur in Paganis. Videt „ enim insuperabilem esse potentiam Regis æterni, cujus mors ipsius vim mortis extinxerit, & ideo totam „ nocendi artem in eos qui vero Regi famulantur, armavit: alios per inflationem scientiæ legalis obdurans, „ alios in furorem persecutionis instigans, alios per falsæ fidei commenta depravans. Sed hanc Herodis istius „ rabiem ille vincit & destruit, qui etiam parvulos Martyrii gloria coronavit: & fidelibus suis tam invictam „ indidit charitatem, ut Apostoli verbis audeant dicere; *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia, an persecutio*; *&c.* Sed quia tempestas priorum turbinum conquievit, vigilanter cavenda sunt illa discrimina, quæ de otio ipsius pacis oriuntur. Adversarius enim, qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tecta nocendi arte desævit: Ut quos „ non perculit ictu afflictionis, lapsu dejiciat voluptatis. „ Videns itaque sibi resistere principum fidem, & unius „ Deitatis inseparabilem Trinitatem non segnius in palatiis quam in Ecclesiis adorari, interdictam dolet „ sanguinis Christiani effusionem; & quorum obtinere „ non potest mortes, imperat mores. Terrores proscriptionum in avaritiæ mutat incendium; & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit ... Inflammat „ concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis: serit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne „ ab illicitis dolis cautiora corda se revocent, consummandorum scelerum ingerit facultates: quia illi „ totius fraudis hic fructus est, ut qui immolatione pecudum, & thuris incensione non colitur, quibuslibet „ ei criminibus serviatur. " Simus igitur attenti divinæ gratiæ voci, quæ nos admonet ut pericula fugiamus: Recurramus ad spiritale præsidium; & mens habens notitiam Dei sui, a consiliis se male suadentis hostis avertat. Fugiat eos qui Jesum quærunt ut eum occidant. Accipiens Jesum & Mariam, illum in sinu animæ suæ per charitatem gerens, in istius clientelam se conferens, Salvatoris & salutis hostes fugiat cum Joseph. Obediat sine hæsitatione. Obedientia cæca uni Deo debetur, qui nec fallere potest, nec falli. Cum Dei nota voluntas est, ab ejus executione nullæ difficultates nos debent remorari. Qui enim dat præceptum vel consilium, ad eas superandas servis suis præbebit auxilium, quamvis insuperabiles humanis viribus videantur.

Rom. 8. 35.

S. Bernard.

8. Herodis Jesum quærentis ut eum occideret, ideoque innocentes infantes occidentis, crudelitatem imitantur, qui divinæ gratiæ inspirationibus, piisque motionibus resistunt, impediuntque ne Christus in cordibus suis formetur, adjiciendo peccata peccatis. Herodianam vincit malitiam ac impietatem, qui suæ aut alienæ saluti impedimentum affert. *Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas est*, inquit S. Bernardus, *nascentem velle extinguere religionem, & allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur; quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur; immo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem.*

serm. 3. *in Epiph.*

9. Rachelem filios suos plorantem imitari non debent Christianæ Matres, cum illis filii in infantia præripiuntur, Christo per baptismum regenerati. Illorum enim salutem lugent, quæ lugent mortem. Ad divinum oraculum attendant: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animum illius.* Non solum filii, sed & matres a multis peccandi periculis immatura illorum morte servantur, quorum forte prava institutione, amore immodico, ambitiosa per fas & nefas collocatione, & dignitatum opumque injusta procuratione, æternam sibi damnationem forte arcessivissent. Lugeant filios cum secundum animam moriuntur, cum mortaliter Deum offendunt; nec mediocris sit illarum dolor, *Quia non sunt.* Periit enim in illis vita gratiæ, & ad nihilum coram Deo sunt redacti. Felices matrum lacrymæ, si Deo cum piis precibus offerantur pro salute filiorum. Illis enim vitæ spiritualis reditum a Deo impetrare possunt, quemadmodum *Augustino* impetravit pia Mater *Monica*, cui filii sui perditionem plangenti pius quidam Episcopus respondit: *Vade a me, ita vivas. Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat.*

Sap. 4.

S. Aug. lib. 3. *Confess. c.* 12.

10. *S. Joseph* obedientiam, & æquanimitatem in prosperis & adversis imitari debent Christiani; cogitantes vitam hominis fidelis peregrinationem esse super terram, Christum qui via nostra est, longas difficilesque peregrinationes in infantia sua, ex mandato Patris, per Angelum significato S. Joseph ejus nutritio, suscepisse cum eodem & Virgine Matre. Ex Judæa in Ægyptum fugisse, ex Ægypto in Terram Israel rediisse; ex Israeliticæ Terræ finibus Nazarethum se recepisse, obscurum & ignobile oppidum, ibique velut in tenebris delitescere voluisse lucem veram. Læta & tristia in ipsis vitæ Christi primordiis sibi successisse, ne Christianus fausta & læta omnia in hoc sæculo expectet, sed sibi maxime favere Deum credat, cum prospera temperat adversis, ne insolescat, & rebus terrenis inhæreat; adversa prosperis, ne deficiat. *Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi* (ait Angelus Joseph). Quæ cum audiisset Joseph, nequaquam passus est scandalum, neque dixit: Incerta ista res est, ac prorsus ambigua: „ Tu paulo ante dicebas, „ *Quia salvavit populum suum*, & nunc se ipsum quidem non potest de periculis liberare; sed fuga nobis „ necessaria, & peregrinatio longinqua: contraria omnino facta sunt promissis. Sed horum nihil prorsus opponit: Vir enim erat fidelis: Neque curiose reversionis tempus inquirit, quod utique ab Angelo non signate fuerat expressum. *Sed esto, ibi*, inquit, *usque„ quo dicam tibi*. Verum ille nec per ista quidem factus est segnior, sed obedivit libenter, & credidit, „ omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo. „ Enimvero misericors Deus mœstis rebus quædam etiam „ jucunda permiscuit: Quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationem, neque jucunditates sinit habere continuas; sed tum de adversis, tum de „ prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate „ contexuit; quod hic quoque præstitit. Videndo quippe S. Joseph gravidam Sponsam, in conturbationem „ incidit maximam: sed adfuit repente Angelus suspicionem solvens, & timorem prorsus extinguens. Deinde videns Puerum natum, maxima exultatione repletus est: sed rursus huic etiam gaudio periculum „ grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, „ ipse Rex fureret, & ad necem populum quæreret. „ Sed & hunc tumultum alia rursus lætitia subsecuta „ est: apparitio videlicet Stellæ, & adoratio Magorum. Post hanc quoque jucunditatem, iterum periculum, iterumque formido. *Quærit Herodes animam „ pueri*, & fugere necesse est, & in longinqua tran„ sire hominis instar. " Nondum quippe opportunum erat ut signorum miracula coruscarent: *Si enim a prima prorsus infantia mirabilia monstrasset, homo procul dubio creditus non fuisset.* Ex Ægypto revocatur, Josepho de morte Herodis certiore facto per Angelum. Vides rursum tribulationi requiem succedentem, deinde periculum post requiem imminens. „ *Audiens* enim Joseph „ *quod Archelaus in Judæa regnaret pro Herode patre „ suo, timuit illo ire.* "

S. Joan. Chrysost. Hom. 8. *in Matth.*

„ 11. Nusquam turbari debemus omnino cum acci„ dunt aliqua quæ promissionibus divinis adversari vi„ deantur. Ecce enim adveniente Domino ad populi

„ sui,

„ sui, imo ad totius orbis salutem, qualia fuerunt ex-
S. Joan. Chrysost. Hom. 9. in Matth. „ ordia! Mater fugit, Jerosolyma turbatur, cœdes in-
„ numeræ innocentium infantium perpetrantur; plora-
„ tus & luctus ingens ubique. Neque est cur conturbe-
„ ris. Nam *solet per contraria fere ordinem suæ œcono-*
„ *miæ implere, ingens virtutis suæ hinc nobis exhibens*
„ *argumentum*. Sic Apostolos suos induxit atque instru-
„ xit ut res præclaras agerent, contraria contrariis mo-
„ deratus, quo majori cum admiratione fiant. Cæsi igi-
„ tur ejectique, & mille tormenta passi Apostoli, victo-
„ res tandem persecutorum suorum evadunt." Ne igi-
tur animum in adversis rebus despondeamus, hac certis-
ma Regula roborati; *Quod qui lædere velint, multi sint: qui vero ab alio lædatur, omnino nullus. Et quicquid a quolibet hominum passi fuerimus injuste, aut remissione peccatorum, aut amplioris mercedis retributione Deus compensat.*

CAPUT III.

Sensus Litteralis.

1. *IN diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ*. Tempus designatur quo
Luc. 3. 23. Christus cum Maria Virgine Matre, & Joseph, adhuc Nazareth habitabat. Annus agebatur 15. *Imperii Tiberii Cæsaris*, ut S. Lucas notavit. Christus annos *quasi triginta* natus erat: qui loquendi modus latitudinem aliquam admittit infra supraque trigesimum annum, quem præcise non definit. Hæc erat ætas sacris functionibus Sacerdotis, Doctoris, vel Prophetæ obeundis idonea, ante quam eas exercere licebat nemini secundum mores Hebræorum, ut etiam colligi videtur ex Scriptura sacra 1. *Paral.* 23. Jesus ergo latere voluit, & ad augustum illud munus Doctoris, Legislatoris, Prophetæ, Sacerdotis, Regis Judæorum & Gentium sibi a Patre impositum se præparare in silentio, precibus, sacris meditationibus, perpetua Patris adoratione, officiis erga parentes, quibus *subditus erat*, occupatus; donec congruam ad docendum cum auctoritate ætatem attigisset. Cum autem tempus manifestationi & vitæ publicæ seu ministerii Christi initiis a Deo præstitutum advenisset, *Joannes Baptista*, sic appellatus quod Christum baptizaverit, vel quod primus baptizare cœperit publico ritu, *venit*, seu prodiit in publicum, cum antea plerisque incognitus latuisset, & prædicationis baptismique ministerium aggressus est *in deserto Judææ*, circa Jordanem fluvium, in extrema parte Ennon & Salim, non procul a Jericho, regione, quæ, *campestria deserti*, vocatur 2. *Reg.* 12. 16. ibi prædicare cœpit, dicens.

2. *Pœnitentiam agite*. De peccatis ex animo dolete, mores in melius emendate, divinæ justitiæ per bona opera satisfacite. Adultorum hominum Nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pœ-
S. August. serm. 351. de Pœnit. alias 50. inter Homil. 50. niteat fuisse quod erat; (inquit *S. Aug.*) Ubi emenda-
S. Isidorus l. 2. Sent. cap. 16. tio nulla, pœnitentia necessario vana; (inquit *Tertul.*) Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: Nec Deum videtur poscere subditus; sed subsannare superbus; (inquit *S. Isidorus Hispal.*)

3. *Appropinquavit enim Regnum cœlorum*. Regnum Christi, Messiæ patribus vestris promissi, & a vobis expectati, jam prope est, mox incipiet, de quo *Daniel* 7. vers. 13. & 14. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum: & omnes populi, Tribus & linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: & Regnum ejus quod non corrumpetur:* Et v. 27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus Regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei, & obedient*. Regnum cælorum dicitur Christi Regnum, quod cœlesti ratione ineatur in terris, in cælis perficiatur, quod administratio ejus spiritualis sit, sicque distinguatur a Regno terreno sive carnali, quod Judæi exspectabant, quorum pravam opinionem in principio prædicationis Evangelicæ convellit: quod denique viva sit imago Regni illius quod in cælo esse credimus, & quod nobis per Christum reseratum est, & per ejus merita nobis adeundum esse atque possidendum speramus. Regnum cælorum pro Christi manifestatione, & potestatis ejus revelatione pariter sumitur, Matth. 12. 28. *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei*. In duobus autem præsertim positum est Christi Regnum, in eo scilicet 1. ut homines sibi subjiciat per Evangelii prædicationem, & effusionem Spiritus sancti, & hoc pacto in eorum cordibus regnet. Luc. 17. 21. *Regnum Dei intra vos est*. Matth. 21. 43. *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*: fideleisque subditos remuneret ipsa regni æterni possessione. 2. Ut contumaces hostes regat in virga ferrea, puniatque. Unde Malachiæ 4. mittendus *Elias* dicitur, id est, Joannes, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis . . . Ne forte veniat Dominus, & percutiat terram anathemate*. Hunc enim locum de Joanne Christus explicuit. Matth. 17. 10. *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis*. Ideo & hic *Ira ventura*, & *securis ad radicem arboris posita* denuntiatur. Congrue porro suæ ad pœnitentiam adhortationi hanc subjicit rationem Christi Præcursor, quod appropinquet Regnum cælorum, quia oblatio gratiæ & indulgentiæ a Christo efficacissimum ad pœnitentiam incitamentum est: & quia cæleste illud Regnum, quod electis ab origine mundi, immo ab æterno paratum est, solis innocentibus aut vere pœnitentibus patet, cum in illud *nihil coinquinatum* intret. Vere (inquam) pœnitentibus: Hæc enim pacta a Deo cum peccatoribus mercedis conditio. Si ergo qui *venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neve rasus, neve adulter: etiam Dominum credimus, pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, periculis scilicet vitæ concessurum*. Deus gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo Orbi illuminaturus esset, præire intinctionem pœnitentiæ jussit, id est, baptismum Joannis in pœnitentiam, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abrahæ destinatam, *per pœnitentiæ subsignationem ante componeret*. Non tacet Joannes. *Pœnitentiam initote* dicens: *Jam enim salus Nationibus appropinquabit, Dominus scilicet afferens, secundum Dei promissum. Cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus propositam: uti quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum priorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa, hæc opera, negotium divinæ misericordiæ curans. Quod homini profecit, Deo servit*. Observandum porro cum S. Augustino, hoc nomen *Regnum cælorum, proprie pertinere ad revelationem Novi Testamenti*, nec in veteri occurrere. Primus illud indigitat Joannes Baptista.

Tertull. Lib. de Pœnit. cap. 6.

Idem cap. 2.

S. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 31.

4. *Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Vel Matthæi de Joanne Baptista, vel potius Joannis de seipso verba sunt. Quamvis porro illud Isaiæ vaticinium liberationem populi Judaici a captivitate Babylonica secundum sensum litteralem historicum spectet: ad liberationem tamen humani generis e peccati servitute & dæmonis captivitate, per Christum refertur, secundum sensum propheticum, pariter litteralem, tametsi sublimiorem, „ Joannes vox est
„ Verbi, ad præparandas hominum aures emissa. Qui
„ enim clamant ut eminus eos evocent, quibus signifi-
„ care aliquid cupiunt, sonoram quamdam initio vocem,
„ nec articulatam proferunt. Cumque illi sola exaudita
„ voce ad audiendum mentem adhibuerint, atque au-
„ rem admoverint, tum vociferator ille quod dicere
„ constituerat distinctius eloquitur. Ita ergo Joannes vox
„ quædam fuit præparandis hominum auribus. Non enim
„ sermo ipse fuit, sed post illum sermo tandem adve-
„ nit, cujus gratia præparatrix illa vox anteceserat.
„ Unde ita loquitur: *Vox clamantis in deserto: Parate*
„ *viam Domini*. Quippe vox præparat, Dominus autem
„ præparatas jam vias ingreditur. Vox aures ad audien-
„ tiam componit: quæ ubi vacuas se præbuerint, tum
„ sermo audientium auribus immittitur." Hæc *S. Epiphanius*.

Isai. 40. Joa. 1. 22. 28 S. Aug. l. 2. de Consens. Ev. cap. 12.

S. Epiph. Hæres. 69. num. 41.

Parate viam Domini. Sicut Rege ingressum alicubi facturo subditi vias parant, complanant, purgant, ornant: ita Christo Rege ad homines, & in homines adveniente, viæ ipsorum pravis affectionibus, non secus ac desertum spinis obsitæ, & inæqualiter assurgentes vel depressæ, lapidibusque horridæ, adæquandæ, complanandæ, parandæ & ornandæ sunt. Mores hominis viæ illius Scripturæ phrasi. Viarum hujusmodi structrix, præparatrix, purgatrixque pœnitentia.

5. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam*. Vestis asperior, villosa, hirsuta, cilicina, Prophetarum propria. Talis Eliæ vestitus. 4. Reg. 1. 7. 8. *Cujus figuræ & habitus est vir ille qui locutus est vobis verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus: & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Tesbites est*. Isa. 20. 2. *Locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, & solve saccum de lumbis tuis*. Zach. 13. 4. *In die illa confundentur Prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio saccino ut mentiantur*. Et S. Paul. Ep. ad Hebr. 11. de Prophetis præcipue loquens, eos nobis describit *in melotis, in pellibus caprinis* incedentes. Vestimentum igitur Jo: Baptistæ contextum

tum erat ex pilis camelorum, instar cilicii, ut qui veniebat in spiritu & virtute Eliæ, etiam habitu exteriori Eliam referret.

6. *Esca autem ejus erat locustæ, & mel sylvestre.* Unus hic Joannis cibus, adeo tenuis, insuetus, & a vulgaribus Judæorum mensis alienus ut de illo dicatur Matth. 11. 18. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens.* Nam & *a vino & sicera* vulgari aliorum potu perpetuo sibi temperavit. Herbarum & foliorum summitates Græca voce ακρίδιον significari voluerunt *S. Isidorus Pelusiota* Lib. 1. Ep. 5. & 132. Pantaleon Diaconus Orat. in sancta Lumina, Euthymius, Theophylactus, Nicephorus Callistus, Lib. 1. Hist Eccl. cap. 14. veras locustas intelligimus cum Clemente Alexand. lib. 2. Pædagogi, c. 1. cum SS. Hilario & Chrysostomo Comment. in Matt. Ambrosio in Lucam, Hieronymo Lib. 2. in Jovinian. & Ep. 23. ad Marcellam, August. Lib. 10. Confess. cap. 31. insecti genus, quod Venerabilis Beda Lib. *De Locis sanctis*, cap. 14. describit, a sancto Episcopo *Arculpho*, qui ad ea loca peregrinatus erat, se accepisse scribens, *Notissimas esse locustas in Palæstina, quæ corpusculis in modum digiti manus exiguis & brevibus, in herbis facile captæ, coctæque oleo, pauperem victum parent.* Euthymius in Matthæum testatur, *Usque in hodiernum diem in illis partibus plerosque illud insecti genus edere fumo siccatum: habere autem gravem odorem, malumque gustum*: Acridophagos populos a locustarum esu sic appellatos, Diodorus Siculus, Agatharcides, Solinus, Plinius, aliique commemorant. Locustarum esum Judæis Lex Mosaica permittit, *Lev.* 11. 21. 22. Itaque quod locustas edebat Joannes, novum non erat, sed hoc in illo singulare fuit, quod iis forte oblatis, nec arte paratis, & melle silvestri vesceretur. „ Fuerant „ *Joanni* prædicanti, & locus opportunior, & vestitus utilior, & cibus aptior: sed subest gestis rebus exemplum, & in eo operatio ipsa meditatio est. Nam & „ ad desertam Judæam venit, desertam Dei frequentatione, non populi; & vacuam sancti Spiritus habitatione, non hominum: Ut prædicationis locus, eorum „ quibus prædicatio erat missa, solitudinem protestaretur. Pœnitentiam quoque Regno cœlorum propinquante pronuntiat, per quam est reditus ab errore, & recursus a crimine, & post vitiorum pudorem professio „ desinendi: Ut deserta Judæa meminisset eum se susceperaturam, in quo cælorum est Regnum; non vacuam „ deinceps futuram, si se a veteribus vitiis pœnitentiæ confessione purgasset. Pilis etiam camelorum vestis ad „ texta, peregrinum Propheticæ istius prædicationis habitum designat: cum exuviis immundarum pecudum, „ quibus pares existimamur, Christi Prædicator induitur, sitque sanctificatum habitu Prophetali, quicquid „ in nobis vel inutile fuerat ante, vel sordidum. Zonę „ autem præcinctio efficax in omne opus bonum est apparatus: Ut ad omne ministerium Christi voluntate simus accincti. In esum etiam eliguntur locustæ fugaces hominum, & ad omnem adventus nostri sensum „ evolantes: Nos scilicet qui ab omni sermone & congressu Prophetarum ipsis quibusdam corporum saltibus „ efferebamur. Voluntate vagi, operibus inutiles, verbis queruli, fide peregrini, nunc sumus sanctorum alimonia & satietas Prophetarum electi simul cum melle silvestri, dulcissimum ex nobis cibum, non ex alvearibus Legis, sed ex truncis silvestrium arborum præbituri. "

Bochartus lib. 4. Hierozoici, c. 7.

S. Hil. c. 2. in Matth.

7. *Tunc exibat ad eum omnis Hierosolyma, & omnis Judæa*, idest, Hierosolymitani cives, & Judææ incolæ ad eum veniebant, *& baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Hanc Joannis lotionem a lustrationibus profanarum gentium ut discerneret Josephus, quæ aqua marina, aut etiam vivo flumine culpas ipsas elui, animosque purgare delictorum conscientia existimabant, ait, illo auctore mentibus primum justæ vitæ proposito purgatis, adhibitam deinde aquam quæ corpora ablueret in typum interioris peccatorum purgationis. Non solum autem peccata sua generatim confitebantur, qui ad baptismum Joannis veniebant, sontes se declarando; sed speciatim graviora, quibus obnoxii erant peccata confitebantur, ut veniam, consilium, ac remedium peterent a Propheta baptizante, ejusque apud Deum precibus juvarentur. Singulorum porro peccatorum confessionem a Judæis usurpari solitam, & adeo necessariam existimatam, ut sine ipsa vera pœnitentia non agatur, nec peccata expungantur, fuse probat *Joannes Morinus* Lib. 11. *De Administr. Sacr. Pœnit.* cap. 20. 21. 22. ex antiquis Judæorum Libris.

Act. 23. 7. 8. Matth. 15. & 23. Joseph. lib. 13. Antiq. c. 9. & 18. & lib. 18. cap. 2. S. Epiph. in Panar.

8. *Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Pharisæi, & Sadducæi, sectæ Judæorum erant. Isti Spiritum aliquem esse negabant, adeoque nec Angelos, nec Animam immortalem, nec præmia & pœnas animarum in altera vita, neque resurrectionem corporum credebant. Illi vero dogmata his erroribus contraria, & Synagogæ fidem tenentes, suo vivendi instituto a ceteris segregati videri volebant, certiorem legalium rituum notitiam, & traditionum suarum observantiam accuratiorem profitebantur, exteriori habitu ad Religionis & pietatis ostentationem composito. Horum nonnulli ad baptismum Joannis venere, pœnitentiam externa professione simulantes; alii contempsere, de quibus Lucæ 7. 29. 30. *Et omnis populus audiens & Publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem & Legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.* Venientibus ergo ad baptismum suum Sadducæis & Pharisæis ait divinus Baptista; *Progenies viperarum*, pessimorum parentum pessimi filii, qui Synagogæ matris viscera discerpitis, qui linguæ venenatæ morsibus Sanctos impetitis, *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Vobis hypocritis, qui neminem vobis præponendum censetis, a quo salutis consilium accipere velitis, mirum est si quis persuaserit ut sincera pœnitentiæ professione Deum placetis iratum, æternaque gehennæ supplicia, vestris criminibus debita fugiatis. Id de vobis non facile crediderim, hypocritæ, sed potius novitatis studio & æmulatione, atque ad famam pietatis captandam, vultis ad Baptismum cum aliis confluere. Sic Pharisæorum & Sadducæorum superbiæ cauterium adhibet Joannes, docens exemplo suo, concionatorem peccatoribus adulari non debere.

9. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Si tamen vere pœnitentiam agere vultis, & non simulare, operibus quæ veræ pœnitentiæ signa & effecta sunt id probate, morum emendatione ac sanctimonia pœnitentiam vestram notam facite. Opera fructus nomine in Scriptura significantur. Idem est ergo hujus sententiæ sensus, qui Paulinæ illius: *Et in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera faciendo.* *Act. 26. 21.*

10. *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Fiduciam dignitatis & justitiæ, tum propriæ, tum alienæ, Judæis eripit sanctus Christi Præcursor. Illam, adhortando ipsos ad pœnitentiam: Istam, ostendendo eos viperarum potius quam Abraham progeniem esse, vel *filios carnis, non promissionis*; quibus proinde nihil prosit Abrahami sanctitas, cum ejus fidem ac pietatem non imitentur. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Id est, vobis omnibus deletis, ex lapidibus istis quos cernitis coram in plateis, vel ad ripam Jordanis, potest Deus qui Adamum ex terra formavit, & ex Abrahami corpore jam effœto Isaacum nasci dedit, eidem Abrahamo suscitare filios, non secundum carnem, sed secundum fidem, qui Abrahæ opera imitati, promissionum illi factarum benedictione fruantur. Figuratum itaque loquendi genus est, quamvis res significata divinæ omnipotentiæ non sit impossibilis, sicut illud Lucæ 19. 40. *Lapides clamabunt.* Id autem præcipue significari docent Patres, posse Deum Abrahæ filios per fidem suscitare ex Gentibus, quæ lapides & simulacra muta colunt, ideoque in Scriptura sacra lapidibus comparantur. *Dignitas igitur originis* (inquit S. Hilarius) *in operum constitit exemplis: & prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur. Uniuscujusque mores atque vita propinquitatem cognitionis acquirit: ut qui fideles sunt, Abrahæ propago per fidem sint; qui autem infideles sunt, in diaboli progeniem infidelitate mutentur: Quando & Pharisæi viperarum natio nuncupantur, & gloriatio sanctificati parentis eis inhibetur, & ex saxis ac rupibus Abrahæ filii excitantur, & ut operantes dignos fructus pœnitentiæ sint, admonentur: Ut qui diabolum patrem habere cœperant, cum eis, qui de lapidibus excitarentur, rursum Abrahæ filii per fidem fiant.* *S. Hilar. in cap. 2. S. Matt.*

11. *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Jam nunc urget extremum salutis discrimen. Antea Deus differebat vindictam ob hominum ignorantiam & infirmitatem: jam vero ubi Evangelica doctrina & gratia affulgere incipit per Christum, nulla excusatio est. Gentem vestram Deus excidit nisi resipiscatis, seu potius Hierosolymam, quæ velut gentis radix est, sive Religio, excedit sive Politica spectetur. Quo spectat & illud Isaiæ 10. 33. 34. *Ecce Dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus ferro: & Libanus cum excelsis cadet.* Nec temporaliter tantum excidetur gens vestra; sed spiritualiter a stirpe & benedictione Abrahæ promissa resecabitur, & loco vestri gentes inferentur: *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Sed & unusquisque vestrum peribit, nisi fructus pœnitentiæ mox egerit. Certa & proxima damnatio vos manet, nisi prompta sit ac sincera conversio. *Omnis* enim *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Duplex impiorum ac reproborum pœna his verbis significatur, scilicet excisio sive separatio a Regno Dei, & damnatio ad ignem æternum. *Matth. 21. 43.*

num. Nihil terribilius hac exhortatione. „ Non enim „ illis falcem volantem dumtaxat, non destructionem se- „ pis, non conculcationem vineæ comminatur, sed se- „ curim imminentem: nihil, inquit, est medium, sed „ ipsi jam radici imminet prorsus abscissio. Neque enim „ aut ramis minatur, aut fructibus, sed ipsi utique ra- „ dici, ostendens illos, si forte neglexerint, immedica- „ biliter esse feriendos, & ne spem quidem curationis „ habituros. Non enim qui advenit servus est, ut prio- *S. Joan. Chrys. Hom. 11. in Matth.* „ res, sed omnium Dominus gravissimam redemptionis „ gratiæque suæ contemptoribus ultionem illaturus. Ve- „ runtamen ne eos in desperationem conjiciat, solatium „ admiscet terrori. Securis, inquit, jam radici admota „ est: si tamen velitis converti, & esse meliores, illius „ ictum, & excidium evadetis." *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur.* Et quomodo, inquit, fructum facere possumus, ictu securis imminente, & brevitate temporis coarctante? Potestis plane. Non enim talis iste fructus est, qualis est arborum materialium, longo tempore indigens, sed, *Velle sufficit, statimque arbor germinat. Neque enim tantummodo radicis natura, verum etiam ars agricolæ arborem istam colentis plurimum ad ferendum fructum opitulatur.* Afferendi porro fructus facilitatem ostendit, cum subjungit: *Ego vos baptizo in aqua. Qui autem post me venit, fortior me est . . . Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Demonstrat profecto quod sola voluntate & fide sit opus, & tam facile sit mutari sierique meliorem, quam facile est baptizari.

12. *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam.* Exterius dumtaxat vos abluo, ad professionem, quam facitis pœnitentiæ. *Qui autem post me venturus est.* Qui paulo post me suum auspicabitur Ministerium, *fortior me est*, longe potentior, majorisque virtutis. *Cujus non sum dignus calceamenta portare.* Proverbialis locutio est, qua vilissimi exhibitio ministerii significatur. *Ipse vos baptizabit in Spir. S. & igni.* Donis Spiritus sancti interius vos mundabit a peccatis, & efficacissima gratiæ suæ vi, per ignem designata, purgatos, ad bona agenda divino quodam impetu incitabit. Act. 1. 5. *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spir. S. non post multos hos dies.* Jo: 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* *S. Joan. Chrysost. Hom. 21. in Matth.* „ Vides quam sit admirabilis Bapti- „ stæ sapientia. Quando enim ipse prædicat, affert om- „ nia plena terroris; cum vero auditores ad Christum „ remittit, jucunda nunciat ac prospera, & quæ faci- „ le possint recreare metuentes. Non enim comminatur „ securim, non excidendam & comburendam proponit „ amplius arborem, non iram venturam intentat; sed „ indulgentiam nunciat peccatorum, abolitionem pœ- „ narum, justificationem, sanctificationem, liberationem, „ filiorum adoptionem, fraternitatem, cohæreditatem, „ communionemque Christi, & Sancti Spir. dona largis- „ sima. Hæc etenim universa pariter complexus est dicendo: *Ipse vos baptizabit in Sp. S.* Jam vero commemoratione ignis adjuncta *Ipsius gratiæ vehementiam expressit.* Unde & linguæ super Apostolos missæ cum sono & impetu vehementi, speciem ignis prætulerunt, *Act. 2. 2. 3.* Huc refertur Isaiæ Vaticinium cap. 4. 4. 5. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in Spiritu judicii, & Spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.* Ex his porro S. Præcursoris verbis perspicuum est, Baptismum Joannis eandem vim cum Christi Baptismo non habere, quamvis S. Lucas illum vocet *Baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* *Idem Hom. 10.* Ut enim scite observat *S. Joan. Chrysost.* „ Remissionem hoc Baptisma non habebat, sed hoc munus „ illius Baptismatis erat, quod postea Christus instituit. „ In hoc enim una sepulti sumus, & vetus homo no- „ ster tunc simul crucifixus est, & ante crucem nusquam „ prorsus extitit remissio peccatorum. Siquidem ipsius „ ubique sanguini hoc deputatur. Idem enim istud Pau- „ lus affirmans. *Sed emundati* (inquit) *estis, sed san- „ ctificati estis*, non per Baptisma Joannis, sed *in nomine „ Domini nostri Jesu Christi, & Spiritu Dei nostri.* Et „ alibi ipse dicit: *Joannes quidem prædicavit Baptismum* *Act. 1. Luc. 3.* „ *pœnitentiæ:* Et non ait, remissionis, Sed *ut crederent „ in advenientem post eum.* Cum enim nondum pro pec- „ catis Mundi Hostia fuisset oblata, cum necdum Spiri- „ tus sanctus descendisset, nec inter Dominum, atque „ homines inimicitia sublata, nec maledictio expuncta; „ quomodo remissio peccatorum facta dicitur? Quid igi- „ tur ait, in remissionem peccatorum? Erant Judæi om- „ nino perversæ mentis, nec peccatorum suorum morde- „ bantur reatu: sed cum maximis sceleribus tenerentur „ obnoxii, audebant tamen sibi arrogare justitiam. Quam- „ obrem Joannes illos ad peccatorum suorum cognitio- „ nem trahit, suadens eis refugium pœnitentiæ, ut hu- „ miliores pœnitendo facti, & peccatorum suorum cau- „ sa sese condemnantes, ad dona remissionis accurrant. „ Nisi enim seipsos ante damnassent, gratiam non requi- „ sivissent. Non quærentes vero gratiam, remissionem „ assecuti non fuissent. Ita istud Baptisma alterius, id „ est Christi Baptismatis præparatio est; & idcirco di- „ cebat, ut crederent in advenientem post eum." Succinit Chrysost. *S. Leo* Epist. 16. alias 4. c. 6. *Sicut*, inquit, *Vetus Testamentum novi testificatio fuit, sicut diversa sacrificia unam Historiam præformarunt, & multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de qua dicitur*, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: *Sic & Joannes, non Christus, sed Christi prævius; non Sponsus, sed Sponsi amicus, fuit adeo fidelis, & non sua quærens, sed quæ Jesu Christi, ut se profiteretur ad solvenda calceamenta pedum ejus indignum, quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus esset in Spirit. S. & igni: qui duplici potestate & vitam redderet, & peccata consumeret.*

13. *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ventilabrum, seu vannus, instrumentum est, quo frumenta ventilantur, & a pulvere paleisque purgantur. Judiciariam Christi potestatem hic significat, qua bonos a malis in extremo Judicii die separabit. Area est Ecclesia visibilis; triticum, Electi virtutibus fœti, solidi pietate, constantia ac perseverantia graves: palea, Reprobi, qui numero, non merito, sunt Ecclesiæ membra, specie quidem religionis nitidi, ceterum intus inanes, & steriles virtutibus, carentes medulla justitiæ. Christus ergo qui fideles electosque suos per fidem & crucem quasi per ventilabrum purgare incipit, & ab infidelibus secernere, illos plane purgatos a reprobis separabit in decretorio illo judicii die; & quidem velut triticum electum in horreum suum, id est, in Regnum cœlorum congregabit; reprobos vero velut paleas inutiles comburet igne, qui extingui numquam potest, cum non modo sit æternus, sed & *Combustio æterna.* In Inferis enim *Sapiens ignis membra urit & reficit, carpit & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt: sicut ignes Ætnæ & Vesuvii & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed in exesa corporum laceratione nutritur.* *Minucius Felix in Octavio.* Hunc locum *S. Hilar.* breviter explicat & dilucide. *Ventilabri opus est*, inquit, *ab infructuosis fructuosa discernere. Quod in manu Domini sit, arbitrium indicat potestatis, triticum suum, perfectos scilicet credentium fructus, horreis recondentis, paleas vero, idest, inutilium atque infructuosorum hominum inanitatem, igne judicii concremantis.* *S. Hilar. c. 2. Com. in Matth.* S. Hilario concinit in hujus interpretatione sententiæ S. Ambrosius. *S. Ambr. lib. 2. in Luc. n. 82.*

14. *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Non ex necessitate venit ad Baptismum Christus, sed ut Joannis Baptismo testimonium atque auctoritatem daret, ut Baptismum nobis sanctificaret, nosque ad Baptismum suum suscipiendum alliceret, cum ipse non sit dedignatus Baptismum servi suscipere; ut denique confluentibus ad Joannem populis, testimonium Christo de cœlo præberetur. *Joannes autem prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ego a te debeo baptizari in Spiritu sancto, & tu Dominus ad servum, Agnus sine macula ad peccatorem venis? *Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam*, sic fieri volo. Quamvis enim id necessarium mihi non sit, convenit tamen ministerio meo & sanctitati atque perfectioni, cujus regulam & exemplum daturus in Mundum veni, ut id omne quod virtuti consentaneum, Deo gratum, hominibus ad pietatem erudiendis, & incitandis utile est, exequar. *Omnem justitiam*, id est, perfectam justitiam. Sic Apostolus *omnem fidem* vocat fidem integerrimam, plenissimam, & perfectissimam. Sic S. Jacobus gaudium perfectum vocat *omne gaudium.* Quæ est justitia, inquit S. Ambrosius, nisi ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo? „ Quæ est justitia, nisi ut qui carnem suscepit, non „ quasi Deus sensum aut ministerium carnis excluderet: „ sed quasi homo carnem vinceret; ut vincere me do- „ ceret? Docuit enim me qua ratione possim terrenis „ concretam vitiis obnoxiæ carnis illuviem sepelire cri- „ minibus, renovare virtutibus. O vere divinam in ipsa „ humilitate Domini prospicientiam! Quantum enim ab- *S. Ambr.* „ jectior humilitas, tanto divinior providentia. Injuria- *ibid. n. 90.* „ rum suarum acerbitate Deus proditur: & remediorum *& 91.* „ suorum usu, qui nullis remediis indigeret, Deus pro- „ batur. Quid enim tam divinum ad populos provocan- „ dos, quam ut nemo refugiat Lavacrum gratiæ, quan- „ do Christus Lavacrum pœnitentiæ non refugit? Ne- „ mo se dicat exortem esse peccati, quando Christus „ venit ad remedium peccatorum. Si pro nobis Chri- „ stus lavit, immo nos in corpore suo lavit, quanto ma- „ gis nos nostra delicta lavare debemus? Quo igitur ma- „ gis opere, quo magis mysterio Deus (quamquam Deus „ in omnibus) quam hoc probatur, quando per totum

„ Mun-

„ Mundum, uno momento in uno corpore Deus frau-
„ dem vetusti erroris abolevit, gratiam Regni cœlestis
„ effudit? Unus enim mersit, sed elevavit omnes: Unus
„ descendit, ut ascenderemus omnes: Unus omnium pec-
„ cata suscepit, ut in illo omnium peccata morerentur. " *Purificate igitur vos*, ut Apostolus dicit; *quia purificavit se ille pro nobis, qui purificatione non eguit.* — *Jacob. 4. 8.*

Eumdem locum *S. Hilarius* nitide & eleganter explicat. „ Ipse quidem (*inquit*) lavacri egens non erat, quia
„ de eo dictum est, *Peccatum non fecit*; & ubi peccatum
„ non est, remissio quoque ejus est otiosa. Sed assumptum
„ ab eo creationis nostræ fuerat & corpus & nomen: at-
„ que ita non ille necessitatem habuit abluendi, sed per
„ illum in aquis ablutionis nostræ erat sanctificanda
„ purgatio. Denique & a Joanne baptizari prohibetur,
„ ut Deus: & ita in se fieri oportere, ut homo edocet.
„ Erat enim per eum omnis implenda justitia, per quem
„ solum lex poterat impleri. Atque ita & Prophetæ te-
„ stimonio lavacro non eget, & exempli sui auctoritate
„ humanæ salutis sacramenta consummat, hominem &
„ assumptione sanctificans, & lavacro. " — *1. Petr. 2. 22. S. Hilar. c. 2. Comm. in Matth.*

15. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua*. Descenderat enim in aquam, *Ut totum veterem Adam in aquis sepeliret*, (inquit S. Gregorius Nazianzenus) utque sacri corporis ejus contactu aquæ sanctificatæ, *Vim sanctificandi combiberent*, ut loquitur Tertullianus. *Et ecce aperti sunt ei cœli*: scilicet Christo, id est, propter ipsum aperti, seu vere & re ipsa, ut S. Chrysostomus, seu specie sola & visu, ut S. Hieronymus censet. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*. „ Non sic est assumpta
„ creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut as-
„ sumpta est caro illa & humana forma ex Virgine Ma-
„ ria. Neque enim columbam beatificavit Spiritus san-
„ ctus, sibique & personæ suæ in unitatem habitumque
„ conjunxit in æternum. Sed apparuit columba, sicut
„ opportune apparere debuit, creatura serviente Crea-
„ tori, & ad nutum ejus incommutabiliter in se ipso
„ permanentis, ad eum significandum & demonstrandum,
„ sicut significari & demonstrari mortalibus oportebat,
„ mutata atque conversa. Proinde quamquam illa colum-
„ ba Spiritus dicta sit, ut ostenderetur Spiritum sanctum
„ demonstratum per columbam, sicut per linguas igneas
„ est demonstratus, quando super Apostolos die Pente-
„ costes descendit: non tamen ita possumus dicere,
„ Spiritum sanctum & Deum & columbam, aut & De-
„ um & ignem, sicut dicimus Filium & Deum & ho-
„ minem: nec sicut dicimus Filium Agnum Dei, non
„ solum Joanne Baptista dicente, *Ecce agnus Dei*; sed
„ etiam Joanne Evangelista vidente Agnum occisum in
„ Apocalypsi. Illa quippe visio prophetica non est exhi-
„ bita oculis corporeis per formas corporeas, sed in spi-
„ ritu per spirituales imagines corporum. Columbam
„ vero illam & ignem oculis viderunt, quicumque vide-
„ runt. Nec sicut dicimus Filium petram (scriptum est
„ enim, *Petra autem erat Christus*,) ita possumus di-
„ cere Spiritum columbam vel ignem. Illa enim petra
„ jam erat in creatura, & per actionis modum nuncu-
„ pata est nomine Christi quem significabat. Sed illa
„ columba & ignis ad significandum Spiritum sanctum
„ repente extiterunt. Sic explicat *S. Augustinus*. Vera
„ igitur columba fuit, non mera columbæ species. Ne-
„ que hoc ita dicimus (inquit alibi idem sanctus Do-
„ ctor) ut Dominum Jesum Christum dicamus solum
„ verum corpus habuisse, Spiritum sanctum autem fal-
„ laciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa cor-
„ pora, vera corpora credimus. Sicut enim non oporte-
„ bat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat
„ ut homines falleret Spiritus sanctus; sed omnipotenti
„ Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit,
„ non erat difficile verum corpus columbæ sine aliarum
„ columbarum ministerio figurare, sicut & non fuit dif-
„ ficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine
„ fabricare: cum natura corporea & in visceribus semi-
„ ne ad formandum hominem, & ipso mundo ad forman-
„ dam columbam imperio Domini voluntatique serviret. "
— *S. Aug. lib. 2. de Trin. c. 6.* — *S. Aug. lib. de Agone Christ. cap. 22.*

Spiritum sanctum in specie columbæ super Christum baptizatum apparuisse quadruplici de causa, observat *S. Thomas*. Primo ad significandam dispositionem quæ requiritur in baptizandis, ut scilicet absque fictione ad baptismum accedant, quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*: columba autem est animal simplex, astutia & dolo carens: Unde *Matth.* 10. dicitur, *Estote simplices sicut columbæ*. Secundo ad designandum septem dona Spiritus sancti, quæ columbæ proprietatibus significantur: 1. Columba enim secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre, mergat se, & evadat: quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam Sancti secus Scripturæ divinæ fluenta resident, ut incursum diaboli evadant. 2. Columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiæ; quia Sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. 3. Columba alienos pullos nutrit; quod pertinet ad donum consilii, quo Sancti homines qui fuerunt pulli, id est, imitatores diaboli, doctrina nutriuntur & exemplo. 4. Columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas sententias lacerando non pervertunt, Hæreticorum more. 5. Columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationali carent. 6. Columba in cavernis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest, refugium suum & spem. 7. Columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis. Tertio, apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ, ad effectum proprium baptismi significandum, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo. Columba enim est animal mansuetum. „ Unde cum universum
„ aliquando orbem naufragium commune mersisset, &
„ omne prorsus hominum genus periclitaretur, columba
„ apparuit, finemque illius tempestatis ostendit, atque
„ ore ramum portans olivæ pacem mundo redditam nun-
„ ciavit. Quæ omnia erant futurorum figura. Tunc
„ enim multo erat hominum vita deterior, multoque
„ majori digna supplicio. Ne igitur ipse desperes, illi-
„ us te historiæ recordatione confirmat. Nam tum quo-
„ que desperatis jam omnino rebus, liberatio facta est
„ atque correctio; sed tunc utique per pœnam, modo
„ vero per gratiam, atque ineffabilem indulgentiam Re-
„ demptoris. Propterea & columba cernitur, nequaquam
„ olivæ ramum ferens, sed omnium malorum Liberato-
„ rem nobis evidenter ostendens, spemque suggerens pro-
„ sperorum. Non enim ex arca unum educit hominem:
„ sed postquam apparuit, universum prorsus orbem attol-
„ lit in cœlum, quæ certe pro oleæ ramo, omni gene-
„ ri hominum adoptionem detulit filiorum. " Hæc *S. Jo: Chrysost.* Quarto apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum, ad designandum communem effectum baptismi, qui est conjunctio Ecclesiasticæ unitatis. Unde dicitur ad Ephes. 5. quod *Christus tradidit semetipsum, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et ideo convenienter Spiritus S. demonstratus est in specie columbæ, quæ est animal amicitiæ societatisque capax. Unde *Cantic.* 5. dicitur de Ecclesia, *Una est columba mea*. Hinc *S. Cyprianus* ait: In domo Dei, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes & simplices perseverant. „ Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus. Simplex
„ animal & lætum est; non felle amarum; non morsi-
„ bus sævum; non unguium laceratione violentum; hospi-
„ tia humana diligere; unius domus consortium nosse;
„ cum generant simul filios edere; cum commeant vo-
„ latilibus invicem cohærere; communi conversatione vi-
„ tam suam degere; oris osculo concordiam pacis agno-
„ scere; legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc
„ est in Ecclesia noscenda simplicitas: hæc charitas obti-
„ nenda: ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut
„ mansuetudo & lenitas agnis & ovibus coæquetur. " *Et S. Ambrosius*: „ Advertamus mysterium: quare sicut
„ columba? Simplicitatem enim lavacri requirit gratia;
„ ut simus simplices sicut columbæ. Pacem lavacri re-
„ quirit gratia, quam in typo veteri columba quondam
„ ad illam arcam, quæ sola fuit diluvii immunis, ad-
„ vexit. Docuit me, cujus typus columba illa fuerit,
„ qui nunc descendere dignatus est in specie columbæ.
„ Docuit in illo ramo, in illa arca typum fuisse pacis
„ Ecclesiæ, quod inter ipsa Mundi diluvia Spiritus san-
„ ctus ad Ecclesiam suam pacem afferat fructuosam. Do-
„ cuit etiam David; qui Prophetico spiritu cernens Ba-
„ ptismatis Sacramentum, ait: *Quis dabit mihi pennas*
„ *sicut columbæ?* " — *S. Joann. Chrysost. hom. 12. in Matth.* — *S. Cyprianus lib. de Unitate Eccles. æ.* — *S. Ambros. lib. 2. in Lucam, n. 92.* — *Psalm. 54.*

Hic Baptismum suum Christus consecrat, ejusque discrimen a Joannis Baptismate ostendit, ut docet S. Joannes Chrysost. „ Quod in Paschæ mutatione factum
„ (*inquit*) idipsum efficitur in novatione Baptismatis.
„ Nam & Pascha cum utrumque Dominus celebraverit,
„ (*vetus scilicet ac novum*) illi quidem terminum po-
„ suit, huic vero principium. Hic vero Judaicum post-
„ quam implevit Baptisma, continuo etiam januas illi,
„ quo Ecclesia utitur, referavit. Sicut ergo in una tunc
„ mensa, ita in uno nunc flumine & approbavit um-
„ bram, & addidit veritatem. Sancti enim Spiritus gra-
„ tia in Christi Baptismate est: Joannis vero Baptisma
„ hac donatione privatur. Propterea cum alii baptizaren-
„ tur, nihil tale factum est: in isto vero solo impletur,
„ ut discas quod non erat meritum baptizantis, sed bapti-
„ zati virtus operata est. Tunc enim & cœli aperti sunt,
„ & Spiritus sanctus supervenit. A veteri quippe nos in no-
„ vum transferens Testamentum, & portas nobis supernas
„ reclusit, & sanctum inde Spiritum misit, qui ad illam
„ nos patriam cum dignitate maxima revocaret. Non
„ enim Angelos nos, neque Archangelos faciens, sed
„ Dei filios atque dilectos, ad gloriam ducit æternam.
— *S. Jo. Chrys. hom. 12. in Matt.*

16. *Et ecce vox de cœlis*, ab æterno Patre formata, qua Christi missionem veluti obsignaret. Cum enim columba muta esset, ambiguæque significationis, vox con-

congrue addita est ad Christi divinitatem declarandam; simul & ad Sanctæ Trinitatis mysterium revelandum, Patre loquente, Filio testimonium recipiente, Spiritu sancto sub columbæ visibili symbolo descendente. *Dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* SS. Marcus & Lucas dicunt, *Tu es Filius meus*: quæ contraria non sunt, quia credendum est alios Evangelistas ipsa verba, alios sensum retulisse. *Hic est Filius meus*, non adoptivus, sed proprius; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea substantia mihil natus æqualis. Hic est Filius meus, quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus, qui illam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem deitatem. Hic est Filius meus, qui mihi solus & singulariter placet, in quo nihil mihi displicet; per quem placuerunt, placent, ac placebunt, quicumque homines mihi grati acceptique fuerint. Hic est per quem placatus & reconciliatus sum mundo: de quo per prophetam dixi: *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in eo anima mea: Dedi Spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet.* Legit S. Hilar. Christo post baptismum dictum esse a Patre, *Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Eamdemque lectionem exhibet S. Just. Martyr in Dialogo cum Tryphone p. 331. *Postquam* (inquit) *Christus ex amne Jordane ascendit, voce de eo edita, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. Sed & alii Patres, & S. ipse Hilarius Lib. 6. *De Trinitate*, num. 23. & in Psal. 138. nostris Exemplaribus consentientibus legunt, *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui.* Ordo mysterii cœlestis in Christi Baptismo exprimitur. Nam baptizato eo reseratis cœlorum aditibus, Sp. Sanctus emittitur, & specie columbæ visibilis agnoscitur, & istiusmodi paternæ pietatis unctione perfunditur. Vox deinde de cœlis ita loquitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* . . . . Quæ verba S. *Hil.* sic enarrat: „ Filius Dei auditu conspectuque „ monstratur, plebique infidæ & Prophetis inobedienti „ testimonium de Domino suo mittitur & contemplationis & vocis: ac simul ut ex eis quæ consummabantur „ in Christo cognosceremus, post aquæ lavacrum, & de „ cœlestibus portis sanctum in nos Spiritum involare, „ & cœlestis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ „ vocis adoptione Dei filios fieri: cum ita dispositi in „ nos Sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus Veritas præfiguraverit. "

Is. 42. *Matt.* 11. *S. Hil. l.* 8. *de Trin. N.* 25. *Tract. in Ps.* 21. *n.* 29. *& c.* 2. *in Matth.* *S. Hil. c.* 2. *in Matth.*

SENSUS MORALIS.

1. PRædicatorem Evangelicum oportet exemplo magis prædicare quam verbo, amare secessum & solitudinem, ut contra sæculi corruptionem & vitia in magnis civitatibus dominantia utiliter concionetur, modestiam & paupertatem in habitu, parsimoniam & frugalitatem in victu servare, ut contra luxum, & lautiores epulas fructuose declamet: ut pœnitentiæ discipulum prius fieri, quam doctorem, a rerum terrenarum amore purgatum & segregatum cœlestibus inhærere, antequam Regni Cœlorum prædicationem aggrediatur: ut vere de eo dici possit: *Et si eloquium quiescat, elinguis Philosophia vita contenta est, ipse habitus sonat. Sic auditur Philosophus dum videtur. De occursu meo vitia juffundo.* Sic *Jesus cœpit facere & docere.* Sic *Qui fecerit & docuerit, major est in Regno cœlorum.* Sic Jo. Baptista non minus operibus & vita, quam verbis *Vox clamantis in deserto.* „ Mirabile erat humano in corpore tantam „ austeritatem intueri. Mirabilior Elia Joannes: siquidem ille in urbibus ac domibus pascebatur, hic vero „ ab ipsis incunabulis in eremo semper habitavit. Oportebat enim Præcursorem illius qui omnia vetera dissoluturus erat, id est, maledictionem, mœrorem, dolorem, laborem atque sudorem, superiorem illa condemnatione esse. Itaque non aratro curvus incubuit, „ non in sulcos campum scidit, non in sudore faciei „ suæ panem comedit, sed erat illi imparata mensa & „ tali mensa facilior amictus; & habitatio facilior amictu. Neque enim vel tecto indiguit ille vel lecto, non „ mensam vel aliqua hujusmodi requisivit, sed Angelica „ quadam vita mortali in carne resplenduit. Propterea „ etiam vestimentum de pilis camelorum habuit, " *Ut habitu quoque ipso Mundi contemptum doceret: suadens ceteris nihil cum terra habere commune, sed ad priorem nobilitatem reverti quam habuerat Adam prius quam de victu vestituque curaret. Ita ille tunc habitus pœnitentiæ pariter & Regni indicia præferebat . . . . Eremum ita ille habitavit ut cœlum; & quasi Angelus aliquis e cœlo, ita in Civitates a solitudinis vastitate descendit.* „ Si vero ille in omni vitæ ratione mundissimus, cœlo„ que ipso clarior, & Prophetis celsior, quo nullus homi„ num major fuit, ad omnem tamen patientiam dura„ bat laborum, delicias despiciens, & ad omnem se „ vitæ rigorem coarctans: quam nos satisfactionem af„ ferre poterimus qui post tot Christi beneficia, post„ que mille nostrorum onera peccatorum, ne minimam „ quidem partem illius pœnitentiæ imitamur? . . . Jam „ judicium prope est in januis: quod etsi adhuc esset „ procul, non tamen securos non esse oporteret, cum „ generalem illum Mundi finem uniuscujusque nostrum „ vitæ finis imitetur. " *Nox præcessit, dies autem appropinquavit . . . . Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit.* Agamus pœnitentiam, quæ vera est ad Regnum Dei præparatio. Regnum amoris est; pœnitentia sit ab amore Dei formata.

Tertul. l. de Pallio. *S. Jo: Chrys. h.* 10. *in Mat.* *Rom.* 13. *Hebr.* 10

2. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Non promissa inania, non sterilia desideria, non fructu vacuum propositum pœnitentiæ probat Deus: sed opera quærit peccatorum gravitati respondentia. Inanis est porro omnis fructus, qui de radice charitatis non surgit. Fructus amoris proprii, cupiditatis, timoris servilis, justitiam Dei placare non potest. Pœnitentiæ opera illi placere non possunt, nisi pœnitentiæ spiritu animata, id est ex vera cordis conversione, sincero ob Deum offensum dolore, amore pœnitente profecta. Signum veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. „ Tunc namque bene conversum pecca„ torem cernimus, cum digna afflictionis austeritate de„ lere nititur, quod loquendo confitetur. In fructu er„ go, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda „ est: Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessio„ nis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo „ nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expe„ tenda sunt; quia idcirco omnis confessio peccatorum „ recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde „ & Dominus arborem foliis decoram fructu sterilem „ maledixit: quia Confessionis ornatum non recipit sine „ fructu afflictionis. "

S. Greg. M. seu potius alius Auctor Comm. in L. 1. *Reg. l.* 6. *c.* 15. *v.* 30.

„ *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Quo autem „ modo fructificare poterimus? Si utique peccatis ad„ versa faciamus. Aliena rapuisti? incipe jam donare „ propria. Longo es tempore fornicatus? a legitimo „ quoque usu tempera conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam, vel sermone feciſti? Refer benedictionis verba conviciis; & percutientes te „ nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. „ *Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo „ spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.* Deliciis ante & temulentia diffluebas? „ Jejunio & aquæ potu utrumque compensa, ut famem „ superes imminentem. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? Feminam jam omnino non videas, majore tactus cautione post vulnera. *Declina a malo & fac bonum. Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Doce me, Domine, etiam „ bonum facere qui malum vitare docuisti. *Inquire pacem, & persequere eam.* Non tantum hanc dico pacem, quæ cum hominibus, verum etiam quæ cum „ Deo est copulanda. Et bene ait, *persequere.* Est enim „ undique & prorsus exposa, & terram delinquens in „ cœlum profecta. Sed tamen possumus eam rursus re„ vocare, si iracundiam, superbiam atque jactantiam, „ omniaque abjicientes impedimenta pacis modestam vitam puramque sectemur. " Hæc *S. Jo: Chrysost.*

S. Jo. Chr. hom. 10. *in Matth.* *Psal.* 36. 27.

3. *Ne velitis dicere inter vos, Patrem habemus Abraham &c.* Filii Dei per Baptismum & fidem sumus, sed nihil nobis ea dignitas proderit, nisi vitam Christiana fide, & Baptismi sanctitate dignam ducamus, nisi sanctis operibus nos non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natos esse comprobemus. *Potens est Deus ex lapidibus suscitare sibi filios*, auferre potest a peccatoribus obduratis cor lapideum, & dare cor carneum unde adoretur & diligatur. Sic Gentes Idolorum cultui addictas, & quæ sine Deo erant in hoc mundo, ad sui cognitionem & amorem vocavit, de lapidibus suscitans filios Abrahæ. Lapides dicti sunt Gentiles, non propter firmitatem, sicut lapis is dictus est quem reprobaverunt ædificantes: sed propter soliditatem & duritiam stultitiæ, quia eis quos adorabant similes facti erant: adorabant enim insensata simulacra, pariter insensati. Unde insensati? Quoniam in Psalm. dicitur, *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Ideo cum cœperint homines Deum adorare, quid audiunt? *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, &c.* Quapropter si ei fit homo similis quem adorat; quid est, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ?* Nos ipsos interrogemus, & videmus quia factum est. *Nos enim de gentibus venimus: De gentibus autem non venerimus, nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abrahæ. Facti sumus filii Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæredati; sic nos imitando adoptati.* Propter tantum beneficium immortales Deo gratias agamus, sed consideremus diligenter utrum gratiam divinæ illius adoptionis, quam accepimus in Baptis-

Psal. 113. *S. Aug. Tract.* 9. *in Joan.*

Baptismo, conservaverimus, vitam agentes filiis Dei adoptivis dignam. Si a divina illa adoptione per peccata exciderimus faciamus fructus dignos pœnitentiæ. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Cum dicit, *omnis*, universum honorem carnalis nobilitatis excludit. „ Etiamsi ipsius, inquit, Abrahæ fueris nepos, & mille a quibus ducis genus, Patriarchas enumeres, duplicem pœnam subibis, si bonorum fructuum inanis exstiteris. Non sufficit mala vitare: & bona agere necesse est." Arbor bona fructus bonos facit. Arbor bona, voluntas bona. Non sufficit porro bona facere, sed & bene facere præcium est ad vitam æternam consequendam. „ Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur .... Fieri porro non potest ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus alii magis mali.." Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit; si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: „ Et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit; & per hoc disce eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. *Tandem* Quicquid homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet... Pietas *autem* Dei cultus est, nec colitur ille nisi amando... Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit.

S. Joan. Chrys. Hom. 11. in Matth. *S. Aug. Lib. 4. cont. Jul. Pelag. cap. 3.* *S. Aug. Lib. de Fide & Oper. cap. 7.* *Idem Epist. 29.* *Idem lib. 4. cont. Jul. cap. 3.*

4. *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* „ Quod in hac vita & in hora mortis quisque fuerit, & erit in supremo judicii die, triticum vel palea. Nemo igitur sit palea, nemo fide fluctuans, nemo cogitationibus pravis obnoxius, & ubilibet ab illis jactandus. Si enim in frumenti soliditate permanseris, etiamsi tribulatio irruat, nihil dabit incommodi. Siquidem in area jacens frumentum, rapide etiam curruum rotæ non comminuunt prorsus, Si vero in infirmitatem decideris palearum, & hic intoleranda patieris, a cunctis omnino concisus, & ibi immortale supplicium sustinebis. Siquidem omnes hujusmodi, etiam ante illius fornacis incendium, pabulum hic efficiuntur irrationalium passionum, sicut & paleæ ab irrationalibus vorantur animalibus: & ibi rursus esca erunt ignium atque materia... Maximo igitur virtutis studio ferveamus, dum adhuc in area sumus. Licet enim quamdiu hic degimus, de palea in frumentum mutari, sicut contra multi ex tritico in paleam degenerarunt. Nequaquam ergo jaceamus, neque ad omnem ventum huc illucque rapiamur: neque scindamur a fratribus nostris, etiamsi exigui nobis videantur & viles. Nam & frumentum paleis mensura quidem minus est, sed natura pretiosius. Ne igitur prætervolantes sæculi hujus umbras atque imagines concupiscas, quæ utique ignibus præparantur, sed amplectere humilitatem Deo placitam, firmam scilicet ac dissolvi omnino nesciam, quam nullus gladius incidere, nullus queat ignis exurere. Propterea enim & paleas patienter expetat, ut fiant ex illarum conjunctione meliores. Propterea nondum judicii examen agitatur, ut omnes pariter coronemur, ut multi ad virtutem, a vitiis transeant. Hæc *S. Jo. Chrys.* Inter malos vivere necesse est, ab ipsis omnino separari non possumus, quamdiu in area, idest, in Mundo, & in Ecclesia sumus; sed tamen ab eorum iniquitate recedere debemus, morumque sanctorum puritate & firmitate ab illis separari. *Firmum fundamentum Dei stat* (inquit Apostolus) *habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus: & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini:* Modo ab iniquitate recedat. Ab iniquis enim non potest recedere, quia mixta est palea tritico usque dum ventiletur. Quid dicimus Fratres? *Et in ipsa area, mira res est de tritico. Recedit a palea, cum expoliatur: & non recedit ab area, cum trituratur. Quando autem omnino separabitur? Cum venerit ventilator. Ergo modo area in orbe terrarum est: Necesse est, ut, si proficis, inter iniquos vivas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede. Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Et erit in orbe terrarum qui non commovebitur...* O Mons Sion, o filiæ Judæ, laboratis modo inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis; sed exultate propter judicia Dei. Non errat Deus in judicando. *Discretæ vivite etsi concretæ natæ estis, non frustra vox exiit de ore & de corde vestro.* Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. *Ille ventilabit tantus Artifex, in manu ventilabrum portabit, ut unum granum tritici non cadat in acervum paleæ comburendum, nec una arista paleæ transeat ad massam in horreo recondendam. Exultate filiæ Judæ propter judicia Dei non errantis; & nolite modo temere judicare. Ad vos pertineat colligere, ad illum pertineat separare.*

Idem Enarr. in Psalm. 47. *Psalm. 25*

5. *Venit Jesus in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, &c. Et dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Christus peccata nostra portans, in peccatorum turba venit ad Baptismum Joannis, & *pœnitentiam in semeptiso dedicavit.* Quam ergo pudendum, ut nos qui *peccatores omnium notarum* sumus, in superbiam efferamur, & impœnitentes maneamus? Justitia Christiana tota pene in humilitate & pœnitentia posita est, quæ bonorum operum genus omne in animi saltem præparatione complectuntur. „ Et autem justitia quædam stricta & angusta valde, ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas; nec præponere se æquali nec æquare Præposito. Hujus definitio est, reddere unicuique quod suum est. Altera „ latior & amplior justitia, nec æquare se pari, nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare Prælato: Ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali aut æqualem inferiori. Maxima & plena justitia est se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est Superiori se præponere; ita inferiori se supponere summa & plena justitia est. Quod Jo: ait, *Ego a te debeo baptizari*, de prima fuit, quia Superiori se subdit: quod autem Christus fecit, de plena justitia fecit, siquidem ille servuli sui manibus se inclinavit. Videat nunc quisque quem imitetur, hunc, an eum, quia extollitur super omne quod creditur Deus, aut colitur." Studeamus & nos adimplere omnem justitiam, idest omnia divinæ legis mandata, quemadmodum in Baptismo promisimus. Ne cœlum nobis claudamus peccatis nostris, quod nobis in Baptismo per aspersionem Sanguinis Jesu Christi apertum est. Ne Spiritui sancto contumeliam faciamus, quem Christus per Baptismum effudit in nos abunde. Non secundum carnem & sanguinem vivamus, non secundum mores legesque Mundi, sed secundum legem Spiritus: *Qui enim Spiritu Dei aguntur*, (inquit Apostolus) *hi sunt Filii Dei. Si autem filii, & hæredes*, „ Permaneamus igitur custodientes eam, quam in Baptismo suscepimus, dignitatem, & futura quotidie Regna quæramus, omniaque præsentia umbras esse prorsus ac somnia judicemus. Neque enim si Rex terrenus aliquis assumens te pauperem ac mendicum, repente sibi adoptaret in filium, tu jam ad tugurii tui respiceres vilitatem: Ita nunc igitur nihil præsentium putes esse pretiosum. Longe quippe majora sunt ad quæ vocatus es capessenda. Qui enim vocat, Dominus Angelorum est: ea vero quæ conferentur bona, & explicationem sermonis, & cogitationem mentis excedunt. Non enim te a terra transfert in terram; ut terrenus iste Rex: sed a terra extollit in cœlum, & a mortali ad immortalem naturam, atque ineffabilem gloriam; quæ tunc solummodo bene cernenda a nobis erit, quando etiam possidenda. Tantorum igitur particeps futurus bonorum, noli auri argentique curis onerare mentem ceterisque hujusmodi umbris atque imaginibus illudere. An forte non putas omnia ista quæ cernimus comparatione cœlestis Regni mendicorum panniculis esse viliora. Et quemadmodum illo eris honore dignus, quamve satisfactionem parabis, imo quæ non supplicia persolves, post tam grande donum ad vomitum priorem transcurrens? Non jam enim quasi homo simpliciter, sed ut Dei Filius peccans severius puniaris; & ipsa excellentia dignitatis, majoris tibi fiet causa supplicii. Nam nos quoque haud similiter famulos peccantes castigamus, & filios, etiamsi ex æquo deliquerint: & maxime quando magna a nobis fuerint beneficia consecuti. Si enim ille qui paradisi fuerat sortitus habitaculum, propter unum utique delictum tanta post honorem pertulit mala: Nos postquam cœlum accepimus, & cohæredes Unigeniti facti sumus, quam veniam sperare poterimus, si ad Serpentem curamus relicta columba? Non est hic enim, *Terra es, & in terram ibis*; & *operaberis terram*: Non illa, inquam, audiemus priora, sed quod est his multo amarius tristiusque, exteriores tenebras, insolubilia vincula, vermem perpetua venena fundentem, & stridorem dentium flebiliter insonantem. Et sane me-

Tertullianus. *S. Bern. serm. in Oct. Epiph.* *S. Bernard. serm. 1. Oct. Epiph.* *Rom. S. Jo. Chrysost. hom. 12. in Matth.*

„ rito; qui enim nec inter tanta beneficia melior effe-
„ ctus es, juſtiſſime extrema illa atque ſæviſſima tor-
„ menta patieris. Cœlum aliquando Elias aperuit, &
„ clauſit: ſed ut pluviam aut emitteret, aut teneret;
„ Tibi autem non idcirco apertum eſt cœlum, ſed ut il-
„ luc conſcenderes; quodque eſt amplius, non ut aſcen-
„ deres tantum, verum ut alios quoque, ſi velles, ſimul
„ levares. Tantam tibi in ſuis omnibus poteſtatem fidu-
„ ciamque donavit. Quia igitur ibi eſt domus noſtra,
„ ibi etiam omnia recondamus, nihil hic penitus re-
„ linquentes, ne illud perdamus. Quicquid enim hic di-
„ miſerimus ammittimus. " Hæc *S. Jo: Chryſoſt.*

CAPUT IV.

Seuſus Litteralis.

1. TUnc, ſtatim ſcilicet poſt baptiſmum, *ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Impulſu Spiritus Sancti ſponte ſe contulit in deſertum, quod propius aberat Jeroſolymis, tamquam ad locum aptum tentationi, ut ibi precibus ac jejunio ſe ad tentationes ſuſtinendas, propulſandaſque præpararet, longeque ab hominum turbis ſoli Deo vacans, ad miniſterium ſuum obeundum ſeſe diſponeret. Tentari porro Chriſtus voluit multis de cauſis; 1. Ut nobis contra tentationes auxilium ferret. Unde S. Gregorius Magnus ait; *Non eſt indignum Redemptori noſtro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Juſtum quippe erat, ut ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſua morte ſuperare.* 2. Tentatus eſt propter noſtram cautionem, ut nullus quantumcumque ſanctus ſecurum ſe putet ac immunem a tentatione. Unde & ſtatim poſt baptiſmum tentari voluit; *Tentatione ſua indicans in ſanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta graſſari: quia victoria ei eſt magis exoptata de ſanctis* (inquit S. Hil.) Unde & *Eccli.* 2. dicitur: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* 3. Se diabolo tentandum Chriſtus præbuit, *Ut ad ſuperandas etiam tentationes ejus mediator eſſet, non ſolum per adjutorium, verum etiam per exemplum;* ut ait S. Auguſt. 4. Tentari voluit, ut nobis fiduciam de ſua miſericordia largiretur. Unde ad Hebr. 4. dicitur: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et cap. 2. *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.*

S. Thom. 3. p. q. 41. art. 1. S. Greg. M. hom. 16. in Ev. *S. Hil. Com. in Matth. c. 3.* *S. Aug. lib. 4. de Trin. c. 13.*

Convenienter autem deſertum tamquam locum certaminis Chriſtus elegit. Diabolus enim ad eum venire auſus non fuiſſet, niſi ſponte ſe tentandum exhibuiſſet, ſicut ſponte membris ejus ſe exhibuit occidendum. Diabolus autem magis tentat hominem ſolitarium, quia, ut dicitur Eccl. 4. *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe . . . . Si quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtunt ei.* Hinc S. Ambroſ. ait, *Plenus Jeſus Spiritu Sancto agebatur in deſertum: conſilio, ut diabolum provocaret; nam ſi ille certaſſet, non mihi iſte viciſſet: myſterio, ut Adam illum de exilio liberaret; exemplo, ut oſtenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere; & tunc magis eſſe cavendum, ne myſterii gratiam deſerat mentis infirmitas.*

S. Ambr. l. 4. in Lucam cap. 14.

Dæmoniorum principis Luciferi, qui dicitur *Diabolus & ſatanas* propter calumniandi inſidiandique ſummam peritiam, peſſimam voluntatem, & uſum, Chriſtus hominum princeps congreſſum excepit, ut ſuorum militum ſaluti conſuleret, utque hoſtilis exercitus, victo duce ac principe tenebrarum, totus in fugam verteretur. Propterea ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu, ut docet S. Hilarius. *Quod in deſertum*, inquit, *ductus eſt, ſignificatur libertas Spiritus Sancti hominem ſuum jam diabolo offerentis, & permittentis tentandi & aſſumendi occaſionem, quam nonniſi datam tentator habuiſſet.*

S. Hil. cap. 3. in Evang. S. Matth.

2. *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, ita ut totos quadraginta dies & noctes nihil cibi potuſve guſtaſſet, quod Moſes ante & Elias non ſine myſterio fecerant; *poſtea eſuriit*: Ut timidum hoſtem, qui Deum ſuſpicabatur ex miraculis quæ in ejus baptiſmo contigerant, ex Joannis teſtimonio, ex voce de cœlo facta, ex Prophetarum oraculis in ejus ortu adimpletis; ideoque ipſum aggredi non audebat; ad certamen veluti provocaret, ſe hominem eſſe oſtendens, & poſitis quodammodo divinitatis armis, quaſi nudus & inermis homo, jejunuſque, contra luctatorum morem, in arenam deſcendens. *Erat in diabolo de metu ſuſpicio,* inquit S. Hilarius, „ non de ſuſpicione cognitio: Mo-
„ vebatur enim quadraginta dierum jejunio. Sciebat to-
„ tidem diebus aquas abyſſi effuſas, exploratam repro-
„ miſſionis terram, Moyſi Legem a Deo ſcriptam; an-
„ norum quoque quibus plebs in eremo vita Angelorum
„ habituque manſit, hunc numerum fuiſſe expletum.
„ Igitur iſtius temporis metu, in tentando eo, quem
„ hominem contuebatur, ſumpſit **temeritatem**. Adam
„ enim pellexerat, & in mortem fallendo traduxerat.
„ Sed ita dignum nequitia ejus & ſcelere erat, ut in
„ eo, cujus morte & calamitatibus gloriabatur, homine
„ vinceretur; & qui Dei beneficia homini invidiſſet,
„ ante tentationem Deum in homine intelligere non
„ poſſet. " Poſt quadraginta dies, non in quadraginta diebus eſuriit, Moyſe & Elia in eodem jejunii tempore non eſurientibus. *Igitur cum eſuriit Dominus, non inediæ ſupreſit operatio; ſed virtus illa* (ſcilicet natura divina & perſona Verbi) *quadraginta dierum non mota jejunio, naturæ ſuæ hominem dereliquit. Non enim erat a Deo diabolus, ſed a carne vincendus: quam utique tentare auſus non fuiſſet, niſi in ea per eſuritionis infirmitatem quæ ſunt hominis recognoviſſet.* Quam utique in eo ſentiens, ita orſus eſt: *Si Filius Dei es.* Anceps ſermo eſt, *Si Filius Dei es*: Licet eſurientem videret, *quadraginta tamen dierum in eo jejunium pertimeſcebat. Qua rerum ratione indicat, poſt quadraginta dierum converſationem, quibus poſt paſſionem in ſæculo erat commoraturus, eſuritionem ſe humanæ ſalutis habiturum. Quo in tempore exſpectatum Deo Patri munus, hominem quem aſſumpſerat reportavit.*

Quadraginta dies Chriſtus jejunat, (*a*) *Nobis oſtendens remedia ſalutis*, & in iſto numero (*b*) *Quadrageſimæ nobis oſtendens Sacramentum.* Nec tamen ultra progreditur, ne rei admirandæ exceſſus incredibilem faceret ſuſcepti hominis veritatem. Nunc vero nequaquam fit iſtud, quia prius Moyſes & Elias Dei potentia ſubſtentati, in hanc jejunii longitudinem pervenire potuerunt: ſi vero ulterius progreſſus fuiſſet, incredibilis fuiſſet carnis aſſumptio.

(a) *S. Joannes Chryſoſt. Hom. 13. in Matth.* (b) *S. Hieronymus in c. 4. S. Matth.*

Poſt jejunium porro Chriſtus tentari voluit multiplici de cauſa. 1. Propter exemplum: quia cum omnium interſit contra tentationes ſe tueri, per hoc quod ante tentationem futuram jejunavit, docuit quod per jejunium contra tentationes nos armari oportet. Unde inter *Arma juſtitiæ* Apoſtolus jejunia connumerat 2. *ad Corint.* 6. 2. Ut oſtenderet, quod etiam jejunantes diabolus aggreditur, ſicut alios qui bonis operibus vacant. Ideo ſicut poſt baptiſmum, ita & poſt jejunium tentatur. Unde S. Chryſoſt. ait „ Non jejunantem tentat, *inquit*, ſed eſurien-
„ tem, ut diſcas quam ſit bonum grande jejunium, &
„ quia hæc adverſus diabolum arma ſint maxima, quod-
„ que poſt baptiſma non deliciis ac tumulentiæ, non
„ menſæ epulis onuſtæ, ſed jejunio animum debemus
„ intendere. Propterea & Dominus jejunavit, non quod
„ indigeret, ſed ut nos doceret, quibus peccata ante
„ baptiſma dominatio ventris intulerat. Ut enim ali-
„ quis ægrotum, quem ad ſanitatem reduxit, jubet illa
„ non facere ex quibus morbus ille contigerat: ita et-
„ iam poſt Baptiſma jejunium contra vitium edacitatis
„ induxit. Nam & Adam de paradiſo intemperantia
„ ventris ejecit, & diluvium commeruit, & fulmina
„ in Sodomitas ipſa traxit. Ecce, *inquit Ezechiel*, hæc
„ fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, &
„ abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus, " &c.

S. Thomas 3. p. q. 41. art. 3. S. Joan. Chryſ. h. 13. in Matt.

3. Poſt jejunium tentari voluit Chriſtus, quia ſecuta eſuries diabolum ad eum aggrediendum audaciorem fecit. *Occaſionem diabolo tentandi præbuit*, inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ut prius ipſe congreſſus, quo modo etiam ab aliis vinci poſſit, oſtenderet. „ Sic enim faci-
„ unt athletæ, qui cum diſcipulos ſuos adverſarium vin-
„ cere docent, data opera in palæſtris certamen cum
„ aliis exercent, ut in luctantium corporibus artem fa-
„ ciant ſpectare vincendi: quod in hac quoque colluctatione factum eſt. Quia enim diabolum ad certandum
„ Chriſtus voluit attrahere, eſuriem ſuam ei fecit mani-
„ feſtam, nec repulit accedentem; ſed cum eum ſuſce-
„ piſſet ad luctam, & ſemel & iterum & tertio cum
„ facilitate, quæ eum decebat, eliſit. " *Fames Domini pia fraus eſt; ut in quo diabolus majora metuens jam cavebat, famis ſpecie lactatus tentaret ut hominem, ne impediretur triumphus.*

Ibidem.

S. Ambr. l. 4. in Luc. n. 16.

3. *Et accedens tentator dixit ei; Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Explorans ſcilicet utrum vere Dei Filius eſſet, an merus homo, variis modis illum tentavit, ſicut primum Adam in paradiſo tentaverat. Primo enim ligni vetiti eſum ipſi ſuaſit his verbis, *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* Secundo, ad inanem gloriam ipſum pellexit dicens, *Aperientur oculi veſtri.* Tertio, tentationem ad extremam ſuperbiam perduxit, dicens: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Eundem ordinem ſervavit in tentatione Chriſti. Primo tentavit ipſum de eo quod appetunt quantumcumque ſpirirituales viri, ſcilicet de ſuſtentatione corporalis naturæ per cibum. *Si Filius Dei es*, non adoptivus, ſed proprius, *dic*, id eſt, jube pro omnipotentiæ jure, qua Deus intio *dixit* ut fierent omnia, & *facta ſunt*, jube, inquam, *ut lapides iſti*, qui hic jacent, *panes fiant*, quibus famem cruciantem ſedes. Gravis erat tentatio, qua Chriſto ſuggerebat ut de Dei providentia & amore diffidens, miraculum ipſo ederet hortatore, converſiſque

Geneſ. 3. S. Greg. M. h. 16. in Evang.

abſque

absque necessitate in panes lapidibus, majori quam par
S. Th. 3. p. q. erat quantitate, aut voluptate (si fieri posset) fameli-
41. Art. 4. cus sumeret, sicque concupiscentia carnis & gulæ pec-
cato irretiretur. Secundo processit diabolus ad id in quo
spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad
ostentationem operentur: quod pertinet ad inanem glo-
riam. Tertio perduxit tentationem ad id quod non est
spiritualium virorum, sed carnalium, scilicet ut divitias
& gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum
Dei. Ordinem porro quo Christus tentatus est, secutus
videtur S. Mat. totam Christi tentationem compendio
tantum attigisse Sanctus Marcus; hanc vero generatim
primo tractasse, postea sigillatim descripsisse S. Luc., &
duas postremas tentationes ordine inverso retulisse. Id
tamen Evangelicæ veritati non officit. Nihil enim re-
fert quo narrentur ordine, cum omnia facta esse mani-
festum sit, inquit *S. Augustinus*, *lib. 11. De consensu
Evangelistarum*, cap. 16.

4. *Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pa-*
Deuter. 8. *ne vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore
Dei.* Ad nostram eruditionem & exemplum, tentatoris
suggestioni Script. S. verba opposuit. Poterat de lapidi-
bus panes facere, sicut de aqua vinum fecit in nuptiis,
sed non fecit, ut voluntatem artesque Satanæ contem-
neret. *Aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur*;
(inquit S. Augustin.) *Non in solo pane vivit homo*,
S. Aug. serm. 123. alias 41. De Verbis Domini cap. 2. &c. Id est, Deus usitato cibo non indiget ut alat ho-
minem, sed providentia sua ipsum ex alia re imperio suo
producta sustentare potest, sicut olim populum suum ad-
miranda ratione Manna cibavit in deserto. Deuteron. 8.
*Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave di-
ligenter ut facias: ut possitis vivere ... Et recordaberis
cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus qua-
draginta annis per desertum ... & dedit tibi cibum Man-
na, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi
quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo
quod egreditur de ore Dei.* Diabolus eam in tentando
Christo conditionem operis proposuit, per quam & in
Deo, mutatione lapidum in panes, virtutem potestа-
tis agnosceret, & in homine, oblectamento cibi, ut etiam
S. Hil. c. 3. in Matth. esuritionis illuderet. *Sed Dominus non panem potius
quam salutem hominum esuriens, ait*, Non in solo pane
vivit homo: *Quia ipse non solum homo, sed & Deus,
licet usque in tentationis diem cibo hominis abstineret,
Dei tamen Spiritu alebatur: ostendens non in pane hoc
solitario, sed in Verbo Dei alimoniam æternitatis esse spe-*
S. Amb. lib. 4. in Luc. n. 20. *randam.* Simul cum dicit: *Non in solo pane vivit homo*;
ostendit hominem esse tentatum, hoc est, susceptam na-
turam, non suam divinitatem; ut observat *S. Ambrosius*.
Ideo autem sic respondit Dominus, quia *propositum erat
ei, humilitate diabolum vincere, non potentia*; (inquit
S. Hieronymus.)

5. *Tunc*, scilicet post primæ tentationis insultum, *as-
sumpsit eum diabolus in sanctam civitatem*; corporaliter
transtulit Hierosolymam, *& statuit eum super pinnacu-
lum Templi*; in Templi culmine, sive in loco eminentio-
ri turris vestibulo Templi inædificatæ, e qua si Christus
desiliisset, inter Templum & altare Sacerdotum delapsus
fuisset, in quem locum oculi omnium in orationis domo
præsentium convertebantur. *Et dixit ei, Si Filius Dei
es, mitte te deorsum: Scriptum est enim, quia Angelis
suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte
offendas ad lapidem pedem tuum.* Hoc miraculo talem te
S. Ambr. l. 4. in Lucam, n. 21. 22. 23. 25. esse proba, scilicet Dei Filium, & Messiam Judæis qui
huc frequentes convenerunt, ut tibi credant. „ Jactan-
„ tiæ telum est, quo proclive delinquitur; quia dum ho-
„ mines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco
„ meritorum suorum & statione decedunt. Ita est jactan-
„ tia, ut dum se putat unusquisque ad altiora conscen-
„ dere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora
„ trudatur. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Vere
„ diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore
„ meritorum præcipitare contendit ... simul infirmita-
„ tem suam diabolus malitiamque designat; quia nemini
„ potest nocere, nisi ipse se miserit. Nam qui relictis
„ cælestibus diligit terrena, voluntarium quoddam præ-
S. Hieron. „ cipitium vitæ labentis incurrit. *Mitte te deorsum.*
„ Persuadere potest, præcipitare non potest. "

Scripturæ sacræ verbis jam semel a Christo profliga-
tus tentator, Scripturæ testimonio tentationem alteram
obducit & adornat: *Scriptum est enim: Quia Angelis*
Psalm. 90. *suis mandavit de te*, &c. Quasi dicat, non est quod du-
bites te præcipitem dare, quia Angeli te ruentem, Deo-
que fidentem excipient, & conservabunt illæsum. Locus
ille Psalmi non de Christo, sed de viro quolibet sancto
intelligitur. „ Male ergo Scripturam interpretatur dia-
„ bolus. Certe si vere de Salvatore scriptum noverat,
„ non debuerat illud omittere, quod in eodem Psalmo
„ contra se sequitur: *Super aspidem & basiliscum am-*
„ *bulabis, & conculcabis leonem & draconem.* De An-
„ gelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur; de sua
„ conculcatione quasi tergiversator tacet; " ut S. Hie-
ronym. notat. Protectionem Dei perperam extendit men-
dacii Spiritus ad illa etiam pericula in quæ homines ul-
tro & contra Dei mandata, ac pietatis officium, Deum
tentando, se conjiciunt. „ Hinc discе quia satanas
„ transfigurat se in Angelum lucis, & de Scripturis ip-
„ sis divinis sæpe laqueum fidelibus parat. Sic Hæreti-
„ cos facit, sic eviscerat fidem, sic jura pietatis impu-
„ gnat; " inquit *S. Ambrosius*.

6. *Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis
Dominum Deum tuum.* Id scriptum est Deuter. 6. 16.
Deum tentare, est ejus potentiam aut providentiam am-
plius experiri velle, cum satis magna jam ejus documen-
ta habeantur, ut ex Exodi 17. 7. Num. 14. 22. Ps. 77.
17. & 95. 8. Isai. 7. 12. Matth. 16. 1. 4. Actor. 15, 10.
cum hoc loco collatis colligitur, *Non tentabis Dominum
Deum tuum*. Satis constat me esse Filium Dei, & ipsi
curæ esse, non edam signa impræsentiarum quibus id
probem te postulante, nec de potentia & bonitate ipsius
me dubitare ostendam. Simul etiam ostendit Christus se
verum Deum, & unum cum Patre Deum, & omnium,
adeoque & ipsius tentatoris Deum ac Dominum esse.

S. Ambr. l. 4. in Lucam. n. 27

7. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum
valde*; aliquem ex iis montibus, quibus Hierosolyma cir-
cumdata erat. Nec mirum si se permisit a diabolo in
montem ferri, qui se pertulit a membris illius crucifigi.
Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.
Quidam existimarunt ostensionem regnorum mundi Chri-
sto exhibitam per species sive externas oculis illius su-
bito objectas, sive internas imaginationes vel menti il-
lius insinuatas. Sed incredibile videtur, vel Christi ocu-
los falsis ejusmodi speciebus delusos, vel in imaginatio-
nem aut mentem ipsius aliquem diabolo accessum fuisse.
Immo sic jam omnia per species infusas Christus menti
suæ præsentia habuit. Cui vero bono abductio Christi in
montem, ut hæ species illi objicerentur vel insinuaren-
tur cum id æque fieri potuerit in deserto? Alii
existimarunt hanc propositionem omnium regnorum
mundi, non ad oculos, sed ad aures Christi re-
ferendam, & intelligendam non de speciebus externis
visibilibus Christo objectis, sed de sermone instituto a
tentatore super regnis mundi & eorum gloria. Verum
& hæc interpretatio repugnat verbis Evangelistarum,
& inutilem reddit translationem Christi in montem ex-
celsum valde, quod non sine causa singulari factum, &
ab Evangelistis notatum est. Nonne enimvero & in de-
serto sermo institui poterat coram Christo de regnis mun-
di, & illorum gloria? Præponenda igitur illa expositio
est, qua diabolus dicitur ostendisse Christo omnia regna
mundi, totum sumendo pro majori parte, quatenus par-
tem illorum ostendit, & id quod maxime eximium in
illis est; vel quatenus plagis diversis orbis Christo com-
monstratis edisserit tentator, quæ singularum gloria
esset, quæ opulentia, qui splendor. Huc accedit
expositio *S. Thomæ*, & aliorum, diabolum non tam
ostendisse ipsa regna vel civitates eorum, vel populos,
vel aurum & argentum, quam partes terræ in quibus
illa omnia sita, & uniuscujusque honores & statum ver-
bis exposuisse. Sic Moysi ostensa legitur tota terra Isra-
elis ex monte, *Deut.* 34. ex quo utique non patuit illi
prospectus in singulas, sed in aliquas dumtaxat terræ il-
lius partes. Qui partem rei ostendit, & præcipuam qui-
dem, totam rem ostendisse censeri potest. Sic tota Ju-
dæa, & tota regio circumjacens Jordani ad Joannem
egressa legitur, quamvis pars tantum ad eum confluxe-
rit. Videtur etiam id dictum per antithesim ad regnum
Judææ; diabolum nimirum promisisse Christo non Judææ
tantum, sed & totius orbis Imperium. Regna mundi
ergo hoc sensu sunt regna gentium, quæ satanæ servie-
bant. Sibi igitur vindicat tentator, quod Dei proprium
est, & suum esse ostendit id dare quod a Deo est promissum
Filio, Psalm. 11. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæ-
reditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*
Lucæ 4. 6. *Et ostendit illi omnia regna mundi in mo-
mento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc
universam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt;
& cui volo do illa.* Cibo Adam pellexerat diabolus, &
de paradisi gloria in peccati locum, id est, in regionem
vetitæ arboris deduxerat: tertio divini nominis ambitio-
ne corruperat, Diis futurum similem pollicendo. *Igitur
adversus Dominum tota jam sæculi potestate pugnatur,
& Creatori suo possessio hujus universitatis offertur: Ut
tenens ordinem fraudis antiquæ, quem neque cibo pellexe-
rat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet.*
Ostendit autem tentator omnia regna mundi *in momen-
to temporis*, ut S. Lucas notat, quibus verbis, inter-
prete S. Ambrosio, *Non tam conspectus celeritas indi-
catur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur; in
momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæ-
culi abit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse
diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? Docemur
hic inanis ambitionis flabra despicere, quod omnis dignitas
sæcularis diabolicæ subjaceat potestati: ad usum fragilis,
& inanis ad fructum.*

S. Hilar. c. 3. in Matth.

S. Ambr. l. 4. in Luc. n. 28.

8. *Et dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens ado-
raveris me.* Omnis potestas a Deo est: & mundus per
ipsum factus est: sed tamen opera ejus mala, quia sæcu-
lum

S. Ambr. ib. n. 29. & 31.

lum in maligno positum est; & ordinatio mundi a Deo, opera mundi a malo. *Ita etiam a Deo potestatum ordinatio. A Malo ambitio potestatis.* Et licet dicat dare se diabolus potestatem, omnia tamen illa ad tempus permissa sibi esse non abnuit. Itaque qui permisit, ordinavit: nec potestas mala, sed is qui male utitur potestate. „ Non ergo a diabolo potestas est, sed obnoxia tamen insidiis diaboli. Non tamen ideo mala ordinatio „ potestatum; quia malo obnoxiæ potestates. Bonum est „ enim Deum quærere, sed quidam ipsius inquisitionis anfractus & error obrepit. Nam si inquisitor in sacrilegium sæva interpretatione vertatur, in deterius vertitur quærentis offensa, quam si non quæsisset: nec „ tamen inquisitionis, sed quæsitoris est culpa, nec inquisitio obnoxia malo, sed quærentis affectus. Quod „ si is qui Deum quærit, propter fragilitatem carnis, „ & mentis angustias sæpe tentatur, quanto magis qui „ sæculum quærit obnoxius est? " (*inquit S. Ambros.*] Hæc omnia tibi dabo, si cadens *adoraveris me.* Nullum est gratuitum diaboli munus; nullum non exitiale accipientibus. Serviant illi prius necesse est, qui divitias expetunt avari, vel, honores & dignitates ambitiosi. Hoc ipso autem pernicioſior ambitio est, quod *Blanda quædam est conciliatricula dignitatum; & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus; & ut dominetur aliis, prius servit. Curvatur obsequio, ut honore donetur: & dum vult esse sublimior simulata humilitate, fit vilior, & fit remissior; cum in ipsa potestate, quod præcellit, alienum fit; legibus enim imperat sibi servit.* Si cadens adoraveris me. *Ergo qui adoraturus est diabolum, ante corruit;* (inquit S. Hieronymus.) Diabolum autem adorat, quisquis cupiditati aut ambitioni servit. Non enim uno modo sacrificatur prævaricatoribus Angelis.

S. Hier. in c. 4. S. Matt.

9. *Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Quod in aliquibus codicibus habetur, *post me, aut retro me*, aliunde assutum est, quod & Syriaca versio, & Græci ad hunc locum Scriptores ostendunt. Abesis apud Origenem, S. Hilarium, S. Jo: Chrysostomum, S. Ambrosium, S Hieronymum, &c. *Non ut plerique putant, eadem Satanas & Apostolus Petrus sententia condemnantur; Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ: Hic vera audit, Vade Satana, & non ei dicitur, retro me, ut subaudiatur: Vade in ignem æternum, qui præparatus es tibi & Angelis tuis.* „ Apage satana. Temeritatis suæ congruum exitum tulit, cum & criminum „ suorum in satana nomen audivit, & Dominum Deum „ suum adorandum in homine cognovit. Præbuit etiam „ hujus responsionis effectu magnum nobis Dominus exemplum: Ut contempta humanæ potestatis gloria, & sæculi ambitione postposita, solum meminissemus Deum „ & Dominum adorandum; *Quia omnis sæculi honor diaboli sit negotium.*

Idem.

Matt. 16

Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis. Ex Deuter. 6. 12. sumptum est ubi legitur, *Dominum Deum tuum timebis.* Idem est sensus: Timoris enim pars non minima est adoratio. Timor internam reverentiam significat, adoratio externam venerationem ex interiori profectam. Unde pii quique Dei cultores, viri timentes Deum, Scripturæ Sacræ phrasi appellantur. *Et illi soli servies.* Quamquam vox *soli* expresse in Hebræo non habeatur, implicite tamen inclusam in pronomine emphatico *ipsi*, Septuaginta Interpretes addiderunt, imo & Christus, Eodem Deutron. cap. satis innuitur vers. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et vers. 14. *Non ibitis post Deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt.* Et 1. Reg. 7. apertius significatur: *Præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Soli Deo debetur adoratio proprie dicta, & latriæ cultus. Quam *latriæ* vocem (inquit *Grotius*) Scriptores novi Fœderis vix unquam usurpant, nisi de cultu qui vero Deo debetur, aut saltem tamquam Deo, ut *Actor.* 7. 42. & *Rom.* 1. 25. Hinc igitur nata est illa *S. Augustin.* etiam celebrata latriæ & duliæ distinctio, non quod dulia non ad Deum quoque pertineret, nec quod vox latriæ peculiare aliquid haberet secundum Græci sermonis proprietatem; sed quod usus primum Judæo cum Hellenistarum, deinde Christianorum, voci duliæ relicto significatu generali, latriæ nomen divino cultui assignasset. Vox igitur ista Ecclesiæ usu consecrata est ad significandum servitutem quæ soli Deo debetur.

S. Hilarius.

S. Aug. Q. 61. in Gen. & lib. 10. de Civit. Dei cap. 1.

10. *Tunc reliquit eum diabolus; & ecce accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Victus a Christo fugatusque diabolus recessit, *consummata omni tentatione*, ut scribit S. Luc. „ Prope enim omnium criminum fontes hæc tria „ genera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem Script. dixisset; nisi in „ his tribus esset omnium materia delictorum, quorum „ semina in ipsa origine sunt cavenda " *Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum; quia causæ tentationum, causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt Carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ.* Recessit autem diabolus audito Dei nomine, *usque ad tempus*, ut notat S. Luc. postea enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit, in Christi scilicet passione. *Prima Domino nostro Principi Martyrum tentamenta sunt blandimenta proposita*: Dic lapidibus istis ut panes fiant. Tibi dabo omnia regna ista. Videmus si suscipiunt te Angeli: quia scriptum est; Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. „ Ista læta mundi „ sunt: in pane, concupiscentia carnis: in promissio„ ne regnorum, ambitio sæculi; in curiositate tentatio„ nis, concupiscentia oculorum: Hæc omnia de sæ„ culo sunt; sed blandiuntur, non sæviunt. Attendite „ Martyrum Ducem certaminum exempla proponentem, „ & certantes misericorditer adjuvantem. Quare se per„ misit tentari, nisi ut doceret resistere tentatori? Pro„ mittit mundus carnalem voluptatem. Respondet illi: „ Delectabilior est Deus. Promittit mundus honores & „ sublimitates sæculares. Respondet illi, Altius est om„ nibus Regnum Dei. Promittit mundus superfluas vel „ damnabiles curiositates: respondet illi, Sola non errat „ veritas Dei. Cum ista triplici tentatione Dominus fuis„ set tentatus; quia in omnibus illecebris mundi hujus „ tria sunt, aut voluptas, aut curiositas, aut superbia; „ quid ait Evangelista? *Postquam perfecit diabolus omnem tentationem*: Omnem, sed illecebras pertinentem. „ Restabat alia tentatio in asperis & duris, in sævis, „ in atrocibus atque immitibus restabat alia tentatio. „ Hoc sciens Evangelista; quid peractum esset, quid re„ staret, ait: *Postquam complevit diabolus omnem tentationem, recessit ab eo ad tempus*. Discessit ab eo, „ id est, insidians serpens, venturus est rugiens leo; „ sed vincet eum, qui conculcabit leonem & draconem: „ Introibit in Judam, faciet Magistri traditorem. Ad„ ducet Judæos, non jam adulantes, sed sævientes. " *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*: „ Quam„ diu enim fuit in conflictu positus, nequaquam eos ap„ parere permisit: ne scilicet superandum tentatorem an„ te victoriam fugaret. Postquam vero penitus illum de„ vicit, & victum fugere præcepit, tunc Angeli conse„ quenter apparent: ut discas quod te quoque post re„ portatam de diabolo victoriam, Angeli repente susci„ piant plaudentes tibi, teque stipatorum ubique more „ comitati. "

S. Aug. serm. 284. alias 1. inter editos ex majoris Carthusiæ Miss.

S. Jo. Chrys. hom. 13

S. Ambr. l. 4. in Luc. p. 35.

11. *Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam.* Hæc immediate post Christi tentationem non contigerunt. Christum enim & Joannem aliquandiu munus docendi simul obiisse, constat ex S. Jo: Evangelio cap. 1. 2. & 3. Igitur inter Christi tentationem & incarcerationem Joannis Baptistæ intercesserunt secundum Joannis testimonium, & tertium ad legatos Judæorum ad se missos, vocatio Petri & Andreæ, colloquium Christi cum Nathanaele, Nuptiæ & miraculum in Cana Galilææ, prima vendentium ejectio e Templo, Christi colloquium cum Nicodemo, & quartum Joannis Baptistæ de Christo testimonium, excitata quæstione utrum baptismus Discipulorum Christi baptismo ejusdem Joannis antecelleret. Certe Joannis incarceratio a Christo audita non est in deserto, nullo mortalium ibi præsente: Id igitur audivit alibi: tunc scilicet cum in Judæa in munere docendi versaretur. Captivitas itaque Joannis hic refertur per anticipationem, quæ fusius narratur *Matth.* 14. Sic per anticipationem refertur *Matth.* 11. Joannem e vinculis Discipulos misisse ad Dominum, & tamen *Cap.* 14. demum captivitas Joannis narratur. Sic Matthæus *cap.* 4. vers. 13. ait hristum reliquisse Nazareth, & tamen causa hujus discessus demum indicatur sub finem cap. 13. summa nimirum tum incredulitas, tum ingratitudo indigenarum. Secessit autem Christus in Galilæam, non illam cui præerat *Herodes*, cujus sævitiam certo consilio, & non sui, sed hominum quibus profuturus erat, respectu vitabat; sed cui dominabatur *Philippus* vir ingenii mitioris. Huic enim pars maritima obvenerat, in qua Bethsaida & Capharnaum, ut discimus ex *Josepho lib.* 18. *Antiquitatum*, cap. 3. Duplex Christi post baptismum, ac jejunium in Galilæam reditus. Primus narratur *Joannis* 1. 43. alter *Joannis* 4. 3. Abiit primum in Galilæam inferiorem, in qua Nazareth, *Luc.* 4. 14. 16. Deinde relicta Nazareth ingrata patria, secessit in Galilæam superiorem, venitque & *habitavit in Capharnaum* urbe *maritima in finibus* Tribuum *Zabulon & Nephtalim*, florentissimo Galilææ emporio, & multis frequentato tum Judæis, tum Gentibus, & ad prædicationem Evangelii in totam circumregionem inferendam opportuno.

12. *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Vaticinium illud Isaiæ in sensu litterali impletum est, cum Christus in Galilæam venit, hisque regionibus Evangelii lumen intulit, ex iisque elegit Apostolos, de quibus in Psalmo prophetice scriptum est, *Principes Juda Duces eorum*,

Prin-

Principes Zabulon, Principes Nephtali. Leviori primum calamitate afflictæ fuerant duæ illæ Tribus Zabulon & Nephtali per Theglatphalazarem, qui Galilæam & universam terram Nephtali expugnavit regnante Phacee Rege Israel, harumque regionum populum in Assyriam transtulerat, ut refertur 4. *Reg.* 15. 29. Graviori vero desolatione per Salmanasarem, regnante Osea. Pervagatus enim est omnem terram Israel, & obsidens Samariam tribus annis, illam demum expugnavit, & transtulit Israel in Assyriam, 4. *Reg.* 17. In illa vero clade quamvis communi decem Tribubus, a Tribu tamen Zabulon & Tribu Nephtali & Galilæa Gentium, utpote quæ Assyriis viciniores erant, initium factum est debellationis reliquarum, adeoque crudelius dubio procul in eas sævitum est, & per illas via strata ad direptionem & desolationem reliquarum. Sed sicut illarum regionum incolas gravissimis calamitatibus opprimendos vaticinatus est Isaias, ita & eorum consolationem & liberationem per Christum prædixit. *Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris*. Duæ illæ tribus in superiore Galilæa sortem acceperant regione maritima, *trans Jordanem* comparatione Syriæ, quamvis respectu Hierosolymorum cis Jordanem essent. *Galilæa Gentium* quæ ex magna parte habitabatur a Gentibus, in qua videlicet Salomon Hiram Regi Tyriorum viginti urbes olim dederat. Galilæam habitatam ab Ægyptiis, Arabibus, Phœnicibus notat *Strabo*. Convenas multos fuisse Tiberiade, testis est Josephus. Quamobrem *Galilæam Gentium*, id est, convenarum dictam existimaverim, quod non unius nationis hominibus, sed undique collectis, ob adjacentis maris commoda, tractus iste habitatus esset. Harum itaque regionum incolæ primum audiere Dominum prædicantem. *Ut ubi Israelis fuerat ab Assyriis prima captivitas, ibi, redemptoris præconium nasceretur*; (inquit Sanctus Hieronymus) *Populus qui sedebat*, seu, quod idem est, *ambulabat*, id est versabatur, *in tenebris*, infidelitatis, ignorantiæ, erroris, *vidit lucem magnam*, Evangelicam scilicet Veritatem, immo Christum ipsum qui *lux* est *mundi*, *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Apostoli quidem *lumen mundi* a Christo appellati, sed Christus solus *lux magna*, *sol justitiæ*, a quo Apostoli velut minora sydera lucem precario accepere: immo lumini lucernæ comparantur, quod aliunde accenditur, & extingui potest. *Et sedentibus in Regione umbræ mortis*, in oblivione Dei, in morte peccati, lux fidei, & gratiæ divinæ claritas affulsit. *In Scriptura sacra*, ut observat *S. Gregorius M.* umbra mortis aliquando oblivio mentis accipitur, aliquando imitatio diaboli, aliquando mors carnis. „ Umbra enim mortis oblivio mentis accipitur, quia sicut mors hoc quod interficit, agit ut non „ sit in vita; ita & oblivio hoc quod intercipit, agit „ ut non sit in memoria. Unde & recte, quia Joannes „ Hebræorum populo eum, cujus obliti fuerant, Deum „ prædicare veniebat, per Zachariam dicitur: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*. „ In umbra enim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione latescere. Umbra mortis imitatio „ antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, mors vocatur, Joanne attestante, qui ait: *Et nomen illi mors*. Per umbram igitur mortis, ejus imitatio designatur, quia sicut umbra juxta qualitatem „ corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis ejus exprimuntur. Unde recte Isaias cum Gentiles populos ab antiqui hostis cerneret imitatione desecisse, eosque ad veri Solis ortum resurgere, quæ „ certo futura considerat, quasi ex præteritis narrat, „ dicens; Sedentibus in tenebris & umbra mortis; lux „ orta est eis. " Denique inter mortem & umbram mortis hoc interest, S. Hieronymo interprete, quod *Mors eorum est, qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt: umbra autem mortis eorum est qui dum peccant, nondum de hac vita egressi sunt. Possunt enim, si voluerint, agere pœnitentiam*.

S. Hier. in c. 4. Matt.

Luc. 1.

Apoc. 6.

S. Greg. M. l. 4. Moral. in Joan. c. 17.

S. Hier. in c. 9. Isaiæ.

13. *Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*. In Galilæa publice, assidue, ubique prædicare cœpit Christus, ex quo habitavit in Capharnaum post traditionem Joannis Baptistæ. Illius autem verbis utitur, ut doceat ipsum fuisse Præcursorem Christi, & utriusque doctrinam ex Dei afflatu esse, & ad Deum ducere. *Desinente lege, consequenter oritur Evangelium: Si autem eadem prædicat Salvator, quæ Joannes Baptista ante prædixerat, ostendit se ejusdem Dei esse Filium, cujus ille Propheta fuit*. Hinc utriusque Testamenti concordia elucescit, cujus Moralis ad pœnitentiam tota collineat. Pœnitentia scilicet via est ad regnum cælorum. Pœnitentia ad regnum Christi, quod non est de hoc mundo, non temporale, sed spirituale, per fidem & gratiam in cordibus nostris, stabiliendum & propagandum necessaria est. Hanc postulat finis ipse quem sibi præstituit Rex noster qui in mundum venit *Ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum*, quæ pœnitentibus dumtaxat remittuntur. Hanc postulat Ecclesiæ status, in qua post unicum baptisma, nullæ supersunt externæ ablutiones, ut olim apud Judæos, sed tantum ablutio cordis per pœnitentiam & baptisma lacrymarum. Hanc postulabat Judæorum status, qui externis legis operibus, variis scilicet baptismatibus seu ablutionibus & purificationibus, confessione, sacrificiis, aliisque ceremoniis die præsertim Expiationis frequentari solitis, omnia peccata sibi remitti putabant, nec internam animi mutationem in melius magnopere curabant. His igitur *Pœnitentiam* Christus prædicat, eo magis necessariam, quod nisi vitam veterem detestarentur, & vitam novam agerent secundum Christi præcepta, ab illis mox auferendum esset Regnum Dei, & ad Gentes transferendum.

14. *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me*. Lacum Genesareth *Mare Galilææ* vocavit Evangelista, quem imperite arguunt Porphyrius & Julianus. Confluxum enim aquarum intra certas ripas & crepidines coercitum, Mare vocari locutione Hebræis usitata, nemo nescit. Gen. 1. 10. *Congregationes aquarum appellavit Maria*. Sic non tantum lacus Asphaltites vocatur *Mare* in Scriptura sacra, sed & vas æneum, fusile, in Templo asservatum. Ambulans igitur Jesus, non otiose, sed studio vocandi & congregandi Discipulos, quos testes haberet omnium verborum ac factorum suorum, *vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus*. In veteri Testamento *prima Dei vocatio a fratribus cœpit (Primo enim præcones Mosem & Aaronem accepit)*. *In Evangelio quoque primam Petri & Andreæ vocationem facit. Et illic quidem simplex gratia, hic autem duplo auctior. Illic enim duo fratres vocati, Moses & Aaron: Hic autem bis gemini, Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes. Quod enim Salvator charitatem Sancti Spiritus nobis voluit informare, fratresque animi affectione ac spiritu præstare, naturam fundamentum sumpsit, commistique naturæ viscera, & in illa Ecclesiæ fundamentum superextruxit*.

Episcopus Orat. 1. de mundi creatione.

Circa *Petri & Andreæ* vocationem pugnantes in speciem videntur Evangelistarum narrationes. Matthæus hic scribit, Christum eodem tempore vocasse Simonem & Andream fratres, cum jacerent rete in Mare. Joannes vero cap. 1. narrat, audito testimonio, quod Joannes Baptista Christo perhibuerat, Andream secutum Dominum cum alio quodam Joannis Discipulo, & adduxisse fratrem suum Simonem ad Christum, indicando ei illum esse Messiam. 2. Vocatio ista contigisse dicitur postquam Christus audivit Joannem comprehensum, si Matthæo credimus: si Joanni, vocatio illa contigit ante captivitatem divini Præcursoris, illo adhuc docente & baptizante. Si Matthæum audimus, contigit vocatio ista ad Mare Galilææ: si Joannem, contigit in Bethabara trans Jordanem, adeoque in Judæa.

15. Nec minor apparet dissonantia, si Matthæum cum Marco & Luca conferamus. Nam Matthæus hic, & Marcus cap. 1. narrant Dominum vocasse Discipulos illos ad Mare Galilææ: Lucas cap. 5. vocatos scribit prope stagnum Genesareth. 2. Matthæus & Marcus narrant Christum simul vidisse duos fratres istos jacientes retia in Mare; Lucas innuit Christum illos vidisse cum ex navigiis descendissent, & abluerent retia. 3. Matthæus & Marcus narrant Christum vocasse Discipulos istos cum ambularet ad Mare Galilææ. Lucas vero ait Christum conscendisse unum ex navigiis, rogasse Simonem ut a terra proveheret paululum, consedisse, docuisse turbam ex navi, post jussisse ut retia demitterentur ad capturam; piscium multitudinem ingentem conclusam, & rupta retia. Petrum petiisse a Christo, viso miraculo, ut a se homine peccatore discederet. 4. Matthæus & Marcus narrant Christum Discipulos illos conjunctim vocasse: Lucas vero Simonem solum a Domino vocatum, illique soli dictum, *Ex hoc jam homines eris capiens*. 5. Apud Matthæum & Marcum narratur, Dominum illinc progressum, adeoque in alio loco vidisse & vocasse Jacobum & Joannem: Lucas vero Jacobum & Joannem describit ut socios Simonis, & docet eos simul subduxisse navigia, simulque Dominum secutos. 6. Matthæus & Marcus vocationem istam narrant ut anteriorem historiis de sanata Petri socru, & de ejectis dæmoniis: Lucas vero vocationem istam demum post illam miracula recenset.

S. Hieron. in c. 4. Matth.

16. Verum Evangelistas inter se conciliare haud operosum est & primo quidem Matthæi & Joannis narrationes conferendo, diversas ab utroque historias narrari exploratum est. Ultroneum accessum Petri & Andreæ ad Christum Joannes commemorat: illorum a Christo vocationem Matthæus: primum hunc accessum excepit temporaria ad Christum adhæsio, fides in illum, & quædam cum illo familiaritas: Alteram illam vocationem excepit adhæsio perpetua ad Christum ut ejus Discipuli & comites essent, illumque relictis rebus omnibus perpetuo sequerentur. Spontanei istius accessus causa testimonium Joannis de Christo: perpetuæ illius adhæsionis causa vocatio Domini. Prior non tam vocatio erat, quam ad eam præparatio. Joannes itaque narrat, audito Baptistæ præconio de Messia, & designatione ejus, *Ecce Agnus Dei*,

S. Joan. Chrys. h. 4. in Matth. S. Aug. lib. 2. De consensu Ev. cap. 17. n. 37. & Tractatu 7. in Ev. S. Jo. n. 9.

duos

duos Discipulos Præcursoris secutos esse Jesum, & Andream fratrem Simonis Petri unum ex illis fuisse, & fratrem suum adduxisse ad Jesum. Dominum vero dixisse, illum vocandum *Cephan*. Quamvis porro ad tempus Christo adhæserint, ex Historiæ tamen Evangelicæ comparatione constat utrumque postridie recessisse a Domino, & ad primum vitæ genus se recepisse. Joannes enim notat Discipulos illos apud Christum mansisse *die illo*. Huic narrationi Joannis postponenda est illa Matthæi, & secundum illam asserendum, Christum alio tempore ad Discipulatum & contubernium suum vocasse illos ipsos fratres, qui prius ad ipsum sponte accesserant, eique ad tempus adhæserant. Unde confestim illi ut Doctori jam noto, imo ut Messiæ a Joanne designato obsecuti leguntur. Ita hunc nodum explicant *S. Jo: Chrysostom.* & *S. Augustinus*.

17. Non est operosior Matthæi & Marci cum Luca conciliatio. Eamdem tres illi Evangelistæ narrant vocationis Petri & Andreæ, Jacobi & Joannis historiam, quamvis circumstantias quasdam unus commemoret, quas alii prætermittunt. Nulla inter ipsos est dissonantia. 1. Mare Galilææ, ad quod vocatos dicunt Matthæus & Marcus, idem est cum lacu sive stagno Genesareth, cui & nomen Maris Tiberiadis ab urbe Tiberiade ad crepidinem illius extructa impositum est. Eadem itaque circumstantia loci, diversis licet nominibus significata. 2. Sanctus Lucas solum Simonem a Christo visum non affirmat, sed solum Simonem a Christo rogatum ut a terra navim paululum reduceret, quod non negant; sed prætermittunt tantum Matthæus & Marcus. Immo cum Lucas dicat Christum vidisse duas naves ad stagnum stantes, e quibus piscatores descenderant, plures vidisse non unum solum, perspicue colligitur. Nec etiam repugnat Simonem & Andream visos esse a Christo cum jacerent retia in Mare, & cum descendissent ex navigiis ac retia abluerent, prius a Matthæo & Marco, posterius a Luca narrari. Deinde Lucas non ait Christum vidisse Simonem & Andream abluentes retia, sed de piscatoribus indefinite id scribit: *Piscatores autem descenderant, & lavabant retia*. Plures vero etiam & mercenarios adfuisse constat ex Marci 1. 20. *Et relicto patre suo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum*. 3. Matthæus Discipulos vocatos scribit Christo ambulante ad Mare, quia ejus ambulationem ad Mare consecuta statim vocatio est, quod Lucas non negat. Etsi enim constet nondum subducta fuisse navigia in terram, adeoque vocatio in navi contigisse videatur, conciliatio tamen Matthæi cum Luca facilis est. Id enim factura dicimus aliquo deambulante in hoc vel illo loco, quod deambulationem istam excipit, sive is cui factum adscribitur adhuc ambulet, sive sedeat, sive stet. Matthæus igitur & Marcus docent, Christum vidisse homines illos jacientes retia in Mare, prius videlicet proprio motu, deinde jussione Christi: Lucas narrat quo exitu utrumque factum fuerit. Circumstantiæ pleræque narrantur a Luca, quæ a Matthæo prætermittuntur, non negantur. Quod vero quædam frequentius ab uno Evangelista omittantur, ab alio suppleantur, volente ac movente Spiritu-sancto factum est, ne ex compacto scripsisse viderentur, vel lectores uni tantum ex illi, spretis reliquis, adhærerent, & crederent. „ 4. Etsi Lu-
S. Aug. lib. 2. De consensu Ev. c. 17. n. 37. „ cas Andream non nominet, ille tamen intelligitur in „ ea navi fuisse secundum Matthæi & Marci narratio- „ nem, qui breviter hoc perstringunt, quemadmodum ge- „ stum sit; quod Lucas apertius explicavit, commemo- „ rans ibi etiam miraculum super captura piscium, & „ quod ex ipsa navi Dominus prius fuerit locutus ad „ turbas. Hoc etiam videtur distare, quod tantum Pe- „ tro a Domino dictum commemorat: *Ex hoc jam homi-* „ *nes eris capiens*: " quod illi ambobus fratribus dictum esse narrant, sed potuit utique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuavit, & ambobus postea, quod illi duo commemoraverunt. Ita hunc nodum solvit *S. Aug.* S. Lucas Jacobum & Joannem conjunctim cum Petro vocatos non dicit, sed tantum narrat Petrum & filios Zebedæi vocatos & secutos Dominum, alios scilicet post alios, exiguo intervallo interjecto. Sic itaque conciliandæ narrationes Evangelistarum: Petrus & Andreas ex una parte, Jacobus & Joannes ex altera, habebant navigia sua in vicino littore, aliquot dumtaxat passibus a se invicem remota. Dominus ambulans ad Mare vidit navigia duo, & in altero Petrum & Andream jacientes retia in Mare; conscendit navem Petri, docuit turbas, imperavit demissionem retium, secutus prodigiosæ piscationis eventus, Jacobus & Joannes a Simone & Andrea ad opem ferendam invitati. Illi ut venerunt, viso miraculo attoniti, denuo suam in navem secessere. Simon cum Andrea vocatus a Christo. Inde Dominus aliquot passus progressus vidit Jacobum & Joannem resarcientes retia sua, rupta proculdubio pondere piscium quos ceperant, æque ac retia sociorum; eosdem vocavit, sicque plures relictis navigiis secuti sunt eum. Matthæus præcipuum factum narrat, vocationem & vocatorum obedientiam; Lucas circumstantias pleraque. Summa cæteroquin illorum consensio. 5. Ordine quidem scriptionis apud Lucam prior est narratio de sanata Petri socru, non ordine rei gestæ.

18. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*. Christum piscatores ad Apostolatum vocaturum Prophetæ prædixerunt. Jerem. 16. vers. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos*. Ezech. 47. 8. & seq. *Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt Mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ, & omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engellim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt, piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ*. Sed & Psalmo 106. vocationem Apostolorum e Mari prædictam agnoscimus: *Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Qui descendunt Mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo*. Rabbi *Isaac Aramæus*, in expositione libri Numerorum: Verbum Dei ad omnes sanandos missum fuisse dicit, verum ab omnibus non fuisse receptum, sed ab aliquibus tantum tardioris ingenii viris, iisque piscatoribus, qui veritatem Prophetiæ receperunt, & verbo Dei fidem habuerunt. Refert doctissimus Præsul *Daniel Huetius* in Demonstratione Evangelica. „ Petrus & Andreas, Jacobus & Joan- *Huetius Demonst. Ev. Propositione 9. c. 48.*
„ nes, germanitas combinata, immo congeminata pau- „ pertas, in Apostolorum principes eliguntur, paupe- „ res censu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, „ labore communes; addicti vigiliis, fluctibus mancipa- „ ti, negati honoribus, injuriis dati, præsidio retis, „ solo piscium captu victum vestitumque conquirentes. „ Sed in istis quantum vilis mundanis videbatur aspectus, „ pretiosas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. „ Erant censu pauperes, sed innocentia locupletes; lo- „ co humiles, sed sanctitate sublimes; viles arte, sed „ simplicitate pretiosi; obscuri vita, sed vitæ merito „ perlucentes; labore communes, sed proposito singula- „ res; addicti vigiliis, sed ad cælestes victorias jam vo- „ cati; fluctibus mancipati, sed fluctibus non demer- „ si; negati honoribus; ditati magis honoribus; in- „ juriis dati, sed injuriis non relicti, captores pi- „ scium, sed piscatores hominum jam decreti. *Ve-* „ *nite*, inquit, *& faciam vos fieri piscatores homi-* „ *num*: Ut vitalis escæ jactu, ut hamo cælestis verbi, „ de mortis gurgite animas ad lucem tollerent sempiter- „ nam. Captores piscium fiunt hominum piscatores: de „ labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lasse- „ scere meditatus. Omnia quæ de usu veniunt non fa- „ tigant. Virtus exercitio perseverat. Hinc est quod „ Apostolos suos Christus humanis laboribus exercere vo- „ luit, ut eos indefessos redderet in divinis. " Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum, *Ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentia fieri putaretur*; (inquit S. Hieronymus.)

19. *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum*. *S. Greg. M. Hom. 5. in Evang.* Partem pro toto exprimit Matthæus. Lucas enim illos *relictis omnibus* Christum secutos commemorat. Ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit? „ Sed hac in re affectum „ debemus potius pensare, quam censum. Multum reli- „ quit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit qui quan- „ tumlibet parum, totum deseruit. Certe nos & habita „ cum amore possidemus, & ea quæ minime habemus, „ ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & An- „ dreas dimisit, quando uterque etiam habendi desideria „ dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessa eti- „ am concupiscentiis renunciavit. A sequentibus ergo tan- „ ta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci „ potuerunt. "

20. *Et circuibat Jesus per totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo*. Vocatis Petro & Andrea, Jacobo & Joanne, venit Jesus & habitavit in Capharnaum maritima civitate Galilææ, ubi per aliquot Sabbata docuit; & postquam ibi dæmonium immundum ex quodam homine ejecisset in Synagoga, & surgens inde socrum Petri in domo ejus curasset, necnon energumenos & infirmos plurimos, desertum petiit; cumque turbæ requirentes eum usque ad ipsum venissent, eumque detinerent ne a se discederet, dixit se missum ut & aliis civitatibus Evangelium prædicaret. Mox circuire cœpit totam Galilæam. Confer cum *Marci* 1. vers. 21. & seq. & *Luc.* 4. vers. 31. & seq. *In Synagogis* docebat, quæ loca erant publicæ orationi, concioni, & Legis Prophetarumque lectioni atque explicationi destinata, non sacrificio, quod in solo Templo Hierosolymis offerri poterat. Prædicationem porro Evangelii *Regni Dei*, miraculis frequentibus Christus confirmabat, *sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo*, ut ejus doctrinæ fidem

adhi-

adhibere non dubitarent, cujus potentiam & beneficentiam experiebantur. Sic *Afferens medicinam quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit Religionem.* „ Quando Dei jussu vel afflatu fit „ aliquid novum & inopinatum, ac politiæ cujusdam introductio, signa Deus facere consuevit præstans quædam pignora suæ potentiæ his qui legem ejus acceS. August. lib. De utilitate credendi cap. 14. S. Jo. Chrysost. Hom. 14. in Matth.

„ pturi sunt. Sic cum hominem facturus esset, prius „ mundum creavit universum, ac tum demum facto homini legem in paradiso dedit. Et cum sancto etiam „ Noe legem positurus esset, magna mirabilia „ monstravit, per quæ instauravit omnino creaturam, ac „ terribile illud Pelagus per annum integrum toto fecit „ orbe diffundi, justumque illum in tanta totius Mundi „ tempestate servavit. Abrahæ quoque multa signa legitur præstitisse, ut claram illam de Regibus victoriam, „ ut insignem quoque adversus Pharaonem plagam, & „ ipsius Abrahami de variis periculis liberationem. Sed „ & Judæis quidem prius miracula ostendit, ac tum demum eis præcepta legis imposuit, cum legem esset daturus. Ita hic quoque cum sublimem quamdam videndi introducturus esset disciplinam, & quæ numquam „ ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum. Quia enim æternum Regnum, quod prædicabat, non apparebat, ex his quæ „ videntur illud facit manifestum. *Denique omnium ægritudinum infirmitates medendo, factis ipse se profert; „ ut quem in Prophetarum voluminibus legere erant soliS. Hilarius, c. 3. in Evang. S. Matth.

„ ti, præsentem operibus contuerentur.*

21. *Et abiit opinio ejus in totam Syriam.* Fama ejus longe lateque per omnes circumjacentes regiones propagata est, nomenque celebratum, scilicet per Judæam, Peræam, Bathanæam, Galilæam, Decapolim, Samariam; sed & Idumeam, Palæstinam, Syrophæniciam, Syriam Damasci, Syriam Antiochiæ, Syriam Cœlen, &c. *Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Per lunaticos intelligunt Medici comitiali morbo laborantes, quos conceptos existimant dubiæ per tempora lunæ, & qui ipso novilunio aut plenilunio, aut pridie, gravius vexantur; sed hic malum immanius & a natalibus causis remotius indicatur, cui tamen adjuncta sit epilepsia. Nam infra c. 17. v. 14. & sequentibus, qui *Lunaticus* vocatur, epilepticus & demoniacus erat. *Lunaticus est, & male patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam ... Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium.* Quamobrem S. Hieronymus hic *non vere lunaticos* interpretatur, *sed qui putabantur lunatici ob dæmonum fallaciam, qui observantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in Creatorem blasphemia redundaret.*
S. Hieron. in c. 4. S. Matth.

SENSUS MORALIS.

1. *Ductus est Jesus in desertum a Spiritu.* Exemplo suo nos docuit Christus, ut cum de vitæ rationibus, vel de re gravi ad salutem pertinente deliberamus, turbam relinquamus hominum, & Spiritu sancto duce nos in solitudinem colligamus, nostra cum Deo consilia communicaturi, quæ frequentia hominum impediuntur, solitudine juvantur, in qua Deus procul a tumultibus sæculi gratiæ suæ lumen animæ fideli communicat, eique ad cor loquens, ubi ipsum unum audire parata est, voluntatem suam aperit, secundum illud Osee 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Solitudo cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. „ Illic Deus est totum quod dicitur, via „ qua tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus paradisus est deliciarum, „ ubi tamquam redolentium species pigmentorum, vel „ rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum. Ibi rosæ charitatis igneo rubore „ flammescunt. Ibi lilia castitatis niveo candore candescunt: cum quibus humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha „ perfectæ mortificationis, non solum carnis, sed quod „ gloriosius est, propriæ voluntatis exundat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat, & igne divini „ amoris suaviter ardet .... O solitudo sacræ militiæ „ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, „ castrum Dei, turris David, quæ ædificata es cum „ propugnaculis, mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium. Tu campus divini prælii, spiritualis „ arx certaminis, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium luctatorum, ubi spiritus cum carne „ congreditur, & fortis ab infirmo superatur. Nam qui „ in te sunt, lorica fidei præmuniti, sub Imperatoris „ sui invicta protectione tripudiant, & de hostium suorum certa jam dejectione triumphant. Quibus ni„ mirum dicitur: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos „ tacebitis.* Et, *Si unus est*, inquit, *noli timere: plu*S. Basilius lib. de laudibus Eremi.

Exod. 14. 4. Reg. 16.

Natal. Alex. In Evang.

„ *res enim nobiscum sunt, quam cum illis*, O eremus, „ mors vitiorum, fomes & vita virtutum, te Lex at„ tollit, te Prophetia miratur, & quicumque ad perfe„ ctionem pervenerint, tuum cognoverunt præconium. „ Tibi Moyses debet bis acceptæ legis decalogum. „ Per te Elias novit Domini pertranseuntis excursum. „ Per te Elisæus duplicem Magistri sortitus est spiri„ tum. Et quid amplius dicam? Salvator mundi in ipso „ redemptionis humanæ primordio Præconem suum tui „ accolam fecit, quatenus sub ipsa jam sæculi venien„ tis aurora ex te Lucifer veritatis erumperet: post „ quam plenus Sol veniens, mundi caliginem splendoris „ sui radiis illustraret. Tu scala illa Jacobi, quæ ho„ mines vehis ad cœlum, & Angelos ad humanum de„ ponis auxilium ... Cella dominicæ sepulturæ prope„ modum æmula, quæ peccato mortuos suscipis, & afflatum Spiritus sancti Deo reviviscere facis. Te portum „ tranquillitatis inveniunt, qui naufragium mundani flu„ ctus evadunt. Te potentis Medici conclave decer„ nunt, qui vulnerati in prælio hostiles manus effugi„ unt. Mox enim ut tui culminis umbræ perfecto cor„ de succeditur, omnis sauciatæ animæ livor, omnis „ interioris hominis plaga curatur. Te Jeremias aspexe„ rat, cum dicebat: *Bonum est præstolari cum silentio „ salutare Dei. Bonum est viro, cum portaverit jugum „ Domini ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit; elevabit enim se supra se.* Habitator etenim tuus „ se elevat supra se, quia Deum esuriens anima a terrena„ rum se rerum obtutibus erigit, & in divinæ contem„ plationis arce suspendit; a mundi se actionibus segre„ gat, atque in actum contemplationis cœlestibus desi„ deriis pennas librat: cumque illum, qui est super om„ nia, conspicere satagit, semetipsum quoque homo „ cum reliqua mundanæ vallis dejectione transcendit ... „ Tu speculum Animarum, cujus contemplatione se „ mens humana perspicaciter intuens, quod minus est „ impleat; quod superfluum reprimat, quod obliquum „ est dirigat; quod deforme componat. Tu nuptialis es „ thalamus, in quo Sancti Spiritus annulus tribuitur, „ & cœlesti Sponso felix Anima fœderatur. O Eremus „ mundi persequentis felix effugium, laborantium requi„ es, mœrentium consolatio, ab æstu sæculi refrigeri„ um, peccandi repudium, recluso corporum, libertas „ animarum! Te David petiit, cum mundi mala perfer„ ret, cum timidi & tenebrosi cordis tædium sustine„ ret. *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens, & mansi in so„ litudine.* Et quid amplius memorem? quandoquidem „ ipse Salvator omnium in exordio suæ manifestationis „ inviserit, ac propria dignatus est te habitatione con„ secrare. Postquam enim baptismatis aquam, qua lo„ tus est, lavit, ut Evangelista testatur, statim Spiritus „ expulit eum in desertum ... Debitorem se tibi mun„ dus agnoscat, unde prædicaturum ac mirabilia factu„ rum susceptisse te Deum non ignorat.“
Threno- rum. 3.

Psalm. 4. 58.

Convenit recordari (inquit *S. Ambrosius*) quemadmodum de Paradiso in desertum Adam primus ejectus sit; „ ut advertas quemadmodum de deserto ad Paradi„ sum Adam secundus reverterit. Ex terra virgine A„ dam, Christus ex Virgine; ille ad imaginem Dei fa„ ctus, hic imago Dei: per mulierem stultitia, per Vir„ ginem sapientia. Mors per arborem, vita per cru„ cem. Ille spiritalium nudus, arboreis se texit exuviis: „ hic sæcularium nudus, corporis non desideravit exu„ vias. In deserto Adam, in deserto Christus: sciebat „ enim ubi posset invenire damnatum, quem ad Para„ disum resoluto errore, revocaret. Sed quoniam sæcu„ laribus indutus exuviis redire non poterat, nec Para„ disi incola potest esse, nisi nudus a culpa; exuit vete„ rem hominem, novum induit, ut quia solvi non queunt „ divina decreta, persona magis quam sententia mutare„ tur. Sed qui in Paradiso sine duce iter amisit acce„ ptum, quemadmodum de deserto sine duce iter repetere „ posset amissum, ubi tentationes plurimæ, nisus ad virS. Ambrosius, lib. 4. in Lucam num. 7. 8. & 9

„ tutem difficilis, lapsus facilis ad errorem? ... Quem igi„ tur opponeret ducem contra tot illecebras sæculi, contra „ tot versutias diaboli; cum sciret nobis primo contra car„ nem & sanguinem, deinde contra potestates, contra re„ ctores mundi tenebrarum harum, adversus spiritalia nequi„ tiæ quæ sunt in cœlestibus esse luctamen? Angelum oppo„ neret? Et ipse lapsus est, & legiones Angelorum vix „ singulis profuerunt. Seraphim dirigeret? Et ipsum de„ scendit in terras in medium populi immunda labia ha„ bentis, & unius tantum Prophetæ labia, appositio car„ bone, mundavit. Alius dux requirendus fuit, quem „ sequeremur omnes. Quis tantus esset dux qui prodes„ set omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me „ supra Mundum constitueret, nisi qui major est Mun„ do? Quis tantus esset Dux, qui posset masculum & „ fœminam, Judæum & Græcum, Barbarum & Scytham „ uno regere ductu; nisi solus qui est omnia & in omni„ bus Christus? Multi enim laquei quacumque progre„ dimus. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in „ pinnis templorum, in crepidinibus Parietum tendun„ tur a diabolo. Laquei in Philosophis, laquei in cupi„ dita-

„ ditatibus. Oculus enim meretricis laqueus est peccatoris: laqueus in pecunia, laqueus in religione: Quomodo igitur hos laqueos evitabimus, ut possimus & *Psalm.123.* „ nos dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati* „ *sumus?* Non dicit: Ego contrivi laqueum, non ausus „ est hoc dicere David; sed: *Adjutorium nostrum in* „ *nomine Domini*; ut ostenderet unde laqueus solveretur; „ ut prophetaret quod venturus esset in hanc vitam, qui „ contereret laqueum fraude diaboli præparatum. Et ideo „ sequamur Christum: illius, de deserto ut ad Paradisum redire possimus, vestigia persequamur. "

2. *Ut tentaretur a diabolo.* „ In Christo tu tentaba- *S. August. Enarr. in Psalm. 60.* „ ris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se „ tibi salutem; de te sibi mortem, de se tibi vitam; de „ te sibi contumelias, de se tibi honores: ergo de te sibi „ tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis „ quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit? „ Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce „ vincentem: Poterat a se diabolum prohibere, sed si „ non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non „ præbere. *Ad Christum clamemus*: Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus „ terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in „ petra exaltasti me. " Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum & tentationes habuerit. „ Clamat ergo Ecclesia *1. Cor. 10.* „ super petram ædificata, a finibus terræ: In petra „ exaltasti me. *Petra autem erat Christus*. In illo ergo „ ædificati sumus. Propterea petra illa in qua ædificati „ sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluvia, „ quando Christus a diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit stabilire. Merito non vacat vox nostra, sed exauditur: in magna enim spe positi sumus: „ *In petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es* „ *spes mea*. Ille si nostra spes factus non esset, non nos „ deduceret. Deducit tamquam Dux, & in se ducit „ tamquam via, & ad se ducit tamquam patria. Deducet ergo nos. Unde? Quia factus est spes nostra. Unde „ factus est spes nostra? Quia tentatus est, quia passus „ est, quia resurrexit . . . In illo vides & laborem „ tuum, & mercedem tuam, laborem in passione, mercedem in Resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. Habemus enim duas vitas; unam in qua sumus, „ alteram quam speramus. In qua sumus, nota nobis est: „ Quam speramus, ignota nobis est. Tolera in qua es, „ & habebis quam nondum habes. Quomodo toleras? Ut „ non vincaris a tentatore. Laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstravit tibi vitam „ Christus in qua es: Resurrectione sua demonstravit tibi „ vitam in qua eris. Nos enim non noveramus nisi nasci „ hominem & mori; resurgere hominem & vivere in „ æternum non noveramus: suscepit quod noveras, & „ demonstravit quod non noveras. Ideo factus est spes „ nostra in tribulationibus, in tentationibus. *Deduxisti* „ *me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a fa-* „ *cie inimici*. Non me deserit ipse qui me exaltavit super „ petram, ut deducat me usque ad se; quia etsi laboro, „ diabolo per tot loca & tempora, & occasiones insi- „ diante adversus me, hic est turris fortitudinis; quo „ cum confugero, non solum vitabo tela inimici, sed „ etiam in illum quæ voluero securus ipse jaculabor. Ipse „ enim Christus est turris. Cave ne feriaris a diabolo? „ Fuge ad turrem: Numquam te ad illam turrem diabolica jacula secutura sunt, ibi stabis munitus & fixus. „ Quomodo autem fugies ad turrem? Ante te est turris, „ recordare Christum, & intra in turrem. Quicquid pateris, cogita quia prior passus est, & cogita quo fine „ passus est, ut moreretur & resurgeret. Talem & tu „ finem spera, qualis in illo præcessit, & intrasti in turrem non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te pervenit oppugnantis jaculum. Tu „ potius in illum jaculare tela quibus feriatur, quibus „ vincatur: quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, „ spes ipsa tua, opera bona. "

Nemo se fallat, dilectissimi; nemo se decipiat. Neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet se nullis tentationum periculis subjacere; cum pervigil ille Tentator eos acrioribus pulset insidiis, „ quos maxime vi- „ derit abstinere a peccatis. Nam a quo dolos suos con- *S. Leo ser. 40. De Quadragesima 3.* „ tineat qui ipsum quoque Dominum Majestatis ausus est „ calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam „ baptizati Domini Jesu humilitate calcatam; intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem „ carnis exclusam, & tamen non desperavit de artibus „ suæ malitiæ spiritalis improbitas: tantumque sibi de natura nostræ mutabilitate promisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino & Salvatore nostro deceptionum suarum diabolus non revocavit insidias; quanto magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, „ quos exinde vehementiore odio & invidia sæviore persequitur, ex quo ei in Baptismo renunciavimus, & ab „ illa, cui dominabatur origine, in novam creaturam „ divina regeneratione transivimus? "

Ne mireris igitur, Christiane, si post baptisma gravioribus tentationibus urgearis; si, postquam te Deo devovisti, tibi magis insidietur, teque vehementius aggrediatur Satanas. Idcirco enim accepisti arma, non ut degas in otio, sed ut pugnes. Propterea Deus in te tentationes irruere permittit: Primo quidem „ Ut discas quoniam Christi Baptisma *S. Joan. Chrys. Hom. 13. in Matth.* „ multo te fecerit fortiorem. *Deinde*, Ut in egregia illa „ animi mediocritate permaneas, neque donorum magnitudine eveharis, dum te scilicet tentationes cohibent & re- „ frænant. *Ad hæc vero*, Ut malignus ille Dæmon, cum „ de tua a se discessione dubitat, ex ipsa tribulationum tolerantia discat, quod perfecta ab illo abrenunciatione discesseris. *Quarto*, Ut fortior, & ipso prorius ferro va- „ lentior, tentationum exercitatione reddaris. *Quinto*, „ Ut capias grande documentum thesaurorum tibi a Domino creditorum; neque enim adversus te diabolus irrueret, „ nisi in majore te positum honore conspiceret. " Hinc enim adversus Adam insurrexit ab initio, quia multa illum dignitate vidit conspicuum. Propterea & contra sanctum Job nequitiæ suæ arma commovit, quia videbat eum ab omnium Deo miris laudibus coronatum.

A sancto Spiritu ductus in desertum Christus est, ut *S. Joan. Chrys. ibid. Matt. 6.* tentaretur a diabolo, ut discamus quod non sponte nos ipsos in tentationes oporteat insilire; sed si fuerimus impugnati, viriliter repugnare. Unde Dominus ait: *Orate ne intretis in tentationem*.

Tentationibus resistamus, cum illis, Deo permittente, pulsamur: resistamus, inquam, adversario nostro, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, resistamus *fortes in fide*: sed ne in tentationem intremus, ne peccandi occasionibus sponte nos implicemus. Armis Christi utamur ad diabolum vincendum, scuto fidei, armis justitiæ, verbo Dei, scripturisque divinis, jejunio, humilitate, vigilantia. Quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto vehementius ab adversariis impetemur. „ Sed fortior est, qui in nobis est, quam qui ad- *S. Leo serm. 38. De Quadragesima 1.* „ versum nos est, & per ipsum validi sumus, in cujus „ virtute confidimus: Quia ob hoc Dominus se tentari „ a tentatore permisit, ut cujus munimur auxilio, ejus- „ dem erudiremur exemplo. Vicit enim adversarium te- „ stimoniis legis, non potestate virtutis: Ut hoc ipso & „ hominem plus honoraret, & adversarium plus puniret, „ cum hostis generis humani non quasi a Deo jam, sed „ quasi ob homine vinceretur. Pugnavit ergo ille tunc, „ ut & nos postea pugnaremus: Vicit ille, ut & nos „ similiter vinceremus. Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine probationibus fides, nullum sine hoste certamen; nulla sine congressione victoria. Vita hæc nostra in medio insidiarum, „ in medio prœliorum est. Si nolumus decipi, vigilandum est; si volumus superare, pugnandum est. "

3. *Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*: „ Exemplo suo Christus docuit „ jejunandum esse, quando acriore luctamine cum tentatore confligimus. " Ob hoc enim qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, ut Christianus magisterio ejus instructus non possit a tentatore superari. *S. Aug. serm. 220. in Quadragesima 6. S. Ambr. l. 4. in Luc. n. 24.* „ Ergo quando simile prælium tentationis infertur, homini jejunandum est: Ut & corpus impleat de castigatione „ militiam, & animus impetret de humiliatione victoriam. „ *Disce diabolum vincere. Agit te Spiritus, sequere Spiritum*. Non te revocet carnis illecebra, Spiritu plenus disce contemnere voluptates. Jejuna, si vis vincere. Consequens est ut per hominem diabolus te putet esse tentandum: Christus quasi fortior facie ad faciem tentatur, tu „ per hominem. Et illud diaboli verbum est, cum dicit homo: Fortis es, manduca & bibe, & similis mane. Noli „ te tibi credere, non erubescas egere præsidiis, quibus „ non egebat Christus, & tamen ea non negligebat, ut te „ doceret, dicens: *Cavete ne gravetur cor vestrum in* „ *vino & crapula*. Non erubuit Paulus, qui ait: *Sic cer-* *Luc. 21. 34.* „ *to, non ut aera cædens*. Aera quidem non cædebat Apostolus, sed Potestates aeris verberabat. *Sed castigo*, inquit, corpus meum, & servituti redigo; ne forte cum „ aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. "

„ Deliquerat Israel apud Malpha in aquatione congregatus a Samuele; sed ita statim delictum jejunio di- „ luit, ut periculum prælii simul fugerit. Cum maxime *2. Reg. 7.* „ Samuel offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quam abstinentia populi. Cæciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hę *Tertull. l. De Jejuniis.* „ erunt vires jejunantium Deo. Cœlum pro ejusmodi militat. Habes formam præsidii etiam spiritalibus bellis „ necessariam... Ipse mox Dominus Baptisma suum, & „ in suo omnium, jejuniis dedicavit, habens efficere panes ex lapidibus, etiam Jordane vino fortasse manare, „ si ita vorator & potator fuisset. Imo novum hominem „ in veteris fugillationem virtute fastidiendi cibi ini- „ tiabat, ut eum diabolo rursus per escam tentare

„ quæ-

„ quærenti, fortiorem fame tota ostentare. Præstituit
„ exinde jejuniis legem sine tristitia transigendis. Cur enim
„ triste quod salutare? Docuit etiam adversus diriora
„ dæmonia jejuniis præliandum. " Quid enim mirum,
„ si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua San-
„ctus inducitur? Jejunium a Christo sanctificatum & nos
„ sanctificemus, diabolo per carnem nostram adversus nos
„ pugnanti, per ejusdem carnis mortificationem resistamus.

4. *Et accedens Tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Voluptas omnis, quæ a dæmone, aut ejus organis offertur, sive a mundo & carne cum dæmone fœderatis, homini Christiano suspecta esse debet, quamvis innoxia secundum se videatur, qualis erat corporis refectio & panis esus, de quo Christus post die-
S. Jo. Chr. l. rum quadraginta jejunium tentatus est. „ Esuriit, & non
12. in Mat. „ obedit imperanti; nos erudiens ne unquam diabolo cre-
th. „ damus. Quia enim primus homo hinc offendit Deum,
„ legemque transgressus est, ex abundanti te docet,
„ quod etsi non tibi prævaricationem præcipiat, nec sic
„ quoque esse credendum. Et quid dico prævaricationem?
„ Etiamsi aliquid utile dæmones loquantur, nec sic qui-
„ dem illos debes audire. Sic enim etiam illos loqui
„ vetuit, qui eum Dei Filium prædicabant. " Simul etiam docuit Christus, ut sive famem, sive quodvis aliud malum patiamur, nunquam tamen Dominum relinquamus; neque etiam miracula postulemus, ut corporis nostri necessitatibus subveniatur, vel ut liberemur ab iis, quibus affligimur privatim incommodis, quorum perpessio fæpe nobis salutaris est; sed totum divinæ voluntati & providentiæ committamus.

Scriptura S. Hilarius S. Hieron. S. Ambr. l. 4. in Luc. n. 26.

5. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Istud quippe *Vitæ æternæ verbum* est, *verbum salutis, alimonia æternitatis. Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non vivit.*

Act. 3. 6. 2. Cor. 12. 3. 4. & 5.

6. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Spirituales etiam homines jactantiæ vitium e supernis ad infima præcipites agit, cum in seipsis, non in Domino gloriantur. „ Cognovit satanas aliquem attentum religioni, virtutibus „ clarum, signis & operibus præpotentem; jactantiæ ten-„ dit laqueum, ut hujusmodi virum inflet tumore; quo „ pietati se non credat sed credat jactantiæ: nec Deo „ deputet, sed sibi arroget. Ideoque Apostoli non in suo „ sed in Christi nomine dæmoniis imperabant; ne arro-„ gare sibi aliquid viderentur. *Sic Petrus paralyticum curat, dicens*: In nomine Jesu Christi Nazareni surge & „ ambula, *Disce etiam a Paulo jactantiam fugere.* Scio, „ *inquit*, hominem, sive in corpore, sive extra corpus „ nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, „ & audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini lo-„ qui. Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem non glo-„ riabor; nisi in infirmitatibus meis. " Ergo & hic diabolus quoniam fortem sensit, jactantiam prætendit, quæ etiam fortes decipit. Vanæ etiam curiositatis, superstitionis ac tentationis Dei cavenda peccata, quibus dia-
I. Jo. 2. 16. bolus homines sæpe impellit in ruinam. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Hæc tria diaboli tela, quibus Adamum expugnaverat, Christus in deserto contudit, confregit capita draconis, potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Falsas de Scripturis diaboli sagittas veris Scripturarum frangit clypeis, inquit S. Hieronymus: *Scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum.*

S. Hier. in c. 4 Matth.

7. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia Regna mundi & gloriam eorum.* Veteris Adami superbiam & ambitionem tertiæ hujus tentationis perpessione novus Adam curavit. Gloriam mundi, quæ cum mundo præteritura est, in monte & in supercilio diabolus demonstrat: „ Dominus autem ad hu-„ milia descendit & campestria, ut diabolum humilitate „ superaret. Regna mundi & gloriam eorum semper osten-„ dit iis quos tentat, non caducitatem, non vanitatem, „ non solicitudines & amaritudines. " Fugiamus omnia
S. Ambr. l. 4. in Luc. n. 6. & 34. „ quæ Christus contempsit. Fugiamus omnia quæ diabo-„ licæ subjacent potestati; ne tamquam malus tyrannus „ in eos quos intra suum Regnum invenerit, acceptæ sævi-„ tia potestatis utatur... Si Dominus Jesus propria non desi-„ deravit, tu aliena cur quæras? Si Creator omnium sæcu-„ li gloriam, subeundæ paupertatis virtute contempsit: Cur „ tu fastidias quod natus es, appetas quod indebitum est? „ Cur ea quæ ad usum tibi diuturna esse non possunt, ad sup-„ plicium diuturna deposcas? Cave insidias, cave fraudes. „ Et hoc ipso quod ob subruendum hominem totum versuta „ diabolus Mundum fraude concutiat, totius sæculi pugnet „ illecebris, ejus tibi blanditia cavenda est. Non Evam ci-„ bus inflexerat, non mandatorum oblivio destituerat: sed „ promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Quæ si so-„ lum Dominum adorare voluisset, indebita non quæsisset. „ Et ideo remedium datur quo telum ambitionis obtundas, „ ut soli Domino serviamus: caret enim ambitione religio-„ sa devotio. " Non quicumque dicit Deo, Te adoro Domine, is vere Deum adorat, sed qui ipsum super om-

Natal. Alex. In Evang.

nia diligit ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus; qui nihil ipsi præponit, nihil diligit nisi propter ipsum; nihil quod ab eo abducat, nihil quod ad ipsum non ducat; nihil agit nisi ad ejus gloriam, ejusque voluntati ac in omnibus subditus est, ejus mandatis accurate, fideliter ac ferventer obsequitur. Hoc est *Deum in spiritu & veritate adorare*. Urgente tentatione diabolo respondeamus quod olim tyranno sanctus Episcopus & Martyr Polycarpus: *Tot annos Christo ministravi, nec ulla nec unquam affecit injuria. Et quomodo possum impie loqui adversus Regem meum, Auctoremque salutis meæ? . . . Christianus sum . . . Neque nobis a melioribus ad deteriora mutabilis mens est. Pulchrum quidem atque honestum ducimus a vitiis ad virtutem transcurrere.* Resistamus diabolo, & fugiet a nobis. Cui semel in Baptismo abrenunciavimus, huic perpetuo aversemur, non sermonibus tantum, sed & operibus; non cogitationibus solum, sed & actibus: nihilque ex his, quæ illi solent placere faciamus. Sic enim omnia, quæ Deo placitura sunt, faciemus. *Euseb. lib. 4. Hist. Eccles. cap. 15.*

S. Jo. Chrys. Hom. 13. in Matth.

„ Nam ille quidem multa sæpissime pollicetur, non ut
„ det, sed ut accipiat: promittit plurima de rapinis,
„ ut auferat Regnum atque justitiam; & quasi quosdam
„ laqueos tendens, thesauros pollicetur in terra, ut
„ etiam nos & istis thesauris, & cœlestibus spoliet.
„ Vult nos in hoc sæculo ditari, ne divites simus in
„ futuro. Et si non potuerit per divitias ab illa nos
„ excludere beatitudine præmiorum, alia ad nos via,
„ id est, paupertatis accedit: quod sanctum quoque Job *Prov. 3.*
„ impugnando faciebat. "

Periculosior diaboli tentatio est, cum nobis per organa sua blanditur. „ Blandiri enim ut noceat, diaboli
S. Jo. Chrys. ibid. „ est: corrigere vero ut prosit, Dei. Quem enim dili-
„ git Dominus, corripit. Quando ergo prosperitate frui-
„ mur, & in peccato vivimus, tunc magis nobis est ac
„ magis dolendum. Nam semper quidem nos oportet me-
S. Joan. Chr. ibid. „ tuere peccantes, maxime autem cum nihil triste per-
„ petimur. Quando enim per partes ab unoquoque no-
„ strum Deus pœnas exigit, leviorem nobis ipsam ani-
„ madversionem facit. Quando vero patientius nostra vi-
„ detur dissimulare delicta, ad maximam nos in talibus
„ permanentes pœnam reservat. Cum enim justis non
„ desit tribulatio, quanto magis expectanda est pecca-
„ toribus? "

8. *Ambulans Jesus juxta Mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in Mare (erant enim piscatores:) Et ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Dominus ut pro salute nostra potentium amicitias contemnamus, noluit prius eligere Senatores, sed piscatores. „ Magna Artificis misericordia! Scie-
„ bat enim quia si eligeret Senatorem, diceret Senator.
„ Dignitas mea electa est. Si prius eligeret divitem, di-
S. Aug. ser. 87 alias 59. de verb. Domini cap. 10. „ ceret dives, Opulentia mea electa est. Si prius eligeret Imperatorem, diceret Imperator, Potestas mea
„ electa est. Si prius eligeret Oratorem, diceret Ora-
„ tor, Eloquentia mea electa est. Si eligeret Philoso-
„ phum, diceret Philosophus, Sapientia mea electa est.
„ Interim, inquit, differantur superbi isti, multum tu-
„ ment. Distat inter magnitudinem & tumorem: Utrum-
„ que grande est, sed non utrumque sanum est. Diffe-
„ rantur ergo, inquit, isti superbi, aliqua soliditate sa-
„ nandi sunt. Da mihi prius istum piscatorem. Veni tu
„ pauper, sequere me. Non est quod in te expavesca-
„ tur, sed multum est quod in te impleatur. Tam lar-
„ go fonti vas inane admovendum est. Dimisit retia pi-
„ scator, accepit gratiam piscator, & factus est divinus
„ Orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo dicit Apo-
„ stolus: *Infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia Mundi elegit Deus, & ea quæ non* *1. Cor. 1. 27.*
„ *sunt, tamquam quæ sint, ut ea quæ sunt, evacuentur.* *& 28.*
„ Denique leguntur modo verba Piscatorum, & subdun-
„ tur colla Oratorum... Conclusit Apostolus, *Ut non* *S. Aug. Enarr. in Ps. 65.*
„ *glorietur coram Deo omnis caro.* Videte quemadmo-
„ dum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam; abstulit
„ nostram, ut daret suam; abstulit inanem, ut daret
„ plenam; abstulit nutantem, ut daret solidam. Quanto
„ ergo gloria nostra fortior & firmior, quia in Deo est!
„ Non ergo in te debes gloriari; prohibuit Veritas: sed
„ quod ait Apostolus, hoc præcepit Veritas: *Qui glo-* *Hebr. 5. 4.*
„ *riatur, in Domino glorietur.* "

Ex Apostolorum vocatione discamus 1. *Neminem debere sibi sumere honorem; sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* 2. Sine cunctatione parendum Christo interius vocanti, etiamsi nos aliquid necessarium urgere videatur. Propter quod & alium quemdam accedentem ad se, & rogantem ut ad sepeliendum patrem rediret, ne id quidem facere permisit, ostendens quod Christus cunctis sit etiam necessitudinibus præferendus. 3. Vocationem ad Ecclesiasticas dignitates ex nobilitate, divitiis, ingenio, ceterisque donis naturæ, aut fortunæ (ut vocantur) bonis non esse judicandam, sed ex donis Spiritus sancti, ex Christi gratia dignos sibi ministros præparantis, ex diuturna & constanti virtutis exercitatione; quamvis &

ingenii dotes, & doctrina, & prudentia ad Ecclesiam regendam, & ad sacra Ministeria obeunda requirantur. Huic vocationi minime obest inopia, cum pauperes piscatores Christus elegerit, ut Ecclesiæ suæ fundamenta essent, primi Evangelii sui Prædicatores, Principes super omnem terram. Eorum inopiam Evangelista diligenter expressit, cum narrat, Christum illos invenisse *reficientes retia sua*. Tanta erat egestatis magnitudo, ut vetera resarciverint, quia emere nova non poterant. *Nec sane parva hæc sunt documenta virtutis, facile omnem tolerare pauperiem, de justis laboribus vivere, mutua sibi charitate connecti, secum habere inopem patrem, atque in ejus obsequio laborare*. Tales erant Petrus & Joannes, qui a Christo vocati, *Relictis retibus & patre, secuti sunt eum*, ut eorum exemplo disceremus. 4. Quod *Etsi impium est contemnere patrem & matrem, contemnere tamen propter Christum, piissimum est. Nam qui dixit: Honora patrem & matrem, ipse etiam dixit: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Hinc S. Hieron. ad Heliodorum scribens: „ Quid facis „ (inquit) in domo paterna delicate miles? .... Licet „ parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & „ scissis vestibus, ubera quibus te nutrivit Mater osten„ dat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge „ patrem: siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum „ pietatis genus est, in hac re esse crudelem. " 5. In primorum Discipulorum vocatione charitatem a Christo commendatam agnoscamus: „ Nihil apud Deum tanto in „ pretio est, quam charitas ob quam & homo factus „ est, & ad mortem usque obediens. Eaque de causa „ Discipuli quoque illi, qui primi ab eo vocati sunt, „ duo fratres extiterunt. Ex quo statim per ipsa initia „ sapientissimus Salvator indicavit, se Discipulos omnes „ suos fraterno amore copulari velle. Quæ cum ita sint, „ nihil charitati anteponendum ducamus .... Secuti „ sunt eum. Piscator iste, dum in Mari lucrum suum „ quærit, vitam invenit omnium. Lembum deseruit, „ Deum reperiit: scalmum reliquit, Verbum invenit: „ lina laxaviit, fidem vinxit: plicavit retia, homines „ elevavit: Mare sprevit, cælum acquisivit. "

S. Jo: Chrys. Hom. 13. — *S. Bern. Epist. 104.* — *S. Hieron.* — *S. Isidor. Pelusiota, Ep. 10.* — *S. Ambr. l. de Virginit. c. 20.*

9. *Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos & curavit eos*. „ „ Sequamur & nos Christum, variis siquidem languoribus afficimur animarum, quibus principaliter vult mederi. Propterea enim etiam illas ægritudines sanat, „ ut istas de nostris animabus expellat. Accedamus ergo „ ad eum, nec ab illo quicquam de præsentis vitæ prosperitatibus expetamus, sed indulgentiam peccatorum „ precemur. Nam etiam nunc dabit ille, si non negligamus postulare. Tunc in Syriam solummodo fama „ ejus exierat, nunc vero totum terrarum orbem pervasit. Et illi quidem cum audissent eum dæmonia fugasse, undique confluebant: Tu vero cum longe plura, longeque majora virtutis ejus experimenta jam „ ceperis, nequaquam tamen exurgis & curris. „ Illi patriam reliquerunt, & amicos, & cognatos: Tu „ vero ne domo quidem abscedis, ut accedas, & multo „ majora consequaris, quam relinquis. Immo ne istud „ quidem a te poscimus, sed consuetudinem solummodo „ malignam relinque, & domi tuæ cum tuis manendo, „ poteris facile salvari. Nunc vero si aliquam in corpore patiamur infirmitatem, nihil non agimus ut ægritudine liberemur; Anima vero nostra tam male se habente dissimulamus, semper differimus. Propterea ne „ corporeis quidem languoribus liberamur, quoniam quę „ maxime necessaria sunt, superflua ducimus; quæ vero „ pene dissimulanda, hæc omnino necessaria judicamus; „ & fontem ipsum malorum incuratum relinquentes, rivulos purgare conamur. Quod autem qui sunt in corpore morborum, maligna sæpe anima causa sit, & „ triginta octo annorum paralyticus, & ille qui per „ tectum legitur fuisse demissus, multaque alia demonstrant exempla. " Exsiccemus igitur fontem malorum, & cuncta continuo languorum fluenta siccabuntur. Pro spiritualium igitur curatione morborum Christo supplicemus, qui tanto graviores sunt, & majori commiseratione digni, quanto insensibilior est Anima quæ peccat. *Est igitur primum bonum nihil omnino peccare: secundum vero, post peccatum sentire quod commiseris atque lugere. Si vero ne istud quidem habemus; quemadmodum precabimur Deum, & peccatorum remissionem portemus, de quibus nihil omnino curamus; Cum enim ipse qui deliquit, ne hoc ipsum quidem quod peccavit studeat agnoscere; pro quibus Deum delictis orabit, quæ adhuc commisisse se nescit?*

S. Jo. Chrys. Hom. 14. in Matth.

CAPUT V.

Sensus Litteralis.

1. VIDENS *autem Jesus turbas, ascendit in montem*. Locum scilicet convenientem secessui, & orationi, sublimis ac cœlestis doctrinæ prædicationi, Legis novæ promulgationi, quam in monte Christus tradere voluit, sicut Lex vetus in monte fuerat promulgata; ut talis videretur, qualem se ipse per Prophetam descripsit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*. Qui mons ille fuerit, incertum. Non mons Oliveti, qui in Galilæa non erat, sed vel Thabor, vel alius mons excelsus. Ut ut est, Christus primum ascendit in montem, ubi in oratione pernoctavit; deinde illucescente die vocavit ad se Discipulos suos, & elegit ex ipsis duodecim, quos & Apostolos nominavit, & destinavit ad prædicationem Evangelii, & fundationem Ecclesiæ ubique terrarum. Tum descendit cum Discipulis e Montis cacumine in campestrem locum, idest, in ejusdem montis locum inferiorem, magis æquabilem, & turbarum capacem, & ibi stetit dum ægrotos & energumenos curaret: postea vero sedens Doctoris in morem, concionem habuit, quæ *Sermo Domini in Monte* vulgo vocatur, qui, quantum ad mores optimos pertinet, complectitur perfectum vitæ Christianę modum.

Psal. 2. 6. — *S. Hieron. Luc. 6. Versic. 12. & seq. usque ad 17. S. Aug. lib. 2. de consensu Evang. cap. 19. n. 47.*

Et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Phrasis est Hebræis frequens, *os aperire*, pro *incipere loqui*, præsertim post longum silentium, & cum agitur de re aliqua singularis momenti. Exempla habentur. *Psal.* 38. 2. *Proverb.* 8. 6. *Matth.* 13. 35. Secundo hac phrasi emphatica notatur modus quo Christus docuit, id factum scilicet cum vehementia quadam singulari, cum ardore ac contentione tum animi, tum vocis, ob turbam adstantem. Loca parallela habentur *Judic.* 11. 35. *Job.* 33. 2. Hac etiam phrasi designatur gravitas & libertas loquentis. Exempla habentur *Prov.* 31. 8. 9. *Ezech.* 29. 21. & 33. 22. *Act.* 8. 35. & 10. 34. & ad *Ephes.* 6. 19. S. August. conjicit ista phrasi designari prolixitatem sermonis, quem hic instituit Christus Dominus: Vel dictum esse, *Aperuit os suum*, quod ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum. *Multifariam enim olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio*.

S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte c. 1. n. 4.

2. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*. A summo hominis bono & vera beatitudine Moralem suam institutionem Christus orditur, & quæ ad ipsius consecutionem media conducant, ostendit. Contraria autem docet judicio Philosophorum, & vulgi, qui beatitudinem a præsenti statu æstimant, in eoque positam censent ut homo læte & quiete vivat: ipse vero beatos pronuntiat eos, qui vulgo miseri vocantur & judicantur. *Pauperes spiritu*, idest, animo & voluntate pauperes, qui quamvis facultatibus divites sint, animum tamen non habent divitiis addictum, quæ tendentibus ad Regnum cœlorum impedimenta sunt & onera. Plerumque enim divitiæ fomenta sunt vitiorum, quod Ethnici ipsi Philosophi agnoverunt, ut fuse probat doctissimus Præsul *Daniel Huetius* lib. 3. *De concordia Rationis & Fidei*, cap. 18. Unde Christus difficile esse docet ut dives ad Regnum cœlorum perveniat, Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum*. Et Lucæ 6. 20. *Beati pauperes*; quod qua ratione sit intelligendum, S. Matthæus explicat, addens hoc verbum, *Spiritu*. Cui beatitudini S. Lucas hanc maledictionem opponit a Christo eodem Sermone prolatam: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*. Hinc S. Paulus 1. Corinth. 1. vers. 26. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles*. Et S. Jacobus Epist. cap. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni quod repromisit Deus diligentibus se?* Pauperes igitur spiritu hic intelligendi, qui paupertatem suam æquo animo ferunt, nec de ea queruntur, sed sorte sua censusque tenuitate contenti, a Deo expectant quæ huic vitæ temporali sustentandæ sunt necessaria, nec divitias appetunt, aut iis per malas artes quærendis dant operam. Unde *Tobiæ* 4. 23. Senior Tobias filio suo ait: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene*. Pauperes etiam spiritu intelliguntur, qui etsi divites sint, *cupiditate* tamen & avaritia, quæ *Radix est omnium malorum*, sunt exempti, nec *sperant in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo*; sataguntque magis *divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Secundo pauperes spiritu sunt, qui paupertatem voluntariam propter Christum sunt amplexi, ut *S. Basilius* explicat. Cum Dominus dicat, *verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; alias vero, *Sp. sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, &c.* „ Hi sunt mendici spiritu, „ qui non aliam ullam ob causam ad mendicitatem „ devenerunt, quam ob doctrinam Domini qui dixit; „ *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. „ Si vero quis oblatam sibi quomodocumque mendici„ tatem susceperit, ut Lazarus, neque hic a beatitu-

1. ad Tim. 6. — *S. Basil. in Regulis Brevioribus, interrog. 205. Luc. 18.*

dine

„ dine illa excluditur. *Beati pauperes.* Non omnes beati pauperes; paupertas enim media est: possunt & boni & mali esse pauperes. Nisi forte ille intelligendus *S. Ambr. l. 5. in Luc. n. 53. Prov. 16. 2.* „ pauper beatus, quem Propheta describsit dicens, *quia Melior pauper justus, quam dives mendax.* Beatus pauper qui clamavit & Dominus exaudivit eum: pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper in quo Mundi princeps nihil invenit: pauper illius æmulus pauperis, qui cum dives esset, propter nos pauper factus est. Unde plene Matthæus aperuit dicens: *Beati pauperes spiritu*; pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ. Tertio igitur, *pauperes spiritu*, ad mentem Domini intelliguntur humiles, ut sancti etiam Hilarius, Joan. Chrysost., Hieron., & S. August. explicant. Posteriorum dumtaxat duorum adscribo verba. *S. Hilar. c. 4. in Ev. S. Matt. S. Jo. Chrysost. Hom. 15. in Matth. Ps. 33. S. Hieron. in c. 5. Matth. Is. 61. S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. in Monte, c. 1. num. 3. Eccli. 21. 16. Eccli. 10. 15.* „ S. Hieronymi; *Beati pauperes, &c.* Hoc est quod alibi legimus: *Et humiles spiritu salvabit.* Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnunquam necessitate portatur, a Domino prædicari adjunxit, *spiritu*, ut humilitatem intelligeres, non penuriam. " *Beati pauperes spiritu, qui propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes. Unde super hujuscemodi pauperibus & Salvator per Isaiam loquitur: Dominus unxit me, propter quod evangelizare pauperibus misit me.* S. Aug. *Recte*, inquit, *hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, idest, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem perventura est ad summam sapientiam.* Initium autem sapientiæ timor Domini: *quoniam & e contrario*, Initium omnis peccati superbia *inscribitur. Superbi ergo appetant & diligant Regna terrarum. Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum*; id est, jus ad illud habent ex Dei promissione & gratia. *Ostendit* Christus *eis Regnum cælorum tribuendum*, inquit S. Leo, *quos humilitas commendat animorum, magis quam indigentia facultatum.* Istius autem humilitatis bonum facilius pauperes quam divites assequuntur.

S. Leo ser. 95.

Rom. 12. 21. 3. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, & *non resistunt malo, sed vincunt in bono malum*, qui non rixantur, nec dimicant pro terrenis & temporalibus rebus; non statim ad omnes injurias excandescunt, sed facile ignoscunt, placidaque morum suavitate omnium animos sibi conciliant. *Ipsi possidebunt terram*; Non terram Judææ, nec terram istius mundi: non terram maledictam spinas & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisque & bellator magis *Psal. 26. & 41.* possidet, sed terram de qua scriptum est: *Credo videre bona Domini in terra viventium. Et c'amavi ad te, Domine: Dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Significat enim quamdam soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tamquam loco suo requiescit, sicut corpus ex terra: ipsa est requies & vita sanctorum.* Mos est Scripturæ sacræ, *SS. Hieron. & August. locis laudatis.* pœnas vel temporales vel æternas describere per ea quæ maxime ingrata sunt hominibus & exosa, per captivitatem, servitutem, tenebras, vermem rodentem, stridorem dentium, gehennam ignis, ignem inextinguibilem, &c. Beneficia etiam spiritualia & æterna, per ea quæ maxime grata sunt & amabilia, per mutationem planctus illorum in gaudium, comestionem pinguium & adipis terræ, potationem ex torrente deliciarum Dei, centupli acceptionem, panis manducationem & vini novi potum in Regno cælorum, accubitum cum Abraham, Isaac, & Jacob, &c. Sic gloria cælestis in Apocalypsi describitur per arborem vitæ, per coronam vitæ, per manna absconditum, per sessionem in throno Dei, &c. Sic patria cælestis vocatur Jerusalem nova, & describitur velut tota obducta auro & constrata gemmis ac lapidibus pretiosis: quæ omnia nobis grata sunt, & apud nos in pretio: Sic *terræ* nomine hic intelligitur terra nova, per terram Chanaan, lacte & melle manantem, & Israelitis a Deo promissam ac datam olim adumbrata, de qua *S. Petrus* Ep. 2. c. 3. 13. *Novos vero cælos, & novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* De qua Ps. 36. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* v. 22. *Benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt*: v. 29. *Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* v. 34. *Expecta Dominum, & custodi viam ejus; & exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.* Quæ de bonorum permanentium in futura vita possessione, & deliciis æternis jam in hac vita per conscientiæ puritatem prælibandis *Theodoretus* explicat. Et *S. Aug.* Sermone 1. in hunc Psalmum. *S. August. Enarr. in Psal. 36. serm. 1.* „ Mansueti autem hæreditate possidebunt terram. Terra „ est illa de qua sæpe locuti sumus, Jerusalem sancta, „ quæ liberabitur de peregrinatione ista, & in æter„ num vivet cum Deo, & de Deo. Ergo hæreditate possidebunt terram. Quæ erunt deliciæ ipsorum? „ *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Aurum tuum „ pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua „ pax, Deus tuus pax. Quicquid desideras, pax tibi erit. „ Quia hic aurum quod est, non potest tibi esse argu„ mentum; quod vinum est, non potest tibi esse panis; „ quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus „ totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias; bibes „ eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; „ fulcieris ab eo, ne deficias; possidebit te totum inte„ grum totus integer. Angustias non ibi patieris cum „ eo cum quo totum possides; totum habebis, totum & „ ille habebit; quia tu & ille unum eritis, quod unum „ totum & ille habebit qui vos possidet. " Terram promissam mitibus, carnem sanctorum S. Leo interpretatur, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur, in nulla jam spiritui futura contraria.

S. Leo serm. 95.

4. *Beati qui lugent*; *quoniam ipsi consolabuntur.* Epicureorum sententiæ opponitur divinum istud Christi Axioma: Beati non qui voluptatibus indulgent, sed qui lugent: non quicumque, & quamvis ob causam; sed lugentes *spiritu*, vel propter Christum, & justitiam, quod hic subintelligendum. Qui lugent propter peccata, & sua & aliena; non ob rerum dispendia terrenarum, quoniam *Sæculi tristitia mortem operatur*: *quæ* autem *secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis & vitiis mortuorum (inquit S. Hier.) Sic flevit & Samuel Saulem: quia pœnituerat Deum quod unxisset eum Regem super Israel. Sic & Paulus Apostolus flere ac lugere se dicit eos, qui post fornicationem & immunditiam non egerunt pœnitentiam. Luctus hic gaudium internum, Sp. S. fructum, adjunctum habet. Hæc beatitudo Christianorum in terris peregrinantium, & ad patriam suspirantium, quorum typus Israelitæ super flumina Babilonis sedentes & flentes, dum recordarentur Sion. His consolationem æternam in cælis Christus Dominus pollicetur. *Qui* enim hic *seminant in lacrymis, in exultatione metent. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* In hac vita mortali semina bonorum operum mittuntur cum lacrymis ob captivitatem nondum plene solutam & conversam, ob peccata quibus & ipsi justi obnoxii sunt, ob miserias ex peccato superstites, præsertimque concupiscentiam contra legem mentis pugnantem: sed in cælis recipiet quisque manipulos suos, id est, fructum seminis, coronam gaudiorum & exultationis. Tunc *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Contra vero impii, qui in hac vita peccata non lugent, sed gaudent intemperanter gaudio sæculari, æterno luctu plectentur. Unde Christus Luc. 6. 25. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Hanc beatitudinem Græca Exemplaria secundam ponunt. S. Hil. c. 4. in Matth. S. Jo. Chr. hom. 15. in Matth. S. Ambr. l. 5. in Luc. 2. Cor. 7. 10.

S. Hier. in c. 5. S. Mat. 1. Reg. 15. 2. Cor. 12. Psal. 125.

Apoc. 7. 17.

5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*; *quoniam ipsi saturabuntur.* Famis, & sitis nomine hic desiderium ardens; justitiæ vero nomine quæ generalis est virtus, in se virtutes omnes complexa, significatur id omne quod virtuti consonum, & Deo gratum est. Beati igitur, non qui res terrenas desiderant, ut divitias, honores, voluptates; sed qui studio vehementi viam salutis a Christo propositam, Dei gratiam, pietatem, & obedientiam divinis mandatis: adeo ut illo desiderio accensi corporis esuriem libenter perferant, potius quam deficiant a via justitiæ & virtutis. Unde apud S. Lucam simpliciter habetur: *Beati, qui nunc esuritis.* Hi certissime saturabuntur, tum justitia, quam in hac vita inchoatam, in futura perfectam habebunt, tum omnis generis bonis. *Sitientibus & esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit: significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem bonis perfecte in cælo satietatis expleri.* Justitiæ nomine *S. Joannes Chrysostomus* intelligit aut in genere virtutem ipsam, aut speciem illam justitiæ quæ avaritiæ opponitur. Quia enim commendaturus erat misericordiam, ostendens, quomodo misereri oporteat, opportune beatos prædicat qui justitiæ student. Non solum autem dixit: Beati qui justitiam servant: *sed qui esuriunt & sitiunt justitiam*; ut non mediocriter, sed cum vehementi cupiditate illam colamus & operemur. Cupiditatem igitur quæ habendi amore flagrat, in meliora converti jubet, scilicet in amorem vehementem justitiæ, præmiumque proponit his verbis: *Quoniam ipsi saturabuntur.* Quia enim plurimos divites facere putatur avaritia, e contrario rem se habere docet, magisque id præstare justitiam. *Noli igitur justitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere; cum illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt: ut ex adverso ille qui justitiam diligit tutissime bona omnia possidet.* Omnia Dei beneficia sub immagine cibi ac potus in Scrip. sæpe describuntur, ut Isaiæ 65. 13. *Propter hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini.* Lucæ 1. 53. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Non nobis sufficit velle justitiam (inquit S. Hieron.) nisi justitiæ patiamur famem: *Ut sub hoc exemplo numquam nos satis justos, sed semper esurire justitiæ opera intelligamus.* Convenienter autem hæc beatitudo quarta ponitur. Postquam enim peccata deflevimus, consequens est ut esurire incipiamus & sitire justitiam.

S. Joan. Chrys. h. 5. in Matth.

S. Hilarius.

S. Hier. in c. 5. Matt.

Æger

S. Amb. lib. 5. in Lucam, n. 56. *Æger enim cum in gravi morbo eſt, non eſurit; quia ægritudinis dolor famam excludit ..... Qui eſurit, utique virium quærit augmentum. Quod autem majus virtutis incrementum, quam norma juſtitiæ?* (inquit S. Ambroſ.) „ Qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, amatores ſunt veri „ & inconcuſſi boni. Illo ergo cibo ſaturabuntur, de quo „ Dominus dicit: *Meus eſt cibus ut faciam voluntatem „ Patris mei, quod eſt juſtitia.* Et illa aqua, de qua „ quiſquis biberit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vi„ tam æternam. "

S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte. Jo. 4. 34. & 18. 6. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Stoici docebant, *Succurrere eſſe ſapientis, misereri non eſſe*; & miſericordiam vocabant ægritudinem animi. At Chriſtus non opera tantum miſericordiæ præcipit, ſed & affectum ſuo exemplo commendat. Sæpe enim dicitur *miſericordia motus*, qua phraſi affectus, & quidem vehemens exprimitur. Sic Apoſtolus *1. Cor. 12. 26.* vult *Membra compati*. Chriſtiana ſcilicet Diſciplina non exſcindit affectus, ſed moderatur. Beatos igitur Miſericordes Chriſtus pronuntiat, qui propter Chriſtum proximorum malis, ſive animi, ſive corporis, indoleſcunt, eoſque, quoad poſſunt, ſublevant; qui & erogandis eleemoſynis liberales ſunt, & in condonandis injuris faciles. Hi miſericordiam a Deo conſequentur, ſecundum illud Pſalmi 40. verſ. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Ceterum, ut ſcribit S. Jacobus, Epiſt. c. 2. 13. *Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.* Ideo vero præmium a Domino promiſſum operibus bonis *miſericordia & gratia* in Scripturis divinis vocatur, quia ipſa ſanctorum merita ſunt Dei munera quibus cum vita æterna datur, quid aliud niſi *gratia pro gratia* redditur, ut loquitur *S. Auguſtinus*? „ Numerus „ ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei Regno prædeſti„ natus, donata ſibi uſque in finem perſeverantia, illuc „ integer perducetur, & illic integerrimus jam ſine fine „ beatiſſimus ſervabitur, adhærente ſibi miſericordia Sal„ vatoris ſui, ſive cum convertuntur, ſive cum prælian„ tur; ſive cum coronantur. Nam & tunc eſſe illis Dei „ miſericordiam neceſſariam, ſancta Scriptura teſtatur, „ ubi ſanctus David de Domino Deo ſuo dicit animæ ſuæ: „ Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Dicit „ etiam Jacobus Apoſtolus: *Judicium ſine miſericordia „ illi, qui non fecit miſericordiam.* Quibus verbis mani„ feſtatur, in his in quibus inveniuntur bona opera mi„ ſericordiæ judicium cum miſericordia fieri; ac per „ hoc etiam ipſam miſericordiam meritis bonorum ope„ rum reddi. Hinc ſancta Machabæorum Mater uni ex „ filiis ſuis dicit: *Ut in illa miſeratione cum fratribus „ tuis te recipiam.* "

S. Aug. lib. de Correptione & Gratia cap. 13.

Pſal. 101. 4. Jacob. 2. 13.

2. Mac. 7. 29

7. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Beatos hic prædicat Chriſtus, quorum mores integri ſunt, animuſque a pravis intentionibus, deſideriis, & cogitationibus purgatus; qui non ſolum mala facta, ſed & malas concupiſcentias vincunt; omne quod Deo diſplicet, peroſi, ſimpliciſſimam puritatem amantes colenteſque; qui non ſunt corde duplici. Puritas igitur cordis immunditiam omnem carnis & ſpiritus, omnemque hypocryſim excludit. His vero qui mundi ſunt corde, viſio Dei ſicuti eſt, æterna vita, & Regnum cœlorum promittitur, in quod *nihil coinquinatum* intrabit. Unde & 1. Joannis 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Eo ſpectat & illud Pſalmi 23. 3. *Quis aſcendet in Montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.* Breviter S. Hieronymus hanc ſententiam exponit: *Mundi corde, quos non arguit conſcientia ulla peccati. Mundus mundo corde conſpicitur: Templum Dei non poteſt eſſe pollutum.* Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati, inquit S. Leo. *Splendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit: & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis, oculi tergantur interiores, ut ſerenus intuitus tantum Dei viſione paſcatur.*

S. Leo ſerm. 95. ſive Hom. de gradibus Aſcenſ. ad beatitudinem.

S. Hieron. S. Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 2. num. 6.

8. *Beati pacifici*; *quoniam filii Dei vocabuntur.* „ Pacifici, qui primum in corde ſuo, deinde & inter fra„ tres diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt alios „ perte pacari, cum in animo tuo ſint bella vitiorum? " (*inquit S. Hieronymus.*) „ In pace perfectio eſt (*in„ quit S. Auguſt.*) ubi nihil repugnat; & ideo filii Dei „ pacifici, quoniam nihil reſiſtit Deo, & utique filii „ ſimilitudinem patris habere debent. Pacifici autem in „ ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componen„ tes & ſubjicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, „ carnaleſque concupiſcentias habent edomitas, fiunt „ Regnum Dei: in quo ita ſunt ordinata omnia, ut id „ quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc im„ peret ceteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſ„ que communia; atque idipſum quod excellit in homi„ ne, id eſt, mens & ratio, ſubjiciatur priori, quod eſt „ ipſa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim impe„ rare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubjiciat. „ Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ „ voluntatis; hæc vita conſummati perfectique Sapien„ tis. De hujuſmodi Regno pacatiſſimo & ordinatiſſimo „ miſſus eſt foras princeps hujus ſæculi, qui perverſis in„ ordinatiſque dominatur. "

S. Aug. Ep. 204. alias 61. de ſerm. Dom. in monte, cap. 3. Rom. 8. 35. S. Aug. ib. c. 5. Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. S. Aug. ibid. Joann. 8. 48. Joann. 7. 12.

9. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Superiores ad beatitudinem gradus in actione poſiti ſunt, hic ultimus in paſſione. Beati qui vexantur aut exagitantur ab hominibus, juſtitiæ ſeu virtutis cauſa, & quidvis patiuntur potius quam a juſtitiæ ac virtutis tramite deficiant. Hos igitur qui perſecutionem propter ſua peccata patiuntur, hæc beatitudo non ſpectat. *Non* enim *Martyrem facit pœna, ſed cauſa.* Hæc perfectæ conſummatæque virtutis Chriſtianum demonſtrat, qui dicat cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Illi ergo dumtaxat qui in Eccleſiæ unitate perſecutionem a malis patiuntur, beati dici poſſunt. *Ubi enim ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia; quia juſtus ex fide vivit. Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant; quia ſimiliter ubi charitas non eſt, non poteſt eſſe juſtitia: Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam ſi haberent, non dilaniarent Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia.*

Et in cap. 5. S. Mat. Tertull. Apolog. cap. ult.

10. *Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me.* Maledicere eſt maledictum jactare cum contumelia, coram illo cui maledicitur, ſicut Domino noſtro dictum eſt: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Dicere malum adverſus alterum, eſt, abſentis famæ detrahere, ſicut Chriſti famam lædebant, qui, dicentibus, *Quia Prophetа eſt*, dicebant; *Non, ſed ſeducit turbas.* Perſequi autem, eſt, vim inferre, vel inſidiis appetere: quod fecit qui eum tradidit, & qui eum crucifixerunt. Diſcipulos igitur ſuos adverſus perſecutiones muniens Chriſtus, beatos prædicat, cum homines ipſos convitiis & contumeliosis verbis coram affecerint; nec verbis tantum ſed opere & factis ipſos vexaverint, ad tribunalia judicum pertrahentes propter nominis ſui confeſſionem; vel calumniis ipſorum famam violaverint. Talis fuit ſors Chriſtianorum tribus primis Eccleſiæ ſæculis, cum Ethnici ipſos velut infanticidii, inceſtus, & promiſcui concubitus, ſacrilegii & læſæ Majeſtatis reos, aſinini capitis adoratores, publicos hoſtes, & everſores Reipublicæ, proſcindebant, accuſabant, damnabant. Beati qui hæc patiuntur Chriſti cauſa, propter confeſſionem fidei, defenſionem veritatis, profeſſionem virtutis. *Apud Chriſtianos* enim *qui facit injuriam, ille miſer eſt, non qui patitur ..... Illud maledictum contemnendum eſt, quod beatitudinem creat, quod falſo maledicentis ore profertur. Ubi ergo Chriſtus in cauſa eſt, ibi & optanda maledictio eſt.*

Tertull. in Apolog. S. Hieron. Ep. 77.

11. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Gaudebat Gentilium vulgus de Chriſtianorum vexatione, & damnatis inſultabat. Verum Chriſtianos ob illatam ſibi perſecutionem meliori titulo gaudere *Tertullianus* oſtendit. „ Proinde (inquit) & „ vulgus vane de noſtra vexatione gaudet. Proinde enim „ noſtrum eſt gaudium quod ſibi vindicat, qui malumus „ damnari, quam a Deo excidere. Contra illi qui nos „ oderunt, dolere, non gaudere debebant, conſecutis no„ bis quod elegimus .... Plane volumus pati, verum eo „ more, quo & bellum quidem libens patitur, cum & „ trepidare & periclitari ſit neceſſe: tamen & prælia„ tur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui „ de prælio querebatur, quia & gloriam conſequitur & „ prædam. Prælium eſt nobis, quod provocamur ad Tri„ bunalia, ut illic ſub diſcrimine capitis pro veritate cer„ temus. Victoria eſt autem, pro quo certaveris, obti„ nere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & „ prædam vivendi in æternum. Animadvertat quiſquis de„ licias hujus ſæculi, & facultatum temporalium quærit „ in nomine Chriſtiano, *intrinſecus eſſe beatitudinem no„ ſtram*: Sicut de Anima Eccleſiaſtica ore Prophetico di„ citur: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*: Nam ex„ trinſecus maledicta & perſecutiones & detractiones pro„ mittuntur: de quibus tamen magna merces eſt in cæ„ lis, quæ ſentitur in corde patientium, eorum qui jam „ poſſunt dicere: " *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* „ Non enim „ iſta perpeti fructuoſum eſt, ſed iſta pro Chriſti nomine „ non ſolum æquo animo, ſed etiam cum exultatione to„ lerare; (inquit S. Aug.). Neſcio quis hoc noſtrum poſ„ ſit implere, ut laceretur opprobriis fama noſtra, & nos „ exultemus in Domino. Hoc qui vanam ſectatur glo„ riam, implere non poteſt. " *Ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris.*

S. Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in Monte c. 5. Pſal. 44. 14.

Rom. 5. 3. &c.

S. Hieron. in cap. 5. Matth.

Merces

Merces vestra copiosa est in cælis. Hinc meritum bonorum operum colligitur a gratia tamen & misericordia Dei profectum, & Christi meritis, Deique promissionibus innixum, cujus summa bonitas illum nobis debitorem, seu potius suæ fidelitati efficere voluit. Hinc S. Augustinus Enarratione in Psalmum 32. Concione 2. *Teneamus* (inquit) *fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Neque enim aliquid ei mutuum commodavimus, ut debitorem teneamus; cum ab illo habeamus quicquid illi offerimus, & ex illo sit quicquid boni sumus. Omnia bona quibus gaudemus ab illo sunt*. „ Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis
Rom. 11. 34. „ consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, & re„ tribuetur illi? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in „ ipso sunt omnia." *Ergo non ei aliquid dedimus, & tenemus debitorem. Unde debitorem? quia promissor est. Non dicimus Deo, Domine redde quod accepisti; sed, Redde quod promisisti*. Christus coronaturus est in nobis non merita nostra, sed dona sua, quia gratia Dei est omne meritum: & quamvis æterna felicitas & gloria cælestis, *merces* sit, & *corona justitiæ*; hanc tamen non redderet justus judex, nisi gratiam donasset misericors pater.

12. *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Salis duæ sunt proprietates præcipuæ, & condire cibos, illisque saporem dare, & a corruptione ac putredine servare. Hinc sapientia, a sapore dicta, *sal* appellata est, ut legitur apud Comicum: *Qui habet salem qui in te est*. Hinc Titus Livius Græciam *sal gentium vocat*. Hinc Christus Marci 9. 49.
Terentius. *Habete in vobis sal*. Et Apostolus ad Coloss. 4. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Sacrificia omnia, seu victimas sibi oblatas sale condiri præcepit Deus *Levitici* 2. 13. ut designaretur symbolice omne sacrificium & sale sapientiæ ac prudentiæ, & sale integritatis, incorruptionis & innocentiæ, ex parte offerentium, condiri debere. Quia vero sal, arcendo putredinem & corruptionem, durationem rerum extendit, fœdus perpetuum vocatur *Pactum salis*, Num. 18. 19. ob salis certe consistentiam. Uxor Loth in statuam salis conversa creditur, non tantum (ut notat S. Augustinus) ut nobis condimenti instar esset, sed etiam ut sic exstaret stabile ac perpetuum divini judicii monumentum. Non enim sal omne colliquationi obnoxium. Unde Plinius meminit lib. 31. *Histor. Natur. c.* 7. Arabes quosdam muros domosque massis salis facere, & aqua ferruminare. Docent etiam Medici, infantes recens natos abluendos aqua, in qua sal colliquatum fuerit, tum abstergendæ immunditiæ, tum membris consolidandis. Unde Ezechielis 16. 4. scriptum est: *Quando nata es in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem; nec sale salita, nec involuta pannis*. In quem locum *S. Hieron.* „ Tenera (inquit) infantium corpora „ dum adhuc uteri calorem tenent, & primo vagitu la„ borioseæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus „ sale contingi, ut sicciora sint, & restringantur. Por„ ro Jerusalem, quæ de malis parentibus nata est, ni„ hil saporis, nihil diligentiæ consecuta est. Qui autem „ renascuntur in Christo, dicitur ad eos: Vos estis sal „ terræ: & præcipitur eis ab Apostolo; Sermo vester „ semper in gratia sit sale conditus. Unde & vulgo sa„ pientes salsi, & stulti vocatur insulsi ..... Qui hoc „ sale conditus fuerit, & omnem putorem humoremque „ noxium hujus admixtione siccaverit, ultra non dicet: „ Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a „ facie insipientiæ meæ." Sal igitur appellantur a Chri-
Psalm. 37. sto Apostoli, & qui Apostolorum locum tenent, aut functiones obeunt in Ecclesia, Episcopi, Doctores, & Prædicatores, 1. Quia homines, *terræ* nomine significatos, sale sapientiæ condire debent, verboque evangelico ac doctrina cælesti, sine qua nemo sapit: quod quidem verbum prudenter non minus quam fideliter dispensandum est. 2. Quia mores eorum a corruptione & putredine servare debent, cum ejusdem verbi prædicatione, velut salis conspersione; tum sanctæ conversationis exemplis.
S. Joan. Chrys. Homil. 15. in Matth. Fieri certe non potest ut ea quæ jam corrupta sunt, salis conspersione reparentur. Non ergo hoc fecerunt Apostoli, sed ante renovata, sibique tradita, atque ab illa jam putredine liberata aspergebant sale, & in ea novitate conservabant, quam a Domino acceperant. Liberare quippe homines a putredine peccatorum, Christi virtutis est: Ut autem ad illa iterum non revertantur, Apostolorum curæ est ac laboris (inquit S. Joannes Chrysostomus.) Verumtamen ea divini illius salis, Verbi scilicet Evangelici, cujus Apostoli dispensatores erant, vis est, ut corruptis etiam moribus medeatur, & peccatorum amoveat putredinem, Deo gratiam suam adjungente, quæ sola interius sanare potest homines peccato corru-
4. Reg. 2. ptos: *Lex* enim *Domini immaculata, convertens animas*. In cujus rei typum Elisæus aquas Jericho pessimas & corruptas immisso sale sanavit, ut non esset ultra in eis mors & sterilitas. Per aquas populi significantur Apocalypsis 17. 15. *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & Gentes, & linguæ*. Legimus in Apostolo dictum de Ecclesia: *Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis*. „ Ergo Ecclesia est „ illa sterilis civitas, quæ ante adventum Christi aqua- *Galat. 4. 27. Homil. 2. De Elisæo, inter Serm. Ambr. olim edita, sed S. Maximo vindicata & sub ejus nomine edita a D. Jo. Mabil. Tom. 1. Musæi Italici.*
„ rum vitio, hoc est, sacrilegio Gentilium populorum, „ sterilitatem sustinens, Deo filios procreare non potuit. „ At ubi venit Christus, velut vas fictile assumens cor„ pus humanum, vitia sanavit aquarum, hoc est, rese„ cavit sacrilegia populorum; statim Ecclesia, quæ erat „ sterilis, cœpit esse fœcunda. Unde & Apostolus dicit, „ *Lætare sterilis*: ut plures etiam filios ex eo Ecclesia „ quam fœcunda susciperet. Aspersi autem qui sunt, „ qui attulerunt medicinam, facile cognoscimus." Dicit Dominus ad Apostolos: *Vos estis sal terræ*. Ergo si Apostoli salibus comparati sunt, recte figura completur: *Sicut tunc effusi de vasculo sales condierunt aquas, ita & nunc missi a Salvatore Apostoli condiunt universos; & ablata sterilitate vitiorum, prolem incipiunt germinare virtutum. Quod si sal evanuerit*, insipidum factum fuerit & corruptum, *in quo salietur*? Nihil superest, quo condiatur, & a putredine vindicetur. Sic Apostoli, Episcopi, Doctores, si falsam doctrinam amplectantur pro vera, vel fidei depositum violari patiantur; si vita illorum doctrinæ non respondeat, & quod verbis ædificant, exemplis destruant, si desint muneri, zelo, ac vigori debito in veritate, sive quæ fidem, sive quæ mores spectat, docenda, prædicanda, vindicanda; si languescant & concidant animis ob odia Mundi & pericula; si aliorum corruptioni pro officio non medeantur, eorum errores, languorem, fatuitatem quis emendabit? *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Nullius usus est, nullius virtutis. Solent aliæ res, etiamsi proprium usum amittant, fere ad aliquid manere utiles. Fractus nummus non servit commercio, servit aurifici. Corruptus cibus non datur homini, datur cani. At sal evanidum, marcidum & corruptum, ne in sterquilinium quidem valet, terram non fœcundat, sed sterilem reddit. Sic Deus interminatur populo suo terram illius sulphure & *salis ardore comburendam, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet*. Sic Deus minatur se terram *fructiferam* conversurum *in salsuginem, a malitia*, sive propter *Deut. 29. 23. Psalm. 106. 34.*
malitiam, *inhabitantium in ea*. Sic urbes quasdam legimus ira victorum sale seminatas, ut nullum in eis germen oriretur. Sal ergo corruptum ad nihilum valet, nisi ut projiciatur, & a quibusvis prætereuntibus conculcetur. Sic mystici salis, Prælatorum scilicet, Doctorum, Prædicatorum errorem, pravitatem, languorem, fatuitatem, excipit pœna gravis. Non tantum pretium omne, usus omnis sali isti decidit; sed & illius jactura redditur irreparabilis quodam modo, nec facile condimenti illius datur condimentum aliud: immo supplicio gravi obnoxii redduntur, quod per abjectionem & conculcationem Scriptura exponit. Est ista abjectio servi nequam in tenebras exteriores. Et sane optimarum rerum corruptio pessima.

13. *Vos estis lux mundi*. Elegi vos, ut sitis lux Mundi, in mundum errorum tenebris obsitum Evangelii lucem inferatis, ut homines in via salutis dirigatis. Lucem eos appellat & metaphorice, & participatione veræ lucis, quæ est ipse Christus, de quo *Isaiæ* 46. 6. Pater æternus ait: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Aliud est quippe lumen quod illuminat, & aliud lumen quod illuminatur. „ Nam & „ oculi nostri lumina dicuntur, & tamen in tenebris pa„ tent & non vident. Lumen autem illuminans, a seipso „ lumen est, & sibi lumen est, & non indiget alio lu„ mine ut lucere possit; sed ipso indigent cetera, ut lu„ ceant. Sic Apostoli sunt lumen mundi, sed illumina„ tum a Christo qui lux vera est." Unde Christus ipsos lucernæ comparat lucem præferenti.

14. *Non potest civitas abscondi super montem posita*. Hinc Ecclesiam, supra montem, qui Christus est, ædificatam, visibilem esse colligitur, nec ignorari posse. In sacris scilicet Litteris sicut apparet Dominus Christus, sive secundum divinitatem, qua æqualis est Patri, sive secundum susceptæ carnis humilitatem; sic apparet ejus Ecclesia toto terrarum orbe diffusa. Unde mirabilis est Hæreticorum cæcitas, qui cum ipsum Christum præter Scripturas nesciant, ejus tamen Ecclesiam non divinarum Litterarum auctoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt. *S. Aug. Ep. 92. alias 70. Et l. 3. contra Cresconium Donatistam, cap. 36. Ep. 185. alias 50. Et lib. de Unitate Ecclesiæ, c. 16. S. Hieron. in c. 5. S. Matt. S. Jo. Chrys. Hom. 15. in Matth.*

Sed & Apostolos spectat hæc sententia, qui instar civitatis supra montem positæ, omnium oculis expositi esse debent, ut non lateant ob metum, sed tota libertate se prodant, & quod audierunt in cubiculis, prædicent in tectis. His etiam verbis ad bene vivendi diligentiam cohortatur, ostendens quantum esse debeant de suis moribus actibusque ad sanctitatis normam conformandis soliciti, quasi ante omnium oculos constituti, & in medio orbis terrarum theatro certantes.

15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in do-*

mo

mo ſunt. Nonnulla hic diverſitas eſt in verbis apud Marcum & Lucam, nulla in ſenſu. Marci 4. 21. *Numquid venit lucerna, ut ſub modio ponatur, aut ſub lecto? Nonne ut ſuper candelabrum ponatur*: Luc. 8. 16. *Nemo lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit: ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes lumen videant*. Idem (inquam) eſt utrobique ſenſus, vis eadem comparationis, ſive a lucerna ſub vaſe, ſive ſub lecto, ſive ſub modio poſita ducatur ſimilitudo. Significat Chriſtus Apoſtolos eſſe conſtitutos in munere eminenti, non ut lateant, ſed ut lucem aliis præferant. Illorum itaque eſſe, & doctrinæ puritate, & vitæ ſanctimonia aliis prælucere inſtar lucernæ non abſconditæ, ſed expoſitæ loco opportuno & conſpicuo, ut lumen ſuum quaquaverſum diffundat. Sive vero ſub modio occultetur lucerna, ſive ſub lecto, ſive ſub vaſe, parum intereſt: utrobique enim lumen ejus intercipitur, & fructus illius intervertitur. Sic ſive negligentia, ſive metu occultetur lumen ſacrum, ſemper inutile redditur aliis quibus lucere debet, noxium illis in quibus & a quibus lucere. Adde, Chriſtum Dominum, ut aliis ſimilitudinibus, ſic & iſta diverſis temporibus diverſa occaſione uſum, ut mirum non ſit aliquam diverſitatem hic inter Evangeliſtas repiriri. Nullum in voce *modii* myſterium quærendum eſt, cum perſpicuum ſit, modium pro quovis vaſe ſeu inſtrumento apto ad occultandum vel intercipiendum lumen fuiſſe poſitum. Etiam non improbabiliter poſt alios obſervaverim, Dominum non modii tantum vel vaſis, ſed & lecti meminiſſe, ut indicaret, neutrum Apoſtolis committendum, nec lumen plane & omnino occultandum, nec ex parte tantum vel negligenter præferendum; quia ſub modio plane occultatur, ſub lecto ex parte. Oſtendit itaque gemina illa ſimilitudine, neutrum faciendum, nec vitæ lumen ſeparandum a lumine doctrinæ.

S. Joan. Chryſ. ib. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. „ Quaſi dicat, interprete *S. Jo: Chryſ.* Ego qui„ dem lumen accendi: ut vero perſeveret ardens, veſtri „ profecto ſit ſtudii, non propter vos ipſos modo, ve„ rum etiam propter illos qui eadem luce potientur, „ vobiſque ducentibus viam veritatis invenient. Non enim „ poterunt maledictiones veſtrum obumbrare fulgorem, „ ſi tamen vos omni cum diligentia vixeritis, atque ita „ prorſus quaſi qui univerſum orbem veſtri facietis imita„ tione converti. Dignam igitur tanta gratia exhibete „ vitam, ut ſicut illa cunctis mox regionibus prædican„ da eſt, ita illi etiam converſatio veſtra conveniat. De„ inde aliud quoque lucrum cum hominum ſalute con„ jungit, quod ſit prorſus idoneum illos præſtare ſolici„ tos, atque ad omne virtutis bonum concitare. Non „ ſolum, inquit, corrigetis orbem recte ſancteque viven„ do, verum etiam glorificari Deum ex veſtra converſa„ tione facietis: quemadmodum ſi contraria feceritis, „ & homines perdetis, & Dei nomen blaſphemiis offen„ di facietis. “ Ne autem finem in laudibus hominum

S. Aug. l. 1 de ſerm. Dom. in Monte, c. 7. conſtituiſſe videretur, non tantum dixit, *Ut videant opera veſtra bona*: ſed addidit, *& glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*: Ut hoc ipſum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem conſtituat ut hominibus placeat, ſed referat hoc ad laudem Dei, & propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem, ſed Deum honorent. Apoſtolorum igitur, Prælatorum, Doctorum, & Prædicatorum opera lucere jubet Chriſtus coram hominibus, non ad operantium gloriam, ſed Dei, non ad oſtentationem, ſed ad ædificationem.

16. *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas: Non veni ſolvere, ſed adimplere*. Incipit Chriſtus jam Apoſtolos informare, & docere quid doceant, tamquam ſi quærerent dicentes: Ecce volumus & omnia ſuſtinere pro tuo nomine, & doctrinam tuam non abſcondere; ſed quid eſt hoc ipſum quod vetas abſcondi, & pro quo jubes omnia tolerari? Numquid alia dicturus es contra ea quæ in Lege ſcripta ſunt? Non (inquit) *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem*, id eſt, deſtruere, evertere Legem, *aut Prophetas*: *Non veni ſolvere, ſed adimplere*. In Lege & Prophetis quatuor erant, quæ omnia Chriſtus complevit: 1. Promiſſa & vaticinia, exhibendo quæ promiſſa & prædicta erant. 2. Præcepta Moralia, melius interpretando, & vindicando a pravis Phariſæorum interpretationibus. 3. Præcepta ceremonialia, exhibendo ea quæ per ceremonias ſignificabantur, ut pro circumciſione Baptiſmum & circumciſionem cordis, pro variis ſacrificiis unum corporis & ſanguinis ſui in cruce, ejuſdemque juge in Eccleſia Sacrificium Euchariſticum. 4. Præcepta judicialia, quia præmia & ſupplicia corporea & temporalia, in ſpiritualia & æterna commutavit. Sane Chriſtum Legem ſpreviſſe, pervertiſſe, deſtruxiſſe, dici non poteſt, ut Judæi cavillantur, cum eam impleverit doctrina, opere, Mandato. Siquidem eam quandiu vigere debuit, diligentiſſime ſervavit, quamvis ipſe ut Deus & Dominus Legis ea minime teneretur. Circumciſus eſt, in Templo oblatus, quotannis ad Diem Feſtum Hieroſolymam aſcendit, Paſcha celebravit. 2. Legem implevit, quia bene interpretando perfecit. *Nam qui addit quod minus habet, non utique ſolvit quod invenit, ſed magis perficiendo confirmat*: Ideo ſubjungit: *Amen dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. DUM *enim fiunt etiam illa quæ adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa, quæ præmiſſa ſunt ad inchoationem*. 3. Legem implevit, quia gratiam, per quam impleri poſſet, nobis attulit. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt*. Quia quæ Lege promiſſa erant exhibuit; quæ ceremoniis & figuris adumbrata erant, implevit. Unde Lucæ 24. 44. ait: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi & Prophetis, & Pſalmis de me*. Adimplet certe Legem, qui ſic vivit ut Lex præcipit. *Plenitudo enim Legis charitas* (ait Apoſtolus): iſtam charitatem Dominus & exhibere & donare dignatus eſt, mittendo fidelibus ſuis ſpiritum Sanctum. Unde idem Apoſtolus ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Et ipſe Dominus: *In hoc ſcient omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis*. IMPLETUR *ergo Lex, vel cum fiunt, quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata ſunt. Lex enim per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ipſa Lex cum impleta eſt, gratia & veritas facta eſt. Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem: veritas ad Prophetiarum impletionem. Et quia utrumque per Chriſtum: ideo non venit ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere: Non ut Legi adderentur quæ deerant, ſed ut fierent quæ ſcripta erant: Quod ipſa ejus verba teſtantur: Non enim ait: Jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec addantur quæ deſunt: ſed, Donec omnia fiant*. Neque vero huic ſententiæ Chriſti repugnat altera: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*. „ Ut enim in„ terpretatur *S. Auguſtinus*, quæ prævaricatores abun„ danti reatu concludebat in eam fidem, poſtea revela„ ta eſt, gratia facta eſt per Jeſum-Chriſtum, per quem „ ſuperabundavit gratia: Ac per hoc impleta eſt per „ gratiam liberantem quæ non implebatur per litteram „ jubentem. Item in ipſa Lege univerſa Prophetia, quæ „ non tantum verbis, ſed etiam quarundam actionum fi„ guris Salvatoris promittebat adventum, veritas facta „ eſt per Jeſum-Chriſtum. Ex cujus adventu jam Regnum „ Dei cœpit annuntiari: quia Lex & Prophetæ uſque „ ad Joannem. Lex ut reos faceret, qui deſiderarent ſa„ lutem; Prophetæ, ut promitterent Salvatorem. Cete„ rum Prophetas alios exſtitiſſe jam in Eccleſia poſt A„ ſcenſionem Chriſti, quis neſciat? De quibus Paulus di„ cit, *Et quoſdam quidem conſtituit in Eccleſia primum* 1. Cor „ *Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores*, &c. Non 18. 28. „ itaque de illis dictum eſt, *Lex & Prophetæ uſque ad* „ *Joannem*: Sed de iis qui primum Chriſti adventum pro„ phetaverunt: qui adventus impletus non utique adhuc „ poſſet prophetari. “ Legem ergo Chriſtus abrogavit, non evertendo, ſed implendo; non deſtruendo, ſed perficiendo: *Sicut & pictor non corrumpit lineamenta prima, ſed magis illuſtrat & adimplet*, (inquit Theophylactus); *Theophylactus in c 5. Matth* ideo Chriſtus ſubjungit.

17. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant. Amen*, vox eſt aſſeverantis. Certiſſimum eſt, quod vobis dico, futurum citius, ut fractus illabatur orbis, quam ut minimus Legis apex irritus cadat. Quidquid enim in Lege præceptum, aut promiſſum, aut prædictum, aut ſcriptum eſt, obſervabitur, ſtabile erit: Non Lex modo tota, ſed minima mandata, minimæ partes vim finemque ſuum obtinebunt. Lucæ 16. 17. *Facilius eſt autem cælum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere*. Nec infrequens in ſacris etiam Litteris comparatio cum iis quæ impoſſibilia ſunt, vel talia videntur illis quibuſcum alicui negotium eſt. Exempla ſunt Jeremiæ 33. 20. 21. *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte ut non ſit dies & nox in tempore ſuo: & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius qui regnet in throno ejus, & Levitæ & Sacerdotes miniſtri mei*. Et ad Galat. 1. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Status quidem cæli & terræ immutandus eſt, innovanda omnia, & meliorem in ſtatum reſtituenda, in die Reſurrectionis generalis omnium hominum & Adventus Chriſti ad ultimum judicium, liberanda creatura a vanitate, cui modo ſubjecta eſt. Præterit figura hujus mundi. Cæli novi & terra nova nobis promittuntur, conſequenter vetera tranſitura ſunt, quoad accidentia ſtatus, non quoad ſubſtantiam quæ permanſura eſt in ſæculum ſæculi ad gloriam Creatoris. Verumtamen ne tunc quidem cum cælum & terra meliorem in ſtatum immutata fuerint & innovata, Lex Dei non implebitur. Alia ratio librorum & Voluminum Legis, alia veritatis in illis contentæ. Illa præteribunt aliquando, non iſta. Litteris ſponſi non amplius opus eſt

Legatur ejuſdem l. 19. contra Fauſtum, c. 7. 8. 9. & 10. Matth. 11. 13. S. Aug. ibid. c. 8.

S. Aug. l. 17. contra Fauſtum, cap. 6.

Jo. 1. 17.

ſpon-

sponsæ, cum sponsi præsentia fruitur. Chirographo non amplius opus est, præstita solutione. Verum veritas Legis
1.*Tim.*1. 5. æternum durabit: cumque *Finis præcepti* sit *charitas de*
1.*Cor.*13.8. *corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, &*
charitas numquam excidat, & hæc longe perfectior fu-
Isai. 51. tura sit in patria, quam fuit olim in via, tunc maxime implebitur Lex. Ea tamen a Christo perfectissime est ad-
S. Jo: Chrys. Hom. 16.*in Matth.* impleta iis, quos diximus, modis. Primo quia nullum ex præceptis Legis ipse transgressus est. *Peccatum* enim *non fecit*: & Joanni-Baptistæ ait: *Sic decet nos implere omnem justitiam*. Secundo, quia per nos id ipsum facit, nobis per gratiam suam donans, ut illam impleamus:
Rom. 10. quod S. Paulus significat dicendo: „ Finis Legis Christus
Rom. 8. „ ad justitiam omni credenti. Et, Peccatum damnavit in
Rom. 3. „ carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non „ secundum carnem ambulamus. Et, Legem ergo destrui- „ mus per Fidem? Absit; sed Legem statuimus. *Quia* „ *enim* (*inquit S. Jo: Chrysost.*) strudebat Lex homi- „ nem facere justum, atque ad hoc inveniebatur infir- „ ma: veniens Christus, & per fidem certissimum mo- „ dum justificationis inducens, voluntatem Legis implevit. „ Quod enim illa per litteram non potuit, hoc per fidem ipse „ confecit. *Propterea dixit*: Non veni solvere Legem, sed
S. Gregor. M. Hom. 16.*in Ezech. S. Aug. lib.*19.*contra Faustum, cap.* 7. „ adimplere. *Eodem sensu S. Gregorius M. ait*: Adimplere „ venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit, ut „ quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in „ summis, & quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret „ a corde. *Et ante ipsum S. Augustinus*: Quæ Lex superbos „ etiam prævaricationis reatu devinxit, augendo pecca- „ tum, cum jubet, quod implere non possunt; ipsius Legis „ impletur justitia per gratiam Spiritus in eis qui discunt a „ Christo mites esse atque humiles corde, qui venit non
S. Jo:Chrys. Hom. 16.*in Matth.* „ Legem solvere, sed adimplere. Deinde quia, etiam sub „ gratia positis, in hac mortali vita, difficile est omni mo- „ do implere, quod scriptum est: *Non concupisces*: Ille per „ carnis suæ Sacrificium Sacerdos effectus, impetrat nobis „ indulgentiam, etiam hinc adimplens Legem: Ut quod per „ nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfe- „ ctionem recuperemus, cujus Capitis membra effecti su- „ mus. " Denique Legem implevit per ipsa præcepta, quæ erat daturus, (inquit S. Joannes Chrysostomus.) Non enim interitus priorum, sed augmentum potius & complementum erant ea quę dabantur a Christo. Illius quippe Sententiæ, *Non occides*, non interemptio, sed adimpletio magis atque munitio est dicere; *Non irascaris*: omniumque similiter ceterorum. Ideo ait: *Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. Quasi dicat: Impossibile est Legis decreta non perfici: Nam minimum quoque ejus oportet impleri. Quod certe ipse fecit, omni illam diligentia curaque servando, & implendo. *Theodoretus, serm.* 9. *de Legibus.* „ Romani (inquit *Theodoretus*) Græ- „ corum Barbarorumque Legibus in unum collectis, quæ „ optimæ videbantur, a singulis Legislatoribus mutuati, „ subditas sibi nationes his Legibus servire coegerunt. „ Illos tamen qui ab ipsis regi noluerunt, nec vi, nec sua- „ sionibus adegerunt ut Romanis Legibus viverent. Quin „ & multi eorum qui servitutis frænum acceperunt, vi- „ vere tamen illorum Legibus recusant. Neque enim „ Æthiopes, neque Ismaeliticæ plurimæ gentes, non „ Lazi, non Sanni, non Abasgi, non ceteri Barbari, „ qui Romanorum gaudent dominatu, ex Romanis Legi- „ bus conventiones mutuas ineunt. At Piscatores nostri & „ Publicani, Sutorque, cunctis Nationibus Leges Evange- „ licas intulerunt. Neque solum Romanos, quique sub „ illorum vivunt imperio, sed & Scythicas ac Sarmaticas „ Gentes, & Indos, & Æthiopes, & Seras, & Hyrca- „ nos, & Bactrianos, & Britannos, & Cimbros, & Ger- „ manos, atque omne hominum genus, Nationesque om- „ nes induxerunt, ut Crucifixi Leges acciperent, non „ armis usi, non infinita vi Militum delectorum, non „ immanitatis Persicæ violentia, sed verbis suadentes, „ Legumque utilitatem ostendentes: Nec sine variis pericu- „ lis hoc agentes, sed frequenter in singulis urbibus injuu- „ rias perferentes, & flagella passim sustinentes, & torti „ vinctique ac supplicii genus omne subeuntes... Verum „ illi Legislatores quidem confoderunt, at Legum vim abo- „ lere non potuerunt. Multo enim valentiores post illorum „ necem apparuerunt. Ad Persas enim & ad Scythas, „ barbarasque alias gentes post illorum mortem Leges pe- „ netrarunt, omnibusque contra reluctantibus, non so- „ sum Barbaris, sed etiam Romanis, in eodem illæ ro- „ bore permanserunt. Quo miraculo confirmata domini- „ cæ illius sententiæ veritas est: Donec transeat cœ- „ lum & terra, jota unum, aut unus apex non præ- „ teribit a Lege, donec omnia fiant. "

„ 18. Qui ergo solverit unum de mandatis istis mini- „ mis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in
S. Hier in c. 5.*Matth.* „ Regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic „ magnus vocabitur in Regno cœlorum. *Hæc Sententia* „ *cum superiori cohæret*: Jota unum, aut unus apex non „ præteribit a Lege, donec omnia fiant. " Sugillat ergo Pharisæos, qui contemptis Mandatis Dei, statuebant proprias Traditiones: Quod non eis profit doctrina in populis, si vel parvum quod in lege præceptum est de-

Natal. Alex. In Evang.

struant. Jejunia scilicet, lotiones, sacrificia, dona illata in corbonam, decimarum anxiam solutionem, esse præce- *S. Jo:Chrys.*
pta maxima censebant, ac docebant; quorum nempe obser- *Hom.* 16.*in*
vatio maximum Sacerdotibus pariebat emolumentum; alia *Matth.*
esse præcepta minima, quamvis officia moralia essent, vel primæ aut secundæ tabulæ. Sic maxima eorum opinione erant præcepta, quæ spectabant actus externos, & illos imperabant vel prohibebant: minima quæ spectabant actus internos. Quod & ex sequentibus versibus liquet, & ex Matthæi 15. 16. 23. capitibus. Sic ex increpatione Christi, quod transgrederentur mandatum Dei propter Traditionem suam, *Matth.* 15. 3. constat, illos Traditiones suas pro mandatis maximis; præcepta Dei pro minimis habuisse. Et videntur Pharisæi ista, quæ subjicit Dominus, inter minima censuisse, irasci fratri suo, dicere illi *Raca* & *Fatue*, aspicere mulierem oculo concupiscentiæ, dimittere uxorem, jurare per cœlum, per terram, per Hierosolymam, per caput suum. Sensus igitur Dominicæ Sententiæ est: Tantum abest ut venerim ad dissolvendam Legem, sive doctrina, sive operibus meis, ut contra doceam, illorum etiam violationem præceptorum, quæ pro minimis habentur a Pharisæis & Doctoribus vestris, gravi reatui obnoxios homines facere. *Qui ergo solverit unum de manda-* *S. Aug. l.*1.
tis istis minimis, & docuerit sic homines; id est, illo- *de serm.*
rum violationem levis esse momenti, vel ea impune vio- *Dom. in*
lari posse docuerit, conjunctio enim &, pro disjunctio- *Monte, c.*8.
ne *vel*, hic ponitur (ut in aliis nonnullis Scripturæ locis) *minimus vocabitur*, nullo erit loco *in Regno cœlorum*, ab eo prorsus & in æternum excludetur, *Ubi nisi magni esse non possunt*, (inquit S. Augustinus.)

Qui autem fecerit, non unum, sed omnia mandata Le- *Idem,*
gis, & docuerit homines omnia esse implenda, nullo *Tract.*122.
minorum majorumque præceptorum discrimine, quia in *in Joann.*
Dei Lege nihil nisi magnum est; *hic magnus vocabitur*; id *n.* 9.
est magnus erit *in Regno cœlorum*. Quam sententiam simul & præcedentem sic explicat S. August. „ Ut ostenderet istos „ minimos reprobos esse, qui docent bona loquendo, quę „ solvunt male vivendo, nec quasi minimos in vita æterna „ futuros, sed omnino ibi non futuros; cum dixisset, " „ Minimus vocabitur in Regno cœlorum, *continuo sub-* *Matth.* 23.
„ *jicit*: Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia 3.
„ vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non in- „ trabitis in Regnum cœlorum. Illi sunt certe Scribæ „ & Pharisæi, qui super cathedram Moysi sedent, & de „ quibus ait: " Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt: „ Docent „ sermonibus, quod solvunt moribus. Consequens est er- „ go ut qui minimus est in Regno cœlorum, qualis nunc est „ Ecclesia, non intret in Regnum cœlorum, qualis tunc „ erit Ecclesia; quoniam docendo quod solvit, ad eorum „ societatem qui faciunt quod docent, non pertinebit: & „ ideo non erit in numero piscium magnorum; quoniam *Matth.* 5.
„ *Qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in Regno cœ-* 19.
„ *lorum*. Et quia hic magnus erit, ideo ibi erit, ubi „ minimus ille non erit. Usque adeo quippe ibi magni „ erunt, ut qui minor ibi est, major sit, eo quod hic nemo „ major est. Sed tamen qui hic magni sunt, id est, qui „ in Regno cœlorum, ubi sagena congregat bonos & „ malos, faciunt bona quæ docent, ipsi erunt in illa Re- „ gni cœlorum æternitate majores, quos isti ad dexte- „ ram & resurrectionem vitæ pertinentes indicant pisces. "

„ 19. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia „ vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non in- „ trabitis in Regnum cœlorum. " Nisi major & perfectior fuerit virtus vestra, & obedientia in observatione Legis, quam Scribarum & Pharisæorum, qui sapientissimi ac religiosissimi inter Judæos habentur, vobis ad æternam beatitudinem non patebit aditus. Vera justitia Pharisaica præstat in tribus. Primo, ut non modo opera nostra, sed & affectus interiores animi legi conformemus. Secundo, ut quę ex necessitate quadam & ad duritiam cordis Lex permisit, ea minime faciamus, aut facienda putemus. Tertio, ut Legem non juxta verborum sonum dumtaxat, sed juxta Legislatoris intentionem observemus. Pharisæi & Legisperiti actus tantum externos Lege prohiberi censebant; quædam Legis præcepta pro nullis vel minimis habebant, quæ scilicet pravas cupiditates prohiberent, internamque justitiam exigerent. Cum enim talibus præceptis nulla pena diserte adjuncta esset, ideo ea interpretabantur in consilii magis partem, quam in Legis necessitatem, aut certe partim quotidianis victimis, partim Ritibus in Festo Expiationis observari solitis ita illorum transgressiones expurgari, ut nulla illarum apud Deum memoria superesset, quamvis transgressores in iisdem pravis affectibus permanerent. Hinc *Thryphon* Judæus adversus *S. Justinum* dispu- *S. Justinus*
tans ait, tam magna tamque admiranda sibi videri Evange- *in Dialog.*
lii præcepta, ut plane videantur a nemine posse præsta- *cum Tri-*
ri; interioris nimirum innocentiæ mandata & eorum quæ *phone.*
pro parvis apud Judæos haberi solent vitiorum fugam intelligens. Quin & *Josephus* in Pharisaismo, ut ipse fatetur, accuratissime institutus, *Polybium* Historicum reprehendit, quod mortem Antiochi adscribat cogitato quidem, sed non perpetrato sacrilegio. *Nam* (inquit) *cum nondum actu implesset id quod destinaverat, non erat ea res*

pœna digna. Suorum ergo justitiam Pharisaicæ opponens Christus, perfectiorem esse jubet, nempe sinceram, internam, universalem. Hinc Clemens Alexandrinus: *Postquam*, inquit, *simulacra reliquerint, tunc audient scripturam*: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, *qui justitiam ponunt in mali abstinentia, nempe ut præterea proximum quoque possitis diligere, & ei benefacere, non eritis regales*. Sententiæ tandem istius Dominicæ sensus est: „ Nisi non solum illa minima Legis præcepta impleveritis quæ inchoant hominem, sed etiam ista „ quæ a me adduntur, qui non veni solvere Legem, sed „ implere, non intrabitis in Regnum cœlorum.... Justitia Pharisæorum est, ut non occidant, justitia eorum „ qui intraturi sunt in Regnum Dei, ut non irascantur sine „ causa: Minimum est ergo non occidere; & qui illud „ solverit, minimus vocabitur in Regno cœlorum: qui „ autem illud impleverit ut non occidat, non continuo „ magnus erit & idoneus Regno cœlorum, sed tamen „ ascendit aliquem gradum; perficietur autem, si nec „ irascatur sine causa: quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non „ iracamur, non solvit Legem ne occidamus, sed impletpotius, ut & foris dum non occidimus, & in „ corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus. "

Clemens Alexand. l. 6. Strom. p. 696.

S. Aug. lib. 1. De Serm. Dom. in Monte c. 9.

20. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio*, In lege scriptum audisti, *Non occides*: Qui autem propria auctoritate non modo insontem, sed vel reum occiderit, *reus erit judicio*, id est, ad judices rerum capitalium ducetur, & ex eorum sententia capitali supplicio afficietur. Atque solum homicidium isto Legis præcepto *Non occides*, prohibitum, Scribæ & Pharisæi perverse interpretantur: quasi id a majoribus velut ex Traditione acceperint. Judicium porro non erat consessus Trium virorum sive pedaneorum judicum; sed Auditorium judicum, qui in portis cujusque civitatis jus super causis majoribus dicebant, & in homicidas etiam lege agere solebant, de quibus vide *Deuteronom.* 16. 18. 21. 2. Quamquam enim capitalia judicia jam eo tempore, quo Christus hæc dicebat, Judæis adempta essent, erat tamen mos ille judiciorum notus omnibus & in recenti memoria. Consessum istum Hebræi omnes, & qui de Politia Hebræorum scripserunt, fuisse dicunt viginti-trium judicum.

21. *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Ego autem genuinum Legis sensum aperiens, Ego Dominus & Legislator vester, dico vobis: *Omnis qui irascitur fratri suo*. In quibusdam codicibus antiquis irrepserunt hæc verba, *sine causa*, quæ SS. Hieronymi & Augustini judicio expungenda sunt. Non meram animi commotionem hic significat iræ nomen. Hæc enim aliquando justa, secundum illud, *irascimini & nolite peccare*; interdum veniale peccatum est, si levis sit, etiam ex causa, sed intelligitur commotio gravis, rationis judicium refugiens, cum appetitu vindictæ ex genere suo mortali, nempe homicidii, vel gravis cujuslibet nocumenti conjuncta. Igitur qui sic irascitur fratri suo, id est, homini cuilibet. *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius* (inquit Tertullianus Ethnicos alloquens) *etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis?* Qui irascitur, *reus erit judicio*; Id est, reus est delicti gravis, pœnæque non minus gravi obnoxius est in judicio Dei, & in futuro sæculo quam ea est, quam homicidæ sustinent. Judicii autem pœna usitatissima erat gladius, quo in homicidas animadvertebatur.

Tertull. Apolog. cap. 39.

22. *Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio*. Raca vox est indignationem animi significans cum gestu aliquo insignis contemptus indice: vel, ut aliis placet, hominem *vacuum* significat, aliquo scilicet naturæ aut fortunæ bono. Convitium igitur est quo exprobratur fratri vitium aliquod naturæ aut fortunæ, verbi gratia cum vocatur luscus, claudus, gibbosus, ignobilis & infimæ sortis, egenus, obscurus, sive honoris & dignitatis expers, & ob defectus hujuscemodi contemnitur non interius dumtaxat, sed exteriori corporis gestu, quo nullius esse pretii significetur. Qui ergo ex ira in vocem indignationis & convitii hujusmodi eruperit, *Reus erit concilio*: Id est gravioris criminis reus, quam si iræ impetum, tametsi rationis consensione probatum, silentio pressisset: ac proinde obnoxius graviori pœnæ, in Dei judicio, & futuro sæculo quam illa esset quæ in summo Judæorum Synedrio seu Concilio 70. judicum decerni solebat adversus falsos Prophetas, aut perduellionis, aliorumque gravissimorum criminum reos. Hæc autem erat pœna lapidationis, *Deut.* 17. 5. 3. *Reg.* 21. 10.

23. *Qui autem dixerit, Fatue, Reus erit gehennæ ignis*. Non qui joco, aut correctionis animo quempiam vocaverit fatuum, gravis peccati reus est; sed qui ex contemptu, ira & mala voluntate, pronoque in vindictam animo, qui ad homicidium gradus est, hoc vel aliud verbum contumeliosum protulerit, quo graviter lædatur ejus honor, *Hic Reus erit gehennæ ignis*; graviori scilicet pœna plectetur in futuro sæculo, quam præcedentium peccatorum rei. Notum erat Judæis omnibus, quomodo extra Jerusalem Majores ipsorum crudelem Phœnicum superstitionem imitati, consuevissent infantes vivos comburere, circumstrepentibus interim tibiis, tympanisque, ne miserorum clamor exaudiretur. Locus tam sævo sacro dicatus *Tophet* dicebatur, & *Vallis filiorum Hinnom*, tandemque *Gehenna*. Ad hanc idololatriam abolendam Rex Josias locum istum polluit, præcipiens ut in eum equorum, aliorumque animalium cadavera insepulta & sordes projicerentur. Inde sumpta metaphora, locus supplicii impiorum post mortem, videlicet infernus, a Christo dictus est *Gehenna ignis*. Varios itaque peccatorum, pœnarumque pro gravitate peccati gradus, Christus hic indicat, „ Gradus in istis peccatis sunt, ut primo quisque irascatur, & eum motum retineat corde „ conceptum; jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum „ ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur; „ plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur: Si „ vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur, designet & notet, quis dubitet amplius hoc esse, „ quam si solus indignationis sonus ederetur?... Audiendum „ est itaque quantum interfit inter justitiam Pharisæorum, „ & istam majorem quæ in Regnum cœlorum introducit, „ quod cum sit gravius occidere quam verbo irrogare convicium, ibi occisio reum facit judicio, hic autem ira facit „ reum judicio, quod trium illorum peccatorum levissimum „ est: quia illic quæstionem homicidii inter homines agitabant; hic autem omnia divino judicio dimittuntur, ubi „ finis damnatorum est gehenna ignis. *Hæc Sanctus Augustinus. Qui & alibi observat*, Quædam esse *peccata*, „ quæ levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, „ Fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? "

4. Reg. 23. 12. Jerem. 7. 32. S. Augustin. lib. 1. De Serm. Dom. in Monte, c. 9. num. 24. S. Greg. M. l. 21. Moral. cap. 31.

S. Aug. Enchiridii cap. 78.

„ Multi hoc grave atque onerosum putant esse mandatum, ut scilicet pro uno verbo tanta nobis pœna subeunda sit. Sed cur quæso mandatum istud videtur onerosum? An forte nescis, quia plurima pars culparum atque pœnarum ex verbis sumat exordium? Nam & blasphemia per verba, & Dei negatio per verba, inde & „ maledicta & injuriæ, atque perjuria & falsa testimonia, „ & ipsa frequenter homicidia. Noli igitur aspicere quod „ unum hic verbum sit; sed quantum periculi habeat, expende. An ignoras, inimicitiarum tempore incandescente „ ira, animoque prorsus ardente, etiam minimum aliquid „ magnum videri? Nam hæc ipsa parvula & homicidia sæpe „ pepererunt, & urbes crebro integras subruerunt. "

S. Joan. Chrys. Hom. 16. in Matth.

„ 24. Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade „ prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres „ munus tuum. " Si offerre cupias, aut oblatum eas sacrificium tuum ad Altare; & memineris fratrem tuum justam habere adversus te conquerendi causam, quod eum offenderis, *Relinque ibi*: Ne prius offeras munus tuum, quam sis reconciliatus, & in gratiam redieris cum fratre, vel affectu animi, si sit absens, vel effectu, si præsens, illi satisfaciendo, & si quam viciffim injuriam tibi intulerit, condonando. Quamvis enim accessus ad fratrem offensum differri possit cum absens est, non tamen animi præparatio. „ Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus: pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu „ prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, „ in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim „ etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo leni re; atque in gratiam revocare veniam postulando, si „ hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro „ motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque „ inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod „ agere cœperas, offeres munus tuum. " Docet Christus, Dei cultum in charitate præcipue situm esse, qui dixit: *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Primam igitur de charitate curam esse debere, & si offenderis Deum charitatis lege violata, pœnitentia ex Dei amore profecta, (qua non minus colitur Deus, quam sacrificio) illud resarciendum ante novorum munerum oblationem.

S. Aug. Lib. 1. de serm. Dom. in Monte, c. 10. n. 27.

„ 25. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via „ cum eo: Ne forte tradat te adversarius judici, & judex „ tradat te ministro & in carcerem mittaris. " Esto consentiens, sive benevolus fratri quem læsisti, quem raca aut fatuum vocasti, qui actionem adversum te apud Deum habet: pacem cum illo redintegra & serva, dum in istius sæculi via curris: Ad quam certe concordiam Apostolus Christianos omnes cohortatur his verbis: *Si fieri potest, quantum in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habete*. Nisi id præstiteris, timere merito debes, *Ne tradat te adversarius judici*, ne coram summo Judice vivorum & mortuorum Christo, cui Pater omne judicium dedit, te conveniat, sive ejus occasione accuseris a dia-

S. Hier. in c. 5. Matth.

a diabolo ad Tribunal Christi: & Judex terribilis & justus tradat te ministris, id est, Angelis, de quibus scriptum est infra cap. 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis:* & in carcerem mittaris, id est, in infernum detrudaris a ministro & exactore.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Lucæ 12. 59. dicitur, *Donec etiam novissimum minutum reddas.* Quadrans minimum erat in nummorum genere, ideo & minutum dictum est: Marci 12. 42. *Misit duo minuta, quod est quadrans.* Significat Christus metaphorica hac locutione, nullum peccatum in divino judicio impunitum relinqui: sicut loquentes etiam dicimus, usque ad fæcem, cum volumus exprimere aliquid ita exactum, ut nihil relinqueretur. Illud porro, *Donec solvas*, pœnam æternam significat. „ Unde enim solvitur debitum, „ ubi jam non datur pœnitendi locus? Ita ergo hic posi-
S. Aug. l. 1. de Serm. Dom. in monte c. 11. num. 30. „ tum est; *Donec solvas*, quomodo Psal. 109. ubi dictum „ est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* Non enim cum fuerint inimici „ sub pedibus Christi positi, desinet ille sedere ad Patris dextram. Aut illud Apostoli 1. Cor. 15. 25. *Oportet „ illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis*: Non enim cum positi fuerint, desinet regnare. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum „ est, *Oportet eum regnare donec ponat inimicos sub pedibus „ ejus*, semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub „ pedibus: ita hic accipitur quod dictum est, *Non exies „ inde donec solvas novissimum quadrantem*, semper non „ exiturum esse; quia semper solvit novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas peccatorum luit. "

26. *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.* Sola adulteria, & quidem re ipsa patrata docebant Scribæ hoc Præcepto, *Non mœchaberis*, inhiberi: cordis autem, cogitationum, & affectuum impuritatem Lege vetitam non putabant. Unde R. *Kimchi* verba ista Psal. 66. v. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, plane contra mentem Prophetæ ita interpretatur: *Etiamsi viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus essem in actum perducere, ut ut illa sit coram Deo, ac si eam labiis protulissem, tamen non audiet eam Dominus: quasi dicat, Non ducet mihi eam sceleri. Cogitationem enim parvam Deus non habet vice facti, nisi concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.* Et hanc ipsam sententiam a multis Hebræis probatam notat *Aben Esra* ad Decalogum. Pravam hanc interpretationem Legis, erroremque Scribarum & Pharisæorum Christus evertit his verbis: *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam*
S. Aug. l. 1. de ser. Dom. n. monte, c. 12. n. 33. & 36. *in corde suo.* „ Igitur (inquit *S. August.*) Justitia mi- „ nor est non mœchari corporum conjunctione: justitia „ vero major regni Dei, non mœchari in corde. Quis- „ quis autem non mœchatur in corde, multo facilius „ custodit ne mœchetur in corpore. Illud ergo confir- „ mavit qui hoc præcepit: Non enim venit Legem solvere, sed implere. Sane considerandum est quod non „ dixit: *Omnis* qui concupiverit mulierem; sed *qui vi- „ derit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc „ fine & animo attenderit, ut eam concupiscat quod „ jam non est titillari delectatione carnis, sed plane „ consentire libidini, ita ut non refrænetur illicitus ap- „ petitus, sed si facultas data fuerit, satietur." Nomine porro mœchantium hic omnem carnalem & libidinosam concupiscentiam oportet intelligi, seu venerem omnem non conjugalem. *Qui viderit mulierem:* Scilicet fenestræ quodammodo sunt mentium nostrarum oculi, & omnes cupiditates in cor quasi per naturales cuniculos ingrediuntur. Hinc oculos *plenos adulterii* S. Petrus vocat
Tertull. lib. de pudicit. cap. 4. Ep. 2. c. 11. 14. Hinc *Tertullianus* lib. De Pudicitia, c. 10. „ Christianus carnem spiritu librans, animam fide „ moderans, oculum metu temperans. Et Apol. 46. Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine „ concupiscentia aspicere non posset: & doleret si non „ esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. „ At Christianus salvis oculis fœminas non videt, animo adversus libidinem cæcus est."

Jam mœchatus est eam in corde suo. „ Nam, ut ait
Tertull. lib. De Pœnit. cap. 8. „ *Tertullianus*, Voluntas facti origo est ..... quæ ne „ tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, „ nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat. Denique Dominus „ quemadmodum se adjectionem Legi superstruere demonstrat, nisi & voluntatis interdicendo delicta? cum adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum „ Matrimonium cecidisset; verum etiam illum qui aspectus concupiscentia contaminasset. Adeo quod prohibetur administrare, satis periculose animus sibi repræsentat, & temere per voluntatem expungit effectum. Cujus voluntatis cum vis tanta sit, cur non solatium sui „ saturans pro facto cedat? Pro facto ergo plectetur."

„ 27. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue „ eum, & projice abs te: Expedit enim tibi ut pereat „ unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum „ eat in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat „ te, abscinde eam, & projice abs te: Expedit enim tibi „ ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum cor- „ pus tuum eat in gehennam. " Ex duobus incommodis eligendum quod minus: si gangrena partem corporis quamvis caram occupasset, æquum est ut patereris eam præcidi potius, quam proserpens malum toti corpori exitium crearet. Quanto justius id faciendum est, ubi æterna animi corporisque pernicies imminet, ni antevertas? Per oculum & manum, intellige occasiones proximas libidinis & cujuscumque peccati; sive cognatos etiam & amicos conjunctissimos, oculi dextri, & dextræ manus symbolo Christus significavit. *Scandalizat te*, incitat impellitque ad peccatum. *Erue eum*, cohibe a functione visionis, etiamsi absque summo dolore ac detrimento id facere non possis; nega tibi illecebrarum peccati aspectum, perinde ac si oculi tibi eruti essent. *Et projicie abs te*, contemne, & longe a te repelle quicquid tibi peccati occasio aut fomentum est, etiamsi sit oculo dextro aut manu dextera carius magisque necessarium: *Expedit enim tibi* &c. Minus enim malum præ majori eligendum. Melius est ut vim tibi facias in hac vita, quam ut æternam damnationem subeas, & *Marci 9.* *in ignem intextinguibilem* detrudaris. *Si oculus tuus dexter scandalizat te*, &c. Si de membris hic loqueretur Christus, nequaquam vel de uno, vel de dextro oculo, sed indifferenter de utroque id diceret. Qui enim dextro scandalizatur oculo, haud dubium quin ipsum patietur etiam de sinistro. Quam igitur ob caulam dextrum posuit, & manum adjecit? Ut scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his potius qui nobis familiaritate junguntur. „ Etsi igitur tantum aliquem diligas, ut eo *S. Joan. Chrys. Hom. 17. in Matt.* „ dextri oculi utaris vice: aut ita tibi quempiam utilem „ putes, ut eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen „ animæ tuæ fortassis incommodent: etiam istos a te (*in- „ quit*) abscinde. Non dixit, A talium societate discede: „ sed maximum separationem indicans, *Erue*, inquit, & „ *projice abs te*. Deinde quia severe satis præceperat, lucrum ex utroque ostendit. *Expedit enim tibi ut pereat „ unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat „ in gehennam*. Cum enim nec se ipsum certe salvet qui tibi „ fuerit adjunctus, & te perditionis suæ socium faciat; quæ „ tandem humanitas sit, utrumque demergi, cum liceat „ vel unum separatione servare? Cur enim Paulus optabat „ anathema fieri? Non utique ut nihil inde lucri caperet, „ sed ut alios acquireret in salutem. Hic vero uterque damno afficitur; & idcirco non ait tantummodo, *erue*, sed, „ *projice abs te*; Ut eum numquam recipias ulterius, si qua- „ lis fuerat, perseverat. Hoc enim modo & illum majori „ crimine liberabis, & te a perditione salvabis ... Si daretur „ electio, unumque esset necessarium de duobus, aut cum „ ambobus oculis in foveam ruere, atque ibidem perire, aut „ etiam absque uno oculo reliquum salvare corpus: putasne „ e duobus non malles suscipere secundum? Non enim hoc „ esset odientis oculum, sed corpus reliquum diligentis. „ Hoc etiam in viris consideretur & feminis. Si qua enim „ tibi noceat amando, incurabilisque permaneat: & te „ omni peste, dum sic abscinditur, liberabit, & ipsa a majoribus est erepta peccatis, non jam ultra cum suis malis „ etiam crimen tuæ perditionis admiscens. Vidisti quanta „ lenitate Christi Lex plena sit & solicitudine, & quæ a plu- „ ribus nimiæ severitatis putatur, quantum erga homines *S. Hilar. cap. 4. in Matth.* „ pietatis ostendat? " De præcidendis ac vitandis proximis peccati occasionibus, vitandaque carissimorum & conjunctissimorum societate, si nos ad peccatum pertrahant, hunc locum pariter explicat *S. Hilarius*. „ Sed quia, inquit, diversa invicem membra, corpus tamen omnes unum sumus; „ abjicere a nobis, vel potius eruere, propinquitates carissimorum hominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus; ne in consortium nominis eorum de familiaritate „ veniamus. Rectius utilibus & maxime necessariis, tanquam oculi & pedis membris carentes, quam usque in so- „ cietatem gehennæ vitiosæ propinquitatis teneamur affectu. His concordat *S. Hieronymi* interpretatio. In dextero *S. Hieron. in c. 5. Matt.* „ (inquit) oculo, & dextera manu, fratrum, uxorum, & „ liberorum atque affinium & propinquorum monstratur affectus; quos si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernamus, debemus truncare istiusmodi „ portiones: Ne dum volumus lucri ceteros facere, ipsi in „ æternum pereamus. Unde dicitur & de sacerdote magno, cujus anima Dei cultui dedicata est: *Super patre & matre & filiis non polluetur*: id est, nullum af- *Levit. 22.* „ fectum sciet, nisi ejus, cujus cultui dedicatus est." His concinit *S. August.* „ His (inquit) magna opus est *S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. in Monte, c. 13.* „ fortitudine ad membra præcidenda. Quicquid enim est „ quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis qui vehementer „ volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum „ sicut oculos meos, aut etiam plus quam oculos meos. „ Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam „ vim dilectionis valet. Quamquam enim ad videndum isti „ oculi corporis communiter intendantur, & si ambo intendantur, æqualiter possint; amplius tamen formidant „ homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus: Quic- „ quid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas,

„ beas, si *scandalizat te*, id est, si tibi impedimento „ est ad veram beatitudinem, *erue illud & projice abs „ te. Expedit enim tibi ut pereat unum horum*, quæ ita „ diligis ut tamquam membra tibi hæreant, *quam to- „ tum corpus tuum eat in gehennam*. "

28. *Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii*. Ea de re lex extat. *Deut.* 24. 1. *Hæc justitia minor est Pharisæorum* (inquit S. Aug.) cui non *est contrarium quod* hic *Dominus dicit*: Ego autem dico vobis; quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. *Non enim qui præcepit dari libellum repudii, hoc præcepit ut uxor dimittatur: Sed* qui dimiserit, *inquit*, det illi libellum repudii: *Ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle dissidium. Et ideo Dominus alio loco interrogatus, ita respondit*: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. *Quantumvis enim durus esset, qui vellet dimittere uxorem, cum cogitaret libello repudii dato jam sine periculo eam posse nubere alteri; Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit*. Aliæ quidem causæ sunt canonicæ, ob quas uxor a thoro viri potest repelli, sed solum adulterium causa est dimittendæ uxoris Matrimonii propria, quia uxor prior esse noluit, quæ fidem jugalem marito non servavit. Et ob alias quidem causas abjici a thoro potest uxor ad tempus, donec emendetur; ob adulterium vero abjici potest a thoro in perpetuum, ut violatæ fidei conjugalis pœnas luat quamdiu vixerit: ita ut ipsam licet pœnitentem & emendatam recipere vir minime teneatur. Sed qui ob aljas causas, etiam canonicas, id est Ecclesiasticis Canonibus ac Decretis probatas, & Ecclesiastici Judicis auctoritate ac sententia interveniente divortium cum conjuge fecerit; ipsaque ad meliorem frugem redierit, ut redeat ad virum, tenetur cum ea reconciliari; Alioquin *facit eam mœchari*, id est nimia severitate præbet illi occasiones adulterii, exponit illam adulterii periculo. Verumtamen & *qui dimissam* ob adulterium *duxerit, adulterat*: Quia alienam uxorem ducit. Vinculum enim conjugale *in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*, ratione Sacramenti, indissolubile est: *Et interveniente divortio non aboletur consœderatio illa nuptialis*: sed *sibi conjuges sunt etiam separati; cum illis autem adulterium committunt, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri*. Atque id confirmat Apostolus ad Rom. scrib. c. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro*. Et 1. ad Cor. 7. 10. 11. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere: Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*. Eadem enim lex quoad hoc posita est a Christo viro & uxori, ut si dimiserit, etiam ob adulterium, non ducat aliam, aut reconcilietur uxori: quam reconciliationem etsi non imperat Novæ Legis Auctor, tamen optat. Jam vero si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Sed de hoc rursus argumento tractandum ad c. 19. *S. Matt.*

29. *Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: Reddes autem Domino juramenta tua*. Non verba, sed sensum Legis Christus reddit. Exod. 20. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Quod & Levi. 19. In Hebr. Textu habetur, ubi Vulgatus Interpres vertit; *Non perjurabis in nomine meo*. Deuter. 5. 2. *Non usurpabis nomen Domini tui frustra: Quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit*. Assumere autem nomen Dei in vanum est pejerare. Vox enim Hebraica *schave* & *in vanum* apud Latinos, utrumque significat, & quod minime necessarium, & quod falsum est. Altera pars Dominicæ sententiæ sumpta est ex N. 30. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, & se constrinxerit juramento; non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit*. Sic Ps. 23. 4. vir pius describitur, his verbis, *Qui non accepit in vano animam suam*, (quibus respicitur formula jurisjurandi, ITA VIVAM:) *Nec juravit in dolo proximo suo*. Pejerare hic duo complectitur, 1. falsum jurare; 2. Quod ex animi tui sententia juraveris, non præstare. Scribæ & Pharisæi dupliciter in hoc capite de juramento errarunt. 1. Quod de veritate tantum rei juratæ caverent, non autem de vanitate jurandi. Juramenta quidem vana & temeraria aliqua censura notarunt, sed ea arctissimo circulo concluserunt, & quatuor tantum modis fieri dixerunt, ut observat *Joannes Lightfoot*, in *Horis Hebraicis*; 1. Cum quis id juramento assereret, quod notissimæ veritati esset contrarium; veluti, *Si juraret virum esse feminam, columnam lapideam esse columnam auream*, &c. vel cum quis juraret id esse vel fuisse, quod omnino impossibile; veluti, *se vidisse camelum in aere volitantem*. 2. Cum quis jurejurando id assereret, de quo non erat quod quis dubitaret, exempli gratia, *Cœlum esse cœlum, lapidem esse lapidem*, &c. 3. Cum id se facturum juraret, quod omnino ipsi impossibile: *Se nempe per triduum & trinoctium non dormiturum; per plenam septimanam se nihil gustaturum*, &c. 4. Cum ab eo abstinere juraret quod præceptum est, nempe, *Se non gestaturum Phylacteria*. 2. Secundo, errarunt in hoc capite, quod per creaturas jurare pro more & consuetudine habuerunt, nec tamen id vere & proprie juramentum esse putarunt, ut constat ex Maimonide in *Sheuvoth* c. 12. ex aliisque libris Hebræorum Magistrorum a *Lightfoto* citatis: & non se teneri jurejurando, si per cœlum, aut terram aut per Jerosolymam, aut per caput suum jurassent. Utrumque hunc errorem Christus hic evertit.

„ 30. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, ne- „ que per cœlum, quia thronus Dei est, neque per ter- „ ram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosoly- „ mam, quia civitas est magni Regis: Neque per caput „ tuum juraveris, quia non potes unum capillum album „ facere aut nigrum. " Legem explicat Christus, non solum perjurium, sed omne prorsus non necessarium juramentum prohibens. „ Justitia Pharisæorum est, non pejerare, „ (inquit S. Aug.) Hanc confirmat qui vetat jurare, quod „ pertinet ad justitiam Regni cœlorum. Sicut enim falsum „ loqui non potest qui non loquitur, sic pejerare non potest „ qui non jurat. *Licere tamen Christianis jurare ubi, quando, & qua ratione oportet, docet exemplum Apostoli jurantis:* Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia „ non mentior. *Et* Testis est mihi Deus, &c. *Idque confirmat Ecclesiæ perpetuus usus*. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit „ non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, „ refrœnet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi ne- „ cessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum, „ quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur. " Docet deinde Christus, non solum peccatum esse jurare sine necessitate illis jurandi formulis, quibus Deus directo nominatur, qualis est illa Judæis sanctissima, *Deus vivit*: Sed etiam jurare per res alias extra Deum, quod res aliæ tacite ad Deum, referantur. „ Itaque Dominus „ docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quis- „ que pejerandum arbitretur: quando a summis usque ad „ ima divina providentia creata regantur. " *Verba sunt S. Augustini lib.* 1. de Serm. Dom. in Monte.

„ Neque per cœlum quia thronus Dei est; Neque per „ terram, quia scabellum est pedum ejus. *Alludit ad illud Is.* 66. Cœlum mihi sedes est: Terra autem scabellum „ pedum meorum. „ Quod non ita intelligendum, quasi „ Deus habeat membra collocata in cœlo & in terra, ut „ nos cum sedemus, sed illa sedes judicium significat: & „ quoniam in hoc universo mundi corpore maximam speci- „ em cœlum habeat, & terra minimam; tamquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis divina, minimam vero „ ordinet in extremis atque infimis, sedere in cœlo dicitur, „ terramque calcare. " Has porro jurandi formulas ad Deum referri Christus docet. Matth. 23. 22. *Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum*.

Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis. Ita vocatur Ps. 47. 3. quod Regis Regum cultui dicata sit. Hoc igitur eo pertinet, ut qui per Jerosolymam jurat, intelligatur per eum jurare, qui Hierosolymis Regnum suum posuit, sicut qui per Templum jurat, jurat per habitatorem Templi, ut Christus explicat infra cap. 23.

Neque per caput tuum juraveris, &c. Et per Deum enim jurare intelligendus est, qui per caput suum jurat, cum nec sui capitis homo sit Dominus, cujus ne unum quidem capillum album vel nigrum facere potest, id est naturam ejus immutare. *Qui per salutem suam jurat*, (inquit Ulpianus Jurisconsultus) *per Deum jurare videtur; respectu enim divini Numinis jurat*. Idem dicendum de illo qui per caput suum jurat.

31. *Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: Quod autem his abundantius est, a malo est*. Cum aliquid affirmandum est, simpliciter affirmate: cum aliquid negandum, simpliciter negate, nullo adhibito juramento, cujus consuetudo mala; vel quod a vitio incredulitatis ejus qui dictis vestris non credit, originem ducit; vel a diaboli tentatione. „ Si jurare cogeris, *inquit S. Augustinus*, scias de necessitate „ venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades: quæ „ infirmitas utique malum est: unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, *Libera nos a malo*. Itaque non dixit, Quod autem amplius est, malum est: „ tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, „ quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri per- „ suadeas quod utiliter suades: sed, *a malo, est*, il- „ lius cujus infirmitate jurare cogeris. " Christi Salvatoris de vitando juramento sententiam S. Jacobus Apostolus expressit, Epist. cap. 5. 12. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*.

Sit

Ibid. cap. 14. Legatur & lib. 19. contr. Faustum, c. 26. Videsis & S. Joan: Chrys. hom. 17. in Matt. & Ser. 19. de Libello Repudii Tom. 5. Matt. 19. 8.

S. Aug. De bono conjugali cap. 7.

S. Aug. lib. 1. de ser. D. in Monte cap. 17. Galat. 1. 20. Rom. 1. 9. Vide S. Aug. Ep. 15. al. 89. ad Hil. S. Athan. in Apol. ad Constantium.

Col. Carth. Acta & ante alios Tertul. Apol. c. 32.

S. Augustin.

S. Aug. lib. de ser. Dom. in Monte, cap. 17.

Sit autem sermo vester: Est, est: Non, Non: ut non sub judicio decidatis. Præclare *Clemens Alexandrinus* perfecti Christiani mores describens, ait: „ Longe autem abest ut qui in tali pietate probatur & dijudicatur, sit ad mentiendum propensus, & ad jurandum. Est enim jusjurandum confessio definitiva cum divina assumptione. Qui est autem semel fidelis, quomodo seipsum infidelem præbuerit, ut etiam opus habeat jurejurando, & non ita vitam instituat, ut ea sit firmum ac definitum jusjurandum, fidemque ostendat confessionis in constanti stabilique vita & sermone? Si autem in judicio ejus qui facit & loquitur, positum est facere injuriam, non in perpessione ejus qui patitur persecutionem, neque mentietur, neque pejerabit, ut qui Deum afficeret injuria, cum eum sciat natura esse hujusmodi ut minime lædi possit. Sed neque propter proximum mentietur, vel aliquid transgredietur, quem didicit diligere, etiamsi non sit familiaris. Propter se ipsum autem multo minus aut mentietur, aut pejerabit: siquidem numquam sua sponte in se iterum injustus invenietur. Sed neque jurat, ut qui in affirmationem quidem: Ita, vel est: in negatione autem, Non, usurpare constituerit. Sufficit ergo ei vel affirmationi vel negationi addere illud, Vere dico, ut fidem iis faciat qui responsi ejus non perspiciunt stabilitatem. Oportet enim eum habere apud externos vitam fide dignam, ut ne postuletur quidem ab eo jusjurandum; apud se ipsum autem & qui cum eo conversantur, animi æquitatem, quæ est justitia voluntaria. " Evangelicum illud de vitando juramento præceptum audivisse videtur *Clinias* Philosophus Pythagoricus, cui cum per juramentum mulctam trium talentorum vitare liceret, injuriam pati maluit quam jurare, idque cum non esset falso juraturus; ut refert *S. Basilius*, Homilia *De legendis Gentilium libris*, c. 24.

Clemens Al. lib. 7. Stromatum p. 728. & 729.

32. *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Oculum pro oculo reddat, qui alterius oculum eruit, &c. Jus est Talionis apud gentes omnes vetustissimum, quod jus Rhadamanthi dictum testatur Aristoteles, isto Versu descriptum: *quæ fecit si quisque ferat, jus fiet & æquum.* Ex Græcia Romam transiit: Unde in Legibus 12. Tabularum scriptum erat: *Si membrum rupit, talio esto.* Hoc Mosaicæ Legis forense Decretum, *Exod. 21. vers. 23. 24. 25.* & *Levit. 24. 19. 20.* Sed Talionis exactio non licebat nisi judicis sententia, ut constat ex Deut. 19. *Stabunt ambo, quorum causa est ante Dominum, in conspectu Sacerdotum & Judicum ..... Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit ..... Ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Et permissa magis erat hæc exactio talionis, etiam apud Judicem actionem injuriarum instituendo, quam imperata: permissa, inquam, erat ut majoris mali vitaretur occasio, & ne Judæi ad vindictam proni graviorem pœnam exigerent damno dato, aut privata auctoritate injurias ulciscerentur: atque metu talionis ab injuria inferenda cohiberentur: ceterum vindictam Lex ipsa privatis prohibet, *Levit. 19. 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Deuteronom. 32. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Christus igitur duo adjecit Legi: Talionem nempe iustulit, ac præterea nos docuit non modo non expetere vindictam, sed patienter injurias tolerare.

Rom. 12. 17. & 19.

33. *Ego autem dico vobis, Non resistere malo:* Non vicem referre, non malum malo repellere, convitium convitio, vulnus vulnere. Quod S. Paulus his verbis exprimit: *Nulli malum pro malo reddentes ... Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Defensio hic pro ultione accipitur. Christus enim & Apostolus non vetant gravem injuriam inculpatæ tutelæ moderamine propulsare, neque Magistratibus vindicandam committere, sed ulcisci. Quod & sequentia *S. Pauli* verba declarant: *Sed date locum iræ*: id est, ultioni divinæ. *Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.* Quomodo vero Lex Mosaica talionis exactionem permittens non pugnet cum præcepto Christi, egregie *Tertullianus* explicat. „ Novam plane (inquit) „ patientiam docet Christus, etiam vicem injuriæ cohibens, permissam a Creatore; oculum exigente pro oculo & dentem pro dente: contra, ipse alteram amplius „ maxillam offerri jubens, & super tunicam pallio quoque cedi. Plane hæc Christus adjecerit ut supplementa confentanea disciplinæ Creatoris ... Si per Zachariam præcepit, Ne unusquisque malitiæ fratris sui meminerit; sed nec proximi. Nam & rursus, Malitiam, inquit, proximi sui unusquisque ne recogitet. „ Multo magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit „ oblivionem. Sed & cum dicit. Mihi vindictam, & ego „ vindicabo; proinde patientiam docet vindictæ expectatricem. In quantum ergo non capit ut idem videatur „ & dentem pro dente, oculum pro oculo, invicem injuriæ exigere, qui non modo vicem, sed etiam ultionem, etiam recordationem & recogitationem injuriæ „ prohibet: in tantum aperitur nobis quomodo oculum „ pro oculo & dentem pro dente censuerit; non ad secundam injuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdicta ultione; sed ad primam coercendam, „ quam prohibuerat oppositio talione, ut unusquisque respiciens licentiam secundæ injuriæ, a prima semetipsum contineret. Facilius enim vim comprimi scit repræsentatione talionis, quam repromissione ultionis. „ Utrumque autem constituendum fuit pro natura & fide „ hominum; ut qui Deo crederet, ultionem a Deo expectaret; qui minus fideret, leges talionis timeret. „ Hanc Legis voluntatem de intellectu laborantem, „ Dominus & Sabbati & Legis & omnium paternarum „ dispositionum Christus revelavit, & compotem fecit „ mandans alterius quoque maxillæ oblationem, ut tanto „ magis vicem injuriæ extingueret, quam & lex per talionem voluerat impediisse, certe quam Prophetia manifeste coercuerat, & memoriam injuriæ prohibens, „ & ultionem ad Deum redigens. " Ita si quid Christus intulit, non adversario, sed adjutore præcepto, non destruxit disciplinas Creatoris. Eandem legem explicat *S. Augustinus* variis in locis, e quibus unum seligo librum *de Sermone Domini in monte* c. 19. *Pharisæorum* (inquit) *Justitia minor est, non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quam accepit, & magnus hic gradus est. Nemo enim facile invenitur qui pugno accepto, pugnum reddere velit; & uno a conviciante verbo audito, uno & quod tantumdem valeat referre contentus sit: sed sive ira perturbatus immoderatius vindicat; sive quia justum putat eum qui læsit prior gravius lædi, quam læsus est, qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrenavit lex in qua scriptum est*, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. *Quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat.* Hic, ut idem S. Doctor alibi dixit, *Non fomes, sed limes furoris est.* Hæc *injustorum justitia est. Hæc est*, ut ibi ait: *pacis inchoatio: perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam.* „ Inter illud ergo primum quod „ præter legem est, ut majus malum pro minore malo „ reddatur, & hoc quod Dominus perficiendis discipulis „ dixit, ne pro malo ullum malum reddatur; medium „ quendam locum tenet, ut tantum reddatur quantum „ acceptum est, per quod a summa discordia ad summam „ concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior studio „ lædendi & nocendi, vide quantum distet ab eo qui „ nec læsus rependit. Quisquis autem nulli prior male fecit, sed tamen læsus rependit gravius vel voluntate vel facto, recessit aliquantum a summa iniquitate, & processit ad summam justitiam, & tamen nondum tenet quod Lex quæ per Moysen data „ est imperavit. Qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo læsus innocens „ passus est. " *Hanc ergo inchoatam, non severam, sed misericordem justitiam, ille perficit, qui legem venit implere, non solvere ... Parum enim adhuc videtur Domino, si pro malo quod acceperis nihil rependas mali, nisi etiam amplius paratus sis accipere. Quapropter non ait*, Ego autem dico vobis, *non reddere malum pro malo: quamquam hoc etiam magnum præceptum sit; sed ait*, Non resistere adversus malum: *Ut non solum non rependas quod tibi fuerit irrogatum; sed etiam non resistas quominus aliud irrogetur.*

S. Aug. l. 19. contra Faustum, cap. 5. & contra Adimantum c. 8. & Enar. in Ps. 108.

Idem l. 1. de serm. Dom. in Monte, c. 19.

Tertull. l. 4. contra Marcionem, c. 16.

34. *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Si quis tibi alapam impegerit, illi maxillam alteram cædendam obverte, potius quam te ulciscaris, aut alapam regeras, aut charitatis, pacis, Christianæ atque patientiæ bonum amittas. „ Quod „ ad misericordiam pertinere, hi maxime sentiunt, qui „ eis quos multum diligunt, tamquam filiis, vel quibus„ libet dilectissimis suis ægrotantibus serviunt vel parvu„ lis vel phreneticis; a quibus multa sæpe patiuntur, & „ si eorum salus id exigat, præbent se etiam ut plura „ patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas tran„ seat. Quos ergo Dominus Medicus animarum, curan„ dis proximis instruebat, quid eos aliud docere posset, „ nisi ut eorum, quorum saluti consulere vellent, imbe„ cillitates æquo animo tolerarent? Omnis namque im„ probitas ex imbecillitate animi venit: Quia nihil inno„ centius est eo qui in virtute perfectus est. Nec S. Pau„ lus alteram maxillam præbuit percutienti, *Act. 23. 3.* „ nec Christus ipse, *Joann. 18. 23.* Non igitur ostentatio„ ne corporis, sed præparatione cordis hoc præceptum „ implendum est. Multi enim alteram maxillam præbe„ re noverunt, diligere vero illum a quo feriuntur igno„ rant. At vero ipse Dominus, qui utique præcepta quæ „ docuit primus implevit, percutienti se in maxillam Mi„ nistro Sacerdotis non præbuit alteram; sed insuper di„ xit, Si male locutus sum, exprobra de malo; si bene, „ quid me cædis? Non tamen ideo paratus corde non „ fuit, non solum in alteram maxillam cædi pro salute „ omnium, sed etiam toto corpore crucifigi. " Sic igitur Christianum hominem animo paratum esse oportet ad

S. Aug. ib.

omne

omne injuriarum genus perferendum potius quam amittat charitatem, ut dicere poſſit cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

35. *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Ei qui tibi vim infert in bonis externis, & occaſionem tibi præbet ipſum in jus vocandi; erepta tibi tunica, vel te in jus trahit, ut improba lite & malis artibus tibi tunicam eripiat, dimitte potius pallium; ideſt, paratus ſis graviorem jacturam ferre, potius quam cum detrimento pacis & charitatis judicio contendas, vel potius quam te ipſum ulciſcaris. *Lucæ* 6.29. tunica ultimo loco ponitur: *Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Id eſt ab eo qui veſtem exteriorem aufert, rapinæ facilius expoſitam, & minus neceſſariam, etiam veſtem interiorem rapinæ minus expoſitam, & magis neceſſariam ne cohibeas. Rurſus *ad præparationem cordis non ad oſtentationem operis*, id præceptum recte intelligitur. Et quod de tunica, & pallio dictum eſt, non in eis ſolis, ſed in omnibus faciendum eſt, quæ aliquo jure temporaliter noſtra eſſe dicimus. *Si enim de neceſſariis hoc imperatum eſt, quanto magis ſuperflua contemnere convenit?* Omnia ergo illa tunicæ & pallii nomine intelliguntur, de quibus judicio nobiſcum contendi poteſt, ita ut a noſtro jure in jus illius tranſeant, qui contendit, vel pro quo contendit: ſicuti eſt veſtis, domus, fundus, jumentum, & generaliter omnis pecunia. Ceterum nec publica judicia, juriſque coram Magiſtratibus proſecutionem, nec juſta bella Chriſti Lege prohibita ſunt, modo charitas & pax Chriſtiana in litigantium aut bella moventium animis dominentur, & ita ſint affecti ut damna quælibet pati malint, quam violare charitatem: quod etſi difficile, ſpectata hominum corruptela, & litium bellorumque circumſtantiis, non tamen impoſſibile eſt; Domino præbente gratiæ ſuæ auxilium, qui dedit præceptum.

S. Aug. ib.

36. *Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Si quis tibi aliquod onus per injuriam impoſuerit, aut te coegerit ad operam aliquam, aut ſervitium exhibendum, quod non debes, verbi gratia ad currendum, comitandum, vel bajulandum ad unum milliare, duplum potius operæ præſta, quam adverſus charitatem pecces. Angari Perſis dicebantur Regum nuntii ſive tabellarii, qui certis ſtationibus diſpoſiti erant, quorum alter alteri traderet litteras, ut citius perferrentur. Fas autem ipſis ad curſum rapere cujuſvis equos, naves, vel plauſtra, quin etiam ipſos homines. Hebræi, ex quo Perſarum potentia Orientem invaſerat, coacti fuerunt inter cetera ejus ſervitii incommoda, etiam onus angariæ ferre, cujus immunitas ipſis a Demetrio conceſſa eſt, ut refert *Joſephus lib. 13. Antiq.* Inde factum ut rei vehementer exoſæ nomen etiam ad privatas vexationes produceret, ut conſtat ex *Matt. 27. 32.* & ex pleriſque Hebræorum Scriptorum locis. De hac angaria perſonali, ſeu injuria quæ contra libertatem committitur, ibi loquitur Chriſtus; cum ſecundo loco de injuriis quæ contra jus Dominii, primo vero de iis quæ contra corpus committuntur, ſit locutus. Paulo aliter *S. Auguſtinus* „ In his, inquit, tribus generibus exemplorum nullum genus injuriæ prætermiſſum eſſe video. „ Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in tria genera dividuntur: quorum alterum eſt „ quod reſtitui non poteſt; alterum quod poteſt. Sed in „ illo quod reſtitui non poteſt, vindictæ ſolatium quæri „ ſolet. Quid enim prodeſt quod percuſſus repercutis? „ Numquid propterea illud, quod in corpore læſum eſt, „ reſtituitur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta deſiderat: ſanum autem firmumque iſta non juvant; quin potius miſericorditer perferendam alterius „ infirmitatem judicat, quam alieno ſupplicio ſuam mitigandam, quæ nulla eſt ..... Tenebitur ergo in „ hoc injuriarum genere, quod per vindictam luitur, iſte „ a Chriſtianis modus, ut accepta injuria, non ſurgat „ in odium, ſed infirmitatis miſericordia paratus ſit animus plura perpeti; nec correctionem negligat, qua vel „ conſilio, vel auctoritate, vel poteſtate uti poteſt. Aliud injuriarum genus eſt, quod in integrum reſtitui „ non poteſt: cujus duæ ſpeciès, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunica „ & veſtimento, hujus de angaria mille paſſuum & duorum exempla ſubjecta ſunt: quia & reddi veſtimentum poteſt; & quem adjuveris opera, poteſt te etiam ipſe, ſi opus fuerit, adjuvare ... In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientiſſimum & miſericordiſſimum, & ad plura perferenda paratiſſimum animum Chriſtiani eſſe oportere. *Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo alia duo.* „ Et hoc utique non tam ut pedibus agas, quam ut animo „ ſis paratus. Nam in ipſa Chriſtiana Hiſtoria, in qua eſt „ auctoritas, nihil tale invenies factum eſſe a Sanctis, „ vel ab ipſo Domino, cum in homine quem ſuſcipere „ dignatus eſt, vivendi nobis præberet exemplum: cum tamen omnibus fere locis eos invenias paratos fuiſſe æquo „ animo tolerare quidquid eis improbe fuiſſet ingeſtum.

S. Aug. lib de ſerm. Dom. in Monte, c. 20.

37. *Qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris.* Parum eſt enim non nocere, niſi etiam præſtes beneficium quantum potes. Beneficium autem maxime neceſſarium eſt ſublevare egentes, quorum alii nullam ſpem habent reddendi quod accipitur; alii ſic egent impræſentiarum, ut munus ſive eleemoſynam non poſtulent, aut pecuniam donatam, ſed mutuam. Utriſque ſuccurri jubet Chriſtus, quatenus & facultates noſtræ ferunt, & ipſorum neceſſitas poſtulat, ut explicat S. Paulus 2. Cor. 8. 12. 13. 14. „ Si enim voluntas prompta „ eſt; ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſe„ cundum id quod non habet. Non enim ut aliis „ ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqua„ litate. In præſenti tempore veſtra abundantia illo„ rum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia „ veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas." S. Lucas cap. 6. 30. hanc Domini ſententiam ita refert: *Omni autem petenti te, tribue*; eleemoſynam ſcilicet, vel opem quam præſtare poſſis, ſive dignus ſit, ſive non; ſive amicus, ſive inimicus; ſive referre gratiam poſſit, ſive non poſſit. Non enim perſonarum, ſed paupertatis, ſed charitatis habenda eſt ratio. Servet tamen charitas ordinem ſuum, quem perficere Chriſtus voluit, non evertere. „ Omni petenti te, *S. Aug. lib.* „ tribue, *inquit*, non omnia petenti: ut id des, quod *1. de Serm.* „ dare honeſte & juſte potes. Quid ſi enim pecuniam *Dom. in* „ petat, qua innocentem conetur opprimere? Quid ſi poſt- *Monte, c.* „ remo ſtuprum petat? Sed ne multa perſequar quæ ſunt *20. N. 67.* „ innumerabilia, id profecto dandum eſt, quod nec tibi „ nec alteri noceat, quantum ſciri, aut credi ab homi„ ne poteſt: & cui juſte negaveris quod petit, indican„ da eſt ipſa juſtitia, ut non eum inanem dimittas. Ita „ omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id quod „ petit dabis; & aliquando melius aliquid dabis, cum „ petentem injuſta correxeris."

Et volenti mutuari a te, non avertaris. Ei qui mutuum a te petit, ne difficilem aut tetricum te præbeas, ſed hilari ſuavique benevolentia ipſi ſuccurre, etſi forte facultatibus ſit deſtitutus, nec pignoribus vel ſponſoribus datis cavere reddendam pecuniam valeat. Ideo autem Dominus duo illa beneficentiæ genera imperavit, quia *Plerumque homines, qui propoſito divino præmio donare* *Ib. N. 65.* *parati ſunt, ad dandum quod mutuo petitur, pigri fiunt quaſi nihil recepturi a Deo, cum rem quæ datur, ille qui accipit exſolvat. Recte itaque ad hoc beneficii tribuendi genus nos divina hortatur auctoritas dicens*: Et volenti mutuari a te, ne avertaris: *Id eſt, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia tua vacabit, & Deus tibi non redditurus eſt, cum homo reddiderit: ſed cum id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc jubet, infructuoſa eſſe non poteſt.*

38. *Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Proximi nomine is ſæpe intelligitur, qui ſanguinis, vicinitatis, aut amicitiæ vinculo nobis conjunctus eſt. Unde Levitici 19. 18. quem locum hic reſpicit Chriſtus, cum Dominus permiſiſſet, *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum:* ſubdit: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Ego Dominus.* Judæi hoc præceptum ita reſtringebant, ut alienigenis benefaciendum non putarent, & ne communia quidem humanitatis officia illis exhiberent: Qua de re Juvenalis:

Non moſtrare vias eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Et Tacitus: *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu, adverſus alios omne hoſtile odium.* Omnes ſcilicet officiorum partes ſe impleviſſe credebant, ſi iis præceptis paruiſſent, quibus ipſorum civilis ſocietas continebatur: cum tamen Lex Judaica naturalem non tolleret, quæ omnem hominem omni homini facit eſſe proximum, id eſt, non alienum, ſed neceſſitudine quadam conjunctum, ac propterea neminem eſſe docet, cui non data occaſione benefacere debeamus. Hoc ipſum Chriſtus docuit parabola Samaritani Judæo a latronibus ſpoliato & vulnerato ſuccurrentis. *Luc. 10. 29.* In Lege certe ipſa proximi nomine quemvis hominem aliquando ſignificari certum eſt, ut Exod. 20. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Dicit *proximum* (inquit R. *Kimki* in Pſalm. 15.) *Non quod liceat falſum teſtari adverſus alium, ſed mos eſt loquendi talis Scripturæ, quo per proximum intelligit eum, quocum negotium eſt.* Atque ita Chriſtum proximi nomen in Lege poſitum intellexiſſe nemo dubitaverit, cum præceptum de proximi dilectione recenſuit: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sic in- *Matth.* tellexit S. Paulus, dicens: *Nemini quidquam debeatis,* *22. 39.* *niſi ut invicem diligatis: Qui enim diligit proximum, Legem implevit.* Quamvis igitur Judæis expreſſius præcepta eſſet in Lege popularium dilectio, perperam tamen *Rom. 13. 8.* ſe ad alios quoſvis homines diligendos, illiſque benefaciendum non teneri putabant. Ideo autem illis expreſſe præcipit Deus ut populares diligerent, quia nondum capaces erant dilectionis illius indefinitæ, quam ad omnes homines porrigi debere Chriſtus docuit; illiſque ab impiarum gentium conſuetudine ob idololatriæ periculum

ſegre-

ſegregandis, ſatis erat pro temporum ratione lege lata præcipere, ut conſortibus ſanguinis & Religionis omnia benevolentiæ officia exhiberent. Hinc *Tertullianus*. „ Non aliud Chriſtus in omnes præcepit, quam quod „ Creator in fratres. Nam etſi major eſt bonitas quæ „ operatur in extraneos, ſed non prior ea quæ ante de- „ betur in proximos. Quis enim non diligens proximos, „ poterit diligere extraneos? ..... Ita Creator & ſe- „ cundum naturæ ordinem, primum in proximos docuit „ benignitatem, emiſſurus eam poſtea & in extraneos; „ & ſecundum rationem diſpoſitionis ſuæ, primo in Ju- „ dæos, poſtea & in omne hominum genus. Ideoque „ quamdiu intra Iſraelem erat Sacramentum, merito in „ ſolos fratres miſericordiam mandabat: At ubi Chriſto „ dedit gentes hæreditatem, & poſſeſſionem terminos „ terræ ..... exinde Chriſtus in omnes legem paternæ „ benignitatis extendit, neminem excipiens in miſera- „ tione, ſicut in vocatione ita quorumdam tunc fidem „ paulatim ad perfectum Diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, „ primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc beni- „ gnitatis informabat. "

Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 16.

Et odio habebis inimicum tuum. Odium inimicorum in Lege Moſaica nec præcipitur, nec permittitur. Imo Exod. 23. 4. ſcriptum eſt: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Tametſi id de popularibus præſertim præceptum conſtat ex *Deuter* 22. 1. Et *Prov.* 25. 21. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Verum tamen *Exodi* 34. 2. & *Deut.* 7. 1. prohibetur Judæis ne jungant affinitatem aut fœdus faciant cum ſeptem illis populis, Amorrhæo, Chananæo, Hethæo, Pherezæo, Hevæo, & Jebuſæo: & cum tradiderit illos Dominus in manus Iſraelitarum, percutiant eos uſque ad internecionem, nec eorum miſereantur. Neque vero ea præcepta cum naturæ Lege pugnant, cui potius valde conſentaneum eſt ut ſontes debita pœna plectantur. Cum ergo gentium illarum idololatria, crudelitas, inceſta libido ad ſummum perveniſſent, ut conſtat ex *Levit.* 18. 24. & *Sap.* 12. & 13. juſte Deus poſt longiſſimi temporis patientiam, hanc pœnæ executionem, quam per ſe facere potuerat, Hebræo populo mandavit. De Amalecitis, quorum nomen deleri Deus juſſit *Deuteron.* 26. 19. idem eſto judicium. Verum judæi hæc prave intelligentes, & plus quam par eſſet extendentes, alienigenas omnes falſorum Deorum cultu inquinatos, nullo diſcrimine pro hoſtibus habebant Chriſti tempore, neque eos aut ſpoliare, aut necare nefas ducebant, quod fatetur ac defendit *Joſephus Albo* in Diſputatione adverſus Chriſtianos. Immo ipſos Iſraelitas Judaicarum Traditionum ac Rituum Moſaicorum tranſgreſſores, odio ferali proſequebantur, ut conſtat ex ipſorum Canonibus a *Lightfooto* relatis. „ Hæretici Iſraelitici, id eſt, qui idola „ colunt ex Iſraele, aut qui tranſgrediuntur ut irritent; „ itemque Epicurei, id eſt, Iſraelitæ, qui negant Le- „ gem & Prophetas, ex præcepto ſunt occidendi, ſi po- „ teſt quis eos occidere, idque palam; ſi autem non a- „ perte, clam & aſtute machineris eis mortem ..... „ Gentilibus vero, quibuſcum nobiſcum non eſt bellum, „ itemque paſtoribus pecorum minutiorum, aliiſque iſtiuſmodi, non mortem quidem ita machinantur: at pro- „ hibitum tamen eſt eos a morte liberare, ſi de morte „ periclitantur. Exempli gratia, videt Judæus quemquam „ eorum lapſum in Mare, nullo modo eum inde tollat: „ Nam ſcriptum eſt, *Non inſurges in ſanguinem proximi tui*. At hic non eſt proximus. " Homines rudes, & feri, in homines odio flagrabant, cum ſolum in iis vitium odiiſſe, illos vero propter naturæ cognationem diligere deberent. Hos corrigit Dominus, Legis mentem explicans.

Lightfoot, in Horis Hebr. ad c. 4. Matt. Verſ. 41.

39. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* AUDITO, & *non intellecto, quod antiquis dictum erat*, Oderis inimicum tuum, *ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odiſſe niſi vitium: Hos corrigit Dominus, dicendo*, Diligite inimicos veſtros: *ut qui jam dixerat*, Non veni Legem ſolvere, ſed adimplere, *ideoque de odio inimici quod ſcriptum eſt in Lege non ſolveret, præcipiendo utique ut diligamus inimicos, cogeret nos intelligere, quonam modo poſſemus unum eundemque hominem & odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam.* Præceptum diligendi inimicos nos per Evangelium didiciſſe, *S. Ambr.* ait: *Chriſtianus nullius eſt hoſtis* [inquit Tertullianus) ..... *Si inimicos jubemur diligere, quem habemus odiſſe? Si læſi vicem referre prohibemur, ne de facto pares ſimus, quem poſſumus lædere? Benefacite his qui oderunt vos*: Non enim effectu ſolo, ſed & re ipſa, *opere & veritate* inimicos ipſos diligere debemus. *Benefacite*, id eſt, parati eſtote ad beneficentiam in illos exercendam opportunitate data, cum ope noſtra indigent, illiſque ſuccurrere poſſumus. Hæc nota Chriſtianorum. Unde *S. Juſtinus* in Apologia ad imperatores: „ Qui odiis & cædibus „ mutuis inter nos graſſabamur, & pro conſuetudine re- „ cepta, cum eis qui tribules noſtri non eſſent, com- „ munem focum non habebamus, nunc a Chriſti appari- „ tione familiariter ſimul vivimus, & pro inimicis ora- „ mus: & qui nos iniquo perſequuntur odio, ſuaſione „ fiectere conamur, ut ſecundum honeſta Chriſti præce- „ pta vitam agentes, bonam ſpem habeant, eadem ſe „ nobiſcum a Deo omnium dominatore præmia conſecu- „ turos. " Beneficia inimico præſtita, prunæ illæ ſunt ſuper caput illius congregandæ, de quibus Sapiens *Prov.* 25. De illis enim vaſtatoribus carbonibus dicitur, qui dantur homini adverſus linguam ſubdolam. Cum enim quiſque benefecerit inimico, & non victus malo ejus, vicerit in bono malum, plerumque illum inimicitiarum ſuarum pœnitebit, & iraſcetur ſibi, quod tam bonum hominem læſerit. *Ipſa vero uſtio, pœnitentia eſt, quæ tamquam carbones ignis inimicitias ejus malitiaſque conſumit.*

S. Aug. l. 19. contr. Fauſtum, c. 24.

S. Ambr. l. de Joſeph. c. 7. Tertull. in Apolog.

Pſalm. 119. 4. S. Aug. ſerm. 149. alias 24. de Diverſis. c. 17.

Sequitur ex Græcis Codicibus, *Benedicite iis, qui maledicunt vobis*, ſed hanc ſententiam irrepſiſſe in Græcum Textum, nec in eo primitus exſtitiſſe, conſtat ex S. Hieronymo, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, & ex vulgata noſtra verſione, in qua non extat. In quoſdam igitur Codices huc translata eſt ex Cap. 6. *S. Lucæ*, Verſ. 28. ad quem *Sanctus Paulus* alluſit *1. Cor.* 4. 12. ſcribens: *Maledicimur & benedicimus.*

Et orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Orate pro illis ſaltem cum pro omnibus oratis, a communibus orationibus ne illos excludite: orate ut Deus eos ad ſe convertat, in eiſque odium & malitiam deſtruat, ut eis bonam voluntatem tribuat. Id olim Moyſes fecit, poſtea Chriſtus ejuſque exemplo Stephanus, Paulus, aliique Sancti. „ Dilexit inimicos ipſe Dominus „ Chriſtus: pendens enim in Cruce ait, Pater, igno- „ ſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Secutus eſt ejus „ exemplum Stephanus, cum lapides jacerentur; & ait: „ Domine, ne ſtatuas illis hoc delictum. Dominum imi- „ tatus eſt ſervus, ut nemo ſervorum ſit piger, & pu- „ tet hoc eſſe factum, quod a ſolo Domino fieri pote- „ rat: Si ergo multum eſt ad nos imitari Dominum, „ imitemur conſervum. Ad eamdem quippe gratiam vo- „ cati omnes ſumus. " Apoſtolus jubet orari pro Regibus, qui tunc perſequebantur Eccleſias: Sed quas tunc pro ſe orantes perſequebantur, nunc pro ſe exauditas defendunt. *Præceptum eſt, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris bona precari.*

S. Aug. ib.

1. Tim. 2.

Tert. Apol. cap. 32.

40. *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Inimicorum dilectione, & beneficentia erga illos demonſtrabitis vos adoptionem filiorum Dei conſecutos eſſe, qui non ſolum juſtis, amiciſque ſuis, ſed & improbis inimiciſque beneficia ſua impertit. „ Pro- „ hibita ira, reſtricti animi, compreſſa petulantia ma- „ nus, exemptum linguæ venenum. Plus Lex quam ami- „ ſit, invenit: dicente Chriſto: Diligite inimicos veſtros, „ & maledicentibus benedicite: & orate pro perſecuto- „ ribus veſtris, ut filii ſitis Patris veſtri cæleſtis. Vi- „ des, quem nobis Patrem patientia acquirat. " Cum dicit Deus, *Diliges proximum tuum*: ibi ſunt omnes homines, etiamſi fuerint inimici: Quia etiam ſecundum ſpiritalem propinquitatem neſcis quid tibi ſit in præſentia Dei homo, qui tibi ad tempus videtur inimicus. Quia enim patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit, fortaſſis cognoſcet & ſequetur ducentem: „ Si enim Deus „ ipſe qui novit qui ſint in peccatis perſeveraturi; qui „ relicturi juſtitiam, & irrevocabiliter ad iniquitatem „ lapſuri, tamen facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & „ malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, invitans uti- „ que ad pœnitentiam per patientiam, ut qui neglexe- „ rint ejus bonitatem, experiantur in fine ſeveritatem; „ quanta ſolicitudine placabilem oportet eſſe hominem, „ ne forte neſciens qualis futurus ſit, cum præſentes „ ejus inimicitias attenderit, oderit eum cum quo in „ æterna fœlicitate regnabit? Filii Dei efficimur Re- „ generatione ſpirituali, & adoptamur in Regnum Dei, „ non tamquam alieni, ſed tamquam ab illo facti & „ creati: ut unum ſit beneficium quo nos fecit eſſe per „ omnipotentiam ſuam, cum ante nihil eſſemus; alte- „ rum quo adoptavit: ut cum eo tamquam filii vita æ- „ terna pro noſtra participatione frueremur. Itaque non „ ait: Facite iſta, quia eſtis filii; ſed Facite iſta, ut ſitis „ filii. " Cum autem ad hoc nos vocat per ipſum Unigenitum, ad ſimilitudinem ſuam nos vocat. Unde ſubdit, *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*. Non ſolem duntaxat, ſed *ſuum* dicit, id eſt, quem ipſe fecit atque conſtituit, & a nullo aliquid ſumpſit ut faceret: *Ut hinc admoneremur, quanta liberalitate inimicis noſtris ex præcepto ejus præſtare debeamus quæ nos non creavimus, ſed de muneribus ejus accepimus.*

Tert. l. de Patient. cap. 6.

S. Auguſt. ſerm. 149. cap. 17.

41. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Qui amicos tantum dili-

S. Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 23.

diligit, non inimicos, ille non cæleſti charitate, ſed ſola naturæ propenſione & impetu inimicos diligit, proindeque Deum non promeretur, cui nihil placere poteſt, quod ex fidei & charitatis radice non ſurgit. Dilectio amicorum ex impetu naturæ communis eſt Ethnicis & Chriſtianis, juſtis & peccatoribus: Inimicorum dilectio ſolis Chriſtianis & Piis. *Publicani* dicti qui Romanis, ex quo Judæa a Pompejo ſubjecta eſt, & facta vectigalis, ad collectionem vectigalium & tributorum a Judæis quotannis ſolvendorum operam locabant. Iſtud hominum genus vulgo inviſum & pro perditis peccatoribus habitum. Illi non recipiebantur apud Judæos in Synagogas ad Legem audiendam & publicas preces, ut colligitur ex *Mat. 18. verſ. 17.* Sed neque in Synedria & conſeſſum Judicum, aut ad teſtimonii dictionem in Judæorum Republica admittebantur, ut conſtat ex Pandecte Talmudico. In Evangelio modo junguntur cum Gentilibus, modo cum peccatoribus, ac nominatim cum meretricibus. De Græcis Plutarchus ſcribit: *Vectigal conducere probro ducunt.* De his *Ulpianus* Juriſconſultus: *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint Publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat.* De his Maimonides: *Hominum, de quibus præſumitur eos fures eſſe, præſumiturque omnes eorum opes per rapinam congeſtas eſſe, opuſque totum ſuum eſſe opus rapacium, veluti Publicanorum & latronum, opibus uti non licet, nec eſt eorum nummus cum tuo commiſcendus, eo quod præſumitur ex rapina acquiſitus.*

Apud Lightfoot. in Horis Heb.

42. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis eſt perfectus.* Vox *ſicut*, ſimilitudinem & imitationem ſignificat, non æqualitatem. Quaſi dicat, Dei bonitatem ac miſericordiam, quantum fieri poteſt, in vobis exprimite. Luc. 6. 36. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Præclare *S. Juſtinus Martyr*: „ Non imperium in proximos obtinere, neque velle „ potiore conditione eſſe quam ii qui ſunt infirmiores, ne„ que divitem eſſe, & vim inferre inferioribus eſt beatum „ eſſe; neque in his Deum imitari quiſquam poteſt; ſed „ hæc extra ejus Majeſtatem ſunt: At qui proximi onus „ in ſe recipit, qui qua in re ſuperior eſt, alium qui „ eſt inferior beneficio vult afficere; qui quæcumque ha„ bet, a Deo accepta, ea indigis ſuppeditans, Deus fit „ eorum qui accipiunt, is Dei eſt imitator. " Sic perfectum eſſe, id eſt, ad Dei & Chriſti Salvatoris noſtri ſimilitudinem & imitationem totis viribus eniti, non conſilium tantum, ſed præceptum eſt, ab omnibus implendum qui Regnum cæleſte ac vitam æternam conſequi velint. 1. Cor. 14. 20. „ Senſibus autem perfecti eſto„ te. *Coloſſ.* 1. 28. Ut exhibeamus omnem hominem per„ fectum in Chriſto Jeſu. *Etc.* 4. 12. Ut ſtetis perfecti „ & pleni in omni voluntate Dei. *Epheſ.* 5. 1. Eſtote „ ergo imitatores Dei ſicut filii chariſſimi: & ambulate „ in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos. *Jac.* 1. 4. „ Patientia autem opus perfectum habet: Ut ſitis perfe„ cti & integri, in nullo deficientes. *Cap.* 3. 2. Si quis „ in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. 1. *Petri* „ 15. Sed ſecundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & „ ipſi in omni converſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptum „ eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. 1. *Jo:* 1. 7 „ Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce; „ ſocietatem habemus ad invicem. *Etc.* 3. 3. Et omnis „ qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & il„ le ſanctus eſt. " *Sed* & S. Juſtinus Martyr, perfectum fieri, interpretatur Chriſtianum fieri. Tibi, ſi qua eſt de te ipſo cura, ſalutemque affectas, atque Deo confidis, facultas adeſt ut & Chriſtum Dei cognoſcas, & ad perfectionem deductus, beatitudinem conſequare.

S. Juſtinus Ep. ad Diognetum.

S. Juſtinus in Dial. cum Tryphone pag. 225.

SENSUS MORALIS.

1. VIDENS *Jeſus turbas, aſcendit in Montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus. Et aperiens os ſuum, docebat eos.* Cum Chriſto aſcendamus, animum a terrenis rebus ad cæleſtia erigamus, corde venerabundo, humili, docili, Verbum æternum Patris audiamus in Evangelio nos inſtituens ac docens. Sedeamus cum Magiſtro & Præceptore hominum; animo quieto, & a cupiditatum tumultu libero ipſum audiamus præcepta ſalutis tradentem. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Verbis ejus credite, præcepta ejus attendite, diligite, implete. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras. Eſtote factores verbi, & non auditores tantum; fallentes voſmetipſos.* Jeſus aſcendit in Montem, ut Evangelica præcepta Diſcipulis turbiſque traderet. *Minora præcepta,* (inquit S. Greg.) *Iſraelitico populo per Legem data ſunt: unde & eidem populo Moyſes in campo locutus eſt. Altiora Dominus ſanctis Apoſtolis dedit: unde & eoſdem de mandatis vitæ in Monte docuit:* Subtiliorum doctiorumque Philoſophorum ſapientiam doctrina Chriſti tam longe ſuperat, quam longe cælum a terra diſtat. *Venite & aſcendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus; quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Collectam turbam non in urbis foriique medium circumducit Chriſtus ut doceat, ſed ſtat in Monte ac deſerto, nos erudiens ut nihil ad oſtentationem faciamus, ſed tumultum mundi vitemus, præſertim cum divinis de rebus cogitandum & agendum eſt. *Aperiens os ſuum docebat,* quod ideo additum, ut diſcamus, quod non modo cum loqueretur, verum etiam cum taceret, docebat; nunc quidem os aperiens, nunc vere ipſis operibus vocem emittens: Qui nos docuit olim in Monte, judicaturus adveniet in nube, & ſermo quem locutus eſt nobis, nos in noviſſimo die judicabit.

Jacob. 1.

S. Gregor. Hom. 16. in Ezec.

Iſai. 2. 3.

S. Jo. Chry. Hom. 15. in Matth.

2. *Beati pauperes ſpiritu.* „ Cum abundent pauperes „ quærimus pauperem; in turba quærimus, & vix inveni„ mus. Occurrit mihi pauper, & quæro pauperem. Tu „ dicis: Pauper ſum ſicut Lazarus: Dives humilis non di„ cit: Dives ſum ſicut Abraham. Ergo tu te extollis, „ ille ſe humiliat. Quid inflaris & non imitaris? Ergo „ (inquit pauper) levor in ſinum Abrahæ. Non vides quia „ pauperem dives excepit? Non vides quia dives ſuſceptor „ eſt pauperis? ſi enim ſuperbis contra eos qui habent „ pecuniam, & negas eos ad Regnum cælorum pertine„ re; cum in eis fortaſſe inveniatur humilitas, quæ in te „ non invenitur: Non times ne tibi, cum mortuus fue„ ris, dicat Abraham: Recede a me, quia blaſphemaſti „ me? " Quamobrem Divites, qui *pauperes ſpiritu* non ſunt, id eſt, qui *ſuperbe ſapiunt*, & *ſperant in incerto divitiarum ſuarum*, non intrabunt in Regnum cælorum, ſed illi ſoli *qui utuntur hoc Mundo, tamquam non utantur.* Nec pauperes omnes beati, ſed illi ſoli a quorum animis abeſt cupiditas. „ Nam qui volunt divites fieri, incidunt in „ tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria mul„ ta inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum „ & perditionem. Radix enim omnium malorum cupidi„ tas. " Videamus utrum pauper ille & pannoſus non vult dives fieri. Audio linguam, ſed interrogo conſcientiam... „ *Quid mihi oſtentas nullas facultates, cum ego convincam* „ *tantas cupiditates?* Ecce jam compara duos. Iſte dives „ eſt, ille pauper eſt: ſed iſte dives jam eſt, non vult „ fieri. Iſte dives eſt, aut de parentibus, aut de donis „ & hæreditatibus. Jam non vult addere, impoſuit mo„ dum: *Fixit limitem cupiditati, jam corde militat pieta„ ti.* Tu nihil habes, ſed dives vis fieri: incides in ten„ tationem. Sed forte inde factus es pauperrimus & egen„ tiſſimus, quia neſcio quid habebas paternum quod te „ ſuſtentaret, & calumnia aliqua competitoris abſtulit. „ Gemis, audio, tempora accuſas: quod gemis, ſi poſſes, „ faceres. An non videmus, an non quotidianis exem„ plis plena ſunt omnia? Heri gemebat, quia perdebat „ ſua; hodie rapit aliena. Invenimus verum pauperem, „ invenimus pium humilem, non de ſe fidentem; *Pau„ perem verum, membrum pauperis qui propter nos pau„ per factus eſt, cum dives eſſet.* " Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. *Vis ut poſtea Regnum cælorum tuum ſit? Vide modo tu ipſe cujus ſis. Eſto pauper ſpiritu. Quæris a me fortaſſe quid ſit pauperem eſſe ſpiritu. Omnis inflatus non eſt pauper ſpiritu: ergo humilis, pauper ſpiritu. Altum Regnum cælorum: ſed, Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quamobrem *Eſto pauper ſpiritu, & eris dives qualicumque cenſu*: Quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet: *ſed in virtute ac fide. Iſtæ te divitiæ verum divitem facient, ſi ſis in Deum dives.* Beatum ſe exiſtimet pauper, gloriamque ſuam in humili paupertate conſtituat: Dives vero miſerum ſe cenſeat, niſi ſpiritu pauper ſit & humilis. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſua,* (inquit S. Jacobus) *Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultu ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet.*

S. Auguſt. ſerm. 14. al. de Temp. 110.

1. *Tim. 6. 17.*

S. Auguſt. ſerm. 53. al. 14. inter additos a Pariſ. S. Ambr. l. 1. de Cain & Abel c. 5. Luc. 12. 15. Jacobi 1. 11.

Beati pauperes ſpiritu. „ Veritas loquitur, quæ nec fal„ li, nec fallere poteſt. Sic vos inſenſati filii Adam, di„ vitias quæritis, divitias deſideratis uſque adhuc: cum „ jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædi„ cata Mundo, credita ſit ab hominibus. Quærat eas Pa„ ganus, qui ſine Deo vivit: quærat Judæus, qui terre„ nas promiſſiones accepit: ſed qua fronte, magis autem „ qua mente Chriſtianus divitias quærit, poſtquam Chri„ ſtus beatos eſſe pauperes prædicavit? Quouſque filii a„ lieni, quouſque vanitatem loquetur os veſtrum, ut bea„ tum dicatis populum cui hæc ſunt, hæc viſibilia, hæc „ præſentia? Cum Filius Dei os ſuum aperiens locutus ſit „ veritatem, Beatos eſſe pauperes; &, Væ divitibus! "

S. Bern. ſerm. 1. in Feſto omnium Sanctorum.

Beati pauperes ſpiritu. „ Humiles ſcilicet, quia enim „ ſuperbiam conſtat arcem eſſe malorum, & radicem fon„ temque peccati, contrarium ægritudini remedium docen„ do conficiens Chriſtus, quaſi fundamentum quoddam „ forte ac munitum hanc primum ſententiam colloca„ vit. Siquidem unuſquiſque humilitate ſuppoſita, tutiſ„ ſime cuncta alia ſuperponit ædificans: Hac vero ſubduc„ ta, etiamſi ad ipſum uſque cælum converſationis ſubli„ mitate pervenias, ſimul omnia ſubtrahuntur, atque in „ finem peſſimum relabuntur. Nam ſive orationem, ſive „ jejunium, ſive miſericordiam, ſive pudicitiam, ſive aliud „ quid bonorum abſque humilitate congreges: ſtatim „ cuncta defluunt, cuncta depereunt. Jure igitur hinc „ incipit

S. Jo. Chry. Hom. 51. in Matth.

„ incipit Christus, ut arrogantiam radicitus de pectoribus evellat. Ad paupertatem illam beatam spiritus, id est, humilitatem nihil movet efficacius exemplo Christi. Unde Apostolus ad Philippenses scribens, ait: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Et quid magis in Deo mendicum, quam forma servi? Quid in Rege rerum universarum humilius, quam in communionem inopis ac mendicæ naturæ nostræ veniisse? Rex regum & Dominus dominantium sponte sua formam servitutis induit: Judex rerum universarum Principibus tributarius exiitit: creaturæ Dominus in spelunca diversatur: Qui Mundum universum complexus est, non invenit locum in diversorio, sed in præsepio brutorum animalium abjicitur: purus ille & incorruptus humanæ naturæ sordes non respuit, ac per omnem nostram mendicitatem penetrans, usque ad mortis progreditur experimentum. Videte voluntariæ mendicitatis modum: Vita mortem gustat: Judex in Judicium ducitur: Dominus vitæ rerum universarum subjicitur Judicis decreto: mundanarum omnium copiarum Rex manus carnificum non repellit. Ad hoc exemplum respiciens, humilitatem sectare. *Beati pauperes spiritu suo, divites spiritu Dei! omnis enim homo qui spiritum suum sequitur, superbus est. Subdat spiritum suum, ut capiat Spiritum Dei.* „

Philipp. 2. 9.

S. Greg. Niss. Orat. 1. de Beatitudinibus.

S. August. Enarrat. in Ps. 141.

3. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, non istam quæ nutrit vivos & recipit mortuos, sed terram viventium. „ Jam vis possidere terram; vide ne possidearis a terra. Possidebis mitis, possideberis immitis. Ne cum audis præmium propositum ut possideas terram, extendas avaritiæ sinum, qua vis possidere modo terram, exclusa etiam utcumque vicino tuo: Non te ista fallat opinio. Tunc vere possidebis terram, quando inhæseris ei qui fecit cælum & terram. Hoc enim est esse mitem, non resistere Deo tuo: Ut in eo quod bene facis, ipse tibi placeat, non tu tibi; in eo quod mala juste pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est, quia placebis ei, displicens tibi; displicebis autem ei, placens tibi. „ Beati qui mansuetudinem ac benignitatem charitatis sociam individuam, animo possident; vultu, verbis, opere demonstrant. Hæc mansuetudo, quam verbo & exemplo docuit Christus, dicens; *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*; homines Deo subjectos efficit, ac Mysteriorum ejus atque arcanorum judiciorum adoratores. “ Hæc ad Script. sacram legendam, Christique doctrinam cum fructu audiendam, necessaria dispositio est. *Oportet pietate mitescere* (inquit Aug.) *neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusque percipere possimus*. Mansuetudo hominum animos hominibus conciliat. *Melior est patiens viro forti*, (inquit Sapiens) *& qui dominatur animo suo, expugnatore urbium..... Filii* (inquit Siracides) *in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*. Beati mites, si tamen mansuetudo in stuporem aut ignaviam non degeneret, ubi de gloria & honore Dei agitur, & de improbitate coercenda. Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra: & tamen zelum suum armavit contra idololatras & fornicatores. Christus, qui arundinem quassatam non confregit, qui agni mansuetudinem præ se tulit, flagello arrepto ejecit de Templo eos qui domum Dei faciebant domum negotiationis, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Apostolus qui anathema cupiebat esse a Christo pro fratribus suis, Corinthium incestuosum tradidit satanæ, publicumque scandalum Ecclesiæ datum excommunicatione ultus est. Zelus itaque mansuetudini, zelo mansuetudo conjungi debet. „ Idcirco Spiritus Sanctus in columba & in igne monstratur; quia omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. “

S. August. Serm. 53.

S. August. lib. 2. de Doctr. Christiana, c. 7.

Prov. 16. 32. Eccl. 3. 19.

Exodi 32. Num. 25.

Joan. 2. 14. 15.

S. Greg. M. P. 3. Pastoralis Admon. 17.

4. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Multi flent fletu Babylonico (inquit S. Augustin.) quia & gaudent gaudio Babylonico. *Quia gaudent lucris & flent damnis, utrumque de Babylonia est*. Flere debes, sed recordando Sion. *Si recordando Sion fles, & quando tibi secundum Babyloniam bene est, oportet ut fleas*. Sicut lugebat David, & ab imo pectore suspiria ducebat, dicens: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea*. Duo sunt compunctionis genera (inquit S. Gregorius M.) Unum quod æternas pœnas metuit, aliud quod de cœlestibus præmiis suspirat; quia *Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore*. Ante enim semetipsam in lacrymis afficit; quia dum mala sua recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur. *Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a Regno ... Sic fit ut perfecta compunctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectionis*. Quod in sacra Historia figurata narratione describitur. Axa filia Caleb sedens in asino suspiravit, cui Caleb: Quid habes? inquit. At illa respondit: *Da mihi benedictionem: Terram australem & arentem dedisti mihi; junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius*. „ Axa super Asinam sedet cum irrationalibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit: quia a Creatore nostro cum magno desiderio quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui jam in dono percipiunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus propria tribuere, ardorem fidei habere; sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi terram Australem & arentem habent, sed adhuc irrigua indigent. In bonis enim operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, optant valde ut aut timore supplicii, aut amore Regni cœlestis, peccata, sine quibus vivere non possunt, quotidie plorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater irriguum superius, & irriguum inferius. *Irriguum quippe superius accipit anima, cum se in lacrymis Regni cœlestis desiderio affligit. Irriguum inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit*. Et quidem prius irriguum inferius, ac post irriguum superius datur, sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, deinde irriguum inferius commemoraretur. “

S. Greg. M. l. 6. Epist. 13.

Josue 15. 18. 19.

S. Gregor. M. ibid. Et lib. 3. Dialog. c. 34.

Beati qui lugent: „ Quia, ut *S. Fulgentius* ait, Humilium fletus magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Lacrymæ quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt ... Quam bene autem sanctus Prophetа, semina bonorum operum riganda docet flumine lacrymarum! Omnia etenim semina non germinant, nisi fuerint irrigata; nec de semine procedit fructus, si fuerit aquarum juvamine destitutus. Proinde nos quoque si volumus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus semina nostra lacrymis irrigare, quæ magis corde sunt fundenda, quam corpore. “ *Beati qui lugent* (*a*) Dulciores enim sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. *Beati qui lugent*: quia (*b*) lacrymæ pœnitentium, vinum Angelorum, quibus gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. In luctu opus est, in consolatione merces. „ Nam qui lugent carnaliter, quas consolationes habent? Molestas, metuendas. Ibi consolatur lugens, ubi timet rursus ne lugeat. Verbi gratia, contristat filius elatus, lætificat natus: illum extulit, hunc suscepit: in illo tristitia, in isto timor: in nullo ergo consolatio. “ *Ergo illa erit vera consolatio, quia dabitur quod non amittatur, ut illi se postea gaudeant consolari, qui modo se lugent peregrinari*.

S. Fulg. Epist. ad Probam. cap. 5.

(a) *S. Aug. Enarrat. in Psalm 127.*

(b) *S. Bern. serm. 3. in Cantica.*

5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. „ Nihil hæc esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum: sed justitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum: quem utique non expeteret, si nihil de suavitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi Propheticum Spiritum: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*, accepit quamdam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit: Ut spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque justitiam toto accenderetur affectu, & illius primi Mandati apprehenderet veritatem, dicentis: “ *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*: quoniam *Nihil aliud est diligere Deum, quam amare justitiam*. Hoc amore ardens Justus ait: *Sitivit tibi anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*. Videte quomodo hic sitit: sed videte quid bonum est: „ *Sunt enim qui sitiunt, sed non Deo*: Omnis qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderii: *Ipsum desiderium sitis est animæ*. Et videte quanta desideria sunt in cordibus hominum: Alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios. Ardent omnes homines desiderio: & vix invenitur qui dicat: *Sitivit tibi anima mea. Sitiunt enim homines sæculo; & non se intelligunt in deserto esse Idumææ, ubi debet sitire anima ipsorum Deo*. Dicamus ergo nos: *Sitivit tibi anima mea*. Omnes dicamus, quia *in concordia Christi omnes una anima sumus*: Ipsa anima sitiat in Idumæa, id est in deserto hujus sæculi. *Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea*. „ Si anima sitit Deo, quomodo & caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, anima sitit: quando anima sitit, fontem Sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriabuntur animæ nostræ, sicut dicit alius Psalmus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Sitienda est ergo

S. August. ser. 53. S. Leo M. ser. 95. de gradibus ad beatitudinem.

Ps. 62. S. August. Enarr. in hunc Psal.

„ go ſapientia, ſitienda eſt juſtitia. Non ea ſatiabimur,
„ non ea implebimur, niſi cum fuerit finita vita iſta,
„ & venerimus ad illud quod promiſit Deus. Promiſit
„ enim Deus æqualitatem Angelorum: & modo Angeli
„ non ſitiunt quomodo nos, non eſuriunt quomodo nos;
„ ſed habent ſaginam veritatis, lucis, immortalis Sapien-
„ tiæ. Ideo beati ſunt, & de tanta beatitudine, quia
„ in illa ſunt civitate Jeruſalem cœleſti, unde nos mo-
„ do peregrinamur, adtendunt nos peregrinos, & mi-
„ ſerantur nos, & juſſu Domini auxiliantur nobis, ut
„ ad illam Patriam communem aliquando redeamus, &
„ ibi cum illis fonte Dominico veritatis & æternitatis ali-
„ quando ſaturemur. Modo ergo ſitiat anima noſtra: unde
„ & caro noſtra ſitit, & hoc multipliciter tibi caro mea.
„ Quomodo animæ noſtræ promittitur beatitudo, ſic &
„ carni noſtræ promittitur reſurrectio &c. "

S. Auguſt. ſerm. 53. c. 4. Jo: 4. 13. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* „ Saturari vis. Unde? ſi caro ſaturitatem
„ concupiſcit, digeſta ſaturitate, famem iterum patieris.
„ *Et qui biberit*, inquit, *ex hac aqua, ſitiet iterum.*
„ Medicamentum quod ad vulnus ponitur, ſi ſanaverit,
„ jam non dolet: quod autem ponitur contra famem, hoc
„ eſt, eſca, ita ponitur ut ad modicum revelet. Tran-
Jo. 6. 14. Pſ. 35. 10. S. Auguſt. l. 3. de Civ. Dei, c. 5. „ ſacta enim ſaturitate, redit fames. Accedit quidem
„ quotidie remedium ſaturitatis, ſed non eſt ſanatum vulnus
„ infirmitatis. Eſuriamus ergo ſitiamuſque juſtitiam, ut,
„ ipſa juſtitia ſaturemur, quam nunc eſurimus & ſiti-
„ mus. Inde enim ſaturabimur, quod eſurimus & ſitimus.
„ Interior homo noſter eſuriat & ſitiat: Habet enim cibum
„ ſuum, habet potum ſuum. Ego ſum, *inquit*, panis qui
„ de cœlo deſcendi. *Habes panem eſurientis, deſidera*
„ *& potum ſitientis;* Quoniam apud te eſt fons vitæ. "

6. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* „ Quid eſt miſericordia, niſi alienæ miſeriæ
„ quædam in corde noſtro compaſſio, qua utique ſi poſ-
„ ſimus, ſubvenire compellimur? " Servit autem motus
„ iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, ut ju-
„ ſtitia conſervetur: ſive cum indigni tribuitur, ſive cum
„ ignoſcitur pœnitenti. Hæc duo genera eleemoſyna-
„ rum, tribuendi & ignoſcendi, clementer & ferventer
„ operemur, qui nobis a Domino ut bona tribuantur,
„ & mala non retribuantur, oramus .... *In paupere*
Idem, ſerm. 206. alias de Diverſis 70. *enim ſe paſci voluit, qui non eſurit. Deum ergo egentem non ſperamus in paupere, ut egentes ſatiemur in Divi-*
te . . . Conſervus conſervo reconcilietur, ne juſte ſervus
a Domino puniatur. In hoc genere eleemoſynæ nullus eſt
pauper. Poteſt hoc facere ut in æternum vivat, etiam qui
ad tempus non habet ut vivat. Gratis datur; dando cu-
mulatur, quæ non conſumitur, niſi quando non erogatur.

Idem, ſerm. 53. cap. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* „ Fac, & fiet: fac cum altero, ut fiat tecum.
„ Quia abundas, & eges; abundas temporalibus, eges
„ æternis. Mendicum hominem audis, mendicus ipſe Dei
„ es. Petitur a te, & petis: Quod egeris cum petitore
„ tuo, hoc aget Deus cum ſuo. Et plenus & inanis es:
„ Imple inanem de plenitudine tua, ut de Dei pleni-
„ tudine impleatur inanitas tua. *Beati miſericordes,*
Prov. 19. 7. S. Jo: Chry. Hom. 15. in Mat. „ *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Fœneratur
„ enim *Deo, qui miſeretur pauperis. Miſericordiam con-*
„ *ſequentur*: Videtur æqualis quidem retributio, ſed eſt
„ tamen longe ipſa virtute præſtantior: iſti enim quaſi
„ homines miſerentur, cum ab omnium Deo miſericor-
„ diam conſequantur. Par autem non eſt humana miſera-
„ tio atque divina: ſed quantum benevolentiæ malitiæque
„ diſcrimen eſt, tantum ab illa iſta diſcernitur. ".

Idem; ib. 7. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*
„ Mundos hic appellat, aut univerſalem virtutem tenen-
„ tes, & nullius ſibi mali conſcios, aut continentia con-
„ ſpicuos. Nihil enim nobis ita eſt opus ad videndum Deum,
„ ut iſtius puritate virtutis: propter quod Paulus ait: *Pa-*
„ *cem ſectamini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit*
„ *Deum*. Quia enim ſunt plurimi qui miſereantur quidem,
„ ac ſe a rapina avaritiaque contineant, fornicentur ta-
„ men atque luxurientur: oſtendens quia primum illud
„ minime ſufficiat, etiam iſtud adjecit. Sicut & Paulus
„ ad Corinthios ſcribens, Macedonibus teſtimonium red-
„ didit, quod non ſolum miſericordia eſſent divites, verum
„ aliis quoque virtutibus abundarent. Cum enim de illo-
2. Cor. 8. 9. „ rum in pauperes liberalitate diſſereret, intulit: *Quo-*
„ *niam ſemetipſos dederunt primum Deo, deinde nobis per*
„ *voluntatem Dei*. " Non ſola impudicitia cor inquinat;
ſed omnis amor creaturæ contra voluntatem Dei, & præ-
ter ordinem a Deo inſtitutum, quo ſcilicet aliquid terre-
num & creatum diligitur plus quam Deus, non diligitur
propter Deum, ſed propter ſe, non *utentis modeſtia*, ſed
fruentis affectu, (ut loquitur Aug.). Beati mundo corde,
quoniam ipſi Deum videbunt. *Hic eſt finis amoris noſtri.*
Quicquid bene agimus, quicquid inculpabiliter deſidera-
mus, ad Dei viſionem cum venerit, plus non requiremus.
Quid enim quærat, cui adeſt Deus? aut quid ſufficiat ei
cui non ſufficit Deus? Videre Deum volumus, videre
S. Auguſt. ſerm. 53. cap. 6. *Deum quærimus, videre Deum inardeſcimus. Quis non?*
ſed vide quid dictum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi
Deum videbunt. *Hoc para, unde videas. Ut enim ſe-*
cundum carnem loquar, quid deſideras ortum ſolis cum
oculis lippis? Sani ſint oculi, & erit lux illa gaudium;
non ſint oculi ſani, erit lux illa tormentum. Non enim cor-
de non mundo videre permitteris, quod non videtur niſi
corde mundo. Repelleris, aufereris, non videbis. „ Quo-
„ ties beatos jam numeravit, quas beatitudinis cauſas,
„ quæ opera, quæ merita, quæ munera, quæ præ-
„ mia? Nuſquam dictum eſt, *Ipſi Deum videbunt.* Ven-
„ tum eſt ad mundi corde, ibi viſio Dei promiſſa eſt.
„ Non ſine cauſa, niſi quia ibi ſunt oculi, unde vide-
„ tur Deus. De his oculis Paulus Apoſtolus loquens,
„ ait, *Illuminatos oculos cordis veſtri*. Modo ergo ocu-
„ li iſti pro ſua infirmitate illuminantur fide: poſtea pro
„ ſua firmitate illuminabuntur ſpecie. " *Quamdiu* enim
ſumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem
enim ambulamus, & non per ſpeciem. Videmus nunc
per ſpeculum, in ænigmate, tunc autem facie ad fa-
ciem . . . . . Si ergo deſideramus videre Deum;
oculus iſte unde mundabitur? „ Fide, *inquit Apoſtolus*,
„ purificans corda eorum. *Sed*, Fide quæ per dilectio-
Act. 15. „ nem operatur: *TOLLE* fidem, perit quod credis; tol-
Gal. 5. 6. „ le charitatem, perit quod agis. Fidei enim pertinet
„ ut credas; charitati ut agas: Si enim credis, &
„ non amas, non te moves ad opus bonum: & ſi mo-
„ ves, ut ſervus moves, non ut filius; timendo pœnam,
„ non amando juſtitiam. Illa ergo fides mundat cor,
„ quæ per dilectionem operatur. "

8. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Beati qui pacem, cum, Deo ſecum ipſis, & cum proximo
non fictam, ſed ſinceram; non momentaneam, ſed per-
petuam, ſtabilem & firmam habent, ac pro viribus in-
ter diſſidentes procurant & conciliant. Si filii Dei ſunt,
qui pacem ſervant, procurant, & fovent: cujus filii ſunt,
qui diſcordias ſeminant, qui tumultus excitant, & fa-
ctiones, qui ſchiſmata faciunt, in privatis familiis, in
Collegiis, in Eccleſia, in Republica? cujus, inquam,
filii ſunt, niſi diaboli? Deus noſter *non eſt diſſenſionis*
Deus, ſed pacis. Chriſtus Mediator eſt & victima pacis, *2. Cor. 14.*
Rex pacificus, imo *Pax noſtra, qui fecit utraque unum, pa-*
cificans per ſanguinem crucis ſive quæ in cælis, ſive quæ in
terris ſunt. Sp. S. inſpirator eſt, & vinculum pacis. Ec-
cleſia Regnum eſt pacis, domus pacis, in qua habitant ho-
mines unius moris, in qua habitant fratres in unum, cujus
fines pacem Dominus poſuit. Paſtores & Prædicatores ſunt
legati pacis, & Miniſtri. *Audiant jurgiorum ſeminatores,* *S. Greg. M.*
Beati pacifici, &c. „ Atque e diverſo colligant, quia ſi *p. 3. Paſto-*
„ filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, proculdubio *ralis*
„ ſatanæ ſunt filii qui confundunt ... Quia autem nihil *Admon. 24.*
„ pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delecta- *S. Leo*
„ bilius diabolo extinctione charitatis .... *Beati pacifici*. *ſerm. 95.*
„ Beatitudo iſta, non cujuslibet conſenſionis aut qualiſcum- *Rom. 5. 1.*
„ que concordiæ eſt, ſed illius, de qua dicit Apoſtolus:
„ *Pacem habete ad Deum*. Et de qua dicit Propheta Da-
„ vid: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt il-*
„ *lis ſcandalum*. Hanc pacem etiam arctiſſima amicitia- *Pſ. 118. 16.*
„ rum vincula, & indiſcretæ ſimilitudines animarum non
„ veraciter ſibi vindicant, ſi non cum Dei voluntate con-
„ cordant. Extra dignitatem hujus pacis ſunt improbarum
„ parilitates cupiditatum, fœdera ſcelerum, & pacta vi-
„ tiorum. Amor Mundi cum Dei amore non congruit:
„ Nec ad ſocietatem filiorum Dei pervenit, qui ſe a car-
„ nali generatione non dividit. Qui autem ſemper cum Deo
„ mente ſunt, *ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo*
„ *pacis*, numquam ab æterna lege diſſentiunt, fideli ora-
„ tione dicentes: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in*
„ *terra*. Hi ſunt pacifici, hi bene unanimes, ſancteque con-
„ cordes, vocandi æterno nomine filii Dei, cohæredes
„ autem Chriſti. "

9. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. Pauci ſunt inter
Chriſtianos, qui per hunc gradum ad beatitudinem pervene-
re velint. *Et tamen omnes qui volunt pie vivere in Chriſto*
Jeſu, perſecutionem patientur. „ Non deſunt Eccleſiæ perſe-
„ cutiones, etiam in hoc tempore, quando tranquillitas *S. Auguſt.*
„ videtur Eccleſiæ ab his perſecutionibus, quas Martyres *Enarrat.*
„ noſtri paſſi ſunt .... Non pateris perſecutionem: non *in Pſ. 54.*
„ vis pie vivere in Chriſto. Vis probare verum eſſe quod di-
„ ctum eſt? Incipe pie vivere in Chriſto. Ut pertineat ad
„ viſcera tua quod ait Apoſtolus: *Quis infirmatur, & ego* *2. Cor. 11.*
„ *non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Alio- *29.*
„ rum infirmitates, aliorum ſcandala, perſecutiones illi
„ fuerunt. Numquid ergo deſunt hoc tempore? Plus abun-
„ dant illis qui ea curant. Et plerumque de longinquo vide-
„ tur homo, & dicitur, Bene eſt illi. Et ille qui dicit, aut
„ ſua guſtat, & aliena non poteſt, aut apud ſe quod guſtet
„ non habet, & alteri guſtanti, immo devoranti non com-
„ patitur. Incipiat ergo pie vivere in Chriſto, & probet
„ quod dicitur... Multi ſunt intus Eccleſiam, qui corda *S. Auguſt.*
„ pie viventium ſuis perditis moribus cruciant; quoniam per *l. 18. de Ci-*
„ eos blaſphematur Chriſtianum & Catholicum nomen: *vitate Dei*
„ quod quanto eſt carius eis qui volunt pie vivere in Chri- *c. 51.*
„ ſto, tanto magis dolent, quod per malos intus poſitos
„ ſit, ut minus quam piorum mentes deſiderant, diliga-
„ tur. Ipſi quoque Hæretici cum cogitantur habere no-

men

„ men & Sacramenta Christiana, & Scripturas, & profes-
„ sionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum:
„ quia & multi volentes esse Christiani, propter eorum
„ dissensiones hæsitare coguntur, & multi maledici etiam
„ in his inveniunt materiam blasphemandi Christianum no-
„ men; quia & ipsi quoquomodo Christiani appellantur.
„ His atque hujusmodi pravis moribus & erroribus homi-
„ num persecutionem patiuntur, qui volunt in Christo pie
„ vivere, etiam nullo infestante neque vexante corpus il-
„ lorum. Patiuntur quippe hanc persecutionem non in cor-
„ poribus, sed in cordibus. Unde illa vox est: *Secundum*
„ *multitudinem dolorum meorum in corde meo*: (Non
„ enim ait in corpore meo:) *consolationes tuæ lætifica-*
„ *verunt animam meam*. Dolor autem ipse qui fit in cor-
„ dibus piorum, quos persequuntur mores Christianorum
„ malorum sive falsorum, prodest dolentibus, quoniam de
„ charitate descendit, qua eos perire nolunt, nec impe-
„ dire aliorum salutem. Denique magnæ consolationes
„ fiunt etiam de correptionibus eorum, quæ piorum ani-
„ mas tanta jucunditate perfundunt, quantis doloribus de
„ sua perditione cruciaverunt. Sic in hoc sæculo, in his
„ diebus malis, non solum a tempore corporalis præsen-
„ tiæ Christi & Apostolorum ejus, sed ab ipso Abel,
„ quem primum justum impius frater occidit, & dein-
„ ceps usque in hujus sæculi finem, inter persecutiones
„ mundi, & consolationes Dei peregrinando procurrit
S. August. Enarrat. in Ps. 34. serm. 2. „ Ecclesia. " Ita *Beati qui persecutionem patiuntur pro-*
pter justitiam, quia illis prodest persecutio. Mali enim bo-
nis malo suo prosunt dum Deus utitur & malis bene, &
diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. „ Inimici
„ enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cœcentur, vel
„ malitia depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter
„ affligendi, exercent ejus patientiam; si tantummodo ma-
„ le sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam: ut
„ autem etiam inimici diliguntur, exercent ejus benevo-
„ lentiam aut etiam beneficentiam, sive suadibili doctri-
„ na cum eis agatur sive terribili disciplina. *Beati qui*
„ *persecutionem patiuntur propter justitiam*. Quoniam
„ *enim* multi hic patiuntur & pro peccatis & pro sce-
„ leribus suis, magna vigilantia discernenda est causa
„ non pœna. Sceleratus enim potest habere Martyris simi-
„ lem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant
„ in Cruce, unus Salvator, alius salvandus, alius damnan-
„ dus: omnium par pœna, sed impar causa ... Ergo di-
„ scernatur causa. Nemo dicat, quia patior, justus sum.
„ Quia ipse qui primo passus est, pro justitia passus est, ideo
„ magnam exceptionem addidit, *Beati qui persecutionem*
„ *patiuntur propter justitiam*. Nam multi habentes bonam
„ causam faciunt persecutionem, & habentes malam cau-
„ sam patiuntur persecutionem. Pater bonus & justus non-
„ ne persequitur filium luxuriosum? Persequitur vitia ejus,
„ non ipsum; non quod genuit, sed quod ille addidit. Me-
„ dicus nempe qui ad salutem adhibetur, nonne ferro
„ plerumque armatur? Sed contra vulnus, non contra ho-
„ minem. Secat, ut sanet, & tamen cum secat ægro-
„ tum, dolet ille, clamat, resistit, & si forte mentem
„ perdiderit, etiam Medicum cædit; nec tamen ille de-
„ sistit a salute ægrotantis, quod novit illum maledicen-
„ tem, & conviciantem non curat. Nonne excitantur
„ cuncti lethargici, ne somno gravi premantur in mor-
„ tem? Et hoc patiuntur a filiis suis quos carissimos ge-
„ nuerunt; & non est carus filius, nisi fuerit dormienti
„ Patri molestus. Lethargici excitantur, phrenetici li-
„ gantur: sed tamen utrique amantur. Nemo ergo di-
„ cat. Persecutionem patior; non ventilet pœnam, sed
„ probet causam: ne si causam non probaverit, numere-
„ tur cum iniquis. *Ideo David ait*: Exurge & intende
„ judicio meo; Deus meus, & Dominus meus in causam
„ meam. "

Quoniam ipsorum est Regnum cælorum: & primæ & secundæ beatitudini, pauperibus scilicet spiritu, & his qui persecutionem patiuntur propter justitiam, inter quos primum locum tenent Martyres, Regnum cælorum pro-
(a) *S. Bern. serm. 1. in Festo omnium Sanctorum.* mittitur „ non sine causa. (*a*) „ Quid sibi vult (inquit
„ *S. Bernardus*) quod eadem promissio facta est Paupe-
„ ribus & Martyribus, nisi quia martyrii genus pauper-
„ tas voluntaria est? *Beatus vir*, ait Propheta, *qui post*
„ *aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris.*
„ *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabi-*
„ *lia in vita sua*. Quid mirabilius, aut quod martyrium
„ gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes mul-
„ tas & pretiosas algere, paupertate premi inter divi-
„ tias, quas offert Mundus, quas ostentat Malignus, quas
„ desiderat noster iste appetitus? An non merito corona-
„ bitur, qui sic certaverit, Mundum abjiciens promitt-
„ tentem, irridens inimicum tentantem, & (quod glo-
„ riosius est) de semetipso triumphans & crucifigens con-
„ cupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperi-
„ bus pariter & Martyribus Regnum cælorum promitti-
„ tur; quia paupertate quidem emitur; sed in passione pro
„ Christo absque omni dilatione percipitur. "

10. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. In laudibus, blanditiis, & favore hominum felicitatem suam collocant homines carnales: in injuriarum, calumniarum, conviciorum, persecutionum propter Christum perpessione, suam collocant, qui secundum Christi doctrinam vivunt spirituales homines, id est, veri Christiani. Norunt enim se ad terrenam felicitatem non vocatos, sed ad cælestem; Christianorum esse pati mala temporalia, & sperare bona sempiterna: A laboribus, tribulationibus, persecutionibus immunem non esse Christianum, qui *quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc sæculo*; ut ait S. August. Non solum verbo, sed exemplo nos ad maledicta sustinenda, & calumnias æquo & læto animo tolerandas Christus informavit: *Si bene facientes patienter sustinetis* (inquit S. Petrus) *hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit: qui cum malediceretur, non maledicebat, &c.* Præclare Tertullianus: *Si linguæ amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum*; Dum vos maledixerint, gaudete. *Dominus ipse maledictus in Lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, & maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus*. Sic Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Beati estis cum maledixerint vobis*. „ Non dixit maledicent vobis, vosque persequentur,
„ sed ego fieri istud vetabo. Neque enim Discipulos suos
„ non audiendo maledicta, sed audiendo ac fortiter susti-
„ nendo, & persecutores suos ipsis operibus arguendo
„ vult esse munitos. Hoc autem multo est præstantius.
„ S. Lucas non solum illos qui propter Deum maledictis
„ expositi sunt, beatos dicit a Christo vocari, sed et-
„ iam eos, quibus a cunctis benedicitur, infelices. " *Væ*
cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudo prophetis patres eorum. Et certe etiam Apostolis benedicebant homines, sed non omnes. Impossibile enim est cum virtute viventibus cunctorum ore benedici. Quamvis autem parati esse debeant Christiani ad calumnias pro Christi nomine sustinendas: tamen cum calumniis & maledictis appetuntur, gratiam divinam ferventer implorare debent, ne huic tentationi certe gravissimæ succumbant, & dicere cum Propheta: *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua*: „ Quor-
„ sum Propheta sic orat? inquit *S. Augustinus*. Si vera
„ illi homines crimina objiciunt, non calumniantur; si
„ falsa, quid est quod se redimi desiderat a calumniis,
„ id est, a criminibus falsis, quæ illi nocere non pos-
„ sunt? Crimen quippe falsum, quod est calumnia, reum
„ non facit hominem nisi apud judicem hominem: ubi
„ autem Deus judex est, nullus falso crimine læditur;
„ quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputa-
„ tur. Sensus hujus orationis est: Tu age infuso Spiritu
„ tuo, ne me calumniæ hominum terroribus vincant, &
„ a tuis mandatis ad sua mala facta traducant. Si enim
„ hoc mecum egeris, id est, hoc modo me ab eorum ca-
„ lumniis ne criminationes falsas quas objiciunt pertime-
„ scam, patientia donata redemeris; inter ipsas calum-
„ nias custodiam mandata tua. "

S. August. serm. 46. alias de Tempore 165. c. 5. 1. Petri 2. 21. 22.

Tertullianus l. de Patientia c. 8.

Act. 5.

S. Jo. Chry. Hom. 9. in Matt.

Luc. 6. 25.

Psal. 118. 134.

S. August. Enarr. in hunc Ps. serm. 27.

Beati estis, cum maledixerint vobis. Ideo calumniæ & convicia cum humilitate & silentio toleranda sunt, dicendumque cum Davide: *Obmutui, & humiliatus sum & silui a bonis*. Obmutuit, ne ipsa litigiosa cum objurgantibus contentione perstreperet; humiliatus est, ut tumorem dejiceret superborum, vel ut ipsos quomodo humiliare se deberent, suo doceret exemplo; siluit a bonis, quia *bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui judex*. Ideo Paulus ait: *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die*. „ Adversum calumniantes & peccatores justus
„ suo judicio contentus est: meritorum autem suorum ju-
„ dicium Christo reservat; Ideoque addidit: *qui autem*
„ *judicat me, Dominus est*. Pulcherrime eum judicem
„ elegit, qui nulla fraude fallatur; ut eum nec occulta
„ prætereant, nec infirmæ conditionis lapsus offendat:
„ qui fragilitati norit ignoscere. " *Ad omnia igitur utile silentium. Si peccatum agnoscis, tace; ne negando exaggeres: Si non agnoscis, tace, securus de innocentia. Non possunt aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conscientia.*

S. Amb. Enarrat. in Ps. 38.

1. Cor. 4. 3.

11. *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* Episcopi, Sacerdotes, Doctores, Concionatores, Religiosi Viri, sancti esse debent, ut sanctificent peccatores, consumendo ac depellendo corruptionem & putredinem peccatorum sale verbi divini, orationis, pœnitentiæ: blandiri peccatoribus non debent, sed arguere, obsecrare, increpare; publice peccantes coram omnibus corripere; severitatem disciplinæ, ubi opus est, adhibere ad corruptos mores, pravasque consuetudines coercendas. Ideo sali, non melli comparantur; ideo sal, non mel in sacrificiis Majestati suæ oblatis adhiberi Dominus jussit, quia apud Deum nihil suave tantum placet, sed quod mordacis habet aliquid veritatis. Christianus quisque suo modo sal terræ esse debet, qui a corruptione peccati

ſervatus, exemplo ſuo ſervet alios; qui Deum & Evangelium ejus a ceteris guſtari faciat; qui ſal veræ ſapientiæ in ſe habeat, & Spiritum Chriſti. Ideo in Baptiſmi Ritibus ſal baptizandis guſtandum datur. Epiſcopus ſine fortitudine & virtute, Sacerdos ſine pietate & zelo, Vir Religioſus ſine fide & charitate; quid aliud eſt quam ſal evanidum & infatuatum, dignus qui rejiciatur a Deo, & ab hominibus conculcetur? *Caveant* igitur *Doctores & Epiſcopi, & videant potentes potenter tormenta ſuſtinere, nihilque eſſe remedii, ſed majorum ruinam ad tartarum ducere.* Meminiſſe juvat *Ecebolii* Rhetoris Conſtantinopolitani, qui ad Imperatorum mores ſe fingens atque accommodans, Conſtantio quidem regnante, Chriſtianam ſe Religionem ardentiſſime colere ſimulavit: Juliani vero temporibus, Gentilium ſuperſtitioni ſupramodum addictus apparuit: poſt obitum autem Juliani, rurſus Chriſtianam Religionem profiteri voluit. Et pro foribus Eccleſiæ ſe pronum abjiciens, his vocibus uſus eſſe dicitur: *Calcate me ut ſal inſipidum.*

S. Hieron. in c. 5. S. Matt. Refert Socrates, lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 13.

12. *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Lux eſſe debent Prælati & Doctores, ut plebem Chriſtianam inſtruant. Expoſiti eſſe debent, civitatis inſtar ſupra montem poſitæ, ut omnibus profint. „ Deus lucernam, hoc eſt, Sacerdotem accendit, atque candelabro imponit; hoc eſt, ſuæ lucem „ ferenti cathedræ: ut & dogmatum & actionum ab omni caligine liberarum ſplendorem Eccleſiæ, fulgetræ „ inſtar afferat: quo nimirum plebs vivifici fulgoris radios „ ſpectans, ad eos ſeſe dirigat, Patriſque luminum gloriam prædicet. “ Sed & Chriſtiani omnes fide & ſancta converſatione lux mundi eſſe debent, quibus ſcilicet ab Apoſtolo dictum eſt: „ Eratis aliquando tenebræ; „ nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. „ *Et rurſus*: Ut ſitis ſine querela & ſimplices, filii Dei, „ ſine reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in Mundo. “ Syderum igitur inſtar quæ lucent in firmamento, conſtanter peragere debent curſum ſuum, nihilque eorum quæ in terris fiunt, debet illos a fideli obedientia Creatori debita in ſtatus ſui ac vocationis Chriſtianis functionibus avocare. „ Tales ſancti in quibus eſt verbum vitæ, de „ converſatione quam habent in cælo, deſpiciunt omnia „ iniqua quæ fiunt in terra: & quomodo luminaria in cælo per diem & noctem procedunt, peragunt itinera „ ſua, curſus ſuos certos habent, etſi committuntur tanta mala, nec deviant deſuper ſtellæ fixæ in cælo, agentes per tractus cæleſtes quæ illis præſtituit & conſtituit Creator ipſarum: ſic debent ſancti, ſed ſi in cælo figantur corda eorum, ſi non fruſtra audiant & reſpondeant ſurſum ſe habere cor, ſi imitentur eum qui ait: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt*. Quia ergo „ ſunt in ſupernis, & de ſupernis cogitant, ſicut dictum eſt, *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*: de ipſis cogitationibus ſupernorum patientes ſiunt; „ & quicquid in terra committitur, ſic non curant, donec peragant itinera ſua, quemadmodum non curant „ luminaria cæli, niſi quomodo exerceant dies & noctes, „ quamvis tanta mala videant fieri ſuper terram. “

Epheſ. c. 3. Philipp. 2. 15.

S. Auguſt. Enarr. in Pſal. 93.

13. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Non modo Prælatorum & Doctorum, ſed Chriſtianorum omnium vita lucere debet coram hominibus, ut illos bonorum operum exemplo ædificent, & ad virtutis amorem atque operationem accendant. Unde Apoſtolus docet id officium eſſe fidelium, ut ſint *providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Aliquis forte dicet: „ Non eſt mihi neceſſarium ab hominibus probari, nec teſtimonium hominum requiro. „ Deus conſpector eſt cordis. Scimus omnes, dum tamen, quod idem per Apoſtolum dixerit, recordemur: „ *Probum veſtrum coram hominibus appareat*. Ad quid, niſi „ ut malitia acceſſum ad vos omnino non habeat, vel ut malis exemplo & teſtimonio ſitis? Aut quid eſt, *Luceant opera veſtra?* Quid autem nos Dominus *lucem Mundi* vocat? „ Quid civitati ſupra montem conſtitutæ comparabit, ſi „ non relucemus in tenebris, & extamus inter demerſos? „ Si lucernam tuam ſub modio abſtruſeris, in tenebris derelicta a multis incurſeris neceſſe eſt. Hæc ſunt quæ nos „ luminaria Mundi faciunt, bona ſcilicet noſtra. Bonum „ autem, dumtaxat verum & plenum, non amat tenebras, „ gaudet videri, & in ipſas denotationes exſultat. Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verum & videri. Tanta „ enim debet eſſe plenitudo ejus ut emanet ab animo in habitum, & eructet a conſcientia in ſuperficiem. “ Sic tamen fieri debent opera bona coram hominibus, ut Mundi gloria, hominumque plauſus & favor non quæratur, ſed ad Dei gloriam unice referantur. Unde Chriſtus c. ſequenti: ait “ *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Quiſquis ergo ita vult ab „ hominibus videri opera ſua, ut ille glorificetur, a quo „ illa quæ in eo videntur accepit: & ſic ad imitandum bonum idem ipſi qui vident pietate fidei provocentur, vere lumen ejus lucet coram hominibus: quia lux de illo charitatis radiatur, non ſuperbiæ fumus evomitur: „ & in eo ipſo cavet, ne juſtitiam ſuam faciat coram „ hominibus; qui nec ſuam deputat illam juſtitiam, nec „ ideo facit ut ipſe videatur; ſed ut ille intelligatur, „ qui laudatur in homine juſtificato, ut faciat & in „ laudante, quod laudatur in altero, id eſt, ut laudantem faciat eſſe laudabilem. Sic Apoſtolus, cum di- „ xiſſet: *Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo*: non ibi remanſit, quaſi ibi conſtituerit finem intentionis ſuæ, ut placeret hominibus; alioquin falſum dixiſſet, *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. Sed ſtatim ſubjunxit „ quare hominibus placeret: *Non quærens*, inquit, *quod „ mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. Ita & „ non placebat hominibus propter ſuam utilitatem, ne „ Chriſti ſervus non eſſet; & placebat hominibus propter „ illorum ſalutem, ut Chriſti eſſet diſpenſator idoneus: „ quia & illi coram Deo conſcientia ſufficiebat, & de „ illo coram hominibus, quod imitarentur, elucebat. In „ eandem ſententiam S. Gregor. Occultanda ſunt (inquit) quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium ſpirituum incurſione „ perdamus. Et tamen Veritas dicit: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis „ eſt*. Sed aliud eſt cum in oſtenſione operis gloria quæritur largitoris; aliud cum laus privata concupiſcitur „ de dono largientis. Unde rurſus in Evangelio eadem „ Veritas dicit: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis „ coram hominibus, ut videamini ab eis*. Opus ergo noſtrum cum hominibus oſtenditur, in cordis prius exa- „ minatione penſandum eſt per ejuſdem oſtenſionis ſtudium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quæri- „ mus, etiam publica noſtra opera in conſpectu illius occulta ſervamus. Si vero per hæc noſtram laudem concupiſcimus, foras ab ejus conſpectu jam fuſa „ ſunt, etiamſi a multis ignorentur. Sed valde perfectorum eſt, ſic oſtenſo opere, Auctoris gloriam quærere, „ ut de illata laude privata neſciant exultatione gaudere. Tunc ſolum namque innoxie hominibus laudabile „ opus oſtenditur, cum per deſpectum mentis veraciter „ laus impenſa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non ſuperant, reſtat neceſſe eſt ut „ bonum quod operantur abſcondant. Sæpe enim ab iſto „ oſtenſionis exordio propriam laudem quærunt, ſæpe „ vero in oſtenſione operis, Auctoris pateſacere gloriam „ cupiunt; ſed excepti favoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur; cumque ſemetipſos dijudicare interius negligunt, ſparſi exterius ignorant quod agunt; „ eorumque opus ſuæ elationi militat, atque hoc ſe impendere obſequio Largitoris putant. “

Rom. 12. 17. Tertul. lib. 1. de Cultu Fœminarum, c. 13.

S. Iſidorus Peluſ. Ep. 22. lib. 1.

S. Greg. M. l. 8. Moralium, c. 30.

1. *Cor.* 10. 31.

14. *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas; Non veni ſolvere, ſed adimplere.* Legem adimplevit Chriſtus in ſe ipſa, addendo quod ad illius perfectionem vel intelligentiam neceſſarium erat, ſupplendo quod ipſi deerat ad hominis juſtificationem. Adimplevit Legem in ſeipſo, accurata obedientia typicis illius Ritibus ſe ſubjiciens, ejuſque figuras ſacrificio crucis conſummans. Adimplevit Legem in membris ſuis, exhibens adventu ſuo in Mundum quod illa promittebat, vireſque ſubminiſtrans quibus ab illis impleatur per gratiam & charitatem in corda eorum diffuſam. Chriſti Legem diligamus, amplectamur, in eaque meditemur, dicentes cum Propheta: *Quomodo dilexi legem tuam Domine! Tota die meditatio mea eſt. Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti .... Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo*. Legislatoris ac Salvatoris noſtri exemplum & obedientiam imitemur, qui Legi ſe ſubjecit a ſe conditæ, ut *eos qui ſub Lege erant redimeret*. Gratiam aſſiduis precibus imploremus, ſine qua Lex prævaricatores facit, jubendo quod per ipſam Legem implere non poſſunt. Impleamus præcepta Legis univerſa, quæ Morum inſtitutionem ſpectant, quæ Chriſtus innovavit & perfecit in Evangelio, impleamus (inquam) *non timore pœnæ*, ut Judæi, *ſed amore juſtitiæ*. Non propter bona temporalia & terrena promiſſa ſed propter cæleſtia & æterna. Promiſſa Dei firma ſunt & immobilia. Fidelis eſt, & quæ promiſit potens eſt & facere. „ Abundantius autem volens „ oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum „ ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem. “ Verum ut promiſſa a cæleſti Legislatore præmia conſequamur, Legem univerſam adimplere debemus, nihil negligere: quia *jota unum aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. „ Nos vero ſi vel unum Mandatum „ nos impleviſſe arbitremur, non propter ea quæ facere negleximus, metuimus ne pœnæ dandæ nobis ſint, ſed pro „ eo quod recte fecerimus, præmia atque honores expectemus. Qui de decem talentis, quæ depoſita apud ſe ſint, „ unum aut alterum retinuerit, reliqua vero omnia Domino „ reddiderit, non ea re juſtus habeatur, quod majorem partem reddiderit, ſed improbus ac fraudulentus, quod minore illa defraudarit, arguetur. Sed quid dico, defraudarit? Quando cui unum modo talentum creditum fuerat, & illud ipſum quod acceperat, integrum ac nul-

Pſ. 118.

Heb. 6.

S. Baſil. M. præfat. in Regulas fuſius diſputatas.

„ la ex parte imminutum reddiderat propterea quod
„ ad illud quod sibi datum erat, nihil acquisiverat, male
„ videamus fuisse multatum. *Euntes*, inquit Dominus,
„ *docete omnes gentes, docentes eos*, non hæc quidem
„ observare, illa autem negligere, sed *omnia observare*
Matth. 28. „ *quæcumque præcepi vobis*. In quam sententiam illa
2. *Cor* 6. „ etiam scripta sunt ab Apostolo: *Nemini dantes ullam*
„ *offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum,*
„ *sed in omnibus exhibeamus nos ipsos sicut Dei mini-*
„ *stros*. Neque enim si præcepta non omnia ad salutem,
„ quam petimus, necessaria essent, litteris omnia fuis-
„ sent mandata, neque aperte fuisset edictum ut omnia
„ servarentur. Quid enim quæso mihi reliqua omnia
„ quæcumque recte fecero, sunt profutura, si quod fra-
„ trem meum modo fatuum appellavero, idcirco sempi-
„ ternis gehennæ cruciatibus addicendus sum? Quemad-
„ modum quid prodest alicui data a plerisque libertas,
Joan. 8. „ si vel uni serviat? *Qui* enim *facit peccatum, servus*
„ *est peccati*. Sed dicat aliquis, haberi in sanctis Lit-
„ teris, salvum futurum, quicumque invocaverit nomen
„ Domini, ac propterea satis esse unicuique ad salutem
„ adipiscendam, hanc dominici nominis invocationem.
Matth. 18. „ Verum is etiam audiat quæ Dominus ait: *Non omnis*
„ *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum*
„ *cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in*
„ *cœlis est*. Quando sane is qui Domini voluntatem fa-
„ cit, non item eo modo quo Deus vult, & charitate
„ inductus hoc faciat, studium ei illud nihil prodest....
„ Prorsus autem tripartitam hanc summam Deo parendi
„ necessitatem animadverto. Nam aut metu supplicii a
„ vitiis declinamus, atque ita animum servilem indui-
„ mus: Aut mercedis spe ducti, ad utilitatem nostram
„ præceptorum observationem referimus, atque hoc modo
„ mercenariis efficimur similes: Aut certe honestate ipsa
„ impulsi, charitateque quam erga ipsum habemus, gau-
„ dentes quod digni habiti simus, qui adeo glorioso ac
„ benigno serviremus Deo, ipsi paremus, atque hoc
„ modo bonorum filiorum erga parentes suos animum
„ imitamur. Neque igitur qui aut supplicii metu aliquid
„ imperanti Deo obtemperat, assidueque suspectam ne-
„ gligentiæ pœnam habet, is cum eorum quæ facere
„ jussus fuerit, partem executus fuerit, partem omit-
„ tet: quin potius ubicumque dicto audiens non fuerit,
„ imminentis sibi supplicii gravitatem pertimescet: in ve-
Psalm. 15. „ ritate autem stabilis stat, vereque dicere illud potest:
„ *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam*
„ *a dextris est mihi ne commovear*. Siquidem volens ani-
„ mum numquam inducit, ut eorum quidquam præter-
„ mittat, quæ officii necessitas fieri oportere præscri-
Psalm 111. „ bat. Similiter illud etiam: *Beatus vir qui timet Do-*
„ *minum*. Quid ita? quia *in mandatis ejus volet nimis*.
„ Ex quo sane colligitur, non esse eorum qui timent
„ Deum, aliquid prætermittere eorum quæ præcepta
„ sunt, aut negligenter exequi. Sed neque mercenarius
„ animum unquam inducet, ut eorum sciens aliquid ne-
„ gligat, quæ præcepta sunt. Qui enim fieri poterit,
„ ut susceptí in vineæ cultura laboris mercedem ferat,
„ nisi quæ ex pacto condicta reipsa præstiterit? Quando-
„ quidem si vel unum de iis, quæ necessaria sit, negle-
„ xerit, is inutilem se ipsum Domino reddidit. Quis est
„ autem, qui damni mercedem injuriæ auctori persolvat?
„ Tertium erat, opera quæ ex charitate dabatur. Hic
„ quæro quis est filius, qui proposita ipsi parentis gratia
„ cum in rebus illi majoribus obsequatur, in iis quæ le-
„ vioris momenti sunt prudens velit illum offendere, ac
Ephes. 4. „ non multo magis verborum Apostoli meminerit: *Et*
„ *nolite contristare Spiritum sanctum, in quo obsignati*
„ *estis*? Qui igitur majorem præceptorum partem obire
„ neglexerint, hi quo tandem in numero se reponi vo-
„ lunt? “ Qui neque Deo ut parenti obsequantur, ne-
que ut magna pollicenti obediant, neque ut Domino
serviant. *Si enim pater sum* (inquit), *ubi est honor*
Malach. 2. *meus? Et si Dominus sum, ubi est timor meus?*

„ 15. Qui ergo solverit unum de mandatis istis mini-
„ mis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in
„ Regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic
„ magnus vocabitur in Regno cœlorum. “ Quamvis man-
data quædam Dei minima dici possint aliorum comparatione, quæ nostræ Religionis totiusque Moralis Christianæ veluti fundamenta sunt: Nullum tamen est Dei mandatum quod per se magnum non sit, sive spectetur præcipientis auctoritas, sive gravitas pœnarum in eos qui illa violaverint, decretarum. Næ igitur infœlices, qui ex proposito levia (ut putant) peccata, seu etiam ex omnium sententia venialia, committere non dubitant, nec ex illis emergere curant: siquidem vita Christiani vita charitatis esse debet, isque adeo proficere debet quotidie in observantia Mandatorum Dei: *Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: & illi non solum voliti, sed amati in peccata leviora casus, animam sensim disponunt ut in graviora præceps ruat. „ Nam
Eccl. 19. 1. „ qui spernit modica, paulatim decidet. *Et* qui fidelis
Luc. 16. 10. „ est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in mo-
„ dico iniquus est, & in majori iniquus est. *Hinc San-*
„ *ctus Augustinus ait*: Quod minimum est, minimum *S. Aug. lib.*
„ est: sed in minimo fidelem esse magnum est. “ *4. de Doct.*
Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur *Christ. c.* 18.
in Regno cælorum. Non solos Prælatos & Doctores hæc verba spectant, sed Christianos omnes & singulos; quos Apostolus in persona Romanorum sic alloquitur: „ Cer- *Rom.* 15. 1.
„ tus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis,
„ quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni
„ scientia, ita ut possitis alterutrum monere. “ Scien-
tia Christianæ Legis satis instructi esse debent Christiani quique ut fratres peccantes corripere, ipsisque salutaria monita, cum opus est, impertiri valeant. Sed primum ipsi Legem Evangelicam implere debent, & Mandata divina exequi, tum alios pro viribus suis & officio, opportunitate data, docere, exemplo Christi Domini, de quo scriptum est: *Cœpit Jesus facere & docere*. Considera (inquit S. Jo: Chrysostomus) quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliaverit. „ Ad mansuetu-
„ dinem hortatus est, dicens: Discite a me quia mitis *Act. 1. ver.*
„ sum & humilis corde. Docuit nos paupertatem, & *1. S. Joan.*
„ utrumque factis demonstratur. Siquidem Filius homi- *Chrys.*
„ nis, inquit, non habet ubi caput suum reclinet. Rur- *Hom. 3. in*
„ sum præcepit ut diligeremus inimicos. Exhibuit hoc *Acta Matth.* 18. 11.
„ in Cruce, orans pro crucifigentibus. Dixit volenti tra- *ibid.* 8.
„ here in jus ut tunicam eripiat, permitte ut & palli- *Matth.* 5.
„ um auferat. Ipse vero non vestimenta tantum, verum
„ sanguinem quoque suum dedit. Idem ut facerent &
„ Discipulis præcepit: unde & Paulus dixit: Quema-
„ dmodum habetis formam ex nobis. Nihil enim Do-
„ ctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur.
„ Neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis & hypo- *Philipp.* 3.
„ critæ. Ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant,
„ deinde verbis. Quin potius ne verbis quidem erat opus,
„ cum clamarent opera. Nec aberravit a vero, qui pas-
„ sionem ejus actionem dixerit. Nam patiendo fecit in-
„ gens illud & admirandum opus, quo mortem dejecit,
„ & reliqua omnia peregit. “

„ 16. Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scri-
„ barum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœ-
„ lorum. “ Magna legis Evangelicæ perfectio. Justitia Scribarum & Pharisæorum exterior erat, in quorumdam tantum præceptorum legalium observatione religiosa, superbiæ tumore infuscata. Justitia Christianorum interior esse debet, spiritualis, universalis & plena, nullum præceptum quasi minimum negligens, amore sincero divinæ legis charitate, & humilitate formata. Alioquin longa oratio, vitæ austeritas, frequentia Sacramentorum, diligentia in vitandis carnalibus peccatis, externa mandatorum Dei observatio, nihil proficiunt ad salutem. Ceteris hominibus sanctiores se existimabant Pharisæi. *1. Cor.* 15.
Luc. 18. 2. „ Pharisæus stans hæc apud se orabat; De- *9. 1. Tim. 1.*
„ us gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri homi- *19.*
„ num, raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publi-
„ canus. Jejuno bis in Sabbato: Decimas do omnium,
„ quæ possideo. “ Christiani se præ ceteris omnibus peccatores existimare & coram Deo confiteri debent, Christianoque nomine indignos, quia Christum persecuti sunt. Ita S. Paulus Apostolus se omnium Apostolorum minimum, se omnium abortivum censebat. „ Qui non
„ sum dignus vocari Apostolus (*inquiebat*) quoniam
„ persecutus sum Ecclesiam Dei . . . Christus Jesus ve-
„ nit in hunc mundum peccatores salvos facere, quo-
„ rum primus ego sum. *Pharisæi ambitiosi erant, ho-*
„ *norisque & vanæ gloriæ supra modum cupidi Matt.*
„ 23. 5. 6. Omnia opera sua faciunt ut videantur ab
„ hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magni-
„ ficant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœ-
„ nis, & primas cathedras in Synagogis . . . . & vo-
„ cari ab hominibus Rabbi. “ Christiani ab omni ambitione remoti esse debent, unam Dei gloriam quærere exemplo Christi, qui gloriam suam non quærebat, sed gloriam Patris, qui fugit in montem, cum turbæ ipsum vellent Regem proclamare. „ Ille Dominus in humili-
„ tate & ignobilitate incessit, domicilio incertus: Nam *Tertul. l. de*
„ Filius, inquit, hominis non habet ubi caput collocet. *Idolatr. c.*
„ Vestitu incultus; neque enim dixisset, Ecce qui te- *18.*
„ neris vestiuntur, in domibus Regum sunt. Vultu de-
„ nique & aspectu inglorius, sicut & Esaias pronuntia-
„ verat. Si potestatis jus quoque nullum ne in suos qui-
„ dem exercuit, quibus sordido ministerio functus est:
„ Si Regem denique fieri conscius sui Regni refugit,
„ plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastigio
„ & suggestu quam dignitatis quam potestatis. Quis enim
„ magis iis usus fuisset quam Dei Filius? Quales & quan-
„ ti eum fasces producerent? Qualis purpura de hume-
„ ris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret,
„ nisi gloriam sæculi alienam & sibi & suis judicasset?
„ Igitur quam noluit rejecit, quam rejecit damnavit,
„ quam damnavit, in pompa diaboli deputavit. Non enim
„ damnasset nisi non sua: alterius autem esse non pot-
„ sent nisi diaboli, quæ Dei non sunt . . . Nobis nul- *Idem l. 2.*
„ lum gloriæ studium est: quia gloria exaltationis in- *de cultu*
„ genium est. Porro exaltatio non congruit profitenti- *Fœminar.*
„ bus humilitatis ex præscripto Dei. “ *cum 6. 3.*

Phari-

Phariſæi veram juſtitiam in actionibus externis pietatis collocabant de cordis munditia non curantes, Matth. 23. 25. 26. 27. 28. „ Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos aforis quidem paretis hominibus juſti; intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. *Et Luc.* 16. 15. Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra; quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Chriſtiana vero juſtitia in hominis interioris renovatione ac ſpiritus reformatione conſiſtit. „ Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit *Iſ.* 1. „ Dominus . . . Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra; „ incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri . . . Lavamini, mundi eſtote, auferte ma- *Iſ.* 66. 2. „ lum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: Quieſcite *Eph.* 4. 23. „ agere perverſe, diſcite benefacere . . . Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum „ ſpiritu & trementem ſermones meos? ... Renovamini „ ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, „ qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctita- *Col.* 3. 12. „ te veritatis. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſan- 14. „ cti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, „ humilitatem, modeſtiam, patientiam: Super omnia „ autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum „ perfectionis. "

Phariſæi totam Legem non obſervabant, illam pro arbitrio interpretabantur, Traditiones ſuas religioſius obſervabant quam Dei Mandata, Matth. 15. 3. 4. 5. 6. „ Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & „ matrem; &, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit „ patri vel matri, Munus quodcumque eſt ex me tibi „ proderit: & non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam, & irritum feciſtis Mandatum Dei propter „ traditionem veſtram . . . *Phariſæi in decimis leviorum „ herbarum perſolvendis ſcrupuloſiores erant, graviora „ præcepta negligebant, ut exprobrat illis Chriſtus, Matth.* 23. 3. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ; „ qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, „ & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & „ miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Chriſtianorum juſtitia in legis univerſæ obſervatione poſita eſt, & præcipue charitatis quæ eſt* *Jac.* 2. 18. „ plenitudo legis. *Nam* Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. "

„ 17. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides; „ qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem „ dico vobis; Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus *Tertu.* „ erit judicio. *Præclare Tertullianus*: Innocentiam a *Apol. cap.* „ Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto 45. „ Magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item „ dominatio imperavit. Inde nec plenæ, nec adeo timendæ eſtis diſciplinæ ad innocentiæ veritatem. Quanta eſt prudentia hominis ad demonſtrandum quid vere bonum? Quanta auctoritas ad exigendum? Tam illa falli facilis quam iſta contemni. Atque adeo, quid „ plenius dictum eſt, Non occides, an vero, Ne iraſcaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, „ an etiam ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere? „ Quid eruditius, de maleficio, an & de maleloquio „ interdicere? Quid inſtructius, injuriam non permitte- „ re, an nec vicem injuriæ ſinere? " Iræ itaque impe- *Eccleſ.* 7. tum cohibeamus, ſi forte ſurrepat, allidamus ad pe- 10. tram quæ Chriſtus eſt. *Ne ſis velox ad iraſcendum* (in- *Eph.* 4. 26. quit Sapiens:) *quia ira in ſinu ſtulti requieſcit*. Læſi tantum Numinis cauſa juſte iraſcimur. De hac ira ſcritum eſt: *Iraſcimini, & nolite peccare*. Si vero juſte etiam iraſcimur, diuturna non ſit ira, ne creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam, ut loquitur S. Auguſtin. *Sol non occidat ſu-* *S. Aug.* *per iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo* (in- *ſerm.* 208. quit Apoſtolus). Tanquam hoc agat qui non cito iram *al. De Di-* pellit ex animo ut per illam velut per januam, aditum *verſis* 72. præſtet diabolo. „ Primitus itaque agendum eſt ut ſuper „ iram non occidat iſte ſol; ne deſerat ipſam mentem „ Sol juſtitiæ . . . . OMNIS amaritudo, & ira, & indignatio, & blaſphemia tollatur a vobis, cum „ omni malitiâ. Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto *Epheſ.* 4. „ donavit vobis. *Paulo concinit Jacobus Apoſtolus*: Sit *Jacob.* 1. „ autem omnis homo velox ad audiendum, tardus au- 13. „ tem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, „ juſtitiam Dei non operatur. "

„ 18. Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehen- „ næ ignis. *Linguam nullus hominum domare poteſt*. *Jacob* 3 „ Homo domat feram, non domat linguam: Domat leo- „ nem, & non refrenat ſermonem: Domat ipſe, & non „ domat ſeipſum: Domat quod timebat; & ut ſe do- „ met, non timet quod timere debebat. " Si linguam *S. Aug.* nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum *ſerm.* 55. eſt, qui domet linguam noſtram: *Domine, refugium fa-* *alias* 4. *de* *ctus es nobis*. Inveniamur ergo in te, quia perieramus in *Verbis Dom.* nobis. Quid ergo, Fratres, dubitare debemus, quia manſuetos nos faciet Dominus, ſi nos domandos ei præbeamus? Domuiſti leonem, quem non feciſti: non domat te, qui fecit te? ... Imago Dei domat feram, & Deus *Idem l.* 21. non domat imaginem ſuam? " Si quis *porro* præoccupa- *de Civitate* „ tus fuerit hoc delicto, ut fratri ſuo dicat *Fatue*, id *Dei cap.* 27. „ eſt, non ejus peccatum volens auferre convicietur injuſte, parum eſt illi ad hoc redimendum eleemoſynas „ facere, niſi etiam, quod ibi ſequitur, remedium reconciliationis adjungat. "

„ 19. Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi „ recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & (a) *S. Jo:* „ vade prius reconciliari Fratri tuo &c. " O admira- *Chr. Hom.* „ bilem benignitatem, & ineffabilem Dei erga homines a- 16. *in Mat-* „ morem! (a) Honorem ſuum deſpicit, dum in proxi- *th.* „ mo charitatem requirit: quid his verbis mitius eſſe „ poſſit, quid lenius? Interrumpatur (inquit) cultus „ meus, ut tua charitas integretur. Sacrificium mihi eſt „ fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, „ poſtquam obtuleris; aut prius quam offeras: ſed munere ipſo jam poſito, & inchoante ſacrificio reconci- „ liandum mittit ad fratrem. Quam igitur ob cauſam „ iſtud fieri jubet? Duo ſunt quæ per iſta deſignat & „ conficit. Primo oſtendere vult quod honoret maxime „ charitatem, & hanc acceptiſſimum eſſe ſacrificium „ ducat; abſque iſta vero nec illud profecto ſuſcipiat. „ Aliud vero quod irrefutabilem quamdam neceſſitatem „ reconciliationis imponat. Qui enim juſſus eſt, non „ prius munus offerre quam reconcilietur offenſo; etiamſi non ob proximi charitatem, ſaltem ne ſacrificium „ maneat imperfectum, currere ad contriſtatum jubet, „ inimicitiaſque diſſolvere. Audiant, qui ſacris myſteriis initiati, cum inimicitiis ad Communionem Altaris accedunt. Audiant qui ſacrificium orationis & elemoſynæ offerunt. Itaque ſi orationem cum tali offeras „ voluntate, melius eſt orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem „ conſequenter offerre. Propter hoc enim facta ſunt omnia. Idcirco & Deus homo factus eſt, & illa omnia „ juſſit, ut nos in unum congregaret. Præclare *Tertul-* „ *lianus*: Memoria (inquit) præceptorum viam ora- *Tertull. l.* „ tionibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt: *de Oratio-* „ Ne prius aſcendamus ad Dei Altare, quam ſi quid di- *ne, cap.* 10. „ ſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid eſt enim ad pacem Dei recedere ſine „ pace? Ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cum omnis „ ira ab initio interdicta ſit nobis? Nam & Joſeph dimittens ſuos ad perducendum patrem: Et ne, inquit, „ iraſcamini in via. Nos ſcilicet monuit. Alias enim „ via cognominatur diſciplina noſtra. " Tum ne in via orationis conſtituti ad Patrem cum ira incedamus. Hinc Dominus apud Iſaiam ait: „ Si multiplicaveritis oratio- *Iſai.* 1. *v.* 5. „ nes veſtras, non exaudiam, quia manus veſtræ ſangui- 1. *Joan.* 3. „ ne plenæ ſunt. *Certe* Omnis qui odit fratrem ſuum, 15. *S. Aug.* „ homicida eſt. *An non expaveſcis? Numquid poteſt di-* *ſerm.* 49. „ *cere, Quid ad me ut homicida ſim?* Non venenum pa- *alias de* „ raſti, non ad percutiendum inimicum cum gladio pro- *Tempore* „ ceſſiſti, non miniſtrum ſceleris præparaſti, non locum, 237. *Idem* „ non tempus: poſtremo ipſum ſcelus non feciſti: Tan- *ſer.* 82. *ali-* „ tum odiſti, & prius te quam illum occidiſti. *Relinque* *as* 16. *de* „ *munus tuum ante altare &c.* Te quærit Deus magis *Verbis* „ quam munus tuum: Nam ſi malum animum gerens *Dom.* „ adverſus fratrem tuum, adveneris cum munere ad Deum „ tuum, reſpondet tibi: Tu periiſti; mihi quid attuliſti? „ Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus „ quærit Chriſtus quem redemit ſanguine ſuo, quam „ quod tu inveniſti in horreo tuo. "

20. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via cum eo &c.* Non differendum fraternæ reconciliationis negotium, cito peragendum eſt dum tempus habemus, dum in via ſumus, dum in eo ſtatu ſumus, quo divinam miſericordiam poſſumus impetrare, ſi miſericordes ipſi ſimus erga fratres qui nos læſerunt. Si enim proximo quem læſimus, vel quem odio habemus, non ſatisfecerimus & reconciliati fuerimus ante diem mortis noſtræ, divinæ juſtitiæ ſeveritatem æternam experiemur, & quam *horrendum ſit incidere in manus Dei viventis*. Adverſarium quicum concordare in hac vita debemus, verbum Dei *S. Auguſt.* moraliter interpretatur. „ Si peccas, in- *S. Aug.* „ quit, adverſarius tuus ſermo Dei eſt. Verbi cauſa, *ſerm.* 109. „ Forſitan delectat te inebriari: dicit tibi, Noli. Dele- *alias de* „ ctat te adulterari: dicit tibi ſermo Dei, Noli. In qui- *Verbis* „ buſcumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, *Dom.* 1. *cap.* 3.

„ dicit

„ dicit tibi, Noli. Adversarius est voluntatis tuæ, donec „ fiat auctor salutis tuæ. O quam bonus adversarius, quam „ utilis adversarius! Non quærit nostram voluntatem, „ sed utilitatem. Adversarius est nobis, quamdiu sumus
Exod. 20. 13. „ & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum „ habes sermonem Dei: esto tibi amicus, & concordas „ cum ipso. Non homicidium feceris: audi, & concor- „ dasti. Non furtum facias: audi, & concordasti: Non „ mœchaberis: audi, & concordasti .... In his omni- „ bus cum tuo adversario concordasti, & tibi quid per- „ didisti? Non solum nihil perdidisti, sed & te ipsum, „ qui perieras, invenisti. Via, vita ista est: si concor- „ daveris cum illo, si consenserimus illi; finita via non „ timebimus judicem ministrum, carcerem.....
Legatur rursus S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in Monte c. 11. „ Concorda cum illo. Nescis enim quando via finiatur. „ Cum via finita fuerit, judex restat, & minister, & „ carcer. At si servaveris adversario tuo bonam volun- „ tatem, & cum eo consenseris; pro Judice invenies „ Patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem in si- „ num Abrahæ, pro carcere Paradisum. Quam cito in „ via cuncta mutasti, qui tuo adversario consensisti. "

„ 21. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœcha- „ beris. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui vide- „ rit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus
S. Ambr. l. 1. de Officiis, cap. 50. „ est eam in corde suo. " Non solum impudicas actio- nes, sed impudica desideria, & lascivos aspectus Chri- stus damnat, docetque adulterium non solum facti col- luvione, sed etiam aspectus intentione committi. Pro- nunciavit Legislator: nil quærendum ulterius. Si enim aspectu frequenti mulierum, impudici amoris fornacem
S. Jo. Chrs. Hom. 17. in Matth. Job. 2. sponte succenderis, ea profecto consumeris. Neque enim extra naturam ac fragilitatem humanam positus es. „ Sicut ergo nos, cum gladium videmus teneri a puero, „ etiamsi nondum vulneratum eum inde esse cernamus, „ verberamus tamen, ac sæpe minantes denunciamus, ne „ quando illum rursus attingat: ita etiam Deus inve- „ recundum coercet aspectum, eumque ante opus tollit, „ ne quandoque in ipsam incidat actionem. Qui enim in „ se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente mu- „ liere quam vidit, jugiter apud semetipsum turpium re- „ rum simulacra depingit: & necesse est nonnumquam „ hunc ad flagitium ipsum pervenire. Propterea eos quo- „ que qui in solo corde fiunt complexus, Christus in- „ terimit. Quid ergo hic jam respondebunt, qui ausi sunt „ temere cohabitare virginibus? Hujus enim sanctione „ Legis mille sunt adulteriorum rei, quotidie illas ad „ concupiscendum videntes. Propterea etiam beatus Job „ hanc sibi ab initio legem ipse decreverat periculosum „ hoc spectaculum undique a suis oculis repellendo. Si- „ quidem post hujusmodi aspectum multo jam difficilius „ certamen efficitur, cum & viderit aliquis, & tamen „ ea quam viderit, non fruatur: Nec tantam de con- „ templatione ipsa capimus voluptatem, quantum pati- „ mur de augmento istius cupiditatis dolorem, fortio- „ rem contra nos facientes hostem, & ampliorem lo- „ cum diabolo dantes: Ut nequaquam illum ulterius pro- „ pulsare valeamus, postea quam semel in intima cordis „ admiserimus, eique temere mentis nostræ claustra re- „ seraverimus. Idcirco præcepit, ne per hoc animo for- „ niceris ... Neque propterea tibi Deus oculos finxit, „ ut per illos ad animum adulteria transmittas, sed ut „ creaturas ejus aspiciens mireris Auctorem. Sicut ergo „ est temere irasci, ita etiam temere videre, si id ad „ libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex visu ca- „ pere voluptatem, aspice propriam conjugem, & illius „ amore perfruere. Si vero erga alienum curiosus fis de- „ corem, tuam despicis, & istam profecto lædis, a qua „ in aliam oculos avertis & ipsam etiam quam illicite „ contingis: Etsi enim nequaquam illam attrectasti manu, „ sed oculis tamen ac voluntate palpasti. Propterea „ etiam hoc proculdubio adulterium reputatur, & „ ante futura illa tormenta non leve jam in præsenti „ supplicium affert. Nam perturbationibus ac tumultu „ intrinsecus cuncta complentur: & multus quidem æstus, „ plurimus etiam sentitur dolor. Nec omnino hujusmodi „ homo melius affectus est, quam qui affliguntur vel ca- „ ptivitate, vel vinculis. Et illa quidem quæ lethalem „ hanc ejicit sagittam, ea emissa sæpe avolat, ictus re- „ manet; immo vero non illa spiculum torsit, sed tu „ tibi ipsi plagam illam mortiferam intemperanter spe-
S. Jo. Chr. h. 22. in Genes. „ ctans inflixisti. In oculis ergo nostris custodiam pone- „ re debet Anima, ne mors per fenestras, ne inimicus „ per portas Jerusalem ingrediatur, ne oculi animam „ ipsam deprædentur. Oculus propterea factus est ut dum „ videt creaturas Dei, ipsarum Conditor glorificetur. „ Itaque oculi opus est videre: male autem videre, a „ mente est, quæ intrinsecus gubernat. Nam membra „ nostra, utpote utilia, ad facienda bona condita sunt „ a Domino, & gubernari possunt ab incorporea substan- „ tia, quæ est anima. Postquam autem hæc negligens „ esse, & habenas laxare cæperit, quemadmodum auri- „ ga nesciens indomitorum equorum ferociam compe- „ scere, permissis frœnis & equos currum trahentes, & „ seipsum in præceps ire facit: sic plane & voluntas no- „ stra quando membris nescit, ut oportet, uti, indul- „ gens inordinatis concupiscentiis, seipsam submergi fa- „ cit. Propterea Dominus noster Christus, sciens fragi- „ lem nostram naturam & voluntatis negligentiam, Le- „ gem posuit quæ muniret & prohiberet curiosam consi- „ derationem, ut nascens in nobis incendium, cum adhuc „ longe est, extinguat, & ait: *Qui viderit mulierem ad* 2. Reg. 11. „ *concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde* 2. „ *suo*. " Propter hoc interdico vobis illicitum visum, ut ab opere illicito vos liberem. Ne putetis quod con- gressus solus peccatum faciat: Animus est qui condemna- tur. Averte igitur oculos a muliere compta, ne capia- ris in decore illius, sicut David oculos in Betsabee te- mere conjiciens ac defigens. De longe vidit illam, in qua captus est. *Mulier longe, libido prope. Alibi erat* S. Aug. *quod videret, in illo unde caderet. Numquid tu fortior* Enar. in *quam David?* Audi præceptum Salvatoris, qui sinceris- Psal. 50. simam esse volens cultorum suorum sanctitatem, jussit ab Salv. l. 3. iis etiam minima vitari: „ ut quam pura est pupilla de Gubern. „ oculi, tam pura esset Christiani hominis vita; & sicut Dei. „ salva intuitus incolumitate pulveris labem in se oculus „ non reciperet; sic vita nostra labem in se penitus im- „ pudicitiæ non haberet. "

22. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te, &c.* Nihil Deo æternæque saluti præ- ponendum. Qui patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, ipsamque vitam suam odio non habet propter Chri- stum, id est, præ Christo diligit, ipsumque propter has necessitudines relinquere & offendere non veretur, non est eo dignus; non potest ejus esse discipulus. Quicquid igitur nobis proxima fuerit occasio peccari, abjiciendum & projiciendum, sive deserendum est, alioqui falsa est pœnitentia nostra. Hinc S. Gregorius M. ait: „ Sunt S. Greg. M. „ pleraque negotia quæ sine peccatis exhiberi aut vix h. 24. in Ev. „ aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum impli- „ cant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus „ non recurrat. *Et Concilium Oecumenicum Lateranense* „ *II. sub* Innocentio II. *Canone* 22. Sane (*inquit*) quia Eccli. 3. 27. „ inter cetera unum est quod sanctam maxime perturbat „ Ecclesiam, falsa videlicet Pœnitentia: Confratres no- „ stros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis „ laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi pa- „ tiantur .... Falsa autem fit Pœnitentia, cum pœ- „ nitens ab officio vel curiali, vel negotiali, non rece- „ dit quod sine peccato agi nulla ratione prævalet. *Sp.* „ *S. Oraculum est*: Qui amat periculum in illo peribit. " Ideo Christus oculum ipsum dexterum, manum ipsam dex- teram jubet nos abscindere, & procul a nobis abjicere, si nos scandalizet, id est, si ruinæ spiritualis, & pro- lapsionis in peccatum sit nobis occasio; oculi nomine *di-* *lectissimum amicum* significans. Nam hoc est utique quod S. Augst. membrum recte possumus appellare quod vehementer di- lib. 1. de ligimus; & hunc *consiliarium*, „ quia oculus est, tam- Serm. „ quam demonstrans iter; & *in rebus divinis* quia *dex-* Dom. in „ *ter est*: ut *sinister sit dilectus* quidem *consiliarius*, sed Monte, c. „ in rebus terrenis, ad necessitatem corporis pertinenti- 13. n. 38. „ bus; de quo scandalizante superfluum erat dicere, „ quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus au- „ tem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam „ pernicioſam hæresim nomine religionis atque doctrinæ „ conatur inducere. *Ergo &* dextera manus *accipiatur* „ dilectus adjutor & minister in divinis operibus: Nam „ quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu recte „ actio intelligitur, ut sinistra manus intelligatur in „ operibus quæ huic vitæ & corpori sunt necessaria. "

„ 23. Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, „ det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia „ omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicatio- „ nis causa, facit eam mœchari, &c. „ Christianus ani- mo patienti & pacifico uxoris suæ defectus, sive cor- poris, sive animi, potius pati debet, quam de illa di- mittenda cogitare. Quod incircumcisi cordis duritiei per- missum est, ab iis non debet committi, in quorum cor- dibus Charitas Dei diffusa est per Sp. S. „ Dominus te- „ stificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam „ tu despexisti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis „ tui. Nonne unus fecit, & residuum spiritus ejus est? Malach. 2. „ Et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo „ spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli „ despicere. Viri diligere debent uxores suas, sicut Chri- „ stus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, „ ut illam sanctificaret. Ita & viri debent diligere uxo- „ res suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, „ seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio „ habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ec- Ephes. 5. „ clesiam: quia membra sumus corporis ejus, & de car- „ ne, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo pa- „ trem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & „ erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum „ est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. " Ideo indissolubilis illa conjunctio. *Quod ergo Deus conjunxit* (inquit Christus) *homo non separet*. Igitur *Unusquisque* Matt. 19. *uxorem suam sicut seipsum diligat*; Illi complaceat in omnibus, excepto peccato; illi honorem habeat, ut in-

firmiori

firmiori vasculo ; illi compatiatur ut proprio corpori. *Uxor autem timeat virum suum*, sed timeat ut sponsa casta illi displicere : servet illi fidem conjugalem, seu præsenti, seu absenti, ne Deo displiceat. Timeat, revereatur, diligat maritum, a quo dimitti potest, si adultera fuerit. Parientia, mansuetudine, humilitate sua ipsum ad meliorem frugem adducere satagat, si vitiosus fuerit. Pro ipso oret, gematque ad Dominum in cubiculo cordis. Ipsum in spiritu lenitatis moneat, obsecret, corripiat, opportunitate data, cum utilem fore correptionem prudenter perspexerit. *Ephes. 5.* „ Mulieres viris suis subditæ sint, sicut „ Domino, quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus „ caput est Ecclesiæ : Ipse salvator corporis ejus : sed si„ cut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris „ suis in omnibus. " Tantum ipsis ad peccatum numquam consentiant, pareant, aut conniveant. Quandoquidem vero conjugium typus est & figura conjunctionis animæ cum Deo per charitatem, sponsæ cum sponso pulcherrimo, & præ filiis hominum amabili, qui sponsam non deserit, nisi alienis amatoribus adhærentem, nisi fornicario creaturarum amore corruptam, quanto studio fidem illi servare debet Anima, quam caste Sponsum diligere! *Nobilem cælo, potentem imperio, divitem Mundo?*

S. Ambros. 24. *Audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis*, &c. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, &c. *Sit autem sermo vester, Est, est : Non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Non solum perjurium, sed juramentum frequens, assiduum, absque necessitate usurpatum, in Veteri Testamento prohibitum est. *Jurationi* (inquit Sapiens) *non assuescat os tuum : multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Evangelicum igitur Christi præceptum a Lege veteri non discordat. Christus a perjurii periculo liberare homines volens, juramenta levibus de causis, ac minime necessariis frequentata prohibet. „ Vis „ ergo longe esse a perjurio? jurare noli. Qui enim ju„ rat, aliquando verum jurare potest ; qui autem non ju„ rat, mendacium numquam jurare potest. Juret ergo „ Deus, qui jurat securus, quem nihil fallit, quem ni„ hil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli „ potest. Cum enim jurat, se adhibet testem. Tu quan„ do illum adhibes testem, forte supra mendacium tuum, „ accipis in vanum nomen Domini Dei tui. Ne ergo „ mendacium jures, noli jurare. Perjurium præcipitium. „ Qui jurat, juxta est : qui non jurat longe est. Peccat „ & graviter qui falsum jurat : Non peccat, qui verum „ jurat : sed nec ille peccat, qui omnino non jurat & „ qui non jurat & non peccat, longe est a peccato : qui „ autem verum jurat, non peccat, sed prope est ad pec„ catum. Fac te ambulare in aliquo loco, ubi a parte „ dextera spatiosa sit terra, nec usquam angustias patia„ ris ; a sinistra præceps locus est. Ubi eligis ambulare? „ super finem terræ in labio præcipitii, an inde longe? „ puto quia inde longe. Sic & qui jurat, in fine ambu„ lat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si of„ fenderis, deorsum is ; si lapsus fueris, deorsum is. Et „ quid te excipit? Perjurii pœna. Ergo volebas verum „ jurare : audi consilium Dei, Noli jurare.... Falsa jura„ tio, exitiosa est ; vera juratio, periculosa est ; nulla „ juratio, secura est : Hinc Apostolus Jacobus ait : *Ante* „ *omnia : fratres mei, nolite jurare*, &c. Quo verbo cau„ tos nos fecit adversus linguam nostram, & mortiferam „ jurandi consuetudinem Dei timore frenandam docet. „ Frenata restringitur, restricta languescit, languescens „ emoritur, & malæ consuetudini bona succedit. Ante „ omnia. Istam consuetudinem quotidianam, crebram, „ sine causa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis du„ bitante jurandi, avertite a vobis, amputate a linguis „ vestris ; circumcidite ab ore vestro.... Præ ceteris cautus „ esto, plus ad hoc intentus esto quam ad alia. Major „ consuetudo majorem intentionem flagitat, non rei le„ vis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius „ manui tuæ imperares ne faceret : si pedibus aliquo eun„ dum esset, pigritia retardante excitares te ut surgeres, „ & ires. Lingua facilitatem habet motus, in udo posi„ ta est, facile in lubrico labitur. " Quanto illa citius & facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis ; vigilabis, si timebis ; timebis, si Christianum te esse cogitaveris. Qui, quæso te, labor est fugere juramentum? Numquid pecuniarum opus est impensa? Numquid ærumnis ac sudore perficitur? Tantummodo velle sufficit, & totum quod jubetur, impletum est. Quod si mihi consuetudinem opponis, facilis est illius correctio. Si enim in aliam consuetudinem ex alia te converteris, hoc quod tibi difficile videtur, effeceris. Considera igitur, quemadmodum Gentilium quidam blæsi, quarumdam syllabarum non bene exprimentes sonum, offendentem sæpe linguam longa meditatione limaverint ; alii vero qui humerum indecenter moventes, gladio continue oppositio, consuetudinem timore vicerunt. Hinc discite, quanto simus digni supplicio, qui divinæ Legis præcepta contemnimus ; quandoquidem Ethnici propter humanam honestatem innumera fecerunt ; vos vero nec propter cœlorum quidem Regnum tale studium adhibetis. Quod si etiam post ista dixeris, magnam vim esse consuetudinis, adjungo quod sicut ad fallendum plurimum valet, ita sit potens ad corrigendum. Si enim multos tibi volueris domi præficere custodes, ut servos, uxorem, amicos, compulsus atque vexatus a cunctis, a vitiosa illa consuetudine facile discedes. Et si decem saltem diebus hac te meditatione firmaveris, nequaquam ad similem laborem alio ultra tempore indigebis : sed tutissime repositum in te manebit, quod studendo quæsiveris, & quidem optimæ istius consuetudinis firmitate fundatum.... Respicite Joannis Baptistæ truncatum caput, adhuc fervente cruore distillans, hancque vocem emittens cogitate : „ Odio habete jugulatorem meum juramentum. Quod „ increpatio non fecit, hoc fecit juramentum : Quod ira „ non potuit tyrannica, hoc perjurii necessitas effecit... „ Non solum hoc habet mali juramentum, quod & violatum & servatum juratos pœnæ facit obnoxios, quod „ in nullo peccatorum alio accidere quispiam videt, sed „ & aliud non minus isto malum ; quod neque volentibus, „ neque studentibus sæpius possibile est bene jurare. Primo quippe continue jurans & volens & invitus, & sciens „ & nescius, & serio & joco loquens, & ab ira sæpe „ elatus, & a multis aliis, omnino pejerabit. Secundo, „ quod etsi non raptus, aut invitus, aut ignorans hoc „ patiatur, ab ipsa rei natura & voluntarius & sciens „ omnino perjerare cogetur. " Patheticis exemplis id probat S. Jo. Chrys. tum eorum quæ in quotidiano hominum convictu contingunt, tum Saulis & Jephte, quorum temeraria juramenta, illius filio Jonathæ supremum periculum, illi pejerandi necessitatem attulit ; istius vero filiam mactavit. Utinam ea saltem jurisjurandi religio nos teneret, quæ non paucos a Christo alienos tenuit! Notum illud Platonis : „ Juramentum de re quavis abesto. „ *Epicteti* : Declina jusjurandum omnino. *Menandri* : Jus„ jurandum omne, quamvis sit justum, fuge. *Hieroclis* : „ Illud, *jusjurandum reverenter habe :* non solum præci„ pit servari jusjurandum, sed & jurejurando abstinere. „ Nam ita implebimus illud de servando jurejurando, si „ jurejurando non abutamur. Nam assidue jurando faci„ le quis incidet in perjurium : parco usui consequens est „ rei observatio. Nam aut non jurabit aliquis, aut si ju„ raverit, stabit jurato ; neque aut ex assuetudine lin„ gua prolabetur, neque animus abducetur ab effectuum „ intemperantia ; nam hanc corriget vita honesta, illam „ consuetudo abstinendi a juramento. *Isocratis* : Jusjuran„ dum, si deferatur, accipe duabus de causis : Aut ut „ temet a turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex „ magnis periculis eripias ; ob pecunias vero neminem „ Deum jures, ne quidem si verum juraturus sis : aliis „ enim putaberis perjurare, aliis avarus esse. *Philonis* „ *Judæi* : Viri boni sermo pro jurejurando est firmo, im„ mutabili, numquam mentiente. *Josephi de Essenis scri„ bentis* : Quicquid ab ipsis dictum sit, firmius est jureju„ rando : jurare autem ipsis supervacuum, ita ut perju„ rio pejus æstiment. Jam enim cum damnatum dicunt, „ cui absque Dei nomine non creditur. " Quanto pudore hæc sufundere Christianos debent, passim temereque jurantes, aut juramentum pro exigui momenti rebus exigentes & extorquentes!

1. Reg. 14. Judic. 11.

Isa. 50. 6. Jerem. 30. 3.

Psal. 7. 14.

S. Aug. En. in Ps. 7.

25. *Audistis quia dictum est :* „ Oculum pro Oculo, & „ dentem pro dente : Ego autem dico vobis, non resiste„ re malo ; sed si quis te percusserit in dexteram ma„ xillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult „ tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, „ dimitte ei & pallium, &c. " Christiana charitas atque patientia omnia relinquere, omnia agere, omnia dare, omnia pati propter Christum parata est. Injurias, bonorum jacturam, vexationes æquo animo pati, non vicem reddere injuriam vimque inferentibus, non resistere malo, animo paratum esse ad graviores injurias, damna, vexationesque perferendas, potius quam thesaurum charitatis & pacis amittatur, Christianæ justitiæ character est. Sublimem hanc Philosophiam non solum verbo, sed exemplo docuit Christus, qui corpus suum dedit percutientibus, & genas suas vellentibus, faciemque sacratissimam non avertit ab increpantibus & conspuentibus in ipsam : qui dedit percutienti se maxillam, & saturatus est opprobriis. Hanc Philosophiam noverat David : in eaque egregie profecerat. *Si reddidi* (inquit) *retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis.* Animadvertens & intelligens quid pro illo fecerit Dominus, & ejus exemplo ad perfectionem proficiens, hæc ait Rex sanctus. „ Inaniter enim se ja„ ctat, qui cum & ipse homo sit, cupit se de homine „ vindicare. Et cum superare hominem palam quærit, „ occulte a diabolo superatur ; inanis effectus vana & „ superba lætitia, quod quasi vinci non potuit. Intelli„ git ergo iste ubi major fiat victoria, & ubi Pater red„ dat qui videt in occulto. Ne reddat itaque retribuen„ tibus mala, iram potius quam hominem vincit. In hac „ Philosophia sancti Apostoli & Martyres excelluerunt, „ quorum patientia ædificata Ecclesia est. Hanc patientiam „ imitemur, nisi Christiano nomine indigni esse velimus.

„ Cupi-

Exodi. 23. 9. 10.

Matth. 5.

S. Joan. Chrys. Hom. 17. in Matt.

S. Augustin. Serm. 180. alias de Verbis Apostoli 28.

„ Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus
Tertull. lib. de patientia, c. 7. & 8. „ Domini per Apostolum pronuntiavit. Eam non in
„ concupiscentia alieni tantum constitutam interpretemur; nam & quod nostrum videtur, alienum est:
„ Nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi
„ quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter sen-
„ serimus, de non nostro amissum dolentes, affines cu-
„ piditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cum alie-
„ num amissum ægre sustinemus. Qui damni impatien-
„ tia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de
„ proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem a Do-
„ mino sumpsit, sæcularis rei gratia concutit. Libenter
„ igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum
„ licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.
„ Jam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut
„ etiam ignavia, non constanter sustinere constituit;
„ nescio an facile vel ex animo ipse rei suæ manum in-
„ ferre posset in causa eleemosynæ. Quis enim ab alio
„ secari omnino non sustinens, ipse ferrum corpori suo
„ ducit? Patientia in detrimentis exercitatio est largien-
„ di & communicandi. Non piget donare eum, qui non
„ timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tuni-
„ cas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui
„ auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Quo-
„ modo amicos de Mammona fabricabimus nobis, si
„ eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito. Quid hic invenimus,
„ ubi habemus amittere? Gentilium est omnibus detri-
„ mentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam
„ animæ fortasse anteponant ... Nos vero secundum di-
„ versitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pe-
„ cunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit;
„ seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo.
„ Ipsam animam, ipsumque corpus in sæculo isto exposi-
„ tum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ pa-
„ tientiam subimus; minorum deliberatione lædemur?
„ Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia
„ majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat.
„ Si manu quis tentaverit provocare, præsto est Domi-
„ nica monitio. Verberanti te, inquit, in faciem, etiam
„ alteram genam obverte. Fatigetur improbitas patien-
„ tia tua. Quivis ictus illa sit dolore & contumelia con-
„ strictus, gravius a Domino vapulat. Plus improbum
Ibidem, c. 9. „ illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cujus
„ gratia sustines ... Et summus impatientiæ stimulus,
„ ultionis libido, negotium curans aut gloriæ aut ma-
„ litiæ. Sed & gloria utique vana, & malitia numquam
„ non Domino odiosa: hoc quidem loco maxime, cum
„ alterius malitia provocata, superiorem se in exequen-
„ da ultione constituit, & remunerans nequam duplicat
„ quod semel factum est. Ultio penes errorem, solatium
„ videtur doloris: penes veritatem, certe redarguitur
„ malignitatis. Quid enim refert inter provocantem & pro-
„ vocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehendi-
„ tur, at ille posterior? Tamen uterque læsi hominis
„ Domino reus est ... Quem autem honorem litabimus
„ Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogave-
„ rimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris, as-
„ sumentibus sibi de consservis ultionem, graviter offen-
„ dimur: eosque qui nobis patientiam obtulerint suam,
„ ut memores humilitatis, servitutis, jus Dominici ho-
„ noris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem
„ quam ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus.
„ Id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam
„ potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo cre-
„ dimus judicem illum, si non & ultorem? Hoc se nobis
Idem, cap. 15. S. Jo. Chrysost. Hom. 40. ad pop. Antioc. in Iuventinum, & Maximum Martyres. Heb. 10. 34. S. Aug. l. 1. de Civitate Dei cap. 10. „ repromittit dicens: *Vindictam mihi, & ego vindicabo*;
„ idest, Patientiam mihi, & ego patientiam remunera-
„ bo ... Satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si in-
„ juriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum,
„ restitutor est: si dolorem, Medicus est: si mortem,
„ resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum
„ habeat debitorem? Ad jacturam bonorum pro Christo
„ ferendam parati esse debemus. Non enim illæ tantum
„ opes, quas eleemosynæ nomine disperdimus, transfe-
„ runtur in cœlum; sed etiam quascumque nobis hostes
„ fidei, piorumque persecutores rapiunt, illic thesauri
„ erunt. Est enim hoc non minus quam illud. De quo
„ audi quid Paulus dicat: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* " Unde *S. Paulin.* Nolanus Episcopus, quando Nolam Barbari vastaverunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo precabatur: *Domine, non excrucier propter aurum & argentum; ubi enim sint omnia mea tu scis.* Ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere & thesaurizare Christus docuerat. Nam & ille non multo post conversionem suam scripserat ad *Severum* Episcopum;
S. Paulinus Epist. 2. „ Facile nobis bona vel onera apposita pallium remitten-
„ tibus exciderunt; & quæ nobiscum non intuleramus
„ in hunc Mundum, nec poteramus auferre nobiscum,
„ quasi mutuata reddimus; nec ut cutem a carne distra-
„ ximus, sed ut vestem a corpore deposuimus. "
S. Isidorus Pelus. Ep. Spiritualium lex certaminum in patientia sita est, in eoque posita, ut injuriam vimque nobis inferentibus ceda-
mus. Unde *Sanctus Isidorus Pelusiota* scribit: „ Si per- *175. lib. 4*
„ cuti & injuria affici, esset succumbere, neque Christus, *1. Cor. 4*
„ neque Paulus umquam contraria dixissent. Dominus præ-
„ cepit percutienti in dexteram maxillam, præbere etiam
„ alteram. Apostolus autem admonuit in hæc verba: Qua-
„ re non potius injuriam patimini? Nova namque hæc est
„ lex certaminum, quandoquidem magis etiam novus est
„ præmiorum modus, videlicet non oleaster, & cibatio in
„ prytaneo, neque æneæ statuæ auro fulgentes: (misera
„ ac vilia sunt ejusmodi præmia) sed Regnum cœlorum,
„ & vita finem nesciens. Noli igitur putare, te, dum
„ cedis, & Christianæ meditationi das operam, suc-
„ cumbere ac vinci; sed potius persequere victoriam,
„ quæ in eo ipso, dum succumbere videmur, sita est.
„ Quod si miraris, id exemplo manifestum faciam quod
„ dico. Perhibent, Regem quemdam, cum vellet pugnam
„ navalem adversus hostes committere, vidisseque ho-
„ stium naves longe plures quam suas, cedentem hosti-
„ bus invadentibus dixisse: Non fugio, sed potius utili-
„ tatem persequor retro sitam. Si igitur etiam in hac
„ vita interdum in eo dum quis superatur & cedit, uti-
„ litas & victoria consistit; Ne paribus passibus procedamus cum iis qui nos percutiunt aut injuria afficiunt:
„ sed potius ipsis cedamus. Hæc enim etiam cœlestium
„ certaminum lex est & ratio. "

Videsis Illustriss. & Doctiss. Præsulis Danielis Huetii lib. 3. de Concordia Rationis & Fidei cap. 18.

Patientiam in perferendis injuriis ethnici ipsi Philosophi non præceptis modo, sed & factis docuerunt. Plato sæpius ait: Malle se pati injuriam quam facere; nemini omnino inferendam injuriam, ne iis quidem qui intulerint. Divisus a multis & despectus, calce nonnumquam appetitus, plagis multatus, uxoris Xanthippes intemperiis vexatus, & sordida etiam aqua nonnumquam perfusus, ne commotus quidem, placido vultu & dictis argutis ac perfacetis animi æquitatem probabat. Mortem ipsam tranquillo animo sustinuit, cum palam denuntiasset, se nemini umquam feciſſe injuriam; ab Anyto & Melito interfici se posse, offendi non posse. Tota Dissertatione 2. demonstrat Maximus Tyrius, virum bonum nec afficere quemquam injuria, nec affici; improbum vero afficere injuria, non affici; quia bono caret, quod illi per injuriam eripi possit: qui vero referat injuriam, exæquari improbo, qui intulit; & ut qui beneficium reddit ei a quo accepit prius, benefacit tamen, ita malefacit qui reddit injuriam quam accepit. Irrideri se tulit Diogenes, cædi, sputis fœdari. Anaxarchus cum pistillis ferreis tunderetur: *Tunde*, ajebat, *tunde Anaxarchi capsam: Neque enim tundis Anaxarchum.* Crates in faciem cæsus, & ex plaga lividus, non aliter ultus est Nicodemum citharœdum facinoris auctorem, quam nomine ejus fronti suæ inscripto. Marcus Cato colaphis os percussus in balneo non excanduit, non vindicavit injuriam, immo factum negavit. Seneca docet, non ut rependenda sunt beneficia beneficiis, sic injurias injuriis rependere licere; illic vinci turpe esse, hic vincere; miserius esse nocere, quam lædi; sapientis potissimum esse, injurias benigne interpretari, inultas dimittere, beneficii potius quam earum meminisse, patientia se ac magnitudine animi defendere, & contemptum contemnere. Musonii de tolerandis injuriis disputationem Stobæus in sententias suas retulit. Actionem injuriarum nulli concedit Philosopho, ne si maledictis quidem incessatur, conspuatur, verberetur: quippe nec ea quidem esse injurias; non ea pati turpe esse, sed facere; iis commoveri, viri esse ignari; magni, ferre tranquille; feræ, mordentem remordere. Celebre est illud Epicteti: *Sustine, & abstine.* Splendidæ ejus extant in patientiæ commendationem sententiæ: Minime refutanda maledicta, immo confirmanda, ac dicendum, Multo plura sibi inesse vitia: Rebus singulis geminam appositam esse ansam; aliam qua ferri possit, aliam qua non possit; illa ferendas injurias; præsto ad id nobis esse patientiam: sibi ipsi nocere, non nobis, qui nobis noceat: si rependamus damnum, nos nobis ipsis nocere: eripiendum hunc errorem ex multorum animis, contemptum iri, qui inimicos suos non ulciscatur. Hæc & alia respiciens *S. Cyprianus*, de patientia sic loquitur: „ Hanc se sectari Philo- *S. Cyprianus lib. de bono Patientiæ.*
„ sophi quoque profitentur, sed tam illic patientia
„ falsa est; quam & falsa sapientia est. Unde
„ enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec
„ sapientiam, nec patientiam Dei novit? .... Nam
„ si sapiens ille est, qui est humilis & mitis; Philoso-
„ phos autem nec humiles videmus esse, nec mites,
„ sed sibi multum placentes, & hoc ipso quod sibi pla-
„ ceant Deo displicentes: apparet illico veram non esse
„ patientiam, ubi sit insolens affectatæ libertatis auda-
„ cia, & exerti ac seminudi pectoris inverecunda ja-
„ ctantia: Nos vero, fratres, qui Philosophi non ver-
„ bis, sed factis sumus; nec vestitu sapientiam, sed
„ veritate præferimus, qui virtutum conscientiam ma-
„ gis quam jactantiam novimus; qui non loquimur ma-
„ gna, sed vivimus; quasi servi & cultores Dei, pa-
„ tientiam quam magisteriis cœlestibus discimus, obse-
„ quiis spiritalibus præbeamus. Est enim nobis cum Deo
„ virtus ista communis. "

26. *Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te, ne avertaris.* Personarum acceptio in beneficiis erogandis, non pauperum discretio, non ordo charitatis nobis prohibentur. *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Constans igitur esto, Christiane largitor: „ Da quod accipias, sere quod „ metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua „ cum bene erogatur, augetur: & concupiscere justum „ misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, & „ qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens: Date, „ & dabitur vobis. Amplectenda est tibi promissionis „ istius gratulanda conditio. Quamvis enim non habeas, nisi quod acceperis: non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte „ ditescat, ut non hominum laborantium captet necessiates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: *Date & dabitur vobis*, &, *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis*. Infidelis autem & iniquus est etiam sibi, qui quod æstimat „ diligendum, non vult habere perpetuum. Quantalibet „ condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus „ abscedet, dicente David Propheta; *Quoniam cum interierit non accipiet omnia, neque descendet cum eo* „ *gloria ejus*. Qui si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui & idoneus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum. Sed injusta „ & impudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepide pacisceti: Dumque certiora existimat præsentia quam futura, merito in hoc „ frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri non „ injusti causa sit damni. Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam „ & minuisse, & auxisse peccatum est: Ut aut miser „ sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod „ non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris; & „ lucrum quod omni caret humanitate vitandum est. „ Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecuniæ, funus est animæ. " Hilariter dandum omni petenti, & volenti mutuari commodandum est. Cavendum ne pauperes, quamvis importuni, durius repellantur, aut contristentur. Non solum vero in negatione eleemosynæ vel mutui, sed & in modo peccatur. Unde S. August., seu antiquus alius Episcopus coram Deo gemens, infirmitatemque suam palam agnoscens, ait: „ Diversarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus con„ turbatus, si quem forte non ut poscebat audivi; si „ quem tristius quam opus erat adspexi; si in quem ver„ bum durius quam oportebat emisi; si quem corde con„ tribulatum & opis indigum responsione incongrua con„ turbavi; si quem pauperem mihi forte in aliud intento „ importunius instantem vel prætermiti, vel distuli, vel „ etiam nutu aspero contristavi .... Pro his atque hujus„ modi offensis esse me fateor debitorem. *Quamobrem* „ supplicem nullum spernas; & cui dare non potes quod „ petierit, non eum spernas: si potes dare, da; si non „ potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus vo„ luntatem, ubi non invenit facultatem. "

„ 27. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tu„ um, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem di„ co vobis: Diligite inimicos vestros, &c. " Solus Deus jugum adeo contrarium amori proprio imponere hominibus potuit: sola charitas quæ Deus est, legis adeo repugnantis naturæ corruptæ dilectionem inspirare, & executionem tribuere potuit. *Ego autem dico vobis* &c. Verba hæc miram emphasim habent. Ego Creator vester, Redemptor, Dominus, Rex, Legislator, judex: Dico vobis, creaturis meis, quos dilexi, prius quam essetis, & ex nihilo condidi; servis meis, quos redemi, & ita amavi cum inimici mei essetis, ut sanguinem meum pro vobis effundere non dubitaverim: vobis subditis meis, quos innumeris beneficiis quotidie cumulare non cesso, quibus offensas quotidie dimitto; vobis, quibus Regnum cœlorum, si legibus meis parueritis, promitto; quos aliquando sum judicaturus: Dico vobis *Diligite inimicos vestros*. Diligite, *Non verbo nec lingua, sed opere, & veritate*. Diligite inimicos vestros: Hinc enim perspicuum erit, vos proximum diligere propter Deum, qui nihil odit eorum quæ fecit, cui proinde nihil inimicum est præter peccatum. „ Vides in inimico, quæ adversa sunt ab homine facta: & vides in illo „ quod a Deo factus est. Quod autem homo factus est, a Deo „ factus est. Quod autem, te odit, ipse fecit. Quod invidet „ ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine, propitius illi esto, dimitte illi peccata, incute illi terrorem, „ muta illum. Non amas in illo quod est, sed quod vis „ ut sit. Ergo cum inimicum amas, fratrem amas. Quapropter perfecta dilectio est inimici dilectio: quæ per„ fecta dilectio est in dilectione fraterna ..... Sævit „ in te homo? ille sævit, tu precare; ille odit, tu „ miserere. Febris animæ ipsius te odit: sanus erit, & „ gratias tibi aget. Quomodo Medici diligunt ægrotos? Ad hoc diligunt ægrotos, non tu ægroti remaneant, sed ut ex egrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur a phreneticis? Quales contumelias „ verborum? plerumque & percutiuntur. Persequitur ille „ febrem, ignoscit homini. Et quid dicam, Fratres? „ Amat inimicum suum? Immo odit inimicum suum „ morbum; ipsum odit, & amat hominem a quo percutitur; odit febrem. A quo enim percutitur? A morbo, a febre. Illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. Sic & tu: si odit te „ inimicus tuus, & injuste te odit, noveris quia cupiditas sæculi in illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum & tu; contra reddis malum pro malo. Quid „ facit reddere malum pro malo? Unum ægrotum flebam qui te oderat: jam duos plango, si & tu odisti. „ Sed persequitur rem tuam; tollit tibi nescio quæ habes in terra, ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra. Noli pati angustias, migra in cœlum „ sursum: cor ibi habebis, ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi „ tollit; nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret, qui „ flagellat omnem filium quem recipit. Quodammodo ferramentum Dei est quo saneris, ipse inimicus tuus. Si „ novit Deus utile tibi esse ut expoliet te, permitti illum: si novit tibi utile esse ut vapules, permittit illum, ut cædaris: De illo te curat, opta ut ille sanetur ... Sed dicet aliquis: Quis potest diligere inimicos? „ Prius te dilexit, impium Deus tuus, qui numquam fuit „ impius. Tu autem etiam si jam non es impius, fuisti „ tamen aliquando; quia nemo fit justus nisi ex peccatore: „ sicut frequenter cantavimus: *Beati quorum remissæ sunt* „ *iniquitates*. Non dixit, Beati qui non fecerunt peccata. Si enim quæris qui non fecerit, non invenies. „ Unde ergo quisquam erit beatus, nisi remittatur quod „ fecit, nisi tegatur quod commisit? Si ergo jam tibi „ peccatum commissum est, ille te insequitur qui nondum est justus. Et tu antequam justificareris, alios „ persequebaris: perieras, & inventus es. Et ille qui „ tibi adversatur, invenietur, & non persequetur. Noli „ cogitare quod tuis meritis talis factus sis; quia gratia „ Dei te talem facit. Et bene considerans, videbis potentem esse Deum, qui talem faciat eum quem juste „ videris odisse. Dicis enim tu tibi quasi justus: Magna est patientia Dei, quæ illum talem vivere sinit. „ Atque utinam hoc solum dicas! sed timeo ne insuper „ reprehendas, dicens: Quid placuit Deo talibus parcere? Quare tanta mala faciunt homines, & vivunt? „ Sic dicat alius: Deus, quare vivit iste, qui tanta dicit, & tuam justitiam reprehendit? Non enim attendit quid ipse dicat, sed attendit quid alius faciat. „ Qui tibi displicet, fortassis non reprehendit, nec effundit istas contumelias in Deum, quomodo tu facis. „ Ecce putas quia Deus, quomodo tu, nulli malo velit „ parcere. Quid de te facturus est, qui sine peccato esse „ non potes? Non attendis ubi te inveniat? Roga ergo „ ut non solum aliis, sed etiam tibi parcat. " Diligamus ergo inimicos nostros. Qui inimicus est, forte sic ad pœnitentiam convertetur, ut in illa cœlesti Jerusalem civis tuus esse mereatur, & forte etiam major videatur.

28. *Benefacite his qui oderunt vos: ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*. Christianos homines qui mala rependunt malefactis, judicabunt Ethnici Philosophi, qui malefactis beneficia esse rependenda docuerunt. Hierocles in Pythagoricorum præceptorum explicatione bonos ex merito, malos propter naturæ communionem & humanitatem diligendos esse dixit, Deumque imitandum qui omnes homines, etiam impios diligit. Scitum est Epicuri, Ne hostis quidem supplicantis repudiandas esse preces. Usurpabat Antisthenes perinde ut Alexander, dictum illud: *Regium est male audire cum benefacias*. Laudatur Socrates a Themistio, quod emendaverit vulgarem hanc sententiam: *Amicis benefaciendum, male inimicis*; quippe *ne inimicis quidem malefaciendum*; & quod comminanti cuidam, *Moriar nisi te occidero*, responderit: *Moriar ego vero, nisi te amicum effecero*. Memoria dignum hoc Ciceronis: Non cum summis viris comparandum, sed Deo simillimum esse, qui animum vincat, iracundiam cohibeat, victoriam temperet, adversarium non modo extollat jacentem, sed dignitatem etiam ejus amplificet. Stoicos dicere Seneca refert, Non desiturôs se ad finem vitæ adjuvare singulos, opem ferre etiam inimicis: atque id ponit inter optima præcepta Philosophiæ. Minime autem patitur nos tardiores ad bene merendum facere turbam ingratorum: Quippe ne Deos quidem a benignitate sua sacrilegorum & impiorum nequitia deterreri; hos nobis imitandos, danda beneficia ad nos non reditura: Sin damus ut recipiamus, bonam ingratorum nos causam facere; diem oriri multis luce indignis. Plura Græcæ & Romanæ beneficentiæ erga inimicos exempla e veteribus memoriis proferunt. *Confutius* Sinensis erga inimicos, perinde ut erga amicos, jubebat

Galat. 6. 10. S. Leo serm. 16. de jejunio decimi Mensis & Eleemosynis ejusdem 6. cap. 2.

Psal. 48. 13.

Serm. 183. inter Augustinianos, alias 25. inter Hom. 50.

S. Aug. Enarr. in Psal. 103. Serm. 1.

S. Augustin. Tract. 8. in Epi. S. Jo.

S. Cæsarius Arelatensis ser. 71. alias 6. ex Hom. 50. S. Aug. nunc in Appendice ser. 271.

Videsis Illustriss. & Doctiss. Præsulis D. Huetii lib. 3. de Concordia Rationis & Fidei cap. 19. Cicero Orat. pro Marcello.

Seneca de Otio Sap. cap. 27. de Vita beata c. 20. de beneficiis lib. 1. cap. 1. lib. 10. cap. 5. Tertull. lib. ad Scapulam. c. 1. S. Amb. ser. 12. in Psalm. 118. n. 51. Rom. 12, 18.

bat familiares suos esse affectos. Verumtamen quod illa gloriæ animalia ad ostentationem dixerunt, interdum etiam fecerunt, solius justitiæ Christianæ proprium est ex charitate præstare, & inimicos propter Deum diligere. „ „ Amicos diligere omnium est; inimicos autem solorum „ Christianorum... Latum mandatum tuum nimis (inquit „ David) O homo (inquit S. Ambrosius) quam latus es, „ si ad amplitudinem cœlestium præceptorum sinum mentis tuæ expandas! Quam latum est mandatum charitatis! *Diligite inimicos vestros*. Omnes utique in affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimicus? Unde „ Apostolus: *Si fieri*, inquit, *potest*, *cum omnibus hominibus pacem habentes*. Non potest hoc Judæis dici, non „ Gentibus, ut cum omnibus pacem habeant. Illi vix „ suos diligunt: Christianos etiam immicos non licet non „ amare. Christianum cum dico, perfectum dico: in Christo enim plenitudo divinitatis est, cujus nomen usurpas. „ Qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfe-
S. Gregor. M. lib. 5. Moralium cap. 13. „ ctionemque cur refugis? *Addam illud S. Gregorii M.* Perfectio de patientia nascitur. Ille enim vere perfectus est, „ qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. "

29. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*.
S. Joan. Chry. serm. 57. Quod peccata fratrum non vulganda. Tom. 5. „ Multi pronos in terram se projicientes, terram fronte ferientes, calidas fundentes lacrymas, acerbe interius ingemiscentes, extensis manibus, multumque studium præferentes, hoc fervore ac promptitudine animi adversus „ propriam salutem utuntur. Nam Deo preces offerunt non „ pro suis delictis, neque ut veniam peccatorum suorum petant, sed hoc studium omne conferunt adversus inimicos: „ ac perinde faciunt ac si quis ensem acuat, nec adversus „ hostes illo genere armorum utatur, sed eo jugulum suum „ trajiciat. Sic & isti non ad obtinendam suorum veniam „ delictorum, sed ad accelerandum inimicorum suorum „ supplicium precibus utuntur; quod est se ipsos gladio „ transfigere. Hoc autem Malignus ille excogitavit, ut „ nos omni ex parte perdamus; & dum negligentes sumus, & dum studium aliquod adhibemus. Hi enim „ hac sua in precibus incuria Deum irritant, dum per „ hanc negligentiam contemptum præseferunt: Illi vero „ studium exhibent, sed in salutis suæ perniciem, cum „ adversus inimicos preces fundunt... Non animadvertis, injuriam te facere Deo, cum Deum adversus inimicos rogas? Quoniam ipse dixit, *Orate pro inimicis*, „ & divinam hanc legem invexit. Cum igitur Legislatorem rogas ut suas violet leges, & hortaris ut suis contrarias leges ferat; & eum, qui prohibuerat ne adversus inimicos orares, precaris ut te adversus inimicos „ orantem audiat, non oras dum id facis, sed Legislatori contumeliam infers, & in eum insolescis qui bona „ tibi largiturus erat, quæ occasione precum eveniunt. „ Et quo pacto fieri potest ut audiaris, dum oras, si eum „ qui est auditurus irrites? Hæc dum facis, in barathrum salutem tuam impellis, & in præcipitium ruis, „ dum inimicum in conspectu Regis percutis. Quamvis „ enim manibus id non facias, verbis tamen eum percutis: quod erga conservos præstare non audes. Id „ enim si agere audeas Magistratu spectante, licet innumera tua sint recte facta, confestim ad mortem abduceris. Ergo-ne coram Magistratu æqualem non audes „ afficere contumelia, coram Deo vero qui id facis, „ non tremis, dum orationis tempore sic excandescis & „ efferaris? ... Nullo modo tibi potest nocere sæviens
S. August. serm. 56. al. de Diverf. 48. „ inimicus, quantum tibi noces si non diligis inimicum. „ Ille enim nocere potest aut villæ tuæ, aut pecori tuo, „ aut domui tuæ, aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut „ filio tuo, aut conjugi tuæ, aut ut multum, si illi data „ fuerit potestas, carni tuæ. Numquid quomodo tu, animæ tuæ? ... Bonum illi opta, finiant mala, & non „ erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo „ natura humana, sed culpa... Si cœlum es, invoca Patrem qui est in cælis, & pro inimicis tuis ora: quia „ & Saulus inimicus erat Ecclesiæ; sic oratum est pro „ illo, factus est amicus. Non solum destitit esse persecutor, sed laboravit ut esset adjutor. Et si verum quæ- „ ras, oratum est contra illum: sed contra ejus malitiam, non naturam. Ora & tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec „ amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus,
S. Jo: Chryf. Hom. 6. in Ep. 1. ad Timoth. „ & inimicum amisisti, & amicum invenisti... Deum „ imitare, qui pluit super bonos & malos, & solem suum „ oriri facit super justos & injustos. Non potes solem „ oriri facere? Maledictis abstine. Non potes largos imbres effundere? A conviciis desiste. Non potes Indumenta indigentibus ministrare? Violentiam fuge. Sufficit si hæc Deo offeras munera. Dei nempe beneficia „ per opera in ipsius hostes emanant: Tu vel verbis hoc „ facito, pro inimicis ora: Ita patri tuo, qui in cœlis „ est, similis fies. Non sumptibus opus est, non peregrinatione longiori, non aliquo hujusmodi ad id implendum: Velle tantum oportet, verbo solummodo „ opus est atque integerrima voluntate. Hoc semper versemus animo, quod qui inimicum benedicit, se ipsum „ benedicit: & qui illi maledicit, in seipsum maledicta „ detorquet: & qui pro inimico orat, pro se magis „ quam pro illo orat. "

CAPUT VI.

Sensus Litteralis.

1. ATTENDITE *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Cavete ne eleemosynas vestras, vel quodlibet opus justitiæ faciatis coram hominibus ad ostentationem, alioqui nullum a Deo præmium obtinebitis. Eleemosyna justitia dicitur tum in sacra Scriptura, Psalm. 111. 9. „ „ Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæ- „ culum sæculi. Psal. 10. 2. Nil proderunt thesauri im- „ pietatis: justitia vero liberabit a morte. 2. *Cor.* 9. Qui „ autem administrat semen seminanti & panem ad man- „ ducandum præstabit, & augebit incrementa frugum ju- „ stitiæ vestræ. " Tum apud Hebr., a quibus cista pauperum dicebatur *cista justitiæ*. Sic porro est appellata eleemosyna; sive quia eleemosynas erogare justitiæ est, officiique necessarii ad salutem divitibus; sive quod plurimum ad justificationem conferat disponendo, & Dei misericordiam impetrando. Daniel 4. 24. „ Peccata tua *S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in Monte c. 1.* „ eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis „ pauperum. *Luc.* 11. 41. Verumtamen quod superest, „ date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. " Non vetat porro Christus eleemosynam fieri coram hominibus ad gloriam Dei & eorum ædificationem; sed ne ob id forte fiat coram hominibus, ut videamur ab eis, id est, ut hoc intueamur, & ibi finem nostri propositi collocemus. Nihil aliud igitur demonstrat, nisi id nos cavere oportere, ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quæramus, id est, ea nos beatos effici arbitremur. „ Hinc S. Paulus, qui servum Christi se non fore „ ajebat, si hominibus placeret, se tamen omnibus per „ omnia placere dicebat: Non ut hoc appeteretur tanquam merces recte factorum, sed quia Deo placere non „ posset, qui non se iis quos salvos fieri vellet, præberet imitandum: Imitari autem illum, qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non „ absurde loqueretur qui diceret: In hac opera qua nave „ quæro, non navem quæro, sed patriam: sic & Apostolus convenienter diceret: In hac opera qua hominibus placeo, non hominibus sed Deo placeo; quia non „ hoc appeto, sed ad id refero ut me imitentur quos „ salvos fieri volo. "

„ 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere *Lightfoot in Horis Hebraicis ad c. 6. Matt.* „ ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vi- „ cis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, „ receperunt mercedem suam. " Eleemosyna Judæorum tripartita fuit. Prima conferebatur in sportulam vel canistrum pro pauperibus mundi, id est, pro mendicis quibusvis ostiatim petentibus: & exigebatur quotidie ab oppidanis per tres viros intra fores suas. Secunda conferebatur in arcam publicam pro pauperibus urbis; colligebatur in Synagoga, & distribuebatur pauperibus vespere Sabbati. Tertia dabatur ex agro, scilicet ex decimis, & manipulis in agro relictis, & reliquiis vindemiationis, de quibus *Levit.* 19. 9. 10. & *Deut.* 24. 19. Sed in hu- *S. Jo: Chryf. Hom. 19. in Matth.* jusmodi eleemosynarum distributione moris non fuit apud Judæos ut tuba canerent. Proverbialis ergo locutio est, ut observat S. Jo: Chrysost. Nam tuba convocare populum Judæi solebant. Tuba igitur canere, est testem populum quærere, ejusque laudem aut gratiam aucupari. *Sicuti hypocritæ faciunt*, id est simulatores, tamquam actores personarum alienarum, ut in Tragœdiis & Comœdiis. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim *S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in Monte, c. 18.* justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. *In Synagogis*, idest, in locis quo solent homines confluere. *Receperunt mercedem suam*. Nulla ipsis a Deo merces expectanda est. Non enim Deo, sed vanæ gloriæ serviunt. Eis dicetur: *Recedite a me operarii dolosi: nomen meum habuistis, sed opera mea non feciftis*. Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus: non si glorificentur ab hominibus, sed si ideo faciant ut glorificentur. „ Laus enim humana non appeti a recte „ faciente, sed subsequi debet recte facientem, ut illi „ proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant; „ non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant. "

„ 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra „ tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in „ abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, „ reddet tibi. " Nesciat sinistra tua, supple, manus. Proverbiale est & hyperbolicum loquendi genus, quasi dicat: Tam alienus sis ab ostentatione eleemosynæ, & a laude captanda etiam ab iis qui tibi conjunctissimi

sunt, ut si fieri possit, nescias ipse quod facis, nec illud mente volves versesque vana cum oblectatione. Non dissimile illud Imperatoris, qui interrogatus quando signum itineri daret, respondit: Se tunicam quoque abjecturum, si conscium consilii sui putaret. Sinistra, secundum S. Aug. nihil aliud significare videtur, quam ipsam appetitionem laudis. Dextera autem significat intentionem implendi præcepta divina. Cum itaque conscientiæ facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dexteræ. *Nesciat ergo sinistra tua quid faciat dextera tua*; „ id est, non se misceat conscientiæ tuæ laudis „ humanæ appetitio cum in eleemosyna facienda divinum „ præceptum contendis implere. " *Ut sit eleemosyna tua in abscondito*; Deo, tibique soli cognita, in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri, cum multi multa mentiantur. Hebræi persuasum habebant, eleemosynam in occulto factam Deo gratiorem esse, majorisque apud illum meriti. Hinc *Gazophylacium silentium* nobilis memoriæ in Templo, cui superscriptum erat: *Donum in occulto flectit iram*. Sed Pharisæi dicebant, & non faciebant, ut illis Christus exprobrat. *Et Pater tuus* cœlestis, Deus quem nihil latet, qui cordis & intentionis solus inspector est, qui videt eleemosynam tuam quam hominum oculis subduxisti, solo conscientiæ tuæ testimonio. Denique judicio contentus, *reddet tibi* præmium quod ab ipso uno expectas. Quidam Codices habent, *Reddet tibi palam*, id est, in Resurrectione justorum; sed verbum illud, *palam*, abest a Vulgata nostra Versione, & a SS. Hieronymo & Augustino irreptitium censetur.

Ibidem.

4. „ Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui „ amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes „ orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, „ receperunt mercedem suam. " Ne sitis sicut hypocritæ, qui affectant orare in Synagogis, & in compitis stantes, id est, ita compositi, ut fixi & immobiles appareant, quasi homines animo in cœlum rapti, ut spectentur ab hominibus, ceterisque religiosiores videantur. Ceterum publicas preces in Synagogis & Templo factas Christus non improbat, cum & ipse, & Apostoli ibi oraverint, & Ps. 67. scriptum sit, *In Ecclesiis benedicite Domino*. Notum illud Tertulliani: *Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est*. Cum ergo Sanctus Paulus scribit, *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*, &c. nihil aliud significat, quam veri Dei cultum non uni alicui loco singulariter addictum esse, sicut Veteris Legis tempore, sed nullum esse in orbe locum, ubi ad ipsum preces fundi non possint. Nec etiam situm corporis; sive modum orandi stando Christus damnat, cum & Azarias & Publicanus stantes oraverint, & utriusque oratio Deo placuerit. Notum est veteres Christianos diebus Dominicis, & in Pentecoste, id est, totis quinquaginta diebus post Pascha, nonnisi stantes orasse, ut Tertullianus lib. *De corona Militis*, & Nicæna magna Synodus Canone ultimo, testantur. Hinc *Stationis* nomen pro Christianorum Conventu ad orationem primis Ecclesiæ sæculis usurpatum.

Tertull. Apolog. cap. 39. 1. *Tim.* 2. 1.

Dan. 3. 25. *Luc.* 18. 13.

5. „ Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, „ & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & „ Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi." Non improbat morem publice orandi (ut jam dixi) sed pravam dumtaxat vanæ gloriæ ex oratione captandæ intentionem corrigit: quasi dicat, Non magis affectes ut homines te precantem laudent, quam si abditus in secretiori ædium parte orares: sed uni Deo placere studeas. Quæ igitur de ingressu in cubiculum, & de claudendo ostio hic dicuntur, ex communi usu & more loquendi sumpta sunt, ad ea significanda quæ sine strepitu fiunt, ut Isaiæ 26. 20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*. Absurdum enim erit, si quod jubet Christus, *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, „ similiter acceperimus, quasi non liceat omnibus locis, „ atque in Ecclesia ipsa orare; nec in alia quidem domus „ parte, nisi in cubiculo tantum preces fundere. Quid „ igitur hoc sibi vult? Vitandam prorsus omnem jactantiam omni studio Christus admonuit, dum non modo „ clam, verum & in abditiori domus parte vota & preces offerendas docuit. Sicut enim cum dicit, *Nesciat „ sinistra tua quid faciat dextera tua*, non de manibus „ simpliciter differit, sed vanitatem jugulare contendit: „ ita & hic cubiculi nomine secretum intimi cordis expressit."

S. Jo. Chry. Hom. 8. in Epist. 1. ad Timoth.

6. „ Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici. „ Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite „ ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum." Non vetat Christus orationem continuare, qui sæpe in oratione pernoctavit, & perpetuo orandum esse docuit; neque etiam earundem petitionum iterationem, quod ipse etiam fecit, præsertim in suprema illa pro Apostolis & credentibus precatione: sed superstitionem damnat, vanamque opinionem, qua Deo verba annumerantur, quasi ex prolixitate potius & labore externi operis, quam ex intimo animi affectu, cui excitando verba inserviunt, preces metiretur: Aut quasi prolixiores preces per se efficaciores essent ad Deum flectendum, aut necessariæ ad ipsum docendum quibus rebus indigeamus. Hoc ethnicam superstitionem sapit. Non igitur hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam de ipso Domino scriptum est quod perseveraverit in orando, & quod prolixius oraverit, ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus*.... „ Sicut hypocritarum est præbere se sectan- „ dos in oratione, quorum fructus est placere hominibus; „ ita Ethnicorum, id est, Gentilium, in multiloquio se „ putare exaudiri. Et revera omne multiloquium a Gen- „ tilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mun- „ dando animo dant operam. Et hoc nugatorii studii ge- „ nus etiam ad Deum prece flectendum transferre conan- „ tur, arbitrantes sicut hominem judicem verbis adduci „ in sententiam. *Nolite ergo assimilari eis* (ait Christus) „ *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam „ petatis eum*. Si enim verba multa ad id proferuntur, „ ut instruatur & doceatur ignarus, quid eis opus est ad „ rerum omnium cognitorem, qui scit omnia antequam „ fiant, & novit quid nobis sit necessarium, antequam „ petamus ab eo? *Scit Pater vester*, cui non potest non „ proclive esse filiorum indigentiæ succurrere. Scit non „ solum quid opus sit vobis, sed quid æternæ vestræ sa- „ luti expediat: quod ipsi plerumque nescitis." *Non igitur narratores sumus, sed rogatores. Aliud est enim narrare ignoranti, aliud scientem petere. In illo indicium est, in illo obsequium*.

S. August. Epist. 130. *alias* 121. *Ad Probam, c.* 10.

Idem lib. 2. *de serm. Dom. in Monte, cap.* 3.

S. Hieron. in c. 6. *Matt.*

7. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis.* Non præcipit Christus hac sola semper oratione uti, sed orandi dat formulam, ad quam omnes aliæ petitiones exigendæ sint. „ Solus Deus docere potuit, ut se vellet „ orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis & de „ Spiritu ipsius, jam tunc cum ex ore divino ferretur, „ animata, suo privilegio ascendit in cœlum, commen- „ dans Patri quæ Filius docuit. Quoniam tamen Domi- „ nus prospector humanarum necessitatum, seorsum post „ traditam orandi disciplinam, *Petite*, inquit, *& accipietis*, & sunt quæ petantur pro circumstantia cujusque, præmissa legitima & ordinaria oratione, quasi „ fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est „ superstruendi extrinsecus petitiones."

Tertull. lib. de Orat. cap. 9.

Pater noster. Sanctissimam Trinitatem, seu unum in tribus personis Deum his verbis appellamus, non solum ob creationis, conservationisque ac redemptionis beneficia, qua ratione ipsorum etiam infidelium Pater est; sed ratione regenerationis per fidem & gratiam Baptismi. „ Dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt „ in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex vo- „ luntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo „ nati sunt. *Patrem nostrum vocamus, non quomodo pater est Christi*. Nos filii sumus, quos voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit „ quidem & nos, sed quo modo dicitur, adoptatos, ado- „ ptantis generatos beneficio, non natura. Denique & „ hoc dicti sumus, quia vocavit nos Deus in adoptionem „ filiorum: Homines adoptati sumus. Ille dicitur Unicus, „ Unigenitus, quia hoc est quod Pater: Nos autem ho- „ mines sumus, Deus est Pater..... Nusquam invenitur „ populo Israel præceptum, ut diceret, *Pater noster*, „ aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insi- „ nuatus est; tamquam servientibus, id est, secun- „ dum carnem adhuc viventibus. Patrem ergo Deum „ vocare & orare, privilegium est Christianorum, qui „ vocati sunt in adoptionem filiorum, & ad æternam „ hæreditatem, ut sint Christi cohæredes:" " quod cum meritorum nostrorum non sit, sed gratiæ Dei; eamdem ipsam gratiam convenienter in orationis principio commemoramus, dicentes, *Pater noster*. Quo nomine ad Dei laudem pertinente, quia *Appellatio ista & pietatis & potestatis est*; velut ad Dei benevolentiam orationis initio conciliandam, ex Christi instituto utimur. *Qui es in cœlis*. Esse in cœlis Deus dicitur, non quod cœlis contineatur, sed quia ibi manifestat excellentius gloriam suam, ut Rex in Regia; & quia hac locutione significatur eminentia Dei super omnem creaturam, secundum illud Psal. 112. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus*. „ Cujus rei signi- „ ficandæ gratia, cum ad orationem stamus, ad Orien- „ tem convertimur: non tamquam ibi habitet Deus, „ quasi ceteras Mundi partes deseruerit, qui ubique præ- „ sens est, non locorum spatiis, sed Majestatis potentia: „ sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem „ se convertere, id est, ad Deum, cum ipsum corpus „ ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id „ est, ad corpus cæleste convertitur."

Tertull. lib. de Orat.

S. August. l. de serm. Dom. in Monte c. 5.

8. *Sanctificetur nomen tuum*. Divina Majestas tua sancte colatur, ametur, timeatur, celebretur ab omnibus. Magnitudo tua, omnipotentia, sanctitas, ceteræque divinæ perfectiones tuæ omnibus innotescant, summaque religione ab omnibus honorentur. *Sanctificetur nomen tuum*. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum

S. Aug. ibid

Tertull. l. de Oratione cap. 3.

ctum nomen Dei, *sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment, aliquid sanctius, quod magis offendere timeant* .... Quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum ceteros sanctificet ex semetipso? „ Cui millia „ Angelorum circumstantia non cessant dicere, Sanctus, „ Sanctus, Sanctus. Proinde igitur & nos Angelorum, „ si meminerimus, candidati, jam hinc cælestem illam „ in Deum vocem, & officium futuræ claritatis edisci- „ mus. Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quan- „ tum ad nostram petitionem, cum dicimus, *Santifice- „ tur nomen tuum*, id petimus ut sanctificetur in nobis, „ qui in illo sumus, simul & in ceteris quos adhuc gra- „ tia Dei expectat; ut & huic præcepto pareamus, oran- „ do pro omnibus; etiam pro inimicis nostris. Ideoque „ suspensa enuntiatione nos dicentes, Sanctificetur in no- „ bis, in omnibus dicimus.

9. *Adveniat regnum tuum*. Paratum electis ab origine Mundi, Regnum pacatissimum, quo subactis inimicis regnabis in sanctis sine fine. Quod quidem Regnum nunc in sanctis per gratiam in spe, & in beatis illorum Animabus post mortem in re inchoatum per gloriam, perficietur & consummabitur in Resurrectione. Quomodo igitur quidam (inquit Tertullianus) protractum quemdam sæculo postulant, orantes scilicet pro mora finis; cum Regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem sæculi tendat? „ Optamus maturius re- „ gnare, & non diutius servire. Etiamsi præfinitum „ in oratione non esset de postulando Regni adventu; „ ultro eam vocem protulissemus, festinantes ad spei „ nostræ complexum. Clamant ad Dominum invidia „ Animæ Martyrum sub Altari: Quonam usque non ul- „ cisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis ter- „ ræ? Nam utique ultio illorum a sæculi fine dirigitur. „ Immo, quam celeriter veniat, Domine, Regnum tuum. „ Votum Christianorum, confusio Nationum, exultatio „ Angelorum, propter quod conflictamur; immo potius „ propter quod oramus." Quia vero ante judicii diem oportet prædicari Evangelium omnibus gentibus, & electorum societatem congregari ut corpus Christi mysticum perficiatur & consummetur, fiatque unum ovile & unus pastor, eadem petitione oramus pro Evangelii & Christianæ Religionis propagatione per omnem terram. Et hæc enim Regni Dei significatio colligitur ex verbis Christi, Luc. 9. 27. *Dico autem vobis vere: Sunt aliqui hic stantes qui non gustabant mortem donec videant Regnum Dei*.

Idem c. 5.

10. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. Quod decreviisti, & quod præcipis, fiat a nobis, & in nobis, qui degimus super terram, sicut fit in cælo ab Angelis, de quibus scriptum est: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, Ministri ejus qui facitis voluntatem ejus*. Impleatur a nobis & in nobis, sive agendo, sive patiendo, prompte, alacriter, integre, pure, ex amore, fideliter, constanter, perseveranter, quicquid providentia tua de nobis statuit propter gloriam tuam. Hanc petitionem S. Lucas prætermisit, quia duarum priorum quodammodo repetitio est, ut observat Sanctus Augustinus. Hujus enim petitionis sensus est, interprete S. Hilario: „ Ut sicuti „ voluntati Dei in cælis ab indefessis & cælestibus Vir- „ tutibus paretur; ita & a nobis in terra pareatur, ne „ corporalis nos infirmitas ab exequenda ejus voluntate „ deflectat: (in cælis enim indefessis quotidie vocibus di- „ citur Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sa- „ baoth: Pleni sunt cæli & terra gloria tua.) Ut no- „ bis quoque nihil aliud in opere sit, per quod sanctifi- „ catur nomen ejus: nihil aliud in spe, per quod & in „ nos Regnum ejus speramus; nihil aliud in voluntate, „ per quod ei æternæ a nobis laudes sunt deferendæ. „ *Oramus ut fiat in nobis voluntas Dei in terris, ut pos- „ sit fieri & in cælis*. Quid autem Deus vult quam in- „ cedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo „ substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret „ nobis, ut salvi simus, & in cælis & in terris, quia „ summa est voluntatis ejus salus eorum quos adoptavit. „ Est & illa voluntas quam Dominus administravit præ- „ dicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronun- „ tiavit non suam, sed Patris facere se voluntatem. Si- „ ne dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad „ quæ nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut & „ prædicemus, & operemur, & sustineamus ad mortem „ usque. Quæ ut implere possimus, opus est Dei volun- „ tate. Item dicentes, *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis „ bene optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, „ etiamsi quid pro meritis cujusque secus irrogatur. Jam „ hoc dicto ad sufferentiam nosmeipsos prænomenus. „ Dominus, quoque cum sub instantiam Passionis infir- „ mitatem carnis demonstrare jam in sua carne voluis- „ set, Pater, inquit, transfer poculum istud. Et recor- „ datus, nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas. Ipse „ erat voluntas & potestas Patris, & tamen ad demonstra- „ tionem sufferentiæ debitæ voluntati se Patris tra- „ didit."

Ps. 102. 2 1. *S. August. Enchiridii c.* 116. *S. Hilar. in Psal.* 134. *Tertull. l. de Oratione c.* 4.

11. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Subsidium omne ad sustentationem, & conservationem vitæ cum temporalis, tum spiritualis, nobis tribue. Da nobis victum & vestitum, quibus contenti sumus. *Panem nostrum*, quem paterna providentia & bonitate nobis destinasti, in quem oculi omnium sperant, & qui das illis escam in tempore opportuno. Panem nostrum dicimus; & tamen ut detur oramus: „ Noster quippe fit cum „ accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Si- „ cut justitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra „ est, sed quæ divina largitate fit nostra." Da nobis panem nostrum *supersubstantialem*, substantiæ superadditum ad illam roborandam, conservandam, augendam. Vel, *Panem nostrum præcipuum, egregium, peculiarem*, secundum Versionem Symmachi: Illum scilicet qui dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Panem qui super omnes substantias est, & universas creaturas superat. In Evangelio, quod secundum Hebræos appellabatur, panem crastinum significari Sanctus Hieronymus observat, ut sit sensus, Panem nostrum crastinum, id est, futurum da nobis hodie. Luc. 11. Vulgatus interpres vertit, *quotidianum*, quo nempe singulis diebus indigemus. *Da nobis*. Non mihi tantum, sed omnibus qui tibi serviunt. „ Orandum autem (*inquit S. Ambrosius*) præcipue „ & pro populo doceris, hoc est, pro toto corpore, pro „ membris omnibus matris tuæ, in quo mutuæ charita- „ tis est insigne ..... Si pro te roges tantum, solus pro „ te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro „ te rogabunt: Siquidem & tu in omnibus es. Ita magna „ remuneratio est, ut orationibus singulorum acquirantur „ singulis totius plebis suffragia. In quo arrogantia nul- „ la, sed humilitas major est, & fructus uberior." Da nobis *hodie* quamdiu vivimus; *per singulos dies, donec hodie cognominatur*. Vel hodie, tamquam filiis sub cura patris existentibus, qui in dies recipiunt a patre quicquid ipsis ad vitæ sustentationem necessarium est. *Hodie*, quia solliciti esse non debemus de crastino.

S. Greg. M. lib. 24. *Moral. cap.* 7. *Jo.* 6. *S. Hier. in c.* 5. *Matt.* *S. Ambr. l.* 1. *de Cain & Abel cap.* 9. *Hebr.* 3. 13.

12. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Remitte nobis *peccata nostra*, quibus tamquam ære alieno divinæ tuæ justitiæ tenemur obstricti: & pro quibus pœnas luemus ad ultimum usque quadrantem, nisi misericorditer condonaveris, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; id est, proximis qui nos offenderunt. *Sicut*, non significat æqualitatem in modo remittendi, quia Deus nobis & plura, & graviora, & liberalius remittit, & intrinsecus, delendo culpam, infundendo gratiam, ex injustis justos faciendo, pœnas æternas condonando: sed similitudinem significat, & rationem. „ Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & „ ipsi dimittimus omni debenti nobis. *EXOMOLOGESIS* „ est petitio veniæ: quia qui petit veniam, delictum con- „ fitetur. Debitum autem in Scripturis delicti figura est, „ quod perinde judicio debeatur, & ab eo exigatur, nec „ evadat justitiam exactionis; nisi donetur exactio, sicut „ illi servo Dominus debitum dimisit. *Per hanc igitur pe- „ titionem voluit nobis Salvator ostendere*, Quantumlibet „ juste in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, „ non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debea- „ mus orare, & eis qui in nos peccant, ut & nobis igno- „ scatur, ignoscere ..... Delet omnino hæc oratio mi- „ nima & quotidiana peccata. Delet & illa a quibus vi- „ ta fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in „ melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter di- „ citur, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt „ quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, *Sicut & nos „ dimittimus debitoribus nostris*; id est, si fiat quod di- „ citur, quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti ho- „ mini ignoscere."

Luc. 11. 4. *Tert. l. de Orat. c.* 7. *S. August. lib.* 21. *de Civ. Dei cap.* 27. *Idem Enchiridii c.* 72.

13. *Et ne nos inducas in tentationem*. Ne nos sinas induci in tentationem sive a tentatione vinci. „ Non enim „ per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem „ suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis „ Causis etiam sæpe manifestis dignum judicat ille quem „ deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est au- „ tem induci in tentationem. Nam sine tentatione pro- „ batus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sive alii ..... „ Non ergo hic oratur ut non tentemur, sed ut non in- „ feramur in tentationem: tamquam si quispiam cui ne- „ cesse est examinari, non oret ut igne non continga- „ tur, sed ut non exuratur. *Vasa enim figuli probat for- „ nax, & homines justos tentatio tribulationis* ..... „ Fiunt igitur tentationes per satanam, non potestate „ ejus, sed permissu Domini, ad homines aut pro suis „ peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia pro- „ bandos & exercendos. Et interest plurimum in qualem „ quisque tentationem incidat. Non enim in talem inci- „ dit Judas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit „ Petrus, cum territus Dominum negavit. Sunt etiam „ tentationes humanæ, credo cum bono quisque animo, „ secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo con- „ silio labitur, aut irritatur in fratrem studio corrigen- „ di, paulo tamen amplius quam Christiana tranquillitas „ postulat." De quibus Apostolus dicit: Tentatio vos non apprehendat nisi humana: *cum idem dicat*: Fidelis Deus, qui vos non sinet tentari supra quam potestis fer-

Idem l. de Serm. Dom. in monte cap. 9. *Eccli.* 27. 6. *1. Cor.* 10. 13.

re,

re, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare. „ In qua sententia satis ostendit, non id „ nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in ten- „ tationem inducamur. Inducimur enim, si tales acci- „ derint quas ferre non possumus. Sed cum tentationes „ periculosæ, in quas inferri atque induci pernicioſum „ est, aut prosperis rebus temporalibus, aut adversis orian- „ tur, nemo frangitur adversarum molestia, qui prospe- „ rarum delectatione non capitur. "

14. *Sed libera nos a malo. Amen.* Libera nos a peccato, quod summum malum est, a concupiscentia, a qua unusquisque tentatur abstractus & illectus, quæ cum conceperit, parit peccatum; ab omnibus occasionibus & incentivis peccati, a malo, id est, Maligno, nempe a Diabolo, ejusque tentationibus sæpe noxiis, semper vero periculosis. Libera nos ab omnibus malis adversisque rebus. Hæc verba S. Lucas prætermisit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *Sed libera*, non ait, *Et libera*, tamquam unam petitionem esse demonstrans; (Noli hoc, sed hoc:) Ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem .... Sequitur in Græcis quibusdam Codicibus: *Quoniam tuum est Regnum, & potentia, & gloria in sæcula.* Hanc Doxologiam in suis habuerunt S. Joannes Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Legitur in Syriaca & Arabica Versione. Verum ex oratione Dominica & Evangelico Textu expungendam esse constat ex Latina Sancti Hieronymi Editione, qui Novum Testamentum Græcæ Fidei reddidit, ex omnibus Codicibus Latinis, ex omnibus Patribus Ecclesiæ Latinæ, illiusque usu perpetuo, nec non ex Græcis nonnullis Codicibus venerandæ antiquitatis, & probatæ fidei.

S. Augustin. Enchirid. cap. 115.

Amen. Fiat. Hæc vox quasi orationis signaculum est, ex fide profectum ad firmum & flagrans precantis desiderium votumque declarandum, quo congrue & opportune clauditur, ac firmiter in mente supplicantis obsignatur oratio.

15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Repetit Christus rationem quintæ petitioni Dominicæ orationis adjectam, causamque exponit cur eam adjecerit, quia fundamentum hujus orationis est fides, quæ per dilectionem operatur: Ex charitate autem quodammodo suspensa est omnium nostrarum petitionum concessio. Deinde, quia ad hoc officium ignoscendi ægre trahimur, illud nobis Magister charitatis inculcat. Tertio, quia filii non sunt Patris cælestis, quem compellant, qui fratres inter se non sunt, & fraternam inter se dilectionem non exercent, quæ mutua indulgentia demonstratur. *Si* ergo *dimiseritis hominibus*, æqualibus vestris, fratribus vestris injurias vobis illatas, Pater vester cælestis dimittet vobis delicta vestra, modo aliæ conditiones adsint ad veram pœnitentiam necessariæ. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cælestis remittet vobis delicta in ipsum commissa, longe gravior. *Prætermissis omnibus petitionibus quas nos docuit, illam maxime docuit Christus. Non multum fuerant illa commendanda, in quibus si peccator est, unde curetur agnoscat: commendandum, in quo si peccaveris, cetera non est unde sanari. Hoc enim debes dicere,* Dimitte nobis debita nostra. *Quæ debita? Non deest: Homines sumus .... In nulla alia sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum Deo. Dicimus enim,* Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. *In qua pactione si mentimur, totius orationis nullus est fructus.* Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra ..... *Periisti si hoc perdidisti.*

S. Augustin. ser. 57. al. de Diver. 9. c. 12.

Idem l. 2. de serm. Dom. in Monte cap. 11.

16. *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes! Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Jejuniorum utilitatem Novi Testamenti gratia non removit, & continentiam corpor atque animæ profuturam, pia observatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud intelligentiam Christianam: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, & cetera talium mandatorum: ita quod in eisdem libris de jejuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. „ In omni enim tempore, omnibusque diebus vitæ hujus sæculi, jejunia nos contra „ peccatum faciunt fortiores, jejunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram „ mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt, si tamen in societatem sibi benevolentiam charitatis assumant ... *Tria namque sunt quæ maxime ad religiosas pertinent actiones; oratio, jejunium, & eleemosyna.* Oratione propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis „ extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque „ per omnia Dei in nobis imago renovatur, si & in laudem ejus semper parati, & ad purificationem nostram „ sine cessatione solliciti, & ad sustentationem proximi „ indesinenter sumus intenti. Hæc triplex observantia „ omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem & similitudinem Dei pervenit, & a Spiritu Sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet „ fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemosynis mens „ benigna. " De eleemosyna primum agit Christus in divino illo Sermone, tum de oratione, postmodum de jejunio; & ab illis pariter vanæ gloriæ pestilentem auram avertit, *Cum jejunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Ne tetrico tristique vultu sitis, hypocritarum instar, qui vultum squallore deformant, & affectata tristitia immutant, ad ostentationem jejuniorum suorum. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Lavari & ungi solebant Judæi extra luctus tempora, præcipue vero quoties soliti erant lætiores, ut diebus Festis, *Ruth.* 3. 3. 2. *Regum* 12. 20. & 4. *Regum* 4. 2. *Esther.* 2. 12. Vult ergo Christus, ut Discipuli sui, cum privatis spontaneisque jejuniis carnem suam domant, in habitu cultuque suo nihil immutent, vetatque ne dejecto tristique vultu jejunium suum prodant, & sanctimoniæ famam hac exercitatione, quæ sine pietate & humilitate ad modicum utilis est, aucupentur: immo jejunium lætitia & hilaritate vultus celari jubet. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito*; Qui jejunium tuum ab oculis hominum absconditum, seu piam, qua jejunas, intentionem videt, *reddet tibi.* „ Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, „ ne foris quærentes mercedem, huic sæculo conformemur, & amittamus promissionem tanto solidioris atque „ firmioris, quanto interioris beatitudinis, quia nos elegit Deus conformes fieri imagini Filii ejus. "

S. Jo: Chrys. Hom. 21. in Matth. *S. Hier. in cap. 6. Matth.* *S. Augustin. lib. 2. de serm. Dom in Mont. c 12.*

17. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Non divitiarum possessionem, ut Cælestius hæreticus putavit, sed divitiarum studium, & avaritiam Christus damnat. Cujus sensum explicans S. Paulus ait: „ Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa „ inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est „ cupiditas. " Nolite, inquit Salvator, divitias in terra congregare, quas amittere poteſtis, sive quia corrodentur a tineis, ut vestes; sive quia ærugine consumentur, ut metalla; aut alio quovis modo peribunt; aut certe a furibus & prædonibus possunt auferri: sed congregate divitias spiritales & nusquam perituras in cælo, quas nemo vobis eripere valeat. Hoc est quod Apostolus divitibus hujus sæculi præcipit: „ Non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo; bene agere, divites fieri in „ bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. " Contra vero qui thesauros in terra congregant avari, nihil sibi congregant in futurum, præter thesaurum iræ divinæ, præter ignis arcani subterraneum ad pœnam thesaurum, ut Tertulliani verbis utar. Unde Apostolus Jacobus. „ Agite nunc divites „ (*inquit*) plorate ululantes in miseriis vestris, quæ „ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & „ vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut „ ignis. Thesauri astis vobis iram in novissimis diebus. "

1. Tim. 6. *Jacob 1. 2. 3.*

18. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Cor hic affectum & desiderium significat. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Si divitiis in terra congregandis studes, animum habes in terra penitus defixum, & principibus materiis alligatum: Si vero thesauros in cælo congregare satagis, cor vere sursum habes, animus ille tuus cælestis, & ad cælestia natus, atque vocatus, qui Patrem in cælo invocat, illuc suas cogitationes, affectus, desideria, curas, studiaque sua dirigit, ut dicere possis cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in cælis est.* „ Etsi „ corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui „ patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, & non stadia „ opaca aut porticus longas proponeas tibi, sed illam „ viam quæ ad Deum ducit. " Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris: (inquit Tertullianus) „ Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cælo est; Totum hominem animus circumfert; & quo velit transfert: Ubi autem erit cor tuum, illic erit & „ thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrum ubi volumus „ habere thesaurum. "

Ps. 62. 11 *Philipp. 3. 20.* *Tertull. l. Ad Martyres cap. 2.*

19. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Oculus lumen est corporis, quo membra omnia illuminantur, & in suis officiis dirigun-

tur.

tur. Hic sumitur pro mente & intentione. Si oculus purus sit, nullo pravo humore vitiatus, omnia corporis membra ita illustrabuntur, ut recte sua peragant officia. Si animus tuus fuerit simplex, purus, integer, nullis pravorum affectuum, maxime vero avaritiæ nebulis obscuratus; si animi tui intuitus & intentio ad cælestia dirigatur; totum operum tuorum corpus in luce justitiæ versabitur. Contra vero si oculus ille interioris hominis fuerit improbus, & terrenis affectibus obnubilatus, si intentio prava fuerit, totum corpus actionum, quas illa dirigit, tenebrosum erit; id est, justitiæ luce & pulchritudine destitutum Si ergo oculus interior, judicium, intentio animi, quæ lumen quoddam est, in tenebras vertatur, & terrenis affectibus obnubiletur: quanta caligine malitiæ, quantis tenebris peccatorum obsitum erit totum operum corpus, quod lumen non habet, nisi a recto judicio & bona intentione derivatum? „ Oculum ergo hic „ accipere debemus, ipsam intentionem, qua facimus „ quicquid facimus; quæ si munda fuerit & recta, & „ illud aspiciens quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona „ sint. Quæ omnia opera totum corpus appellavit; quia „ & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, quæ „ improbat & mortificanda præcipit, dicens, *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam*, &c. Non ergo quid „ quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum „ est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus: „ Omne enim quod manifestatur, lumen est. Nam ipsa „ facta quæ ad hominum societatem a nobis procedunt, „ incertum habent exitum, & ideo tenebras eas vocavit. Non enim novi cum pecuniam porrigo indigenti „ & petenti, quid inde aut facturus sit aut passurus; & „ fieri potest ut vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cum darem, non evenire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque si „ bono animo feci, quod mihi cum facerem notum erat, „ & ideo lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, „ qualemcumque exitum habuerit: Qui exitus quoniam incertus & ignotus est, tenebræ appellatæ sunt. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ „ sunt. Lumen enim dicitur, quia novit quisque quo animo faciat, etiam cum malo animo facit: sed ipsum „ lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinat, & duplici „ corde quasi umbram facit. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ erunt?* Hoc est, si ipsa „ cordis intentio qua facis quod facis, quæ tibi nota „ est, sordidatur appetitu rerum terrenarum & temporalium, atque cæcatur; quanto magis ipsum factum, „ cujus incertus exitus, sordidum & tenebrosum est, quia „ etsi bene alicui proveniat, quod tu non recta & munda intentione facis; quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi provenerit. *Huc igitur pertinet totus iste locus ab oculi corporei similitudine*: Ut „ noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, & „ placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde; id „ est, intentione superna, sine motivo charitatis; quia „ & plenitudo Legis charitas. "

S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in Monte, cap. 13.

Coloss. 3. 5.

Rom. 13. 10. 20. *Nemo potest duobus dominis servire: Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Intentionem suam excusare forte conatur avarus, dicendo: Fateor intendi a me animum ad divitias parandas; verum interim non omittam pietatis officia. Hanc excusationem Christus evertit: *Nemo potest* (inquit) *duobus dominis servire.* Quod de dominis in solidum intelligendum est, quomodo & Jurisconsulti dicunt, Non posse esse duos dominos ejusdem rei. Aut enim unum odio habebit, alterum amans; aut uni adhærebit, illumque reverebitur; alterum vero contemnet ac negliget. Servus enim domino totus addictus esse debet, ipsumque colere & diligere. Ex dilectione porro promptitudo obsequendi, ex odio obsequendi difficultas nascitur. *Non potestis* igitur *Deo servire, & Mammonæ.* Mammona sermone Syriaco divitiæ nuncupantur. Christianus non potest simul divitiis Deoque servire, pietati & cupiditati; cum utraque totum sibi hominem postulet. Non tamen qui habet divitias, sed qui servit divitiis, a Christo damnatur. *Qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus; qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas ut Dominus*

S. Hieron. in cap. 6. Matth.

21. *Ideo dico vobis, Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Et hic objectionem tacitam Christus solvit. Esto enim, dicet aliquis, non sit de supervacuis laborandum; at eorum quæ natura desiderat, eam non habeo copiam, quæ in vitam omnem possit sufficere; quam ubi sum habiturus, finem faciam studio habendi. Christus hanc objectionem procedere ostendit ex diffidentia de bonitate, potentia, & providentia divina. Nam Deum nobis posse & velle prospicere de rebus necessariis, etiamsi nos obiter tantum curantes ea quæ præsens usus requirit, omnem animi vim in studium pietatis intendamus. Cum igitur animus simul in pietatis & divitiarum studia intendi non possit: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis*, immodica illa & anxia sollicitudine qua mens circa temporalia occupata, a debita spiritualium officiorum functione avocatur, vel qua tempus futurum superflue præoccupat; vel qua sit ut metuat homo ne sibi necessaria deficiant, dum Christianæ pietatis & vocationis suæ officiis fungitur. *Labor exercendus est, sollicitudo tollenda.* Ne sollititi sitis *animæ vestræ.* Id est, vitæ vestræ. Anima qua vivimus, usurpatur pro vita; ut Job. 2. v. 6. *Verumtamen animam illius serva.* Ne solliciti sitis præter modum de victu & vestitu. *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Si Deus corpus & vitam nobis dedit, quæ majora sunt, multo magis dare potest & vult cibaria ad vitam sustentandam necessaria; & vestimenta ad tuendum corpus contra cæli injurias. Quæ quidem minoris sunt, & vitæ corporisque causa dantur.

S. Thomas secunda secundæ q. 55. a. 6.

S. Hieron. in cap. 6. Matth.

22. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* In aves, quæ volant in aere, oculos conjicite: sollicitæ non sunt de victu: & illis cibum providentia sua Deus subministrat. Quanto magis vobis prospiciet; siquidem illis longe præcellitis, specialique vos providentia & amore complectitur & curat? Vos scilicet ad imaginem suam creavit, vestrique gratia cetera condidit, vos adoptavit in filios; & ad cæleste Regnum vocavit. *Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: Quæ omnia si non concupiscimus, possidemus.*

Minucius Felix in Octavio.

23. *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Argumentum est a minori ad majus, ut constat ex collocatione S. Lucæ c. 12. 25. 26. *Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* Quasi dicat, Vita & corpus sunt quasi mensura corporis: parum enim refert qua quis sit statura. Quod si hoc quod minus est Deus efficit citra studium nostrum, quanto magis citra anxiam nostram sollicitudinem in nobis conservabit vitam & corpus, quæ potiora sunt; ac proinde largietur quæ ad conservationem eorum sunt necessaria? „ Cujus potestate at- „ que dominatu factum est, ut ad hanc staturam corpus „ vestrum perduceretur, ejus providentia etiam vestri curam „ habere potest: Non autem vestra cura factum esse ut ad „ hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi „ potest, quod si curetis & velitis adjicere cubitum unum „ huic staturæ, non potestis: Illi ergo etiam tegendi „ corporis curam relinquite, cujus videtis cura factum „ esse, ut tantæ staturæ corpus habeatis. "

S. Augustl. lib. 2. de serm. Dom. in Monte, cap. 15.

24. *Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis: Quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Alterum divinæ providentiæ argumentum sumit a liliis, quæ nascuntur, non in hortis, quæ videri possunt humanæ curæ aliquid debere, sed in agris, qualia in Palæstinæ vallibus videbantur; quæ quidem omnem decorem suum uni Deo debent. Docet igitur Christus, nos anxie sollicitos esse non debere de vestitu; siquidem liliorum, florumque similium in agris ac desertis locis sponte nascentium tantus est decor, ut Salomon in throno gloriæ suæ sedens, trabeaque aurata fulgens, ipsorum amictus pulchritudine ac decore superetur. „ Et revera quod sericum, quæ Re- „ gum purpura, quæ pictura textricum potest floribus „ comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid ita candet „ ut lilium? Violæ vero purpuram nullo superari muri- „ ce, oculorum magis quam sermonis judicium est. " *si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei?* Mira in hoc sermone vis est. Quod enim ait: *Quanto magis vos?* ostendit, quanto Deus honore hominum genus cumulaverit, quantam etiam eorum curam gerat; Ac si diceret: „ *Vos*, quibus rationalem animam dedit „ corpusque formavit: Vos, propter quos fecit omnia „ quæ videntur; propter quos misit Prophetas, Legem- „ que constituit: propter quos etiam unigenitum Filium „ suum dedit. Deinde modestam ac lenem increpatio- „ nem subjicit Christus ut magis excitet audientes ad „ eorum quæ dicuntur, assensum: *Modicæ fidei.* Si erga „ hæc vilia, neque magno usui necessaria, tantam pro- „ videntiam Creator ostendit; quomodo te negligere po- „ terit atque despicere, animal longe omnibus, quæ pro- „ pter te utique creavit, honoratius? "

S. Hieron.

S. Jo: Chr. H. 23. in Matt.

25. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Anxiam de rebus terrenis, etiam necessariis, sollicitudinem Christus a suorum animis amandare pergit. *Hæc enim omnia*, inquit, *Gentes inquirunt.* Ad horum copiam sufficientem in omne tempus comparandam, cogitationes, curas, labores omnes suos dirigunt

gunt Ethnici, veri Dei, & providentiæ illius cognitione deſtituti, nec alia his majora bona ſperantes. Vos vero ad majora, ſpiritualia ſcilicet, ac æterna bona vocatos, Deique providentiſſimi, potentiſſimi, beneficentiſſimi cultores, de cibo, potu, veſtimentis, aliiſque perſonæ veſtræ, familiæ, ſtatui neceſſariis, immodice ſollicitos eſſe dedecet: ſiquidem, *Pater veſter*, qui præcipua providentia vobis proſpicit, ſpecialique bonitate vos complectitur ac fovet, ſcit quod his omnibus indigetis. *Ibidem.* Non dixit, Novit Deus, ſed novit Pater veſter; „ ut „ eos ad ſpem fiduciamque certiorem excitaret. Si ergo „ eſt pater veſter, & talis pater; nequaquam deſpiciet „ filios indigentes & mala extrema ſuſtinentes, cum ne „ homines quidem patres filiis ſuis neceſſaria ſubminiſtrare negligant. *Scit, quia his omnibus indigetis.* " Ipſe enim conſtituit ut hanc indigentiam natura pateretur: cum igitur *tam pater nemo, tam pius nemo* ſit (ut loquitur Tertullianus), filiis ſuis in rerum neceſſariarum proviſione non deerit.

26. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quærite *primum*, id eſt, ante omnia, præcipue, propter ſe, ut finem, *Regnum Dei*. Regnum cæleſte, vitam æternam a Deo promiſſam electis ſuis: *& juſtitiam ejus*, id eſt mandatorum obſervantiam, quam a nobis exigit & poſtulat, ut viam, qua ad Regnum perveniamus. *Et hæc omnia*, temporali vitæ neceſſaria, *adjicientur vobis*, velut auctarium & cumulus. Regnum enim Dei & juſtitia ejus, principale noſtrum eſt (ut ita loquar) *Unum neceſſarium*; in quo labores, curæ, ſtudia noſtra præcipue eſſe debent, cetera acceſſoria. Hic igitur oſtendit Chriſtus, non eſſe hæc appetenda, tamquam talia bona noſtra, ut propter ipſa debeamus bene facere, ſi quid facimus; ſed tamen eſſe neceſſaria. *S. Aug. l. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 16.* „ Quid enim interſit inter bonum „ quod appetendum eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hac ſententia declaravit. Regnum ergo & „ juſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, „ & ibi finis conſtituendus, propter quod omnia facimus, quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud Regnum pervenire poſſimus, quæ „ vita ſine his neceſſariis agi non poteſt; Apponentur „ vobis hæc (inquit) quod vos Regnum Dei & juſtitiam ejus primum quærite. Cum enim dixit illud primum, ſignificavit quia hoc poſterius quærendum eſt, „ non tempore, ſed dignitate: Illud tamquam bonum „ noſtrum, hoc tamquam neceſſarium noſtrum; neceſſarium autem propter illud bonum. Ergo quæcumque „ res propter aliud aliquid quæritur, ſine dubio inferior „ eſt, quam id propter quod quæritur, & ideo illud primum eſt propter quod iſtam rem quæris, non iſta res „ propter quam illud quæris. Quapropter ſi Evangelium „ & Regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & poſterius Regnum Dei; ita ut ſi non „ deſit cibus, non quæramus Regnum Dei: hoc eſt primum quærere cibum, & deinde Regnum Dei, id „ eſt, hoc priore loco ponere, illud poſteriore. Si „ autem ideo quæramus cibum, ut habeamus Regnum „ Dei, facimus quod dictum eſt, *Quærite primum Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* "

S. Hieron. in Comm. & Ep. 247. ad Amandum. 27. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.* Craſtinum pro tempore futuro in Scripturis ſanctis ſumitur, ſicut & Jacob in Geneſi loquitur: *Exaudiet me cras juſtitia mea.* Ne anxie ſolliciti ſitis de rebus temporalibus in futurum comparandis. *Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi.* Proprias curas afferet. Per proſopopejam diei tribuit, quæ homini conveniunt. *Sufficit diei malitia ſua.* Malitiæ nomine hic intelligitur labor, afflictio, vexatio. „ Sufficit ergo nobis de præ„ ſentibus hujus ſæculi cogitare anguſtiis. Quid neceſſe „ eſt ſenſum ad incerta & futura extendere, quæ aut „ conſequi non poſſimus, aut cito inventa perdamus? "

SENSUS MORALIS.

I. ATTENDITE *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum.* Impotentiſſimam hic hominum cupiditatem Chriſtus eliminat & impugnat, inanis videlicet gloriæ ſtudium, quæ bonorum operum fructus vitiat & corrumpit, maxime vero eleemoſynæ, orationis, & jejunii, ex quibus gloriam captare proclivius eſt. *S. Aug. l. de Perfectione juſtitiæ hominis cap. 8.* „ Hæc eſt noſtra in ipſa peregrina„ tione juſtitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ubi in ſpecie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum, & ſervituti ſubjiciendo, & eleemoſynas in „ dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos ſunt „ commiſſa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, „ & orationibus indeſinenter inſtando; & hæc faciendo „ in doctrina ſana, qua ædificatur fides recta, ſpes firma, charitas pura. Hæc eſt nunc noſtra juſtitia, qua „ currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ut ea poſtea ſaturemur. Unde „ Dominus in Evangelio cum dixiſſet, *Nolite facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis*; „ ne iſtum noſtrum curſum ſine humanæ gloriæ metiremur, non eſt in expoſitione juſtitiæ executus niſi tria „ iſta, jejunium, eleemoſynas, orationes; jejunio ſignificet univerſam corporis caſtigationem ſignificans; eleemoſynis omnem benevolentiam & beneficentiam, vel „ dandi, vel ignoſcendi; & oratione inſinuans omnes „ regulas ſancti deſiderii. " Cavete ne inanis gloriæ ſtudio bona opera faciatis. Non enim officiis, ſed finibus a vitiis diſcernuntur virtutes. Bonum igitur quod fit ab homine, ſi non fiat propter illum finem, propter quem fieri debere vera Sapientia præcipit, ſcilicet propter finem charitatis, propter Dei gloriam; *etſi officio videtur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. . . . . Veræ* enim *virtutes Deo ſerviunt in hominibus, a quo donantur hominibus*. Si humanam gloriam, laudeſque & favorem hominum bonis operibus veſtris conſectemini, næ vos infelices, *Mercedem* enim *non habebitis apud Patrem veſtrum. . . .* „ Multam præceptum iſtud conti- *S. Jo. Chryſ. Hom. 16. in Matth.* „ net cautionem, & ineffabilem quamdam Dei erga ho„ mines curam, id providentis, ne boni operis merce„ dem amittant. Poteſt enim aliquis etiam coram ho„ minibus eleemoſynam facere, nec tamen hoc ideo „ facere ut illam oculis hominum oſtentet: & aliquis „ non coram hominibus faciens, eo tamen animo face„ re, ut ſe id facientem optet videri. Propter quod non „ omnino indiſcrete factum ipſum, ſed voluntatem aut „ coronat, aut punit. Niſi enim hæc diligentia fuiſſet „ adjuncta, feciſſet plurimos ad miſericordiam ſegniores; „ quia non omnes ubique poſſent id facere latenter. " Propterea ab hujus te vinculo neceſſitatis abſolvens, *Non fini operis, ſed voluntati operantis, mercedem damnumve decernit*. Ne enim diceres, Cur ſuſtineo detrimentum, ſi quod facio alter aſpexerit? Non hoc, inquit, requiro, ſed mentem tuam, modumque miſerendi. Curare quippe vult animam, omnique ægritudine liberare. Fiant coram hominibus opera juſtitiæ, ad gloriam Dei, ad ædificationem aliorum: ſed non fiant intuitu humanæ laudis, aut quorumvis temporalium commodorum. Nam *S. Gregor. M. P. 2. Paſtoralis curæ Admonit. 36.* „ Fit plerumque, ut bonum opus & in occulto ſit, cum „ ſit publice; & rurſus in publico, cum agitur occulte. „ Qui enim in publico bono opere non ſuam, ſed ſuperni Patris gloriam quærit, quod fecit abſcondit; quia „ ſolum illum teſtem habuit, cui placere curavit. Et „ qui in ſecreto ſuo bono opere deprehendi ac laudari „ concupiſcit; & nullus fortaſſe vidit quod exhibuit, „ & tamen hoc coram hominibus fecit: Quia tot teſtes „ in bono opere ſecum duxit, quot humanas laudes in „ corde quæſivit. *Sane* cum pro recto opere laus tranſitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur. De quo videlicet pretio percepto Veritas dicit, Amen dico vobis, Receperunt mercedem „ ſuam. Sors hæc fuit veterum Romanorum, qui pri- *S. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei c. 14. 15. & 17.* „ vatas res ſuas pro re communi, hoc eſt, Republica, „ & pro ejus ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, „ conſuluerunt patriæ conſilio libero; neque delicto ſecundum leges ſuas, neque libidini obnoxii; His omni„ bus artibus tamquam vera via niſi ſunt ad honores, „ imperium, gloriam; honorati ſunt in omnibus fere „ Gentibus; Imperii ſui leges impoſuerunt multis gentibus; hodieque litteris & hiſtoria glorioſi ſunt in „ omnibus pene gentibus. *Non eſt quod de ſummi & „ veri Dei juſtitia conquerantur: perceperunt mercedem „ ſuam.* . . . . . Conſideremus quanta contempſerint, quæ „ pertulerint, quas cupiditates ſubegerint pro humana „ gloria, qui eam tamquam mercedem talium virtutum „ accipere meruerunt, & valeat nobis etiam hoc ad „ opprimendam ſuperbiam: ut cum illa civitas, in qua „ nobis regnare promiſſum eſt, tantum ab hac diſtet, „ quantum diſtat cœlum a terra, a temporali lætitia „ vita æterna, ab inanibus laudibus ſolida gloria, a ſocietate mortalium ſocietas Angelorum, a lumine ſolis „ & lunæ lumen ejus qui fecit ſolem & lunam, nihil „ ſibi magnum feciſſe videantur tantæ patriæ cives, ſi „ pro illa adipiſcenda fecerint boni operis aliquid, vel „ mala aliqua ſuſtinuerint; cum illi pro hac terrena jam „ adepta tanta fecerint, tanta perpeſſi ſint. " *Ne* igitur *Gal. 5. 26.* *efficiamur inanis gloriæ cupidi*. Amor humanæ laudis cedat amori veritatis: cupiditas gloriæ ſuperetur dilectione juſtitiæ. *Tam enim eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor vel amor, ut Dominus diceret.* „ Quomodo poteſtis credere, gloriam *Jo: 5. 44. Jo: 12. 43.* „ ab invicem expectantes, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non „ quærentes? *Item de quibuſdam qui in eum crediderant, & „ verebantur palam confiteri, ait Evangeliſta*, Dilexerunt *S. Jo: Chryſ. Hom. 19. in Matth.* „ gloriam hominis magis quam Dei. *Tanto quiſque eſt Deo „ ſimilior, quanto eſt ab hac immunditia mundior.* "

2. *Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt, &c.* Eleemoſynam ad oſtentatio-

tationem facientes recte Christus hypocritas nominavit. „ Erat quippe facies quidem ipsa miserentium, mens vero inhumanorum atque crudelium. Non enim ut proximorum misererentur dabant, sed ut ipsi delectatione „ gloriæ pascerentnr, quod certe erat crudelitatis extremæ, alio quidem fame pereunte honorem & gloriam captare, ac non potius consulere ejus inopiæ." *Non ergo tantummodo dedisse eleemosynam, sed quemadmodum oportet dedisse, & propter hoc dedisse, virtutis est.* Ostendit autem quomodo fieri debeat. *Nesciat*, inquit, *sinistra tua quid faciat dextera tua.* Stude ut ignores ipse quod facis, si id possibile est; & nec manus quibus erogatur eleemosyna, conscię sint. Tum mercedem proponit. Docet quippe ut Deum cogitent præsentem & omnia eorum opera videntem, & pœnam vel gloriam unicuique, secundum operum merita coram omnibus hominibus in generali judicio retribuentem. *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* 1. Cor. 4. 5. „ Desideras aliquos operum spectatores tuorum? Ecce habes „ non Angelos atque Archangelos tantum, sed etiam „ omnium Deum. Quod si habere etiam homines spectatores concupiscis, ne hac quidem, quem præcipue cupis, mercede privaberis; sed cum opportunum tempus „ advenerit, cum maximo cumulo præstabitur tibi quod „ requiris. Nam modo quidem si te ostentaveris, decem „ vel viginti aut centum dumtaxat hominibus ostentare „ forsan te poteris: si vero nunc latere studueris, tunc „ ipse te Deus toto orbe præsente commendabit. Itaque „ si opera tua maxime ab hominibus videri cupis, nunc „ illa occulta diligenter, ut eadem tunc spectent universi ad majorem tui honorem, Deo scilicet ea facien„ te manifesta, & coram omnibus prædicante. *Tunc* scilicet *laus erit unicuique a Deo.* Si igitur ostentare nos „ volumus, Patri ante omnia nos ostendere studeamus, „ qui & coronandi nos habet potestatem, & mulctandi. „ Et certe etiamsi futuri præmii damna non essent; tamen gloriæ cupidos non decebat, divino spectaculo in„ superhabito, malle oculis placere mortalium. Cujus „ enim stoliditatis est, ut quis Rege ad spectandas ejus „ virtutes properante, illum quidem relinquat ac negligat, ab egenis vero atque mendicis spectari ac lauda„ ri malit?" Idcirco igitur non solum nos ab ostentatione nostri revocat, verum etiam nobis studium indicat latendi. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

S. Augustin. lib. 2. de Serm. Dom. in Monte, cap. 2. „ Sit eleemosyna tua in ipsa conscientia tua, ubi multi „ eleemosynam faciunt bona voluntate, etiamsi pecuniam, „ vel si quid aliud, quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, & intus non faciunt, „ qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratia, „ volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut & intentione quæ in Deum „ est eleemosynam faciant, & tamen inserat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis, vel cujusque „ rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multo vehementius prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ: ut scilicet non modo sola temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc opere attendamus Deum, „ ut sese misceat vel adjungat exteriorum appetitio „ commodorum. Agitur enim de corde mundando, „ quod nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex „ autem quomodo erit, si duobus dominis servit, nec „ una intentione rerum æternarum purificat aciem suam, „ sed eam mortalium quoque fragiliumque rerum amore obnubilat?"

S. Petrus Chrysog. serm. 9 *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.* „ Bene tuba; quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis; non misericordiæ „ dedita, sed clamori; seditionis vernula, non alumna „ pietatis; ostentationis nundinatio, non commercium „ charitatis. Eleemosynam quisquis ostentat, insultat . . . . . Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solus est misericordiæ & remunerator & testis, & qui dicit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Vult in paupere sibi dari, vult quod datum „ est se debere, & qui vult se debere quod datum est, „ vult largientibus nihil perire. Deus parva poscit, maxima redditurus. Unde, homo, si in paupere Deo „ fœneras, testes homines non requiras. Fides arbitros non requirit. De accipientis fide disputat, qui „ sine mediatoribus nihil dat: qui credita diffamat, „ urit verecundia debitorem. Ergo, homo, daturus „ Deo, da secreto: ut quod dederis, non sit oneris, „ sed honoris. Ob hoc ad te venit tuus Ditator in „ paupere, ut eum non dubites accepta reddere, qui „ tibi gratis dedit habere quod dares. Quam vero „ in paupere sit verecunda paupertas, quod tuæ largitatis quærat secretum, aperit ipse cum dicit: *Te „ autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid „ faciat dextera tua.* Putas quam vult nescire alterum, qui te ipsum, qui facis, vult aliqua tui „ parte nescire; *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Natal. Alex. in Evang.

„ ra tua. Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes, „ ita nobis pars vitiorum in sinistra. Ergo ut opus „ est dexteræ quod facit tacitus dator; quod facit da„ tor garrulus hypocrisis est sinistræ. Hypocrisis, do„ lus, simulatio, fraus, mendacium, elatio, tumor, ja„ ctantia, insistunt nobis & imminent a sinistris."

„ 3. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui a„ mant in Synagogis, & in angulis platearum stantes ora„ re, ut videantur ab hominibus .... Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem „ tuum," &c. Rursus istos hypocritas vocat Christus, qui orantium personam gerunt, cum simulatores sint, non precatores. Qui enim ad supplicandum paratur, omnibus relictis illum intuetur unum, qui potestatem habet donandi quod petitur. Næ igitur infelices, qui orant ut videantur ab hominibus. Ipsis oratio fit in peccatum, & receperunt mercedem suam, ab his tamen dumtaxat a quibus eam concupiscunt. Quam enim pollicitus est Deus, non merentur ab illo accipere, propter quem nihil fecerunt. Spectat animum Deus, cor scrutatur: alioquin etiamsi cubiculum ipsum fueris ingressus, illudque inanis gloriæ studio clauseris, ut scilicet intelligaris secrete oraturus, nihil tibi clausa ostia proderunt. Id igitur imprimis ante occlusionem januæ vult caveri, ut etiam mentis tuæ januam claudas. Nam cum ubique oporteat ab inani gloria liberum habere pectus ac vacuum, præcipue tamen in oratione. Qui enim absque hoc etiam vitio frequenter oramus, & avocati per diversa distrahimur, si cum hac quoque ægritudine ingrediamur ad orandum, ne ipsi quidem preces nostras audire poterimus. Si vero eas non audimus ipsi qui petimus, quomodo ut a Deo audiantur, rogamus? „ Tu autem cum oraveris, „ intra in cubiculum tuum. *Cubiculi nomine, conscientiæ secretum intelligitur.* Quæ sunt ista cubicula (inquit „ S. Augustinus) nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur cum dicitur: *QUÆ* dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini? *Et clauso ostio „ ora Patrem tuum in abscondito.* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea „ quæ foris sunt improbe se immergunt, & interiora nostra „ appetunt. Foris autem sunt omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, „ ubi oretur Pater in abscondito .... O sancta Anima, sola „ esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis, etiam & ab illo qui „ tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus ceteris? Secede ergo, sed mente „ non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam ChristusDominus, spirituque requirit non corporis solitudinem: Quamquam „ & corpore interdum non otiose te separas, cum opportune potes, præsertim tempore orationis. Tenes „ etiam in hoc & mandatum Sponsi, & formam. *Tu*, „ inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & „ clauso ostio ora.* Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modo se abscondens a turbis, sed „ nec ullum quidem Discipulorum, nec ullum domesticorum admittens. Denique tres secum intimos sibi adduxerat, cum ultro properaret ad Montem, avulsus „ est & ab ipsis orare volens. Ergo & tu fac similiter „ quando orare volueris."

S. Jo. Chrys. Hom. 19. in Matth.

S. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 3.

S. Bern. ser. 3. in Cant.

„ 4. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur, „ &c. *Sic Sacerdotes Baal invocabant nomen ejus mane usque ad Meridiem, dicentes*, Baal exaudi nos. „ Et non erat vox, neque qui responderet: Cumque esset „ jam meridies, illudebat illis Elias dicens; Clamate „ voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut „ in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, „ ut excitetur. Clamabant ergo voce magna, &c. *Hoc „ multiloquii genus vitandum Christus jubet; Sed tamen diu orare non prohibet, quod & præcepto docuit, & exemplo*: Luc. 18. 1. Oportet semper ora„ re, & numquam deficere. *Et* Luc. 11. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini „ fugere ista omnia, & stare ante Filium hominis." Ut vero ethnica superstitio in prolixis &, artificiose compositis orationibus cavenda est; ita etiam cavendum, ne illa vigilante erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio; quæ tamen si perduraverit, non cito est abrumpenda. „ Absit enim (*inquit S. Au„ gustinus*) ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. „ Nam multum loqui, est in orando rem necessariam supervacuis agere verbis. Multum autem pre„ cari, est ad eum quem precamur, diuturna & pia „ cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc „ ne-

3. Reg. 18. 26. 27.

S. Aug. ep. 130. al. 127. ad Probam c. 10.

„ negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur; plus „ fletu quam affatu. Ponit autem lacrymas nostras in „ conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus „ ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana „ verba non quærit." Isto Christi Domini documento corriguntur & illi qui in sacris conventibus orantes proximis obstrepunt (ut Tertullianus loquitur). „ Quan- *S. Cypr. de Or. Domin.* „ do in unum fratres convenimus (*inquit S. Cyprianus*) & Sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: „ Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus; „ nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis, sed „ cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, „ qui cogitationes hominum videt, probante Domino & „ dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? & „ alio loco: Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum „ scrutator renis & cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro Ecclesiæ typum portans custodit & servat; quæ „ Dominum non clamosa petitione, sed tacite & modeste „ intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide: loquebatur non voce, „ sed corde: Quia sic Deum sciebat audire, & impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. „ Declarat Scriptura Divina quæ dicit: Loquebatur in „ corde suo, & labia ejus movebantur, & vox ejus non „ audiebatur, & exaudivit eam Deus."

„ 5. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœ- *S. Cypr. ibid.* „ lis... *Christus* inter salutaria sua monita & præcepta divina, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam „ orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur, monuit & instruxit. Qui fecit vivere, docuit & orare, „ benignitate ea scilicet qua & cetera dare & conferre „ dignatus est, ut, dum prece & oratione quam Filius „ docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Jam „ prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu & veritate, & implevit quod „ ante promiserat; ut qui Spiritum & veritatem de „ ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque „ ejus vere & spiritualiter adoremus. Quæ enim potest „ esse magis spiritualis oratio, quam quæ vere a Christo „ nobis data est, a quo nobis & Spiritus sanctus missus „ est? Quæ vera magis ad Patrem precatio, quam quæ „ a Filio qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut „ aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed „ & culpa." Hanc porro orationem, ejusque petitiones singulas cum lib. 5. *Theologiæ* nostræ *Dogmaticæ & Moralis* plene explicuerimus, hic repetitiones vitabimus, ea tantum adnotantes quæ ibi fuere prætermissa, SS. Patrum loca.

S. Greg. Nyss. Orat. 2. de Orat. Dom. 6. *Pator noster qui es in cœlis.* Deo similis, quantum homini possibile est, evadere debet, qui Deum patrem vocat. „ Nam improbæ voluntatis atque propositi pater „ esse is, qui sui natura bonus est, non potest; neque vita „ contaminati, sanctus; neque levis & inconstantis, is „ qui mutari non potest: neque mortui per peccatum, „ pater vitæ; nec eorum qui turpia committunt, is qui „ purus & integer est; neque avari & raptoris benefactor; nec eorum denique qui in aliquo malo deprehenduntur, is qui summe bonus est, parens esse potest. Igitur si quis plenam maculis conscientiam suam „ agnoscens, priusquam ab ipsis expurgatus sit, se Dei „ congnationi inferat, ac dicat, Pater, justo injustus, „ puro impurus; contumelia atque convicium ea verba „ fuerint, siquidem suæ nequitiæ Deum patrem nominat. „ At nulla communio luci cum tenebris. Cum igitur ut „ patrem Deum in oratione dicamus, Dominus nos docet, nihil aliud facere videtur, quam sublimem & altam instituere atque præscribere vitam: Non enim utique mentiri veritas nos docet, ut dicamus nos esse quod „ non sumus: sed ut dum incorruptum & justum & bonum patrem nostrum dicimus, vitæ integritate propinquitatem referamus, eamque veram esse ostendamus... „ Qui ita vitam instituerit ut divinam generis nobilitatem decet, is recte ad cœlestem civitatem spectat, & „ patrem cœlorum Regem, & patriam suam cœlestem nominans beatitudinem. *Quonam autem pertinet illud consilium? Quid inde sequitur?* Ea quæ supra sunt cogitanda, ubi Deus; illic fundamenta habitationis suæ cuique jacienda, illic thesauros condendos; illuc cor suum „ quemque traducere debere: Ubi enim thesaurus est, ibi „ etiam cor est: Ad paternam omni tempore pulchritudinem esse, & juxta illam suum quemque animum exornare debere." Sin vero paternæ decorem similitudinis peccato deletum animadvertat, revertatur ad Patrem amore pœnitente, & cum filio prodigo dicat: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* „ Cogitantem quod Patrem offenderim, „ est certe cujus pudeat, etsi non quod terreat. Voluntarie genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis „ cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. „ Deinde etiam non pepercit Unigenito, pro sic genito. „ Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego „ me illi viciſſim filium. Quanam fronte attollo jam „ oculos ad vultum patris tam boni tam malus filius? „ Pudet indigna gessisse genere meo: pudet tanto patre „ vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei; „ operiat confusio faciem meam; vultum meum pudor „ suffundat, occupetque caligo. Deficiat in dolore vita „ mea, & anni mei in gemitibus. Proh pudor! Quem „ fructum habui in quibus nunc erubesco? Si in carne „ seminavi, de carne non metam nisi corruptionem. Si „ in mundo, & ipse transit & concupiscentia ejus. Quid? „ caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors „ est, infelix & insanus præferre non erubui æterni Patris amori & honori. Confundor audire: *Si ego pater, ubi est honor meus?*"

Luc. 15. 18. 19.

S. Bern. ser. m. 16. in Cantica.

Pater noster qui es in cœlis. „ Ergo nolite inhærere *S. Aug. ser. 59. alias de tempore 137. Et ser. 58. alias 42. inter Homilias 50.* „ terrenis, qui patrem habetis in cœlis: Sub isto patre „ fratres sunt Dominus & servus, Imperator & miles, „ dives & pauper. Omnes Christiani diversos in terra „ habent patres, alii nobiles, alii ignobiles: Unum vero „ Patrem invocant, qui est in cœlis. Si ibi est pater „ noster, ibi nobis præparatur hæreditas. Talis est autem iste pater, cum quo possideamus quod donat. Dat „ enim hæreditatem, sed non moriens illam nobis derelinquit. Non enim ipse discedit, sed permanet, ut nos „ accedamus. *Pater noster.* Quanta dignatio! Hoc dicit „ Imperator, hoc dicit mendicus; hoc dicit servus, hoc „ dicit Dominus ejus. Intelligunt ergo se esse fratres, „ quando unum habent patrem." *Sed non dedignetur fratrem habere servum suum dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus. Pater noster.* In spiritu præviderat Isaias Christianos, qui veri sunt Israelitæ, Deum patrem suum appellaturos. „ Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: „ Tu Domine, Pater noster, Redemptor noster, a sæculo nomen tuum. *Ipsum igitur amemus, & amando imitemur.* Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, „ & ambulate in dilectione. *Dicamus cum David:* Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus „ autem assumpsit me. *Fecit se parvulum Deus, inquit S. Augustinus. Ipsum fecit patrem, ipsum fecit matrem.* „ Pater est, quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia „ regit: Mater, quia fovet, quia nutrit, quia lactat, „ quia continet. Pater meus & mater mea dereliquerunt „ me: Dominus autem assumpsit me & regendum & nutriendum. Mortales parentes genuerunt, filii succes- „ serunt, mortales mortalibus. Et ad hoc nati sunt qui „ succederent, ut qui genuerunt decederent. Non decedat qui me creavit, ego ab illo non recedam."

Isai. 63. 16.

Ephes. 5. 1. 2. Psalm. 26. 10. S. Aug. Enarrat. 2. in hunc Psalm.

Pater noster qui es in cœlis. „ Cum Deum dicit esse *S. Jo: Chrysost. Hom. 20. in Matth.* „ in cœlis, non ibi Majestatem ejus concludit, sed a „ terris abducit orantem, eumque supernis habitaculis „ affigit. Similiter etiam docet generalem orationem facere pro fratribus. Non enim dicit, Pater meus, sed, „ *Pater noster*, pro communi scilicet corpore precem fundens, & ubique non tam propria commoda, quam proximorum petens. Quo quidem ipse & inimicitias interimit, & superbiam reprimit, & explodit invidiam, „ & introducit matrem omnium bonorum charitatem, „ & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellit, „ & miram Regis cum paupere æqualitatem honoris ostendit, si tamen in maximis & ad æternam gloriam necessariis communione omnes sociemur. Quid enim de terrena ignobilitate metuendum est; quando cœlesti omnes nobilitate conjungimur? Cumque nullus illius honoris magis particeps sit, neque locuples paupere, nec „ dominus servo, nec princeps subdito, nec Rex milite, „ nec Philosophus Barbaro, nec sapiens imperito. Cunctis enim unam atque eamdem nobilitatem donavit „ Deus, cum dignatus est omnium Pater vocari."

Pater noster qui es in cœlis. „ Succumberet conscien- *S. Petrus Chrys. ser. 71. in or. Dom.* „ tia servilis, terrena conditio solveretur, nisi nos ad „ hunc clamorem ipsius Patris auctoritas, ipsius Filii spiritus excitaret. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda „ nostra clamantem, Abba, Pater.* Lasseſcit mens, caro „ nostra deficit ad divina, nisi Deus qui fieri jubet, impleat ipse quæ jubet. Quando ausa mortalitas Deum „ vocare patrem, nisi modo, quando superna virtute hominis animantur interna? „ Homo, quid commune „ cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena: Quia si quid in te gesserit terrena cogitatio, „ cœlo maculam, cœlesti generi injuriam intulisti."

7. *Sanctificetur nomen tuum.* „ Digna prorsus eo, *S. Jo: Chrysost. Hom. 20. in Matth.* „ qui patrem appellavit, oratio, nihil omnino prius quam „ pro illius gloria supplicare, cetera vero secundo loco „ ducere. Sanctificetur quippe idem est ac glorificetur. „ Qui quidem gloriam propriam Majestatis suæ plenam „ semper obtinet & æqualem jugiter permanentem. „ Orare autem jubetur ut per vitam nostram glorificetur, ut *Luceat lux nostra coram hominibus, & glori- S. Gregor. Nyssenus Orat. 3. de orat. Dom.* „ *ficent patrem nostrum, qui in cœlis est.* Dignare, Do- „ mine, vitam sic munda conversatione servare, ut per „ nos cuncti te omnino glorificent. Philosophiæ certe „ perfectæ est, tam irreprehensibilem omnibus exhibere vitam, ut eam singuli quique mirantes, Dominum de servo-

„ rum

„ rum sanctitate collaudent. " Naturæ nostræ infirmitatem agnoscentes, Dei gratiam imploramus, qua vitam ita sancte instituamus, ut nomen Dei per eam glorificetur, nec blasphemetur inter Gentes. Qui ergo in oratione dicit, *Sanctificetur nomen tuum*, vi verborum hæc orat: " Auxilii tui præsidio atque adjumento fiam irre- „ prehensibilis & inculpatus, justus, pius: abstineam ab „ omni malo facinore; loquens id quod verum, faciens „ quod justum sit, in rectitudine ambulans, temperantia „ illustris, integritate decoratus, sapientia atque pru- „ dentia ornatus, ad superna aspirans, terrena despici- „ ens, institutis angelicæ vitæ clarescens. "

S. Petus Chrys. ser. 68. *Sanctificetur nomen tuum*. Si nomen Christi cæcis visum, curtum claudis, defessis vario languore sanitatem, mortuis dat vitam, teque homo ipsum totamque sanctificat creaturam; quemadmodum tu ipsius nominis oras & expostulas sanctitatem? *Quia a Christo vocatus es Christianus: & ideo supplicas ut prærogativa tanti nominis meritis in te subsequentibus roboretur.*

S. Joan. Chrys. Hom. 20. in Matth. 8. *Adveniat Regnum tuum*. „ Hoc quoque gratissimi „ omnino filii est, neque inhærere præsentibus, neque „ magnum aliquid ea quæ videntur putare, sed ad pa- „ trem semper urgeri; semperque futura expetere: quod „ certe de optima oritur conscientia, & mente terrenis „ omnino rebus exuta. Hoc & S. Paulus per singulos dies „ desiderabat, ideoque dicebat: *Et ipsi primitias spiri- „ tus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum „ expectantes, redemptionem corporis nostri*. Qui enim isto „ amore succenditur, neque vitæ hujus commodis infla- „ tur, neque ejicitur adversis, sed tamquam in ipso jam „ cœlo habitans, utriusque hujus inæqualitatis immunis „ est. "

S. Cyprianus lib. de Orat. Dominica. *Adveniat Regnum tuum*. Regnum Dei repræsentari nobis petimus; sicuti & nomen ejus ut in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat? Aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? „ Nostrum Regnum petimus advenire a „ Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione „ quæsitum, ut qui in sæculo ante servivimus, postmo- „ dum Christo dominante regnemus, sicut ipse pollice- „ tur & dicit; *Venite benedicti Patris mei: percipite Re- „ gnum quod vobis paratum est ab origine Mundi*. Po- „ test & ipse Christus esse Regnum Dei, quem venire „ quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræ- „ sentetur, optamus. Nam cum resurrectio ipse nostra „ sit, quia in ipso resurgimus: sic & Regnum Dei po- „ test ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene „ autem Regnum Dei petimus id est cœleste, quia est „ & terrestre regnum. Sed qui renunciavit jam sæculo „ major est & honoribus ejus & Regno: & ideo qui se „ Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia „ Regna desiderat. "

Luc. 17. S. Petrus Chrysost. serm. 71. *Adveniat Regnum tuum*. Ait Christus, *Regnum Dei intra vos est*. „ Intra nos est fide; sed ut re veniat, „ supplicamus. Quamdiu diabolus vario nequitiarum ge- „ nere, multimoda arte fallendi rerum aciem turbat, „ sensus hominum moresque confundit, sævit idolis, sa- „ crilegiis furit, fallit auguriis, divinatione mentitur, „ signis decipit, illudit astris, spectaculis occupat, obsi- „ det vitiis, peccatis vulnerat, desperatione prosternit, „ Regnum Dei prolongat & absentat a nobis ... Peti- „ mus ergo ut veniat tempus quo mali tanti auctore „ pereunte, Mundus totus, creatura tota, tota solius „ Christi regnet & triumphet ad gloriam: & fiat quod „ sequitur, ut sicut in cœlo, ita & in terra una Do- „ mini sit voluntas: sit terra cœlum, vita Deus, tem- „ pus æternitas, patria requies, census innocentia, ho- „ nor immortalitas, cura castitas, Deus totum. "

S. Jo: Chrys. hom. 20. in Matth. 9. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*. „ Cum „ desiderium imperaverit futurorum, atque ad perfectio- „ nem illam nos jusserit semper contendere: Quamdiu „ tamen illuc non pergimus, etiam hic degentes jubet „ conversationem cum cœli habitatoribus habere com- „ munem. Nam desiderare quidem convenit cœlos, & „ ea quæ habentur in cœlis: Tamen & antequam super- „ na illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo fieri „ jussit e terra: Ut scilicet tales sint etiam dum in ea „ degunt, ita & omnia faciant & loquantur, quasi qui „ prorsus conversentur in cœlo. Denique pro hoc etiam „ esse Dominum deprecandum. Hujus itaque petitionis „ sensus est: Sicut in cœlo fiunt omnia libere, & non „ alia quidem audiunt Angeli, alia vero contemnunt, „ sed voluntati divinæ in omnibus obsequuntur: *Potentes „ virtute, facientes verbum ejus*: Sic etiam nos homi- „ nes effice dignos, qui non ex parte, sed integre ea „ quæ in tua sunt voluntate faciamus. Vides quemad- „ modum & humilitatem docuerit, ostendens quod per- „ ficere virtutem non nostri sit studii tantummodo, ve- „ rum etiam gratiæ Dei. Et rursus communem omnium „ curam unumquemque orantium suscipere præcepit. Non „ enim dixit, Fiat in me, vel in nobis voluntas tua, „ sed prorsus ubique terrarum: Ut scilicet eradicetur er- „ ror, & veritas inseratur, atque undique vitiis explo- „ sis, virtus revertatur, & in illius cultu nihil pror- „ sus terra distet a cœlo. "

Psalm. 103.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. „ Nobis „ bene optamus, non Deo, qui omnia quæcumque vo- „ luit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua vo- „ luit & non fecit, & quod est indignius, ideo non fe- „ cit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, vo- „ luntas hominis impedivit. Hoc nisi credamus, peri- „ clitatur ipsum nostræ Confessionis initium, qua nos „ ita Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. „ Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, „ nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cujus- „ piam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effe- „ ctus ... Sed quantælibet sint voluntates vel Angelorum „ vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel quod De- „ us, vel aliud volentes quam Deus, Omnipotentis volun- „ tas semper invicta est ... Quid est autem, *Sicut in cœlo & „ in terra*? Faciunt Angeli voluntatem tuam, faciamus „ & nos. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*. „ Mens cœlum est, terra caro est. Quando dicis, quod „ ait Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi „ peccati*: fit voluntas Dei in cœlo, sed nondum in ter- „ ra. Cum vero caro menti consenserit, & absorpta fue- „ rit mors in victoria, ut nulla desideria carnalia rema- „ neant, cum quibus mens confligat, cum transierit rixa „ in terra, cum transierit bellum cordis, cum transierit „ quod dictum est, *Caro concupiscit adversus spiritum, „ & spiritus adversus carnem; hæc enim invicem adver- „ santur, ut non ea quæ vultis faciatis*: Cum ergo hoc „ bellum transierit omnisque concupiscentia in charita- „ tem fuerit commutata, nihil in corpore remanebit „ quod spiritui resistat, nihil quod dometur, nihil quod „ frænetur, nihil quod calcetur, sed totum per concor- „ diam perget ad justitiam; fiet voluntas Dei in cœlo „ & in terra. Perfectionem optamus, quando hoc ora- „ mus. Item, *Fiat voluntas tua, siut in cœlo & in ter- „ ra*. In Ecclesia spiritales cœlum sunt, carnales terra „ sunt. Fiat ergo voluntas tua sicut in cœlo & in terra: „ Ut quomodo tibi serviunt spiritales, sic tibi mutati in „ melius serviant & carnales. Est & alius sensus pius „ valde. Moniti enim sumus orare pro inimicis nostris. „ Ecclesia cœlum est, inimici Ecclesiæ terra sunt. Quid „ est ergo, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*? „ Credant inimici nostri, quomodo & nos in te credi- „ nus: fiant amici, finiant inimicitiæ. Terra sunt, ideo „ nobis adversantur: cœlum fiant, & nobiscum erunt. "

S. August. Enchiridii cap. 95.

S. August. serm. 56. alias de Diversis. Rom. 7. 25.

S. Petrus Chrysol. serm. 68. 70. 72.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. „ Nunc in „ terra multa fiunt pro diaboli voluntate, pro sæculi „ nequitia, pro desiderio carnis. In cœlo vero fit nihil „ præter Domini voluntatem: petimus ergo ut interem- „ pto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, ut „ destructo mortis imperio, ut abolita dominatione pec- „ cati, in cœlo & in terra, in Deo & hominibus una „ sit eademque voluntas. . . . Beatus dies ille, qui ter- „ renorum jungit, sociat, exæquat cœlestibus voluntа- „ tes; ut inter dispares substantias una atque eadem sit „ voluntas. Hæc est fida pax, inconcussa concordia, „ gratia perseverans, quando per unius Domini ordinem, „ familia diversa, voluntate fit una ... Tunc in Christo „ omnes, & in omnibus Christus, quando omnes solius „ Dei sapiunt & faciunt voluntatem. Tunc omnes unum; „ imo unus omnes, quando Dei spiritus in omnibus vi- „ vit unus. "

S. Greg. Nyss. Orat. 4. de Orat. Dom. 10. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Mediocritatem & frugalitatem docet Christus, jubetque petere dumtaxat a Deo, quæ ad naturæ sustentationem satis sint, non superflua, & vanitati, aut voluptati servientia. „ Panem pete propter vitæ necessarium usum, „ hujus te corpori debitorem natura fecit. Cetera quæ „ præter hæc, solertia hominum deliciis ac luxui dedi- „ torum excogitata & inventa sunt, de zizaniorum se- „ mine sunt. Semen patrisfamilias frumentum est, ex „ frumento panis conficitur: at luxus atque deliciæ ziza- „ nia sunt, ab inimico juxta frumentum sata. Sed ho- „ mines naturæ necessario ministerio non contenti, re- „ vera suffocantur vanarum rerum studiis, & infrugiferi „ manent, dum in his occupatur anima ... *Dic ei qui „ educit panem de terra; A te mihi vita est, a te quo- „ que mihi vitæ subsidium contingat*. Tu da panem, id „ est, ex justis laboribus cibum adipiscar. Nam si Deus „ justitia est, non habet a Deo panem, qui ex re frau- „ dulenter & injuste parta cibum habet. Ipse compos „ voti es, nisi ex alienis copia atque facultas, nisi ex „ lacrymis reditus, si nemo propter tuam satietatem esu- „ riit, si nullus ob tuam repletionem ingemuit. Dei „ panis maxime talis est, justitiæ fructus, pacis spica, „ non permixta neque inquinata zizanii seminibus. Quod „ si arans & colens aliena, & injustitiam in oculis ha- „ bens, tabulis insuper scriptis injustam acquisitionem ro- „ boraveris & confirmaveris, deinde ad Deum dicas, „ Da panem: alius erit qui hanc vocem tuam au- „ diat, non Deus. Nam qui studet justitiæ, a Deo „ panem accipit: At qui collit injustitiam ab injusti- „ tiæ

„ tiæ inventore nutritur atque cibatur. Conscientiam igi-
„ tur tuam intuens, ita panis petitionem Deo offer,
„ sciens quod non societas Christo cum Belial ... Pul-
„ chra est item adjectio dictionis *hodie*. Id quod præ-
„ sens est, cuique proprium dumtaxat est; futuri vero
„ spes in incerto manet. Nescimus enim quid paritura
„ sit insequens dies. Idcirco per id quod *hodie* jubet, in-
„ terdicit tibi curam de crastino. "

S. August. serm. 58. alias 42. inter Hom. 50. c. 4.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. " Po-
„ test simpliciter accipi, orationem istam nos fundere pro
„ victu quotidiano, ut abundet nobis; & si non abun-
„ dat, non desit nobis ... Quare non dixit, & tegu-
„ mentum? Victus enim noster in cibo est & potu: te-
„ gumentum in vestitu & tecto. Nihil homo plus desi-
„ deret. Quandoquidem dicit Apostolus. *Nihil intulimus*
„ *in hunc Mundum; sed nec auferre aliquid possumus:*
„ *Victum & tegumentum habentes, his contenti simus.*
„ Pereat avaritia, & dives est natura: Ergo si ad quo-
„ tidianum victum pertinet, quia & hoc bene intelligi-
„ tur quod dicitur, *Panem nostrum quotidianum da no-*
„ *bis hodie*: Non miremur, si nominato pane & cetera
„ necessaria intelligantur ..... Intelligitur etiam hoc
„ valde bene, *Panem nostrum quotidianum da nobis ho-*
„ *die*, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt
„ enim Fideles quid accipiant, & bonum est eis accipe-
„ re panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro
„ se rogant, ut boni fiant ut in bonitate & fide & vi-
„ ta bona perseverent. Hoc optant, hoc orant; Quia si
„ non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo
„ pane. Ergo *Panem nostrum quotidianum da nobis ho-*
„ *die*, quid est? Sic vivamus, ut ab Altari tuo non se-
„ paremur. Et verbum Dei quod quotidie vobis aperitur,
„ & quodam modo frangitur, panis quotidianus est. Et
„ quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt men-
„ tes. Et hunc ergo petimus simpliciter, & quicquid ani-
„ mæ nostræ & carni nostræ in hac vita necessarium
„ est, quotidiano pane concluditur. "

S. Petr. Chrys. serm. 67. & 68.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. „ Qui
„ Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios,
„ qui rerum nos fecit hæredes, qui nos suo & honore
„ donavit & Regno, ipse nos ut panem quotidianum po-
„ stulemus, addixit. In Regno Dei, inter munera divi-
„ na, quid quærit paupertas humana? Tam bonus, tam
„ pius, tam largus Pater panem filiis non nisi postulatus
„ indulget? Et ubi est illud? *Nolite solliciti esse quid*
„ *manducetis, aut quid bibatis, aut quid vestiamini.*
„ Hoc petere jubet quod prohibet cogitare? Quatenus
„ cælestis Pater, cælestem panem, cælestes filii ut postu-
„ lemus, hortatur, ipse dixit: *Ego sum panis qui de cælo*
„ *descendi*. Ipse est panis, qui satus in Virgine, fermen-
„ tatus in carne, in Passione confectus, in fornace coctus
„ sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus Altaribus cæle-
„ stem cibum quotidie Fidelibus subministrat. *Igitur* Quo-
„ tidianum & in diem vult nos in Sacramento sui Cor-
„ poris panis viaticum postulare, ut per hoc ad perpe-
„ tuum diem, & ipsam Christi perveniamus ad Mensam;
„ ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem,
„ totasque satietates capiamus. "

S. Greg. Nyss. Orat. 5. in Orationem Dominicam. Luc. 5.

11. *Et dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimit-*
timus debitoribus nostris. Vult Christus ut Deo similes
efficiamur per misericordiam; „ Ut homo alius ipse Deus
„ esse videatur, dum faciat ea quæ Dei solius est fa-
„ cere. Debitorum enim remissio proprium ac peculia-
„ re Dei munus est: Dictum est enim quod nemo potest
„ remittere peccata, nisi solus Deus. . . . . .
„ Quemadmodum *vero* Deus bene agentibus ad imitan-
„ dum propositus est, sicut dixit Apostolus, *Imitatores*
„ *mei estote, sicut & ego Christi*: Ita vice versa,
2. Cor. 4. „ tuam affectionem ad bonum Deo pro exemplo esse
„ vult, atque ordo quodammodo invertitur, ut audea-
„ mus, quemadmodum bonum in nobis imitatione divini
„ nominis perficitur, ita sperare futurum, ut Deus no-
„ stra facta imitetur, cum aliquid boni fecerimus, ut
„ tu ad Deum dicas; Quod ego feci, fac: Imitare ser-
„ vum tuum, Domine, pauperem & egenum qui re-
„ gnum universarum rerum obtines. Remisi debita, ne
„ tu quidem exigas: Supplicem repellere veritus sum;
„ ne tu quidem supplicantem repellas: Lætum & ala-
„ crem dimisi meum debitorem; talis item tuus fiat.
„ Ne tuum debitorem meo tristiorem reddas: Par am-
„ bobus remissio decernatur. Ille meus est debitor, tuus
„ ego. Quo animo adversus hunc fui, quamque de eo
„ sententiam sequutus sum, hæc apud te obtineat: Sol-
„ vi, solve: Dimisi, dimitte: Magnam proximo exhibui
„ misericordiam: Imitare Domine servi tui humanitatem.
„ At graviora mea in te peccata, quam quæ hic ad-
„ versum me commisit: Id non nego: At reputa quan-
„ tum in omni bono excellas. Æquum est enim ut po-
„ testatis tuæ excellentiæ convenientem misericordiam
„ nobis peccantibus tribuas. Exiguam humanitatem ex-
„ hibui; non enim amplius cupiebat natura: Tua ve-
„ ro munificentia exiguitate potentiæ meæ non prohi-
„ betur, quin quantum velis, tantum largiaris. Futu-
„ rum de nobis in nostra est potestate judicium. Ne
„ enim vel irrationabilis quispiam, aut in magno ali-
„ quo, aut in exiguo delicto de judicio Dei conqueri
„ posset, ipsum te reum Dominus illius fecit sententiæ:
„ quemadmodum (inquit) tu tibi ipsi judicaveris, ita
„ etiam tibi judicabo. Si enim dimiseris conservo tuo,
S. Joan. Chrys. Hom. 10. in Matth.
„ a me quoque eamdem gratiam consequeris. Et certe
„ nequaquam istud æquale est. Tu enim remittis, cum
„ ipse quoque remissione indigeas: Deus vero cum nul-
„ lius unquam indigeat, ignoscit; Tu conservo remit-
„ tis, Deus servo: & tu quidem mille peccatorum reus,
„ Deus vero ab omni peccato prorsus extraneus & tu-
„ men sic quoque abundantiam propriæ miserationis o-
„ stendit. Nam cum certe possit absque hoc tibi omnia
„ peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per
„ ista conferre, mille tibi occasiones mansuetudinis ac
„ pietatis ministrans, & quod in te est belluinum, de-
„ pellens, & iram qua flagras extinguens, teque undi-
„ que tuis membris compingens & conglutinans. Quid
„ enim, quæso, dicturus es? An quod a primo aliquid
„ fueris passus injuste? Talia proculdubio sunt quæ et-
„ iam tibi a Deo poscis remitti, multoque majora.
„ Sed ante ipsam quoque veniam non exigua donatus
„ es gratia, edoctus scilicet humanam habere men-
„ tem, & ad omnem mansuetudinem eruditus. Su-
„ pra hæc vero etiam tibi merces in futuro ampla tri-
„ buetur, dum nullius a te exigetur ratio peccati.
„ Quo non igitur digni supplicio sumus, cum tali no-
„ bis a Deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficia-
„ mur proditores? "

S. August. serm. 59. alias de Tempore 135. c. 9.

Dimitte nobis debita nostra, &c. „ In Baptismo om-
„ nia debita, id est, peccata prorsus dimittuntur nobis.
„ Sed quia nemo hic potest vivere sine peccato, etsi
„ non magno crimine unde separetur ab illo pane, ta-
„ men nemo potest sine peccatis esse in hac terra, &
„ non possumus accipere nisi unum Baptismum semel;
„ *In oratione accipimus, unde quotidie lavemur, ut no-*
„ *bis peccata nostra quotidie dimittantur: sed si faciemus*
„ *quod sequitur*, sicut & nos dimittimus debitoribus no-
„ stris ..... *Sponsionem facimus cum Deo, pactum &*
placitum. Hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: Dimit-
te, & dimitto. Non dimisisti: tu contra te tenes,
non ego.

Et serm. 56. alias de Divers. 48. c. 9.

Dimitte nobis, &c. „ Homo, si sine peccato esse non
„ potes, & vis semper dimitti tibi totum, dimitte sem-
„ per: Quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum; quo-
„ ties vis dimitti tibi, toties dimitte; imo quia vis, to-
„ tum dimitti tibi, totum dimitte. . . Dimitte nobis de-
„ bita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus no-
„ stris ..... Qui sic petit, & debita non relaxat, iste
S. Petrus Chrysolog. sermonib. 67. 68. 72.
„ etiam per quod orat, accusat. Qui sibi tantum dona-
„ ri postulat, remittit tantum, quantum ipse remittit &
„ donat, ad placitum Deum; Deum taliter invitat ad
„ pactum .... Fide peccatis suis petit veniam, quia pec-
„ canti libenter ignoscit. .. Satis potest homo miseri-
„ cors, qui cum Deo de pietate confligit. Homo, sit
„ semper in pectore tuo venia, si vis crimina non timere. "

S. Jo. Chrys. Hom. 20. in Matth.

12. *Et ne nos inducas in tentationem*. „ Docet Chri-
„ stus nos non recusare certamina, nec tamen in ea au-
„ dacius insilire. Hoc enim modo & nostra incipiet cla-
„ rior esse victoria, & diaboli infelicior pugna videbi-
„ tur. Nam protractos in medium, viriliter stare opor-
„ tet ac fortiter: non provocatos vero quiescere, &
„ tempus expectare certaminis, ut nos & vacuos ostem-
„ damus amore gloriæ, & plenos virtute constantiæ ... "
Et ne nos inducas in tentationem. Dimitte quæ fecimus,
& da ut alia non committamus .... *Potest peccatum cave-*
ri, sed opitulante illo qui non potest falli. Nam & hoc
ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter di-
cimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-
timus debitoribus nostris. *Duobus enim modis etiam in cor-*
pore cavetur morbi malum; & ut non accidat, & ut si ac-
ciderit, cito sanetur. Ut non accidat, caveamus dicendo:
Ne nos inferas in tentationem. *Ut cito sanetur, cave-*
amus dicendo: Dimitte nobis debita nostra.

S. August. serm. 58. & libro de Natura & Gratia c. 67.

S. Petrus Chrysolog. serm. 68. 71.

Et ne nos inducas in tentationem. „ Hoc petere mi-
„ les multis modis cogitur, ne fragilitas plus ausa, &
„ de se temere præsumens, nec virium suarum modum
„ colligens, in conflictu male cauta succumbat: deinde
„ offensus Deus tradat tentationibus quos relinquit .....
„ Tentatio est species fallens, quæ prospera in adversis,
„ adversa occultat in prosperis, humanamque ignoran-
„ tiam dolosos educit in lapsus. Petimus ergo ne pec-
„ catis impellentibus in tentationum foveas incidamus. "

S. Jo. Chrys. serm. 10. de instituenda secundum Deum vita Tom. 5.

13. *Sed libera nos a malo. Amen.* „ Multa, Diaboli
„ opera atque æstu, gravia & molesta nobis accidunt:
„ Multa ab hominibus vel palam injuriis, vel clam no-
„ bis insidiantibus. Jam vero corpus ipsum contra ani-
„ mam non sine gravi noxa nonnumquam variis morbis
„ debilitatum atque infirmum, dolores nobis atque lan-
„ guores parit. Itaque cum tam multa tamque gravia
„ nobis ingruant mala, ab his omnibus, ut libere-
„ mur, a Deo omnium, docemur petere, quo nimi-
„ rum vindice tempestas omnis sedatur. Malus ipse con-
„ fusus, despectus, delusus, confutatusque discedit, sicut

olim

„ olim ab hominibus discessit in porcos, in quos etiam
„ nihil nisi jussus audebat. Ergo qui nec in porcos quid-
„ quam potest, quo tandem pacto hominem in vigilia
„ permanentem, animo stantem, intentum, Dei septum
„ præsidio, tenere audeat atque opprimere? "

Libera nos a malo. „ *Hoc est*, a Diabolo, qui totius
S. Petrus Chrysolog. serm. 70. „ mali auctor est & origo. Diabolus natura cœlestis fuit:
„ nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, no-
„ cendi usu tritus, lædendi arte peritissimus. Unde non
„ jam malus, sed malum dicitur, a quo est omne quod
„ malum est. Hinc est quod propriis viribus liberari ho-
„ mo non potest, carnalibus vinculis illigatus. Petendum
„ nobis est ergo ut Deus a diabolo nos liberet, qui Chri-
„ stum terris, ut diabolum vinceret, commodavit. Cla-
„ met homo, clamet ad Deum: *Libera nos a malo*, ut
„ a tanto malo, solo Christo vincente liberemur. "

Libera nos a malo. „ Vis ut sim securus, ubi quoti-
S. Aug. serm. 256. alias ex Sirmond. 13. „ die peto indulgentiam pro peccatis, adjutorium in pe-
„ riculis? Cum enim dixero propter præterita peccata,
„ *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*
„ *debitoribus nostris*: continuo propter futura pericula
„ addo & adjungo, *Ne nos inferas in tentationem*.
„ Quomodo est autem populus in bono, quando mecum
„ clamat, *Libera nos a malo*? Et tamen, Fratres, in
„ isto adhuc malo cantemus, Alleluja, Deo bono, qui
„ nos liberat a malo. Quid circuminspicis unde te libe-
„ ret, quando te liberat a malo? Noli longe ire, noli
„ aciem mentis circumquaque distendere. Ad te redi, te
„ respice. Tu es adhuc malus. Quando ergo Deus te ip-
„ sum liberat a te ipso, tunc te liberet a malo. Apostо-
„ lum audi, & ibi intellige a quo malo sis liberandus.
Rom. 7. 22. &c. „ Condelector, *inquit*, legi Dei secundum interiorem
„ hominem; video autem aliam legem in membris meis
„ repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in
„ lege peccati, quæ est in membris meis .... Putavi quia
„ captivvavit te sub nescio quibus ignotis Barbaris: putavi
„ quia captivavit te sub nescio quibus gentibus alienis,
„ vel sub nescio quibus hominibus dominis. *Quæ est*,
„ inquit, *in membris meis*. Exclama ergo cum illo,
„ *Miser ego homo, quis me liberabit?* Unde quis libera-
„ bis? Dic unde. Alius dicit ab Optione, alius de car-
„ cere, alius de Barbarorum captivitate, alius de febre
„ atque languore: Dic tu, Apostole, non quo mittamur
„ aut quo ducamur, sed quid nobiscum portemus, quid
„ nos ipsi simus, dic: *De corpore mortis hujus*. De cor-
„ pore mortis hujus? *De corpore*, inquit, *mortis hujus*
„ ..... Sed non es tu ipse corpus mortis hujus?
„ Respondit, *Igitur ipse ego mente servio legi peccati*. "
„ Sed *ipse ego*: Quomodo per diversa ipse tu? Mente,
„ inquit, quia diligo: carne, quia concupisco: victor
„ quidem, si non consentio: adhuc tamen luctabor ur-
„ gente adversario. "

„ 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum,
S. Joannes Chrys. Hom 20. in Matth. „ dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.
„ Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester
„ dimittet vobis peccata vestra ... Idcirco & cœlos rur-
„ sus commemoravit & Patrem; ut hinc quoque audi-
„ torem pudore suffunderet, si cum tanto sit Patre ge-
„ neratus, ad malitiam feritate rapiatur; atque ad
„ cœlum vocatus, terrena & carnali prorsus mente
„ vilescat ... Non solum quippe gratia Dei esse filios
„ oportet, verum etiam operibus. Nihil est autem
„ quod sic Deo similes faciat, ut malignis atque læ-
„ dentibus esse placabilem, *sicut etiam paulo ante præ-*
„ *monuit*, *cum diceret*: Deus solem suum oriri facit
„ super bonos & malos ... Propterea & communes nos
„ facere preces jubet, & plurali ubique numero in ora-
„ tione Dominica nos uti docet, ut proximis placati ne
„ vestigium quidem iracundiæ in nobis relinquamus. Quan-
„ to jam ergo invenimur digni supplicio, post hæc om-
„ nia non modo non remittentes, verum etiam de inimicis
„ a Deo vindictam rogantes; cum ille cuncta & faciat &
„ dicat, ne ipsi mutuis adversum nos odiis infremamus.
„ Quia enim charitas omnium mater bonorum, ea quæ
„ illi incommodant tollens, undique nos in unum con-
„ gregat copulando, &c. *Si enim dimiseritis hominibus*
„ *peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis*
„ *delicta vestra*, &c. Tanta est copia delictorum, ut
„ ille etiam qui non diligenter cuncta cognoscit, mul-
„ ta tamen ex eis possit intelligere. Quis nostrum non
„ habuit in oratione desidiam? Quis non superbiæ est
„ inflatus tumore? Quis non inanis gloriæ aurula ven-
„ tilatus est? Quis non de fratre detraxit? Quis non
„ concupiscentiam malignam admisit, vel impudicis
„ oculis aspexit? Quis non inimici cum animi commo-
„ tione recordatus est, & cor suum intumescere fecit?
„ Quis non æmuli sui aut cruciatus est prosperis, aut
„ delectatus adversis? Sin autem & in Ecclesia consti-
„ tuti, & brevi tempore tantorum efficimur malorum
„ rei: quales tandem nos futuros putamus, cum hinc
„ fuerimus egressi? Si tantos fluctus patimur in portu,
„ cum exierimus in Euripum illum malorum, forum
„ dico & urbana negotia, & domesticas curas, puta-
„ mus ne nos saltem ipsos poterimus agnoscere? Ve-
„ rumtamen tot ac talium peccatorum compendiosam
„ nobis ac facilem Deus viam liberationis dedit, totius-
„ que laboris alienam. Quis enim labor est fratri in-
„ dulgere conturbanti? ... Labor quidem in remittendo
„ nullus, in retinendo vero inimicitias maximus. Siqui-
„ dem iracundia liberari, magnam menti reddit quie-
„ tem, & valde facile est volenti. Neque enim neces-
„ se est maria transfretare, nec longi itineris peregri-
„ nationem subire, nec montium excelsa conscendere,
„ nec pecuniam impendere, nec corpus exponere, sed
„ sufficit velle tantummodo, & omnia continuo pecca-
„ ta deleta sunt. "

„ 15. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ
S. Petrus Chrysologus serm. 7. „ tristes, *&c.* Tu autem cum jejunas, unge caput tuum,
„ & faciem tuam lava, &c. ... Hypocrisis subtile malum,
„ secretum virus, *venenum latens*, *virtutum fucus*, *tinea*
„ *sanctitatis*. Adversa omnia nituntur viribus suis, ar-
„ mis suis pugnant, impugnant palam: unde & caventur
„ tam facile quam videntur. Hypocrisis secura simulat,
„ fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte vir-
„ tutes truncat mucrone virtutum: Jejunium jejunio pe-
„ rimit, oratione orationem evacuat, misericordiam mi-
„ seratione prosternit .... Fratres, fugiendum est virus,
„ pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos,
„ conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit
„ in crimen, placationem facit reatum, generat de pro-
„ pitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vicit;
„ qui incurrerit, cadit. Fugiamus hypocrisim, fugiamus,
„ Fratres: Sit nostrum de simplicitate jejunium, de in-
„ nocentia sanctum, de puritate purum, de sinceritate
„ sincerum, sit hominibus occultum, ignotum Diabolo,
„ Deo notum. Thesaurum qui non abscondit, prodit.
„ *Tu autem cum jejunas*, *unge caput tuum*, *&c.* Non
„ ut coma capitis illecebroso redundet unguento, serius
„ Magister inungit; neque faciem nitescere solito vult
„ lavacro: sed habitu prandentis vult celari jejunium
„ Christiano, quia Christianum venditare non vult arti-
„ fici mœrore jejunium. *Unge caput tuum*, *& faciem*
„ *tuam lava*, *ne videaris hominibus jejunans*, *sed Pa-*
„ *tri tuo*, *qui est in abscondito*. Sic non voluptuosos in-
„ dulget aspectus, sed vultus qui simulantur excludit.
„ Facies mœrore dejecta invitat famam, non jejunium
„ voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non
„ vult, jejunus quare? Merito tali pœna vivit, qui sibi
„ facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de
„ mercede stipendium, de remissione peccatum. Agricola
„ si non impresserit cultrum, si sulcum non defoderit,
„ si non exciderit sentes, si gramina non evulserit, si
„ in tuto semina non locarit; sibi mentitur, non ter-
„ ræ; nec terræ facit damnum, sed sibi non facit fru-
„ ctum: & ita se vacuat, ita decipit, impugnat ita, qui
„ terræ manu fallaci mentitur. Quid faciet, quid habe-
„ bit, quid inveniet, qui Deo, esuriente carne, hypocrisi
„ luxuriante mentitur? Sciat ille sustinere se laborem in-
„ cassum, se nihil habiturum, qui premens jejunii ara-
„ trum, & abscindens gulæ gramina, atque eradicans
„ luxuriæ sentes, misericordiæ semina nulla jactaverit. "

Tu autem cum jejunas, *unge caput tuum*, *& faciem*
S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in Monte c. 12 *tuam lava*. „ Maxime animadvertendum est, non in so-
„ lo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam
„ in ipsis sordibus lutuosis posse esse jactantiam; & eo
„ periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei deci-
„ pit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vesti-
„ tus, vel ceterarum rerum nitore præfulget, facile con-
„ vincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator,
„ nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis: Qui
„ autem in professione Christianitatis inusitato squallore
„ ac sordibus intentos in se oculos hominum facit; cum
„ id voluntate facit, non necessitate patitur, exceteris ejus
„ operibus potest conjici, utrum hoc contemptu super-
„ flui cultus, an ambitione aliqua faciat: quia & sub
„ ovina pelle cavendos lupos Dominus præcipit: *Sed ex*
Matth. 7. 16. „ *fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos*. Cum enim
„ cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi
„ vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel
„ consequi cupiunt, tunc necesse est appareat utrum
„ lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non enim
„ propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum
„ mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac
„ necessarium etiam simulatores sæpius usurpant, ut
„ incautos decipiant; quia & illæ oves non debent pel-
„ les suas deponere, si aliquando eis lupi se contegunt.
„ *Tu autem cum jejunas*, *unge caput tuum*, *&c.* Non
„ quispiam recte præceperit; quamvis faciem quotidiana
„ consuetudine lavemus, unctis etiam capitibus, cum
„ jejunamus nos esse debere. Quod si turpissimum om-
„ nes fatentur, intelligendum est hoc præceptum un-
„ gendi caput, & faciem lavandi, ad interiorem homi-
„ nem pertinere. Ungere ergo caput, ad lætitiam perti-
„ net; lavare autem faciem, ad munditiam: & ideo ca-
„ put ungit, qui lætatur interius mente atque ratione.
„ Hoc enim recte accipimus caput, quod in anima præ-
„ eminet, & quo cetera hominis regi & gubernari mani-
„ festum est. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiam,

„ ut de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Interius
„ ergo gaudeat in jejunio suo, eo ipso quo sic se jeju-
„ nando avertit a voluptate sæculi ut sit subditus Chri-
„ sto, qui secundum hoc præceptum caput unctum ha-
„ bere desiderat. Ita enim & faciem lavabit, id est,
„ cor mundabit, quo visurus est Deum non interposito
„ velamine propter infirmitatem contractam de sordibus;
„ sed firmus & stabilis, quoniam mundus & simplex.
Isa. 1. 16. „ *Lavamini*, inquit, *mundi estote, auferte nequitias ab*
„ *animis vestris, atque a conspectu oculorum meorum*.
„ Ab his igitur sordibus facies nostra lavanda est, qui-
„ bus Dei aspectus offenditur. "

S. Leo M. serm. 9 de Collectis & Eleem. 5. 16. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, &c.* „ Qui
„ terrenis opibus inhiant & congerendis student thesau-
„ ris, avari, divites, egentiores sunt omnibus egenis.
„ Perdunt enim illos redditus, quos possunt habere per-
„ petuos, & dum brevi, nec semper incubant usui, nul-
„ lo justitiæ cibo, nulla misericordiæ suavitate pascun-
„ tur; foris splendidi, intus obscuri; abundantes tempo-
„ ralium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fa-
„ me afficiunt, & nuditate dehonestant, qui de iis quæ
„ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœle-
„ stibus intulerunt. Thesaurizare vis? Bene. Non dico,
„ Noli; sed dico tibi Consultorem me accipe, non per-
„ditorem. Scriptum est, *Thesaurizate vobis thesauros*
S. August. serm. 345. alias 32. ex Sirmondianis: „ *in cœlo*. Sed forte dicis, Non video locum in cœlo
„ ubi ponam. Quam scalam, quam machinam quæsitu-
„ rus sum, quæ ad cœlum attingat, ut videam ubi po-
„ nam pecuniam meam? Quid dicis? Vides in terra lo-
„ cum ubi obruis? Video, inquis. Bene satis: Si secu-
„ rus es obruendo in terra, quare sollicitus es de Deo
„ qui fecit cœlum & terram? Da securus Deo. Ipsi te
„ commenda, qui tibi pecuniam in cœlo servat; quia
„ ipse & te in terra, quamdiu vivis, gubernat. Pecu-
„ niam servare vis? Serva quomodo vis. Si inveneris
„ meliorem custodem quam Christum, commenda ei pe-
„ cuniam tuam. Commendo, inquit, servo meo. Bene:
„ Quanto melius Domino tuo? Et servum tuum præpo-
„ nis Domino tuo? o Christianum virum! Servus tuus
„ fortassis auferet, & fugiet: Numquid Christus hoc fa-
„ cturus est? Multi ad dominos suos servi inimici repen-
„ te extiterunt, & eos cum ipso auro hostibus tradide-
„ runt. Cui ergo commendas? Servo, inquis, meo. No-
„ vi fidem servi mei, ideoque commendo servo meo au-
„ rum meum: Bene facis, præfers servum tuum, au-
„ rum tuum commendas servo tuo: Animam tuam cui?
„ Animam meam commendo Deo meo. Quanto melius,
„ o homo, illi & aurum tuum, cui & animam tuam?
„ *An forte fidelis est in custodiendo animam tuam, &*
„ *infidelis in custodiendo pecuniam tuam? Servat tibi,*
„ *qui servat & te*. Laudas fidem servi tui? Etiam ego
„ novi fidem servi mei. Tota fides ejus est, ne fraudet,
„ ne tollat; numquid agit ne perdat? Ecce posuit, &
„ non latuit; invenit alius, & tulit. Numquid hoc Chri-
„ sto quispiam facturus est? Pigritiam excute, consilium
„ accipe... Da Christo esurienti, thesauriza in cœlo.
„ Numquid labor est in cœlo thesaurizare? Etsi labor
„ esset, faciendum erat ad ponendam pecuniam tuam in
„ loco munito, unde nemo eam possit auferre. Cum
„ tamen dicit Christus, in cælo thesauriza: Non di-
„ cit tibi, scalas quære, machinas liga, pennas ap-
„ at. Hoc dicit, Mihi in terra da, & tibi in cælo
„ servo. Ideo veni egere ego in terra, ut sis tu dives
„ in cælo. Fac trajectitium. Forte times fraudatorem,
„ ne perdas; & quæris qui portet, qui migret. Christus
„ tibi in utroque adest. Non faciet impostura, faciet
S. Aug. ser. 311. alias de Diversis 125. cap. 18. „ insuper & laturam..... Qui dixit Saulo, *Quid me*
„ *persequeris*? Ipse tibi dicit, Pasce me. In terra Sau-
„ lus sæviebat, & Christum in cælo tangebat: sic & tu
„ in terra eroga, & Christum in cælo pascis..... Est
„ & alia vita, Fratres mei. Est post hanc vitam alia
„ vita, credite. Ad eam vos præparate, præsentia cun-
„ cta contemnite. Si habetis, bene inde facite: si non
„ habetis, nolite cupiditate inardescere. " *Migrate, transferte ante vos: quod hic habetis, illuc eat quo se-*
cuturi eritis. Audite consilium Domini vestri: Ne thesau-
rizetis vobis thesauros in terra, &c. *Audis quotidie ho-*
mo fidelis, Sursum cor: & quasi contrarium audias, tu
mergis in terram cor tuum. Migrate. Habetis unde? Fa-
cite bene. Non habetis unde? Adversus Deum nolite mur-
murare. Audite me, o pauperes: Quid non habetis? Audite me, o divites: Quid habetis, si Deum non ha-
betis?

S. Aug. ser. 60. alias de Tempore 50. c. art. 7. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, &c. Res
aperta est, consilium patet, sed cupiditas latet: immo
non latet, sed etiam ipsa, quod pejus est, patet. „ Non
„ enim cessat rapina grassari: non enim cessat fraudare
„ avaritia: Non enim cessat perjurare malitia. Totum
„ ut quid? Ut thesaurizetur. Et ubi ponatur? In terra.
„ Recte quidem a terra in terram..... Homini enim,
„ a quo nobis dixi laborem propinatum, peccanti dictum
Genes. 3. 19. „ est, *Terra es, & in terram ibis*. Merito thesaurus
„ in terra, quia cor in terra. Ubi est ergo quod habe-
„ mus ad Deum? Dolete qui intellexistis: corrigimini,
„ si doluistis. Quamdiu laudare, & non facere? Verum
„ est nihil verius. Fiat ergo quod verum est. Ergo no-
„ lite vobis condere thesaurum in terra, sine experti
„ quomodo pereat quod in terra reconditur, sive non
„ experti, sed & vos saltem metuentes experiri. Quem
„ non corrigunt verba, corrigant experimenta. Non
„ surgitur, non proceditur, nisi una voce dicatur ab
„ omnibus: Væ nobis, ruit Mundus. Si ruit, quare
„ non migras? Si tibi architectus diceret, ruituram do-
„ mum tuam: nonne prius migrares quam murmurares?
„ Structor Mundi dicit tibi ruiturum Mundum, & non
„ credis? Audi vocem prædicentis, audi consilium com-
„ monentis, Vox prædicentis, est, *Et cælum & terra* Matt. 24. 21.
„ *transibunt*. Vox commonentis est, *Nolite vobis con-*
„ *dere thesauros in terra*. Ergo si creditis Deo prædi-
„ centi, si non contemnitis commonentem, fiat quod
„ dicit. Non enim ille te fallit, qui tale consilium de-
„ dit. Non perdes quod dedisti, sed sequeris quod misi-
„ sti. Consilium ergo do: Da pauperibus, & habebis
„ thesaurum in cœlo. Non sine thesauro remanebis: sed
„ quod habes in terra sollicitus, habebis in cælo secu-
„ rus. Migra ergo. Consilium do servandi, non per-
„ dendi. "

S. Petrus Chrys. ser. 8. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*. „ Thesaurus cæ-
„ li est manus pauperis: quod suscipit, ne in terra pe-
„ reat, reponit in cælum: Manus pauperis est gazophy-
„ lacium Christi; quia quicquid pauper accipit, Christus
„ acceptat. Da tu ergo homo pauperi terram, ut acci-
„ pias cælum: Da nummum, ut accipias Regnum: Da
„ micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi:
„ quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pau-
„ peri non dederis, habebit alter. Clamat Deus, *Mise-*
„ *ricordiam volo*. Qui quod vult Deus, Deo negat, a
„ Deo sibi quod desiderat, vult negari. *Misericordiam*
„ *volo*. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi. *Miseri-*
„ *cordiam volo*. Humanam misericordiam petit ut largia-
„ tur divinam. "

S. Hier. in c. 6. Matt. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. „ Hoc non solum de pecunia, sed & de cunctis passio-
„ nibus sentiendum est. Gulosi Deus venter est. Ibi ergo
„ habet cor, ubi est thesaurus. Luxoriosi thesaurus, epu-
„ læ sunt; lascivi, ludicra; amatoris, libido. Huic ser-
„ vit unusquisque quo vincitur... Ut ergo in cælis the-
S. Fulgent. ser. de conf. „ saurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse ubi thesau-
„ rizas? Attende quid amas. Vis nosse quid ames? At-
„ tende quid cogitas. "

S. Jo. Chrys. Hom. 21. in Matth. 17. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam; ipsum corpus tuum tenebrosum erit*, &c. Quod oculus corpo-
ri, hoc intellectus est animæ. " Ut enim nequaquam
„ optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis
„ tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem de-
„ siderabiliorem rebus omnibus judicares; quæ si tibi
„ depereat, nihil te jam reliqua vita delectat: Quanto
„ hoc magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut
„ enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum
„ est, pleraque jam membra suo usu ac officio carent,
„ lumine ipsis extincto, ita etiam mente cæcata, innu-
„ meris malis vita tua cumulatur. Quemadmodum igi-
„ tur in corpore hoc maxime providemus, ut oculos ha-
„ beamus incolumes: sic etiam in anima intellectus con-
„ servemus salutem. Si vero cæcamus istum, quo aliis
„ quoque debemus lumen inferre; unde jam poterimus
„ aspicere? Sicut enim qui caput ipsum fontis obstruxit,
„ totum simul exsiccavit & fluvium: sic etiam qui ocu-
„ lum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius
„ actus una confusione cæcavit. Propter quod ait: *Si*
„ *lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ*
„ *quantæ erunt*? Quando enim lucerna extinguitur,
„ quando gubernator mergitur, quando dux ipse capi-
„ tur; quæ tandem subditis superesse spes salutis? ...
„ Dedit nobis intellectum Deus, ut ignorantiam fuge-
„ mus e mentibus, ut rectum teneamus justumque re-
„ rum judicium, atque ad talia hujusmodi dirigamur:
„ & contra diversarum impugnationum varios incursus
„ hoc quasi quodam scuto usi ac lumine, maneamus in-
„ nocui atque muniti. Nos vero tantum hoc Dei do-
„ num temere prodimus propter superflua ac vana.
„ Quid prodest auratis armis Milites refulgere, cum du-
„ citur Rex ipse captivus? Quod lucrum est auratæ de-
„ pictæque navis cum ipsius mergitur gubernator? Quæ-
„ nam illa est bene compositi corporis pulchritudo, cum
„ facies oculos amisit? Quemadmodum igitur si Medi-
„ cum, cujus ad aliorum ægritudines depellendas sani-
„ tas necessaria est, ægritudine afficias, & in deaura-
„ to cubiculo, lectuloque argenteo jacere præcipias, ni-
„ hil proficiet omnino languentibus: ita etiam si men-
„ tis principale corrumpens, quo vitiis ingruentibus po-
„ tes repugnare, thesauro feceris assidere, non modo
„ nihil omnino profeceris, sed totum prorsus animum
„ læseris. "

S. Aug. Enar. in Ps. 118. serm. 12. *Si oculus tuus fuerit simplex*, &c. De intentione hunc
locum intelligendum jam observavi. „ Proinde magni in-
„ teresse

„ tereſt cum aliquid boni facimus, cujus rei contempla-
„ tione faciamus. Officium quippe noſtrum non officio,
„ ſed fine penſandum eſt: ut ſcilicet non tantum ſi bo-
„ num eſt quod facimus, ſed præcipue ſi bonum eſt pro-
„ pter quod facimus cogitemus. Hos oculos, quibus con-
„ templamur quare faciamus quod facimus averti poſcit,
„ ne videant vanitatem, id eſt, ne hanc attendat, pro-
„ ter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua va-
„ nitate præcipuum locum obtinet amor humanæ lau-
„ dis, propter quam multa magna fecerunt, qui magni
„ in hoc ſæculo nominati ſunt, multumque laudati in
„ civitatibus gentium, quærentes non apud Deum, ſed
„ apud homines gloriam, & propter hanc velut pru-
„ denter, fortiter, temperanter juſteque viventes, ad
„ quam pervenientes perceperunt mercedem ſuam, vani
„ vanam. "

Idem l. 4. contra Julianum c. 3. num. 33. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. *Hunc oculum agnoſce intentionem, qua ſacit quiſque quod facit; & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.*

S. Greg. M. pag. 1. Paſt. c. 9. Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? *Fit* enim plerumque *ut aliud in imis intentio ſuprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit de bono opere amare quod non amat, de Mundi autem gloria non amare quod amat.* Ad *Pſ. 17. 29.* Deum igitur clamemus cum Propheta: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine. Deus meus, illumina tenebras meas.*

S. Jo. Chry. Hom. 23. in Matth. 18. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, &c. *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ*: Animo prorſus toto perhorreſcamus, & corpore, intelligentes ex adverſo Deum aurumque componi. „ Si igitur iſtud ſono quoque ſermo-
„ nis horribile eſt, quanto eſt horribilius, cum ipſis
„ operibus tyrannis auri Dei timori præfertur? Noli tu
„ mihi contra hanc ſententiam proferre divites, ſed di-
„ vitiis ſervientes. Alioquin Job erat quidem dives, non
„ tamen pecuniæ ſerviebat. Sicut enim alieni patrimonii
„ diſpenſator, ita illa omnia poſſidebat, non modo alie-
„ na non rapiens, ſed propria quoque indigentibus lar-
„ giens. Quodque his majus eſt, nec habere ſe illa gau-
Job. 35. „ debat: *Si lætatus ſum*, inquit, *quia mihi eſſent mul-*
„ *tæ divitiæ*. Unde quia gaudium de poſſeſſione non ha-
„ buit, dolorem de amiſſione non pertulit. At non ta-
„ les noſtra ætate ſunt divites, ſed captivis omnibus
„ deterius affecti, & ſicut cuidam tyranno tributa pen-
„ dentes, non quieſcunt a miſeria ſervitutis. Quaſi enim
„ arcem quamdam, ita eorum mentem amor auri inſe-
„ dit. Unde per dies ſingulos præcepta eis plena ini-
„ quitatis imponit, nec eſt omnino aliquis qui non obe-
„ diat imperanti. Noli igitur ex ſuperfluo argumentati,
„ ſemel ſiquidem pronunciavit Deus; impoſſibile eſſe di-
„ cens, utrumque hoc ſimul eſſe ſervitium. Ne ergo tu
„ dixeris hoc eſſe poſſibile. Quando enim te unus Do-
„ minus propriis quoque exui jubet, alter vero etiam
„ aliena diripere: quando ille tibi imperat caſtita-
„ tem, iſte luxuriam; quando hic tibi caſtigationem
„ ventris indicit, ille ebrietatem atque delicias: quan-
„ do te alter omnia iſta jubet deſpicere, alter vero in-
„ hærere atque inhiare præſentibus: cum hic quidem
„ præcipit læta marmora, parietes pictos, & laquearia
„ deaurata mirari, ille vero averſari ejuſmodi omnia,
„ & veræ Philoſophiæ pulchritudinem ac morum orna-
„ menta ſuſpicere: quemadmodum poſſibile eſt hæc tam
Rom. 6. 16. „ contraria convenire? Dominum hic autem Mammo-
„ nam, ideſt, pecuniam nuncupavit, non ob propriam
„ ipſis naturam, ſed ob eorum miſeriam, qui ſe ad il-
„ lius inclinavere ſervitium. Sic etiam ventrem Apoſto-
„ lus appellat Deum, non a dignitate dominantis, ſed
„ ab infelicitate famulantium. Quod ſupplicio certe om-
„ ni majus eſt, etiam ante pœnam puniri captivum.
„ Quibus enim captivis non infeliciores putandi ſunt,
„ qui cum Dominum habeant Deum, ab illo Rege mi-
„ tiſſimo recedentes, tyranno ſe huic ſæviſſimo dederunt:
„ & hoc cum nobis etiam in præſenti res iſta noceat?
„ Nam & damna hinc ineffabilia contingunt, & lites
„ frequentes, & calumniæ, atque certamina, & aſſidui
„ labores, & cæcitas mentis: Quodque eſt gravius, et-
„ iam bonorum nobis cæleſtium per hæc infertur amiſ-
„ ſio, quæ ſolo certe poſſumus Dei ſervitio promereri. "

S. Ambr. lib. de Joſ. c. 4. n. 20. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. „ Servile eſt om-
„ ne peccatum, libera eſt innocentia. Unde & Do-
„ minus ait: *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt pec-*
„ *cati*. Quomodo enim non ſervus, omnis avarus, qui
„ pro exiguo pecuniæ lucello ſeipſum auctionatur? Ti-
„ met omnia, ne congeſta amittat, qui non utenda con-
„ geſſit, majore periculo ſervaturus, quo majora quæ-
„ ſivit. Quomodo non mendicans, cui ſunt parva quæ
„ poſſidet? Nam etſi mihi dives videatur, ſibi eget, nec
„ teſtimoniis ſua vota ſolatur, qui quod optat neſcit cre-
„ dere. Quomodo autem non & ille ſervus, qui ſubdi-
„ tus eſt libidini? Primum ſuis ardet incendiis, & pe-
„ ctoris ſui facibus exuritur .... Suſcipit omnes metus,
„ inſidiatur ſomno ſingulorum: ut unius cupiditate potia-
„ tur, fit ſervus omnium. Servit igitur hanc miſeram
„ quidem ſervitutem, qui ipſe ſibi dominos facit, ipſe
„ vult habere quos timeat. Nihil enim tam ſpeciale ſer-
„ vitutis eſt, quam ſemper timere. Ille vero in quavis
„ conditione ſervitii ſemper liber, qui Mundi amore
„ non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu cri-
„ minis non alligatur, qui ſecurus ſpectat præſentia,
„ quem futura non terrent. Nonne videtur tibi iſte in
„ ſervitute dominari: ille autem in libertate ſervire?
„ Serviebat Joſeph, regnabat Pharao; Beatior hujus ſer-
„ vitus, quam Regnum illius. "

Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. *Semper abundantia contumelioſa in ſemetipſam eſt. Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione in Natale Domini divites merito vocat *compeditos terræ*: Sanctus Cyprianus multos fidem abnegaſſe deflet in Eccleſiæ perſecutione, quos divitiarum amor a cura ſalutis avocavit. „ Decipit multos (*inquit*) patri-
„ monii ſui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut
„ expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut com-
„ pedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula,
„ illæ catenæ; quibus & virtus retardata eſt, & fides
„ preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa; ut ſerpen-
„ ti terram ſecundum Dei ſententiam devoranti, præda
„ & cibus fierent, qui terreſtribus cupiditatibus inhæ-
„ rerent. " Erubeſce Chriſtiane, quod in libertatem glo-
riæ filiorum Dei vocatus, Mammonæ ſervias indigniſ-
ſimam ſervitutem. „ Obſederunt animum tuum ſterilitatis
„ tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale
„ pectus alta & profunda avaritiæ caligo cæcavit: pe-
„ cuniæ tuæ captivus & ſervus es: catenis cupiditatis
„ & vinculis alligatus es; & quem jam ſolverat Chri-
„ ſtus, denuo vinctus es: ſervas pecuniam, quæ te ſer-
„ vata non ſervat: patrimonium cumulas, quod te pon-
„ dere ſuo gravius onerat: Nec meminiſti quid Deus re-
„ ſponderit diviti exuberantium fructuum copiam ſtulta
„ exſultatione jactanti: Stulte, inquit, hac nocte expo-
„ ſtulatur anima tua a te: Quæ ergo paraſti, cujus erunt?
„ Quid divitiis tuis ſolus incubas? Quid in pœnam tuam
„ patrimonii tui pondus exageras; ut quo locupletior ſæ-
„ culo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos divide
„ cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chri-
„ ſto: fac tibi poſſeſſionum terreſtrium Chriſtum partici-
„ pem, ut & ille te ſibi faciat regnorum cæleſtium co-
„ hæredem. *Laxatis ergo curis mutabilium rerum, bona ſtabilia & certa quæramus.* Supervolemus terrenis opi-
„ bus noſtris. Nam & in mellis copia non fruſtra pennas
„ habet apicula, necat enim hærentem. *Si ſapimus,*
„ *deſinamus ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt.* Bea-
„ tus qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerant, ama-
„ ta inquinant, amiſſa cruciant. "

Tertull. l. de cultu Feminarum c. 6. S. Cypr. l. de Lapſis.

Idem l. de Opere & Eleemoſynis.

S. Aug. Ep. 51. alias 113.

S. Bern. Ep. 103.

19. *Ideo dico vobis, Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* Qui enim propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet & unde veſtiatur, ſimul ſe putat & Deo ſervire, quia Evangelium prædicat; & Mammonæ, quia propter iſta neceſſaria prædicat: quod Dominus dicit fieri non poſſe. Ac per hoc, *Ille qui propter iſta Evangelium prædicat, non Deo, ſed Mammonæ ſervire convincitur; etſi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipſe neſcit, utatur. Nam huic ſententiæ ſubjungit*; Ideo dico vobis ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini: *Non ut iſta non procurent, quantum neceſſitati ſatis eſt, unde honeſte potuerint, ſed ut non iſta intueantur, & propter iſta faciant quicquid in Evangelii prædicatione facere jubentur.*

S. Aug. l. de opere Monachorum c. 26.

Nolite ſolliciti eſſe. „ Quis ſic invidus bonis ſuis, quis
„ ſic deliciis ſuis inimicus, ut ſpontanea & cælitus præ-
„ parata deſpiciat, & concupiſcat mundanis laboribus &
„ doloribus conquiſita? Degener nimis animus, mens to-
„ ta ſervilis eſt, quæ coquorum affatus, ſqualores coqui-
„ næ, heſterno horvore fœtentia perquirat obſonia, cui
„ jugiter regius deſervit atque adjacet apparatus. Noli
„ ergo, homo, inania providendo gemere, noli laborare
„ caduca præparando, quia prandii tui ſemper & ubique
„ Deus præparator adſiſtit. Quis Rex devotis militibus
„ debitam non procurat annonam? Quis Dominus fideli-
„ bus ſervis juſta cibaria non miniſtrat? Quis pater non
„ dat panem filiis? Si ergo nobis Deus & Rex & Domi-
„ nus & Pater eſt, quid negabit? Stipendiis ſuis militans
„ derogat miles Regi; ſuis ſumptibus vivens Dominum
„ ſervus accuſat: pro ſe ſollicitus filius culpat ſuperſti-
„ tem Patrem: Noli ergo homo exponere Deum pro
„ te, taliter cogitando, qui & juſtitia regnantis, &
„ nominantis ſtudio, & generantis affectu, in ſe totam
„ tui recepit ſollicitudinem, refudit & curam. "

S. Petrus Chry. ſer. 113. de terrenorum cura deſpicienda.

S. Ambr. l. 7. in Lucam n. 24.

20. *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæle-*

cæleſtis paſcit illa. „ Magnum ſane & aptum quod fide „ ſequamur exemplum. Nam ſi volatilibus cæli, qui„ bus nullum exercitium cultionis, nullus de meſſium fœ„ cunditate proventus eſt, indeficientem tamen providen„ tia divina largitur alimoniam, *Verum eſt cauſam inopiæ „ noſtræ avaritiam videri*. Etenim illis idcirco inelabo„ rati pabuli uſus exuberat, quod fructus ſibi communem „ ad eſcam datos ſpeciali quodam neſciunt vindicare do„ minatu: Nos communia amiſimus, dum propria vindi„ camus; nam nec proprium quidquam eſt, ubi perpe„ tuum nihil eſt, nec certa copia, ubi incertus even„ tus. Cur enim divitias tuas æſtimes, cum tibi Deus „ etiam victum cum ceteris animantibus voluerit eſſe „ communem? Aves cæli ſpeciale ſibi nihil vindicant, „ & ideo pabulis indigere neſciunt; quia non norunt aliis „ invidere. "

S. Auguſt. l. de opere Monachor. cap. 27. *Reſpicite volatilia cæli*, &c. „ Id a Chriſto dictum, „ ne quiſquam Deum putet ſervorum ſuorum neceſſaria „ non curare, cum ejus ſapientiſſima providentia uſque „ ad iſta creanda & gubernanda perveniat. Neque enim „ non ipſe paſcit & veſtit etiam eos qui manibus ope„ rantur. Sed ne Chriſtianam Militiam ad hoc detor„ queant ut iſta conquirant, hos ſervos ſuos Dominus „ præmonet, ut in eo miniſterio quod Sacramento ejus „ debetur, non iſta, ſed Regnum Dei & juſtitiam ejus „ cogitemus: & hæc omnia apponentur nobis, ſive per „ manus operantibus, ſive infirmitate corporis impedi„ tis, ſive ipſius militiæ tali occupatione diſtrictis, ut „ nihil aliud agere valeamus. Laborandum igitur eſt, 3. *Theſſ.* „ *Quoniam ſi quis non vult operari, non manducet*. 3. 10. „ Quamobrem ſi quis Dei ſervis vacantibus & valenti„ bus exemplo & præcepto Apoſtolico manibus ſuis vi„ ctum tranſigere, moverit quæſtionem de volatilibus cæ„ li, quæ non ſeminant neque metunt, & de liliis a„ gri, quæ non laborant neque nent, facile reſponde„ bunt: Si & nos per aliquam infirmitatem vel occupa„ tionem non poſſimus operari, ſic ille nos paſcet & ve„ ſtiet, quemadmodum aves & lilia, quæ nihil operan„ tur hujuſcemodi: Cum autem poſſimus, non debemus „ tentare Deum noſtrum; quia & hoc quod poſſumus, „ ejus munere poſſumus, & cum hinc vivimus, illo lar„ giente vivimus qui largitus eſt ut poſſimus. Et ideo „ de iſtis neceſſariis ſolliciti non ſumus; quia cum hæc „ poſſumus agere, ille nos paſcit & veſtit, a quo pa„ ſcuntur homines & veſtiuntur: Cum vero hæc non poſ„ ſumus agere, idem ipſe nos paſcit & veſtit, a quo „ aves paſcuntur & lilia veſtiuntur; quoniam nos pluris „ ſumus illis. Quapropter in iſta militia noſtra, nec in „ craſtinum cogitamus; quia non propter iſta tempora„ lia, quo pertinet craſtinus, ſed propter illa ſempiter„ na, ubi ſemper hodiernus eſt, nos illi probavimus, ut „ ei nullis negotiis ſæcularibus implicati placeamus. "

S. Petr. Chryſ. ſer. 163. *Reſpicite volatilia cæli*, &c. „ Exemplo tali exagge„ rat Dominus dubitantis inſaniam; qui putat Deum hoc „ piis filiis denegaturum, quod avibus ſubminiſtrat: & „ exiſtimat relinquentibus propter ſe patriam, domum, „ parentes, filios, conjuges, victus ſubſidia non datu„ rum. O miſerum cui cum detur Regnum, ſuſpirat pa„ nem; cum perpetuitate donetur, deflet potum; cum „ immortalitatis gloria induatur, plangit corporis veſti„ mentum! *Quis autem veſtrum cogitando poteſt adjicere „ ad ſtaturam ſuam cubitum unum*? Humanarum men„ tium cogitationes intimus ſcrutator exponit. Nam om„ nis homo dum ſui corporis pulchritudinem concupi„ ſcit, procerum ſe eſſe exoptat: Sed cogitare per „ ſe homo hoc poteſt, hoc per ſe obtinere non poteſt. „ Ad id credendo pervenit, ad quod pervenire non po„ teſt cogitando. *Si ergo neque quod minimum eſt pote„ ſtis*, *de ceteris quid ſolliciti eſtis*? Hoc eſt, quid co„ gitatione homo majora præſumis, qui per fidem mi„ nora deſperas? Quid majus corporis incremento? Cre„ do ergo tibi a Deo veſtitum corporis poſſe præſtari, „ a quo tibi fides corporis incrementa repromittit. "

Luc. 12. 26.

S. Ambr. l. 7. in Luc. num. 125. 21. *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate li„ lia agri*, &c. Quid tam morale ad perſuaſionem, quam cum videas quod etiam quæ ſunt irrationabilia, ſic Dei proſpicientia veſtiuntur; ut nullo uſu vel ad gratiam ege„ ant vel ornatum? „ Multo magis credas rationabilem „ hominem, ſi omnem ſui uſum in Deo collocet, nec „ ſtudio mutandi violet fidem, numquam egere poſſe: „ eo quod jure præſumſerit de favore divino . . . . . „ Chriſtianus de vita, de Regno, de immortalitate cer„ tus, de paſtus & veſtitus non debet neceſſitate pulſa„ ri; cum videat Deum hodie nato & perituro in cra„ ſtinum germini tantam veſtitus gloriam contuliſſe: *Sed „ ſicut ariditate iſta, ſicut clibani deputantur incendio, „ ita mortis, ita gehennæ ignibus deſtinantur, qui præ„ ſentia ſibi a Deo præſtari dubitant, cum futura ſibi „ jam ſentiant contributa* .... Per hæc vero non modo „ docet nequaquam nos debere eſſe ſollicitos, ſed nec „ obſtupeſcere & admirari veſtimentorum luxum & ſum„ ptum, quandoquidem pulchritudo florum & decor va„ rius herbarum ipſumque fœnum amictu tali invenitur „ pretioſius. Cur igitur ex his in ſuperbiam mentis „ erigeris, in quibus perfacile de te obtinet etiam „ herba victoriam? "

S. Petr. Chryſ.

S. Joan. Chry. Hom. 3. in Matth.

22. *Quærite ergo primum Regnum Dei & juſtitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis*. „ His verbis *S. Ambr. l. 7. in Luc. n. 130. Pſ. 54.* „ Chriſtus nec ad præſens, nec in reliquum fidelibus „ oſtendit gratiam defuturam: ſi modo qui divina deſi„ derant terrena non quærant. " *Indecorum quippe eſt „ homines curare de cibo, qui militant de Regno. Novit „ Rex quemadmodum familiam ſuam paſcat, alat, veſtiat*: & ideo dixit: *Jacta cogitatum tuum in Deum, & ipſe „ te enutriet*. Et, *Timete Dominum omnes ſancti ejus: quo„ niam non eſt inopia timentibus eum. Divites eguerunt & „ eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur „ omni bono*. „ Multi propterea nolunt timere Dominum, *Pſal. 33. 10. 11.* „ ne famem patiantur. Dicitur illis, Nolite fraudem fa- *S. Auguſt. Enar. 2. in* „ cere. Et dicunt, Unde me paſco? Non poteſt ars ſine *hunc Pſ.* „ impoſtura eſſe, non poteſt negotium eſſe ſine fraude. „ Sed fraudem punit Deus. Time Deum. Sed ſi timue„ ro Deum, non habebo unde vivam. *Timete Dominum „ omnes ſancti ejus, quoniam nihil deeſt timentibus eum*. „ Copiam promittit trepido, & dubitanti, ne ſi forte ti„ muerit Dominum, deſerant illum ſuperflua. *Paſcebat „ Dominus contemnentem ſe, & deſeret te timentem ſe?* „ Attende, & noli dicere: Ille dives eſt, & ego pau„ per ſum: Ego timeo Dominum, ille non timendo quan„ tum acquiſivit, & ego timendo nudus ſum. Videte quid ſe„ quitur; *Divites eguerunt & eſurierunt, inquirentes „ autem Dominum non minuentur omni bono*. Si ad lit„ teram accipias, videtur te fallere. Reſpicis enim mul„ tos divites iniquos mori in divitiis ſuis, non factos fuiſ„ ſe pauperes, cum vivunt; vides illos ſeneſcere, perdu„ ci ad ultimum vitæ inter magnas copias divitiarum, „ celebrari eis pompam funeris in magnis effuſionibus, „ perduci uſque ad ſepulchrum divitem, qui & expiravit „ in lectis eburneis, circumſtente familia ſuorum; & „ dicis in animo tuo, ſi forte noſti aliqua peccata & „ ſcelera ipſius: Ego novi quanta fecerit iſte homo, ec„ ce ſenuit, mortuus eſt in lecto ſuo: deducunt illum ſui, „ pompa tanti funeris celebratur: ego novi quæ fecerit, „ decepit me Scriptura & feſellit, ubi audio & canto, „ *Divites eguerunt & eſurierunt*. Quando iſte inops fuit, „ quando eſurivit? *Inquirentes autem Dominum non mi„ nuentur omni bono*. Quotidie ad Baſilicam ſurgo, quo„ tidie genu flecto, quotidie inquiro Dominum, & nihil „ boni habeo: iſte non inquiſivit Dominum, & inter tan„ ta defunctus eſt. Sic cogitantem ſuffocat laqueus ſcan„ dali. Eſcam enim mortalem quærit in terra, & ve„ ram mercedem non quærit in cælo, & mittit caput in „ laqueum diaboli, conſtringuntur ei fauces, & tenet „ diabolus ad malefaciendum, ut ſic imitetur illum divi„ tem, quem videt in tanta copia defunctum. Noli ergo „ ſic intelligere. Et quomodo intelligam? " *In bonis „ ſpiritualibus. Sed ubi ſunt? Non videntur oculis, ſed „ corde. Non video ipſa bona. Videt illa qui amat. Juſti„ tiam non video, Non enim aurum eſt, non enim argen„ tum eſt. Si aurum eſſet, videres: quia fides eſt, non vi„ des. Et ſi non vides fidem, quare amas ſervum fidelem? „ Quare gaudes ad eum qui fidem tibi exhibet; & laudas „ eum de his bonis quæ non videntur niſi oculo cordis? Cum „ repletus fueris ſpiritualibus divitiis, pauper eris? Et ille „ dives ideo fuit, quia habebat lectum eburneum; & tu „ pauper es, cujus cubiculum cordis plenum eſt tantis gem„ mis virtutum, juſtitiæ, veritatis, charitatis, fidei, pa„ tientiæ & tolerantiæ? Explica divitias tuas, ſi habes il„ las, & compara divitiis divitum*. „ At ille in mercatu „ invenit mulas pretioſas, & emit eas? *Si fidem inveni„ res venalem, quantum pro illa dares, quam te voluit „ Deus gratis habere, & ingratus es*? Egent ergo illi „ divites, egent: & quod eſt gravius, pane egent. Ne „ forte putetis quia auro egent & argento, quamquam & „ hoc egeant. Quantum habuit quidam, & quid eum ſa„ tiavit. Sic mortuus eſt egens; quia plura volebat ac„ quirere quam tenebat. Egent & pane. Quare egent & „ pane? Si non intelligis panem, Chriſtus dixit, *Ego „ ſum panis vivus qui de cælo deſcendi*: &, *Beati qui „ eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabun„ tur*. "

S. Auguſt. l. 2. de ſer. Dom. in Monte cap. 11. *Quærite ergo primum Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. „ Ex Scripturis ſatis „ apparet Dominum noſtrum non hæc improbare, ſi quis „ humano more iſta procuret: Sed ſi quis propter iſta „ Deo militet, ut in operibus ſuis non Regnum Dei, „ ſed iſtorum acquiſitionem intueatur. Ad hanc ergo re„ gulam hoc totum præceptum redigitur; ut etiam in „ iſtorum proviſione Regnum Dei cogitemus, in Militia „ vero Regni Dei iſta non cogitemus. Ita enim etiamſi „ aliquando defuerint, quod plerumque propter exerci„ tationem noſtram Deus ſinit, non ſolum non debili„ tant propoſitum noſtrum, ſed etiam examinatum pro„ batumque confirmant. Gloriamur, enim, *inquit*, in *Rom. 3. 5.* „ tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam ope„ ratur, patientia autem probationem, probatio vero „ ſpem, ſpes autem non confundit; quia charitas Dei „ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, „ qui

2. *Cor.* 26. „ qui datus est nobis. In commemoratione autem tri-
„ bulationum ac laborum suorum idem Apostolus non tan-
„ tum in carceribus & naufragiis, atque hujusmodi mul-
„ tis molestiis, sed etiam in fame & siti, in frigore &
„ nuditate se laborasse commemorat. Quod cum legimus;
„ non æstimemus Domini promissa titubasse, ut famem
„ ac sitim & nuditatem pateretur Apostolus, quærens Re-
„ gnum ac justitiam Dei, cum dictum sit nobis: *Quæri-*
„ *te primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc om-*
„ *nia apponentur vobis*: Quandoquidem ista sicut adjuto-
„ ria novit ille Medicus, cui semel nos totos commisi-
„ mus, & a quo habemus promissionem vitæ præsentis
„ & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut
„ nobis judicat expedire, quos & consolandos & exer-
„ cendos in hac vita, & post hanc vitam in perpetua
„ requie stabiliendos atque firmandos gubernat, ac diri-
„ git. Non enim & homo cum plerumque jumento suo
„ cibaria detrahit, deserit illud cura sua, ac non po-
„ tius curando hæc facit. "

S. Cypr. Tract. de Orat. Dominica.

23. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum*, &c. Qui Christi cæpit esse discipulus, secundum Magistri sui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere. *Merito ergo vitium sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi fit & repugnans, ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus Regnum Dei velociter advenire.* In hujus rei figuram Manna quo Deus populum suum annos quadraginta cibavit in deserto, in diem crastinum servari prohibuit: *Nullus relinquat ex eo in mane*, servatumque ab aliquibus in crastinum, *scatere cæpit vermibus, atque computruit.* Quod quidem non Mannæ vitio accidisse, fidem facit Sabbatum in quo integrum servabatur, quod pridie collectum esset: illud item quod multis sæculis in Arca conversatum est incorruptum. Sed *Deus docere volens eos vitæ rationem a curis liberam, pollicitus est illis suppeditaturum se singulis diebus escam necessariam.*

Exod. 16. 19. 20. *Theodoret. Interrog.* 13. *in Exodum.*

CAPUT VII.

Sensus Litteralis.

S. Jo: Chry. Hom. 23. *in Matth.*

1. NOLITE *judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Non quodlibet judicium hic prohibet Christus, publica enim judicia & legitima necessaria & sancta sunt: privato etiam judicio peccata manifesta vituperare, corripere, quin etiam castigare licet iis qui potestatem habent aliquam in eos qui peccant. Judicium ergo malignum & temerarium dumtaxat Dominus vetat, quo proximum temere damnamus, dicta vel facta illius sinistre interpretati. *Non prohibuit judicare, sed docuit*, Ut Joannis 7. 24. *Nolite judicare secundum faciem, sed rectum judicium judicate.* Prohibuit judicium de occultis consiliis, cogitationibus & intentionibus usurpare, quod Dei proprium est. Unde Apostolus ait: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit unicuique a Deo.* Ne igitur temere de proximo judicetis, ne maligni rerum vel personarum censores: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Non solum ab hominibus, quos tam rigidos, tam malignos experiemini morum vestrorum censores, quam ipsi fueritis alienorum: sed, quod multo terribilius est, a Deo supremo omnium & æquissimo judice. *Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Proverbialis locutio, usu trita apud Hebræos. *Mensura pro mensura. Par pari.* Utque Jacobus Apostolus ait: *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

S. Hieron. in cap. 7. *Matth.*

1. Cor. 4. 5. *S. Basilius in Regulis Brev. Reg.* 164.

Jacobi 2. 13.

2. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Festuca, vel minima est ligni particula, quales nonnumquam incurrunt in digitos, aut in oculos involant, vel stipula. Per festucam minora levioraque peccata, sive simpliciter, sive aliorum comparatione: per trabem graviora significantur. Proverbio rursus apud Judæos frequentato Moralis Evangelicæ regulam observandam Christus explicat. Cur tam perspicax, tam curiosus es alienorum vitiorum explorator, tam severus censor & in tuis observandis tam cæcus, emendandis tam negligens, tam mollis, tam indulgens? Qua fronte dicis, Permitte a me sanari vitium tuum; aut illum reprehendere, objurgare, aut damnare audes, cum tu gravioribus vitiis labores? Hypocrita, qui aliena reprehensione vitii odium simulas, & opinionem sanctitatis venaris; qui alienam personam assumis, cum accusare vitia officium sit bonorum virorum & benevolorum, tu vero bonitatis & charitatis erga proximum expers, illius contemptum & damnationem, non emendationem & curationem intendas: corrige primum & emenda vitia tua longe graviora, superbiam, odium, invidiam, hypocrisim ipsam; & tunc idoneus eris qui aliorum peccata sanis oculis dispiciens, corripias, & emendes. Videbis scilicet infirmitates & peccata fratrum *oculis columbæ*. Tunc alterius infirmitatem habebis quasi tuam, ut eam æquanimiter feras, donec ab ea liberetur ille cujus curas salutem. *De his* itaque ibi loquitur Christus, *qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt; culicem liquantes, & camelum glutientes*: Perstringitque *multum cavendum & molestum simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusationes odio & livore suscipiant, etiam consultores videri volunt.*

S. Hieron. *S. August.*

S. Jo: Chrys. Hom. 23. *in Matth.*

S. Aug. l. 2. *de serm. Dom. in Monte cap.* 19.

3. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Postquam temerarium inclemensque judicium Christus prohibuit, nequis hinc suspicaretur omnem, etiam de rebus manifestissimis judicandi libertatem tolli, subjungit præceptum ad eam prudentiam pertinens, quam alibi vult cum simplicitate conjunctam. Doctrinam Evangelii, & sacrosancta Mysteria atque Sacramenta, profanis hominibus canum sujumque, immundissimorum animalium, symbolo designatis ne tradite, ne divina illa & præ gemmis pretiosissimis æstimanda mysteria & dogmata contemnant & conculcent; vosque ipsos morsibus suis dilacerent, irrideant, verbis fœtisque persequantur. Porcus non recipit ornatum, qui versatur in volutabro luti: & si habuerit circulum aureum, fœdior invenitur. Non absurde canes interpretetur, qui post fidem Christi revertuntur ad vomitum peccatorum suorum, porcos vero, qui nec dum Evangelio crediderunt, & in luto incredulitatis, vitiisque versantur. Non convenit igitur istiusmodi hominibus cito Evangelicam margaritam credere, donec ad verbum veritatis debita cum veneratione audiendum parati fuerint, & e cœno fœdarum voluptatum voluerint emergere. Hinc Christus pœnitentiæ prædicationem prædicationi cælestis Regni voluit antecedere. Et cum Apostolos ad docendum mitteret, explorare eos jussit quis dignus esset. *In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.* Et cum Antiochiæ Judæi repleti zelo contradicerent his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes: tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Vel secundum S. Joannem Chrysostomum canes hic significat homines in impietate viventes immedicabili; spemque omnino conversionis in melius non habentes: porcos vero in luto infrenis luxuriæ jugiter se volutantes: quos sane omnes cælesti doctrina pronuntiavit indignos.

Prov. 11. *2. Petri* 2. *S. Hieron. in cap.* 7. *Matth.* *Matth.* 10. 11. *Act.* 13. 16. *S. Jo. Chry. Hom.* 23. *in Matth.*

S. Jo. Chrys. ibid.

4. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur:* Ad orationem hortatur, qua impetretur Dei auxilium ad observationem eorum, quæ hactenus docuit, omnino necessarium. Petite quicquid vobis opus est, quidquid saluti vestræ expedit; & quidquid recte petieritis, dabitur vobis. *Quærite*, non obiter & perfunctorie Deum orantes, sed cum sedulitate multa, & magna intentione. Qui enim quærit aliquid, cuncta profecto alia mente projiciens, unum intendit illud quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omnino considerat. *Pulsate*, cum ardore vehementi, constantia, & perseverantia orantes. Etsi enim Deus non continuo aperuit, ad januam tamen Misericordiæ ejus stare ac permanere oportet, exemplo hominis illius qui perseverat pulsans ad amici januam, tres panes ab illo sibi postulans commodari, quos tandem importunis precibus obtinet. *In his quæ ignorabimus*, (inquit Sanctus Hilarius) *via nobis consequendæ veritatis aperitur, quam obtinere in sola precum mora est. Ut igitur sentiamus credamusque omnia, & nullo ambiguæ voluntatis differamur incerto; orandum est, quærendum est, pulsandum est: Oratione misericordiam, inquisitione profectum, tentamento aditum reperturi.* Omnis enim, sive nobilis, sive plebeius, sive dives, sive pauper, sive doctus, sive illiteratus, *qui petit* plena fiducia, *qui quærit* magna diligentia, *qui pulsat* constanti perseverantia, *accipit* quod ipsi utile est ad salutem si non statim, opportuniore certe tempore. Nam *Apud Deum non est acceptio personarum.* Et, *Quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audis nos.*

Luc. 11. *S. Hilar. c.* 6. *in Matth.*

Coloss. 3. 25. 1. *Jo.* 5.

5. *Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* Adagium hoc ab Hebræis ad alias etiam Gentes transiit, ut ex Plauto apparet: *Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.* Quo spectat & illud Senecæ libro 2. *De Beneficiis*, cap. 7. *Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum panem lapidosum*

ſum vocabat. Clara ſententia eſt: Nemo homo filio ſuo utilia petenti, dabit noxia. *Si ergo vos, cum ſitis mali*, Deo ſcilicet comparati, & naturæ corruptæ propenſione, *noſtis bona data*, res bonas & utiles *dare filiis veſtris*. *Quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona*, ſpiritualia, *petentibus ſe?* Confer Luc. 11. *Quanto magis Pater veſter de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Et Jacobi 1. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Et verſu 17. *Omne datum optimum, omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*. „ Quantum ergo ſperandum eſt datu-
S. Aug. l. 2. de ſer. Dom. in Monte c. 21. „ rum Deum nobis bona petentibus, nec nos poſſe deci-
„ pi, ut accipiamus aliud pro alio, cum ab ipſo peti-
„ mus; quando etiam nos, cum ſimus mali, novimus id
„ dare quod petimur? Non enim decipimus filios no-
„ ſtros; & *qualiacumque bona damus, non de noſtro*,
„ *ſed de ipſius damus*. “

Idem cap. 22. 6. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ*. Hanc ſententiam ſubjungit S. Lucas illi quæ apud Matthæum cap. 5. verſ. 42. legitur, *Qui petit a te, da ei*, & reliquis de dilectione proximi, cum quibus optime cohæret. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, Bona ſcilicet. Quæ vox *bona*, olim explicationis gratia ad marginem addita, in quoſdam codices Latinos irrepſerat. Sed plena eſt & perfecta ſententia, etiamſi hoc verbum non addatur. Id enim quod dictum eſt, *Quæcumque vultis*; proprie dictum accipi oportet. Voluntas namque non eſt niſi in bonis: Nam in malis flagitioſiſque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas. „ Unde ſi quiſquam flagitioſe aliquid erga
„ ſe fieri velit, & ad hoc referat iſtam ſententiam, ve-
„ luti ſi velit aliquis provocari ut immoderate bibat, &
„ ſe ingurgitet poculis, & hoc illi prior faciat a quo
„ ſibi fieri cupit, ridiculum eſt hunc putare iſtam imple-
„ viſſe ſententiam. “

Rom. 13. 8. 9. 10. *Hæc eſt enim Lex & Prophetæ*: Id eſt, hinc pendet Lex & Prophetæ. Quod & Apoſtolus confirmat his verbis: „ Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem dili-
„ gatis: Qui enim diligit proximum, Legem implevit.
„ Nam, Non adulterabis; Non occides, Non furaberis:
„ Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi
„ quod eſt aliud Mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Di-
„ liges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximi
„ malum non operatur. Plenitudo ergo Legis eſt dilectio.
Galat. 5. 14. „ *Et alibi*: Omnis enim Lex in uno ſermone impletur:
„ Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. “ Quod autem hic & apud Paulum dicitur in hoc uno præcepto Legis & Prophetarum ſumma conſiſtere, intelligendum eſt de Lege & monitis mutua hominum inter ſe officia ſpectantibus. Nam quæ ad Dei cultum pertinent, altero præcepto de dilectione Dei comprehenduntur. Confer cum Matthæi cap. 22. verſ. 40. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & *Prophetæ*. Cum enim hoc in capite unum tantum præceptum, quod pertinet ad dilectionem proximi, recenſens, non addiderit hanc vocem, *univerſa*, ſervavit locum alteri præcepto, quod ad dilectio-
S. Auguſt. lib. 76. nem Dei pertinet, ut obſervat S. Auguſtinus. Præcipit ergo Chriſtus ut quicquid officiorum homo exhibet alteri, hac intentione exhibeat, qua ſibi exhiberi vult, id eſt, ut non ab eo aliquid commodi temporalis expectet. Ita erit cor ſimplex & mundum, in quo quæritur Deus.

S. Hier. l. 2. adv. Pelag. 7. *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt qui inveniunt eam*. Ne quis cauſaretur ardua eſſe & difficilia, quæ Chriſtus præceperat, docet revera difficilem eſſe viam ad beatitudinem. *Intrate*, id eſt, *intrare contendite per anguſtam portam*. Via & porta hic vitæ inſtitutum ſignificat. Via pietatis & virtutis, ſeu ratio vivendi ſecundum Evangelium, quæ ducit ad vitam æternam, anguſta & arcta eſt; tum quia Divinæ & Evangelicæ Legis finibus eſt circumſcripta, ita ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram vagari ſinat hominem, ut ulli cupiditati ſerviat, quem uni ſervire jubet charitati: tum quia inceſſu difficilis eſt ob naturæ corruptæ propenſionem in bona temporalia quæ ſenſus demulcent, quorum licentiam refrænare difficile eſt hominibus ſæculo addictis; quamvis recte agendi conſuetudo, auxilium Spiritus ſancti, & ſpes æterni præmii, magna ſint ad omnes difficultates vincendas adjumenta: tum quia unica omnino eſt, & ne latum quidem unguem ab ea deflectere licet. Hanc viam pauci inveniunt, ſive aſſequuntur, quia de rerum finibus, viiſque ad finem, non recte judicant, neque ut recte judicare poſſint operam ponunt, recte judicandi vi per pravos affectus & effrænes cupiditates depravata. Non dicit Chri-
ſtus, *Pauci qui gradiuntur per eam*: (*hoc enim difficillimum eſt*:) *ſed qui inveniunt eam*. *Pauci enim inveniunt*, & *multo pauciores ingrediuntur per eam*. Contra vero *lata porta*, & *ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem*. Vitia enim late patent, & quibuſvis affectibus famulantur. *Et multi ſunt qui intrant per eam*, adeoque in æternam damnationem tendunt. Major enim hominum pars pravis cupiditatibus abſtracta & illecta, ſæculique moribus, pompis, & pravis exemplis abrepta, dæmoniſque tentationibus concuſſa, eam ingreditur. *S. Hieron in cap. 7. Matth.*
„ Lata via eſt ſæculi voluptas, quam appetunt homines:
„ Anguſta, quæ per labores & jejunia panditur. Per la-
„ tam multi ambulant: anguſtam pauci inveniunt. Latam
„ non quærimus, nec inventione opus eſt; ſponte ſe of-
„ fert, & errantium via eſt: Anguſtam vero nec om-
„ nes inveniunt; nec qui invenerint, ſtatim ingredi-
„ untur per eam: ſiquidem multi inventa veritatis via, ca-
„ pti ſæculi voluptatibus, de medio itinere reverturtur. “

8. *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Cavete nobis a falſis Doctoribus. Hebræi enim Prophetæ dicebantur non tantum præſagi futurorum, ſed & alii qui Scripturas interpretabantur: pſeudoprophetæ vero, qui ad populum docendum procedebant, quaſi mandatis cælitus datis inſtructi, cum tamen a Deo miſſi non eſſent, nec veram ſalutaremque doctrinam, ſed falſam & exitialem traderent. Tales erant Simon Magus & Bar-Jeſu, quem S. Lucas *Pſeudoprophetam* vocat, *Act.* 13. 6. Hi ſunt præcipue Hæretici, qui promittunt ſapientiam cognitionemque veritatis, quam non habent, & ſe plerumque paucitate commendant; tum omnes erroris Magiſtri, qui doctrinam venenatam, in materia etiam morum, populis propinant, ſeu palam, ſeu privatim: vel qui, ut novam exitialemque doctrinam tradant, arctæ viæ ſe duces profitentur, & Moralem ſeveriorem, veteremque diſciplinam buccis inflatis concrepant, ut in præcipuis evertant capitibus Moralem ſaniorem, frequentem Sacramentorum uſum, indulgentias, pias confraternitates, &c. *Qui aliud habitu ac ſermone promittunt, aliud opere demonſtrant*. Hi veniunt ad vos *in veſtimentis ovium*, ovinam fraudiſque neſciam ſimplicitatem, manſuetudinem, innocentiam, vultu, habitu, verbiſque mentiti: Qui continentiæ, caſtitatis jejunii ſpecie, quaſi quadam pietatis veſte circumdati, ſimpliciorum corda decipiunt. De his Apoſtolus ſcribit: „ Hujuſmodi Chriſto Domino noſtro non ſervi-
„ unt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & bene-
„ dictiones ſeducunt corda innocentium. *Et alibi*: Sunt
„ operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chri-
„ ſti. Et non mirum: Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe
„ in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi Miniſtri
„ ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum
„ finis erit ſecundum opera ipſorum. *Hi* quæ ſua ſunt
„ quærunt, non quæ Jeſu Chriſti ..... Qui univerſas
„ domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis
„ lucri gratia ..... Habentes ſpeciem quidem pietatis,
„ virtutem autem ejus abnegantes. Ex his ſunt qui pe-
„ netrant domos, & captivas ducunt mulierculas onera-
„ tas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis. Quem-
„ admodum autem Janes & Mambres reſtiterunt Moyſi:
„ ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente,
„ reprobi circa fidem. *Ab his cavete*, intrinſecus *enim*
„ *ſunt* lupi rapaces. *Venenatum habent animum*, lo-
„ quuntur perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe: non
„ parcunt *denique gregi*. “

A fructibus eorum cognoſcetis eos; id eſt ex operibus, non qualia fieri ſolent & ab hypocritis, nempe jejunia, orationes, eleemoſynæ. Hæc ſiquidem ad veſtitum ovium ſæpe pertinent: ſed qualia commemorat Apoſtolus *ad Galatas* v. 19. ex operibus ſcilicet carnis, quæ ibidem opponit fructibus Spiritus Sancti. Quamvis enim pietatem ſimulent, cito tamen cognoſcentur progreſſu temporis, aut attentione diligenti. Nemo enim diu fictos mores præ ſe ferre poteſt, alienamque perſonam gerere. Tales igitur ſe demum oſtendent, quales revera ſunt, faſtuoſos, odii & invidentiæ plenos, turpis lucri cupidos, luxuriæ deditos. „ Apparebunt converſi in vaniloquium,
„ non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de qui-
„ bus affirmant: Superbi, languentes circa quæſtiones &
„ pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, blaſphe-
„ miæ &c. Mente corrupti, veritate privati, exiſtiman-
„ tes quæſtum eſſe pietatem ... Voluptatem exiſtiman-
„ tes diei delicias; in conviviis luxuriantes, cor exer-
„ citatum avaritia habentes. Hi ſunt fontes ſine aqua, &
„ nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebra-
„ rum reſervatur. Superba enim vanitatis loquentes, pel-
„ liciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum
„ effugiunt, qui in errore converſantur: libertatem illis
„ promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis .....
„ Hi carnem maculant, dominationem ſpernunt, maje-
„ ſtatem blaſphemant ..... Hi ſunt in epulis ſuis ma-
„ culæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes,
„ nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur, ar-
„ bores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradica-
„ tæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones,
„ ſydera errantia ..... Hi ſunt murmuratores
„ queruloſi ſecundum deſideria ſua ambulantes: & os eo-
„ rum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cau-
„ ſa ... Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales,
„ Spiritum non habentes. “ Hi characteres, hi fructus,

Act. 20. 29. 30. S. Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte. *S. Aug. l. 2. de ſerm. Dom. in Monte c. 24. S. S. Hieron. in cap. 7. Matth.* *Rom. 16. 18. 2. Cor. 11. 13. 14. 15.* *Philipp. 2. 2. 21. Ad Tit. 1. 11. Tim. 2. 3. 5. 6.* *1. Tim. 1. 6. 7.* *Ibid. c. 6. 4. 5.* *2. Pet. 2.* *Judas Apoſtolus in Epiſtola cathol.*

ex

ex quibus pſeudoprophæta & pſeudomagiſtri facile cognoſcuntur.

9. *Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: Mala autem arbor malos fructus facit.* Numquid fieri poteſt ut de ſpinis uvæ, aut de tribulis ficus colligantur? Nullatenus. Sic omnis arbor bona, quatenus bona eſt, fructus bonos facit: Mala autem arbor quatenus talis, malos fructus: Arbor bona, voluntas bona: Arbor mala, voluntas mala. Ex bona & recta voluntate, opera mala non prodeunt; neque ex mala voluntate opera bona. Cum igitur Pſeudoprophetæ & Pſeudomagiſtri animum corruptum habeant, malamque voluntatem, mala ut plurimum opera faciunt. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Sic animus corruptus, & mala voluntas, ſi talis maneat, bona opera facere non poteſt; nec bona voluntas opera mala. Ceterum gratia Dei malam voluntatem mutare poteſt, ut bonorum operum fructus proferat. *Numquam diſcordabunt ſententiæ ſanctæ. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, ſi non inſeratur; & bona malos dabit, ſi non colatur; & lapides filii Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur; & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis exſpuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem; quæ cum ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur.* Chriſtus igitur non dixit, impoſſibile eſſe malum ad meliora converti, nec bonum negat in deterius poſſe tranſire, ſed quia quamdiu malitiæ affixus eſt, bonum utique fructum non poſſit afferre. *Nam tranſire quidem ad virtutem, etiam cum malus ſit, poteſt: ſed numquam bonum affert fructum, quamdiu in malitia perſeverat.* Hoc ſenſu loquebatur & Paulus: *Sapientia*, inquit, *carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt.* Et, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Et Sanctus Joannes: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Non poteſt arbor bona fructus malos facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Hac Domini ſententia fruſtra abuſi ſunt Manichæi, ut duo prima principia adſtruerent, unum bonum, quod omnium bonorum; alterum malum, quod malorum omnium cauſa eſſet, aut duas in homine contrarias Animas, quarum una ad bonum, ad malum altera inclinaret. Quos reſellens Sanctus Epiphanius: „ Quidnam (*inquit*) malam hanc arborem eſſe dicemus, e qua bonum oriri nequeat? Plane de hominum actionibus intretari debemus. Neque enim e ſtupro derivari bonitas poteſt: neque ex nequitiæ livore juſtitia; neque ex adulterio laus. Siquidem arbor illa peccati a bonitate proficiſci non poteſt. Exempli gratia, arbor illa bona, quæ malos fructus edere non poteſt, ſit benigna hoſpitum exceptio. Quicquid enim ab ea proficiſcatur, vis ejus ab improbitate non oritur. Similiter eleemoſyna, caſtimonia quæ propter Deum colitur, continentia propter Dominum, juſtitia legis gratia ſuſcepta. Quamobrem duæ illæ arbores de juſtitia & peccato intelligi commode poſſunt." Arborem bonam, voluntatem bonam, quæ bonos fructus, id eſt, bona opera parit; arborem malam, voluntatem malam, quæ malos fructus, id eſt, mala opera profert.... *Sanctus Auguſtinus* contra Manichæos & Pelagianos conſtanter interpretatur variis in locis, ex quibus aliqua delibabimus inferius in expoſitione ſenſus Moralis. Non ergo natura eſt arbor mala, ut Manichæi aſſerebant; non nuptiæ, ut contendebant Pelagiani.

10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Confirmat Sancti Joannis Baptiſtæ ſententiam ſupra cap. 3. verſ. 10. ut appareat Verbi convenientia cum voce. Confer cum *Danielis* 4. 11. Omnis homo voluntatis malæ, & qui bonorum operum fructus non facit, excidetur, a ſanctorum ſocietate ſegregabitur, & mittetur in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Igitur *a fructibus eorum cognoſcetis eos*; Ex operibus cognoſcetis corrupta mentem, conſequenter & dogmatum falſitatem, tamquam ex ſigno probabili, cum libenter homines moribus ſuis convenientia doceant, nec veritatem imitari diu poſſit ſimulatio. „ Ex abundantia *enim* cordis os loquitur. *Et*, „ bonus homo de bono theſauro profert bona; & malus „ homo de malo theſauro profert mala. *Unde Phariſæis, qui præter hominum morem, recte docebant, &* „ *male vivebant*, ait *Salvator*; Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor „ cognoſcitur. Progenies viperarum! Quomodo poteſtis „ bona loqui, cum ſitis mali?"

11. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt ipſe intrabit in Regnum cælorum.* Quamvis falſi Prophetæ & falſi Doctores plenis buccis nomen meum confiteantur, ſeque Dei ſervos eſſe verbis præ ſe ferant, ex hoc tamen judicium de illorum doctrinæ fideique integritate facere non poteſtis, quia *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum*; id eſt, vitam æternam conſequetur: Non enim in illud intrabunt, qui *Deum ſe noſſe confitentur, factis autem negat.* Sed qui ſervat Mandata Dei Patris mei, quæ hactenus expoſui, qui *Fidem* habet eam *quæ per charitatem operatur*: qui *ex operibus fidem* ſuam *oſtendit*; ita ut quam lingua loquitur, etiam moribus vita fateatur, *ipſe intrabit in Regnum cælorum.*

12. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem.* In illa die terribili extremi judicii, qua intrabunt in Regnum cælorum, quibus illud ab æterno divina prædeſtinatione paratum eſt, multi dicent mihi: Domine, Domine, nonne auctoritate tua ac virtute futura prædiximus, dæmonia ejecimus, aliaque miracula patravimus? Et tunc illis palam reſpondebo: *Quia numquam novi vos*, id eſt numquam pro meis habui, ne tunc quidem cum iſta miracula faceretis, numquam novi vos ſcientia approbationis. *Deus enim & ſcit iniquum, quia cognoſcendo judicat, & neſcit, quia facta ejus non approbat.* Sicut de veraci quolibet viro dicitur, quod falſitatem neſciat, quia tametſi, *fallaciam ſciat in examine, neſcit in amore: ut videlicet ipſe hanc non agat, quam actam ab aliis damnat.*

Diſcedite a me, ab æterni Regni gaudiis in perpetuum exules, diſcedite in ignem æternum, *qui operamini iniquitatem.* Ita verterunt 70. Pſal. 5. 6. S. Lucas habet, *operarii iniquitatis.* Confer cum 2. ad Tim. 2. 19. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.* Non dixit Chriſtus: Diſcedite a me, qui operati eſtis iniquitatem, ne videretur tollere pœnitentiam: ſed *qui operamini iniquitatem*, hoc eſt, *qui uſque in præſentem horam, cum judicii tempus advenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum.*

„ Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit „ ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit do„ mum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & ve„ nerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in „ domum illam, & non cecidit: fundata enim erat „ ſuper petram." Qui audit traditam a me doctrinam, & ſecundum illam vitam inſtituit, ſimilis eſt viro ſapienti, qui domum ſuam ædificavit ſuper fundamentum ſolidum & inconcuſſum. Eſt enim firma & ſolida vitæ ejus inſtituendæ ratio; ſuper Chriſtum ſcilicet, *lapidem vivum, a Deo electum & honorificatum, & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificantur, domus ſpiritualis.* Pluvia, flumina, venti, quibus varia tentationum & perſecutionum genera ſignificantur, in ſpiritalem illam fidei bonorumque operum conſtructionem irruerunt, & ſtetit inconcuſſa. Chriſto enim habitante per fidem in cordibus, & Spiritu Sancto interiorem hominem corroborante, electi ejus „ in charitate „ radicati & fundati *fidem inconcuſſam retinent* ſupe„ rædificati *ſcilicet* ſuper fundamentum Apoſtolorum & „ prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto „ Jeſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in „ templum ſanctum Domino: in quo & ipſi coædifi„ cantur in habitaculum Dei in Spiritu."

13. *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Et omnis qui ita audit doctrinam ſermoneſque meos ut etiam iis credat, ſeque diſcipulum meum profiteatur, & fidem operibus non probat, nec mandata mea conſtanter obſervat, ſimilis eſt viro ſtulto, qui domum ſuam ſuper arenam ædificavit, quæ cum fluxa ſit, & aquis inundantibus aut imbribus vehementibus facile eluatur, nullam domui ſtabilitatem dare poteſt. Sic illi qui ſuper ſolam fidem operibus deſtitutam, ſpiritalem domum quaſi ſuper arenam ædificant; hoc eſt, caduco infirmoque fundamento nituntur; quod nullam homini firmitatem præſtare poteſt adverſus tentationes & perſecutiones, maximeque adverſus horrendam illam extremi judicii tempeſtatem, de qua Pſal. 49. ſcriptum eſt: *Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* Domus namque ſuper arenam ædificata, pluvia deſuper ingruente, vel inundantibus fluminibus, aut ventis e latere flantibus impulſa cecidit, *& fuit ruina illius magna*, id eſt, integra, abſque ipe reſtitutionis. Æterna pariter erit illorum ruina, qui ſola fidei profeſſione, non perſeverante in mandatis Dei & bonis operibus famulatu ſe Chriſtianos eſſe teſtati fuerint. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Et, *qui perſpexerit in legem perfectam libertatis, & per-*

Tertull. de Anima, c. 21.

S. Jo: Chryſ. Hom. 23. in Matth.

Rom. 8. 7.

2. Cor. 13. 14.

S. Joan. 3. 9.

S. Epiph. Hæreſi 66. n. 51.

S. Aug. l. de Gratia Chriſti c. 18. & 19.

Lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 26.

Lib. 1. contra Julianum cap. 8. & 9. & l. 4. c. 3.

Matth. 10. 34. & 35.

Ibid. v. 33.

S. Greg. M. l. 11. Moral. cap. 7.

S. Hieron. in cap. 7. Matth.

1. Tit. 1. 6.

Galat. 5. 6.

Jac. 2. 18.

1. Petr. 2. 4. 5.

Eph. 3. 16. 27. & c. 2. 20. 21.

Rom. 2. 13.

& permanserit in ea, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis; hic beatus in facto ſuo erit.

14. *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba hæc,* Jac. 1. 25. *admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Doctrinæ ſublimitas ac novitas, cum ſanctitate & perſpicuitate conjuncta, moduſque docendi minime vulgaris, auditores in admirationem rapiebat. Docebat enim cum auctoritate, non quaſi ex alterius præſcripto, ſicut Moyſes & prophetæ loquebantur, *Hæc* S. Jo. Chryſ. *dicit Dominus*: ſed ut ſummus Legislator, ut Dominus, Hom. 26. & a nemine homine edoctus Magiſter: *Ego dico vobis.* in Matth. Non docebat ut Legiſperiti & Phariſæi: Hi enim docebant ea quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi & Prophetis. S. Hier. in Matt. „ Jeſus vero quaſi Deus & Dominus ipſius Moyſi, pro „ libertate voluntatis ſuæ, vel ea, quæ deeſſe videban„ tur, addebat legi, vel commutans prædicabat populis.“ Illorum doctrina in minutiis, & in traditionibus humanis, ac rebus plerumque ſupervacaneis verſabatur: Chriſti doctrina de rebus graviſſimis, & ad hominum ſalutem & ſanctificationem neceſſariis aut maxime conducibilibus tota erat. Illi ea tantum docebant, quæ externum Dei cultum: Chriſtus quæ internum ſpectabant. Dei adorationem in ſpiritu & veritate, hominis interioris reformationem. Illorum doctrina jejuna erat & frigida. Chriſti doctrina lucida erat & fervida: mentes illuminabat, pectora commovebat, & ad rerum divinarum amorem, niſi gratiæ ejus reſiſterent, rapiebat. Legiſperiti & Phariſæi omni efficacia miraculorum deſtituti erant: Chriſtus doctrinam ſuam frequentibus miraculis confirmabat, ejuſque prædicatio *in oſtenſione ſpiritus* 1. Cor. 2. 3. *& virtutis* (ut loquitur Apoſtolus). Illi aures dumtaxat pulſabant: Chriſtus vero ſimul ad cor loquebatur. Illi pœnas dumtaxat temporales violatoribus legis comminabantur: Chriſtus vermem non morientem, ignem inextinguibilem & æternum intentabat: illi bona tantum terrena & tranſitoria legis obſervatoribus pollicebantur: Chriſtus Regnum Dei, & vitam æternam. Denique ſe non modo Legislatorem, ſed Judicem eſſe ſignificabat, præmia & ſupplicia decernens.

SENSUS MORALIS.

S. Auguſt. lib. de ſerm. Dom. in M. c. 18. 1. NOLITE *judicare, ut non judicemini, &c.* Judicium temerarium, quod juſtitiæ, & charitati repugnat, Chriſtus charitatis Magiſter his verbis prohibet, quibus nihil aliud nobis præcipitur, niſi *Ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in partem interpretemur meliorem.* Quod enim ſcriptum eſt, *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt 1. Cor. 5. 12. bono animo fieri: ſicut ſunt ſtupra, vel blaſphemiæ, vel furta, vel ebrioſitates, & ſi quæ ſunt talia, de quibus nobis judicare permittitur, dicente Apoſtolo: „ *Quid enim* „ *mihi de iis qui foris ſunt judicare? Nonne de iis qui intus* „ *ſunt vos judicatis?* De genere autem ciborum, quia poſſunt bono animo & ſimplici corde ſine vitio concupiſcentiæ quicumque humani cibi indifferenter ſumi, prohibet idem Apoſtolus judicari eos, qui carnibus veſcebantur, & vinum bibebant ab eis qui ſe ab hujuſmodi Rom. 14. 3. „ alimentis temperabant. *Qui manducat*, inquit, *non* „ *manducantem non ſpernat, & qui non manducat, man*„ *ducantem non judicet.* Ibi etiam ait: *Tu quis es, qui* „ *judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* De „ talibus enim rebus, quæ poſſunt bono & ſimplici & magno animo fieri, quamvis poſſint etiam non bono, volebant illi cum homines eſſent, in occulta cordis ferre „ ſententiam, de quibus ſolus Deus judicat. Ad hoc per„ tinet etiam illud quod alio loco dicit: *Nolite ante tem*1. Cor. 4. 5. „ *pus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illu*„ *minabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſi*„ *lia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* Sunt „ ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo „ fiant, quia & bono & malo fieri poſſunt, de quibus te„ merarium eſt judicare, maxime ut condemnemus. Ho„ rum autem veniet tempus ut judicentur, cum Domi„ nus illuminabit aſcondita tenebrarum, & manifeſtabit „ cogitationes cordis. Idem alio loco dicit Apoſtolus, „ *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præceden*„ *tia ad judicium, quædam autem & ſubſequuntur.* Ma1. Tim. 5. „ nifeſta ea dicit de quibus clarum eſt quo animo fiant; 24. „ hæc præcedunt ad judicium, quia ſi fuerint iſta, ſub„ ſequutum judicium non eſt temerarium. Subſequuntur „ autem illa quæ occulta ſunt; quia nec ipſa latebunt tem„ pore ſuo. Sic & de bonis factis intelligendum eſt. De „ manifeſtis ergo judicemus, de occultis vero Deo judi„ cium relinquamus: quia & ipſa abſcondi non poſſunt „ ſive mala ſive bona, cum tempus advenerit quo mani„ feſtentur.“ *Duo autem ſunt in quibus temerarium ju*dicium cavere debemus, *cum incertum eſt quo animo quidque factum ſit, vel cum incertum eſt qualis futurus ſit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quiſpiam, verbi gratia, conqueſtus de ſtomacho jejunare noluit, & tu id non credens edacitatis vitio tribueris, temere judicabis. Item ſi manifeſtam edacitatem ebrioſitatemque cognoveris, & ita reprehenderis quaſi numquam ille poſſit corrigi atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ neſcimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifeſta ſunt, ut deſperemus ſanitatem; & vitabimus judicium, de quo nunc dicitur; Nolite judicare, ut non judicemini.* Lugenda hominum proclivitas ad temere judicandum de factis & perſonis aliorum. „ Te„ merariis judiciis plena ſunt omnia. De quo deſperave„ rimus, ſubito convertitur, & ſit optimus: De quo mul„ tum præſumpſerimus, ſubito deficit, & ſit peſſimus. S. Auguſt. „ Nec timor noſter certus eſt, nec amor noſter certus ſerm. 46. „ eſt. Quid ſit hodie quiſque homo, vix novit ipſe ho- alias de „ mo.“ Ex amoris proprii & cupiditatis vitiata radice Tempore temeraria illa judicia naſcuntur, quæ non fierent, ſi re- 165. c. 12. gnaret in animo charitas. „ Ille veraciter ſe ante ſe „ ponit (*inquit S. Gregorius*) qui ſe in ſuis actibus tam„ quam alium attendit. Nam ſunt multa peccata quæ S. Greg. M. „ committimus, ſed idcirco nobis gravia non videntur, h. 4. in Ez. „ quia privato nos amore diligentes, clauſis nobis ocu„ lis in noſtra deceptione blandimur. Unde fit plerum„ que ut noſtra gravia leviter, & proximorum mala le„ via graviter judicemus. Scriptum quippe eſt, *Erunt* 2. Tim. 3. „ *homines ſeipſos amantes.* Et ſcimus quia vehementer „ claudit oculum cordis amor privatus. Ex quo fit ut „ hoc quod nos agimus, & grave eſſe non exiſtimamus, „ plerumque agatur a proximo, & nimis nobis deteſta„ bile eſſe videatur. Sed quare hoc quod nobis vile vi„ debatur in nobis, grave videtur in proximo, niſi quia „ nec nos ſicut proximum, nec proximum conſpicimus „ ſicut nos? Si enim nos ſicut proximum conſpiceremus, „ noſtra reprehenſibilia diſtricte videremus. Et rurſum „ ſi proximum aſpiceremus ut nos, numquam nobis ejus „ actio appareret intolerabilis, qui ſæpe fortaſſis talia e„ gimus, & nil nos proximo intolerabile feciſſe puta„ mus. . . . . Salomon ait: *Pondus & pondus, menſu*„ *ra & menſura utrumque abominabile eſt apud Deum.* Prover. 20. „ Scimus quia in negotiatorum duplici pondere aliud „ majus, aliud minus eſt. Ad dandum pondera leviora, „ ad accipiendum graviora præparant. Omnis itaque ho„ mo qui aliter penſat ea quæ ſunt proximi, & aliter „ ea quæ ſua ſunt, pondus & pondus habet. Utrumque „ ergo abominabile eſt apud Deum: Quia ſi ſic proxi„ mum ut ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret. „ Et ſi ſic ſe ſicut proximum aſpiceret, ſe in malis ſicut „ proximum judicaret.“

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. „ Sicut „ enim in venia peccatorum promerenda, a nobis prin- S. Jo. Chryſ. „ cipia ſumuntur: ſic etiam in ipſo judicio a nobis con- Hom. 23. in „ demnationis menſura procedit. Nec enim oportet ex- Matth. „ probrare dictum, neque illum qui peccato aliquo ſit „ præventus, inſolenter obruere, ſed clementer mone„ re; neque perſequi jurgio, ſed juvare conſilio: nec „ cum inſolentia in eum erigi, ſed cum dilectione cor„ rigere. Non enim illum, ſed te profecto extremo ad„ dicis ipſe ſupplicio, non ei parcendo, cum oportebit „ de illius delictis ferre ſententiam. *Cum unuſquiſque* „ *ſuorum ſit conſcius peccatorum, quomodo poteſt de al*„ *terius judicare peccato?* Judicet de alterius errore, S. Am broſ „ qui non habet quod in ſe ipſe condemnet: judicet ſerm. 20. in „ ille, qui non agat eadem quæ in alio putaverit pu- Pſal. 118. „ nienda; ne cum de alio judicat, in ſe ferat ipſe n. 31. „ ſententiam. Judicet ille qui ad pronunciandum nul„ lo odio, nulla offenſione, nulla levitate duca„ tur.“

2. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui,* S. Jo. Chry. *& trabem in oculo tuo non vides?* &c. „ Id certe nunc Hom. 33. „ plurimi faciunt, qui ſi viderint Monachum habere in Matth. „ ſuperfluum veſtimentum, legem illam dominicam im„ pudenter objiciunt, cum millies ipſi aliena diripiant, „ & quotidie avaritiæ ſtudeant. Et ſi eum cibo uti vi„ derint largiori, acculatores exiſtunt amari, ipſi quo„ tidie crapulati atque temulenti: ignorantes quod cum „ propriis delictis hinc quoque ſibi congregent majus „ incendium, omnique ſe ipſos excuſatione deſtituant. Ut „ enim diligentius peccata examinentur tua, legem „ primus ipſe poſuiſti, ſeverius de his, quæ proximus „ peccaverat judicando... *Ejice primum trabem de ocu*„ *lo tuo.* Vides quia non vetuerit judicare, ſed juſſit „ ejicere primum de oculo proprio trabem, & tunc a„ liorum errata corrigere. Nam & ſua unuſquiſque fa„ cilius cognoſcit quam ceterorum: & majora citius „ proſpicit quam minora, & ſe ipſum magis amat quam „ proximum. Itaque ſi alterius curam gerens id facis, „ temetipſum ante curato, in quo & manifeſtius inve„ nitur peccatum, & grandius. Sin autem temetipſum „ contemnis ac deſpicis, liquet omnino quod fratrem „ tuum ipſe odio judices, non ſtudio diſciplinæ; nec „ emendare illum cupias, ſed notare. Quod etſi opor„ tet aliquem hujuſmodi judicare, non tamen a te hoc „ fieri debet, verum ab eo qui talem commiſit . . . „ Et quid miraris, ſi Dominus poſuit hanc legem, „ quæ etiam a Latrone ſervata eſt, qui in cruce di„ cebat

„ cebat ad socium suum: *Neque tu times Deum, qui in* „ *eadem damnatione es?* Protulit enim vocem Christi sen- „ tentiæ omnino consonam. Tu vero trabem tuam non „ modo non ejicis, sed ne sentis quidem: fratris vero „ non modo vides, sed & judicas, & ejicere conaris. „ Velut si aliquis gravissimo hydrope, vel quolibet im- „ medicabili languore constrictus, hunc quidem etiam „ negligat, eum vero culpet qui exiguum in aliqua cor- „ poris sui parte non curet tumorem. Si vero malum est „ propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex „ malum est judicare alios, & in suo oculo trabem abs- „ que dolore gestare. Omne quippe est gravius trabe pec- „ catum. Hinc est ergo quod præcipit, ne scilicet ille „ qui mille vitiis est obnoxius, acriorem se judicem in „ aliorum velit præbere delictis: & præcipue si hæc „ sint exigua: non arguere alterum prohibens atque cor- „ ripere, sed dissimulare propria negligenter, & insul- „ tare impudenter alienis. "

S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in Monte c. 12.

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, &c. „ Id „ est primum abs te expelle odium, & deinde poteris „ jam eum quem diligis, emendare. Est vere multum „ cavendum & molestum simulatorum genus, qui cum om- „ nium vitiorum accusationes odio & livore suscipiant, „ etiam consultores videri se volunt. Et ideo pie caute- „ que vigilandum est, ut, cum aliquem reprehendere vel „ objurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus „ utrum tale sit vitium quod numquam habuimus, vel „ quo jam caruimus: & si numquam habuimus, *cogite-* „ *mus nos homines esse, & habere potuisse*: Si vero ha- „ buimus, & non habemus, *tangat memoriam communis* „ *infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem* „ *non odium sed misericordia præcedat*: Ut sive ad corre- „ ctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad per- „ versionem valuerit, (Nam incertus est exitus:) Nos „ tamen de simplicitate oculi nostri securi simus: *Si au-* „ *tem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vi-* „ *tio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non* „ *reprehendamus, neque objurgemus: Sed tamen conge-* „ *miscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed* „ *ad pariter conandum invitemus. Raro ergo & in ma-* „ *gna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita ta-* „ *men ut etiam in his ipsis non nobis, sed ut Deo ser-* „ *viatur, instemus. Ipse est enim finis; Ut nihil duplici* „ *corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, in-* „ *videntiæ, vel malitiæ, vel simulationis, ut videamus* „ *ejicere festucam de oculo fratris.* " Nobis ipsis attendamus secundum præceptum Christi: *Attendite vobis*. Ita fiet ut alienæ vitæ censores malevoli non simus. *Vagus oculus, lascivus intuitus, improbus aspectus suas non respicit ad ruinas, alienos currit ad lapsus; sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum suorum nescius, alienorum accusator & testis: suum tepidus ad reatum, ad alterius & innocentis inflammatur & excandescit examen. Et, ne multis, sicut dixit Dominus, oculus in se trabem non videns, videt in alieno festucam.* Quid ergo mirum si Christianorum pars maxima in virtute non proficiat, cum sibi ipsis non attendentes, aliorum delicta considerent, & amare judicnt? „ Tamdiu „ quis peccata sua quæ nosse ac deflere debet igno- „ rat, quandiu curiose aliena considerat. Quod si mo- „ res suos ad se ipsum conversus aspiciat, non requiret „ quod in aliis specialiter reprehendat, sed in se ipso „ quod lugeat. "

Julianus Pomerius l. 2. de vita contemplativa cap. 6. S. Augustin. Enarrat. 3. in Psal. 30. n. 4.

Ejice primum trabem de oculo tuo. „ Metuendum est „ ne ira tanta sit, ut in odium vertatur. Ira enim non- „ dum est odium. Nam irasceris filio, non odisti fi- „ lium: ei servas hæreditatem, qui te sentit iratum; „ & ad hoc irasceris, ne perdat quod servaveris, male „ vivens moribus pravis. Ergo ira nondum est odium: „ Nondum odimus eos quibus irascimur; sed ista ira si „ manserit, & non cito evulsa fuerit, crescit & fit o- „ dium. Ideo ut recens ira evellatur, & in odium non „ convertatur, hoc nos docet Scriptura, dicens, *Non* „ *occidat sol super iracundiam vestram*. Invenis autem „ aliquando fratrem odium habentem, & reprehen- „ dit irascentem: In illo est odium, & in alio culpat „ iram: Ipse habet trabem in oculo suo, & repre- „ hendit festucam in oculo fratris sui. Sed festuca „ ista & surculus, nisi cito evellatur, trabs futu- „ ra est. "

Ephes. 4. 26.

3. *Nolite sanctum dare canibus*: *Neque mittatis mar-* *S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in Monte c. c. 20. n. 68. & 69.*
garitas vestras ante porcos. „ Sanctum est, quod violare „ atque corrumpere nefas est: cujus utique sceleris co- „ natus & voluntas, tenetur rea, quamvis illud sanctum „ natura inviolabile atque incorruptibile maneat. Mar- „ garitæ autem quæcumque spiritualia, magni æstiman- „ da sunt, & quia in abdito latent, tamquam de pro- „ fundo eruuntur, & allegoriarum integumentis, quasi „ apertis conchis invenitur. Licet igitur intelligi quod „ una eademque res & sanctum & margarita dici po- „ test: sed sanctum ex eo quod non debet corrumpi: „ margarita ex eo quod non debet contemni. Conatur „ autem quisque corrumpere quod non vult esse inte- „ grum: contemnit autem quod vile ducit, & quasi in- „ fra se esse existimat; & ideo calcari dicitur quicquid „ contemnitur. " Quapropter canes quoniam insiliunt ad dilacerandum: quod autem dilacerant, integrum esse non sinunt. *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus*: „ Quia etsi „ dilacerari & corrumpi non potest, & manet integrum „ atque inviolabile, illi tamen quid velint cogitandum „ est, qui acriter atque inimicissime resistunt, & *quan-* „ *tum in ipsis est, si fieri possit, conantur perimere veri-* „ *tatem*. Porci vero quamvis non ita ut canes morsu ap- „ petant, passim tamen calcando coinquinant. *Non* ergo „ *miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte con-* „ *culcent eas pedibus suis*. Canes ergo pro oppugnatori- „ bus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non „ incongrue accipimus .... Utrumque autem animal im- „ mundum est, & canis & porcus. Cavendum est ergo „ ne quid aperiatur ei qui non capit: Melius enim quæ- „ rit quod clausum est, quam id quod apertum est aut „ infestat aut negligit. Neque vero alia causa reperitur, „ cur ea quæ manifesta & magna non sunt, non acci- „ piant, præter odium & contemptum, quorum propter „ unum canes, propter alterum porci nominati sunt. „ *Quæ tamen omnis immunditia rerum temporalium di-* „ *lectione concipitur, idest, dilectione hujus sæculi, cui* „ *jubemur renuntiare ut mundi esse possimus*. Qui ergo „ mundum & simplex cor habere apetit, non debet sibi „ reus videri, si aliquid occultat, quod ille cui occultat, „ capere non potest. " *Agendum ergo primum est ut im-* *S. Jo. Chrys. l. 1. de compunctione cordis c. 6.*
pedimenta detrahantur, quibus efficitur ut non capiat: quia utique si propter sordes non capit, mundandus est vel verbo vel opere, quantum fieri a nobis potest. „ Quod „ autem Dominus noster quædam dixisse invenitur, quæ „ multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non „ acceperunt, non putandum est sanctum dedisse cani- „ bus, aut margaritas misisse ante porcos: Non enim de- „ dit eis qui capere non poterant, sed eis qui poterant, „ & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam „ negligi non oportebat. "

Nolite sanctum dare canibus. „ Et Christus quidem „ hoc tamquam præceptum nobis tradidit. At nos laudis „ amore & jactantiæ vitio corrupti, etiam huic præce- „ pto contraria gerimus, & hominibus neque mentem „ puram, neque sanam fidem gerentibus, insuper etiam „ peccatorum maculis innexis sine ulla discretione My- „ steriorum secreta nudamus, & priusquam mentis pro- „ positum a nobis, vel sensus capacitas explorata sit, „ divinorum dogmatum veneranda eis arcana committi- „ mus: & quibus prima rudimenta vixdum tradi oporte- „ ret, interna eis adyta divinæ scientiæ divinæque sa- „ pientiæ patefacimus. Propterea nonnulli ubi immun- „ dis, ut ita dicam, pedibus Sancta nostra calcarunt, „ & pleno sordibus pectore hauserunt purum divinæ sci- „ entiæ poculum: non solum evomuerunt quod hause- „ rant, sed & contradixerunt, & transversi sunt; & in- „ surgentes in eos injuriis & maledictis atque accusatio- „ nibus eos, opprobriisque ruperunt. Et ita ne nobis *Idem Hom.* „ quidem ipsis, & vitæ atque existimationi nostræ parci- *16. in Gen.* „ mus, dummodo violemus divina præcepta. Et non so- „ lum in hoc, sed interdum & in eo prævaricamur præ- „ cepti hujus vim, cum eos, quos novimus immundæ „ vitæ homines, violentos, rapaces, impuros, & per om- „ nia porcis & carnibus similes, divini Sacramenti par- „ ticipes effici patimur .... Prima mulier in Paradiso „ cum Dæmone colloquuta, margaritas divinas porco „ apposuit, Dei præceptum illi exponens. At Dæmon „ non solum illas conculcavit, sed & illam unaque cum „ ipsa primum hominem in morbum inobedientiæ perdu- „ xit. Tantum malum est absque delectu cuivis & pro- „ miscue divina mysteria detegere. Audiant qui sine di- „ scrimine simpliciter cum omnibus de Mysteriis collo- „ quuntur. Neque enim ibi Christus de sensibilibus por- „ cis præcepit, sed homines porcinis moribus denotat, „ qui sicut bruta illa in peccati luto involvuntur, docens „ nos ut personarum diversitatem dignoscamus, & vitæ „ rationes inquiramus, quando aliquid divinorum eloquio- „ rum exponere opus fuerit, ne & illos & nosmetipsos „ lædamus. Nam qui tales sunt, non solum nihil lucri „ ex dictis capiunt, sed & eos qui bonas illas margari- „ tas absque disquisitione illis proposuerant, secum in „ suæ perditionis profundum pertrahunt. Ideo cum di- „ ligentia observanda sunt hæc, ne eadem patiamur quæ „ illi, qui hic decepti sunt. Nam & tunc *Si voluisset* „ *Mulier non proponere margaritas porco, neque ipsa in* „ *præcipitium ruisset, neque virum secum traxisset*. "

Hanc Domini sententiam egregie exponit S. Isidorus *S. Isid. Pel. lib. Epist.* Pelusiota, „ Quia, *inquit*, verbum divinum est sacro- 182.
„ sanctum, & margarita revera pretiosissima, canes au- „ tem & porci sunt, non solum qui circa dogmata Chri- „ stianæ Religionis, sed etiam qui circa actiones labun- „ tur: conculcatio autem & contentio atque concerta- „ tio de illis suscepta, dum alii dogmatum rectitudinem „ sinceritatemque evertere conantur; alii optimam viven- „ di rationem contumelia afficiunt; Laceratio denique eo- „ rum, qui divinum verbum tamquam legati annuntiant, „ optimaque dant consilia, & contemptus & ignominia,

qua

„ qua eos afficiunt qui non recte vivunt: Hanc ob cauſam dixit, Ne tamquam rem aliquam vilem ac paratu „ facilem projicite verbum, ne & ipſum contumelia afficiatur, & vos traducamini ac ludibrio habeamini ab „ eis, qui nihil recte neque dicunt, neque faciunt. Sunt „ autem qui non abſurde dicant, quod etiam ſacerdotium prohibeat dari improbis atque impuris, ne & ipſum injuria afficiant, & in eos a quibus electi ſunt irruant, bonam atque honeſtam, qua prius præditi erant, „ exiſtimationem dilacerantes. Quod ſi etiam peccantibus Laicis dixeris non eſſe danda divina Myſteria (*id eſt, Euchariſtiæ Sacramentum*) ſcias te recte accipere. Si denique etiam dixeris, quod prohibeat divinum „ impartiri baptiſmum illis, qui ſimulant quidem ſe ad „ Fidem Chriſtianam accedere, ſed interim non deſiſtunt a præſentibus vitæ inſtitutis, ſcito nihil te a „ vero aberrare. "

Dant ſanctum canibus Sacerdotes, qui peccatores lethalium criminum habitu, diuturnaque conſuetudine implicatos, vel in proxima peccati mortalis occaſione hærentes, ſacramentali Abſolutione donant, & ad ſacram Communionem admittunt, antequam ſuæ converſionis ſinceritatem operibus probaverint, dignoſque pœnitentiæ fructus fecerint. „ Emerſit novum genus *cladis* (*inquie-* *S. Cyprianus Tract. de Lapſis.* „ *bat Sanctus Cyprianus*) & quaſi parum perſecutionis „ procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallax & blanda pernicies. Contra „ Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: „ Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera; & plaga lethalis altis & profundis viſceribus „ infixa, diſſimulato dolore contegitur. A Diaboli aris „ revertentes, ad Sanctum Domini ſordibus & infectis „ nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos „ adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus „ ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini Corpus invadunt; quando occurrat Scriptura Divina, & clamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducaverit ex „ carne Sacrificii ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia ejus ſuper ipſam eſt; peribit anima illa de populo ſuo. *Apoſtolus item teſtatur & dicit*: Non poteſtis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: „ Non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ „ dæmoniorum. *Idem contumacibus & pervicacibus conminatur & denuntiat, dicens*: Quicumque ederit panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit „ Corporis & Sanguinis Domini. Spretis his omnibus „ atque contemptis, vis infertur Corpori ejus & ſanguini: & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante „ purgatam conſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, „ ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis; pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus „ venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum: nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur. "

4. *Petite, & dabitur vobis: Quærite, & invenietis:* *pulſate, & aperietur vobis*: &c. Gratiam ſuam orationi- *S. Fulg. lib. 1. ad Monimum. cap. 1.* bus noſtris promittit Deus, ſed oratio ipſa Dei donum & gratia eſt. „ Internus Magiſter, a quo ſubſidium doctrinæ cœleſtis accipimus, non ſolum inquirentibus nobis ſuorum aperit arcana ſermonum; ſed ut etiam quæramus ipſe gratis inſpirat affectum; quia nec eſurire „ panem illum, qui de cœlo deſcendit, poſſumus, niſi „ ab ipſo faſtidientibus eſuries detur qui ſe ad ſatiandos „ eſurientes donare dignatur. Ab ipſo etiam nobis eſt, „ quod ad fontem ſitientes currimus, qui ſe nobis tribuit „ ut bibamus. Ipſe igitur laudandus eſt in utriuſque muneris gratia, ſive cum nos ad ſe quærendum dormientes exſuſcitat, ſeu cum ſe inveniendum nobis quærentibus donat; qui profecto nullatenus invenitur, niſi „ ipſe nos excitet ut quæratur. "

Petite & dabitur vobis, &c. „ Petitio pertinet ad *S. Aug. l. 2. de ſerm. Dom. in Monte, cap. 21.* „ impetrandam ſanitatem firmitatemque animi, ut ea „ quæ præcipiuntur, implere poſſimus: Inquiſitio autem „ ad inveniendam veritatem. Cum enim beata vita actione & cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifeſtationem rerum deſiderat. „ Horum ergo primum petendum, ſecundum quærendum „ eſt; ut illud detur, hoc inveniatur. Sed cognitio in „ hac vita, viæ prius quam ipſius poſſeſſionis eſt: ſed „ cum quiſque veram viam invenerit, perveniet ad ipſam „ poſſeſſionem, quæ tamen pulſanti aperitur. Ut ergo tria „ iſta, id eſt, petitio, inquiſitio, pulſatio, manifeſta fiant, „ ſub aliquo exemplo ponamus, aliquem infirmis pedibus „ ambulare non poſſe: prius ergo ſanandus & firmandus „ eſt ad ambulandum; & ad hoc pertinet quod dicit, „ *Petite*. Quid autem prodeſt quod ambulare jam, vel „ etiam currere poteſt, ſi per devia itinera erraverit? „ Secundum eſt ergo ut inveniat viam quæ ducit eo quo „ vult pervenire: Quam cum tenuerit, & pervenerit ad „ eum ipſum locum, ubi habitare vult, ſi clauſum invenerit, neque ambulare potuiſſe, neque ambulaſſe ac „ perveniſſe profuerit, niſi aperiatur. Ad hoc ergo pertinet quod dictum eſt, *Pulſate*. Magnam autem ſpem „ dedit & dat ille qui promittendo non decipit: ait „ enim, *Omnis qui petit accipit & qui quærit invenit,* „ *& pulſanti aperietur*. Ergo *perſeverantia opus eſt,* „ *ut accipiamus quod petimus & inveniamus quod quæ-* „ *rimus, & quod pulſamus aperiatur*. " Cur vero non conſequimur quod petimus, nec invenimus quod quærimus? Utique quia male petimus & quærimus: aut *Jacob. 4. 8.* certe non petimus & quærimus, quod petendum & *S. Aug.* quærendum eſt. „ Petitis & non accipitis, eo quod male *ſerm. 16.* „ petatis; ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis. *Quid* *alias 5. de* „ *porro petendum? Juſtitia*. A quo enim habebis juſti- *Verbis* „ tiam, niſi a Deo fonte juſtitiæ? Ergo ſi vis habere *Dom. c. 4.* „ juſtitiam, eſto mendicus Dei. Mendicum ſuum ſcie- *& 5.* „ bat, & ecce pater-familias & magnus dives, divitiarum ſcilicet ſpiritualium & æternarum, hortatur, & „ dicit tibi, Pete, quære, pulſa. " Qui petit accipit, quærens invenit, pulſanti aperietur. *Hortatur ut petas;* *Luc. 11. 5.* *negabit quod petis?* Amicus amico tres panes importune petenti, & intempeſta nocte pulſanti dedit, non propter amicitiam, ſed propter improbitatem; quia ſcilicet ille pulſare non deſtitit; & cum eſſet negatum, non ſe avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo non defecit. „ Quanto magis dabit bo- „ nus, qui nos hortatur ut petamus; cui diſplicet ſi non „ petamus? Sed cum aliquando tardius dat, commendat „ dona, non negat. Diu deſiderata, dulcius obtinentur: „ Cito autem data vileſcunt. Pete, quære, inſta. Petendo & quærendo creſcis, ut capias. Servat tibi Deus quod non vult cito dare; ut & tu diſcas magna „ magne deſiderare. Inde oportet ſemper orare, & numquam deficere. *Petite, quærite, pulſate*. Petamus *S. Gregor.* „ orando, quæramus legendo, pulſemus operando. " *M. l. 6. Epiſt.* „ 5. Quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus *33.* „ panem, numquid lapidem porriget ei? &c. Si ergo *S. Auguſtin.* „ vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis ve- *ſerm. 61. c.* „ ſtris; quanto magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, *2. & 3.* „ dabit bona petentibus ſe? Miranda res, Fratres! „ Mali ſumus, & bonum patrem habemus. Audivimus „ nomen noſtrum: *Cum ſitis*, inquit, *mali*, &c. Et quos „ dixit malos, videte qualem patrem illis oſtendit: *Quan-* „ *to magis Pater veſter?* Quorum Pater? certe malorum. Et qualis Pater? Nemo bonus, niſi ſolus Deus. „ Ergo, Fratres, ideo mali bonum patrem habemus, „ ne ſemper mali remaneamus. Nemo malus facit bonum. Si nemo malus facit bonum, homo malus quomodo ſe facit bonum? *Facit de malo bonum, qui ſem-* „ *per eſt bonus*. Quid mihi dicunt vani vana? Tu te ſalvum facis, ſi volueris? *Sana me, Domine, & ſana-* „ *bor*. Nos boni conditi ſumus a bono: Fecit enim Deus „ hominem rectum; arbitrio autem noſtro facti ſumus „ mali. Potuimus eſſe ex bonis mali, & poterimus eſſe „ ex malis boni. Sed qui ſemper eſt bonus, ipſe facit „ ex malo bonum: *Quia ipſe homo voluntate ſua ſe ſa-* „ *nare non potuit*. Non quæris Medicum, ut vulneres „ te: ſed cum vulneraveris te, quæris qui ſanet te. „ Bona ergo ſecundum tempus, bona corporalia, carnalia novimus dare filii noſtris, etiam cum ſimus mali; „ ſed iſta omnia bona a bonis & malis haberi poſſunt; „ & cum bona ſint, bonos tamen facere non poſſunt. „ Eſt ergo bonum, quod faciat bonum: & eſt bonum, „ unde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus „ eſt. Ergo ut ſis bonus, Deum invoca. Aliud autem „ bonum eſt, unde facias bonum: id eſt, quicquid habueris. Habes aurum, habes argentum; & concupiſcis aurum & argentum. Et habes, & concupiſcis; „ & plenus es, & ſitis. Morbus eſt, & non opulentia. *Pſal. 111.* „ Sunt homines in morbo, humore pleni ſunt, & ſem- *9.* „ per ſitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui „ hydropem habes concupiſcentiam? " Habes ergo aurum, bonum eſt: habes, non unde ſis bonus, ſed unde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus ſum „ de auro? *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus ma-* „ *net in ſæculum ſæculi*. Hoc eſt bonum unde bonus es, „ juſtitia. Si habes bonum unde ſis bonus, fac bonum „ de bono unde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. „ *Ergogando pecuniam, auges juſtitiam. Illud minuitur* „ *quod eras relicturus; illud augetur quod in æternum* „ *es poſſeſſurus*. "

Si ergo vos cum ſitis mali, &c. Juſti in hujus vitæ mortalis decurſu boni ſimul & mali ſunt, Chriſtuſque Apoſtolos ſuos & amicos cariſſimos non dubitavit malos appellare. „ Quidam filii ſæculi hujus ſunt (*inquit S.* *S. Auguſtin* „ *Aug.*) & tamen filii diaboli non ſunt. Quamvis enim *lib. 3. con-* „ diabolus ſit auctor & princeps omnium peccatorum; *tra duas* „ non tamen filios diaboli faciunt quæcumque peccata. *Epiſtolas* „ Peccant enim & filii Dei: quoniam ſi dixerint ſe non *Pelagianorum c. 3.* „ habere peccatum, ſe ipſos ſeducunt, & veritas in eis „ non eſt. Sed ea conditione peccant, qua ſunt filii adhuc

„ huc hujus sæculi: qua vero gratia sunt filii Dei, uti-
„ que non peccant, quia omnis qui natus est ex Deo,
„ non peccat . . . . Ut autem plenius intelligatur quod
„ dicimus, audiatur ipse Jesus, qui filiis Dei utique lo-
„ quebatur dicens. Si autem vos cum sitis mali, no-
„ stis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater
„ vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? "
Si enim filii Dei non essent, non eis diceret, Pater ve-
ster qui in cœlis est. *Et tamen eos malos esse dicit, & nosse bona dare filiis suis. Numquid inde mali, unde*
S. August. serm. 90. alias 14. ex editis a Sirmondo. *filii Dei? Absit: sed inde mali, unde adhuc filii sæculi, jam tamen filii Dei facti pignore Spiritus-sancti.* Et alibi: *Allocutus in commune omnes ait*, Si vos cum sitis mali: *Audivit hoc Petrus, audivit Joannes, audivit Andreas, audierunt ceteri omnes undecim Apostoli. Quid audierunt?* Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: Quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? „ *Audito quod mali*
„ *essent, desperaverunt: audito quod Deus in cœlis esset*
„ *pater ipsorum, respiraverunt.* Cum sitis, *inquit*, mali:
„ *Quid ergo debetur malis, nisi supplicium?* Quanto ma-
„ gis, *inquit*, Pater vester, qui in cœlis est? *Quid de-*
„ *betur filiis nisi præmium? In nomine malorum, metus*
„ *pœnarum: In nomine filiorum, spes hæredum:* "
Quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bo-
Idem serm. 236. alias de Diversis 39. c. 6. *na petentibus se?* „ Quæ bona? Numquid temporalia?
„ Dat & ipsa; sed & infidelibus dat. Dat & ipsa; sed
„ & impiis dat, sed & blasphematoribus suis dat. *Bona*
„ *quæramus, quæ non nobis sint cum malis communia.*
„ *Novit ille Pater dare ista bona filiis suis.* Modo pe-
„ tit ab illo filius suus sanitatem corporis: & non dat,
„ adhuc flagellat. Sed numquid pater, quando flagellat,
„ non præstat? Profert flagellum, sed cogita quale pre-
„ parat patrimonium. *Flagellat*, inquit, *omnem filium*
Heb. 12. 6. „ *quem recipit. Quem enim diligit Dominus, corripit.*
„ Ideo ista dico, Fratres mei, ne contristemini quando
„ petitis & non accipitis, & arbitremini quod ante ocu-
„ los vos non habeat Deus si ad tempus non exaudiat
„ voluntatem vestram. Non enim semper ægrum exau-
„ dit Medicus ad voluntatem, quamvis ejus sine dubio
„ procuret atque appetat sanitatem. Non dat quod pe-
„ tit: sed quod non petit, hoc procurat. Petit frigi-
„ dam, non dat. Crudelis factus est, qui venit sanare?
„ Artis est, non crudelitatis. Non dat ad horam quod
„ delectat: ut sanus possit omnia, nondum sano negan-
„ tur aliqua. "

Rom. 8. 32. Pater noster cœlestis; *Qui etiam proprio Filio suo non*
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo
non etiam cum illo omnia nobis donavit? Non solum bo-
Isai. 49. 15. nitate pater, sed & amoris teneritudine mater. *Numquid*, inquit, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut*
non misereatur filio uteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego
tamen non oblivisciar tui. „ Ab hominibus quidem cum
„ aliquid crebro exposcis, molestus omnino & onerosus
„ videris: Deum vero, quando id non facis, tunc am-
S. Joan. Chrys. „ plius ut tibi indignetur, accendis. Si vero in postu-
„ lando perseveres, etiamsi non continuo accipias; ac-
Hom. 24. „ cipies tamen: propterea quippe ostium clausum est, ut
„ ad pulsandum inducaris; idcirco non celeriter annuit,
„ ut diutius inquiras. Permane igitur in quærendo at-
„ que pulsando, & absque ambiguitate percipies . . . .
„ Quod si non accipis, idcirco quia lapidem petis non
„ accipis. Nam etsi filius sis, non tamen tibi suf-
„ ficit ad omne quod poposcris impetrandum, sed hoc
„ ipsum est quod obstat quo minus accipias, quod cum
„ sis filius Dei, ea quæ tibi non expediunt, deprecaris...
„ *Et tu* igitur noli aliquando petere seu quærere sæcu-
„ laria, sed spiritalia omnia, & prorsus accipies. Nam
„ & Salomon, quandoquidem poposcit ea quæ oportuit
„ poscere, vide quam celeriter acceperit. Duo igitur ad-
„ esse oportet oranti, ut scilicet vehementer petat, &
„ illa quæ petenda sunt. Quia & vos, inquit, cum pa-
„ tres sitis, rogari tamen expectatis: & filiis, si in-
„ utile aliquid petierint, dona vestra cohibetis. Si vero
„ illi, quod est petendum, utile postulaverint, annuitis
„ atque præstatis. Et tu igitur ista considerans, non de-
„ sistas donec accipias; donec invenias non recedas; nec
„ omnino abeas donec clausa referentur. Si enim cum
„ hoc studio mentis accesseris, & dixeris, Nisi accepe-
„ ro, non recedam, prorsus accipies: modo si talia
„ postulaveris, quæ & illum a quo petitur dare deceat,
„ & accipere tibi qui precaris, expediat. Quæ vero ista
„ sunt? Si videlicet spiritalia cuncta deposcas. "

S. Jo. Chrys. ib. 6. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* „ His verbis ostendit Chri-
„ stus, quod cum oratione opus sit etiam disciplina vir-
„ tutum. Et non dixit, Quæcumque vis tibi a Deo fie-
„ ri, hæc ipse fac proximo, ne diceres: Quonam modo
„ hoc fieri potest, cum ille sit Deus, ego homunculus?
„ Sed quæ vis tibi fieri a convervo, ea tu erga proxi-
„ mum ostende. Quid hoc præcepto aut levius invenia-
„ tur, aut justius? Deinde declarans servati istius præ-
„ cepti ante præmia quoque grande præconium: *Hæc*
„ *est*, inquit, *Lex & Prophetæ*. Unde manifestum est
„ secundum naturam nobis esse virtutem. Domestico si-
„ quidem magisterio omnes quæ facere debeamus, agno-
„ scimus, & impossibile omnino nobis est ad ignorantiæ
„ præsidium aliquando confugere. "

„ Gentilium sapientes, gloriam dicendi graviter & *S. Isidorus Pelusiota l. 5. Ep. 28.*
„ copiose adepti quid justum, quid decorum, quid legi-
„ timum & honestum sit constituere volentes, rationes
„ infinitas afferentes, ac prolixis sermonibus quasi laby-
„ rinthum ducentes, tantum ab eo quod dicendum erat
„ aberrarunt, ut & legentes confundendo amplius con-
„ turbaverint. Verbum vero Dei Filius insitum homini
„ intellectum instaurans, & arbitrii cujusque libertatem
„ justo ac discreto, legitimo item & honesto colligans,
„ brevi sermone id omne aperuit, his usus verbis: *Om-*
„ *nia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos fa-*
„ *cite illis*. Ne non scripta proferre videretur, sigillo
„ muniens quæ dixerat, omniaque compendio involvens.
„ *Hæc est enim*, inquit, *Lex & Prophetæ*. Omnium *S. Greg. M. Hom. 38. in Evang.*
„ igitur honeste factorum hæc Regula sit, ut quod no-
„ bis ab aliis fieri petimus, idem illud nos ipsi præste-
„ mus. *Hoc præcepto omnia charitatis erga proximum*
„ *officia continentur*. Si enim & quod impendi nobis re-
„ cte volumus, hoc aliis impartimur, & quod nobis fie-
„ ri nolumus, hoc aliis facere devitamus, charitatis jura
„ illæsa servamus. Sed nemo cum quempiam diligit,
„ habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam
„ vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet
„ amat, sed propter Deum non amat, charitatem non
„ habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est,
„ cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum di-
„ ligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos
„ quos diligit, qui jam & eos diligere, a quibus non
„ diligitur, scit. "

„ 7. Intrate per angustam portam: quia lata porta, *S. Jo. Chrys. Hom. 19. in Epist. 1. ad Thessal.*
„ & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & mul-
„ ti sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta,
„ & arcta via est, quæ ducit ad vitam & pauci sunt
„ qui inveniunt eam! " Angustam ingredimur viam;
præcipitiis undique circumdatam, quæ simul duos non capit pedes. „ Vides quanta sit nobis opus diligentia.
„ Vides quod ii qui ejusmodi vias ingrediuntur, non so-
„ lum pedes muniunt, sed etiam oculos. Nam etsi ali-
„ bi videatur attendere, & pes firmo hæreat vestigio,
„ a profundo caligans oculus totum hominem dejicit.
„ Sed sibi oportet & suo gressui attendere. Magnum est
„ vitii profundum, magna præcipitia, magnæ inferius
„ tenebræ; angustias observemus, cum timore & tremo-
„ re ambulemus. Nullus viam hujusmodi ingrediens est
„ in risum effusus, nec ebrietate gravatus, sed in sobrie-
„ tate & jejunio eam ingreditur. Nullus hac via ince-
„ dens aliquid affert superfluum. Præclare enim cum eo
„ agitur, si succinctus & expeditus possit evadere. Nul-
„ lus suos impedit pedes, sed liberos habet ac solutos.
„ Nos autem cum nos ipsos curis alligemus innumeris,
„ & onera innumera quæ ad hanc vitam pertinent ge-
„ stemus in gaudium effusi, quomodo possumus angustam
„ hanc viam ingredi? Non autem absolute dixit, Est
„ angusta: sed cum admiratione: Quam angusta est illa
„ via! Hoc est, valde angusta: *Quam arcta est*, inquit,
„ *via quæ ducit ad vitam!* & recte dixit: Quando enim
„ & verborum, & cogitationum, & actionum, & omni-
„ um debemus rationem reddere, revera est angusta.
„ Angustiorem autem eam facimus, dum nos ipsos dila-
„ tamus, & pedes effundimus. Nam quæ est angusta,
„ quidem est cuilibet difficilis, maxime autem ei qui est
„ obesus. Nam qui seipsum liquefacit & macerat, non
„ sentit angustias. Ne ergo expectet quispiam fore ut
„ in otio & quiete cœlos videat: fieri enim non potest.
„ Nemo speret cum deliciis viam angustam ingredi; non
„ potest enim hoc esse. Cum videris mensam sumptuo-
„ sam ac magnificam, aut quempiam magno stipatum
„ satellitio esse in deliciis, ne te miserum pronuncies
„ quod ea tibi non suppetant, sed illum dele quod per-
„ ditionis viam sit ingressus. Quid enim prodest hæc
„ via, cum desinat in afflictionem? Quid autem lædunt
„ illæ angustiæ, cum veniant ad quietem & animi re-
„ laxationem? Dic quæso, si quispiam vocatus ad Re-
„ giam per angustos ingrediatur angiportus & præcipi-
„ tia, alius autem abductus ad mortem trahatur per me-
„ dium forum, quem beatum censebimus? quem deflebi- *S. Prosper Carm. de ingratis. Psalm. 16. 4. Psalm. 22. 3. S. Aug. Enarr. in psalm. 22. Idem sive alius Auctor antiquus sermone 366. alias 9. ex Sirmond.*
„ mus? An non eum qui per viam angustam ingreditur?
„ Ita nunc quoque non eos beatos pronunciemus qui vi-
„ vunt in deliciis, sed eos qui non vivunt. Hi properant
„ ad cœlum, illi ad gehennam. "

Solus Christus in viam vitæ nos introducit, quia solus ipse „ Dux est venientibus ad se; Perque ipsum nisi cur-
„ ratur, non itur ad ipsum: *Ipse enim est* via, veritas
„ & vita. *Eo duce gaudebat David per arctam justitiæ*
„ *viam ambulans*. Propter verba labiorum tuorum, *in-*
„ *quit*, ego custodivi vias duras . . . . Deduxit me su-
„ per semitas justitiæ propter nomen suum. *Id est* De-
„ duxit me in angustis itineribus, quæ pauci ambulant,
„ justitiæ suæ, non propter meritum meum, sed propter
„ nomen suum . . . *Quæ sunt autem semitæ justitiæ*, *in*

„ *in quibus te deduxit? Audi deductorem tuum.* Quam „ lata est, *inquit*, & spatiosa via, quæ ducit ad perdi- „ tionem; arcta autem & angusta via est quæ ducit ad „ vitam! *Omnis semita namque brevis est & compendio-* „ *sa.* Non ergo per delicias mundi, per opulentiam au- „ ri & argenti, lapidibus etiam vestibusque pretiosissi- „ mis conspicuum honore omni, nobilitate præditum, „ sapientia Philosophorum cuncta tumentem, Deus te „ ordinavit ire ad Regna cælorum .... Per semitas „ justitiæ ire te disposuit .... Contempta via lata & „ spatiosa, semitas arctas & compendiosas incedere te „ vult, per famem & sitim, per nuditatem, per jeju- „ nium, per ignobilitatem, per paupertatem, per de- „ spectum omnium præsentium.“

Psalm. 118. 96. S. Ambros. serm. 12. in hunc Psalm.

Via quidem salutis angusta est cupiditati, sed dilatatur charitati. “ Latum mandatum tuum nimis (*inquit* „ *Propheta.*) Rara virtus & difficilis passionum tolerantia. Plures sunt qui sæculi hujus spatiosa sectentur, „ quam qui dicant: Angusta & arcta nobis est via, quæ „ ad Dominum ducit, conterimur in illa, relinquamus „ eam. Quomodo ergo dicit Propheta latum mandatum „ Dei, & valde latum? Ideo quia angustæ viæ latum „ mandatum necessarium est.... O homo, quam latus „ es, si ad amplitudinem præceptorum cælestium sinum „ mentis tuæ expandas! Quam latum mandatum est cha- „ ritatis! *Unde Christus ait*: Jugum meum suave est, & „ onus meum leve.“ Suave nimirum & leve Deum diligentibus. Quomodo vero lata charitas, si angusta porta? Aut quomodo jugum suave est & onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ sunt quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem ipsa veritas solvit; quia, Via Dei & inchoantibus angusta est, & perfecte jam viventibus lata. „ Et dura sunt quæ contra consuetudinem „ spiritaliter animo proponimus: & tamen onus Dei „ leve est, postquam hoc ferre cœperimus: ita ut pro „ amore ejus etiam persecutio placeat, & omnis pro „ eo actio in mentis dulcedine veniat; sicut sancti quo- „ que Apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella to- „ lerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit; „ ipsæ viæ duræ spiritaliter currentibus molles & pla- „ næ fiunt, dum scit animus se pro temporalibus dolo- „ ribus æterna gaudia recipere, & hoc incipit quod af- „ fligitur amare. *Lugenda profecto cæcitas hominum*, „ Cum in itinere Dei faciliora & fructuosa ignava for- „ midine fugiuntur, in itinere sæculari duriora & ste- „ rilia ærumnoso labore tolerantur.“

Matth. 11. 30.

S. Gregor. M. Hom. 17. in Ezechielem.

S. Aug. Epist. 259. alia 226. S. Cæs. ser. 29. in Augustiniana Appendice 69.

Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, &c. „ Ecce homo, habes aquam & ignem, vi- „ tam & mortem: habes ante te bonum & malum, in- „ fernum & regnum, falsam dulcedinem mundi, & ve- „ ram beatitudinem Paradisi. Data est tibi potestas per „ gratiam Christi, ad quod volueris porrige manum: „ elige vitam, ut vivas, relinque sinistram & spatiosam „ viam, quæ trahit ad mortem, & tene dexteram & „ angustam, quæ te feliciter ducit ad vitam. Non te „ teneat, non te delectet sinistra. Illius latitudo ampla „ quidem est & plana, & diversis floribus ornata: sed „ flores illius cito marcescunt, & inter ipsos flores se „ serpentes venenosi frequenter abscondunt, ut dum „ tu ad falsa gaudia curris, veneno mortifero feriaris. Am- „ pla est, sed non longa. Attendis per qualem viam vadis; „ & non attendis ad qualem patriam pervenis? *Lata & spa-* „ *tiosa via est, quæ ducit ad mortem.* Delectat, quidem, „ sed decipit. E contrario dextera via non te contristet aut „ terreat: arcta quidem est, sed non longa. Nec in il- „ la lata diu gaudetur, nec in ista angusta diu laboratur. „ Illa post brevem latitudinem ad æternas angustias „ trahit, ista post breves angustias ad æternam beatitu- „ dinem ducit... Sed forte aliquis dicit, Vellem scire „ qui sint illi qui cum periculoso gaudio per latam de- „ scendunt; qui autem sint illi qui per arctam & angu- „ stam cum labore conscendunt. Omnes enim amatores „ Mundi, superbi, avari, raptores, invidi, ebriosi, & „ adulteria committentes, stateras dolosas & mensuras „ duplices habentes, odium in corde reservantes, ma- „ lum pro malo reddentes; spectacula vel cruenta & fu- „ riosa vel turpia diligentes, per latam & spatiosam „ descendere comprobantur: Casti vero & sobrii, mi- „ sericordes, justitiam tenentes, secundum vires suas ele- „ emosynas prompto & hilari animo facientes, contra „ nullum hominem odium in corde servantes, per arctam „ & angustam viam ad superna ascendunt. Et licet „ adhuc corpore habitare videantur in terris, tamen, „ secundum Apostolum, conversatio illorum in cœlis est: „ ut Sacerdote dicente, *Sursum corda*, securi respon- „ ant se habere ad Dominum .... Sinamus ergo si- „ nistram viam, cujus finis introducit in gehennam; & „ sequamur dexteram, quæ ad vitam ducit æternam. „ Ad illum pervenire debemus, qui est via & vita & „ veritas. Nec mirum, si ad illum fideliter pervenimus, „ per quem fideliter ambulamus. Nam quia ipse est via, „ per ipsum currimus: Quia vero ipse est patria, con- „ summato cursu ad ipsum pervenimus. Cum enim se- „ cundum divinitatem sit requies & Patria Angelorum, „ secundum humanitatem factus est via peregrinantium. „ O homo, si piger eras, ut quæreres viam; ipsa te „ via dignata est quærere; si piger eras venire ad viam; „ ipsa ad te via venit. Surge & ambula; fuge viam sæ- „ culi latam & spatiosam, quæ te ad tempus delectat, „ & in æternum cruciat: curre per viam Christi, in „ qua parvissimo tempore laborabis, & postea cum An- „ gelis sine fine gaudebis. Forte dicis, Per viam Chri- „ sti quomodo debeo currere? Si ambos pedes sanos ha- „ bes, feliciter curres. Qui sunt isti duo pedes? Si di- „ ligis Dominum & diligis proximum.“

Idem serm. 28. in Augustiniana Appendice 68.

„ 8. Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos „ in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi ra- „ paces. A fructibus eorum cognoscetis eos.“ Summa vigilantia & cautione opus, ne a falsis Doctoribus seducamur, quod nostræ certe saluti periculosissimum est. Admiranda Salvatoris bonitas & misericordia, qui nos a Magistris erroris cavere docet, ne in viam latam & spatiosam, quæ ad perditionem ducit, falsa doctrina sua nos pertrahant. Horum alii Fidei veritatem, alii Moralis Christianæ integritatem corrumpunt. Utrique ex fructibus cognoscuntur. Hæretici *veniunt ad nos*, non mittuntur a Christo, ab Apostolis, vel eorum successoribus, atque Pastoribus legitimis. Docendi & prædicandi munus invadunt, suarum origines Ecclesiarum, suorum successiones Sacerdotum non possunt ostendere; indeque novatores esse convincuntur, & doctrinæ ab Apostolis in Ecclesia depositæ violatores, operarii dolosi, fures & latrones, non parcentes gregi. Hinc Tertullianus Hæreticos ita compellat: “ Qui estis? Quando, & un- „ de veniistis? *Et de iisdem scribit*: Edant ergo origines „ Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum „ suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, „ ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel „ Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveravit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim „ modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut „ Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum „ refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum. Perinde utique & ceteræ exhibent quos ab „ Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis „ traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici, „ *Hinc Sanctus Cyprianus De Novatiano scribens*: No- „ vatianus (*inquit*) in Ecclesia non est; nec Episcopus „ computari potest, qui Evangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ortus „ est. *Et Sanctus Optatus Milevitanus his verbis Donatistas compellat*: Vestræ cathedræ vos originem edite, „ qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.“

Tertull. lib. de Præscript. Heret. c. 37. idem cap. 32.

S. Cyprianus Epist. 76.

Optatus Milevit. l. 76.

Attendite a falsis Prophetis. Id præsertim dictum Episcopis, qui Pastoralem Apostolorum & virorum Apostolicorum vigilantiam, ceteraque virtutes debent imitari. Vide S. Chrysostomum. *Veniunt in vestimentis* ovium, Scripturas Sacras in ore semper habentes, quas pro arbitrio interpretantur, imo corrumpunt, Traditionibus Apostolicis, & Ecclesiæ explicatione ac judicio contemptis ac rejectis. Hinc etiam Pseudoprophetas esse convincimus. „ Hæresis non recipit quasdam scripturas; & „ si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & „ detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: „ etii aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas „ expositiones commentata convertit. Tantum veri- „ tati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor „ stylus. Variæ præsumptiones. Necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur: His nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt... „ Ergo non ad Scripturas provocandum est: Nec in his „ constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut „ incerta victoria est, aut par incertæ .... Ordo re- „ rum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum „ disputandum est. Quibus competat fides ipsa: cujus „ sint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & „ quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani? Ubi „ enim apparuerit esse veritatem & disciplinæ & Fidei „ Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & exposi- „ tionum, & omnium Traditionum Christianarum... „ Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, „ quicumque in ea Regula incedimus, quam Ecclesia ab „ Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tra- „ didit; constat ratio propositi nostri definientis non esse „ admittendos Hæreticos ad ineundam de Scripturis provo- „ cationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas „ non pertinere. Nullum enim jus habent Christianarum „ Litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? „ Quando & unde veniistis? Quid in meo agitis non „ mei? Quo denique, Marcion, jure silvam meam cœ- „ dis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transver- „ tis? Qua potestate, Appelles, limites meos commoves? „ Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo „ origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. „ Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento „ suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita „ teneo. Vos certe exhæredaverunt semper & abdica- „ verunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem ex- „ tra-

S. Jo. Chrys. serm. 51. de Pseudoprophetis Tom. 6. Tertull. lib. de Præscript. Hæret. c. 17. & 19.

Idem c. 37.

„ tranei & inimici Apostolis Hæretici, nisi ex diversi-
„ tate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio ad-
„ versus Apostolos, aut protulit, aut recepit? "

Vincentius Lirinensis Comonitorio 1. *c.* 33. & 36.

Veniunt ad vos in vestimentis ovium. „ Videas eos
„ volare per singula quæque sanctæ Legis Volumina,
„ per Moysi, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apo-
„ stolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim
„ apud suos, sive alienos; sive privatim, sive publice; si-
„ ve in sermonibus, sive in libris; sive in conviviis, si-
„ ve in plateis, nihil umquam pene de suo proferunt,
„ quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur....
„ Sed tanto magis cavendi & pertimescendi sunt, quan-
„ to occultius sub divinæ Legis umbraculis latitant.
„ Sciunt enim fœtores suos nulli fere esse placituros,
„ si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cæ-
„ lestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille
„ qui humanum facile despiceret errorem, divina non
„ facile contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi so-
„ lent, qui parvulis austera quædam temperaturi pocu-
„ la, prius oras melle circumlinunt, ut incauta ætas
„ cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non re-
„ formidet. Quod etiam his curæ est, qui mala grami-
„ na & noxios succos medicaminum vocabulis præcolo-
„ rant, ut nemo fere ubi supra scriptum legerit reme-
„ dium, suspicetur venenum. Unde Salvator clamabat:
„ *Attendite vobis a falsis Prophetis, qui veniunt ad*
„ *vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi*
„ *rapaces.* Quid est vestitus ovium, nisi Prophetarum &
„ Apostolorum proloquia, quæ iidem ovili quadam since-
„ ritate Agno illi immaculato, qui tollit peccatum Mun-
„ di, tamquam vellera quædam detexuerunt? Qui sunt
„ lupi rapaces, nisi sensus Hæreticorum feri & rabidi?
„ Qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Chri-
„ sti quaqua possunt dilacerant: sed ut fallacius incautis
„ ovibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt
„ lupinam speciem, & sese divinæ Legis sententiis, ve-
„ lut quibusdam velleribus obvolvunt; ut cum quisque
„ lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos den-
„ tium pertimescat. Sed quid ait Salvator? *A fructibus*
„ *eorum cognoscetis eos.* Id est, cum cœperint divinas il-
„ las voces non jam proferre tantum, sed etiam expo-
„ nere, nec adhuc jactare solum, sed etiam interpreta-
„ ri: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies
„ intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur, tunc
„ profanæ novitates aperientur, tunc primum scindi spem
„ videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Catho-
„ licam Fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. "

S. Cyprianus Epist. 52. *S. Aug. Epist.* 208. *alias* 209.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Inde vero cogno-
scitur eorum feritas & rabies, quod gregem Christi dis-
sipant, quod unitatem scindunt, quod oves extra caulas
abducunt, quod extra Ecclesiam docent; uno verbo,
quod schisma faciunt. Unde S. Cyprianus de Novatiano
scribebat ad Antonianum Episcopum: *Quod ad Novatia-*
ni personam pertinet, de quo desideraſti tibi scribi, quam
hæresim introduxisset; scias, nos primo in loco nec curio-
sos esse debere quid ille doceat, cum foris doceat. Hinc
lupi cognoscuntur. *Etsi enim aliquos eorum bonos vide-*
tur ostendere laudabilis conversatio; malos eos facit ipsa
divisio, dicente Domino; Qui mecum non colligit, spargit.

A fructibus eorum cognoscetis eos: a corruptione scili-
cet fidei, a doctrinæ novitate, 2. Joannis Vers. 10. *Om-*
nis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi,
Deum non habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctri-
nam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE
ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, *communicat ope-*
ribus ejus malignis. Et Gal. 1. Vers. 8. 9. *Sed licet nos,*
aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod
evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus
vobis, & nunc iterum dico: Si quis evangelizaverit vo-
bis præter id quod accepistis, anathema sit. „ Principes

S. Aug. En. in Ps. 106.

„ sunt, docti sunt, magni sunt, lapides pretiosi sunt.
„ Quid adhuc dicturus es? Numquid Angeli sunt? Et
„ tamen si Angelus de cælo vobis annunciavit præter-
„ quam quod accepistis, anathema sit, quia & ipse dia-
„ bolus angelus de cælo lapsus est. " Falsos Prophetas
agnoscere, ab iisque cavere facile est omnibus, qui in fi-
dei simplicitate firmi & constantes, traditæ ab Apostolis
doctrinæ, quam Ecclesia docet & prædicat, immobiliter
adhærent; & statim atque contrarios huic doctrinæ erro-
res disseminari audiunt, præ illorum horrore aures occlu-
dunt. Ita se gerebant veteres illi Christiani, de quibus San-
ctus Irenæus: „ Quid autem (inquit) si neque Apostoli qui-

S. Iræn. lib. 3. adverſ. Hæreſ. c. 4.

„ dem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat or-
„ dinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus co
„ mittebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ
„ gentes Barbarorum, quæ in Christum credunt, scriptam
„ habentes per Scriptum in cordibus suis salutem, & ve-
„ terem Traditionem diligenter custodientes.... Hi quan-
„ tum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem
„ ad sententiam, & consuetudinem, & conversationem,
„ propter fidem sapientissimi sunt, & placent Deo conver-
„ santes in omni justitia & castitate & sapientia. Quibus
„ si aliquis annuntiaverit ea quæ ab Hæreticis adinventa
„ sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim con-

Natal. Alex. in Evang.

„ cludentes aures longius fugient, ne audire quidem su-
„ stinentes blasphemum colloquium. "

A fructibus eorum cognoscetis eos: Non solum ex no-
vitate doctrinæ, sed etiam ex inordinata disciplina &
conversatione. „ Non omittam (inquit Tertullianus)
„ ipsius etiam conversationis Hæreticæ descriptionem,
„ quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gra- *Tert. lib.*
„ vitate, sine auctoritate, sine disciplina; ut fidei suæ *de Præscr.*
„ congruens. Simplicitatem volunt esse prostrationem di- *Hær. c.* 41.
„ sciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocat, pa- *& 42.*
„ cem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim in-
„ terest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius
„ veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument,
„ omnes scientiam pollicentur. Ipsæ mulieres hæreticæ,
„ quam procaces, quæ audeant docere, contendere....
„ Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes.
„ Nunc Neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos,
„ nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia ve-
„ ritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam
„ in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri
„ est. Itaque alias hodie Episcopus, cras alius; hodie
„ Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras
„ laicus. Nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt,
„ De verbi autem administratione quid dicam; cum hoc
„ sit negotium illis, non Ethnicos convertendi, sed no-
„ stros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stan-
„ tibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur;
„ quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædi-
„ ficio venit, sed de veritatis destructione; nostra suffodi-
„ unt, ut sua ædificent. Ita fit ut ruinas facilius operen-
„ tur stantium ædificiorum, quam estructiones jacentium
„ ruinam. Ad hæc solum opera humiles & blandi, &
„ summissi agunt. Ceterum nec suis Præsidibus reverentiam
„ noverunt. Et hoc est quod schismata apud Hæreticos fe-
„ re non sunt: quia cum sint, non parent. Schisma est
„ unitas ipsis. Mentior si non etiam a suis regulis vari-
„ ant inter se, dum unusquisque pro suo arbitrio modu-
„ latur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea com-
„ posuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis, quod
„ Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbi-
„ trio suo fidem innovare. Plerique nec Ecclesias habent,
„ sine matre, sine sede, orbi fide, extorres sine lare va-
„ gantur. Notata sunt etiam commercia Hæreticorum
„ cum Magis quampluribus, cum circulatoribus, cum A-
„ strologis, cum Philosophis, curiositati scilicet deditis.
„ Adeo & de genere conversationis qualitas fidei æstima-
„ ri potest: doctrinæ judex disciplina est. "

Attendite a falsis Prophetis, quales & in Ecclesia non- *Ezech.* 13.
nulli sunt, qui Moralem Christianam corrumpunt, & san-
ctissimam Ecclesiæ solvunt disciplinam; qui *Dicunt bonum*
malum, & malum bonum: duces cæci, & duces cæcorum;
canes muti, non valentes latrare. De quibus Dominus apud
Ezechielem ait: „ Væ Prophetis insipientibus, qui sequun-
„ tur spiritum suum; & nihil vident. Quasi vulpes in de-
„ sertis Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex
„ adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut
„ staretis in prælio in die Domini, & divinant mendacium,
„ dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miserit eos:
„ & perseverarunt confirmare sermonem. Numquid non vi-
„ sionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti
„ estis? Et dicitis, Ait Dominus, cum ego non sim locu-
„ tus. Et erit manus mea super Prophetas qui vident va-
„ na, & divinant mendacium. In consilio populi mei non
„ erunt, & in Scriptura domus Israel non scribentur, nec
„ in terram Israel ingredientur. Et scietis quia ego Do-
„ minus Deus, eo quod deceperint populum meum, dicen-
„ tes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem;
„ illi autem liniebant eum luto absque paleis... Væ quæ
„ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cer-
„ vicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas:
„ & cum caperent animas populi mei, vivificabant ani-
„ mas eorum. Et violabant me ad populum meum propter
„ pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent ani-
„ mas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non
„ vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. "
Tantum abest ut ab hujusmodi falsis Prophetis Chri-
stiani caveant, ut etiam plerique illos quærant, & ab
iis dirigi velint. Qui secundum Evangelicæ Moralis re-
gulas, secundum Ecclesiasticæ Disciplinæ rigorem con- *Jerem.* 5. 31
scientias moderantur, qui sæcularium hominum cupi-
ditati nihil indulgent; qui artem conciliandi pietatis
professionem cum sæculi moribus non noverunt; qui non
recipiunt excusationes in peccatis; qui promissis homi-
num in eadem peccata lethalia relapsorum, postquam
centies iterata in pœnitentiæ tribunali melioris frugis pro-
missa violarunt, facile credere nolunt; plerisque Chri-
stianis non placent, nec ab illis quæruntur & eliguntur
Confessarii, seu Moderatores conscientiæ: *Prophetæ prophe-*
tabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus
suis, & populus meus dilexit talia: Quid igitur fiet in no-
vissimo ejus? Falsos Prophetas quadringentos congregat
Achab Rex Israel, & ab illis amat decipi; Michæam Pro-
phetam Domini odio habet, insectatur, affligit, quia præ-
dictiones suas ejus desideriis non accomodat. Christiani quam- 3. *Reg.* 22.

plurimi Achabum imitantur, & pariter pereunt, quia falsis Prophetis, ducibus cæcis, mollibus & facilibus nimium conscientiam Moderatoribus credunt, & ab iis decipi amant: sed nullatenus excusantur. Nihil prosunt ipsis Absolutiones velut furto acceptæ. *Furto quidem aggredi, & præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo invigilat, nec sinit obrepere indignos* (inquit Tertullianus): *Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura* (inquit S. Cyprianus.) Denique tam ipsi falsi Prophetæ, quam illi qui ipsos interrogant, illisque credunt, *portabunt iniquitatem suam: juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit.*

Tertull. l. de Pœnit. c. 6. S. Cyp. Tract. de Lapsis.

Ezec. 14. 10.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Sequuntur scilicet atque propugnant opiniones faventes cupiditatit contra legem; palpant, non pungunt peccatores, neque illis pœnitentiæ dolores infigunt; unius aut alterius Auctoris recentioris probabilem (ut vocant) opinionem anteponunt SS. Patrum, Conciliorum, & sanioris Moralis Magistrorum omnium doctrinæ, quam his verbis describit Sapiens: *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt a Pastore uno. Faciendi plures libros nullus est finis.* Quem locum *S. Hieronymus* sic interpretatur. „ Verba Sapientum firma sunt quasi clavi in altum solidumque defixi: nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu Magistrorum omnium proferuntur. Data sunt ab uno Pastore, quia licet plurimi doceant, tamen doctrinæ auctor unus est Dominus. Prudentes autem tam Prophetæ sunt quam Apostoli. Simul & hoc notandum est, quod dicantur verba sapientum pungere, non palpare; nec molli manu attrahere lasciviam, sed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo Sapientis. Verba quippe sapientum ut stimuli. Quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, & firma sunt, & a concessa, & solida radice fundata sunt ... exceptis his verbis quæ ab uno Pastore data, & a consilio atque consensu prolata sapientum, nihil facias, nihil tibi vendices: Majorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate ne discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem ... Moris est Scripturarum, quamvis plures libros, si inter se non discrepent, & de eadem re scribantur, unum Volumen dicere. Siquidem & Evangelium, & Lex Domini immaculata convertens animas, singulariter appellantur, cum plura Evangelia, & multa sint mandata Legis... Quicquid igitur dixeris, si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, unum volumen est, & innumerabiles libri; una lex unum Evangelium nominantur. Quod si diversa & discrepantia disputaveris, & curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris; etiam in uno libro multi libri sunt. Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne & veritas certo fine concluditur; malitia vero atque mendacium sine fine sunt: & quanto plus requiruntur, tanto major eorum series nascitur. "

Eccles. 12. S. Hier. in eum locum.

1. Tim. 6. 9. *Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* „ Duæ radices, una bonorum omnium, scilicet charitas, altera malorum omnium, scilicet cupiditas. Et Apostolus Paulus, cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium charitatem. Unde si duæ arbores bona & mala, duo sunt homines, bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ de bona volutate procedunt, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit; sed ex illo, & per illum, & in illo qui semper est bonus: nec tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium est ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecus rigat atque excolit per quemlibet Ministrum, & per se dat intrinsecus incrementum. Malam vero arborem homo facit, quando seipsum malum facit, quando a bono incommutabili deficit: ab eo quippe defectus est origo voluntatis malæ. "

S. Aug. l. de Gr. Chr. cap. 18. & 19.

S. Aug. l. 4. contra Julianum Pelag. c. 3. 10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Hinc S. Augustinus contra Pelagianos probat, veras in infidelibus virtutes non esse, quia ipsis fatentibus steriles sunt, nec Deo placent, cui sine fide placere impossibile est; ideoque earum opera nullius sunt meriti ad vitam æternam. „ Possunt, (*inquit*) „ aliqua bona fieri, non bene facientibus, a quibus fiunt. „ Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum „ facit: quia non bonus facit quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ „ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur. Ac „ per hoc nec fructus iste dicendus est; *Arbor enim mala „ fructus bonos non facit*: sed potius bonum opus est illius, qui etiam per malos bene facit ... Fieri non potest ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali. "

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, &c. *Cooperatores* igitur *simus gratiæ Dei operantis in nobis. Non dormientibus provenit Regnum cælorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: sed quia, sicut Apostolus ait.* Si compatimur & conglorificabimur, *illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: Qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, & sacramento consuluit & exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem.*

S. Leo serm. 34.

Excidetur, & in ignem mittetur. His verbis duplex supplicium exprimitur, ut observat S. Jo: Chrysostomus, amissio scilicet Regni cælorum, seu æterna privatio Dei, & cruciatus flammarum. „ Novi autem, inquit, quod plurimi pertimescant tantum gehennam: ego autem illius gloriæ amissionem multo amarius quam ipsius gehennæ dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est mirandum. Neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicita. tem quoque de eorum amissione perspicue scire possimus. Ceterum Paulus, qui ista cognita habebat, veracissime novit quoniam excidere a Dei gratia sit omnium profecto miserrimum. Non autem hoc tunc absque dubio disoemus, cum experimento cœperimus doceri. Sed istud ne patiamur, faxis Unigenite Filii Dei, neque experiamur intolerabile istud horrendumque supplicium quam grande sit. Nam quantum malum sit illorum bonorum portione privari, aperte quidem exprimi non potest, tamen prout possibile fuerit, conabor illud exemplis facere manifestum. Ponamus igitur adolescentem aliquem esse mirabilem, eumdemque & cunctis florere virtutibus, & totius tenere orbis imperium, tamque in omnibus esse perfectum, ut universos erga se homines patrio ardere faciat affectu. Quid non ergo istius patrem pati existimatis libenti animo, ne talis filii privetur conversatione? Quod vero vel exiguum vel grande malum non esse subiturum, modo ut illum videat, ejusque præsentia perfruatur? Hoc igitur de futura quoque gloria cogitemus. Neque enim sic filius patri, etiamsi virtutibus mille decoretur, desiderabilis est atque mirabilis, ut cœlestium fructus bonorum, ac resolvi, & esse cum Christo. Intolerabilis quidem res est gehenna: tamen si aliquis mille ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo, *Non novi vos.* "

S. Jo: Chrys. Hom. 24.

11. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei.* Hanc Christi Domini sententiam *S. Justinus* in Apologia ad Imperatores celebrat. „ Qui vero (*inquit*) deprehenduntur non ita viventes ut ille jussit, norint se non esse Christianos, etiamsi memoriter recitent Christi documenta. Dixit enim salvos fore non qui dicerent tantum, sed qui & opere facerent. *Bene in eamdem sententiam Scriptor Responsionum ad Orthodoxos, inter ejusdem S. Justini opera*: Ut boni simus vel mali, Deus non in cognitione posuit rerum noscendarum, sed in electione eligendarum. *Et antiquior Justino S. Ignatius Martyr*: Oportet nos non dici tantum, sed esse Christianos. Neque enim dici, sed esse, beatos facit. *Et post utrumque S. Basilius*: Si quis nomen Christianismi induens, Christum contumelia afficiat, nihil ipsi vocabulum proderit. *Salvianus denique eamdem Christi sententiam hunc in modum explicat & confirmat*: Cum hoc sit Christiani hominis fides, fideliter Christum credere; & hoc sit Christum fideliter credere, Christi mandata servare; fit absque dubio, ut nec fidem habeat qui infidelis est; nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est.... Quid est aliud Principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Sicut etiam per divinas litteras sacer sermo testatus est, dicens: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua:* Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.. Atrocius sub sancti nominis professione peccamus. Ubi sublimior est prærogativa, major est culpa. Ipsa enim errores nostros Religio quam profitemur, accusat. "

S. Justinus Apol. 2.

S. Ignat. Ep. ad Magnesios.

Salvianus l. 4. de Gubernatione Dei.

Prov. 11.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in 1. Cor. 12. 3.

Re-

Regnum cælorum. Merito potest movere, quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli, *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit Anathema Jesu, & nemo potest dicere Dominum*
1.Cor.12.3. *Jesum nisi in Spiritu Sancto*: „ Quia neque aliquos habentes „ Spiritum Sanctum possemus dicere non introituros in Regnum cælorum, si perseveraverint usque in finem; neque „ illos qui dicunt, *Domine, Domine*, & tamen non intrant „ in Regnum cælorum, possumus dicere habere Spiritum „ Sanctum. Quomodo ergo nemo dicit Dominum Jesum nisi „ in Spiritu Sancto, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum, *dicit*, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait: „ *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in* „ *Regnum cælorum*. Videtur enim dicere etiam ille, qui „ nec vult, nec intelligit quod dicit: sed ille proprie dicit, „ qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enunciat. Ergo „ dicere videntur etiam illi, qui non hoc quod sonant & intellectu cernunt, & voluntate agunt, sed voce tantum so„ nant: secundum quem modum Dominus ait, Non omnis „ qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum „ cælorum. Vere autem ac proprie illi dicunt a quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, se„ cundum quam significationem dixit Apostolus: Nemo potest „ dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto."

S. Aug. ib. 12. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus?* „ Ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine „ Christi, per eos qui nomen habent, & facta non habent, „ sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus. Non ergo cognoscet eum nisi qui operatur æquitatem. Nam & ipsos Dis„ cipulos suos prohibuit gaudere de talibus, id est, quod Dæ*Luc. 10.* „ monia illis subjecta fuerint. " *Verumtamen*, inquit, *in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Miraculorum donum, sicut & Prophetia, gratiæ sunt gratis datæ, quæ indignis quandoque conferuntur ad ædificationem fidei & aliorum salutem. Nihil igitur amplius propter miracula reddetur a Deo, in die illa generalis retributionis, iis qui miracula ediderunt; nihil minus iis qui miracula non fece*S. Jo. Chrys. Hom. 25. in Matth.* runt, si omnibus abundaverint virtutibus. *De mirabilibus siquidem debitores efficiemur Dei: pro bene autem acta vita Deum habebimus debitorem*. His qui mandata Dei non impleverint, tametsi in Christi nomine miracula patraverint, dicit Salvator: *Numquam novi vos*. Hoc est, me ipsi nesci*S. Ambr. in Ps. 36. 2. Tim. 2.* re voluistis: *Opera vestra me nesciunt, facta vestra me nesciunt. Etsi dicatis, quia me scitis, redarguunt vos peccata vestra*. Cognovit Dominus qui sunt ejus. *Simus ergo Domini, ut cognoscat nos Dominus, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*. Dicamus Christo, non sola
Idem serm. 12. in Ps. 118. voce, sed corde, *Tuus sum ego, salvum me fac*. Tu qui avaritiæ, ambitionis, luxuriæ mancipium es, quomodo potes Christo dicere, *Tuus sum*? Respondebit ille: „ Non quicumque dicet mihi, Tuus sum, meus est. Meus plane es, „ si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum „ animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse „ eum, qui ipse se non neget, aut certe si pro me seipsum si„ bi abneget. Nolo habere servulum pluribus Dominis ser„ vientem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat verbo, „ *Tuus sum*, & operibus neget, & factis se diabolo adjudicet & obstringat? Non est meus, quem libido succendit; „ quia mea est castitas. Non est meus, quem cura spoli„ andi minores exagitat; quia mea integritas est. Non est „ meus, quem ira nobilis inquietat; quia mea tranquillitas „ est. Non est meus vini crapula temulentus in lucem, am„ bitione gloriæ sæcularis ebrius, qui in periculum non pos„ sit sobriæ moderationis servare vestigium. Pax sum ego, li„ tigare non novi. Quid mihi ad eum de quo veniat diabolus, „ & dicat: Meus est, nam mihi sua colla curvavit, mea „ in illo plura reperio: Nomen sibi tuum vindicat, & meum „ munus? Non est ergo Christi, nisi qui est alienus a crimi„ ne, *qui facit voluntatem Patris ejus, qui in cælis est*." "
S. Aug. ser. 93. al. 23. de Verb. Dom. *Non novi vos*. Hoc est, *improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco; ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum, & nescit vitia, & judicat vitia: Nescit faciendo, judicat arguendo.*

13. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram*, &c. *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam su*Idem serm. 179. alias de Diversis 27. c. 8. *per arenam*, &c. „ Omnes intus verbi auditores sumus, & „ omnes foris & intus in conspectu Dei factores esse de„ bemus. Nolite ergo fallere vosmetipsos, quia veniistis „ studiose ad audiendum verbum, si non facitis quod audi„ tis deficiendo. *Cogitate si pulchrum est audire, quanto* „ *magis facere. Si non audis, auditum negligis, Nihil ædificas. Si audis, & non facis, ruinam ædificas. Domi*„ *ni Christi est de hac re proposita congruentissima similitudo*: „ Qui audit, *inquit*, verba mea hæc, & facit ea, simila„ bo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super pe„ tram. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt „ venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit. *Natal. Alex. in Evang.*

„ *Quare non cecidit? Fundata enim erat super petram. Ergo* „ *audire & facere, ædificare est super petram. Ipsum enim* „ *audire, ædificare est*. Qui autem, *inquit*, audit verba „ mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui „ ædificat. " *Et ipse ædificat. Quid ædificat?* Ecce ædificat domum suam: *sed quia non facit quod audit, & audiendo ædificat* super arenam. *Ergo super arenam qui audit & non facit, ædificat: super petram, qui audit & facit: Nec super arenam nec super petram ædificat, qui omnino non audit. Vide autem quid sequatur*: Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit; & facta est ruina ejus magna. *Spectaculum miserabile!* Igitur *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos*. Neque enim eum cujus verbum est, aut per quem dicitur verbum, sed vosmetipsos fallitis.

14. *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc,* Jacobi 1. *admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens* 22. *eos sicut potestatem habens*, &c. Hunc Sermonem Domini in Monte admirabantur turbæ; proinde non solos Apostolos spectabant hujus sermonis verba, sed Christianos omnes spectant, & in præceptorum necessariorum & immutabilium ordinem referenda sunt, ut docet Sanctus Bernardus. „ Sub hoc genere, *inquit*, est omnis illa Sermonis „ Dominici in Monte habiti spiritualis traditio, & quic*S. Bern. l. de Præcepto & Dispensatione* „ quid de dilectione, humilitate, mansuetudine, ceteris„ que virtutibus tam in Novo quam in Veteri Testamen„ to spiritualiter observandum traditur. Hæc quippe talia *cap. 3.* „ sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non ha„ beri. Eo siquidem immobiliter quo & naturaliter bo„ na, numquam nisi innocenter, numquam nisi salubriter „ aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, om„ ni personæ morte contempta, custodita salutem ope„ rantur."

Admirabantur turbæ super doctrina ejus. Christi doctrinam jugiter intendentes, non admiremur cum turbis, *Paschas. Radbert l. 4. in Matth.* sed operemur cum Apostolis, quatenus post finem vitæ coronemur cum illis. *Sed quam infelices sunt carnales adhuc hodie in Ecclesia, qui nec admirantur cum istis, eo quod non curant intelligere quæ dicuntur; nec credunt cum infidelibus, ut adhibeant meditationem operis; nec agunt cum Apostolis, ut possint assequi Regnum quod promissum est quærentibus!*

Erat enim docens eos sicut potestatem habens. &c. Quam *S. Greg. M. l. 23. Moralium c.* sententiam Sanctus Gregorius Magnus hunc in modum ex*7.* plicat. *Cum imperio docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam... unde etiam de Domino scriptum est*; Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ & Pharisæi. *Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit*. Recte autem subjungitur: *& non sicut Scribæ eorum & Pharisæi*. „ Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium, „ ut humiliter nesciant inferre quod doceant, & recte „ quæ sapiunt, recte ministrare non possint. In verbis „ enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quo„ dam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque „ quos docent, ut longe infra se positos velut in imo re„ spiciunt; quibus non consulendo loqui, sed vix dominan„ do dignantur. Recte autem his per Prophetam Domi„ nus dicit. *Vos autem cum austeritate imperabatis eis,* Ezech. 34. „ *& cum potentia*. At contra, vera doctrina tanto vehe„ mentius elationis vitium fugit per cogitationem, quan„ to ardentius verborum jaculis ipsum Magistrum elatio„ nis insequitur. Cavet enim ne eum magis elatis mori„ bus prædicet, quem in corde audientium sacris sermo„ nibus infectatur. Humilitatem enim quæ magistra est „ omnium materque virtutum, & loquendo dicere, & vi„ vendo conatur ostendere, ut eam apud discipulos veri„ tatis plus moribus quam sermonibus eloquatur. " Unde Sanctus Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprii Apostolatus oblitus, ait: *Facti sumus par*1. Thess. 2. *vuli in medio vestrum*. Hæc Episcoporum, Doctorum, Concionatorum forma. Vitæ sanctitate auctoritatem sermonibus suis atque doctrinæ conciliare debent; ambitionem & avaritiam fugere; charitatem, humilitatem, mansuetudinem in omni conversatione sua atque operibus exhibere; pietatem sectari, Christi mortificationem & crucis amorem amplecti ac præ se ferre; sibi dictum arbitrari quod scribit ad Timotheum suum Apostolus: *Exem*1. Tim. 4. *plum esto Fidelium in verbo, in conversatione, in chari*12. *tate, in fide, in castitate... Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.*

CAPUT VIII.

Sensus Litteralis.

1. CUM *autem descendisset de Monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*. Cum de monte illo, in quo

sermonem habuerat, descendisset Jesus, turbæ divinæ illius doctrinæ admiratione captæ illum sequutæ sunt. Non Scribæ ac Pharisæi, sed plebs simplex & docilis. *Recte autem post prædicationem atque doctrinam, signi offertur occasio: ut per virtutem miraculi, præteritus apud audientes sermo firmetur.* „ Quia enim quasi habens potestatem docebat, ne putaretur ostentatio esse quædam ac præ„ sumptio genus istud docendi, idipsum etiam operibus „ exercet. Curat enim quasi potestatem habens, ut ni„ hil jam omnino turbentur ita eum audientes docentem, „ quemadmodum vident etiam signa facientem. "

S. Hier. in cap 8. S. Matth. S. Jo: Chrys. Hom. 26. in Matth.

2. *Et ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* S. Marcus cap. 1. & S. Lucas c. 5. alia prius narrant miracula, ex quibus quænam præcesserint, incertum est. Idem leprosus est, cujus tres illi Evangelistæ meminerunt: quod idem gestus, eadem infirmi supplicantis, eadem Christi sanantis verba ostendunt. *Adorabat eum*, procidens in faciem, ut narrat Sanctus Lucas. Quæ adoratio non civilis tantum, sed religiosa fuit: neque ipsum ut hominem sanctum, aut Prophetam dumtaxat, sed ut Deum reveritus est, & adoravit, ut sequentia verba comprobant: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non est opus ut ores, alteriusve hominis opem, aut vim medicaminis adhibeas, sed sola voluntate & imperio me a lepra mundare, pristinæque sanitati restituere potes, cum verus Deus sis, proindeque omnipotens. Jesum enim Deum esse, fuerat edoctus interno Spiritus Sancti afflatu.

Victor Antioch. in c. 1. S. Marci & Cyril. Alex. in passim.

3. *Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra ejus.* Extendit manum super hunc aliosque infirmos, ut carnem suam vivificam esse ostenderet, utpote Dei Verbo personaliter unitam. Leprosum porro tangendo, non solvit legem, quam adimplere venerat. Lex enim contactum leprosorum non vetuit ut sanarentur, sed ne tangentes inficerentur; Christus autem infici non poterat. Certe omnia opera divina virtute patrata exempta semper fuisse a præceptis ritualibus, colligitur ex eo quod *Elisæus* pueri mortui cadaveri incubuerit, ut ei vitam restitueret, quamvis lex cadaveris contactum prohiberet. Leprosum præterea tetigit Christus, ut animæ lepram magis quam corporis fugiendam esse ostenderet. Tetigit, ut contra Manichæos carnis assumptæ veritatem probaret. Tetigit, simulque imperiale verbum adjunxit, *Volo, mundare*. Id est, mundus esto, ut se Deum esse demonstraret, cujus verbo & voluntate omnia fiunt. „ Tangit non dedigna„ tus, & imperat non diffisus; hoc enim est indicium „ potestatis, quia quasi habens potestatem sanandi, & „ jubendi auctoritatem, operandi testimonium non refu„ git. *Volo*, ergo dicit propter Photinum, imperat pro„ pter Arrium, tangit propter Manichæum. *Et confestim* „ *mundata est lepra ejus*. Nihil enim medium est inter opus „ Dei atque præceptum; quia in præcepto est opus. De„ nique *dixit*, & *facta sunt*. Voluntas Dei potestas est. „ Itaque statim lepra discessit; ut intelligas medentis af„ fectum, qui veritatem operi addidit. "

4. Reg. 4.

S. Ambros. lib. in Lucam n. 3.

Actor operis imperf. in Matth.

4. *Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Leproso mundato silentium imperat, donec sese ostenderit Sacerdotibus; ne si vulgata fama factum cognovissent, ipsum vere mundatum non esse dicerent, cujus mundities ipsorum judicio comprobata non esset. *Sed vade*, inquit ex confinio Capharnaum, ubi sanatus est, Hierosolyma, ubi Sacerdotes degebant. *Ostende te Sacerdoti*. Quod ideo imperavit, ut Legem se servare ostenderet: & ne extra civitatem & consortium hominum manere cogeretur Leprosus, cujus mundities a summo Sacerdote agnita & declarata non fuisset. Tum ut humilitatem exemplo doceret, debitamque Sacerdotibus reverentiam: tum denique ut mundatum videntes leprosum, aut crederent Salvatori, aut non crederent. Si crederent salvarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Ideo & munus offerri jussit Mosaica Lege præceptum. *In testimonium illis*, ut testata illis fiat innocentia mea, quem ut Legis adversarium calumniantur, & virtus qua miraculum curationis tuæ sum operatus; & accepto munere, te vere perfecteque mundatum esse, negare non possint.

S. Jo. Chrys. Hom. 26. in Matth. S. Hieron. in hunc locum.

Levitici 14. 1. 7.

Miraculum sanationis leprosi editum, cum Jesus esset in una civitatum, refert S. Lucas, id est, prope unam civitatem, scilicet Capharnaum, ut constat ex hoc loco. Nam *Levitici* XIII. urbium ingressus leprosis prohibetur. Similis modus loquendi in Scriptura non semel usurpatur. Christus in Jerusalem passus dicitur, quia prope urbem crucifixus est in Calvariæ monte. In Arca fuisse urnam auream Manna plenam, & virgam Aaron Apostolus scribit ad *Hebr.* IX. 4. id est, prope Arcam, in qua nihil fuisse præter duas Legis tabulas, constat ex 1. *Reg.* VIII. 9. Sic quinque Reges Amorrhæorum cum exercitibus suis contriti dicuntur plaga magna, & profligati *in Gabaon*, id est, prope Gabaon, *Josue* X. 10. Sic filii Dan castrametati dicuntur in *Carjathjarim*, id est, prope urbem illam, *Judic.* XVIII. 12. Unde sequitur: *Qui locus ex eo tempore castrorum Dan nomen accepit, & est post tergum Carjathjarim*, id est, illi ab Occidente est.

5. *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Eadem historia hic & *Lucæ* VII. 1. narratur. De eodem Centurione agi, circumstantiæ probant. Idem miraculum, eodem loco, scilicet in Capharnaum, eodemque tempore patratum, in servo Centurionis, eoque paralytico. Uterque Evangelista Centurionem dixisse refert: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* S. Matthæus post mundatum leprosum Centurionis accessum ad Jesum commemorat, S. Lucas mundationis leprosi postea meminit. Rem quo gesta est ordine narrat Matthæus, resumit Lucas quod prætermiserat. Post finem scilicet Sermonis Domini in Monte, Christum ingressum esse Capharnaum scribit, quia non ante sermonem urbem illam intravit; sed non expressit quantum fuerit intervallum temporis. Hoc autem temporis intervallo mundatus est leprosus. *Accessit ad eum Centurio*, non per se, sed primo quidem per Seniores Judæorum, deinde per amicos suos, cum Christum in domum suam venire audivisset. Nam & Deum orando adire dicimur *Hebr.* IV. 16. VII. 25. X. 22. XI. 16. & infra, *cap.* XI. *vers.* 3. Joannes dixisse dicitur, quæ per discipulos nuntiabat. Et *Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum*; ut habet Regula Juris. *Centurio*, qui centum hominum, peditum, cohorti præerat, homo Gentilis, in Judæos tamen tanta benevolentia propensus, ut Synogogam ipsis ædificasset (Luc. VII.) *Puer meus jacet in domo paralyticus*. Servus meus subita correptus paralysi, periculose decumbit; jamque morti proximus est. Non statim ait: Dic ut curetur, veritus ne tanto beneficio indignus esset, sed calamitatem dumtaxat suam exposuit.

S. Aug. lib. 2. de consensu Ev. cap. 20.

6. *Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.* Centurioni respondisse dicitur, quod Judæis ejus nomine venientibus respondit, de quibus Lucæ VII. *Jesus autem ibat cum illis.*

7. *Et respondens Centurio ait; Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Seniores Judæorum quos ad Jesum miserat, minus fidei quam Centurio, plus vero vanitatis habentes, non sunt functi fideliter legatione, sed partim non credentes posse Christum solo verbo absentem Paralyticum curare, partim ostendere volentes tantum se auctoritate valere, ut Christum adducere possent, contra quam in mandatis habebant, illum rogarunt ut veniret. De suo etiam addiderunt, quod S. Lucas refert: *Quia dignus est ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis.* Id ubi didicit Centurio, Jesumque non longe esse a domo sua, misit ad eum amicos, (ut Lucas refert) & per ipsos dixit: *Domine noli vexari: Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te.* Indignum se profitetur, cujus in domum Christus veniat, quia Gentilis. Magnam scilicet vitæ partem in cultu falsorum Deorum se exegisse sciebat, ideoque Judæos, in quorum etiam gratiam Synagogam extrui curaverat, convictum suum propiorem videbat abhorrere. Se peccatorem agnoscebat: ideo nec ipse ad Jesum accedere ausus est; nec sperare hunc honorem, gratiamque ut in domum suam veniret. *Sed tantum dic verbo.* Jube unico verbo, & sanabitur servus meus. Deum confitetur, qui unico verbulo facere possit quæcumque voluerit. *Ipse dixit, & facta sunt.*

S. Jo. Chrys. hom. 27. in Matth.

8. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me Milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alii, Veni & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit.* „ Cælestem militiam animo concepit, cujus Christum Du„ cem ac dominum esse credidit: cui etiam mortem ipsam „ ac morbos, ceteraque omnia sic esse subjecta non du„ bitavit, ut nonnulli milites sibi, imo etiam mul„ to magis: propterea dicere non ambigebat: " *Ego enim homo sum sub potestate constitutus:* hoc est, *Tu Deus, ego homo: Ego sub potestate, Tu vero sub potestate non es. Si ergo ipse qui homo sum, & sub potestate aliena, tot tantaque facile possum efficere: quid est quod facere ipse non possis, qui & Deus es, & sub aliena potestate non es?* „ Non enim quasi simile quoddam affert, sed „ comparationis præstantia hoc dicit, Christum plurimum „ præcellere significans. Quod si ego qui similis sum his „ quibus impero, & sub alterius potestate constitutus, ta„ men propter parvam excellentiam præfecturæ, nemine „ repugnante fiunt quæ jussero, quamvis diversa sint; „ *Alii enim dico, Vade, & vadit: alii, Veni, & venit:* „ Quanto magis ipse ad finem perducere poteris, quæ jus„ seris? " Christum igitur etiam morti imperare posse, ut servo Dominum, his verbis significavit; nec posse mortem in quemquam pervenire, si Jesus ei abscedere jusserit. Ait autem Centurio se *sub potestate* constitutum, scilicet non Imperatoris tantum, & Procuratoris Judææ, sed & Tribuni Militum, & tamen in alios vicissim Imperium habere, qui secundum disciplinæ militaris ordinem jussa ejus exsequuntur: ut mirum non sit,

S. Jo. Chrys. ibid.

si Chri-

si Christo, qui non subalterna, ut ipse, sed plane summa ac liberrima potestate præditus est, vel unico verbulo jubenti, omnia pareant, morbique & mors ipsa obsequantur.

9. *Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit; Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Miratus est Jesus, id est, admirantis more se habuit ac locutus est, ut adstantes idem admirari atque imitari doceret. Proprie enim admiratur, qui videt effectum, & ignorat causam: at Christus qui fidem Centurioni dederat, illius causam ignorare non poterat. „ An vero
S. August. lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetar. c. 7. „ (*inquit S. Augustinus*) alius eam in corde Centurio-
„ nis operabatur, quam ipse qui mirabatur? Et profecto
„ amplius est unde possunt blasphemare insipientes &
„ infideles, quod miratus est Jesus quantamcumque ho-
„ minis fidem, quam quod vidit Deus lucem quia bona
„ est. Potest enim quisque etiam solita videre quia bona
„ sunt, hoc est, sibi ea placita comprobare: Quisquis
Ibid. l. 1. de Genesi contra Manichæos c. 8. „ autem miratur, profecto secundum consuetudinem qua
„ homines loquuntur, inopinatum atque improvisum sibi
„ esse significat quod miratur. Sed Jesus qui omnia præ-
„ sciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando
„ laudabat... Omnes ergo tales motus ejus non pertur-
„ bati animi sunt signa, sed docentis Magistri. "

Non inveni tantam fidem in Israel. Id est, inter Israelitas antehac sanatos, quia vim divinam efficacem esse credebat sine ullo contactu, & solo verbo posse operari. Non autem comparat Centurionis fidem cum fide singulorum, etiam Apostolorum, & Beatæ Virginis, sed cum populi fide. Sic enim solemus aliquando generaliter loqui, ut eos de quibus dubium non est, excipiendos intelligamus. Sic dicit Rex, illum aut illum hominem esse totius Regni sui potentissimum & ditissimum, haud dubie se ipsum excipiens. Sic Christus non surrexisse majorem inter natos mulierum Joanne Baptista ait, non comprehendens se ipsum in generali illa locutione. Sic cum dicit, se non inveniisse tantam fidem in Israel, familiam suam, id est, Beatam Virginem, & Apostolos non comprehendit.

10. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno cælorum.* Sensus est, quemadmodum ille Centurio Gentilis de potentia mea ac divina virtute supra Judæos persuasus ad me venit, servique paralytici sanitatem impetravit; ita ex Gentibus plurimi simili persuasione ad me venientes, salutem æternam consequentur. Respicit Christus prædictionem Jacob factam, *Genes.* 28. vers. 14. quam proxime adimplendam esse docet: *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem & Orientem, & Septentrionem & Meridiem: & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Orientis & Occidentis nomine cunctas orbis regiones Christus hic significat. Recumbent, ad mensam; metaphora sumpta a convivio, in quo homines gaudiis & hilaritati dant operam, quo symbolo Regnum cælorum non semel in Scriptura sacra significatur. Judæi tam sanctos se existimant, ut cum Gentilibus nolint cibum sumere: at multi Gentiles cum ipsorum Majoristus, primisque Judaicæ Reipublicæ fundatoribus, Abraham, Isaac, & Jacob, quibus primis facta est Messiæ, ac Regni cælorum promissio, & quorum præcipue Deus vocatur omnium Deus, in cælesti mensa recumbent, in Regno cælorum gaudiis æternis perfruentur.

Is. 25. 9. 7. 8. Luc. 22. 29. Apoc. 27

11. *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Judæi vero quamplurimi, qui Regno cælorum quasi nati & destinati erant, ex fœderis a Deo cum ipsorum majoribus initi privilegio, nisi ipsi se indignos præstarent, ejicientur a Regno, ubi æterni convivæ non egebunt lumine solis, neque lucernæ, quia Deus ipse lux eorum erit: ejicientur (inquam) in tenebricosum inferni carcerem; a gloria cælesti in cruciatus sempiternos. Cœnæ convivales apud antiquos vespere fieri solebant; ideoque aulam in qua celebrabantur multis facibus accensis illuminare mos erat, cum necessitatis gratia, tum ambitionis & pompæ. Qui ergo in cœnaculo erant, in magno lumine; qui vero extra cœnaculum, in magnis tenebris versabantur. Hinc sumpta similitudine, Christus eos qui a Regno cælorum excludentur, ejiciendos fore ait in tenebras exteriores, ubi Deo vero lumine in æternum orbati, supplicia gravissima & nusquam finienda patientur. Tenebrarum nomine carcerem in Scripturis appellari notum est. Psalm. 106. *Sedentes in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro.* Isaiæ 49. 9. *Ut diceres his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Relevamini.* Sapientiæ 17. 2. *Dum enim persuasum habent iniqui posse se dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.* Erat porro Jerosolymis, ut in quibusvis aliis grandioribus urbibus præter alios carceres leviorum scelerum reis detinendis aptissimos, unus præ ceteris horridus & tenebrosus, & gravissima capitis pœna mulctandis destinatus, extra pomœria civitatis, quem *Betiso* vocatum *Villalpandus* observat, quasi locum stercoris, quod malefactores, velut urbium sordes, illuc conjicerentur. Hujusmodi ergo carceris nomine ac symbolo, qui tunc temporis erat in maximo horrore, & ob densissimas tenebras vocabatur *Tenebræ*, & ob situm dicebatur *Tenebræ exteriores*, Christus inferni carcerem significat in quo damnati intolerabiles æternosque cruciatus patientur, summamque inde tristitiam & rabiem, fletu ac dentium stridore expressam. Ex quo resurrectionis corporum veritatem *S. Hieronymus* probat. *Si fletus oculorum est*, inquit, *& stridor dentium ossa demonstrat: vera est ergo corporum, & eorumdem membrorum, quæ ceciderant, resurrectio.*

Villalpandus in Apparatu urbis ac Templi Hieros. lib. 2. c. 8.

S. Hier. in c. 8. Matth.

12. *Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Dixit Centurioni, id est, Centurionis amicis, ejus nomine supplicantibus. *Vade* Hebraismus est Scripturæ familiaris, quo significatur concedi quod petitur. *Sicut credidisti* me absentem corpore, præsentem Majestate, solo verbo servum tuum sanare posse, effectum habe, & optatis fruere. *Et sanatus est puer in illa hora*: Eo ipso momento quo Christus locutus est, a morbo perfecte convaluit. Unde Versio Æthiopica hic addit: *Cum reversus esset Dux in domum suam, invenit puerum sanatum.* Quod etiam in veteribus quibusdam codicibus Græcis legitur.

13. *Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem: & tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Id factum est post sermonem habitum in Synagoga Capharnaum, *Marc.* 1. vers. 29. *Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.* Confer cum *Luc. 4. vers.* 38. Domus Petri dicitur non quam possidebat, sed quam uxori & socrui reliquerat, cum sequutus Christum est, vel in quam se recipere solebat cum Andrea fratre, quando Capharnaum & Bethsaidæ versabantur. In altera enim harum civitatum, quæ vicinæ admodum erant, fuisse Petri domum, certum est. Capharnaum fuisse verisimilius, adeoque fuisse socrus ejus propriam. Porro socrus Petri ex gravi febre decumbebat. *Vidit* illam Jesus, utique juvandi affectu, quamvis pro illa a Discipulis rogaretur. *Et tetigit manum ejus*: Id est, *erexit eam apprehensa manu ejus*, ut Marcus explicat. *Et dimisit eam febris*, ipso scilicet vivificæ carnis contactu continuo fugata. *Et ministrabat eis*, parando cibum & necessaria Jesu, ejusque Discipulis. *Natura hominum istiusmodi est, ut post febrem magis lassescant corpora, & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Verum sanitas quæ confertur a Domino, tota simul redit*: nec sufficit esse sanatam, sed & virium subita perfectaque restitutio significatur his verbis, *surrexit & ministrabat illis.*

S. Aug. lib. 2. de Cons. Ev. cap. 21.

S. Hier. in hunc locum.

14. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes; & ejiciebat spiritus verbo; & omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* Vespere autem facto, Sabbati scilicet, quod finiebatur vespera, *cum sol jam occubuisset* (inquit S. Marcus) quod observatum voluerunt Evangelistæ ut innotesceret Christum nullos labores quantumvis intempestivos defugisse, ut homines curaret, omnibusque benefaceret: *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes.* Multi tunc temporis erant a Dæmone vexati, Deo permittente, ut Filium a se missum ostenderet ad dissolvendum opera diaboli. *Et ejiciebat spiritus verbo*, imperans ut e corporibus hominum exirent, eoque se non cælestium & terrestrium dumtaxat, sed & infernorum supremum dominum demonstrans. „ Operatio dæmonum, est hominis eversio. Sic malitia spi-
„ ritalis a primordio auspicata est in hominis exitium.
„ Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, &
„ aliquos casus acerbos, animæ verò repentinos & ex-
„ traordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad u-
„ tramque substantiam hominis adeundam subtilitas &
„ tenuitas sua. " Christianos in Christi nomine dæmones ex energumenorum corporibus ejecisse, *Tertullianus* testatur, his verbis Ethnicos compellans: „ Eda-
„ tur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmo-
„ ne agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui
„ spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur de ve-
„ ro, quam alibi Deum de falso..... Atqui omnis
„ hæc nostra in illos dominatio & potestas de nomi-
„ natione Christi valet, de commemoratione eorum
„ quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia
„ expectant, Christum timentes in Deo, & Deum
„ in Christo, subjiciuntur servis Dei & Christi. Ita
„ de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione
„ & repræsentatione ignis illius correpti etiam de
„ corporibus nostro imperio excedunt inviti & do-
„ lentes, & vobis præsentibus erubescentes. " Quanto majorem in Dæmones potestatem habuit, qui tantam servis suis potestatem concessit? *Et omnes male habentes*, qui ipsi oblati fuerunt, curavit potentissimus & beneficentissimus Medicus: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* Infirmi-

Isai. 53.

Theoph. in Comment.

Tertull. in Apolog.

tates

tates tam corporis quam animi ſuſtulit. Iſaias proprie & primario de peccatis loquitur, quod S. Matthæus ad morbos corporis accommodat, ſive quia Chriſtus corporis morbos nonniſi propter morbos animi curabat, ſive quia morbi corporis ſunt pœna fructuſque peccati. Unde & illorum curatio Prophetæ vaticinio conſequenter & ſecundario ſignificatur ac prædicitur. Primum ſenſum expreſſit S. Petrus his verbis: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*. Secundum S. Matthæus in hoc loco. Quia enim peccata ſua æternaſque miſerias homines non vident, nec ſpiritualem gratiam æternaque bona in Chriſto quærunt plurimi; ideo S. Evangeliſta in morbis corporis voluit peccata & miſerias æternas hominibus conſiderandas proponere, & per corporalium morborum curationem mentes eorum erigere ad agnoſcenda & expetenda ſpiritualia & æterna Chriſti beneficia. Oſtendit ergo hoc loco, ſenſum, finem & uſum miraculorum Chriſti non hunc eſſe, quaſi morbi atque miſeriæ corporis maximum eſſent hominibus malum, aut quaſi earum tantum levatio a Chriſto quærenda eſſet: ſed quia morbi corporis ſunt affectus & pœnæ, necnon typi & figuræ morborum animæ, ac præludia pœnarum ſpiritualium & æternarum: ut his miraculis doceremur in Chriſto impletum eſſe quod *Iſaiæ* 53. de redemptione humani generis a peccato & morte æterna ſcriptum eſt; nec minus promptum ac potentem eſſe ad tollendas ſpirituales & æternas noſtras miſerias, quam ad tollendos ac ſanandos morbos corporis hic ſe exhibuit. *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit*. Quod de peccatis dictum a Propheta S. Chryſoſtomus cenſet, ut cum Joanne conveniat dicente, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*. Cur ergo, inquit, de morbis id Evangeliſta interpretatus eſt? „ Certe aut „ hiſtorice teſtimonium Prophetæ accepit, aut ſignificare „ voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis origi„ nem trahere. Nam ſi mors quæ morborum omnium „ fons & caput eſt, a radicibus peccati pullulavit; quid „ mirum ſi ægrotationes multæ inde naſcantur. “

1. *Petr.* 2. 24.

S. Jo: Chry. Hom. 29. *in Matth.*

15. *Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſſit ire tranſfretum*. In ulteriorem ripam Lacus Geneſareth abire ſe velle Chriſtus Diſcipulis ſignificavit, ſibique navim & cetera ad trajectum neceſſaria parari juſſit. Turbas autem fugit, ut oſtentationem, faſtum, & vanam gloriam fugiendam exemplo doceret.

S. Chryſ. ib.

„ 16. Et accedens unus Scriba ait illi: Magiſter, ſe„ quar te, quocumque ieris. Et dicit ei Jeſus: Vulpes „ foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem „ hominis non habet ubi caput reclinet. “ Legiſperitus quidam turbis præſtantiorem ſe putans, ut ſuperbum erat illud hominum genus, ad Chriſtum acceſſit, ſeque diſciplinam ejus ſectari velle profeſſus eſt, illique perpetuo adhærere, non perfectionis, ſed lucri & gloriæ ſtudio, ſperans Chriſto tot miracula edenti potentiam ſæcularem ingenteſque divitias brevi adfuturas. Sed Chriſtus animo ac ſenſui interrogantis, non verbis reſpondens ait: Pecunias te ſperas collecturum, ſi me ſequaris? Nonne vides nec diverſorium mihi eſſe, nec tantum quidem, quantum avibus, id eſt, ne tabernaculum quidem ex frondibus & ramis contextum: ne quidem humile tugurium, ubi quieſcere poſſim ab injuriis aeris tutus; cum vulpes, animalia hominibus inviſa & noxia, foveas habeant, ubi commode lateant, dormiant, & ab aeris injuriis protegantur? *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Se *Filium hominis* Chriſtus vocat, commendans nobis quod miſericorditer dignatus eſt eſſe pro nobis, nempe magnum illud Incarnationis & exinanitionis ſuæ beneficium, & ſe illum ipſum eſſe ſignificans, quem Prophetæ prædixerant carnem aſſumpturum, eoque ipſo nomine *Filium* hominis appellaverant.

S. Jo: Chry. ibid.

S. Aug. l. 2. de conſ. Evang. c. 1. Theod. in c. 7. Danielis adverſ. 13. *S. Hier. in c.* 8. *Matth.*

„ Oſtenditur ergo nobis ob hoc Scribam repudiatum, „ quod ſignorum videns magnitudinem, ſequi voluerit „ Salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quæreret: „ hoc idem deſiderans, quod & Simon Magus a Petro „ emere voluerat. Talis ergo fides juxta ſententiam Do„ mini condemnatur, & dicitur ei: Quid me propter „ divitias & ſeculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim „ paupertatis, ut ne hoſpitiolum quidem habeam, & non „ meo utar tecto? “ Non ergo Scribam illum duris verbis Chriſtus repellit, ſed mutandos illi mores ac ſtudia docet, ſi illum ſequi velit, ejuſque Diſcipulus eſſe.

„ 17. Alius autem de Diſcipulis ejus ait illi: Domi„ ne, permitte me primum ire, & ſepelire patrem me„ um. Jeſus autem ait illi; Sequere me, & dimitte „ mortuos ſepelire mortuos ſuos. “ Alius e diſcipulis, cui Chriſtus dixerat, *ſequere me*, ut habetur *Lucæ* 9. 59. quem fuiſſe *Philippum* unum ex duodecim Apoſtolis, tradit *Clemens Alexandrinus* lib. 3. Stromatum, pag. 436. ait illi: *Domine permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum*: Adeſſe patri quamdiu vixerit, vel patrem jam defunctum ſepulturæ mandare. Ait illi Jeſus *Sequere me*: relictis omnibus, & hoc etiam pietatis officio, mihi individuus adhæreas, mihi pareas, cum alii non deſint qui patri illud impendant; & ad rem majoris momenti voceris, ſcilicet ad Evangelii profeſſionem & prædicationem. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Iis qui mortui ſunt quantum ad animam, peccatoribus ſcilicet qui Deum animæ vitam amiſerunt, dimitte curam ſepeliendi mortuos ſuos, ſibi ſimiles, corpore ſcilicet mortuos. *Tu vero vade & annuntia Regnum Dei*. Curare patris funus & pia res erat & neceſſaria: Vult tamen Chriſtus eam poſthaberi, dum eodem tempore melioris longeque majoris negotii opportunitas daretur, Dei gloriam & animæ ſalutem ſpectantis. Corpus anima deſtitutum, ut Philo Judæus explicat, ſignificat res omnes quæ corporales ſunt, & ad animam nihil pertinent. Ab harum rerum cura abſtrahere ſe debent qui Deo inſerviunt. In hujus rei figuram Lex tum Pontifici Maximo, tum Nazaræis præſcripta erat Levitici 20. & Num. 6. ne quantumvis proximorum exequiis intereſſent.

Luc. 9. 60.

Philo de Legibus ſpecialibus

„ Ea de cauſa (*inquit Philo*) maneat ſemper impol„ lutus, non attingens corpus mortuum, ut paratus ſuis „ temporibus peragat preces & ſacrificia pro genere hu„ mano, nullo intercedente impedimento. Nam cum „ Deo dicatus ſit, & ſancti Ordinis princeps, debet „ ſeorſim ſe habere a rebus genitis: neque liberorum, „ neque parentum, neque fratrum ita amore vinci, ut „ omittat aut differat quicquam eorum quæ quam pri„ mum fieri optimum eſt. “ Cum igitur Chriſtiani *Sacerdotes* & veri *Nazaræi* vocentur, ad illos, & præſertim ad Evangelii Prædicatores, & Eccleſiæ Miniſtros proprie ſpectat Lex illa ſpiritaliter intellecta. Hujus itaque ſenſum hic explicuiſſe videtur Chriſtus, cum ait Diſcipulo poſtulanti licentiam curandi paternum funus, antequam illum ſequeretur: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Oſtendit denique auditorij doctrinæ cœleſtis nihil eſſe præponendum, ſed rapiendam ambabus manibus diſcendi occaſionem. Agi enim rem maximam, conſecutionem aut jacturam vitæ æternæ. *Etiam ſepelire patrem tardum erat fidei* (inquit Tertullianus.)

18. *Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus. Et ecce motus magnus factus in Mari; ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat*. Orta tempeſtas in Mari Galileæ, ſeu Tiberiadis, ſeu in Lacu Geneſareth, volente Chriſto, ut Diſcipulorum ſuorum fidem probaret. *Ipſe vero dormiebat*, ſomno quidem naturali ad probandam naturæ ſuſceptæ veritatem, ſed voluntario & accerſito, ut tempeſtas ſine ejus conſilio orta videretur, & ſuorum diffidentia proderetur. *Dormiebat* autem *in puppi ſuper cervical*, ut ait Sanctus Marcus. *Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus*. In ſummo periculo verſamur, niſi nos adjuves. *Et dicit eis Jeſus, Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Quid timetis me præſente, quaſi veſtri curam & dormiens non geram? *Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. Tempeſtatem imperio ſuo compeſcuit. *Comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace & obmuteſce;* ut refert *S. Marcus*. Figurata locutio eſt. Imperium enim, ihcrepatio, & minæ proprie dictæ non fiunt niſi reſpectu creaturarum ratione præditarum. Hic autem tantum ſignificant vocem ejus fuiſſe efficacem, ita ut venti & mare auctoritati & voluntati ejus obediverint, non quidem ſentiendo, ſed motum ex imperio impreſſum ſuſcipiendo & ſequendo. *Sic omnes creaturæ ſentiunt Creatorem. Quas enim increpavit, & quibus imperavit, ſentiunt imperantem, non errore Hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed majeſtate Conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt*. Cum autem ad imperium Chriſti ſubito ſedata eſſet tempeſtas, & mare tranquillum factum eſſet, *homines mirati ſunt*, tum nautæ, & alii qui hac ipſa in navicula erant; tum ipſi Diſcipuli, quibus dixerat, *Ubi eſt fides veſtra?* ut ſcribit S. Lucas, *timentes, mirati ſunt, ad invicem* dicentes: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*

Marci 4. 38.

S. Hieron. in cap. 8. *S. Matt. Lucæ* 8. 25.

„ 19. Et cum veniſſet trans fretum in regionem Ge„ raſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de „ monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet „ tranſire per viam illam. “ Geraſa, ſive Gerſeſa, oppidum erat Syrorum ad Mare Tiberiadis. Cujus fines cum Chriſtus attigiſſet, occurrerunt ei duo dæmoniaci, de Monumentis exeuntes, in quibus habitabant, domibus exculſi. Sepulcra veterum cavernæ erant aut in rupibus exciſæ, aut lapideo vel lateritio opere cameratæ. Illuc Energumenos illos dæmones compulerant, ut illos acerbius torquerent horrore & fætore loci; ut odio humani generis mortuorum corporibus illuderent; ut viatores illinc aggreſſi majori horrore percellerent, illiſque moleſti eſſent; ut denique perſuaderent ſupeſtitioſis hominibus Hominum animas in dæmones mutari. *Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Quid tibi nobiſcum rei aut negotii eſt? Quid nobis moleſtus es? Filium Dei vocant veritatis evidentia coacti & inviti. *Sciebant enim eum eſſe Chriſtum*. Tantum vero eis innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit. „ Sed innotuit non „ ſicut Angelis ſanctis, qui ejus ſecundum id quod Dei „ Verbum eſt, participata æternitate perfruuntur; „ ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quo-

Luc. 8. 7.

Luc. c. 41.

S. Aug. l. 9. de Civitate Dei c. 21.

„ rum

„ rum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in suum Regnum, & gloriam semper veracem & veraciter sempiternam. Innotuit ergo „ dæmonibus, non per id quod est vita æterna, & „ lumen incommutabile quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur; sed „ per quædam temporalia suæ virtutis effecta & occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam „ malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paulum supprimenda judicavit, & aliquanto altius latuit, dubitavit de illo Dæmonum Princeps, eumque „ tentavit, num Christus esset exploranis, quantum se „ tentari ipse permisit, ut hominem quem gerebat ad „ nostræ imitationis temperaret exemplum. Post illam „ vero tentationem, cum Angeli, sicut scriptum est, „ ministrarent ei, boni utique & sancti, ac per hoc spiritibus immundis metuendi & tremendi, magis magisque innotescebat dæmonibus quantus esset, ut ei jubenti, quamvis in illo contemptibilis videretur carnis „ infirmitas, resistere nullus auderet. *Quid nobis & tibi, Filii Dei? veniisti ante tempus torquere nos?* Clarum est in his verbis, quod in eis & tanta scientia „ erat, & charitas non erat. Pœnam quippe suam formidabant ab illo, non in illo justitiam diligebant. "

Veniisti ante tempus torquere nos? Ante supremi judicii
2.Petr.2.4. Judæ 6. diem, in quem nimirum *reservari* se norunt, *in tartaro cruciandos*, & *vinculis æternis sub caligine* alligandos; quamvis & tunc ubique suarum circumferant tormenta pœnarum, qui in aere & in terris circuire, ad exercitationem aut punitionem hominum, a Deo permittuntur. Sed torquentur Dæmones, cum hominibus nocere, vel eos tentare prohibentur; torquebuntur magis post ma-
S.Aug. l. 8. de Civitate Dei cap. 23. gni judicii diem in abyssum relegati. Unde S. Lucas notat quod *Rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Veniisti ante tempus torquere nos? „ Sive „ quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur; sive quia perditionem suam hanc „ ipsam dicebant, qua fiebat ut cogniti spernerentur. „ Et hoc erat ante tempus, id est, ante tempus judicii, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus qui eorum societate detinentur: „ sicut Religio loquitur, quæ nec fallit nec fallitur.
S. Hier. in c. 8. Matt. „ Quemadmodum si servi fugitivi post multum tempo„ ris dominum suum videant, nihil aliud nisi de verbe„ ribus suspicantur: sic Dæmones cernentes Dominum „ in terris repente versari, ad judicandos se venisse cre„ debant. " *Præsentia Salvatoris tormentum erat Dæmonum.*

20. *Erat autem non longe ab illis*, circa montem scilicet, vel in monte, *grex multorum porcorum pascens*. Qui Gentilium forte fuit, in Gerasenorum regione cum Judæis permixtorum; vel Judæorum, quibus quidem sus còmedere lex vetabat, non autem alere, & Gentilibus vendere, ut colligitur ex Deuteronomii cap. 14. „ Sus „ quoque quoniam dividit ungulam, & non ruminat, „ immunda erit. Carnibus eorum non vescemini .... „ Omne quod mundum est, comedite: Quidquid autem „ morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui „ intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei. " Magistrorum quidem Traditionibus vetitum erat Judæis porcos alere; resque erat infamiæ plena, ut probat *Lightfoot* in Horis Hebraicis, ad cap. 8. S. Matthæi: sed plures lucro illecti, Magistrorum traditiones tanta religione non servabant.

„ 21. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si „ ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et „ ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & „ ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare; „ & mortui sunt in aquis. " Christum agnoscunt judicem & Dominum inviti. Optabant in porcos ire, a Christo se impediri & prohiberi posse non dubitabant, qui illos ex corporibus hominum ejecerat: unde illum rogabant, permitteret in porcos ut irent. Id autem optabant dæmones, primo odio hominum, ut si non corporibus, saltem bonis ipsorum nocerent, & incolas nova clade afficerent. Secundo, ut Christum in odium adducerent, incolasque ab ejus prædicatione absterrerent. *Ait illis, Ite*. Permittentis vox fuit, non imperantis. Id autem per-
S Jo.Chrys. Hom.29. in Matth. misit Christus gravibus ex causis. Primo, ad gloriam Dei, suæque virtutis ostensionem, ut omnes qui regionem illam habitabant, quanta illius potestas esset intelligerent. 2. Ut qui liberati erant a dæmonibus perspectum haberent quanta esset beneficii illis a Christo collati magnitudo: & quod nisi in ipsa calamitate divina providentia servati essent, graviora longe mala passi essent a dæmonibus a quibus vexabantur. 3. Ut hinc di-
S.Athan.in vita S.Antonii. S. Hilar. in Coment. scamus, ne in porcos quidem dæmones impetum facere posse, nisi Deus permittat, multo minus in homines. 4. Ut porcorum jactura homines, quorum erant, puniret, vel erudiret. 5. Ut Sadducæos refelleret, qui dæmones esse spiritus subsistentes negabant, sed pravas corporum
S. Hieron. in Coment. & animorum affectiones esse fingebant.

22. *Pastores autem* porcorum *fugerunt*, terrore correpti; & *venientes in civitatem*, Gerasam vel Gadaram, *nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant*. Totam miraculi a Christo Jesu patrati seriem civibus exposuerunt: *Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu*: id est, cives universi, aut maximo certe concursu, & *viso eo rogabant, ut exiret a finibus eorum:* An ex humilitate, qua se Domini præsentia indignos judicarent, sicut Petrus, cum dixit, *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum?* Immo potius ex timore carnali, ne scilicet gravioribus damnis, Christo præsente, afficerentur. Quod Sanctus Lucas significat his verbis: *Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur.* *Luc. 8. 37.*

23. In hujus narratione miraculi quædam esse videtur prima fronte inter sanctos Evangelistas dissonantia: revera tamen nulla est. „ Quod enim Matthæus duo fuis- *S.Aug. l.2. deConsensu Ev. c. 24.*
„ se dicit, qui legionem illam dæmonum patiebantur, „ quæ in porcos ire permissa est, Marcus autem & Lu„ cas unum commemorant: intelligas unum eorum fuis„ se personæ alicujus clarioris & famosioris quem regio „ illa maxime dolebat, & pro cujus salute plurimum „ satagebat. Hoc volentes significare duo Evangelistæ, „ solum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus „ fama latius præclariusque fragaverat ... Aut certe „ illius dumtaxat meminit S. Lucas, qui a sæviore dæ- *S.Jo.Chrs. hom. 29. in Matt.*
„ mone vexabatur: quo circa & quasi tragico dicendi „ genere illius calamitatem enarrat, quod nulla vincu„ la, nullæ catenæ ipsum detinerent, sed omnibus diru„ ptis infelix erraret per desertum. Marcus autem lapi„ dibus seipsum cædere solitum adjecit .... Nec quod *Marci 4.*
„ verba Dæmonum diverse ab Evangelistis dicta sunt, „ habet aliquid scrupuli; cum vel ad unam redigi sen„ tentiam, vel omnia dicta possint intelligi. Nec quia *Luc. 8.*
„ pluraliter apud Matthæum, apud illos autem singula„ riter loquitur; cum & ipsi narrent, quod interrogatus „ quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod „ multa essent dæmonia. Nec quod Marcus dixit circa Montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in „ Monte, quidquam repugnat. Grex enim porcorum tam „ magnus fuit, ut aliquid ejus esset in monte, aliquid „ circa montem. Erant enim duo millia porcorum, sic„ ut Marcus expressit. "

SENSUS MORALIS.

1. ET *ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare*. In lepra cor- *Num. 12. vers.10.11.*
ruptio hominis per peccatum; in leprosi curatione, reparatio hominis per pœnitentiam adumbratur. Lepra fœdus horribilisque morbus quo cum percussa esset Maria soror Moysis & Aaronis ob æmulationem, & murmurationem, Aaron ait ad Moysen: „ Obsecro, Domine mi, ne im„ ponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus, ne „ fiat hæc quasi mortua, & ut abortivum quod projici„ tur de vulva matris suæ. Ecce jam medium carnis „ ejus devoratum est a lepra. *At longe fœdior, horribi„ lior, & periculiosior animæ lepra, de qua S. Bernar„ dus*: Quis in nobis tantæ patientiæ est & virtutis, *S. Bern. Tract. de Conversione adClericos c. 3.*
„ ut si forte (quemadmodum de Maria sorore Moysi le„ gitur) carnem suam subitanea quadam lepra male ca„ dentem viderit, æquo animo stare possit, & gratias „ agere Creatori? Quid vero est caro ista, nisi corrupti„ bilis quædam tunica qua vestimur? Aut quid lepra „ hæc corporea electis omnibus æstimanda, nisi paterna „ virga correptionis, & purgatio cordis? Ibi tribulatio „ vehemens, & justissima causa doloris est, cum excita„ tus a somno miseræ voluptatis, interiorem cœperit „ quis deprehendere lepram, quam sibi ipse multo stu„ dio & labore quæsivit. Licet enim nemo oderit car„ nem suam, sed multo minus odisse potuerit animam „ semetipsam. "

Leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Peccator vere pœnitens Deum fide quærit reverentiæ plena, ad eum accedit corde contrito & humiliato, Majestatem ejus supremam adorans, de peccati sui gravitate & fœditate erubescens, propter quod a Christi & sanctorum societate separatus est, ut olim leprosi ab hominum consortio; propter quod a sancta civitate Jerusalem, id est a Regno cœlorum ejici meruit, ut leprosi quondam ex urbibus ejiciebantur; propter quod tandem purificari indiget, non immolati super aquas vivas passeris sanguine, sed sanguine Christi, propriisque lacrymis. Imitari debet peccator pœnitens leprosi supplicantis fidem, humilitatem, fervorem, fiduciam de misericordia Dei nihil præsumentem, sed totum ipsi committentem. „ Magna est prudentia accedentis & „ fides, (*inquit S. Jo: Chrys.*) non enim quasi inconside- *S.Jo:Chrys. Hom.26. in Matth.*
„ ratus sermonem docentis incidit, nec illud auditorum „ theatrum importunus intercidit, sed expectavit tem„ pus aptissimum, & ubi descendisset, jam ei opportu„ nissime supplicavit. Nec sane negligenter ac tepide, „ sed cum ingenti mentis ardore. Nam sicut alter Evan„ gelista dicit, supplicavit fixis in terra genibus advo„ lutus, eumque fide pura prorsus & vera, ac ipsa exi-

stima-

„ stimatione digniſſima. Non enim dixit; Si orayeris „ Deum; ſed, ſi velis, potes me mundare: Neque ait, „ Domine, munda me; ſed ipſi cuncta commiſit, eum- „ que conferendæ ſanitatis dominum eſſe confeſſus eſt, „ atque in ipſo conſtituit omnium poteſtatem. "

Adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. „ Ille qui excludebatur a lege, purgari ſe „ Domini poteſtate præſumens, non ex lege, ſed ſupra „ legem eſſe gratiam judicavit, quæ leproſi maculam „ poſſet abluere. Verum ut in Domino poteſtatis aucto- „ ritas, ita in illo fidei conſtantia declaratur. Ille in „ faciem procidit, quod humilitatis eſt & pudoris; ut „ unuſquiſque de ſuæ vitæ maculis erubeſcat, ſed con- „ feſſionem verecundia non repreſſit. Oſtendit vulnus, „ remedium poſtulavit: & ipſa religionis & fidei plena „ confeſſio eſt. *Si vis*, inquit, *potes me mundare*. In „ voluntate Domini tribuit poteſtatem: de voluntate au- „ tem Domini non quaſi pietatis incredulus dubitavit, „ ſed quaſi colluvionis ſuæ conſcius non præſumpſit. "

S. Ambroſ. l. 5. in Luc. n. 1. & 2.

S. Fulgentius l. 2. ad Traſimundum c. 12.

Quantus lepra ſpiritali infectorum numerus, quam non agnoſcunt ipſi, nec opem cœleſtis Medici implorant; aut certe de illius poteſtate & bona ad eos ſanandos voluntate diffidunt! Diſcant a leproſo dicente, *Domine, ſi vis, potes*: Diſcant, inquam, *divinam voluntatem ipſam eſſe pleniſſimam poteſtatem*.

2. *Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare*. „ Si prava fuiſſet opinio leproſi, Jeſum „ eſſe Deum omnipotentem credentis, proculdubio illam „ deſtrui, iſtum vero corripi oportebat & corrigi. Id „ tamen non facit Jeſus: quinimo totum quod dixerat „ aſſenſione & operatione confirmat. Idcirco non dixit „ ſimpliciter, *Mundus eſto*; ſed, *Volo, mundus eſto*. „ Non ita Apoſtoli: ſed cum homines ſanato ab illis „ claudo ex utero matris obſtupiſſent: *Quid vos*, inqui- „ unt, *admiramini, quaſi propria poteſtate & virtute „ fecerimus hunc ambulare?* Dominus autem ait; *Volo, „ mundare*. Et certe tot & tanta ſigna operatus, num- „ quam hoc verbo uſus refertur. Hic vero ut de pote- „ ſtate opinionem & leproſi firmaret & populi, addidit, „ *Volo*. Et non ſolum id dixit verbo, verum continuo „ ſermonem opus ſequutum eſt. Si vero non bene dixiſ- „ ſet leproſus, cohibenda fuerat virtutis operatio; nec „ enim blaſphemiam Deus confirmaſſet miraculo. Nunc „ autem ſubito ceſſit juſſui natura, cum tanta utique „ celeritate, quanta Deum convenit operari & profecto „ majore quam Evangeliſta memoravit. Nam ipſa quoque „ vox *confeſtim*, multo tardior eſt illius operis celerita- „ te, leproſi ſcilicet curatione. Non autem ait ſimpli- „ citer, *Volo, mundare*, ſed *extendens manum, tetigit „ eum*: Ut oſtenderet non ſe ſubditum eſſe legi ſed Do- „ minum, & quod cuique mundo nihil ſit immundum. „ Heliſæus quidem neque vidit Naaman leproſum, ſed „ & offenſum eſſe audiens, quod ad eum non eſſet egreſ- „ ſus, nec tetigiſſet, legem ad apices obſervans manet „ domi, eumque ad Jordanis fluenta mittit lavandum. „ At vero Chriſtus oſtendit quod non ut famulus, ſed „ ut Dominus curet ac tangat. Non enim tangentis ma- „ nus immunda per lepram facta eſt, ſed per ſanctam „ manum corpus omne leproſi mundatum. Non ſolum „ enim corpora curaturus advenit, ſed animas quoque „ eruditurus. Sicut ergo veſci manibus illotis omnino „ non prohibet, legem de ciborum indifferentia conde- „ ns: ita hic Judaicis illis externiſque purgationibus omiſ- „ ſis, Animæ purgationi ſtudium omne adhibendum eſſe „ docet, ac ipſius lepram, quæ peccatum eſt, ſolum- „ modo eſſe metuendam. Nam leproſum eſſe corpore nul- „ lum impedimentum poteſt afferre virtuti. Quamvis au- „ tem peccatum omne lethale ſit Animæ lepra, maxi- „ me tamen verba divini contemptus. " Unde S. Am- broſius, *nec unius tantum* (inquit) *lepra curatur, ſed omnium quibus dicitur*: Jam vos mundi eſtis propter ſer- monem quem locutus ſum vobis. *Si igitur lepræ medicina verbum eſt: contemptus utique verbi lepra mentis eſt.*

S. Jo. Chryſ. hom. 26. in Matth.

S. Amb. lib. 5. in Luc. n. 5.

Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. In juſtificatione peccatoris manum inviſibilem Deus extendit, cor tangit per gratiam ſuam, intus ad cor loquitur, ſanitatis deſiderium inſpirat, fidei, ſpei, charitatis inchoatæ motus operatur, gratiam orationis infundit, qua peccator Chriſto ſupplicat ut animæ ſuæ lepram curet omnipotentiſſima voluntate, quæ ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes facit: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Hoc bonæ voluntatis initium, quæ præparatur a Domino. Sed hic non ſiſtit Dei manus virtuſque: ait enim, *Volo, mundare*. Imperio ſuo gratiam cupiditatis victricem infundit, voluntatem boni plenam & robuſtam, tribuit vires efficaciſſimas voluntati, rebellem propitius ad ſe convertit, delet penitus peccata, mundat animam, ſibique gratam efficit, idque convertit confeſtim, & ſine mora. Nam gratiæ ejus tempus agendi ſemper adeſt; nec moribus illi fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis, nec quod ſola poteſt, cura officiove miniſtri exequitur, famuliſve vicem committit agendi. Quod igitur Chriſtus deſcendens de monte, poſteaquam præcepta illic Diſcipulis & multitudini dedit, leproſum ſtatim extendens manum ſuam curat, *Significat eos qui de illis implendis dubitabant, ſuo auxilio ab hujuſmodi varietate mundari*.

3. *Et ait illi Jeſus: Vide, nemini dixeris; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis*. Ne lepra tranſire poſſit in Medicum, unuſquiſque dominicæ humilitatis exemplo jactantiam vitet. „ Cur enim præcipitur nemini dicere, niſi „ ut doceret non vulganda noſtra beneficia, ſed premen- „ da, ut non ſolum a mercede abſtineamus pecuniæ, ſed „ etiam gratiæ. " Sine cujuſquam miniſterio lepram ſpiritalem peccati Chriſtus abſtergere poteſt, ſed quam Eccleſiæ ſuæ & Sacerdotibus novi Teſtamenti, dedit poteſtatem remittendi peccata, vult agnoſci a nobis & credi, noſque ejuſdem Eccleſiæ clavibus ſubjici. Poteſtas enim Sacerdotum novæ Legis longe major ac præſtantior eſt poteſtate Sacerdotum Legis veteris. „ Corporis le- „ pram purgare, ſeu (ut verius dicam) haud purgare „ quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdoti- „ bus ſolis licebat. At vero noſtris Sacerdotibus non „ corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purga- „ tas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. "

S. Aug. lib. Quæſt. 17. in Matt. qu. 4.

S. Jo. Chryſ. lib. 3. de Sacerdotio c. 3.

Verum cavere debent ne pœnitentes velut a peccati lepra mundatos ad Euchariſtiæ participationem admittant, niſi de ipſorum curatione per dignos pœnitentiæ fructus certiores fiant; & Sacerdotum veteris Legis imitari debent diligentiam, qui mundos non declarabant leproſos, nec eorum munus recipiebant, neque ad ſacrificiorum participationem illos admittebant, niſi accurate diſcuſſiſſent nihilne penitus lepræ ipſis adhæreret. Dominicam illam ſententiam, „ Quodcumque ligaveris ſuper ter- „ ram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſol- „ veris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; *Sanctus „ Hieronymus hoc in ſenſu explicat*: Iſtum locum Epiſ- „ copi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de „ Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent in- „ nocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cum apud „ Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita que- „ ratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur „ ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, „ tunc a Sacerdote immundi fiant, non quo Sacerdotes „ leproſos faciant & immundos, ſed quo habeant noti- „ tiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere qui „ mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi lepro- „ ſum Sacerdos mundum vel immundum facit: ſic & hic „ alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter: non eos qui „ inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum pec- „ catorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit qui- „ ve ſolvendus. "

S. Hier. in c. 16. Matt.

4. *Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*. Centurionis hujus charitatem domini erga ſervos imitentur, ipſoſque ut fratres in Chriſto tractent; illorum infirmitatibus compatiantur, illoſque in morbis tum corporis tum animæ procurent ac ſublevent. „ Si eſt tibi ſervus fidelis (*in- „ quit Sapiens*) ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fratrem „ ſic eum tracta . . . . Si quis ſuorum, & maxime do- „ meſticorum curam non habet, (*inquit Apoſtolus*) fi- „ dem negavit, & eſt infideli deterior . . . . Non eſt „ Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; „ non eſt maſculus, nec fœmina. Omnes enim vos unum „ eſtis in Chriſto Jeſu. " Domini ac ſervi, quamvis inæquales conditione, natura tamen æquales ſunt, & ſi Chriſtiani, gratia Regenerationis fratres, æquali pretio Sanguinis Chriſti redempti; forte etiam ſervi juſtiores ſunt Deoque gratiores dominis, forte ad majorem gloriæ gradum in cœlis electi. *Puer meus*. Servum uſitato quidem loquendi more, ſed pietatem dominorum erga ſervos ſignificante puerum vocat. Nam ut ſcribit Tertullianus: *Gratius eſt pietatis nomen quam poteſtatis: Etiam familiæ magis patres quam domini vocantur*.

Eccli. 33. v. 31. 1. Tim. 5. 8. Galat. 3. 28.

„ Centurionis compatientem animum ſuſpice. Non enim „ ſprevit ægrotantem famulum, ſed talem ſollicitudinem „ ei adhibuit, quantam ſibi ægrotanti exhiberi voluiſſet. „ Noverat enim æquales naturæ partes; neque ut man- „ cipium ſpernebat, ſed ut conſervum miſerabatur, com- „ munem univerſorum Dominum ſciens. At multi divi- „ tum, a ſervis quidem, cum ſani ſunt, abſque ulla in- „ dulgentia obſequia exigunt, ægrotantium vero nul- „ lam agunt curam: quin ubi incidit morbus, jacente „ humi ancilla nihil dominus attendit, nec inviſit do- „ mina. Sin autem aliquando dominum locum adire ne- „ ceſſe ſit, non viſitat ut naturæ cognatione conjun- „ ctum, ſed torvo obtutu aſpicit, duro compellat ſer- „ mone, ac per tumorem ſuperbiæ naturæ cognationem „ negat. Numquid Scripturas non legiſtis? Neſcitis quid „ ſanctus David dicat? *Ecce ſicut oculi ſervorum in ma- „ nibus dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in „ manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum „ Deum noſtrum*. Moveat te imago. Infirmæ ac ægro- „ tanti impende auxilium. Salvator, Dei Filius unigeni- „ tus, hominum cauſa homo fieri voluit: Tu cum ſis

S. Jo. Chryſ. ſerm. in Centurionem apud Savil. Tom. 7. aut S. Aſterius.

Pſalm. 122.

homo,

„ homo, cognatam naturam commiseratione prosequi re-
„ nuis? Ac quidem cum brutum animal crure læsum
„ fuerit, curam ejus agis propter necessarium usum:
„ cum autem servus tuus ægrotaverit, abjicis, nec
„ curam ejus geris. Centurionem imitare, cui servus
„ *erat pretiosus*. Non sprevit famulum, sed tamquam
„ contribulem amavit, clementia & benignitate allevi-
Luc. 7. „ ans grave servitutis jugum. *Domini, quod justum est*
„ *& æquum, servis præstate; remittentes minas, scien-*
Colos. 4. v. „ *tes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis.*
1. Ephes. 6. „ Permisit Deus servum esse, ut Deo servire noveris.
v. 9. „ Exigis a servo benevolentiam? esto & tu in Dominum
„ benevolus. Punis peccantem? ne ergo peccaveris, ut
„ non puniaris a Deo. Qui veniam non tribuis servo,
„ nec tu veniam expectes a Deo. "

S. Petr. „ *Domine, puer meus jacet in domo.* Videtis Cen-
Chrys. ser. „ turionem, antequam disciplinatus subiret officium, lo-
15. „ cum Magisterii fuisse sortitum. „ Præbet enim peten-
„ di formam, dat normam credendi, fidei pandit cau-
„ sas, virtutum commendat exempla, qui nondum Chri-
„ stianæ Scholæ ingressus est disciplinam. *Domine puer*
„ *meus jacet in domo.* Qui vocat Dominum, fatetur
„ suam fideliter servitutem. Et quomodo hic Centurio,
„ qui sic agnoscit Dominum, puerum suum ausus est
„ profiteri, quasi nesciens servi peculium ad Dominum
„ pertinere? Aut ignorat communia, qui docet tam pro-
„ funda? *Puer meus*. Meum dico, quia jacet, si tuus
Psal. 133. „ esset, Domine, non jaceret. Probat hoc Propheta, cum
„ dicit. *Ecce nunc benedicite Dominum. omnes servi*
„ *Domini: Qui statis in domo Domini.* Qui statis, non
„ jacetis ait: Stant servi tui, hominum servi jacent.
„ Puer meus qui jacet, ut tuus sit, surgat: Meus, quia
„ paralyticus: ut tuus sit, jam sanetur. Meus, quia
„ male torquetur: ut tuus sit, jam non sit in pœna,
S. Aug. ser. „ Domine, tuos servos non decet malis subjacere: in-
3. in Psal. „ juria est tua, tuorum pœna servorum: servi tui etsi
36. „ patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, sed subeunt
„ ad coronas. *Jacet in domo & male torquetur*. Hinc
„ est quod offerre eum tibi pœnæ non sinit magnitudo; ne
„ familiaris infirmitas publice & dolori sit, & pudori.
„ *Jacet in domo paralyticus*. Dissolutis membris omni-
„ bus interioribus a facultate operis boni, " secundum
animam paralyticus est peccator, movere se per seipsum
non potest ad bonum, nec aliquid boni non solum ope-
rari, sed nec velle, nec quidem cogitare. Liberum ar-
bitrium captivatum atque infirmum, *nonnisi ad peccan-*
dum valet. Spiritualis illa paralysis longe magis dolenda
quam corporalis. Ut illa sanetur, Christi gratia medi-
cinalis imploranda est.

S. Jo. Chrys. 5. *Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.*
Hom. 27. in Non dubitabat Centurio servum paralyticum, & in
Matth. mortis proximo periculo constitutum, solo Domini
verbo sanari posse: Cur igitur Christus non curaturum
se solum, sed in domum quoque ejus se venturum
pollicetur? „ Certe id ita facit ut quanta sit ejus fi-
„ des perdiscamus. Nisi enim ita fecisset, sed illico
„ puerum sanasset, sincera illius fervensque fides
„ ignota nobis fuisset. Idipsum etiam in Chananæa
„ muliere, quamvis contrario quodam modo perse-
„ cit. Hic enim non vocatus, ultro se domum pol-
„ licetur profecturum, ut eximiam Centurionis fidem
„ & humilitatem petdiscas: At vero in Chananæ a
„ negavit se facturum quod petebat, & illam constan-
„ ter iterum atque iterum petentem in angustias con-
„ jicit. Cum enim sapiens prudensque Medicus sit, non
„ ignorat contraria ex contrariis facile elicere. Ita hic
„ ultro se iturum offerendo, Centurionis; ibi vero pro-
„ rogando, & quasi renuendo, mulieris fidem cunctis
S. Basil. Se- „ aperuit ... Navis gubernatorem Mundi Gubernator imi-
leucien sis „ tatur, qui in editiori navis loco confidens, pro navi-
Hom. in „ gantis ratione velum circumducit, rursus pro eo ac
Centurio- „ unda fert atque impetus, gubernaculum transfert,
nem. „ modo huc, modo illuc clavum ducens, eumdem navi
„ cursum molitur. Sic universorum Dominus latentem in
„ animis fidem prodere volens ac detegere, quandoque
„ dona contrahit, quandoque pari cum laborante festina-
„ tione currit. Et nunc quidem se simulat differre sanita-
„ tem, nunc morbum remedio occupare cupit, ut dum
„ varie animos excutit, latentem fidem miraculorum luce
„ evulget; quo scilicet miraculorum observator Judæus,
„ fidei Gentium, velit, nolit, fieri se discipulum nove-
„ rit " *Ego veniam & curabo eum* (inquit) *Promissi*
„ *celeritate, propensum fidei cursum excitat. Absit*, Do-
mine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Vi-*
des subtilem Domini artem, qua abditam venatur fidem.

6. *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum me-*
um: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. In
Centurione vivæ fidei, profundæque humilitatis exem-
plum habemus: quæ comites orationis esse debent, sani-
tatem animæ a Deo postulantis, & gratiæ medicinalis
opem implorantis. Primus autem humilitatis gradus est,
infirmitatem nostræ voluntatis, ac impotentiam, gratiæ-
que necessitatem agnoscere & fateri. Gradus alter, a-
gnoscere gratiam a Deo gratis, dari, ut nomen ipsum
Natal. Alex. in Evang.

sonat, non secundum opera meritaque nostra, cum ex no-
bis nihil habeamus nisi mendacium & peccatum: nosque
ea esse indignissimos. „ Nihil animæ nostræ curationem
„ adeo moratur ac præsumptio. *Domine non sum dignus*, *S. August.*
„ &c. Fortitudine quadam displicuit homo, ut erudire- *Enarr. in*
„ tur infirmitate, quia superbia quadam displicuit, ut *Psalm. 38.*
„ erudiretur humilitate. Fortes se esse dicunt omnes su-
„ perbi. Ideo vicerunt multi ab Oriente & Occidente
„ venientes, ut recumbant cum Abraham, & Isaac &
„ Jacob in Regno cœlorum. Quare vicerunt? Quia for-
„ tes esse noluerunt. Quid est, fortes esse noluerunt?
„ De se præsumere timuerunt: justitiam suam non con-
„ stituerunt, ut justitiæ Dei subjicerentur .... *Ipsa est ergo* *Idem serm.*
„ *gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem* *77. alias de*
„ *infirmitatis ut quicquid boni possumus, quicquid poten-* *Tempore*
„ *tes sumus, in illo simus: Ut qui gloriatur, in Domino* *74.*
„ *glorietur*. Erat unde extolleretur Gens Judæa, & per
„ ipsam superbiam factum est ut Christo nollet humilia-
„ ri auctori humilitatis, repressrri tumoris, Medico
„ Deo, qui propter hoc, cum Deus esset, homo factus
„ est, ut se homo hominem cognosceret. Magna medi-
„ dicina! Hæc medicina si superbiam non curat, quid
„ eam curet nescio. Fit ille homo, cum sit Deus; &
„ non se agnoscit homo hominem, id est, non se mor-
„ talem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agno-
„ scit peccatorem, non se agnoscit ægrotum, ut quærat
„ vel ægrotus Medicum: sed quod est periculosius, sanus
„ sibi videtur. Ergo propter hoc ille populus non acces-
„ sit, id est, propter superbiam: & dicti sunt ex arbore
„ oleæ, hoc est, de illo populo a Patriarchis creato,
„ fracti rami naturales, id est, Judæi merito steriles spi-
„ ritu superbiæ; & in illa olea insertus est oleaster, Olea-
„ ster populus ex Gentibus. Sic dicit Apostolus, quod olea- *Rom. 11.*
„ ster insertus sit in olea, rami autem naturales *17.*
„ fracti sint. Illi fracti propter superbiam, insertus olea-
„ ster propter humilitatem. *In hac humilitate Centurio*
„ *ille placuit: qui cum desideraret puerum suum a Do-*
„ *mino curari, & Dominus diceret*, Ego veniam, &
„ curabo eum; *respondit ille*: Domine, non sum dignus
„ qui sub tectum meum intres. „ Tecto non recipiebant,
„ corde receperat. Quanto humilior, tanto capacior, *S. August.*
„ tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles im- *serm. 62.*
„ plentur .... *Domine non sum dignus*. Dicendo se *alias 6. de*
„ indignum, præstitit dignum; non in cujus parietes, *Verbis Do-*
„ sed in cujus cor Christus intraret. Neque hoc diceret *mini.*
„ cum tanta fide & humilitate, nisi illum quem time-
„ bat intrare in domum suam, corde gestaret. Nam non
„ erat magna felicitas, si Dominus Jesus intraret in pa-
„ rietes ejus, & non esset in pectore ejus ... Discum-
„ bebat Dominus in domo Pharisæi cujusdam superbi.
„ In domo ejus erat, & in pectore ejus non erat. In hujus
„ vero Centurionis domum non intravit, & pectus possedit.
Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Quod *Idem lib. 1.*
„ & puerum Centurionis, & filiam Chananææ mulieris, *Quæst.*
„ non veniens ad domos eorum, salvat; significat gentes, *Evang.*
„ ad quas non venit, salvas fore per verbum suum. Quod *Quæst. 18.*
„ ipsis rogantibus filii sanantur, intelligenda est Ecclesiæ
„ persona, quæ sibi est & mater, & filii: Nam simul
„ omnes quibus constat Ecclesia, mater dicitur; singuli
„ autem, iidem ipsi filii appellantur. "
Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus. „ Centu-
„ rio iste, cum sine lege esset, nihil sine lege egit: Di- *S. Petrus*
„ cit, *Dic tantum verbo*, quia dictum erat; *Dixit*, & *Chrysol.*
„ *facta sunt*. Et si omnia perfecta sunt dictu, quomodo di-
„ ctu solo unius infirmitas non curetur? *Dic tantum ver-*
„ *bo*. Et sine verbo quid dicitur? Sed iste postulat verbum
„ non de loquendi usu, sed de virtute faciendi: Verbum de
„ quo dictum est, *Misit Verbum suum, & sanavit eos. Dic*
„ *verbo tantum*: Quia iste credidit in Verbo omnes ma-
„ nere virtutes. Verbum tuum, Domine, sanitas est:
„ Verbum tuum vita est: Verbum tuum ubi accesserit,
„ inde confestim fugit dolor, infirmitas mox recedit. "

7. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii: Veni, & venit; & servo meo; Fac hoc, & facit.* Auctoritate sua Christiane utitur, qui eam ut divinæ potestatis emanationem spectat, eaque velut gradu quodam ad omnipotentiam Dei, a qua derivata est, co-lendam assurgit: qui aliis imperat, *non dominandi super-bia, sed consulendi misericordia*, ut loquitur S. Augusti-nus. Auctoritas aliena sæpe carnalium hominum idolum est, cui litant adulatione, aut spe temporalium commo-dorum: sæpius propria, cui sacrificant superbiæ spiritu, præjudicatæ mentis affectu, pertinacia. Christianus vero inde occasionem sumit humiliandi se magis sub potenti manu Dei, illique magis adhærendi, fidelius ac ferven-tius serviendi & obsequendi, ut „ Centurio noster. *Nam* *S. Petr.*
„ *& ego homo sum*. Hoc est dicere, *Tu Deus*, Sub po- *Chrys.*
„ testate constitutus: *Tu ipsa potestatum potestas*, Ha-
„ bens sub me Milites: *Tu virtutes*. Et dico huic:
„ Vade, & vadit. *Hoc est, dic infirmitati, Vade*, &
„ *vadit*. Alii, Veni, & venit. Hoc est, *Dic sanitati*,
„ *Veni, & venit*. Et servo meo, Fac hoc, & facit.
„ *Illa*

„ *Ille puer meus erit servus tuus , cum receperit sani-*
„ *tatem. Audiat* : Sanus factus es , jam noli peccare .
„ *Faciat justitiam , ut liberetur a paralysi omnium pec-*
S. Ber. Tract. de Moribus & Officio Episcopi cap. 8. „ *catorum* . " Homo sum sub potestate constitutus . *Prius se agnovit hominem , quam potentem. Agnovit se hominem homo gentilis , ut in se jam impleri offenderet* : Sciant gentes quoniam homines sunt .

8. *Audiens autem Jesus miratus est : & sequentibus se dixit : Amen dico vobis , Non inveni tantam fidem in Israel* . Fides ac humilitas fidei mater simul & proles , operaque humilis ac ferventis fidei , admirationem laudemque merentur Salvatoris . In illo , inquit , populo , ad quem veni , non inveni tantam fidem . Tantam quid
S. Aug. ser. 77. est ? „ Tam magnam . Unde magnam ? De minimo , id
„ est , de humilitate grandem . Non inveni tantam fi-
„ dem : similem grano sinapis , quanto minutiori , tanto
„ ferventiori : *Non inveni tantam fidem in Israel* ; Id
„ est , tantam cum fide humilitatem . . . . . Discamus , aut teneamus humilitatem . Si nondum habemus ,
„ discamus : si habemus , non ammittamus . Si nondum
„ habemus habeamus , ut inferamur : si jam habemus ,
Idem ser. 92. „ teneamus , ne præscidamur . *Non inveni tantam fidem*
„ *in Israel* : secundum carnem . Nam & iste jam Israe-
„ lites erat secundum spiritum . *Possumus nos metiri fi-*
„ *dem hominum , sicut homines* : Ille qui interiora cer-
„ nebat , ille quem nemo fallebat , perhibuit testimonium
„ cordis hominis , audiens verba humilitatis , pronuntians
„ sententiam sanitatis . "

Isai. 43. „ 9. Dico autem vobis , quod multi ab Oriente &
„ Occidente venient , & recumbent cum Abraham , &
„ Isaac , & Jacob in Regno cœlorum ; Filii autem Re-
„ gni ejicientur in tenebras exteriores . " Non omnes sed *multi* ex Gentibus vocati , ab *Oriente & Occidente* : istis duabus partibus totus orbis designatur . *Venient* , ad veri Dei notitiam , ad gratiam Evangelii , ad Ecclesiam , ut sint *hæredes Dei , cohæredes autem Christi* . Quod prophetico ante oraculo prædictum est : „ Noli ti-
„ mere quia ego tecum sum . Ab Oriente adducam
„ semen tuum , & ab Occidente congregabo te . Di-
„ cam & Aquiloni , Da : & Austro , Noli prohi-
„ bere : Affer filios meos de longinquo , & filias meas
„ ab extremis terræ . Et omnem qui invocat nomen
„ meum , in gloriam meam creavi eum , formavi eum
„ & feci eum . Educ foras populum cæcum , & oculos
„ habentem ; surdum , & aures ei sunt . Omnes gen-
„ tes congregatæ sunt simul , & collectæ sunt Tribus .
„ *Filii autem Regni* , Judæi scilicet . Unde filii Re-
„ gni ? Quia Legem acceperunt , ad quos Prophetæ
„ missi sunt , apud quos Templum & Sacerdotium fuit ,
„ qui celebrabant figuras omnium futurorum . *Ibunt in*
„ *tenebras exteriores , ibi erit fletus & stridor den-*
„ *tium* . Videmus Judæos reprobatos , videmus Christianos ab Oriente & Occidente vocatos , ad quoddam
„ convivium cœleste , ut recumbant cum Abraham , &
„ Isaac , & Jacob ; ubi panis justitia : ubi potus sa-
„ pientia . " Recumbent , idest , „ Requiescent . Non
„ enim debemus illic carnales epulas cogitare , aut ali-
„ quid tale in illo Regno concupiscere , ut non vitia
„ mutemus virtutibus sed vitia supponamus . Aliud est
„ enim desiderare Regnum cœlorum propter sapientiam
„ & vitam æternam : aliud , propter felicitatem terre-
„ nam , quasi illic habeamus eam opulentiorem atque
S. Aug. ser. 77. alias de Temp. 74. „ majorem . „ Si divitem te in illo in Regno futurum
„ putas cupiditatem non amputas , sed mutas : & tamen
„ dives eris , & nonnisi illic dives eris . Nam hic in-
„ digentia tua colligit plurima . Quare multum habent
„ divites ? Quia multum indigent . Major indigentia
„ quasi majores comparat facultates : Illic ipsa indigen-
„ tia morietur . Tunc vere dives eris , quando nullius
„ indigens eris . Non enim tu dives , & Angelus pau-
„ per , qui non habet jumenta , & rhedas , & familias .
„ Quare ? Quia non indiget ; quia quanto fortior , tan-
„ to minus indigus . Ergo ibi divitiæ , & veræ divitiæ ,
„ Epulas terræ hujus non ibi cogites . Epulæ enim ter-
„ ræ hujus medicamenta quotidiana sunt ; ægritudini
„ cuidam nostræ , cum qua nascimur , necessariæ sunt .
„ Ægritudinem istam sentit quisquis , cum hora reficien-
„ di transierit . Vis videre quanta ægritudo sit ista , ut
„ tamquam acuta febris septem diebus necet ? Ne te
„ sanum putes . Sanitas immortalitas erit . Nam hæc
„ longa ægritudo est . Quia quotidianis medicamentis
„ fulcis morbum tuum , sanus tibi esse videris : Detrahe
„ medicamenta , & vide quid potes . . . Quando ergo
„ vera sanitas , nisi quando vera immortalitas ? Si ergo
„ vera immortalitas , nulla corruptio , nulla defectio ,
„ quid illic alimentis opus erit ? Ergo cum audis , *Re-*
„ *cumbent cum Abraham , & Isaac , & Jacob* : non pa-
„ sces ventrem , sed mentem . Impleberis ibi ; & ipse in-
„ terior venter habet cibos suos . Secundum istum ven-
„ trem dicitur , *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*
„ *quoniam ipsi saturabuntur* . Et vere saturabuntur , ut
„ non esuriant . . . *Illud est convivium , quo non accessuri*
„ *sunt mali* . Hoc quod modo est digne accipiatur , ut
„ ad illud perveniatur . "

Amen dico vobis , Non inveni tantam fidem in Israel . *In oliva non inveni , quod inveni in oleastro . Ergo oliva superbiens præcidatur , oleaster humilis inseratur . Vide inserentem , vide præcidentem* . Propterea dico vobis , quia multi ab Oriente & Occidente venient ; *Multus veniet oleaster inserendus in oliva* : & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in Regno cœlorum . „ *Audisti quemad-*
„ *modum oleaster humilis inseratur ? audi quemadmo-*
„ *dum oliva superba præcidatur* . Filii autem Regni
„ ibunt in tenebras exteriores . *Quare ? quia* sui eum
„ non receperunt . Et quare insertus oleaster ? *Quia*
„ quotquot receperunt eum , dedit eis potestatem filios
„ Dei fieri .

Idem serm. 90. al. 14. ex editis a Sirmond. Idem ser. 342. al. ex editis a Sirmondo .

Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores . Suscipe bonitatem & misericordiam Salvatoris , etiam cum minas intentat gravissimas & maxime terribiles . „ Nam &
„ quibus minabatur Judæis , se illlos ejecturum a Regno ,
„ non ut ejiceret minabatur , sed ut ejectionis timore ad
„ ipsum conversi , non ejicerentur . Quod si minus me-
„ liores facti non sunt , ipsis crimen totum est imputan-
„ dum , atque iis omnibus qui eodem morbo laborant .
„ Non enim Judæis solum id accidit , sed multis quoque
„ Fidelibus . Nam Judas filius Regni erat , audivitque
„ una cum aliis Discipulis illud , *Super duodecim sedes*
„ *sedebitis* . Factus est autem gehennæ filius . At vero
„ Æthiops Eunuchus Reginæ Candacis , quamvis barbarus
„ esset homo , & unus eorum qui ab ortu & occasu erant ,
„ una cum Abraham , Isaac , & Jacob æternis bonis frue-
„ tur . Idipsum in nobis quoque nunc fit : Nam *Multi*
„ *erunt* (ait) *primi ultimi , & ultimi primi* . Unde
„ cavendum ne aut illi quasi non possint redire , om-
„ nino regligant : aut illi quasi jam stabiles sint ,
„ confidentia corrumpantur . Ita Joannes quoque antequam
„ hæc fierent , clamans dicebat : *Potest Deus ex lapidibus*
„ *his erigere filios Abrahæ* . Non ergo nimium confidant qui
„ stant , sed crebro illud reputent . *Qui stat , videat ne ca-*
„ *dat* . Nec desperent qui ceciderunt , sed dicant secum :
„ *Nunc qui cadit , non adjiciet , ut resurgat ?* Novimus
„ enim multos ad ipsius cœli fere verticem conscendis-
„ se , omnes virtutes habuisse , deserta coluisse & in so-
„ litudine vitam egisse , feminam neque in somnis vidis-
„ se : & tamen negligentia lapsos , ad vitiorum barathrum perveniisse . Contra vero non ignoramus fuisse non-
„ nullos , qui a vitiorum barathro excitati , ad cœlestem
„ vitam ascenderunt , & a scena atque orchestra ad an-
„ gelicam conversationem traducti sunt , tantumque vir-
„ tute potuerunt , ut dæmones ejicerent , aliisque mul-
„ tis signis præfulgerent . "

S. Jo. Chrys. h. 27. in Matth. *Matth. 19. Act. 8.* *Matth. 20.* *Matth. 3.*

Ejicientur in tenebras exteriores . „ Sunt enim modo
„ in exteris tenebris , unde correctio desperanda non est ,
„ quam si contempserint , ibunt in tenebras exteriores ,
„ ubi correptionis locus non erit : *Quoniam Deus lux est* ,
„ *& tenebræ in eo non sunt ullæ* . Si autem Deus lux
„ est , & *Deus charitas est* , profecto charitas lux ipsa
„ est , quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum
„ sanctum , qui datus est nobis . Unde *qui odit fratrem*
„ *suum , in tenebris est usque adhuc* . Istæ sunt tenebræ ,
„ in quas diabolus & angeli ejus multum superbiendo pro-
„ gressi sunt .... Quemadmodum enim in ipsis corporibus
„ ea quæ inferiora sunt , sicut terra , & aqua , & ipse
„ aer , meliora fiunt participatione melioris , id est , cum
„ luce illuminantur , & fervore vegetantur : Sic incor-
„ poreæ creaturæ rationales ipsius Creatoris fiunt par-
„ ticipatione meliores , cum ei cohærent purissima & san-
„ ctissima charitate ; qua omni modo si caruerint , tene-
„ brescunt , & obdurescunt quodam modo . Proinde infi-
„ deles homines tenebræ sunt , qui per fidem conversi ad
„ Deum , quadam præmissa illuminatione lux fiunt . In qua
„ proficiendo si ex fide ad speciem pervenerint , ut id
„ quod credunt etiam conspicere , sicut tantum bonum po-
„ test conspici , mereantur , perfectam recipient imagi-
„ nem Dei . " Talibus enim dicit Apostolus , „ Fuistis
„ aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino . *Porro*
„ Diabolus & angeli ejus tenebræ sunt infidelibus homi-
„ nibus exteriores . Plus enim ab illa charitate aversi ,
„ & in suum fastum obstinationemque progressi sunt . Et
„ quoniam extremo judicio Christus dicturus est eis , quos
„ ad sinistram discernet : " Ite in ignem æternum , qui
„ paratus est diabolo & angelis ejus : „ His malignis
„ spiritibus conjungendos simulque damnandos dicit ituros
„ in tenebras exteriores , id est , in societatem pœnalem
„ diaboli & angelorum ejus . Huic pœnæ contrarium est
„ quod bono servo dicitur : *Intra in gaudium Domini tui* ,
„ ut quanto sunt istæ tenebræ exteriores , tanto sit lumen
„ illud interius . Non hæc per locorum intervalla inani
„ phantasmate cogitanda sunt : localia spatia non occu-
„ pant nisi corporum moles . Non est hoc spiritus vitæ ,
„ non est hoc anima rationalis , multo minus Deus om-
„ nium benignissimus conditor , & justissimus ordinator .
„ Voluntatibus & affectibus ista vel propinquare vel
„ longe fieri , vel intrare vel exire dicuntur . Sed
„ quia malo opere , id est , tenebroso delectantur fa-
„ cientes , secutura est autem pœna quæ torqueat ,
„ ideo Dominus ubi dixit , *tenebras exteriores* ; ad-
„ dit

1. Jo. 2. 5 *1. Jo. 4. 8.* *1. Jo. 2. 11.* *S. Aug. Ep. 140. al. 120 ad Honoratum c. 22. & 23.* *Ephes. 5. 8.* *Matth. 25.*

„ dit etiam, *Ibi erit fletus & stridor dentium*: ne tali-
„ bus delectationibus, qualibus hic iniqui perfruuntur,
„ quando infidelitate atque injustitia tenebrescunt, etiam
„ in illo supplicio se usuros dementer existiment: Quia
„ enim volentes injuste utuntur bonis, juste nolentes cru-
„ ciabuntur malis. Unde possunt etiam tenebræ exterio-
„ res intelligi pœnæ corporales: corpus quippe est ani-
„ mæ exterius: ut sint animæ mala, quibus a charita-
„ tis luce aversa mens in peccatis oblectatur, exteræ
„ tenebræ; corporis autem mala, quibus æternis in si-
„ nem torquebitur, exteriores tenebræ, quas solas timent
„ qui servili adhuc timore detinentur. Nam si illis lice-
„ ret, in illis exterius, quæ sunt in peccatis, impune
„ semper volvi & involvi, profecto numquam vellent ac-
„ cedere ad Deum, & illuminari, & inhærere illi per
„ charitatem, ubi est timor castus permanens in sæcu-
„ lum sæculi: Qui timor non cruciat, sed tenaciorem
„ facit animam boni illius, quod si dimiserit, cadet. "

S. Basil. Seleucien-sis.

10. *Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credi-disti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* „ O si-
„ dem miraculi adjutricem! Fidei Centurionis servus sa-
„ natus testis est; morbusque diffugiens supplicantis de-
„ prædicat fidem. Modus medelæ, fidei modus extitit:
„ O domini benignitatem! Operis socium assumit suppli-
„ cantem. Tibi (inquit) affers sanationis remedium,
„ veretur mors fidem tuam. Fidem colamus Domino gra-
„ tissimam. Fidem diligamus miraculorum parentem.
„ Fugiamus incredulitatem, cujus finis interitus. "

S. Ambros. l. 4. in Luc. 4. 63. & 68.

11. *Et Cum venisset Jesus in domum Petri, vidit so-crum ejus jacentem, & febricitantem. Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Peccati post baptismum commissi, variisque generis cupiditatum figura est febris, qua Petri socrus laborat.
„ Febris nostra avaritia est, febris nostra libido est; eo
„ quod ignitæ sint cupiditates. Unde & Apostolus ait:
„ *Si non se continent, nubant; Melius est enim nubere*
„ *quam uri*. Febris nostra luxuria est, febris nostra am-
„ bitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet cor-
„ poris vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, men-
„ tem, animum, sensusque pertentant. Hæc prior dia-
„ boli solicitatur arte. Etenim ager bonus, vestis, mo-
„ nile, suadela serpentis est. Honorum gratia, sublimi-
„ tas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis,
„ laqueus est diaboli, & quasi quidem nequitiæ spirita-
„ lis illecebrosus affatus, qui per carnis illecebram, quæ
„ cito feminea quadam levitate mollitur, animum quo-
„ que de gradu dejicit. Neque enim formam mulieris
„ animus prius quam corporis oculus concupiscit. Deni-
„ que quod non videris, non amabis: sed ubi caro con-
„ cupierit, compatientis quoque animi constantia defati-
„ scit, & mens consortio amoris inflectitur, atque ita
„ mors irrepit sceleris affectu, tentante diabolo, carne
„ suadente. Vehementior tamen est animi, quam corpo-
„ ris febris: & ideo pro animi voluptate corporis salus
„ plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur. Un-
„ de non alienum videtur repetere quemadmodum Theo-
„ timus, cum gravi oculorum incommodo laboraret, &
„ amaret uxorem, interdicta sibi a Medico facultate coe-
„ undi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis ra-
„ ptus, se moderari nequiverit. Sciens enim prudensque,
„ quod esset oculos amissurus, prius quam conveniret
„ uxori in ipso æstu ferventis cupiditatis, & consuetu-
„ dinis apparatu: Vale, inquit, amicum lumen. Sic fe-
„ bre libido flagrantior est, graviusque præcipitat & in-
„ flammat. " Ut febris illa, scilicet concupiscentia sa-
netur, Christi auxilium implorandum est, qui cor nostrum gratiæ suæ efficacissima virtute tangat?, qui in domum nostram per sanctam Eucharistiæ Communionem corporaliter descendens, malignæ febris restinguat ardorem. Supplicandum cœlesti Medico, ut sanet nos a morbo desi-

S. Aug. l. 2. de peccatorum Meritis & Remissione c. 4.

deriorum noxiorum. *Ignosce nobis*, Domine, *ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia: Adjuva, ne abstrahamur a concupiscentia: Aufer a nobis concupiscentiam.*

S. Ambr. l. de Viduis c. 9.

Ne autem nostra non satis valeat oratio; interventores sunt adhibendi & Mediatores, apud Christum supremum & unicum Mediatorem, auctoremque & consummatorem salutis; quemadmodum febricitante Petri socru, Petrus & Andreas Christum rogaverunt pro ea. „ Et tu habes
„ proximos, qui pro te supplicent. Habes Apostolos pro-
„ ximos, habes Martyres proximos, si in ipsa Martyri-
„ bus devotionis societate, misericordiæ quoque mune-
„ bus appropinques; proximus est enim qui misericordi-
„ am facit. Fac & tu misericordiam, & eris Petro pro-
„ xima. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cogna-
„ tio facit proximos; quia non in carne ambulamus,
„ sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affi-
„ nitatem Andreæ; ut pro te rogent, & recedant cu-
„ piditates tuæ. Verbo Dei pulsata, surges illico, quæ
„ in terris jacebas, ut Christo ministres. Nemo enim
„ jacens Christo ministrat. Ministra pauperi, & mini-
„ straſti Christo. Quod enim *uni horum feciſtis*, inquit,
„ *mihi feciſtis*. Ergo rogaverunt pro vidua Petrus & An-
„ dreas. Utinam exsistat aliquis qui tam cito possit roga-
„ re pro nobis, vel certe isti qui pro socru rogant, Pe-

Natal. Alex. In Evang.

„ trus & Andreas frater ejus; tunc enim pro affine po-
„ terant, nunc jam possunt pro nobis, & pro omnibus
„ impetrare. Videris enim quod magno peccato obno-
„ xia, minus idonea sit quæ pro se precetur, certe quæ
„ pro se impetret. Adhibeat igitur ad Medicum alios
„ precatores. Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus
„ Medicus fuerit invitatus, pro se rogare non possunt.
„ Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vin-
„ culis impedita, ad Medici illius sedem debile non po-
„ test explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro
„ nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres ob-
„ secrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pi-
„ gnore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis ro-
„ gare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua ha-
„ buerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei Mar-
„ tyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque
„ nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ
„ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitates corporis,
„ etiam cum vincerent, cognoverunt. "

Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris. „ Quæ ne-
„ cessitas tangendi erat, ubi inerat virtus jubendi? Sed
„ Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam
„ de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum
„ ejus; ut quod manus præsumentis amiserat, manus re-
„ pararet Auctoris. Tenuit manum ejus; ut acciperet in-
„ dulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.
„ *Et dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.*
„ Christus sic fugat morbos, ut vires pristinas mox redu-
„ cat. Ubi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo:
„ Ubi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit. "
Morbis, & sanitate ad Dei gloriam utendum est; his ut Christo patienti conformemur, utque peccata nostra patiendo expiemus; hac ut Deo per bona opera ministremus.

S. Petrus Chrys. ser. 18.

Et tetigit manum ejus. Non solum verbo, sed etiam tactu ægros curare consuevit. „ Et tu igitur quæ variis Mundi
„ æstuas cupiditatibus, vel forma viri alicujus capta, vel pe-
„ cunia, roga Christum, adhibe Medicum, porrige ei dex-
„ teram tuam, tangat interiora tua Dei manus, Verbique
„ cœlestis gratia interiorum venas scrutetur animorum,
„ pulset Dei dextera secreta cordis. Nec vereare moram
„ aliquam sanitatis. Nescit impedimentum qui sanatur a
„ Christo. Opus est ut remedium adhibeas, quod accepe-
„ ris; simul enim ut præceptum dederit, cæcus videt, pa-
„ ralyticus ambulat, mutus loquitur, surdus audit, febriens
„ ministrat, lunaticus liberatur. Et tu igitur quæcumque
„ indecore alicujus rei cupiditate languescis, obsecra Do-
„ minum, fidem defer, nec ullam timeas moram. Ubi adest
„ oratio, adest Verbum, fugatur cupiditas, libido disce-
„ dit. *Surrexit Petri socrus, & ministrabat illis.* Bene
„ surrexit; Sacramenti enim typum Apostolica jam gratia
„ ministrabat. Proprium est autem surgere Christi ministros,
„ juxta quod scriptum est: *Surge* qui dormis, & exurge a
„ mortuis... Simul qualis esse debeat qui Christo ministrat,
„ ostenditur; oportet enim primo carere variarum illecebris
„ voluptatum, vitare internum corporis animique languo-
„ rem, ut corpus & sanguinem Christi ministret. Neque
„ enim potest quisquam peccatis suis æger, minimeque sa-
„ nus, immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide
„ quid agas, Sacerdos, nec febrienti manu Corpus Christi
„ attingas. Prius curare, ut ministrare possis. Si mundos
„ eos qui ante fuerant leprosi, Christus jubet occurrere Sa-
„ cerdotibus, quanto magis mundum ipsum convenit esse
„ Sacerdotem? "

S. Ambr. l. de Viduis c. 10.

Ibid. n. 66.

Num. 65.

„ 12. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæ-
„ monia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: & om-
„ nes male habentes curavit. " Omnis peccator sub dæ-
monis potestate est. Longe horribilior & infelicior anima a dæmone possessa, quam corpus ab illo occupatum & vexatum. Verbum Dei, flagellum est diaboli. Cum fide viva, spe que firma, ejus tentationibus opponendum est. Quod verbum Dei ore Christi prolatum momento effecit, ex ore concionatorum auditum, vel in libris sanctis ea qua par est religione perlectum, in peccatorum animis sensim efficit. „ Quia ad nos Christus carne non venit, venit ver-
„ bo. Ubi ergo venit fides ex auditu, auditus per verbum,
„ nos fecit liberos dæmoniaca servitute; dæmones reddit ex
„ impia dominatione captivos, ... Ne nos infidelitas ad
„ eorum revocet servitutem. " Immo etiam nunc carne venit ad nos Christus per sacram Eucharistiæ Communionem, & vivificæ carnis suæ contactu languores animarum nostrarum curat, atque a dæmonum incursu nos tuetur.
„ Quamquam verbo ac nutu poterat patrare prodigia, ta-
„ men etiam manus infirmis imponit. Par enim erat nos
„ intelligere, sic comparatam ejus sanctam carnem, ut
„ divini Verbi virtutis efficaciam deferret; cum divinam
„ illi virtutem inseruisset. Ergo nos quoque ille tangat,
„ immo vero nos ipsum per mysticam Benedictionem ut
„ & nos ab animi morbis, omnique dæmonum incursu
„ ac injuria liberet. "

S. Petus Chrys. ser. 18.

S. Cyrill. Alexand. in Cat. Reg.

„ 13. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Pro-
„ phetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit,
„ & ægrotationes nostras portavit. " Immensam Christi boni Pastoris charitatem laudemus & imitemur. Infirmitates & defectus proximorum nostrorum compatien-

do feramus. Morbos curare non poſſumus; ſed poſſumus infirmos viſitare, conſolari, illiſque opem & miniſterium exhibere.

Salvian. l. 1. de Prov. Chriſto cæleſti Medico aſſidue ſupplicemus, ut ſanet omnes infirmitates Animarum noſtrarum: in morbis vero corporis ejus miſericordiam laudemus: ſiquidem illos immittit ad ſanandum animum. „ Si Deus cuncta diſpenſat, *inquit Salvianus*, qua ratione fortis ac ſanus eſt „ homo, quem peccatorem ſcio: & tu infirmus, quem „ ſanctum eſſe non ambigo? Cur abſque dubio, niſi quia „ caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc enim ſibi invicem adverſantur, „ ut non quæcumque vultis faciatis. Non imprudenter „ quidam dixit, quod ſi repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non poſſumus, infirmandum „ nobis ſit carne ut optata faciamus. Infirmitas enim „ carnis vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus virtutes corporum in virtutes transferantur animorum; „ non turpibus flammis medullæ æſtuent, non male ſanam mentem latentia incentiva ſuccendant, non vagi „ ſenſus per varia oblectamenta laſciviant; ſed ſola exſultet Anima læta corpore affecto, quaſi adverſario „ ſubjugato. “

Denique cum ex infirmitate corporis priſtinæ ſanitati reſtituti a Deo ſumus, ſanitate melius uti, eique fidelius ac ferventius ſervire debemus, ut S. Auguſtinus *Iſai. 53.* monet, illa verba explicans Pſal. 97. *Sanavit ei dextera* *S. Aug. En. in Pſal. 97.* *ejus, & brachium ſanctum ejus*. Quid eſt, inquit, brachium ſanctum Domini? Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Audi Iſaiam: *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Brachium ergo ſanctum & dextera ipſius, idem ipſe eſt. „ Ergo Dominus noſter „ Jeſus Chriſtus brachium Dei, & dextera Dei: “ propterea *ſanavit ei*. Non dictum eſt tantum, ſanavit orbem terrarum dextera ejus: ſed, ſanavit ei. „ Multi „ enim ſanantur ſibi, non ei. Ecce quam multi cupiunt „ ſanitatem iſtam corporalem, & ab illo accipiunt, ab „ illo ſanantur, & non illi ſanantur: Accepta ſanitate „ laſciviunt: Qui ægroti caſti erant, ſanati adulteri „ fiunt; qui cum ægrotarent, neminem lædebant, recepti viribus invadunt & opprimunt innocentes: ſanati „ ſunt, ſed non ei. Quis eſt qui ſanatur ei? Qui intus „ ſanatur. Qui credit in eum, ut cum interius fuerit „ ſanatus, in novum hominem reformatus, poſtea & „ hoc quod languet ad tempus caro iſta mortalis, reciſpiat in fine & ipſa ſuam perfectiſſimam ſanitatem. “

14. *Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſſit ire trans fretum*. Turbæ fugiendæ ſunt illis qui pietatem ſectantur: non quærenda hominum frequentia, niſi ut eorum ſalus procuretur. Turbæ quærendæ ſunt aut admittendæ Paſtori & Concionatori Evangelico, ut ſaluti conſulat alienæ; ſeceſſus amandus, & opportune quærendus, ut conſulat ſuæ. Jactantiæ & vanæ gloriæ vitanda occaſio.

15. *Et accedens unus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque ieris*. Chriſtum ſequi Chriſtianus quiſque debet in via mandatorum ejus: Ad hoc enim per Evangelium vocatus eſt: ſed in via conſiliorum, abſque ſingulari vocatione, ipſum ſequi ſe poſſe quis præſumat? Expectanda eſt, non prævenienda Dei vocatio & gratia; probanda vocatio, utrum a Deo ſit. *Et dicit ei Jeſus, Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Adoranda Chriſti paupertas, *qui propter nos egenus factus eſt, cum dives eſſet, ut illius inopia nos divites eſſemus*. Illam colimus & imitamur, cum aliquorum vitæ iſtius corporiſque commodorum privationem propter ejus amorem libenter patimur, qui non ſolum *exinanivit ſemetipſum* uſque ad formam & miſerias ſervi, verum etiam quodam modo infra ſortem beſtiarum, quod ſpectat privationem omnis generis commodorum. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos ſuos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Ab omni rerum terrenarum cupiditate alienus eſſe debet, qui Chriſtum in ſacro Miniſterio ſequi ſe profitetur: qui ponit fortunæ menſam, & bona temporalia quærit ſequendo Chriſtum, ad illum non accedit, immo longe ab ipſo recedit. Qui vitam Clericalem amplectuntur, aut Evangelium prædicant, ut dignitates Eccleſiaſticas, & pinguia beneficia obtineant, commodiuſque vivant & lautius, a Chriſto vocati non ſunt, nec ipſum ſequuntur. „ Propterea vocan-
S. Hier. Ep. 2. ad Nepot. „ tur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia „ ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt. Qui „ autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum par„ tem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſ„ ſideat Dominum, & poſſideatur a Domino. Qui Do„ minum poſſidet, & cum Propheta dicit, *Pars mea* „ *Dominus*: nihil extra Dominum habere poteſt. Quod „ ſi quidpiam aliud habuerit, præter Dominum, pars „ ejus non erit Dominus; verbi gratia, ſi aurum, ſi „ argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem: cum „ iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. „ Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæredi„ tatis ejus: nec accipio partem inter ceteras tribus, „ ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & Al„ tari ſerviens, Altaris oblatione ſuſtentor: habens vi„ ctum & veſtitum, his contentus ero; & nudam Cru„ cem nudus ſequar. Obſecro itaque te, & repetens i„ terum iterumque monebo, ne officium Clericatus ge„ nus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne lucra ſæculi *Jerem. 12. ſecundum Verſionem 70. Interp.* „ in Chriſti quæras militia; ne plus habeas quam quan„ do Clericus eſſe cæpiſti, & dicatur tibi: Clerici eo„ rum non proderunt eis: Nonnulli enim ſunt ditiores „ Monachi, quam fuerant ſæculares; & Clerici, qui „ poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuple„ te & fallace diabolo non habuerant; ut ſoſpiret eos „ Eccleſia divites, quos Mundus tenuit ante Mendicos, „ Magiſter, ſequar te quocumque ieris. Avidus gloriæ *S. Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 48.* „ fuiſſe intelligitur, quem ſe volentem ſequi Dominus „ in Evangelio revocat, dicens: Vulpes foveas habent, „ & volucres cæli diverſoria; Filius autem hominis non „ habet ubi caput reclinet. Videbat enim eum doloſa „ ſimulatione tenebroſum, & ventoſa elatione jactatum, „ non habere fidei locum ubi ſe inclinantem Doctorem „ humilitatis exciperet, quia in Diſcipulatu Chriſti non „ illius gratiam, ſed ſuam gloriam requirebat. “

Vulpes foveas habent, &c. Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet'. „ Sed ubi non habet? *Idem ſerm.* „ in fide tua. Vulpes enim habent foveas in corde tuo, *190. al. 7. de* „ doloſus es: Volatilia cæli habent nidos in corde tuo, *verbis Dom.* „ elatus es. Doloſus & elatus non me ſequeris. Quomodo ſequitur doloſus ſimplicitatem? “

16. *Alius autem de Diſcipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum: Jeſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepellire mortuos ſuos*. Renunciare ſæculo, quam difficile! Vocatis a Chriſto ad vitæ perfectioris inſtitutum, aliqua ſemper vincula injiciuntur. Procul humanarum neceſſitudinum intuitus, procul vitæ civilis officia, cum de ſalutis æternæ negotio agitur. Omne aliud officium ſuppleri ab aliis poteſt: cura ſalutis noſtræ perſonale negotium eſt, quod noſtram operam deſiderat. Divinæ vocationi abſque mora parendum. „ Pie quidem excuſavit „ Diſcipulus iſte: & ideo dignior cujus excuſatio remo- *S. Aug. ſer. 62. al. 6. de Verbis Dom.* „ veretur, vocatio firmaretur. Pium erat quod volebat „ facere: ſed docuit Magiſter, quid deberet præpone„ re. Volebat enim eum eſſe vivi Verbi Prædicatorem „ ad faciendos victuros. Erant autem alii, per quos „ illa neceſſitas impleretur; *Sine*, inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Infideles cadaver quando ſepeliunt „ mortui mortuum ſepeliunt. Illius corpus animam perdidit; illorum anima Deum. Sicut enim vita corporis „ anima eſt: ſic vita animæ Deus. Sicut exſpirat corpus, cum animam emittit: ita exſpirat anima, cum „ Deum amittit. Deus amiſſus, mors animæ: Anima „ emiſſa, mors corporis. Mors corporis neceſſaria, Mors „ animæ voluntaria. “

Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem *S. Aug. ſer. 190. al. 7. de Verbis Dom.* meum. „ Fides cordis ejus Domino ſe oſtendebat: ſed „ pietas differebat. Dominus autem Chriſtus quando parat „ homines Evangelio, nullam excuſationem vult interponi carnalis hujus temporaliſque pietatis..... Hæc „ quidem & Lex Dei habet, & ipſe Dominus arguit „ Judæos, quia deſtruebant ipſum mandatum Dei. Et „ Paulus Apoſtolus dixit, *Hoc eſt mandatum primum in* „ *repromiſſione*. Quod? *Honora patrem tuum, & matrem* *Epheſ. 6. 2.* „ *tuam*. Volebat ergo ille juvenis obtemperare Deo & „ ſepelire patrem ſuum... Sed eſt locus, & eſt tempus, „ & eſt res, quæ huic rei, huic tempori, huic loco „ ſerviat. Honorandus eſt pater, ſed obediendum eſt „ Deo. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt „ Creator. Ego inquit ad Evangelium te voco, ad a„ liud opus mihi neceſſarius es: Majus eſt hoc quam „ quod vis facere: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos*, „ Pater tuus mortuus eſt: ſunt alii mortui qui ſepeliant „ mortuos. Mortui ſepelientes mortuos, qui ſunt? Poteſtne mortuus a mortuis ſepeliri? Quomodo involvunt, ſi mortui ſunt? Quomodo portant ſi mortui „ ſunt? Et involvunt, & portant, & plangunt, & mor„ tui ſunt: quia infideles ſunt. *Scriptum eſt in Cantico* „ *Canticorum*. Ordinate in me charitatem. *Id eſt*, Fa„ cite gradus, & cuique quod debetur, reſtituite. No„ lite anteriora poſterioribus præponere. Amate paren„ tes, ſed præponite Deum parentibus. Attendite Ma- *2. Machab. 7. 22.* „ trem Machabæorum: *Filii*, inquit, *neſcio quomodo ap„ pariſtis in ventre*. Concipere vos potui, parere vos „ potui; vos formare non potui: Illum ergo audite, il„ lum mihi præponite; Nolite attendere, ne ſine vobis „ remaneam. Præcepit, & ſecuti ſunt. Quod docuit „ Mater filios, hoc docebat Dominus Jeſus Chriſtus i- *S. Aug. lib. contra Adamantum c. 6.* „ ſtum cui dicebat, *Sequere me*. Manifeſtum igitur eſt, „ & *honorem parentum in gradu ſuo eſſe ſervandum*, „ & *eos tamen in divini amoris comparatione, præſertim ſi* „ *impedimento ſunt, nulla dubitatione oportere contemni*. “

17. *Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus,*

& ſu-

& ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine, ſalva nos, perimus. Navis illa in medio mari fluctibus agitata, eſt Eccleſiæ typus. In ea Chriſtus cum Diſcipulis eſt, ut ipſe promiſit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: Ideo mergi non poteſt, quamvis Tyrannorum perſecutionibus, erroribus Hæreticorum, ſcandalis improborum Chriſtianorum velut tumentibus fluctibus operta & concuſſa. *Navicula illa* (inquit Tertullianus) *figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, id eſt in ſæculo, fluctibus, id eſt, perſecutionibus & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec precibus ſanctorum in ultimis ſuſcitatus compeſcat ſæculum, & tranquillitatem ſuis reddat.* Tunc ſolum fiet tranquillitas magna. Etſi enim modo, *Pax a paganis, pax* forte *ab Hæreticis, ſed non eſt pax a falſis filiis.* Olim prædictum eſt, & nunc impletur: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* (Iſai. 38.) *Amara prius in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu Hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum.*

Tertull. lib. de Baptiſmo c. 12.

S. Bern. ſer. 6. in Pſ. 40. Idem ſer. 33. in Cant.

18. Et navigium tempeſtatibus jactatum cor humanum eſt variis cupiditatum fluctibus, tentationum procellis agitatum. In eo Chriſtus habitat per fidem: Chriſtus dormit, cum ſopita fides eſt, vigilat, cum fides excitatur.

S. Aug. En. in Pſ. 25.

„ Navigamus per quoddam ſtagnum, & ventus & procellæ non deſunt: Tentationibus quotidianis hujus ſæculi prope oppletur noſtrum navigium. Unde autem fit, „ niſi quia dormit Jeſus? Si non dormiret in te Jeſus, „ tempeſtates iſtas non patereris; ſed tranquillitatem habéres interius, convigilante tecum Jeſu. Quid eſt autem, „ dormit Jeſus? Fides tua quæ eſt de Jeſu, obdormivit. „ Surgunt procellæ ſtagni hujus, vides malos florere, „ bonos laborare, tentatio eſt, fluctus eſt. Et dicit anima tua, O Deus, ipſa eſt juſtitia tua ut mali floreant, boni laborent! Dicis Deo, ipſa eſt juſtitia tua! „ Et Deus tibi, ipſa eſt fides tua! Hæc enim tibi promiſi: Ad hoc Chriſtianus factus es ut in ſæculo iſto „ floreres? Torqueris, quia hic mali florent, qui cum „ diabolo poſtea torquebuntur. Sed unde hoc dicis? Unde fluctibus angi & tempeſtate turbaris? Quia dormit „ Jeſus, id eſt, quia fides tua quæ eſt de Jeſu, ſopita „ eſt in corde tuo. Quid facis ut libereris? Excita Jeſum, & dic, Magiſter, perimus. Evigilabit ille, id „ eſt, rediet ad te fides tua; & adjuvante illo conſiderabis in anima tua, quia quæ dantur modo malis, „ non cum illis perſeverabunt. Aut enim viventes eos „ deſerunt, aut a morientibus deſeruntur. Tibi autem „ quod promittitur, manebit in æternum. Illis quod temporaliter conceditur, cito tollitur. Omnis enim caro „ fœnum: aruit fœnum, & flos decidit: Verbum autem „ Domini manet in æternum. Pone ergo dorſum ad id „ quod cadit, & faciem ad illud quod manet. Evigilante Chriſto jam tempeſtas illa non quatiet cor tuum, non opplebunt fluctus navim tuam: quia fides „ tua imperat ventis & fluctibus, & tranſiet periculum.“

S. Auguſt. ſerm. 361. alias 120. de Diverſis cap. 7.

„ Fluctuati concupiſcentia voluptatum, & vultis ingurgitari, & vivi ſepeliri. Surgit cupiditas ebrietatis, „ & quaſi fluctus quidam irruit in animam, adtractus flatu male ſuadentis. Tempeſtatem ergo magnam pateris, non vis reſpondere corruptori, cum faves propinatori; ſed fluctus concupiſcentiæ nimis erigitur, & „ obruere vult tamquam navem cor tuum. Chriſtiane, „ dormit in navi tua Chriſtus: excita illum; jubebit tempeſtatibus ut omnia tranquillentur. Illo enim tempore, quando Diſcipuli in navi fluctuabant, Chriſto dormiente, ſignificaverunt fluctuare Chriſtianos Chriſtiana fide dormiente. Vides enim quid dicit Apoſtolus: *Habitare*, inquit, *Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*. Secundum enim præſentiam pulchritudinis & divinitatis ſuæ ſemper cum Patre eſt; ſecundum præſentiam corporalem jam ſupra cælos ad dexteram Patris eſt; ſecundum præſentiam vero fidei, in omnibus „ Chriſtianis eſt. Et ideo ergo fluctuas, quia Chriſtus „ dormit: hoc eſt, ideo concupiſcentias illas, quæ excitantur flatibus male ſuadentium, non ſuperas, quia „ fides dormit. Quid eſt, fides dormit? Sopita eſt, oblitus es eam. Quid ergo eſt excitare Chriſtum? Excitare fidem, reminiſci quod credidiſti. Ergo recorda„ re fidem tuam, excita Chriſtum: ipſa fides tua jube„ bit fluctibus, quibus turbaris, & ventis perverſa ſua„ dentium, ſtatim diſcedent, ſtatim omnia conquieſcent; „ quia etſi non deſiſtit malus ſuaſor loqui, jam non commovet navem, non fluctum excitat, non mergit vehi„ culum quo portaris.“

S. Aug. ſer. 73. al. 3. interaddiſos a Pariſienſibus.

„ Somnus Chriſti, ſignum eſt ſacramenti. Navigantes „ ſunt animæ in ligno ſæculum tranſeuntes. Etiam navis „ illa Eccleſiam figurabat. Et ſinguli quippe templa ſunt „ Dei, & unuſquiſque in corde ſuo navigat: nec facit „ naufragium, ſi bona cogitat. Audiſti convitium, ven„ tus eſt: iratus es, fluctus eſt. Vento igitur flante, „ & fluctu ſurgente, periclitatur navis, periclitatur „ cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio, „ vindicari deſiderás: & ecce vindicatus es, & malo „ alieno cedens, feciſti naufragium. Quare hoc? Quia „ dormit in te Chriſtus. Quid eſt, dormit in te Chriſtus? „ Oblitus es Chriſtum. Excita ergo Chriſtum, recorda„ re Chriſtum, evigilet in te Chriſtus: conſidera illum. „ Quid volebas? vindicari? Excidit tibi, quia ipſe cum „ crucifigeretur, dixit, *Pater, ignoſce illis, quia neſci-* „ *unt quid faciunt?* Qui dormiebat in corde tuo, noluit „ vindicari. Excita illum, recole illum. Memoria ipſius, „ verbum ipſius, juſſio ipſius. Et dices apud te, ſi vigilat in te Chriſtus, Qualis ego homo, qui volo vindi„ cari? Qui ſum ego, qui in hominem exſero comminaciones? Morior forte antequam vindicer. Et cum anhelans ira inflammatus, & ſitiens vindictam, exiero „ de corpore, non me ſuſcipit ille qui noluit vindicari: „ Non me ſuſcipit ille qui dixit, *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis.* Ergo compeſcam „ me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis„ mei. Imperavit Chriſtus mari, facta eſt tranquillitas. „ Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenet regulariter in omnibus tentationibus veſtris. Nata eſt tentatio, ventus eſt; turbatus es, fluctus eſt. Excita Chriſtum, loquatur tecum. *Quis eſt hic, quia venti & „ mare obediunt ei?* Sub juſſione Chriſti mare audit, & „ tu ſurdus es? Mare audit, & ventus ceſſat, & tu ſuſflas? Quid dico, facio, fingo: Quid eſt aliud niſi ſuſflare, & ſub verbo Chriſti nolle ceſſare?“

Luc. 6. 37. & 38.

Lucæ 23. 34.

19. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* „ Chriſtus illos „ prius quam mare ſedaret, reprehendit: Ad exercita„ tionem enim eorum hæc fieri permittebantur, eratque „ figura tentationum ad quas eſſent perventuri. Majori„ bus enim eos tentationibus poſtea permiſit vexari: Un„ de & Paulus dicebat, *Supra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed „ ipſi in nobiſmetipis reſponſum mortis habuimus, ut non „ ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſciat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit.* Ut „ hinc igitur eos doceret, quantum in eo confidere oporteret, cum inſani fluctus inſurgant, diſcerentque quod „ ad melius cuncta diſpenſat, primum ipſos increpat, nec „ enim fruſtra ad extremum uſque terrorem eos venire „ permiſit; verum ut ſignum eis ingens videretur, & „ perpetua miraculi memoria reſideret. Nam quoniam poſt „ rem factam oblivio ſolet ex negligentia homines occupare: propterea prius quam ſigna fiant, multa præ„ ſtruuntur, quæ diuturniorem memoriam faciant. Sic „ & Moyſes ſerpentem primo perhorruit, neque id levi„ ter; deinde rem illam mirandam, haud tamen citra „ ſollicitudinem contemplatur: & nunc Diſcipuli, cum „ jam ſalutem fere deſperaſſent, tunc ſalvantur, ut ex „ periculorum confeſſione, magnitudinem miraculi per„ diſcant. Hac de cauſa etiam dormivit. Nam ſi vi„ gilantem viderent, aut non adeo pertimuiſſent, ut pe„ tere ab eo ſalutem, qui pericula eorum videret, ne„ glexiſſent: aut non poſſe ipſum fluctus ſedare putaſ„ ſent: idcirco dormit, ut & timoris cauſa ipſis major „ præberetur, & ſenſus eorum apertior ad videnda mi„ racula redderetur. Nam cum non pariter aliquis ſen„ tiat quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in ſe ipſo, „ oportebat Diſcipulos ejus, qui plurimos in dies libe„ rari videbant, nec tale quid ipſi experiebantur, & ne„ gligentiores erant, in ſe ipſis omnipotentiam ejus in„ ſpicere ut magis obligarentur: cumque nec claudi eſ„ ſent ipſi, nec cæci, nec alia ægrotatione laborarent; „ tempeſtatem excitari permittit, ut liberati ab ea, ma„ nifeſtiorem beneficiorum ejus ſenſum habeant. Propte„ rea nec præſentibus turbis id facit, ſed ſolos ipſos cor„ ripit, ne modicæ fidei a multitudine damnarentur, „ & antequam fluctus undarum deprimeret, nimios ani„ morum fluctus ſedavit. Corripuit enim eos ac dixit: „ *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Ad hæc, cauſam red„ didit, non a tentationibus, ſed ab infirmitate mentis „ timorem proficiſci.“

S. Jo: Chryſ. Hom. 29. in Matth.

2. Cor. 1. 8. 9.

Exodi 4.

Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Apoſtolos increpat Chriſtus, & eorum tamen orationem exaudit, ne defectuum noſtrorum intuitu, etiam precibus noſtris admixtorum, ab orandi ſtudio deterreamur. Deinde ut perſuaſum habeamus, vim precum noſtrarum meritis noſtris non inniti. 3. Ut majori cum humilitate oremus. 4. Ut Chriſto magis ac ferventius uniamur, cum illo & per ipſum orantes, qui *orat in nobis, orat pro nobis, oratur pro nobis. Orat in nobis, ut caput noſtrum: orat pro nobis, ut Sacerdos noſter: oratur a nobis, ut Deus noſter.* Ad illum fide accedamus, charitate illi conjungamur, oratione illum excitemus ut nobis ſubveniat; ſeu potius fidem noſtram, fiduciam de ipſius bonitate & miſericordia, vigilantiam, fervorem excitemus. Identidem orationem illam breviſſimam uſurpemus, ſed ſenſu luculentam: *Domine, ſalva nos, perimus.* Sine gratia tua perit in nobis omne bonum. Nullum vitæ noſtræ momentum eſt, Chriſte Salvator, quo in ſalutis æternæ diſcrimine non verſemur, niſi gratia tua nos adjuvet. Hujus ad peccata vitanda, ad tentationes ſuperandas, ad bonum omne ſupernaturale & inchoandum & perficiendum neceſſitatem abſolutiſſimam profitemur, qua deſtituti, neceſſe eſt

S. Auguſt. Enarrat. in Pſ. 85.

quo-

quodam modo ut cadamus, & cadendo vexemur, & prolapsi non surgamus, infirma & ad bonum impotente libertate. *Domine, salva nos, perimus.* Hæc oratio vim exprimit omnipotentissimam gratiæ Salvatoris; superabundantiam meritorum Christi; summam infirmitatem & quotidiana gravissimaque pericula hominis. *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.*

Psalm. 43.

20. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis; & tibi, Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* Quantus furor Dæmonis qui peccatoris animam possidet! Quanta miseria peccatoris, qui a Dæmone possidetur! Quanta mala peccatum infert, non solum ipsi homini peccanti, sed hominum societati! Conscientia peccatoris, sepulchrum est, tenebris, fœtore, vermibusque repletum. Hypocritæ, *sepulchra sunt dealbata, intus autem plena ossibus mortuorum.* E conscientia sua, cujus stimulos pati non possunt, & obtundere modis omnibus conantur, erumpunt peccatores, scandalisque suis ambulantes in via mandatorum Dei infestant, ab eoque pro viribus abducunt. „ Attende quæ sævitia dæmonum, quive furor aut quæ rabies erga hominum genus, dum ferre nequeunt mori homines, qui vivos gestiunt sepelire, & seipsos sepulchris mandant, ut homines redigant in sepulchra. Digna quidem utrorumque conditio, ut qui cælo præsidere nolunt, pascantur cadaveribus & sagimentur putredine, delicientur fœtore, quibus tota voluptas est vitiis deservire. Sed tremendum satis exemplum, quod tam sævi dicuntur, ut nemo possit transire per viam illam. Concluserunt enim viam veniendi ad Deum, transitum denegarunt & ideo nemo putet quod sine Christo ad Deum possit pervenire. „ Felix peccator, cui Christus occurrit, & quem gratia sua præveniens a dæmonis servitute & possessione liberat! sed heu: liberationi suæ sæpi impedimentum apponunt peccatores a dæmone invisibiliter possessi; rebelles sunt lumini, Christi Salvatoris manum repellunt, aversantur salutaria doctrinæ Evangelicæ remedia, sæviunt in Pastores ac Ministros verbi Dei; moras injiciunt, dicunt *Modo & modo, & illud modo non habet modum*: Timore judiciorum Dei turbantur, torquentur, nec tamen convertuntur. *Inimici sunt justitiæ, mallent non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem: Eam, si potestas daretur, præcipientem auferrent, ne comminantem vel judicantem ferant. Gehennas metuunt, peccare non metuunt, sed ardere. Ille* autem *timor pœnæ tormentum habet*, quia *non est in charitate*. Christo factis, sin minus verbis, dicunt: *Quid nobis & tibi, Jesu Filii Dei? Venisti ante tempus torquere nos ... Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

Paschas. Radbertus in cap. 8. Matth.

S. Aug. Ep. 245. alias 194.

21. *Erat autem ibi non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* In porcis imaginem habes carnalium hominum gulæ, & libidini deditorum, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*; qui carnem luxuria *maculant* & velut sues *in volutabro luti* delectantur. Horum multitudo maxima, dicentium: *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra.* In hos mittitur dæmonum legio, & ecce impetu abeunt per præceps, quia *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis.* Et in finalem impœnitentiam merito impudicitiæ, quæ *majoris adhæsionis* peccatum est, ut loquitur Sanctus Thomas, in mortem æternam ruunt præcipites. Unde *diabolus maxime gaudet de peccato luxuriæ, quia ex illo homo difficilius eripitur.* Hinc Osee 5. dicitur. *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Qui ergo in luxuriæ peccatis sordescunt, gratum dœmonibus sunt diversorium, & eorum subjiciuntur potestati, ab iisque in abyssum præcipites aguntur. Quod autem Christus significavit, permittens dœmonibus ut in sues irruerent, scilicet homines qui se in fœdis voluptatibus suum more volutant, Deo maxime displicere, & diaboli esse mancipia, idem Lege significarum est esu suillæ carnis Judæis interdicente, ut explicat Lactantius. „ Eodem spectat, *inquit*, etiam suillæ carnis interdictio: A qua cum abstinere eos Deus jussit, id potissimum voluit intelligi, ut se a peccatis atque immunditiis abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal atque immundum, nec unquam cælum aspicit, sed in terra toto & corpore & ore projectum ventri semper & pabulo servit; nec alium ullum, dum vivit, præstare usum potest, sicut ceteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel „ copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne vescerentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus servientes ad faciendam justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. *Mitte nos in gregem porcorum: Et ait illis, Ite.* Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset: tantum abest ut in Dei oves habeat ..... Nihil satanæ in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. "

Phil. 3. 19. Judæ 8. 2. Petr. 2. 28. Sap. 2. 8. Ephes. 4. 19.

S. Th. 1. 2. Q. 73. Art. 5. ad 32.

Lactant. l. 4. Divinarum Institutionum c. 17.

Tertull. l. de Fuga in persecutione cap. 2.

At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus prex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis. „ Ita gubernant dæmones. Atqui nihil eis erat rei cum porcis; tecum autem semper habent irreconciliabile bellum susceptum, & pugnam acerrimam, & odium immortale. Quod si illios, quibuscum nihil illis erat commune, ne ad exiguum quidem temporis momentum tolerare potuerunt; quid non facient, si hostes suos obnoxios sibi nos habuerint? Quo nos irreparabili damno non afficient? Propterea namque Deus in gregem porcorum irruere illos permisit, ut in corporibus brutorum animantium, ipsorum nequitiam discas. Atque illos quidem eadem facturos fuisse demoniacis, quæ porcis, nisi Deus curam dæmoniacorum in ipsa illorum insania gereret, omnibus manifestum est. Si quando igitur videris hominem vexatum a dæmone, Dominum adora, nequitiam dæmonum disce: siquidem utrumque in his demoniacis cernere licet, & Dei benignitatem, & hominum improbitatem: Dæmonum quidem improbitatem, cum turbent, & exagitent animam dæmoniaci: Dei vero benignitatem, cum ita sævum inquilinum, & hominem præcipitare cupientem retineat & coerceat, neque omni sua potestate uti permittat; sed tantam vim finat ostendere, ut & hominem castiget, & suam nequitiam manifestet. "

S. Jo: Chrys. serm. 60. cujus titulus est Dæmones non gubernare mundum Tom. 3.

22. *Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu; & viso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.* Impii, & sæculi amatores, Christum amittere malunt, quam lucra temporalia. Serviunt nempe cupiditati, nolunt servire charitati: ideo sine dolore non amittunt, quod cum cupiditate possident. *Non enim est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas.* Hærent in illis *mansoria dilectione, atque delectatione*, quasi data illis essent ad fruendum, non *transitoria dilectione*, quasi rerum quæ ad usum datæ sunt viatoribus, ut subsidia necessitatis, ut instrumenta virtutum & bonorum operum, ut *viaticum itineris, non illecebræ mansionis.* Ideo Jesum apud se manere nolunt, qui temporalia bona collaturus non advenit, sed æterna: & qui temporalia possidere noluit, quia contemnere docuit: Christianos esse volens non propter temporalem, sed propter æternam felicitatem: *Et viso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.* Ut enim scite ait S. Augustinus: *Temporalibus dediti, tamquam rotæ constricti, non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem ..... quibus dicitur, Deus meus, pone illos ut rotam: &, In circuitu impii ambulant.*

S. Ambros.

S. Aug. En. 2. in Psal. 30. ad vers. 14.

S. Aug. l. 3. de Doctrina Christiana c. 18. & l. 1. cap. 35.

Job. 11. 14.

CAPUT IX.

Sensus Litteralis.

1. *ET ascendens in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam.* Quod Gerasenis Evangelii lumen inferre, & apud illos edere miracula Christus voluerit, misericordiæ fuit: quod annuerit eorum precibus, rogantium ut ab illis recederet, & dimiserit eos secundum desideria cordis eorum, justi judicii fuit. Discessit igitur ab eis, tum ne margaritas porcis projiceret, tum ut se non missum ostenderet, nisi ad oves quæ perierant domus Israel. Trajecto itaque lacu Genesareth, in Galilæam reversus est, & venit Capharnaum *civitatem suam*, ut constat ex *Marci cap. 11. vers. 1.* Quo Christum immigrasse jam ante a Matthæo proditum erat. Hanc autem civitatem Christi vocat Evangelista, quia relicta Nazareth in ea domicilium veluti elegerat. Tres enim patrias & civitates quasi proprias habuit Christus: scilicet Bethleem, ubi natus est; Nazareth, ubi educatus; Capharnaum, ubi frequentius versari solitus, quam frequentibus miraculis illustravit, & quæ Galilææ metropolis erat.

S. Jo. Chrys. hom. 30. in Matth. S. Th. Comm. in cap. 9. Matth. S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. cap. 25.

2. *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Offerebant ei sedenti & docenti in domo, paralyticum, demissum a quatuor viris qui eum in lecto jacentem portabant, pur fastigium domus, subductis tegulis, grabato; quia non inveniebant aditum in domum præ turba, quæ ad Christum audiendum confluxerat, sedentibus etiam intra domum Pharisæis & Legis Doctoribus, qui venerant ex omni castel-

Marci 2. v. 1. Lucæ 5

lo Judææ & Jerusalem, & Galilææ illum audituri. Et videns Jesus fidem hominum, qui paralyticum illum per tegulas demiserant, & sanandum offerebant, nec non ipsius paralytici, qui se eo modo passus est offerri, dixit illi: *Confide fili*, bono animo esto; plus quam petis, impetrabis; non solum enim corporis sanitatem quam rogas, statim obtinebis, verum etiam animæ sanitatem, remissionemque peccatorum, quæ infirmitatis tuæ causa sunt. Radicem enim morbi tollo.

S. Jo. Chrys. Hom. 24. in Matth.

Paralyticum istum alium esse ab illo, cujus meminit S. Joannes cap. 5. Evangelii sui, opportune monet S. Joannes Chrysostomus. Nam ille juxta piscinam Jerosolymis jacebat, hic in Capharnaum. Ille triginta & octo annis paralysi laboraverat, de isto vero nihil hujusmodi scriptum est: nullos ille habuit ministros; dixit enim, *Hominem non habeo*; hunc afferri a ministris videmus, per tegulas demitti, & offerri Jesu: illum interrogavit, an vellet sanus fieri; huic nulla præmissa interrogatione ait, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*: illum Sabbato curavit, non istum: post istius curationem Judæi stupent, & Deum glorificant turbæ: post illius sanationem Jesum persequebantur, ejusque vitæ insidiabantur.

Eumdem autem fuisse paralyticum, cujus Matthæus, Marcus & Lucas meminerunt, certissimum est, quamvis duo posteriores Evangelistæ circumstantias aliquas referant, quas prior prætermisit. Quod autem Dominus apud Matthæum dixisse referatur, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*; apud Lucam vero, *Homo, remittuntur tibi peccata tua*; nullam inter Evangelistas dissonantiam arguit; sed eumdem sensum habet. Blandior quidem illa compellatio est, *Fili*: sed vox illa, *Homo*, ad sententiam Domini expressius insinuandam valet; quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso homo erat, non posset dicere, *Non peccavi*: simul etiam ut ille, qui homini dimittebat, intelligeretur Deus.

S. Aug. l. 2. de Consensu Evan. cap. 25.

3. *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se*, in cordibus suis tacite cogitantes: *Hic blasphemat*. Id est, injuriam Deo facit, arrogando sibi quod solius Dei proprium est, scilicet potestatem remittendi peccata. Luc. 21. *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Ex illorum porro invidia & calumnia occasionem nactus Christus, divinitatem probavit suam certissimis & invictissimis argumentis: primum docendo & confirmando, se potestatem habere dimittendi peccata, quod solius Dei proprium esse recte dixerant: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, &c.* Secundo, sibi perspectas esse illorum cogitationes ostendens: *Corda* autem *scrutari*, & intimas cogitationes nosse, Dei proprium est. *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum*. Tertio, sanitatem integerrimam statim restituendo paralytico, idque solo verbo.

S. Jo. Chrys. hom. 30. in Matth. 3. Reg. 16. 7. Paral. 6. 30. Ps. 7. 10. 1. Cor. 2. 10.

4. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quo fine mihi tacite affingitis blasphemiam, qui tot meæ erga Deum pietatis habetis argumenta? Non zelo utique gloriæ Dei, sed obtrectandi libidine, & superba cæcitate. *Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula?* Utrumque Deo æque facile est, sed difficilius vanitatis & fallaciæ convincetur, qui rem invisibilem pollicetur, qualis est remissio peccatorum, quam qui rem visibilem & sensibus subjectam. Remissio peccatorum latet, restitutio sanitatis paralytico jacenti, opere ipso patet. Ex isto igitur visibili externoque miraculo, aliud interius & invisibile, remissionis scilicet peccatorum Christus probat. *Inter dicere, & facere, multa distantia est. Utrum sint paralytico dimissa peccata, solus noverat, qui dimittebat.* Surge autem & ambula: *tam ille qui consurgebat, quam hi qui consurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale: Quamquam ejusdem virtutis sit, & corporis, & animi vitia dimittere.*

S. Hier. in c. 9. Matt.

5. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge: tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ut autem convincamini me potestatem habere in terra remittendi peccata; adeoque me Dei verum Filium esse æterno Patri in omnibus æqualem, attendite quid modo sim in hujus rei probationem facturus. Et dixit paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; ne superesset ullus dubitandi locus, tibi restitutam a me sanitatem; & hinc omnibus innotescat, me tametsi homo sim mortalis, tamen potestatem habere dimittendi peccata (ut dixi) & consequenter verum esse Deum; siquidem res falsa miraculo confirmari non potest; cum Deus qui summa & prima Veritas est, falsum ac mendacium, blasphemiamque testimonio suo approbare & confirmare non possit.

6. *Et surrexit, & abiit in domum suam*. Imperium Domini statim consequutus est effectus. Surrexit homo, qui prius omnibus membris captus jacebat; lectum portavit, qui prius movere se non poterat, sed ab aliis ferri indigebat: abiit in domum suam, qui prius ambulare non valebat, ut suis faustum miraculi in sui gratiam a Jesu editi nuntium afferret, de quo dubitare non possent ipsum aspicientes, ejusque præsentem statum cum pristino comparantes. *Videntes autem turbæ timuerunt*, præ stupore & admiratione divini operis: quo ex stupore, timor quidam reverentiæ erga Christum natus est. Hæc vis verbi, *timere*, 3. Reg. cap. 3. 28. *Timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium*. Et qui testes miraculi fuerant, sensu pietatis affecti, Deum laudaverunt, qui talem ac tantam potestatem hominibus concessisset, remittendi scilicet peccata, & id visibilibus miraculis confirmandi. *Hominibus*, id est, homini. Enallage enim sive permutatio numeri est Scripturæ sacræ usitata, quoties aliquid indefinitum denotatur. Nondum autem Christum Deum agnovisse videntur, neque Incarnationis Filii Dei Mysterium absconditum.

7. *Et, cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi. Sequere me. Et surgens secutus est eum*. Jesus domo egressus ad *Mare Galilææ*, vidit in itenere hominem sedentem *in telonio*, id est ad mensam publicanorum, ad quam tributa numerabantur, *Matthæum*, scilicet, qui publicanus erat officio, id est publicorum vectigalium redemptor & exactor, natione Judæus, patria Galilæus, ad Apostolatum postea vocatus, quem hujus Evangelii scriptorem fuisse constat; *Levi* appellatus a Marco & Luca Evangelistis, ut S. Hieronymus observat. *Levi Alphæi* vocat S. Marcus. Nescio vero cur Origénes adversus *Celsum* disputans, cum *Matthæum* publicanum fuisse dixisset, neget tamen *Levi* Apostolum fuisse, quamquam *Marci* quædam Exemplaria id præferre videantur; sed a vulgata opinione nihil movet ut recedamus, cum & officium, & circumstantiæ vocationis, *Levi* eumdem esse ac Matthæum probent. Huic ait Jesus: *Sequere me*. Individuus mihi comes esto, ac Discipulus. Et *surgens sequutus est eum*: Non temere, ut Porphyrius & Julianus Apostata objiciebant, sed prudentissimo consilio, cum tanta miracula a Christo ante patrata vel ipse ipse vidisset, vel audivisset ex fama publica, minimeque dubia: & insuper *Fulgor ipse & Majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat; & primo ad se videntes trahere posset aspectu. Si enim in magnete, lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, & stipulam, & festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* Gratiæ denique vis potentissima ipsum intus traxit, cor illius movit, in ipso operando non solum veram revelationem, sed etiam bonam voluntatem. Agit enim quando vult Deus in cordibus hominum miris & ineffabilibus modis, non ut (quod fieri non potest) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant, ut passim loquitur S. August. Sequutus autem Christum est *relictis omnibus*.

Marc. 2. 14. Luc. 5. 27.

S. Hier. in c. 9. Matt.

Luc. 5. 27. Marc. 2. 15.

8. *Et factum est discumbente eo in domo*, ipsius Matthæi, qui *fecit ei convivium magnum in domo sua*, (ut scribit S. Lucas.) *ecce multi publicani & peccatores*, sive Matthæi collegæ & amici ab eo invitati, sive Christi gratia & bonis voluntatibus, quas in illis fecerat, pariter tracti, Matthæique exemplo ad meliora conversi: *Erant enim multi, qui & sequebantur eum* (inquit S. Marcus.) Hi igitur homines ex vitæ instituto vitiis dediti, & velut profani a Judæis habiti, ad mensam *discumbebant cum Jesu & Discipulis ejus*.

Luc. 5. 29.

S. Aug. l. 2 de Consensu Evan. cap. 27.

9. *Et videntes Pharisæi*, id est, cum id intellexissent, *dicebant Discipulis ejus*, tamquam minus ad respondendum paratis: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Pessimum enim exemplum vobis præbet; unde S. Lucas rem ita refert: *Et murmurabant Pharisæi & scribæ eorum, dicentes ad Discipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* Hæccine est hominis sancti institutio? Sic vos contra Legisperitorum doctrinam & traditiones agere docet? Nam cum de Discipulis dicebatur, Magistro magis objiciebatur, quem sectando imitabantur. „ Una ergo Lu„ cæ & aliorum Evangelistarum sententia est, & tanto „ melius insinuata, quanto quibusdam verbis manente ve„ ritate, variata.“

S. Aug. ib.

10. *At Jesus audiens ait: Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*. Si vos tales estis, quales vobis ipsis videmini, sani & integri quoad animum, opera certe mea non indigetis. Missus sum enim ut Medicus animarum, ideo peccatoribus familiariter utor, ut ipsos a peccatis sanem, non ut in peccatis foveam: non ergo eo sum nomine reprehendendus, siquidem & corporum Medici ægrotis sese inclinant, eorumque fœtores sustinent, ut illis sanitatem restituant. Proverbialis igitur ea locutio est, quam & Græcorum Philosophi, & alii Scriptores Ethnici usurparunt. Sic Antisthenes, cum objectum illi esset quod cum improbis versaretur: *Etiam* (inquit) *Medici cum ægrotis*. Et Diogenes rogatus, cum Lacædemoniorum laudaret instituta, cur non apud eos viveret: *Medicus* (ait) *inter sanos non commoratur*.

Luc. 5. 24.

11. *Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos,*

Osee 6.

sed

sed peccatores. Ite, expendite apud vos quid sibi velit hic Scripturæ locus: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, id est, magis quam sacrificium. Pietatis scilicet, beneficentiæ, humanitatis & misericordiæ officia, quæ naturæ lege præscripta sunt, Deo magis grata sunt, magisque obligant, quam ritualia præcepta, quale illud est de vitanda familiari consuetudine peccatorum. Lex igitur quæ nocentes vitari præcipit, ad consuetudinem vitæ & morum referenda est; ne tangens picem inquinetur ab ea, & cum perverso pervertatur; non ad conversionem & reconciliationem eorum cum Deo. Nulla enim negligenda occasio est eos reducendi in rectam viam, & ad Deum revocandi ut Dei fugitivos. Id igitur inique mihi vitio vertitis (inquit Christus) *Non enim veni vocare justos, sed peccatores*. Ad hoc missus sum a Patre in mundum, & cum hominibus versor, non ut ante justos vocarem, sed ut homines qui *peccaverunt omnes, & egent gloria Dei*, ex injustis justos facerem. Quod egregie *S. Prosper* exprimit his Versibus.

S. Aug. lib. 10. de Civitate Dei cap. 5.

S. Prosper Carm. de Ingratis.

Salvator Mundi non præmia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam,
Sed quod dispersum exciderat, fractumque jacebat,
Quærere, & inventum reparare, & reddere curæ.

S. Lucas Christi sententiam ita refert: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Quæ postrema verba licet alii Evangelistæ non habeant, nullam tamen Lucæ cum illis dissensionem probant; sed ad Christi sententiam explanandam valent: „ Ne quisquam peccatores, ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligi arbitretur a Christo: cum & illa similitudo de ægrotis „ bene intimet quid velit Deus vocando peccatores, tamquam Medicus ægros, utique ut ab iniquitate tamquam „ ab ægritudine salvi fiant; quod fit per pœnitentiam. "

S. Aug. lib. 2. de Consensu Ev. c. 27.

12. *Tunc accesserunt ad eum Discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi, jejunamus frequenter: Discipuli autem tui non jejunant?* Non solum Joannis Discipuli, ut Matthæus refert; sed etiam Pharisæi, testibus Marco & Luca id Domino objecerunt. Marci namque cap. 2. v. 18. legitur: *Et erant Discipuli Joannis, & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare Discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem non jejunant?* Lucas vero cap. 5. cum responsum Christi de vocatione peccatorum tamquam ægrotorum retulisset, subjungit: *At illi dixerunt ad eum: Quare Discipuli Joannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum, tui autem edunt & bibunt?* Id est, populariter vivunt. Sed intelligendum est & Discipulos Joannis æmulatione quadam & zelo pro Magistri sui documentis & institutis; & Pharisæos invidia & obtrectandi libidine, atque versipelli malitia, ut cum Joannis Discipulis Christi Discipulos committerent, ipsumque Dominum ad Joannis disciplinam improbandam adducerent, id certtiam objecisse, ut quisque poterat: quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen a veritate non alieno, a tribus Evangelistis insinuata est. De publicis jejuniis Lege præscriptis (*Lev.* 23. 27. 29.) non agitur, sed de illis quæ vel ex traditione Seniorum, vel proprio cujusque consilio, privataque religione observabantur; quod quidem fiebat a Pharisæis ad opinionem sanctitatis sibi conciliandam: unde illud cujusdam ex illa Secta in Templo se jactantis potius quam orantis: *Jejuno bis in Sabbato*, id est, quavis hebdomada: a Discipulis vero Joannis Baptistæ ob captivitatem Magistri, pro quo preces ad Deum fundebant: quod & ratio temporum, & obsecrationum mentio apud Lucam ostendit.

S. Aug. Ib.

S. Jo. Chry. l. 31. in Matth.

13. *Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus; & tunc jejunabunt*. Sponsi filios vocat ejus amicos, sodales, & pronubos, qui intra thalamum admittebantur cum sponso, sicut cum sponsa virgines, ejusque nuptias variis lætitiæ significationibus celebrabant (*Judic.* 14. *v.* 11.) S. Marcus *Filios nuptiarum* vocat. Hebraismus est, quo sibi dicuntur ad aliquid destinati, sic *Filius mortis*, id est, dignus morte 11. *Reg.* 12. 5. & *Jo:* 17. 12. Judas Filius *perditionis dicitur*. *Lugere*, id est, *jejunare*, Marci 11. 19. Jejunia scilicet luctus signa. Unde Sabbato non jejunare religio erat Judæis, sicut & die Dominica non jejunare Christianis religio est, quia Sabbatum apud illos, apud nos Dominica dies, lætitiæ dicata. Se unicum Ecclesiæ *sponsum* esse Christus indicat, quo nomine & a Joanne designatus fuerat, dicente *Qui habet sponsam sponsus est: Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est*. Ostendit igitur Christus causam, propter quam Joannes & ejus Discipuli jejunarent, suis Discipulis nunc quidem non congruere: cum illis scilicet non semper erat sponsus, scilicet Christus ipse: cum istis autem semper versabatur. Ventura autem significat tempora, cum ipsi quoque Magistro orbati, non jejunia tantum luctus signa, sed graviora quoque tolerarent. Æquum igitur esse eos, quos tam acerba manerent, frui interim brevis gaudii interlusurio, & majore indulgentia tractari. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus*, per Passionem, & in cælos Assumptionem: & *tunc jejunabunt*. Hinc Ecclesia Quadragesimale Jejunium ex Apostolica institutione & traditione celebrat, ad sacratissimos dies se præparans, quibus ejus sponsus per passionem & mortem ab ea ablatus est.

Marc. 2. 19.

S. Hier. in c. 9. Matt.

S. Aug. ser. 210. al. de Diversis 74. c. 3.

14. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur*. Similitudine duplici probat Christus prudenti œconomia & indulgentia se cum Discipulis agere, non imponendo illis, quandiu sub ipso vitæ perfectioris tyrocinium agunt, austerioris vitæ præcepta. Prima est panni veteris, altera utrium novorum. Nemo insuit frustum panni novi, quod durum adhuc, rude, ac forte est, ad resarciendam vestem veterem ac detritam: Alioquin commissura illa, seu additamentum panni novi non diu hærebit, sed ad se trahens & abrumpens id quod plenum adhuc & integrum erat in vestimento veteri, pejorem sciffuram efficiet. Nemo etiam prudens infundit vinum novum in utres veteres; alioqui vini novi & adhuc ferventis spiritibus perrumpentibus utres franguntur, & vinum effunditur: sed in utres novos, qui vini ferventis vim ferant. Sic Discipuli mei populari vitæ rationi assueti, adhuc rudes & infirmi, nondum Spiritu renovati sunt: propterea hujusmodi indulgentia adhuc egent, ut majora illis pondera præceptorum ita affectis non sint imponenda

S. Jo. Chry. Hom. 23. in Matth

S. Hier. in c. 9. Matt.

15. *Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni impone manum tuam super eam, & vivet*. Post Matthæi vocationem & convivium, *Princeps Synagogæ* nomine *Jairus*, a quo res Synagogæ, scilicet conventus populi, lectio & interpretatio Scripturarum, publicæ præces, &c. dirigebantur; supplex ad Jesum accessit, & procumbens ad pedes ejus dixit: *Domine, filia mea modo defuncta est*: Ipsam enim *in extremis* reliqui, jamque spiritum agebat, cum e domo discessi ad te venturus, & tuam imploraturus opem. Et revera cum Jesus in domum ejus iret, venerunt Archisynagogi domestici, mortem filiæ ipsius nunciantes: *Filia tua mortua est: quid ultra vexas Magistrum?* Aut certe Marcus & Lucas apud quos Jairus ait, filiam suam *in extremis* esse, & jam *mori*, referunt quid ille dixerit, Matthæus autem quid voluerit atque cogitaverit: illi verba, hic voluntatem cui verba servire debent; eo quod certum sit Jairum utrumque voluisse, & utrumque a Domino postulasse, ut filiam suam vel morientem salvam faceret, vel mortuam suscitaret: sed cum instituisset Matthæus totum breviter dicere, hoc patrem rogantem dixisse narravit, quod & ipsum voluisse, & Christum fecisse certum est. Atque ex variis hujusmodi, sed minime contrariis Evangelistarum locutionibus, rem plane utilissimam & perneccessariam discimus, *Nihil in cujusque verbis nos inspicere debere, nisi voluntatem, cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quid ille voluerit, cujus verba non dicit: ne miseri aucupes vocum apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus*. Filia mea *unica, annorum fere duodecim* modo defuncta est: *sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet*. Rudis erat & imperfecta Principis illius fides, qui Christum solo verbo & imperio filiam ejus sanare vel suscitare posse nondum credebat: quamobrem rogat ut veniat, & manum imponat; id est, Dei potentiam & bonitatem pro puella invocet, cui invocationi seu orationi manuum impositionem Prophetæ adjungere solebant. Unde Moyses Josue manus imponere jussus est, ut ille ad Moysis preces Divini Spiritus acciperet incrementum. (*Num.* 27. 18. 20.) Et Naaman Syrus manum sibi ab Elisæo imponi & orationem super se fundi optabat, ut Deo manum suam sive potentiam ad Prophetæ præces invisibiliter super illum extendente, a lepra curaretur. (4. Reg. 5. v. 11.) *Putabam* (inquit) *quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me*. Unde S. Aug. de manuum impositione, quæ a Judæis ad Christianos transiit, & ad Ritus sacratissimos adhibetur, ait: *Manus impositio quid est aliud nisi oratio super hominem?* Id est, orationis symbolum. Igitur minus præclare de Christo sensisse videtur ille Synagogæ Princeps, quam alii qui solo contactu; aut quam Centurio, qui solo jussu sanitatem a Christo restitui posse credebat.

Luc. 8. 14. *Marci* 5. 22.

Marci 5. 35.

S. Aug. lib. 2. de Consensu Ev. cap. 28.

Luc. 8.

Lib. 3. *de Bapt. cont. Donat. c.* 16.

16. *Et surgens Jesus sequebatur eum, & Discipuli ejus*. Cum autem Discipulis, & turba frequenti comitatus in Archisynagogi domum pergeret, miraculum edidit, quo Jairi fides augeretur, & ad spem majoris miraculi divina Jesu Christi potentia in filia sua edendi, animus ejus excitaretur.

17. *Et ecce Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimen-*

stimentum ejus, salva ero. Morbus erat fœdus & pudendus, pertinax, inveteratus, & incurabilis, ægritudine velut in naturam versa. Duodecim erant anni ex quo infirmitatem illam patiebatur, & omnes facultates suas in Medicos erogaverat, nec quicquam profecerat, ut Marcus & Lucas referunt. Hæc *accessit retro*, partim ex pudore, ob morbi fœditatem; partim ex metu, ne a turba, cui se admiscuerat, ob legalem immunditiam ex morbo illo contractam repelleretur. (*Levit.* 15. 25.) *& tetigit fimbriam vestimenti ejus*; extremam oram vestis. Divinam scilicet virtutem miraculorum effectricem qua Christus totus plenus erat, ex ejus carne vivifica in imas oras vestimenti defluere certissime credens. *Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Eximia certe mulieris illius fides, ex cujus facto ac religione, & sacrarum Reliquiarum, & Fidei in omnipotentiam Dei per illas miracula operantis, & sanctos suos, prout ipsi placet honorantis atque glorificantis, confirmatur: Quænam fuerit illa mulier, haud anxie quærendum, cum ejus nomen Evangelistarum nullus indicet. *Martham* fuisse Lazari & Mariæ sororem nonnulli colligunt ex libro *De Salomone*, quem perperam laudant sub *S. Ambrosii* nomine, sive ex Sermone 45. in Appendicem Ambrosianorum Operum cum aliis rejecto in Editione novissima Parisiensi. Verum ea opinio improbabilis est. Civem fuisse Cæsarææ Philippi, quæ Christo statuam ante domum suam posuerit, accepti beneficii monumentum, tradunt *Eusebius* lib. 7. *Hist. Eccles.* c. 18. *Sozomenus* lib. 5. cap. 21. & *Philostorgius*, lib. 7. n. 3. Certo S. Ambrosius curationis hujus miraculum diligenter explicans lib. 6. Comment. in Lucam, num. 57. & 58. *Marthæ* nullatenus meminit. Nec admodum refert cujus fuerit, aut quo vocata sit nomine; sed fidem ejus eximiam fuisse, ut dixi, certum est, quæ ex contactu vestis Christi sanitatem se consequi posse credidit, quasi ipsum esse noscens, intus docente Spiritu sancto, de quo a Propheta prædictum esset: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.*

Marci 5. Luc. 1.

Mala. 4. 2.

18. *At Jesus conversus, & videns eam dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.* Conversus est Jesus, quasi ignorans & quærens quis ipsum tetigisset, virtutem de se ipso exivisse testatus, ut Marcus & Lucas referunt: ut mulier videns se latere non posse, ipsa se proderet, ac miraculum in se editum coram omnibus declararet, quod revera contigit. Nam cum subito siccatus esset fons sanguinis ejus, & Christus humano more agens & loquens dixisset, *Quis est qui me tetigit?* & negantibus omnibus, Petrus & qui cum illo erant, respondissent: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, Quis me tetigit?* Rursusque Jesus dixisset, *Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exisse. Videns mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pede ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.* Tunc dixit illi Jesus; *Confide filia*, bono animo esto, *Fides tua te salvam fecit.* Fides in Deum & in me tua tibi ad sanitatem impetrandam profuit. *Et salva facta est mulier ex illa hora*, qua vestimentum Christi tetigerat: vel, Christi verbo confirmata illi sanitas est, quam contactu vestis ejus fuerat consequuta.

Marc. 5. Luc. 8.

Luc. 8.

19. *Et cum venisset Jesus in domum Principis* Synagogæ, Jairi *& vidisset tibicines*, ex more gentis ad plangendos mortuos, & ad pompam funebrem adhibitos, *& turbam tumultuantem*, domesticorum scilicet, cognatorum, amicorum multitudinem, mortem immaturam puellæ deplorantium; *dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.* Procul næniæ, & funebris ille apparatus. Non enim ita mortua est puella, quemadmodum vos putatis, ut in morte mansura sit, nec resurrectura nisi in novissimo die; sed mox suscitanda est; unde ejus excessus tam brevi duraturus, somno similior est, quam morti. *Et deridebant eum*, cum sensum verborum ejus non caperent. Jesus autem ejectis omnibus qui planctu & ejulatu domum implebant, solisq; patre & matre puellæ, & Petro, Jacobo & Joanne fratre Jacobi secum assumptis; ingressus est in cubiculum ubi puella defuncta jacebat. *Et tenuit manum ejus*: tetigit manum, ut facere solemus cum aliquem a somno excitamus; cum ut ostenderet vivificandi vim ex conjuncta Divinitate carni suæ convenire; tum æque facile sibi esse mortuos suscitare, quam expergefacere dormientes. Addunt alii Evangelistæ eum clamasse: *Puella, surge*: ut non solum gestu, sed & voce ipsa, quasi cum dormiente agere videretur. Addunt illam ambulasse, & jussisse Christum illi cibos aopponi, ad resurrectionis scilicet illius veritatem confirmandam. Addunt denique, Christum præcepisse parentibus puellæ, ne alicui dicerent quod factum erat, quod & aliis præsentibus jussum intelligendum est a Christo, ut ostentationem & inanem gloriam fugiendam exemplo suo doceret: nam ipsum absolute voluisse ut miraculum illud publica fama vulgaretur, sequentia hæc,

Marci 5. Luc. 8.

Natal. Alex. in Evang.

Evangelistæ nostri verba ostendunt: *Et exiit fama hæc in universam terram illam*, scilicet Galilæam.

20. *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicentes: Miserere nostri, Fili David.* Cum autem ex Jairi domo in domum suam Capharnaum Christus reverteretur, duo cæci miraculi fama in spem recipiendi visus erecti, secuti sunt eum, clamore sanitatis vehemens desiderium, & ardorem fiduciæ exprimentes. Clamabant autem: *Miserere nostri, Fili David.* Hoc est, non dubitamus, optime Salvator Davidi promissioni, & hactenus, & imprimis hoc tempore a nobis expectatæ, quin visum nobis restituere possis, si velis: nostræ igitur calamitatis miserere, ut id beneficii nobis impræsentiarum præstes. *Fili David.* Honorificentissima erat hæc appellatio; unde Prophetæ quoque sæpius Reges quos honorare & magnos ostendere volebant, eo nomine appellabant, ut S. Joannes Chrysostomus observat. Verum altius quiddam cæci illi jam intus a Christo illuminati cogitabant & credebant, scilicet, ipsum esse Messiam a Deo promissum Davidi de quo prædictum erat a Prophetis, quod aperturus esset oculos cæcorum *Is.* 35. 5. & 42. 7. Christum *Davidis* nomine Prophetas appellare, manifestum est, *Ezech.* 34. v. 23. & 24. *Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David*, &c. Et *Filii David* nomine significatum Messiam tempore Prædicationis Christi, constat ex *Matth. c.* 12. v. 23. *Et stupebant*, inquit, *omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est Filius David?* Certe frequentiora & majora veteribus exemplis mitacula jam hoc effeciisse, ut Jesus a multis non Propheta tantum, sed promissus ille Messias crederetur, perspicuum est ex *Joannis* 7. v. 26. & 31. *Numquid vere cognoverunt Principes quia hic est Christus?* ..... *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa facit, quam quæ hic facit?* Cæcos autem, de quibus alii Evangelistæ narrant, scilicet S. Marcus c. 10. v. 46. & S. Lucas c. 18. 35. alios esse ab istis, quamvis circumstantiæ quædam similes sint, ex illorum occursu prope Jericho, Christi interrogatione diversa, illorum curatione in via, non in domo, variisque aliis circumstantiis, & ex *S. Matthæo* illam seorsim ab illorum illuminatione commemorante, nempe c. 20. v. 29. perspicuum & exploratum est.

S. Jo. Chrys. hom. 33. in Matth.

S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. cap. 29.

21. *Cum autem venissent domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possunt facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.* Illos non illuminavit in via, ut eorum fidem ac perseverantiam magis experiretur & excitaret. Distulit itaque beneficium, donec in domum suam, in qua in urbe Capharnaum habitabat, sive conducta, sive commodata, venisset. Illos interrogavit: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Non dixit, Creditis quod possim precibus id a Deo impetrare, sed quod ipse possim id facere propria virtute? *Dicunt ei. Utique, Domine.* Firmiter & absque hæsitatione credimus. *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.* Siquidem id me posse creditis, fiat: illuminentur oculi vestri. Ita porro locutus est, ut & fidem eorum firmiorem redderet, simulque ostenderet ipsos saluti suæ fuisse cooperatos, & testaretur non adulationis verba ista fuisse, sed firmæ de divina sua potentia persuasionis & fidei. Unde non dixit, Aperiantur oculi vestri; sed, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Id pene semper faciebat, Christus antequam corpora curaret, cum ut eos quos sanabat, secundum animam perficeret, melioresque redderet: tum ut alios eorum exemplo erudiret, ut in paralytico & Centurione videre est. Ita & hic latentem cæcorum fidem discussit, ut augeret ac perficeret, aliisque per hoc miraculum & eorum exemplum fulgeret *illuminatio Evangelii gloriæ Christi qui est imago Dei.*

S. Jo. Chrys. Hom. 33. in Matth.

22. *Et aperti sunt oculi eorum.* Protinus viderunt, completo in illis Prophetæ oraculo, Psalmo 145. 8. *Dominus illuminat cæcos.* Et ut inanem gloriam sincere & ex animo fugere se ostenderet, neque miracula edere ad nominis celebritatem consequendam, *Comminatus est illis Jesus, dicens; Videte ne quis sciat.* Ipsi graviter ac severe prohibuit, ne opus admirabile proderent, sed collato beneficio taciti fruerentur. *Illi autem exeuntes, dissamaverunt eum in tota terra illa.* Famam ejus in universa regione celebraverunt, non pertinacia, sed grati animi sensu. Intelligebant enim Christum modestiæ causa id prohibuisse, non absolute; sui autem esse officiii ut Medici potentissimi ac optimi beneficentiam prædicarent. *Et Dominus propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium.*

2. Cor. 4.

S. Hier. in c. 9. Matt.

23. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.* Cum porro egressi essent cæci, qui visum beneficio Jesu receperant, oblatus est ei homo a dæmone vexatus, qui ipsi linguæ usum interceperat. Unde ipsum dæmonium S. Lucas *mutum* appellat ab effectu, quia impedito & ligato locutionis organo, hominem mutum effecerat. Græca vox *κωφός* surdum æque significat ac mutum, & hæc duo ita conjuncta esse nemo nescit, ut qui surdi

Luc.11.14. sunt a nativitate, etiam muti sint, cum discere numquam potuerint quomodo voces formandæ.

24. *Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel.* Imperio Christi dæmon ex infelicis hominis corpore protinus ejicitur, non fidei ejus, ac precum intuitu, cum nec linguæ compos esset ut liberationem suam postulare; nec mentis, eam ut optare posset; sed intuitu fidei ac pietatis offerentium. Populus vero tot visis vel auditis miraculis a Jesu hac ipsa die editis, scilicet Resurrectione filiæ Jairi, curatione Hemorrhoissæ, illuminatione cæcorum, & hujus dæmoniaci liberatione, ac linguæ illius solutione, in admirationem raptus, stuporem suum his verbis exprimebat: *Numquam apparuit sic in Israel*: Id est, tot ac tanta miracula, in omni morborum genere, non contactu solum, sed & verbo, tam celeriter, tanta auctoritate, ac potestate, a nemine ante hac edita sunt, ne a Mose quidem, aut Prophetis. Christum porro mutorum linguas soluturum prædixit Isaias capite 35. vers. 4. & 6.

25. *Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Pharisæi invidia cæci, operum & signorum a Christo Jesu editorum admirabilitatem negare cum non possent, diabolica malitia modum claumniantur: *S. Jo. Chrys. Hom. 33. in Matth.* non divina virtute, sed Principis dæmonum ope, & arte magica, hac a Jesu effici blasphemant. Quam calumniam ac blasphemiam ab iisdem gloriæ suæ æmulis repetitam Christus refellit Matth. 12. Quid hac Pharisæorum calumnia dementius? Nam dæmonia a dæmone ejici, impossibile est, cum suos juvare confirmareque soleant, non destruere. Præterea, Christus non dæmonia tantum ejecit, verum etiam leprosos mundavit, mortuos suscitavit, tempestates sedavit, hominum peccata propria potestate dimisit, æternam immortalitatis beatitudinem prædicavit, ac denique ad Patrem conversos adduxit, quæ omnia nec vellent facere dæmones, nec possent. Ad idola enim homines adducunt, a Deo abducunt: nullam esse futuram vitam persuadere conantur: contumeliarum impatientissimi sunt, & quid in sui contemptores non tentarent, nisi illorum malitiæ frœnum injiceretur qui ipsis cultoribus suis sunt exitio? Christus autem his aliisque contumeliis ne commotus quidem est; tantum abest ut illatas sibi tam graves injurias ultus sit. Et non solum non punivit Pharisæos insipientes, sed ne leviter quidem imprælientiarum objurgavit, simul & mansuetudinem ostendens, & hac ratione illorum maledicentiam redarguens, sequentibusque miraculis evidentiorem exhibens Divinitatis suæ demonstrationem.

26. *Et circuibat Jesus omnes civitates & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelicum Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Beneficentiam & charitatem non solum in majores urbes, sed & in vicos & castella Galilææ diffundens, *S. Hieron. in c. 9. Matth.* docebat in Synagogis eorum, quæ non solum in civitatibus, sed etiam in vicis majoribus ac frequentioribus constitutæ fuisse videntur, & prædicabat Evangelium Regni, seu Legem novam ad Regnum cælorum perducentem; & omnis generis morbos propria virtute curabat: *Ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent.* In urbibus vero & castellis & villis, id est, magnis & parvis, Evangelium æqualiter prædicavit: *Ut non consideraret Nobilium potentiam, sed salutem credentium.* De solo denique Domino proprie dicitur; *Curans omnem languorem & omnem infirmitatem*: quippe cui nihil impossibile est.

27. *Videns autem turbas, misertus est eis: Quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes Pastorem.* Vidit Jesus plebem Israeliticam pessime haberi ab iis qui pascere ipsos debebant, Sacerdotibus & Legisperitis, qui piis monitis illos instruere, & ab erroribus aut vitiis revocare non curabant, sed honori commodisque suis unice serviebant, *Vindicantes improbissimis quæstibus nomen Religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis* (ut Salviani verbis utar.) Vidit (inquam) ipsos animo vexari, dissipari, & hinc a Pharisæis, inde a Saducæis in diversas partes trahi, ita ut quid sequerentur, quid fugerent, non satis ipsis exploratum esset: Vidit languentes sicut oves non habentes Pastorem, qui Pastorali animo gregem curaret. Infelici namque Judæorum statui tunc temporis congruebat illud Jeremiæ vaticinium: *Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos, fecerunt que vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt* *Jer. 50. 6.* *cubilis sui.* Ideo Christus intima & vehementi commiseratione erga ipsos est affectus, *Viscera misericordiæ*, gerens, *in quibus visitavit nos Oriens ex alto*, Deus noster, & misericordia nostra. *Luc. 1.*

28. *Tunc dicit Discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Messis quidem uberrima, *Jo. 4. 35.* ingens multitudo populi tum Israelitici, tum Gentilis, jam *alba ad messem*, matura & parata ad audiendum Evangelium, ad accipiendam doctrinam salutis. *Rogate ergo Dominum messis*, Deum scilicet, cujus providentissima misericordia & gratia singulari Ministri fideles & idonei vocantur, Ecclesiæque dantur, *ut mittat operarios*, Prædicatores scilicet ac Pastores, qui prædicare non possunt & regere gregem nisi mittantur cum peculiaribus mandatis & auctoritate; *operarios*, non solo titulo, sed re- *Psal. 125. S. Hier. in c. 9. Matth.* ipsa tales, muneris exercendi studiosos. Isti sunt operarii, de quibus Psalmista loquitur: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione mettent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et ut apertius loquamur: *Messis multa, omnis turba credentium est. Operarii autem pauci, & Apostoli, & imitatores eorum, qui mittuntur ad Messem.* Messis multa: *Non mitto vos*, inquit, *ad arandi seminandique laborem, sed ad segetis jam præparatam messem*: Quod Sanctus Joannes aliis verbis expressit: *Alii*, inquit, *laboraverunt, & vos introistis in labores eorum.* Quibus verbis ipsos in modestia continebat Christus, ne sibi ipsis Evangelicæ Prædicationis *Joan. 4. 38.* fructum tribuerent atque arrogarent, & cum magnos labores jam præcessisse ostenderet, promptiores eos reddebat, ipsisque ad strenue operandum in Messe Domini col- *S. Jo. Chrys. Hom. 33. in Matth.* ligenda addebat animos. *Rogate ergo Dominum messis*, &c. His verbis doni magnitudinem ostendit: & seipsum esse messis Dominum, qui duodecim Apostolos mittit & inaugurat. Nam si ad metendum operarios mittebat, palam est quod ipsos non mitteret ut aliena meterent, sed quæ per Prophetas seminaverat.

SENSUS MORALIS.

1. *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Paralyticus ille hominis lapsi typus est. Natura & voluntas humana, Adami peccato vitiatæ, spiritalem paralysim contraxerunt, impotentiam operandi, loquendi, cogitandi supernaturalia, & quæ necessaria sunt ad salutem, nisi gratia medicinali Salvatoris sanentur, sine qua ad ea nos movere nullatenus possumus, ut ipse ait: *Sine me nihil potestis facere*, &, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*: Et, *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: „ Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel „ cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera ni- „ hil valemus .... Idonea fuit humana natura per libe- „ rum arbitrium vulnerare se, sed jam vulnerata & sau- „ cia non est idonea per liberum arbitrium sanare se. Si „ enim volueris intemperanter vivere ut ægrotos, ad „ hoc Medicum non requiris: ad labem sufficis tibi. „ Cum autem intemperanter agens cæperis esse ægro- „ tus, non sic potes ab ægritudine liberare te, quo- „ modo potuistis per intemperantiam te in ægritudinem „ præcipitare. Et tamen Medicus etiam sano præcepit „ temperantiam. Bonus Medicus hoc facit, non vult esse „ necessarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deo creato „ homini sine vitio temperantiam præcipere dignatus est: „ quam si ille servasset, Medicum postea morbo suo non „ desideraret. Sed quia non servavit, languidus factus est, „ cecidit, infirmus genuit infirmos. Et tamen in omni- „ bus, qui nascuntur, infirmis Deus quod bonum est, „ operatur, formando corpus, vivificando corpus, alimenta præbendo pluviam suam & solem suum super bonos „ & malos dando: non est unde accusent bonum, nec „ mali. Insuper etiam genus humanum justo suo judi- „ cio condemnatum noluit in interitum sempiternum re- „ linquere: sed misit & Medicum, misit Salvatorem, mi- „ sit eum qui gratis sanaret, qui sanatis etiam merce- „ dem daret. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. „ Quis est qui dicat, Sanem te, & do tibi mercedem? „ Optime fecit. Sciebat enim se divitem venisse ad pau- „ perem: & sanat ægrotos, & sanitati donat, & non „ aliud quam seipsum donat. Salvator est adjutorium lan- „ guidi, ipse Salvator est præmium sanati. “ *Jo. 15. 5.* *Jo. 6. 44.* *Philipp. 2. 13. S. Aug. l. de Gratia & libero Arbitrio c. 17. Idem ser. 156. al. 13. de Verbis Apostoli.*

Paralyticus in lecto jacens, mala cupiditate languentem animam significat, viribusque ad bonum agendum destitutam. „ Infirmo ne accidat tentatio, & eum fran- *S. Aug. ser. 46. de pastoribus al. de Tempore 165. cap. 6.* „ gat, timendum est: languens autem jam cupiditate „ aliqua ægrotat, & cupiditate aliqua impeditur ab in- „ tranda via Dei, a subeundo jugo Christi. Attendite „ illos homines volentes bene vivere, jam statuentes be- „ ne vivere, & minus idoneos mala pati, sicut para- „ ti sunt bona facere. Pertinet autem ad Christia- „ nam firmitatem, non solum operari quæ bona sunt, „ sed & tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur „ servere in operibus bonis, sed imminentes passiones „ tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero „ aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipsis bonis „ operibus recreantur, languidi & ægroti jacent: quippe „ qui ipso languore, tamquam sine ullis viribus, nihil bo- „ ni possunt operari. Talis in animo Paralyticus ille „ fuit, quem cum ad Dominum inferre non possent, qui

eum

„ eum portabant, tectum aperuerunt, & deposuerunt: „ id est, tamquam si in anima hoc velis facere, ut tectum aperias, & deponas ad Dominum animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, & vacantem ab „ omni opere bono, gravatam utique peccatis suis, & „ languentem morbo cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta „ sint membra omnia, & est paralysis interior, ut pervenias ad Medicum, (forte enim latet Medicus, & „ intus est, hoc est, verus intellectus in Scripturis occultus est) exponendo quod occultum est aperi tectum, „ & depone paralyticum. "

S. Amb. lib. 5 in Lucam n. 10. & 11. Verum cum se offerre ipse Christo supremo animarum Medico non possit, Ecclesiæ, piorumque precibus ac fide illi offerendus & commendandus est. „ Primum omnium unusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, „ actuumque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exterioris corporis „ debilitate torpentem, ad superiora erigant. Quorum „ rursus adminiculis & adtollere & humiliare se facilis, ante Jesum locetur, Dominico videri dignus adspectu. Humilitatem enim respicit Dominus . . . Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & „ dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te „ homo collega non valeat, cum apud Dominum servus „ & interveniendi meritum, & jus habeat impetrandi? „ Disce qui judicas, ignoscere: Disce qui æger es, impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, cujus contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. "

2. *Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Radix morborum corporis, est peccatum. Ideo Christus ut paralyticum in spem sanitatis erigat, peccata ipsi remittit, & remissa esse significat. Quamvis ergo & naturales interdum morborum corporalium causæ sint, sæpe tamen ex hominum culpa causam trahunt, ut colligitur ex *Joannis* 5. vers. 14. & 1. *Corinth.* 11. vers. 30. Quamobrem quando corpore nos male affectos esse contingit, de animæ nostræ salute & curatione per sinceram conversionem & veram pœnitentiam satagere imprimis debemus, Deoque & Christo summo Medico verbis Psalmistæ supplicare, *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ideo sæpe morbi corporis a Deo immittuntur, ut animi ægritudines sanentur, ut superbiæ tumor curetur, ut abusus sanitatis puniatur, lasciviens caro dometur, ut ad *S. Greg. M. p. 3. Curæ Pastoral. Admonit. 13.* Deum animus revertatur. Psalmus 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt . . . Salus corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris amissa sentitur & infructuose ad ultimum quæritur, quæ congruo concessa tempore utiliter non habetur. Unde bene per Salomonem dicitur:* „ Ne des „ alienis honorem tuum & annos tuos crudeli: ne forte „ impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in „ domo aliena, & gemas in novissimis, quando consum- *Proverb. 3.* „ pseris carnes & corpus tuum. „ Qui namque a nobis „ alieni sunt, nisi maligni spiritus, qui a cœlestis sunt „ patriæ forte separati? Quis vero honor noster est, nisi „ quia in luteis corporibus conditi, ad Conditoris tamen nostri sumus imaginem & similitudinem creati? „ Vel quis alius crudelis est, nisi ille Angelus apostata, „ qui & semetipsum pœna mortis superbiendo perculit, „ & inferre mortem humano generi etiam pepercit? „ Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem & similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos „ etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis adversarii accepta vivendi spatia expendit. „ Ubi bene subditur: *Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.* Quisquis „ enim per acceptam valetudinem corporis, per tributam „ sibi sapientiam mentis, non exercendis virtutibus, sed „ perpetrandis vitiis elaborat, nequaquam suis viribus „ suam domum, sed extraneorum habitacula, id est, „ immundorum spirituum facta multiplicat, nimirum vel „ luxuriando vel superbiendo agens, ut etiam se addito, „ perditorum numerus crescat. Bene autem subditur: „ *Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes & „ corpus tuum.* Plerumque enim accepta salus carnis per „ vitia expenditur: sed cum repente subtrahitur, cum „ molestiis caro atteritur, cum jam egredi anima urgetur, diu male habita quasi ad bene vivendum salus „ amissa requiritur. Et tunc gemunt homines quod Deo „ servire noluerunt, quando damna negligentiæ suæ re- „ cuperare serviendo nequaquam possunt. Unde alias di- *Psalm. 77.* „ citur: Cum occideret eos, quærebant eum . . . Ad„ monendi sunt ægri, ut considerent quanta salus cor„ dis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui „ mentem revocat, & quam plerumque salus adjicit, in„ firmitatis memoria reformit: ut animus qui extra se „ in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex *Num. 22.* „ percussa quam sustinet carne memoretur. Quod recte „ per Balaam in ipsa itineris ejus retardatione signatur, „ Balaam namquam pervenire ad propositum tendit, sed „ ejus votum animal cui præsidet, præpedit. Prohibitio „ ne quippe immorata asina Angelum videt, quem humana mens non videt: quia plerumque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem „ mens ipsa carni præsidens non videbat: ita ut anxietatem spiritus proficere in mundo cupientis, velut iter „ tendentis impediat, donec ei invisibilem, qui sibi obviat, innotescat. Unde & bene per Petrum dicitur: *2. Petri 2.* „ *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum, „ quod in hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.* Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum quod „ tenere debeat, ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, „ quia ad maledicendum pergens, vocem non mentem „ mutavit. Admonendi sunt ægri, ut considerent quanti „ sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit; „ quæ sumpta ab exterioribus plagis concussæ menti pœnitentiæ vulnera infligit. "

3. *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat:* Quid prodest scientia legis sine charitate? *Scientia inflat, charitas ædificat.* Doctores cæci, infideles, superbi, invidi, calumniatores, vocant bonum malum, & malum bonum, lucem tenebras, & tenebras lucem Christo blasphemiam affingunt, Sancto sanctorum peccatum exprobrant; scandalum sine causa patiuntur: sed scandali Pharisaici nullam habendam esse rationem Christus exemplo suo docet. Ipso paralytico languidiore erant Scribæ. „ Fecit ergo Medicus aliquid & in cor„ pore paralytici; ut & illorum qui talia dixerunt, in„ teriorem paralysim sanaret. Fecit enim quod viderent, „ & dedit quod crederent. " *S. Aug. ser. 3. in Psal. 36.*

4. *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Admiranda Christi lenitas, & mansuetudo, atque in necessariæ correptionis officio imitanda. Cogitandum serio Christum summum Judicem omnium hominum corda nostra scrutari, cogitationes intueri. *Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Cognoscit & judicaturus est omnes cogitationes hominum, malas, temerarias, vanas, otiosas: *Ut quid* ergo *cogitatis mala in cordibus vestris?* Ut quid cor vestrum sollicite non custoditis: Ut quid cor vestrum non est rectum cum Deo, nec fideles estis in testamento ejus, qui bonus est rectis corde? *Previsti omnes discedentes a judiciis tuis* (inquit Propheta) *quia injusta cogitatio eorum.* Ibi acceditur, ibi disceditur. Omnia opera vel mala, vel bona, a cogitatione procedunt. *In cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est:* propter quod scriptum est: *Cogitatio sancta servabit te.* Et alibi legitur, *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Et Apostolus, *Cogitationibus*, ait, *accusantibus aut etiam defendentibus.* Ubi autem felix est, qui in cogitatione miser est? Aut quomodo ibi miser non est, qui ad nihilum redactus est? *Magna quippe est sterilitas, iniquitas.* Et, *Ad nihilum redactus est in conspectu Dei malignus.* Quamobrem *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* „ Coinquinatio spiritus quæ est? Libido. „ Coinquinatio carnis? Perpetratio adulterii. Sed quid prodest quia caro munda est, & habitator carnis immundus? Ille qui forte mundus est in carne, adulterum eum Deus tenet in corde, sicut Dominus dicit. *Amen dico vobis, Qui viderit mulierem „ ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ista est coinquinatio spiritus. Quando autem „ sit perfecta sanctificatio? Quando est carnis & spiritus. Sunt enim homines qui temperant se a factis, „ & non temperant se a cogitationibus malis: faciunt „ mundationem carnis, & non faciunt mundationem spiritus. Tales ideo non faciunt, quia timent homines. „ Libido ardet, timor revocat. Quid times? Inveniri & „ damnari; inveniri & expompari. Ergo incoinquinata „ videtur caro, sed non est perfecta sanctificatio: quia „ quid dicit Apostolus? *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritus.* Ut quomodo te tempe„ ras a malis factis, sic te temperes a mala voluntate, „ a malis cogitationibus. A malo facto contine, & mun„ das te a coinquinatione carnis: a mala voluntate ab„ stine te, & mundas te a coinquinatione spiritus. " *Prov. 21 Sap. 1. 9 Rom. 2. 15 S. Aug. ser. 24. in Ps. 18. 2. Cor. 7. 1. Matth. 5. 28. S. Aug. ser. 45. alias 12. ex editis a Sirmondo.*

5. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Potestatem remittendi peccata Christus non solum in terra exercuit, sed Ecclesiæ suæ, & Apostolorum Successoribus qui eam regunt, exercendam commisit. Verum non dimittuntur, nisi toto corde ad Deum conversis & vere pœnitentibus, qui sanatum paralyticum imitantur, qui a peccati habitu, prava consuetudine, proximis occasionibus surgunt, a terrenarum rerum studio & amore ad cœlestia se erigunt, & sursum cor habent ad Dominum: qui tollunt lectum in quo jacebant, carnem scilicet continent in officio, voluptatibus renuntiant, pravarum

rum cupiditatum objecta removent, in quibus adhæſione & fruitione criminoſa quieſcebant: qui denique ambulant in via Mandatorum Dei, & in cor ſuum redeunt, ibique Deo ſolo fruentes, illique fideliter ſervientes, ac illum ſuper omnia diligentes, ad Paradiſum unde excidérant, revertuntur. „ Lectum ſanus jubetur portare, & „ ire in domum ſuam, ut remiſſione peccatorum convaleſcentibus per ſpem bonam membris animæ, hoc corpus reſtaurare intelligatur: ut jam non in carnalibus gaudiis tamquam in lecto requieſcat infirmitas animi, ſed magis ipſa contineat affectiones carnales, & tendat ad „ requiem ſecretorum cordis ſui... Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus. Lectus doloris, infirmitas „ eſt carnis. Ne dicas, Non poſſum tenere & portare & „ frænare carnem meam: adjuvaris ut poſſis. Dominus „ opem ferat tibi ſuper lectum doloris tui. Portabat te lectus, non tu portabas lectum; ſed paralyticus intus eras: „ adeſt qui dicat tibi, Tolle grabatum tuum, & vade in „ domum tuam." Ut autem nobis Dominus opem ferat, & ſanata interiori paralypſi nobis vires tribuat ad lectum ferendum, & ad ambulandum in via mandatorum ejus, lectus ipſe infirmitatis noſtræ, in quo jacebamus, lacrymis rigandus eſt, ſecundum illam Davidis pœnitentis ſententiam: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quæ verba S. Auguſt. ſic explicat: „ Lectus eſt hoc loco appellatus ubi requieſcit „ animus æger & infirmus, ideſt, in voluptate corporis, „ & in omni delectatione ſæculari. Quam delectationem „ lacrymis lavat, qui ſeſe ab illa conatur extrahere. Videt enim jam ſe damnare carnales concupiſcentias: & „ tamen delectatione tenetur infirmitas, & in ea libenter jacet, unde ſurgere niſi ſanatus animus non poteſt. „ Quod autem ait, *per ſingulas noctes*, hoc fortaſſe accipi voluit, quod ille qui ſpiritu promptus ſentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione hujus „ ſæculi per carnis infirmitatem aliquando requieſcit tamquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati: ut „ cum dicit, *Mente ſervio legi Dei*, tamquam diem ſentiat; rurſus cum dicit, *carne autem legi peccati*, inclinetur in noctem; donec omnis nox tranſeat & veniat „ unus dies, de quo dicitur, *Mane adſtabo tibi, & videbo.* Tunc enim adſtabit: nunc autem jacet, quando in lecto eſt, quem lavabit per ſingulas noctes ut tantis lacrymis „ impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam." Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. „ Domus „ noſtra interior, cor noſtrum eſt. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Hanc domum „ quiſquis habet malam, pellitur ab illa foras. Quiſquis „ enim in corde premitur mala conſcientia, quomodo „ quiſque ab ſtillicidio exit de domo ſua, aut a fumo, „ non ibi ſe patitur habitare: ſic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt. „ Tales foras exeunt a ſe ipſis animi intentione, & de „ his quæ foris ſunt circa corpus delectantur; quietem „ in nugis, in ſpectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris ſibi volunt eſſe bene? Quia „ non eſt illis intus bene unde gaudeant in conſcientia. „ Ideo Dominus cum ſanaſſet paralyticum, ait: *Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Faciat illud anima, quæ quaſi paralypſi diſſoluta eſt; in membris bonæ operationis conſtringatur, ut bene operetur; „ tollat grabatum ſuum, regat corpus ſuum: jam eat in „ domum ſuam, intret in conſcientiam ſuam: jam latam „ inveniet, ubi deambulet, & pſallat, & intelligat." 6. *Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Mandato Domini ſtatim paret qui a paralyſi ſanatus eſt. In ipſo enim operatur ut ſurgat, ut lectum ſuum tollat, ut ambulet, & in domum ſuam abeat, qui ait: *faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus. *Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit ut velimus bonum de quo dictum eſt*, Præparatur voluntas a Domino: *de quo dictum eſt*: A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: *De quo dictum eſt*, Deus eſt qui operatur in vobis & velle. *Certum eſt nos facere cum facimus: ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit*, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis. *Cum dicit*, Faciam ut faciatis: „ Quid aliud dicit, niſi, *Auferam a vobis cor lapideum*, unde non faciebatis; & „ *dabo vobis cor carneum*, unde faciatis? Et hoc quid „ eſt niſi auferam cor durum, unde non faciebatis; & „ dabo cor obediens, unde faciatis? .... Sicut ergo vulnere verbi gratia, claudicans ideo curatur ut ſanato malo præterito futurus dirigatur inceſſus: ſic „ mala noſtra non ad hoc ſolum ſupernus Medicus „ ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cetero „ recte ambulare poſſimus; quod quidem etiam ſani nonnih illo adjuvante poterimus. Nam medicus homo cum ſanaverit hominem, jam de cetero ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo „ dimittit; qui præbet iſta in carne viventibus, cujus „ erant etiam illa, quæ dum curaret, adhibebat. Ipſe „ autem Deus cum per Mediatorem Dei & hominum „ hominem Jeſum Chriſtum, ſpiritualiter ſanat ægrum „ vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium, & „ cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam „ vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non „ deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur ..... „ Sanat ergo Deus, non ſolum ut deleat quod peccavi„ mus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus.

7. *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.* Longe admirabilior curatio hominis ſecundum animam, quam ſecundum corpus paralytici. Pedes habebat, ſed ambulare non poterat: nunc in via mandatorum Dei non ambulat ſolum, ſed currit, cum Davide dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Manus habebat ad furtum, ad rapinam, ad fraudem paratas, ad opera juſtitiæ & charitatis immobiles: nunc *laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.* Linguam habebat, & loqui non poterat niſi mala: Ex abundantia enim cordis os loquitur, nunc os aperit, linguam movet ad laudem Dei, *ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Senſu deſtituti erant reſpectu rerum divinarum, & ſalutem animæ ſuæ ſpectantium, & non ſapiebant niſi quæ ſunt carnis: nunc *quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.* Jacobant in lecto, in corporis deliciis quieſcebant: nunc lectum portant, non amant, ſed tolerant legitimas etiam delicias, quibus Deus animales actiones corporis conſervationi neceſſarias condivit, in iiſque uni ſerviunt neceſſitati, non voluptati; ex intimo corde gementes ad Deum & dicentes. *De neceſſitatibus meis erue me.* Hæc mutatio dexteræ Excelſi, hæc vis gratiæ ſanctificantis animam, facultatibus omnibus, veluti membris diſſolutam. Id bonorum Doctorum, Concionatorum, Sacerdotum miniſterio factum eſt, paralyticum Chriſto ſiſtentium, qui peccata remittit in cælo, cum ipſi in terra peccatorum pœnitentem ejus nomine & auctoritate abſolvunt. Hoc totum Dei opus, cujus proinde nomini gloria danda eſt de juſtificatione peccatoris, ſeu paralyſis interioris curatione. *Confeſſio & magnificentia opus ejus.* Quid magnificentius quam juſtificare impium? *Hæc eſt magnificentia Domini, juſtificatio peccatoris*: Hæc magnificentia Domini, quoniam *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Opus certe admirabilius, quam cæli & terræ creatio, quo ex nihilo meritorum novum hominem creat. *Ipſius enim ſumus factura; creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus.* Juſtitiam enim homo non operatur, niſi juſtificatus: *Credens autem in eum qui juſtificat impium, a fide incipit; ut bona opera non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod accepit oſtendant.*

8. *Et cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio; Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Mira vis divinæ vocationis! quæ *Publicanum in Apoſtolum commutavit, ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ diſtributor: & de impietatis ſchola ad pietatis magiſterium perveniret; fieretque Doctor miſericordiæ, qui avaritiæ fuerat inſtitutor.* Inſcrutabile divinæ vocationis myſterium! Deus omnis generis & conditionis homines vocat, ne de illius miſericordia quiſquam deſperet. Suſcipit pauperes, divites non repellit. Habentes ſuſcipit, ad ſe trahit non habentes. Abraham, Job, David, divites: Pauperes Apoſtoli, unus ex illis dives ante vocationem Matthæus: illos ex piſcatione, iſtum ex telonio vocavit; nullis quidem præcedentibus meritis univerſos. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nullos ex operibus juſtitiæ vocavit, & juſtificavit: prævenit omnes in benedictionibus dulcedinis: ſed in Matthæo præſertim vocantis miſericordia eluxit, quæ dedit *fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis magiſtro officium largitatis, doctori fœnoris magiſterium ſanctitatis, publicano ſæculi cæleſte ſecretum.* Vidit hominem ſedentem in telonio. *Vidit plus divinis oculis, quam humanis.* Vidit hominem, „ Ut peccata hominis non videret. „ Vidit opus ſuum, ut deſpiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, ut ille videret Deum. Vidit illum „ Chriſtus, ut ille pecuniæ latebras amplius non videret. Vidit illum Chriſtus ſedentem, quia preſſus „ cupiditatis pondere, ſurgere non valebat. Detorius ſedebat in telonio publicanus ille, quam paraly„ ticus jacebat in lecto: quia ille carnis patiebatur „ paralyſim; iſte mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum; in iſto totus ordo fuerat ſen„ ſuum diſſipatus: Ille jacebat captus carne; ſedebat „ corpore & animo iſte captivus: Ille doloribus ſuc„ cumbebat invitus, iſte vitiis voluntarius ſerviebat: Iſte „ ſibi innocens avaritiæ videbatur in crimine; ille „ ſe cognoſcebat inter vulnera peccatorem; Iſte lu„ crorum cumulabat peccata, ille dolorum gemitibus „ peccata delebat. Merito igitur paralytico dicitur.

„ Con-

S. Aug. lib. 2. Quæſt. Ev. Quæſt. 4. Pſal. 40. 4.

S. Auguſt. Enar. in Pſal. 40.

Pſ. 6. 7. S. Aug. Enar. in Pſ. 6.

Pſalm. 5. 5.

S. Auguſt. Enar. in Pſal. 100. & v. 1.

Ezech. 36. 27. Aug. l. de Gratia & libero arbitrio c. 16. Prov. 31. ſecundum 70.

Pſ. 36. 23. Phil. 2. 13.

S. Aug. l. de Natura & Gratia cap. 26.

Pſalm. 18.

Epheſ. 4. 28.

Epheſ. 4. 29.

Pſ. 24. 17

Pſ. 11. 30. S. Aug. in eum Pſal. Rom. 5. 20. Epheſ. 2. 19.

S. Petrus Chryſolog. ſerm. 30.

Rom. 9.

S. Petrus Chryſol. ib.

„ *Confide, fili: dimittuntur tibi peccata tua*, quia compensarat delicta doloribus: Publicano autem dicitur: „ *Veni, sequere me*. Hoc est, ut sequendo me reparés „ quod consequendo pecuniam perdidisti. *Veni sequere me*: Hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solve laqueos. *Me sequere*: quære te, perde usuram, ut „ te valeas invenire.“

S. Bern ser. 3. de Fragmentis septem Misericordiarum. Veni, sequere me. „ Sunt aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. „ Sunt & alii qui fileant licet, manet tamen alta mente reposita, & rancorem tenent in animo. Longe ab „ his omnibus benignissima est Divinitatis natura; liberaliter agit, ignoscit plenarie; ita ut propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium, ubi abundavit „ delictum, soleat & gratia superabundere. Testis est „ Paulus Gentium Doctor, qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Testis est Matthæus de telonio „ electus in Apostolum, cui etiam Novi Testamenti pri-

B. Pet. Damiani ser. in Festo S. Matthæi. „ mum Scriptorem esse donatum est... De telonio cumulandæ pecuniæ, in cathedram transfertur Ecclesiæ; & qui prius exigendi vectigalis fungebatur offi- „ cio, constitutus est fidei divitiarumque cælestium ministrare thesauros: quique tunc turpis lucri quæstu „ satagebat implere marsupium, nunc per mundi latitudinem spargit cælestis Eloquii Sacramentum.“

S. Jo: Chrys. Hom. 31. in Matth. *Et surgens secutus est eum.* „ Vocanti prompto animo obtemperat. Non enim repugnavit, nec ambigendo intra se dixit; Putasne Publicanum, peccatoremque me recte absque fraude vocaverit? Non est enim „ hujuscemodi humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperavit, ut nec domum quidem ad communicandum rem cum suis profectus sit: Verum sicut piscatores prius retibus cum navigio atque patre relictis, sic „ iste publico Officio & quæstu relicto sequebatur; sic „ præparatum & ad omnia expeditum animum ostendens, sic ab omni sæculari negotio seipsum eripiens,

S. Petrus Chrysolog. serm. 29. „ mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit, „ quod opportune ipsum vocaverit. Matthæus non subtrahitur operi, sed mutatur: & telonium suscipit magis, quam relinquit: ut mansura Deo, non homini „ peritura conquirat: ut non trigesimum in quadragesimum quinquagesimumque nummum tristis redigat supputator: sed trigesimum in sexagesimum & centesimum gaudii fructum lætus recondat divinis commodis „ profuturum. *Et surgens secutus est eum.* Generosus

Venerabilis Beda lib. 2. in Lucam. „ animus, qui sic ea quæ magna putarat, facile & „ quasi nulla contempsit. Apparet illum per ignorantiam „ lucra ante præsentia conquisisse, a quibus ut se sen-

Vide & S. Basil. in Regulis fusius disputatis. „ sit & vidit liberum, sic raptus est ad divina. *Et surgens secutus est eum.* Sequi, imitari est. Ideoque ut „ pauperem Christum non tam gressu quam affectu consectari posset, reliquit propria, qui rapere solebat alie- „ na. Perfectamque nobis abrenuntiationis sæculi formam „ tribuens, non solum lucra reliquit vectigalium, sed & „ periculum contempsit quod evenire poterat a Principibus sæculi: quia vectigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquerit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut in nullo prorsus hu- „ jus vitæ respectum, vel cogitationem sibimet reservaverit. Propter quod justa mercede dum humana sedulus negotia deserit, Dominicorum fidelis dispensator „ meruit esse talentorum.“

Et surgens secutus est eum. Fideliter implevit officia vocationis suæ, non solum firma fide; qua Christo credidit; ardentissima charitate, quæ totam in illius corde rerum terrenarum cupiditatem & radicem omnium malorum avaritiam extinxit: obedientia, qua Christum sine cunctatione secutus est; sed & humilitate, qua suum ipse nomen, & publicani, id est, publici peccatoris professionem adscripsit, cum alii noluerint ipsum nomine appellare vulgato, sed *Levi*. Ipse autem Matthæus, secundum illud quod dicitur a Salomone, *Justus*

Prov. 8. 17. Isai. 49. 26. S. Hier. in c. 9. Matth. *accusator est sui in principio sermonis*: „ Et ab Isaia, „ *Dic tu peccata tua ut justificeris*: Matthæum se & „ Publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum „ salutem debere desperare, si ad meliora conversus sit, „ cum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus.“ Grati etiam animi specimen eximium dedit, qui hac ratione magis celebravit magnam Christi illum e telonio vocantis misericordiam. Publicani *ex*

Tertull. l. de Pudicitia cap. 7. *officio peccatores*, (inquit Tertullianus) quorum nomen apud Dominum execrabile, *vendentium ipsius cæli & terræ & maris transitus*. Eo major Christi miseratio & gratia, qui illum non solum in clientelam Discipulatus elegit, sed in Senatus Apostolici fastigium invexit, & ad scribendum Evangelium primum omnium applicuit.

S. Petr. Damiani ser. in Festo S. Matth. „ Plane sicut Moses & Prophetis non absurde præponitur, & omnibus qui aliquid scripserunt in Veteri Te- „ stamento: ita beatus Evangelista Matthæus omnes jure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in Novo. Si- „ cut enim ille nascentis Mundi texit originem; sic „ iste, tamquam spiritalis cujusdam Mundi, orientem „ describit Ecclesiæ novitatem. Unde Spiritu sancto calamum temperante provisum est, ut uterque non di- „ versum, sed unum idemque suis libris præmitteret „ initium, dicens: *Liber generationis*. Sed illa genera- „ tio filios parturit iræ; ista filios parturit gratiæ. „ Moses veterem Adam atque terrenum, veterem mundum, vetus digerit Testamentum: Matthæus autem „ pro veteribus nova, pro terrenis sive carnalibus spiri- „ tualia, pro temporalibus introduxit æterna. Pro A- „ dam Christum, pro Lege veteri Evangelium, pro „ Mundo, vel terra sanctam describit Ecclesiam, di- „ versa spiritualium fructuum victualia germinantem...“ Matthæus igitur *Evangelista Evangelistarum* non immerito dicitur, qui aliis Evangelistis formam & exemplum scribendi dedit. Hunc ducem & nos sequamur, non Evangelium scribendo, sed Evangelica præcepta servando. Hunc ad vitam sequamur itineri præviam. Hujus salutiferum imitemur exemplum, qui mox ut vocantis Salvatoris audivit imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsivit inducias, non amicorum petenda consilia: sed illico divitias sprevit, necessarios abdicavit, carnalium affectuum nexus abrupit; sicque solutus, post Christi vestigia lætus & impiger properavit, cum Propheta dicens: *Dirupisti*, Domine, *vincula mea*, *tibi sacrificabo hostiam laudis*.

9. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & Discipulis ejus.* „ Arguitur Deus quare inclinat „ se homini, quare conjacet peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare accipitat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis. Venit ad prandium Christus, venit ad convivium vita, ut faceret secum convivere morituros: „ venit ad languentes Medicus, ut reficeret convescendo defessos, inclinavit Pastor bonus humeros suos, ut „ ovem perditam salutares reportaret ad caulas. Sed hoc „ Pharisæus arguit, qui prandium dominicum putat non „ virtutis esse, sed ventris; non spiritus, sed carnis, „ non divinæ bonitatis, sed voluptatis humanæ; terreni luxus, non gratiæ cælestis. Sic se videt, qui Deum *S. Pet. Chr.* „ non videt.“ Quis arguit medicum jacentibus conja- *serm. 30.* „ centem, nisi salutis inimicus? Quis Pastorem subnixum „ lasso pecori reprehendit, nisi qui lucrosi gregis amorem nescit? Quis judicem de pietate judicat, nisi qui „ fuerit desperatus? Quis communionem Dei, nisi sacrilegus spernit? Indulgentiam quis nisi sacrilegus horresci t?

Ecce Publicani & peccatores venientes discumbebant *Vener. Be-* cum Jesu. *Unius Publicani conversio multis exemplum* *da Hom. de* *pœnitentiæ ac indulgentiæ Publicanis & peccatoribus tri-* *S. Matth.* *buit*. „ Non enim dubitandum, quin Publicani ac peccatores esse desierant, qui cum Jesu & Discipulis ejus „ discumbebant: nec si in peccatis perseverare decernerent, ei qui sine peccato est convesci auderent.“ Et „ pulchro sane præsagio, qui Apostolus & Doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione peccantium post se gregem trahit ad salutem: officiumque „ evangelizandi, quod proficiente merito virtutum erat „ expleturus, a primis jam fidei [illegible] rudimentis incipit. „ Neque enim solum qui fratrem verbo erudit; sed etiam qui exemplo ad meliora convertit, ministerium „ gerit Doctoris.“ Denique iidem Publicani non tunc „ solummodo cum Domino discumbebant, verum & deinceps abjectis sæcularibus negotiis, ad imitationem Matthæi illum sequi gaudebant, teste Evangelista Marco: „ *Multi*, inquit, *Publicani & peccatores discumbebant* „ *cum Jesu & Discipulis ejus. Erant enim multi, qui* „ *& sequebantur eum*.“

Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores discumbebant cum Jesu. Christi *S. Laurent. Just. Hom. de S. Matt.* corpori, scilicet Ecclesiæ, spiritale convivium S. Matthæus instruxit. „ Nonne, *Domine Jesu*, quoties in Ecclesiis Evangelium recitatur, quod scripsit, toties cor- „ pori tuo salutarem alimoniam subministrat? Pascit „ equidem animas esurientium te, dum infantiam tuam, „ mores tuos, doctrinam tuam, sollicitudinem, fatigationem, passionem, mortem, Resurrectionem, Ascensionem, earum insinuat auribus. Magnum prorsus ac solemne convivium, quod in toto orbe terrarum noscitur esse „ diffusum. Redivivis semper nobilitatur alimentis, quoniam numquam Dei verbum inveteratur, corrumpitur „ numquam; quin potius erogatum multiplicatur, prædicatum crescit, gustatum nutrit, accendit meditatum, „ agnitum concupiscitur; expositum, integrum; & intelligentiæ faucibus mansum, permanet incorruptum.“

10. *Et videntes Pharisæi, dicebant Discipulis ejus*: *S. Pet. Chr.* *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Ma-* *serm. 30.* *gister vester? At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus*. Quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? *Magis ipse peccator est, & ut verius dicam, ipse jam peccatum est, qui se non intelligit peccatorem*. Legisti, Pharisæe, quia *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?* „ Quamdiu sumus in mortali corpore, & fragilitas dominatur „ in nobis, etsi actu peccata vincimus, vincere peccata cogitationum non possumus, & injustitias fugere:

„ & si corporea possumus evitare, & si conscientiam malam devincere valeamus, culpas negligentiæ ignorantiæ „ peccata, quemadmodum possumus abolere? „ Pharisæe, „ confitere peccatum, ut Christi venire possis ad Mensam; ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum, ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Prande cum peccatoribus, ut possis prandere cum Christo: Agnosce te peccatorem, ut tecum „ prandeat Christus: Intra cum peccatoribus convivium „ Domini tui, ut possis non esse peccator: Intra domum „ misericordiæ cum Christi venia, ne cum tua justitia „ extra domum misericordiæ puniaris exclusus. Agnosce „ Christum, audi cœlestem Medicum, calumnias tuas „ peremptorie confutantem: *Non est opus sanis Medicus, sed male habentibus.* Si vis curam, agnosce languorem. *Non veni vocare justos, sed peccatores*, Si „ cupis misericordiam, confitere peccatum.

S. Aug. Tract. 7. in Joan. Idem Enar. in Psalm. 58.

„ *Non est opus sanis Medicus, sed male habentibus*, „ Quia vos justos dicitis, cum sitis peccatores; sanos vos „ judicatis cum langueatis; medicinam repellitis, non „ sanitatem tenetis . . . . O fortes, quibus Medicus „ opus non est! Fortitudo ista non sanitatis est, sed insaniæ. Nam & phreneticis nihil fortius, valentiores „ sunt sanis: sed quanto majores vires, tanto mors vicinior. Avertat Deus ab imitatione nostra fortes istos. „ Timendum est enim ne eos quisque velit imitari. Doctor autem humilitatis, particeps nostræ infirmitatis, „ donans participationem suæ Divinitatis, ad hoc descendens ut viam doceret, & via fieret, maxime suam „ humilitatem nobis commendare dignatus est. " Hanc imitemur, ne de justitia nostra præsumamus, & Pharisaico supercilio peccatores contemnamus, ac ipsis insultemus, sed magis nos peccatores esse cognoscamus & confiteamur: cœlestisque Medici opem implorare non cessemus, qui sanguine suo medicamentum fecit ægrotis. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* " Primus homo „ ita conditus est, ut si obediret Deo, semper beatus „ & immortalis esset; si negligeret & contemneret præceptum ejus, qui volebat in illo salutem perpetuam „ custodire, in morbum mortalitatis irrueret. Tunc ergo „ Medicus a sano contemptus est, nunc curat ægrotum, „ Alia enim sunt præcepta quædam medicinæ ad tenendam sanitatem: sanis enim dantur ne ægrotent: alia „ sunt quæ jam ægroti cum accipiunt, recuperant quod „ amiserant. Bonum erat homini ut obediret Medico, „ cum sanus esset, ne Medicus illi opus esset: *Non est „ enim opus sanis Medicus, sed male habentibus.* Proprie enim Medicus dicitur, per quem sanitas recuperatur. Nam semper Deus Medicus opus est etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur. Bonum ergo illi erat „ tenere perpetuam sanitatem, in qua conditus erat. „ Contempsit, abusus est, intemperantia sua decidit in „ malam valetudinem hujus mortalitatis; audiat vel „ modo præcipientem Medicum, ut possit inde surgere, „ quo per peccatum ipse decubuit. Sed quemadmodum „ in ipsa medicina sanus faciendo quæ imperat Sapientia salutis, manet in eo quod habet; si autem cœperit „ ægrotare, incipit audire præceptum, & incipit facere, si vere curat recipere bonam & integram valetudinem; cum autem cœperit id facere, non continuo „ jam sanus est; sed diu observando pervenit ad illam „ sanitatem, quam minus temperando perdiderat: Hoc „ illi autem prodest quod jam incipit observare, ne augeat ægritudinem, & ut non solum deterior non fiat, „ sed etiam incipiat melius habere, qui paulatim fit „ sanus: spes est enim perfectæ sanitatis, quando incipit homo minus minusque ægrotare. Sic etiam juste „ vivere in hac vita, quid est aliud nisi audire præcepta legis & facere? Numquid ergo quicumque faciunt „ præcepta legis, jam sani sunt? Nondum: sed ut sani „ fiant, faciunt. Non deficiant faciendo: quia paulatim „ recipitur quod semel amissum est. Si enim cito rediret „ homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem . . . . Sic venit ad afflictum „ & laborantem Medicus Christus, qui ait. *Non est „ opus sanis Medicus, sed male habentibus: Non enim „ veni vocare justos, sed peccatores.* Vocat peccatores „ ad pacem, vocat ægrotantes ad sanitatem. Imperat „ fidem, imperat continentiam, temperantiam, sobrietatem, refrænat concupiscentiam avaritiæ, dicit quid „ faciamus, quid observemus. Qui observat hæc, jam „ potest dici juste vivere secundum præcepta medicinæ: sed nondum recepit illam sanitatem & integram valetudinem, quam Deus promittit per Apostolum dicens, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. *Tunc „ plena sanitas erit, & cum Angelis sanctis æqualitas.* "

S. Aug. ser. 278. al. de Div. 34.

S. Hilar. in c. 9. Matth.

11. *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Scribis & Pharisæis, qui in sacrificiis confidebant, & virtutem negligebant, ostendit ex Scripturis, Misericordiam & charitatem sacrificiis præstare. Demonstrat, *Legem sacrificiorum observatione devinctam opem ferre non posse; sed salutem universis in misericordiæ indulgentia reservari.* Non enim veni vocare justos, sed peccatore. „ Omnibus venerat; quomodo ergo non se „ justis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat „ ut veniret? Sed nemo justus ex lege est. Ostendit ergo „ inanem justitiæ esse jactantiam: quia sacrificium infirmis „ ad salutem, misericordia erat universis in lege positis necessaria. Nam si justitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset. "

Osee 6. 6.

Misericordiam volo, & non sacrificium. „ His verbis „ satis declaratum est, illa sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus significantur hæc sacrificia quæ „ requirit Deus. Ac per hoc ubi scriptum est, *Misericordiam volo quam sacrificium*; Nihil aliud quam sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, „ signum est veri sacrificii. Porro autem misericordia verum sacrificium est: Unde dictum est: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Proinde verum sacrificium est omne „ opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus a „ Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia „ qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non „ est sacrificium. " Sed misericordia, qua bonus Pastor peccatoribus miseretur, infirmisque ovibus condescendit & compatitur, ut eas curet; Deo gratior est sacrificio. Opera externa pietatis & mortificationis sine misericordia & charitate, Pharisaica sunt, non Christiana; speciem religionis habent, non veritatem. *Non veni vocare justos, sed peccatores: Ut* scilicet *nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret.*

S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei c. 5. & 6.

S. Aug. ser. 20. al. de Tempore 300.

„ 12. Tunc accessetunt ad eum Discipuli Joannis, di- „ centes: Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter: „ Discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus: „ Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab „ eis sponsus, & tunc jejunabunt. " Pharisæi Joannis Discipulos, ut verisimile est subornarunt, ut Christo id objicerent, sicut Herodianos postea immisere. Quadam enim æmulatione contra Christum Discipuli Joannis disputabant, tunc solum ad humilitatem redacti, cum Joannes in carcerem detrusus est. Modestius enim tunc accesserunt ad Jesum, ipsique Magistri non nomine quæ præceperat nuntiaverunt, quamvis postea ad æmulationis vitium sint reversi. *Quare*, inquiunt, *nos & Pharisæi jejunamus frequenter: Discipuli autem tui non jejunant?* Ecce hæc illa est ægritudo, quam Christus jam pridem depellebant, dicens: *Quando jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Prævidebat enim quot quantaque vitia ex jejunii, aliorumque externorum pœnitentiæ operum ostentatione oriantur. Plerique enim in quorum animis charitas & humilitas Christiana radices non egerunt, in his non cavent superbiam, quæ bonis operibus insidiatur: non attendunt viam regiam & generalem qua ad Deum itur, & sine qua ad ipsum non pervenitur, charitatem esse cum humilitate conjunctam: vias alias particulares varias esse, secundum donum unicuique divinitus concessum. Proinde illos qui jejuniis & severiori vivendi ratione ab hominum vulgo discreti sunt alios in via Dei ambulantes, & populariter viventes contemnere non debere, qui charitate & humilitate præstantiores forte sunt, & hoc nomine Deo gratiores. Cogitare debent, quod *Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi.* Quare Discipuli tui non jejunant? *Serpentina ista vox est.* Jejunium exemplo suo consecraverat Christus, Discipulis illud commendavit, & genus esse dæmonum docuit, quod non ejicitur nisi *jejunio & oratione.* Sed quamdiu Christus Ecclesiæ sponsus cum ipsis versabatur, tempus erat indulgentiæ & lætitiæ, ac proinde austeriore vivendi ratione adstringendi non erant; tempus erat nuptiarum mysticarum, quo filii sponsi gaudere deberent, luctu, jejunio, gravioribusque malis affligendi, postquam sponsus illis visibilem præsentiam suam subtraxisset. Christus vero Joannis Discipulos, & Pharisæos ipsos pro meritis non increpat, tamquam inanem quærentes gloriam, & vane se ostentantes. Quando enim pro aliis loquebatur, verbi gratia, pro publicanis, ut animos eorum vulneratos mitigaret, acrius in exprobratores insurrexit. Nunc vero cum ipsum ejusque Discipulos carperent, clementer & humiliter respondet: *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Se prius quidem Medicum, nunc vero Sponsum appellavit, ineffabilia quædam Mysteria his nominibus aperiens. Et quamvis potuisset in eos acriter invehi, dicens: Qua auctoritate jejunandi legem aliis imponere potestis? Res vestras agite. Quam vero jejunia vobis afferunt utilitatem, cum mens vestra sceleribus repleta sit, cum alios accusetis, cum judicetis, non parvas ipsi trabes gerentes in oculis, cum ad aucupandam hominum gloriam omnia faciatis? Potius inanis gloria abjicienda esset, omnesque virtutes adhibendæ, fratrum dilectio, charitas, mansuetudo, Nihil tamen hujusmodi respondet, sed: *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu*

S. Aug. l. 17. in Joann. S. Ambr. l. 5. in Luc.

S. Jo: Chrys. hom. 31. in Matth.

diu cum illis est sponsus? Præsens igitur tempus, quo ego sponsus a Joanne appellatus cum Discipulis versor, lætitiæ, & gaudii tempus illis est. Nolite igitur adhibere mœsta. Mœstum autem quid jejunium est, non natura quidem sua, sed illorum qui imbecilliores adhuc sunt comparatione. Nam provectoribus & perfectioribus jucunda res est & amabilis, & quemadmodum ex bono corporis habitu lætitia consequitur, sic multo major animi virtuti dediti voluptas est; Sed ad mentem eorum respondet. Sic & Isaias, & Moyses jejunium humiliationem animi & afflictionem appellant. Addit autem. *Venient dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Unde patefacit, non ventris & voluptatis causa Discipulos suos extraordinaria tunc jejunia non frequentasse, sed ipsius indulgentia, & dispensatione mirabili, prudentiæque in hominibus adhuc infirmis & imbecillis regendis plane divinæ exemplum præbente, Pastoribus omnibus & animarum Rectoribus imitandum. Duplex etiam genus jejunii Discipulis & Christianis aliquando frequentandum innuit. „ *Nam* Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio vero, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium major sagina est. Cum ergo Dominus interrogatus esset cur Discipuli ejus non jejunarent, de utroque jejunio respondit. Namque ad illud, quod in tribulatione jejunari solet, pertinet quod ait, Sponsi filios tunc jejunaturos, cum ab eis ablatus fuerit sponsus: Tunc enim desolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum Sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam jejunii alterum genus, quod fiet per lætitiam jam renovati in vitam spiritalem convenientissime celebrabunt." Jejunium utrumque frequentandum, secundum diversos status. Primum pœnitentibus & incipientibus convenit; alterum perfectis. *Venient dies, quando auferetur ab eis sponsus, & jejunabunt*: Qui sunt illi dies quibus nobis Christus aufertur, maxime cum ipse dixerit. *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: &, *Non relinquam vos orphanos?* Certum est enim quod si nos relinquat, salvi esse nequeamus. *Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi ipse auferas. Non te auferat jactantia tua, non te auferat arrogantia.* Si autem Sponsum animæ tuæ peccando amiseris, pœnitentiam age: *Nam si gratia ex pœnitentia, qui fastidit pœnitentiam, abdicat gratiam.* Ad satisfactionem autem pœnitentiæ pertinet jejunium tribulationis: quo conficitur caro, & corporalis luxuria castigatur. Sed etsi per gratiam præsens sit Sponsus, jejunium gaudii frequentandum est, ne carne in terram vergente retardatus animus, sursum ubi Sponsus est ad dexteram Patris sedens, non feratur. „ Ergo, charissimi, quia est terrenus cibus, quo carnis infirmitas pascitur; est autem & cœlestis cibus, quo pietas mentis impletur; & habet cibus iste terrenus vitam suam, habet & ille suam: Hujus cibi vita hominum est, illius cibi vita Angelorum est. Fideles homines, discreti jam corde a turba infidelitm, suspensi in Deum, quibus dicitur, *Sursum cor*, aliam spem gerentes, & scientes se peregrinari in hoc mundo, medium quemdam locum tenent: nec illis comparandi sunt, qui nihil aliud putant bonum, quam deliciis terrenis perfrui; nec illis adhuc supernis habitatoribus cœli, quibus solæ deliciæ sunt Panis ipse a quo creati sunt... Nondum pervenimus, sed jam imus: nondum ibi lætamur, sed jam hic suspiramus. Quid ergo nobis prodest abstinere aliquantum a pastu & lætitia carnali? Caro in terram cogit, mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere. Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans volantem: quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quid agimus jejunantes."

Venient autem dies, quando auferetur ab illis Sponsus, & jejunabunt. Piis tempus tribulationis est, quo probantur; tempus gaudii, quo cœlestibus solatiis revocantur. Interiora gaudia & solatia, carnis afflictione, & immissarum a Deo tribulationum, sive exterius, sive interius, perpessione promereri debent. Interna pace gaudiisque & consolationibus cœlestibus abuti non debent; sed tum maxime ad sustinenda Christianæ militiæ certamina se præparare, & omnium deliciarum terrenarum abstinentia, quæ jejunii nomine significatur, ipsoque jejunio corporali carnem suam cruciare, ut placeant oculis Sponsi, ut delectent suavitatem ejus: *Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur.* Tempore vero spiritualis desolationis, siccitatis, & tribulationis interioris, multo magis frequentandum jejunium est, ut ad Sponsi amplexus anima perveniat, & ab illo introducatur in cellaria mystica, ubi vino cœlestium consolationum recreetur. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Sponsus abest, quamobrem luctus & jejunii tempus est. Quasi vidua est anima, Christi sponsi sui visibili præsentia & Dei sui fruitione destituta.

13. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus ... Neque mittunt vinum novum in utres veteres ... Sed vinum novum in utres novos mittunt, &c.* Prudentiæ Christianæ & Pastoralis est, recens conversorum ad Deum peccatorum, infirmorumque rationem habere, & cum illis indulgentius agere; nec statim ipsis imponere austerioris vitæ jugum, & corporalium mortificationum onera, quæ absolute necessariæ non sunt ad salutem; ne a virtutis tramite deterreantur, & ut ferendo Christi jugo paulatim assuescant. In Dei opere, ejus gloriæ, ac animarum Christi sanguine redemptarum saluti unice studendum & consulendum est: & quemadmodum de præceptis Dei, de Evangelii vigore, de Ecclesiæ mandatis nihil remittere debent Pastores & conscientiarum Moderatores: ita in aliis exigendis præcipites esse non debent & nimis importuni; sed sensim sibi commendatas Animas ad perfectionem provehere, necessaria status, in quo a Deo positæ sunt, officia primum imperare, paulisper accommodare se humanæ infirmitati, expectare donec uberiori & fortiori gratia omnino renovati sint pœnitentes ac perfecti. „ Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, *&c. Id est*, „ Nondum discipuli mei ad majora conscenderunt, nondum Spiritu renovati sunt: propterea hujusmodi indulgentia adhuc egent, ut maiora sibi pondera præceptorum ita affectis imponenda non sint. Hoc autem dicebat, leges jam Discipulis atque regulas præbens: ut cum etiam ipsi a quacumque orbis parte Discipulos adscisceant, mites erga eos & faciles sint. *Ea œconomia Christus in Sermone quem ad Discipulos habuit in suprema Cœna, ait*: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. *Quamobrem* non debemus cuncta a quibusvis statim exposcere, sed ea solum quæ possibilia sunt, atque illorum viribus conveniunt, & tum cito ad alia etiam perveniemus. Quod si curris atque festinas, velociusque rem agere cupis, ideo noli festinare, quia quanto velocius perficere festinas, tanto tardius perages. Nec te quisquam eorum, qui importune criminantur, conturbet. Nam & tunc Pharisæi criminabantur, & Discipuli carpebantur, nec tamen Christus propterea sententiam immutavit: nec concessit dedecus esse ut Pharisæis jejunantibus, illi non jejunarent. Verum ut gubernator optimus non commotis fluctibus, sed arti suæ intentus est; ita egit." His institutis nostros gubernemus. Uxorem habes ornatum corporis nimis adamantem, fuco perfusam, deliciis & loquacitate diffluentem: vis eam ad saniorem mentem reducere? Id assequeris si non universa simul imperes, sed faciliora, eaque prius, quibus illa minus studere videatur. Nam si cuncta statim in melius vertere volueris, nihil efficies. Non ergo statim aureis ornamentis privare tentes, habeat interim atque utatur: Nam id minus malum esse videtur, quam facies fuco adulterata. Fucum igitur prius auferas, idque non terrore ac minis, sed miti blandaque suasione, partim alias accusando, partim tuo judicio & auctoritate improbando. A te sæpe audiat non placere tibi fucatas facies, tibi fastidium creari, venustas fuco deformari. Interea nihil adhuc de gehenna dixeris, nihil de Regno cœlorum; frustra enim hoc dices: sed persuade ipsi magna te affici voluptate, cum talem ejus faciem vides, qualis a Deo creata est: faciem vero fuco adulteratam apud homines bonos vulgo improbari. Prius igitur his tritis rationibus, & communi sententia, morbum ab ejus anima extermina: & postquam his verbis permulseris, de inferno etiam ac cœlo dicito; nec semel; sed iterum atque iterum hæc differere non graveris, non odio aut ira, sed cum amore & lepore; nunc quasi adulando, nunc quasi ex fastidio oculos avertendo, nunc colendo. Nonne vides pictores modo hos, modo illos colores prioribus deletis inducere, cum formosam faciem pingunt? Noli tu pictoribus negligentior esse. Illi corporis effigiem in tabulis pingentes tanto studio & cura utuntur: nos cum meliores animas facere volumus, nonne æquum est omnem adhibere conatum? &c."

Neque mittunt vinum novum in utres veteres. Id est, *spiritalia non capit carnalis. Carnalitas vetustas est, gratia novitas est. Quantocumque homo in melius fuerit innovatus, tanto amplius capit, quod verum sapit.*

Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Vestimentum vetus illud est, quod exuendum Apostolus docuit dicens: „ Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum. *Quod quidem fit baptismatis sanctificatione. Eodem igitur collineat utriusque series præcepti.* Ne actus veteris & novi hominis misceamus; cum ille corporalis exterior opera carnis operetur, & hic interior qui renascitur, non versicolorem speciem veterum novorumque debeat habere gesto-

Isai. 8. *Num.* 30.

S. Aug. lib. 2. Q. Evangel. cap. 18.

Matth. 28. 20. *Jann.* 14. 18.

S. Ambros. lib. 3. *in Luc.*

S. Aug. l. de Utilitate jejunii. c. 2.

S. Aug. l. de Utilit. jejunii c. 3.

Ps. 41. 3. & 4.

S. Joannes Chrys.

S. Jo: Chrys. Hom. 31. *in Matth.*

Joan. 16.

S. Aug. serm. 267. *alias de Tempore* 186.

Coloss. 3. 9. & 10.

S. Ambr. l. 5 *in Lucam n.* 23. & 25

„ gestorum, sed concolor Christo, illum studio mentis
„ imitari, cui renatus est in lavacro.... Servemus igi-
„ tur vestem, quam nos sacro Dominus emergentes fon-
„ te vestivit. Cito scinditur vestis, si facta non con-
„ gruant: cito tineis carnis atteritur, & veteris ho-
„ minis errore maculatur. Ergo hic nova veteribus co-
„ pulare: in Apostolo autem etiam novis vetera super-
„ vestire prohibemur, sed exuere vetus, novum sumere;
1. Cor. 5. 2. „ ut expoliati, non nudi inveniamur. *Et nemo mittit*
3. 4. „ *vinum novum in utres veteres*. Fragilitas humanæ
„ conditionis aperitur, cum corpora nostra exuviis de-
„ functorum animalium comparantur. (*Veteres scilicet*
„ *utribus coriaceis pro vasis utebantur*.) Atque utinam
„ bonorum utrium usum possimus implere; ut Sacramen-
„ tum quod accepimus reservemus. Levat injuriam in-
„ dustria, si renovatis utribus nova vina credantur. Et
„ ideo utres hos plenos servare semper debemus; va-
„ cuos enim cito tinea & ærugo consumit, gratia ser-
„ vat impletos. "

S. Aug. ser. 98. al. 22. de Verb. Dom. 14. *Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus ac-cessit, & adorabat eum, dicens; Domine, filia mea mo-do defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Et Jesus surgens sequebatur eum*. Et nos ad Christum statim confugere debemus, cum Anima nostra, unica nostra mortua est, peccato intus in corde concepto, nondum opere consummato, ut eam gratia sua suscitet. „ Id enim Jairi Principis Synagogæ „ filia intra domum defuncta, nondum elata, nondum „ sepulta significat... Dominus noster Jesus Christus ea „ quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat „ intelligi. Neque enim tantum miracula propter mira-„ cula faciebat, sed ut illa quæ faciebat, mira essent „ videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum „ qui videt litteras in codice optime scripto, & non „ novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admi-„ rans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, „ quid indicent illi apices nescit; & est oculis laudator „ mente non cognitor: alius autem & laudat artificium, „ & capit intellectum, ille utique qui non solum vide-„ re quod commune est omnibus potest, sed etiam lege-„ re; quod qui non didicit, non potest. Ita qui vide-„ runt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi „ vellent, & quid intelligentibus quodam modo innue-„ rent, mirati sunt tantum quia facta sunt: alii vero „ & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in „ schola Christi esse debemus. Tres mortuos Christus „ suscitavit, Lazarum triduo sepultum, jamque fœtentem „ in monumento, filium viduæ Naimadolescentem, cum „ ad tumulum efferretur; & filiam Jairi Synagogæ Prin-„ cipis recens defunctam, cum adhuc intra domum es-„ set. " Videamus ergo quid nos discere voluit in tri-„ bus illis mortuis quos suscitavit. „ Ista tria genera „ mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos ho-
S. Aug. ib. „ dieque suscitat Christus. Sunt qui peccatum intus in
„ corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis
„ commotus est aliqua concupiscentia. Dicit enim ipse
„ Dominus, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum*
„ *eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Nondum
„ accessit corpore, consensit in corde; Mortuum intus
„ habet, nondum extulit. Et ut fit, ut novimus, ut
„ quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito
„ verbo Dei, tamquam Domino dicente. *Surge*, conde-
„ mnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salu-
„ tem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, revivi-
„ scit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurre-
„ ctio animæ mortuæ intus intra latebras conscientiæ,
„ tamquam intra domesticos parietes. Alii post consen-
„ sum, eunt in factum, tamquam efferentes mortuum,
„ ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Num-
„ quid jam isti, qui in factum processerunt, desperati
„ sunt? Nonne & illi juveni dictum est, *Tibi dico, Sur-*
„ *ge*? Nonne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo
„ & qui jam fecerit, si forte commonitus & commotus
„ verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus red-
„ ditur. Potuit progredi, in æternum perire non po-
„ tuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam ma-
„ la consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo ma-
„ li non eos sinat videre quia malum est, fiunt defenso-
„ res malorum factorum suorum, irascuntur cum repre-
„ henduntur..... Tales consuetudine maligna pres-
„ si, tamquam sepulti sunt. Ita sepulti, ut de Lazaro
„ dictum est, Jam putet. Hæc ergo sic audiamus, ut
„ qui vivunt, vivant; qui mortui sunt, reviviscant. Si-
„ ve adhuc peccatum in corde conceptum est, & non
„ processit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio,
„ surgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam
„ quod cogitavit admisit; nec sic desperetur. Non sur-
„ rexit mortuus intus, surgat elatus. Pœniteat facti,
„ de proximo reviviscat: non eat in profundum sepultu-
„ ræ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed
„ forte jam illi loquor, qui jam duro sui moris lapide
„ premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere,
„ qui jam quatriduanus putet. Nec ipse desperet: pro-
„ fundus mortuus est, sed altus est Christus. Novit cla-
„ mando terrena onera rumpere, novit intrinsecus per
„ se ipsum vivificare, solvendum Discipulis tradere. A-
„ gant etiam tales pœnitentiam. "

Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est. Ut animæ nostræ resurrectionem impetremus ad Deum accedere per fidem oportet, sub ejus potenti manu humiliari, supremam ejus Majestatem in spiritu & veritate adorare, illi miseriam nostram, & animæ mortuæ statum ferventi sollicitudine exponere; cum fiducia in Dei bonitate, & in virtute sanctissimæ humanitatis, passionis, & mortis Domini & Salvatoris nostri Jesu ipsi supplicare, ut Animam ipsius Spiritu, quo vivebat, destitutam, ejusdem Spiritus nova effusione vivificet. *Cor mundum crea in me Deus*: *& spiritum rectum innova in visceribus meis*. Quæram te, Domine, ut vivat anima mea. *Vivit enim corpus meum de Anima mea, & vivit Anima mea de te*. Audiam Prophetæ tui monitum salutiferum: „ Quærite „ Deum, inquit, & vivet anima vestra. *Et Apostolum* S. Aug. l. 10 „ *dicentem*, Nolite conformari huic sæculo. EVITAN- Confess. „ DO vivit anima, quæ appetendo moritur. Fastus ela- c. 20. „ tionis, & delectatio libidinis, & venenum curiositatis S. Aug. l. 13 „ motus sunt animæ mortuæ; quia non ita moritur, ut Confess. „ omni motu careat, quoniam discedendo a fonte vitæ, c. 21. „ moritur, atque ita suscipitur a prætereunte sæculo, „ & conformatur ei. Verbum autem tuum, Deus, fons „ vitæ æternæ est, & non præterit: ideoque in verbo „ tuo cohibetur ille discessus, dum dicitur nobis: NO-„ LITE conformari huic sæculo. "

Sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Legis notitiam habebat Synagogæ Princeps, hominem manu Dei legerat esse figuratum: *Credidit ergo Deo*, S. Pet. Chr. *quia eadem manu, qua creatam senserat filiam, recreari* serm. 33. *& reduci posset ad vitam. Cognovimus quid sit*: Veni, & impone manum tuam super eam: *Ut qui sponte posuit, ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat. Hoc est quod Propheta fatetur, cum decantat in Psalmis*: Tu formasti me, & posuisti super me manum Psalm. 138. tuam. *Quia qui posuit cum formaret ex nihilo, imposuit iterum ut reformaret ex perdito*. Denique idem Psalmista ut manus hujus salutare sensit, & adeptus est largitatem, repetitam prorupit in vocem: *Dextera*, inquit, Psalm. 117. *Domini fecit virtutem: Dextera Domini exaltavit me, Dextera Domini fecit virtutem*. Et ut meruisse se quod Archisynagogus poposcit, demonstraret, adjecit: *Non moriar sed vivam*. Ille cum peteret, dixit: *Veni impone manum tuam, ut salva sit, & vivat: hic jam consecutus exsultat:* Non moriar, sed vivam. *Dextera Domini Christus est. Et vere fecit virtutem, diabolum dum debellat; dum alligato forti, sicut ipse dixit, vasa fortis diripit, dum infernum destruit, dum ipsam mortificat mortem*.

Et Jesus surgens sequebatur eum, & Discipuli ejus. Nullis laboribus parcere debent Pastores & Ministri Ecclesiæ, cum de animabus a morte peccati suscitandis agitur. Considere debent, si quiete sua posthabita, se impendant Animarum saluti, & peccatorum conversioni, ad futurum Christum gratia sua, sine qua inutiles essent Ministrorum ejus conatus:

Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis S. Prosper
Pulsant, non intrant animas: Deus ergo sepultos Carmine de
Suscitat, & solvit peccati compede vinctos: Ingratis.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
Quo redametur amans, & amor quem conserit, ipse est.

15. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus salva ero*. „ Occulto vulneri, & ve-„ recundo languori remedium sic quæsivit, ut & suum „ pudorem tegeret, & curantis reverentiam custodiret, „ Post certamina desperata Medicorum, post medica-„ mina sumptuosa; post inanem & antiquissimam curam, „ ubi ars & peritia defecerat, ubi languentis omnis jam „ consumpta fuerat substantia, ipsi Autori pudendum „ vulnus occurrit: " Ut quod humana arte tot annis „ curari non potuit, sola fide & humilitate curaretur. „ Mulier stabat eminus, quam natura pudore perfude-„ rat, quam per hoc immundam Judaica Lex notarat, S. Pet. Chr. „ dicens: *Immunda erit, & sanctum non continget:* con- serm. 33. „ tingere metuens, ne Judaicum furorem, ne Legis „ posset subire sententiam. Dicere non est ausa, ne „ circumstantium confunderet & oneraret auditum: ne „ fieret populorum fabula, quæ tot annis stadium fuerat „ passionum. Siquidem & amplius ferre & sustinere do-„ lor diuturnus & continuus non sinebat: & deliberan-„ di tempus Christi prætereuntis celeritas amputabat: „ & noverat quod tacenti, quod occultanti morbum „ suum sanitas non daretur. Inter hæc bella cogitatio-„ num solam salutis viam mulier, curam ut curaretur, „ invenit. Ut raperet tacita, quod petere non valebat,

„ bat, & pro sua verecundia, & pro reverentia præsti-
„ turi: & quæ non merebatur corpore, corde perveniret
„ ad Medicum; fide Deum, manu tantum tangeret ve-
„ stimentum; sciens hanc fraudem non solum veniam,
„ sed & remedium præstituram; quam non voluntas, sed
„ necessitas verecunda generavit: præsertim cum & su-
„ rantis lucrum quæreret, & ei, cui auferebatur, nul-
„ lum gigneret detrimentum. Pium latrocinium, quod
„ ministra fide committitur. Ecce ubi virtus est quæsita
„ contrariis, ubi fraus fide conveniente, quod nitebatur,
„ obtinuit. Mulier inter comprimentes, ut nesciretur,
„ accedit, & præsumpsit furari se posse curam fide sola:
„ Ut habitu lateret, & corpore, retro accedit: & ad vi-
„ dendum se judicabat indignam. Curavit fides intra ictum
„ temporis, quod duodecim annis ars humana curare non
„ potuit ... Tetigit vestimentum mulier, & curata est.
„ Miseri, qui quotidie Corpus Domini tractamus & su-
„ mimus, & a nostris vulneribus non curamur! Non Chri-
„ stus infirmantibus, sed fides deest: nam multo magis
„ in nobis manens poterit vulneratos curare, qui laten-
„ tem mulierem præteriens sic curavit. "

16. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*, &c. Hemorrhoissa mulier, peccatoris typus. Morbo laborabat, ex quo immunda erat secundum Legem, Templi & Synagogæ aditu, urbium ingressu, omni societate civili prohibita. Qui vel ejus vestimenta tetigisset, legalem immunditiam contrahebat. Peccator
Osee 9. 10. coram Deo immundus est. *Facti sunt abominabiles, sicut ea: quæ dilexerunt.* Ab Angelorum societate, a cœlesti Jerusalem exclusus, Templorum aditu & sacrorum Mysteriorum participatione indignus, qui dæmonem in Templum cordis sui, expulso Deo, admittere non dubitavit. Sæpe illos inficit & commaculat peccator, qui ad ipsum accedunt, qui ipsum audiunt, qui cum illo societatem
1. Cor. 15. ineunt, inficit, inquam, aut funestis consiliis, aut pravis
33. Eccli. colloquiis. *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia mala*,
13. 1. aut denique malis exemplis. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Hemorrhoissa fœdo gravique morbo a duodecim annis laborabat, peccatores plurimi diutius perseverant
Dan. 13. 32. in lethali peccato, in fœdis vitiis, in impudicitia: Quibus dici potest, *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt*
Psal. 17. *peccata tua, quæ operabaris prius ... Filii alieni inveterati*
46. S. Aug. *sunt, & claudicaverunt a semitis suis.* Filii non mei dicendi, sed potius alieni, quibus recte dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*, mentiti sunt mihi, „ Filii alieni, qui-
„ bus Novum testamentum attuli; ut renovarentur, in
Marci 5. „ veteri homine remanserunt. " Hemorrhoissa *multa perpessa fuerat a compluribus Medicis; nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Peccatores sæpe curam animæ tuæ, Medicis imperitis, imprudentibus, aut ignaris commendant, qui morbos eorum non curant secundum regulas divinæ medicinæ, cujus ipsi ministri sunt & adjutores, peccatorum conscientias moderantur ad eorum voluntatem, & secundum desideria cordis eorum, non secundum Evangelicæ Moralis veritatem. Peccatores enim adulari volunt, non uri, non secari. „ Non reci-
„ pit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ ver-
Prov. 18. „ santur in corde ejus. *Inde fit ut deterius se habeant.*
S. Cypr. „ *Hinc S. Cyprianus ait*: Qui peccantem blandimentis adu-
Tract. de „ lantibus palpat, peccandi fomitem submini-
Lapsis. „ strat, nec comprimit delicta, sed nutrit ... Aperiendum vulnus est,
„ & secandum, & putraminibus amputatis medela for-
„ tiore curandum. Vociferetur, & clamet licet & con-
„ queratur æger impatiens per dolorem, gratias aget
Epistolas „ postmodum cum senserit sanitatem. *Hinc Clerus Ro-*
inter S. „ *manus ad S. Cyprianum scribit*: Ubi poterit indulgen-
Cyprian. 31. „ tiæ medicina procedere, si etiam ipse Medicus inter-
„ cepta pœnitentia indulget periculis? Si tantummodo
„ operit vulnus, nec finit necessaria temporum remedia
„ obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si di-
„ cere verum volumus, occidere. "

Hinc S. Ambrosius Versum illum explicans Psal. 118. *Viam iniquitatis amove a me, & de lege tua miserere mei*, ait: „ Merito quia vulnus grande ac vetus est,
S. Ambr. Ser. 4. in „ & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia depo-
Psalm. 118. „ suit, obsecrans ut Domini legitima miseratione curetur.
„ Cito enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ
„ lege non fuerit; immo etiam seriorem curatio sentit
„ profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit, me-
„ dicamenta foris appósita non sentit. Exigit ergo me-
„ dicinæ ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur.
„ Ideoque bonus Medicus hujusmodi ægrum legitime di-
„ cit esse curandum; ut possit medicina proficere. Lege
„ ergo miseretur, qui cum sapientia justitiaque misere-
„ tur; ut ea dimittat quæ scit jure posse dimitti; ne
„ cum alterius miseretur, se ipsum legi faciat obnoxi-
„ um ... Consideremus etiam, ne & ipsum deteriorem
„ faciamus, cujus miseremur injuste. Plerumque enim non
„ coercere delinquentes, majoris austeritatis est, quam
„ si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ,
„ quicumque aliquid inhonestum commiserunt, nullumque
„ culpæ pretium ferunt. " Hemorrhoissa omnes faculta-
„ tes suas in Medicos erogaverat: peccator divitiis boni-

Natal. Alex. In Evang.

tatis & longanimitatis Dei, operibus gratiæ, donis cœlestibus abusus est, & in extremam paupertatem incidit, qui Deum suum amisit & omnia; nec suam tamen agnoscit egestatem. *Dicis: Quod Dives sum, & locupletatus:* *Apocal. 3.*
& nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, pauper, & cœcus, & nudus. Hemorrhoissæ infir- *27.*
mitas non solum ingravescebat in dies, sed humana arte insanabilis evaserat: peccatorum invereratorum spiritales *Isai. 30. 12*
ægritudines eo magis ingravescunt, quo magis pœnitentiam differunt, & tandem pene insanabiles & desperati evadunt. „ Hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua,
„ pessima plaga tua ... Curationum utilitas non est tibi ... *S. Ambr. l.*
„ Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt pec- *2. de Pœ-*
„ cata tua ... *Hinc S. Ambros. ait*: Facilius inveni qui *nitent. c. 2.*
„ innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint
„ pœnitentiam. "

17. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus*, &c. Hemorrhoissa pudore suffusa, retro ad Christum accedit, cum tremore: sic peccator accedere debet ad Deum pudore suffusus, ex peccati sui consideratione, & ex divinæ Majestatis, quam graviter offendit, reverentia orto; pudore illo salutari, qui pœnitentiam parit, non pudore malo, quo nonnulli pœnitentiam & confessionem peccatorum, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumunt: *Pudoris magis memores quam salutis: ve-* *Tertull. l.*
lut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta *de Pœnit.*
vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum eru- *cap 8.*
bescentia sua pereunt. Quibus merito dici potest: *Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vere subducens!* Veræ conversionis & sinceræ pœnitentiæ, pudor & verecundia salutaris comes est. *Psalm. 6. 4.*
Hac suffusus David pœnitens ajebat. *Anima mea turbata* *Psalm. 50.*
est valde .... iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum *5. Psalm.*
meum contra me est semper ... Tota die verecundia mea contra *43. 16.*
me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. Temporali illa *Psalm. 30.*
confusione, æterna confusio vitatur, de qua idem Rex pœ- *S. Augustin.*
nitens ait: *In te, Domine, speravi, non confundar in æter-* *Enarrat.*
num. Nam est quædam confusio temporalis utilis, *Pertur-* *2. in Psal.*
batio animi respicientis peccata sua, respectione horrentis, *30.*
horrore erubescentis, erubescentia corrigentis. Unde dicit & Apostolus: *Quam enim gloriam habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis?* Ergo erubescere illos dicit jam fideles, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis: *Hanc confusionem non formidet Christianus: immo si hanc non habuerit; æternam habebit.* Hemorrhoissa indignam se existimat, quæ stet ante faciem Christi. Piæ hujus mulieris humilitatem peccator imitetur, indignum se Christi existimet aspectu & beneficiis, indignum Corporis Christi Communione, indignum misericordia, & absolutione. Felicem se satis arbitretur, si vestimenti fimbriam tangat, si verbum Dei audiat, legat, meditetur; si humillimæ pœnitentiæ actione vitæ & passionis Christi humilitatem, labores, & dolores imitetur. Ne furari se posse Absolutionem putet, sicut Hemorrhoissa errore muliebri furtivam se posse consequi sanitatem existimavit, retro accedendo ad Christum turba comprimente comitatum. *Furto quidem aggredi, & Præpositum hujus rei asseve-* *Tertull. l.*
rationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo *de Pœnit.*
providet, nec sinit obrepere indignos. Hemorrhoissa cum *cap. 6.*
ipse firma ad Christum accessit, sanitatem quam frustra duodecim annis speraverat ex arte & curis medicorum, statim se consequi posse confidens virtute Deitatis in Christo corporaliter secundum plenitudinem omnem suam inhabitantis, si vel fimbriam vestimenti ejus tetigisset. Hanc spem, hanc fiduciam peccator pœnitens imitetur. *Non* *Heb. 4. 15.*
enim habemus Pontificem: qui non possit compati infirmi- *16.*
ratibus nostris .... Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur.

„ *Accessit retro*, Sed ubi? Retro nihil erat: ibi faciem
„ quam declinabat, invenit. Erat in Christo corpus mul- *S. Petr*
„ tiplex, sed erat Deitas simplex; erat totus oculus, qui *Chr. serm.*
„ post se supplicem sic videbat. *Accessit retro, & teti-* *34.*
„ *git fimbriam vestimenti ejus.* O quid ista mulier vidit
„ habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria
„ Divinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quid
„ docuit mulier quantum sit Corpus Christi, quæ in Christi
„ fimbria tantum esse monstravit! Audiant Christiani,
„ qui quotidie Corpus Christi attingunt, quamnam de
„ ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier
„ totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod
„ nobis fluendum est, mulier de vulnere medicinam tulit,
„ nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc est
„ quod Apostolus tangentes indigne Corpus Christi tali-
„ ter admonet & deplorat: *Qui enim tangit indigne Cor-* *2. Cor. 11.*
„ *pus Christi, judicium sibi sumit.* Et quod inde teme-
„ ritas infirmitatem capiat, unde fides accipere debebat
„ sanitatem, rursus intulit: *Propter hoc inter vos multi*
„ *infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* "

„ *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.*
„ Sciens quod Deum nec tactus polluit, nec offendit vi- *S. Pet. Chr.*
„ sus, nec odor exasperat, nec auditus sauciat, nec in- *Serm. 15.*
„ quinat humana cogitatio, Nam si Medicus cum saniem
„ vulnerum tractat, cum curat verecunda membrorum,

„ non injuriam computat, sed honorem : quanto magis
„ Deus non arbitratur injuriam, dum vulnera nostra cu-
„ rando respicit, tangit ad remedium, visitat ad salutem?
„ Dei conspectum offendunt peccatorum vulnera, non do-
„ lorum; morbi criminum, non corporum passiones: vitio-
„ rum sanies, non viscerum fluxus: quia homo habetur vo-
„ luntarius in delictis, in doloribus tenetur invitus. Hinc
„ est quod peccator pœnam recipit, ægrotus recipit cu-
„ ram. Mulier ergo non voluntatis conscia, sed doloris;
„ nec confusa crimine, sed confusa languore, accessit re-
„ tro, ut turbæ declinaret oculos, non Christi vitaret
„ aspectum: A populis nesciri voluit, non a Christo; ge-
„ stivit non Deum latere, sed homines: quia non nisi a solo
Psal. 132. „ Deo potuit latens videri, audiri tacens, celata curari;
„ *Accessit, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Quia in
„ Christo nil postremum credidit, nil judicavit extremum;
„ quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus atte-
„ nuatur in fimbria; nec cælestis natura membrorum va-
„ riatur officiis. Hinc est quod mulier per dorsum perve-
„ nit ad faciem, per vestimentum penetravit interna; &
„ per fimbriam, capitis tetigit summitatem; nec hoc sine
„ Mysterio. Audite Prophetam dicentem: *Sicut unguentum*
„ *in capite, quod descendit in oram vestimenti ejus.* „Vide-
„ tis, fratres, in fimbriam vestimenti hujus totam pleni-
„ tudinem divini Chrismatis, totam divi capitis transisse
„ virtutem. Scienter ergo mulier sacram Christi fimbriam
„ gestivit attingere, ut vel de occulto mysterio, vulne-
„ ris posset sumere Medicinam. Magna hæc mulier & ni-
„ mium permiranda, quæ scientia Doctore Legis vicit,
„ Sacramento omnes Judæos superavit, fide præcessit A-
„ postolum! nam Judæa cum Scribis & Doctoribus suis
„ Deum totum despexit in corpore: Thomas Apostolus
„ ut Christum Deum crederet, immisit manus, injecit
„ digitos, patefecit vulnera; & ut Christum crederet,
S. Pet. Chry- „ iterum pati compulit Christum... Petrus & Paulus prin-
sost. 34. „ cipes fidei Christianæ, notitiam nominis Christi toto or-
„ be diffuderunt: mulier accedendi ad Christum prima tra-
„ didit disciplinam: mulier prima dedit formam quomodo
„ peccator tacita confessione deleat sine confusione pecca-
„ tum; quomodo delinquens soli Deo cognitus de reatu,
„ nudare apud homines verecunda conscientiæ non coga-
„ tur: quomodo homo possit venia judicium prævenire.“

18. *At Jesus conversus, & videns eam dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.* Nihil est quod orationi cum fide & humilitate factæ Deus non concedat. Pœnitentem humiliatum, qui ad cælum oculos attollere non audet, propitius respicit Christus, modo fide per dilectionem ope-
S. August. rante ipsum tangat. „ Tangit Christum, qui credit in
serm. 243. „ Christum. Nam & illa mulier quæ fluxum sanguinis
al. de Di- „ patiebatur, dixit apud se ipsam, *Si tetigero fimbriam ve-*
versis 6. „ *stimenti ejus, salva ero.* Fide tetigit, & sanitas subse-
„ cuta est, quam præsumpsit. Denique ut noscemus quid sit
„ vere tangere, Dominus continuo dixit Discipulis suis, *Quis*
„ *me tetigit?* Et dixerunt Discipuli, *Turbæ te comprimunt,*
„ *& dicis, Quis me tetigit? Et ille? Tetigit me aliquis.*
„ Quasi dicens, Turba premit, fides tangit.“
S. Ambr. l. *At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide fi-*
de Virgin. lib. *lia*, &c. Omnia habemus in Christo. Omnis anima acce-
cap. 16. dat ad eum, sive corporalibus ægra peccatis, sive clavis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis aliqua sit jam perfecta virtutibus: „ Omnis in
„ Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si
„ vulnus curare desideras, Medicus est: si febribus æstuas,
„ fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio
„ indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum
„ desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum
„ quæris, alimentum est. *Gustate igitur, & videte quo-*
„ *niam suavis est Dominus: Beatus vir qui sperat in eo.* Spe-
„ ravit in eo illa quæ fluxu sanguinis laborarat, & con-
„ tinuo sanata est; sed quia fidelis accessit. Et cum fide,
„ filia, vel fimbriam ejus attinge. Jam sæcularium fluxus
„ voluptatum modo torrentis exundans, verbi salutaris
„ calore siccabitur; si cum fide tamen accedas, si pari
„ devotione divini sermonis extremam salutem fimbriam
„ comprehendas, si tremens procidas ante Domini pedes.
„ *Ubi sunt pedes Verbis, nisi ubi Corpus est Christi?* O
„ thesauris omnibus opulentior fides! o virtutibus corpo-
„ ris omnibus fides fortior! o Medicis omnibus salutarior!
„ simul ut accessit mulier, virtutem sensit, medicinam
„ impetravit; ut si oculum lumini admoveas!, illumina-
„ tur antequam sentias & operatio lucis prævenit appa-
„ ratum.“

„ *At Jesus conversus, & videns eam, dixit; Confi-*
„ *de, filia; fides tua te salvam fecit.* Christus conver-
„ sus est ad mulierem, ut mulier converteretur ad Chri-
„ stum: vidit eam ut saluti redderet, non ut agnosceret
„ quam sciebat. Christus mulieris docuit exemplo, quam
„ fides sola totam proficiat ad salutem. Addit S. Marcus:
„ *Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ*
„ *exierat de illo, conversus ad turbam ajebat: Quis te-*
„ *tigit vestimenta mea?* Interpellatricem tacitam, & sug-
„ gerentem cogitationibus solis, ac post tergum virtutis
„ suæ consiliis adhærentem, non ut discussor nescius,
„ sed ut præscius inquisitor producit in medium, suisque
„ facit adstare conspectibus... Ut quem occulte senserat
„ Medicum, palam profiteretur & adoraret ut Deum:
„ & tam præsentibus quam futuris fieret de tanto suo
„ languore medicina, dicente Evangelista: *Mulier autem*
„ *timens ac tremens, sciens quid factum esset in se ve-*
„ *nit, & procidens ante pedes ejus, dixit ei omnem ve-*
„ *ritatem.*“

19. *Et cum venisset Jesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum ejus, & surrexit puella*, &c. Qui dolore immodico ob consanguineorum vel amicorum suorum mortem affliguntur, ac doloris vehementia, vique lachrymarum, fidei suæ testantur infirmitatem, miraculorum Christi testes esse non merentur, gratiarumque ipsius conscii. Hanc ob causam tibicines, & alios inani doloris ostentatione pompæ funebris apparatum instruentes, domo Principis Synagogæ ejecit Jesus, filiam ejus suscitaturus. „ Fleant
„ mortuos suos, qui putant mortuos: ubi Resurrectionis
„ fides est, non mortis est species, sed quietis. *Recedite,*
„ *non est enim mortua puella, sed dormit.* Cum mira ope
„ pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum
„ carnalium æstus ejicit, & post in eo virtutum dona dis-
„ ponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit,
„ in qua dum ad resuscitandum filiam Principis Dominus
„ duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba,*
„ *intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.*
„ Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur: quia
„ si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna
„ sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus
„ jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innume-
„ ras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad
„ considerationem sui sese nullatenus colligit. *Recedite,*
„ *non est mortua puella, sed dormit.* His verbis docet
„ non esse timendam mortem, nequaquam enim esse mor-
„ tem, cum ad conditionem somni jam redacta sit. Dein-
„ de quoniam ipse quoque moriturus erat, aliorum mor-
„ te ac resurrectione faciebat ut Discipuli confiderent,
„ ac æquissimo animo mortem ipsam ferrent, cujus ad-
„ ventu mors in somni conditionem devenisset. *Recedite.*
„ Considera flentes atque plorantes, quasi tam magna
„ videre miracula indignos, omnes ejectos fuisse: nec
„ vobis cum lugentibus exire, sed cum Petro, Joanne &
„ Jacobo una remaneas. Nam si tunc eos qui flebant e-
„ jecit, quando non erat ita planum, quasi in somnum
„ jam mortem esse redactam: quid tunc faciet, cum id
„ luce ipsa jam clarius sit? Sed non suscitavit filiam tuam
„ nunc: sed suscitabit omnino longe majori cum gloria.
„ Puella namque illa resuscitata, rursus mortua est: tuam
„ vero postquam resurrexerit, numquam in posterum mor-
„ tem videbit. Nemo ergo defunctos deinceps lugeat,
„ nemo mortem Christi, qua mors superata est, calum-
„ nietur. Quid frustra fles, si mortem in somnum redactam
„ esse credis? Quid te cædis, & luges? Gentes id faciunt,
„ quia non credunt: si autem fidelis pariter atque infi-
„ delis hac in re peccat, quid ille respondebit? Quomo-
„ do veniam petere audebit? Præsertim cum nemo Chri-
„ stianus de Resurrectione ambigat. Dormit puella tua,
„ non est mortua; quiescit, non est perdita; Resurrectio
„ ac æterna in posterum immortalisque vita illam exci-
„ piet, & quies angelica. Non audis Prophetam dicen-
„ tem: “ Convertere anima mea in requiem tuam, quia
„ Dominus benefecit tibi. “ Beneficium Deus hanc rem
„ vocat, & tu ploras? Et quid faceres, si hostis, si in-
„ vidus, si inimicus esses defuncti? Nam si quempiam
„ lugere oportet, Diabolum certe oportet, quoniam mor-
„ tui ad immortalitatem tendunt. Illius malitiam in cla-
„ mores, & fletus decent; non te, qui ad requiem & co-
„ ronas proficisceris. Et certe harum turbationum om-
„ nium tranquillus quidam portus in morte est. „ Exa-
„ mina quot quantaque mala sunt in hac vita; quoties ipse
„ præsentibus rebus maledixisti, cum semper in pejus om-
„ nia ruere & videris, & videas; quamvis & ab initio
„ non parva pœna huic vitæ sit attributa. *In doloribus,*
„ inquit Scriptura, *paries filios.... In sudore vultus tui*
„ *comedes panem tuum.... In mundo tribulationem ha-*
„ *bebitis.* Nihil autem hujusmodi de futuris rebus scri-
„ bitur, quinimmo oppositum. *Effugit*, inquit, *dolor, tristitia, gemitus.... Ab Oriente atque Occidente ve-*
„ *nient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob.*
„ Et Alibi, *Talamus spiritalis* dicuntur quæ illic, sunt,
„ *inextinguibiles fulgidæque lucernæ, cælestis vita.* Cur
„ ergo defunctum exagitas? Cur efficis ut mortem ti-
„ meant alii atque formident? Cur causam præbes ut
„ nonnulli Deum incusare audeant, quod tanta mala no-
„ bis invexerit? Immo vero cur post mortem tuorum pau-
„ peres convocas? Cur Presbyteros ut pro eo velint ora-
„ re, obsecras? Non ignoro te responsurum, ut defun-
„ ctus requiem adipiscatur, ut propitium Judicem inve-
„ niat: His ergo de rebus flendum arbitraris? Nonne vi-
„ des quam maxime tibi ipsi repugnes? Nam cum illum

S. Ambr. l. de Virgin. lib. cap. 16. *S. Pet. Chr. serm. 34. & 63.* *Psal. 41.* *Genes. 3.* *Joan. 16.* *Isai. 33.* *Marci 8.* *Ezech. 40.* *S. Ambr. l. 6 in Luc. n. 62* *S. Greg. M. l 18. Moralium c. 25.* *S. Jo. Chrys. Hom. 2. in Matth.* *S. Jo. Chrys. Hom. 32. in Matth.*

„ abiis-

„ abiisse in loca amœna putes, ingentes tamen adver-
„ sus te ipsum fluctus excitas & tempestates. Sed quid
„ faciam? inquies, talis est natura parentum. Non est
„ naturæ culpa ista; sed nos qui omnia evertimus, ani-
„ mos nostros molles nimis atque dejectos efficimus, di
„ vinam nostram perdimus nobilitatem, & simul infide-
„ les facimus deteriores. Quomodo enim de immortali-
„ tate animæ cum ipsis disputabimus; qua ratione nos
„ resurrecturos illis persuadebimus, cum longe magis
„ quam illi mortem formidemus? Multi enim apud Gen-
„ tiles, cum nihil de immortalitate animæ crederent,
„ nihilominus mortuis filiis, ut inanem gloriam conse-
„ querentur, corona ornati, & candidam induti vestem,
„ in publicum prodierunt: Oro ut futura illa quidem &
„ vera gloria moveat, ut effeminatos illos mollesque ani-
„ mos deponere velis. Sed hæredem non habeo, inqui-
„ es, nec quem rerum mearum successorem constituam.
„ Ego vero te libenter interrogarem, tuarumne rerum,
„ an cœlorum malis filios tuos esse hæredes? Et utrum
„ magis desideres caduca hæc & corruptibilia possideri
„ ab illis, quæ tamen post omnino essent relicturi, an
„ stabilia illa & æterna? Non habes hæredes filios, sed
„ habet ipsos pro te Deus: non hæredes facti fratrum
„ suorum, sed facti sunt Christi cohæredes. Sed cui,
„ inquies, pretiosas vestes nostras, cui magnificas ædes,
„ cui servos, cui agros relinquemus? Illis ipsis profecto,
„ & multo tutius quam si viverent; nihil enim prohi-
„ bet. Nam si multæ barbaræ gentes una cum defun-
„ ctis res eorum cremare solent, quanto æquius defun-
„ cto filio tua tradere potes, non ut in cinerem rediganturtur, sed ut magis glorioſum illum reddant? Putas illum
„ maculis inquinatum abiisse? Da ipsi sua, ut illis se a ma-
„ culis detergat. Putas in justitia ipsum decessisse? Præbe
„ ipsi tua ad mercedis & retributionis adjectionem. Sed in-
„ tolerabilis tibi casus tuus videtur. Propterea ergo defun-
„ cti gratia plorandum non est, quoniam a multis hujusmo-
„ di casibus liberatus est. Noli ergo facere ut invidere
„ videaris. Nam qui mortem sibi optat, quoniam ante tem-
„ pus aliquis suorum ereptus est, ploratque propter il-
„ lum quia vivit, ut multa hujusmodi subeat, invidere
„ magis quam amare illum videtur. Noli ergo cogitare
„ quod non redibit umquam domum filius tuus, sed quia
„ & tu paulo post ad ipsum gradieris. Quod si in peccato
„ mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam si
„ pœnitentiam fuissent acturi, Deus cui omnia patent, non
„ antequam eam egissent, ipsos rapuisset: sin vero justi
„ decesserunt, evaserunt jam a periculis, & tuti supre-
„ mam beatitudinem possident. His rebus omnibus planum
„ factum est, non esse amoris has lacrymas, sed turba-
„ tionis, & animi parum sapientis. Nam si defunctum di-
„ ligeres, gauderes profecto, quia fluctus præsentis vitæ
„ pernavigavit. Quid enim mirabile, aut novum atque
„ inauditum factum est? Annon eadem ipsa quotidie revol-
„ vi videmus? Diem nox, noctem dies, hyemem æstas,
„ æstatem hyems modo præcedit, modo sequitur: Mala
„ vero alia atque alia in dies, quæ filium tuum haurire quo-
„ tidie, & tecum esse velles omni morbo subjectum, omni
„ luctui, cum sua formidine & horrore vitam misere age-
„ re, & alia quidem mala jam subeuntem, alia vero timen-
„ tem ne subeat. Ad hæc etiam illius tibi rationis memo-
„ ria veniat, non immortalem te genuisse: sed si nunc
„ diem suum non obiisset, paulo post certe ad hoc ipsum
„ perveniisset. Sed non saturasti te amore illius? Sed ibi
„ omnino perfrueris. At vellem, inquies, hic quoque ip-
„ sum videre. Et quid prohibet? Licet tibi eum hic quoque
„ videre, si sapis. Certa enim spes futurorum, & jucun-
„ dior visu, & clarior est. Tu vero si ad imperandum re-
„ gnandumque hoc caduco pertituroque Regno filius tuus
„ abiisset, nolles eum inde redire ut ipsum videres; nunc
„ vero cum ad majora melioraque Regna processerit, parvi
„ temporis absentiam ferre non poteris? Sed non est mihi
„ conjux, inquies. Consolatorem habes Patrem orphano-
„ rum, & viduarum Judicem. Audi Paulum talem viduita-
1. *Tim.* 5. „ tem extollentem atque dicentem: *Quæ autem vere vidua*
„ *est ac solitaria, speret in Domino*. Præstantior enim hæc
„ videbitur, cum majori patientia fulgeat. Noli ergo plora-
„ re aut dolere ea de re, qua tibi corona præparatur, pro
„ qua tibi merces debetur. Redidisti enim depositum quod
„ tibi creditum erat: non sis ergo sollicita, si vides in
„ inviolabili ærario thesaurum tuum esse depositum.“

1. *Cor.* 2. 20. *Et deridebant eum*. Ita mutationem peccatoris in
S. Ambr. li. melius, & spiritalem resurrectionem, Dei virtute, pii
6. Luc. 62. Concionatoris, Pastoris, aut conscientiæ Moderatoris mi-
nisterio factam irrident carnales homines. Nam *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt*. Et irridebant eum. *Quicumque enim non credit, irridet*. Sed quemadmodum eorum irrisionibus insuperhabitis, opus tamen potentiæ ac misericordiæ suæ Christus perfecit; ita insuperhabitis impiorum hominum irrisionibus & dicteriis, opus ministerii sui peragit Pastor vigilans, vel conscientiæ pius Moderator.

Et cum ejecta esset turba, intravit. Christus & Mundus habitare simul in corde hominis non possunt. *Si quis*
1. *Jo.* 2. 15. *diligit Mundum, non est charitas Patris in eo . . .* Et
Natal. Alex. In Evang.

Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus *Jacob.* 4.
Dei constituitur. Amicitia enim *hujus Mundi, inimica est Dei*. Quamobrem necesse est Mundum & ejus amorem ex anima ejici, ut intret Christus, illamque suscitet.

21. *Tenuit manum ejus: & surrexit puella*. A peccati morte resurgere nemo potest, nisi Christi manus illius manum apprehendat, nisi gratia illius voluntatem potenter præveniat ac teneat. „ Infælix ego homo, quis
„ me liberabit de corpore mortis hujus! Gratia Dei per
„ Jesum Christum (*inquit Apostolus*). Nemo itaque liberat *Rom.* 7. 24.
„ a vulneribus illius trucidatoris, nisi hujus gratia Salva- *S. Agu. Ep.*
„ toris. Nemo liberat venundatos sub peccato a vinculis 194. *alias*
„ captivantis, nisi gratia redimentis .... Cum vero non 105.
„ liberat nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem
„ liberat, non voluntatem, non operationem, non sal-
„ tem ipsam excusationem: nam si hæc justa est, quis-
„ quis ea utitur, merito, non gratia liberatur: *Tenuit* *Idem l. de*
„ *manum ejus*. Quoniam ipse, ut velimus, operatur in- *Gratia &*
„ cipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *Coniun-* *libero arb.*
„ *ctio itaque manus Christi cum manu puellæ defunctæ,* *c.* 17.
„ *operationem gratiæ, & liberi arbitrii cooperationem si-*
„ *gnificat*. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum
„ autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum
„ cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus,
„ vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera
„ nihil valemus. „ Beatus ille cui manum Sapientia te-
„ net. Utinam meos quoque teneat actus, teneat ma- *S. Amb. l.* 6.
„ num justitia, teneat Dei verbum, inducat in penetra- *in Luc. n.* 63
„ lia sua; spiritum avertat erroris, convertat salutis,
„ dari mihi jubeat manducare; panis enim cœlestis Dei
„ Verbum est. Inde & illa Sapientia, quæ divini Cor-
„ poris & Sanguinis sacrosancta Altaria replevit alimen-
„ tis: *Venite*, inquit, *edite panes meos & bibite vinum* *Prov.* 9. 5.
„ *quod miscui vobis*.“

22. *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes; Miserere nostri, Fili David*. Cæci sunt peccatores quibus non subest scientia Dei, qui tenebris obscuratum habent intellectum, qui sedent in tenebris, & umbra mortis. Oculos habent apertos & perspicaces ad temporalia, cæcutiunt ad æterna. Longe gravius malum cæcitas cordis, quam corporis. Hæc privat nos aspectu lucis corporeæ, quam & pecudum vident oculi; illa intuitu lucis immortalis, quæ Deus est: hæc præter voluntatem accidit; ista ex voluntate originem ducit: hæc miseria & calamitas est, non peccatum, nec causa peccati: ista & peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati. „ Cæcitas cordis (*inquit S. Augustus.*) *S. Aug. l.* 5
„ quam solus removet illuminator Deus, & peccatum *contra Ju-*
„ est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua *lianum c.*
„ cor superbum digna animadversione punitur; & causa 3. *n.* 8.
„ peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore commit-
„ tur. *Pluit enim Deus super peccatores laqueos; super-*
„ *cecidit ignis pravarum cupiditatum, & non viderunt*
„ *Solem justitiæ*, & Lege infatigabili spargit Deus pœ-
„ nales cæcitates super illicitas cupiditates. *Putasne ob-* *Idem l.* 1.
„ *scuratio mentis, excæcatio cordis parva est pœna?* Si *Confessio-*
„ quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes *num c.* 18
„ dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis
„ amisit, & ei pepercisse putatur Deus? Si cæcus ocu-
„ lis carnis ad mensam suam quamlibet optimam discum-
„ beret, miserum eum diceres: cæcus interius Panem *S. Aug.*
„ Christum non videt, & beatus est? Hoc non dicit nisi *Enar. in*
„ pariter cæcus.“ *Psalm.* 57.

Verum ut illuminentur oculi cordis nostri, Christus orandus est, & orando sequendus, misericordia ejus imploranda; id unum ab ipso postulandum ut nostri misereatur, quia ipse illuminatio nostra est. *Dominus illu-* *Psalm.* 26.
miratio mea, & salus mea, quem timebo? „ Ille *S. Aug. E-*
„ me illuminat, recedant tenebræ: ille me salvat, *nar.* 2. *in*
„ recedat infirmitas: Dominus illuminans, nos illumina- *hunc Psal.*
„ ti: Dominus salvans, nos salvati: si ergo ille illumi-
„ nans, nos illuminati; & ille salvans, nos salvati: præ-
„ ter ipsum nos tenebræ, & infirmitas.“ Ad Deum nos converti necesse est ut illuminemur, qui ad nos ipsos conversi obtenebramur & excæcamur. Incipimus autem illuminari, cum nostram cæcitatem, cum tenebras nostras agnoscimus, & Christi misericordiam imploramus, ut audiamus vocem laudis, & enarremus mirabilia Domini, qui cæcos illuminat. „ Audire vocem laudis (inquit S. Au- *S. Aug. En*
„ gust.) est intelligere intus, quia quicquid in te mali *in Ps.* 25.
„ est de peccatis, tuum est; quicquid boni in justificatio-
„ nibus, Dei est. Ita audi vocem laudis, ut non te lau-
„ des & quando bonus es. Nam laudando te bonum, sis
„ malus: Bonum enim te fecerat humilitas; malum te fa-
„ cit superbia. Conversus eras ut illuminareris, & conver-
„ sione tua factus es luminosus, factus illustratus conversio-
„ ne. Sed quo? Numquid ad te? Si ad te conversus pos-
„ ses illuminari, numquam posses tenebrari, quia tecum
„ semper esses. Quare illuminatus es? quia convertisti te
„ ad aliud quod tu non eras. Quid est aliud quod tu non
„ eras? Deus lumen est. Non tu lumen eras: quia pec-
„ cator eras.“ Dicit enim Apostolus eis quos vult audire vocem laudis, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux*. Quid est, *Fuistis aliquando tenebræ, nisi ve-*

teres homines? Nunc autem lux: *Non sine causa lux estis, qui fuistis jamdudum tenebræ, nisi quia illuminati estis.* Ps. 17. *Noli putare te ipsum esse lucem:* Illa *est* Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *Tu autem per te ipsum, per malam voluntatem, per aversionem tuam tenebratus eras, modo luces. Sed subjecit statim, ne superbirent illi quibus dictum est:* Nunc autem lux; *& addidit, in Domino.* Clamabo igitur ad Deum altissimum de profundis tenebrarum mearum: *Deus meus illumina tenebras meas.* Clamabo ut illi cæci: *Miserere nostri, Fili David.* Oratio vox cordis est: *Clamor cordis, fragrantia charitatis.* Miserere nostri, Fili David. *Illumina oculos meos, nequando obdormiam in morte. Ego enim in misericordia tua speravi.*

S. Aug. Enarrat. in Ps. 37.

Ps. 12. 23 *Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Clamantes & misericordiam ejus implorantes non statim exaudit Jesus, ut ferventius orent, ut ad illum propius accedant, ut illum sequantur, utque illorum fiducia beneficii dilatione magis augeatur. *Ad hoc oratio dilatione beneficii, & tribulationum adversitate quasi repellitur ut tamquam ignis flatu repercussus inflammetur ardentius.* Extra domum; id est, extra Ecclesiam, quæ est domus Dei, nemo cæcus illuminari potest. Pagani, Hæretici, Schismatici, cæci sunt, in tenebris ambulant; quia sunt extra Ecclesiam, quæ domus est lucis. Ad Ecclesiam nisi revertantur, Christum in domum suam nisi sequantur: numquam illuminabuntur. „ Accedite ad eum, „ & illuminamini. *Accedite*, Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua „ est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui „ sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei & „ proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia & ut curreres ipse hortatus est, & ipse suum „ lumen asperšit sic, ut magnifice & divine sequi possis. „ *Acceditur autem ad Deum per fidem & pœnitentiam.* „ Paganus *enim, etsi velit bene vivat*, Patentibus oculis „ est in tenebris; quia non agnoscit lucem suam Dominum: Christianus autem male vivens, in lucem quidem „ est nonnisi Dei, sed clausis oculis. Male vivendo „ enim videre non vult eum, in cujus nomine tamquam cæcus, est in lumine constitutus, nulla visione „ veri luminis animatus. " Ut porro illuminetur, accedat ad Christum, credat ipsum lumine potentissimo gratiæ suæ mentis ejus oculos illuminare posse, & sanare, ut puram illam lucem videant, quæ Deus ipse est. *Accesserunt ad eum cæci; & dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.* Ita fide viva, oratione fervente, humili, perseverante, quæ clamor cordis est; fiducia in misericordiam Filii Dei, qui propter nos & propter nostram salutem Filius David secundum carnem fieri dignatus est; Ecclesiæ & Sacerdotum ministerio; verbo Dei & gratia illius interiores oculos tangentes, cæcus est, id est, peccator pœnitens illuminabitur, ut in via immaculata, in via mandatorum Domini ambulet, cujus præceptum lucidum, illuminans oculos. *Et aperti sunt oculi eorum.* Vera conversione & sincera pœnitentia statim aperiuntur oculi peccatoris, ut peccati fœditatem, ut justitiæ pulchritudinem, ut supremam Dei magnitudinem, ac Majestatem, immensam misericordiam, infinitam bonitatem, summam hominis peccatoris miseriam, infirmitatem, indignitatem agnoscat, ut sæculi, rerumque temporalium vanitatem; ut æternorum bonorum, quæ promittit Deus diligentibus se, veritatem, magnificentiam, firmitatem videat.

S. Aug. Enarrat. in Ps. 87.

S August. Enarrat. in Ps. 31.

24. *Et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.* Fugiendam scilicet in bonis operibus jactantiam, & inanem gloriam Christus ostendit. Ejus exemplum sequi debent ipsius Ministri ac Discipuli, & ex animo dicere. *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam:* Si quid boni per ipsos operatus est Deus, totum illi tribuant, illique gratias agant, scientes quod *Neque qui plantat,* est aliquid, *neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Gratum tamen animum significent, qui ipsorum opera ad Deum sunt adducti, & Deum in ministris suis honorent ac laudent, sicut illi duo cæci a Jesu illuminati, *Exeuntes diffamaverunt eum, ejusque nomen celebraverunt in tota terra illa.* „ Dominus igitur Jesus, cui hoc „ velle est quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & „ tamen ab his qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur, servis suis se sequentibus dans exemplum, ut ipsi „ quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen ut „ alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti: & facta quidem sua occultando se ipsos custodiant; sed „ dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla „ trasmittant. " *Occultentur ergo studio, necessitate publicentur: & eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena.*

Psal. 113. 1. Cor. 3. 7.

S. Greg. M. l. 19. in Job. cap. 14.

Idem En. in Ps. 25.

25. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ.* Dæmonios peccatoris claudit, usum linguæ ipsi intercipit, ne lingua ejus in Dei laudes, in orationem, & confessionem peccatorum solvatur. Peccator infelix miseriam suam exponere non potest, nisi dæmon linguam ejus ligans expellatur a Christo; sed Ecclesia ipsum exhibet curandum Salvatori, pro illo gemit, pro illo Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi offert; orant pro illo justi, quorum *Oratio clavis est cæli: Ascendit oratio, & descendit miseratio.* Confessio duplex, aut peccati, aut laudis. *Confitere modo quod tu feceris in Deum, & confiteberis quid tibi fecerit Deus. Quid feceris? Peccata. Quid Deus? confitenti iniquitatem tuam dimittit tibi peccata tua, ut ei postea laudes ipsius confitens in æternum, non compungaris peccato.* Utraque illa confessio effectus est gratiæ Dei labia aperientis, & dæmonium quod mutum faciebat peccatorem, expellentis. Confessio peccatorum viam Domino in animas nostras parat, aperit, quam intercludit impœnitentia. „ Justitia ante eum ambulabit, & ponet in „ via gressus suos (*inquit Propheta*) *Justitia illa quæ est in confessione peccatorum*: Veritas enim ipsa est, „ quæ orta est de terra, ut justitia de cælo respiceret. Justus enim debes esse in te, ut punias te. Ipsa „ est prima hominis justitia, ut punias te malum, „ & faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis justitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te „ Deus. Ibi illi fac viam in confessione peccatorum. „ Ideo & Joannes cum baptizaret in aqua pœnitentiæ, „ & vellet ad se venire pœnitentes de suis prioribus factis, dicebat, *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus.* Placebat tibi in peccatis tuis, o homo: „ Displiceat tibi quod eras, ut possis esse quod non eras. „ *Parate viam Domino:* Præcedat ista justitia, ut confitearis peccata tua. Veniet ille & visitabit te, quia „ ponet in via gressus suos. Est enim jam ubi ponat gressus suos, est ubi ad te veniat. Ante autem quam confitereris peccata, intercluseras ad te viam Dei, non „ erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis „ viam. Et veniet Christus, & ponet in via gressus suos, „ ut te informet vestigiis suis. " Ideo dæmon malo pudore & timore cor peccatoris replens, linguam ejus ligat, eumque mutum efficit, ne peccata sua Deo & Sacerdoti confiteatur, certissime novit peccatorem numquam a tyrannide sua liberandum, numquam sanandum, sed æterna secum damnatione plectendum, nisi peccata sua confiteatur. *Confiteri times Deo* (inquit S. Aug.) *ne confessum damnet? Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.* Lætentur & exultent gentes. *Unde? Per ipsam confessionem. Quare? Quia bonus est cui confitentur. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis; confessus exsulta, jam sanaberis.* Id prævidens diabolus hominis peccatoris linguam ligat, ne peccata confiteatur: sed Christus verbo suo, gratia sua dæmonem expellit, & solvit vinculum linguæ ejus, & loquitur mutus, tum peccata sua confitendo, tum Deum laudando. Nam *cum sua quisque confitetur peccata, cum Dei laude confiteri debet: nec aliter pia est confessio peccatorum, nisi non desperans, & poscens misericordiam Dei. Habet ergo ejus laudem, sive etiam in verbis, cum eum bonum & misericordem dicit; sive in solo affectu, cum hoc credit. Nam & ille Publicanus, cujus illa sola verba commemorata sunt,* Domine, propitius esto mihi peccatori, *etsi non dixit,* Quoniam bonus & misericors es, *vel aliquid hujusmodi, non tamen illud diceret, nisi hoc crederet; quoniam cum spe oravit, quæ sine illa fide esse non posset. Potest ergo esse laus Dei vera & pia, ubi non sit confessio peccatorum: nulla est autem confessio peccatorum pia & utilis, ubi non laudatur Deus, sive corde, sive etiam ore atque sermone.* Locutus est mutus, & *miratæ sunt turbæ.* Nihil quippe admirabilius conversione & justificatione peccatoris: sed carnalium oculi nihil in ea nisi contemptibile vident: sola fides eam intuetur, & ob hanc Deum laudat, qui Mysteria gratiæ suæ *abscondit a sapientibus & prudentibus sæculi, & revelat ea parvulis.*

S. August. Enarrat. in Psal. 29.

Ps. 84. 14. S. August. Enarrat. in Psal. 84.

S. Aug. En. in Ps. 66

S. Aug. En. in Ps. 105.

26. *Pharisæi autem dicebant: In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Pharisæorum animos deterius occupabat, magisque tenebat dæmon, quam illius muti corpus. Istius linguam ligaverat, ne loqueretur: Illorum linguas solverat, ut male loquerentur. Extrema erat istius muti miseria: extrema illorum malitia. Quid enim malignius, quam opera divina dæmoni tribuere? Spiritus Sanctus in Pentecoste in igneis linguis apparens, Apostolorum ac Discipulorum Christi animis illapsus est, & eorum corda charitate accendens, linguas movit ad Evangelii prædicationem: Diabolus Pharisæorum animos invidia & calumniandi libidine replens, linguas eorum movit ab blasphemiam, & ad credentium subversionem. Apostoli gloriam Christi prædicarunt, & miracula virtute nominis Jesu a se edita ad ejus Divinitatem probandam adhibuerunt: Pharisæi miracula ab ipso Jesu patrata magicis artibus & dæmoni tribuere non erubuerunt. *In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Sic alii Christi & Christiani nominis hostes calumniabantur Jesum *clandestinis artibus omnia illa perfecisse, Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina & remotas furatum esse disciplinas,* ut

Matth. 11. 15.

Origenes l. 2. contra Celsum.

S. August. lib. de Consensu Ev. cap. 9. & seq.

refert

Julianus apud S. Cyril. Alex. lib. 6. Adv Julianum.

refert *Arnobius* lib. 1. *Adversus Gentes*. Simile quiddam *Celsus*, referente Origene. Alii librum magicas artes complexum, & Petro ac Paulo inscriptum, sub Jesu nomine suppositum fuerunt, quod figmentum S. Augustinus firmissimis argumentis refellit. Christi miracula adeo certa, adeo nota, adeo celebria sunt, ea ut negare non potuerit Julianus Apostata Jesu Christi hostis infensissimus, nec ea magicis incantationibus & præstigiis tribuere ausus fuerit, sed eorum conatus fuerit dumtaxat obscurare claritatem. *Jesus*, inquit, *nihil admodum memoratu dignum egit. Nisi quis claudos ac cæcos curare, & dæmonio correptos adjurare in pagis Bethsaida & Bethania magni alicujus facinoris numero habeat.* Posteriorum temporum Judæi blasphemias Magistrorum suorum omni rationis specie destitutas agnoverunt, quod Jesus in Principe dæmoniorum ejecerit dæmonia: ideo divini Nominis pronuntiatione ipsum edidisse miracula scripserunt. Hanc scilicet, adornarunt fabulam: Helenæ Adiabenorum Reginæ temporibus extitisse lapidem in Templo Hierosolymitano, cui olim Arca imponi solita fuerat, in eoque inscriptum fuisse nomen Dei tetragrammaton, cujus ea vis erat, ut quicumque illud didicisset omnium prodigiorum potens esset. Veritos ergo Sapientes ne quis ea facultate abuteretur: canes æreos portæ custodes apposuisse, qui hac arte fuerant fabricati, ut si quis memoriæ mandato nomine pararet exire, magnis eorum latratibus territus sacri Nominis oblivisceretur. Horum igitur gnarum Jesum descripsisse Nomen adorandum in membrana, eamque vulnere deinde facto cruri inseruisse, & ejus virtute tot deinde miracula edidisse: Consummata ergo Pharisæorum malitia est, & diabolica adversus Jesum invidia, dicentium, *In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Sap. 2. 24. 25.

Invidia aliorum virtutes & bona opera laudari ægre patitur: invidia calumniam & obtrectationem parit. Invidia vitium dæmonis, diabolica verba in ore invidorum edit. *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Invidiam fugiamus, quæ non modo Pharisaicum, sed diabolicum crimen est, sed tamen apud homines, heu! frequentissimum, & eo frequentius, quo leve passim existimatur. *Zelare quod bonum videas, & invidere melioribus, leve apud quosdam & modicum crimen videtur: dumque existimatur leve & modicum non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur & fit cæca & occulta pernicies.*

S. Cyprianus Tract. de zelo & livore.

S. Jo: Chrys. hom. 33. in Matth.

27. *Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.* Exemplo suo docuit Salvator, Discipulos suos ac Ministros nec populum auræ suavitate & turbarum applausu trahi ac permulceri debere, nec invidia & calumniis a Ministerio suo sancte obeundo deterreri. Circuibat ergo urbes & Judææ regionem docens in Synagogis, ut discamus, non maledictis maledicta, sed beneficia esse referenda. „ Et certe qui non gratia hominum, sed propter Deum „ bene conservis suis mereri studet, etsi maleficia pro be„ neficiis referantur, minime tamen solitam benignita„ tem omittet: non enim latet eum majorem sibi propter „ hoc mercedem esse repositam. Qui vero maledictis at„ que injuriis lacessitus, benefaciendi studium neglexerit, „ is non propter Deum, sed ut ab hominibus laudetur, „ beneficus fuit in proximum. Quapropter Christus, ut „ luce clarius videremus sola ipsum benignitate atque mi„ sericordia illa omnia fecisse, non solum non expecta„ bat ægrotos afferri; sed ipse quoque ad laborantes ac „ sua ope indigentes ultro profectus est, duo eis maxi„ ma beneficia conferens: primum, æterni Regni Evan„ gelium, deinde omnis morbi atque languoris depulsio„ nem. Nullam ergo civitatem præteribat, nullum vi„ cum negligebat. “ Sic docuit verbi Dei Ministros & Concionatores, majorum urbium pulpita & Palatia Principum ambitionis aut avaritiæ studio non quærere: sed in oppidis & pagis lubenti animo verbum Dei prædicare, catecheses habere ad institutionem & salutem rudium populorum ac pauperum, quorum animæ non minoris sunt pretii apud Deum, quam nobilium ac divitum, atque ea in re Christum Jesum imitari, qui de se ipso ait: *Dominus evangelizare pauperibus misit me.* Invidia vero, maledictis, calumniis ab amatoribus sæculi, & ministris dæmonis appetiti, cum illi prædam eripiunt, & ab ejus tyrannide animas per Dei verbum & gratiam, cujus sunt organa & cooperatores, liberant, ministerii sui cursum nequaquam interrumpant. Immo ardentiori charitate majorique studio ac vigilantia illud obeant, stellarum instar, quæ cum hominum conviciis appetuntur, nihilominus peragunt cursus suos. *Quanta & de ipsis cæli luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt? Quomodo justi patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes.* Hoc ipsum quod dicitur, quia *illa stella Mercurii est, & illa stella Saturni est, & illa stella Jovis est, convitia sunt stellis. Quid: illæ cum audiunt tanta convitia, numquid moventur, aut non exercent cursus suos? Sic & homo qui in natione perversa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in cœlo.* Apostolo dicente: *Ut sitis sine querela & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes.* : „ Tales „ enim sancti, in quibus est verbum vitæ, de conversa„ tione quam habent in cælo, despiciunt omnia iniqua „ quæ fiunt in terra: & quomodo luminaria in cælo per „ diem & per noctem procedunt, peragunt itinera sua, „ cursus suos certos habent; & committuntur tanta ma„ la, nec deviant desuper stellæ fixæ in cælo, agentes „ per tractus cælestes quæ illlis præstituit & constituit Crea„ tor ipsarum: sic debent Sancti, sed si in cælo figantur „ corda eorum, si non frustra audiant & respondeant, „ sursum se habere cor, si imitentur eum qui ait, *Nostra autem conversatio in cælis est.* Quia ergo sunt, in „ supernis cogitant, sicut dictum est, *Ubi est thesaurus „ tuus, ibi est & cor tuum*: de ipsis cogitationibus su„ pernorum patientes fiunt; & quidquid in terra com„ mittitur non curant, donec peragant itinera sua: que„ madmodum non curant luminaria cæli, nisi quomodo „ exerceant dies & noctes, quamvis tanta mala videant „ fieri super terram. “

Phil. 2. 15.

Phil. 3. 20. Matt. 6. 21.

28. *Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes Pastorem.* Oves Dei sumus, *Nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Sed jacentes essemus & dispersi, nisi Christus, quem dedit nobis æternus Pater *Pastorem animarum nostrarum*, nos in viam salutis reduceret, salutari verbo pasceret, & a luporum infernalium insidiis, incursibus, ac morsibus, gratiæ suæ præsidio tueretur. Misericordiæ magni bonique Pastoris gratias immortales agamus, ipsumque ferventibus precibus obsecremus, ut bonos Pastores Ecclesiæ suæ donare dignetur, ac animum zelumque Pastoralem Episcopis aliisque Ecclesiæ Rectoribus Ministris suis impertiat, ut non quærant quæ sua sunt, sed quæ ipsius Christi; ut non sint Pastores & idola, derelinquentes gregem: ne illam Dei maledictionem incurrant, „ Væ Pastoribus Israel, „ qui pascebant semetipsos! Nonne greges a Pastoribus pa„ scuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & „ quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non „ pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & „ quod ægrotum erat, non sanastis. Quod confractum est, „ non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & „ quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate im„ perabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves „ meæ, eo quod non esset Pastor: & factæ sunt in de„ vorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. „ Talis erat status Israelitici gregis, cujus Jesus miser„ tus est. “ Quamquam vero boni Pastores in Ecclesia non desint Dei providentia & Christi misericordia; timendum tamen est ne populi vitio mali Pastores interdum præficiantur particulari gregi ad ipsarum ovium perditionem, quarum peccata meruerunt ut malorum Pastorum regimini dimittantur, „ Absit ut desint modo boni Pasto„ res; absit a nobis ut desint, absit a misericordia ipsius „ ut non eos gignat atque constituat. Unde si sunt bonæ „ oves, sunt boni Pastores: nam bonis ovibus fiunt boni „ Pastores. Sed omnes boni Pastores in uno sunt. Illi pa„ scunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt „ amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem spon„ si. Idem ergo ipse pascit, cum ipsi pascunt: & dicit, „ *Ego pasco*; quia in illis charitas ipsius. “

Ps. 94. 7. 1. Petr. 2. 25.

Zachar. 11. 17. Ez. 34. 2.

S. August. ser. 40. de Pastoribus alias de Tempore 165.

29. *Tunc dicit Discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Ager, mundus est; Deus, agricola; Christus, Dominus messis; operarii, Apostoli & eorum Successores, ac Evangelii Prædicatores; Ager potiori titulo Ecclesia, & quæcumque fidelis Anima: *Dei agricultura estis* (inquit Apostolus) Ecclesiasticorum Virorum officium est hoc in agro laborare. Messem Domino parare, colligere, Sacerdotes torpentes in otio, vel aliis quam sacri ministerii negotiis occupati; vel talenta sibi a Deo concessa ad prædicandum Dei verbum, ad catechizandum, ad docendum negligentes & quasi infodientes, indigni sunt Sacerdotali caractere & nomine. Laboraverunt in agro Domini Prophetæ & Apostoli, Ecclesiam laboribus suis, sudoribus, sanguine coluerunt, irrigarunt: Pastores & Sacerdotes introjerunt in labores eorum. Debent igitur & ipsi pro virili parte laborare, si vere Christum ejusque Ecclesiam diligunt, ne damnentur ut servi inutiles. Messis adhuc multa, operarii plurimis in regionibus ac provinciis pauci, quamvis albæ sint ad messem. Quot infideles ad audiendum Evangelium non prorsus imparati? Quot Hæretici ab erroribus revocandi? Quot fideles in doctrina Christiana, in fidei mysteriis, in justitiæ præceptis & officiis instruendi? Nunc quidem non sine laborare, dolore, tædio excolitur, seminatur, rigatur ager dominicus: sed erit tempus exultationis ac lætitiæ, cum messores manipulos quisque suos, Animas scilicet ad fidem aut ad meliorem frugem revocatas, vel auctas virtutum incrementis, Domino messis offerent. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibat & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Unusquisque Sacerdos, sed illi præcipue qui ad Pastoralem curam aut Doctoris munus sunt vocati, sibi dictum existimare debent: *In omnibus*

1. Cor. 3. 9.

Ps. 125. 5.

2. Tim. 4. 5.

bus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Prædica verbum, insta opportune, importune, &c.

Quamvis autem multis operariis & Ministris opus sit Ecclesiæ; nemo tamen in opus ministerii intrudere & ingerere se debet, sed qui a Deo vocatur, & per ordinarios Ecclesiæ Prælatos Apostolorum successores mittitur. Prælatos Animarum Rectores, verbi divini Prædicatores, conscientiarum Moderatores sanctos, eruditos, zelo gloriæ Dei & salutis hominum flagrantes, a Deo ferventissimis precibus postulare debemus; quos charitas, non cupiditas; non ambitiosæ hominum preces, sed Ecclesiæ orationes; non honoris & temporalium commodorum studium, sed sancti laboris & boni operis desiderium sacro ministerio applicent, non qui se gerant tamquam dominos messis, sed qui uni Domini gloriæ, ac Ecclesiæ utilitatibus serviant: qui cum Apostolo dicere possint: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia Dei in me vacua non fuit*: Qui denique sese exhibeant *operarios inconfusibiles* & fideles, *recte tractantes verbum veritatis*. Rogemus Dominum messis, ut tales operarios mittat in messem suam. *Præstatur enim Spiritus Sancti gratia pulsantibus & petentibus, ut cooperatores sint gratiæ Dei. Alioquin in vacuum sine Spiritus Sancti copia passim messores laborant, dum jure prædicare, nisi mittantur, nequeunt.*

1. Cor. 15. 10.
2. Tim. 2. 15
Paschas. Ratbertus l. 6. in Matt.

Videns turbas, misertus est eis... Tunc dicit Discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. „ Per eos quorum misertus legitur, omne genus humanum designatur; quia nimirum vexati erant omnes „ variis nequitiarum præstigiis. Alii quidem Philosophi„ cis artibus pellecti & magicis: alii Scribarum & Pha„ risæorum pravis traditionum suarum doctrinis imbuti: „ alii deceptione dæmonum Idololatriis occupati; alii „ peccati oneribus pressi, & sæcularibus curis intenti, „ non habentes potestatem resurgendi. Perierat enim lex „ naturæ. Patriarchæ defuncti erant, Propheta nullus, „ totus orbis incultus jacebat, etiam ipsi Judæi, in qui„ bus olim Patres vitæ semina sparserant. Ad cujus uti„ que comparationem multitudinis, operarii, videlicet „ Apostoli, pauci erant, nec ipsi gratia Spiritus eate„ nus illustrati, ut sufficerent. In cujus plane rei figu„ ra, ex consilio soceri Moysen ad erudiendum populum „ unius gentis plures constituisse gradus legimus: quanto „ magis in hac multitudine humani generis rogandum, „ ut mittantur a Christo plures operarii, quorum doctri„ nis messis & vinea, in qua Pater agricola est, ulte„ rius exculta copiosius exuberet, & amplius fructificet."

Idem ibid.

CAPUT X.

Sensus Litteralis.

1. *ET convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*. Se ipsum spiritualis messis Dominum Christus ostendit, siquidem quod rogandum ante dixerat Dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam, ipse auctoritate sua fecit. Et discipulos duodecim jam ante selectos, divinæque suæ doctrinæ continuos auditores, & miraculorum testes, Apostolos creavit, & ad colligendam messem, Ecclesiamque in orbe universo constituendam misit. Ut autem eorum legatio probaretur, & doctrinæ prædicationique fides conciliaretur & reverentia, hanc divinæ auctoritatis suæ sigillo munivit, donum miraculorum ipsis impartiens. Quo facto divinitatem suam & omnipotentiam egregie demonstrat, siquidem non solum vim habuit edendorum prodigiorum ut Prophetæ, sed summo jure, ipsam aliis pro arbitrio tribuens, quod a nemine Prophetarum factum est. *Dedit illis potestatem*, non supremam & insitam, qualem ipse habuit, sed ministerialem, cui ipse virtute sua adsisteret; unde se non sua potestate aut virtute, *sed in fide nominis ejus* miracula patrare profitebantur. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum*, id est, in spiritus immundos, in dæmones, qui spiritus immundi vocantur quod impuris hominum moribus delectentur, & sanctimoniam oderint a qua superbia sua ceciderunt, cum in gratia fuissent creati. Hoc etiam nomine evidentius opponuntur Spiritui Sancto, qui puritatis Spiritus est. Ejiciendi quippe erant spiritus immundi, ut Sancto Spiritui via & habitaculum pararetur. Dedit autem illis potestatem dæmones ejiciendi non solum ex hominum, quo vexabant, corporibus; sed, quod longe admirabilius est, ex mentibus & cordibus. *Et ut curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. „ Benignus scilicet clemensque Dominus ac Magister non „ invidet servis suis atque Discipulis virtutes suas: & „ sicut ipse curaverat omnem languorem & omnem in„ firmitatem, Apostolis quoque suis hanc tribuit potesta„ tem: sed multa distantia est inter habere & tribuere, „ donare & accipere. Iste quodcumque agit, potestate „ Domini agit: illi si quid faciunt, imbecillitatem suam, „ & virtutem Domini confitentur, dicentes: *In nomine Jesu surge & ambula*. Prius autem spirituum immun„ dorum potestas tribuitur, ut sciamus quod morborum „ genera ab eisdem corporibus infliguntur, quibus de„ mum expulsis, tribuit sanandi facultatem, si quid ab „ eis est ingestum. Alioquin nisi auctor tormenti prius „ pelleretur, virus languoris atque infirmitatis maneret." Hac etiam ratione ostenditur contra Manichæos. Deum conditorem esse corporum pariter ac spirituum. Ideo curandi omnem languorem & omnem infirmitatem verbo potestatem Discipulis suis dedit. *Ut quod sauciaverat hostis, jure sanetur ad Opifice*. Languor diuturnam vexationem carnis, infirmitas ingruentem subito morbum & corruptionem significat. Vel (ut placet Paschasio Ratberto) languor ad infidelitatem animæ, infirmitas ad vexationem carnis pertinet. „ Quæ duo morborum ge„ nera de obsessione dæmonum venire manifestum est. „ Et ideo prius illi pellendi erant, deinde anima per fi„ dem purganda, tum sanitas carnis consequenda. Qua„ propter & fides quam sæpe requiritur in miraculis, & „ plenius confirmatur ex beneficiis, ut totus homo sal„ vetur, & nulla desit Apostolis gratia salutis."

Luc. 6. 13.
Act. 3. 12.
S. Hier. in c. 10. Matt.
Paschas. Ratbertus l. 6. in Matt.
S. Hieron.

2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas & Matthæus Publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum*. Apostoli quasi missi, seu legati Dei causa. Duodecim electi, non absque mysterio. Christus enim spirituale Regnum conditurus Judaicæ Reipublicæ imaginem quodam modo expressit, ut clarius appareret Regni æterni promissiones in ipso solide impletas. Sicut enim Tribus duodecim, ita duodecim erant Principes eximia dignitate, ad quam alludens Christus alibi ait: *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Duodecim exploratores in Terram promissam Moyses miserat, qui palmitem cum botro, aliisque fructibus, in signum fertilitatis terræ retulerunt: Christus in mundum universum, in hæreditatem sibi a Patre promissam ac datam, duodecim legatos misit cum mandatis longe præstantioribus qui fructus optatos ipsi reportarent. *Elegi vos* (inquit alibi) *& posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Hæc duodecim fundamenta Civitatis Dei scilicet Ecclesiæ, ut S. Joannes in divina Apocalypsi sua testatur: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Horum sciri nomina magni intererat ex quorum consentiente testimonio gestorum ac doctrinæ Christi, Religionisque Christianæ veritas erat æstimanda: & quia nonnulli futuri erant, qui hoc nomen mentirentur, de quibus S. Paulus: *Nam ejusmodi Pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*: ideo operæ pretium erat duodecim Apostolorum nomina sigillatim recensere. *Primus Simon, qui dicitur Petrus*, non ætate, aut vocatione, cum frater ejus Andreas prior esset vocatus; nec in ceterorum enumeratione ulla vocationis ætatisve ratio habeatur, sed dignitate & auctoritate primus, *Princeps haud dubie collegii a Christo designatus, ad retinendam corporis compagem*, (inquit) *Grotius*, quem reliquis Heterodoxis oppono. Hinc vox Primatus S. Petri accepta, & a Patribus usurpata, Ecclesiæque usu consecrata est. „ Super illum unum ædificat Ecclesiam suam... Ut uni„ tatem manifestaret, unam cathedram constituit, & u„ nitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua au„ ctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficisci„ tur, primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, „ & cathedra una monstretur (inquit S. Cyprianus.) A„ postolus Petrus, in quo primatus Apostolorum tam ex„ cellenti gratia præeminet... Qui enim nescit illum A„ postolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum „ (inquit S. Augustinus.) Petrus princeps caputque cete„ rorum." (inquit S. Cyrillus Alexandrinus.)

Matt. 19. 8.
Num. 13.
Joan. 15. 16
Apoc. 21. 14.
2. Cor. 11 13.
S. Epiph. Hæres. 51.
Joan. 1. 40. 41. 42.
Crotius in c. 10. Matt.
S. Cypr. lib. de Unitate Ecclesiæ
Quod testimonium iis. dem verbis profert Pelagius 2. in Ep. ad Episcop. Istriæ.
S. Aug. l. 2. de Baptismo contra Donat. c. 1.
S. Cyr. Alex. l. 12. in Joan.

Primus Simon, qui dicitur Petrus, quo cognomine distinguitur a Simone Cananæo, filius Jonæ, seu Joannis, ex Bethsaida Galilææ oppido natus, *Andreæ* frater: *& Andreas frater ejus*. An major an minor natu, incertum. Majorem natu fuisse, S. Epiphanius asserit Hæresi 51. cap. 17. Natu minorem S. Joannes Chrysostomus Hom. 59. in Matthæum, S. Proculus Oratione 20. Cassianus lib. 3. contra Nestorium, c. 12. censent. *Jacobus Zebedæi*, filius, hoc designatus epitheto, ut distinguatur a Jacobo Alphæi. Hic Jacobus Major, ille Minor vulgo nuncupatur. *Et Joannes Frater ejus*, Christo singulariter dilectus. Ambo illi fratres a Christo *Boanerges*, id est, *Filii tronitrui* appellati *Marci* 3. 17. quod Prædicationis Evangelicæ sublimitate, & sonitu orbem essent commoturi, Christoque subjecturi. *Philippus*, a Diacono cognomine diversus, cujus quatuor filiæ Virgines & Prophetissæ celebrantur; quamvis nonnulli Veterum Philippo Apostolo, uni ex duodecim, illas tribuerint, utrumque Philippum confundentes, scilicet Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum pag. 448.

Euse-

Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 31. & lib. 5. cap. 24. *Et Bartholomæus*, quem nonnulli cum *Nathanaele* perperam confuderunt, quem Apostolum non fuisse confirmant S. August. Tract. 7. in Joannem, & S. Gregorius lib. 33. in Job, cap. 15. *Thomas*, qui & *Dydimus*, ideſt, *gemellus*. Et *Matthæus Publicanus*. „ Ceteri Evangelistæ primum ponunt Matthæum, & postea Thomam, nec Publicani nomen adscribunt, ne antiquæ conversationis mentione suggillare Evangelistam viderentur: iste vero & se Thomæ postposuit, & Publicanum appellavit, ut ubi abundaverat iniquitas, ibi superabundaret & gratia. *Jacobus Alphæi*, filius, *justus* appellatus, & *Frater Domini*, id est, cognatus, ex Maria Deiparæ Virginis sorore, vel (ut aliis placet) cognata; idem ille qui Hierosolymorum Episcopus post Christi in cælos Ascensionem ab Apostolis constitutus est, Judæ frater, Auctor Epistolæ Canonicæ: De quo S. Paulus ad Galatas scribit cap. 1. vers. 18. 19. *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. Quem & Primariis Apostolis coæquat cap. 2. vers. 9. *Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis*. " Hic Jacobus Minor appellatus, qui in Consilio Jerosolymitano de legalium ceremoniarum observantia ab Apostolis celebrato, post Petrum suffragium dixit, *Act.* 15. 13. & seq. de quo S. Hieronymus, (cujus sententia in Scriptura Sacra fundata, quorumdam Græcorum tres Jacobos adstruentium, & Hierosolymitanum Episcopum Domini fratrem distinguentium a Jacobo Alphæi, assertioni præponenda est,) ita scribit lib. adversus Helvidium, cap. 7. „ Nulli dubium „ est duos fuisse Apostolos, Jacobi vocabulo nuncupatos, „ Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi. Istum, nescio „ quem Minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec „ tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apo„ stolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi fi„ lius erit: & credidit in Jesum, & non erit de illius „ fratribus, de quibus scriptum est: *Neque enim fratres „ ejus credebant in eum*. Si non est Apostolus, sed tertius „ nescio quis Jacobus: quomodo est frater Domini putandus? Et quomodo tertius ad distinctionem Majoris „ appellabitur Minor? Cum major non inter tres, sed „ inter duos soleat præbere distantiam, & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente: *Deinde post triennium „ veni Jerusalem videre Petrum, & mansi apud illum „ diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. Et in eadem Epistola: *Et cognita gratia quæ data est mihi, Petrus & „ Jacobus, qui videbantur columnæ esse*. Ne autem hunc „ putes Jacobum filium Zebedæi, lege *Actus* Apostolorum: jam ab Hærode fuerat interemptus. Restat conclusio, ut Maria ista, quæ Jacobi Minoris scribitur „ mater, fuerit uxor Alphæi, & soror Mariæ Matris „ Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes Evangelista „ cognominat, sive a patre, sive a gentilitate familiæ, „ aut quacumque alia causa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur, Maria Jacobi Minoris mater, & hic Maria Cleophæ: disce Scripturæ consuetudinem, eumdem hominem „ diversis nominibus nuncupari. " Quamvis itaque *S. Gregorius Nyssenus* Oratione 2. De Resurrectione, *S. Epiphanius*, in Hæresi Collyridianorum, *S. Jo. Chrys.* Hom. 5. in Matth. & Hom. 33. in Acta, & Constitutionum Apostolicarum Auctor lib. 6. cap. 12. Jacobum Alphæi Apostolum a Jacobo fratre Domini distinguant, *S. Pauli & S. Hieronymi* auctoritate fultam sententiam, nec non *S. Aug.* lib. 1. contra Cresconium cap. 37. amplectimur & propugnamus. S. quidem Hieronymus Expositione 1. in cap. 17. Isaiæ, post illa verba vers. 7. „ In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israel respicient „ *addit*, Duas olivas & tres & quatuor, & quinque, *de „ quibus ante actum erat*, quatuordecim Apostolos interpretantur, idest, duodecim qui electi sunt, & tertium „ decimum Jacobum, qui appellatur Frater Domini, Paulum quoque Apostolum vas electionis. " Sed ex aliorum sententia, non ex propria mente ibi loqui S. Hieronymum evidens est, referendo, non asserendo. Sed in secunda ejusdem capitis expositione, lib. 7. Commentariorum in eumdem Prophetam; Jacobum Fratrem Domini extra numerum duodecim Apostolorum non recenset, sed solos Paulum & Barnabam. Videtur aliquibus S. Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus Jacobum Fratrem Domini extra numerum duodecim Apostolorum posuisse Catechesi 14. „ Nunc vero, *inquit*, Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium, & apparuit Cephæ, postea duodecim Apostolis: si enim uni testi non credis, habes „ duodecim testes: deinde apparuit plusquam quingentis „ fratribus simul. Si illis duodecim non credant, quingentos testes recipiant. Postea visus est a Jacobo fratre, primo hujus Parœciæ Episcopo... Sed dices quod „ Jacobus frater ad gratiam testatus est. Visus est postea & Paulo inimico: quale autem sit hostis testimonium, scitis. Verum non magis ac melius colligitur „ ex hoc loco Jacobum Fratrem Domini ex duodecim „ Apostolorum numero non fuisse, quam S. Petrum, " siquidem & S. Paulus 1. *Cor.* 15. 5. scribit, *Quia visus est Cephæ, & post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus*. Quod & S. Cyrillus refert. Sed duodecim Apostolorum nomina recensere pergamus. In eorum serie sequitur *Thaddæus*, qui & *Lebbæus*, ideſt, *corculum*, cognominatus: *Judas* appellatus, & *Judas Jacobi*, quia Jacobi Minoris frater, auctor Epistolæ canonicæ: *Simon Cananæus*, qui & *Zelotes* appellatus est, alter a Simone fratre Domini, de quo S. Matth. c. 13. v. 55. ut Theodoretus confirmat in Ps. 67. Principes Juda duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nepthtalim. „ Ex his tribus, *inquit*, ceteri Apostoli originem „ duxerunt. Et illi quidem qui vocabantur fratres Domini, ex tribu Judæ plane genus traxerunt. Petrus au„ tem & Andreas, & Jacobus & Joannes, & Philippus „ ex vico Bethsaida fuerunt: Matthæus & Jacobus dicti „ sunt habitasse Capharnaum. Simon Zelotes Cananæus „ nominatus est. Omnia autem hæc loca Gallilææ sunt. „ Zabulon autem & Nephtalim ibi suam habuerunt sor„ tem. " Alter etiam est Simon Apostolus a Simeone Jerosolymorum Episcopo, S. Jacobi Minoris in illa sede successore, cujus cum frequens sit in Historia Ecclesiastica Eusebii mentio, nusquam Apostolus appellatur, & quæ ipsum spectant, post Apostolorum tempora referuntur. Postremus in Apostolorum serie nominatur *Judas Iscariotes*, proditoris, quam Apostoli nomine notior, vel a vico, vel ab urbe unde ortus est, vel ex Tribu Iachar appellatus, quasi Ischariotes: ut quodam vaticinio in condemnationem sui natus sit. *Isachar* enim interpretatur *merces*, ut significetur pretium proditoris.

S. Hier. in c. 10. Matt. — *Joann. 7.*

3. *Hos duodecim misit Jesus; præcipiens eis, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in civitate Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel*. Hos duodecim Legatos Rex noster Christus misit in orbem sequentibus mandatis instructos: Ne abeatis versus Gentes prædicandi causa. Judæis enim ut filiis Regni, quibus facta fuerat promissio Messiæ, secundum Decretum Dei oportebat primum prædicari verbum Dei: cum vero illud repellerent, & se indignos judicarent seu efficerent æternæ vitæ, oportebat converti ad Gentes, ut Sanctus Paulus docet. Hinc alibi asserit, *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*. Hinc Lucæ 1. dicitur: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*. Vetat etiam ne Samaritanorum civitates intrent. Quamvis enim se Jacobi filios jactarent, legem Moysis amplecterentur, Messiam exspectarent; Gentium tamen superstitionibus Judaicam Religionem miscebant, adorabant quod nesciebant, a Gente Judaica & Fide segreges erant, Apostatæ, Schismatici: hinc Samaritanos non minus quam Ethnicos oderant vitabantque Judæi. Ideo Christus ne Judæis offensionis occasionem præberet, eodem loco Samaritanos ac Ethnicos habuit, Evangelii prædicationem apud illos fieri pariter prohibens, donec Judæis annuntiatum esset, Christique generali mandato paulo ante Ascensionem, & deinde afflatu singulari Spiritus Sancti, Apostoli impulsi essent ut se converterent ad Gentes, illisque Christum prædicarent. *Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Prædicate primum Judæis, ovibus perditis, seductis, errantibus, de quibus *Isaiæ* 53. 6. dicitur: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit*. Et Jeremiæ 50. 6. *Grex perditus factus est populus meus*. Et Christus ipse: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. „ Oportebat nimirum primum adventum Christi nuntiare Judæis; ne justam excusationem habere viderentur, dicentes, ideo se „ Dominum rejecisse, quia ad Gentes & ad Samaritanos „ Apostolos miserit. *In viam Gentium ne abieritis*. Ne putetis odio mihi esse Judæos, vel animum meum ab ipsis „ aversum esse, quia contumeliis me afficiunt, & dæmoniacum appellant. Videtis enim tantam me curam horum „ gerere, ut non ad alios, sed ad istos imprimis vos mittam, „ ut & Doctores & Medici eis sitis: nec solum jubeo his „ prius quam ceteris prædicare; sed ne viam quidem attingere quæ ad alios ducat, permitto: nec in civitates Samaritanorum intrare, quoniam non bono in Judæos erant animo Samaritani. Et quamvis isti faciliores ad credendum essent, ad difficiliores tamen Judæos mittit, ut „ quantam illorum curam gereret, ipse demonstraret, & „ sic ora ipsorum obstrueret, & ad doctrinam Apostolorum præpararet: ne crimini ipsis verterent profectionem ad gentes incircumcisas, ac ideo ipsos jure odisse & abominari viderentur. Oves autem quæ periere, „ ipsos appellat, non quæ sponte fugam cœperunt, ut undique paratam eis esse veniam ostendendo, mentes eorum permulceret. "

S. Hier. in c. 10. Matt. — *Act.* 13. 46 — *Joan.* 4. 12. — *Matt.* 15. 24 — *S. Hier. in c. 10. Matt.* — *S. Jo. Chrys. Hom.* 23.

4. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum Cælorum*. Quod argumentum fuit & exordium prædicationis Joannis Baptistæ, & ipsius Christi, idem esse debuit prædicationis Apostolorum, ut Domini a quo missi erant verbis magis quam suis prædica-

S. Hier. in c. 10. Matt.

dicarent, & per viam pœnitentiæ homines ad Regnum cœlorum perducerent. Hinc S. Marcus Apoſtolorum narrata miſſione ſubdit: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.*

5. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite.* Ne hominibus ruſticis, indoctis, illiteratis, eloquii vetuſtate deſtitutis nemo crederet pollicentibus Regnum cœlorum, dat illis poteſtatem infirmos curandi, leproſos mundandi, dæmones ejiciendi: *Ut magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorum.* Hæc verba, *mortuos ſuſcitate*, irreptitia eſſe perperam aſſerit Grotius, quod abſint a vetuſtiſſimis Exemplaribus, a Complutenſi, aliiſque Græcorum Exemplarium Editionibus, & a Syriaca Imperatoris Editione, neque agnoſcatur a Græcis hunc locum exponentibus, Theophylacto & Euthymio. Nam Textus Græcus ſecundum Editionem Roberti Stephani cum ſexdecim Mſſ. collatus, & in Bibliis Polyglottis Londinenſibus editus, hæc verba habet. Illa S. Hieronymus, qui Novum Teſtamentum Græcæ Fidei reddidit, agnoſcit, ut ex Divina illius Bibliotheca nuper edita conſtat, & ex Vulgata Verſione Latina, quæ Eccleſiæ auctoritate ac judicio Authentica declarata, & uſu conſecrata eſt. Eadem verba habent Verſiones Orientales, Syriaca, Arabica, Æthiopica, in Bibliis Londinenſibus editæ. Illa etiam agnoſcit S. Hilarius.

6. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Poteſtatem illam nullis meritis veſtris, aut pretio accepiſtis, ideoque ejus effectus & beneficia gratis & liberaliter date. His verbis inanem gloriam, avaritiam, & turpem quæſtum, ſimoniamque in rerum ſpiritualium uſu ac diſpenſatione convellit ac damnat. Sententia enim illa generalis eſt, ſpiritualia omnia Dei dona complectens; quæ cum nulla humana induſtria aut labore comparari poſſint, non abſque gravi irreverentia & ſacrilegio ad humana commercia deprimerentur. Jubet ergo *ut ſit miniſtratio gratuita muneris gratuiti*, ne Evangeli gratia corrumpatur. Qua in re non minorem ſe curam gerere Chriſtus oſtendit ut mores Diſcipulorum integri ac ſancti eſſent, quam ut miraculorum virtute eſſent conſpicui. Nam ut demonſtret miracula abſque morum integritate nihil prodeſſe facientibus, neque faſtu animi & inani gloria propterea efferrentur, ait: *Gratis accepiſtis:* Deinde ne cupiditate pecuniarum moverentur, addidit: *Gratis date.* Ne, inquam, quaſi ſua ipſorum poteſtate miracula facientes inde ſuperbirent: *Gratis*, inquit, *accepiſtis*: Nihil ex veſtro largimini Iis qui vos recipiunt, & quibus Evangelium, aliave dona ſpiritualia largimini, aut quorum in gratiam miracula editis. Non enim tamquam mercedem veſtris laboribus debitam iſta accepiſtis: mea enim eſt gratia. Sic & aliis hæc beneficia, quorum nullum condignum pretium inveniri poteſt, gratis date. *Neque enim pretio ulla res Dei conſtat.*

S. Hil. c. 10. in Matt. S. Hieron.

S. Jo: Chryſ. Hom. 33. in Matth.

Tertull. in Apologet.

7. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* De commeatu ne ſolliciti ſitis, ſive de pecunia ad viaticum acquirenda & paranda, quam in zonis ſeu crumenis veſtris feratis. Nec peram ſeu manticam habeatis, in quam obſonium condatis, ut viatores ſolent: nec tunicas mutatorias, unam, qua induti ſitis, alteram futurorum timore, ne forte ſit opus; neque duo calceamentorum ſeu ſandaliorum paria; ſed neque virgam, ſeu baculum, præter illum quem manu geritis. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, id eſt, omnibus ad ſuſtentationem vitæ neceſſariis. Non ſolum itaque poſſeſſionem theſaurorum illis prohibet Chriſtus, ſed & viaticum, ut omni ſollicitudine expediti, toti a Deo penderent, toti Evangelii prædicationi inſiſterent, & exemplo contemptus rerum terrenarum omnes ad Chriſtum traherent. Luc. 9. ita mandatum illud Chriſti exprimitur. „ Nihil tuleritis in „ via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque „ pecuniam, neque duas tunicas habeatis. *Marci vero* 6. 8. „ Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam „ tantum: non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.“ S. Matthæus Chriſtum prohibuiſſe refert ne calceamenta portarent, & virgam, utique duplicem, timore & cautione ne in futurum deficerent, ut *S. Hieron.* explicat, quam interpretationem & *S. Auguſt.* amplectitur: *Curam*, inquit, *prohibet qua ideo portanda cogitantur, ne deſint.* Permiſit tamen uſum calceorum ſive ſandaliorum quibus eorum pedes tecti erant, & baculi cui innitebantur, ut S. Marcus ſignificat; cujus proinde narratio ab aliorum Evangeliſtarum narratione non diſcordat. S. Auguſt. virgam apud Matthæum proprie ſumi cenſet, ut quod dictum eſt, *Neque virgam*, intelligatur, *ne minimas quidem res*: apud Marcum vero metaphorice ſumi pro poteſtate accipiendi ab auditoribus ſuis omnia neceſſaria, ſed quamvis hæc explicatio minime ſpernenda ſit, ea tamen non eſt opus ad Evangeliſtarum conciliationem; & probabilius videtur, ibi tam proprie ſumi virgam, ac calceos, tunicas, peram, panem & æs, quæ metaphorice intelligenda nemo dixerit. Oſtendit autem, Deum cujus res gerant, ipſi proſpecturum. *Dignus eſt enim* (inquit) *operarius cibo ſuo.* S. Lucas hæc repetens c. 10. ait: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua:* Quo mercedis nomine non ſignificatur ſuſtentationem eſſe adæquatum pretium operis tam divini, ſcilicet prædicationis Evangelicæ, ſed Evangelicis Prædicatoribus ex juſtitia deberi, & ex grati animi vice, ab iis quibus Evangelium annuntiarent, tamquam ſtipendia militantibus, tamquam fructum vineæ plantatoribus, tamquam lac gregis paſtoribus. Unde S. Paulus ait: „ Quis militat ſuis ſti- „ pendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu „ ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte ejus „ non percipit? ... Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, „ magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alii „ poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? „ Sed non uſi ſumus hac poteſtate. „ Unde apparet hæc „ non ita præcepiſſe Dominum tamquam Evangeliſtæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus „ annuntiant Evangelium, alioquin contra hoc præcepptum fecit idem Apoſtolus qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat, ne cuiquam gravis eſſet: ſed „ poteſtatem dediſſe, in qua ſcirent ſibi iſta deberi. Cum „ autem a Domino aliquid imperatur, niſi fiat, inobedientiæ culpa eſt, cum autem poteſtas datur, licet cuique „ non uti, & tamquam de ſuo jure cedere. Hæc ergo Dominus loquens Diſcipulis, id agebat quod ipſe Apoſtolus paulo poſt apertius ita explicat: “ *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ in ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus ſum.* „ Cum itaque „ dicit, ita Dominum ordinaſſe, ſe autem uſum non eſſe, „ utique oſtendit utendi poteſtatem datam, non impoſitam „ ſerviendi neceſſitatem. Hoc ergo ordinans Dominus, „ quod eum ordinaſſe dicit Apoſtolus; qui Evangelium „ annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apoſtolis loquebatur, ut ſecuri non poſſiderent, neque portarent huic „ vitæ neceſſaria, nec magna, nec minima. Ideo poſuit, „ *nec virgam*, oſtendens a fidelibus ſuis omnia deberi „ Miniſtris ſuis, nulla ſuperflua requirentibus.“

1. Cor. 9. 7.

1. Theſſ. 5. 5. S. Aug. l. de Conſenſu Ev. c. 36. n. 73. & 74.

8. *In quamcumque autem civitatem aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis.* Quocumque vos contuleritis prædicandi cauſa, inquirite quis dignus ſit hoſpitio veſtro, qui ſcilicet morum integritate ac beneficentia ſpem præbeat promptæ hoſpitalitatis. Ad dignitatem Evangelici miniſterii ac Miniſtrorum id pertinet, ut nonniſi apud boni nominis viros commorentur, & qui ipſis hoſpitibus digni ſint, putentque ſe magis accipere beneficium, quam dare. „ Ergo hoſpes „ fama eligendus eſt populi, & judicio vicinorum (*inquit „ S. Hieron.*) ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia „ deturpetur. Cum univerſis debeant prædicare, hoſpes „ unus eligitur, non tribuens beneficium ei qui apud ſe „ manſurus eſt, ſed accipiens. Hoc enim dicitur, *Quis in „ ea dignus eſt*, ut magis ſe noverint accipere gratiam, „ quam dare. *Et ibi manete*: Alienum *enim* eſt a Prædicatore Regni cœleſtis curſitare per domos, & inviolabilis „ hoſpitii jura mutare; “ ne deſultoriæ levitatis arguatur, ne menſæ lautioris appetens videatur, ne ſi contemni prior hoſpes exiſtimet, ideoque offendatur. *Et ibi manete, donec exeatis* ex illa urbe aut pago. Id paulo aliter exprimitur a S. Luca: „ In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: Dignus eſt enim operarius „ mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum. Et „ in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint „ vos, manducate quæ apponuntur vobis.“

S. Hieron. in c. 10. Matt.

S. Ambr. l. 6. in Luc. n. 66.

S. Jo. Chryſ. Hom. 31. in Matt.

9. *Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* Salutari jubet domum, ideſt, habitatores ejus, in ſignum benevolentiæ & charitatis; *Dicentes, Pax huic domui.* Salutandi formula eſt Hebræis familiaris, qua proſpera lætaque omnia adprecantur: Chriſtus autem & Apoſtoli pacem illam optabant, quam dare non poteſt mundus, pacem nimirum Evangelicam, & æternæ vitæ felicitatem. Ceterum illa verba, *Dicentes, Pax huic domui*, in Græco Textu non habentur, nec ea Græcus S. Joannis Chryſoſtomi Textus habet: nec S. Hieronymus in commentariis, nec in ipſo Textu, quamvis in ejus Divina Bibliotheca nuper a Benedictinis S. Germani Pratenſis Pariſiis edita extent. Irreptitia tamen hæc exiſtimaſſe S. Hieronymum, Commentarius ejus indicat, quamvis ea Latina Verſio, qua tempore S. Hilarii utebatur Eccleſia, jam haberet, ut ex ejuſdem Commentario conſtat. Verba S. Hieron. ſubjicio: *Occulte*, inquit, *ſalutationem Hebræi ac Syri ſermonis expreſſit. Quod enim Græce dicitur*, χαῖρε, *& Latine*, Ave: *hoc Hebraico Syroque ſermone appellatur* Salon lach, *id eſt*, PAX *tecum.* Non autem occulte ſolum S. Matthæum hanc ſalutationem expreſſiſſe S. Hieronymus diceret, ſi apud illum hæc verba legiſſet in Textu Græco a ſe emendato: *Dicentes, Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit* domus illa, ſeu familia *digna* Evangelica pace, quam adprecati fueritis, *ſi fuerit ibi filius pacis*, ut apud S. Lucam legitur, id eſt, pace illa dignus ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem Dei, *veniet pax veſtra ſuper eam*, id eſt, annuntiatio pacis, & prædicatio illi proderit. *Si autem non fuerit digna, pax veſtra,*

S. Aug. l. 2. de Conſ. Evan. cap. 30.

S. Aug. l. de Correptione & Gratia c. 15.

vestra revertetur ad vos : Spiritualem fructum ex vestra charitate & prædicatione pacis referetis, quod ipsis adprecati estis, vobis quidem eveniet, qua ratione Ps. 35. 14. dicitur. *Oratio mea in sinu meo convertetur*. Quoad illos vero eventu optato carebit, contrario sensu divinæ illi sententiæ, Isaiæ 55. 11. „ Verbum meum, quod e-
„ gredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum,
„ sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his
S. Hier. in c. 10. Matt. „ ad quæ misi illud. *Si fuerit dominus digna, veniet*
„ *pax vestra super illam: &c.* Introeuntes domum, pa-
„ cem imprecamini hospiti, & quantum in vobis est,
„ discordiæ bella sedate. Si autem orta fuerit contra-
„ dictio, vos mercedem habebitis de oblata pace: illi
„ bellum quod habere voluerint, possidebunt. "

10. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris*. Addunt SS. Marcus
S. Hier. ib. & Lucas, *in testimonium ipsis*, quod nullam scilicet cum illis communionem habere velint, nihilque ab eis recipere, ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium
S. Aug. l. Q. Ev. in Matt Quæst. 7. spreverint: vel in testimonium indignationis divinæ in eos effundendæ: vel in testimonium laboris sui, quem illi obduratione sua & inhumanitate sibi inutilem reddiderunt. „ Si comminatio non potest sine executione, ha-
Tertul. l. 4. contra Marcionem c. 24. „ bes Deum executorem in comminatore, & judicem in
„ utroque (*inquit Tertullianus*) sic & pulverem jubet
„ excuti in illos in testificationem, & abhorrentiam ter-
„ ræ eorum, nedum communicationis reliquæ. Si enim
„ inhumanitas & inhospitalitas nullam ab eo relaturæ sunt
„ ultionem, cui rei præmittit testificationem, minas u-
„ tique portendentem? Porro cum etiam Creator in Deu-
„ toronomio, Ammonitas & Moabitas prohibeat recipi
„ in Ecclesiam, quod populum Ægypto profectum inhu-
„ mane & inhospitaliter copiis defraudassent: ergo in
„ Christum inde manasse constabit communicationis in-
„ terdictum, ubi habet formam, *Qui vos spernit, me*
„ *spernit*. Hoc & Moysi Creator: *Non te contempserunt,*
„ *sed me*. Tam enim Apostolos Moyses, quam & Apo-
„ stoli Prophetæ. Æquanda erit auctoritas utriusque of-
„ ficii, ab uno eodemque Domino Apostolorum & Pro-
„ phetarum. "

11. *Amen dico vobis: Tollerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati*. De Sodomitis & Gomorrhæis non tam judicatum olim quam præjudicatum est, cum urbes illæ incolarum suorum flagitiis infames, incendio cælesti conflagrarunt. Atrociorem itaque pœnam subituros in die judicii, quam olim sustinuerint, Christus significat. Longe vero graviorem pœnam imminere Evangelii contemptoribus. Sodomitæ enim monitorem Lothum dumtaxat habuerunt; Judæi vero habuerunt Apostolos tanta promissa afferentes, promissionemque salutis tot miraculis confirmantes. So-
Rom. 2, 12. domitæ sine lege perierunt; quia sine lege peccaverant: Judæi in lege peccaverunt, ideoque *per legem judicabuntur*. Ex hoc loco inæqualitas peccatorum contra Jovinianum ostenditur, ex inæqualitate suppliciorum.

12. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Cum Apostolos omni solicitudine rerum ad vitæ sustentationem necessariarum Christus exemisset, ac miraculorum dono instruxisset, omnique sæculari negotio & cura liberos, quasi ferreos atque adamantinos fecisset, nunc eventura ipsis adversa prædixit, non ea solum quæ
S. Jo. Chrys. h. 34. in Matth. paulo post futura erant, in prima scilicet illa Missione, verum etiam post longa temporum spatia, cum apud Gentiles essent prædicaturi; ut ab initio, & antequam duri labores acciderent, ipsos adversus diaboli bellum instrueret. Ideo autem de his illos præmonuit; primo, ut summam ejus virtutem atque potentiam, qua etiam futura noverat, non ignorarent. Deinde, ut nemo suspicari posset ex illius, qui ipsos misit, imbecillitate tot illis mala contigisse. Tertio, ne turbarentur, malis & persecutionibus repent, & præter expectationem venientibus. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*. Sicut oves, id est, imbelles, inermes, humanis præsidiis destitutos, simplices, innocentes, mansuetos, nullis malis artibus vosmetipsos defendentes, sed a solius Dei protectione pendentes, mitto vos in medium Judæorum & Gentilium, qui vobis non minus infesti erunt, quam ovibus lupi, nec minori vos odio & crudelitate persequentur: quias & numero, & defensionis impotentia prorsus impares eritis. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & sim-*
Genes. 3. 1. *plices sicut columbæ*. Circumspicite quomodo vos habere & gerere debeatis, declinando insidias, quantum vobis salva ministerii vestri ratione, Deique gloria licebit. Arma porro vestra sint prudentia & simplicitas: prudentia serpentis, ut insidias caveatis; columbæ simplicitas, ut nemini noceatis: ut nec prudentia in vafritiem improbam, nec simplicitas in stoliditatem degeneret, *Estote prudentes sicut serpentes*. Prudentiam serpentium imitamini, acute circumspicientium & observantium pedes hominum, ne ab ipsis obterantur, & in certaminibus capitis potissimum sui curam habentium, ut illud illæsum servent. *Et simplices sicut columbæ*. Prudentiam innocentia & simplicitate ornate, cujus columba symbolum est, felle carens, nemini nocens, ne iis quidem a quibus male afficitur, direptoribus ovorum atque pullorum.

13. *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis & Gentibus*. Nolite in hominibus confidere, inter quos vos mitto, nolite ipsorum vultibus verbisque facile credere: hominum enim effigies habent, plerique vero animos ferarum. Homo homini lupus. Id experiemini, cum vos trahent quasi reos ad tribunalia, & in Synagogis suis, seu juridicis conventibus flagellabunt vos. Quod in Apostolis impletum, constat ex Actuum cap. 4. & 5. aliisque locis. Sane in Synagogis exerceri solitam animadversionem in populares, in causis religionis: constat ex Eusebio lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16. ubi meminit libri ab Auctore quodam Ecclesiastico adversus Montanistas sub Imperio Commodi conscripti, in quo hæc legebantur: *Respondeant nobis quæso per Deum; Est ne aliquis eorum, qui jam inde a Montano & mulierculis garrire primum cœperunt, qui a Judæis persecutionem passus sit, aut ab impiis trucidatus? Nemo certe. Nec vero ullus eorum pro Christi nomine prehensus, in crucem actus est: sed neque ulla mulier in Judæorum Synagogis aut flagris cæsa aut lapidibus impetita est. Nusquam profecto nec unquam*. Addit Christus: *Et ad præsides* Provinciarum, quales fuerunt Pontius Pilatus, Felix & Festus, *& ad Reges ducemini propter me*, nominis mei causa vos in jus vocabunt, & captivos trahent, *in testimonium illis & Gentibus*: Id est, ut illis de me testimonium constanter fortiterque patiendo præbeatis: sic enim intelligere poterunt, vos prædicare veritatem, quam vestro sanguine vos consignare viderint: sive in testimonium contra eos in die judicii; nec solum contra ipsos Judæos, sed & adversus Gentiles illis permixtos, aut qui illorum tribunalibus adstabunt.

14. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Cum autem in Conciliis & Synagogis, vel coram Præsidibus & Regibus sistemini, ne sitis anxii qua ratione causam veritatis agatis, sicut solent esse soliciti qui causam acturi sunt apud Principes; & quid dicendum, & qua ratione ac forma, anxie meditari. Vobis enim a Deo Patre & a me suggeretur in illis angustiis quid loquamini, orantibus tamen, & humanam alioquin dilingentiam adhibentibus. Et quod vobis deerit naturalium talentorum, eo ipso tempore supplebitur ope cælesti: siquidem Spiritus Sanctus & animo sapientiam & ori eloquium subministrabit, non comptum quidem & ornatum, sed simplici gravitate ipsam nudæ veritatis naturam referens, quæ ornari ipsa negat, contenta doceri, & quæ *Nihil erubescit, nisi tantummodo abscondi. Simplicitate* scilicet *veritatis, non curiositate, ejus hostes revincuntur*. Dabitur vobis in illa hora quid loqua- *Tertull.*
mini. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri*, *Luc. 21. 15.*
Sic olim Moysem legatum ad Pharaonem mittens Dominus: *Perge*, inquit *& ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris*. Non igitur ex vobis ipsis loquemini sive respondebitis (inquit Christus) sed Spiritus Dei Patris vestri, cujus negotium geritis, per vos loquetur, linguam ve- *Exod. 4. 12.*
stram diriget, verbaque suggeret, formabit, librabit, ut quod causæ Dei & ejus gloriæ conveniens erit, ex tempore respondeatis. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. His verbis humana operatio non excluditur, quasi Evangelii Prædicatores instrumenta sint inanima: *Neque enim hoc ita fit de nobis tamquam nihil facientibus nobis. Adjutorium* *S. Augustin. Ep. 194. al. 105. cap. 4.*
igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.

15. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum*. Non solum contra externas, sed etiam contra domesticas per- *S. Hieron. in c. 10. S. Matth.*
secutiones illorum animos præmunit ac roborat. Tradet, inquit, frater infidelis fratrem fidelem in mortem, & pater filium: Nullus enim inter eos fidus affectus, quorum diversa Religio. Et eritis odio omni hominum generi, Judæis & Gentibus, viris & feminis, consanguineis & extraneis, Principibus & plebi, non propter crimen aliquod, sed tantum propter me, propter fidem qua in me creditis; doctrinamque ac legem meam profitemini. Tertullianus ait: „ Christianis solis nihil permitti- *Tertull. Apolog. c. 1. & 3.*
„ tur loqui quod causam purget, quod veritatem defen-
„ dat, quod judicem non faciat injustum: sed illud so-
„ lum expectatur quod odio publico necessarium est, con-
„ fessio nominis, non examinatio criminis..... Nomen
„ æmulæ rationis inimicum, præsumptis non probatis
„ criminibus, de sua sola confessione damnatur. Ideo tor-
„ quemur confitentes, & punimur perseverantes, & ab-
„ solvimur negantes, quia nominis prælium est. Deni-
„ que quid de tabella veritatis illum Christianum, cur
„ non & homicidam? Si homicida Christianus, cur non
„ & incestus, vel quodcumque aliud esse non creditis?

„ In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pro-
„ nuntiare. Christianus si nullius nominis crimen est, valde
„ ineptum si solius nominis crimen est. Quid quod ita ple-
„ rique clausis oculis in odium ejus impingunt, ut bonum ali-
„ cui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobra-
„ tionem? Bonus vir Cajus Sejus, tantum quod Christianus...
„ Alii quos retro ante hoc nomen vagos, viles, impro-
„ bos noverant, ex ipso denotant quo laudant: cæcitate
„ odii in suffragium impingunt. Quæ mulier! Quam la-
„ sciva, quam festiva! Qui juvenis! Quam lusius, quam
„ amasius! Facti sunt Christiani. Ita nomen emendationi
„ imputatur. Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio
„ isto pacisCuntur, contenti injuria, dum ne domi ha-
„ beant quod oderunt. Uxorem jam pudicam maritus jam
„ non zelotypus ejecit. Filium jam subjectum pater retro
„ patiens abdicavit. Servum jam fidelem dominus olim
„ mitis ab oculis relegavit. Ut quisque hoc nomine e-
„ mendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti est
Psalm. 85. „ odium Christianorum. *Et eritis odio* omnibus, *incre-*
9. S. Ful- „ *dulis*, propter nomen meum. *Dicit Propheta*. Omnes
gentius l. „ gentes quascumque fecisti, venient & adorabunt coram
de Incarn. „ te, Domine, & glorificabunt nomen tuum in æter-
& Gratia „ num. *Dominus autem suis Fidelibus dicit*: Eritis odio
c. 31. „ omnibus gentibus propter nomen meum. *Numquid er-*
„ *go contrariis sibi repugnat Scriptura Divina sententiis?*
„ *Absit*. Sed & illos omnes, veraciter dicit, id est,
„ & omnes Fideles qui nomen Domini in omnibus Genti-
„ bus glorificant, & omnes incredulos, qui per easdem
„ omnes gentes, in odio Nominis Christi, Fideliumque ejus
„ mortifera impietate perdurant. "

16. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Qui constanter & perseveranter persecutiones & adversitates illas propter me toleraverit usque in finem vitæ, mihique fideliter adhæserit, quamvis carnalium hominum oculis perditus videatur, salutem æternum consequetur. Marci 13. 13. *Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit*. Qui sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occasionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati in finem.

Tertull. Scorpiaci cap. 9.

17. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis*. Cum persequentur vos in una civitate, non sinendo ibi Evangelium prædicari, vobisque struendo insidias, in aliam fugite; tum ut periculum declinetis, quod ultro non est arcessendum, nisi ejus incursio cum officio conjuncta sit; tum maxime ut Evangelii propagationi vos servetis. Apostolis quidem occasione primæ Missionis hæc a Christo dicta sunt, sed generalis sententia est. Apostoli fugiendam esse persecutionem exemplo suo docuerunt, ut eorum Acta testantur. Tertulliani errorem, qui fugam omnem damnabat, Ecclesia reprobavit. SS. Cyprianus & Athanasius documentis & exemplis confutarunt. Ceterum pro temporum, personarum, & officiorum diversitate, fuga nunc præcepti est, nunc consilii, nunc indulgentiæ. Præcepti est, cum major Dei gloria & Ecclesiæ utilitas id postulat: consilii cum Prædicatoris aut Pastoris capiti speciatim imminet persecutionis tempestas. Indulgentiæ, cum quis infirmitatis suæ conscius, veretur Christi negandi periculum. *Christum* enim *fugiendo non negat, qui ideo fugit ne neget* (inquit S. Joannes Chrysostomus); Quando porro, quibus, & qua ratione fugiendum sit, vel manendum, *S. Augustinus* plene ac diserte explicat in Epistola ad Honoratum. *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel*: Non percurretis omnes Israelitarum civitates, ex una in aliam fugiendo, *donec veniat Filius hominis* ad judicium, id est, usque ad finem sæculi. Quasi dicat, Non deerunt civitates quo fugiant Discipuli Fidelesque mei, & ubi tamquam in portu a persecutionis tempestate requiescant, usque ad consummationem sæculi.

S. Cypr. Epist. 56. & Tract. de Lapsis. S. Athan. in Apolog. pro Fuga sua.

S. August. Epist. 328. alias 180. S. Aug. l. 3. contra Gaudentium Donatistam c. 18.

18. *Non est Discipulus super Magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus: & servo sicut dominus ejus. Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus?* Existimare non debent discipuli & servi, se melioris conditionis esse debere, quam magistrum & dominum. Si ergo me, qui Magister vester sum ac Dominus, Judæi Beelzebub vocaverunt, & in Beelzebub Principe dæmoniorum me dæmonia ejicere dixerunt, quantis convitiis vos discipulos meos ac domesticos lacessent? *Beelzebub, Idolum est Accaron, quod vocatur in Regum Volumine Idolum muscæ. Beel, ipse Bel, sive Baal: Zebub autem musca dicitur. Principem ergo dæmoniorum ex spurcissimi Idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat suavitatem olei*. Christi prædictioni respondet eventus. Apostolos enim Celsus *maleficos* vocat; Ulpianus Jurisconsultus Christianos Exorcistas *impostores* appellat; Tacitus eos dicit *convictos in odio humani generis*. Passim Christiani & *Athei* a Gentilibus pari loco ponebantur. „ Sceleratissimi dicebantur de sacra-
„ mento infanticidii, & pabulo inde, & post convicium
„ incesto, quod eversores luminum canes, leones scili-
„ cet, tenebras, tum & libidinum impiarum inverecun-
„ diam procurarent. Omnium scelerum rei. Deorum,
„ Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimici
„ existimabantur. Omnis publicæ cladis, omnis popula-
„ ris incommodi Christianos esse causam conclamabant.
Si Tiberis ascenderet ad mœnia, si Nilus non descenderet in arva, si cælum staret, id est, non plueret, si terra moveretur, si fames, si lues, statim, *Christianos ad leonem*.

1. Reg. 1. secundum Versionem 70. Interp. S. Hier. in c. 10. Matt.

Tertull. Apolog.

19. *Ne ergo timueritis eos; Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur*. Ne ergo convitiorum & persecutionum metu prædicationem Evangelii omittatis, quin potius publice & intrepide prædicate, quod a me privatim didicistis. Nam in hoc quoque negotio locus est illi proverbio: *Nihil est opertum quod non revelabitur*. Futuri etiam sæculi cogitatio vos consolari debet: veniet enim dies in quo vestra virtus & persecutorum vestrorum nequitia omnibus reveletur, cum judicabo abscondita hominum, & illuminabo latebras tenebrarum, & manifestabo consilia cordium.

S. Hieron. *1. Cor. 4.*

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super recta. Non ea solum quæ publice ad populum loquor, sed & ea quæ in privatis colloquiis a me audivistis, vel quæ deinceps vobis solis familiariter edisseram, aut in parabolarum mysterio tradam, & postea per Spiritum Sanctum clarius explicabo, palam omnibus enuntiate: & in editis locis, unde ab omnibus audiri possit sermo vester; immo in toto Mundo audacter prædicate. Loquitur juxta Palestinæ mortem, ubi tecta plana erant, ita ut illic ambulare, & inde cum transeuntibus colloqui possent.

S. Hieron.

20. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Ne animos vestros timor ille male sanus concutiat, quo a libertate confitendi nomen meum, prædicandique ac palam propugnandi Evangelii decidatis: Persecutores enim & tyranni solum corpus occidere possunt, tandem aliquando moriturum: Animam autem non possunt occidere, cum suapte natura sit immortalis, & supernaturali ratione de Deo vivat. Quam vitam ipsi eripere invite nemo potest. Sed unum potius Deum timete, cui potest & animam & corpus, totum scilicet hominem corpore & anima constantem, irreparabiliter perdere, ab ipso qui vera animæ vita est separatum, æternisque suppliciis addictum. Nomen gehennæ in Veteris Testamenti libris non invenitur, sed primum a Salvatore positum est. Cujus nominis significatio ut intelligatur, observandum est cum S. Hieronymo, Idolum Baal fuisse juxta Jerusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit. „ Hæc
„ vallis & parva campi planities, irrigua erat & ne-
„ morosa, plenaque deliciis, lucusque in ea idolo con-
„ secratus erat. In tantam autem dementiam populus
„ Israel venerat, ut deserto templo, ibi hostias immo-
„ laret, & rigorem Religionis deliciæ vincerent: filio-
„ sque suos dæmoniis incenderent vel initiarent. Et ap-
„ pellabatur locus ille *Gehennon*, idest *vallis filii Hen-*
„ *non*. Hoc Regum Volumen, & Paralipomenon, &
„ Jeremias scribunt plenissime. Et comminatur Deus se
„ locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum: ut
„ nequaquam vocetur *Tophet*, & *Baal*, sed *Polyandrum*,
„ idest, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia &
„ pœnæ perpetuæ quibus peccatores cruciandi sunt, hu-
„ jus loci vocabulo denotantur. "

S. Hieron. in hunc locum.

21. *Nonne duo passeres asse veneunt: Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos*. Quamvis autem homines improbi, persecutores, tyranni tam liberam habeant sæviendi in vos licentiam, ne tamen despondeatis animum, & a Deo vos esse derelictos existimetis. Quid vilius inter aviculas passeribus, quorum duo asse veneunt, nummulo scilicet vilissimo? & tamen hæc animalcula Deo ita sunt curæ, ejusque providentia ita conservantur, foventur, & reguntur, ut nullus illorum absque ejus voluntate pereat. Huic sententiæ omnino consona est illa S. Lucæ: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio? Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo?* *Luc. 12.* Æs vel assarium quaternos denariolos nostros valuit, ex Budæi supputatione. Dipondium sunt duo asses. Itaque singuli passeres semisse vendebantur, aut paulo minus. Vilissimæ sunt illæ aviculæ, quæ tam vili pretio prostant, nec tamen a divina providentia negliguntur. *Unus ex illis non est in oblivione coram Deo*. Phrasis sumpta est ex Ps. 9. vers. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis*. Unde & Psalm. 104. 27. tam de pusillis quam de magnis animalibus Deo dicitur: *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore*. Sed & minutissima quæque vestra Deus in numerato habet, sicut numerare solent homines quæ in prætio habent: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*. Vestri, qui non tantum homines estis ad imaginem Dei conditi, verum etiam divinæ veritatis nuncii, minima quæque Deo Patri vestro pretiosa sunt, qui vos ut Ministros suos in tutelam singularem susci-

suscipit. Utcunque igitur in vos sæviant homines, confidite nihil damni vobis eventurum vel in minimis rebus, quod non in majorem vestram utilitatem cessurum sit, alioquin id minime permissurum Deum, qui non tantum Creator vester est, ut passerum, sed Pater, & paterno vos amore prosequitur. *Multis passeribus meliores estis*, Deoque pretiosiores, cujus Providentia cum omnibus rebus ab ipso conditis prospiciat, singularem tamen vestri curam gerit, Luc. 12. 7. *Multis passeribus pluris estis vos.* Unde Zachariæ 2. 8. scriptum est: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Sapientiæ 3. „ Justo- „ rum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tor- „ mentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & „ æstimata est afflictio exitus illorum, & quod a nobis „ est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Et si „ coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum im- „ mortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene „ disponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit „ illos dignos se, &c. "

Marc. 3. 38.

22. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*: Qui sincere, palam, constanter me Filium esse Dei & Salvatorem, in quem credat, quem colat, cui adhæreat, verbis & operibus confessus fuerit, illum pro meo agnoscam in judicii die, cum venero in gloria Patris mei, cum Angelis sanctis. Fidem itaque nostram profiteri debemus, non solum coram bonis ac piis, sed etiam coram professis veræ Religionis hostibus, eamque sanguine & morte sigillare, si pro causa Dei nobis inferatur. Nam *Qui negaverit me coram hominibus* (inquit Christus) id est, qui fidei in me, aut obedientiæ præceptis meis debitæ, qui doctrinæ meæ aut legi coram hominibus renuntiaverit, seu metu seu cupiditate rerum humanarum, etiamsi corde credat, ipsum ad me non pertinere declarabo, pro meo non agnoscam in magna illa & terribili die. „ Nam qui me eru- „ buerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erube- „ scet, cum venerit in Majestate sua, & Patris, & san- „ ctorum Angelorum. *Confusioni confusionem comminatur*: „ Sciebat enim a confusione maxime formari negatio- „ nem: Mentis statum in fronte consistere; priorem esse „ pudoris quam corporis plagam. "

Luc. 9. 26. Teull. Scorpiaci c. 9. Mach. 7. 6.

23. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum & filiam ad, versus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.* Quamvis me pacis Principem Prophetæ prædixerint, ne putetis quod venerim ut pacem afferrem quam Mundus optat, in temporali scilicet prosperitate & tranquillitate positam; pacem qua homines libere possint emere, vendere, comessari, cupiditatibus & vitiis nemine prohibente servire. Non veni ut illos in infidelitate & peccatis concordes efficerem. Immo veni ut prædicarem Evangelium, Legemque conderem quæ gladii instar malam pacem solvat; ita ut Discipuli sectatoresque mei a sectatoribus Mundi placitis, institutis, moribusque discordent. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio acipiti.* Quamvis igitur omnia Christi consilia & vota ad pacem atque concordiam spectarent, ejusque propositum non fuerit dissidia excitare: quia tamen Evangelium ejus occasio est qua dissidia inter Fideles & infideles oriantur, aliis ipsi credentibus, illudque propugnantibus; ac secundum ejus præcepta viventibus; aliis ipsum rejicientibus, contemnentibus, oppugnantibus, vel secundum Christi legem ac disciplinam vitam instituere suam nolentibus, & iis qui secundum Evangelium vivunt molestiam creantibus, eosque persequentibus: ideo se non venisse declarat ut pacem mitteret, sed gladium. Gladio autem illo omnes humanos affectus, omnes necessitudines separaturus advenit, nolens, ut filius patri, aut filia matri, aut nurus socrui in malo consentiat. Ideo bellum intestinum erit & domesticum, dum hinc amor sui & Mundi usque ad contemptum Dei & Evangelii ejus; hinc amor ardentissimus Dei & Evangelii usque ad contemptum Mundi ac sui, illos Babylonis, istos cœlestis Jerusalem cives efficiet, secum immaniter dissidentes, non Evangelii aut fidelium vitio, sed improborum. *Et inimici hominis domestici ejus.* Qui olim conjunctissimi fuerant, fient inimicissimi, ita ut omnia naturæ jura pro nihilo ducantur ab infidelibus & improbis, qui filios, nepotes, domesticos, ac necessarios eo solum nomine insectabuntur & persequentur, quod Christianam Fidem profiteantur, pieque in Christo vivant.

Hebr. 4. 12. S. Jo. Chrys. Hom. 35. in Matt.

24. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Qui patrem aut matrem, filium aut filiam mihi præposuerit, sive qui, ut illis placeat, aut illorum utilitatibus serviat, me vel doctrinam meam verbis, aut factis negaverit; me Domino & Magistro, consortio, promissis, Regnoque meo non est dignus, sed plane ut indignus a me repudiabitur. Eamdem sententiam verbis paulo durioribus, sed eodem sensu intelligendis exprimit S. Lucas. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam* (idest, vitam) *non potest meus esse Discipulus.* Ubi odisse comparative sumi, idemque esse ac minus amare, consentiens Interpretum sententia est.

Luc. 14. 26.

25. *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Hoc loquendi genus morem illum respicit, quo qui supplicio crucis addicti erant, crucem ipsi suam humeris efferre cogebantur. Qui non suscipit & patitur libenti animo, proposito gaudio, justitiæ causa, propter Deum, afflictionem quamcumque & cruciatum sibi divinitus destinatum, etiam atrocissimum & ignominiosissimum supplicium crucis, si pro veritate & justitia subeundum sit; & vitam suam ad dicta factaque mea non cumponit, quatenus fieri potest; non est dignus qui discipulus meus habeatur.

26. *Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Qui semetipsum servasse visus fuerit, mei nominis negatione, crucisque sibi a Deo destinatæ repudiatione fugiendo extrema pericula, seipsum æterno exitio perdet in futuro sæculo: & qui se ipsum perdidisse visus fuerit in hoc sæculo, vitæ temporalis jacturam faciendo, *propter me & Evangelium*, ut addit alius Evangelista: (Martyrem enim non facit pœna, sed causa) salvus erit in futuro sæculo. Hæc explicatio confirmatur ex loco parallelo Luc. 9. 24. „ Qui enim voluerit animam suam salvam facere per- „ perdet illam: nam qui perdiderit animam suam pro- „ pter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit „ homo, si lucretur universum Mundum, se ipsum au- „ tem perdat, & detrimentum sui faciat? "

Marci 8. 35. S. Hier. in hunc locum.

27. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Qui vos excipit hospitio, & honorifice, humaniter, benigneque tractat ut Legatos meos, non minus me promeretur, quam si in me id pietatis officium collocaret. Honorem enim Legatis suis exhibitum Reges ita spectant & habent, ac si Majestati suæ deferretur. Et qui me recipit, Deum Patrem meum recipit, qui me misit, & in me est, sibique tributum censet ac remunerat honorem & officium mihi impensum. „ Ordo pulcherrimus! Ad prædicationem mittit, docet „ pericula non timenda: affectum subjicit Religioni. „ Aurum supra tulerat, æs de zona excusserat. Dura „ Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus? Unde „ victus necessaria? Auctoritatem mandatorum, spe tem- „ perat promissorum. *Qui recipit* (inquiens) *vos, me „ recipit; & qui me recipit: recipit eum qui me misit.* „ Ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium „ Christum se suscepisse arbitretur. "

28. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* "

S. Jo. Chrys. hom. 36. in Matth.

Qui recipit Prophetam seu Prædicatorem Evangelii, non ob rationem aliquam sæcularem, sed ea tantum ratione & eo nomine, quod sit Propheta sive Prædicator Evangelii: & qui recipit justum, non quia cognatus, quia nobilis, dives, aut potens: sed quia justus est, mercedem accipiet, quam Dei bonitas ac justitia reddit illi qui Prophetam, ac justum recipit: vel certe qualem ipse Propheta aut justus consequetur. Quod & Paulus confirmat dicens: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Et si forte Propheta non sit, vel justus, qui tamquam Propheta & tamquam justus honoratur & recipitur, mercedem nihilominus a Deo recipiet qui ipsos suscipit: „ Ad su- „ sceptionem Magistrorum discipulos provocaverat, po- „ terat occulta esse credentium responsio: Ergo & pseu- „ doprophetas, & Judam proditorem debemus recipere, „ & illis alimoniam ministrare: *Hoc Dominus prævidens „ dicit*: Non personas suscipiendas esse, sed nomina, & „ mercedem non perdere suscipientes, quamvis indignus fuerit qui susceptus sit.

2. Cor. 8. S. Hieron. in hunc locum.

29. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et quicumque minimum aliquod beneficium, vel ministerium exhibuerit alicui ex pauperculis, qui in me credunt, tamquam meo discipulo, non fraudabitur mercedem bonis operibus a Deo reddenda. Poterat aliquis paupertatem causari, & dicere, Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, ut hospitalis esse non possim. Hanc excusationem leviissimo præcepto diluit, ut calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ (inquit) aquæ, non calidæ; ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur. Hinc meritum bonorum operum apud Deum invicte probatur. „ Debetur merces bonis operi- „ bus, si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit „ ut fiant. *Et* justificatus homo, id est, ex impio pius „ factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, „ quo medio acquirat & meritum. "

Concilium Arausican. 2. Con. 18. S. Prosper in Resp. ad c. 6. Gallorum.

SENSUS MORALIS.

1. ET *convocatis duodecim Discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent*

Natal. Alex. in Evang.

eos : *& curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Ad Ministerium Ecclesiasticum absque vocatione provehi nemo debet, nisi a Deo vocatus, & Christi gratia segregatus. Dei quippe solius est potestatem dare in dæmones, in peccata, in ægritudines animarum, ut expellantur, remittantur, curentur ab ejus Ministris, & cælestis Medicinæ cooperatoribus. Tria porro peccatorum genera hic significata intelligo. Prima sunt peccata impudicitiæ, magis adhærentia, quæ totam possident animam, omnesque facultates ejus ligant, inficiunt, vexant, confusione replent. His eradicandis incumbere debet imprimis Sacerdotum opera, ut ejectis spiritibus immundis, Sp. S. in animis pœnitentium habitet, eosque sibi totos subjiciant. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos*. Luxuria *seminarium & origo vitiorum est*. De Magdalena septem dæmonia ejecta dicuntur, quia luxuriæ serviebat, quam cetera plerumque peccata committantur. *Septenario numero universitas designatur: septem ergo dæmonia habuit, quæ universis vitiis plena fuit*. Alia sunt Peccata pravi habitus & consuetudinis, quæ diuturnarum & inveteratarum infirmitatum instar difficile curantur: quamobrem periti Medici vigilantiam, assiduitatem, industriam, & acriora ut plurimum remedia postulant: His animæ tam periculosis infirmitatibus secundum divinæ Medicinæ Regulas a Christo & a Spiritu Sancto præscriptas mederi Sacerdotes debent, quibus Christus potestatem dedit ut curent *omnem infirmitatem*: sed cavere debent ne conniveant nimium peccatoribus hujus generis, qui *non quærant sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam*, de quorum pectoribus excussa pœnitentia, & gravissimorum delictorum memoria sublata est, qui præpropera festinatione Absolutionem & Eucharistiam sibi dari volunt, ac surripere nituntur, antequam probati fuerint, ac purgati saluberrimis satisfactionum remediis: *Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinu manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exagitat*. Tertium denique peccati genus est, ex languore animæ proveniens, scilicet peccata venialia, quæ negligentia, tepor, & languor charitatis, & adhæsio ad res terrenas pariunt, quarum amor *spiritualium viscus est pennarum*, quibus in Deum ferri debet anima. His etiam curandis Christi Ministri incumbunt, quibus potestatem dedit *super omnem languorem* spiritualem.

S. Ambr. l. de Elia & Jejunio c. 19.

S. Greg. M. hom. in Ev.

S. Cypr. Tract. de Lapsis.

S. August. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus, &c.* Licet ex æquo super Apostolos Eccl. fortitudo solidetur, *tamen inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tolleratur occasio*. Ut Ecclesiæ super Petrum a se fundatæ unitatem Christus manifestaret, *Unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet: non tenet Patri & Filii fidem, vitam non tenet & salutem*. Divinum Petri Primatum qui non agnoscit, non credit, non reveretur, profanus est; impius, schismaticus. *Non habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem*. Hunc Primatum Andreæ, licet ante Petrum vocato, Christus non dedit, nec illum Apostolorum caput constituit; inde dicamus, Deum donorum suorum supremum esse dominum, nihilque ad illa jus dare præter ejus adorandam voluntatem. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*... Hujus numeri figuras apud Creatorem deprehendo duodecim fontes Elim, & duodecim gemmas in tunica Sacerdotali Aaronis, & duodecim lapides ab Jesu de Jordane electos, & in Arcam Testamenti conditos. *Totidem enim Apostoli portendebantur, proinde ut fontes & amnes rigaturi aridum retro & desertum a notitia orbem Nationum, sicut & per Isaiam*, Ponam in terram inaquosa flumina. *Proinde ut gemmæ illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus Pontifex Patris; proinde ut & lapides solidi fide, quos de lavacro Jordanis Jesus verus elegit, & in sacrarium Testamenti sui recepit*. Olim, ad dividendum duodecim Tribus, duodecim factæ sunt partes per Ahiam Silonitem Prophetam: nunc ad colligendum & congregandum orbem in unitate fidei & Religionis Apostoli duodecim a Christo mittuntur. Duodecim elegit, *Quos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem, satores fide destinaret*.... Adverte cælestе consilium: *Non sapientes aliquos, non divites, non nobiles: sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret*. Illos vero potestate miraculorum instruxit, ut novæ doctrinæ, quam prædicabant, fidem facerent, eamque divinam esse confirmarent. „ Resurrectio Christi & in cælum cum carne in qua resurrexit Ascensio, toto jam „ Mundo prædicatur & creditur: si credibilis non est, „ unde toto terrarum orbe jam credita est? Si multi nobiles, sublimes docti eam se vidisse dixerunt, & quod „ viderunt, diffamare curarunt, eis Mundum credidisse „ non mirum est; sed istos adhuc credere nolle perdurum est: Si autem, ut verum est, paucis, obscuris, „ ris, minimis, indoctis, eam se vidisse dicentibus & „ scribentibus credidit Mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi Mundo jam credenti adhuc „ usque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, „ quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius „ Divinitas se ipsa persuasit. Eloquia enim persuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta non verba..... *Elegit Discipulos, quos & Apostolos nominavit, humiliter* natos, inhonoratos, illiteratos; „ ut quicquid magnum essent, & facerent, ipse in eis „ esset & faceret. Habuit inter eos unum, quo malo „ utens bene, & suæ Passionis dispositum impleret, & „ Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum..... Hos sicut luminaria & aptavit verbo, & accendit Spiritu Sancto. *Inter duodecim Apostolos eligitur a Christo, qui proditurus illum erat*. „ Eligitur Judas, non per imprudentiam, sed per Providentiam. Quanta est veritas, quam nec adversarius „ Minister infirmat! Quanta mortalitas Domini, qui „ periclitari magis apud nos judicium suum quam affectum maluit! Susceperat enim hominis fragilitatem; „ & ideo nec has partes recusavit infirmitatis humanæ. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo „ suo tradi: ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum erasse judicium, periisse beneficium. „ *Hoc in exemplo solatium inveniunt Episcopi, cum forte in sacrorum Ministrorum delectu spem suam & vigilantiam frustratas vident*. Nec mihi (*inquiebat S. Augustinus*) arrogare audeo ut domus mea melior sit „ quam Arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est, aut melior sit quam domus „ Abrahæ, ubi dictum est, *Ejice ancillam & filium ejus*: „ aut melior sit quam domus Isaac, cujus de duobus geminis dictum est, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: „ aut melior sit quam domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit; cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior quam cohabitatio Apostoli Pauli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non „ diceret, *Foris pugnæ; intus timores*: nec diceret „ cum de sanctitate & fide Timothæi loqueretur: *Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi*: aut melior „ quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim „ boni perfidum & furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cælum, unde Angeli cecide„ runt.

S. Hier. l. 1. Adversus Jovinianum. S. Cypr. l. de Unitate Eccl.

S. Aug. l. 3. de Baptismo contra Donat.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 13.

2. Reg. 11. 30.

S. Ambr. l. 5. in Luc. n. 34.

S. Aug. lib. 22. de Civ. Dei cap. 5.

3. *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel*. Fidelis est Deus in promissis suis: voluit primum prædicari Judæis Evangelium Regni Dei, quia illis factæ fuerant promissiones Messiæ venturi, sed quia se indignos præstiterunt æternæ vitæ, & repulerunt verbum Dei, Apostolos suos subinde converti voluit ad Gentes. Sic fidelitas & gratia Dei in illorum condemnationem ipsorum vitio & obduratione versa est. Timere debent Christiani, qui reprobatis Judæis a Christo vocati sunt, & radici sanctæ inserti, ne dum vocati gratiæ non respondent, & nominis Christiani non implent officia, rami inutiles fiant. Graviora sunt enim Christianorum, quam Judæorum peccata. „ Quod si aliqui ex ramis „ fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es „ in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus „ es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris: non „ tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti „ sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: Noli altum sapere, „ sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & „ severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris „ in bonitate, alioquin & tu excideris. *In viam gentium ne abieritis*, &c. Abstinere se a viis Gentium admonentur: non quod non etiam ad salutem Gentium mitterentur, sed ut opere & vita gentilis ignorantiæ abstinerent. In civitates Samaritanorum vetiti sunt introire. Numquid non potius Samaritanam ipse curavit? Sed ut Ecclesias Hæreticorum non adeant, admonentur. Nihil enim differt ab ignoratione perversitas. Mittuntur deinde ad oves perditas domus Israel. Atqui in eum luporum ac viperarum linguis, & faucibus sævierunt. Sed legislatio obtinere privilegium Evangelii debebat: Hoc minus Israel sceleris sui excusationem habiturus, quo plus sedulitatis in admonitione sensisset. " Quot Christiani in viam Gentium abeunt, moribusque sunt minus integris, minus castis, quam Pagani! Quot, Samaritanorum instar, veri Dei cultum depravantes, immo abnegantes, vitulos adorant in Bethel, pravas cupiditates suas! *Colis autem non spiritu nidoris alicujus, sed tuo proprio; nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Diligentia tua nomen illorum est, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & majorem hostiam cædis, salutem tuam.*

Idem l. 18. cap. 49. & 50.

S. Ambr. l. 5. in Luc. n. 45.

S. Aug. Ep. 78. al. 137. num. 8.

Rom. 11. 17. 18. & seq.

S. Hilar. in Matt. c. 10. Vide & S. Hieron.

Tertull. l. de Idololatria cap. 5.

Ite

Ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Spiritus Sancti vocationem in sacro Ministerio obeundo sequantur Evangelii Prædicatores, & Moderatores conscientiarum: Vocationem non præveniant, nec illi rescitant: sequantur quo trahit charitas, non quo illicit vanitas & cupiditas. Eant ad oves quæ perierunt, errantes revocare conentur in ovile, magis ægras & prope desperatas majori curent sollicitudine, vigilantia, charitate: ne ipsis Christus olim exprobret, *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis*. Domine, qui inventus es a non quærentibus te, quære me, ut inveniam te. *Erravi sicut ovis quæ periit: Quære servum tuum*.

Ezech. 34. 4. — *Psal.* 118. *vers.* 176.

4. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum cælorum*. Prædicate, ut fides stabiliatur; Regnum, ut spes excitetur; cælorum, ut charitas sive bonorum cælestium amor, accendatur; proximum, ut ad illud recipiendum quisque se præparet, eoque dignum se præbeat. „ Vides Ministerii magnitudinem, „ vides sublimen Apostolorum dignitatem, nihil quod ad „ corpus, nihil quod ad hos sensus pertineat: nec simi„ lia Moysis & Prophetarum doctrinæ, sed nova quædam „ atque inaudita, qualia priores non docuerunt, quia „ terrena hæc bona promittebant: sed cælorum Regnum, „ & totam illam beatitudinem prædicare jubentur: Nec „ tamen hac solum ratione majores ac præstantiores isti „ sunt; verum etiam quia confestim obtemperarunt. Non „ enim recusant neque cunctantur, quemadmodum non„ nulli Veteres; sed pericula quoque ipsa & bella, cete„ rasque afflictiones audiendo, singulari obedientia jussa „ capesserunt, gaudentes quod Regni cælorum facti es„ sent Prædicatores. *Prædicate dicentes: Quia appro„ pinquavit Regnum cælorum*: Promissa Veteris & novi „ Testamenti non eadem: quia promissa est Israelitis ter„ ra Chanaam, terra copiosa, fructuosa, fluens lacte & „ melle: promissum regnum temporale, promissa fœlici„ tas sæculi, promissa fœcunditas filiorum, promissa sub„ jectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam fœlicita„ tem pertinent. Sed quare ipsa primo promitti opor„ tebat? Quia *Non primo quod spiritale est, sed, quod* „ *animale; postea*, inquit, *spiritale. Primus homo de* „ *terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: qualis* „ *terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cæ„ lestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus* „ *& imaginem ejus qui de cælo est*. Ad imaginem terreni pertinet Vetus Testamentum, ad imaginem cælestis „ Novum Testamentum. Sed ne quisquam putaret, ab a„ lio factum esse hominem terrenum, ab alio cælestem; „ ideo Deus ostendens se esse utriusque Creatorem, et„ iam utriusque Testamenti se esse voluit auctorem, ut „ & terrena promitteret in Veteri Testamento & cæle„ stia in novo Testamento. Sed quamdiu pri„ homo ter„ renus es, quandiu terrena sapis? Numquid quoniam „ puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis „ animus avocetur, propterea grandescenti non ei excu„ tientur e manibus, ut aliquid jam utilius tractet, „ quod grandem decet? Verumtamen tu ipse dedisti fi„ lio tuo & nuces parvulo, & codicem grandi: non er„ go, quia illa quasi ludicra puerorum Deus per novum „ Testamentum excussit de manibus filiorum, ut aliquid „ utilius daret grandescentibus, propterea priora illa non „ ipse dedisse putandus est. Ipse utrumque dedit. Sed „ *Lex ipsa per Moysen data est, Gratia & veritas per* „ *Jesum Christum facta est*. Gratia, quia impletur per „ charitatem, quod per litteram jubebatur: Veritas, „ quia redditur quod promittebatur... " Inhærere ergo „ terrenis, quamvis ea Deus donet, non debes... Noli „ pro magno expectare ab eo bonum quod dat & non „ bono. Nam si pro magno ea daret, malis ea non da„ ret. Ideo autem ea voluit & malis, ut discant boni „ aliud ab eo quærere, quod non dat & malis. Hæc „ dicimus, Fratres, ut homines de Novo Testamento „ discatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcusa„ biliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum Novum Te„ stamentum nondum fuerat revelatum; quanto inexcu„ sabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cæles„ tia „ in Novo Testamento revelata sunt? "

S. Jo. Chry. Hom. 33. *in Matth.*

S. Aug. En. in Ps. 73.

5. *Infirmos curate, leprosos mundate, dæmones ejicite: Gratis accepistis, gratis date*. Miraculorum potestatem desiderare non debent Ecclesiæ Ministri, sed Apostolicam habere charitatem, qua fideles *Dei adjutores* sint in morbis animarum curandis. Miraculorum donum gratuitum est in Ecclesiæ utilitatem datum, non gratum Deo sanctumque Ministrum efficiens: charitas vero sola sanctificat hominem, & veros Christi Discipulos a falsis distinguit. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Donum miraculorum habuit & Judas, charitatem non habuit; dæmones ejecit ut Apostolus; cum dæmonibus in æter„ num ardebit ut apostata. Nihil vero magis opponitur charitati quam cum bellum indicere debeant Ecclesiæ Ministri, ab ea penitus alieni sint oportet, maxime in Sacramentorum & verbi divini dispensatione. Elisæus Prophe-

Joann. 13. 35.

Naaman Syri munera recusavit, expetendam pauTheodoretus Interpertatem divitiis omnibus anteponens, & Legem Evanrog. 19. in 4. gelicam adimplens prius quam ferretur. Probavit fidem, qui præmia recusavit. Disce utroque dictorum factorumReg. Amb. que Magisterio quid sequaris. „ Habes Domini præcelib. 4. in Lu„ ptum, Vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare: cam n. 52. „ nec vendere Ministerium, sed offerre. Non enim pre- & 53. „ tio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum „ quæritur, sed obsequium Sacerdotis. Non tamen satis „ est si lucrum ipse non quæras: familiæ quoque tuæ co„ hibendæ sunt manus. Instrue ergo familiam tuam, „ hortare, custodi: & si te fefellerit servulus, Propheti„ co deprehensus repudietur exemplo. Cito turpem se„ quitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque „ male quæsita commaculat. *Accepisti pecuniam, & pos*1. Reg. 5. „ *sidebis ex ea agrum, & vineam, & oliveta, & gre*26. 27. „ *ges. & lepra Naaman applicabit se in te, & semini* „ *tuo usque in æternum*. Inexpiabilis est enim venditi „ culpa Mysterii, & gratiæ vindicta cælestis transit ad „ posteros... Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi „ lepram cum divitiis suis possident: & male quæsita „ mercede, non tam patrimonium facultatum, quam „ thesaurum criminum congregarunt æterno supplicio, „ & brevi fructu. "

6. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, &c. Prohibet eos victui aut ve- *Tertull. lib.* stitui quid in viam ferre. „ Quis hoc mandasset, nisi qui *4. adversus* „ & corvos alit, & flores vestit? Qui bovi quoque te- *Marcionem* „ renti libertatem oris ad veniam pabuli, ex opere sum- *cap.* 21. „ mivendi ante præcepit; quia *Dignus operarius mer*- *S. Jo. Chry.* „ *cede sua.... Nolite possidere aurum neque argentum*. *Hom.* 33. *in* „ Non dixit, Non accipiatis, sed non possideatis: ut si *Matth.* „ & aliunde sumere possent, recularent tamen, ac per„ niciosam hanc ægritudinem fugerent. Quo quidem „ præcepto multa complectitur commoda. Primum, ut „ nulla de Discipulis possit esse suspicio: deinde ab om„ ni sæculari cura sic ipsos liberos reddit, ut prædica„ tioni solum vacare possint: ad hæc, immensam poten„ tiam suam ipsis patefacit, quod & postea commemora„ vit, dicens: *Numquid vobis tunc aliquid defuit, quan„ do vos nudos & absque calceis misi?* Illud etiam con„ sideratione dignum est, quod non incipiens statim di„ xit, *Non possideatis aurum, neque argentum*: &c. „ Sed cum prius mundandi leprosos, ejiciendi dæmonia „ potestatem eis dedisset, tunc intulit. *Non possideatis* „ *aurum, neque argentum: gratis accepistis, gratis da*„ *te*. Sic rebus ipsis docuit, utilia se & honesta, & „ facilia factu eis præcipere. Sublimioris certe vitæ „ fundamenta jacere voluit: nam cum ad universi terra„ rum orbis magisterium ipsos missurus esset, jure opti„ mo illos ad angelicam, ut ita dixerim, disciplinam „ ex humana vita traduxit, ab omni cura rerum sæcu„ larium liberos reddens, ut uni Evangelii prædicatio„ ni vacarent. " Elias cum igneo curru in cælum raperetur, pallium Elisæo dimisit, ne quid terreni ponderis ejus iter retardaret. *Elias ad cælorum Regna festi*- *S. Hieron.* *nans, ire non potest cum pallio, sed Mundi in Mundo vestimenta dimisit*. Ministri igitur Christi, qui Regnum cælorum prædicant, a rerum terrenarum affectu liberi & expediti esse debent, exemploque suo temporalium bonorum contemptum docere, cælestium amorem accendere. Eradicare cupiditatem, inserere charitatem, pars est sacri ministerii maxima, *Radix malorum omnium cu*- 1. *Timoth.* *piditas* (inquit Apostolus) *Cupiditas venenum charitatis*, 6. (inquit Sanct. Augustinus. Hanc radicem excindere, veneni illius vim prohibere, difficillimum sane est: verba non sufficiunt Sacerdotum & Concionatorum, sed exempla desiderantur. Josue vir ille mirabilis solem in medio *S. Amb. lib.* cursu sistere potuit, militis unius avaritiam cohibere non *2. de Offic.* potuit. *Ad vocem ipsius sol stetit, avaritia non stetit*. *26. Idem l.* Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. neque *de Joseph.* virgam. *Dominus Jesus mittens ad evangelizandum Di*- *Patriarc.* *scipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia,* *cap.* 13. *sine pera, sine virga, ut & incentiva litis, & instrumenta eriperet ultionis*. Justum quidem est ut qui in sacrario operantur: quæ de sacrario sunt edant: ut qui altari deserviunt, cum altari parcipent; ut de Evangelio vivant, qui Evangelium annuntiant: sed iniquum est ut de sacrario, Altari, Evangelio ditescant; æquum est ut sustententur; iniquum & sacrilegum ut luxurientur. *Di*- *S. Aug. ser.* *gnus est enim operarius cibo suo*. Si tibi lucerna accen- *46. al. de* deretur in domo, nonne adjiceres oleum, ne extingue- *Temp.* 165. retur? Porro si lucerna, accepto oleo non luceret, non erat sane digna quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuo frangeretur. „ Unde ergo vivitur, necessitatis „ est accipere; charitatis est præbere; non tamquam ve„ nale sit Evangelium, ut istud sit ejus pretium quod su„ munt qui annuntiant unde vivant. Qui enim sic vendunt, „ magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentatio„ nem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a „ Domino. Non enim idoneus est populus reddere mercedem „ illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt: Non expe„ ctent illi mercedem, nisi unde & isti salutem. " Magnanimitatem Abrahæ imitari debent Christi & Ecclesiæ Ministri,

niſtri, cui poſt inſignem de quatuor Regibus reportatam victoriam, cum Rex Sodomorum, quem adverſus illos defenderat, ſpolia offerret univerſa, reſpondit Patriarcha: „ Levo manum meam ad Dominum Deum excel- *Geneſ.* 24. 22. & 23. „ ſum poſſeſſorem cœli & terræ, quod a filo ſubtegminis „ uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus „ quæ tua ſunt, ne dicas, Ego ditavi Abraham, *Quaſi* *S. Jo: Chryſ.* „ *diceret*: Habeo Deum, qui innumera mihi ſuppeditet *Hom.* 35. *in* „ bona, ſuperno innitor auxilio: non opus mihi divitiis *Matth.* „ tuis, non indigeo humanis facultatibus, contentus ſum „ Dei in me beneficentia. Scio illius largitatem. Paucis „ & vilibus ceſſi meo Loth, magnas & ineffabiles pro- „ miſſiones aſſecutus ſum, & nunc majorum divitiarum „ negotiatio mihi eſt, & majorem ejus gratiam mihi „ concilio, quare opes tuas non accipio. Ideo juramen- „ tum adhibuit, & dixit, *Levo manum meam ad Deum* „ *excelſum*, ne putet eum ſimulare, ut ſæpe contingit; „ ſed ut ſciat hoc plane decretum apud Abraham, ut „ ne minimum quid inde ſibi eligeret. Atque ita Man- „ datum illud implebat a Chriſto Diſcipulis datum: *Gra-* „ *tis accepiſtis, gratis date*. Non enim, *inquit*, aliud „ ad belli rem attuli, præter voluntatem & conficiendi „ celeritatem. Victoriam autem ac triumphum operatus „ eſt Deus inviſibili virtute. Deinde ne putet Rex, quod „ ex contemptu oblata ſpolia recuſaret, humanitatem hac „ in re ſuam & bene moratam mentem declarans.“ Non accipiam, *inquit*, exceptis his quæ comederunt juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eſcol, & Mambre: Iſti accipient partes ſuas. *Hi enim erant conſœderati & amici Abrahæ, qui cum ipſo periculum adire voluerunt*: Unde partem aliquam ſpoliorum ipſis tribui voluit ut ſtipendium Militiæ, Domini Legem in hoc etiam implens: *Dignus eſt operarius cibo ſuo*. Sancti hujus Patriarchæ exemplo, miniſtri Eccleſiæ, & Evangelii Prædicatores, ſi quando, favente Deo proſperum in ſacro Miniſterio exitum habent, & de ſæculi vitiis, pravis hominum cupiditatibus, erroribus, Principibuſque tenebrarum victoriam reportarunt, nihil cupiant, nihil exſpectent, nihil accipiant de ſæculi rebus, præter neceſſariam ſuſtentationem, præter militiæ ſtipendium, ut in eadem militia Domino ſervire pergant; nihil ſibi tribuant, nec quærant ab hominibus laudem, ſed in ſolo Domino glorientur. Quid enim habent quod non acceperint? Si ita ſe gerant, ſperent ſe a Deo cum Abra- *Geneſ.* 15. 1. ham audituros: *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*.

7. *In quamcumque autem civitatem vel caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit*, &c. Chriſti Miniſtros & Evangelii Prædicatores recipere, magna felicitas eſt, magnus honor, quo digni ſunt non qui nobiliores aut ditiores, ſed qui juſtiores, Deoque gratiores. Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium, Deum atque Angelos ejus hoſpitio ſuſcepit: Qui Chriſti Miniſtrum ſuſcipit, minime dubitet ſe Chriſtum ipſum ſuſcipere. Evangelii porro Prædicator, & Sacerdos quilibet, apud malæ famæ homines non moretur, ne vitiis eorum connivere videatur: non apud concubinarios, ebrioſos, uſurarios, aleatores, blaſphemos, aut qui publica odia & capitales inimicitias exercent, hoſpitium eligat, non apud eos qui bona aut jura Eccleſiaſtica invadunt aut retinent; nec apud illos qui ad pœnitentiæ Sacramentum & ad Paſchalem Communionem eo anno, ſecundum Eccleſiæ præceptum non acceſſerunt; aut quicumque talis criminis rei ſunt, aut ejus laborant infamia, propter quod ab Altaris Communione præſcindi mereantur. Famæ namque ſuæ conſulere debet, quæ ipſi neceſſaria eſt ut apud populum auctoritate valeat, & fructum ſpiritalem faciat in ſacro Miniſterio. Ne vero convivium ornatum quærat, ſed cibum obvium. Ne ſæcularium hominum menſas ſtudioſe frequentet, eligatque lautiores: illius memor ſententiæ Sancti Hieronymi: *Facile contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium, non re-* *Tertull. in* *cuſat*. Quod ſi apud illos prandere vel cœnare compel- *Apolog.* lat neceſſitas, vel charitas invitet, ita ſe gerat Chriſti Miniſter & prædicator Evangelicus, ut exemplo ſuo, gravitate, modeſtia, frugalitate, colloquio Chriſtum annuntiet, & hoſpites atque convivas ædificet ad ſalutem: *Ut non tam cœnam cœnaſſe videatur, quam diſciplinam*.

„ 8. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicen- „ tes: Pax huic domui: Et ſi quidem fuerit domus illa „ digna, veniet pax veſtra ſuper eam. Si autem non fue- „ rit digna, pax veſtra revertetur ad vos. Et quicumque „ non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, „ exeuntes foras, excutite pulverem de pedibus veſtris, „ Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum „ & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.“ Pacem hoſpitibus debent adprecari Miniſtri Chriſti, qui eſt *Pax noſtra*; diſſidentes ad concordiam ſtudiis omni- *Epheſ.* 2. 4. bus revocare debent Sacerdotes ejus. *Qui fecit utraque* *Coloſſ.* 2. 20. *unum, pacificans per Sanguinem crucis, ſive quæ in cœ-* *lis, ſive quæ in terris ſunt*. Abſit ut ſtudio partium agan- *Rom.* 10. tur, vel diſſidentibus civibus & familiis, uni contra al- 15. *Iſai.* 52. terum adhæreant, vel faveant, qui omnium animos in 7. Chriſto conciliare debent per Evangelium pacis, ut de ipſis vere dicatur: *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium* *S. Aug. lib.* *pacem, evangelizantium bona!* Pacem hoſpitibus non ſo- *de Correp.* lum optant ſancti Prædicatores, & Miniſtri Chriſti, ſed *& Gratia* afferunt, Deo per ipſos veram proſperitatem, & benedi- *cap.* 15. ctionem omnem ſpiritualem impertiente. „ Et ſi quidem „ fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam „ . . . Si ibi fuerit filius pacis, *id eſt, aliquis pace di-* „ *gnus*, requieſcet ſuper illum pax veſtra (*ut apud S.* „ *Lucam legitur*.) Nobis quidem tunc incipit eſſe quiſ- „ que filius pacis, cum obedierit & crediderit Evangelio, „ & ex fide juſtificatus, pacem ad Deum habere cœpe- „ rit: ſecundum autem prædeſtinationem Dei, jam filius „ pacis erat. Neque enim dictum eſt, Super quem requie- „ verit pax veſtra fiet filius pacis: ſed, *Ubi fuerit filius* „ *pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra*. Jam ergo & „ antequam illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi „ erat, ſicut eum noverat atque præſcierat, non Evan- „ geliſta, ſed Dominus. Ad nos ergo qui neſcimus, „ quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum „ exceptum facere, nullumque diſcernere, ſed velle om- „ nes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Ne- „ que enim metuendum eſt ne perdamus eam, ſi ille cui „ prædicamus non eſt filius pacis, ignorantibus nobis: „ Ad nos enim revertetur, id eſt, nobis proderit hæc „ prædicatio, non illi: ſi autem ſuper eum pax prædi- „ cata requieverit, & nobis & illi.“ Pax illa eſt quæ exuperat omnem ſenſum, quæ oritur ex charitate per Spir. Sanct. in *corde puro* diffuſa, *ex conſcientia bona*, *& fide non ficta*: quam Deus tribuit *hominibus bonæ voluntatis*. Hac ſi quis indignum ſe præbuerit, jubet Chriſtus ab Apoſtolis contra illum excuti pulverem de pedibus eorum, in teſtimonium, *Ad conteſtationem* ſcilicet *S. Aug. Q.* *laboris terreni, quem pro illis inaniter ſuſcepiſſent: aut* *7. in Matth.* *ut oſtenderent uſque adeo ſe ab ipſis nihil terrenum quæ-* *rere, ut etiam pulverem de terra eorum ſibi non patereu-* *4. Reg.* 8. *tur adhærere*. Cum Naaman Syriæ Princeps leproſus ab Eliſæo miraculo curatus eſt, licentiam ab illo poſtulavit auferendi ſecum duos cophinos terræ in qua Deus colebatur, in Religionis ſuæ ac pietatis monumentum. Chriſtus vero in execrationem eorum qui verbum ejus contempſerunt, Apoſtolis ſuis jubetur pulverem ex pedibus ſuis contra illos excutiant. Quod Domini Mandatum illos impleviſſe legimus contra Judæos Antiochiæ Piſidiæ. *Vobis*, inquiunt, *oportebat primum loqui verbum Dei*: *Act.* 13. 46. *ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis* *æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*. Et *excuſſo pul-* *vere pedum in eos, venerunt Iconium*. Contemptoribus autem verbi Dei, & miniſtrorum Chriſti qui illud prædicant, graviorem damnationem in die judicii Dominus comminatur, quam Sodomitis & Gomorrhæis. *Tolerabi-* *lius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die ju-* *dicii, quam illi civitati*. Sodomitæ ſcilicet non Legem, non Prophetas habebant: illi autem non ſolum Legem & Prophetas habuerunt & ſpreverunt, ſed Evangelium, & Apoſtolos, immo Chriſtum ipſum Dominum Prophetarum & Apoſtolorum, cujus audita voce obduraverunt corda *Job* 22. 14. ſua, dicentes; *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum* *nolumus*. Dei certe verbum contemnit, qui non audit, aut qui audit quidem, ſed ex eo non proficit. Quo circa *Thren.* 4. 6. de parte maxima Chriſtianorum vere dici poteſt, quod *Ezech.* 16. olim Deus per Prophetam de Judæis dixit: „ Major ef- 48. & 52. „ fecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum „ quæ ſubverſa eſt in momento. *Et*, Vivo ego, dicit „ Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, „ & filiæ ejus, ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ. Et Sa- „ maria dimidium peccatorum tuorum non peccavit; ſed „ viciſti ea ſceleribus tuis.“

9. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Omnipotentiam amoremque ſuum Apoſtolis ſuis teſtari volens Chriſtus a mortuis redivivus, ait: *Sicut miſit me* *Pater, & ego mitto vos*. Pater autem æternus Filium *Jo:* 20. *v.* 21. ſuum humana carne indutum miſit ſicut ovem in medium luporum. In illo ſemper eluxit ovis manſuetudo cum innocentia conjuncta, cum vitæ totius mortalis tempore, tum maxime Paſſionis, cujus efficacia luporum plerique in oves ſunt converſi. Hanc manſuetudinem ſpectans Propheta, ait: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur*; *Iſai.* 53. 7. *& quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non* *aperiet os ſuum*. Divinam illam virtutem imitentur Evangelii Prædicatores, ut animos auditorum flectere poſſint, lupoſque ipſos in oves divini verbi virtute mutare. *Ecce* *S. Ambr.* *ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Bonus Pa- *lib.* 7. *in* ſtor lupos gregi ſuo timere non novit: Ideoque Diſcipuli *Luc. n.* 45. non in prædam, ſed ad gratiam diriguntur; ſollicitudo enim boni Paſtoris efficit, ut lupi in agnos audere nihil poſſint. Mittit ergo agnos inter lupos, ut compleretur illud. *Tunc lupi & agni ſimul paſcentur*. Ecce ego mit- *S. Aug. ſer.* to vos ſicut oves in medio luporum. „ Si unus lupus in- *64. al. de* „ ter multas oves veniat, quantacumque ſint ovium mil- *Diverſis* „ lia, uno lupo in medio turbabuntur: etſi non omnes *119. cap.* 1. „ laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat „ iſta ratio, quale conſilium, qualis poteſtas, nec lu- „ pum ad oves admittere, ſed in lupos oves mittere? „ Erat luporum agmen, oves paucæ. Cum enim multi

lupi

„ lupi occiderent pauceas oves, converſi ſunt lupi, & ſa-
„ cti ſunt oves. " Quam pauci Chriſtiani Dominicum
illud præceptum implent! Quam multi ſpecie tenus oves
ſunt, intus lupi! Sunt qui in medio ovium poſiti man-
ſuetudinem & innocentiam ovium ſervant, ab ovili non
recedunt, Paſtoris vocem audiunt, in paſcuis optimis &
ſaluberrimis placide paſcuntur: ſed pauci ſunt qui man-
ſuetudinem & innocentiam ſervent in medio luporum,
qui injuriis non commoveantur, non excandeſcant, qui
vim vi ſaltem non repellant, qui juſtam ac permiſſam
iram non exiſtiment, qua in illos exardeſcunt, a quibus
injuſte vexantur; qui homines diligant, quorum vitia
oderunt, corripiunt, inſectantur; qui lingua & dentibus
maledicis inimicos non lacerent; qui duriora ut minimum
verba non proferant cum ſe læſos arbitrantur; qui vere
Pſalm. 119. 7. dicere poſſint ut Propheta: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.*

S. Epiph. Hæreſi 3. num. 8. Cen. 3. 10. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* „ Duplex in ſerpente prudentiæ ſpecimen
„ apparet: primum, quod appetitus ab aliquo, cum in
„ capite vitam omnem ſuam reſidere ſentiat, velut in-
„ terdictum illud veritus, quod propter hominem Deus
„ olim in ſeſe pronuntiavit: Caput ab ipſo cuſtodies,
„ ille a te calcaneum; toto in caput complicato corpo-
„ re, illudque protegens & occultans, ſumma calliditate
„ reliquum corpus opponit. Sic nos Unigena Dei Filius
„ a Patre progreſſus, ſive hoſte perſequente, ſive quavis
„ ingruente calamitate, jubet noſtra omnia ferro ac
„ flammis exponere, ſolumque tutari caput, hoc eſt,
„ minime abnegare Chriſtum: quoniam *Caput omnis viri*
„ *eſt Chriſtus, vir autem mulieris caput eſt; caput vero*
„ *Chriſti Deus*, ut Apoſtolus loquitur. Ineſt vero & al-
„ terum in ſerpente prudentiæ genus, ut de eo Phyſio-
„ logi teſtantur. Cum enim e cavea ſitiens ad aquam bi-
„ bendi cauſa prorepit, virus ſecum non effert, ſed in
„ latibulo relinquit, atque ita ad potum egreditur. Quod
„ quidem nobis imitandum proponitur; ut cum ad ſan-
„ ctam Dei Eccleſiam orandi gratia, vel ad uſurpanda
„ Dei Myſteria convenimus, nullum nobiſcum ſcelus,
„ voluptatem nullam, nullas cum quoquam ſimultates,
„ nullum denique in animis noſtris improbitatis veſtigium
„ efferamus. Alioqui quomodo columbam imitabimur,
„ niſi malitiæ ſimus expertes? quamquam genus illud
„ avium non omni ex parte laudabile ſit. Eſt enim pro-
„ penſius in libidinem, imbecillum, & ignavum. Sed
„ quod idem minime malum, patienſque ſit, nec injuriæ
„ meminerit, tum vero quod columbæ ſpecie Spiritus
„ Sanctus apparuerit, idipſum quod Spiritui Sancto gra-
„ tum ac jucundum eſt, innocentis columbæ ſimplicita-
„ tem imitari nos Dei Verbum admonuit: ut quod ad
„ bonum attinet, prudentes & callidi; ad malum vero
„ ſimplices eſſe ſtudeamus. "

S. Aug. ſerm. 104. alias de Diverſis 119. c. 2 Matt. 7. 13. Coloſſ. 3. 9. Epheſ. 4. 22. & 24. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* „ Si ſimplicitas columbarum indicta eſt
„ nobis, aſtutia ſerpentis quid facit in columbæ ſimpli-
„ citate? Amo in columba quod fel non habet: timeo
„ in ſerpente quod venenum habet. Noli ex omni parte
„ horrere ſerpentem: habet quod oderis, habet quod
„ imiteris. Serpens enim cum fuerit ſenectute prægrava-
„ tus, & ſenſerit pondus vetuſtatis, coarctat ſe per ca-
„ vernam, & deponit tunicam veterem ut novus exul-
„ tet. Imitare illum, Chriſtiane, qui audis Chriſtum di-
„ centem, " Intrate per anguſtam portam. *Et Paulus*
„ *Apoſtolus tibi dicit*, Exuite vos veterem hominem cum
„ actibus ſuis, & induite novum. Habes ergo quod imi-
„ teris in ſerpente. Noli mori pro vetuſtate, ſed pro
„ veritate. Qui moritur pro commodo temporali, pro
„ vetuſtate moritur. Cum autem exutus fueris omni illa
„ vetuſtate imitatus eſt aſtutiam ſerpentis. Imitare illum
„ & in hoc, ſerva caput tuum. Quid eſt, ſerva caput
„ tuum? Tene apud te Chriſtum. Si forte aliquis ve-
„ rum advertit aliquando, cum voluerit colubrum occi-
„ dere, quomodo pro capite ſuo totum corpus objicit
„ ictibus ferientis. Illud in ſe feriri non vult, ubi ſe
„ novit vitam habere. Et Chriſtus vita noſtra non eſt.
Joan. 14. 6. 1. Cor. 11. 3. „ Ipſe enim dixit, *Ego ſum via, & veritas, & vita.*
„ Audi & Apoſtolum, *Caput viri Chriſtus eſt.* Qui ergo
„ Chriſtum ſervat in ſe, caput ſuum ſervat pro ſe. "
Et ſimplices ſicut columbæ. „ Cavenda erant venena
„ ſerpentis; ibi imitatio periclitabatur, ibi erat quod
„ timeretur: columbam vero ſecurus imitare. Attende
„ columbas in ſocietate gaudere: ubique ſimul volant,
„ ſimul paſcuntur, nolunt eſſe ſolæ, communione gau-
„ dent, charitatem ſervant, gemitibus amoris murmu-
„ rant, oſculis filios generant. Nam quando columbæ,
„ quod plerumque advertimus, inter ſe rixantur de cel-
„ lulis ſuis, quodam modo pacata contentio eſt. Num-
„ quid quia rixantur, ſeparantur? Simul volant, ſimul
„ paſcuntur, & ipſa inter ſe pacata eſt rixa. Videte
Theſſ. 3. & 15. „ rixam columbarum. Apoſtolus dicit, *Si quis verbo no-*
„ *ſtro non obaudit per Epiſtolam, hunc notate, & noli-*
„ *te commiſceri cum eis.* Ecce rixa: ſed attende quoniam
„ columbarum rixa eſt, non luporum. Continue ſubjecit,
„ *Et non ut inimicum exiſtimetis, ſed corripite ut fra-*
„ *trem.* Columba amat & quando rixatur: lupus odit
„ & quando blanditur. "

S. Cyprian. Tr. de Unitate Eccl. Cathol. *Et ſimplices ſicut columbæ.* " Columba ſimplex animal
„ & lætum eſt, non felle amarum, non morſibus ſæ-
„ vum, non unguium laceratione violentum: hoſpitia
„ humana diligere, unius domus conſortium noſſe, cum
„ generant, ſimul filios edere, cum commeant, volati-
„ bus invicem cohærere, communi converſatione vitam
„ ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere,
„ legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc eſt in
„ Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda;
„ ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut man-
„ ſuetudo & lenitas agnis & ovibus coæquetur. Quid
„ facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, & canum
„ rabies & venenum lethale ſerpentum, & cruenta ſæ-
„ vitia beſtiarum? Gratulandum eſt, cum tales de Ec-
„ cleſia ſeparantur; ne columbas, ne oves Chriſti ſæva
„ ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere &
„ conjugi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo
„ cum lumine, pluvia cum ſerenitate, pugna cum pace,
„ cum fæcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum
„ tranquillitate tempeſtas. "

S. Greg. M. p. 3. Curæ Paſtoralis Admon. 1. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* „ In electorum cordibus debet & ſimplicitatem
„ columbæ aſtutia ſerpentis acuere, & ſerpentis aſtutiam
„ columbæ ſimplicitas temperare; quatenus neque ſedu-
„ cti per prudentiam calleant, nec ab intellectus ſtudio
„ ex ſimplicitate torpeſcant. " Ad columbæ ſimplicita-
tem pertinet, nunquam falſa diſcere, ad prudentiam ſer-
pentis nonunquam vera reticere. Sicut enim ſemper
dicentem falſitas læſit, ita nonnumquam quibuſdam au-
dita vera nocuerunt. Unde coram Diſcipulis Dominus lo-
cutionem ſuam ſilentio temperans ait: *Multa habeo vo-*
bis dicere, ſed non poteſtis portare modo, Admo-
nendi ſunt igitur ſimplices, ut ſicut fallaciam ſemper
utiliter vitant, ita veritatem ſemper utiliter proferant.
Ars artium regimen animarum, ob eam maxime ratio-
nem, quod ſerpentis prudentiam cum ſimplicitate colum-
bæ conjungere difficillimum ſit. Id pauci aſſequuntur,
quia de Chriſtianis virtutibus judicant ex carnalium ho-
minum ſenſu, a quibus „ Deridetur juſti ſimplicitas,
„ *Nam (ut ait S. Greg. M.)* Hujus mundi ſapientia *Job. 12. 4.*
„ eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare,
„ quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt fallacia
„ demonſtrare. „ Hæc nimirum prudentia uſu a juveni- *S. Greg. M. l. 10. Moralium. c. 16.*
„ bus ſcitur, hæc a pueris pretio diſcitur: Hanc qui
„ ſciunt, ceteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui ne-
„ ſciunt, ſubjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab
„ eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata
„ diligitur, dum mentis perverſitas, urbanitas vocatur.
„ Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina que-
„ rere, adeptæ temporalis gloriæ vanitate gaudere, ir-
„ rogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires
„ ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis
„ poſſibilitas deeſt, quicquid explere per malitiam non
„ valent, in hoc pacifica bonitate ſimulare. At contra
„ ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere,
„ ſenſum verbis aperire; vera ut ſunt diligere, falſa de-
„ vitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare,
„ quam facere; nullam injuriæ ultionem quærere, pro ve-
„ ritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum
„ ſimplicitas deridetur: quia ab hujus mundi ſapientibus
„ puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod
„ innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur;
„ & quicquid in opere veritas approbat, carnali ſapien-
„ tiæ fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mun-
„ do, quam mentem verbis oſtendere, nil callida ma-
„ chinatione ſimulare, nullas injuriis contumelias red-
„ dere, pro maledicentibus orare, paupertatem quære-
„ re, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percu-
„ tienti maxillam alteram præbere? Unde bene hujus
„ mundi dilectoribus ille egregius Dei Sapiens dicit: *Exod. 13.*
„ *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo*
„ *noſtro*. Oves quippe Ægyptii edere dedignantur; ſed
„ quod abominantur Ægyptii, hoc Iſraelitæ Deo offe-
„ runt: quia ſimplicitatem conſcientiæ, quam injuſti qui-
„ que velut infimam abjectamque deſpiciunt, hanc juſti
„ in virtutis ſacrificium vertunt, & excolentes recti pu-
„ ritatem ac manſuetudinem Deo immolant, quam abo-
„ minantes improbi fatuitatem putant. "

S. Jo. Chr. hom. 33. in Matth. 11. *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos & ad Præſides & ad Reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus.* Hinc diſce, in afflictionibus eſſe victoriam, & præclara trophæa. „ Non enim dixit,
„ Luctamini cum illis & concertate, & contra inſidian-
„ tes inſurgite: ſed, Ad ultimas afflictiones & pericula
„ venietis. O admirabilem dicentis virtutem! o ſublimem
„ audientium Philoſophiam! Valde namque mirandum
„ eſt, quomodo non ſtatim hæc audientes, fugam cepe-
„ runt formidoloſi homines atque imperiti, qui nihil ul-
„ tra ſtagnum illud, in quo piſcabantur noverant. Quo-
„ modo autem non cogitarunt & intra ſe dixerunt: Quo
„ igitur fugiemus, ſi omnia judicia hominum in nos præ-

paran-

„ parantur, ſi Reges nobis adverſarii futuri ſunt, ſi Ju-
„ dæorum Synagogæ, ſi Duces, ſi populi gentium, ſi
„ Principes denique & ſubditi? (Non enim in Judæa
„ ſolum hæc futura prædixit, ſed in toto terrarum or-
„ be. *Ad Reges* enim *& ad Præſides*, inquit, *ducemi-*
„ *ni* ; Ut oſtenderet ad Gentes quoque ipſas illos præ
„ cones ſuo juſſu deſtinari.) Omnem orbem in nos con-
„ citaſti, omnes terrarum habitatores adverſus nos ar-
„ maſti, populos, Duces, Reges. Sed & longe horribi-
„ lius eſt quod ſequitur, cum & fratricidas & parrici-
„ das propter noſtram doctrinam futuros homines pro-
S. Joan. Chryſ. „ nunties. *Tradet enim frater fratrem in mortem*, *&*
„ *pater filium*, *& inſurgent filii in parentes & morte*
„ *eos afficient*. Quomodo igitur ceteri credent, qui pro-
„ pter nos viderint filos interimia parentibus, fratres a
„ fratribus, cum ſceleribus cuncta repleri ſenſerint?
„ Nonne ut ſeductores dœmones; nonne ut ſceleſtos la-
„ trones; & totius orbis corruptores undique nos expel-
„ lent, cum viderint cognatorum atque affinium ſangui-
„ ne omnia repleri? Hanc ne pacem ita optabilem, quę
„ tot tantaſque cædes illis inferat, domi ſuſcipientibus
„ retribuemus? Quod ſi non duodecim, ſed numero plu-
„ res eſſemus; ſi non rudes atque indocti, ſed ſagaces
„ & peritiſſimi ad dicendum Oratores; ſi non inopes at-
„ que mendici, ſed Reges, magnos exercitus, magnas
„ opes poſſidentes, non poſſemus adhuc profecto terra-
„ rum orbi perſuadere, cum ad inteſtina civiliaque bel-
„ la, imo civilibus multo majora inflammare videamur.
„ Nam etſi parum, ut præcipis, de ſalute noſtra cura-
„ bimus, qui tamen nobis fidem adhibebit? Nihil certe
„ horum cogitaverunt, nihil dixerunt, nec rationes præ-
„ ceptorum temeraria curioſitate quæſierunt, ſed cede-
„ bant libenter atque obſequebantur imperanti: quod non
„ ipſorum ſolummodo virtutis erat, ſed etiam immenſæ
„ ſapientiæ præcipientis. Cum autem dixiſſet, *Ad Reges*
„ *& Præſides ducemini*, ſtatim addidit, *propter me*, quæ
„ vox magni ſolatii plena eſt. Non profecto parva hæc
„ conſolatio, ut propter Chriſtum patiaris. Nam Deus
„ etiamſi nullus attendat, ubique tamen quæ ſua ſunt
„ ineffabili virtute operatur. Hæc ipſos non ideo conſo-
„ labantur, quoniam punitionis adverſariorum cupidi eſ-
„ ſent, ſed partim quia confidere poterant ſe ubique ip-
„ ſum habituros præſentem, qui hæc provideret; par-
„ tim quia non quaſi pernicioſi, aut perditi homines,
Act. 5. „ ſed altioris diſpenſatione myſterii hæc paterentur. “
Quam ob rem *ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilii*, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*: & S. Paulus magis gloriabatur vinculis,
Galat. 6. quam alii ſolent Regiis gloriari trophæis. *Paulus* (inquit) *vinctus in Domino . . . Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Gloriam omnem ſuam collocabant in prædicatione & defenſione Evangelii, non ſolum ſermonis libertate, & admirabilitate facturum, verum etiam contumeliarum & tormentorum paſſione, ut cum Propheta dicere poſſent: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum*, *& non*
Pſal. 118. 45. *confundebar*. Id Chriſti Jeſu Sacerdotibus & divini verbi Prædicatoribus imitandum eſt. Caveant ab hominibus, a mundo, non quidem ut alias terrente & perſequente, ſed blandiente, laudante, applaudente. Sed &
Tertull. l. ad Martyres. ſi quid propter Deum in ſacro miniſterio patiendum ſit contemptus, maledicentiæ, inſidiarum ab hominibus carnalibus & amatoribus mundi, lubenti & læto animo hunc agonem ſubeant: *In quo agonothetes Deus vivus eſt*, *Xiſtarches Spiritus Sanctus*, *corona æternitatis*, *bravium angelicæ ſubſtantiæ*, *politia in cœlis*, *gloria in ſæcula ſæculorum*. Si deſit perſecutionis genus omne, ſibi magis timeant, & adverſus Mundum ejuſque prava inſtituta & damnatos mores pugnaturi, mortificationem Chriſti in corpore ſuo portent, atque in caſtris Chriſtianæ pœnitentiæ ſe exerceant, ut Mundum cum omnibus ſuis erroribus, amoribus, & (ſi detur occaſio) cum omnibus etiam terroribus ſuis vincere poſſint per Dominum Je-
Tertull. ibid. ſum. „ Nempe enim athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem
„ diſciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur a
„ luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore: cogun-
„ tur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercita-
„ tionibus laboraverint, tanto plus de victoria ſperant.
„ Et illi, inquit Apoſtolus, ut coronam corruptibilem
„ conſequantur, nos æternam. “

12. *Cum autem tradent vos*, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*: *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*. *Non enim vos eſtis qui loquimini*, *ſed Sp. Patris veſtri*, *qui loquitur in vobis*. Hæc promiſſio in Apoſtolis & Martyribus impleta eſt, ut eorum Acta teſtantur, Spir. Sanctus per os Petri, Stephani, aliorumque Apoſtolorum & Martyrum locutus eſt, cum rationem Fidei & Religionis ſuæ coram Principibus & Magiſtratibus reddiderunt. Puellæ ſimplices pudore ſuffuderunt Sapientes ſæculi, eorumque eloquentiam mutam, elinguem Philoſophiam reddiderunt, cum tamen ſolam cor-
S. Aug. ſer. 4. in Pſ. 103. dis præparationem, & Sp. Sancti in illis inhabitantis dona ad tribunalia judicum attuliſſent. *Non enim vos eſtis qui loquimini*, *Sed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Qui noluerunt habere ſpiritum ſuum, habebunt Spiritum Dei. Nolite tribuere vobis fortitudinem. Si veſtra eſt, inquit & mea non eſt, duritia eſt, non fortitudo. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*: *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*. Concionatores etiam ſpectat hæc ſententia, qui comptis ornatiſque ſermonibus, numeroſis ſententiis, ita auditoribus placere, & aures eorum demulcere ac tenere ſtudent, ut ne apice quidem immutato ea declament quæ multa ſollicitudine, ſtudio ac labore paraverunt, nullumque locum Sp. Sancto relinquunt. Contra quos S. Auguſtin. ait: „ Ipſa ho- S. Aug. l. 4. de Doct. Chriſtiana c. 15.
„ ra jam ut dicat accedens, prius quam exerat proferen-
„ tem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut
„ eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cum
„ enim de unaquaque re quæ ſecundum fidem dilectio-
„ nemque tractanda ſunt, multa ſunt quæ dicantur, &
„ multi modi quibus dicantur ab eis, qui hæc ſciunt,
„ quis novit quid ad præſens tempus, vel nobis dicere,
„ vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium vi-
„ det? Et quis facit ut quod oportet, & quemadmo-
„ dum oportet dicatur a nobis, niſi in cujus manu ſunt
„ & nos & ſermones noſtri? Ac per hoc diſcat quidem
„ omnia quæ dicenda ſunt, qui & noſſe vult & docere;
„ facultatemque dicendi, ut decet Virum Eccleſiaſticum
„ comparet: ad horam vero ipſius dictionis, illud potius
„ bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait, No-
„ lite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur
„ enim vobis in illa hora quid loquamini; Non enim
„ vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui
„ loquitur in vobis. “ *Si ergo loquitur in eis Sp. S. qui perſequentibus traduntur pro Chriſto*, *cur non & in eis qui tradunt dicentibus Chriſtum?* Quamvis autem affectatio nimia & immodicia ſollicitudo in parandis & diſponendis quæ dicenda ſunt, Oratori Chriſtiano ſint vitandæ; ipſa tamen reverentia qua verbum Dei tractari debet, curaque docendi, movendi, ac flectendi auditores, & ob hunc finem ipſis placendi, ſtudium, præparationem, eloquentiam poſtulant. Unde S. Auguſt. ibidem ſubdit: „ Quiſquis autem dicit, non eſſe hominibus præ-
„ cipiendum, quid vel quemadmodum doceant, ſi Do-
„ ctores Sanctus efficit Sp., poteſt dicere nec orandum
„ nobis eſſe quia Dominus ait, *Scit Pater veſter quid*
„ *vobis neceſſarium ſit*, *prius quam petatis ab eo* ; aut
„ Apoſtolum Paulum Timotheo & Tito non debuiſſe præ-
„ cipere quemadmodum præciperent aliis . . . Numquid
„ contra ſe ipſum ſentit Apoſtolus, qui cum dicat, Do-
„ ctores operatione fieri Sp. S. ipſe illis præcipit quid
„ & quemadmodum doceant? An intelligendum eſt &
„ hominum officia ipſo ſancto Sp. largiente, in docendis
„ etiam ipſis Doctoribus non debere ceſſare; & tamen
„ neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed
„ Deum qui incrementum dat? “ Et S. Greg. M. ad S. Greg. M. l. 2. Ep. 37
Natalem Salonitanum Epiſcopum, qui ſe tribulationibus preſſum legere non poſſe dicebat, eamque uſurpabat ſententiam, cujus in explicatione verſamur: *Si vero*, inquit, *in ea ſolummodo ſententia eſt fidendum*, *qua Dominus dicit*: Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, &c. „ Sacra ergo ad nos Eloquia fruſtra man-
„ data ſunt, qui repleti Spiritu, verbis exterioribus non
„ egemus. Sed aliud eſt, Frater chariſſime, quod angu-
„ ſtiati perſecutionis tempore abſque dubitatione confi-
„ dere, aliud quod in tranquillitate Eccleſiæ agere de-
„ bemus. Oportet enim nos, per Spiritum hunc modo
„ legendo percipere quæ poſſumus; ſi contigerit cauſa,
„ in nobis eſſe etiam patiendo demonſtrare. “

13. *Tradet autem frater fratrem in mortem*, *& pater filium*, *& inſurgent filii in parentes*, *& morte eos afficient*. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum*. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem*, *ſalvus erit*. Quam longe abſunt Chriſtiani ab Apoſtolorum imitatione, cum ne minimam quidem tribulationem propter Chriſtum, juſtitiæque ac pietatis cauſa pati velint, ſive externam, ſive domeſticam; nec in odium carnalium hominum incurrere; quorum amicitiam amori Dei præponere non dubitant. Conſiderent velim illos felices eſſe, qui propter Chriſti nomen odio ſunt Mundo, cui Chriſtus ipſe odio fuit. Attendant, patientiam non minus eſſe neceſſariam Chriſtiano, quam fidem: utramque Dei donum eſſe; imo pati pro Chriſto quiddam eſſe præſtantius, quam in eum duntaxat credere, ſecundum illud Apoſtoli: „ Vobis do- Philip. 1. 9. 19.
„ natum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis,
„ ſed ut etiam pro illo patiamini. *Veri Fideles Chriſtum*
„ *expectantes*, fortitudinem ſumunt, pennas producunt, S. Fulg. l. 2. ad Trafimundum c. 27.
„ quibus ad cœleſtia ſubleventur; currentes neſciunt la-
„ borem, ignorant laborantes eſuriem, in tribulatione
„ non patiuntur anguſtiam, morientes retinent vitam;
„ triſtes quidem videntur, tamen ſemper gaudentes exul-
„ tant: divitias pluribus conferunt, & omnia poſſident,
„ dum nihil habere contendunt: Dilectione Chriſti re-
„ pleti, carent timore, ab ipſo illuminati fatentur ſe
„ nullum metuere, ipſo defenſore nequeunt ab aliquo
„ trepidare: de corde eorum turbatio propellitur & for-
„ mido; gaudent quia vident Mundum a Chriſto devi-
ctum.

„ dum. Verum pro Christo pati non satis est, in exer-
„ citationibus patientiæ perseverare necesse est usque in
Hebr. 10. „ finem. Nolite itaque (*inquit Apostolus*) amittere
55. 36. 37. „ confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationi-
38. „ nem; patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc „ enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, „ & non tardabit. " Justus autem meus ex fide vivit : „ quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Hu- „ jus perseverantiæ in malorum graviorum patientia exemplum Fidelibus reliquerunt Apostoli, ex quo S. S. plenitudinem acceperunt : cor eorum dilatatum est charitate perfecta, omnis consummationis finem viderunt, pro veritate certarunt usque ad mortem, pro vero ac summo bono mala omnia tolerarunt: „ Cujus consumma-
S. Aug. ser. 21. *in Psal.* 118. „ tionis finis est, excellere in Regno Christi, quod non „ habet finem: & habere ibi sine morte, sine dolore, „ & cum magno honore vitam, morte hujus vitæ, ac „ doloribus, & opprobriis acquisitam. "

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Est aliqua vox pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. „ Quæ est ista
S. Aug. Tractatu 45. in Jo: „ vox? *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* „ Hanc vocem non negligit proprius, non audit alie- „ nus: nam & ille hoc ei prædicat, ut perseveret apud „ ipsum usque in finem; sed non apud eum perseveran- „ do non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audit „ alia & alia verba, illa & illa, omnia vera, sana om- „ nia, inter quæ omnia est & illa vox. *Qui perseve- „ raverit usque in finem, hic salvus erit.* Istam qui au- „ dierit, ovis est. Si audiebat illam nescio quis, & de- „ sipuit, refriguit, audivit alienam. Sed prædestinatus „ est, ad tempus erravit, in æternum non periit. Re- „ dit ut audiat quod neglexit, faciat quod audivit. Si „ enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ip- „ sius Deus præscivit, & conversionem futuram; si aber- „ ravit, redit ut audiat illam vocem Pastoris, & sequa- „ tur dicentem, *Qui perseveraverit usque in finem, hic „ salvus erit.* Bona vox, vera, Pastoralis, ipsa est vox „ salutis in tabernaculis justorum. Nam facile est audi- „ re Christum, facile est laudare Evangelium, facile est „ acclamare disputatori; perseverare usque in finem, hoc „ est ovium vocem Pastoris audientium. Tentatio acci- „ dit, persevera usque in finem quia tentatio non per- „ severat usque in finem. Usque in quem finem perse- „ verabis? Quousque finias viam. "

14. *Dum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam, &c.* Persecutio pro Christi nomine, pro justitia, pro pietate imminens, corpore interim fugienda est, non animo. Corpore fugere, interdum prudentiæ; animo fugere, ignaviæ est. *Periit fuga a me* (in-
S. Aug. Enar. in Ps. 141. quit David.) *Ab illo periit fuga, qui non fugit. Qui autem non fugit, patitur quicquid potest pro Christo, non fugit animo. Nam corpore fugere licet, Domino dicente,* Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Qui* ergo *non fugit animo, periit ab illo fuga. Sed interest quare non fugiat, quia circumclusus est, quia captus est, an quia fortis est? Et a capto periit fuga, & a forti periit fuga. Quæ ergo fuga cavenda est, quæ fuga*
Joan. 10. 11 *a nobis pereat? De qua Dominus dicit,* Quia Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. *Talis fuga ab isto perierat, sive ab ipsius capitis persona accipiamus hanc vocem Christi Domini: qui pro omnibus mortuus est; sive a membris ejus Martyribus nostris, quia & ipsi pro fratribus passi sunt. Audi Joannem dicentem:* Sicut enim ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus
1. *Joan.* 3. animas pro fratribus ponere. *Sed cum illi ponunt, Christus ponit; quia cum illi patiuntur persecutionem, iste clamat,* QUID *me persequeris?*

Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in ali-
S. Petr. Chrys. serm. 151. am. „ Martyr comprehensus debet tenere constantiam, „ non comprehensus debet fugere persequentem; ut & „ persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tem- „ pus non auferat supplicandi. Persecutorem qui provo- „ cat, facit, corrigit qui declinat. Orandum est, fu- „ giendum est, ut ille qui per ignorantiam furit, sane- „ tur; & ille qui patitur, de patientia palmam habeat, „ non subeat de temeritate discrimen. Fratres, si Sa- „ ulum Martyres non fugissent, Paulum non feciissent. "

15. *Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus; & servo sicut Dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus?* Christi servi & discipuli sumus, domestici Dei: Christus humilitatis, mansuetudinis, patientiæ Magister est. Discipulorum ejus nomine plane indigni sumus, si doctrinam ejus non discimus, & opere non exercemus. Christianum nomen habemus, & Christum imitari nolumus. Quid nobis tan-
Salv. l. 4. *de Guberi Dei.* tum nomen proderit? *Quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto;* Christus contumeliis oppressus, opprobriis saturatus est; Samaritanus, seditiosus, seductor, vini potator, dæmoniacus; minister Beelzebub appellatus: & Christianus leviores injurias, duriuscula verba pro ipso pati refugit, contemni non sustinet, laudes & applausus hominum aucupatur; ad su-

Natal. Alex. in Evang.

turæ vitæ gloriam aspirat, & viam tribulationum, quam Christus calcavit, ingredi renuit; sub vexillo crucis militare se profitetur, & crucem nec corde ferre vult, nec corpore. An sortem nostram meliorem esse volumus, quam Christi Jesu Filii Dei unigeniti, cœli & terræ Domini, Redemptoris, Regis, & Magistri nostri? „ „ Non est discipulus supra Magistrum. Sufficit discipulo „ ut sit sicut Magister ejus, & servus sicut Dominus „ ejus. *Quasi dicat,* Ecce porto infirmitatem tuam : „ Bibe amarum calicem. Tu enim tibi feciisti præcepta *S. Aug ser.* „ illa mea, quæ sano data sunt tam dulcia, tam labo- *88. al. 17. de* „ riosa. Contempta sunt, cæpisti laborare : sanari non *Verb. Dom.* „ potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentatio- *c. 2. & 8* „ num quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, „ angustiarum, passionum. Bibe, inquit, bibe ut vivas. „ Et ne responderet ei languidus. Non possum, non fe- „ ro, non bibo : prior bibit Medicus sanus, ut bibere „ non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in po- „ culo, quod ille non biberit? Si contumelia; prior „ audivit cum dæmones expelleret, Dæmonium habet, „ & quod in Beelzebub ejicit dæmonia. Unde ut ipse „ consolaretur ægros; ait : „ *Si Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* „ Si „ dolores amari sunt, ligatus, & flagellatus, & cruci- „ fixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si „ genus mortis exhorrescit infirmitas: nihil illo tempo- „ re fuit ignominiosius, quam mors crucis. Non enim „ frustra commendans ejus obedientiam Apostolus addi- *Phil.* 2. 8. „ dit. FACTUS obediens usque ad mortem, mortem „ autem crucis. „

16. *Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; & occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* „ Carnalis timor *S. Aug. ser.* 32. *alias* 20. *de Div. & ex h.* 50. *Ephes.* 4. 27. „ excutiendus, qui peccati sæpe causa est, non minus „ quam cupiditas. Diabolus non seducit aut trahit ali- „ quem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam simi- „ lem sibi. Invenit enim eum aliquid cupientem: & cu- „ piditas aperit januam intranti suggestioni diaboli. In- „ venit illum aliquid timentem, monet ut fugiat, quod „ illum invenit timere: monet ut adipiscatur quod illum „ invenit cupere: & *per has duas januas cupiditatis & „ timoris intrat.* Claude illas, & imples illud Apostoli: „ *Nolite locum dare diabolo.* Fratres, si volumus bene „ vivere, plus amemus quod promittit Deus, quam quod „ promittit hic Mundus; & plus timeamus quod mina- „ tur Deus, quam quod minatur hic mundus. Venit ten- „ tatio tibi alicujus fraudis, vis facere fraudem, ut ac- „ quiras pecuniam : promittit Deus fraudem non facien- „ tibus sempiterna Regna cœlorum. Sed plus velle ter- „ rena, hoc est peccare : plus velle quod præsens est, „ non credere quod futurum est; plus velle quod videt „ homo, & non desiderare quod promittit Deus : cum „ id quod videt homo etiam ab oculis potest auferri, „ etiam possessum potest amitti; id autem quod promit- „ tit Deus, nec oculo carnis videri interim potest, & „ cum quisque ad Dei promissa pervenerit, non timet „ ne amittat, quia nemo est potentior illo qui dedit. „ Itaque. Fratres, *Hærete charitate promissis Dei; & non „ vos superabunt cupiditates sæculi.* Rursum timoris ten- „ tatio advenit; Dicit tibi quisque, Dic pro me falsum „ testimonium. Primo promittit : sed cum non decepe- „ rit, si forte præponas promissa Dei pollicitationi ho- „ minum, non vincit cupiditas : per comminationem ten- „ tat, & incipit minari horribilia. Potens est forte in „ civitate, potens in sæculo, videtur posse facere quod „ minatur. Vincit te timor præsentis mali: quod & pos- „ set a te utique Deus avertere, si hoc illi videretur pro- „ desse tibi: & si nollet avertere, intelligere deberes, „ quia non tibi permitteret evenire, nisi & hoc sciret „ prodesse tibi. Avertit ignem a tribus Pueris idem Deus. „ Numquid mutatus est Deus, quia non avertit gladium „ a Martyribus? Idem ipse fuit Deus trium Puero- „ rum, qui fuit Machabæorum. Illi de igne evase- „ runt, illi ignibus cruciati sunt : utrique tamen in „ Deo sempiterno vicerunt. Non enim aut illi vita ista „ temporali delectabantur, aut illi minis temporalibus „ frangebantur. Itaque noli timere hominem minantem „ tibi. Quid est enim homo? *Vanitati similis factus est, „ dies ejus sicut umbra prætereunt.* Aut non tibi nocebit, „ & ante transibit illa umbra, quam ad te aculeus ejus tran- „ sire potuerit; potens est enim Deus : aut si permissus fue- „ rit nocere, „ ad tempus nocebit umbræ tuæ, id est, rei „ transitoriæ tuæ, vitæ temporali tuæ, vitæ veteri tuæ. „ Usque enim ad ultimum mortis portamus aliquid veteris „ hominis. Temporalem vitam ille nocere potest, æternam „ tibi vitam nemo potest auferre. Tollet tibi impedimenta „ quibus hic teneris, & hærebis Deo, cui te jam præmissa „ spe, charitate colligaveras. „ Propterea in Psalmis ele- *Psal.* 51. 4. „ gantissime dicitur de homine malo : *Sicut novacula acu- „ ta fecisti dolum.* Sic illi insultat Spiritus Dei. Quid „ adtendit in novacula? Non quia occidi homines de „ novacula possunt : sed ad quam rem facta est no- „ vacula. Facta est autem ad radendos capillos. Quid

„ tam ſuperfluum in corpore quam capilli ? Quanta in-
„ ſtantia, quanto ſtudio, quanta cautela, quanta inten-
„ tione acuitur, ut radat capillum? Sic & homo malus
„ tollit ſe in patrem, cogitat, recogitat, excogitat, po-
„ nit fraudem ſuper fraudem, quærit machinationem, mi-
„ niſtros parat, falſos teſtes comparat, acuit novaculam.
„ Quid facturus juſto, niſi ſuperflua raſurus? "

Venerab. Beda l. 4. in Lucam. *Nihil eſt opertum quod non revelabitur, neque abſconditum quod non ſcietur.* „ Quod non ſolum in futuro,
„ quando cuncta cordium abſcondita proferentur ad lu-
„ cem, ſed & in præſenti tempore poteſt congruenter
S. Aug. l. Q. in Matt. Q. 2. „ accipi: Quoniam quæ inter tenebras quondam preſſura-
„ rum, carcerumque umbras vel locuti, vel paſſi ſunt
„ Apoſtoli, nunc clarificata per orbem Eccleſia, lectis
„ eorum Actibus publice prædicantur. Clariora ſunt no-
„ mina Piſcatorum, quam nomina Imperatorum. Admi-
„ rabiliora illorum geſta, quam iſtorum trophea. " *Quod dico vobis in tenebris*, ideſt, *cum adhuc in timore carnali eſtis*; *quia in tenebris eſt timor*: dicite in lumine, *hoc eſt in fiducia veritatis, accepto Spiritu Sancto*. Et quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, *id eſt, quod in ſecreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate.*

Prov. 24. 26. S. Aug. ſerm. 65. alias 13. inter additos a Pariſ. 17. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* „ Ti-
„ meamus, ut non timeamus. Timor videtur ad ignaviam
„ pertinere: Timor infirmorum videtur eſſe, non forti-
„ um. Sed videte quid ait Scriptura: *Timor Domini ſpes fortitudinis*. Prudenter timeamus ne inaniter timea-
„ mus. Martyres ſancti timendo non timuerunt; quia
„ Deum timendo, homines contempſerunt. Quid enim ab
„ hominibus homini metuendum eſt? Et quid eſt unde
„ alterum terrat, homo hominem? Terret, & dicit,
„ Occido te: & non timet, ne cum minatur, prius mo-
„ riatur. Occido (inquit) Quis dicit? Cui dicit? Duos
„ audio, unum terrentem, alterum metuentem: quorum
„ unus eſt potens, alter infirmus, ſed ambo mortales.
„ Quid ſe ergo extollit in honore inflatior poteſtas, in
„ carne æqualis infirmitas? Securus minetur mortem,
„ qui non timet mortem. Si vero unde terret, timet;
„ attendat ſe, & ei cui minatur comparet ſe. Inveniat
„ in eo cui minatur, parem conditionem; & a Domino
„ ſimul cum illo petat miſerationem. Homo eſt enim,
„ & homini minatur, creatura creaturæ: ſed una in-
„ flata ſub Creatore, altera fugiens ad Creatorem. Di-
„ cat ergo fortiſſimus Martyr, ſtans homo ante homi-
„ nem: „ Non timeo, quia timeo. Tu quod minaris, ſi
„ ille nolit, non facis: quod autem ille minatur, ut fa-
„ ciat a nullo impeditur. Denique tu quod minaris, &
„ ſi permitteris, quid facis? Uſque ad carnem ſævis,
„ anima tuta eſt. Non occides quod non vides: viſibilis
„ viſibilem terres. Habemus ambo inviſibilem Creatorem,
„ quem ſimul timere debeamus; qui hominem ipſum ex
„ viſibili & inviſibili creavit, viſibilem de terra fecit,
„ inviſibilem flatu ſuo animavit. Subſtantia ergo inviſi-
„ bilis, hoc eſt, anima, quæ jacentem terram erexit de
„ terra, non timet cum percutis terram. Potes ferire
„ habitaculum, numquid habitatorem? Fugit percuſſo
„ vinculo colligatus, & erit id occulto coronatus. Quid
„ ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? Per me-
„ ritum ejus cui facere nihil potes, reſurget cui facere
„ aliquid potes. Per meritum enim animæ reſurget & caro,
„ & habitatori reddetur, jam non ruitura, ſed manſura. "
Sed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Poteſt mori anima, & immortalis eſt. Quomodo immortalis eſt? „ Quia ſemper ali-
„ qua vita eſt, quæ in illa numquam extinguitur. Quo-
„ modo moritur? Non ut non ſit vita, ſed amittendo
„ vitam. Etenim anima & vita eſt alicui rei, & habet
„ etiam ipſa vitam ſuam. „ Vita corporis anima eſt;
„ vita animæ Deus eſt. Sicut adeſt vita corpori, id eſt,
„ anima, ne moriatur corpus: ſic debet adeſſe vita animæ,
„ hoc eſt Deus, ne moriatur anima. Corpus quomodo mori-
„ tor? Anima deſerente. Anima, inquam, deſerente,
„ moritur corpus, & jacet cadaver paulo ante appetibile,
„ modo aſpernabile. Inſunt membra, oculi, aures: ſed
1. Tim. 5. 6. „ hæ feneſtræ ſunt domus, habitator abſceſſit .... Vivit
„ corpus, & impius eſt, infidelis eſt, ad credendum durus,
„ ad corrigendos mores ferreus: vivente corpore mortua eſt
Sap. 1. 11. „ anima per quam corpus vivit ... Ambulant pedes, intelligo
„ corpus vivere. Sed quo ambulant? Ad adulterium. Ergo
„ mortua eſt anima. Sic enim veraciſſima Scriptura dixit,
„ *Mortua eſt vidua quæ in deliciis vivit*. Cum multum in-
„ terſit inter delicias & adulterium, quomodo poteſt ani-
„ ma, quæ in deliciis mortua dicitur, in adulterio vivere?
„ Mortua eſt .... Cum audio loquentem, intelligo quia cor-
„ pus vivit; quæro quid loquatur, utrum & anima vivat?
Iſai. 26. 10. „ Mendacium loquitur. Si mendacium loquitur, ergo mor-
„ tua eſt. *Os quod mentitur, occidit animam* ... An vero non
„ in te ſunt viſcera miſerationis Chriſtianæ; ut plangas cor-
„ pus, a quo deceſſit anima, & non plangas animam, a qua
„ receſſit Deus? „ Hoc tenens Martyr, reſpondeat com-
minatori: Tu vis ferire corpus meum, vis ut cum timeo ne ferias corpus meum, & recedat inde anima mea, ego feriam animam meam, & recedat inde Deus meus? „ Non ergo timeas, Martyr, gladium percuſſoris;
„ linguam tuam time, ne tu te percutias, & occidas
„ non carnem, ſed animam. Inde ergo Dominus, *Qui*
„ *poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*.
„ Quomodo? *Mors corporis, ſempiterna pœna: Mors animæ Dei abſentia*. Vis noſſe quæ ſit mors animæ? Intelligè Prophetam dicentem: *Impius non videbit gloriam Dei*. Timeat ergo anima mortem ſuam, & non *S. Aug. l. 14.*
„ timeat mortem corporis ſui. Quia ſi timuerit mortem *contra*
„ ſuam, & vixerit in Deo ſuo, non eum offendendo, *Fauſtum*
„ & a ſe repellendo, merebitur in fine recipere corpus *c. 12.*
„ ſuum; non ad pœnam æternam, ſicut impii; ſed ad
„ vitam æternam, ſicut juſti. "

Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Hoc eſt, *Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter ſolvitur: ſed timete maledictum ſpiritalis mortis, per quod anima in æternum cum ſuo corpore cruciatur.*

Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. „ Im- *S. Hil. Tract. in*
„ pius ergo timor eſt, cum quæ non timenda ſunt *Pſ. 52.*
„ timentur, & quæ timenda ſunt non timentur.
„ Et plerumque nos tamquam pro debita officii reli-
„ gione pie adulari Regibus exiſtimamus, quia in cor-
„ pus noſtrum ſit his aliquid poteſtatis: quibus nihil
„ ultra de nobis licet, quam latroni, quam febri,
„ quam incendio, quam naufragio, quam ruinæ. His
„ enim caſibus corporum pro ſumma poteſtate deſæ-
„ viunt: & propter brevem dolorem libertatem Ec-
„ cleſiæ, ſpei noſtræ fiduciam, confeſſionem Dei ad-
„ dicimus; punitorem perditoremque in igne judicii
„ & corporis & animæ noſtræ Deum non timentes,
„ & æternis divinæ ultionis pœnis momentanea at-
„ que abolenda ſupplicia præferentes; dum placere
„ nos ipſis, & in eorum gratia permanere famulatu im-
„ pio gloriamur. "

Molite timere eos qui occidunt corpus. „ Chriſtus non *S. Aug. Enar. in*
„ ſolum verbo, ſed etiam exemplo abſtulit omnem timo- *Pſ. 69.*
„ rem Verbo dicens, *Nolite timere eos qui corpus occi-*
„ *dunt*, exemplo, faciens quod verbo præcepit; ut nec
„ eorum verberantium manus vellet devitare, nec ala-
„ pas percutientium, nec ſalivas conſpuentium, nec co-
„ ronam de ſpinis imponentium, nec crucem interficien-
„ tium. Nihil horum vitare voluit, cui nihil opus erat
„ propter eos quibus hoc opus erat, faciens agrotis de
„ ſe ipſo medicamentum. "

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. „ Anima tua non morietur, *S. Aug. Enar. in*
„ niſi tu eam volueris occidere. Perimat aliena ini- *Pſ. 79.*
„ quitas carnem tuam, dum ſervet veritas animam tu-
„ uam. Si autem a veritate reſilieris, quid tibi ampli-
„ us facturus eſt inimicus, quam tu tibi ipſe facis?
„ Inimicus ſæviens carnem poteſt occidere; tu autem
„ dicendo falſum teſtimonium, animam occidis . . . . .
„ Itaque ad omne recte factum amor & timor ducit.
„ Ut facias bene, amas Deum, & times Deum: Ut fa-
„ cias male, amas mundum, & times mundum. Hæc
„ duo convertantur ad bonum: Amabas terram, ama
„ vitam æternam: Timebas mortem, time gehennam.
„ Quicquid tibi iniquo promiſerit Mundus, numquid
„ poteſt dare quantum dare quantum dabit juſto Deus;
„ Quicquid tibi juſto minatus fuerit Mundus, numquid
„ poteſt facere quod facit iniquo Deus? Bene quidem
„ tu nihil aliud vis quam ut bene tibi ſit; & in eo
„ quod times, non vis ut male tibi ſit: ſed non in ea
„ regione quæris, in qua quærendum eſt. Bonum eſt
„ quod vis, ſed tolera quod non vis, ut aſſequaris
„ quod vis. "

Nolite timere eos qui occidunt corpus. „ Vita noſtra
„ dilectio eſt. Si vita dilectio, mors odium eſt. Cum *S. Aug. Enar. in*
„ cœperit homo timere ne oderit quem diligebat, mor- *Pſ. 54.*
„ tem timet, & acriorem mortem; & interiorem mor-
„ tem qua occiditur anima, non corpus. Adtendebas ho-
„ minem ſævientem in te; quid erat facturus, contra
„ quem tibi ſecuritatem tuus Dominus dederat, dicens,
„ *Nolite timere eos qui corpus occidunt?* Ille ſæviendo
„ corpus occidit, tu odium habendo animam occidiſti:
„ & ille corpus alienum, tu animam tuam. "

18. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? Et unus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere multis paſſeribus meliores eſtis vos*. Quod viliſſimum homines putant, Domini Providentia gubernatur, quanto magis homo, præcipua divini ingenii cura? Quanto magis juſti, quos Deus ut amicos habet? Nihil certe detrimenti ipſis inferri ab improbis poteſt, *Nam quod di-* *S. Aug. l. de*
ligunt, & unde beati ſunt, auferre illi nemo poteſt. Cru- *AgoneChriſtiano cap.*
ciatus vero corporis malas animas miſerabiliter affligit. *7. S. Hil. in*
Bonas autem fortiter purgat.

Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? &c. Paſſeres duos *c. 19. Matth. n. 18.*
tropologice S. Hilarius interpretatur corpus & animam. „
„ Quæ ſub peccato, *inquit*, vendita ſunt, redemit ex
„ Lege Chriſtus: ergo quod venditur, corpus atque ani-
„ ma eſt; & cui venditur, peccatum eſt: quia Chri-
„ ſtus & de peccato redemit, & animæ ac corporis

eſt

„ est Redemptor. Qui igitur duos passeres asse væne-
„ unt, se ipsos peccato minimo væneunt, natos ad vo-
„ landum, & ad cœlum pennis spiritualibus efferendos.
„ Sed capti pretiis præsentium voluptatum, & ad luxum
„ sæculi venales, totos se talibus actionibus nundinan-
„ tur. Sed quærendum est quomodo unum ex illis est,
„ quod sine voluntate Dei non cadet. Dei voluntas est,
„ ut unum ex illis magis evolet, sed Lex constitutione
„ Dei profecta decernit unum ex eis potius decidere.
„ Quemadmodum autem si evolarent, unum essent, id
„ est, corpus in naturam animæ transisset, & gravitas
„ illa terrenæ materiæ in profectum & substantiam ani-
„ mæ aboleretur, fieretque corpus potius spiritale: ita
„ peccatorum pretio venditis, in naturam corporum
„ animæ subtilitas ingravescit, & terrenam con-
„ trahit ex vitiorum sorde materiem, fitque unum ex
„ illis quod tradatur in terram. Plurimis autem eos an-
„ testare passeribus cum dicit, ostendit multitudini In-
„ fidelium electionem Fidelium præesse: quia his casus
„ in terram sit, illis volatus in cœlum. "

S. Augusti. Ser. 334. *alias* 48. *de Sanctis.* *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Mundus interfector est corporis mei, sed* Dominus susceptor est animæ meæ. „ Et quid mihi obest, cum sit Domi-
„ nus susceptor animæ meæ, quid Mundus interfector
„ est corporis mei? Quid perdidi, quid amisi? Quando
„ Dominus susceptor est animæ meæ, erit & restitutor
„ corporis mei. Quid mihi deerit, si membra mea dila-
„ ceret inimicus, quando capillos meos dinumerat Deus?
Rom. 8. 31. „ Exhortans Martyres suos Christus, ne ab inimicis per-
„ secutoribus aliquid formidarent, *Capilli*, inquit, *vestri*
„ *omnes numerati sunt*. Timebo ergo de damno membro-
„ rum, quando securitatem accepi de numero capillo-
„ rum? Ergo dicamus ex fide, dicamus in spe, dicamus
„ flagrantissima charitate, Si Deus pro nobis, quis con-
„ tra nos? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati
„ sunt. " *Qui numerat capillos capitis sui? Multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt.* Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. *Præcavisti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium: Moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti, de minutis quid agis? An non times minuta? Projecisti molem, vide ne arena obruaris.* Venialia peccata veluti capilli sunt, superflui vanique affectus, quibus rebus terrenis ni-
mium adhæremus; sed timendum, si capillos istos cresce-
re & luxuriare sinamus; nec pœnitentiæ novacula era-
dere curemus, ne simile quid nobis contingat casui infe-
licis Absalonis. Cum mulo insidens transiret subter con-
densam quercum & magnam, cæsaries ejus quercui ad-
1. *Reg.* 18. hæsit, manssitque suspensus, pertranseunte mulo. Quod
cum Joab Duci exercitus Davidis renuntiatum esset, cur-
rit ille ad quercum, tres lanceas ferens in manu sua,
& infixit eas in corde Absalon. Idem sæpe contingit ho-
mini venialia peccata negligenti. Hæret affectibus suis
rei cuipiam terrenæ, velut quercui densæ, & magnæ,
ibi suspensus manet inter cœlum & terram. Id anima-
dvertens diabolus, tres lanceas in ejus corde figit, gra-
vioribus tentationibus animum ejus pulsat, eique gratiæ
vitam eripit.

19 *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Non Apostolos tantum, sed Christianos omnes spectat hæc Domini sententia. Cre-
dere satis non est ad salutem, nisi fidem nostram & verbis
Rom. 10. testemur & factis: *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Heu, quam lugendi Christiani,
Tit. 1. 16. qui *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant!* Sunt & qui corde negent, quod verbis & externis operibus confiten-
tur Hypocritæ, de quibus Deus per Isaiam: *Populus hic la-
biis me honorat* (inquit) *cor autem eorum longe est a me.*
Psalm. 39. Contra vero David, Deum in spiritu & veritate adorans:
Ps. 117. *Ecce*, inquit, *labia mea non prohibebo, Domine tu scisti*: & rursus: *Credidi propter quod locutus sum.* Hoc est, perfecte credidi. Non enim perfecte credunt, qui quod credunt loqui nolunt. Propter hoc locutus est Martyr, quia credidit. „ Simul enim credidit & quod præmium
„ loquendo sperare & quam pœnam tacendo timere de-
S. Aug. Enar. in Psal. 122. „ beret. *Credidi propter quod locutus sum: Ego autem*
„ *humiliatus sum nimis.* Passus est enim multas tribula-
„ tiones propter verbum quod fideliter tenebat, fideliter
„ impendebat, & humiliatus est nimis. Quod illi timue-
„ runt, qui amaverunt gloriam hominum magis, quam
„ Dei. Verum cur addidit, *Ego autem humiliatus sum ni-*
„ *mis*, nisi quia homo humiliari potest ab iis qui veritati
„ contradicunt, non ipsa veritas quam credit & loquitur.
„ *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Excessum
„ pavorem dicit, quem comminantibus persecutoribus &
„ impendentibus passionibus cruciatus, aut mortis, hu-
„ mana infirmitas patitur. Conterritus enim respexit in-
„ firmitatem suam, & vidit non de se sibi esse præsu-
„ mendum. Quantum enim ad ipsum hominem pertinet,
Natal. Alex. In Evang.

„ mendax est; sed gratia Dei verax effectus est, ne pres-
„ suris inimicorum cedens non loqueretur quod credide-
„ rat, sed negaret, sicut Petro accidit, quoniam de se
„ præsumpserat, & docendus erat de homine non esse
„ præsumendum. Et si de homine non debet quisque præ-
„ sumere, utique nec de se ipso, quia homo est. Bene
„ ergo iste vidit in pavore suo omnem hominem esse men-
„ dacem: quia & illi qui nullo pavore vanescunt, ne
„ persequentibus cedendo mentiantur, muneribus Dei ta-
„ les sunt, non viribus suis. Proinde verissime dictum
„ est, *Omnis homo mendax*; sed Deus verax, qui ait,
„ *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Vos autem*
„ *sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus*
„ *cadetis*. Consolatur humiles, & implet eos, non so-
„ lum fide credendæ, sed etiam fiducia prædicandæ ve-
„ ritatis, si perseveranter subdantur Deo, nec imitentur
„ unum ex Principibus diabolum, qui in veritate non
„ stetit, & cecidit. Si enim omnis homo mendax, in
„ tantum non erunt mendaces, in quantum non erunt
„ homines, quoniam Dii erunt, & filii Altissimi. Sed
„ quærit, quid retribuet Domino, & non invenit, nisi
„ ex eis quæ ipse Dominus retribuit. *Calicem*, inquit,
„ *salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. O ho-
„ mo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, & ideo
„ jam non homo; qui tibi dedit calicem salutaris, quem
„ accipiens & invocans nomen Domini, retribues ei pro
„ omnibus quæ retribuit tibi? Quis nisi ille qui ait,
„ *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quis
„ tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui pro te passus
„ est prior? *Ideoque pretiosa in conspectu Domini mors*
„ *sanctorum ejus*. Emit eam Sanguine suo, quem prior
„ fudit pro salute servorum, ne pro Domini nomine ser-
„ vi fundere dubitarent, quod tamen eorum, non Do-
„ mini utilitati proficeret. Eorum omnino utilitati pro-
„ dest, quod Christum coram hominibus confessi sunt,
„ siquidem Christus eos confitebitur, pro suis ignoscet,
„ laudabit, coronabit coram Patre suo in gloria cœle-
„ sti. *Tunc laus erit unicuique a Deo.* "

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo. A Christo negari, idem est ac ab
ipso rejici, reprobari, damnari: *Novit enim Dominus* *1. Cor.* 4. 5.
qui sunt ejus. Nunc ergo Christum confiteamur, & ser-
mone & opere, ut fidem ejus, quam lingua nostra lo-
quitur, etiam moribus vita fateatur. „ Dicant labia quod
„ habet cor: hoc contra timorem. Habeat cor quod di-
„ cunt labia: hoc contra simulationem. Aliquando enim
„ timor est, & non audes dicere quod nostri, quod cre-
„ dis: Aliquando simulatio est, dicis, & non habes in
„ corde. Consentiant labia tua cordi tuo. Quærens pa- *S. Amb. Enarrat. in Ps* 39.
„ cem a Deo, tibi ipse esto pacatus: Non sit inter os
„ tuum & cor tuum mala rixa. *Martyres sancti* in Ec-
„ clesia Catholica nihil habentes simulationis, compagina-
„ ti junctura unitatis, confessi sunt Christum: caput quod
„ præcesserat, sicut membra sequi concupierunt. Sed qui
„ concupierunt? In tormentis patientes, in confessione
„ fideles, in sermone veraces. Jaculabantur enim in ora
„ interrogantium se sagittas Dei, & vulnerabant ad iram:
„ multos vulneraverunt & ad salutem. *Hæc omnia pro-*
„ *ponamus nobis, intueamur, imitari optemus.* Hæc sunt
„ spectacula Christiana, hæc videt desuper Deus, ad
„ hæc hortatur, ad hæc adjuvat, his certaminibus præ-
„ mia proponit & donat. " Ecce labia mea non prohibe-
bo. *Vide ne timeas, & prohibeas labia tua.* Domine,
tu scisti, *quia est & in corde, quod sonat, & in labiis.*
In Mundo, in medio nationis pravæ annuntianda Dei
justitia, prædicanda veritas est, Lex Dei propugnanda,
confessio fidei edenda verbo, & operibus. De Evangelio,
de Christiana pietate, de Christi Cruce nequaquam eru-
bescendum est. Cum Propheta dicendum, *Quoniam pro-* *Psal.* 68. 8.
pter te sustinui opprobium: operuit confusio faciem meam. *S. Aug.*
S. Aug. legit, *Operuit irreverentia faciem meam.* Irre- *Enarr. in*
verentia quasi impudentia est. Oportet ut habeat Chri- *hunc Psal.*
stianus irreverentiam istam, quando venerit inter homi- *serm.* 1.
ne quibus displicet Christus. Si erubuerit de Christo, dele-
bitur de libro viventium. „ Opus ergo ut habeas irreve-
„ rentiam, quando tibi de Christo insultatur; quando
„ dicitur, Cultor Crucifixi, adorator male mortui, ve-
„ nerator occisi: Hic si erubueris, mortuus es. Senten-
„ tiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit: *Qui me*
„ *erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum co-*
„ *ram Angelis Dei.* " Observa ergo tu: *Frontosus esto,*
quando audis opprobrium de Christo. Quid times fronti *Tertull.*
tuæ, quam signo Crucis armasti? Salvus sum, inquit Ter- *lib. de Car-*
tullianus, si non confundar de Domino meo. „ Alias non *ne Christi*
„ invenio materias confusionis, quæ me per contemptum *c.* 5.
„ ruboris probent bene impudentem, & feliciter stul-
„ tum, *Crucifixus est Dei Filius: non pudet, quia pu-*
„ *dendum est.* "

20. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Et inimici hominis, domestici ejus.* Pax alia fru-
ctus est charitatis, vera pax, quam dat Christus; alia

cupiditatis, falsa pax, qua homo in rerum terrenarum fruitione, in deliciis carnis, in vitiis conquiescit: hanc destruit Christus, verbi sui gladio nos separans a rebus omnibus, affectibus, personis, etsi conjunctissimis, quæ nobis impedimento sunt ad salutem. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* „ Quia videlicet præcipua singularisque pax tunc præstatur, quando quod tabe vel sanie corruptum est, abscinditur atque projicitur; quando factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic corte cælis terra conjungi potest. Nam & Medicus hoc modo reliquum corpus facile conservat, si quod reduci ad sanitatem non potest, exciderit atque abjecerit: & Militiæ Dux ad solvendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat. Sic in turre illa factum videmus, quando pernicioſa illa pax per salutarem vocis dissonantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui adversus se conspirabant, dividebat atque dissipabat. Tempore vero ipsius Naboth concordia illa quovis bello fuit atrocior. Nec enim semper concordia laudanda, cum etiam latrones magna inter se concordia conspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente animoque hominum vitioso bellum erumpit. Nam ipse certe vellet, ut omnes uno consensu veram pietatem amplecterentur: verum quoniam resistunt atque reluctantur, bellum prorumpit. "

S. Jo: Chry. Hom. 30. in Matth.

Act. 9. 15. 3. Reg. 2. 1.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Sermo Dei gladius bis acutus. „ Unde bis acutus? Dicit de temporalibus, dicit de æternis. In utroque probat, quod dicit, & eum quem ferit, separat a Mundo. Nonne ipse est gladius, de quo Dominus dicit, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*? Attende quomodo venit disjungere, quomodo venit separare. Disjungit sanctos, disjungit impios, separat a te, quod te impedit. Filius vult servire Deo, pater non vult: venit gladius, venit sermo Dei, dividit filium a patre. Filia vult, mater non vult: gladio dividuntur ab invicem. Nurus vult, socrus non vult: Veniat gladius bis acutus, afferat promissionem vitæ præsentis & futuræ, consolationem temporalium, æternorum perfruitionem. Ecce gladius ex utraque parte acutus, promittens temporalia & æterna. In quo nos fefellit? Nonne Ecclesia Dei per totum Mundum non erat? Ecce est. Antea legebatur, & non videbatur: modo sicut legitur, ita cernitur. Quicquid temporaliter nobis promissum est, ad unam partem gladii pertinet: Quicquid in sempiternum, ad alteram partem gladii pertinet. Habes spem futurarum rerum, habes consolationem præsentium, noli retrahi ab eo qui vult retrahere: Pater, mater, soror, uxor, amicus sit, non te retrahat; & utilis tibi erit gladius bis acutus. Utiliter te ille separat, male te tu conglutinas. Venit ergo Dominus noster ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia. Duo Testamenta ad gladium his acutum pertinent: Vetus Testamentum terrena promittit, Novum æterna. In utroque sermo Dei verax inventus est, ut gladius bis acutus. De gladio maligno erue me (*inquit David.*) *De gladio*, non sufficit; addit, *maligno*. Procul dubio est gladius benignus. Quis est gladius benignus? De quo Dominus dicit, *Non veni pacem mittere in terram sed gladium*. Separaturus enim erat fideles ab infidelibus, filios a parentibus, & ceteras necessitudines diremturus, gladio putredinem abscindente, membra autem Christi sanante. Est ergo benignus gladius bis acutus, utroque acumine præpotens Veteris & Novi Testamenti narratione præteritorum, & promissione futurorum. Est ergo iste gladius benignus: Ille autem malignus est, quo illi loquuntur vanitatem quia benignus est quo Deus loquitur veritatem. "

Matt. 10. 34. S. Aug. Enar. in Ps. 149.

S. Augustin. Enar. in Ps. 143.

Et inimici hominis, domestici ejus. Sæpe saluti nostræ magis nocent, qui nobis intimius sunt conjuncti. Parentes sæpe sentimus parricidas. Pater inimicus est filii, cum institutione & educatiene prava, amore inordinato indulgentia nimia, ipsum corrumpi finit, & malos habitus contrahere, cum vitæ Christianæ officia ipsum docere negligit. Filius inimicus est patris, cum ipsi occasio est, aut incitamentum ad divitias malis artibus quærendas & congregandas, ut ipsum in sæculo promoveat, ac fortunatum reddat. Mater filiæ inimica est, cum ipsam Mundi ingenio ac moribus conformat, & in luxu ac vanitate instituit. Filia matris inimica est, cum ab ea obtinet ut spectacula, choræas, virorumque cætus frequentet. Dominus famulorum inimicus est, cum salutem illorum non curat: „ Famulus domini, cum ejus vitiis & cupiditatibus servit. Sic *Inimici hominis*, *domestici ejus*. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facile vitando cavere possis: hoc vero occultum, intestinum, ac domesticum malum non solum existit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Propter quod etiam divina vox illa, „ *Et inimici hominis domestici ejus*, cum magno dolore „ cordis auditur: Quia etsi quisque tam fortis sit, ut „ æquo animo perferat; vel tam vigilans, ut provido „ consilio caveat, quæ adversus eum molitur amicitia „ simulata: eorum tamen hominum perfidorum malo, „ cum eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, graviter excrucietur necesse est; sive semper mali fuerint, „ & se bonos finxerint, sive in istam malitiam ex bonitate mutati sint. Si ergo domus commune perfugium „ in his malis humani generis tuta non est, quid civitas, quæ quanto major est, tanto forum ejus litibus „ & civilibus & criminalibus plenius, etiamsi quiescant „ non solum turbulentæ, verum sæpius & cruentæ sediones ac bella civilia, a quorum eventis sunt aliquando liberæ civitates, a periculis numquam? "

S. Aug. l. 19. de Civitate Dei cap. 5.

21. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Dei amorem omnibus affectibus nostris dominari oportet: Christum, ejusque Legem ac gloriam omnibus necessitudinibus præponi. *Ordinavit in me charitatem* (ait Sponsam.) Hic ordo in omni affectu necessarius est. *Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, & non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum sit.*

Cant. 2.

S. Hier. in hunc locum

„ Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat „ nepos: licet sparso crine & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem; siccis occulis ad „ vexillum Crucis evola. Solum pietatis genus est in hac „ re esse crudelem... Facile rumpit hæc vincula amor Dei, „ & gehennæ timor. At contra Scriptura precipit parentibus obsequendum. Sed quicumque eos supra Christum „ amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis ut „ me perimat: & ego de matris lachrymis cogitabo? "

Idem Epist. 1. ad Heliodorum.

Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. „ Quicumque, non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem utitur voluptatem, sed „ ipsa quæ ab hujusmodi delectationibus aliena sunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo, Christo anteponit, non eum habet in fundamento; & ideo „ non per ignem salvus erit, sed salvus non erit, quia esse cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertissime „ loquens, ait: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus:* Verum qui has necessitudines sic amat „ carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponat malitque ipsis carere quam Christo: si ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem salvus erit: „ quia ex earum amissione tantum necesse est urat dolor, „ quantum hæserat amor. Porro qui patrem, matrem, filios, filias secundum Christum dilexerit, ut ad ejus Regnum obtinendum, eique cohærendum illis consulat, vel „ hoc in eis diligat, quod membra sunt Christi, absit, „ ut ista dilectio reperiatur in lignis, fœno, & stipula „ consumenda, sed prorsus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur. Quomodo autem potest eos plus amare „ quam Christum, quos amat utique propter Christum. "

S. Aug. l. 13. de Civit. Dei cap. 26.

Amores duo in hac vita secum in omni tentatione luctantur, amor sæculi, & amor Dei; & horum duorum qui vicerit, illuc amantem tamquam pondere trahit. Venit Christus mutare amorem, & de terreno facere vitæ cælestis amatorem: homo propter nos factus, qui nos homines fecit; & assumens homines Deus, ut homines faceret Deos. Hoc amore accensis, vel potius ut accendantur, hoc dicit. „ Qui amat patrem aut matrem super „ me, non est me dignus, *&c.* AMOREM parentum, „ uxoris, filiorum, non abstulit, sed ordinavit. Non dixit, qui amat, sed *Qui amat super me*. Ama patrem, „ sed noli super Dominum: ama genitorem, sed noli super Creatorem. Pater genuit, sed non ipse formavit. „ Nam quis, aut qualis sibi nasciturus esset, cum seminarer, ignoravit. Pater nutrivit, sed non de suo pater „ panem esurienti instituit. Postremo quicquid tibi pater „ reservat in terra, decedit ut succedas, vitæ tuæ locum faciet morte sua. Pater autem Deus, quod tibi „ servat, secum servat; ut hæreditatem cum ipso possideas Patre, nec eum decessorem quasi successor expectes, sed inhæreas semper mansuro semper in illo mansurus. Ama ergo parrem, sed noli super Deum tuum. „ Ama matrem tuam, sed noli super Ecclesiam, quæ te „ genuit ad vitam æternam. Denique ex ipsorum parentum amore perpende quantum diligere debeas Deum „ & Ecclesiam. Si enim tantum diligendi sunt, qui genuerunt moriturum: quanta charitate diligendi sunt, „ qui genuerunt ad æternitatem venturum, in æternitate mansurum? Ama uxorem, ama filios secundum „ Deum, ut consulas eis ad Deum colendum tecum: „ cui junctus cum fueris, separationem nullam timebis.

S. Aug. ex additis a Sirmondo.

S. Aug. ep. 343. al. 31.

Ideo

„ Ideo non debes illos plus Deo diligere, quos omnino
„ male diligis, si neglexeris tecum ad Deum ducere.
„ Veniet fortasse hora Martyrii. Tu vis confiteri Chri-
„ stum. Confessus excipes fortasse temporis pœnam, exci-
„ pies temporalem mortem. Pater, aut uxor, aut filius
„ blandiuntur, ne moriaris, & blandiendo efficiunt ut
„ moriaris. Si non efficiant, illic tibi veniet in men-
„ tem, QUI AMAT Patrem, aut matrem, aut uxo-
„ rem, aut filios super me, non est me dignus." Le-
ge & Epistolam 243. alias 243. alias 38. ejusdem S. Au-
gust. ad Lætam.

22. *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Crucem ferre, & Christum imitari, non modo consilium, sed præceptum est; cujus observatio necessaria plane est ad æternam salutem consequendam. Hanc rejicit impius, accipere videtur Philosophus, sed Christum non sequitur: ipsam vero propter Christum, exemplo Christi accipit, eligit, ferre gaudet, qui vere Christianus est. Christus, ut te redimeret, fudit sanguinem suum: Tu mundo, tu peccato mori non vis, renuntiare vuluptati renuis, ab injustitia temperare, pœnitentiam agere, cupiditates tuas mortificare, tribulationes a Deo immissas pati, ut redemptionis Christi sis particeps. Habuit Christus sanguinem, unde nos redimeret; & ad hoc accepit sanguinem, ut esset quem pro nobis redimendis effunderet. „ Sanguis Domini tui, si
„ vis, datus est pro te: Si nolueris esse, non est datus
„ pro te. Forte enim dicis, Habuit sanguinem Deus
„ meus, quo me redimeret: sed jam cum passus est to-
„ tum dedit; quid illi remansit, quod det & pro me?
„ Hoc est magnum, quia semel dedit, & pro omnibus
„ dedit. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti sup-
„ plicium. Quid ergo dubitas, qui mori non vis, a se-
„ cunda potius morte liberari? Qua liberaris, si vis tol-
„ lere crucem tuam & sequi Dominum; quia ille tulit
„ suam, & quæsivit servum . . . Væ generi humano!
„ Ut liceat illis paululum vivere, dant etiam illud, unde
„ possent semper vivere . . . Veniet de transverso ini-
„ micus territans, & non tibi dicet, Da mihi pecuniam
„ tuam, ut vivas: sed dicet tibi, Nega Christum, ut
„ vivas. Quod tu si feceris, ut liceat tibi paululum vi-
„ vere, perdes unde posses semper vivere. Hoc est amare vitam, qui timebas mortem? Homo bone, quare
„ timebas mortem, nisi amando vitam? Christus est vita.
„ Quare appetis parvam, ut perdas securam? An forte
„ fidem non perdidisti, sed quod perderes non habuisti?
„ Tene ergo, unde semper vivas. Adtende proximum
„ tuum, quanta faciat ut modicum vivat. Adtende &
„ illum qui Christum negavit, quantum malum fecit
„ propter paucos dies vitæ. Et tu non vis ipsos paucos
„ dies contemnere vitæ, ut nullo die moriaris, & in
„ sempiterno vivas die, a Redemptore tuo protegaris,
„ in æterno Regno Angelis adæqueris? Quid amasti?
„ Quid perdidisti? Ut sequereris Dominum, crucem tuam
„ non tulisti." Accipere crucem suam, est pati pro Christo quicquid intulerit Mundus. Hæc gratia, hoc officium Christianorum. „ Hæc est enim gratia, si pro-
„ pter Dei gratiam sustinet quis tristitias, patiens injus-
„ ste. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati
„ suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis,
„ hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis:
„ quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens
„ exemplum, ut sequamini vestigia ejus . . . . Commu-
„ nicantes Christi passionibus, gaudete, ut & in reve-
„ latione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobra-
„ mini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod
„ est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est ejus
„ Spiritus super vos requiescit. Nemo autem vestrum
„ patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut
„ alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non
„ erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine."

Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. In alio Evangelio legitur: *Qui non accipit crucem suam quotidie.* Tota scilicet vita Christiani, si secundum Evangelium vivat crux est martyrium. *Ne* igitur *semel putemus ardorem fidei posse sufficere; semper crux portanda est, ut semper nos Christum amare doceamus.*

Qui non accipit crucem suam, &c *Pia vita sanctorum numquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute Spiritus in se habitantis interficit.* Apostolus ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*: Et ideo *Numquam deest tribulatio persecutionis, si numquam desit observantia pietatis.* Dominus ipse in exhortationibus suis dicit: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Nec dubitare debemus hanc vocem, non solum ad Discipulos Christi, sed ad cunctos Fideles totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his, qui aderant, universaliter audiebat. *Sicut ergo totius est temporis pie vivere: ita totius est temporis crucem ferre: Quæ merito unicuique sua dicitur, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur. Unum nomen est persecutionis, sed non una est causa certaminis: & plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto.* Beatus Job, alternantibus bonis ac malis „ Mundi hujus eruditur pie veraciterque dicebat: *Nonne tentatio est vita hominis super terram?* Quoniam non solis doloribus „ corporis atque suppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam salva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, præsidio Crucis mens rationalis instruitur: nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam continentiæ clavis & Dei timore, transfigitur. In bono ergo proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium, diabolo instigante, non desunt, ut facile, in odia prorumpant, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione Justorum. Iniquitas cum justitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia: non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, avaritia largitatem: & tam pertinaces habet diversitas ista conflictus, ut etiamsi exterius conquiescat, ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat: ut verum sit, quod *Qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur:* & verum sit, quod omnis hæc vita tentatio est. *Ipsis experimentis suis unusquisque Fidelis edoctus, Christi Cruce armetur, ut Christo dignus habeatur.*"

Qui non accipit crucem suam, &c. *Susceptio crucis, est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris.*

23. *Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Nimius & inordinatus amor temporalis vitæ, impedimentum est pietatis Christianæ. Vita ipsa pro Christo contemnenda est, & potius amittenda, quam fides abnegetur, aut alia quavis ratione Deus offendatur. Vitam non amat, qui vivere in æternum, cum possit, non curat. Qui carnis desideriis & voluptatibus indulgent, qui præsentis vitæ dulcedinem ita diligunt, ut crucis amaritudines degustare nolint; qui nunquam de morte cogitare volunt, ne mala ipsorum tranquillitas, vel ad momentum interturbetur, animam suam in æternum perdent. Qui vero mortificant membra sua super terram, qui carnem crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis, qui Christo patienti se conformant, corpusque suum per pœnitentiam offerunt Deo *Hostiam viventem, sanctam,* Eique *placentem,* animam suam in vitam æternam custodiunt. *Qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam, propter me, inveniet eam.* Nemo potest animam suam perdere propter Christum, nisi eam prius invenerit; & nemo potest animam suam invenire in Christo, nisi eam prius perdiderit. „ Inveni, ut perdas: perde, ut invenias. Quomodo eam prius inventurus es,
„ ut habeas, quam perdas? Quando cogitas te ex parte
„ mortalem, quando cogitas eum qui te fecit, & insuf-
„ flando animam tibi creavit, & videris eam illi debe-
„ re, qui dedit; illi reddendam, qui commodavit; ab
„ illo custodiendam, qui instituit, invenisti animam tuam,
„ inveniens eam in fide. Credidisti enim hoc, & inve-
„ nisti animam tuam. Nam perditus eras, antequam cre-
„ deres. Invenisti animam tuam: mortuus quippe fueras
„ in infidelitate, revixisti in fide . . . Perde eam, &
„ anima tua semen tibi sit. Nam & agricola triturando
„ & ventilando invenit triticum, & rursus seminando
„ perdit triticum. Invenitur in area, quod perierat in
„ semente. Perit in semente, quod inveniatur in mes-
„ se. „ Qui ergo invenerit animam suam perdet eam. *Qui laborat colligere, quare piger est seminare?* „ Vide
„ tamen, ubi invenias, & quare perdas. Unde enim in-
„ venires, nisi tibi lumen accenderet ille cui dicitur:
„ *Tu illuminabis lucernam meam, Domine*: Jam ergo in-
„ venisti, illo tibi accendente lucernam. Vide quare per-
„ das. Non enim passim perdendum est, quod tam dili-
„ genter inventum est. Non ait, Qui perdiderit eam,
„ inveniet eam: Sed, *Qui perdiderit eam propter me.*
„ Naufragi forte negotiatoris corpus cum in littore in-
„ spexeris, reddis lacrymas miseratus, & dicis, Væ huic
„ homini! Propter aurum perdidit animam suam. Bene
„ plangis, bene miseraris. Propter aurum enim perdere
„ animam suam potuerit propter aurum invenire non po-
„ terit. Ad damnum animæ suæ idoneus fuit, ad eam
„ lucrandam minus idoneus extitit." Non enim cogitandum est quod perpidit, sed quare perdidit. Si propter avaritiam ecce ubi jacet caro, ubi est quod erat carum? Et tamen *jussit avaritia, & propter aurum perdita est anima, & propter Christum non perit anima, neque pereat* . . . Noli dubitare pro Christo animam perdere. Fideli creatori commendas, quod diceris perdere. „ Tu
„ quidem perdes: sed ille suscipit, cui nihil perit. Si
„ amas vitam, perde, ut invenias: Quia cum inveneris,
„ jam non erit quod perdas, non erit quare perdas. Ea
„ quippe invenitur vita, quæ invenitur ut omnino perire
„ non possit."

Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit

S. Aug. ser. 344. al. 31. ex additis a Sir. mondo.

1. Petr. 2. 9. 20. 22. Et c. 4. 13. 14. 15. 16.

Luc. 9.

S. Hier. in hunc locum.

S. Leo ser. 44. 2. Tim. 3. 10. S. Leo ser. 45.

Job. 7.

S. Leo ser. 70.

S. Aug. serm. 344. al. 3. ex additis a Sirmondo.

Psal. 17. 29

S. August. serm. 159. al. 17. de Verbis Apostol.

diderit animam suam propter me, inveniet eam. „ Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis, peccatorum „ suavitate ducti estis, ut illa faceretis, ducat vos ad „ recta facta suavitas & dulcedo justitiæ: Amate justi„ tiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justi„ tia, quæ a vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod „ exhibuisti iniquitati hoc est, Humanum dico, hoc est, „ quod infirmitas vestra tolerare adhuc potest. Quid ergo „ suspendit Apostolus? Quid distulit dicere? Dicam, si „ potero. Appende justitiam & iniquitatem: tantumne „ digna est justitia, quantum digna fuit iniquitas? Sic „ amanda est ista, quantum amata est ista? Absit ut sic, „ sed & utinam vel sic! Ergo plus omnino. „ In iniquitate secutus es voluptatem, pro justitia tolera dolo„ rem. Ecce nescio quis ætatis lubricæ impudicus ado„ lescens, suavitate illiciente injecit oculos in conjugem „ alienam, amavit, cupit pervenire, quærit tamen la„ tere: sic enim amat voluptatem, ut plus timeat, do„ lorem. Quare querit latere? Timet apprehendi, li„ gari, adduci, includi, produci, torqueri, occidi. „ Hæc omnia timendo, in illa appetitione suavitatis suę „ latebras quærit: aucupatur absentiam mariti, ipsum „ adjutorem flagitii sui timet invenire, quia conscio se „ formidat implicare. Et videmus eum suavitate duci; „ sed suavitas illa non est tanta, ut vincat etiam dolo„ rem timoremque pœnarum. Da mihi pulchram justi„ tiam, da mihi fidei pulchritudinem: procedat in me„ dium, ostendat se oculis cordis, inspiret fervorem ama„ toribus suis. Jam tibi dicitur, Frui me vis? Contemne „ quicquid te aliud delectat, contemne pro me. Ecce „ contempsisti: parum est illi. Humanum est hoc propter „ infirmitatem carnis vestræ. Parum est, ut contemnas „ quicquid te delectabat: contemne quicquid te terre„ bat, contemne carceres, vincula, equuleum, tormenta, „ mortem. Hæc vicisti, me invenisti. In utroque gradu „ amatores justitiæ vos probate. Invenimus forsitan ali„ quos qui præponant justitiæ delectationem voluptatibus & „ delectationibus corporis sui: Qui autem pro illa pœ„ nas, dolores, mortemque contemnat, putas est aliquis „ in vobis? . . . . Milia Martyrum adjacent oculis no„ stris, ipsi veri amatores perfectæque justitiæ. " *De* *Jacobi* 1.2. „ *illis dictum est*, Omne gaudium existimate, fratres „ mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes „ quod probatio fidei vestræ patientiam operatur! patien„ tia autem opus perfectum habet. " *Quid addi potest, ut opus perfectum habeat? Amat, ardet, fervet, calcat omnia quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minantia, calcat, frangit, & transit. O amare, o ire, o sibi perire, o ad Deum pervenire!* Qui animam suam amat, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet illam. *Sic armandus est amator justitiæ, sic armandus est amator invisibilis pulchritudinis.*

Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Medicinæ præsidium plures refugiunt. Plures enim stulti, plures timidi, & male verecundi. „ Et est plane *Tertull. Scorpiaci Cap. 6.* „ quasi sævitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, „ de sinapis incendio: non tamen secari, inuri & exten„ di, idcirco malum, quia dolores utiles affert. Nec quia „ tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessa„ rie contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus „ excusat. Ululans denique ille & gemens, & mugiens „ inter manus Medici, postmodum eadem mercede cumu„ labit, & artifices optimas prædicabit, & sævas jam „ negabit. Sic & Martyria defæviunt, sed in salutem. „ Licebit & Deo in vitam æternam per ignes & gladios „ & acerba quæque curare. Sed Medicum quidem mi„ raberis etiam in illo, quod ferme pares adhibet qua„ litates medelarum adversus qualitates querelarum, „ cum quam de perverso auxiliatur, per ea subveniens „ per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius „ onerando compescit, & ardores siti potius macerando „ restinguit, & fellis excessus amaris quibusque potiun„ culis colligit, & sanguinis fluxus defusa insuper venu„ la revocat. Deum vero, & quidem zelotem, culpan„ dum existimabis, si voluit certasse cum causa, & in„ juriæ æmulando prodesse, mortem morte dissolvere, „ occisionem occisione dispergere, tormentis tormenta „ discutere, supplicia suppliciis evaporare, vitam aufe„ rendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eri„ piendo servare. Perversitas quam putas, ratio est; quod „ sævitiam existimas, gratia est; ita Deo de momenta„ neis æterna medicante. Magnifica bono tuo Deum „ tetrum. Incidisti in manus ejus, sed feliciter incidisti. „ Incidit & ille in ægritudines tuas. Homo semper Me„ dico prior negotium facit. Denique sibimetipse pericu„ lum mortis attraxit. Acceperat a Domino suo, ut a „ Medico, satis utilem disciplinam secundum legem vi„ vendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo „ arbuscula temperaret, quam ipse Medicus importunam „ interim noverat. Audiit ille quem maluit, & abstinen„ tiam rupit: edit illicitum, & transgressione saturatus, „ in mortem cruditavit. Dignissimus bona fide in totum „ perire, qui voluit. Sed Dominus sustentata fervura de„ licti, donec tempore medicina temperaretur, paulatim „ remedia composuit, omnes fidei disciplinas, & ipsas „ æmulas vitio, verbum mortis verbo vitæ rescidentes, „ auditum transgressionis auditu devotionis limantes. Ita „ & cum mori præcipit Medicus ille, veternum mortis „ excludit. Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, „ quod non est tunc gravatus pati ex vitio? Displicet „ occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perdi„ tionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiavit ad ve„ nenum? . . . Evulsum hominem de diaboli gula per „ fidem, Deus jam & inculcatorem ejus esse voluit per „ virtutem; ne solummodo evasisset, verum etiam evi„ cisset inimicum. Amavit qui vocaverat in salutem, in„ vitare & ad gloriam; ut gaudeamus liberati, exulte„ mus etiam coronati. "

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. „ *S. Cyprian Tract. de Laud. Martyr* „ Quid est Martyrium? delictorum finis, periculi ter„ minus, dux salutis, iter patientiæ, magister domus „ vitæ quo profecto etiam ea occidunt, quæ in futuro „ discrimine ne potuissent tormenta reputari . . . Non „ dubium est quantum a Domino consequamur, qui sa„ luti suæ nomen Dei prætulerunt; ut in illa judicii die „ meliores cruor faceret, quos sanguis suus Martyres „ esse monstraret. Mors quippe integriorem facit vitam, „ mors magis deducit ad gloriam. Sic quotiescumque ja„ centibus stipulis distenta imbribus frumenta turgescunt, „ fœcundæ messes coguntur æstate: sic quoties ferro vi„ tis abscinditur erumpentibus pampinis, melius uva ve„ stitur; nam & in augmentum proventuri temporis ce„ dit, quicquid injuria sua proficit. Flammas quippe „ plerumque agris juvit immittere, quo calore vagantis „ incendii cæca terræ spiramenta laxentur: juvit leves „ stipulas crepitanti igne torrere, ut se altius gravida „ seges tollere, parturientibus culmis densior valeat arista „ florere. Igitur talis & Martyrii primo casus, postmo„ dum fructus est, qui morte vitam condemnat, ut vi„ tam morte custodiat . . . Charissimi fratres, qui Re„ surrectionis præmia sustinemus, qui judicii diem quæ„ rimus, qui denique cum Christo regnaturos nos esse „ confidimus, sæculo mortui esse debemus. Nec poteris „ optare martyrium, nisi ante oderis sæculum; nec per„ venire ad Dei præmium, nisi amaveris Christum: Qui „ autem amat Christum, non amat sæculum; Christus „ enim abjectus est sæculo, sicut & sæculum Christo; „ ita ut scriptum est: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo*. Nemini amabilis fuit Mundus, quem non „ ante damnaverit. Dominus; nec salute potuit frui „ æterna, qui Mundi gloriatus est vita. Vox est ista „ Christi dicentis: *Qui in hoc sæculo amaverit animam „ suam, in futuro perdet illam, qui autem in hoc sæculo oderit, illam in futuro inveniet eam* . . Quis ergo „ non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem „ pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim „ gaudeat; ut post tormenta & supplicia terrena præmia „ divina percipiat? Si Militibus sæcularibus glorioſum „ est, ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes: „ quanto potior & major est gloria, victo diabolo ad „ paradisum triumphantem redire, & unde Adam pec„ cator ejectus est, illuc prostrato eo qui ante dejece„ rat, trophæa victricia reportare? Offerre Deo acce„ ptissimum munus, incorruptam fidem, & virtutem „ mentis incolumen, laudem devotionis illustrem? Co„ mitari eum, cui venire cœperit, vindictam de inimi„ cis recepturus? Lateri ejus assistere, cum sederit judi„ caturus? Cohæredem Christi fieri? Angelis adæquari? „ Cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, cœ„ lestis Regni possessione lætari? Has cogitationes quæ „ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta supe„ rare? Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus „ fundata mens: & adversus omnes diaboli terrores & „ minas Mundi, animus immobilis perstat, quem futuro„ rum fides certa & solida corroborat. Clauduntur cœli „ in persecutionibus terræ, sed patet cœlum: Minatur „ Antichristus, sed Christus tuetur: Mors infertur, sed „ immortalitas sequitur: Occiso Mundus eripitur, sed „ restituto Paradisus exhibetur: Vita temporalis extin„ guitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, „ & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter „ pressuras & angustias glorioſum, claudere in momen„ to oculos, quibus homines videbantur & Mundus, & „ aperire eosdem statim ut Deus videatur & Christus! "

24. *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Qui Christum in Prædicatore aut Doctore veritatis, aut in justo fide intuetur, immo in quovis pauperes, Chri„ stum ipsum charitate recipit. In ipsis enim Christus est ut in legatis, ministris, membrisque suis, ut in Sacramento latens, aliena specie velatus. Unde *Salvianus* ait: *Christus in omnium pauperum universitate mendicat.* Qui recipit Christi Jesu Ministros, Ecclesiæ scilicet Catholicæ Sacerdotes, Concionatores, Doctores, & tempo„ ralia subsidia illis subministrat, particeps est omnium me„ rito-

ritorum, quæ illi concionando, docendo, laborando in Evangelio Dei, & in sacro ministerio comparant. Qui virum justum recipit, particeps est meritorum justi, modo solo Christi intuitu, non ob temporales aliquas ra-
1. *Reg.* 30. 24. tiones recipiatur. *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas* (inquit David) sic æqualis quodammodo merces apud Deum reposita est illi qui Concionatorem, vel Doctorem veritatis, justumve recipit, ac ipsi Concionatori, ipsi Doctori, ipsi Prophetæ,
S. Aug. En. in Ps. 10. 2. *n.* 13. ipsi justo; quia illis in sancto ministerio cooperatur. „ Verum quia potest recipi justus alia intentione, cum „ putatur prodesse posse ad aliquid temporale, forte ad „ supplendam cupiditatem, forte ad adjuvandum, ut „ homo circumveniatur, aut opprimatur; quia tale mi„ nisterium de illo quæris, forte propterea suscipis: ne„ gavit tibi mercedem justi, nisi cum additamento. Ait „ enim, *Qui receperit justum in nomine justi, mercedem* „ *justi accipiet*; id est, ideo recipiens quia justus est. „ *Et qui receperit prophetam*; *non* tantum receperit Pro„ phetam, sed *in nomine prophetæ*, hoc est, in illo ho„ norans quod Propheta est. Ad extremum; *Qui dede„ rit calicem atquæ frigidæ uni ex minimis istis, tan„ tum in nomine discipuli*; id est, propterea quia disci„ pulus Christi est, propterea quia dispensator sacra„ menti est: Amen dico vobis, non perdet mercedem „ suam. "
Philipp. 4. 14. 15. Ad Philippenses scribit S. Paulus: „ Bene feciſtis, „ communicantes tribulationi meæ. Scitis autem & „ vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quan„ do profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia „ communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos so„ li: quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi „ misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum „ abundantem in ratione vestra. "Datum, est res ipsa, „ quam dat qui impertitur hæc necessaria, veluti est „ nummus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adjuto„ rium: Fructus autem, bona & recta voluntas datoris
S. Aug. l. 13. *Confessionum c.* 26. & 27. „ est . . . . „ Datum est, suscipere Prophetam, susci„ pere justum, porrigere calicem aquæ frigidæ discipu„ lo: Fructus autem, in nomine Prophetæ, in nomine „ justi, in nomine discipuli hoc facere. Fructu pascitur „ Elias a vidua sciente quod hominem Dei pasceret, „ & propter hoc pasceret: per corvum autem dato pa„ scebatur. Nec interior Elias, sed exterior pascebatur, „ qui posset etiam talis cibi egestate corrumpi. Ideo cum „ homines idiotæ atque infideles Christi Ministros & „ Prædicatores suscipiunt corporaliter reficiendos, aut „ in aliquo præsentis vitæ usu adjuvandos, cum id qua„ re faciendum sit, & quo pertineat, ignorent: Nec „ illi istos pascunt, nec isti ab illis pascuntur: Quia „ nec illi hæc sancta, recta voluntate operantur, nec „ isti eorum datis, ubi fructum nondum viderent, læ„ tantur. Inde quippe animus pascitur, unde læta„ tur. "

25. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Bonum opus, quamvis minimum, si tamen ex charitate fiat, magni apud Deum meriti est. Deus cor interrogat, non manum; bonam voluntatem adtendit, non facultatem. Pauperrimi opera misericordiæ exercere possunt, illisque Deum promereri. Id interposito juramento Christus confirmat, ne de illo dubitemus: *Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* O nos beatos, quorum causa Deus jurat! Væ nobis, si nec Deo juranti credimus. In sæculo magna officia magnatibus exhibenda sunt, ut magna merces obtineatur. Apud Deum minima etiam officia minimis propter ipsum exhibita, magnam mercedem, scilicet Deum ipsum & gloriam æternam consequuntur. Parum habes unde eleemosynam facies. Habes voluntatem?
S. Aug. En. in Ps. 125. *n.* 11. 12. 13. „ Quomodo nihil esset quod habes, si non adesset „ bona voluntas: sic & quia non habes, noli esse tri„ stis, si est tibi bona voluntas. Quid enim seminas? „ Misericordiam. Et quid metes? Pacem. Numquid au„ tem dixerunt Angeli, Pax in terra divitibus hominibus? Sed, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. „ In Zachæo magna voluntas, in Zachæo charitas ma„ gna. Suscepit Dominum hospitio, guadens suscepit, „ & dimidium patrimonii sui pauperibus promisit se da„ turum, & si cui aliquid abstulerat, quadruplum se re„ diturum: ut intelligas propterea sibi eum tenuisse di„ midium, non ut haberet quod possideret, sed ut ha„ beret unde debita redderet, Magna voluntas, multum „ dedit, multum seminavit. Ergo vidua illa, quæ duo „ minuta misit, parum seminavit? Immo tantum quan„ tum Zachæus. Minores enim facultates ferebat, sed „ parem voluntatem habebat. Misit duo minuta de tan„ ta voluntate, de quanta Zacchæus dimidium patrimo„ nii sui. Si adtendas quid dederunt, diversa invenies: „ si adtendas unde dederunt paria invenies: Quicquid „ habuit dedit illa; & quod habuit dedit ille. Fac ali„ quem non habere, vel duos nummos: est aliquid vi„ lius quod seminemus, ut metamus illam messem? Est. „ *Calicem aquæ frigidæ qui dederit discipulo, non per„ det mercedem suam.* Calix aquæ frigidæ non duobus „ nummis, sed gratis constat: tamen aliquando sic gra„ tis constat, ut habeat illum alius, & alius non ha„ beat: si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non „ habet: tantum dedit, si de plena charitate dedit quod „ dedit, quantum illa in duobus minutis, quantum Zac„ chæus in dimidio rerum suarum. Non enim sine cau„ sa addidit, *frigidæ*, ut pauperem ostenderet. Ideo di„ xit, *Calicem aquæ frigidæ*, ne quis vel inde causare„ tur, quod lignum non habuerit unde calefaceret a„ quam. *Calicem aquæ frigidæ qui dederit uni ex mini„ mis, non perdet mercedem suam.* Quid si nec hoc ha„ beat? Securus sit, etsi nec *hoc habet. Pax in terra* „ *hominibus bonæ voluntatis*: Tantum illud timeat, ne „ habeat, & non faciat. Si enim habet, & non facit, „ intus gelavit. "

CAPUT XI.

Sensus Litteralis.

1. ET *factum est, cum consummasset Jesus præcipiens duodecim Discipulis suis, transiit inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum.* Cum finem præcipiendi ac instruendi Apostolos fecisset Jesus, data opera ab illis recessit, ut occasionem haberent exequendi mandata, & legationem a Domino commissam obire statim inciperent. Transiit autem, ut docendi & prædicandi munus, quo nullum præstantius est, non vicaria tantum Apostolorum opera impleret, sed ipse per se præstaret in civitatibus Judæorum.

2. *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Quæ hic, & cap. 14. de Joanne narrantur, ante missionem Apostolorum contigisse, colligitur ex S. Luca c. 7. v. 18. & opinione Herodis de Christo, quam S. Matth. c. 24. fuisse causam secessus Christi in desertum cum Apostolis ex missione reversis testatur. Cum Joannes in carcere detentus ab Hærode, audivisset Christi miracula, cum Propheticis de illo Oraculis congruentia, duos e Discipulis suis ad eum misit, tum honoris causa, tum ut legitimi testes essent ad reliquos etiam instruendos, qui æmulatione quadam pro Magistro, quadamtenus a Christo alieni erant. Unde & antea ad ipsum accedentes dixerant: *Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter: Discipuli autem tui non jejunant?* Et Joanni olim dixerant ex eodem invidiæ ac livoris ingenio: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Misit autem Discipulos ad Christum, & per ipsos interrogavit, an Messias ille esset a Judæis expectatus, & eorum Patribus a Deo promissus, non quod ipse ea de re ullatenus dubitaret, aut de futura Christi morte, & ad inferos descensu, ut nonnullis veterum Patrum visum est, aut quod Prophetæ Spiritus in Joanne defecisset, translatus ad Christum, ut *Tertulliano* placuit; sed quod Joannis Discipuli subdubitarent, num forte Christum sibi præposuisset, seque malorum prædicasset modestiæ causa, nec illius divinitatem adhuc compertam haberent. Quamobrem operæ pretium duxit illos ad Christum instruendos mittere ut admirabilibus ejus operibus persuasi, ipsi crederent, illique adhærerent. *Non quasi ignorans interrogat* (inquit S. Hieronxmus) *Ipse enim ceteris ignorantibus demonstraverat dicens*: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi: & *Patris vocem audierat intonantis*, Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui mihi. Sed quomodo Salvator interrogat, ubi positus sit Lazarus; ut qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem: sic & Joannes interficiendus ab Hærode, Discipulos suos mittit ad Christum ut per hanc occasionem videntes signa, atque virtutes crederent in Eum, & Magistro interrogante, sibi discerent. *Ita ante S. Hieron. S. Hilar.* „ Joannes „ detentus in carcere Dominum ignorat; & Propheta „ tantus Deum suum nescit? Atque in venturum ut „ præitor nuntiavit, confitentem ut Propheta agnovit, „ adeuntem ut confessor veneratus est. Unde tam variæ „ & tam abundanti ejus scientiæ error obrepsit? Sed „ consequens de eo Domini testimonium sentiri hoc ita „ non sinit. Neque sane credi potest, Spiritus S. gloriam „ in carcere posito defuisse, cum Apostolis virtutis suæ „ lumen esset in carcere positis ministraturus. . . . Ta„ li igitur Jonnes exemplo, non suæ, sed Discipulorum „ ignorantiæ consulit: ipse enim Venturum prædicavit. „ Sed ut scirent non alium a se prædicatum, ad opera „ ejus intuenda discipulos suos misit: ut auctoritatem di„ ctis suis illius opera conferrent, neque Christus alius „ expectaretur, quam cui testimonium opera præstitis„ sent. "

Matth. 9. 14. 30. 3. 26. *S. Hier. in hunc locum. S. Hilar. Tract.* 11. *in Joann. Vide & S. Jo: Chrys. Hom.* 37. *in Matth.*

Tu es qui venturus es? Tu-ne Messias es promissus, sive Christus, qui venturus expectatur ex vaticiniis Prophetarum? Messiam namque hoc nomine, *Qui venturus est*, significant sacra Oracula. Gen. 49. 10. *Non auferetur*

retur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. Is. 35. 4. *Deus ipse veniet, & salvabit vos.* Matth. 21. 9. *Benedictus qui venit in nomine Domini* Hebr. 10. 37. *Adhuc enim modicum aliquantulum, Qui venturus est, veniet, & non tardabit.*

3. *Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis.* Quod illos ad Joannem remittat Christus, prudentiæ & charitatis est eorum incredulitatem vel ignorantiam dissimulantis, ne exprobratio vel increpatio eorum animos a notitia veritatis, & disciplina fidei averteret. *Ite, renuntiate Joanni quæ audistis*: Mortuorum resurrectionem non viderant, sed audiverant: & *vidistis*: Alia enim miracula a Christo fieri ipsi viderant, ut ex Luc. c. 7. compertum est. Ubi enim filium unicum viduæ juxta portam civitatis Naim a Christo suscitatum retulit, famamque miraculi diffusam in universam Judæam, & in omnem circa regionem; statim subdit: *Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cum autem venissent viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te dicens, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum) Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis.* Testimonium operum longe certius est quam verborum. Ideo Christus non respondit, Ego sum Messias; sed miraculis id probavit, & Joannis testimonium de se confirmavit, in se impletum ostendens Isaiæ de Messia vaticinium, *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Et, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem*, &c. „ Quia ergo sicut „ Deus qua mente misisset Joannes, non erat nescius, „ cæcos, claudos, aliosque morbis plurimis laborantes „ illico curavit, non ut Joannes hæc disceret: non in„ digebat enim his ille qui credebat, sed ut discipulos „ ejus dubitantes attraheret. Ideo post curationem mul„ torum, ait: " *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* „ Ex quo illis ostendit non esse sibi occultas co„ gitationes eorum. Quod si respondisset, Ego sum; & „ ostendisset illos hoc responsum, & dixissent, aut cer„ te cogitassent, quod Judæi crebro objecerant, *Tu de „ te ipso testimonium perhibes*: idcirco id non ait, sed „ signis illos ad fidem adducit, ut & omni suscipione „ doctrina ejus careat, & dilucidior sit.

Luc. 7.

Is. 35. 4. & 61. 1.

S. Jo: Chrys. Hom. 17. in Matth.

Pauperes evangelizantur, Evangelica doctrinæ pauperibus annuntiatur, Regnum cælorum ipsis promittitur. Quid vero admirabilius, quam pauperem Regno destinari? *Pauperes evangelizantur*, vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes (inquit S. Hieron.) ut nulla inter nobiles & ignobiles, inter divites & egenos in prædicatione distantia sit. *Hæc Magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem: quando omnis apud eum, qui salvari potest, æqualis est.*

S. Hier. in hunc locum.

4. *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Beatus, qui offendiculi ac lapsus occasionem ex me non cœperit; qui statu meo humili & paupere, doctrinæ meæ severitate, passione, mortis ignominia absterritus non fuerit quo minus in me credat. Christus enim *Lapis* est *offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.* Lapis, inquam, offensionis est, non suo vitio, qui venit & mortuus est ut omnibus fundamentum esset ad fidem, sanctificationem, & salutem, sed hominum malitia & infidelitate, ut ab Isaia prædictum est: *Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Discipulos autem Joannis ad se missos occulte arguit Christus, & mentis ipsorum affectum sibi notum esse significat, qui scandalum ex ipso sumebant, livore & invidia in transversum acti. Et ne forsitan plebs nesciens, hoc dicto Joannem fugillari arbitraretur, in illius laudes perorat.

1. Petri 2. 8. Rom. 9. 33.

Ps. 8. 14. 15.

S. Jo: Chrys. Hom. 37 in Matth.

S. Hier. Ep. 101. ad Algasiam Q. 1

5. *Illis autem abeuntibus*, (ne videretur adulari, Magistrum coram Discipulis commendans; & ne Magistri laudibus efferrentur & superbirent Joannis Discipuli) *cœpit Jesus ad turbas dicere de Joanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* „ Num„ quid ad hoc in desertum existis, ut videretis homi„ nem instar arundinis ventorum flatu in varias partes „ inclinari, ut quem ante laudaverat, de eo nunc dubi„ tet; & de quo prius dixerat, *Ecce Agnus Dei*, nunc „ interroget utrum ipse an alius sit, qui vel venerit vel „ venturus sit? Et quia omnis prædicatio falsa, sectatur „ lucra, & gloriam quærit humanam, ut per gloriam „ nascantur compendia, asserit eum camelorum vestitum „ pilis, nulli posse adulationi succumbere, & qui locu„ stis vescitur ac melle silvestri, neque opes, neque a„ lias terrenas delicias quærere; rigidamque & austeram „ vitam aulas vitare Palatii, quas quærunt, qui purpu„ ra, & bysso, & serico, mollibus vestiuntur. " Joannem itaque laudat Christus ab animi magnitudine, firmitate, constantia, tum a pœnitentia & austeritate vitæ, quæ, uti & præsens ejus carcer, testantur, ipsum non ad gratiam cujusquam olim de Christo tam magnifice locutum, & nunc sententiam mutasse. Mores ejus sanctissimos omnino probare quod ejus testimonium verax sit, & sibi constans. Primo itaque Judæorum de Joanne opinionem in medium affert; quod certe maximi ponderis erat, cum ab ipsis inimicis Jesu ferretur. Deinde arduam & asperam viri vitam ipsis ob oculos ponit. Tertio quid de illo sentiat aperit. Quarto, Prophetæ auctoritate ipsorum ora obstruxit, omnemque levitatis assentationis, & inconstantiæ suspicionem a Joanne removit. A se ipso igitur seu ex propriæ indolis levitate mutabilem atque inconstantem non fuisse Joannem, totius Judææ ad ipsum concursus demonstrabat. Deliciis vero fractum, corruptum, enervatum non fuisse, testabantur amictus ipsius, eremus, carcer. Si enim deliciis caperetur, non eremum, non carceres, sed regias domos habitasset: poterat enim, si tantummodo silere voluisset, magnos ab Herode honores & sperare, & consequi. Nam si & redarguentem, & vinctum mirum in modum Herodes verebatur, multo magis tacentem coluisse. Qua ratione igitur in suspicionem incidere potest levitatis, qui tantam gestis suis, & totius vitæ tenore constantiam ostendit?

S. Jo: Chrys. Hom. 38. in Matth.

6. *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.* „ Ex ipso scilicet ma„ tris utero vaticinatus est, atque in tenebris abditus „ & occultatus. Lumen, quod pœne se erat, minime „ ignoravit. Hoc autem nomine Prophetis antecellit, „ quod Eum quoque qui prædicebatur, in carne conspe„ xit: quem Patriarchæ omnes ac Prophetæ per somnia „ quidem ac visiones quoquo modo informarunt ac de„ linearunt: reipsa autem atque oculis perspicere mini„ me potuerunt. " *Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.* Quia quem ceteri venturum esse dixerant hic venisse monstravit, dicens, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: Præsertim cum ad fastigium Prophetale Baptistæ accesserit privilegium: ut qui dixerat, *Ego a te debeo baptizari*, ipse eum baptizaverit, *non præsumptione majoris, sed obedientia discipuli ac timore servi.*

S. Isid. Pel. l. 1. Ep. 33.

S. Hier. in hunc locum & Ep. 10. Q. 1.

7. *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Hic vere ceteris Phrophetis excellentior, de quo illi vaticinati sunt. De Joanne porro vaticinatus est Malachias, dicens nomine Domini: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam antem faciem meam & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis*, &c. Joannes non natura, sed officio Angelus, qui Christum Regem metatoris instar præcessit, atque prænunciavit advenientem, viamque ipsi paravit prædicatione baptismi pœnitentiæ, & Regni cælorum jam proximi. Joannes Prophetis reliquis excellentior, quia Christo venturo propinquior. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam*, id est, ante me.

Malach. 3. 2.

8. *Amen dico vobis, Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo.* Suam de Joanne sententiam Christus aperit. Non extitit, non est a Deo suscitatus Propheta major Jo: Baptista. Comparatur Jo: Baptista cum Sanctis Veteris Testamenti, quos inter eminebant Prophetæ, non cum Sanctis Novi Testamenti, ideoque consequens non est ut Deipara Virgine vel Apostolis major habendus sit; multo minus Christo Domino & Lumine Prophetarum. Luc. 7. 26. Major inter natos mulierum Propheta Jo: Baptista nemo est, *inter natos mulierum*. „ His præfertur hominibus, qui de mulieribus na„ ti sunt, & de concubitu viri, non ei qui natus est „ ex Virgine & Spir. Sanct. Quamquam in eo quod di„ xit, *Non surrexit major inter natos mulierum Jo: Bap„ tista*. Non ceteris Prophetis & Patriarchis sanctisque „ hominibus Joannem prætulit, sed Joannem ceteris „ exæquavit. Non enim statim sequitur, ut si alii majo„ res eo non sunt, ille major aliorum sit, verum ut „ qualitatem cum ceteris Sanctis habeat. *Huic expositio„ ni germana est Sancti Ambrosii interpretatio*: Major „ sane Propheta (*inquit*) in quo finis est Prophetarum: „ Major Propheta, quia multi cupierunt videre, quem „ ille prophetavit, quem ille conspexit, quem ille bapti„ zavit. Sed tamen numquid & illo major, de quo Moy„ ses dixit, quia *Prophetam vobis suscitavit Dominus „ noster*? Et de quo dixit: *Erit autem omnis* anima quæ

S. Hil. cap. 11. in Matt. S. Hier. in hunc locum S. Aug. lib. 2. contra Adversar. Legis & Prophetar. cap. 5. S. Ambr. l. 5. in Lucam num. 110.

Deut. 18. 15 & 16.

non

„ non audierit Prophetam illum exterminata de plebe? „ Si igitur Christus Propheta, quomodo *major hic omnibus?* Numquid Christum Prophetam negamus? Immo „ & Dominum Prophetarum confitemur: Joannem autem Prophetam affero & hunc omnibus dico esse majorem, sed inter mulieres, non Virginis natos. Major enim fuit iis quibus æqualis esse poterat forte nascendi. Alia ista natura est, nec cum humanis generationibus comparanda. Non potest homini cum Deo esse ulla collatio; suis enim quisque præfertur. Denique eo usque cum Dei Filio non poterat Joannis ulla esse collatio, ut & infra Angelos esse æstimetur. "

S. Hier. in hunc locum. „ *Qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo.* Qui cum Deo regnant Angeli, immo omnis Sanctus qui jam cum Deo est, major est illo qui adhuc in prælio consistit. *Aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare.* Quamquam vero probabilis ea sit interpretatio, & sancto etiam Ambrosio, aliisque magnis viris probata, verisimilior tamen est illa quæ hæc verba ad Christum refert, ut ita intelligantur. Ille qui Joannes Baptista minor est tum ætate, cum opinione vestra, major est illo virtute, potestate, divinitate, majestate, claritate. Ista post SS. Hilarium & Jo: Chrysost. S. Aug. exponit. „ Hæc, *inquit*, verba Domini duobus „ modis possunt rectissime intelligi. Aut enim regnum „ cælorum appellavit eo loco Dominus, quod nondum „ accepimus, & in quo nondum sumus; unde & in fine „ dicturus est, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum* & quia ibi sunt sancti Angeli, quilibet in eis „ minor, major est utique quolibet sancto & justo, portante corpus quod corrumpitur & aggravat animam. „ Aut si Regnum cælorum in ea sententia illic intelligi voluit, qua & in hoc tempore significatur Ecclesia, „ cujus filii sunt omnes ab institutione generis humani „ usque nunc, quotquot justi & sancti esse potuerunt, profecto se ipsum Dominus significavit, quia nascendi tempore minor erat Joanne, major autem Divinitatis æternitate & Dominica potestate. *Proinde secundum priorem expositionem ita distinguitur:* Non surrexit inter „ natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo. *Secundum vero posteriorem ita:* Non surrexit inter natos mulierum „ major Joanne Baptista. Qui autem minor est, in regno *S. August.* „ cælorum major illo est: *Minor nativitate, major divi-* *Tract.* 13. „ *nitate, potestate, charitate: tamquam* In principio erat *in Jo. n.* 2. „ Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat *Joan.* 1. 1. „ Verbum. *Minor tempore, major majestate.* Valde inter *S. Aug. ser.* „ homines Joannes est magnus, quo solus inter homines 66. „ major est Christus. "

S. Jo. Chrys. Rom. 31. *in Matth.* *S. Aug. lib.* 2. *contra Adversar. Legis & Proph. c.* 5. *Matt.* 25.

9. *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Christus in prædicatione Regni cælestis posterior Joanne Præcursore suo, illud tamen efficacia & fructu longe majore prædicavit. Unde ab eo tempore quo Joannes Prædicatione sua signum primus dedit, & quasi vexillum erexit ad Regnum cælorum rapiendum, vel ut bravium certaminis, usque ad tempus quo Christus prædicans hæc dicit, Regnum cælorum magno concursu hominum, quasi vi & eruptione facta invaditur: illis qui a Regno prorsus alieni videbantur, ut Gentiles, publicani, & peccatores, in illud irruentibus, illudque rapientibus, Judæis *S. Hil. c.* 11. Regni hæredibus culpa sua & ignavia deturbatis. „ A- *in Matth.* „ liis Christus prædicatur, & ab aliis agnoscitur: aliis „ nascitur, & ab aliis diligitur. Sui eum respuunt, alie„ ni suscipiunt, proprii infectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit, familia rejicit. „ Testamentum filii repudiant, servi recognoscunt. Itaque „ vim Regnum cælorum patitur, inferentesque diripiunt: „ quia gloria Israel a patribus debita, a Prophetis nun„ tiata, a Christo oblata, fide Gentium occupatur & „ rapitur. " Regnum cælorum evangelizatur, *& omnis in illud vim facit*, ut loquitur Sanctus Lucas.

10. *Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Prophetæ omnes, & Lex Mosaica, Christum prædixerunt, promiserunt, & variis figuris adumbrarunt usque ad Joannis Baptistæ prædicationem, qua manifestari cœpit. *Christus finis legis ad justitiam omni credenti.* Ex eo vero tempore Regnum Dei palam prædicatur omnibus, & præsens annuntiatur. Quamobrem non mirum si vi & eruptione facta invadatur. Joanne prædicante non est mortua & abolita Lex, sed mori cœ- *Tertull. l.* pit. „ Limes enim quidam fuit Joannes constitutus inter *4. contra* „ vetera & nova, ad quem desineret Judaismus, & a *Marcionem* „ quo inciperet Christianismus: non tamen ut ab alia *c.* 33. „ virtute facta sit sedatio Legis & Prophetarum, & initiatio Evangelii, in quo est Dei Regnum, Christus „ Ipse. Nam etsi probavimus & vetera transitura, & nova successura prædicari a Creatore; si & Joannes antecursor & præparator ostenditur viarum Domini, E„ vangelium superducturi, & regnum Dei promulgaturi; „ & ex hoc jam quod Joannes venit, ipse erit Christus „ qui Joannem erat subsecuturus ut antecursorem; & si „ desierunt vetera, & cæperunt nova interstite Joanne, „ non erit mirum quod ex dispositione est Creatoris, ut

Natal. Alex. in Evang.

„ aliunde magis probetur, quam ex Legis & Prophetarum in Joannem occasu, & exinde ortu, Regnum „ Dei. Legis autem & Prophetarum ordo cessavit in „ Joanne *per adimpletionem, non per destructionem.* "

Malach 4. 5. 6. *Luc.* 2. 16. 17. *S. Aug. Tr.* 4. *in Jo:n.* 6. *S. Hier. in Epistola* 101. *Qu.* 1.

11. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* His verbis, *Et si vultis recipere*, indicat se figurate & mystice loqui, cum de Joanne ait, *Ipse est Elias.* „ Non persona scilicet, sed officio, quia sicut ille Præ„ cursor venturus est Christi judicis, ut convertat cor „ patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, se„ cundum Malachiæ Vaticinium: sic iste Præcursor fa„ ctus est Redemptoris, & Eliæ Spiritu ac virtute do„ natus a Deo est, ut Angelus testatur, dicens: Et mul„ tos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipso„ rum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtu„ te Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, *&c. Ipse* „ *est Elias.* Non quod eadem anima & in Elia & in „ Joanne fuerit, sed quod eamdem habuerit Sancti Spi„ ritus gratiam, zona cinctus, ut Elias; vivens in ere„ mo, ut Elias; persecutionem passus ab Herodiade, ut „ ille sustinuit ab Jezabel: ut quo modo Elias secundi „ Præcursor adventus est, ita Joannes venturum in carne Do„ minum Salvatorem, non solum in eremo, sed etiam in Ma„ tris utero salutavit, & exultatione corporis nuntiavit. "

12. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Qui donum habet intelligendi, quod dico, diligenter attendat. Id confirmat *S. Hier. in* mysticum esse quod mox de Joanne dixit, *Ipse est Elias*, *hunc lo-* & egere intelligentia: simulque indicat, non omnes ha- *cum. Ba-* bere donum intelligendi cœlestes veritates, nec donum *ruch.* 2. 31 obediendi iis quæ praxim spectant, sed quibus a Deo datur, ut ait Dominus per Prophetam: *Dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient.*

13. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis.* Cui comparabo hoc hominum genus, scilicet Judæos incredulos, Pharisæos & Legisperitos contumaces? Similes sunt pueris morosis, quibus cantilenæ & ludicra sodalium suorum numquam arridents, qui nolunt se illis accommodare, nec socii esse lusus? sed dum lætum aliquid canitur, se mœstum aliquid malle significant: contra vero lætum, si quid triste & lugubre proponatur. Quibus coæquales clamando exprobrant: Cecinimus vobis læta, & excitari non potuistis ad saltandum; cecinimus lugubria, & commoveri non potuistis ad planctum.

14. *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, & publicanorum & peccatorum, amicus.* Propositam similitudinem Judæis accommodat, ostendens, Deum omnem diligentiam ad eorum conversionem & salutem adhibuisse, quam tamen ipsi vitio suo & contumacia inutilem reddiderunt. Joannes a Deo missus pœnitentiæ preco, non manducabat nec bibebat communi hominum more, si quidem locustæ & mel silvestre illi cibus erant, aqua potus. Vinum enim & siceram non bibit. Quamobrem vitæ austeritate, & pœnitentiæ prædicatione, velut carmine lugubri ad plangenda peccata, & mores emendandos commoveret. Dixeruntque Pharisæi & eorum asseclæ. Dæmonium habet, cujus virtute austeram illam ac duram vitæ rationem ferre potest. Solent enim dæmoniaci intemperiis actis absurdis uti cibis, & aliquando multo tempore nihil manducare aut bibere. Venit Christus, manducans, & bibens, id est, promiscuo cibo & potu, more ceterorum hominum usus, & cum ipsis populariter conversatus, ut sua civilitate & comitate velut cantu lætiori illos ad Deum adduceret, atque ad pœnitentiam commoveret, qui Joannis austeritate commoti non fuerant. At illi Christi comitatum & popularitatem in contumeliam vertentes & calumniam, ipsum voracem, & vini potatorem appellarunt, hominem qui conviviis & vino indulgeret, publicanorum & peccatorum amicum, perditorum hominem & ganeonum socium, adeoque illis similem.

15. *Et justificata est sapientia a filiis suis.* Cum utramque viam salutis vobis propositam contempseritis, cum utramque prædicationem tam exhortationis ad virtutes & bona opera, quam ad pœnitentiam post peccata spreveritis, nec austerior Joannis, nec popularior Filii hominis disciplina, idest mea vivendi ratio, meaque doctrina tot confirmata miraculis, vobis placuerint: *Justificata est sapientia a filiis suis*, id est, Dei dispensatio, doctrina, *S. Hieron.* consilium. *Et ego qui sum Dei virtus, & Dei sapientia,* *in hunc lo-* *juste feci esse ab Apostolis filiis meis comprobatus sum; qui-* *cum.* *bus revelavit Pater quæ sapientibus absconderat, & prudentibus apud semetipsos.* Sive, æquitas consilii divini tam variis modis ac mediis hominum saluti consulentis, ignita est & laudata ab omnibus veræ sapientiæ cultoribus, qui meæ vel Apostolorum meorum prædicatior crediderunt. In alio Evangelio legi, *Sapientia justificata est ab operibus suis.* S. Hier. observat: *Sapientia quippe non quærit vocis testimonium, sed operum.*

16. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.* Missis ad prædicandum Apostolis, cum & ipse Dominus in civitatibus eorum prædicaret, Coro-

zain, Bethſaida, Capharnaum, earumque cives & incolæ Evangelium recipere noluiſſent, Chriſtus illis palam exprobravit ingrati animi vitium, infidelitatem, & contumaciam, qui tot miraculis ad fidem adducti, ad pœnitentiam excitati non eſſent; cum hic editorum a ſe ſignorum, virtutumque finis eſſet, non ut eorum admirationem ac laudem ſibi conciliaret.

17. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* „ Vox illa *Væ*, plangentis eſt hoc in loco, prævidentis, *S. Hieron. in hunc locum.* „ non imprecantis. Corozain autem & Bethſaida urbes „ Galilææ a Salvatore planguntur, quod poſt tanta ſi„ gna atque virtutes non egerint pœnitentiam: & præ„ feruntur eis Tyrus & Sidon, urbes idololatriæ & „ vitiis deditæ. Præferuntur autem ideo quod Tyrus „ & Sydon naturalem tantum legem calcaverint; iſtæ „ vero poſt tranſgreſſionem naturalis legis & ſcri„ ptæ, etiam ſigna quæ apud eas facta ſunt, parvi „ duxerint. „

Corozain, civitas eſt in Galilæa, una ex urbibus Decapoleos, in conſpectu Capharnaum, ad alteram, eamque Orientalem Jordanis ripam, in ſorte dimidiæ Tribus Manaſſe. *Bethſaida* Galilææ pariter civitas, in Decapoli, ad Mare Tiberiadis, in ſorte Tribus Zabulon. *Tyrus & Sidon*, urbes conterminæ Galilææ, Gentiles & idololatræ, in litore Maris Mediterranei ſitæ deliciis & luxu non minus celebres quam mercimoniis. Corozaitas igitur & Bethſaita magis reos eſſe Chriſtus declarat Tyriis & Sidoniis, ut pote magis contumaces ac ingratos Dei beneficiis: Quoniam ſi apud Tyros & Sidonios Evangelium ſuum prædicaſſet, miraculaque edidiſſet; vel ſi Ezechielis admonitiones, adhortationes, & comminationes, Tyros & Sidonios ſpectantes, talibus ac tantis miraculis comitatæ fuiſſent & confirmatæ, qualia & quanta Chriſtus in Galilæis urbibus ediderat, jamdiu & ſtatim humillimam & ſeveriſſimam pœnitentiam egiſſent, cilicio induti, & cinere conſperſi. Verum quod ait Chriſtus, Tyrios & Sidonios pœnitentiam olim acturos fuiſſe, ſi apud illos tot & tanta miracula edita fuiſſent, dixit ſpectata cauſarum ſecundarum diſpoſitione, quia minus contumaces erant minuſque indurati, quam Capharnaitæ & Bethſaitæ; non ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem Dei. *Facile eſt quippe ut infidelita-* *S. Aug. l. de Dono perſeverantiæ c. 9.* *tem accuſemur Judæorum, de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit, & dicit* Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. *Sed numquid poſſumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut crediturос non fuiſſe, ſi fierent? Cum eis ipſe Dominus atteſtetur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum? Et tamen in die judicii punientur, quamvis minori ſupplicio quam illæ civitates, quæ apud ſe virtutibus factis credere noluerunt.....* In maſſa ergo perditionis juſto Dei judicio *S. Aug. ib. c. 14.* relicti ſunt Tyrii & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. „ Sed quoniam, „ ut crederent, non erat eis datum, etiam unde cre„ derent eſt negatum. Ex quo apparet, habere quoſdam „ in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligen„ tiæ, quo moveantur ad fidem ſi congrua ſuis mentibus „ vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi „ Dei altiore judicio, a perditionis maſſa non ſunt gra„ tiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhiben„ tur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent crede„ re, ſi audirent utique talia vel viderent. In eadem „ perditionis maſſa relicti ſunt etiam Judæi, qui non „ potuerunt credere factis in conſpectu ſuo tam magnis „ clariſque virtutibus. Cur enim non poterant credere, *Jo. 12. 37 Iſai. 6. 10.* „ non tacuit Evangelium, dicens. “ Cum autem tanta „ ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum, ut „ ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, „ quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui „ revelatum eſt? Et ideo non poterant credere, quia ite„ rum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit „ cor illorum, ut non videant oculis; nec intelligant cor„ de, & convertantur, & ſanem illos. „ Non erant er„ go ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyrio„ rum & Sidoniorum: quoniam credidiſſent, ſi qualia „ viderunt iſti ſigna vidiſſent Sed nec illis profuit quod „ poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, „ cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ; „ nec iſtis obfuiſſet quod non poterant credere, ſi ita „ prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, „ & induratis cor lapideum vellet auferre. „

18. *Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remiſſius* *S. Aug. l. de Dono perſeverantiæ 9.* *erit in die judicii, quam vobis.* Ut minor eſt Tyriorum & Sidoniorum culpa, quam veſtra, qui meæ prædicationi & miraculis credere noluiſtis, & tot ac tanta beneficia contempſiſtis, ita tolerabilior erit eorum pœna in die judicii. „ Severius ergo punientur iſti, illi re„ miſſius, ſed tamen punientur. Porro ſi etiam ſecun„ dum facta, quæ facturi eſſent ſi viverent, mortui ju„ dicantur: profecto quia fideles futuri erant iſti, ſi „ eis cum tantis miraculis fuiſſet Evangelium prædica„ tum, non ſunt utique puniendi: punientur autem. „ Falſum eſt ergo & ſecundum ea mortuos judicari, „ quæ facturi eſſent, ſi ad viventes Evangelium perve„ niret.... Nullus igitur mortuus judicatur ex bonis „ ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus: alio„ quin Tyrii & Sidonii non ſecundum ea quæ geſſerunt, „ pœnas luerent; ſed potius ſecundum ea quæ geſturi „ fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſ„ ſent per grandem pœnitentiam & per Chriſti fidem „ conſequerentur ſalutem. „

19. *Et tu Capharnaum, numquid uſque in cœlum exaltaberis? Uſque in infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem.* Et tu Capharnaum, numquid putas te ſemper opibus, gloria, deliciis florentem fore, & in cœlum evehendam, quod præſentia mea, prædicatione, miraculis nobilitata ſis & illuſtrata? Hic in Textu Græco, & in Vulgata Verſione S. Lucæ ſine interrogatione legitur: *Et tu Capharnaum, uſque ad* *Luc. 10. 15.* *cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.* Et S. Hieronymus in altero Exemplari ſe reperiſſe teſtatur: *S. Hieron. in hunc locum.* *Et tu Capharnaum, quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque ad inferna deſcendes.* Quibus verbis & urbis vaſtatio, & civium æterna damnatio ſignificatur, quod prædicationi Chriſti ſuperbiſſime reſtiterint, & ejus ſignis atque virtutibus credere noluerint.

Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem. Forte, eamdem hic vim habet ac, *utique*. Deus enim certo cognoſcit & præſcit quæ ipſe facturus eſt: & quæ futura non ſunt, non eſſe futura certo novit. Omnis conjectura & dubitatio a Dei ſcientia abeſt. Cum igitur ait, *forte*, ad humanum loquendi morem ſe demittit, ut Exodi 23. 33. „ Non habitent in terra tua, ne forte pec„ care te faciant in me, ſi ſervieris Diis eorum. *Jeremiæ* „ 26. 2. Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & „ convertantur unuſquiſque a via ſua mala. *Pſalm.* 80. „ Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis „ ambulaſſet: pro nihilo forſitan inimicos eorum humi„ liaſſem. *Lucæ* 20. 12. Mittam filium meum dilectum: „ forſitan cum hunc viderint, verebuntur. *Et Joan.* 8. „ 19. Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. „ *Præclare Sanctus Hieronymus*: Verbum ambiguum, *S. Hieron. in c. 16. Iſa.* „ *forſitan* Majeſtati Domini non poteſt convenire; ſed „ noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſervetur ar„ bitrium: ne ex præſcientia ejus, quaſi neceſſitate vel „ facere quid, vel non facere cogatur. *Et Sanctus Au-* *S. Aug. Tractatu 37 in Joan.* „ *guſtinus explicans hæc verba Domini*: Si me ſciretis, „ forſitan & Patrem meum ſciretis, *ait*: Ille qui omnia „ ſcit, quando dicit, *forſitan*, non dubitat, ſed increpat. Attende enim quomodo increpative dicatur ipſum „ *forſitan*, quod videtur eſſe verbum dubitationis. Sed „ dubitationis verbum eſt quando dicitur ab homine, „ ideo dubitante quia neſciente: cum vero dicitur a Deo „ verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, „ illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Di„ vinitas: Homines enim de his rebus quas certas ha„ bent, aliquando increpative dubitant, id eſt, verbum „ dubitationis ponunt, cum corde non dubitent: velut ſi „ indigneris ſervo tuo, & dicas, Contemnis me, con„ ſidera, forſitan Dominus tuus ſum. Hinc & Apoſtolus *2. Cor. 7. 40.* „ ad quoſdam contemptores ſuos loquens, ait, *Puto au-* „ *tem & ego Spiritum Dei habeo*, Qui dicit, puto, du„ bitare videtur: ſed ille increpabat, non dubitabat. „ Et ipſe Dominus Chriſtus alio loco increpans infideli- *Luc. 18. 8.* „ tatem futuram generis humani, CUM venerit, *inquit*, „ Filius hominis putas inveniet fidem in terra? „

Verum, inquiet aliquis: Si Tyrus, Sidon, & Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Salvatoris, ſignorumque miracula, non ſunt in culpa, quod non crediderunt: ſed vitium ſilentii in eo eſt, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. „ Facilis & aperta *S. Hieron. in hunc locum.* „ reſponſio eſt. Ignorare nos judicia Dei & ſingularum „ diſpenſationum ejus ſacramenta neſcire. Propoſitum „ fuerat Domino Judææ fines non excedere, ne ju„ ſtam Phariſæis & Sacerdotibus occaſionem perſecutio„ nis daret. Unde & Apoſtolis ante paſſionem præce„ pit: *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates* „ *Samaritanorum ne intraveritis*. Corozain igitur & „ Bethſaida damnantur, quod præſenti Domino credere „ noluerunt. Tyrus & Sidon juſtificantur, quod Apoſto„ lis illius crediderunt. Non quæras tempora, cum cre„ dentium intuearis ſalutem. „

20. *Verumtamen dico vobis, Quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quam tibi*. Gravius punientur Capharnaitæ Sodomitis ipſis, cum gratias majores acceperint.

21. *In illo tempore*, Cum Diſcipuli ex miſſione reverſi eſſent ad Chriſtum, eique narraſſent plebem avide excepiſſe verbum Dei. (Lucæ 10. 21.) *Reſpon-*

pondens Jesus, ideſt incipiens vel cœptum ſermonem proſecutus: *dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* CONFITEOR, ideſt, gratias ago tibi, PATER, DOMINE CŒLI ET TERRÆ. Hinc Chriſti Divinitas & conſubſtantialitas cum Patre probatur. Deum enim Patrem ſuum vocat, cœli vero & terræ Dominum, ut ſe e rerum creatarum numero eximat, *Quia abſcondiſti hæc Myſteria adventus mei & Regni cœlorum a Sapientibus & prudentibus hujus Mundi*, ab eis qui ingenio, doctrina, & ſapientia ſæculari præſtant, abſcondiſti, inquam, non revelando, non illuſtrando mentes illorum lumine gratiæ tuæ, ut crederent, & intelligerent, & ad te converterentur: *& revelaſti ea parvulis*, ſimplicibus, rudibus, & nulla ſæculari ſapientiæ claritate inſignibus. Sapientes & prudentes intelliguntur hoc in loco; de quibus ait Apoſtolus: „ Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquiſitor hujus ſæculi? „ Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus Mundi? „ *Parvuli vero intelliguntur de quibus dictum eſt*, Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum „ dat parvulis. *Quem locum S. Ambroſius ſic exponit.* „ Intellectus ergo datus eſt etiam his qui perfectam ſapientiam non haberent, dum muti loquuntur, mortui „ reſuſcitantur. His enim ſignis intellectum eſt, ab iis qui „ rudes erant, & adhuc quaſi in cunabulis fidei conſtituti, „ ut erat populus Nationum, ipſum veniſſe qui expectabatur. Illuminat igitur fidei claritate, reſurrectionis ſuæ „ gloria, & divinorum operum poteſtate: *Et intellectum dat „ parvulis.* Quibus utique, niſi de quibus in Evangelio gratias agit Patri, in eo quod ipſe operabatur Filius, quod „ Myſteria ſua Deus abſcondiſſet a Sapientibus, & parvulis revelaſſet: oſtendens citius plebem ex Gentibus, „ vel ſtatus inferioris viros, quam Scribas & Principes „ Judæorum, & divites hujus ſæculi credituros.“

S. Hieron. 1. Cor. 1. 20. Pſ. 118. 136. S. Ambroſ. ſerm. 17. in hunc Pſalm.

22. *Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.* Sic feciſti, Pater, & rectiſſime quidem, quia conſilium, propoſitum, judicium tuum æquiſſimum eſt. Ita feciſti nulla externa ratione impulſus, ſed mero voluntatis tuæ beneplacito. His verbis oſtenditur, credentium a non credentibus, electorum a reprobis ex eadem maſſa perditionis diſcretionem, electionem ad gratiam & ad gloriam, revelationem Myſteriorum, fidem, & cetera dona ſupernaturalia, in unum Dei beneplacitum, in ſolam eius miſericordiam, refundenda, non in merita hominis. *Non* enim *volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, qui voluntatem hominis & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. *Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Sic tibi placuit: *Blandientis affectu loquitur ad Patrem, ut cœptum in Apoſtolis beneficium compleatur*: ita Pater quoniam ſic fuit placitum ante te. *Tuo placito ſunt id quod ſunt, non ſuo, merito: nec enim invenis merita, ſed prævenis.*

S. Hieron. in hunc locum. S. Bernard. Epiſt. 146

23. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Hinc Filii Dei conſubſtantialitas cum Patre confirmatur. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo per æternam generationem, tota Divinitatis ſubſtantia, ſcientia, potentia & imperium in res omnes. „ Ne quid in illo minus, quam quod in „ Deo eſt, exiſtimaretur, omnia ſibi a Patre ait tradita „ eſſe, ſolique ſe Patri cognitum, Patremque ſoli ſibi „ notum, vel cui ipſe revelare voluiſſet: revelaturus ei, „ a quo ut revelare velit oretur. Qua revelatione eamdem utriuſque in mutua cognitione eſſe ſubſtantiam „ docet, cum qui Filium cognoſceret, Patrem quoque „ cogniturus eſſet in Filio; quia omnia ei a Patre ſint „ tradita. Tradita autem non alia ſunt, quam quæ in Filio nota ſunt Patri. Nota vero ſoli Filio eſſe quæ Patris „ ſunt. Atque ita in hoc naturæ cognitionis ſecreto intelligitur, non aliud in Filio, quam quod in Patre ignobile ſit, extitiſſe.“ Gignendo igitur dedit potentiam Pater Filio, ſicut omnia quæ habet in ſubſtantia ſua, gignendo dedit ei quem genuit de ſubſtantia ſua. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, non per alienationem, ſed per communicationem. Omnes enim operationes Filio cum Patre ſunt communes, adeoque & revelatio Myſteriorum parvulis facta, & Sapientum hujus ſæculi excæcatio.

S. Hil. in c. 11. Matth. S. Aug. l. 2. contra Maximinum Arianum c. 12

Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, ut quæ per me condidit, etiam per me hominem factum, tamquam Mediatorem, inſtauraret. „ Sub iis itaque verbis diſpenſatio rerum per carnem gerendarum ſignificatur. Poſt. „ quam enim peccarat & lapſus eſſet homo, ejuſque lapſu perturbatis omnibus mors invaluiſſet ab Adam uſque ad Chriſtum, terraque execrationi data eſſet, infernus apertus, Paradiſus clauſus, cœlum infenſum, „ & tandem corrupto & interempto homine diabolus „ inſiluiſſet in nos, tum demum Deus hominum amator ac „ nolens perire hominem ad ſuam imaginem conditum, in „ hæc verba erupit, *Quem mittam, & quis proficiſcetur?* „ Omnibus tacentibus, locutus eſt Filius: *Ecce ego, mitte „ me.* Reſpondit Pater, *Vade ego*: Tum dedit illi hominem, ut ipſum Verbum caro fieret, carnemque aſſumptam in omnibus inſtauraret.“ Tradita enim ſunt

S. Athan. in illud Omnia mihi tradita ſunt a Patre &c.

Nat. Alex. In Evang.

„ illi ut Medico, qui ſanaret morſum ſerpentis: & ut „ vitæ, qua excitaret mortuum: & ut luci, quo illuminaret tenebras: & ut rationi, quo redintegraret vim „ rationalem. Poſtquam igitur tradita illi ſunt omnia, „ & factus eſt homo, correcta ſunt omnia, & perfecta „ terra pro maledictione benedictionem obtinuit, Paradiſus reſeratus eſt, infernus ſe metu contraxit, monumenta aperta ſunt reſurgentibus mortuis; portæ cœli „ elevatæ ſunt, ut intraret ille ex Edom. *Certe qua ratione ſibi omnia tradita eſſent, indicare volens Salvator, ſubjunxit*, venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Conſentit etiam cum iſtis dictum illud*: Pater diligit Filium, & omnia dedit „ in manu ejus. *Dedit enim*, Ut quemadmodum per eum „ facta ſunt, ita in eo omnia refici poſſent. Non enim „ ut ex paupere dives fieret; neque ut qui non haberet „ poteſtatem, acciperet, aſſumpſit omnia; ſed quo omnia utpote Salvator inſtauraret; exordium creaturæ „ per eum fieri, ut eſſe poſſet; & inſtaurationem in eo fieri, ut corrigeretur. Ipſe enim patiendo nos refocillavit; „ & eluriendo aluit, & ad inferos deſcendendo extulit.“

Joan. 3. 35

Et nemo novit Filium, niſi Pater, ſubintelligendum, & cui voluerit Pater revelare. Dum enim revelat Filius, etiam *Per Filium revelat Pater, tamquam per Verbum ſuum. Si enim hoc Verbum quod nos proferimus temporale & tranſitorium, & ſe ipſum oſtendit, & illud de quo loquitur: quanto magis Verbum Dei per quod facta ſunt omnia.*

S. Aug. l. 7 de Trinit. cap. 3.

Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. His verbis a perfecta Patris & Filii notitia creaturæ dumtaxat excluduntur, non Spiritus Sanctus, qui *Omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*: & per quem Deus ſua nobis revelat Myſteria teſte Apoſtolo: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.*

1. Cor. 2. 10. Ibidem. S. Hilar. & S. Hier. in hunc locum.

24. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Venite, affectibus fidei, ſpei, charitatis, ad me, qui via ſum, veritas, & vita, fons omnium bonorum, Salvator veſter: omnes qui laboratis ſub veteris hominis jugo, qui ambulaſtis per vias difficiles, qui fatigati eſtis in via iniquitatis & perditionis, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis & quaſi vinculum plauſtri peccatum: omnes qui gravati & oppreſſi eſtis jugo peccatorum, cupiditatum, miſeriarum hujus vitæ, oneribus veteris Legis, qui gemitis & ſuſpiratis ſub graviſſimis illis oneribus: & ego reficiam vos; demum onera, ſublevabo & recreabo vos, libertatem, quietem, ſecuritatem per gratiam meam vobis præſtabo, quemadmodum ab Iſaia prædictum eſt: *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Et, *Auferetur onus ejus* (Aſſur ſcilicet, qui diaboli typus eſt) *de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computreſcet jugum a facie olei*; virtute Jeſu Chriſti, de quo dictum eſt, *Oleum effuſum nomen tuum.*

Iſaiæ. 9. 4.

25 *Tollite jugum meum ſuper vos & diſcite a me; quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* Legem meam, Evangelium meum, mandata mea, diſciplinam meam ſuſcipite. *Jugum* ſcilicet imperium, legem mandata ſæpe in Scriptura ſacra ſignificat. *Geneſ.* 27. 40. *Pſ.* 2. 2. *Jer.* 2. 20. *Actor.* 15. 10. 1. *Joannis* 5. 3. Et experimento comprobabitis, me benignum eſſe, manſuetum, humilem Dominum ac Magiſtrum, non tyrannum, qui ſuperbia, faſtu, morum aſperitate, ſubditis & diſcipulis moleſtus ſim. *Diſcite a me; quia mitis ſum & humilis corde.* Ne præ ſuperbia aut impatientia jugum meum refugiatis: vobis enim moleſtum non erit; ſi meo exemplo mites & humiles eſſe diſcatis, non externa tantum ſpecie, ſed vera animi temperantia. Iſtarum exercitatione virtutum, humilitatis & manſuetudinis, *invenietis requiem animabus veſtris*, pacem internam, tranquillitatem conſcientiæ, etiam in paupertate, in adverſitatibus, in perſecutionibus.

Iſai. 10. 27.

26. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Lex mea non aſperitate moleſta, ut juga jumentis eſſe ſolent; neque gravis, ut onera, ſed ſuavis, facilis, commoda. Leve eſt autem Chriſti jugum multis nominibus, primo comparative ad veteris Legis onus, de cujus ritualibus præceptis & obſervantiis Apoſtolorum Princeps ait, *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* 2. Quia Lex Evangelii ſecum adfert ipſam implendi facultatem & facilitatem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti & gratiæ Chriſti. „ Lex *enim* per Moyſen data eſt; Gratia & veritas per Jeſum „ Chriſtum facta eſt. *Quamobrem de Evangelica Lege „ Deus per Jeremiam ait*, Dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero „ eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. *Et per „ Ezechielem*, Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum „ de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spitum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, &

Act. 15. 10. Joan. 1. Jer. 31. 33. Ezech. 36. 26. 27.

„ operemini. 3. Quia non tam timore pœnæ cogit, quam „ amore Dei & justitiæ volentes ad sui observationem 1. Joan. 6. 3. „ invitat & trahit. " *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt*, Gravia enim sunt timori, levia amori. 4. Propter magnitudinem ac certudinem propositi præmii, propter *Æternum gloriæ pondus*, visionem Dei, gaudium Domini, vitam immortalem & sempiternam, bonum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, Deum diligentibus præparatum. „ Novum „ jugum suave est, & onus leve, propter spem ac mer- „ cedem, hujus vitæ molestiis & ærumnis longe ube- S. Greg. Nazianzenus Orat. 42. „ riorem. Alioqui enim quis non Evangelium legalibus „ præceptis multo laboriosius atque ærumnosius esse di- „ ceret? Nam cum Lex peccatorum dumtaxat fines pro- „ hibeat, nobis ipsæ etiam causæ, propemodum ut ac- „ tiones, crimini vertuntur. Non adulterium commi- „ tes, inquit Lex: at tu ne concupisces quidem, ex cu- „ rioso ac studioso contuitu animi affectum incendens. „ Non occides, ait illa, at tu, ne si feriaris quidem, „ referies; quin potius percutienti te ipsum expones. „ Non junges domum cum domo, ait illa, nec agrum „ cum agro, tyrannide pauperem opprimens: at tu liben- „ ti animo justis etiam rationibus quæsitas opes excu- „ ties, atque in pauperum subsidium spoliaberis ut levi- „ ter crucem tollas, divitiasque ab aspectu remotas as- „ sequaris. "

SENSUS MORALIS.

Deut. 32. 1. 1. ET *factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim Discipulis suis transiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum*. Christum Discipulos suos dimittit, *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, ut exercere incipiant Apostolicum munus, ad quod informaverat. Interim ipse docere pergit & prædicare in Galilææ civitatibus, exemplum præbens Pastoribus Ecclesiæ suæ, ut ipsi velut *Forma facti gregis ex animo*, per se, non per Vicarios dumtaxat, & conductitios opiliones, *Pascant gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris*, sed uni gloriæ Dei, & animarum saluti procurandæ, prædicatione, doctrina, sacris visitationibus, omnibusque sacri Ministerii functionibus, assidue addicti: *Ut cum apparuerit Princeps Pastorum*, Christus ipse Dominus, *Percipiant immarcescibilem gloriæ coronam*. Quam sacrum, quam sublime, quam glorioſum prædicandi munus, quod Jesus per se ipsum exercuit, nec intermisit! Id Episcoporum proprium, ab ipsis per se exercendum, quantum fieri potest, ut sacra Synodus Tridentina statuit.

2. *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Joannis exemplum Pastores, Doctores, & Moderatores conscientiarum imitentur: eorum, quos regunt & dirigunt, infirmitati se accommodent, ut illos instruant, charitate & humilitate magistra illorum spiritualibus necessitatibus & utilitatibus se totos impendant, Christum respiciant unum *Auctorem & consummatorem fidei nostræ*: illos ad Christum mittant, eique in omnibus adhærere doceant ac parere.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, &c. Visitandi sunt, alendi, redimendi captivi: Id enim opus est misericordiæ a Christo in supremo judicii die munerandum: *In carcere eram, & venisti ad me*. Sed imprimis docendi sunt quis sit verus Liberator & Redemp- Matth. 35. 36. tor, prædicandum illis est Redemptionis Mysterium, docendi sunt quæ sit vera captivitas, quam lugendus status animæ sub peccati & diaboli servitute captivæ, ut ad Tertull. lib Ad Martyris. Christum Liberatorem confugiant, & captivitate corporis bene utantur ad animæ libertatem & salutem consequendam. „ Carnem enim saginari, & spiritum esurire, non „ prodest. Immo si quod infirmum est curatur, æque quod „ infirmius est negligi non debet. *Ipse magis Mundus „ carcer est*! Majores tenebras habet Mundus, quæ ho- „ minum præcordia excæcant. Graviores catenas induit „ Mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. „ Pejores immunditias exspirat Mundus, libidines homi- „ num. Plures postremo reos continet, scilicet univer- „ sum hominum genus. Judicia denique non Proconsulis, „ sed Dei sustinet. " Hærodes igitur libidini suæ, ceteriique cupiditatibus serviens infælicior est, captivusque magis, quam Joannes in carcere: Joannes in carcere vinculisque liberior ac felicior est, quam Hærodes in solio. Carcer tenebras habet, sed Joannes lumen est, Joann. 5. 35 *Lucerna ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus*. Carcer habet vincula, sed Joannes solutus est Deo. Triste illic expirat, sed Joannes est odor suavitatis. Judex expectatur, sed Joannes est de ipsis Judicibus judicaturus. Non multum discriminis est inter Joannis carcerem & eremum. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. *Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cœlo est. Totum hominem animus circumfert, & quo velit transfert*. Joannes vinctus Discipulis suis dux est ad Christum: Hærodi ipsi venerationi est & terrori. Audiens opera Christi, gaudet in ergastulo, qui ad ejus præsentiam exultavit in utero: illuminandos & sanctificandos Discipulos suos ad illum dirigit, qui ab ipso illuminatus & sanctificatus est antequam in lucem prodiret.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis, ait illi, &c. Adversis rebus, afflictionibus, & tribulationibus quibuscumque recte uti Christiani debent: in iis opera Christi, vitam ejus, passione ac mortem debent meditari, mentem ac voluntatem suam ad Deum erigere, ac in ipsius disciplinam humili summissoque animo se tradere, qui suos in afflictione non deserit, per Prophetam dicens: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Noli timere quando tribularis, ne quasi non tecum sit Deus. Fides sit tecum, & tecum est Deus in tribulatione. „ Fluctus sunt maris, turbaris in navigio quia dormit „ Christus. Dormiebat in navi Christus, peribant homi- S. Aug. En. „ nes. Si fides tua dormit in corde tuo, tamquam in in hunc „ navi tua dormit Christus, quia per fidem in te habi- Psal. „ tat. Cum turbari cœperis, excita Christum dormien- „ tem: erige fidem tuam & noveris quia non te deserit. „ Sed ideo putas te deseri, quia non quando vis eripit. „ Eripuit tres pueros de igne. Qui eripuit tres pueros, „ deseruit Machabæos? Absit. Et illos eripuit, & illos: „ illos corporaliter, ut infideles confunderentur; istos spi- „ ritaliter, ut fideles imitarentur. " Sic eripuit & Joannem amicum ac Præcursorem suum, non corporaliter, sed spiritualiter. Tribulatio nos ad Deum revocat: unde de Israelitis scriptum est: *Cum occideret eos, quærebant eum & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*. Tribu- Ps. 77. 34. latio nos erudit, Christique discipulos facit, si modo ea bene utamur. *Pedagogus noster tribulatio*. Tribulatio cor S. Jo. Chrys. nostrum dilatat, ut Deum diligamus, ut cælestia desideremus; quod rebus prosperis coarctatum erat, & ad terrena conversum. „ In tribulatione dilatasti mihi. *Hinc Apostolus*, Psalm. 4. „ Gloriamur, *inquit*, in tribulationibus, scientes quo- „ niam tribulatio patientiam operatur, patientia autem Rom. 5. 3. „ probationem, probatio vero spem, spes autem non 4. 5. „ confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus „ nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. " Non habet cordis angustias, quamvis extrinsecus a persequentibus ingerantur. Quid est corde dilatari? *Est jam corde habere infusum Deum, cum quo intrin- S. Aug. En. secus colloquatur*. Sic Joannes in carcere positus, per dis- in Ps. 4. cipulos suos extrinsecus cum Christo colloqui tur, ipsum interrogans; intrinsecus autem & immediate in corde suo, ubi per fidem & charitatem habitat.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, &c. Res adversæ Christianum hominem purgant, & Deo conjungunt, si bene illis utatur. Sagittas arcana significatione jaculabatur in gratiam Davidis intimus ejus amicus Jonathas, & hic quidem sagittarum scopus erat: *Si dixero puero*, inquit, *Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: Tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ec- 1. Reg. 20. ce sagittæ ultra te sunt; vade in pace, quia dimisit te 22. Dominus*. Si Dei sagittæ ultra peccatorem sunt, de illius salute actum est, dimisit eum Dominus secundum desideria cordis ejus. At vero si intra illum sunt, si percussus est & tribulationibus vexatur, pax illi erit, & nihil est mali. Quare? causam opportune Sanctus Job explicat: *Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebi- Job. 6. 4. bit spiritum meum*; id est, quod in me humanum & terrenum erat, interimunt. „ Quid enim spiritus hominis, S. Greg. M. „ nisi spiritus elationis? Sagittæ autem Domini spiritum lib. 7. Mora- „ hominis ebibunt, cum supernæ animadversionis sententia lium c. 3. „ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Do- „ mini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterio- „ ribus introrsum trahunt. Sagittarum ergo indignatio ju- „ sti spiritum ebibit, quia supernæ sententiæ electos quos „ in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant, ut „ duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salu- „ tifero vulnere sanguis confessionis currat. "

Tribulationes pro Christo pati, prope divinum est: Deus enim ad eorum qui pro ipso patiuntur, societatem & nu- Daniel 3. merum se adjungit. Unde Daniel sub persona Regis Ba- 29. bylonis ait: *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis Filio Dei*. Quem locum S. Jo. Chrysost. versans: *O quibus*, inquit, S. Jo. Chrys. *te incorrupta fides triumphis extendis! Ageat tibi amica* lib. de Tribus *Majestas, at innocentia liberetur. Patitur se Deus cum* pueris. *pueris in supplicio numerari*. Non minus Joanni aderat vincto in carcere.

Scite componit S. Gregorius Nyssenus Sponsam cæ- 1. Cor. 10. 4. lestem pro Sponso vulneratam & afflictam, cum petra illa S. Greg. spiritali & mystica, de qua Apostolus ait, *Petra au- Nyss. tem erat Christus*, quasi ad hanc sublimitatem per labo- rum & rerum adversarum tolerantiam fuerit evecta. „ Virgam verberantem, *inquit*, sponte sua recipit. Imi- „ tatur saxum illud, de quo Vates ait, *Percussit pe- Hom. 12. in „ tram, & fluxerunt aquæ*. Viden quantam ad sublimi- Cantica. „ tatem Sponsa pervenerit? Eam nimirum ob causam „ percussa, velut a Moyse rupes illa feriebatur, ut ad Ps. 77. 20 „ simi-

„ similitudinem illius & ipsa Verbum Dei de vulnere im-
„ bris instar effusum pro sitientibus quasi quamdam sca-
„ turiginem emittat. „ Ut enim scaturigo continuo ef-
fundit aquas: ita Anima justi in tribulatione positi ver-
bum Dei continuo parturit: sicut Christus in cruce,
quam *Thalamum Sponsi* S. Augustinus vocat, obstetrican-
te luncea peperit Ecclesiam. Sic Joannes in vinculis spi-
ritualiter parit Christum, seu discipulos potius suos in
Christo, donec in illis Christus formetur. Ideo illos ad
Christum mittit.

* *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mit-
tens duos de discipulis suis*, &c. Joannes typus legis
S. Hilar. cap. 11. in Matt. fuit. „ Christum porro Lex annuntiavit, & remissionem
„ peccatorum prædicavit & Regnum cœlorum spopon-
„ dit: & Joannes totum hoc opus Legis explevit. Igi-
„ tur cessante jam Lege, quæ peccatis plebis inclusa,
„ & populi victa vitiis, ne Christus posset intelligi,
„ vinculis & carcere continebatur. *Ergo ad Evangelia*
„ *contenda Lex mittit: ut infidelitas fidem dictorum*
„ *contempletur in factis; & quod intra eam peccatorum*
„ *fraude sit vinctum, per intelligentiam libertatis Evan-*
S. Amb. l. 5. „ *gelicæ absolvatur* . . . . Mittit ergo Discipulos suos ad
in Luc. n. „ Christum Joannes, ut supplementam scientiæ consequan-
96. & 96. „ tur, quia *Plenitudo Legis Christus est*: ut quoniam
„ plerumque nutant dicta sine factis, & fides plenior ge-
„ storum testificationibus, quam verborum sponsionibus
„ exhibetur, quæ tunc in pectoribus Judæorum velut ob-
„ servata Lege nutabat, ipso spectaculo Dominicæ cru-
„ cis, & pleno Resurrectionis testimonio panderetur.
„ Duos illos Joannis Discipulos duorum populorum ty-
„ pos esse addit S. Ambrosius: quorum unus ex Judæis
Matt. 13. „ credidit, alter ex Gentibus, qui ideo credidit, quia
16. „ audivit. Voluerunt ergo isti videre, propter illud: *Ve-
„ *stri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ
„ *quia audiunt*: Sed etiam nos vidimus in Joanne: ocu-
„ lis nostris perspeximus in Apostolis: & manibus nostris
„ perscrutati sumus in Thomæ digitis. *Quod* enim *fuit
„ *ab initio, quod audivimus, quod vidimus, oculis no-
„ *stris, quod perspeximus, & manus nostræ contrecta-
Gen. 18. 20. „ *verunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est*, &c.
& seq. & „ Quando manifestata est? Quando vidimus. Itaque &
22. Josue 5. „ nunc qui Vetus Testamentum recensent antequam co-
14. „ gnoscant Evangelium, & quasi quædam Dominici cor-
„ poris legant vestigia, venturum putant, & requirunt
„ utrum ipse sit Christus Dei Filius, qui venturus est.
„ Et cum legunt quando cum Abraham locutus est, vel
„ quando se Dux militiæ cœlestis ostendit, dicunt uti-
„ que: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*
„ Cum autem venerint ad Evangelium, & cognoverint
„ illuminari cæcos, ambulare claudos, audisse surdos,
„ mundatos esse leprosos, mortuos resurrexisse, tunc di-
„ cunt: *Vidimus eam & oculis nostris perspeximus*, & in
„ vestigia clavorum ejus digitos nostros inseruimus. Vi-
„ demur enim nobis vidisse, quem legimus, spectasse pen-
„ dentem, & vulnera ejus, spiritu Ecclesiæ scrutante,
„ tentasse. Aut fortasse in parte quadam operatrice cor-
„ poris nostri omnes videmur investigasse Dominicæ se-
„ riem Passionis; fides enim per paucos ad plures per-
„ venit. *Lex ergo Christum venturum annuntiat: Evan-
„ *gelii Scriptura venisse confirmat.* “

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Heu! Christianorum plurimi ita vivunt, ac si Christus non ve-
nisset, ac si alium expectarent. Judaice vivunt in Eccle-
sia. Observantiis exterioribus contenti, de interiori ho-
mine nullatenus curant: Deum adorant, sed non in spi-
ritu & veritate: amicos diligunt, sed inimicos oderunt:
Dominicos & festos dies celebrant, & a servilibus ope-
ribus abstinere videntur, sed quæ omnium maxime ser-
vilia sunt, opera peccati sacris illis diebus facere non
verentur. Ipsa multorum, qui pietatem profitentur, ju-
stitia, non est abundantior justitia Scribarum & Phari-
sæorum.

Judæi propter beneficia terrena Deo serviebant, illum
S. August. collebant *timore servili, non liberali dilectione*. Christia-
ni pauciissimi Deo propter ipsum serviunt, ipsumque amo-
re casto colunt. *Sic ergo Deus non colitur. Hoc e-
nim colitur quod diligitur*. Major pars nec timore ju-
diciorum Dei Legem ejus servat ac mandata. Verum si
illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum No-
vum Testamentum nondum fuerat revelatum; quanto in-
excusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cœ-
lestia in Novo Testamento revelata sunt? In hoc plerique
Christiani pejores Judæis, quod illi, quamvis præsentia
& temporalia tamen ab uno Deo quærebant; isti vero
Ethnicos imitantur, qui non solum terrena desideraverunt, sed etiam a dæmonibus petierunt; siquidem rapi-
nis, fraudibus, usuris, aliisque malis artibus opes con-
gregant.

3. *Et respondens Jesus ait illis. Euntes renuntiate Jo-
anni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi am-
bulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resur-
gunt, pauperes evangelizantur*. Plenum sane testimoni-
Ps. 145. um, quo Dominus cognosceretur. De illo enim, non de
S. Ambr. l. alio Propheta dixerat. *Dominus erigit elisos, Dominus
solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Qui ista fa-
ciet, *Regnabit Dominus in æternum*. Ergo non humanæ
ista, sed divinæ virtutis insignia sunt. „ Hæc miracula
„ ante Evangelium vel rara, vel nulla. Receperit To-
„ bias oculos, unus est in exemplo, & tamen Angeli fuit
„ illa medicina, non hominis. Elias mortuum suscita-
„ verit; ille tamen rogavit & flevit: Hic jussit. Elisæus
„ leprosum mundari fecerit; non tamen illic valuit pre-
„ cepti auctoritas, sed figura Mysterii. Non defecerit ad
„ escam Viduæ esurientis Propheticis se multiplicans fa-
„ rina præceptis; unam tamen viduam farina illa, vel
„ potius eamdem quoque Sacramenti species præfigurata
„ servavit. Sed tamen parva adhuc ista Dominicæ testi-
„ ficationis exempla sunt: Plenitudo fidei, crux Domi-
„ ni, obitus, sepultura est. “ Non modo autem corpora-
liter, sed spiritualiter hæc operatus est Christus, quod
Divinitatis ipsius splendidius efficaciusque argumentum est:
Populus enim qui ambulabat in tenebris, vidit lucem ma- *Isai. 9.*
*gnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta
est eis*. Idololatriæ tenebris, variisque erroribus obcæca-
tos, ad purum sincerumque veri Dei cultum traduxit.
Claudos, & rectis gressibus in via salutis ambulare non
valentes, quia cor eorum non erat rectum, nec recti af-
fectus, sed in terram curvi, & obliqui, sanata illorum
infirmitate, ambulare fecit in via Mandatorum Dei re-
cte, facile, celeriter, hilariter. Lepra peccati macula-
tos, *Lavit in sanguine suo, Mundavit lavacro aquæ in
verbo vitæ*. Aures interiores hominum ad verba salutis,
ad verba vitæ æternæ surdorum, aperuit ut audirent,
ut intelligerent, ut obedirent. Unius delicto, propriisque
peccatis secundum animam mortuos suscitavit, & in se
ipso vivere fecit, vetere homine expoliatos, & ad vitæ
spiritalis, ac cœlestis novitatem immutatos. Pauperes,
humiles corde, mundi suique ipsius amore vacuos, mise-
riæ suæ ac impotentiæ conscios, Evangelii veritate &
gratia ditavit, implevit. Sic impletum est Isaiæ vatici-
nium: *Et audient in die illa surdi verba libri, & de* *Isai. 29. 18.*
tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et audient *19.*
*mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in san-
cto Israel exultabunt*

Ex divinis operibus agnoscitur Christus: ex sanctis o-
peribes agnoscitur Christianus. Christianus frustra nomi-
natur, qui Christum minime imitatur. Christianum pu-
tas, qui in tenebris adhuc ambulat, qui a Christo illu-
minari non vult, qui diligit tenebras magis quam lucem,
qui dicit bonum malum & malum bonum? Christianos
putas, qui occludunt aures verbo Dei; surdos ad voces
Dei intus ad cor eorum loquentis, ad verba Prophetа-
rum, Apostolorum, ipsius Christi, & Ministrorum ac
Prædicatorum ejus tot annos ipsos admonentium, ut
convertantur & pœnitentiam agant, ut bona male par-
ta restituant, ut cum inimicis reconcilientur, ut viola-
tum proximi honorem famamque resarciant; surdos ad
voces Christi pœnas æternas comminantis, æternam fæ-
licitatem, vitamque & gloriam immortalem promitten-
tis? Christianos putas, qui nec a lepra peccati mundari
volunt, nec a morte peccati ad vitam suscitari? Qui vel
peccata non confitentur, vel proximas eorum occasiones
minime deserunt, vel pravos habitus non expugnant?
Quibus illa Isaiæ verba conveniunt: *Populus ad iracun-* *Isaia 30. 9.*
diam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes au- *10. 11.*
dire Legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre: *S. Cæs.*
& aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: *Arelat.*
Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte *serm. 67.*
a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie no- *inter Augu-*
stra Sanctus Israel. „ Non nobis sufficit quod Christia- *stinianos,*
„ num nomen accepimus, si opera Christiana non fece- *olim de*
„ rimus. Illi enim prodest quod Christianus dicitur, qui *Tempore*
„ castitatem diligit, ebrietatem fugit, superbiam dete- *216. Nunc*
„ statur, invidiam ut venenum diaboli respuit. Ille vere *Appendice*
„ Christiane est, qui furtum non facit, qui falsum te- *266.*
„ stimonium non dicit, qui nec mentitur, nec perjurat,
„ qui adulterium non committit, qui ad Ecclesiam fre-
„ quentius venit; qui de fructibus suis non gustat, nisi
„ prius ex ipsis Deo aliquid offerat, qui decimas annis
„ singulis erogandas pauperibus reddit, qui Sacerdotibus
„ suis honorem impendit, qui omnes homines sicut se
„ ipsum diligit. Ille vero non solum Christianus est,
„ sed & ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolo-
„ sas & mensuras duplices velut gladium diaboli perti-
„ mescit: ille bonus Christianus est, qui quando ad Ec-
„ clesiam venit, & oblationes exhibet, & pauperibus se-
„ cundum quod vires habet, pecunium porrigit aut buc-
„ cellam: qui peregrinos in domum suam excipit, qui
„ hospitibus pedes lavat; qui non solum lites non con-
„ citat, sed etiam discordes ad concordiam revocat: qui
„ majoribus & parentibus honorem & amorem veræ cha-
„ ritatis impendit; qui & ipse caste vivit, & filios &
„ vicinos suos ut caste & sobrie vivant, & verbis ad-
„ monet, & exemplis docet. “

4. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*. Ille
ex Christo scandalum patitur, qui mundi placitis ac mo-
ribus Christi placita, præcepta, & exempla postponere
non veretur, qui sæculi voluptates cruci & pœnitentiæ,

spe-

ſpectacula concioni, orationi, aut piæ lectioni: qui pietatis profeſſionem, Sacramentorum frequentationem, bonorum operum jugem exercitationem, velut mulierculatum occupationes contemnit aut negligit. *Beatus qui*
S. Ambr. l. 5. in Lucam n. 102. *non fuerit ſcandalizatus in me*. Crux electis etiam ſcandalum poſſet afferre: ſed *Nullum hoc majus divinæ Perſonæ eſt teſtimonium: Nihil eſt quod magis eſſe ultra humana videatur, quam toto unum ſe obtuliſſe pro Mundo; hoc vel ſolo plene Dominus declaratur*, Denique ſic deſignatus eſt a Joanne? *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi*. Deploranda certe hominum malitia, qui rebus iis abuntur ad ſuam perditionem, quæ Chriſtus geſſit, pertulit, inſtituit, vel docuit ad eorum ſalutem: „ Viſis tot ſignis, tantiſque virtutibus, non ſcandalizari „ quiſquam potuit, ſed admirari. Sed infidelium mens „ grave in illo ſcandalum pertulit, cum eum poſt tot „ miracula morientem vidit. Unde & Paulus dicit: *Nos „ autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Stultum „ quippe hominibus viſum eſt, ut pro hominibus Auctor
1. Cor. 1. S. Gregor. M. Hom. 6. in Evang. „ vitæ moreretur: *& inde contra eum homo ſcandalum ſumſit, unde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus eſt, quanto pro hominibus & indigna ſuſcepit*. Quid ergo ſibi vult, *Beatus qui fuerit ſcandalizatus in me*? Niſi aperta voce abjectionem mortis ſuæ humilitatemque ſignare? Ac ſi dicat: *Mira quidem facio, ſed abjecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te ſubſequor, cavendum valde eſt hominibus ne in me mortem deſpiciant, qui ſigna venerantur*.

S. Ambr. lib. 5. in Lucam num. 104. 5. *Illis autem abeuntibus cœpit Jeſus ad turbas dicere de Joanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Arudini merito comparantur homines carnales, virtutis internæ vacui, fragili ſe gloriæ ſæcularis ſublimitate jactantes, quos procellis Mundi hujus obnoxios vita mobilis inquietat, in quibus ſolidæ juſtitiæ nullus eſt fructus. „ Arundines ſumus; nulla validioris „ naturæ radice fundati. Et ſi levis adſpiraverit proſperioris aura ſucceſſus, vago motu proximos verberamus: „ inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arun-
S. Hil. cap. 11. in Matth. „ dines fluvios amant, & nos labentia Mundi caduca„ que delectant. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arun„ dinem vento agitatam?* Deſertum Sancto Spiritu vacuum ſentiendum eſt, in quo habitatio Dei nulla ſit. In „ arundine enim homo talis oſtenditur, de gloria ſæcu„ li vitæ ſuæ inanitate ſpecioſus, in ſe autem fructu „ veritatis vacuus; exterior placens, & nullus interior; „ ad omnem venturum motum, id eſt, immundorum ſpi„ rituum flatum movendus neque ad conſiſtendi firmita„ tem valens, & animi medullis inanis. “ Arundo eſt vento agitata, homo quilibet levis & inconſtans, qui proſperis intumeſcit, adverſis dejicitur, modo in vitium, modo in virtutem propendet; nunc Deo ſervit, nunc Mundo & diabolo, cujus vita lapſuum & pœnitentiæ viciſſitudo perpetua eſt, ſancti propoſiti nuſquam tenax,
Jacobi 1. 8. Pſalm. 1. 5. *Inconſtans in omnibus viis ſuis*. Juſtus vero non arundo eſt vento agitata, ſed *Lignum* ſolida radice charitatis firmum, *Quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo; & folium ejus*
S. Gregor. M. Hom. 6. in Matth. *non defluet, & omnia quæcumque faciet ſemper proſperabuntur*. „ Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem „ quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram in„ flectit. Et quid per arundinem, niſi carnalis animus „ deſignatur? Qui mox favore vel detractione tangitur, „ ſtatim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab hu„ mano ore aura favoris flaverit, hilareſcit & extollitur, totumque ſe quaſi ad gratiam inflectit. Sed ſi in„ de ventus detractionis eruperit, unde laudis aura ve„ niebat, mox eum quaſi ad patrem alteram ventus fa„ roris inclinat. Sed arundo vento agitata Joannes non „ erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet „ detractionis ira aſperum faciebat. Nec proſpera hunc „ erigere, nec adverſa noverant inclinare. Arundo ven„ to agitata Joannes non erat, quem a ſtatus ſui rec„ titudine nulla rerum varietas inflectebat. Diſcamus er„ go, Fratres chariſſimi, arundinem vento agitatam non „ eſſe; ſolidemus animum inter auras linguarum poſitum, „ ſtet inflexibilis ſtatus mentis. Nulla nos detractio ad „ iram provocet, ad remiſſionem inutilis gratiæ nullus „ favor inclinet. Non nos proſpera elevent, non adver„ ſa perturbent: ut qui in ſoliditate fidei figimur “ „ nequaquam rerum tranſeuntium mutabilitate movea„ mur. “

S. Ambr. lib 5. in Lucam. 6. *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*. Utinam in ſolis Regum domibus hodie luxus & mollities regnaret: Sed paſſim mediocris etiam conditionis mulieres ſericas veſtes tectis per terram vertunt veſtigiis, uſuque faciunt ut amictus oneri ſit. „ Sunt etiam mollia
Coloſſ. 3. 9. & 10. iun„ menta delicioſi actus, & mores; propter quod nos „ hortatur Apoſtolus, ut expoliantes veterem hominem „ cum actibus ſuis, induamus novum, in quo non dul„ cis illecebra ſit, ludulque laſciviæ, ſed uſus laboris & „ fructus; eo quod tenera corporis cura, luxuque, & „ laſciviarum cupiditate molitos nequaquam cœleſtis Aula „ ſuſcipiat, ad quam duris laborioſæ gradibus virtutis *S. Gregor. M. Hom. 6. in Evang.* „ aſcenditur. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*. Non cœleſti, ſed terreno Regi militant hi, „ qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt, & ſolis exteriori„ bus dediti, præſentis vitæ mollitiem & delectationem „ quærunt. Nemo ergo exiſtimet in luxu atque ſtudio „ pretioſarum veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc cul„ pa non eſſet, nullo modo Joannem Dominus de veſti- *1. Petri 2.* „ menti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, „ nequaquam Petrus Apoſtolus feminas a pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens, *Non in veſte pretioſa*. Penſate ergo quæ culpa ſit hoc etiam viros appetere, a quo curavit Paſtor Eccleſiæ & feminas pro- *Tertull. lib. de cultu Fem.* „ hibere . . . . *Propter hominum conventus*, & Propter „ mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum „ proferuntur, ut luxuria negotietur, aut gloria inſole- *Matth. 3.* „ ſat. *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum?* Joannes mollibus veſtitus non fuit, quia *S. Gregor. M. Hom. 6. in Evang.* „ vitam peccantium non blandimentis fovit, ſed vigore „ aſperæ invectionis increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis in vobis demonſtravit fugere a ventura „ ira?* Unde & per Salomonem dicitur: *Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. Cla„ vis quippe atque ſtimulis ſapientum verba comparantur: „ quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pun„ gere. “ Si luxum & mollis vitæ delicias vitare debent Chriſtiani omnes in cruce geniti, mundo crucifixi, Chriſtoque crucifixo conformandi; multo magis Præſules & Rectores Eccleſiarum, qui Chriſtum crucifixum præ- *S. Hieronym. in* dicant. „ Qui adulatores ſunt, & ſectantur lucra, & „ deliciis affluunt, & mollibus veſtiuntur, iſti in domi- *hunc locum* „ bus Regum ſunt. Ex quo oſtenditur, rigidam vitam, „ & auſteram prædicationem vitare debere Aulas Re„ gum, & mollium hominum Palatia declinare. “

7. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam*. Is nempe non ſolum prædicationis voce, ſed vitæ auſteritate & pœnitentia cum vitæ ſanctiſſimæ innocentia conjunctis, nec non fide conſtantiſſima in propugnanda ad mortem uſque veritate, Chriſtum indigitavit. *Omnia Joannis Chriſto præſtruebantur*. Omnis ipſius vita, velut animata prophetia fuit. *Tertull. lib. de Baptiſmo* Et nos totius vitæ noſtræ actis Chriſtum prædicare debemus, ejuſque & in nobis præſentiam & inhabitationem per fidem & charitatem indicare. Triplex enim eſt Chriſti adventus, *Ad homines, in homines, contra homines*. *S. Bern. ſer. 3. in Adventu Domini.* Ejus adventum ad homines prædicavit Joannes: Adventum contra homines prædicabit Elias: Adventum in homines ſpiritualem & inviſibilem per gratiam & charitatem, fidelis mandatorum Dei obſervantia demonſtrare debet. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Joan. 14.* *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Qui juſte & pie vivit in hoc ſæculo, Chriſtum in ſe veniſſe indicat, de quo dictum eſt, *juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ*. Juſtitia virtus eſt, unicuique quod ſuum eſt tribuens. Tribue ergo omnibus quæ ſua ſunt. *Redde ſuperiori, redde inferiori, Pſalm. 88.* *redde æquali, cuique quod debes, & digne celebras adventum Chriſti, parans ei in juſtitia ſedem ſuam*.

8. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Recte qui nuntiare ſupernum Judicem mittitur. Angelus vocatur, ut dignitatem ſervet in nomi- *S. Gregor M. hom. 26. in Evang.* ne, quam explet in operatione. *Altum quidem nomen eſt, ſed vita nomine inferior non eſt*. Utinam, Fratres chariſſimi, non ad Judicium noſtrum dicamus, quia *omnes qui Sacerdotii nomine cenſentur, Angeli vocantur*. Pro- *Malach. 2* pheta teſte, qui ait: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt*. Qui viam Domino in animabus parant, Angeli debent eſſe ſcientia, vitæ puritate, zelo & ardore pro Dei gloria & ſalute proximi. Sed & unuſquiſque Chriſtianus hujus altitudinem nominis, ſi velit etiam poteſt mereri. „ Nam unuſquiſque pro virili ſua parte, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi a pravitate proximum revocat, ſi exhortari ad bene ope„ randum curat, ſi æternum Regnum vel ſupplicium erran„ ti denuntiat, cum ſanctæ denuntiationis verba impendit, „ profecto Angelus exiſtit. Et nemo dicat, Admonere „ non ſufficio; exhortari idoneus non ſum: quantum „ potes exhibe, ne male ſervatum quod acceperas talen„ tum, in tormentis pendere exigaris. Neque enim plus „ quam unum talentum acceperat, qui hoc abſcondere „ magis ſtuduit, quam erogare. Et ſcimus quod in Dei „ Tabernaculo non ſolum phialæ, ſed præcipiente Do„ mino etiam cyathi facti ſunt. Per phialas quippe do- *Exod. 37* „ ctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angu„ ſta deſignatur ſcientia. Alius doctrina veritatis plenus „ audientium mentes inebriat: per hoc ergo quod dicit, „ profecto phialam porrigit. Alius explere quod ſentit „ non valet, ſed quia hoc utrumque denuntiat, profe„ cto per cyathum guſtum præbet. In Dei ergo Taber„ naculo, ideſt, in Sancta Eccleſia poſiti, ſi per doctri„ nam ſapientiæ miniſtrare phialas minime poteſtis; in

quan-

„ quantum pro divina largitate sufficitis proximis vestris
„ boni verbi cyathos date. In quantum vos profeciſſe
„ pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in via Dei so-
„ cio habere desiderate. Si quis vestrum, Frates, ad fo-
„ rum, aut fortasse ad balneum pergit, quem otiosum
„ esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa ergo
„ terrena actio vestra vos conveniat, & si ad eum ten-
„ ditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc etenim
„ scriptum est. *Qui audit, dicat, Veni*. Ut qui jam in
„ corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam
„ proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem
„ ut eleemosynam indigenti porrigat, non habet, sed
„ majus est quod tribuere valeat, qui linguam habet.
„ Plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum men-
„ tem reficere, quam vitam moriturae carnis terreno pa-
„ ne satiare. Nolite ergo, Fratres, proximis vestris elee-
„ mosynam verbi subtrahere. "

9. *Amen dico vobis, Non surrexit inter natos mulierum major Jo: Baptista: qui autem minor est in Regno cælorum major est illo.* „ Etiamsi Eliam Thesbiten dixe-
„ ris in cælum assumptum, attamen non est hic major
„ Joanne. Enoch translatus est, sed non major est ta-
„ men Joanne. Moyses maximus legislator, & omnes
„ Prophetæ, sed non majores Joanne. Non ergo Prophe-
„ tas Prophetis audeo comparare, sed ipse Dominus no-
S. Cyril. Hier. Catech. „ ster & illorum Dominus Jesus pronuntiavit: *Major in-*
„ *ter natos mulierum non surrexit Jo: Baptista*. Non in-
„ ter natos Virginum, sed mulierum. Magni servi ad
„ conservos comparatio: Filii vero ad servos minime com-
„ paranda est gratia & excellentia. Vides quantum ho-
„ minem hujus gratiæ ducem elegit nihil omnino possi-
„ dentem, solitudinis studiosum, sed non inhumanum;
„ locustas manducantem, alas parantem animæ; melle
„ vescentem, & dulciora melle utilioraque loquentem;
„ veste de pilis camelorum indutum, & exercitationis
„ typum in seipso monstrantem, qui etiam in utero ma-
„ tris cum gestaretur, a Spir. Sanct. sanctificatus est.
„ Erat quidem & Jeremias sanctificatus, sed non pro-
„ phetavit in utero: solus autem Joannes in utero exi-
„ stens exultavit in gaudio, & corporeis oculis nihil
„ videns, spiritu Dominum cognovit. Cum enim magna
„ sit gratia Baptismi, magno quoque præsule seu Mini-
S. Jo. Chrys. hom. 32. in Matth. „ stro egebat. "
Non surrexit inter natos mulierum major Jo: Baptista. „
„ Veniat in mentem tibi mensa illius, educatioque, &
„ mentis altitudo: ita enim in terris, quasi in cœlo ver-
„ sabatur. Naturæ namque omni necessitate superata,
„ mirabile quoddam peregit iter. Semper in hymnis,
„ semper in orationibus fuit. Nulli hominum antequam
„ ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua sem-
„ per offerebat colloquia: Neminem vidit umquam con-
„ servorum, nec ab aliquo visus fuit: Non lacte nutri-
„ tus, non lecto susceptus, non tecto, non foro, non
„ alia re humana usus erat: tamen mitis simul & acer
„ quorum alterum ex conversatione sua cum discipulis,
„ alterum ex responsione ad Judæos atque ad Regem li-
„ bera facile perdisces. Merito itaque Christus de illo
„ dixit, *Non surrexit inter natos mulierum major Jo:*
„ *Baptista*. " Verum ne his Joannis laudibus impulsi,
Joannem Christo præponerent, subjungit: *Qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo*. Quid igitur, inquies, Christus comparatus Joanni major erat? Minime; sed absolute & simpliciter major omnibus, nec ulli comparandus. Nec enim Joannes ipse, cume de Christo ait, *quia fortior me est*, comparando se illi dicit: nec Paulus cum de Christo scribat, *Ampliori gloria præ Moyse dignus est habitus*, illum cum Moyse comparat. Ipse etiam Christus, cum dicit de seipso, *Ecce plus quam Salomon hic*, non comparat se Salomoni. Quod si quis per comparationem id dictum contendat, id accomodate factum esse respondemus, propter audientium imbecillitatem; qui & semper ante procliviores erant ad Joannem, & tunc partim propter carceres, partim propter fiduciam qua libere Regibus loquebatur, clariorem existimabant, satisque erat si ita dictum etiam per comparationem accepissent. Consuevit profecto etiam vetus Scriptura, com-
S. Aug. ser. 66. paratione eorum quæ inter se comparari non possent, homines ab erroribus liberare, ut Ps. 85. *Non est similis tui in Diis, Domine*, & Exod. 8. *Non est Deus sicut Deus noster*. Qui minor est in Regno cælorum, major est illo. „ Commendavit Regnum quod desideremus,
„ proposuit civitatem, cujus cives esse cupiamus. Quales
„ ibi cives? Quam magni cives? Quisquis ibi minor est,
„ Joanne major est, quo nemo major surrexit inter na-
„ tos mulierum . . . " Fuerunt Prophetæ ante Joan-
nem, & multi, & magni, & sancti, digni Deo, Deo
S. Ambros. ser. 188. al 23. ex editis a Sirmondo. pleni, Salvatoris prænuntiatores, veritatis adtestatores. Verumtamen de nullo eorum dici potuit quod dictum est de Joanne. *Inter natos mulierum non surrexit major Jo: Baptista*. Quid ergo sibi vult ista magnitudo præmissa ante magnum? *Ad testimoniem magnæ humilitatis*. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putari. Posset Joannes abuti errore hominum, & non laborare ut persuaderet se esse Christum, quia hoc jam illi qui eum audiebant, & videbant, illo non dicente putaverant. Non erat ei opus seminare errorem, sed confirmare. „ At
„ ille sponsi amicus humilis, sponso zelans, non se pro
„ sponso adulterum supponens, perhibet testimonium ami-
„ co suo, & eum qui vere sponsus erat, sponsæ com-
„ mendat: Ut ametur in illo, odit se amari pro illo.
„ *Qui habet sponsam*, inquit, *sponsus est*. Et quasi dice-
„ res, quid tu? *Amicus autem*, inquit, *Sponsi stat, &*
„ *audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi*.
„ *Stat, & audit*; Discipulus audit Magistrum; quia au-
„ dit, stat; quia si non audit, cadit. Hinc magnitudo
„ Joannnis maxime commendatur; quia cum posset
„ putari Christus, maluit Christo testimonium perhibe-
„ bere, illum commendare; se humiliare, quam pro ipso
„ accipi, & a se decipi. *Discant Christiani se humiliare,*
„ *si in Regno cælorum locum habere velint*. Omnes de- *S. Aug.*
„ lectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis *serm. 96.*
„ pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu *alias de*
„ incipe, & ascendisti. " *Diversis*

10. *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. *47.*
Bonum est rapere, non ea quæ pereunt, sed Regnum cælorum. Non igitur desidia acquiri potest, sed cura & diligentia. Sed quid significat, *Vim patitur*? Vi opus est multa: *Angusta est via*, robusta anima opus est & generosa. „ Raptores præoccupare adnituntur, nihil respi- *S. Jo: Chrys. Hom.*
„ ciunt, non accusationem, non damnationem, non sup- *53. in Jo-*
„ plicium: illud solum curant ut præcurrant ceteros. *ann.*
„ Rapiamus ergo Regnum cœlorum, quæ rapina non
„ crimini, sed laudi datur: crimen est, si non rapimus;
„ non enim alterius damno diteſcimus, adnitamur ergo:
„ & licet ira & cupiditas non nos perturbet, naturæ
„ vim inferamus, mansuetudini assuescamus, parum labo-
„ remus, ut perpetuo quiescamus. Noli aurum rapere,
„ sed divitias, quarum comparatione aurum lutum esse
„ apparet. Dic quæso, plumbo tibi & auro proposito,
„ utrum potius raperes? Nonne aurum? Ubi qui rapit
„ punitur, majus honoras: ubi qui rapit honoratur, ma-
„ jus prodis: quod si utrinque puniretur, num sane ad
„ hoc magis veniſſes? Hic nihil tale est, sed beatitu-
„ do. Et quomodo potest quis rapere (*inquis*?) Dispar-
„ ge quæ habes in manibus. Quousque enim præsentia
„ servas, illa rapere non poteris. Propone tibi homi-
„ nem plenis argento manibus, quoad id tenuerit, num-
„ quid aurum rapere poterit, nisi id prius projiciat, &
„ expeditus fiat? Rapientem bene expeditum esse opor-
„ tet, ne quid eum impediat: siquidem etiam nunc con-
„ trariæ potestates sunt obviæ, ut id nobis auferant. "
Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. „ Si repetamus Dominicum illud scriptum est, *Re-*
„ *gnum Dei intra vos est*; advertimus in nobis Regnum *S. Ambr.*
„ cœleste solidari, cum Christus exploso mundani prin- *lib. 5. in*
„ cipis regno, fugatisque deliciis sæcularibus, intra no- *Lucam n.*
„ strorum secreta regnat animorum. Vis igitur menti *112. & seq.*
„ affertur humanæ, quæ diversis illecebris delinita, la-
„ borem fugit, voluptatem expetit; cum vel metu sup-
„ plicii coercita, vel præmio provocata, vincere ipsa se
„ nititur: & tamquam exantlatis laboribus, palmam quæ
„ sibi plurimis adversantibus subtrahebatur, contendit
„ eripere. Rapimus enim ex hoc mundo palmam salu-
„ tis, & quasi excubantibus obsessos serpentibus fructus
„ pervigili labore decerpimus; ita tamen ut non furtiva
„ sublatio, sed direptio sit triumphalis. Est & aliud di-
„ reptionis genus, quando aliis sublata diripimus. " Qui
sint igitur raptores illi, non laboramus intelligere, cum de Benjamin lupi rapacis genere nos manare noverimus. Præcesserat Joannes, ut justificaret populum Judæorum: Ipse Dominus venerat ad oves perditas domus Israel; Apostolos destinaverat, ut fidem populi Judæorum vel dis- *Gen. 49. 27.*
putatione, vel signis miraculisque fundarent: sed cum illi munera bi oblata defugerent, publicani & peccatores in Deum credere, in fidem coire cœperunt. Diripuit Regnum illa quæ fluxu sanguinis laborabat; nam cum Dominus ad filiam Principis Synagogæ tenderet, *furtivo quodam tactu sanitatis remedium prælibavit*. Diri- *Luc. 6. 44.*
puit Regnum illa Chananæa, quæ a suis finibus egressa, clamabat dicens; „ Miserere mei, Domine, Fili David:
„ filia mea male a dæmonio vexatur. *Vere hæc Regnum*
„ *coegit*, pertinax in præcibus, sapiens in responsis, fi- *Matth. 15*
„ delis in verbis. Prætereuntem revocat, tacentem ro- *22.*
„ gat, excusantem adorat, negantem inclinat. Nonne
„ tibi videtur eripere, cum elicit quod negatur, præri-
„ pere quod aliis reservatur? Negaverit enim Dominus
„ panem filiorum dari canibus oportere: at illa consensit,
„ & consentiendo diripuit, dicens: *Utique, Domine, nam*
„ *& catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa domi-*
„ *norum suorum*. Didicisti quemadmodum regnum cœ-
„ leste rapiatur. Cogamus igitur & nos, diripiamus il-
„ lud; nemo enim nisi festinans Pascha manducat. Sed
„ quæ est ista quæ rapit Regnum? Non improbitas, non
„ lascivia, non voluptas, sed illa de qua dicitur, Ma-
„ gna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ecce rapuit, quæ
„ quod voluit, impetravit: quod rogavit, extorsit. Ra-
„ puit & illa vidua, quæ frequenter orando, si non pro-

„ pter

„ pter innocentiam, saltem propter importunitatem, ut „ exaudiatur extorquet. Rapuit igitur Ecclesia Synago- „ gæ Regnum. Regnum meum Christus est. Rapio il- „ lum Judæis missum sub Lege, natum in Lege, nu- „ tritum juxta Legem, ut me qui eram sine Lege, ser- „ varet. Rapitur Christus, cum aliis promittitur, aliis „ prædestinatur; rapitur Christus, cum aliis nascitur, „ aliis suffragatur: rapitur Christus cum ab aliis occidi- „ tur, sepelitur a nobis; rapitur insidiantibus, rapitur „ dormientibus. Habes ubi ipsi confessi sunt nos rapuis- „ se, se dormisse, dicentes: *Dicite quia Discipuli ejus „ nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* „ Surge igitur qui dormis, ne & tu dum dormis, Christum „ amittas, *Surge qui dormis & exsurge a mortuis. Vides „ mortuos esse qui dormiunt?* Et ideo non invidemus aliis, „ sed providemus nobis; non enim mortui poterant ser- „ vare viventem. Exurgant vel sero qui dormierunt, etiam „ qui Christum perdiderunt. Non sic amittitur Christus, „ ut non revertatur, si tamen requiratur: Sed vigilanti- „ bus regreditur, & exsurgentibus præsto est: immo o- „ mnibus adest, qui ubique semper est; quia complet om- „ nia. Nulli enim deficit, nos deficimus, nulli, inquam, „ deficit, superabundat omnibus; Superabundavit enim „ peccatum, & superabundavit gratia. Gratia Christus „ est, vita Christus est, Christus resurrectio: Qui surgit „ igitur, invenit esse præsentem. Rapitur ergo Re- „ gnum cœlorum, cum Christus a domesticis denega- „ tur, a Gentilibus adoratur: rapitur, cum ab illis re- „ pudiatur, a nobis colitur: rapitur cum per hæredita- „ tem non agnoscitur, per adoptionem adquiritur. „

S. Gregor. M. Hom. 20. in Evang.

A diebus Joannis Baptistæ Regnum cœlorum vim pa- „ titur. „ Quid est Regnum cœlorum, nisi locus justorum? „ Solis enim justis cœlestis patriæ præmia debentur, ut „ humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia „ superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumi- „ dus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accen- „ sus, vel crudelitate impius, post culpas ad peniten- „ tiam redit, & vitam æternam percipit, quasi in lo- „ cum peccator intrat alienum. *A diebus ergo Jo: Ba- „ ptistæ Regnum cœlorum vim patitur, & violenti ra- „ piunt illud*: Quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, „ quid aliud quam Regno cœlorum fieri violentiam docuit? „ Recogitemus ergo mala quæ fecimus, & nosmetipsos „ assiduis lamentis atteramus. Hæreditatem justorum, „ quam non tenuimus per vitam, rapiamus per peniten- „ tiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam „ perpeti. Nam Regnum cœlorum rapi vult nostris fle- „ tibus, quod nostris meritis non debetur. „

S. Aug. Serm. 293. alias 5. ex editis a Vignerio.

11. *Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Joan- „ nem prophetaverunt.* „ Videtur Joannes interjectus qui- „ dam limes Testamentorum duorum, veteris & novi. „ Sustinet ergo personam vetustatis, & præconium novi- „ tatis. Propter personam vetustatis, de senibus nascitur: „ propter personam novitatis, in visceribus matris Pro- „ pheta declaratur. „ Vetus Testamentum, quod Lege

S. Aug. l. 19. contra Faustum c. 8.

constat & Prophetis, Prophetia fuit, præconium, & figura Novi Testamenti: Novum vero Testamentum est explicatio veteris. LEX ET PROPHETÆ USQUE AD JOANNEM. „ Lex enim quæ prævaricatores „ abundanti reatu concludebat in eam fidem, quæ po- „ stea revelata est, gratia facta est per Jesum Christum „ per quem superabundavit gratia: ac per hoc impleta, „ est per gratiam liberantem, quæ non implebatur per „ litteram jubentem. Item in ipsa Lege universa Pro- „ phetia, quæ non tantum verbis, sed etiam quarumdam

Joan. 1. 17.

„ actionum figuris Salvatoris promittebat adventum, ve- „ ritas facta est per Jesum-Christum.„ Lex enim per Moy- „ sen data est, Gratia autem & veritas per Jesum Chri- „ stum facta est. „ Ex cujus adventu jam Regnum Dei cœ- „ pit annuntiari; quia *Lex & Prophetæ usque ad Joan- „ nem*. Lex, ut reos faceret, qui desiderarent salutem; „ Prophetæ ut promitterent Salvatorem. *Lex & Pro-*

S. Aug. l. 3. ad Bonif. c. 4.

„ *phetæ usque ad Joannem*, quasi præteritæ dispensationis „ limitem quemdam, qui Mediatorem ipsum non aliqua „ umbra futuri, vel allegorica significatione, vel ulla „ Prophetica prænuntiatione venturum esse significans; „ sed digito demonstrans ait, *Ecce Agnus Dei, ecce qui „ tollit peccatum Mundi*: tamquam dicens, Quem multi „ justi videre concupierunt, in quem venturum ab ipsius „ humani generis initio crediderunt, de quo Abrahæ „ dictæ sunt promissiones, de quo scripsit Moyses, de „ quo Lex & Prophetæ sunt testes; *Ecce Agnus Dei, „ ecce qui tollit peccatum Mundi*. Ab hoc Joanne & de- „ inceps cæperunt de Christo fieri præterita vel præsen- „ tia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis justis crede- „ bantur, sperabantur, desiderabantur futura." Justi Ve- teris Testamenti, & Prophetæ, ministri erant Testamenti Veteris, hæredes novi, quia ex fide qua vivimus, una eadem- que vivebant; & ideo tametsi *nondum nomine, sed re ipsa fuerunt Christiani*. Sed, heu, ex Christianis hujus temporis plurimi sunt solo nomine, non reipsa Christiani; & in ipso Novo Testamento ad Vetus Testamentum pertinent, sub Lege positi, non sub Gratia. *Quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non evangelica fides, spes, & charitas liberos.*

12. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*. Joannes Baptista Elias fuit officio, fide, zelo, pœnitentia, animi fortitudine. Hinc imitentur Pastores & Rectores animarum, ut animas ad Christi adventum feliciter disponant. Joannes est Elias, non persona, sed spiritu & virtute, ut S. Lucas explicat; *Præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ*. S. enim Elias & virtutem magnam habuit, & gratiam: virtutem, ut ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret, virtutem abstinentiæ atque patientiæ, & spiritum prophetandi. „ In „ deserto Elias, in deserto Joannes ille corvis pascebatur, hic dumis; & calcata omni voluptatis illecebra, „ parcimoniam prætulit, luxumque contempsit: Ille Achab „ Regis gratiam non quæsivit, hic sprevit Herodis: ille Jordanem dimisit, hic ad Lavacrum salutare convertit: hic cum domino versatur in terris, ille cum „ Domino apparet in gloria: hic prioris, ille sequentis „ Dominici Præcursor Adventus." *Luc. 1. 17.* *S. Amb. l. 1. in Lucam n. 36.*

13. *Qui habet aures audiendi, audiat*: Ait Scriptura, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Putate quia ipse Dominus noster Jesu-Christus ita per Prophetam loquitur: Audiamus illum simul, audite illum per nos. „ Doceat ergo, præbeamus aurem, præbeamus „ cor. Non aperiamus aures carnis, & cordis claudamus, sed sicut ipse dixit, *Qui habet aures audiendi, audiat*. A quo autem habeant quicumque habent, ipse „ Dominus ostendit ubi ait: *Dabo eis cor cognoscendi „ me, & aures audientes*. Aures ergo audiendi, ipsum „ est donum obediendi, ut qui id haberent, venirent ad „ eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum a Patre ipsius. Exhortamur ergo atque prædicamus: sed „ qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: „ Qui vero eas non habent, fit in eis quod scriptum est: „ *Ut audientes non audiant*; audientes videlicet corporis sensu non audiant cordis assensu. Cur autem illi „ habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc est, cur „ illis datum sit a Patre ut veniant ad filium, illis autem non sit datum; quis cognovit sensum Domini, „ aut quis consiliarius ejus fuit? Aut tu qui es, o homo, qui respondeas Deo?" *S. Aug. Enn. in Ps. 33. Concione 1. Baruc. 2. 31. S. Aug. l. de Dono perseverantiæ c. 14. Mat. 13. 13.*

14. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis*. Etsi non incongrua hæc puerorum videantur esse personæ, qui levem corporis motum imprudentia adhuc maturioris gravitatis exercent; tamen ad altiorem sensum id referri potest, eo quod videantur Judæi nec Psalmis primo, nec Threnis postea Propheticis credidisse: *Psalmis ad præmia provocuti, Threnis ab errore revocati*. Cantavit David ut in salicibus nostra suspenderemus organa. Cantavit ipse & ante Arcam Domini non pro lascivia, sed pro religione saltavit. Ergo non histrionicis motibus sinuati corporis saltus, sed impigra mentis, & religiosa corporis agilitas designatur. *Sed non in triumphis, non excidiis Judæorum secuta correctio est, qui divinæ indulgentiæ muneribus provocati, levare mentem, corpus attollere, terrena deserere, cælestia quærere debuerunt; & injuriis captivitatis adtriti, deflere peccatum, quod culpa esset auctor injuriæ*. Bene ergo dicit, *Cantavimus vobis & non saltastis*. Cantavit enim Moyses quando in Mari Rubro ad transitum Judæorum fluctus obriguit, unde circumstetit, eademque equos Ægyptiorum, adscensoresque refusa demersit. Cantavit Isaias dilectæ vineæ suæ canticum, significans asperam flagitiis fore plebem, quæ fœcundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantaverunt Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intus extraque ardentibus omnibus, solos tamen ignis innoxius lamberet, nec adureret. Abacuc quoque Cantico publicam doctus mulcere mœstitiam, prophetavit dulcem Domini fore Fidelibus Passionem. *Cantaverunt ergo Prophetæ spiritualibus modulis publicæ salutis oracula resultantes. Eleverunt Prophetæ Threnis flebilibus dura Judæorum corda mulcentes.* Nec tamen cæci pervicacesque Judæi conversi sunt ad Deum. Idem Christianis potiori jure exprobratur, qui nec lætis concentibus, scilicet promissis æternorum bonorum atque gaudiorum; nec mœstis, nempe minis pœnarum æternarum, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, stridoris dentium; nec lætis Christi ad homines venientes, & salutem illis afferentis; nec lugubribus pro nobis patientis Mysteriis, ad pœnitentiam adduci possunt, *cantavimus vobis, & non saltastis*. Docuit nos Scriptura cantare graviter, psallere spiritualiter. Docuit etiam saltare sapienter, dicente Domino ad Ezechiel: *Plaude manu, & percute pedes*; neque enim histrionicos fluxi corporis motus Deus morum censor exigeret, aut indecoros crepitus viris, plaususque femineos imperaret, ut tantum Prophetam deduceret ad ludibria scenicorum, & mollia feminarum. Non congruunt Resurrectionis revelata Mysteria, & opprobria saltationis exacta. Sane est quidam proprius bonorum actuum factorumque plausus, cujus sonus in orbem exeat, & bene gestorum resultet gloria. Et honesta saltatio, qua tripudiat animus, & bonis corpus operibus elevatur; quando in salicibus organa nostra *S. Ambr. l. 6. in Luc. n. 7. 8. & 9.* *Psal. 136.* *Exod. 15.* *Isai 5. 1.* *Dan. 3. 44.* *Abac. 3. 8.* *Psal. 46. 8.* *Ezech. 6. 11.*

noſtra ſuſpendimus. Jubetur ergo Propheta plaudere manu, & percutere pede; *Jubetur pſallere, quia Sponſi nuptias jam videbat, in quibus diſponſatur Eccleſia, Chriſtus adamatur. Et bonæ nuptiæ, quando Verbo anima, ſpiritui caro nubit.* In his Propheta David nuptiis ludere nos voluit, ad has invitavit, quia ſuos poſteros copulabat, & ideo lætior quam ceteri, quaſi in ipſo actu nuptiarum poſitus, nos ad celebritatem feſti muneris adhortatur, dicens: *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob. Sumite Pſalmum, & date tympanum, pſalterium jucundum cum cythara.* Et alibi: *Pſallam tibi in cythara, ſanctus Iſrael. Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi, & anima mea quam redemiſti.* Audis citharizantium voces, audis ſaltantium crepitus, nuptias crede. *Sume & tu citharam, ut pulſata Spiritus plectro interiorum corda venarum, boni operis ſonum reddat: ſume Pſalterium, ut harmonia dictorum factorumque tuorum concinat. Sume tympanum, ut organum tui corporis ſpiritus moduletur interior, factiſque operantibus dulcis morum tuorum ſuavitas exprimatur .... Hoc canticum cecinerunt pueri, nec auditi ſunt.* Qui pueri? de quibus Iſaias ait, *Ecce ego & pueri quos dediſti mihi.* Sed hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur, ſed in Jeruſalem: Ipſa eſt enim dominicum forum, in quo præceptorum cœleſtium jura conduntur. Canitur in Eccleſia, cujus Jeruſalem typus fuit.

Pſ. 82. 2. & 3.

Pſ. 70. 22. & 23.

Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis. Cantat qui præcipit, ſaltat qui facit. *Quid eſt ſaltare, niſi motu membrorum cantico conſonare?* Quod eſt canticum noſtrum? Non proferam ego; non ſit meum. Melius miniſter ſum, quam actor. Dico canticum noſtrum: „ Nolite diligere mundum, neque ea quæ „ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo „ concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum „ & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex Mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. „ Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. „ *Audiſtis canticum, audiamus ſaltantes*: Facite vos „ congruentia morum, quod faciunt ſaltatores motu „ membrorum. Intus hoc agite, mores conſonent. Cupiditas extirpetur, charitas plantetur. De iſta arbore „ quicquid exit, bonum eſt. Cupiditas nihil boni poteſt „ generare, charitas nihil mali. Et dicitur, & laudatur, & nemo mutatur. „

S. Aug. ſer. 311. alias de Diverſis 115.

1. *Joan. 2. 15. & ſeq.*

15. *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt Sapientia a filiis ſuis.* Impii inutile reddunt malitia ſua, quicquid Deus pro illorum ſalute operatur, quemadmodum *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Araneæ ex iis floribus venenum, ex quibus apes mel conficiunt. Ægro ſtomacho ſalubriores cibi nocent. Quoſdam auſterior vitæ ratio perterret; remiſſior offendit. Bonum ipſum virtutemque vituperant in iis, quos non amant. De Miniſtris Chriſti, aut de aliis Chriſtianæ pietatis profeſſoribus temere judicant, illiſique obloquuntur, ut Scribæ ac Phariſæi Joanni, ipſique Chriſto Domino. Hi ſuperbiæ ac invidiæ fructus. Hæc vitia vitemus, regulamque charitatis ab Apoſtolo traditam ſequa-

Rom. 14. 3.

„ mur: „ Is qui manducat, non manducantem non ſper- „ nat: & qui non manducat, manducantem non judicet... „ Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo „ ſtat aut cadit... Qui manducat, Domino manducat: „ gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domi- „ no non manducat, & gratias agit Deo..... Non eſt „ regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia & pax, & gaudium Sp. S.... Bonum eſt non manducare carnem, & non „ bibere vinum... “ Regnum, inquam, Dei non eſt in eſca & potu, *Sed in æquinimitate tolerandi; quos nec copia ſublevat, nec deprimit egeſtas.* Unde & Paulus dicebat: *Scio abundare, ſcio & penuriam pati.* Rectores vero animarum, non admodum curent varia de ſe hominum ſæcularium judicia, modo quæ charitatis & ædificationis ſunt, ſectentur, & vere dicere cum Apoſtolo poſſint: *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.*

S. Aug. l. 2. Quæſt. Ev. c. 11.

Philipp. 4.

1. Cor. 9. 22.

Venit Joannes neque manducans, neque bibens, &c. *Venit Filius hominis manducans & bibens*, &c. Id eſt, oppoſitis, quibuſdam itineribus ego & Joannes ad vos venimus, idemque fecimus quod venatores ſolent facere, qui quando fugaciſſima captuque difficillima inſectantur animalia, non una via, ſed diverſis, & non diverſis ſolum, ſed per contraria plerumque ingrediuntur, ut ſi alterum effugerint, in alterum incidant. Nam quoniam univerſum pene genus hominum maxime jejunantes ſolet admirari, & duritiem vivendi approbare: idcirco ſtatim a teneris unguiculis diſpenſatione divina dure vixit Joannes, ut ad credendum verbis ipſius populi adducerentur. Sed cur, inquies, hoc iter Chriſtus non eſt ingreſſus? Immo vero hanc quoque viam ipſe confecit, cum quadraginta diebus jejunaverit, & circumiret ita docens, ut non haberet ubi caput reclinaret. Sed tamen etiam aliam iniit vitæ

S. Jo. Chryſ. Hom. 38. in Matt.

Joann. 10.

rationem, ut facilius omnes lucrifaceret. Idem enim erat, aut etiam majus, teſtimonio ejus qui duriſſima diſciplina vivendi fuerat uſus, approbari, quam ipſum jejunare atque auſtere vivere. Præterea, præter vitæ ſanctimoniam nihil magni Joannes oſtendit. *Nullum enim ſignum Joannes fecit.* Chriſtus vero ſignorum atque miraculorum teſtimonio claruit. Illam autem vivendi rationem quæ jejunio claros effecit, Joanni omnino poſtea dimiſit: ipſe autem publicanorum atque peccatorum menſas elegit, ut publicanos & peccatores ſalvaret. Interrogabimus ergo Judæos, ſi jejunium admirantur, atque collaudant, cur Joanni jejunanti non crediderunt, cujus verba ad Jeſum illos apertiſsime adducebant? Quod ſi grave ac triſte jejunium ipſis videtur, cur Jeſum comedentem atque bibentem repulerunt? Utraque enim via ſi Joannem & Jeſum recepiſſent, ſalutem conſequebantur. Illi autem quaſi crudelis quædam beſtia contumeliis utrumque lacerarunt. Non erat ergo culpa eorum quibus non credebatur, ſed eorum qui credere nolebant. Nemo enim non inſanus contraria ſimul vituperare ac laudare ſtudet. Ars eſt artium rigimen animarum. Cœleſtis medicina eſt; variam autem curandi rationem ineunt periti Medici pro morborum & temperamentorum varietate. Alii duriorem, alii mitiorem diſciplinam erga pœnitentes obſervant. Ad eumdem tamen collineant ſcopum, modo charitatem magiſtram ſequantur, quæ *Alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiſcit offendere: ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit: aliis blanda, aliis ſevera, nulli inimica, omnibus mater.* Et juſtificata eſt Sapientia a filiis ſuis. *Etſi vos perſuaſi non eſſis, me tamen jure incuſare non poteſtis.* Quod & Propheta ſignificat his verbis: *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Quamvis enim Deus ſciat nihil boni vos facturos, cura tamen & providentia ſumma erga vos utitur: ut ne umbram quidem inſulſæ dubitationis imprudentiſsimis relinquat. *Et juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.* Sapientia Dei Filius eſt; Sapientia per naturam, non per profectum. Bene ergo dicitur ſapientia, quæ Deus eſt, ab omnibus filiis ſuis juſtificata, *Quia circa omnes juſtitia ſervatur; ut ſuſceptio fiat fidelium, rejectio perfidorum.* Unde plerique Græci ſic habent. *Juſtificata eſt ſapientia ab omnibus operibus ſuis;* Quod opus juſtitiæ ſit, circa uniuſcujuſque meritum ſervare menſuram.

S. Aug. l. de Catechizandis rudibus c. 15.

Pſal. 50.

Hebr. 6. 7.

16. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.* Chriſtianos etiam ſpectant graves illæ Salvatoris exprobrationes, qui beneficiis ipſius longe majoribus abutuntur, & ad pœnitentiam non flectuntur. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Chriſtianus impœnitens, Ethnico pejor eſt, cum Dei verbo, ac miraculis; quibus Religioni conciliavit auctoritatem, pertinacius reſiſtat. Illorum *qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Sp. Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt;* culpa longe gravior, contumacia præfractior, ingrati animi vitium horribilius. Quamobrem gravior ipſos damnatio pœnaque manet in die judicii, quam Tyrios & Sidonios. Rurſus enim crucifigunt & oſtentui habent Filium Dei. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus collitur, accipi benedictionem a Deo; proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cujus conſummatio in combuſtionem.* Graviora omnino peccata ſunt, Chriſtianorum qui Dei Verbum audiunt & non faciunt, quam Paganorum qui non audierunt. Nullam enim cauſari poſſunt ignorantiam. „ Nullum ignorantiæ prætex- „ tum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptiſ- „ que ejus admiſsis, denique pœnitentia delictorum fun- „ ctus, rurſus te in delicta reſtituis. Ita, in quantum „ ignorantia ſegregaris, in tantum contumacia agglutinaris.... Cum autem ignorantes Dominum nulla excep- „ tio tueatur a pœna, quia Deum in aperto conſtitu- „ tum, & vel ex ipſis cœleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet, quanto cognitum deſpici periculoſum eſt? Deſpicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, reſumens, intellectui „ ſuo, ideſt, Dei dono contumeliam facit: reſpuit datorem cum datum deſerit... Ita in Dominum non modo „ contumax, ſed etiam ingratus apparet. „

Tertull. l. de Pœnitentia c. 5.

Væ tibi Corazain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Cur autem apud Tyrios & Sidonios miracula non fecerit, ſcrutetur, qui poteſt, judiciorum Dei tam magnum profundum; veruntamen caveat præcipitium. Securius cum Apoſtolo exclamemus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Humillima ergo animi devotione terribilia Dei judicia adoremus, quæ ſcrutari curioſe non licet. „

Rom. 11. 33. 34. Si

Proſper Reſponſione ad Excerpta Genuenſium c. 8.

licet. „ De Tyriis & Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam „ credituros fuisse ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud „ non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent? „ Quare autem hoc eis negatum fuerit: dicant si possunt, qui calumniantur, & ostendant, cur apud eos „ Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit. Nos, etiamsi rationem facti, & profunditatem „ judicii ejus penetrare non possumus, manifestissime tamen scimus, & verum esse quod dixit, & justum esse „ quod fecit: & non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam „ Corozain & Bethsaida potuisse converti, & Fideles ex „ infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. " Neque enim ulli falsum videri potest quod Veritas ait, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo: & „ Vobis datum est nosse Mysterium Regni *Joan. 6.66. Luc. 8.10.* cœlorum, illis autem non est datum: & Nemo novit Fi- *Matt. 11.27.* lium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui *Joan. 15.21.* voluerit Filius revelare; & „ Sicut Pater vivificat mortuos, „ ita & Filius quos vult vivificat: & Nemo potest dicere „ Dominum Jesum, nisi in Sp. S. His divinarum vocum au„ ctoritatibus eruditi, gratias agamus Deo, qui dedit „ nobis Spiritum fidei & virtutis, continentiæ & cha„ ritatis, sapientiæ & intellectus, concilii & fortitudi„ nis, scientiæ & pietatis, ac timoris sui. Quæ bona si „ non dedisset nobis qui omnia operatur in omnibus, „ prorsus non haberemus in nobis: & cum his qui non „ cognoverunt Deum, aut cum cognovissent, non sicut „ Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed hoc „ ipsum suæ sapientiæ deputantes, stulti facti, & ob„ scurato corde evanuerunt in cogitationibus suis: cum „ his, inquam, sederemus in tenebris, & in umbra „ mortis, nec querelam habentes de pœna, nec excu„ sationem de ignorantia, nec præsidium de natura. "

S. Greg. M. l. 35. Moralium, c. 5. *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum, & cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, & in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus: Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim post peccatum, carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit. *Job. 42.* *Ideo Job ait*: ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.

17. *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.* Frustra gloriabantur Capharnaitæ, Bethsaitæ, Corozaitæ, aliique Judæi, quod Abrahæ & Jacob filii essent, quod Idolis non servirent ut vicinæ Gentes, quod Legem a Deo accepissent, quod missi ad ipsos essent Prophetæ: illos nempe ob superbiam suam, ob luxum, ob divini verbi contemptum, ob contumaciam, ob insignem abusum tot beneficiorum ipsis a Deo collatorum, præsertim in adventu, prædicatione & miraculis ipsius Salvatoris Jesu Christi, graviores pœnas daturos in die judicii Christus denuntiat, quam execrandos Sodomæ incolas, qui nec Legem acceperunt per Angelos in manu Mediatoris, ut Judæi, nec Prophetas habuerunt, nec prædicationem Evangelii audierunt, nec miracula viderunt. Quanto graviora sunt Christianorum crimina, qui Baptismi sacramentum, pactumque cum Deo in Baptismo initum violare non verentur! „ Nam cum ad mutua hominum pacta „ firmanda Deus medium adhiberi soleat, quantum, quæso *S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. Hebr. 10. 26. & seq.* „ periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta per„ fregisse reperiamur? VOLUNTARIE enim peccantibus „ nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relin„ quitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam „ expectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumptura „ est adversarios. Irritam quis faciens Legem Moysi, sine „ ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: „ quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui „ Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti „ pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui „ gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: „ Mihi vindicta, & ego retribuam. " Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Non solum vero gravius punientur in terribili judicii die Christiani, quam Judæi, verum etiam acerbius quam nefarii illi Sodomorum incolæ. *Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi*, ingrate Christiane, qui non Legem dumtaxat naturalem, sed & Evangelicam conculcas; qui non Lothi adhortationem, sed ipsius Christi verba contemnis; qui non Angelos solum, sed Dominum Angelorum graviter offendis. *Ezech. 16. 49. 50.* *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma sicut fecisti tu, & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstulit eas, sicut vidisti.* Qui vero per Dei misericordiam pie vivunt, Deo gratias agant, timeant, humilient se coram Deo, de se nihil præsumant, ejus misericordiæ totum se debere agnoscant. „ *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.* Et *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrhæ similes fuissemus.* *Thren. 3. 22* *Rom. 29.*

18. *Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a Sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Confiteor tibi, Pater.* „ Confessio non solius est peccatoris, sed etiam aliquan- *S. Aug. serm. 67. alias 8. De* „ do laudatoris. *Confitemur ergo, sive laudantes Deum,* *Verbis Do-* „ *sive accusantes nos ipsos.* Pia est utraque confessio, sive *mini: & serm. 68.* „ cum te reprehendis, qui non es sine peccato, sive cum *alias De* „ illum laudas qui non potest habere peccatum, *Abscon-* *Div. 21.* „ *disti hæc a Sapientibus & prudentibus*: Sive ab illis, „ qui multiplicibus disputationibus & solertissima inquisitione ad investigationem creaturæ pervenerunt, sed „ Creatorem minime cognoverunt; sive ab illis qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, „ aut gratias egerunt, & videre perfecte aut salubriter „ non potuerunt, quia superbi fuerunt. *Abscondisti* ergo „ *hæc a Sapientibus & prudentibus, & revelasti ea* „ *parvulis.* Quibus parvulis? Humilibus. *Dic, super quem* „ *requiescit Spiritus meus? Super humilem & quietum,* „ *& trementem verba mea.* Hæc verba Petrus tremuit; „ Plato non tremuit. Teneat Piscator, quod perdidit „ nobilissimus Disputator. *Abscondisti hæc, &c.* Abscon„ disti superbis, & revelasti humilibus. Quæ sunt ipsa? „ Non enim cum hoc diceret, cœlum & terram adten„ debat, & quasi manu demonstrabat, cum diceret hæc. „ Quis enim non videt hæc? Vident boni, vident mali; „ quia facit solem suum oriri super bonos & malos. Quæ „ sunt ergo ista? *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo...*" Debemus esse parvuli; nam si voluerimus esse magni, quasi Sapientes & prudentes, non nobis illud revelatur. Qui sunt magni? Sapientes & prudentes. Dicentes se esse Sapientes, stulti facti sunt. Habes remedium a contrario. „ Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. Sed dic intus; quia sic *1. Cor. 3.* „ est ut dicis ... Prorsus quod ad te ipsum pertinet, quod „ ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, „ nisi esse tenebrosum in corde? Dic quia tu tibi lumen „ non es. Ut multum, oculus es; lumen non es. Quid „ prodest patens & sanus oculus, si lumen deest? Ergo dic „ a te tibi lumen non esse, & clama quod scriptum est, „ Tu illuminabis lucernam meam, Domine; lumine tuo, „ Domine, illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil „ nisi tenebræ: Tu autem lumens fugans tenebras, illu„ minans me: Non a me lumen mihi existens, sed lumen „ non participans nisi in te. *Igitur* si quis videtur inter „ vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens; „ id est, humilis fiat, ut cælesti sapientia a Deo donetur „ & illuminetur.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, &c. *S. Fulg. l. 8.* Hoc loco gratiæ Christi necessitas, gratuitumque munus *de Veritate* adstruitur, ut explicat S. Fulgentius. „ Ipsius, *inquit*, ad *Prædesti-* „ Patrem directa confessio evidenter ostendit, omnem sa- *nationis &* „ pientiam humanæ mentis ad intelligentiam divinæ præ- *c. 22. & 23.* „ dicationis invalidam, nisi Deus qui docet exterius per „ hominem loquentem per se ipsum interius docens illu„ minet atque adjuvet audientem. Ait enim: *Confiteor* „ *tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti* „ *hæc a Sapientibus & prudentibus, & revelasti ea* „ *parvulis.* Quomodo gratia omnibus asseritur data, quæ „ a Sapientibus & prudentibus, teste ipso tonante, mon„ stratur abscondita? Nam & in subsequentibus verbis, *Rom. 1.* „ agnitionem Dei non in humana potestate, sed in divina ostendit revelatione consistere, cum ait: *Nemo no-* „ *vit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi* „ *Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quis hic non „ videat hominem ab homine inutiliter sermonem do„ ctrinæ cœlestis audire; nisi ei Magister Deus reve„ lando misericorditer loquatur in corde? Hæc autem „ revelatio specialis est filiorum Dei, qua non solum „ cognitionis donum, sed etiam divinæ dilectionis ac„ cipiunt. Non enim talis est ista revelatio sive cogni„ tio, qualis illorum de quibus dicit Apostolus, *Quod* „ *notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis* „ *manifestavit; ut sint inexcusabiles, quia cum Deum* „ *cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gra-* „ *tias egerunt.* Illa itaque manifestatio qua cognoverunt „ Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non „ habuit; qua Deus sic cognoscitur ut ametur .... In „ vasis ergo misericordiæ reatus naturalis, humili, quam „ gratia spiritalis donat, fide & charitate solvitur: In „ vasis autem iræ superba cognitione nutritur: Per il„ lam cognitionem cæcum cor a semetipso inflatur ad „ mortem; per hanc autem divinitus illuminatur & hu„ miliatur ad vitam. Illa cognitione cor obscuratur insi„ piens, dum quod Dei est homo sibi superbus assignat: hac

„ autem

„ autem accipit lumen, ut hoc ipsum quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate naturæ, neque „ ex auditu Legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei „ dono sibi inesse non ambigat; semperque humilis esse „ meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio ergo illa peccato adjicit prævaricationis
S. Isidorus Pelusiota, l. 1. Epist. 44. „ reatum; ista removet a peccatore supplicium. Illa juste damnat; ista gratis justificat. Illic scientia instans „ nutrit augetque peccatum: Hic charitas ædificans cooperit multitudinem peccatorum. *Simul etiam docet Christus summa docilitate divinam ejus doctrinam nos audire oportere.* Quemadmodum pueri, cum primum litteras „ formare discunt, in Præceptorem intenti sunt, ad „ quod calamum accommodarit, lubenter atque obedienti „ animo notas excipientes: eodem modo eos quoque qui „ ad res divinas perdiscendas se conferunt, earum Magistros sequi, atque puerilem simplicitatem, & indubitatum assensum habere oportet. Abscondita enim sunt „ hæc a Sapientibus & prudentibus, inquit Dominus, „ & parvulis revelata. "

19. *Ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te* „ Nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius re-
S. Greg. M. lib. 15. Mor. c. 15. Job. 34. „ pellatur ex merito. Si enim Gentilitatem miraris assumptam. *Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?* Si Judæam obstupescis perditam, *ex quo abscondit vultum suum, quis est qui contempletur eum?* „ Itaque consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio „ fit apertæ rationis. *Ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te.* Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia „ de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus. Cum enim intulisset utrumque, non mox ratione reddidit, sed sic Deo placitum dixit, hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest, quod „ placuit justo. "

S. Hier. in hunc locum 20. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Tradita sibi omnia, non cælum & terra, & elementa intelligenda sunt, & cetera quæ ipse fecit & condidit; sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem, & ante rebelles, Deum postea sentire cæperunt. De quibus alibi ait:
Joan. 6. 39. Item Jo. 18. 9. *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et, *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.* Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: potestas omnis revelandi Mysteria salutis & gratiæ thesauro dispensandi, utpote qui sim *plenus gratiæ & veritatis.* In me sunt *abscondit omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*: In me gratiæ omnes, de cujus plenitudine omnes accipiunt. Id enim Sacerdotis & victimæ Patris, Salvatoris & Mediatoris, Capitis, Pastoris & Judicis supremi omnium hominum dignitatis & officio convenit.

S. August. serm. 142. al. 54. de Verbis Domini & 34. ex Homil. 56. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Forte avaritia vis omnia possidere? *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (inquit) Fortasse dicturus es, Christo sunt tradita, numquid mihi? Audi Apostolorum dicentem; audi, ne desperatione frangaris; audi quomodo amatus es non amandus, audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam esset in te quod amari dignum esset. Amatus es prius, ut dignus fieres qui amareris. *Etenim Christus*, sicut ait Apostolus, *Pro impiis mortuus est.* An forte impius amari merebatur? Quæro quid merebatur impius? Damnari, respondes. Christus tamen pro impiis mortuus est. *Desiderabas autem omnia possidere: Noli per avaritiam, per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære. Si enim ita quæsieris, possidebis. Tenebis enim eum per quem facta sunt omnia, & cum ipso omnia possidebis.* Non hæc nos quasi ratiocinando dicimus. Ipsum audi Apostolum dicentem: „ Qui Filio proprio non peper„ cit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo „ non cum illo nobis omnia donavit? *Avare, ecce habes „ omnia.* Omnia quæ amas, ut non impediaris a Christo, „ contemne, & ipsum tene, in quo possis omnia possidere. „ Omnia mihi, inquit, tradita sunt a Patre meo. Si desideras omnia, mecum habebis: si desideras Patrem, per „ me habebis, & in me habebis. Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius. Noli desperare, veni ad Filium. Audi quod sequitur: Et cui voluerit Filius revelare. "

S. Amb. ser. 15. in Ps. 118. n. 55. 21. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Malignos repellit, laborantes vocat. „ Dicit illis Jesus. *Discedite a me omnes qui operamini „ iniquitatem*; istis ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Non utique malignitate mentis, „ sed infirmitate carnis onerati, onerati inquam; alieni „ hæreditate peccati. Laborantibus subvenio; fraudulentis prodesse non debeo, ne pluribus noceant. Hos pœna compescat, illos emendet gratia. *Malitia enim fons „ peccati est: culpa infirmitatis est lapsus. Illi debeo subvenire qui laborat; illum etiam odisse qui decipit.* "

S. Amb. Ep. in Psal. 45. num. 17. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* „ Hanc vocem dedit Altissimus, & „ omnes eum secuti sunt populi nationum, dura peccati „ signa fugientes, & perpetuæ mortis atrocitatem, at-

„ que intolerabilem flagitiorum omnium servitutem; cum „ polliceretur fessis requiem, captivis remissionem, ser„ vientibus libertatem: & decusso jugo ferreo Babylonii „ Regis, jugum suum suave cervicibus Fidelium subro„ garet; ne vacua colla Gentilium rursus inimicus cate„ nis suæ iniquitatis adstringeret. Christus enim quos alli„ gat, liberat; & quos adstringit, absolvit. Denique qui „ servus vocatus a Domino est, libertus est Domini; & qui „ liber vocatus est, servus Christi est. Ideoque in suis vin- *Ephes. 3. 1.* „ culis Paulus gloriatur, dicens: *Paulus vinctus Jesus.* „ Quod sub aliis contumelia, sub Christo gloria est. "

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.

„ Quare omnes laboramus, nisi quia sumus homines mor- *S. Aug. ser. 69. al. 10. de Verbis Domini.* „ tales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ fa„ ciunt invicem angustias? Sed si angustantur vasa car„ nis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit, „ *Venite ad me omnes qui laboratis* nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est: Quoniam „ laborantes vocavit, quærent forte qua mercede voca„ ti sunt: *Et ego vos*, inquit, *reficiam*... Amarius la„ borant cogitationibus divites, quam operationibus pau„ peres. *Nomine quippe sudoris generalem sacra Scriptura* *S. Aug. lib. 6. Operis Imperf. Contra Julianum c. 29.* „ *significavit laborem*, cum alii laborant operibus duris, „ alii sollicitantibus curis... Deus non solos pauperes, „ verum etiam divites vocat, dicens, *Venite ad me o„ mnes qui laboratis*. Propter quid autem vocat, nisi „ quod pabulo post dicit, *Et invenientis requiem anima„ bus vestris?* Quando istud erit, nisi quando corruptio „ corporum, quæ nunc aggravat animas, non erit? Nunc „ vero laborant pauperes, laborant divites, laborant ju„ sti, laborant iniqui, laborant magni, laborant pusilli, „ a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem „ sepulturæ in matrem omnium. Tam quippe malignum „ est hoc sæculum, ut nisi exitum hinc fuerit, promissa „ requies nobis adesse non possit: quamvis per prævarica„ tionem primi hominis labor posteris ejus advenerit; ta„ men etiam reatæ prævaricationis illius quam traximus „ jam soluto, ut fidei examen exercreatur, labor remanet „ ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis, & „ in ipso certamine laborare, donec donetur nobis adver„ sarium non habere. Quapropter ut boni præliatores per„ ducantur ad præmia, labores vertantur in præmia. Per„ valorum quoque, soluto reatu originali, propterea la„ bores manent, quamvis ex ipso reatu doceantur exorti; „ quia etiam sic Deo placuit fidem probare majorum, a „ quibus ei offeruntur ut regenerentur. Qualis & quanta „ fides esset rerum invisibilium, si visibilis remuneratio con„ tinuo sequeretur; ac non potius dilata requie quæ pro„ mittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum „ oculis: ac sic futurum sæculum, ubi nulli labores e„ runt, quod nondum videmus, & crederetur sincerius, „ & desiderabilius quæreretur? Ac per hoc Deus labo„ res nostros, id est, pœnas nostras, ad utilitates nostras „ mirabili benignitate convertit. "

Venite ad me omnes qui laboratis. Audiamus, & venia- *S. Aug. ser. 30. alias de Verbis Apostoli 12.* „ mus. Quid est, Veniamus? Credendo proficiamus, gra„ tias agendo accedamus, perseverando perveniamus. Venia„ mus ad eum qui dicit, *Venite ad omnes qui laboratis.* „ Et tu laboras, & ego laboro: Illum audiamus, ad il„ lum veniamus, inter nos quare litigamus? O infelix in„ firmitas! Ad se vocat Medicus, & litibus occupatur „ ægrotus. *Venite ad me omnes qui laboratis.* Ubi labo„ ratis, nisi sub sarcinis peccatorum, nisi sub jugo malæ „ dominæ iniquitatis? Et ego vos reficiam. Ego qui fe„ ci, reficiam, quia sine me nihil potestis facere. "

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c.

„ Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, *S. Greg. M. lib. 20. Moralium, c. 16.* „ sanctæ quietis dulcedinem persuadet, & tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, „ quam tenere blanda spiritualiter gaudet; plus acerbi„ tate fatigationis, quam quietis dulcedine pascitur. „ Quod aperte in seipso nobis Israeliticus Populus osten„ dit, qui dum refectionem Mannæ desuper perciperet, „ ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cepasque „ concupivit. Quid enim signatur in Manna, nisi esca „ gratiæ suave sapiens, ad refectionem interioris vitæ „ bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas car„ nium, nisi carnalia opera vitæ, in tribulationum la„ boribus quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, „ nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros & cepas ex„ primitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas „ emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ a dile„ ctoribus suis & non sine luctu agitur, & tamen cum „ lacrymis amatur? Manna igitur deferentes, cum pe„ ponibus ac carnibus, porros cepasque quæsierunt: quia „ videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis „ dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus labo„ riosa hujus vitæ itinera, etiam lacrymis plena concupiscunt: contemnunt habere ubi spiritaliter gaudeant „ desideranter appetunt ubi & carnaliter gemant. "

22. *Tollite jugum meum super vos, discite a me quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* „ Discite a me, non Mundum fabrica„ re, non cuncta visibilia creare, non in ipso Mun-

S. Auguſt ſerm. 98. al. 20. de Verbis Domini.

„ do miracula facere, & mortuos ſuſcitare: ſed, *quoniam mitis ſum & humilis corde*. Magnus eſſe vis, „ a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et, quantam quiſque vult & diſponit ſuperimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, „ tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem „ cum conſtruitur, in ſuperna conſurgit, qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt „ humiliationem erigitur. Quod eſt faſtigium conſtruendæ fabricæ, quam molimur? Quo perventurum eſt cacumen ædificii? Uſque ad conſpectum Dei. Videte „ quam excelſum eſt, quanta res eſt, conſpicere Deum... „ Para te videre ſublimiter, a quo viſus es miſericorditer. Sed quia magnum faſtigium eſt, de fundamento „ cogita. Diſce ab illo quoniam mitis eſt & humilis „ corde. Hoc in te fodi fundamentum humilitatis, &

S. Aug. ſer. 117. alias 18. de Verbis Domini.

„ pervenies ad faſtigium charitatis.... Ad magna tendimus, parva capiamus & magni erimus. Vis capere „ celſitudinem Dei? Cape prius humilitatem Dei. Dignare eſſe humilis propter te, quia Deus dignatus eſt „ eſſe humilis propter eumdem te: Non enim propter ſe. „ Cape ergo humilitatem Chriſti, diſce humilis eſſe, noli „ ſuperbire. Confitere infirmitatem tuam, jace patienter ante Medicum. Cum ceperis humilitatem ejus, „ ſurgis cum illo: non quaſi & ipſe ſurgat ſecundum „ quod Verbum eſt; ſed tu potius, ut magis magiſque „ a te capiatur... Arborem attendite: ima petit prius, „ ut ſurſum excreſcat: figit radicem in humili, ut verticem tendat ad cœlum. Numquid nititur niſi ab humilitate? Tu autem ſine charitate vis excelſa comprehendere; ſine radice auras petis? Ruina eſt iſta, non „ incrementum. „

S. Aug. l. de ſancta Virginitate c. 35.

Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde. „ O „ doctrinam ſalutarem! O Magiſtrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata atque „ transfuſa eſt! Noluit docere quod ipſe non eſſet, noluit jubere quod ipſe non faceret. Video te, bone „ Jeſu, oculis fidei, quos aperuiſti mihi, tamquam in „ concione generis humani clamantem ac dicentem, „ *Venite ad me, & diſcite a me*. Quid obſecro te, per „ quem facta ſunt omnia Fili Dei, & idem qui factus „ es inter omnia Fili hominis, quid ut diſcamus a te, „ venimus ad te? *Quoniam mitis ſum*, inquit, *& humilis corde*. Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ „ & ſcientiæ abſconditi in te, ut hoc pro magno diſcamus a te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane „ magnum eſt eſſe parvum, ut niſi a te qui tam magnus es, „ fieret, diſci omnino non poſſet? Ita plane. Non enim „ aliter invenitur requies animæ, niſi inquieto tumore „ digeſto, quo magna ſibi erat, quando tibi ſana non „ erat. Audiant te, & veniant ad te, & mites atque „ humiles eſſe diſcant a te, qui miſericordiam & veritatem tuam requirunt tibi vivendo, tibi, non ſibi. „

S. Greg. M. l. 4. Epiſt. 38. ad Joan. Ep. Conſtantin.

Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit: ad hoc inviſibilis non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, illuſionum probra, paſſionum tormenta, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam is qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem mortis factus eſt parvus? Quia enim originem perditionis noſtræ ſe præbuit ſuperbia diaboli, inſtrumentum redemptionis inventa eſt humilitas Dei. Hoſtis quippe noſter inter omnia conditus, videri ſupra omnia voluit elatus. Redemptor autem noſter magnus ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt parvus.

Jacobi 4. Iſai. ult.

Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde. *Humilitas virtutes alias accipit*, quoniam humilibus Deus dat gratiam: *ſervat acceptas, quia* Non requieſcit ſpiritus Domini, niſi ſuper quietum & humilem: *ſervatas conſummat,*

2. Cor. 12.

nam Virtus in infirmitate, *hoc eſt, in humilitate*, perfici„ tur ...„ Sola denique eſt de qua omnium plena virtutum „ Maria gloriandum eſſe putavit. Audito quippe ab Angelo,

S. Bern. Tr. de Officio & Moribus Epiſcopi alias Ep. 42. c. 5.

„ *Ave gratia plena*, quaſi ſolam ex illa plenitudine humi„ litatem in ſe recognoſceret, ſolam rependiſſe ac reſpon„ diſſe memoratur in gratiam: *Reſpexit Deus humilita„ tem ancillæ ſuæ*. Quid deinde auctor & dator virtu„ tum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & „ ſcientiæ ſunt abſconditi, in quo omnis quoque pleni„ tudo Divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & „ ipſe de humilitate tamquam ſumma ſuæ doctrinæ ſua„ rumque virtutum gloriatus eſt? *Diſcite*, ait, *a me*, „ non quod ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid „ hujuſmodi: ſed, *quia mitis ſum & humilis corde*. A „ me, inquit, diſcite. Non ad doctrinam Patriarcharum, „ non ad Prophetarum libros vos mitto: Sed me vobis

S. Bern. ſer. 42. in Cant.

„ exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt „ mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus & „ fœmina: Ille potentiæ, illa ſcientiæ. Vos autem æmulamini charitata meliora, diſcentes a me quia mi„ tis ſum & humilis corde. *Diſcamus a Chriſto Domino,*

„ *non ſolum humilitatem cognitionis, ſed humilitatem cor„ dis*. Eſt *enim* humilitas quam nobis veritas parit, & „ non habet calorem: & eſt humilitas quam charitas „ format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, „ illa in cognitione conſiſtit. " Etenim ſi tu temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe id ipſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minime adhuc de operis infuſione. *Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes procul dubio, quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis*. Sane quod in te eſt dixerim quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia quæ nos ſcimus de nobis, atque ipſa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore tui tentus, detines pariter intra te judicium veritatis incluſum, cui dubium eſt minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? „ Vides „ igitur non eſſe idipſum, hominem de ſe ipſo non altum „ ſapere, veritate luminis redargutum; & humilibus ſponte conſentire, munere charitatis adjutum: illud enim „ neceſsitatis eſt, hoc voluntatis. *Semetipſum exinanivit* „ Chriſtus, *formam ſervi accipiens*, & formam humilitatis tradens: Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit, non „ neceſsitate judicii, ſed noſtri charitate. Poterat nimirum vilem ſe & contemptibilem demonſtrare, ſed plane „ non reputare, quoniam ſciebat ſeipſum. Voluntate proinde „ humilis fuit, & non judicio, qui talem ſe obtulit, qualem ſe eſſe neſcivit; magis autem placuit minimum „ reputari, qui ſe ſummum non ignorabat. Denique ait, „ *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde*. Corde „ dixit, cordis affectu, id eſt, voluntate. Itaque neceſsitatem excluſit, qui voluntatem confeſſus eſt. Non „ enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate „ dignos decore, & contemptu digno ſupliciis, dignos „ plagis; non inquam, ita & ille: quæ tamen omnia „ expertus eſt quia voluit, tamquam humilis corde; „ humilis videlicet illa humilitate quam cordis ſuaſit „ affectio, non quam extorſit diſcuſsio veritatis. „

S. Auguſt. Ep. 127. al. 45. ad Armentarium & Paulinam.

23. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiſcendis atque retinendis voluntas non ſatis eſt, quia conſequentem non habet facultatem. Juſta vero vita, cum volumus, adeſt, quia eam ipſam plene velle juſtitia eſt; nec plus aliquid perficienda juſtitia, quam perfectam voluntatem requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt. Unde divinitus dictum eſt, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Ubi Pax, ibi requies: ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena ſit, oportet, ut ſana ſit. Erit autem ſana, ſi Medicum non refugiat, cujus ſolius gratia ſanari poteſt a morbo deſideriorum noxiorum. In ſe eſt ergo Medicus qui clamat, *Venite ad me omnes qui laboratis*, jugum ſuum leve, & onus ſuum leve dicens: Quia diffuſa per Spiritum Sanctum charitate in cordibus noſtris, propoſito amabitur quod jubetur, & non erit aſperum nec oneroſum, ſi ſub hoc uno jugo, quanto minus tumida, tanto magis libera cervice ſerviatur. Et hæc eſt una ſarcina, qua ejus bajulus non premitur, ſed levatur.

Luc. 2. 14.

S. Hilar. c. 11. in Evang. S. Matth.

Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. *Quid jugo ipſius ſuavius: quid onere levius, probabilem fieri, ſcelere abſtinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odiſſe nullum, æterna conſequi, præſentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipſi ſibi perpeti ſit moleſtum?* Contra vero duriſsimum eſt peccati jugum, graviſsimum onus, de quo Propheta gemens clamat: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*. Aſperrimum eſt jugum Mundi, de quo S. Gregorius: *Aſperum jugum, & duræ ſervitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus; appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quia prius mentem ex deſiderio adoptionis affixerant, poſtea ex pavore amiſſionis premunt*. Hoc grave ſervitutis jugum Dominus ſæcularium cervicibus impreſſum, cum diceret: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, &c. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Ab hoc jugo liber dimittitur, qui calcatis terrenis deſideriis, ab appetitione temporalium rerum ſecuritate mentis exoneratur.

Pſ. 37. 5.

S. Greg. M. l. 30. Moralium c. 12.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Quomodo leve Chriſti jugum, cum illi qui jugum ipſum intrepida cervice ſubjerunt, & illam ſarcinam manſuetiſsimis humeris acceperunt, tantis exerceantur & agitentur difficultatibus hujus ſæculi, ut non a laboribus ad quietem, ſed a quiete ad laborem vocati videantur, cum & Apoſtolus dicat: *Omnes qui pie volunt vive-*

S. Aug. serm. 70. alias de Verbis Domini.

vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur? „ Verum leve fit jugum Christi charitate, & spe beatitudinis futuræ. Secari se & uri homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. In languida & incerta vacationis brevissimæ atque ultima vita immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis inquietus, quam in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quam horribili & tremenda sævitia cœli & maris importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant, majoribus quam quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores; quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, ut bestiam capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta patiuntur sunt, epulis necessariæ. Quamquam etsi aper cervusque capiatur, magisque suave sit venantis animo quia captus est quam comedentis palato, quia coctus est. Quantis cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, ut numeros, & litteras, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur: Qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva & immania, prorsus facilia & prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facile toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? Non immerito ille Vas electionis cum in-

Rom. 8. 18. genti lætitia dixit: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis.

Psal. 16. 4. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista, Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis nitescunt amantibus. Propter quod ita divinæ pietatis dispensatione actum est, ut interior homo qui renovatur de die in diem, non adhuc sub Lege positus, sed jam sub Gratia exoneratus sarcinis innumerabilibus observationum, quod erat revera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille Princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leve fieret. Nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quam ipsa sibi: & hæc sufficit Deo. "

S. Aug. Enar. in Ps. 59. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* „ Alia sarcina premit & aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te: Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & avi si pennas detrahas, quasi onus tollis, & quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet: non volat, quia tulisti onus: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina: portent illam homines, non sint pigri: non adtendantur illi qui eam ferre nolunt, ferant illam qui volunt, & invenient, quam sit levis, quam suavis, quam jucunda. quam rapiens in cœlum,

Psal. 33. 9. & a terra eripiens. *Igitur* Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. " Experientur qui vere & perfecte fuerint ad Dominum conversi, quod S. Aug. exper-

S. Aug. l. 9. Confess. c. 1. tus est post conversionem suam. „ Quam suave, *inquit*, „ mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! „ & quas amittere metus fuerat, jam amittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu & summa suavitas; ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. "

CAPUT XII.

Sensus Litteralis.

1. IN *illo tempore abiit Jesus per sata Sabbato: Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas,*

Exod. 35. 3. *& manducare.* Sabbatum ibi proprie sumitur pro die septima hebdomadæ, quo non solum prohibita erant servilia opera, sed & ciborum præparatio. Dicitur autem a S. Luca *Sabbatum secundo primum.* Cuius verbi notio suo

Lucæ 6. Deuter. 23. 25. Maimonides Scabb. c. 8. loco explicabitur. Cum ergo Jesus per sata ambularet, ejus Discipuli fame urgente, quod præ concursu populi cibos pridie parare non potuissent, spicas vellere cœperunt, quod jure Judaico in agris alienis licebat: iisque manu contritis vescebantur. Spicas confricare, Judæis opus famulum erat. Unde *Pharisæi*, qui carpendi potius quam edendi causa Christum sequebantur, *Dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis.* Magistrum oblique carpunt, cum Discipulorum factum reprehendunt: quasi dicant: Itane doces Discipulos tuos colere & observare diem Sabbati prout Lex jubet? Discipulis, non Christo id improperasse Pharisæos S. Lucas refert. *Quidam autem Pharisæorum*, inquit, *dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis?* Sed nulla est inter utrumque Evangelistam discrepantia: & Christo enim & Discipulis id exprobrarunt: vel quod Magistro dixerunt de facto Discipulorum, ipsismet exprobratum videbatur. Discipulorum autem suorum defensionem suscipiens Dominus, ex circumstantiis ostendit factum illorum sententia Legis non comprehendi.

2. *At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: Quomodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere: neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?* Argumento quadruplici Discipulorum suorum innocentiam Christus vindicat. Primum petit a necessitate, quæ violantes legema peccato excusat; quod non solum in humanis Legibus, sed & in divinis locum habet, ejus nempe generis quod non natura justum est, sed constitutione, seu quod non ad legem naturæ, sed ad legem positivam pertinet, Ritus aut instituta civilia spectantem. Ostendit igitur Pharisæos, qui de scientia legis gloriabantur, mentem sensumque legis affecutos non fuisse. Discipulos suos necessitate stimulantis famis compulsos, vulsisse & confricuisse spicas: id proinde ipsis vitio inique verti a Pharisæis. Non minus enim ipsos excusari necessitate, quam David excusatus sit, urgente necessitate panes coram Domino propositos comedens, quorum tamen esus solis Sacerdotibus & Levitis licebat. *Non legistis*, non attenditis *quid fecerit David*, quando esuriit, ipse & qui in ejus erant comitatu. David vir ille juxta cor Dei, quem reprehendere hac de re non audetis, cum Nobem Sacerdotalem urbem accepisset, ingressus est in atrium Tabernaculi, quod ibi tunc erat, (Arca Dei interim deposita Cariathiarim, in domo Abinadab) panes sanctos ab Achimelech Sacerdote acceptos ipse cum suis comedit. *Panes propositionis* dicuntur, id est, coram Domino propositi, duodecim numero, in Tabernaculi parte Septentrionali, ante faciem seu conspectum Arcæ, quæ præsentiam Domini significabat. Unde & *pane facierum*, juxta Textum Hebraicum appellantur. Panum autem coram Domino jugiter propositorum mystico numero significabatur duodecim Tribus Israel a Deo ali. Hic suboritur difficultas, qua ratione hic dicatur, *David, & qui cum eo eran?*; cui dixit Achimelech, *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Sed facilis est responsio: & verba Achimelech cum Christi verbis nullo negotio conciliantur. Solus ibi fuisse dicitur David, quia comites alibi substiterant, quibus panes dedit, quos tamen solus accepit. *Nam & pueris*, inquit, *condixi in illum & illum locum*. Primum igitur istud fuit Christi, ad innocentiam Discipulorum tuendam, ex sacris litteris sumptum argumentum: In pari causa jus idem esse oportet: Lex de observantia Sabbati, & lex de sanctis panibus non edendis, ambę sunt rituales: David, ejusque comites pari necessitate pressi qua nunc Discipuli mei premuntur, fecerunt contra verba legis de panibus propositionis, neque tamen contra legis mentem fecisse censentur; Neque ergo Discipuli mei hoc facto quidquam contra legis sententiam commiserunt.

Marci. 2. 25. Levit. 24. 9. *1. Reg. 21.* *1. Reg. 23. 9.* *Lev. 24. 5. 6.*

3. *Aut non legistis in Lege, quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia Templo major est hic.* Altero argumento a minori ad majus pariter ex Scripturis sumpto, Christus Discipulorum suorum innocentiam tuetur. Lex de observantia cultuque Sabbati eam recipit interpretationem, ut non obstet operibus Templi: nam Sacerdotes in templo ea opera exercent, quibus secundum se spectatis, & leges secundum sonum verborum dumtaxat consideratа, violari Sabbatum censeretur; opera enim famula sunt, scilicet comparatio lignorum, mactatio & excoriatio victimarum, ignis accensio; circumcisio, &c. Et tamen id ipsis nemo vitio vertit, quia hæc opera ipsis ab eodem Legislatore Deo præscripta sunt & imperata etiam Sabbatis. Excusantur, inquam, a crimine, Sabbatum specie tenus violando, quia Sacerdotali Ministerio funguntur. Multo magis igitur & potiori jure Discipuli mei vellendo & manibus comprimendo spicas, ut sedata fame præceptum sibi ministerium in prædicatione Regni Dei, mihi qui major sum, dignior, sanctiorque Templo, utpote Templi Dominus, exhiberent, irreprehensibiles sunt. *Dico autem vobis, quia Templo major est hic.* Quibus verbis & majorem Templo locum esse docet, qui Dominum Templi teneat.

S. Hieron. in hunc locum. *Num. 28. 9.*

4. *Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes.* Tertium argumentum, quo Christus Discipulos a Pharisæorum accusatione defendit, sumitur ex loco de contrariis legibus. Quoties leges collidi videntur, ita ut utraque simul observari non possit, servanda est lex potior. Lex porro quæ misericordiam & charitatem præcipit, ea lege potior est quæ ad Ritus pertinet: Deus enim per Oseam dixit, *Misericordiam volo, & non sacrificium*; id est, Misericordiam magis probo, quam sacrificium, & quemlibet cultum externum: At Discipulos meos fame laborantes

S. Hieron.

prohibe-

prohibere, ne per sata ambulando spicas avellerent & confricarent ad sedandam famem, contrarium esset charitati & misericordiæ: & ipsi dimittendo vel interrumpendo Ministerium sacrum salutis animarum & prædicationis verbi, in quo mihi cooperantur, ut necessarios cibos pridie pararent, ad legem Sabbati accuratius observandam, postposuissent legem charitatis & misericordiæ legi rituali & cultui externo: sententiam igitur Legis secuti non fuissent. Id si vos attenderitis, o Pharisæi, non damnaretis innocentes. Si misericordiam comprobastis Achimelech, eo quod fame periclitantem refocillaverit Davidem, & comites ejus, quare Discipulos meos condemnatis?

S. Jo. Chrys. h. 40. in Matt.

5. *Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati.* Quartum argumentum, quo Christus Discipulorum suorum innocentiam a calumnia vindicat, illud est: Legitima dispensatio Legislatoris, a crimine excusat eos qui legem non observant. Cum igitur ego sim Dominus etiam Sabbati, conditorque Legis utpote natura Deus; & me præsente, vidente, permittente, Discipuli mei spicas vulserint & fricuerint Sabbato ad levandam famem: censeri non debent violati Sabbati rei. Non minus Divinitatem suam supremamque potestatem Christus his verbis indicat, quam superioribus, quibus se Templo majorem esse significavit. Addidit autem, referente S. Marco; *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum.* Quæ nova ratio est excusans Discipulorum factum: Salus hominis, cujus causa lex positiva lata est, præponi debet legis ipsius observationi: Lex porro de cultu & observantia Sabbati lata est hominis causa: non debet igitur vitio verti Discipulis meis, quod paucarum spicarum vulsione & confricatione ad vitam suam servandam, famemque sedandam, Sabbati cultum exteriorem violasse videantur.

Marc. 2. 27.

Lucæ 6. 6.

6. *Et cum inde transisset, venit in Synagogam eorum*; Non eodem die, sed alio quodam Sabbato, ut refert Sanctus Lucas; venit in Synagogam, ut doceret populum ea die convenientem orationis & verbi Dei audiendi causa. *Et ecce homo manum habens aridam.* Occurrit ibi, volente Deo, homo mancus, manum *dexteram*, ut Sanctus Lucas notat, habens emortuam, contractam, inanitate arefactam, ad omne opus inutilem. Hunc cæmentarium fuisse, Evangelium Nazaræorum commemorat, hisque verbis Christum rogasse: *Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: Precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Id etsi non incredibile, haud tamen certum, cum Evangelium illud apocryphum sit. *Et interrogabant eum, dicentes: Si licet Sabbatis curare? ut accusarent eum.* Christum interrogabant Scribæ & Pharisæi, non ut discerent, sed ut calumniam struerent: Ut sanum non curaret, crudelitatis aut imbecillitatis; si curaret, transgressionis, & violatæ religionis Sabbati accusarent. Sancti Marcus & Lucas Christum eos interrogasse referunt: sed utrumque verum est. Illi antevertentes Christum interrogabant, & ipse eos denuo (ut in altercationibus fieri solet) immutata quæstione interrogabat, ut malignitatem eorum coargueret, ipsosque pudore suffusos silere cogeret. Interrogant illi, Licet ne Sabbatis ægrum hominem curare? Interrogat eos Christus: *Licet Sabbatis benefacere, an male? Animam salvam facere, an perdere?* Quibus verbis ostendit, eum qui proximo indigenti non benefacit, eum posse, malefacere; & qui infirmitate laborantem non sublevat, ac pereuntem non salvat, non minus esse reum, quam si perderet. *Duobus enim modis nocet homo, quantum in ipso est, aut faciendo miserum, aut deserendo miserum: quia & tu non vis ab alio fieri miser, & non vis deseri ab alio, si miser fueris*: Res autem est permanifesta & explorata, non licere malefacere, aut perdere hominem: perspicuum igitur est, ipsi esse benefaciendum; & curationem adhibendam esse ab illo qui potest: Prius autem quam illos interrogaret, constituit in medio mancum hominem, quem fuerat sanaturus, ut narrat S. Lucas: *Observabant autem Scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret; ut invenirent unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum; & ait homini qui habebat manum aridam, Surge, & sta in medium: & surgens stetit: Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos si licet Sabbatis benefacere, an male; animam salvam facere, an perdere?* Illis autem tacentibus, curare hominem Sabbato fas esse confirmavit familiari ovis similitudine.

S. Hier. in hunc locum.

Marci 3.

Lucæ 6.

S. Aug. l. 2. de Consensu Evangel. c. 35.

S. Augustin. Enarrat. in Psal. 100.

Lucæ 6. 7. 8. 9.

7. *Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere.* Christi ætate recepta erat apud Judæos sententia, non obstare Sabbati religionem quominus vitæ pecudis consulatur. Hoc enim est quod in veteri Babylonico Hebræorum Jure legitur, *Periculo animæ pelli Sabbatum.* Verba in Misnaioth sunt: *Omne opus prohibetur in Sabbato, nisi sit pro anima.* Adeoque recepta erat apud Judæos hæc exceptio, ut Legi vice interpretamenti adscribi cœperit in multis Codicibus. Sic enim Tertullianus legem citat: *Omne opus servile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet. Et, non facies omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ.* Et S. Hieronymus: *Lege*, inquit, *præceptum est ne in Sabbato opus servile faciamus, ne accendamus ignem, ut in uno sedeamus loco, ut illa tantum faciamus quæ ad animæ salutem pertinent.* Animæ autem nomine antiqui Interpretes pecudis vitam comprehendebant. Hoc itaque ratiocinio Pharisæorum inhumanam superstitionem Christus coarguit. Religio Sabbati non cogit ut vel oviculam unam perire sinatis: & si in fossam prolapsa sit die Sabbati, illam educitis & erigitis: quanto magis hominem curare licet, cujus sanitas pecudis vitæ præponderat, cum homo longe melior sit pecude? Licet igitur Sabbatis benefacere homini indigenti, adeoque & ægros curare. Servile dumtaxat opus, non beneficium, seu opus quodcumque charitatis, lege Sabbati excludi Christus docet. Sic solvit propositam quæstionem, ut interrogantes avaritiæ condemnaret. „ „ Si vos, inquit, Sabbato ovem, & aliud quodlibet animal „ in foveam decidens eripere festinatis, non animali, sed „ vestræ avaritiæ consulentes; quanto magis ego homi„ nem, qui multo melior est ove, debeo liberare?“

S. Hieron. ad c. 28. Isaiæ.

S. Hieron. in hunc locum.

Marc.

S. Athana. Hom. De Semente.

8. *Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* Addit S. Marcus: *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate eorum*, dicit homini: *Extende manum tuam.* Non contactu, sed solo verbo sanitatem illi restituit, ac integritatem motumque membri, ut calumniæ ansam præcideret; Lege enim Sabbati veritum esse loqui, ne ipsis quidem Pharisæis in mentem venire poterat, qui Christum interrogabant.

Marci 3. 6.

9. *Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.* E Synagoga exeuntes Pharisæi, conspiratione facta cum Herodianis, ut S. Marcus notat, deliberabant qua ratione Christum occiderent. *Jesus autem sciens*, cogitationibus scilicet illorum perspectis, *recessit inde*, non impotentia, aut imbecillitate fugiens eorum insidias: sed dispensatione, exemplum præbens Discipulis, quibus ante dixerat, *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*: & quia nondum venerat hora ejus, seu tempus passionis & mortis a Deo Patre & ipsomet præfinitum, ut S. Joannes de simili occasione loquitur. Fugit etiam ut Pharisæis ipsis occasione præcepta atrocissimi, quod jam meditabantur, facinoris, illos predicationis ac miraculorum suorum continuatione, divinaque lenitate ad pœnitentiam provocaret. Inter justæ quippe fugæ rationes hanc S. Gregorius Nazianzenus affert, ut persecutorum saluti consulatur. *Neque enim* (inquit) *Christianos, quantumvis fortes ac singulari tolerantia præditos, sui tantum rationem habere oportet, sed persecutoribus quoque consulere, ut ne quantum in ipsis est ad hostile periculum ex se ipsis aliquid conferant.* Recessit autem inde Jesus ad Mare Galilææ, ut scribit S. Marcus. *Et secuti sunt eum multi.* A Galilæa, & Judæa, & ab Jerosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. *Et curavit eos omnes*, qui sanatione indigebant, & sanitatis beneficium ab illo sibi impendi postulabant, quos S. Marcus multos fuisse ait: *Multos enim sanabat* (inquit) *ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas.*

S. Greg. Naz. Orat. 3.

Marci 3. 7. 8.

10. *Et præcepit eis ne manifestum eum facerent*; tum ne Phariseorum emulatio magis exacerbaretur: tum ut ostentationem fugiendam exemplo suo rursus doceret. „ Non cu„ rationis taciturnitas jubebatur: nam salus unicuique red„ dita erat sibi ipsa testis, sed jubendo secretum, & gloriandi „ de se jactantiam declinat, & nihilominus cognitionem sui „ præstat in eo ipso, dum admonet de se taceri; quia observantia silentii ex re quæ fit silenda proficiscitur.“ (*inquit S. Hil.*)

„ 11. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Pro„ phetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dile„ ctus meus, in quo bene complacuit anime meæ. Po„ nam Spiritum meum super eum, & judicium Gentibus „ nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque au„ diet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassa„ tam non confringet, & linum fumigans non extinguet, „ donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus „ Gentes sperabunt.“ Dum hostium furori cederet Jesus, non potentia miraculorum ipsis resisteret; dum illorum caveret exacerbationem; dum afflictæ plebi nihilominus benefacere pergeret; dum facilitatem ac mansuetudinem omnibus expositam præ se ferret, dum popularem auram gloriamque contemneret, in illo adimpletum est Vaticinium istud Isaiæ, quo Rex Messias describitur terrenis Regibus longe dissimilis; qui læsi mox injurias ulciscuntur, & hostes perdunt, vulgus aspernantur, subditis dominantur potius quam benefaciant, pompam affectant, quocumque veniunt magnos concitant clamores, oppida tumultu implent & fragore. Sic autem habet Isaiæ oraculum: „ Ecce servus „ meus, suscipiam eum: electus meus complacuit sibi in „ illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum, ju„ dicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque acci„ piet Personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum „ quassatum non conteret, & linum fumigans non extin„ guet: in veritate educet judicium. Non erit tristis ne„ que turbulentus, donec ponat in terra judicium: & le„ gem ejus insulæ expectabunt.“ Non solum in præsenti loco; sed ubicumque de veteri instrumento Evangelistæ & Apo-

Isaiæ 42.

S. Hier. Ep. 151. ad Algasiam. Quæst. 2.

& Apostoli testimonia protulerunt, non verba secuti sunt, sed sensum, & ubi Septuaginta ab Hebraico discrepant, Hebræorum sensum suis expressere sermonibus, ut S. Hieronymus observat. *Ecce puer meus*, id est, servus meus, juxta dispensationem carnis assumptæ; ille de quo alibi dixit Isaias: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum.* Et rursum: *Justificabit ipse justus servus meus multos.* Et filium Dei Jesum *formam servi* accepisse scribit S. Paulus. *Quem elegi*, ut hominem, & inter omnes homines assumpsi, ut Deus esset; speciosum forma præ filiis hominum, cujus in labiis gratia diffusa est: & quem unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Hunc elegi, ut hominum redemptorem, ut mediatorem, ut novi regni, scilicet Ecclesiæ fundatorem, ut verbi mei prædicatorem, cum ipse secundum hypostasim Verbum meum esset. Unde ipse ait per Davidem: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Hic est vinea in Sorec, quæ interpretatur electa: *Dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Hic est Filius amantissimus, in quo sibi complacuit anima Dei: non quod Deus animam habeat, sed quod in anima omnis Dei monstretur affectus. *In eo sibi complacuisse*, clara voce de cœlo edita Deus non semel testatus est, & primum quidem cum Dei Spiritus columbæ specie super eum lapsus esset. *Et ponam Spiritum meum super eum*, Spiritum sapientiæ & intelligentiæ, spiritum consilii, & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini, quem non ad mensuram super eum effundam, sed totam plenitudinem Spiritus in ipso constituam, ut in eo *requiescat & maneat*. ET JUDICIUM GENTIBUS NUNTIABIT, id est Gentes omnes judicabit, de quo in Psalmis scriptum est; *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuo filio regis.* Hinc Jesus ipse de se ait: *Neque enim pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio*, secundum visibilem Majestatis præsentiam exercendum. *Non contendet, neque clamabit.* Tam admirabilis erit ejus mansuetudo, tanta in docendo regendoque lenitas & benignitas, ut cum adversariis non contendat neque clamet, ut homines iracundi & litigiosi solent. Non contendet, neque clamabit, de quo idem Isaias prædixit: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Non contendet in subversionem audientium. Non clamabit, quia Israel non fecit judicium, sed clamorem. *Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*, quemadmodum foris audiri vox iracundorum & clamosorum hominum solet in contentionibus & jurgiis. Regnum sine vi, tumultu, ac fragore propagabit: Modestia erit incredibili, & ab omni fastu & ostentatione alienus. *Arundinem quassatam non confringet.* Arundinem jam frangi cæptam non confringet omnino, vel conteret; id est, non præcipitabit in ruinam peccatores imbecillitate aliqua lapsos, sed fragilitatis eorum miserebitur. Israelitæ carnales, calamus fractus, cui si quis inniti voluerit, pertundetur manus ejus. *Qui enim post adventum Domini Salvatoris, Evangelicæ interpretationis spiritum derelinquens, in Judaicæ litteræ morte requiescet, istius cuncta opera vulnerabit.* Subdit Isaias, & Evangelista ejus vaticinium referens, & de Christo Jesu exponens: *Et linum fumigans non extinguit.* Ellychnium lucernæ, proximum extinctioni, in quo fumus aliquod flammæ vestigium refert, quod proinde flammam facilius ad se rapit, quam si plane refrixisset, non extinguet amplius quam extinctum est, imo fovebit & accendet. Linum fumigans, „ Populum de „ Gentibus congregatum *S. Hieron. interpretatur*, qui, „ extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, & „ qui noxius oculis est, tenebrosæque caliginis involve„ batur erroribus, quem non solum non restinxit & re„ degit in cinerem; sed e contrario de parva scintilla „ & pene moriente maxima suscitavit incendia; ita ut „ totus orbis arderet igne Domini Salvatoris, quem venit „ mittere super terram, & in omnibus ardere desiderat. „ Linum fumigans non extinguet: Modicam fidei scintil„ lam non contemnet in turbis ipsum sequentibus, sed il„ lam doctrina sua & miraculis fovebit & accendet." De Judæis utrumque S. Augustinus exponit: *Arundinem quassatam non confringet & linum fumigans non extinguet.* Ipsos, inquit, suos persecutores *Judæos, qui calamo quassato perdita integritate, & lino fumanti amisso lumine comparati sunt, non contrivit, nec extinxit, quia pepercit eis, qui nondum venerat eos judicare, sed ab eis judicari.* Arundinem quassatam non confringet, &c. Id est, tolerabit peccatores, qui propter ipsos venit; ipsis peccata remittet & veniam sperare jubebit, si vere convertantur & pœnitentiam agant. *Donec ejiciat ad victoriam judicium*: idest, donec judicium illud novissimum proferat, quo vincat adversarios. Ille judicium perduxit ad victoriam, *cujus judicia vera sunt, justificata in semetipsis; ut justificetur in sermonibus suis, & vincat cum judicatur*: & tamdiu lumen prædicationis ejus in mundo resplendeat, nulliusque conteratur & vincatur insidiis, donec ponat in terra judicium, & impleatur illud quod scriptum est, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Perduxit ad victoriam judicium, qui summa sua patientia & lenitate in malis Judæorum moribus perferendis, suæque in gentem ingratam beneficentiæ continuatione, ac Evangelii apud ipsos prædicatione minime interrupta, & miraculis confirmata doctrinæ suæ veritatem, missionis auctoritatem, summamque potestatem sibi a Patre datam in cœlo & in terra ita manifestam fecit, ut quovis judice victoriam referre posset. Sic apud Isaiam Deus referens quanta beneficia vineæ suæ præstitisset, & quanta cum patientia bonas uvas ab ea exspectasset, ad judicium provocat: *Nunc ergo habitatores Jerusalem & viri Juda judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ille denique judicium perducet ad victoriam, qui depressis hostibus, subjiciet sibi omnia, & electis suis victoriam atque æternum in vita æterna triumphum decernet. *Cum enim mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptu est: Absorpta est mors in victoria... Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Regnat igitur Christus mansuetudine sua tolerans peccatores, & exspectans illos ad pœnitentiam, eisque misericordiæ suæ sinum pandens, donec peccatorum cumulo veluti compulsus judicium ejiciat, seu torrentis instar erumpere sinat justitiam suam; hucusque velut quibusdam misericordiæ repagulis retentam. *Oportet autem illum regnare* (inquit Apostolus) *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; Omnia enim subjecit sub pedibus ejus.* Interim vero *in nomine ejus gentes sperabunt:* de quo vaticinatus est Jacob, futurum *expectatione Gentium*: Cui Pater Æternus ait: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Et apud Isaiam: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Hoc Isaiæ Vaticinium Septuaginta Interpretes ad Judaicam gentem videntur deflexisse: sic enim primum Versum capitis reddiderunt: *Jacob servus meus, suscipiam eum: Israel electus meus, suscepit eum anima mea.* Atque ita hunc locum profert S. Justin. in Dialogo adversus Tryphonem. Sed Hebraico Exemplari Isaiæ, & Chaldaicæ Paraphrasi hæc Versio repugnat, & a S. Matth. rejecta est. Sed verum tamen sensum minuit S. Justinus, & Jacobi ac Israelis nominibus Christum sic signari censuit, quod & ipsos Septuaginta Interpretes intellexisse verisimile est: quemadmodum Jacobi, & Israelis, & seminis Abraham nominibus affici Christum in Scripturis Theodoretus observat; quod ex Jacob & Abraham prognatus esset: vel potius typo pro re signata usurpato; Christi enim typus fuit Israel, cui ut adversus Angelum Dei tota nocte luctatus, neque tamen victus est, sic Christus Dei Patris iræ se opposuit, eaque placata quasi victor extitit. Sed & Isaias Christum Israelis nomine alibi compellat: *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Nemini sane alteri quam Salvatori nostro Jesu Christo hæc convenire possunt, *Et legem jus insulæ exspectabunt*, sive, *In nomine ejus gentes sperabunt.* „ In solo enim ejus nomine „ Christianæ gentes speraverunt, quæ etiam ex Religione „ quam accepere, illius quasi parentis cognomine notatæ „ sunt: & per eumdem ut ipsius oraculi series significaverat, „ oculi cæcorum, eorum utique qui quondam mente excæ„ cati erant, aperti sunt, neque; eorum modo, sed etiam „ eorum qui corporis oculos perdidissent. Et qui vinculis & „ catenis peccatorum constricti in tenebris & ignoratione „ veræ pietatis prius versabantur, per eumdem a pec„ catis solutis, lumen cognitionis, libertatemque apud „ Deum accipere meruerunt."

12. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.* Circa illud tempus, oblatus est Jesu homo a dæmone vexatus, cæcus & mutus, non naturæ vitio, sed inhabitantis dæmonis maleficio: *& curavit eum*, ejecto dæmone, linguæ usum, expeditamque loquendi facultatem, ac visum illi restituens. *Et stupebant omnes turbæ*, quod dæmonibus imperaret, eosque obedire cogeret. *Et dicebant, Numquid hic est Filius David?* Messias David a Deo promissus.

13. *Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Pharisæi invidia perciti hanc adversus Christum blasphemiam plebi insusurrabant, ut illius doctrinæ ac miraculis auctoritatem fidemque derogarent. *In principe dæmoniorum*, invocatione Satanæ, qui dæmoniis reliquis præsidet, vique pacti cum illo initi, & incantatione, non divina virtute dæmonia ejicit. *In Beelzebub principe dæmoniorum.* Beelzebub Deus Accaronitarum, a musca nomen habet, *Deum muscam* vocant plerique Veterum, & sub muscæ imagine cultum fuisse censent, scilicet Josephus lib. 9. cap. 1. S. Gregorius Nazianzenus oratione 4. Theodoretus in 4. Regum, Philastrius in Catalogo Hæreticorum qui ante Christum vixerunt. Alii Beelzebub *Dominum muscarum*, aut *Idolum muscæ*, aut *Virum muscarum*, interpretantur, aut *Principem muscarum* scilicet S. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastis, & in c. 10. S. Matthæi, S. Augustinus Tract. 1. in Joannem, S. Isidorus Hispalensis lib. 8. *Originum*, cap. 11. Græci Deum habuerunt *Myiagron*, sive *Myoidem*, aut *Apomyon*, a muscis abigendis appellatum, sive is Jupiter aut Hercules, seu quis alius fuerit. Huic sacra faciebant, ut a muscarum infestatione liberarentur... Testes sunt hujus rei Plinius lib. 10. cap. 28. & lib. 19. cap. 6. Pau-

Isai 49. 5. *Isai* 53. 11. *Philipp.* 2. 6. *Psal.* 44. 3. *Psal.* 2. *Matt.* 3. 17. & 17. 5. *Isai.* 11. 2. *Joan.* 1. *Psalm.* 71. *Joan.* 5. 22. *Isai.* 53. 7. *S. Hier. Ep.* 151. *quæst.* 2. *Ibidem.* *S Aug. l.* 20. *de Civit. Dei* c. 30. *Psalm.* 18. *Psalm.* 50. *S. Hier. Ep.* 151. *quæst.* 2.

Isaiæ 5. 3. 1. *Cor.* 15. 54. 17. *Psalm.* 2. 9. *Isai.* 29. 3. *Euseb. lib.* 9. *Demonst. Ev pag.* 453. *Theod. in Isaiæ c.* 42. 4. *Reg.* 6. *Bochartus Hierozoici p.* 2. *c.* 9.

Pauſanias in *Arcadicis*, & in *Eliacis prioribus*, Ælianus Hiſtoriæ lib. 5. cap. 17. & lib. 11. cap. 8. Antiphanes Comicus, apud Athenæum, lib. 1. cap. 5. & Solinus c. 1. Sed & in Templo Dei Hieroſolymis nullam muſcam eſſe viſam, Judæi referunt in *Pirke Aboth*, cap. 5. ſectione 5. Quod ſi verum eſt; ut ſolet, fuit hac in parte Dei ſimia. Phariſæi porro *Beelzebub* dæmonum principem appellant, quod Judæi a Moyſe & Prophetis edocti, Deos gentium dæmonia eſſe crederent & oracula quæ ab idolis edebantur, opera impurorum ſpirituum edi, ad quos proinde omnis cultus illius honos redundaret. Ideo Chriſtum in Beelzebub dæmonum principe dæmonia ejicere, per ſummum ſcelus perſuadere plebi nitebantur. Forte & Deus *Accaron*, quæ Philiſtæorum urbs erat, ſeu *Acharon*, (ut apud S. Hieronymum & alios ſcribitur) Judæi ex ignorantia confuderunt cum Deo *Acherontis*, id eſt, cum *Plutone*, quem infernis Gentilium fabuloſa Theologia præfecit. Hebræos enim poſteriores non pauca linguæ ſuæ vocabula e Græca deduxiſſe, viri eruditi obſervant.

14. *Jeſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne Regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt: Quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Jeſus autem perſpectam habens Phariſæorum blaſphemiam, & invidiæ malitiæque fontem, ex quo prodibat, non ad dicta, ſed ad cogitata illis reſpondit; *Ut vel ſic compellerentur credere potentiæ ejus; qui cordis videbat occulta.* Omne regnum (inquit) omnis civitas, omnis domus ſive familia inteſtinis diſſidiis dilabitur, & funditus everti poteſt. Itaque ſi ſatanas tyrannidis ſuæ in homines firmandæ ac propagandæ ſtudioſiſſimus, dæmones alios miniſtros ſuos mea opera ejicit invitos, ut homines diabolicæ poteſtati penitus erepti, Deo reſtituantur, univerſitas ſatanica, ſeu corpus ſatanæ ſecum diſſidebit, inteſtinoque bello collidetur: ſuum ergo ipſe regnum ſatanas evertet: quod certe de hoſte hominum vaferrimo incredibile eſt.

S. Hier. in hunc locum.

15. *Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.* Apud Judæos erant Exorciſtæ, qui dæmones ejiciebant, non quidem ipſius Jeſu nomine, quod tum nemo faciebat præter diſcipulos Jeſu; ſed *per Deum Abraham, Iſaac & Jacob*, ut S. Juſtinus in Dialogo adverſus Tryphonem, & S. Irenæus lib. 2. cap. 5. Theophilus Antiochenus, Origenes libris contra Celſum 1. & 4. teſtantur. Hinc ergo invictiſſimum contra Phariſæorum calumniam argumentum ducit Chriſtus: In pari cauſa par judicium fieri oportet; creditis populares veſtros ac diſcipulos dæmonia ejicere vi divina; cur de me idem non creditis? Ipſorum certe factum vos blaſphemiæ in Deum, & immanis in me invidiæ convincet atque condemnabit. SI EGO IN BEELZEBUB EJICIO DÆMONIA, FILII VESTRI IN QUO EJICIUNT? „ Hac voce quid magis „ portendit, quam in eo ejicere ſe in quo & filii eorum? In virtute ſcilicet Creatoris. Nam ſi putas ſic „ accipiendum, Si ego in Beelzebule ejicio dæmonia; „ filii veſtri in quo? Quaſi illos ſugillaret in Beelzebule „ ejicientes, reſiſtet tibi prior ſenſus, non poſſe ſatanam „ dividi adverſus ſemetipſum. Adeo nec illi in Beelzebub ejiciebant; ſed, ut diximus, in virtute Creatoris.“

Tertull. l. 4 Adverſ. Marcionem c. 26.

16. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei.* Spir. Sanctum, quem Scriptura *Virtutem altiſſimi* vocat, ſpiritui immundo opponit. Si Sp. Sancto mihi cooperante ejicio dæmones, tot miracula confirmant me a vero Deo miſſum, verum eſſe Meſſiam promiſſum patribus veſtris, doctrinam meam eſſe veram, planeque divinam; Regnum denique Dei, quod Joannes Baptiſta prædicavit, & ego, Apoſtolique mei prædicamus, collabente diaboli Regno ſtabiliri, & ad vos perveniſſe; ac per vos ſtare quod ad illud non pertineatis, quod illud non rapiatis. *In Spiritu Dei ejicio dæmones*, virtute divina, *In digito Dei*, ut habetur apud S. Lucam. „ Apud Pharaonem venefici illi adhibiti adverſus Moyſen, virtutem Creatoris digitum Dei „ appellaverunt: Digitus Dei eſt hic. Quod ſignificaret „ etiam modicum, validiſſimum tamen. Hoc & Chriſtus „ oſtendens, commemorator, non obliterator vetuſtatum, „ ſcilicet ſuarum, virtutem Dei, digitum Dei dixit; „ non alterius intelligendam, quam ejus apud quem hoc „ erat appellata. Ergo & Regnum ipſius appropinquavit, cujus & virtus Digitus vocabatur.

Luc. 11. 20. Exod. 8. 19. Tertull. ib.

17. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem? Et nunc domum illius diripiet.* Non poteſt quiſquam fortis & potentis alicujus bellatoris domum, ſive arcem munitam, quam cuſtodit, invadere, & bellica ejus inſtrumente, arma, ſuppellectilem univerſam diripere, niſi prius illum debellaverit, & captivum alligaverit. Tunc facile domum ejus diripiet. Tertium iſtud argumentum eſt, quo Chriſtus Phariſæorum impiam calumniam refellit: Qui ſummum rebus alterius diſpendium affert, is oſtendit ſe cum eo non colludere, ſed illius hoſtem, debellatorem ac victorem eſſe: perſpicuum autem eſt me ſummum diaboli rebus diſpendium afferre, ſiquidem dæmones ex corporibus animabuſque hominum ejicio, & regni ejus propugnacula everto, ſcilicet idololatriam, vitia, pravas cupiditates. Doctrina enim mea, miracula, exempla, homines ab illis abducunt, & ad purum veri Dei cultum, vitæque ſanctimoniam perducunt: Non colludo itaque cum dæmone, nec in Beelzebub ejicio dæmonia; quin imo ipſum ut fortior vici & alligavi: alioquin ſpolia ejus diripere non poſſem; quod me facere videtis. Alludit Chriſtus ad illud Iſaiæ: *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robuſto, ſalvum eſſe poterit? Quia hæc dicit Dominus: Equidem & captivitas a forti tolletur: & quod oblatum fuerit a robuſto ſalvabitur.* *Iſaiæ 49. 24. 2.*

18. *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.* Qui non ſtat a partibus meis, credendo me in Spiritu Dei dæmones ejicere, & Regnum Dei ſtabilire ac propagare, ſed in utramque partem claudicat, & quaſi neutrarum partium eſt, ipſa ſua indifferentia & incredulitate demonſtrat ſe a diaboli partibus ſtare, cui tam manifeſta Dei opera tribuere non veretur: & qui colligit homines, non ut ipſos in Regnum Dei adducat, mihique adhærere perſuadeat, ſed ut ſibi addicat, diaboli res agit, qui homines diſpergere ſtudet, atque a Deo avertere. Ex quo manifeſtum eſt, me diaboli hoſtem eſſe, cujus operibus omnino contraria ſunt opera mea: Ille enim cupit animas hominum tenere captivas: Ego liberare: Ille prædicat idola; Ego unius Dei notitiam & cultum: Ille trahit ad vitia: Ego ad virtutes revoco. Quomodo ergo concordiam habere poſſunt cum Beelzebub, ejuſque virtute dæmones ejicere, cum tanta ſit inter mea illiuſque opera diverſitas & repugnantia? Hinc etiam ingentis periculi res intelligitur, male de Chriſto opinari, cum quo non eſſe, id ipſum eſt quod contra eſſe; & non congregare, diſpergere ſit. Quod ſequenti ſententia explicat.

S. Jo. Chryſ. Hom. 41. in Matt. S. Hieron. in hunc locum. S. Hilar. c. 12. in Matt.

19. *Ideo dico vobis. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Cum tam evidens ſit admirabilia quæ facio opera, non ſatanæ, ſed Dei virtute fieri, idque vos ipſi, ſi velitis, facile animadvertatis; videte quam gravem pœnam in vos arceſſatis; cum dicitis ex mera malitia & calumniandi libidine, iſta operatione ſatanæ fieri. *Blaſphemia Spiritus*, ea eſt, qua manifeſta opera Spiritus Sancti, hoc eſt, divinæ bonitatis & gratiæ, quæ Spiritui Sancto velut propria adſcribuntur, diabolo tribuuntur. Id conſtat ex collatione cum Marci 3. 28. 29. 30. „ Amen dico vo„ bis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata „ & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint: qui autem blaſ„ phemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſ„ ſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. Quo„ niam dicebant, Spiritum immundum habet “ *Sic blaſphemiam in Spiritum Sanctum explicat S. Athanaſius.* „ „ Vir fidelis, *inquit*, cognoſcens Domini in genus hu„ manum dilectionem, cum videt ea quæ ſunt Deitatis „ ſigna, admiratione veneratur Dominum in corpore la„ tentem. Rurſus cum videt quæ ſunt corporis propria, „ pluſquam obſtupeſcit, animadvertens in illis Deitatis virtutem. Iſtiuſmodi cum ſit Eccleſiaſtica Fides, quidam „ humana ejus reſpicientes, videnteſque ejus ſitim aut fatigationem, aut paſſionem, obtrectant Salvatori, ut homini mero, & magnopere quidem peccant: poſſunt tamen „ celeriter pœnitentiam agendo veniam conſequi: cum ha„ beant pro excuſatione imbecillitatem carnis. *Hæc pro„ prie blaſphemia in Filium hominis, quæ pœnitentibus faci„ le remittetur.* Ceterum ubi quis Deitatis opera intuens, „ incipiat dubitare de Incarnatione Domini, & ille quidem „ maxime peccat: eo quod cum videat eum comedentem, „ patientem, corpus ejus inane ſpectrum fuiſſe putat: Ve„ rum & iſtiuſmodi hominibus celeriter reſipiſcentibus ve„ niam Chriſtus donaverit, eo quod & ipſi cauſam erroris „ ſui, habeant ex magnitudine operum humanam natu„ ram excellentium. At illi qui amborum iſtorum inſci„ tiam cæcitatemque tranſcendunt, quales erant Phariſæi, „ & Verbum quod in corpore eſt prorſus abnegant, & Di„ vinitatis opera diabolo ejuſque dæmoniis imputant, meri„ to iſtius impietatis indeprecabilem pœnam luunt, cum & „ diabolum pro Deo accipiant, verumque Deum nihil plus „ quam dæmonem operari credant.“ Eodem modo blaſphemiam in Spiritum Sanctum intellexere SS. Hilarius, Joannes Chryſoſtomus, & Hieronymus, cujus ad Marcellam ſcribentis hæc ſententia eſt: Blaſphemiæ in Spiritum Sanctum reum eſſe, *qui videns in virtutibus Deum, Beelzebub calumniatur in factis.* Et in hunc S. Matthæi locum, Domini ſententiam ſic explicat: „ Qui verbum dixerit con„ tra Filium hominis, ſcandalizatus carne mea, & me ho„ minem tantum arbitrans: quod filius ſim fabri, & fratres „ habeam Jacobum, & Joſeph, & Judam & homo vora„ tor & vini potator ſim: talis opinio atque blaſphemia, „ quamquam culpa non careat erroris, tamen habet ve„ niam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeſte „ intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare poſ„ ſit, eadem ſtimulatus invidia calumniatur, & Chri„ ſtum

S. Athan. in illud Evangelii. Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, &c.

S. Hilarius in hunc locum. S. Jo: Chryſ. Hom. 42. in Matt. S. Hier. Ep. 149. & in cap. 12. 5. Matt.

„ stum Dei verbum, & opera Spiritus-Sancti dicit esse Be-
„ elzebub; isti non dimittetur neque in præsenti sæculo,
„ neque in futuro. Significare voluit multo minus cete-
„ ris hoc ignosci posse ac venia donari. " Non remittetur ergo ita facile ac cetera peccata, etiam ut ipsa blasphemia in Filium hominis. Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro, id est, numquam: *Non habebit remissionem in æternum sed reus erit æterni delicti*, ut ait S. Marcus: quia difficillime & raro admodum, vel forte numquam condonatur a Deo; cum divinam bonitatem directe impugnet, adeoque pene invictum pœnitentiæ obicem opponat; quæ dolor, est de peccato, ejusque detestatio, eo nomine quod sit offensa Dei summe boni. His igitur Deus aut raro admodum aut numquam pœnitentiæ donum impertit, sed in reprobum sensum traditos, & in malo obduratos, æternis suppliciis, servat. Verumtamen ipsa blasphemia in Spiritum Sanctum remittitur, si quis de illa pœnitentiam egerit. Nullum igitur peccatum est absolute irremissibile, nisi impœnitentia finalis, aut hujusmodi impœnitentiæ ratione, ut S. Augustinus docet. Unde quod lib. 1. *De Sermone Domini in Monte* scripserat, Peccatum ad mortem, de quo S. Joannes ait, „ Non pro illo dico „ ut roget quis; *esse* cum quis post agnitionem Dei per „ gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat „ fraternitatem, & adversus ipsam gratiam qua recón-„ ciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur; *Id*, „ *inquam, hac additione explicandum censet*: Si in hac „ tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: „ quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto „ non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. "

S. Jo. Chrys. Hom. 42. in Matt.

S. Aug. ser. 71. alias 11 de Verbis Domini.

S. Aug. lib. 1. Retract. c. 19.

Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. De quibusdam veraciter non diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non isto, tamen remittetur in futuro. Post pœnas scilicet quas patiuntur in Purgatorio spiritus mortuorum in Christo regeneratorum, quorum nec usque adeo in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse nec usque adeo bene, ut eamdem misericordiam reperiantur necessariam non habere. *De quibusdam* igitur *levibus culpis esse ante judicium Purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit*, Si quis in Spiritum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. „ In qua sententia datur intelligi, quasdam cul-„ pas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse la-„ xari. Quod enim de uno negatur, consequens intelle-„ ctus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen „ hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum „ est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus ri-„ sus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine „ culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam, qualiter decli-„ nare debeant sciunt; aut in non gravibus rebus error „ ignorantiæ; quæ cuncta etiam post mortem gravant, si „ adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. "

S. Aug. lib. 21. de Civ. Dei cap. 24.

S. Greg. M. l. 4. Dial. c. 39.

20. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur.* Ex fructibus; de arboris qualitate; ex operibus, de auctore fertur judicium: cum igitur diabolus malus sit, bona opera facere non potest. Si autem bona sunt quæ facta cernitis, nempe dæmonum expulsio, cæcorum illuminatio, omnis generis ægrorum curatio, sequitur a diabolo illa non esse. Neque enim fieri potest ut ex malo bonum; aut ex bono malum oriatur.

S. Hier. in hunc locum.

21. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.* Paternæ malitiæ hæredes & æmuli, quomodo de me operibusque meis bene loqueremini, cum intus mali sitis, & cor vestrum superbia, odio, invidia corruptum sit? Ex eo quod redundat in corde, os loquitur. Quales cogitationes & effectus, talis sermo. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Non de uno aut altero actu, sed de eo quod plerumque accidit, & quod velut naturale est, intelligitur hæc sententia. Sic Jeremiæ 13. 23. dicitur: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Homo probus de corde bono, in quo velut in thesauro rectæ cogitationes sanctique affectus reconduntur, bona verba profert: malus homo de corde corrupto verba mala, pravis cogitationibus & affectibus congruentia: non mirum ergo quod ex corde impio, arrogante, odii, & invidiæ veneno tabescente calumnias & blasphemias proferatis.

S. Hier. in hunc locum.

22. *Dico autem vobis, Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Si de verbo quovis & sermone vano, qui nec ad Dei gloriam, nec ad nostram vel proximi utilitatem aliquid conducit, reddent homines rationem in die Judicii: quanto magis vos, qui opera Spiritus Sancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia, reddituri estis rationem calumniæ, blasphemiæque vestræ? Ex verbis enim suis, non minus quam ex operibus, justus in divino judicio quisque declarabitur, vel damnabitur.

23. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Phariseis: Magister, volumus a te signum videre.* Quidam e Scribis & Phariseis, alii ab iis qui dixerant Jesum opera diaboli & vi pacti cum illo initi ejicere dæmones, ipsi dixerunt: Magister, optamus a te signum videre, non qualecumque, sed *de cœlo*, ut refert S. Lucas. *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant abeo.* Quasi dicerent, Quæ fecisti vides in dubium revocari, edi igitur miraculum aliquod omni exceptione majus, quo missio tua probetur, signum aliquod de cœlo, qualia Moyses edidit, manna, tonitru, ignem; ut constet tibi cum Deo, non cum satana consuetudinem esse. *S. Luc. 11. 15. 16.*

24. *Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Adulterina soboles; quæ se parentes habere Abraham, Isaac, & Jacob gloriatur, cum ab eorum virtute degeneraverit, & spiritu non minus ab illis aliena sit, quam quos mater ex adulterio concepit. Genus hominum pravum & adulterum, qui dimisso Deo animarum suarum sponso, multus amatoribus, scilicet idolis, & vitiis se copulaverunt. *Signum quærit*, de cœlo, ut potentiæ meæ experimentum faciat, & calumnietur; non ut veritatem cognoscat, doctrinæque meæ credat. *Et signum non dabitur illi* pro ejus arbitratu, non dabitur quale petit, de cœlo scilicet, quod similiter calumniari possent, dicentes, Magos etiam in Ægypto signa fecisse de cœlo. *Nisi signum Jonæ Prophetæ.* Sed signum illis dabitur in Jona præfiguratum, Resurrectionis nempe meæ: signum cæteris a me editis aut deinceps edendis longe majus, & ad eorum contumaciam convincendam efficacius; signum quod nec satanas, nec Angeli sancti, nec homines imitari valeant; signum inauditum, soli Deo possibile, quo *Filius Dei in virtute* declarabor, ad eorum incredulitatem pleniſſime revincendam; ut nisi in me credant, & pœnitentiam agant, post annos quadraginta pereant, eversa funditus illorum civitate; sicut olim Ninivitis excidium Ninives post dies quadraginta a prædicatione Jonæ intentatum est. *Rom. 1. 4.*

25. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Sicut Jonas, postquam se pro salute navigantium devovisset, ac in Mare submergi ad iram Dei placandam consensisset, absorptus a ceto seu monstro marino, ejusque ventre velut tumulo conditus, tribus diebus & tribus noctibus in eo mansit, quibus elapsis, in terram ejectus est vivus & incolumis, missioneque sua hoc miraculo confirmata, pœnitentiam Ninivitis prædicavit: ita Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus mortuus sepultusque sub terra jacebit, *& in inferiores partes terræ*, secundum animam descendet: deinde vivus resurget; eoque Filio Dei resurrectione ex mortuis declarato, pœnitentiæ perversæ huic nationi ad dies quadraginta prædicabitur (die sumpto pro anno) post annos vero quadraginta, Jerusalem excidetur. *Tribus diebus & tribus noctibus.* Trium dierum naturalium, qui die & noctæ constant, intervallum, hoc loquendi modo Scripturæ familiari significatur. Christus enim fuit in sepulchro per tres dies naturales, totum sumendo pro parte, quia parte Paraſceves, toto Sabbato, ejusque nocte præcedente; denique nocte Dominicæ ibi fuerit. Sic Judæi jejunasse dicuntur *Tribus diebus & tribus noctibus*, (Esther 4. 16.) non quidem integris, nam Esther die tertio Regem adiit, (cap. 5. vers. 2.) sed duabus tantum noctibus & die integro. Id Christus ipse exponit Matth. 16. 21. *Quia oportet eum ire Jerosolymam, & multa pati a Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Et cum illud a Prophetа prædicitur, post duos dies faciendum prænuntiatur, Osee 6. 3. *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos; & vivemus in conspectu ejus.* Sic Luc. 9. 28. *Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret:* Quod tamen Matth. 17. 1. & Marc. 9. 2. factum dicitur *post sex dies*, sex nempe completos, & duos imperfectos. Ita si aliquis hora nona egressus sit de mansione, & alterius diei hora tertia ad mansionem alteram pervenerit, dicitur bidui fecisse iter, quamvis non omnes horas utriusque diei, sed quamdam partem in itinere consumpserit. *Jonæ 2. Ephes. 4. 9.*

S. Hier. in hunc locum & in Jonæ 2. S. Aug. l. 1. q. Ev. 9. 7. & Epist. 102. alias 43. Quæst. 6.

26. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.* Judicium divinum ad humani judicii formam describitur. Ninivitæ surgent in ultimo judicio cum prava ista natione, testium instar, qui ut apud Romanos, sic apud Judæos, surgere solebant ex subselliis, & stare, cum testimonium adversus reos dicerent, reis ipsis pariter stantibus, ut constat ex S. Marci cap. 14. 57. *Et condemnabunt eam*; Non quia ipsi judicabunt, sed quia ex ipsorum comparatione isti merito damnabuntur; seu, ut loquitur S. Hieronymus, condemnabunt eam, *Non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo*, quo palam ostendetur sufficisse ad convertendos ad Deum illorum animos longe minora bene-

S. Aug. l. 20. de Civitate Dei c. 5.

ficia iis quæ Judæis a Deo per Christum collata sunt. Nam & Barbari erant, & nulla Jonæ Miracula conspexerant, & pauca dumtaxat verba audierant, cum ad pœnitentiam se composuerunt, absque mora, non exspectato fine quadraginta dierum: quod Judæi non fecerunt, neque facient post Resurrectionem Filii hominis, exspectati licet per annos quadraginta. *Et ecce plus quam Jonas hic.* Non solum persona personæ, sed beneficia beneficiis comparantur. *Jonas, secundum Septuaginta Interpretes, triduo prædicavit: Ergo tanto tempore. Ille Assyriis genti incredulæ: Ego Judæis populo Dei. Ille peregrinis: Ego civibus. Ille voce locutus est simplici, nihil signorum faciens: Ego tanta faciens signa, Beelzebub calumniam sustineo. Plus ergo est Jona hic: id est, impresentiarum inter vos.*

S. Hier. in hunc locum.

27. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, Et ecce plus quam Salomon hic.* Regina Austri, est Regina Saba, cujus Libri Regum & Paralipomenon meminerunt. Æthiopia enim ex qua venit celebris illa Heroina, terra Australis est. Eodem autem modo condemnabit populum Judæorum, quo viri Ninivitæ condemnabunt Israelem incredulum, comparationis scilicet exemplo; quomodo *condemnat justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam injusti.* De quo comparationis judicio *S. Hilarius* ita scribit: *Sancti quique intelligendi sunt esse judices terræ, quorum vita atque fides, infidelium iniquorumque judicium sit. Et hoc Dominus in Evangeliis ostendit dicens.* „Viri Nivitæ surgent in judicio, & judicabunt generationem hanc: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: & ecce major quam Jonas hic. Regina Austri surget in judicio, & judicabit generationem hanc, &c. „Tales erunt judices terræ, quorum comparatio fidei ac timoris, impœnitens impiosque condemnet. Si enim pœnitentia Ninivitarum ex Jonæ prædicatione suscepta, fructum adepta est pœnitendi; necesse est obediens eorum pœnitentia insolentem horum impœnitentiam judicet. Aut Regina Austri ex ultimis partibus terræ desideratam Salomonis sapientiam audiens, nonne infidelitatem & incuriam præsentium auditione peregrina damnabit? Cum tamen in inobedientiæ atque inaudientiæ judicium differens a Salomone atque Jona Christus auctor accumulet." REGINA AUSTRI, mulier, Ethnica, potentissima, Regni curis distracta, VENIT A FINIBUS TERRÆ, id est, *e longinqua regione*: Itineri difficillimo se commisit: AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, hominis mortalis, eique multa & ampliſſima pretiosissimaque munera detulit. *Et ecce plus quam Salomon hic*, Christus scilicet Dei virtus & Dei sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Ipse ad vos venit, ut longum iter ipsius causa suscipi minime necesse sit, ultro se offert, & Mysteria Regni Dei exponit omnibus audire volentibus: & ipsum tamen spernitis. Qua igitur damnatione, qua pœna digni estis? „Cumulat „igitur invidiam comparario, & Judæos sine excusatione facit fides Gentium: ut cum illi Prophetis, id est, Jonæ Salomonique crediderint, Christo isti non credant Jona Salomoneque potiori. Et idcirco in resurrectione eos judicabunt, quia in his repertus timor Dei fuerit, quibus Lex non erat prædicata: hoc magis indigni venia, qui ex Lege sunt infideles, quo plus fidei „in eis qui legem ignoraverunt, sit repertum."

3. Reg. 7. 2. Paral. 9.

Sap. 4. 16.

S. Hilar. Tract. in Ps 2. *ad Vers.* 44.

Jerem. 6. 20 *Joel.* 3. 6.

S. Hil. c. 12. *in Matth. n.* 20.

28. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.* Hæc sententia Judæos Evangelii gratiæque divinæ contemptores terret Christus, pœnamque illis omnibus imminentem denuntiat, qui cum a dæmone fuerint spiritaliter liberati, divinæ gratiæ contemptu & abusu rursus in priora peccata relabuntur. Humano autem more loquitur de diabolo tamquam de homine ex domo sua exule, de hominis animo velut de domo, cujus habitatione delectatur. Multus translationum luminibus tota hæc domini micat oratio. *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Cum diabolus divina virtute gratiæque efficacissima & potentissima operatione ex homine quovis fuerit expulsus (neque enim iponte exit in hominum perniciem conjuratus hostis) *ambulat per loca arida & inaquosa*, ut apud S. Lucam habetur, per loca deserta & sterilia, in quibus nemo libenter habitet. Talia sunt dæmoni loca omnia extra hominem, eum præsertim qui semel est sanctificatus, ingrata scilicet, tamquam triste exilium, ac deserto similia. Apud Hebræos receptum erat, dæmones locis desertis gaudere, & ob id dici *solitarios*. Jesum in deserto diabolus tentavit, loco sibi conveniente. In locis incultis & desertis sagas plerumque inveniri, experientia comprobatum est. Igitur diabolus ex hominis animo tamquam e domo sua pulsus, instar hominis in exilium terræ aridæ & desertæ relegati. *Quærit requiem, & non invenit.* Discruciatur enim quamdiu extra homines habitat, quos vindicare sibi nititur ac possidere ut sui juris, Deo per peccatum ereptos, ab initio *Dei æmulus, cujus operatio hominis eversio est.* Tunc dicit, *Revertar in domum meam, unde exivi.* Nullum non movebo lapidem ut revertar in antiquum hospitium; tentationibus meis efficiam, ut in peccatum ruente iterum homine, Deus illum deserat, qui in corde illius per gratiam suam habitabat, atque ita in ejus locum succedam a quo fueram expulsus. *Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* Invenit hominem Spiritu Dei vacuum, otiosum, desidem, ad Deum & ad officia sua non attendentem: Invenit animam hominis præparatam, negligentia, & incuria salutis suæ, propensione in malum, pravis cupiditatibus & habitibus, mala voluntate ipsum allicientem & velut invitantem. *Diaboli opus unum est, tentare quod in te est. an velis. At ubi voluisti, sequitur, ut sibi subjungat. Non operatus in te voluntatem, sed nactus occasionem voluntatis.* Hominis autem ad vias suas non attendentis, & cupiditatibus suis, Mundique iniquinamentis implicati animus, respectu dæmonis, dicitur *Domus scopis mundata, & ornata*, & ad eum excipiendum idonea, quia pravæ cupiditates & peccata diabolo sunt instar exquisitæ munditiæ, & ornatus, quo sicut porci luto aliisque sordibus, maxime delectatur. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se*, multos alios dæmones, velut socios habitationis, ut in corde hominis, quasi in arce, constituto præsidio, securius ibi dominetur, neque tam facile inde possit expelli. *Septem alios spiritus*, oppositos septem illis spiritibus qui in conspectu throni Dei sunt, seu vitia septem donis Spiritus Sancti opposita. *Septem alios spiritus*; plenitudinem vitiorum. Quicquid enim in suo genere ad plenam mensuram pervenit, septenario numero in Scripturis sacris significatur: *Et fiunt novissima hominis illius pejora pejoribus.* Novissima illius hominis conditio pejor erit priore. *Sic erit & generationi huic pessimæ*, Scribis & Pharisæis, contumacibusque & incredulis Judæis. „Immundus spiritus „exivit a Judæis, quando acceperunt Legem, & ambulavit per loca arida, quærens sibi requiem. Expulsus „videlicet a Judæis, ambulavit per Gentium solitudines, „quæ cum postea Domino credidissent, ille non invento loco in Nationibus, dixit: *Revertar in domum meam „unde exivi*, id est, ad Judæos, quos ante dimiseram. „*Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, „& ornatam.* Vacabat enim Templum Judæorum, & „Christum hospitem non habebat, dicentem: *Dimittetur „vobis domus vestra deserta.* Quia igitur & Dei & Angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis observationibus legis, & traditionibus Pharisæorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam & septenario sibi numero dæmonum addito, habitat pristinam domum, & fiunt novissima populi illius pejora prioribus. Multo enim nunc majori dæmonum numero possidentur blasphemantes in Synagogis suis Christum Jesum, quam in Ægypto possessi fuerant ante Legis notitiam: quia aliud est venturum non credere; aliud eum non suscepisse qui venerit. *Et veniens invenit eam „vacantem, scopis mundatam, & ornatam.*" Hæc scilicet emundata per Legem, & Prophetarum ornata præconiis, & Christi adventu præparata, vacua invenitur: a qua & custodia Legis abscesserit (quia omnis *Lex usque ad Joannem* est) & ad habitandum non receptus sit Christus. Atque ita & habitatore vacua est & deserta custodibus; cum tamen veniente, præeuntium sollicitudine, & mandata sit & ornata. „Septem igitur spiritus nequiores as„sumuntur; quia tot erant gratiarum munera destinata „cum Chtisto; quæ in eo multi formis illa Dei Sapien„tia septiformi gloria collocavit: ut tanta iniquitatis „fieret possessio, quanta futura fuerat gratiarum... At„que ita novissima hominis illius pejora erunt prioribus: „Quia ex Judæis immundus spiritus metu Legis excesserat, nunc autem in eos cum ultione repudiatæ ab „eis Gratiæ revertetur. *Non hic allegoricus, sed litteralis sensus est, ut hæc verba Christi probant*: Sic erit „& generationi huic pessimæ.

S. Hier. in hunc locum.

Tertull. lib. De Exhortatione Castitatis, c. 2.

Apoc. 1. 4.

Isai. 11. 2.

S. Hil. in c. 12. *S. Matt. Matt.* 11. 13

29. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Fratres Christi, non natura, quia nullos habuit, ut contra Helvidium Hæreticum probat S. Hieronymus; quæ fides est Ecclesiæ: non filii Joseph ex priore uxore, ut Græci quidam Patres senserunt: sed consobrini. Cognatos namque fratres vocat Scriptura sacra. Sic Abraham & Loth dicuntur fratres, & Sara dicitur soror Abrahæ. *Stabant foris*, quia præ turba ingredi non poterant in domum. Ipsum autem studiose quærebant alloqui, & secreto quidem, quia intellectis Pharisæorum adversus ipsum conspirationibus, eum quovis modo periculo subtrahere volebant. Hoc & series historiæ, & quæ S. Marcus narrat, indicare videntur. Cum autem ad eum adire non possent, uno & altero, nuntio summisso, ipsum importune monuerunt. Hunc porro adventum Matris & fratrum, hoc est, cognatorum Christi,

Luc 11.

Genes. 13. 3. *Gen.* 20. 12

Marc. 3. 21

S. Lu-

Luc. 8. 19. S. Lucas refert post Parabolam seminum, temporis ordine non servato.

30. *At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matrem sanctissimam & cognatos non negat, aut spernit, sed duriore responso ostendit negotia divina præferenda esse terrenis, & in Ministerii Evangelici functione nullam habendam esse carnalis affectus rationem *Non injuriose rejutantur parentes* (inquit Ambrosius) *sed religiosiores copulæ mentium docentur esse, quam corporum.* *S. Amb. lib. 6 in Lucam num. 56.*

31. *Et extendens manum in Discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.* Discipulos suos manu designans, spiritalem illorum cognationem carnali se præponere significat: sibi enim conjunctiorem esse, qui sanctior & Deo obsequentior est. Neque hæc ullo modo trahenda sunt ad sanctissimæ Virginis Deiparæ injuriam, quæ Dei voluntatem accuratissime in omnibus implevit, ut humillima ejus ancilla, & beatior fuit Christum mente concipiendo, quam carne. „ Moralis Magister, qui de se „ ceteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse „ etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus „ enim ceteris quoniam qui non reliquerit patrem & „ matrem suam non est Filio Dei dignus, sententiæ huic „ primus ipse se subjicit, non quo maternæ refutet pietatis obsequia (ipsius enim præceptum est: *Qui non „ honoraverit patrem aut matrem, morte moriatur.* Sed „ quia paternis se Mysteriis amplius quam maternis „ affectibus debere cognoscat .... Ergo hic non Mater „ negatur, quæ de Cruce etiam agnoscitur, sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. QUICUMQUE fecerit voluntatem Patris mei, „ qui in cœlis est ipse meus frater, & soror, & ma „ ter est: *id est, ipsum fratris, & sororis, & matris „ loco habeo, & affectu diligo.* In quo numero profecto „ etiam ipsam Mariam benignus includit: faciebat enim „ & illa voluntatem Patris. Ita optimus Magister atque „ divinus, & maternum nomen, quod ei quasi privatum propriumque nuntiaverant, quia terrenum erat, „ in comparatione cœlestis propinquitatis abjecit: & eamdem cœlestem propinquitatem, in Discipulis suis commemorans, quo sibi rursum consortio generis, cum ceteris sanctis Virgo illa cohæreret, ostendit. Et ne isto „ saluberrimo Magisterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error accipe„ ret, quo matrem habuisse a quibusdam negatur, alio „ loco Discipulos monuit, ne se patrem in terris dicant „ habere, ut quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cujus tamen „ terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum Discipulis præberet exemplum.„ *S. Amb. ibidem.* *S. August. Epist. 243. alias, 38.*

SENSUS MORALIS.

1. ABIIT *Jesus per sata Sabbato: Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas.* Esurientes Christi Discipuli in ejus societate panem non habent, & spicas vellere & confricare ad lavandam famem coguntur. Nemo igitur Christianus illos a Deo derelictos putet, qui rerum temporalium inopia laborant, & fame premuntur. In Christi Jesu societate & spiritu egere, esurire, pati multo melius atque gloriosius est, quam in Mundi servitute bonis omnibus temporalibus abundare. Sors hæc Discipulorum Christi. Sed pauperes non sunt, qui Deum possident: non esuriunt, qui justitiæ cibo, qui verbo veritatis, qui Angelorum pane reficiuntur: „ *Quod plerique pauperes dicimur* (inquit *Minucius Fœlix*) non „ est infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu „ solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, „ qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum „ multa habeat, plura desiderat ... Nemo tam pauper „ potest esse quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: quæ omnia si non concupiscimus, pos„ sidemus. Igitur ut qui viam terit, eo felicior, quo „ levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi, qui „ paupertate se sublevat, non sub onere divitiarum suspirat. „ Et tamen facultates si utiles putaremus, a Deo poscemus. Utique indulgere posset aliquantum, cujus est „ totum: sed nos contemnere malumus opes quam continere. Innocentiam magis cupimus, magis patientiam „ flagitamus: Malumus nos bonos esse, quam prodigos.„ Discipuli ejus esurientes cœperunt vellere spicas. *Quod spicas segetum manibus confricant, & inediam consolantur, vitæ austerioris indicium est, non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.* „ Discipulorum „ Christi abstinentiam admirare, quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant; sed sine præmeditatione aliqua & præparatione mensam sibi sic constituant, ut continua fere cogantur inedia premi, neque tamen a Christo abscedant: nam nisi gravi inedia „ vexarentur, numquam certe illud in Sabbato fecissent.“ *Natal. Alex. In Evang.* *Minucius Felix in Octavio.* *S. Hier. in cap. 12. S. Matt.* *S. Jo. Chrys. Hom. 40. in S. Matth.*

stolicam vitæ austeritatem imitari decet verbi Dei Ministros, & in eo totos versari ut plebs Christiana cœlestibus Sacramentis & divino verbo reficiatur: non de carnalibus epulis sibi narandis sollicitos esse, non lautiores mensas desiderare, sed opus ministerii pro Christi gloria & animarum salute exercere constanter *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate*: si Deus occasionem ipsis præbeat hæc pro ipso patiendi. *2. Cor. 11. 27.*

Abiit Jesus per sata Sabbato: Discipuli autem ejus cœperunt vellere spicas: Eo tempore quo Deo Patri de data gentibus salute gratias egit Jesus, ambulavit per sata. „ Ager mundus est, Sabbatum otium est, seges creditu„ rorum profectus in messem est. Ergo Sabbato in agrum „ profectio, in Legis otio Domini progressus in hunc „ Mundum est, segetem eam, id est, salutem humani „ generis invisens. Et quia esuritio fames est salutis humanæ, spicas præcerpere ac vellere, scilicet sanctorum „ se salute satiare Discipuli festinant. Sacra illa fame, „ zeloque salutis animarum urgeri Pastores, Sacerdotes, „ & Concionatores evangelicos oportet: “ ambulare per sata cum Domino, id est Scripturarum sacrarum meditatione delectari: spicas vellere, id est, singulos homines desideriis suis in terra radicatos, a rerum terrenarum amore abstrahere: spicas manibus confricare, id est, a concupiscentia carnis mentes exuere, *Mortificatis membris, quæ sunt super terram*: grana comedere, id est, emundatos in corpus Christi trajicere, ut ejus membra fiant: Quod nisi confricatis spicis facere non possent; *Quia quisque non transibit in corpus Christi, nisi carnalibus expoliatus fuerit indumentis.* Hinc Apostolus ait, *Exuite vos veterem hominem.* Hinc *Circumsio non manu facta in expoliationem carnis.* Id denique Sabbato facere debent, id est, intuitu quietis æternæ. *S. Hilar. in cap. 12. S. Matth.* *Coloss. 3. 5.* *S. Aug. lib. 1 Quæst. in Ev. S. Matt. Quæst. 2.*

2. *Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes Propositionis comedit, &c.* Pharisæi specie tenus religiosi, revera hypocritæ; Legis zelatores secundum litteram, quæ occidit, Legis, secundum spiritum, qui vivificat, prævaricatores: in capitibus nonnullis ad inhumanitatem usque superstitiosi, in aliis usque ad impietatem molles & indulgentes: Christi Discipulos innocentes accusant violati Sabbati, tam laboriosos operarios, tam austeros, tam utiles, quos admirari deberent ac laudare: accusant, inquam, & calumniantur, superbia & invidia impulsi. Quot in Ecclesia Pharisæi, speciem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes, semidocti, in observantiis plerisque exterioribus superstitiosi, in iis quæ Christianæ professioni essentialia sunt, charitate scilicet, humilitate, & ceteris Legis divinæ capitibus indulgentiores, commodi, faciles, remissi, ad alios accusandos & damnandos propensi ac prompti? Qui Christi discipulus est, non famem solum & inopiam, sed & calumniam, pro ejus nomine lubenti animo pati debet, ut innocentes Apostoli; sufficiat autem illi testimonium conscientiæ suæ, confidatque Christum innocentiam ejus defensurum, quemadmodum Apostolorum suorum innocentiam adversus Pharisæos defendit: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* *Rom. 8. 33. 34.*

3. Discipulorum innocentiam in causa violati secundum speciem Sabbati, Christus exemplo duplici tuetur, Davidis, & Sacerdotum in Templo Sabbatis operantium: *Ut multos minus ad ipsum evulsarum Sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus Rex, & verus Sacerdos est, & ideo Dominus Sabbati.* *S. Aug. lib. Q. Evang. in S. Matt. Quæst. 10.*

4. Dominicis, festisque diebus, quæ Sabbata sunt Christianorum, opera famula sive servilia exercere, Lex Ecclesiæ prohibet. Verum ita observanda Religio, ut superstitio caveatur. Cibos parare licet, quod Judæis Lege vetitum erat Sabbatis. Manibus operari licet iis, qui aliter sibi, vel familiæ suæ victum procurare non possunt, modo id sine scandalo fiat, & post auditionem Sacri. Licet fruges recondere alias perituras. Licet necessarium iter conficere. Licet in bello militaria opera peragere ad expugnationem vel defensionem urbis vel castri; & pugnare opportunitate data: quod & Sabbatis licere Judaicæ Genti, Machabaicis temporibus declaratum est. Licet omne opus secundum se honestum & licitum, quod necessitas cogit. Solum, quod nusquam licet, peccatum. Sacrorum dierum religionem sic violat, ut excusari non possit qui diebus illis Dei Legem transgreditur; quin immo gravius sit illius peccatum quod maxime omnium servile opus est: cum *qui facit peccatum, servus sit peccati*: Nihilque magis oppositum sit spiritali quieti in Deo nostro, ad quam significandam Sabbatum commendatum est priori populo in otio corporali celebrandum. „ Unde non inconve„ nienter intelligimus, ad amorem excitandum, quo ad „ requiem tendimus, valere omnia quæ figurate in Scri„ pturis dicuntur; quandoquidem id solum in Decalogo „ figurate præcipitur, ubi requies commendatur, quæ „ ubi- *S. Aug. Ep. 55. al. 119. c. 11.*

„ ubique amatur, sed in solo Deo certa & sancta inve-
„ nitur. " Sacris igitur diebus præcipue implendum est,
quod Deus per Prophetam præcipit, *Quiescite agere per-*
Isaiæ 1.16. *verse, discite benefacere*: In requiem Dei introeundum
est, ut requiescat homo *ab operibus suis, sicut a suis*
Heb. 4. 10. *Deus*. Opera autem hominis propria, peccata sunt: bona enim opera agnoscimus illius potius esse, quam nostra. Hæc sola quies nullam dispensationem recipit, illius violationem nulla necessitas excusat.

Dominicis Festisque diebus, opera quæcumque religiosa exercenda sunt, & in his potissimum sita est sanctificatio. Non soli Sacerdotes, ut olim tempore Legis veteris, panes sacros comedere possunt, sed Christiani quilibet sceleris puri, seu per pœnitentiam a peccatis expiati Christi corpus in Eucharistia, veritas est per panes coram Arca Domini propositos adumbrata. Hoc pane refici Fideles, quos Christus Patri suo Regnum & Sacerdotes fecit in sanguine suo decet sacris diebus: oportet ut victimas Deo cædant, offerantque, non cruentas illas pecudum, quas olim Sacerdotes mactabant in Templo, Sabbatum sine crimine violantes, sed seipsos, cupiditatesque suas, *Non sacrificium trucidati pecoris, sed contriti cordis*.
S. Aug. l. 10. *de Civitate Dei c.* 3. Illi offerant oportet *Hostiam humilitatis & laudis, in ara cordis, igne fervidæ charitatis*. Et suavissimum adoleant incensum, *in ejus conspectu pio amore flagrantes*. His operibus non solum non violantur, sed maxime sanctificantur Christiana Sabbata, id est, Dominici, Festique dies. Sed, quod dixi de sacri panis, Corporis scilicet Christi illis diebus Communione frequentanda, non solum conscientiæ puritatem, ex necessitate; sed & corporis munditiem, continentiamque ab opere conjugali, quam a Christianis Apostolus ad tempus exigit ut orationi vacent, ex pietate
S. Hieron. in c. 12. *S. Matt.* & decoro postulat. Unde S. Hieronymus in Commentario hujus loci: *Observa* (inquit) *quod panes Propositionis nec David, nec Pueri ejus acceperunt, antequam se a mulieribus mundos esse responderent*. Si enim aditus immundis
S. Amb. lib. 5. *in Lucam n.* 33 *&* 37. vel ad Templum Lege veteri prohibitus erat: *Dico vobis, quia Templo major est hic*. Quomodo autem, inquit S. Ambrosius David observator Legis atque defensor panes & ipse manducavit, & dedit iis qui secum erant, quos non licebat manducare nisi tantummodo Sacerdotibus, nisi ut per illam demonstraret „ figuram, Sacerdotalem ci-
„ bum ad usum transiturum esse populorum? Sive quod om-
„ nes vitam Sacerdotalem debemus imitari, sive quia om-
„ nes filii Ecclesiæ Sacerdotes sunt; ungimur enim in
„ Sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias
„ spirituales... Quid vero evidentius, quam quod in Achi-
„ melech domo quinque panes petit David, & unum ac-
„ cipit: demonstrante typo, quod jam non quinque Libris,
„ sed Christi corpore cibus fidelibus pararetur, ut Christi
„ corpus assumeret, ne quis de fidelibus esuriret? „

Sabbata non violantur, immo sanctificantur operibus charitatis & misericordiæ: hæc Dominicis Festisque diebus ne-
Jacob. 1.27. mo nisi superstitiosus & irreligiosus intermittit. In his enim Religionis perfectio posita est. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est; Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Misericordiam Sacrificiis præponendam Christus docuit, & eo nomine inhumanam Pharisæorum calumniam refellit, qui ejus Discipulos violati Sabbati inique accusabant, quod paucas segetum spicas vulsissent, & manibus trivissent ad levandam famem; cum parare cibos necessarios pridie non potuissent, confluentibus ad Christum turbis impediti, quas ad ejus doctrinam præparaverant. „ Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo,
Osee 6. 6. „ & non Sacrificium: numquam condemnassetis innocentes.
Micheæ 6.6 „ *Hinc apud alium Prophetam*: Quid dignum, *inquit*, offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid
„ offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Numquid
„ placari potest Dominus in millibus arietum, aut in mul-
„ tis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primo-
„ genitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro
„ peccato animæ meæ? Indicabo tibi, o homo, quid sit
„ bonum, & quid Dominus requirat a te; Utique facere
„ judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum am-
„ bulare cum Deo tuo." In hujus Prophetæ verbis utrumque distinctum est, sanctisque declaratum, illa Sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus significantur hæc Sacrificia quæ requirit Deus: *Beneficentiæ & communionis*,
Heb. 13.16. (inquit Apostolus) *nolite oblivisci: talibus enim Hostiis promeretur Deus*. Ac per hoc ubi scriptum est, *Misericordiam volo non Sacrificium*, nihil aliud quam Sacrificio Sacrificium prælatum oportet intelligi: Quoniam illud quod ab omnibus appellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Por-
S. Aug. l. 10. *de Civitate Dei c.* 6. *&* 7 *Matt.* 22.40 to Misericordia verum Sacrificium est. „ Quæcumque igi-
„ tur in Ministerio Tabernaculi sive Templi multis modis
„ de Sacrificiis leguntur divinis esse præcepta, ad dile-
„ ctionem Dei & proximi significandam referuntur: *In his*
„ *enim duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ*.
„ Proinde verum Sacrificium est omne opus, quod agitur,
„ ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet
„ ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.
„ Unde & ipsa misericordia qua homini subvenitur, si pro-
„ pter Deum non fit, non est Sacrificium: Et si enim ab
„ homine fit vel offertur, tamen Sacrificium res divina est...
„ Unde ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo votus,
„ in quantum Mundo moritur ut Deo vivat, Sacrificium
„ est: & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in
„ se ipsum facit. Propterea scriptum est: *Miserere animæ* *Eccl.* 40.32.
„ *tuæ placens Deo*. Corpus etiam nostrum cum per tem-
„ perantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus
„ propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra
„ arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, Sacri-
„ ficium est. Ad quod exhortans Apostolus ait: *Obsecro* *Rom.* 12. 1.
„ *vos, fratres, per misericordiam Di, ut exhibeatis corpo-*
„ *ra vestra Hostiam viventem, sanctam Deo placentem, ra-*
„ *tionabile obsequium vestrum*. Si ergo corpus, quo infe-
„ riore tamquam famulo, vel tamquam instrumento uti-
„ tur anima, cum ejus bonus & rectus usus ad Deum re-
„ fertur, Sacrificium est; quanto magis anima ipsa cum
„ se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, for-
„ mam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam
„ incomutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens,
„ quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit Sacrificium?"
His Sacrificiis Dominici Festique dies celebrandi sunt, quia ita statuit Christus *Dominus Sabbati*, non solum Judaici & typicis, sed Christiani & spiritualis.

5. *Si sciretis quid est, Misericordiam volo, non Sacrificium, numquam condemnassetis innocentes*. Præclare in *S. Hilar. in*
hunc locum S. Hilarius. „ Opus, *inquit*, salutis nostræ non *cap.* 12. *S.*
„ in Sacrificio, sed in misericordia est: & Lege cessan- *Matt.*
„ te, in Dei bonitate salvamur. Cujus rei donum si in-
„ tellexissent, numquam condemnassent innocentes, id
„ est, Apostolos: quos infimulaturi erant transgressæ Le-
„ gis invidia, cum Sacrificiorum vetustate cessante uni-
„ versis per eos misericordiæ novitas subveniret."

6. Qui temere ac facile alios accusat, judicat, calumniatur, Pharisaicæ malignitatis est hæres: Qui alios excusat, & calumniis impetitos defendit, dominicæ charitatis est imitator. Sed ita excusandi sunt homines, ut peccata nusquam excusentur: „ In his enim quæ pecca-
„ ta omnino sunt, nulla umquam excusatio inveniri po- *S. Jo. Chrys.*
„ test; Nam neque homicida, si per iracundiam se fe- *Hom.* 40. *in*
„ cisse dicet; neque adulter, si per cupiditatem commi- *S. Matth.*
„ sisse asseverabit, numquam satisfaciet; nec alia ulla
„ excogitari causa poterit, ut hæc quæ peccata sunt,
„ non esse peccata videantur." Nusquam excusatur, quod Deus damnat. Quamvis autem sanctorum exempla, quæ in Scripturis sacris referuntur, nec improbantur usquam, ad similia facta excusanda valeant; ut ostendit Christus Davidis exemplo factum innocens Discipulorum suorum vindicans a calumnia: *Non legistis quid fecerit David?* &c. Non tamen aliorum hominum, qui vulgo probi & pii habentur, exempla instar regulæ nobis esse debent ad quam mores nostros conformemus, sed Lex una divina: nec legitime quis excusatur, si aliorum exempla sequi maluerit, quam ad Legem divinam & sanctos ejus interpretes attendare: *Cum videris multos non solum hæc face-* *S. Aug. l. de*
re, sed etiam defendere atque suadere, tenete ad Legem Dei: *Catechizan-*
& non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum illo- *dis rudibus*
rum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis. *c.* 25.

7. *Et ecce homo habens manum aridam; & interrogabant eum, dicentes, si licet Sabbato curare? ut accusarent eum. Ipse autem dixit illis: Quia erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere* Crudelis Pharisæorum invidia, cujus malignitas ipsa Christi Domini divina charitate exacerbatur & nutritur. Christi gloriæ officere malunt, quam ægroti hominis salutem videre. Illum interrogant, ut accusandi ac reprehendendi nanciscantur occasionem. Ipse autem admirabili benignitate curat, & respondet quam mitis sit, omnibus aperiens, & insidias inimicorum in ipsos convertens. Statuit hominem in medio, ut eos miseriæ ejus intuitu ad misericordiam flecteret; & ne sic quidem facti sunt meliores. Ovis exemplum adhibuit, quam Sabbato in foveam delapsam, inde educere & curare non morabantur: ut multo magis licere Sabbato benefacere homini intelligerent ad serviendum charitati, quam pecudem e fossa extrahere ad serviendum cupiditati. Non erat enim nescius quanta æris cupiditate vexarentur, & quod auri multo magis quam humanitatis essent cultores. Quam multi vocem cupiditatis audiunt, charitatis vocem non audiunt! Magis dolent jacturam pecudis, quam miseriam, calamitatem, ægritudinem, mortem hominis: cum tamen homo longe melior sit pecude, præsertim Christianus homo, frater in Christo noster, Christi membrum ejusdemque gloriæ cœlestis candidatus. *S. Jo. Chrys. Hom.* 41. *in Matt.*

8. *Interrogabant eum; si licet Sabbato curare, ut accusarent eum*. Ad infamiam Judicis & nequitiam cognitoris, quæritur de cura crimen, de pietate accusatio, reatus de virtute, de salute supplicium. Sed mirum non est: semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos: aut quando non lascivus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat? Observabant solliciti Sacerdotes Sabbatis, non si peccaret, sed si curaret; ut accusarent eum. Amatores criminum invigilant: *S. Pet. Chr. serm.* 31.

inso-

insidiantur in accusatione virtutum; quasi contra salutem, non pro salute Sabbatum sit provisum. Sabbatum non impie curam denegavit infirmis, sed tota pietate aliquoties quietem præstitit fessis nimio labore mortalibus. Tunc
Marci 3. dicit eis, alio Evangelista referente: *Licet Sabbatis benefacere an male, animam salvam facere, an perdere?* Bonitatem commendat operis sui: & illorum malitiæ conceptæ conscientiam accusat: Quia cum ille salvum facere hominem corpore animoque gestiret, illi eum accusandi studio perdere moliuntur, *At illi tacebant*; *& circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.* Circumspiciens dixit, non conspiciens, id est, non tantum faciem ut homo intuens, sed ut Deus corpora, corda, mentes, sensus, præterita, præsentia, futura contemplatus: *Iratscitur ut Dominus, contristatur ut parens, dolet ut homo, intuetur ut Deus.*

9. *Itaque licet Sabbatis benefacere.* Christiana Sabbata, sive Solemnitates bonis operibus sanctificare & celebrare oportet. Quotidianum autem & juge Sabbatum Christianis est, non semel dumtaxat in hebdomade recurrens. Ideo Christus Sabbatum vetus abolevit, impletaque Lege, Sabbati, aliorumque ritualium præceptorum onere
S. Joannes Chrysost. Hom. 40. in Matt. Apostolos solvit. „ Non enim decebat illos diem unum „ solemnem agere, quibus tota vita solemnitas est: nec „ juxta Arcam Dei atque Altare aureum assistere eos, „ qui Creatorem omnium in se ipsis habebant habitantem: multisque modis, immo vero omnibus ipsos alloquentem: Alloquitur enim Fideles orantes, offerentes, „ per Scripturas, per misericordiæ officia: & quod omnia continet, in ipsis habitat. Cur igitur Sabbato illi „ opus est, qui per totam vitam suam agit solemnitatem, qui cœlesti vivit disciplina, qui peccatorum immunis virtutes observat & colit? Solemnitatem igitur „ continuam agamus, nihil omnino malignitatis committentes. Nam tunc solum veram solemnitatem peragimus, cum spiritalis vitæ continuo cultum augemus, „ cum a terrenis operibus abstinemus, cum spiritali vacamus otio, manus ab avaritia cohibentes, corpus a „ superfluis & inutilibus abducentes laboribus. Servitutis „ enim extremæ sunt hi labores, illisque similes, quibus „ in Ægypto Judæorum populus vexabatur. Nullum enim „ inter auri sollicitos collectores, & cœni atque laterum „ operarios, quique ad paleas colligendas flagellis adigebantur, omnino discrimen est. Nam ut tunc Pharao „ atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas adigebat Hebræos: sic etiam nunc diabolus ad „ officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. „ Quid enim aliud aureum est, quam cœnum, & argentum quid aliud quam palea? Sicut ergo palea ignem, „ sic pecuniæ cupiditas avaritiæ flammam incendit, & „ quasi cœnum aurum ipsum inquinat possidentes. Sed „ missus est nobis liberator, non Moyses e deserto, sed „ Filius Dei de cœlo. Quare si post adventum ejus etiam in Ægypto permanebis, Ægyptiorum etiam supplicis cruciaberis. Sin vero Ægypto spreta. Israel spiritalem sequeris, miraculorum omnium eris spectator. „ Nec tamen id solum ad salutem sufficit: Non enim ab „ Ægypto tantummodo recedendum est, sed in repromissionis quoque Terram veniendum. " Ad hoc eniti studiis omnibus Christiani debent, ut bonorum operum frequenti & assidua exercitatione, ad Sabbatum æternæ quietis perveniant: sed quia tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, Sabbatum est, tota vita benefaciendum est.

10. *Tunc ait homini: Extende manum tuam; & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* Dominus
S. Amb. lib. 5. in Lucam c. 39. Jesus, qui totum hominem salvum facere disponebat, per singula membra currebat, ut vere diceret, Indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato. „ *Itaque* „ *hoc loco* Manum illam quam extendit Adam, & interdictæ arboris poma decerpsit, succis bonorum factorum salutaribus irrigavit: ut quæ crimine aruerat, bonis operibus sanaretur. In quo Judæos redarguit Christus, qui malis interpretationibus Legis præcepta violarent, æstimantes Sabbato etiam a bonis operibus feriandum, cum Lex in præsentibus formam præfiguraverit futurorum; in quibus utique malorum feriæ futuræ sunt, non bonorum. Nam licet sæcularia opera conquiescant, non otiosus tamen boni operis actus est in Dei laude requiescere. Audisti Domini verba dicen-
S. Pet. Chrysol. serm. 32. tis, *Extende manum tuam*. In hoc homine omnium „ hominum imago figuratur: In hoc geritur cura cunctorum. Aruerat enim manus hominis magis stupore fidei, quam siccitate nervorum; & plus culpa conscientiæ, quam debilitate carnali. Antiqua nimis ista erat, & quæ in Mundi principio contigerat ægritudo, nec „ arte hominis aut beneficio poterat hæc curari, quæ „ justa Dei fuerat indignatione contracta: tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat; cum se ad arborem „ sciendi bonum malumque porrexerat. Auctore indigebat, non qui maligna imponeret; sed qui posset illatam relaxare sententiam, & ignoscendo resolvere, „ quod religaverat indignando. In hoc homine nostræ „ tantum geritur umbra sanitatis: perfecta autem salus „ nostra reservatur in Christo: quia tunc ariditas nostræ „ manus miserando dissolvitur, cum cruore perfunditur „ dominicæ Passionis: cum in illo vitali ligno crucis extenditur; cum carpit fructuosam de dolore virtutem; „ cum totam arborem salutis amplectitur; cum clavis „ Domini corpus affigitur, quo numquam ad arborem „ concupiscentiæ, & aridæ redeat voluptatis. "

Extende manum tuam. „ Communis ista generalisque *S. Amb. lib. 5. in Lucam num. 40.* „ medicina est. Et tu qui putas manum habere te sanam, cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contraharis. Extende sæpius eam, extende ad illum pauperem „ qui te obsecrat: extende ut proximum juves, ut viduæ „ præsidium feras, eripias injuriæ, quem vides injustæ „ contumeliæ subjacere: extende ad Deum pro peccatis „ tuis, Sic manus extenditur, sic sanatur. Sic Hierobo- *1. Reg. 13.* „ am manum, cum idolis sacrificaret, contraxit; & rursus *4. & 6.* „ cum Deum rogaret, extendit. Orate, Fratres, ut Sola *S. Pet.* „ Synagoga tali debilitate fuscetur, nec sit in Ecclesia *Chrysol.* „ cujus manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, *serm. 32.* „ rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat: sed „ si acciderit idipsum, audiat Dominum, & cito eam in „ opere pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, „ in eleemosynis porrigat. *Sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.* "

11. *Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.* Quam cæca Pharisæorum invidia! charitatis opera Sabbato exercere nefas esse putant, conjurationem in Christum bonum opus & Sabbato dignum esse volunt. Nulla injuria vexati, Christo necem moliuntur: adeo pernicioſum malum invidia est: „ Nec enim alienis solum, sed domesticis, & illis *S. Jo. Chrys. Hom. 41. in Matt. S. Basil. Hom. de Invidia. Sap. 2. S. Jo. Chrys. ibid.* „ ipsis qui invident, pestifera est. Invidia intolerabile „ malum, serpentis documentum, dæmonum inventum, „ punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam. Regni cœlorum privatio. *Invidia crimen est „ non Pharisaicum modo, sed diabolicum.* Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte illius . . . . . *Invidia pestiferum malum*, hominem in diaboli conditionem, ac „ in dæmonem immaniſſimum convertit. Invidia prima „ hominis cædes apparuit, invidia fraterna charitas contempta est. Invidia factum est, ut hiatu suo terra Dathan, Core, Abiron, universumque illum populum vivos absorpserit. Sed facillimum est, dicet aliquis, invidos accusare: quomodo igitur ne veneno suo nos inficiat, faciemus? Si dabimus operam, ut quemadmodum fornicatori nefas est Ecclesiam ingredi, sic invido quoque: immo vero multo magis invidus, quam fornicator, a cœtu Fidelium exterminandus est . . . " „ Considera te non majorem illi cui invides, quam tibi „ ipsi inferre injuriam, cum te ipsum versus mucronem „ impellas. Quid enim incommodi Cain fratri suo Abel „ intulit? Noane illum quidem invitus ad meliorem vitam citius transmisit, ac se ipsum ærumnis involvit? „ Esau vero qua in re mansueto Jacob obfuit, cum ipse „ etiam paterna domo excidit, & post ipsidias illas in „ aliena vagabatur regione? Jacob vero multis bonis atque divitiis abundavit. Qua in re fratres sui Joseph „ infeliciorem reddiderunt? Nonne quamquam ad ejus „ cædem pene venissent, inediæ malo in extremis periculis fuerunt, dum ille Regia potestate in Ægypto „ potiretur? " *Nam quanto majore invidia laboras, tanto majora illi offers bona, cui invides. Deus enim qui omnia perspicit, cum viderit innocentem injuria circumventum, extollit multo magis, clarumque illum facit, invidentem autem deprimit.* „ Interimamus ergo pestifera ram hanc bestiam, ac multa ejus capita detruncemus. „ Multæ quippe invidiæ sunt species. Quod si qui amantem se diligit, nihil majus publicanis adipiscitur: qui „ odio innocentem insectatur, quid patietur? Quomodo „ gehennam effugietis, qui gentibus atque infidelibus „ deteriores estis? " Quibus de causis fit, ut vehementius doleam atque crucier, cum video nos, qui Angelos vel potius Angelorum Dominum imitari ex præcepto debemus, diabolum æmulari. *Magna enim etiam in Ecclesia, & in Clero multoque major quam in Laicis est invidia*, Penetravit in claustra, teterrima illa pestis. Qui religiosiores videntur, & a vitiis carnalibus magis remoti, interdum sunt magis invidi: & charitate in se ipsis extincta, Jesum in membris suis perdere moliuntur. *Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.*

12. *Jesus autem sciens, recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curavit omnes, & præcepit eis ne manifestum eum facerent.* Christiana prudentia & charitas jubent, ut quantum in nobis est novorum criminum occasionem inimicis nostris & persecutoribus subtrahamus, ut invidia & persecutoribus hominum nequaquam deterreamur a tramite virtutis, a Ministerii nostri sacris functionibus, a curandis morbis spiritalibus hominum, a beneficentia erga omnes exercenda, exemplo Salvatoris nostri. Latere vero cum Christo magis amemus, quam in *Galat. 5. S. Jo. Chr. h. 41. in Matt.* hominum luce versari. Frequentes inter hominum applausus, laudesque, latebras humilitatis quæramus: *Non efficia-*

efficiamur inanis gloriæ cupidi. Nihil enim magis se jugo justitiæ subducere collum solet, quam inanis flatus gloriæ, quæ timidos, remissos, adulatores, simulatores homines reddit. Cur putas Christum a Pharisæis dæmoniacum appellatum? Nonne quia gloriam a multis aucupari cupiebant? Unde autem vulgus rectius de Christo sentiebat? Nonne quia procul ab hujusmodi ægritudine aberat? Nihil certe ita iniquos atque amentes facit, quemadmodum si ad inanem multorum gloriam inhiare cupiditate cogaris: nihil ita probos, fortes, adamantis instar infractos homines constituit, quemadmodum inanis gloriæ contemptus . . . . . Quot homines in populo sunt, tot vinculis constringitur, tot dominis subjicitur, qui vulgi laude gaudet . . . . . Inflantur enim voluptate homines, ac extolluntur; & in profundum rursus facile demerguntur, semper vexati animo numquam in tranquillitate vivunt.

13. *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem*: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam super eum Spiritum meum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus, arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*, &c. Sacerdotale Ministerum, officium curæ Pastoralis, prædicandi munus, Dei vocatione dumtaxat & electione suscipi debent ab eo, qui servum Dei se profitetur, & qui fidelitate sua, accurata mandatorum ejus observantia, zelo pro ejus gloria, & Ecclesiæ ejus utilitatibus, dignus est quem constituat Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore; qui Deo dilectus, ipsum ardentissime diligit, nihilque ipsi præponit, gloriam illius unice quærens, 1. Cor. 2. 12. non quæ sua sunt. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus*. Sp. Sancto plenus esse debet Prædicator veritatis, Sacerdos, Pastor & Rector animarum: divinum illum Spiritum a Christo, de cujus plenitudine omnes accipimus, assiduis precibus postulare, ad illum recipiendum se humilitate & animi puritate disponere, ut in illum dona sua effundat abunde, & in illo quiescat & maneat: *Ponam Spiritum meum super eum*. Ut autem Spiritus Dei in illo habitet, necesse est, ut abjiciat *Spiritum hujus mundi*, Christi mansuetudinem imitetur: ab ira, contentione, murmuratione, clamore, litibus sit penitus alie- 2. Tim. 2. nus: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*. Nam *Servum Domini non* 24. *oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem,* 1. Tim. 3. 2. *patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati*. Et, *Episcopum oportet irreprehensibilem esse, prudentem, doctorem, non vinolentum, non percussorem,* 1. Petri 5. *non litigiosum*. Prælati non sint *dominantes in cleris, sed forma gregis ex animo, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum*. Christi mansuetudinem ab Isaia prædictam, ab Evangelista commendatam noverint, ut docerent Ecclesiasticum ministerium, non esse ministerium superbæ dominationis, ac violentiæ; sed humilitatis, moderationis ac mansuetudinis. Caveat Sacerdos & Rector animarum, ne peccatores exacerbet, ne a se repellat, ne agresti quadam & fera severitate ad desperationem compellat; sed divina benignitate, & compatiente charitate a peccato retrahat, & ad Evangelicæ Legis observantiam suaviter adducat. Disciplinæ severitatem, quæ charitati & saluti animarum servire debet, prout charitas exigit, vel stringat, vel prudenter mode- S. Greg. M. l. 2. Pastoralis curæ c. 6. retur, quantum salva Dei lege fieri potest: *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*. Sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. „ Curandum quippe est, „ ut Rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque in hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse Rectoribus debet & juste consulens misericordia, & pie sæviens disciplina . . . Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plus quam expediat parcens: ut dum se in arce regiminis justitia clementiaque permulcet, is qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat. " *Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet*. Mansuetudinem admirabilem cum zelo divino, lenitatem cum justitia semper conjunxit Christus Jesus, de quo dictum est: *Intende, prospere procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam*. Ps. 44. 5. Hanc mansuetudinem experti Christiani, in odorem unguentorum ipsius cucurrerunt. „ Omnino propter man- S. Bern. ser. 2. in Cantica n. 8. „ suetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te, „ Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, „ peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem Discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odorem horum „ currimus . . . . . Quis non post illum libenter atque „ alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata „ dissimulat, qui deinde merita vivendo tradit, præmia „ moriendo conquirit? Quam excusationem habet, qui in „ odorem horum unguentorum non currit, nisi ad quem „ forte odor minime pervenit? Sed in omnem terram „ exivit odor vitæ; quoniam misericordia Domini plena „ est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. „ Ergo qui vitalem hanc sparsam ubique fragrantiam non „ sentit, & ob hoc currit, aut mortuus est, aut pu- „ tidus. "

14. *Et in nomine ejus Gentes sperabunt*. In quem enim alium sperarent, quam in Salvatorem suum, in Mediatorem Dei & hominum? In nomine Christi sperare, est ab illo salutem, & omnia ad salutem necessaria expectare. *Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus,* Act. 4. 12. *in quo oporteat nos salvos fieri*. Sperat in Christi nomine, qui mundi promissa bonaque temporalia propter Christum contemnit; qui sola bona cœlestia desiderat, diligit, quærit, id est, Deum solum, *qui omne bonum* nostrum est. Sperat in Christi nomine, qui vitæ hujus miserias, calamitates, privationes, persecutiones, damna quælibet temporalia, lubenti & tranquillo animo patitur spe felicitatis & gloriæ, quam Christus nobis promisit, & acquisivit sanguine suo. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*. Sperat in Christi nomine, qui in necessitatibus, in angustiis, in periculis ipsum invocat, cujus spes & fiducia non innititur hominibus, baculis scilicet arundineis, quantavis potestate præcellant, qui propriæ Rom. 12. suæ industriæ, ingenio, scientiæ, prudentiæ, divitiis non confidit; sed uno Deo, & ejus gratiæ ac misericordiæ adjutorio. Igitur *Sperate in eo omnis congregatio populi,* Ps. 6. 9. *effundite coram illo corda vestra, Deus adjutor noster in æternum*.

15. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus: & curavit eum, ita ut loqueretur & videret*. In hoc demoniaco misera peccatoris hominis conditio adumbratur. Peccatoris animum diabolus possidet, amore peccati devinctum; oculos ejus interiores excæcat, ne videat peccati gravitatem ac fœditatem; Dei, quem offendit, summam & infinitam bonitatem; pœnarum inferni, quarum debitum incurrit, æternam acerbitatem; cœlestis gloriæ, quam amisit, felicitatem; Christi ad pœnitentiam vocantis & expectantis misericordiam: *Ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt*. In hujus Sophoniæ rei typum Philistæi Samsonem apprehendissent: *statim* 1. 17. *eruerunt oculos ejus, & duxerunt in Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt*. Denique Judicum diabolus mutum efficit peccatorem, ne Dei misericordi- 16. 21. am orando imploret, ne peccata sua Deo & Sacerdoti confiteatur. Solus Deus, solus Christus peccatorem curare potest, ut expulso dæmone videat quam bonus est Dominus, quanta peccati gravitas & fœditas, quam miseram serviat servitutem peccator diabolo mancipatus, quanta sit pulchritudo justitiæ; quam gratus esse debeat erga Deum & Christum, qui ipsum a peccati, Diabolique servitute liberavit, qui pœnas æternas illi condonavit, qui jus ad cœlestem hæreditatem gloriæ filiorum Dei illi restituit. Solus Deus & Christus ipsum illuminare potest, S. Hier. in ut in laudes Dei tacens prius os laxetur. „ O Domine, c. 12. S. „ Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in mor- Matt. „ te, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adver- Ps. 12. 45. „ sus eum . . . . Domine, labia mea aperies, & os me- „ um annuntiabit laudem tuam . . . . . Dixi, Confite- Ps. 55. 17. „ bor adversum me injustitiam meam Domino: & tu re- „ misisti impietatem peccati mei. *Dixi*, Pronuntiabo, non Ps. 31. 5. „ adversum Deum, sicut in clamore impietatis, quando „ tacui, sed adversum me injustitiam meam Domino. S. Aug. „ *Pronuntiabo*, confessio mea nondum ad os venerat; Enar. 1. & „ verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea 3. in Ps. 31. „ in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. „ *Tu remisisti impietatem peccati mei*, quia dixit, *Pro- „ nuntiabo adversum me*. Multi enim pronuntiant iniquitatem suam, sed adversus ipsum Dominum Deum, „ qui dicunt, Fatum mihi fecit, stellæ meæ fecerunt. „ Per circuitum volunt pervenire ad Deum accusandum, „ qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum. „ Quid est fatum? Quid sunt stellæ? certe istæ quas in „ cœlo conspicimus. Et quis eas fecit, Deus. Quis eas „ ordinavit? Deus. Ergo vides, quod voluisti dicere, „ Deus fecit ut peccarem. Ita ille injustus, tu justus: „ quia nisi ille feciset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis: Memento illius Psalmi: „ Non „ declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas „ excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus „ iniquitatem . . . . Ego dixi, Domine, miserere mei, Psalm. „ sana animam meam, quia peccavi tibi. " *Ego peccavi,* 140. 4. *non fatum, non fortuna, non diabolus; quia nec ipse coegit, sed ego persuadenti consensi*. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, *Pro qua?* Pro ipsa venia peccatorum. *Inde orabit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus qui ad te oraret*. In tempore opportuno: *Quando manifestabitur Novum Testamentum, quando manifesta-*

nifestabitur gratia Christi. Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret. *Unde redimeret? A diabolo, a peccatis suis, ab eo cui se vendiderant*. Sic a Christo Jesu curatus est homo dæmonium habens, cæcus, & mutus. Liberatus a diabolo, illuminatisque cordis oculis, vidit peccati sui gravitatem: ad Medicum clamavit, misericordiam ejus imploravit; peccata confessus est, liberatus gratias agit, laudatque Liberatoris sui misericordiam & bonitatem, qui *curavit eum ita ut loqueretur, & videret*.

S. Jo: Chrys. hom. 41. in Matth. 16. *Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est Filius David? Pharisæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*. Admirationem, plausumque populi ferre Pharisæi non possunt: Christi beneficentia & hominum salute cruciantur. Nam quamvis recessisset, occasionemque ipsi fedandi perturbationes animorum suorum dedisset, inflammabatur tamen rursus illorum animus, quoniam iterum beneficio illius incolumen hominem videbant. Qua ex re dæmone quoque ipso pejores erant. Dæmon quippe ab homine cito recedens fugam arripuit: illi vero modo de Christo interficiendo agitabant consilia; modo calumniis ejus famam proscindere conabantur, & hominum de illo existimationem retundere. Tale certe malum invidia est, qua nulla unquam malignitas pejor invenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, ut putant, aliquem capiunt, & brevi tempore peccatum committunt. Invidia autem & multo ante se ipsos, quam quibus invident, perturbant & cruciant, & ita in agendo semper invidendoque sunt, ut numquam peccandi afferant finem: sed quemadmodum sues luti immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur, sic invidi calamitate proximorum exultant. Invidia, detractionis & calumniæ parens. Invidia in Jesum impulsi Pharisæi, illum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia calumniantur & blasphemant. Ipsorum linguæ diabolus insidet, illamque movet ad immanem illam sacrilegamque calumniam. Vere lingua eorum, & quorumlibet obtrectatorum sive calumniatorum est. „ Universitas iniquitatis, quæ maculat totum corpus, & inflammat rota nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. Omnis „ natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt a natura humana: „ linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero." Detractio universale peccatum est, *Universitas iniquitatis*. Universale peccatum, propagatione, ut peccatum Adami: malitia, ut peccatum crucifixorum Christi: duratione, ut peccatum diaboli. Propagatur nempe detractionis peccatum conjunctione quadam & copula maledicentium linguarum, sicut peccatum originale carnali copula sexuum: utrumque væsana libidine; illud procreandi, istud nocendi. A patre in filios trucidatur peccatum originis: a principali detrahente in audientes trucidatur peccatum detractionis, cum sponte audiunt, & detractionem approbant, vel ea delectantur, vel repetendo suam faciunt. „ „ Videas ambulare seorsum, convenire sibi & sedare pariter, moxque laxare procaces lincquas in detestandum „ susurrum. Una uni conjungitur, nec spiraculum incedit in eis: Tanta est libido detrahendi, audiendive „ detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, „ concordes ad discordiam .... Omnis qui detrahit, „ primum quidem se ipsum prodit vacuum charitate: „ deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui „ detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud „ quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui „ se audiunt lingua maledica, & quantum in se est, necat funditus & extinguit. Non solum autem, sed & „ in absentibus universis, ad quos volans verbum forte „ per eos qui præsentes sunt, pervenire contigerit. Vides quam facile & in brevi ingentem multitudinem „ animarum velociter currens sermo tabe malitiæ hujus „ inficere possit? Propterea dicit de talibus propheticus „ Spiritus: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; Utique tam veloces, quam velociter currit sermo: Unus est qui loquitur, & unum tantum verbum „ profert: & tamen unum illud verbum uno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas „ interficit. *Detractio & calumnia*: Ab uno principe „ exorta, exinde in traduces linguarum & aurium serpit; & ita modici seminis vitium cetera rumoris obscurat, ut nemo recogitet ne primum illud os mendacium seminaverit; quod sæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate." Sic Pharisæi æmulationis ingenio, diabolicæ invidiæ instinctu, Christi Jesu famam dilaceranti, & in vulgus disseminant impiam immanemque calumniam dicentes: *Non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*. Lingua eorum, & quorumvis hominum maledicorum, *Universitas iniquitatis est*. Detractio nempe & calumnia est universale peccatum, non solum propagatione & extensione, ut peccatum Adami, sed universale malitia, ut peccatum crucifixorum Christi. Gladius anceps, immo triceps est lingua detractoris. „ *Lingua eorum gladius acutus*. Non „ vero ejusdem linguam ipso etiam mucrone quo Domini latus confossum est, crudeliorem dicere vereamur. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit „ exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, „ quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, „ seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummata Judaicæ Gentis iniquitas „ infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur, corporis vitam, sui vitæ corporis prætulisset, „ numquam illud pro isto, mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset." Denique detractio universale peccatum est duratione, ut peccatum diaboli, quia non remittitur crimen illud nisi fama proximi subversa vel imminuta restituatur & resarciatur: *Non* enim *dimittitur peccatur nisi restituatur ablatum*. Vix autem fit a maledicis & calumniatoribus restitutio debita famæ proximorum, dum ipsi metuunt ne fama sua hujusmodi restitutione imminuatur. Unde vix peccatorum remissionem obtinent, sed instar Pharisæorum Christo detrahentium, *Rei sunt æterni delicti*.

S. Jo. Chr. h. 42. in Matt. 17. *Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne Regnum divisum contra se, desolabitur: omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit Regnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? ..... Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei*. Calumniati jam Pharisæi fuerant, quod in Beelzebub dæmonia ejiceret, sed tunc quidem non increpavit, nec quidquam omnino ad hoc respondit: sed partim multitudine signorum, partim dignitate doctrinæ ad cognoscendam omnipotentiam suam inducebat. Verum quoniam in nequitia sua perseverantes eadem effutiebant, respondet nunc ut Deitatem suam probet: primo arcana cordium ipsorum, & occulta consilia revelando; tum dæmones facile ejiciendo. Et quamquam impudens illa calumnia esset, cum invidi non considerent quid dicant, sed quicquid in buccam venerit temere proferant, non negligit tamen Christus, sed ipsorum utilitati consulens respondet; ut nos doceat ita mites esse erga inimicos, ut etiamsi adversum nos ea dicant quæ nulla ratione nituntur, & quorum minime conscii ac rei sumus, non conturbemur tamen, neque commoveamur, sed æquo animo factorum nostrorum ratione reddamus: non convitia convitiis, calumnias calumniis, detractiones detractionibus reppellamus; non ultionem spiremus, & repetamus; sed peccantium consulamus utilitati, studeamus conversioni & emendationi. Divinam Jesu Christi Domini nostri charitatem & mansuetudinem imitemur, qui cum pœnas a Pharisæis facile repetere posset, rationibus eos refellere & convincere maluit, tum ut moderationis exemplum præberet; tum ut eos ad iniquitatis emendationem invitaret. Neque vero Scripturæ testimoniis impræsentiarum utitur ut illos refellat, quia Scripturæ sensum pravis expositionibus detorquebant; sed familiaribus similitudinibus illos coarguit. *Omne regnum*, inquit, *divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas vel domus contra se divisa non stabit*. Quod regnum tam firmum, quæ civitas vel domus tam stabilis, quæ non odiis ac dissidiis intestinis funditus possit everti? Concordia res minimæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Si ergo vi principis dæmonum ejicio dæmones, seditio jam & pugna inter dæmones est, cum alter in alterum insurgat. Debilitato autem & diviso dæmonis Regno, quam vim habebit ut alios ejicere possit? *S. Aug. ser. 7. alias 11. de Verbis Domini c. 1.* „ *Hoc* dicens *Christus* ex ipsorum confessione volebat intelligi, quod in „ eum non credendo, in regno diaboli esse delegissent, „ quod utique adversum se divisum stare non posset. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint: si satanas satanam „ non potest ejicere nihil contra Dominum quod dicerent invenire potuerunt: si autem potest multo magis „ sibi prospiciant, & recedant de regno ejus, quod adversum se divisum stare non potest."

Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. De Judæorum Exorcistis id intelligi dixi in expositione sensus litteralis. Quandiu enim apud Judæos fuit vera Ecclesia, apud illos fuere qui potestatem in dæmones haberent, illosque ab obsessis hominum corporibus nominis Dei invocatione ac virtute expellere possent. Hinc S. Irenæus: *Unus est, inquit, omnium Dominus, & propter hoc Altissimi & omnipotentis appellationi omnia subjecta sunt: & hujus invocatione, etiam ante adventum Domini nostri salvabantur homines & a spiritibus nequissimis & a dæmoniis universis*. Sed constituta apud Gentes Ecclesia, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, extra illam nemini potestas datur ejiciendi dæmones ex hominum corporibus, uti nec potestas illos ejiciendi ex animabus, quibus per peccatum dominantur. Hæc veræ Ecclesiæ nota, quam numquam vendicare sibi potuerunt

S. Irenæus l. 2. c. 56.

S. Bern. ser. 24. in Cantica.

Psalm. 13.

Tertul. Apolog. c. 7.

S. Bern. ser. 17. de Diversis.

Jacobi 3. 6. & 7.

Schis-

Schismaticæ societates ab Ecclesiæ unitate divisæ, & fatanæ mancipate. *Filii vestri in quo ejiciunt?* Non spernenda S. Augustin., & quorumdam aliorum Patrum interpretatio, de Discipulis Christi, illius populi filiis, id est, Judæorum conterraneis hunc locum explicantium. „ Qui certe Discipuli Domini nostri Jesu Christi bene sibi conscii fuerant, nihil se malarum artium a bono Magistro didicisse, ut in principe dæmoniorum ejicerent dæmones. *Ideo*, inquit, *ipse judices vestri erunt*. Ipsi ignobilia & contemptibilia hujusmodi, in quibus non artificiosa malignitas, sed sancta simplicitas meæ virtutis apparet, ipsi testes mei, judices erunt vestri. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*: nec aliter possunt & filii vestri ejicere, quibus non malignam doctrinam; sed fidem simplicem dedit: procul dubio pervenit in vos Regnum Dei quo subvertitur regnum Diaboli, cum quo & vos subvertimini.„ Ubi Spiritus Dei, ibi regnum Dei. Regni diaboli eversio, effectus Incarnationis est. *In hoc* enim *apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Dæmonem ab obsessis corporibns Christus ejiciebat, ut miraculis illis visibiliter ostenderet se illum invisibiliter ex animabus ejecre, quas captivas detinebat.

S. Aug. loc nox citat. — 1. Jo. 7. 8.

18. *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem! Et tunc domum illius diripiet.*„ Filii, inquit, vestri, qui vel crediderunt in me, vel adhuc credituri sunt & ejecturi dæmones non in dæmonum principe, sed in simplici sanctitate, qui certe vel fuerunt, vel hoc sunt quod etiam vos estis, id est, peccatores atque impii; & ideo in domo diaboli, & vasa diaboli, quomodo ab illo possent erui, quos prævalente iniquitate fortiter obtinenebat, nisi alligatus justitiæ meæ vinculis & vasa ejus eriperem quæ erant vasa iræ, & ea facerem vasa misericordiæ? Hoc est quod etiam beatus Apostolus, & quasi de suis meritis gloriantibus increpans dicit: *Quis enim te discernit?* Hoc est, a massa perditionis ex Adam, & a vasis iræ quis te discernit? Et ne quisquam diceret. Justitia mea: *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti?* Unde & de se ipso dicit, *Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filii iræ, sicut & ceteri*. Ego & ipse vas erat in domo illius male fortis, cum esset Ecclesiæ persecutor, blasphemus, injuriosus, in malitia & invidia sicut fatetur, agens. Sed ille qui alligavit fortem, eripuit ab eo vas perditionis, & vas electionis effecit."

S. Aug. ser. 7. alias 11. de Verbis Dom. cap. 1. — 1. Cor. 4. 7. — Ephes. 2. 3.

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? &c. Non debemus esse securi: adversarius noster fortis, victoris quoque vocibus comprobatur. *Princeps* est *hujus mundi, Rector tenebrarum harum, Rex super omnes filios superbiæ*, malorum omnium caput. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*. Arx ipsius *Mundus*, qui in *maligno positus est*; Non creatoris dignitate, sed magnitudine delinquentis. Arma ejus, voluptates, divitiæ, honores, luxus, spectacula, tentationes, amores, errores, terroresque mundi. Subditi ejus ac servi, infideles & iniqui omnes, quibus ut tyrannus dominatur. Vasa ejus & nos quondam fuimus. Verum longe major est Christi Jesu Domini nostri potestas, qui adhuc in cunis positus spolia Samariæ & fortitudinem Damasci Diabolo abstulit, scilicet Magos, qui ad suum præsepe Bethleemum adoraturi, & munera mystica oblaturi venerunt. Satanam secum congredi ausum in deserto vicit, in cruce penitus debellavit, deleto quod adversus nos conscripserat chirographo, & affixo cruci: *Et exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Alligatus est fortis, & religatus in tartarum, & Domini contritus pede, & direptis sedibus Tyranni, captiva ducta est captivitas.

S. Hier. in c. 12. S. Matt. — Jo. 14. 24. — Coloss. 14. 15.

Emere potest quisque servum suum, creare non potest: Dominus autem servos suos & creavit, & redemit: creavit ut essent, redemit, ne semper captivi essent. „ Indicimus enim in principem hujus sæculi, qui reduxit Adam & servum fecit, & cœpit nos tamquam vernaculos possidere. Sed venit Redemptor, & victus est deceptor. Et quid fecit Redemptor noster captivatori nostro? Ad pretium nostrum tetendit muscipulam crucem suam: posuit ibi quasi escam sanguinem suum. Ille autem potuit sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quod fudit sanguinem non debitoris, jussus est reddere debitores; fudit sanguinem innocentis, jussus est recedere a nocentibus. Ille quippe sanguinem suum ad hoc fudit, ut peccata nostra deleret. Unde ergo ille nos tenebat, deletum est sanguine Redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum. Istæ erant catenæ captivorum: Venit ille, alligavit fortem vinculis passionis suæ: intravit in domum ejus, id est, in corna eorum ubi ipse habitabat, & vincula ejus arripuit. Nos sumus vasa. Ista impleverat ille amaritudine sua. Hanc amaritudinem etiam nostro Redemptori in felle propinavit, Impleverat ergo nos ille tamquam vasa sua: Dominus autem noster arripiens vasa ejus, & sua faciens, sudit amaritudinem, implevit dulcedine."

S. Aug. serm. 130. Edit. novissimæ Parisiens.

Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, nisi prius alligaverit fortem? &c.„ Venit Christus, & alligavit diabolum. Sed dicit aliquis, Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, Fratres, multum prævalet, sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tamquam innexus catenis; & neminem potest mordere, nisi eum qui se ad illum ultro mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quam stultus homo ille est, quem canis in catena positus mordet. Tu te ad illum per voluntates & cupiditates sæculi noli conjungere; & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit."

S. Cæsar. Arelatensis serm. 188. alias inter Augustinianos de Temp. 197. tunc in Appendice 57.

19. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.*„ Hoc dicit Christus, ne putarent incredeuli, & impii adversantes nomini Christiano, propter diversas hæreses & schismata eorum, qui sub nomine Christiano greges colligunt perditorum, etiam Christi Regnum adversum se esse divisum." *Non ait, Qui non est sub voce nominis mei, aut sub specie sacramenti mei: sed*, Qui non est mecum, contra me est. *Nec ait, Qui non congregat sub voce nominis mei: sed*, Qui non congregat mecum, spargit. *Non ergo est adversum se divisum Regnum Christi; sed homines conantur dividere quod emptum est pretio Sanguinis Christi*. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Et recedat, *inquit*, ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. „ Nam si ab iniquitate non recedit, non pertinet ad regnum Christi, etiam nominans nomen Christi. Ut ergo aliqua, exempli gratia, commemorem, spiritus avaritiæ & spiritus luxurie, quia ille contrahit, ille profundit, divisi sunt adversum se, & ambo pertinent ad regnum diaboli. Apud Idolorum cultores, spiritus Junonis & spiritus Herculis divisi sunt adversum se, & ambo pertinent ad regnum diaboli. Arianus & Photinianus ambo hæretici, & adversum se ambo divisi. Omnia vitia erroresque mortalium inter se contrarii, divisi sunt adversum se, & omnia pertinent ad regnum diaboli: ideo non stabit regnum ejus. Justus autem & impius, fidelis & incredulus, Catholicus & hæreticus, divisi quidem sunt adversum se, sed non ambo pertinent ad Regnum Christi. Novit Dominus qui sunt ejus. Nemo sibi de vocabulo blandiatur. Si vult sibi prodesse nomen Domini, recedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini." Qui ab Ecclesia recesserunt, aut in ea schismata & tumultus excitant, aut denique secundum Evangelium vitam non instituunt, contra Christum sunt, quia non cum ipso, spargunt, quia cum illo non congregant. De his bonas Christianus Prophetæ verba usurpans, ait:

S. August. serm. 71. alias de Verbis Domini 11. c. 2. — 2. Tem. 2. 9.

„ Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi; quoniam inter multos erant mecum. „ *Quam sententiam egregie Sanctus Augustinus explicat:* „ Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum: „ Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum „ Festa Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. Paschæ solemnitatem celebrabamus, erant ibi mecum. Sed non omnino mecum. In schismate non mecum, in hæresi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis in quibus non mecum, non prosunt multa in quibus mecum. *Et enim, Fratres, videte, quam multa enumeravit Apostolus Paulus: unum dixit, si defuerit, frustra sunt illa*. Si linguis hominum loquar & Angelorum, *ait*, si habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem scientiam, si montes transferam, si distribuam omnia mea pauperibus, si tradam corpus meum ita ut ardeat. *Quam multa enumeravit?* His omnibus multis defit una charitas, illa numero plura sunt, hæc pondere major est. Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in una charitate non mecum. *Quoniam inter multos erant mecum*. Qui se separaverunt a me mecum erant, non in paucis, sed in multis, etenim per totum orbem terrarum pauca sunt grana, multæ sunt paleæ. Quid ergo ait? In palea mecum erant, in tritico non mecum erant. Et propinquat palea tritico, de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nutritur, eumdem messorem patitur, eamdem trituration nem sustinet, eamdem ventilationem expectat, non in unum horreum intrat."

Psal 54. 10. S. August. Enarrat. in hunc Psalm. — 1. Cor. 13. 1.

Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit. Hinc olim colligebat contra Pelagianos S. Augustinus, non esse medium locum extra Regnum cœlorum, ubi infantes sine baptismo decedentes vitam beatitudinis æternæ & quietis possidere possent. *Non est*, inquit, *ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*.

S. August. l. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 28.

Ex eadem Christi Domini sententia colligo, nullum esse statum medium inter charitatem & cupiditatem, in-

inter amorem sæculi, & amorem Dei, adeoque inter
Jacobi 4. 4. amorem Dei & inimicitiam cum Deo. Nam *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei! Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus*
S. Aug. in Psal. 28. *Dei constituitur.* QUI *noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati.* Amicitia hujus mundi adultera est. Hominem vult dividi, ut Christi sit ex parte, & mundi ex parte, ut meretrix illa coram Salomone litigans: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.* Sed Deus
1. Reg. 3. noster *Deus zelotes est.* Totum sibi vendicat hominem,
26. Exod. qui totum fecit, totum redemit.
20. 5. & 34.14. Deu. 4. 24. *Qui non est mecum, contra me est.* Qui Christi fidem, doctrinam, gloriam, Ecclesiam, servos non defendit cum oppugnantur; qui non servit illis & ad bonum non cooperatur, cum potest, Christi inimicus est.

20. *Ideo dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Agnitæ veritatis sive quæ fidem, sive quæ mores spectet impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obstinatio in peccato, & impœnitentia, verba sunt contra Spiritum Sanctum, quæ difficillime remittuntur: sed impœnitentia sola blasphemiæ in Spiritum Sanctum genus est, neque in hoc sæculo neque in futuro, id est, numquam omnino remittendæ. Timendum ergo ne peccator, qui cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, qui nec divinis promissis, nec minis, nec spe præmiorum, nec terrore pœnarum æternarum, nec amore, nec timore, nec internis Dei inspirationibus, nec extrenis admonitionibus, exhortationibus, correptionibus ministrorum ejus, flectitur ad pœnitentiam, aut ipsam in dies procrastinat, adeoque quotidianæ in Spiritum Sanctum contumeliæ & blasphemiæ reus est: Timendum (inquam) maxime ne peccati sui remissionem numquam obtineat, quia pœnitentiæ donum difficillime consequetur, si vero (quod hujusmodi impiis ut plurimum contingit) moriatur impœnitens, de illius æterna salute actum est. „ An
Rom. 2. 4. & 5. „ divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis
„ contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœ-
„ nitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam
„ & impœnitens, cor thesaurizas tibi iram in die iræ,
„ & revelationis justi judicii Dei. " *Hanc doctrinam S.*
S. August. ser. 71. alias 11. de Verbis Domini c. 12. & seq. *August. egregie ac luculente explicat*: „ Quod, *inquit*,
„ commune est Patri & Filio, per hoc nos voluerunt ha-
„ bere communionem & inter nos & secum, & per il-
„ lud Donum nos colligere in unum, quod ambo habent
„ unum, hoc est, per Spiritum Sanctum Deum & do-
„ num Dei. In hoc enim reconciliamur Divinitati, ea-
„ que delectamur. Nam quid nobis prodesset quicquid bo-
„ ni nossemus, nisi etiam diligeremus? Sicut autem ve-
„ ritate discimus, ita charitate diligimus; ut & plenius
Rom. 5. 5. „ cognoscamus, & beati cognitione perfruamur. *Cha-*
„ *ritas porro diffusa est in cordibus nostris per Spiritum*
„ *Sanctum qui datus est nobis*: Et quia peccatis aliena-
„ bamur a possessione verorum bonorum, charitas coo-
„ perit multitudinem peccatorum. Est ergo Pater Filio
„ Veritati origo verax, & Filius de veraci Patre orta
„ Veritas, & Spiritus Sanctus a Patre bono & Filio bo-
„ no effusa bonitas: omnium est autem non impar Di-
„ vinitas, nec separabilis unitas. Primum ergo in nos ad
„ accipiendam vitam æternam, quæ in novissimo dabi-
„ tur, de bonitate Dei munus venit ab initio fidei, re-
„ missio peccatorum. Illis enim manentibus, manent quo-
„ dammodo inimicitiæ adversus Deum, & ab illo alie-
Isaia 59. 2. „ natio, quæ a nostro malo est: quoniam non mentitur
„ Scriptura, dicens, *Iniquitates vestræ diviserunt inter*
„ *vos & Deum vestrum*. Non itaque nobis infert bona
„ sua, nisi auferat mala nostra. Et in tantum illa cres-
„ cunt, in quantum ista minuuntur: nec illa perficien-
„ tur, nisi ista finiantur. Jam vero quod Dominus Jesus
„ sic in Spir. Sancto peccata dimittit, quemadmodum in
„ Spirito Sancto dæmones ejicit, hinc intelligi potest,
„ quod postea quam resurrexisset a mortuis, cum dixis-
„ set Discipulis suis: *Accipite Spir. Sanctum*, continuo
„ subjecit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;*
„ *& quorum retinueritis, retenta sunt* . . . . . Contra
„ hoc donum gratuitum, *remissionis peccatorum*, contra
„ istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo
„ impœnitentia est Spiritus blasphemia, quæ non remit-
„ tetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Contra
„ Spiritum enim sanctum, quo baptizantur, quorum pec-
„ cata omnia dimittuntur, & quem accepit Ecclesia, ut
„ cui dimiserit peccata, dimittantur ei, verbum valde ma-
„ lum & nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lin-
„ gua sua dicit, quem patientia Dei cum ad pœniten-
„ tiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui, &
„ cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ & re-
„ velationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secun-
„ dum opera ejus. Hæc ergo impœnitentia, contra quam
„ clamabant & Præco, & Judex, dicentes: *Pœnitentiam*
„ *agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum*, contra
„ quam Dominus os Evangelicæ prædicationis aperuit; &
Nat. Alex. In Evang.

„ contra quam ipsum Evangelium in toto orbe prædi- *Luca 24.46*
„ candum esse prædixit; ubi postea quam resurrexit a mor-
„ tuis, ait Discipulis, *Oportebat pati Christum, & re-*
„ *surgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus*
„ *pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes*
„ *incipientibus ab Jerusalem*: Hæc omnino impœnitentia
„ non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in
„ futuro: quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc
„ sæculo, quæ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia vel
„ cor impœnitens quamdiu quisque in hac carne vivit non
„ potest judicari. De nullo enim desperandum est, quam-
„ diu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac
„ vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quan-
„ tum ut revertatur & vivat. "
„ Qui autem dixerit contra Spir. Sanctum, non remit-
„ tetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro." *Dicit verbum contra Spir. Sanctum, qui unitati Ecclesiæ corde impœnitenti resistit, ubi in Spir. Sancto fit remissio peccatorum.* Hinc Christus, ubi dixit, *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit*: ut illos ostenderet ad se non pertinere, qui extra congregando, nollent congregare, sed spargere; deinde subjunxit: „ Ideo
„ dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur ho-
„ minibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur. Quid
„ est hoc? Ideo sola Spiritus blasphemia non remittetur,
„ quoniam qui non est cum Christo, contra ipsum est; & qui
„ non cum illo congregat, spargit? Ideo utique. Qui enim
„ non cum illo congregat, quomodolibet sub ejus nomine
„ congreget, non habet Spirit. Sanct. Hic omnino, hic nos
„ compulit, non alibi intelligere fieri remissionem omnis
„ peccati omnisque blasphemiæ, nisi in Christi congregatio-
„ ne quæ non spargit. Congregatur quippe in Spir. Sancto,
„ qui non est contra se ipsum divisus, sicut ille immundus spi-
„ ritus. Et propterea omnes Congregationes, vel potius dis-
„ persiones, quæ se Christi Ecclesiam appellant, & sunt inter
„ se divisæ atque contrariæ, & unitatis congregationi, quæ
„ vera est Ecclesia ejus, inimicæ, non quia videntur ejus ha-
„ bere nomen; idcirco pertinent ad ejus congregationem.
„ Pertinerent autem, si Spir. Sanctus, in quo consociatur hæc
„ congregatio, adversum se ipsum divisus esset. Hoc autem
„ quia non est, ideo peccatum omne atque blasphemia remit-
„ tetur hominibus in hac congregatione, quam in Spir. Sanct.
„ & non adversus se ipsum diviso Congregat. Christus. I-
„ psius autem Spiritus blasphemia illa, quæ fit ut corde im-
„ pœnitenti huic tanto Dei dono usque in finem vitæ i-
„ stius resistatur, non remittetur. Nam etsi quisquam ita
„ sit contrarius veritati, ut Deo loquenti, non in Pro-
„ phetis, sed in unico Filio, cum propter nos eum, ut
„ nobis in eo loqueretur, Filium hominis esse voluit, relu-
„ ctetur, remittetur ei, cum pœnitendo conversus fuerit
„ ad Dei benignitatem, qui cum mortem impii nollent,
„ quantum ut convertatur & vivat, dedit Ecclesiæ suæ
„ Spir. Sanct., ut quicumque in eo peccata dimitteret, *S. Joann. Chrys. Hom. 42. in S. Matth.*
„ dimitterentur ei. Qui vero huic dono extiterit inimi-
„ cus, ut non illud per pœnitentiam petat, sed ei per impœ-
„ nitentiam contradicat; fit irremissibile, non quodcum-
„ que peccatum, sed contempta vel etiam oppugnata ipsa
„ remissio peccatorum. Atque ita dicitur verbum contra
„ Spir. Sanctum, cum ex dispersione ad congregationem
„ numquam venitur, quæ ad remittenda peccata accepit
„ Spir. Sanctum. Unum ergo suffugium est, ne sit irre-
„ missibilis blasphemia, ut cor impœnitens caveatur, nec
„ aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur
„ Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, & societas
„ Spiritus in pacis vinculo custoditur.

Qui autem dixerit contra Spir. Sanct. non remittetur, ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. „ Universorum ho-
„ minum alii & hic & ibi supplicia dabunt, alii nec in
„ præsenti solummodo vita, alii in futura tantum; alii
„ nec in præsenti nec in futura. Hic quidem & il-
„ lic, ut illi ipsi de quibus nunc agitur. Nam &
„ hic ipsos ultus est, quoniam intolerabilia passi sunt, urbe
„ ipsorum vi a Romanis expugnata: ibi autem acerbissima
„ eos exspectant tormenta, ut Gomorrhæ ac Sodomorum
„ cives, alioque complures. Ibi vero solummodo, ut Di-
„ ves ille, qui in flamma cruciatur, nec guttæ unius aquæ
„ dominus est. Hic autem tantum, ut incestuosus ille Corin-
„ thius. Neque hic vero, neque ibi, ut Apostoli, Prophe-
„ tæ, beatus Job, ceterique Sancti. Non enim ad punitio-
„ nem hic passi sunt, sed ut clarius in agone vicisse cogno-
„ scerentur. Demus igitur operam ut in istorum ordine in-
„ veniamur. Quod si istorum sortem assequi propter negli-
„ gentiam non poterimus, saltem ex illis esse studeamus,
„ qui hic in vita commissa dissolvunt. Terribile namque il-
„ lud judicium est, inevitabilis pœna, intolerabilia tor-
„ menta. Sed si vis, ut auctor tibi sum, neque hic ali-
„ qua pœna cruciari, tu ipse tibi justus sis Judex, exige
„ a te ipso rationem & correctionem. Audi Paulum dicen-
„ tem. *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur*:
„ Largos lachrymarum effunde fluvios, ingentes compun-
„ ctionis gemitus ede, humillimus sis, laboribus ac vigiliis
„ te ipsum affligе, peccata tua per singulas species reco-
„ le. Non parvus hic est animæ cruciatus; nec quantus
„ sit, ab alio cognoscitur nisi ab eo qui compunctus

„ eſt. Quamobrem juſtitiam Deus huic pœnitentiæ in „ præmium propoſuit, dicens: " *Dic tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.*

21. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur.* Contra illos id dixit Chriſtus, qui putabant ſe, cum mali eſſent, loqui bona poſſe, vel bona opera habere. Hoc fieri non poſſe ait. Prius eſt enim mutandus homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo quod malus eſt, bona opera habere non poteſt: ſi manet in eo quod bonus eſt, mala opera habere non poteſt. Qui autem a Domino bonus inventus eſt, cum Chriſtus pro impiis mortuus ſit? Omnes ergo malas arbores invenit, ſed dedit poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus. Quiſquis igitur homo hodie bonus eſt, id eſt, arbor bona, mala inventa eſt, & bona facta eſt. Et ſi quando venit, malas arbores eradicare vellet, quæ remaneret; quæ non eſſet digna eradicari? Sed venit prærogare miſericordiam, ut poſtea exerceret judicium, cui dicitur. Dedit credentibus remiſſionem peccatorum, noluit cum eis & de præteritis chartis habere rationem. Diſtulit ſecurim, dedit ſecuritatem. De hac ſecuri Joannes loquitur, dicens: *Jam ſecuris ad arborem poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sit ergo unuſquiſque arbor bona: non ſe arbitretur habere fructus bonos, ſi manet arbor mala. Non erit fructus bonus, niſi arboris bonæ. Muta cor, & mutabitur opus. Extirpa cupiditatem, planta charitatem. Sicut enim radix eſt omnium malorum cupiditas, ſic & radix bonorum omnium charitas. Quid ergo muſſitant homines inter ſe, vel contendunt, dicentes: Quid eſt bonum? O ſi ſcires, quid eſt bonum! Quod habere vis, non eſt valde bonum: quod eſſe non vis, hoc eſt bonum. Vis enim habere ſanitatem corporis; hoc eſt bonum: nec tamen putes magnum eſſe bonum, quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis; ecce & hoc dico, bonum eſt; ſed ſi bene uſus fueris: bene autem non uteris, ſi malus fueris. Honorem habere vis, bonum eſt: ſed & hoc ſi bene utaris. Quam multis honor occaſio exitii fuit? Quam multis honor miniſterium boni operis fuit? Diſcernamus ergo iſta bona, ſi poſſumus; quia de bonis arboribus loquimur. Et hic nihil eſt quod ſic quiſque cogitare debeat, niſi ut in ſemetipſum oculos convertat, in ſe diſcat, ſe diſcutiat, ſe inſpiciat, ſe quærat, & ſe inveniat: & quod diſplicet, nocet: quod placet, oportet & plantet. Cum enim ſe homo inanem invenerit meliorum bonorum, ut quid eſt avidus externorum bonorum? Et quid prodeſt plena bonis arca, inani conſcientia? Bona vis habere, & bonus non vis eſſe? Non vides te erubeſcere debere de bonis tuis, ſi domus tua plena eſt nobis, & te habet malum? Quid enim eſt quod velis habere malum? „ Dic mihi. Nihil „ omnino: non uxorem, non filium, non filiam, non ſervum, non ancillam, non villam, non tunicam, poſtremo non caligam: & tamen vis habere malam vitam. „ Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ: Omnia „ quæ circumjacent oculis tuis, elegantia & pulchra tibi „ cara ſunt; & tibi ipſe vilis es, ac fœdus? Si tibi poſſent reſpondere bona, quibus plena eſt domus tua, „ quæ habere optaſti, perdere timuiſti, nonne & tibi „ clamarent. Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos „ volumus bonum habere dominum? Tacita voce interpellant contra te dominum tuum. Ecce bona tanta dediſti huic, & ipſe malus eſt. Quid ei prodeſt quod habet quando eum qui omnia dedit, non habet? Quærit „ ergo aliquis admonitus his verbis meis, & forte compunctus, quærit quid ſit bonum, quale bonum, unde „ bonum. Hoc eſt bonum, quod non potes invitus amittere. Potes enim aurum perdere, & nolens; potes „ domum, potes honores, potes ipſam carnis ſalutem: „ bonum vero quo vere bonus es, nec invitus accipis, „ nec invitus amittis. "

22. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.* Pravum cor hominis, quid boni parturire poteſt, niſi Dei gratia mundetur? *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Quanta ſit corruptio cordis noſtri, verba indicant, arrogantia, dura, levia, ſcurrilia, impudica, maledica. De Chriſtianis plurimis dici poteſt, quod de Romanis ſuæ ætatis Tertullianus dixit: *Ubi religio, ubi veneratio majoribus debita a vobis? Habitu, victu, inſtructu, cenſu, ipſo denique ſermone proavis renuntiaſtis.* Primi Chriſtiani verba ſancta, pudica, verba charitatis & ædificationis proferebant: Chriſtiani hujus temporis verba impudica, ſcurrilia, maledica, contumelioſa; de malo ſcilicet theſauro. Cor malum, theſaurus malus: cor bonum, theſaurus bonus. Cor bonum, cor rectum, quod non fit niſi charitate, a qua nihil mali; ſicut cor malum fit cupiditate, a qua nihil boni. Igitur *In vobiſmetipſis charitatem habete*: Cor veſtrum rectum ſit cum Deo: *Quæcumque ſunt vera; quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Hęc & loquimini, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus ... Corrumpunt mores bonos colloquii mala*: & ex corde corrupto oriuntur, ex corde venenato, & viperino. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?*

23. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Otioſum verbum eſt, *quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.* Si ergo de otioſo ſermone ratio exigitur, penſemus, quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur. Sive, ut S. Hier. ait, „ Otioſum verbum eſt, quod ſine utilitate & loquentis dicitur, & „ audientis: ſi omiſſis feriis, de rebus frivolis loquamur, „ & fabulas narremus antiquas. Ceterum qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert „ turpitudinis; hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus. *Et S. Baſil. Magnus*: Omne verbum, quod „ ad propoſitum in Domino uſum non facit, otioſum eſt „ & adeo magnum eſt hujuſmodi verbi periculum, ut liceat genere ipſo de numero bonorum ſit, quod dicatur; „ tamen niſi ad ædificationem fidei dirigatur; nequaquam „ propterea quod bonum ſit, liber ſit a periculo, qui illud locutus ſit: Quippe qui ex eo quod ad ædificationem illud non accommodaverit, contriſtaſſe noſcitur „ Spiritum Sanctum Dei. Hoc enim aperte docuit Apoſtolus, cum dixit: " Omnis ſermo malus ex ore veſtro non „ procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det „ gratiam audientibus. " *Et ſubjecit*: Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis. *Quam autem pernicioſa res ſit contriſtaſſe Spiritum Sanctum, quid opus eſt ut dicatur?* Vix quiſquam attendit quam neceſſaria ſit ad ſalutem linguæ moderatio: ut verba prius veniant ad limam, quam ad linguam: ut in lance juſtitiæ charitatis ponderentur. Vix aliquis meminit ſalem ideo in ore baptizandorum poni, ut ſignificetur ſermones noſtros a corruptione immunes eſſe debere: „ Sermo veſter ſemper in gratia ſit „ ſale conditus. QUAMPLURES vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo; ideoque tacere „ noſſe quam loqui difficilius eſt. Scio loqui pleroſque „ cum tacere neſciant. Rarum eſt tacere quemquam, „ cum ſibi loqui nihil profit. Grave malum ut aliquis „ ore ſuo condemnetur. Etenim ſi pro otioſo verbo reddet unuſquiſque rationem, quanto magis pro verbo impuritatis & turpitudinis? Graviora enim ſunt verba „ præcipitationis, quam otioſa. Ergo ſi pro otioſo verbo „ ratio poſcitur, quanto magis pro ſermone impietatis „ pœna exſolvitur? *Domini eſt gubernare linguam, ab illo itaque gratiam recte & chriſtiane loquendi poſtulemus.* Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium „ circumſtantiæ labiis meis ... Dixi, Cuſtodiam vias meas, „ ut non delinquam in lingua mea. ORI TUO (*inquit „ Sapiens*) facite oſtia & ſeras. Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & „ frænos ori tuo rectos; & attende ne forte labaris in „ lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium „ tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem; Alliga „ ſermonem tuum ne luxuriet, ne laſcivias, & mutiloquio „ peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis ſuis coerceatur. Cito lutum colligit annis exundans. Sit ori tuo „ oſtium, ut claudatur ubi oportet, & obſeretur diligentius. Jugum ſit verbis tuis, & ſtatera, humilitas atque „ menſura; ut lingua tua menti ſubdita ſit. Refrænetur „ habenæ vinculis, frænos habeat ſuos, quibus revocari „ poſſit ad menſuram. " *Sermones proferat libra examinatos juſtitiæ, ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis.* Cum autem omnibus Chriſtianis ſermonis intemperantia prohibita ſit Dei Lege; gravius tamen in viris Eccleſiaſticis vitium eſt. „ Fugienda otioſitas mater „ nugarum, noverca virtutum. Inter ſæculares, nugæ „ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Interdum tamen „ ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ numquam. „ Magis interveniendum caute ac prudenter nugacitati. „ Prorumpendum ſane in ſerium quid, quod non modo „ utiliter, ſed libenter audiant, & ſuperſedeant otioſis. „ Confecraſti os tuum Evangelio; talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore ejus*; non „ nugas profecto vel fabulas. Verbum ſcurrile, quod „ faceti urbanive nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœde ad „ cachinnos moveris, fœdius moves. Porro detrahere, „ aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, „ non facile dixerim. *Os igitur tuum taciturnitatis honore ſignatum ſit, ut loquitur Tertull.* Ex verbis enim „ tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. "

24. *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis, dicentes, Magiſter, volumus a te ſiguum videre.* Infidelitati, ſuperbiæ, curioſitati non ſufficiunt invicta credibilitatis argumenta, quibus Chriſtianæ & Catholicæ Religionis veritas

S. Aug. ſerm. 72. al. 12. de Verb. Dom. — *Rom. 5. 6.* — *Jo. 1. 12.* — *3. Matth.* — *Apolog. c. 6.* — *Philipp. 4. 8.* — *Eph. 4. 29.* — *S. Greg. M. 3. P. Paſtoralis Admonit. 15.* — *S. Hier. in c. 12. S. Matth.* — *S. Baſil. M. in Regulis brevioribus Interrogatione 23.* — *Coloſſ. 4. 6.* — *S. Ambr. l. 1. de Officiis Miniſtrorum c. 2.* — *Pſal. 140. 3.* — *Pſalm. 38.* — *2. Eccli. 38. 29.* — *S. Amb. lib. 1. de Officiis c. 3.* — *S. Bern. lib. 2. de Conſideratione cap. 13.* — *Malach. 2. 7.*

veritas demonstratur: sed Fidei simplicitati abunde sufficiunt. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium.* Qui nunc signa petit ut credat, Deo injuriam facit ut Pharisæi, pro nihilo habens universa miracula, quæ Christus edidit ad Evangelii confirmationem. Miracula necessaria fuerunt prius quam crederet Mundus, ad hoc ut crederet Mundus. „ Quisquis ad hoc prodigia, ut credat, inquirit, „ magnum est ipse prodigium, qui Mundo credente non „ credit, CHRISTUS afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit „ auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit „ multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit Religionem: quam non solum hæretici „ corum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec „ gentium quidem veternosus error violenter adversans, „ aliqua ex parte convelleret." *Tertull. l. de Præscript. Hæret. cap. 8.* *S. Aug. lib. 22. de Civitate Dei cap. 8.* *S. Aug. lib. de Utilitate credendi ap. 14.*

25. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, &c.* Christi resurrectio maximum illius miraculum, ceterorum omnium, quæ mortalem vitam agens in terris edidit, confirmatio, missionis illius sigillum. Nullo miraculo ad fidem vel pœnitentiam flectetur, cujus infidelitas & obstinatio in peccatis isto miraculo non vincitur. Jonam Christi typum fuisse, Dominus ipse docet. Quæ igitur Jonæ contigerunt, Christi mortem, resurrectionem, & pœnitentiam in nomine ejus Gentibus prædicandam significabant. „ Nam sicut humana consuetudo verbis, ita „ divina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni „ humano verba nova vel minus usitata, moderate ac „ decenter adsperta, splendorem addunt; ita in factis „ mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina eloquentia." Proinde quid præfiguraverit quod Prophetam bellua illa devoratum tertra die vivum reddidit, cur a nobis quæritur, cum hoc Christus exponat? „ Sicut ergo Jonas ex navi in alvum „ ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum. Et sicut ille pro his qui tempestate „ periclitabantur, ita Christus pro his qui in hoc sæculo fluctuant. Et sicut primo jussum est ut prædicaretur „ Ninivitis a Jona, sed non ad eos pervenit prædicatio „ Jonæ, nisi postea quam eum cetus evomuit: ita Prophetia præmissa est ad Gentes, sed nisi post resurrectionem Christi non pervenit ad Gentes." *S. Aug. Epist. 102. alias 49. ad Deogratias Quæst. 6.*

26. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plusquam Jonas hic.* Jonæ signum ut typus Dominicæ Passionis, ita etiam gravium, quæ Judæi commiserant, testificatio peccatorum est. *Simul advertere licet & Majestatis oraculum, & pietatis indicium. Namque Ninivitarum exemplo & demonstratur supplicium, & remedium demonstratur. Unde etiam Judæi debent non desperare indulgentiam, si velint agere pœnitentiam.* Christianos magis quam Judæos damnabit in judicio Ninivitarum exemplum, agentium pœnitentiam ad primam prædicationem ignoti Prophetæ, nullum miraculum patrantis, quo Missionem suam probaret; excidium Ninives prædicentis & comminantis, nec spem ullam dantis evadendi. *Et ecce plus quam Jonas hic.* Prophetarum Dominus, Christus Deus noster, Salvator noster, Judex noster, post tot miracula comminatur nos omnes perituros, nisi pœnitentiam agamus, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: & tamen ipsam agere contemnimus, vel negligimus. *Et ecce plus quam Jonas hic.* „ Nam cum ille servus fuerit, ego Do„ minus sum. Ille a ceto exiliit, ego a morte resurgam. Subversionem ille urbis futuram prædicavit, ergo „ Regni cœlorum Evangelium vobis annuntio. Et Nini„ vitæ quidem absque signo aliquo crediderunt, cum vos „ multa miracula videatis; nec quidquam ante Jonæ ver„ ba illi audierunt, cum vos omnibus sublimioribus sa„ pientiæ præceptis instituerim. Jonas quasi Minister ad „ Ninivitas accessit, ego ad vos Dominus & Creator ad„ veni, non minas intentans, non rationem exigens, sed „ peccatorum veniam afferens. Accedit quod illi quidem „ essent barbari, vos autem inter Prophetas plurimos edu„ cati: tum quod de Jona nemo illis prædixit, cum de „ me plurimi prædixerint, & opera prædicationi conso„ nare perspiciatis. Jonam etiam, ne derideretur, fugis„ se non ignoratis, cum ego & Crucis patibulum subi„ turus; & omnes illusiones vestras passurus ultro ad„ venerim. Itaque cum ille nullum pro Ninivitis oppro„ brium tulerit, ego vel mortis acerbitatem libenter se„ ram. Et ille advena quidem atque peregrinus erat, „ & hominibus illis omnino ignotus; ego vero nobis „ conjunctus secundum carnem. *Et ecce plus quam Jonas* „ *hic.*"

Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Pœnitentiam egerunt fide subnixam: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum:* Compunctione & deprecatione veniæ roboratam: *Et clament ad Dominum in fortitudine*: Humilem: *Et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem* *Jonæ 3.*

Natal. Alex. in Evang.

Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Pœnitentiam duram & austeram: *& clamavit, & dixit in Ninive, ex ore Regis & Principum ejus, dicens; Homines & jumenta, & boves & pecora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant.* Pœnitentiam spe ac metu temperatam: *Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus; & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* Pœnitentiam sinceram, non solis vocibus & promissis, quasi foliis, sed operibus, quasi fructibus comprobatam: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala.* Eorum pœnitentiam imitemur, ne eorum comparatione damnemur. Sit pœnitentia nostra fidelis, humilis, spe metuque temperata, severa, sincera, prompta. Nullam enim moram inter Prophetæ prædicationem ac pœnitentiæ actionem interposuerunt Ninivitæ. In sacco & cinere pœnitentiam egerunt. „ Dignus & victus & habitus pœnitentiæ: ut „ qui offenderant Deum luxu & ambitione, eorum dam„ natione placent, per quæ prius offenderant. Saccus „ & jejunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccato„ rum, ante jejunium, & sic saccus: ante quod oc„ cultum est, & postea quod palam: hoc semper Deo, „ illud interdum exhibetur hominibus: & si e duobus „ necessariis unum est subtrahendum, magis jejunium „ absque sacco quam saccum eligam absque jejunio." *S. Hieron. in cap. 3. Jonæ.*

Quomodo pœnitentiam agere debeat Christianus post Baptismum in mortale aliquod peccatum lapsus, egregie S. Ambrosius explicat & docet. „ Agendam, *inquit*, „ pœnitentiam & tribuendam veniam credere nos con„ venit; ut veniam tamen tamquam ex fide speremus, „ non tamquam ex debito; aliud est enim mereri, aliud „ præsumere. Tamquam ex syngrapho fides impetrat: „ Præsumptio autem arroganti est proprior, quam ro„ ganti. Prius solve quod debitum est; ut quod spera„ veris, impetrare merearis . . . . Plura solvendi habet „ subsidia, qui Deo, quam is qui homini debet: Homo „ pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debi„ tori præsto est: Deus affectum exigit, qui in tua po„ testate est. Nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui „ se ipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ ven„ dat, habet quæ solvat. Oratio, lacrymæ, jejunium, „ debitoris boni census est, multoque uberior, quam si „ quis ex pretio fundorum pecuniam sine fide deferat." *S. Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. 9. & 10.*

Si saccum non induunt, si caput cinere non aspergunt Christiani „ qui peccatorum pœnitentiam agere debent, luxum saltem, & ornatum immoderatum deponant. Sed heu! „ *Videas eos mutata veste incedere, quos lugere &* „ *gemere oportebat; quia vestem illam ablutionis & gratiæ sordidarunt: fœminas autem margaritis onerare au„ res, curvare cervices, quas bene Christo, non auro „ inclinarent: quæ se ipsas flere debebant, quod marga„ ritam quæ de cœlo est, perdiderunt.*" Contra hos & illas surgent Ninivitæ in judicio, quia pœnitentiam humilem & severam egerunt in prædicatione Jonæ, nec ipsam procrastinarunt, ut Christiani plerique gravium peccatorum rei, qui „ Proposita spe agendæ pœnitentiæ, „ licentiam sibi delinquendi propagatam putant; cum „ pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incen„ tivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, „ non vulnus medicamento; quia propter vulnus medica„ mentum quæritur, non propter medicamentum vulnus „ desideratur. Infirma deinde spes quæ committitur tem„ pori; cum omne tempus incertum sit, non omni spes „ tempori sit superstes." Peccant omnes, pauci pœnitentiam agunt, pauciissimi agunt ut oportet. „ Facilius in„ veni qui innocentiam servaverint (*inquit S. Ambro„ sius*) quam qui congrue egerint pœnitentiam. An quis„ quam illam pœnitentiam putat, ubi adquirendæ ambi„ tio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ con„ jugalis usus? Renuntiandum sæculo est: somno ipsi mi„ nus indulgendum, quam natura postulat, interpellan„ dus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, seque„ strandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic mo„ riamur usui: seipsum homo sibi abneget, & totus mu„ tetur: sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt pro„ pter amores meretricios peregre profectum, & aboli„ to amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ; quæ „ ubi se non interpellavit, mirata putaverit non recogni„ tam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; responderit il„ le: Sed ego non sum ego." Unde bene Dominus ait, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam; & sequatur me. *Etenim qui mortui & sepulti in Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc Mundo decernere.* Ne tetigeritis: *inquit*, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: quæ sunt omnia in interitum ipso usu, *eo quod ipse hujus vitæ usus corruptela sit integritatis.* Ninivitæ surgent in judicio, & Christianorum teporem ac negligentiam in agenda pœnitentia accusabunt. Fervoris ad pœnitentiam agendam necessarii dederunt exemplum non solum Ninivitæ, sed & ipse Jonas pœnitentiæ Prædicator. Jonas e ventre piscis post triduum velut e tumulo in terram ejectus, mandatum iteratum a Deo accipit eundi Ninivem, & illius eversionem *Matth. 16. 24.* *Coloss. 2. 20.*

Joan 3. post dies quadraginta prædicandi. *Et surrexit Jonas, & abiit in Ninivem juxta verbum Domini: & Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius: & clamavit & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Statim Jonas quod sibi fuerat imperatum, opere perfecit. Ninive autem erat, ad quam pergebat Propheta, civitas magna, & tanti ambitus, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. *At ille præcepti, & superioris naufragii memor, viam trium dierum unius diei festinatione complevit.* Hunc pœnitentes imitentur, ad divinum præceptum attendant, lapsus suos & naufragia, æternæ mortis ac damnationis pericula, quæ præcedentibus peccatis incurrerunt in memoriam revocent; Dei bonitatem ac misericordiam considerent; harumque rerum consideratione fervorem excitent suum, ac superioris temporis desidiam ac negligentiam pia festinatione & ardore in agenda pœnitentia, & in via mandatorum Dei consicienda compensent. Dicant cum Jona: *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo Templum sanctum tuum . . . Qui custodiunt vanitates frustra, Misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.* Denique intra mysticum dierum pœnitentiæ consecratorum numerum evertatur Ninive, pravi habitus penitus eradicentur, mores iniqui destruantur: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Eversa revera est, sed eversa in malo, ædificata in bono: „ Ninivitæ quippe in hac vita egerunt pœnitentiam; & ideo fructuosam, velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis seminari, quod postea cum lætitia meteretur: & tamen quis negabit quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum, nisi parum advertat quemadmodum peccatores Deus non solum iratus, verum etiam miseratus evertat? Evertuntur enim peccatores duobus modis; aut sicut Sodomitæ, ut propter peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Ninivitæ, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est ergo quod prædixit Deus: eversa est Ninive quæ mala erat, & bona ædificata est quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus."

Jonæ 2.

S. Aug. lib. 21. de Civitate Dei c. 2.

27. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic.* Regina Saba, extranea, gentilis, peregrina, Ecclesiæ figura est. Hæc est, de qua Psalm. 44. dicitur: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem ouam*, &c. „ Vestitus Reginæ hujus & pretiosus est, & varius est. Sacramenta doctrinæ in linguis omnibus & variis. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic & omnes linguæ ad unam fidem. In veste varietas est, scissura non est. Aurum in varietate vestis, ipsa sapientia. Quælibet sit vatietas linguarum, unum aurum prædicatur. Eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam & disciplinam omnes linguæ prædicant. Varietas in linguis, aurum in sententiis. Verum Salomonem Christum non quæsivit illa, sed ab ipso quæsita est, & per gratiam ejus vocata. Audivit, & vidit, inclinavit aurem suam, & oblita est populi sui; paternæque domus. Audivit primum, fide mundans cor suum unde videre posset. Oblita est populi Babyloniæ, habentis regem patremque diabolum. Et concupivit Rex Dominus Deus ejus, illius speciem ac decorem: formam adamavit, ac pulchritudinem, cujus ipse auctor est. Lavit enim eam a peccatis in sanguine suo: mundavit eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Rex ejus, ipse est sponsus ejus. Regi nupsit Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata." Quicquid habet unde illi placeat, ab illo habet. Christum Salomone longe excellentiorem agnovit, nempe Dei Filium, sapientiam increatam & æternam. Dei virtutem Mysteria Regni Dei, morumque salutaria præcepta ab ipso audivit, filiisque suis tradidit, & ad finem usque Mundi tradet, Regina illa Austri felicior, cum verum Salomonem Christum semper habeat præsentem, & per Spiritum suum cœlestis arcana sapientiæ declarantem & explicantem. *Et ecce plus quam Salomon hic.* Ecclesiæ Mysterium duplici exemplo evidenter a Christo expressum esse S. Ambrosius observat: „ Quæ in Ninivitis per pœnitentiam, & in Regina Austri per studium percipiendæ sapientiæ de totius orbis finibus congregatur: ut pacifici Salomonis verba cognoscat. Regina plane, cujus regnum est indivisum, de diversis & distantibus populis in unum corpus assurgens. Itaque Sacramentum hoc magnum est de Christo & Ecclesia: sed tamen hoc majus est, quia illud in figura ante præcessit: nunc autem plenura in veritate Mysterium est; illic enim Salomonis typus, hic autem Christus in suo corpore est. Ex duobus igitur constat Ecclesia, ut aut peccare nescias, aut peccare desinas; pœnitentia enim delictum amovet, sapientia cavet." Lege Hom. Orig. 38. in Luc. & Ser. inter August. olim 253. *tempore* nunc 321. in Appendice.

S. Hier. in cap. 4. Jonæ Prophetæ.

S. August. Enarrat. in Psalm. 44.

S. Ambr. l. 7. in Lucam, n. 96.

28. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* „ Pervicacissimus ille humanæ salutis hostis, numquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ retro erasos. Dolet quod ipsum & angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est. Itaque observat, oppugnat, obsidet: si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere; aut a via certa perversis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit." His præsertim patet anima arida, quæ gratiæ cœlestis benignis imbribus non irrigatur, quia oculos ad Deum non erigit, nec illos in se precatur, effundi. Deum non orat, cœlum proinde illi æneum est. Non descendit in ipsam Dei miseratio, quia pia ex illius corde & ore non ascendit oratio. Pravi habitus in anima, illa suspensi sunt, potius quam extincti. Unde diabolus illam semper ut domum suam intuetur, facileque se illam occupaturum confidit. *Revertar*, inquit, *in domum meam, unde exivi.* Ipsum invitant negligentia, desidia, otium, mundi & voluptatum amor adhuc in corde vivens. *Invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Ut enim justis multiplicatur septiformis Spiritus gratia, ita in eadem peccata relapsis omnis dœmonum cumulatur injuria. Tunc *fiunt novissima pejora prioribus*, quia dœmon in ea velut arce firmiores munitiones exstruit, pravosque habitus magis roborat iteratione peccatorum A verbo Dei aditum claudit, aut certe illius virtuti impedimentum affert. „ Idem enim verbum & propter naturam suam indignis formidolosum est, & propter benignitatem capi potest ab iis, qui ad ipsum excipiendum sese præpararint. Quo in genere sunt, qui impuro spiritu ex anima depulso, mentibusque agnitionis scopa mundatis & exornatis, otiosas eas ac desides nequaquam reliquerunt, ne cum majori apparatu a septem vitii spiritibus, hoc est, totidem, quot virtutis numerati sunt, rursus occupetur (quod enim difficilius expugnatur, studiosius atque ardentius appetitur) verum ad vitii fugam virtutis cultum adjungunt, totum Christum, vel certe quam maxime, in animi domicilium admittentes, ne prava potestas vacuum aliquid offendens, domum rursus impleat, ac novissima prioribus deteriora fiant, tum propter acriorem ac vehementiorem incursionem, tum propter majorem arcis firmitatem ejusque expugnandæ difficultatem."

Tertull. l. de Pœnitentia.

S. Greg. Nazianzenus Oratione 39.

Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, ob gratiæ contemptum, ob ingrati animi vitium, ob comparationem diaboli cum Deo, ejusque præ Deo electionem ob divini timoris abjectionem. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? „ Neque enim timorem alia res quam contumacia subvertit . . . Dominum despicit, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum potest ei placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet. Ceterum non leviter in dominum peccat, qui cum emulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus se ipsum facit, ut denuo malus recuperata præda sua adversus Dominum, gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse, cum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam, satisfaciet; eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus. *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* MELIUS *enim* erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti.

Tertull. l. de Pœnit. c. 5.

2. Petr. 2. 21. 22.

„ luti. *Gravior certe illius culpa est, qui peccatum admissum plangit, nec tamen deserit*; Quia & ipsam quam „ flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi „ in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum fletibus „ suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lacrymas facit. " Hujusmodi hominibus in eadem sæpius peccata relapsis convenit illud Sapientis oraculum: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus.* „ Baptizatur „ quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato; „ sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post „ lacrymas repetit. Admonendi sunt qui admissa plan- „ gunt, nec tamen deserunt, ut ante districti Judicis „ oculos eis se esse similes agnoscant, qui venientes ad „ faciem quorumdam hominum magna eis summissione „ blandiuntur; recedentes autem, inimicitias ac damna „ quæ valent, atrociter inferunt. Quid est enim culpas „ flere, nisi humilitatem Deo suæ devotionis ostendere? „ Et quid est post fletum prava agere nisi superbas in „ eum, quem rogaverat, inimicitias exercere? "

S. Greg. M. p. 3. Pastoralis Curæ Admonitione 31. Ezech. 14.

Deus quidem ad pœniteatiam exspectat peccatores in gravia peccata relapsos: sed absit ut id aliquis ita interpretatur, quasi eo sibi etiam nunc patet ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: *Et redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior fit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Evasimus semel, ne iterum periculo damnationis æternæ nos inferamus, letsi iterum evasuri videamur. „ Plerique naufragio liberati, exinde „ repudium & navi & mari dicunt; & Dei beneficium, „ salutem suam, scilicet, memoria periculi honorant. „ Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum „ divinæ misericordiæ oneri esse; formidant videri in- „ culcare, * quod consecuti sunt: bona certe sollicitu- „ dine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt ti- „ mere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est. "

Tertull. l. de Pœnit. c. 7.

* *Id est*, conculcare.

Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. „ Cupiditas enim carnis expulsa oer pœnitentiam a consuetis operibus, cum non invenerit in quibus delectationibus conquiescat: avidius redit, & rursus occupat „ mentem hominis, si cum pulsa esset, negligentia sub- „ secuta est, ut non introduceretur tamquam habitator „ mundatæ domui sermo Dei, per sanam doctrinam. Et „ quoniam non solum habebit illa septem vitia, quæ septem virtutibus spiritualibus sunt contraria, sed etiam „ per hypocrysim se ipsas virtutes habere simulabit: propterea assumptis secum septem aliis nequioribus, hoc „ est, ipsa septenaria simulatione, redit illa concupiscentia, ut sint novissima hominis pejora quam erant illa „ prima. "

S. Aug. l. 1. Q. Ev. in 8. Matt. Q. 8.

29. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & frater stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidem: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi: ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: Ipse meus frater & soror, & mater est.* In Ecclesiastici Ministerii functionibus nullam carnalium necessitudinum habendam esse rationem Christus docet. Salutis æternæ Minister temporalia non debet intueri: Dei gloriam utilitatibus & commodis parentum & consanguineorum anteponat necesse est: illos colat; illorum, „ ut postulat pietas, curam gerat; sed opus Dei non deserat, non negligat illorum importunitate victus. „ Si „ *Christus* matrem & fratres eos fecit, qui non erant, „ quomodo negavit eos, qui erant? Sed in semetipso docuit, qui patrem, aut matrem, aut fratres præponeret verbo Dei, non esse dignum Dei Discipulum... Solet id adimplere Christus, quod alios docet. Quales ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre & fraternitate deseteret? Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere. " Qui „ negotiis secularibus ad commoda temporalia consanguineorum suorum procuranda se implicant, qui ex proventibus Ecclesiasticis consangnineorum suorum fortunas augent, & *paupertatem Christi suas suorumque faciunt divitias*, ut ait S. Hieronymus: qui nepotibus indignis Ecclesiastica Beneficia conferunt, aut dignioribus ipsos præponunt in eorum collatione, quibus animarum cura est annexa; qui in sacris Ordinationibus, in dispensationibus, in aliis Ecclesiasticæ Disciplinæ capitibus, commendationi parentum & consanguineorum plus tribuunt quam Regulis Ecclesiasticis sive sacris Canonibus; hi Christi exemplum & documenta non sequuntur, parentes verbo Dei non præponendos, immo pro Dei opere negandos esse docentis. *Et extendens manus in Discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* „ Hæc alia figura est „ Synagogæ in matre abjecta, & Judæorum in fratribus „ incredulis. Foris erat in illis Israel; Discipuli autem „ novi intus audientes & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam delineabant, quam potiorem matrem, & digniorem fraternitatem recusato carnali genere nun- „ cupavit. "

Tertull. l. 4. Adversus Marcionem c. 19. Idem l. de Carne Christi c. 9.

Tertull. ib.

Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? „ Una „ sola & vera & communis nobilitas atque necessitudo „ cum Christo est, ut voluntatem Dei facias. Hic pro- „ pinquitatis modus multo melior atque præstantior ne- „ cessitudine carnali. Quæ omnia probe tenentes, nec „ de filiorum gestis gloriemur, nisi virtutes eorum imi- „ temur; nec de parentum nobilitate quidquam nobis ar- „ rogemus, nisi probam eorum vitam assequamur. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, „ ipse meus frater, & soror, & mater est.* O mirabilem „ honorem! o virtutis incredibiles vires! quo ducitis re- „ cte viventes homines? Mulieres sanctissimam illam Virginem beatificarunt. Quot purissimum illum uterum admirantur? Quot optarent tales fuisse matres, & ce- „ tera omnia contemnere? Quid vero prohibet? Ecce re- „ ctam & facilem viam nobis proposuit, ut non feminis „ solum, verum etiam viris ad hanc dignitatem perve- „ nire liceat, immo vero etiam ad majorem. Multo enim „ propinquiores Deo sunt qui voluntatem ejus faciunt, „ quam qui sola carnis necessitudine Christo conjunguntur. Non ergo simpliciter sanctam illam propinquitatem desidera, verum etiam viam capesse, magnoque studio „ confice, quæ ad hoc desiderium implendum te perduc- „ cat. " Non est, cur Dei Virgines contristentur, quod etiam ipsæ virginitate servata matres carnis esse non possunt. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua virginitate parem habere non posset. „ Verumtamen ille unius Sanctæ Virginis partus omnium „ sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum Maria „ matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. „ Hinc enim & Maria laudabilius atque beatius Christi „ mater est, secundum supra memoratam ejus sententiam. *Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in „ cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est.* „ Has sibi omnes propinquitates in populo quem redemit, „ spiritaliter exhibet: fratres & sorores habet sanctos „ viros, & sanctas feminas, quoniam sunt illi in cœlesti „ hæreditate cohæredes. Mater ejus est tota Ecclesia, „ quia membra ejus, id est, fideles ejus, per Dei gratiam „ ipsa utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, „ faciens voluntatem Patris ejus fecundissima charitate „ in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi „ tantum modo mater est, spiritaliter autem & soror & „ mater. Ac per hoc illa una femina, non solum spiritu, verum etiam corpore, & mater est & virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse „ Salvator, ex quo magis illa spiritaliter nata est, quia „ omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, „ recte filii sponsi appellantur: sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus quia cooperata est charita- „ te ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius capi- „ tis membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater. "

S. Jo. Chrys. Hom. 45. in Matt.

S. Aug. l. de Sancta Virginitate c. 5. & 6.

Legatur & En. in Ps 127. n. 11.

CAPUT XIII.

Sensus Litteralis.

IN illo die, exiens Jesus de domo sedebat secus Mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens, sederet: & omnis turba stabat in littore. Eodem illo die, vel tempore, quo Mater Christi & fratres advenerant, exiit Jesus de domo, quæ auditorum ingentem multitudinem præ angustia capere non poterat: & in littore Maris Galilææ docentium more sedebat. Confluentibus autem ad illum turbis, & prementibus, in naviculam ascendit, vice suggesti, ut audiri posset a plebe stante in littore. *Et locutus est eis multa in parabolis.* Locutus est eis, non simplici & perspicuo sermone, sed figurato & obscuro, sub familiarium similitudinnm & comparationum involucris; quem morem Syris, & maxime Palestinis solemnem & usitatum fuisse, S. Hieronymus testatur. Parabolis etiam usus est Magister cælestis, tum ob rationem infra, vers. 13. traditam; tum ut auditorum attentionem vehementius excitaret; cum ut Sermones ipsius tenacius populi mentibus inhærerent; tum denique ut per sensibiles similitudines sermo res ipsas significatas velut oculis subjiceret: Quod sermonis genus Prophetis etiam tritum est. Parabolis & ænigmatibus utitur divina Scriptura *Ad exercitationem quærentis, & delectationem audientis . . . . . Sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.*

S. Jo. Chrys. Hom. 46. in S. Matth.

S. Aug. l. 12. contra Faustum c. 7. Et lib. 5. de Genesi ad litteram c. 3.

2. *Ecce exiit qui seminat, seminare.* Satori Deum comparare, frequens est Hebræis. Philo Judæus Lib. De Legum allegoria. *Semen*, inquit, *quod Opifex sevit in fœcundo solo, Anima ratione utente.* Sator exiit ut sementem jaceret. *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli comederunt ea.* Dum semen longe lateque spargit, pars seminum cecidit juxta viam publicam & tritam, incultam, duram, & semini susci-

suscipiendo ineptam. Terra enim nisi gremio mollito & subacto semen suscipere non potest. Ideo volucres cæli semen terræ gremio minime conditum, sed in ejus superficie sparsum diripiunt, & comedunt. *Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaverunt, & quia non habebant radicem, aruerunt.* Pars altera seminum cecidit in saxosas agri partes; & cum terræ defectu deorsum penetrare non possent, vim sursum erexere, & quia non longe aberant a terræ superficie, statim se ostentarunt: & sole fervente sunt torrefacta, quia defecta erant radice, ac propterea etiam humore, qui ex terra per radicem hauritur. Humoris autem penuria, accedente calore externo, efficit ut arescant. *Aliam autem ceciderunt in spinas: & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.* Pars cecidit in terram spinarum & carduorum feracem: & celerius, altius, densiusque succrescentes spinæ, bona semina jam in culmos erecta supresserunt & præfocaverunt. *Alia autem ceciderunt in terram bonam*: cultam, aratam, sartam: *& dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*, pro terræ fertilitate.

S. Aug. l. de Dono Perseverantiæ c. 14.

3. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Auditorum animos hac loquendi formula excitat. Qui a Deo accepit donum intelligendi ea quæ audit, & obediendi verbo veritatis, attendat ad propositam parabolam, sensum ejus quærat, ex ea proficiat, ac spiritualem utilitatem carpat.

4. *Et accedentes Discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria Regni cælorum; illis autem non est datum.* Cur turbis obscure loqueris, ita ut non intelligant, cum nos perspicue docere consueveris? Respondit Christus: Ideo obscurius ipsis loquor, quia vobis simplicibus, humilibus, docilibus, audiendi simul & intelligendi, atque obsequendi desiderio flagrantibus, singulari gratia datum est a Patre luminum, nosse perspicue, non solum Evangelica præcepta, quæ verbis apertissimis tradidi, quia illorum cognitio necessaria omnibus est ad salutem; sed etiam Mysteria seu arcana Regni cælorum, dispensationem Dei admirabilem circa prædicationis Evangelicæ progressum tum apud Judæos, cum apud Gentes. Illis autem, quorum pars maxima non credit, nisi signa & prodigia viderit; vel sciendi magis curiositate, quam obediendi studio ad audiendum sermones meos ducitur; aut contemnit etiam, irridet, calumniatur, datum non est a Patre æterno ut hæc mysteria noscant & intelligant, quia superbia sua, aliisque peccatis, se indignos hac gratia præbuerunt, maxime Pharisæi, qui sibi sapientes & prudentes videntur. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: & qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Proverbialis locutio est. Qui Dei donis ac beneficiis ornatus est, illisque recte utitur (quamvis & rectus usus gratiæ a gratia sit) Dei donis magis ac magis cumulabitur, ita ut illis affluat, continuisque gratiarum incrementis ad perfectionem promoveatur. E contrario vero, qui non habet, id est, qui non recte utitur donis ac beneficiis a Deo sibi collatis, & quod habet, seu *videtur habere*, ab eo auferetur ob negligentiam, aut contemptum. Argumentum est a majori. Ingratis, aut qui non utuntur datis, si juste auferri potest quod datum est; aut ex lege communi, aut ex pacto, auferri solet; tantum abest ut plura accipiant: æquum igitur non est ut istis, quamdiu data Evangelicæ institutionis præcepta fastidiose respuunt arcana Regni cælorum explicem. *Habendi dabitur, & abundabit*; idest, *Deus cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit.* Dabitur autem ei adauctio fidei, vel intellectus, seu aliarum Dei gratiarum ac cælestium donorum, vel salus ipsa. Non habenti autem, quam debet habere, divinorum donorum æstimationem, non cooperanti gratiæ Dei; quæ jam accepit, auferentur in pœnam contemptus, & ingrati animi.

Luc. 8. 18. S. Aug. 1. de Doctrina Christiana.

5. *Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident & audientes non audiunt, neque intelligunt.* Illis obscurius loquor in pœnam incredulitatis, quia divina quæ facio opera, videntes oculis corporis, non vident oculis cordis: & sermones apertissimos, quibus Evangelica præcepta omnibus & singulis ad salutem necessaria trado & explico, audientes, *corporis sensu*, non audiunt *cordis assensu*: Nec intelligentia assequuntur, quia justo judicio fit, ut qui noluerunt intelligere, cum possent, intelligere non possint, cum volunt. Idem significant hæc verba apud SS. Marcum & Lucam: *Ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ideo obscurius ad illos loquor, ne posteriora intelligant, qui priora clare proposita in animum admittere noluerunt. His itaque verbis exprimitur pœna spiritualis cæcitatis, qua ob superbiam, & contemptum institutionis Evangelicæ plectuntur. Quod sequentia confirmant: *Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & convertantur, & sanem eos.* Varia lectio est hujus loci Isaiæ in Hebræo Textu, & apud 70. interpretes. Secundum Hebraicum textum vertit S. Hieron. *Vade, & dices populo huic: Audite audite, & nolite intelligere: & videte visu, & nolite cognoscere: Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, & auribus audiat, & corde intelligat, & convertatur, & sanetur.* Sive ut est in Vulgata nostra: *Ut sanem eum.* Septuaginea vero Interpretes per verba futuri temporis verterunt: *Auditu audietis, & non intelligetis*, &c. Versionem 70. Seniorum secuti sunt S. Matt. hic, & S. Paulus Actuum 28. referente S. Luca. Imperativus sæpe pro futuro apud Hebræos usurpatur: unde Matt. 23. 32. Christus Judæis ait: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*, non quod id revera jubeat aut velit, sed futurum pernoscat & prædicat; quasi diceret: Et vos mensuram patrum vestrorum implebitis. Ceterorum idem utrobique sensus est. Septuaginta Seniores, S. Matthæus vel antiquus ejus Interpres, & S. Lucas, significant pœnas excæcationis & obdurationis populi Judaici a Prophetâ prædictas, ex ipsorum Judæorum culpa & contumacia ortum ducere. Textus autem Hebraicus Isaiæ significat cæcitatem cordis & duritiam ab iraco & deferente Deo, gratiamque subtrahente suam, illis infligi. Quem sensum & S. Joan. cap. 12. Evangelii v. 40. expressit: „ Propter ea non poterant credere, quia iterum „ dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit „ cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant „ corde, & convertantur, & sanem eos. " Et S. Paulus Epistola ad Romanos cap. 11. „ Numquid Deus re„ pulit populum suum? Absit .... Non repulit Deus „ plebem suam, quam præscivit .... Electio consecu„ ta est: * ceteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est: „ Dedit illis Deus spiritum compunctionis *: oculos ut „ non videant, & aures ut non audiant, usque in ho„ diernum diem. Et David dicit: Fiat mensa eorum in „ laqueum, & in captionem; & in scandalum, & in „ retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne vi„ deant, & dorsum eorum semper incurva. Dico ergo: „ Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed il„ lorum delicto salus est Gentibus, ut illos æmulentur. „ Quod si delictum illorum divitiæ sunt Mundi, & di„ minutio eorum divitiæ Gentium, quanto magis pleni„ tudo eorum?... Nolo enim vos ignorare, fratres, my„ sterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, „ donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel „ salvus fieret. Ergo, inquit S. Hieronymus non est cru„ delitas Dei, sed misericordia, unam perire gentem, „ ut omnes salvæ fiant; Judæorum partem non videre, „ ut omnis mundus lumen accipiat. Unde & ipse Do„ minus in Evangelio sacramentum cæci a nativitate, „ qui receperat oculos, vertit ad tropologiam, & dicit: „ *In judicium ego veni in hunc mundum, ut videntes „ non videant, & non videntes videant.* Et in alio loco „ Simeon loquitur: *Ecce hic positus est in ruinam & in „ resurrectionem multorum.* Illis itaque non videntibus, „ nos videmus; illis cadentibus, nos resurgimus. Quod „ intelligens Propheta, quodam modo aliis verbis dicit: „ O Domine, præcipis mihi loqui populo Judæorum: ut „ audiant, & non intelligant Salvatorem; & videant „ eum, & non cognoscant. Si vis impleri jussionem tuam, „ & totum salvari mundum, quod ego fieri desidero; „ excæca cor populi hujus, & aures aggrava, & ocu„ los claude, ne intelligant, ne audiant, ne videant. „ Si enim illi viderint, & conversi fuerint, & intelle„ xerint, & sanati fuerint, totus mundus non recipiet „ sanitatem. Ex quo animadvertimus, quamvis grave sit „ peccatum, si quis convertatur, eum posse sanari. Si„ mulque & hoc intelligendum, quod pro magnitudine „ sceleris, etiam pœnitentia indigni judicati sint, ipso „ Domino dicente ad Jerusalem: *Quoties volui congre„ gare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas; & „ noluisti?* "

S. Aug. Q. 14. in S. Matt. & Theodoretus in c. 6. Isaiæ.

* *Id est*, Electi ex illo populo confecuti sunt justitiam.

* *Id est*, Stuporis & pertinaciæ.

S. Hier. in c. 6. Isaiæ.

Joan. 9.

Matt. 23. 15

Deut. 33. 15

Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt. Metaphorica locutio est, significans animos & affectus Judæorum terrenis voluptatibus & fecundis rebus obstupefactos, sicut cor nimia pinguedine præfocatur, ad res divinas cæcos, hebetes, & stupidos esse. Pinguis venter sensum tenuem non parit. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.*

Et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, &c. Id est, *ipsi causa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet.* Alius enim Evangelista dicit: *Excæcavit oculos eorum.* Sed utrum ut numquam videant, an vero vel sic aliquando videant, *cæcitate sua sibi displicentes, & se dolentes, & ex hoc humilitati atque commoti ad confitenda peccata sua, & pie quærendum Dominum?* Sic enim S. Marcus dicit: *Ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata.* Ubi intelliguntur *peccatis suis meruisse, ut non intelligerent*, & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, ut peccata sua cognoscerent, & conversi veniam mererentur. Quod autem Joannes ait: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias. Excæcavit oculos eorum: ut non videant oculis, non intelli-*

Joan. 12. 40. S. Aug. Q. 14. in S. Matt. Marci 4. 12.

Marci 4. 11. Lucæ 8. 10.

Isai. 1. 6. 9. 20.

gant

gant corde & convertantur, & sanem eos: adversari videtur huic sententiæ, & omnino cogere, ut quod hic dictum est, *Ne quando oculis videant*, non accipiatur. Ne vel sic aliquando oculis videant, sed prorsus. Ut non videant? Quandoquidem aperte ita dicit, *Ut oculis non videant*. Et quod ait; *Non poterant credere*, satis ostendit, *Non ideo factam illam excæcationem, ut ea commoti, & dolentes se non intelligere, converterentur per pœnitentiam*; *non enim possent hoc facere, nisi prius crederent, ut credendo converterentur, conversione sanarentur, sanitate intelligerent, sed ideo potius excæcatos, ut non crederent*. Dicit enim apertissime, *Propterea non poterant credere*. Nec tamen propterea Judæi excusandi sunt, quia Deus excæcavit oculos eorum: immo quia Deus justus est,
Joan. 12. 402.
„ Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos ex-
„ cæcari meruisse: qua tamen excæcatione non potue-
„ runt credere: Frustra itaque conamur intelligere, ideo
„ fuisse cæcatos ut converterentur, cum ideo converti
„ non poterant, quia non credebant, & ideo credere non
„ poterant, quia excæcati erant. An forte non absurde
„ dicamus, quosdam Judæorum fuisse sanabiles, sed tan-
„ to tamen tumore superbiæ periclitatos ut eis expedie-
„ rit primo non credere, & ad hoc fuisse cæcatos, ut
„ non intelligerent Dominum loquentem per parabolas,
„ quibus non intellectis, non in eum crederent, non
„ credentes autem cum cæteris desperatis eum crucifi-
„ gerent, atque ita post ejus Resurrectionem converte-
„ rentur, quando jam de reatu mortis Domini amplius
„ humiliati vehementius diligerent, a quo sibi tantum
„ scelus dimissum esse gauderent? Quoniam tanta erat
„ eorum superbia, ut tali humiliatione esset dejicienda.
„ *Quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non*
Act. 2. 37. „ *ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissime legerit.*
„ *Non ergo abhorret quod ait Joannes*. Propterea non pote-
„ rant credere, quia excœcavit oculos eorum, ut non
„ videant, *ab ea sententia qua intelligimus, ideo excæca-*
„ *tos, ut converterentur, hoc est*," Ideo eis per obscu-
„ ritates parabolarum occultatas sententias Domini, ut
„ post ejus Resurrectionem salubriore pœnitentia resipi-
„ scerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non intellexerunt, & ea non intelligendo
„ non in eum crediderunt, non credendo crucifixerunt eum:
„ atque ita post ejus Resurrectionem miraculis, quæ in
„ ejus nomine fiebant, exterriti, majore criminis reatu
„ compuncti sunt & prostrati ad pœnitentiam; deinde
„ accepta indulgentia, ad obedientiam flagrantissima di-
„ lectione conversi. Nam quibus non profuit illa cæcitas
„ ad conversionem, quæ per linguam parabolarum fie-
„ bat, ita de illis Propheta alio loco dicit. *Quod etiam*
1. Cor. 14. 21. Isaiæ 28. 11. „ *Apostolus commemoravit, cum de obscuritate linguarum*
„ *ageret*: In alii linguis, & in aliis labiis loquar po-
„ pulo huic, & nec sic me exaudient, dicit Dominus.
„ *Non enim diceretur*. Nec sic me exaudient; *nisi ad hoc*
„ *fieret, ut vel sic exaudirent*: *Ideest*, Ut eis ad humi-
„ lem confessionem, & sollicitam inquisitionem, & o-
„ bedientem conversionem, & ferventem dilectionem va-
„ leret! Est vero etiam ista ratio medicinæ corporalis.
„ Nam & pleraque medicamenta prius affligunt aut sa-
„ nent; & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea
„ opus est intrinsecus infundi nisi sensum videndi prius
„ claudant, & perturbent, prodesse non possunt. Denique
„ illos excœcavit Deus qui credere primum noluerant,
„ & nihilominus excæcavit illos malitia illorum. Ita
Sap. 2. 26. „ apud Moysen legimus: *Induravit Pharao cor suum*:
„ & *Induravit Deus cor Pharaonis*."

6. *Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt*. O vos beatos, qui & oculis mentis, & oculis corporis Filium Dei hominem factum Messiam tamdiu desideratum & exspectatum, generis humani Liberatorem, & Salvatorem a Deo promissum, præsentem videtis, & loquentem auditis. Huic Domini sententiæ non repugnat illa: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Non enim Apostolis meliores atque feliciores prædicantur, qui non viderunt & crediderunt, sed illis qui fidem oculis metientes, non credunt nisi quod oculis corporis vident, cum tamen fides sit rerum quæ non videntur, & argumentum non apparentium. Beati
Joan. 20. 29. Joan. 7. 56. prophetæ, & justi, qui mentis ac fidei oculis venturum Messiam, id est, me ipsum viderunt; aut Abraham qui *Exultavit ut videret diem meum*; *vidit & gavisus est*: Sed vos beatiores; qui prope videtis & sensibus usurpatis, quod illi longe; prospicue, quod illi obscure; oculis etiam corporis, quod illi spiritu dumtaxat viderunt.

7. *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: audire quæ auditis, & non audierunt*. Felicitatem Apostolorum commendat, quam non ex meritis, sed ex singulari Dei gratia sibi contigisse, par erat ut æstimarent, majoresque propter ea gratias Deo agerent, quod Dei Filium hominem factum oculis contuerentur, & divinæ dispensationis arcana explicantem, ac salutis præcepta tradentem audirent: quod nec Prophetis, nec antiquis justis, nec Regibus a Deo concessum fuerat. Lucæ 10. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt*, &c. Multi Prophetæ: multos hic pro omnibus posuit. Multi Prophetæ, qui conscii fuerunt arcanorum cœlestium, quibus Deus futuram Filii sui incarnationem & mysteria revelavit, utque ceteris prædicarent, ac litteris ad memoriam sempiternam consignarent, præcepit: justi quibus Deus ita favit, ut illis se familiariter patefaceret: Reges etiam sancti & divinarum promissionum de Messia ex illorum stirpe nascituro, honore insignes, votis ardentissimis exoptarunt videre præsentia quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt.„ Juxta fidem defuncti sunt Heb. 11. 13
„ omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe 1. Petri 1
„ eas aspicientes & salutantes, (*inquit S. Paulus*.) Et 10. 11. 12
„ *S. Petrus*: De qua salute, *inquit*, exquisierunt, atque
„ scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia
„ prophetaverunt: scrutantes in quod vel quale tempus si-
„ gnificaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas quæ
„ in Christo sunt passiones & posteriores glorias: quibus
„ revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem mi-
„ nistrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos,
„ qui evangelizaverunt vobis, Sp. S. misso de cælo."

8. *Vos ergo audite parabolam seminantis*. Intelligite parabolæ mox a me propositæ significationem. *Omnis qui audit verbum Regni, & non intelligit, venit Malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: Hic est qui secus viam seminatus est* Cum aliquis audit verbum de Regno cœlorum, verbum Evangelicæ prædicationis, illudque intelligere non curat, non meditatur, non recondit alte in animo, non retinet, non fovet ut fructum virtutum ac bonorum operum ferat: venit diabolus auctor omnis malitiæ, desperate & immutabiliter malus; & procurata divini verbi oblivione, vel distracto & dissipato in sæculares curas animo, rapit semen illud cœleste, quod in cor ejus per aures immissum est. Hic est qui per illam terræ portionem significatur, quæ juxta viam sita semen in se delapsum excepit. *Hic est qui secus viam seminatus est*. Seminari dicitur & semen, & ager: unde & sata dicuntur agri qui feruntur: *Sata læta, boumque labores*. Igitur *seminatus*, hic idem est ac semine conspersus.

9. *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur*. Qui designatur per terram petrosam, hic est, qui statim atque Dei verbum audit, libenter & cum gaudio illud recipit, considerat, probat, illius luce, pulchritudine, utilitate, suavitate delectatur: sed radices in corde ejus verbum illud cœleste non agit, ob inconstantiam ejus animique levitatem. Firmum scilicet ac stabile propositum non habet quærendi Regnum Dei, spretis omnibus aliis, bona opera faciendi, & in illis perseverandi, & omnia tolerandi propter justitiam: *Sed est temporalis*. Ad tempus credit, ut exponit S. Lucas, quotisque opportunum illi videtur, quamdium nihil detrimenti accipit quoad res temporales. *Facta autem tribulatione*, orta persecutione & imminente vexatione, sive publica per Tyrannos & Magistratus, sive privata per homines quoscumque, *Propter verbum*, propter fidei vel justitiæ professionem; *continuo scandalizatur*, solo timore damnorum temporalium offenditur; & a fide, vel justitiæ ac pietatis tramite deficit. Lucæ 8. 15. *Et hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*.

10. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur*. Qui terra spinarum ferace designatur, hic est, qui Dei verbum audit, animo concipit, retinet, piis desideriis Deum quærit; hic est in quo semen illud cœleste satis altas egit radices, ut bonorum operum fructus inde sperari posset: Verum *sollicitudo sæculi istius*, rerum quarumlibet ad sæculum pertinentium immodicæ & anxiæ curæ, studium rerum quæ in hoc mundo splendidissimæ videntur, in quo genere excellit bonorum & gloriæ cupido, quæ mortalibus noviſſime exuitur; familiæ decus & incrementum; voluptates, & fallaces seductricesque divitiæ, sive studium & cupiditas illas acquirendi & conservandi: (Quæ triplex cupiditas a S. Joanne significatur his verbis, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ*:) spinarum instar simul cum satis exortarum, divini verbi semen opprimunt & præfocant; conatus, curas, & affectus omnes vitæ melioris extinguunt; fructum salutis emergere, & ad maturitatem perduci non sinunt, Marci 4. 18. *Hi sunt qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ intrœuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur*. Lucæ 8. 14. *Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, & a sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum*.

11. *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit*

facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. Tandem qui terræ bonæ, in quam
Luc. 24. 45. semen immissum est, symbolo designatur, ille est qui Dei
verbum audit, & intelligit, meditatur, *in corde bono &*
Act. 16. 14. *optimo retinet*, & fructum affert, alius alio uberiorem,
pro varietate donorum, quibus Christus cor præparare,
excolere, & *incrementa frugum justitiæ* promovere digna-
1. Cor. 3. 6. tur. Deus enim *corda aperit* ut verbum salutis obedien-
& 7. ter excipiant & intelligant, & *incrementum dat Deus*.
Apud S. Lucam habetur, *Et fructum afferunt in patientia*, id est, in bonorum operum fructibus edendis & pro-
ferendis perseverant, præmium æternæ vitæ a Deo ex-
1. Cor. 9. 10. pectantes. Sic patientiæ nomen usurpatur. Rom. 8 35.
Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. Et Jacobi 5. 7. *Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra.*

12. *Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est Regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Parabolam aliam præcedenti non absimilem Christus turbis proposuit, qua malos in Ecclesia semper bonis permixtos fore significaret. Tale quid accidit in Ecclesia militante, ac si homo bonum semen seviſſet in agro suo: inimicus autem ejus clam, noctu, opportuno sibi tempore; dum nemo vigilaret, venit & lolium superseminavit. Quod frumento quidem foliis, culmisque simile est, sed tamen ex corruptis frumenti seminibus nascitur ante messem. Zizania, hære-
S. Aug. Q. 12. in Matt. ticorum, & improborum Christianorum typus; bonum semen, proborum Christianorum; ager, mundus; boni seminis sator, Christus; zizaniorum sator, diabolus. Cum autem herba crevisset, & spicas, granaque protulisset, ex quibus dignosci bonus aut malus frutex potest, tunc apparuerunt & zizania, quæ in primo gramine vix discerni poterant.

13. *Accedentes autem servi patris-familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit.* Christus in hujus parabolæ expositione non explicat quid significent servi qui ad patrem-familias accesserunt, ipsum de zizaniorum ortu monituri: forte quia id non adhibetur ad significandum, tamquam pars parabolæ, sed ad narrationis contextum, ut emblema quoddam: sicut enim non omne quod in tabulis pictis delineatur, ita non quicquid in paraboli adhibetur, significationem habet. *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* Certe tu probum semen, non degener, in agro tuo seminaveras. Unde ergo infelix lolium?

14. *Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? & ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Vis eamus, & evellamus zizania? Respon-
S. Hier. in h. 13. S. Matth. S. Aug. lib. 3. contra Par. meniarum c. 3. det Pater-familias: Non: mali enim tolerandi sunt, non e medio tollendi, quamdium periculum est ne tritico simul, id est probis detrimentum inferatur: quamdiu zizania tritico ita similia sunt, ut certo cognosci non possint; quamdiu schismatis periculum est, & timendum ne triticum simul cum zizaniis revellatur, ne mali ab Ecclesia expulsi plures alioquin bonos, sed infirmos secum in perniciem trahant. „ Cum igitur quisque fratrum,
„ id est, Christianorum, intus in Ecclesiæ societate con-
„ stitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus,
2. Thess. 3. 15. „ ut anathemate dignus habeatur; fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est: atque id cum ea dilectione
„ de qua Apostolus alibi præcipit, dicens: Ut inimicum
„ non eum existimetis, sed corripite ut fratrem; Non
„ enim ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si
„ se non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipse
„ foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ
„ communione dirimetur. Nam & ipse Dominus cum
„ servis volentibus zizania colligere dixit, *Sinite utraque crescere usque ad messem:* præmisit causam dicens;
„ *Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum.* Ubi satis offendit, cum metus iste non
„ subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate
„ securitas manet, id est, quando ita cujusque crimen
„ notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos
„ possit schisma contingere; non dormiat severitas disci-
„ plinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis,
„ quanto diligentior conservatio charitatis. Tunc autem
„ hoc sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumento-
„ rum fieri potest, cum congregationis Ecclesiæ multitudo
„ ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. Tunc
„ enim adjuvat Præpositum potius corripientem, quam cri-
„ minosum resistentem: tunc se ab ejus conjunctione salu-
„ briter continet, non rabie inimica, sed coercitione
„ fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur, &
„ pudore sanatur, cum ab universa Ecclesia se anathe-
„ matisatum videns, sociam turbam cum qua in delicto
„ suo gaudeat, & bonis insultet, non potest invenire. "

Sinite utraque crescere usque ad messem. Ad consummationem usque sæculi, quæ messis typo significatur, malos cum bonis vitam agere, etiam & florere sinite: & *in tempore Messis*, tempore præstituto, quo triticum a lolio & paleis segregandum est, ejecti a reprobis discernendi supremo judicio: *Dicam messoribus*, quo nomine Angeli figurate significantur: *Colligite primum zizania*: Malos a bonis, electos a reprobis separate: & *alligate in fasciculos ad comburendum*. Hæreticos & impios se- S. Aug. Q. 12. in S. cundum justitiæ divinæ ordinem ita congregate, ut simi- Matt. les similibus colligati pœnas ignis æterni luant: ut non confuse, sed pro modo perversitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia, & criminis malitia puniatur. *Triticum autem congregate in horreum meum.* Electos & sanctos in cælum inferte.

15. *Aliam Parabolam proposuit eis dicens: Simile est Regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant & habitent in ramis ejus.* Doctrina & prædicatio Evangelii comparatur grano sinapis, quod unum est ex minimis omnium seminibus: cum autem creverit, unum est ex maximis omnium oleribus, & ligneſcit stipes ejus, atque in modum arboris crescit, & in locis calidis, supra humanam staturam assurgit: adeo ut volucres cæli sub umbra ramorum ejus requiescant, eaque mirum in modum delectentur. Alteram similitudinis partem intelligendum Christus reliquit: ita Evangelium, quod ex omnibus doctrinis minimum habet splendoris, & pompæ, & quod ita videtur abjectum ut Judæis scandalum sit, Gentibus autem stultitia, cum prædicatum fuerit, omnes alias doctrinas celebritate, firmitate, æternitate, sectatorum multitudine doctrinas omnes sæculares superabit: ita ut Reges & Principes, ac universi quibus ad cælestia, volucrum instar tendere ac volare constitutum erit, sub ejus umbra sint victuri. „ Prædicatio Evangelii (*inquit S. Hieron.*) S. Hier. c. „ minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe do- 12. in S. „ ctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Matt. „ Christum mortuum, & scandalum crucis prædicans.
„ Confer hujuscemodi doctrinam dogmatibus Philoso-
„ phorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & com-
„ positioni sermonum, & videbis quanto minor sit cæteris
„ seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverit
„ nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat;
„ sed totum flaccidum marcidumque & mollitum ebullit
„ in olera & in herbas, quæ cito arescunt & corruunt.
„ Hæc autem prædicatio, quæ parva videbatur in prin-
„ cipio, cum vel in anima credentis, vel in toto Mun-
„ do fata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in
„ arborem: ita ut volucres cæli (quas vel animas cre-
„ dentium, vel Fortitudines Dei servitio mancipatas o-
„ portet intelligi) veniant, & habitent in ramis ejus.
„ Ramos puto Evangelicæ arboris, quæ de grano sina-
„ pis creverit, dogmatum esse diversitates: in quibus su-
„ pradictarum volucrum unaquæque requiescit, "

16. *Aliam Parabolam locutus est eis: Simile est Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum....* Matt. 16. 6. Hæc Parabola doctrinæ Evangelicæ vim & incrementum significat. Fermentum, ob diversas ejus proprietates Scriptura sacra interdum in malum, interdum in bonum u- 1. Cor. 5. v. surpat. Est enim corruptio quædam massæ nimis caleta- 6. & 7. ctæ: quia conceptum in se calorem fovet, vim etiam habeat ea, quibus immiscetur, augendi. Doctrina igitur Evangelii similis est fermento, quod mulier miscuit in farinæ satis tribus. Mulieri potius id tribuitur quam viro, quia pinsere muliebre magis quam virile opus est. Satum mensuræ genus est juxta morem Provinciæ Palæstinæ, unum & dimidium modium capiens. Sata tria hic S. Hier. hic exprimuntur, quod tantum unica vice pinsi mos esset. Quamquam & mysticos sensus in satis tribus Patres invenerint atque exposuerint. E quibus illum S. Hieronymus Genes. 18. 6. non plane probat, qui ad fidem unius in tribus personis Dei commendandam refertur. Quamvis enim pius sit sensus: *Numquam tamen parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Parabolæ igitur sensus est; Sicut modicum fermentum ingenti farinæ massæ admixtum, suo sapore pervadit universam, vique sua auget, attollit, sapidam efficit: ita doctrina Evangelii, quamvis modica & humilis videatur, in paucorum primum animis abscondita, universum orbem pervadet, afficiet, immutabit.

17. *Hæc omnia locutus est Jesus in Parabolis ad turbas, & sine Parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in Parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione Mundi.* Sine Parabolis non loquebatur turbis Christus S. Jo. Chrys. h. 48. in Ev. S. Matt. Dominus in ista Concione, quamvis alias sine Parabolis

multa

multa turbis locutus fuerit. Vel, sine Parabolis non locutus dicitur „ Non quia nihil proprie locutus est, sed „ quia nullum fere sermonem explicavit, ubi non aliquid „ per Parabolam significavit, quamvis in eo aliqua & „ proprie dixerit: ita ut sæpe inveniatur totus sermo „ ejus Parabolis explicatus, totus autem proprie dictus „ nullus inveniatur. Explicatos autem semones dico, „ quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui quousque „ terminet quicquid ad ipsam rem pertinet, & transeat ad „ aliud. „ Ideo autem Christus in sermonibus ad turbas Parabolas frequenter adhibebat, quia ad spiritualia Mysteria capienda non erant idonei vel digni: & tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento Parabolarum, doctrinam spiritualium audire, quam ea omnino privari. Harum tamen Parabolarum apertam & nudam veritatem Dominus Discipulis exponebat, per quos explicaretur aliis qui digni & idonei essent, secundum illud Apostoli 2. ad Timotheum 2. *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Confer cum S. Marci cap. 4. 33. 34. *Et talibus multis Parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: sine Parabola autem non loquebatur eis. Seorsum autem Discipulis suis disserebat omnia*: Præterea, frequentibus Parabolis usus est, *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem*: *Aperiam in Parabolis os meum*, &c. Hoc testimonium ex Psalmo 77. sumptum est, qui *Asaph* Prophetæ titulo inscribitur, & in quo describitur egressus Israelis ex Ægypto, & omnia signa narrantur, quæ in Exodi continentur Historia. Quæ quidem omnia parabolice scripta sentienda sunt, nec manifestam tantum sonare litteram, sed abscondita Sacramenta; fuisseque figuras & typos rerum ad Christum ejusque Ecclesiam pertinentium, ut Apostolus confirmat his verbis: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.*

S. Th. 3. part. Qu. 42. A. 3.

S. Hier. in c. 13. S. Matth.

1. *Cor.* 10. 11.

Eructabo abscondita a constitutione Mundi: Effabor, oratione large erumpente, proferam Mysteria ab initio, ab ipsa creatione Mundi abscondita, sed ab æterno in Dei consilio prædefinita. Christi porro Mysteria, Evangelii doctrinam, Deique circa illam dispensationem, Mysterii absconditi nomine in Evangelicis & Apostolicis Litteris significari solemne est. Rom. 16. 26. „ Ei autem, qui „ potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & „ prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem „ Mysterii temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis „ Gentibus cogniti. *Coloss.* 1. 26. Adimpleo ea quæ desunt „ passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod „ est Ecclesia, cujus factus sum ego Minister secundum „ dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei: Mysterium quod absconditum fuit a „ sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est „ sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias „ gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, „ in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus. *Denique* 1. „ *Cor.* 2. 7. Loquimur Dei sapientiam in Mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam „ nostram, quam nemo principium hujus sæculi cognovit. “

18. *Tunc dimissis turbis, venit in domum, & accesserunt ad eum Discipulis ejus, dicentes: Edissere nobis Parabolam Zizaniarum agri.* Dimittit turbas Jesus, & in domum seu hospitium suum revertitur, ut accedant ad eum Discipuli, & secreto interrogent, quæ populus nec audire merebatur, nec poterat. Edissere, declara, explica nobis, precamur, quam proposuisti de Zizania agri Parabolam. „ Qui respondens ait illis: Qui seminat bo„ num semen, est Filius hominis: Ager autem est Mun„ dus. Bonum vero semen, hi sunt filii Regni. Zizania „ autem, filii sunt nequam. Inimicus autem qui semi„ navit ea, est diabolus: Messis vero, consummatio sæ„ culi: Messores autem, Angeli sunt. „ Boni seminis sator, Christus est. Filius hominis, inquit, Ego ipse, Deus, & homo. *Ager Mundus* est, sive Mundi similitudo, ne putetis in sola Judæa, ut hactenus, verbi cœlestis semen spargendum, non apud Gentes toto orbe diffusas, *Bonum semen*, sive qui bono semine consiti; & ex bono semine nati, sunt *filii Regni*, justi, ad Regnum cælorum prædestinati, cives & domestici Regni, id est, Ecclesiæ secundum felicem illum statum, in quo *non habet maculam neque rugam*, & de præsentis temporis Ecclesia, non numero tantum sunt, sed merito. Zizania autem figura sunt improborum Christianorum, filiorum diaboli, cujus malitiam imitantur, quia vel doctrinæ perversitate, vel pravitate vitæ, se & alios perdunt. *Inimicus*, qui zizania seminavit, diabolus est, qui homines tentationibus suis & malis artibus depravat. *Messis* consummatio sæculi, sive judicii universalis tempus. Messores, Angeli, quorum ministerio Deus ad supremi judicii terribilem apparatum utetur. *Sicut ergo colliguntur Zizania, & igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Sicut zizania colliguntur, & separantur a tritico, ita fiet in fine Mundi. *Mittet* Filius hominis, Deus & homo, *Angelos suos*; quos condidit, qui ejus voluntati serviunt, ejus Mandata exsequuntur: mittet illos in Mundum Universum, *& colligent de Regno ejus*, de Ecclesia visibili, *omnia scandala*, omnes scandalorum auctores, qui doctrinæ pravitate, aut perversitate ac turpitudine vitæ aliis cadendi & peccandi occasionem præbuerint: *& eos qui faciunt iniquitatem*: id est, quocumque vitiorum genere corruptos, & in peccatis perseverantes. Scandalorum nomine, hæreses, & hæreticos hic intelligi oportere, colligo ex collatione sententiæ Christi, dicentis, *Necesse est ut veniant scandala*, cum sententia Apostoli scribentis, *Nam oportet & hæreses esse*. Idque confirmat Origenes: *Scandali nomen*, iniquit, *frequens est in istis scriptis, quod usurpare solemus de iis, qui simpliciores & falli faciles a sana doctrina avertunt*. Hoc igitur, & omnes operarios iniquitatis, ut alibi vocat Christus, Angeli Ministri ejus ex toto orbe collectos, mittent in caminum ignis, in fornacem cujus ignis numquam extinguetur, qua concluси supplicium evadere non possunt; in gehennam ignis, in ignem æternum. *Ibi erit fletus & stridor dentium:* tristitia & rabies extrema ob supplicum intolerabile. Confer cum Isaiæ 65. 14. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini; Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

Matth. 18. 7. 1. Cor. 11. 19. Origen. lib. 5. contra Celsum.

19. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*: incomparabilis justorum gloria solis claritate significatur, quæ tamen pro meritorum disparitate inæqualis erit. Unde scribit Apostolus: *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, sic erit Resurrectio mortuorum.* Gloria æterna fruentur in Regno Dei, a quo sunt adoptati in filios, & ad immarcesibilem æternæ gloriæ coronam atque hæreditatem vocati. *Qui habet aures audiendi, audiat.* His verbis significat Christus, quæ dixit, auditorum maxime interesse.

1. *Cor.* 15 19.

20. *Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Summum & incomparabile Doctrinæ Evangelicæ pretium hac Parabola significatur. Doctrina & gratia Evangeli similis est thesauro abscondito, quem si quis invenerit, tacet, ac occultatum relinquit, ne illius obtinendi elabatur opportunitas. Gaudio igitur incredibili ob inventum affectus, statim facultates omnes suas vendit, ac in emptionem agri confert, in quo delitescit ille thesaurus, ut illius dominium, firmamque & perpetuam possessionem obtineat. Hebræo jure thesauri proprietas agri dominum secuta videtur. Non significat Parabola emendam Evangelii doctrinam ac gratiam, sed maximi æstimandam, & omnium rerum temporalium subeundam jacturam, ut illam obtineamus, secundum illud Apostoli: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Philipp. 3. 7. & 8.

21. *Iterum simile est Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Eodem collineat Parabola ista, ac superior. Idem accidit in doctrina Evangelica, cœlestique sapientia & gratia Dei quærenda, ac si quis mercator lucri avidissimus, gemmas quærens, maximi pretii margaritam sive unionem venalem invenerit: & statim facultates omnes vendere non dubitaverit, ut illam compararet. Sic rerum carissimarum jactura comparanda vel servanda est doctrina Evangelii, gratiaque cœlestis. *Omnis ex vobis* (inquit alibi Christus) *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.*

Lucæ 14. 33.

22. *Iterum simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Prædicatio Evangelica, ipsaque militans Ecclesia, similis est sagenæ, a Piscatoribus missæ in mare; quod retis genus, quicquid obvium est, secum trahit, ideoque a Latinis everticulum vocatur. Cum autem omni genere piscium impleta fuerit sagena, hanc e mari subducunt piscatores, factoque piscium delectu, bonos mittunt in vasa; malos autem, inutiles, quisquilias piscium abjiciunt. Sic Evangelica prædicatio omne genus hominum congregat in Ecclesiam, quæ bonos & malos complectitur. Delectus autem tempore, *In consummatione sæculi*, in die supremi judicii, *Angeli* a me Judice missi *exibunt*, *& separabunt malos*, morti secundæ destinatos, *de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ad tempus usque judicii generalis, mali cum bonis hypocritæ cum sinceris Christianæ pietatis professoribus permixti sunt: sed cum Evangelica prædicatio completa fuerit, cum gentium plenitudo introierit in sagenam. Angeli bonos in vasis, id est, in æternis tabernaculis collocabunt:

Tertull. Apologet. c. 41.

malos abjicient in æterna tormenta. Ante id tempus separatio omnimoda malorum a bonis non fiet. „ Qui se„ mel æternum judicium destinavit post sæculi finem, „ non præcipitat discretionem, quæ est conditio judicii, „ antæ sæculi finem. Æqualis est interim super omne „ hominum genus, & indulgens, & increpans, communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda „ suis, ut pari consortio omnes & lenitatem ejus & se„ veritatem experiremur. Quia hæc ita didicimus apud „ ipsum, diligimus lenitatem, metuimus severitatem. „ *Simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, &c. „ Impleto Jeremiæ Vaticinio, dicentis: *Ecce ego* Jeremiæ 16. „ *mittam ad vos piscatores multos*: postquam audierunt S. Hier. in „ Petrus & Andræas, & Jacobus & Joannes filii Zebedæi, c. 23. S. „ *Sequimini me, & faciam vos fieri piscatores homi*Matth. „ *num*: contexuerunt sibi ex veteri & novo Testamen„ to sagenam Evangelicorum dogmatum, & miserunt „ eam in mare hujus sæculi: quæ usque hodie in me„ diis fluctibus tenditur, capiens de salsis & amaris gur„ gitibus quicquid inciderit, id est, & bonos homines „ & malos, & optimos pisces & pessimos. Cum autem „ venerit consummatio & finis mundi, tunc sagena ex„ trahetur ad littus: tunc verum secernendorum piscium „ signum demonstrabitur, & quasi in quodam quietissimo „ portu, boni mittentur in vasa cœlestium mansionum; „ malos autem torrendos & exsiccandos gehennæ flam„ ma suscipiet.

23. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam.* Apostolos alloquitur Christus: quos vult non audire tantum sermones suos, ut populum; sed plane intelligere, ut Magistros orbis futuros. *Ideo*, inquit, *omnis Scriba doctus in Regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Quia Mysteriorum, quæ vobis exposui, intellectum assecuti estis, jam Doctorum munere vos defungi velim. Omnis porro Doctor Evangelicus, Mysteria Regni cœlorum docenda & prædicanda institutus, similis esse debet optimo patri-familias, qui de promptuario suo nova & vetera, omne ciborum genus convivis a se invitatis abunde profert, quibus & eorum necessitati & voluptati fiat satis. Non absimili modo cœlestis Regni Doctor, abunde omnibus, quæ scire oportet, instructus sit necesse est, & ex scientiæ thesauro, diuturna meditatione, contemplatione, exercitatione parato, proferat omne doctrinæ genus, Veteris Novique Testamenti locos, omniaque in promptu habeat, tradat, exponat, pro rei, loci, temporis opportunitate, ac pro ingenio & captu auditorum. Sic „ Instructi erant Apo„ stoli, Scribæ & Notarii Salvatoris, qui verba illius & S. Hier. „ præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus, re- in hunc lo„ gnorum cœlestium Sacramentis, & pollebant opibus cum. „ Patris-familias, ejicientes de thesauro doctrinarum „ suarum nova & vetera: ut quicquid in Evangelio præ„ dicabant, Legis & Prophetarum vocibus comproba„ rent. Unde & Sponsa dicit in Cantico Canticorum: „ Nova & vetera fratruelis meus servavit tibi." Cantic. 7.

24. *Et factum est, cum consummasset Jesus Parabolas istas, transiit inde.* Ex locis illis maritimis discessit *Et veniens in patriam suam*, Nazareth, ubi fuerat educatus; *docebat eos in Synagogis eorum ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?* Insani! Mirantur unde habeat sapientiam Sapientia, & virtutes Virtus, *Unde sapientia & virtutes?* Sapientia in his quæ loquebatur, virtutes in his quæ operabatur. Ideoque Apostolus: cum dixit *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*; virtutem ad signa retulit propter Judæos; sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est, Gentiles. *Nam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.*

25. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres Jacobus & Joseph, & Simon & Judas? Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* S. Joseph Christi patrem putatitium & nutritium fabrum fuisse, certum est. Ferrarium fuisse ait Evangelium Hebræum, idemque censet S. Hilarius cap. 14. in S. Mattheum & S. Petrus Chrysologus Sermone 48 Fabrum lignarium fuisse, communior opinio est, a S. Justino Martyre asserta in Dialogo cum Tryphone Judæo, & a S. Ambrosio lib. 3. in Lucam. Neque aliter veteres Christianos sen- Theodor. lib. se constat ex responso illius, qui contumeliose interroga- 3. Hist. Eccl. tus a Libanio Sophista quid faceret fabri filius, respon- c. 18. dit, Eum feretrum Juliano fabricare. Quin Christus ipse faber vocatur Marci 6. 3. *Nonne hic est faber Filius Mariæ? &c.* Unde ipsum Sancto Joseph adfuisse in fabrili opere, & aratra ac juga fecisse, Sanctus Justinus tradit: *Nonne mater ejus dicitur Maria?* Etiam in Christi matre offendebantur, quam aut nutricem fuisse aut alio manuum labore victum parantem, Celsus Christianis objicit. Tertullianus lib. *De spectaculis*, de Christo loquens *Hic est ille fabri aut quæstuariæ filius.*

*Et fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon & Ju*S. Hier. lib. *das*. Fratres vocant ex materno genere consobrinos Adversus non Josephi ex priore matrimonio filios, ut S. Epi- Helvidium. phanius, & alii quidam ex Græcis senserunt. Eadem certe quæ infra S. Matthæo, & similiter S. Marco dicitur *Maria mater Jacobi & Joseph*, S. Joanni dicitur *Maria soror Matris Domini*, quæ cum Domini matre & cum Magadalena Cruci Christi adstitit. Quod si ea est Mater Jacobi & Jose, erit sane & Simonis & Judę. Hic ergo est Jacobus, quem *Fratrem Domini*, id est, consobrinum loquendi genere etiam Græcis & Romanis noto, vocat non S. Paulus tantum, sed & Josephus in Antiquitatibus Judaicis. Quod autem S. Joan. in Evangelio narrat, ne Joan. 7. 5. ipsos quidem Jesu fratres in eum credidisse, de remotioribus consanguineis, non de consobrinis istis, certe non de omnibus intelligendum est. *Et sorore ejus, nonne omnes apud nos sunt?* Has sorores S. Epiph. & Theophylactus Mariam & Salomen vocant. Ut ut est, has sorores, id est, consobrinas, aut alioqui cognatione proximas, pauperculas fuisse, apparet. Nam id quoque Nazarenos offendebat. *Unde ego huic omnia ista?* cum domi non potuerit a suis ista discere, quorum nemo sit litteris supra plebem imbutus, nec præceptores habuerit. *Et scandalizabuntur in eo.* Ob generis ejus humilitatem, ob parentum conditionem obscuram offendebantur, cum de divina ejus scientia ac potentia magnifice sentire; eumque non modo admirari, sed revereri deberent.

26. *Jesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Adagium est inter Judæos celebre, cujus sensus est: Nusquam magis quam inter populares suos viros eximios contemni: tum quia familiaritas contemptum parit; tum quia homines plures facere solent peregrina & adventitia quam domestica: tum quia *propemodum naturale est cives civibus invidere.*

27. *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.* Propter pertinacem incredulitatem cum contemptu conjunctam, qua se miraculis indignos præstiterunt. Petentibus enim & credentibus dumtaxat non curiosis & plane incredulis miracula concedere, seu in eorum gratiam edere solebat Christus, ut fidem jam inchoatam in ipsis confirmaret. S. Marcus ait: *Et non po-* Marci 6 5. *terat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Non posse, in Scripturis dupliciter sumi solet, cum secundum propriam significationem non sumitur. Primo ut sit idem ac nolle: secundo, ut sit idem ac non convenire, dedecere. Utroque modo sumitur apud S. Marcum. Nolebat enim Christus miracula plurima facere apud suos Nazarenos; nec decebat ut priora sper- S. Gr. Na- nentibus plura ingereret. Ut fieri non posse dicatur, zianz Hom. quod revera non sit, Hebraismus est. Scripturæ sacræ fa- 24. de Filio. miliaris. Deuteron. 2. 17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, &c.* Id est, Non comedes in opidis tuis Genes. 18. 17. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Id est, Num celabo? Marci 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Id est, si credis. Joannis 5. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam*: Id est, Nihil a se ipso facit Filius, Lucæ 16. 2. *Jam non poteris villicare*: Id est, Non villicabis. Joan. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias*, &c. id est, Propterea non credebant, &c.

SENSUS MORALIS.

1. EXIENS *Jesus de domo, sedebat secus Mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet; & omnis turba stabat in littore.* Prædicator Evangelicus & Sacerdos animarum procurandæ saluti, Ecclesiæ utilitatibus consecratus, Dei per gratiam sua vocantis; Episcopi sui mittentis voci ac jussioni obsequi debet, domumque ac familiam relinquere, si alio vocetur ad sacrum Ministerium obeundum, exemplo Abrahami, qui Deo vocante, & dicente, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*, confestim obtemperavit: exemplo Sponsę, quæ Sponsi vocem obedienter audivit, dicentis; *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui*: exemplo Christi, qui exiens de domo, sedebat secus Mare, turbaque stantes in littore docebat. Congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, verbi divini audiendi desiderio ac studio, quod in plebe vehementius & ferventius est, quam in divitibus, nobilibus, doctisque viris. Christus in navi, turba circum in littore. Imaginem intueor Ecclesiæ, quæ *Grex* est *adunatus Pastori*. Plebs S. Cipria. in littore. Prælati, ac Prædicatores Evangelici in Mari, majoribus scilicet ac frequentioribus expositi periculis, quam auditores. Hinc S. August. „ Gaudium (inquit S. Aug. ser. „ meum tunc solidum est, quando audio non quando pre- 179. alias „ dico. Tunc enim securus delector. Voluptas illa non de Tempore „ habet inflationem. Non ibi formidatur præcipitium ela- 105. „ tionis, ubi est petra solidæ veritatis. Et ut sciatis ita „ esse, audite ubi dictum est: *Auditui meo dabis gaudium „ & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Ibi gau„ deo ubi audio. Ubi audimus, humiles sumus: ubi au„ tem prædicamus, etsi non elatione periclitamur, „ certe vel frænamur . . . Etsi non extollor, pericli„ tor ne extollar. *Et alibi*. Nos, quos in isto loco, de „ quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum digna-

tio-

„ tionem suam, non secundum meritum nostrum consti-
„ tuit, habemus duo quædam, unum quod Christiani su-
„ mus, alterum, quod præpositi sumus. Illud quod Chri-
„ stiani sumus, propter nos est: quod autem Prepositi sumus,
„ propter vos est, In eo quod Christiani sumus, attendi-
„ tur utilitas nostra: in eo quod Præpositi, nonnisi vestra.
S. Jo. Chrys. Hom. 46. in S. Matth. S. Hil. in c. 13. S. Matt. „ Sunt autem multi Christiani, & non Præpositi, qui
„ perveniunt ad Deum, faciliore fortasse itinere & tan-
„ to forte expeditius ambulantes, quanto minorem sar-
„ cinam portant. Nos autem excepto quod Christiani su-
„ mus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra,
„ sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo
„ de dispensatione nostra. Ad hoc istam difficultatem propo-
„ no, ut compatientes nobis, oretis pro nobis. "Id significa-
vit Christus, cum a navicula turbas in littore circumstantes
doceret: *Prope mare sedens, eos qui in terris erant piscabatur.*

2. *Et locutus est eis multa in parabolis.* Ideo sedet in navi, turbis foras stantibus:„ Et facti istius genere
„ significat eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam
„ divinis sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim
„ Ecclesiæ typum præfert, intra quam verbum Dei posi-
„ tum & prædicatum hi, qui extra sunt, & arenæ mo-
„ do steriles atque inutiles adjacent, intelligere non pos-
„ sunt." Locutus est etiam in parabolis, ut cœlestis do-
ctrinæ sublimitatem auditorium captui attemperaret. Ideo
Verbum Divinum caro factum, in nobis habitavit, &
incarnatione quasi lac factum est, ut a nobis caperetur.
S. Aug. ser. 117. alias 38. de Verbis Domini num. 18. „ Quomodo sit lac, quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensa? sed invalidus est infans ad come-
„ dendam escam, quæ in mensa est: quid facit mater?
„ Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit no-
„ bis quod capere possimus. Sic verbum caro factum est,
„ ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem era-
„ mus infantes." Ideo & in parabolis locutus est Chri-
stus; lac dedit parvulis, ut cibum sapientiæ majoribus daret.

3. *Exiit, qui seminat, seminare*, &c. Unde exiit, qui
S. Jo. Chrys. Hom. 46. in S. Matth. „ ubique præsens est, qui omnia replet? Aut qua ratio-
„ ne exiit? Certe non loco, sed habitudine, atque in-
„ carnationis dispensatione propinquior nobis factus.
„ Nam quia nos venire ad ipsum non poteramus, pecca-
„ torum maceria ingressum atque aditum prohibente,
„ ipse ad nos egreditur. Ad quid igitur exivit? An ut
„ terram vepribus plenam perderet, & ignavos agrico-
las puniret? Minime; verum ut optimo cultu ter-
„ ram arando fertilem faceret, religionis ac pietatis se-
„ minibus diligentius jactis. "Nam semen hic doctrinam
suam, arva vero & campos animos hominum, seminatorem
autem seipsum appellat. *Semen est verbum Dei.* Animus
S. Luca 8. 11. 1. Cor. 3. 9. noster ager Dei est. *Dei agricultura estis.* Dei est ani-
mos nostros gratiæ suæ ac verbi semine conspergere ac
fœcundare. Væ illis qui divino illi semini se subtrahunt
Verbi Dei auditionem vel lectionem negligentes. „ Quid
S. Cæsar. Arelatensis ser. 95. al. 26. inter Hom. 50. S. August. nunc 300. in Append. „ vobis olus esse videtur, verbum Dei, an Corpus Chri-
„ sti? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere de-
„ betis, quod non sit minus verbum Dei, quam Corpus
„ Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus,
„ quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex
„ ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta solli-
„ citudine observemus, ne Verbum Dei quod nobis ero-
„ gatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de cor-
„ de nostro depereat: Quia non minus reus erit qui ver-
„ bum Dei negligenter audierit: quam ille qui Corpus
„ Christi in terram cadere negligentia sua permiserit."

4. *Ec dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.* Non ait, semen secus viam se projecisse, sed cecidisse secus viam. Cor hominis verbum Dei contemnentis vel audire negligentis instar viæ publicæ est, omnibus late patens pravis cogitationibus & desideriis, irruentibus undequaque per sensus rerum terrenarum & sæcularium imaginibus, dæmonibus velut prædonibus expositum, vanitatis pulvere coopertum, luto voluptatum inquinatum, peccandi
Tertull. consuetudine induratum, nulla interioris hominis mortifi-
Diabolus divinæ imaginis prædo. catione velut aratro scissum ac præparatum, ideoque semen divini verbi non excipit. Secus viam cadit semen illud cœleste, cum ab illis auditur, qui per viam spatiosam ambulant, quæ ducit ad mortem, per viam iniquitatis & perditionis. Ideo volucres cœli veniunt, rapiunt, consumunt semen. *Venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus.* Dum enim verbum Dei audiunt, & non intelligunt, id est, animo velut terra bene culta non recondunt, venit diabolus, qui per cœli volucres apte significatur, tum propter locum in quo versatur, unde vocatur ab Apostolo *Princeps aeris hujus;* tum propter velocitatem, superbiam, & indefessam sedulitatem, qua divino semini insidiatur, ut fructum ejus im-
Tert. Apologet. c. 22. pediat. *Omnis spiritus ales. Hoc & Angeli, & demones. Igitur momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est, quid ubi geratur tam facile sciunt, quam enuntiant. Operatio eorum est hominis eversio. Multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles & incensibiles in effectu potius quam in actu suo appareant.* Diabolus (inquam) semen illud cœleste rapit. Qui Deum audire contemnit, vel negligit, tradi meretur spiritui erroris & seductionis. Hominum negligentia potestatem diabolo in ipsos facit.

Verbum itaque Dei, quod homines cum audiunt, contemnunt expendere ac meditari, diabolus etiam e memoria delet: Ita fit ut credant, aut certe secundum fidem suam non operentur. *Venerunt volucres cœli, & comederunt ea.* Diabolus semen verbi Dei rapit, sive per seipsum, sive per ministros suos, per membra sua, qui verbum diaboli spargunt, regulas & institutiones Evangelicis veritatibus oppositas, mundi corrupti errores, *doctrinas dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium,* 1. Tim. 4. 1. doctrinas *prurientes auribus*, cupiditati faventes, *doctrinas varias & peregrinas*, repugnantes *sanæ & quæ secundum pietatem est doctrinæ.* Declinate ab illis, Fratres mei: *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non* Rom. 16. *serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Aures cordis vestri diabolo & ministris ejus si aperiatis, divini verbi semen vobis eripient, efficientque, ne in vobis germinet. Cavete igitur. *Ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate quæ est in Christo.* 2. Cor. 11. 3.

5. *Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.* Cor lapideum durumque ad divina, verbi celestis fructificationi ineptum est. Illius prædicatione nonnumquam delectatur, illius veritatem in animum recipit, credit, in bona desideria in pios affectus interdum erumpit: Verum bona illa germina, quæ fructum polliceri videntur, contrariæ cupiditatis ardore, aut tribulationis vel persecutionis æstu brevi arescunt, quia *non habebant radicem.* Hujusmodi Ephes. 3. 17. verbi auditores non sunt *In charitate radicati & fundati.* Affectus illi pietatis, piaque desideria, in superficie cordis (ut ita loquar) concipiuntur, intima non penetrant, nec immutant; cor insta lapidis durum manet, ad tempus credit, & erga divina pie afficitur; quamdiu scilicet nihil tangitur eorum, quæ intimis & inveteratis affectibus diligit: sed orta tribulatione, sive interiori ex cupiditatum conflictu; sive exteriori ex hominum malitia, continuo, velut ad solis ardorem, tenerum & male radicatum germen arescit. *Non habet in se radicem, S. August. Enarrat. in Ps. 9. n. 15. sed est temporalis; facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur,* & a pietate ac justitia deficit: quia cupiditati & persecutioni *sola charitate resistitur.* Curate ne petrosa terra semen excipiat, *S. Greg. M. Hom. 15. in Evangelia.* & fructum boni operis sine perseverantiæ radicibus mittat. „ Multis enim libet quod audiunt, boni operis ini- *Num. 23.* „ tia proponunt; sed mox ut fatigari adversitatibus cœ-
„ perint, inchoata derelinquunt. Petrosa ergo terra hu-
„ morem non habuit: quia hoc quod germinaverat, ad
„ fructum perseverantiæ non perduxit. Multi namque
„ dum verbum contra avaritiam audiunt, eamdem avari-
„ tiam detestantur; rerum omnium contemptum laudant
„ sed mox ut viderit animus quod concupiscat, oblivi-
„ scitur quod laudabat. Multi cum verbum contra lu-
„ xuriam audiunt, pollutiones carnis non solum par-
„ petrare non appetunt, sed etiam perpetratas erube-
„ scunt: sed mox ut carnis species eorum oculis appa-
„ ret, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea
„ nihil sit contra eadem desideria deliberatum: & dam-
„ nanda agit, quæ quicquid egisse se meminit, jam &
„ ipsa damnavit. Sæpe etiam contra culpas compungimur
„ & tamen post fletum ad easdem culpas redimus. Sic Ba-
„ laam Israelitici populi tabernacula contemplatus flevit,
„ eisque se similem fieri in morte depopposcit, dicens." Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia: *Sed mox ut hora compunctionis transiit, in avaritiæ nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera, in ejus populi mortem consilium dedit, cujus morti se fieri similem optavit: & oblitus est quod planxerat, cum extinguere noluit quod per avaritiam ardebat.*

6. *Alia autem ceciderunt in spinas, & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.* Multi verbum Dei studiose audiunt, animo recondunt, charitatis radice non sunt destituti, optime dispositi videntur, ut fructum afferant; bona desideria, sincerum conversionis propositum, ac vitæ secundum Dei legem instituendæ paruit, opera etiam Christianæ pietatis nonnulla proferunt: Verum qui dominatur in corde rerum temporalium amor, divitiarum, honorum, splendoris & incrementi familiæ, litium pro terrenis illis rebus susceptio, voluptatum cupiditas succrescentium instar spinarum, sementem verbi divini obruunt & suffocant. Totus enim affectus & conatus animæ in illa incumbit: atque ita extinguitur affectus & propositum vitæ melioris. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Non divitias sed *fallaciam divitiarum* suffocare sementem verbis dixit S. Evangelista, ostendens esse quidem divitias in rerum mediarum seu indifferentium numero, sed earum plerumque dulcedine homines inescari,

seduci, depravari. *Sollicitudo sæculi istius*, idem esse videtur ac *superbia vitæ*, (1. Joannis c. 1.) *Fallacia divitiarum*, idem quod *concupiscentia oculorum*. Ceterum cur tertiam causam, quæ pietatis studium pariter suffocare solet, voluptates scilicet corporis, quas S. Joannes vocat *concupiscentiam carnis*, S. Marcus *circa reliqua concupiscentiæ* S. Lucas *voluptates vitæ*, S. Matt. omiserit, causa hæc est, quod divitiis nominatis, eas satis existimaverit intelligi, quia divitiæ irritamenta sunt & instrumenta carnalium voluptatum. Recte spinis divitiæ comparantur. *Spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant*. Quas Dominus recte fallaces divitias appellat. *Fallacia divitiarum*. Fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu manere non possunt: Fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt: Fallaces sunt, quæ blanda spe pollicentur, quod præstare non possunt, veram scilicet quietem ac felicitatem: cum tamen gravissimæ curæ in earum acquisitione, conservatione, incremento; dolor de illarum amissione, & præsentis vitæ quietem ac tranquillitatem maxime turbent, & futuræ beatitudinem sæpius impediant. *Non enim sine dolore pereunt, quæ cum amore possessa sunt*. Lugebat S. Cyprianus quod patrimonii cæcus amor & dilectæ facultates plurimos a cura salutis suæ, & legis divinæ veneratione & observantia avocassent. Fallacia enim divitiarum verbi sementem & pietatis studium suffocat. „ Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & „ mens vincta, & anima præclusa; ut serpenti terram „ secundum Dei sententiam devoranti præda & cibus „ fierent, qui terrestribus cupitatibus inhærent. *Fallacia divitiarum*. Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Si ergo divites esse cupitis, „ veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste Regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Verba Domini quæ aure percipitis, mente retinet. Cibus enim mentis est sermo Dei. Et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando „ auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed „ quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ igitur mortis periculum formidate „ si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est alimenta justitiæ in memoria non tenetis. Ecce transit omne quod agitur, & ad extremum judicium sine ulla momenti interpositione quotidie volentes nolentesque properatis. Cur ergo amatur „ quod relinquitur? Cur illud negligitur quo pervenitur?

S. Greg. M. *S. Aug. lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, Quæst. 1.* *S. Cydr. Tract. de Lapsis.* *S. Greg. M. Hom. 15. in Evangel.*

7. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*. Terra bona, cor bonum & optimum, quod tale non fit nisi gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. Hanc terram quæ maledicta erat, spinis & tribulis horrida, Christus emit pretio magno, pretio sanguinis sui; terram quę benedictam & fertilem operibus bonis effecit. Hanc excoluit, irrigavit pluvia illa voluntaria quam segregat Deus hæreditati suæ. In ea quod seminatum est Dei verbum uberem in messem crescit. Fidelis scilicet ac pius animus *audit verbum, intelligit*, id est, ad illud attendit, illud retinet, atque meditatur, & *fructum affert*. Varius autem fructus est pro vario terræ ingenio, quo diversitate statuum Christianismi, pro varia donorum Christi mensura. Uberiorem enim Martyres, secundum illos Virgines, postremo denique conjugati congruentem statui suo sanctitatis & bonorum operum fructum ferunt, si vere Deo fideles sint, ejusque verbum non inaniter audiant. „ Aliud centesimum, „ aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Intelligit & „ *interpretatur Sanctus Augustinus* centesimum Martyrum propter satietatem vitæ, vel contemptum mortis: sexagesimum Virginum propter otium interius, „ quia non pugnant, contra consuetudinem carnis: „ solet enim otium concedi sexagenariis post militiam „ vel post actiones publicas: trigesimum conjugatarum, „ quia hæc est ætas præliantium: ipsi enim habent „ acriorem conflictum ne libidinibus superentur." Alii virginalem vitam in centeno fructu, in sexageno vidualem, in triceno conjugalem constituunt. Sed probabilius videtur, quoniam divinæ gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio majus ac melius: unde dicit Apostolus: *Æmulamini charismata meliora*: plura intelligenda esse, quam ut in tres differentias distribui possint: Primum ne continentiam vidualem aut in nullo fructu constituamus, aut ad conjugalis pudicitiæ meritum deponamus, aut virginali glorię coęquemus; aut coronam Martyrii vel in habitu animi, etiamsi desit tentationis examen vel in ipsa passionis experientia constitutam, cuilibet illarum trium castitati sine ullo incremento fertillitatis accedere existimemus. Deinde ubi ponimus quod multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me*; nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia communia? Nihilne putamus fructificationis accedere Virginibus Dei, cum hoc faciunt, aut sine ullo fructu esse Virgines Dei, etiamsi hoc faciunt? „ Multa ergo sunt dona, & aliis alia clariora ac superiora, singulis singula. Et aliquando alter fructuosus est „ donis paucioribus, sed potioribus; alter inferioribus, „ sed pluribus, & quemadmodum inter se vel coæquentur vel distinguantur, in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare? Dum tamen constet & multa esse ista diversa, & non ad præsens tempus, sed in æternum prodesse meliora. Sed Dominum „ tres arbitror voluisse fructificationis commemorare differentias, ceteras intelligentibus reliquisse. Nam & „ alius Evangelista solum commemoravit centuplum: „ Numquid ideo putandus est, alia duo vel ignorasse, „ vel improbasse, ac non potius intelligenda reliquisse?" Si tamen Hieronymus aliam sententiam elegit, quæ centesimum fructum Virginibus, sexagesimum viduis, & trigesimum castis conjugibus deputat. Quam interpretationem & Sanctus Athanasius olim amplexus erat. Ut ut est, nullus Christianæ professionis status sine bonorum operum fructu esse debet, quamvis sint varii sanctitatis, & pietatis Christianæ gradus. Esse in statu omnium perfectissimo, necesse non est ad salutem: sed fidelem esse Deo necesse est in eo ad quem vocati sumus, & omnia illius officia implere, Deique mandata, & justitiæ Christianæ partes accuratissime implere. Omnem divini seminis fructum Deo non reddere, justum est. Nemo non cavet ne terrena agrorum suorum semina pereant; pauci cavent ne spiritale ac cœleste semen in animam suam a Deo immissum perdatur & inutile fiat.

Luc. 8 *S. Hier. l. 1. contra Jovinianum & in c. 13. S. Matt. S. Athan. Ep. ad Ammonium Monachum.*

„ 8. Ista de seminibus parabola copiosissime omnibus pietatis doctrinam propositam esse ostendit. Nam quemadmodum agricola seminans non discernit campum, „ ut in altera parte semina in omnem agri partem ita „ Salvator noster non divitem aut pauperem, non ingeniosum aut rudem; aut fortem aut ignavum, aut diligentem, aut desidem discernit; sed omnibus, quamvis „ non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat. Sic certe licebit ei dicere, *Quid opportuit me facere & non feci?* Quando autem audis exiisse seminantem ut seminet, non idem iterari putes. Sæpius enim „ egreditur seminans ad aliam quoque rem, quam ad seminandum, puta ut novales scindat, ut pernicioſas herbas amputet, ut vepres evellat, aut tale quid aliud „ faciat: Ipse autem ad seminandum egressus est. Cur „ igitur major pars seminis amissa est? Non seminantis „ quippe, sed suscipientis culpa terræ hæc est, propter „ non attendentem aut repugnantem animam. Hac parabola Discipulos docuit & exercuit, ut quamvis plures eorum qui prædicationem Apostolicam susceperuri „ erant, perderentur, non caderent animis; cum id Domino ac Magister pariter contigisse recordarentur: „ Neque tamen ipse, quamvis ita futurum non ignoraret, semina spargere neglexit. Sed quomodo, inquies „ vir prudens inter vepres, inter saxa, & in via publica seminaverit? In agris certe & in seminibus quæ „ terræ traduntur, stulte factum videretur: in animis „ autem atque doctrina probe & laudabiliter. Non enim „ absque imprudentia agricola illud faceret, cum non sit „ possibile lapides, aut vepres, aut viam quæ publica „ manet in terram bonam mutari. In animis autem hominum non ita se res habet. Possibile enim est ut lapis in terram fertilem convertatur, & ut via non conculcetur, nec transeuntibus omnibus pateat, sed in feraces agros traducta, & aspinis purgata, semina foveat. „ Quod si hæc mutatio in omnibus facta non est, non „ seminantis culpa, sed audientium inobedientia id „ contingit. Nam ipse quidem diligenter eis semina „ tradidit, si vero illi corruperunt accepta, inculpabilis omnino est qui tanta benignitate æqualiter in „ omnes utitur."

S. Jo. Chrys. Hom. 46. in S. Matth.

9. Summa porro diligentia, magnitudine animi, attentione & labore opus est, ut animus noster velut ager a Deo benedictus uberes per ejus gratiam eique gratos fructus ferat. „ Sicut enim apud agricolas semina quędam „ semel in terram injiciuntur, sed magna opus habent „ cultura & diligentia, & nisi terra vomere proscissa illa „ contexerint, quæ injecta sunt, seminarunt avibus semina rapientibus. Ita nos quoque nisi continua recordatione protexerimus ea quæ in animos nostros immissa sunt divini verbi ac cœlestis doctrinæ semina, „ in aerem omnia projcimus, & inania atque infrugifera „ reddimus. Diabolus enim rapit, & nostra perdit negligentia, & sol exsiccat, & imber obruit, & spinæ suffocant. Quamobrem non sufficit semen injecisse, sed magna opus est assiduitate aves abigendæ, evellendæ spinæ, loca petrosa multa terra replenda sunt? omne quod damnum affert, arcendum & tollendum est. Sed in terra quidem universum est agricolæ. Illa enim jacet in anima, ad „ patiendum solum parata. In hac autem terra spi-

S. Jo. Chr. h. 1. in Ep. ad Thessalonicenses.

„ ri-

Ps. 65. *S. Aug. l. 1. Q. Ev. Q. 9.* *1. Cor. 12. 31.* *S. Aug. l. de sancta Virginitate c. 45. & 46.* *Matt. 19. 21.*

„ rutuali nequaquam : Non eſt univerſum Doctorum &
„ Magiſtrorum : ſed ſi non eſt pars maxima , dimidium
„ certe eſt diſcipulorum. Concionatorum quidem eſt ſe-
„ men injcere , auditorum autem eſt facere quæ di-
„ cuntur , bonorum operum fructus oſtendere , ſpinas
„ radicitus vellere . Spinæ enim ſunt revera divitiæ ,
„ nullum habentes fructum , viſu deformes , ad
„ uſum injucundæ , eos qui tangunt moleſtia afficientes ;
„ non ſolum infructuoſæ , ſed alia etiam germina impe-
„ dientes. Tales ſunt divitiæ : non ſolum ipſæ fructum
„ non ferunt in æternum , ſed etiam eos qui volunt poſ-
„ ſidere , impediunt , Camelorum cibus ſunt ſpinæ , i-
„ gnis pabulum , ad nihil utiles niſi ad ſuccedendum
„ fornacem. Tales ſunt divitiæ : alunt irrationales ani-
„ mi motus ; rationales pungunt & ſauciant . In locis
„ præruptis , petroſis , aridis , humore deſtitutis naſcitur
„ ſpina : ita cum aliquis eſt aſper , durus , immiſericors ,
„ in eo ſpinæ oriuntur , quæ cœleſtis verbi ſementem
„ præfocant. Agricola ſpinas non ferro exſcindit , ſed
„ igne conſumit radicitus , & quaſi virus ex terræ lum-
„ bis extrahit , ipſamque purgat : ſic omnem ad divitias
„ affectum , radicemque malorum omnium cupiditatem ,
„ ignis Spiritus Sancti conſumat , animam expurget , ter-
„ ramque cordis noſtri renovet neceſſe eſt : Alioqui Dei
„ verbum inutile redditur iis quibus prædicatur. In Tem-
„ plum , dum ſacra concio habetur , venit dives ſeu vir ,
„ ſeu mulier ; non curat quomodo audiat eloquia Dei , ſed
„ quomodo ſe oſtentet , quomodo cum faſtu ſedeat , quo-
„ modo alias ſuperet veſtium magnificentia , omniumque
„ in ſe convertat oculos & admirationem : ſimiliter vir
„ dives ingreditur multis ſervis ſtipatus , qui turbam ar-
„ ceant , amictu ſuperbo vélut inſultans pauperi . Dein-
„ de ſedentem ſtatim ſubeunt curæ domeſticæ trahentes
„ in omnem partem ; circumfluit faſtus qui obſidet ani-
„ mam : exiſtimat ſe gratificari & Sacerdotibus , & po-
„ pulo , & fortaſſis etiam Deo , quod intraverit domum
„ Dei . Qui autem tanto elatus tumore eſt , quomodo
„ curari umquam poterit ? Dic , quæſo , ſi quis acceſſerit
„ ad Medici domum , & a Medico gratiam curationis
„ non petat , ſed ei ſe gratificari exiſtimet , & cum me-
„ dicamentis & pharmacis opus habeat ad curandum vul-
„ nus , circa veſtes occupetur , aliquidne boni reporta-
„ bit ? Simile quid continget in divitibus & amatoribus
„ ſæculi , cum in Eccleſiam veniunt , ubi Sacrarum Scri-
„ pturarum lectio , ubi Dei verbum auditur. Hujus por-
„ ro mali cauſam aperiam. Exiſtimant ſe ad Sacerdotes
„ & Concionatores adire , cum in Tempum veniunt :
„ exiſtimant ſe ab illis audire quæ audiunt : non atten-
„ dunt , non cogitant quod ad Deum ingrediuntur , quod
„ ipſe cum eis loquitur. Quando enim Lector ſtans ait ,
„ *Hæc dicit Dominus* , &c. & ſtans Diaconus ſilentio in-
„ dicto omnibus os obſtruit , non Lectori honorem ha-
„ bens hoc facit , ſed Deo qui per illum cum omnibus
„ loquitur. Si ſcirent Deum per Prophetam hæc dicere ,
„ faſtum omnem abjicerent. Nam ſi loquentibus cum eis
„ Magiſtratibus , non alio diſtrahunt animum , multo ma-
„ gis Deo loquente. Nos Dei Miniſtri ſumus , o dilecti.
„ Non noſtra dicimus , ſed quæ ſunt Dei. E cœlo quo-
„ tidie venientes leguntur Epiſtolæ. Dic autem , quæſo ,
„ ſi quiſpiam , dum omnes hic adſumus , ingreſſus eſſet ,
„ zonam habens auream , erectaque cervice ac ſuperbe
„ incedens , diceret ſe miſſum eſſe a Rege terreno , &
„ ad totam civitatem afferre epiſtolam de rebus neceſ-
„ ſariis , nonne ad eum omnes converteremini ? Nonne
„ etiam non jubente Diacono magnum adhiberetis ſilen-
„ tium ? Si quiſpiam veniat a Rege , omnes acceditis :
„ a Deo autem venit ; & e cœlis loquitur Propheta :
„ loquitur Evangeliſta , loquitur Apoſtolus , Chriſtus ipſe
„ æterni Patris Filius loquitur , & nemo eſt qui at-
„ tendat. "

10. *Et accedentes ad eum Diſcipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis ? Qui reſpondens ait illis : Quia vobis datum eſt noſſe Myſteria Regni cœlorum , illis autem non eſt datum.* Fides & cognitio myſteriorum , gratuitum Dei donum eſt , non omnibus datum . Quantas igitur gratias Deo agere debent , qui illo miſerante hanc acceperunt , cum nulla merita haberent , ſed tanto beneficio æque eſſent indigni , ac illi qui non acceperunt , ſed in tenebris ignorantiæ & infidelitatis ſuæ juſto Dei judicio ſunt relicti. *Audiunt hæc & faciunt , quibus datum eſt. Non autem faciunt , ſive audiant , ſive non audiant , quibus datum non eſt.* Quia vobis , *inquit* , datum eſt noſſe myſterium Regni cœlorum , illis autem non eſt datum . *Quorum alterum ad miſericordiam , alterum ad judicium pertinet illius , cui dicit anima noſtra : Miſericordiam & judicium cantabo tibi , Domine* , Lugendum quod ſcientiam myſteriorum Regni cœleſtis ita negligunt Chriſtiani , ac ſi nullatenus ipſorum intereſſet ; ipſamque humili fide & oratione impetrare a Patre luminum , qui revelat myſteria , non ſatagant.

S. Aug. l. de Bono Perſeverantiæ c. 14.

Pſal. 100. 1

11. *Qui enim habet , dabitur ei , & abundabit : qui autem non habet , & quod habet auferetur abeo.* Fides , intelligentia myſteriorum , obedientia , gratiæ omnes ac dona Dei creſcunt & augentur in eis qui recte utuntur ; Qui tamen rectus uſus donorum Dei , munus eſt Dei & gratiæ ejus cooperantis nobiſcum , *Non enim ego , ſed gratia Dei mecum.* Ille in nobis operatur ut incipiens , qui volentibus cooperatur ut perficiens . Donorum ſuorum fructum cum uſura Deus exigit : Eorum privatione puniuntur , qui ad ejus gloriam illa impendere negligunt. „ Qui non habet charitatem , etſi ad tempus ha-
„ bet hæc dona , auferentur ei . Auferetur ei quod ha-
„ bet , quia quiddam non habet. Et ipſum quiddam hoc
„ non habet , unde cetera teneantur , & ipſe non pere-
„ at . . . Habet gratiam poſſidendi , ſed non habet cha-
„ ritatem utendi : Quia ergo illud non habet „ & quod
„ habet , auferetur ab eo. "

S. Aug. En. in Pſ. 146 n. 10.

12. *Ideo in parabolis loquor eis ; quia videntes non vident , & audientes non intelligunt. Et adimpletur in eis Prophetia Iſaiæ dicentis : Auditu audietis , & non intelligetis ; & videntes videbitis , & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus , & auribus graviter audierunt , & oculos ſuos clauſerunt ; Nequando videant oculis , & auribus audiant , & corde intelligant , & convertantur . & ſanem eos.* Sæculi cupiditates , rerum divinarum oblivio , divini verbi faſtidium , gradus ſunt quibus ad cæcitatem & indurationem cordis pervenitur . Cæcitas & obduratio præcedentium peccatorum pœnæ ſunt , ſubſequentium cauſæ. Juſtum Dei judicium timeamus ; demus operam , ne in nobis etiam terribile iſtud Iſaiæ vaticinium impleatur. *Cæcitas cordis , quam ſolus removet illuminator Deus , & peccatum eſt quo in Deum non creditur ; & pœna peccati , qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur ; & cauſa peccati , cum mali aliquid cæci cordis errore committitur* . Firmitas affectuum in malo , ſeu in rerum temporalium amore , ſpiritualis cæcitatis cauſa eſt. *Incraſſatum eſt cor populi hujus , & auribus graviter audierunt , & oculos ſuos clauſerunt .* Affectant carnales homines ne videant , ne audiant , ne intelligant res divinas , & quæ ad ſalutem pertinent ſuam , ne intelligant fœditatem & gravitatem peccati , pœnarum æternitatem , juſtitiæ pulchritudinem , Dei bonitatem ac magnificentiam , beatitudinem ſempiternam , & magnitudinem bonorum quæ promiſit Deus diligentibus ſe ; Chriſti myſteria , paſſionem ac mortem pro peccatis hominum toleratam , & cetera , quorum conſideratione abſtrahi poſſunt a terrenis rebus quibus ſunt immerſi ; a voluptatibus , quarum velut pinguedine ſunt hebetati. Quam infelix ille , quam lugendus , qui miſeriam ſuam non videt , non agnoſcit ! *Noluit intelligere , ut bene ageret.* Oculos ſuos claudit , ne videat lucem juſtitiæ. *Quomodo homo poſitus in ſole cæcus , præſens eſt illi ſol , ſed ipſe ſoli abſens eſt : ſic omnis ſtultus , omnis iniquus , omnis impius cæcus eſt corde . Præſens eſt ſapientia , ſed cum cæco præſens eſt , oculis ejus abſens eſt : non quia ipſa illis abſens eſt , ſed quia ipſe ab illa abſens eſt.* Illuminari nolunt , nec ſanari a morbo deſideriorum noxiorum , quibus cor ſenſim excæcatur & obduratur , ne quæ agenda ſunt videant , & ad implenda quæ viderint convaleſcant. Talis erat Auguſtini ad Deum nondum converſi ſtatus , quem ipſe in Confeſſionibus ſuis deſcribit : *Ego* , inquit , *adoleſcens miſer , valde miſer , in exordio ipſius adoleſcentiæ etiam petieram a te caſtitatem , & dixeram ; Da mihi caſtitatem & continentiam , ſed noli modo. Timebam enim , ne me cito exaudires , & cito ſanares a morbo concupiſcentiæ , quam malebam expleri , quam extingui.*

Pſalm. 35. 4. S. Aug. Tract. 1. S. Joan.

S. Aug. l. 8. Confeſſ. c. 7.

13. *Veſtri autem beati oculi quia vident , & aures veſtræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis , Quia multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis , & non viderunt , & audire quæ auditis , & non audierunt.* Longe feliciores , qui cum oculis corporis Chriſtum non conſpexerint , vident Religionem confirmatam ejus reſurrectione , omnium gentium fide , omnium ſæculorum traditione , Martyrum omnium ſanguine , omni miraculorum genere. Quamquam & nos , qui ejuſdem corporis membra ſumus , cujus præcipua membra fuerunt Apoſtoli , per ipſos vidiſſe & audiſſe cenſeamur , quæ viderunt ipſi & audiverunt . *Quod fuit ab initio , quod audivimus , quod vidimus oculis noſtris , quod perſpeximus , & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ* , &c. Eſt tamen adhuc quod videre deſideremus , ut beati ſint oculi noſtri. Veteres jaſti ferventiſſimis deſideriis optaverunt videre Dei Filium in hominis forma ; deſideremus ipſum intueri in gloria ; concupiverunt primum ejus adventum , deſideremus ſecundum , ſi corde ſincero precamur : *Adveniat Regnum tuum.* Deſideranda eſt æterna Dei viſio ac fruitio , ſempiterna cum Chriſto Jeſu capite noſtro in Regno ejus conjunctio. In ipſum deſiderant Angeli proſpicere : idem & nos deſideremus , Angelorum candidati. „
„ Tota vita Chriſtiani boni , ſanctum deſiderium eſt .
„ Quod autem deſideras , nondum vides : ſed deſiderando
„ capax efficeris , ut cum venerit quod videas , implea-
„ ris . Sicut enim ſi velis implere aliquem ſinum , & no-
„ ſti quam magnum eſt quod dabitur , extendis ſinum
„ vel ſacci , vel utris , vel alicujus rei : noſti quantum
„ miſſurus es , & vides quia auguſtus eſt ſinus ; exten-
„ dendo facis capaciorem : ſic Deus differendo extendit
„ deſi-

1. Joan. 27.

S. Aug. Tract. 4. in Ep. 1. S. Jo. n. 9.

„ desiderium, desiderando extendit animum, extendendo „ facit capacem. Desideremus ergo, Fratres, quia im- „ plendi sumus. Videte Paulum extendentem sinum, ut „ posset capere quod venturum est. Ait enim: *Non quod* *Phil. 3. 12.* „ *jam acceperim, aut jam perfectus sim: Fratres, ego* „ *me non arbitror comprehendisse.* Quid ergo agis in hac „ vita, si nondum apprehendisti? *Unum autem, quæ qui-* „ *dem retro sunt, obliviscens; ad ea vero quæ sunt prio-* „ *ra extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad* „ *bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Ex- „ tentum se dixit, & secundum intentionem sequi se „ dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod ocu- „ lus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis „ ascendit. Hæc est vita nostra, ut desiderando exercea- „ mur. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, „ quantum desideria nostra amputavimus ab amore sæ- „ culi." Viri desideriorum simus, ut in nos veniat, & in nobis habitet *Desideratus cunctis gentibus*, ut ostendat nobis faciem suam, & salvi simus, atque in perpetuum exultemus in Deo Jesu nostro.

14. *Simile factum est Regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit*, &c. Seminis boni sator Christus est: Ipse gratia sua justos homines facit, & filios Regni. *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est Mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii Regni.* Nemo de suo habet nisi mendacium & peccatum. Si quid in se boni habet, a se ipso non habet, sed a Deo, summe bono, omnisque boni fonte. „ „ Omne datum optimum, & omne donum perfectum, *Consil. Arausic. 2.* „ desurſum est, descendens a Patre luminum. Voluntarie „ enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium ali- „ quod creaturæ ejus . . . Nemo potest venire ad me, *Jacobi 1. 17. 18.* „ *inquit Christus*, nisi Pater meus traxerit eum . . . . „ Gratia Dei sum id, quod sum (inquit *Apostolus*) *Et*, „ Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi „ ex nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est." Christus igitur omnis justitiæ & sanctitatis auctor, bo- *Joan. 6. 44.* num semen seminat in agro suo. Quamobrem nemo de *1. Cor. 16. &c.* bonis, quæ in se sunt, extollatur; nemo de bonis operi- bus, quæ facit, superbiat; nemo de justitia sua intume- scat; sed Dei dona agnoscat humili devotione, gratiasque illi referat, cujus munera sunt, si quæ sunt merita sua. *Quis enim te discernit? quid habes quod non acce-* *1. Cor. 4. 7.* *pisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acce-* *peris?* Si Deus nos desereret, sit gratiam tuam nobis subtraheret, hominibus nequissimis & sceleratissimis pejores essemus, non triticum sed zizania. *Nullum est peccatum* *S. Aug. ser. 99. alias 23. en Hom. 50.* *quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector a quo factus est homo.*

Sator zizaniorum diabolus est. *Inimicus homo hoc fecit*, zizania, sunt Hæretici & improbi, filii ac servi diaboli. *Zizania autem filii sunt nequam.* Zizania sunt, quicumque pravis exemplis, consiliis, persecutione bonum semen, Deique frumentum suffocant, impediuntque ne crescat in amore veritatis & justitiæ, & fructum ferat: Quicumque zizania seminat in medio tritici a Deo seminati, Dei inimicus est, cooperator diaboli. Sparsa sunt zizania, *cum dormirent homines*. Somnus hominum, incuria Pastorum, qui non vigilant quasi rationem pro animabus sibi commissis reddituri, qui sibi & gregi non attendunt quem acquisivit Christus sanguine suo. „ Ho- *S. Hier. in c. 13. S. Matt.* „ mines qui dormiunt, *inquit S. Hieronymus*, Magistros „ Ecclesiarum intellige. Servos Patris familias ne alios „ accipias quam Angelos, qui quotidie vident faciem „ Patris. Diabolus autem propterea inimicus homo ap- „ pellatur, quia Deus esse desivit. Et in nono Psalmo „ scriptum est de eo: *Exurge Domine, non confortetur* „ *homo*. Quamobrem non dormiat, qui Ecclesiæ Præpo- „ situs est: ne per illius negligentiam inimicus homo su- „ perseminet zizania, hoc est, hæreticorum dogmata:" Pravas contra Moralis Christianæ integritatem opiniones & peccata. Zizania enim sunt *omnia scandala*, seu scandalorum auctores, & *qui faciunt iniquitatem*.

Christus seminavit bonum semen in agro suo. In ipso rerum semine nescit malum conditio Creatoris. *Per ipsum omnia facta sunt; & quod factum est in ipso vita* *1. Joan. 1. S. Petr. Chrys. ser. 99.* *erat . . . . Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* „ Sed quem Deus faciens vocavit Mundum, „ inficiens inimicus reddit immundum, & hominem quem „ Deus in paradiso deliciarum collocavit ad vitam, ini- „ micus in hac laboris vita detraxit ad mortem: & af- „ fectum, quem carni Deus inseruit per naturam, ini- „ micus in parricidium per invidiam commutavit. Ab „ hoc impulsus Cain primus germano sanguine terram „ tinxit. Nonne ex uno homine Deus omnem replevit „ terram, & semine ex uno pius Sator totum genus „ hominum tantam multiplicavit ad messem? Sed inimi- „ cus mox homines in unum redegit omnes: & super- „ seminando mala, quod fuerat bene satum delevit di- „ luvio, non rigavit. Sic Legem divinis & veracibus „ satam præceptis, humanis & mendacibus fucavit in- „ ventis: ut de Sacerdote fieret persecutor, de Doctore „ depravator existeret, de defensore Legis redderetur ini- „ micus. Si creatura ad agnitionem condita Creatoris, „ ut nesciretur Deus, Deo esse mentita est. Hinc sapi- „ entes sæculi fecit stultos, speculatores mundi docuit „ nihil videre, professores scientiæ fecit scientiam non „ habere, inquisitores rerum omnium dimisit ignaros. „ Sic evangelicam segetem satam cœlesti semine hære- „ tica zizania superseminando confundit inimicus, ut „ manipulos fidei gehennæ fasciculos faceret, ne triti- „ cum fieret cœlestium horreorum. Et quid plura? Po- „ steaquam ipse est in dæmonem conversus ex angelo, „ ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, „ machinis fraude contendit. Superseminavit zizania, „ non seminavit. Præcedunt Creatoris bona, mala dia- „ boli post sequuntur; ut malum quod est ex diabolo sit „ accidens, non natura. *Superseminavit zizania in me-* „ *dio tritici*, Quia diabolus hæreses, inter fideles; in- „ ter sanctos, peccatum; inter pacificos, lites, inter „ simplices dolos; inter innocentes nequitiam gratis se- „ rere consuevit: non ut acquirat zizania, sed ut triti- „ cum perdat: nec ut reos capiat, sed ut adimat inno- „ centes. Hostis ples ducem, quam militem petit; nec „ obsidet mortuos, sed impugnat viventes: sic diabolus „ non peccatores quærit capere, quos possidet subjuga- „ tos, sed ut justos capiat, sic laborat. *Superseminavit* „ *zizania in medio tritici, & abiit*. Quia diabolus im- „ pellit quidem viribus ad ruinam, sed posteaquam pro- „ straverit, relinquit: non quærit hominem, sed homi- „ nis interitum quærit."

15. *Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania*. „ Insidiator nocte latitat, die „ vigilantes fugit, appetit dormientes, fortis conflictum „ petit, provocat palam spectantibus omnibus, & coram „ populis vult habere victoriam." Maximæ infirmitatis „ indicium est, dormientibus irruisse, *Superseminavit zi-* „ *zania*. Ut quid? Ut periret dominica messis, & hoc „ ad lucrum quid pertinebat inimici? Nisi quod invidiæ „ Spiritus hominum damnum suum computat lucrum?"

16. *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania*. „ Quod latet in herba, „ manifestatur in spica, & quod celatur in gramine, „ aperitur in fructu: sic quos credentes putamus pares, „ fide dispares inveniuntur: „ Sic judicii prodit messis, „ quod Ecclesiæ germen occultat. *A fructibus eorum* „ *cognoscetis eos*. Flores multi fructuum multitudinem „ pollicentur, sed examinati ventorum flabris, ad fru- „ ctum pauciſſimi perseverant: sic credentes in Christum „ multi Ecclesiæ videntur in pace: ubi autem persecutio- „ nis procella perflaverit, pauci martyrii reperiuntur in „ fructu."

17. *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* Seminasti, non seminavimus. Nos, quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus Auctori: & tu in iis quæ „ nobis facienda præcipis, ipse operator adsistis. Ergo si nos operis tui facis esse pro tua dignatione consortes, non nobis solis quod zizania nascuntur, adscribas, Domine: Aut tecum nos munit innocentia: aut nobiscum te reatus attingit. Nos nostro operi non potuimus invidere; magnis sudoribus offensam non potuimus parare. Tu quod vis, unde vis, quando vis, habes: Nos præter tuam gratiam nihil habemus, per quam stamus, vivimus, movemur, & sumus; & sine qua jacemus, deficimus, & perimus.

18. *Ait Dominus: Inimicus homo hoc fecit:* Sed tu, Domine, cum hæc videres, quare permisisti? Quare? Quia timere fraudes non potest, cui nihil potest perire: & quia majus est reparare perdita, quam illæsa servare: *S. Aug. Enchiridii c. 27.* Simul quia *oportet zizania esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*. Deus utique *Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere*.

19. *Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea?* Devoti servi indefessum promittunt laborem; nec patiuntur dominicæ messis videre vel temporaliter fœditatem: sed Dominus, quem tempora non fatigant, & quando vult, potest abolere suæ messis injuriam, respondet: *Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem*. Laudabilis zelus, & in Dei Ministris desiderandus, modo præceps non sit, sed scientia illuminatus, prudentia Christiana comitatus; qui Dei consilia sequatur, non præveniat; quem charitas moderetur, nulla cupiditas corrumpat, nulla iracundiæ labes, ultionis libido, nullus gloriæ sæcularis appetitus. Longe aliter judicat Deus de bonorum & malorum permixtione in Mundo, & in Ecclesia; aliter homo. Solus ipse novit quæ inde bona sit productura vel ad improborum conversionem, quos admirabili patientia ad pœnitentiam adducit, vel ad piorum probationem & sanctificationem. „ Boni „ enim, cum adhuc infirmi sunt, opus habent in qui- *S. Aug. Qu. 12. Matth.* „ busdam malorum commixtione, sive ut per eos exer- „ ceantur, sive ut eorum comparatione magna illis ex- „ hortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus sublatis „ altitudo charitatis quasi evulsa marcescat, quod est „ eradicari Nam sic ait Apostolus: *Ut in charitate ra-* *Ephes. 3. 17.*

„ *dicatis*

„ *dicati & fundati possitis comprehendere*. An forte ideo „ simul eradicatum triticum, cum auferuntur zizania, „ quia multi primo zizania sunt, & postea triticum fiunt? „ Qui nisi patienter, cum mali sunt, tolerentur, ad lau„ dabilem mutationem non perveniunt: Itaque si evulsi „ fuerint, simul eradicatur & triticum, quod futuri es„ sent, si eis parceretur. " Malos & fictos in Mundo, in Ecclesia, in omni societate pati oportet, quia & illos patitur Deus, usque ad judicium divinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus: ut qui se de malo commutaverit in bonum, Dominicum deputetur in triticum, cœlestibus horreis aggregandus: qui de fideli infidelis, de bono malus evaserit, atque in malo perseverauti Petr. Chrys. serm. 97. verit, gehennæ deputetur incendio, Quid plura? „ Si „ zizaniis Dei patientia non subveniret, nec Matthæum „ de Publicano Evangelistam, nec Paulum ex persecu„ tore Apostolum Ecclesia posset. Denique Ananias Act. 9. „ eradicare triticum tunc quærebat, quando ad Saulum „ missus, de Paulo talia querebatur: *Domine, quanta „ mala fecit sanctis tuis*? Hoc est, eradica zizania . . . „ Sed cum Ananias videret Saulum, Paulum Dominus „ tunc videbat: cum Ananias persecutorem diceret, tunc „ Dominus Prædicatorem sciebat, & cum ille eum zi„ zania judicaret inferni, Christus eum vas electionis, „ triticum in cœlesti horreo jam ponebat. VADE, *in„ quit*, quia vas electionis est mihi. "

Sinite utraque crescere ad messem. Duæ societates ab initio, duæ civitates mysticæ, Jerusalem & Babylonia: illa in Abal, ista in Cain incœpit. „ Omnes qui ter„ rena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo „ præferunt, omnes qui quæ sua sunt quærunt, non quæ „ Jesu-Christi, ad unam istam civitatem pertinent quæ „ dicitur Babylonia mystice, & habet Regem diabolum. S. Aug. Enar. in Ps. 61. n. 7. & 8. „ Omnes autem qui ea quæ sursum sunt sapiunt, qui „ cœlestia meditantur, qui ea solicitudine in sæculo vi„ vunt, ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos „ peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, „ justi, pii, boni, omnes ad unam civitatem pertinent, „ quæ Regem habet Christum. Illa enim in terra quasi „ major est tempore, non sublimitate, non honore. Ci„ vitas illa prior nata, Civitas ista posterior nata. Hæc „ duo corpora sub duobus Regibus agentia, ad singulas „ civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem „ sæculi, donec fiat ex commixtione separatio, & alii „ ponantur ad dexteram, alii ad sinistram . . . Mala „ ergo civitas ab initio usque ad finem currit, & bona „ civitas mutatione malorum conditur. Et sunt istæ duæ „ civitates permixtæ interim, in fine separandæ; adver„ sus se invicem confligentes; una pro iniquitate, alte„ ra pro justitia; una pro vanitate, altera pro veritate. „ Et aliquando ipsa commixtio temporalis facit, ut qui„ dam pertinentes ad Civitatem Babyloniam, administrent „ res pertinentes ad Jerusalem; & rursum quidam perti„ nentes ad Jerusalem administrent res pertinentes ad „ Babyloniam . . . . Fuerunt Reges magni in Jerusa„ lem . . . Omnes iniqui cives erant Babyloniæ, & ad„ ministrabant res Jerusalem . . . Tres illos Pueros vi„ ctus miraculo Nabuchodonosor Regni sui administrato„ res fecit, & administrabant res Babyloniæ cives Jeru„ salem. " Idem agitur in Ecclesia his temporibus. Omnes, de quibus dictum est, *Quæ dicunt facite, quæ autem facere nolite*, cives sunt Babyloniæ, administrantes rempublicam civitatis Jerusalem. Toleremus igitur malos, sive Præpositos, sive subditos, sive æquales; toleremus falsos fratres, toleremus eos charitate & patientia, quæ opus perfectum habet. Toleremus usque ad tempus messis: spiritu, non corpore ab eis separemur; spiri- S. Aug. ser. 88. al. ias 18. de Verbis Domini n. 21. tu (inquam) ne communicemus infrugiferis operibus eorum; non corpore, ut Ecclesiam propter eos deseramus. „ „ Non nos seducant, qui carnaliter intelligunt, & cor„ poralem separationem facientes, ab Ecclesiæ frumen„ tis toto orbe diffusis spiritali sacrilegio separantur. Per „ totum enim Mundum seminatum est bonum semen. Ini„ micus autem superseminavit zizania ... Numquid Africa est „ Mundus (*inquiebat S. August. contra Donatistas hæreticos „ & schismaticos agens*) Numquid messis hoc tempus? Num„ quid messor Donatus? Per totum orbem terrarum expectate „ messem; per totum orbem terrarum crescite in mes„ sem; per totum orbem terrarum zizania tolerate us„ que ad messem. Non vos seducant perversi, paleæ ni„ mis leves quæ evolant ante adventum ventilatoris ex „ area . . . Qui deseruerit unitatem, violat charitatem: „ & quisquis violat charitatem, quodlibet magnum ha- S. Hieron. in c. 13. S. Matt. „ beat, ipse nihil est. Universa inutiliter habet, qui il„ lud unum quo universis utatur non habet. " Sed nec in his quæ ambigua sunt cito judicium proferamus de personis; ne præcipiti judicio putemus aliquem ad zizania pertinere, qui manifeste malus non est; sed Deo judici terminum relervemns: *Ut cum dies judicii venerit ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu ejiciat*.

20. *Et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: Triticum autem congregate in horreum meum*. Demus operam, ne ipsi zizania simus, flore quidem tritico similia, non fructu; speciem pietatis habentes; veritatem autem ejus abnegantes, fructu charitatis vacui, scandalorum auctores, operarii iniquitatis. Quod si forte sumus, ne Dei patientia abutamur nos adhuc tolerantis, & sua benignitate nos ad pœnitentiam adducentis. Commutemur in triticum divinæ, quæ nobis offertur, gratiæ cooperati. Tempus messis & adventum Messorum præveniamus, qui zizania in fasciculos ad comburendum alligabunt. Talem unusquisque inveniet supremi judicii dies, qualem invenerit ultimus vitæ dies. Non erit amplius misericordiæ tempus, sed judicii. „ Sicut ergo colligun„ tur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consum„ matione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, „ & colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos qui „ faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. „ Ibi erit fletus & stridor dentium. " Hæc sors iniquorum & reproborum, qui creaturis spreto Creatore adhæserunt, qui vanis sæculi honoribus intumuerunt, qui congregandis per fas & nefas opibus studuerunt, qui terrenis voluptatibus, Mundique gaudiis sunt immersi. *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt*. Felices qui pœnitentiæ lacrymis fletum illum æternum reproborum ac stridorem dentium vitare nituntur! *Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*. Qualis immutatio! Hic latentes & contempti; ubi solis instar splendidi: hic oppressi & afflicti; illic in thronos gloriæ a Deo subvecti: hic pauperes; illic hæreditate cœlesti Patris sui, & Regno ejus divites, Dei æterna fruitione felices. *In præsenti sæculo fulget lux sanctorum coram hominibus: post consummationem autem Mundi, ipsi justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris sui*. Fulgebunt sine metu eclipsis, noctis, caliginis, tenebrarum Soli justitiæ inseparabiliter conjuncti, Deo similes effecti, quem videbunt sicuti est *Fulgebunt in perpetuas æternitates*.

Job. 21. 13. S. Hieron.

21. *Simile est Regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus*. Granum sinapis, Christiana Religio & Ecclesia in exordiis suis minima, sensim vero Christo incrementum dante ita dilatata & amplificata, ut toto orbe diffusa sit, & in ea sapientes ipsi ac Reges requiescant. Impletum est quod Christus Apostolis prænuntiavit, mox in cœlos ascensurus: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Totus orbis sensim immutatus est in melius, eversa idololatria; Mosaicæ Legis abrogatæ ceremoniæ; Judæis ac Gentibus in unius Fidei professionem congregatis, Ecclesia ex utrisque coaluit. Judæorum innumera multitudo Christum adoravit ut Deum, quem eorum contribules ut hominem sceleratum interfecerant. Gentiles inanium deorum cultu repudiato, delubris eversis, contritis simulacris, nomen Christo dederunt toto orbe terrarum: Sapientes sæculi, Philosophi, & Oratores Religionem amplexi sunt, quæ Mysteria credenda proponit rationi impervia; quam tamen in obsequium fidei captivam duxerunt: Religionem, quæ bellum sensibus, cupiditatibus, voluptatibus, sæculi moribus indicit; quæ professores suos opibus renuntiare, carnem domare, affligere, crucifigere, seipsos abnegare, crucem tollere, inimicos diligere jubet: quæ divites miseros, pauperes beatos prædicat; quæ persecutionem, calumniam, maledicta, mortem ipsam pro Christo, & pro justitia pati præcipit, summæque felicitatis loco id ducendum docet. Piscatores duodecim, homines rudes, imperiti, absque armis, absque eloquentia, absque ullo humano subsidio, Principibus, populis, sapientibus sæculi, Judæis, Gentibus in Christi nomen ac Religionem ejusque Discipulos ac professores conjuratis, persecutionesque gravissimas trium sæculorum spatio identidem in illos moventibus, & diris suppliciis, varioque mortis genere in illos sævientibus; Christianam nihilominus fidem in Judæa primum universa, toto deinde terrarum orbe prædicarunt ac felicissime propagarunt. Impletum est illud Davidis de Christo vaticinium Patris Æterni nomine: „ Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem „ tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Item illud*: Reminiscentur & convertentur ad Dominum uni„ versi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus uni„ versæ familiæ gentium; quoniam Domini est Regnum, „ & ipse dominabitur gentium . . . Et dominabitur a „ Mari usque ad Mare, & a flumine usque ad terminos „ orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & „ inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & Insulæ „ munera offerent, Reges Abrabum & Saba dona adduc„ cent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes „ Gentes servient ei, &c. *Item illud Isaiæ*: Erit in no„ vi. iis diebus præparatus Mons Domini in vertice „ montium, & exaltabitur super colles, & fluent ad „ eum omnes Gentes & ibunt populi multi, & dicent: „ Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad do„ mum

Act. 18.

Psal. 2. 8

Psal. 21. 28 & seq.

Psal. 71. 8. & seq.

Isaiæ 2. 2. & 3.

„ mum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambula-
„ bimus in ſemitis ejus : quia de Sion exibit Lex, &
„ verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit Gentes,
„ & arguet populos multos. " Quis orbem Chriſto,
Evangelio, Cruci ſubjecit? Non ſapientia, non poten-
tia, non opes, non vires, non nobilitas ſæcu-
li, ſed duodecim pauperes Piſcatores, prædicantes Chri-
ſtum crucifixum „ Judæis quidem ſcandalum, Gentibus
1.Cor.2.28. „ autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis atque Gre-
„ cis Chriſtum Dei virtutem & Dei Sapientiam : quia
„ quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus : &
„ quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte
„ enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſa-
„ pientes ſecundum carnem, non multi potentes, non
„ multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit De-
„ us, ut confundat ſapientes : & infirma Mundi elegit
„ Deus, ut confundat fortia : & ignobilia Mundi & con-
„ temptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea
„ quæ ſunt, deſtrueret. " Recenſeatur ſacra Actuum
Apoſtolorum Hiſtoria, & innoteſcet quam parva in exor-
dio ſuo fuerit ſementis Evangelii, quam fæliciter intra
breve temporis intervallum creverit & propagata longe
lateque fuerit & apud Judæos & apud Gentes. Legatur
Eccleſiaſtica primorum ſæculorum Hiſtoria, & innoteſcet
quomodo Chriſtiana Religio inter perſecutiones acerbiſ-
ſimas dilatata ſit, ac floruerit. Teſtis Tertullianus in
Tertull. Apologetico . . . „ Heſterni ſumus, *inquit*, & veſtra om-
Apolog. 37. „ nia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia,
„ conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Palatium,
„ Senatum, forum. Sola vobis relinquimus Templa. Cui
„ bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impa-
„ res copiis, qui tamen libenter trucidamur, ſi non apud
„ iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occide-
„ re? Potuimus & inermes nec rebelles, ſed tantummo-
„ do diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus vos di-
„ micaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis
„ remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet utique
„ dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio civi-
„ um, immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet. Procul
„ dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium
„ rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui orbis. Quæ-
„ ſiſſetis quibus imperaretis. Plures hoſtes quam cives
Idem c. 48. „ vobis remanſiſſent. Nunc enim pauciores hoſtes habe-
„ tis præ multitudine Chriſtianorum. *Et infra* : Exquiſi-
„ tior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſe-
„ ctæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen
„ eſt ſanguis Chriſtianorum. " Quis prohibitus eſt aut
Romulum, aut Herculem, aut alios tales homines Deos
dicere, & mori maluit, quam non dicere? Quis porro
numeret, quam multi quantalibet ſævitia crudelitatis oc-
S.Aug.l.21. de Civit. Dei c. 6. cidi, quam Chriſtum Deum negare maluerunt? *Ligaban-
tur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur.*

„ Si Plato viveret, & eum diſcipulus ejus aliquis in-
„ terrogaret: cum ſibi ab illo perſuaderetur, non cor-
„ poreis oculis, ſed pura mente veritatem videri ; cui
„ quæcumque anima inhæſiſſet, eam fieri beatam atque
„ perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedi-
„ re, quam vitam libidinibus deditam, & falſas imagi-
S.Aug.l. de Vera Relig. c. 5. „ nes rerum ſenſibilium, quæ nobis ab hoc ſenſibili Mun-
„ do per corpus impreſſæ, varias opiniones erroreſque
„ generarent: quamobrem ſanandum eſſe animum ad in-
„ tuendam incommutabilem rerum formam, & eodem
„ modo ſemper ſe habentem pulchritudinem, nec diſten-
„ tam locis, nec tempore variatam, quam non crede-
„ rent eſſe homines, cum ipſa vere ſummeque ſit : ce-
„ tera naſci, occidere, fluere, labi, & tamen in quan-
„ tum ſunt, ab illo uno æterno Deo per ejus veritatem
„ fabricata conſtare: in quibus animæ tantum rationali
„ & intellectuali datum eſt, ut ejus æternitatis contem-
„ platione perfruatur, æternamque vitam poſſit mereri:
„ ſed dum naſcentium atque tranſeuntium rerum amore
„ ac dolore cruciatur, & dedita conſuetudini hujus vitæ
„ atque ſenſibus corporis inanibus evaneſcit imaginibus,
„ irridet eos qui dicunt eſſe aliquid, quod nec iſtis vi-
„ deatur oculis, nec ullo phantaſmate cogitetur, ſed
„ mente ſola & intelligentia cerni queat. Cum hæc ergo
„ a Magiſtro ſibi perſuaderentur, ſi ex eo quæreret ille
„ diſcipulus, utrum ſi quiſquam exiſteret vir magnus at-
„ que divinus, qui talia populis perſuaderet credenda ſal-
„ tem, ſi percipere non valerent; aut ſi qui poſſent per-
„ cipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati,
„ vulgaribus obruerentur erroribus, eum divinis honori-
„ bus dignum judicaret: reſponderet credo ille, non poſ-
„ ſe hoc ab homine fieri, niſi quem forte ipſa Dei Vir-
„ tus atque Sapientia ab ipſa rerum natura exceptum,
„ nec hominum magiſterio, ſed intima illuminatione ab
„ incunabulis illuſtratum, tanta honeſtaret gratia, tanta
„ firmitate roboraret, tanta denique majeſtate ſubvehe-
„ ret, ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupi-
„ unt, & omnia perferendo quæ horreſcunt, & omnia
„ faciendo quæ mirantui, genus humanum ad tam ſalu
„ brem fidem ſummo amore atque auctorite converteret.
„ De honoribus vero ejus fruſtra ſe conſuli, cum facile
„ poſſit exiſtimari, quanti honores debeantur Sapientiæ
„ Dei, qua geſtante & gubernante ille pro vera ſalute
„ generis humani, magnum aliquid proprium, & quod
„ ſupra homines eſſet, mereretur. Quæ ſi facta ſunt, ſi
„ litteris monumentiſque celebrantur. " *Si ab una re-*
gione terrarum, in qua ſola unus colebatur Deus, & ubi 1.Jo. 1. 1.
talem naſci oportebat, per totum orbem terrarum miſſi
electi viri, virtutibus atque ſermonibus divini amoris in- Matt.6.19.
cendia concitarunt: ſi confirmata ſaluberrima diſciplina, Galat.6.8.
illuminatas terras poſteris reliquerunt: ſi hodie per gentes Lucæ 14.
populoſque prædicatur: „ In principio erat Verbum, & 11. Matt.
„ Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc 5.39.Matt.
„ erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta 5. 44.
„ ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. " *Si ad hoc per-*
cipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima ſanetur, & tantę luci hauriendæ mentis acies convaleſcat, dicitur avaris: „ Nolite vobis condere theſauros in terra, Lucæ 17.
„ &c. *Dicitur luxurioſis*: Qui ſeminat in carne, de car- 21. 2. Cor.
„ ne metet corruptionem. Qui ſeminat in ſpiritu, de 4. 18. 1.
„ ſpiritu metet vitam æternam. *Dicitur ſuperbis* : Qui Joan.2. 15
„ ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.
„ *Dicitur iracundis* : Accepiſti alapam, para alteram
„ maxillam. *Dicitur diſcordioſis* : Diligite inimicos ve-
„ ſtros. *Dicitur ſuperſtitioſis* : Regnum Dei intra vos eſt.
„ *Dicitur curioſis*: Nolite quærere quæ videntur, ſed quæ
„ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt :
„ quæ autem non videntur, æterna ſunt. *Poſtremo dici-*
„ *citur omnibus* : Nolite diligere Mundum, neque ea
„ quæ in Mundo ſunt : quoniam omne quod in Mundo
„ eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculo-
„ rum, & ambitio ſæculi: „ Si hæc per totum orbem
„ jam populis leguntur, & cum veneratione libentiſſime
„ audiuntur. Si poſt tantum ſanguinem, tantos ignes,
„ tot cruces Martyrum, tanto fertilius & uberius ul-
„ que ad barbaras nationes Eccleſiæ pullularunt. Si tot
„ juvenum & virginum millia contemnentium nuptias ca-
„ ſteque viventium jam nemo miratur. Si hæc ſic accí-
„ piuntur, ut quomodo antea talia diſputare, ſic nunc
„ contra diſputare monſtruoſum ſit. Si tali pollicitationi
„ atque ſponſioni per omnes terrarum partes quas homi-
„ nes incolunt, ſacra Chriſtiana traduntur. Si hæc quo-
„ tidie leguntur in Eccleſiis, & a Sacerdotibus expo-
„ nuntur. Si tundunt pectora qui hæc conantur imple-
„ re; Si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam,
„ ut deſertis divitiis & honoribus hujus Mundi ex omni
„ hominum genere uni Deo ſummo totam vitam dicare
„ volentium, deſertæ quondam inſulæ ac multarum ter-
„ rarum ſolitudo compleatur. Si denique per urbes at-
„ que oppida, caſtella, vicos & agros etiam, villaſque
„ privatas in tantum aperte perſuadetur & appetitur a
„ terrenis averſio, & in unum Deum verumque conver-
„ ſio, ut quotidie per univerſum orbem humanum ge-
„ nus una pene voce reſpondeat, SURSUM CORDA
„ SE HABERE AD DOMINUM; Quid adhuc oſcita-
„ mus? &c. Quid agnoſcere dubitamus Religionem Chri-
„ ſtianam, Evangelicam doctrinam, Eccleſiam, ſimilem
„ eſſe *grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in*
„ *agro ſuo? Quod minimum quidem eſt omnibus ſemini-*
„ *bus, cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus,*
„ *& fit arbor, ita ut volucres cœli veniant & habitent*
„ *in ramis ejus*. Aſſumamus & nos pennas columbæ,
„ ut volitantes ad altiora, poſſimus habitare in ramis
„ hujus arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum,
„ terrenaque fugientes ad cœleſtia feſtinare. "

Simile factum eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, quod S. Hier. in
accipiens homo ſeminavit in agro ſuo, &c. „ Granum c. 13. S.
„ ſinapis, hoc eſt, Regnum Dei accepit homo Chriſtus, Matt.
„ quod ſemper habuit Deus Chriſtus : miſit in hortum
„ ſuum, id eſt, in Eccleſiam ſuam, de qua dictum eſt,
„ *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*. Hortus eſt Evange-
„ lii vomere toto orbe cultus, clauſus ſtimulis diſcipli-
„ næ, ab omni peſſimo gramine Apoſtolorum labore pur-
„ gatus, fidelium plantariis, liliis Virginum, roſis Mar-
„ tyrum, Confeſſorum viriditate amœnus, fragrans flori- S. Petr.
„ bus ſempiternis. Hoc itaque granum ſinapis in hor- Chryſ. ſer.
„ tum ſuum miſit Chriſtus ; id eſt, promiſſione Regni 98.
„ ſui, quod radicatum eſt in Patriarchis, natum eſt in
„ Prophetis, crevit in Apoſtolis, in Eccleſia fecit ar-
„ borem magnam. Multiplices in donationibus ramos
„ expandit, quos enumerat Apoſtolus, dicens : *Alii da-*
„ *tur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii gratia ſanita-*
„ *tum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii di-*
„ *ſcretio ſpirituum, alii genera linguarum*. "

Granum ſinapis ſapore acerrimum eſt, fervidum, mi-
nimum, cujus virtus preſſuris accenditur, & tritum vim
ſuam exerit, minimum, ad pleroſque morbos curandos,
ſeu ad pellenda venena idoneum. Evangelii doctrina ad
vitia arguenda acris, ad animos Dei amore inflammandos fervida; minima, ſi cum doctrinis ſæcularibus comparetur, minima (inquam) ſecundum ſpeciem, & Profeſſores ſuos minimos faciens, id eſt, humiles : Humilitas enim proprias Chriſtianæ Religionis virtus eſt : ad S. Hilar. c. 13. in Ev. S. Matt.
curandos animi morbos, & pellenda peccatorum venena
vim

vim habet efficaciſſimam: perſecutionibus oppugnata vim ſuam maxime exerit. Nam & *Chriſtus*, quem grano ſinapis deſignatum S. Hilarius intrepretatur: „ Ubi a *S. Auguſt. Queſt. Ev. l. 1. Q. 11.* „ populo comprehenſus & traditus morti, tamquam in „ agro, ſatione quadam fuit corporis ſepultus, ultra „ menſuram omnium olerum excreſcit, & univerſam „ Prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice, „ tamquam ægroto, Iſraeli data eſt prædicatio Pro„ phetarum. Sed jam in ramis arboris ex ſolo in ſu„ blime prolatæ, cœli volucres inhabitant. Apoſtolos „ ſcilicet, & Chriſti virtute protenſos, & Mundum „ inumbrantes, in ramis intelligemus: in quos Gen„ tes in ſpem vitæ advolabunt, & aurarum turbine, „ id eſt, diaboli ſpiritu flatuque vexatæ, tamquam in „ ramis arboris acquieſcent.“

Simile eſt Regnum cælorum grano ſinapis, &c. „ A*S. Pet. Chr. ſer. 99.* „ dam primus homo, Mulier prima Eva, ab arbore „ ſcientiæ boni & mali ad Evangelicæ ſinapis arborem „ deducuntur, ut oculos, quos illecebroſa arbor aperien„ do clauſerat, ſinapis arbor grani ſui collyrio, & acri„ tudine ipſa dum claudit, aperiret, ut ora quæ vene„ noſæ arboris guſtus infecerat, ſalutaris arbor flammeo „ guſtus ſui ſapore ſanaret.“

Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, &c. Gratia in hominis animo abſcondita ſimilis eſt grano ſinapis, quod vi ſua ipſum replet, roborat, Deoque incrementum dante, per occultam virtutis novæ ac Spiritus Sancti ſubminiſtrationem, in eo fidem, ſpem, & charitatem auget inſtar arboris, volucres cœli ad quieſcendum ſub ramis ſuis invitantis. Creſcere ſemper in gratia debemus, cooperando Chriſto, qui in animis noſtris illam ſeminat. In via Dei non progredi, reverti eſt. *Semita juſtorum quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſ*Pr. 4. 18. *que ad perfectam diem.* Ad perfectionem vitæ Chriſtianæ eniti & tendere quiſque debet ſecundum ſtatum ſuum; creſcere in fide, in Charitate, in operibus bonis. Eph. 4. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Creſcimus autem humilitate: unde Filius Dei non habens quo creſceret, exinanivit ſemetipſum ut exaltaretur, & nomine quod eſt ſuper omne nomen, a Patre donaretur.

22. *Simile eſt Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.*“ Nam ſicut fermentum magnam *S. Jo. Chryſ. h. 47. in Matt.* „ farinæ copiam in vires ſuas convertit, quamvis mo„ dicum ſit, ſic vos univerſum terrarum orbem conver„ tetis. Non igitur opponatis. Et quid poterimus ad „ tantam duodecim homines multitudinem? Id enim ip„ ſum maxime virtutis veſtræ ſplendorem oſtendet, quod „ multitudini orbis immixti non confundemini. Nam & „ fermentum farinæ non ſolum appoſitum, ſed immix„ tum penitus totam maſſam fermentat: propterea non „ dicit, Appoſuit, ſed, *Abſcondit*. Sic igitur & vos „ cum uniti atque commixti fueritis iis qui vos oppu„ gnant, tunc ipſos ſuperabitis: & quemadmodum fer„ mentum in farina ſubmerſum non deperditur, ſed fari„ nam ſapore ſuo afficit & transmutat: pariter in præ„ dicatione Evangelii fiet. Nolite igitur timere, ſi ma„ gna pericula futura prædixi: Non enim extinguetur „ fulgor veſter, ſed omnia ſuperabit. Ubi nunc Genti„ lium alumni ſunt? Intelligant ſaltem nunc a rerum „ ipſarum eventu, quam ineffabilis ſit Chriſti virtus, & „ utraque ratione ipſum adorandum credant vel quia rem „ incredibilem futuram prædixit, vel quia quod prædixit, „ non aliter quam prædixerat, adimplevit. Ipſe nam„ que eſt qui tantam fermento vim indidit, & multitu„ dini hominum ita credentes immiſcuit, ut fideles fidei „ credentium adhærerent. Nemo ergo paucitatem ve„ ſtram deploret: magna eſt enim prædicationis virtus. „ Et quod ſemel fermentatum eſt, fermentum rurſus ad „ reliqua efficitur. Et quemadmodum favilla cum in ari„ da ligna inciderit, in flammam ipſa convertit, quæ „ vi ſua deinde vel viridia ligna facile incendit, eodem „ quoque modo prædicatio. Sed cur non dixit igni „ ſimilis, ſed fermento? Quoniam non ignis virtute „ totum fit, ſed lignorum quoque ariditate: fermen„ tum vero per ſe ipſum omnia conficit. Si autem duo„ decim homines totum pene orbem velut farinæ maſ„ ſam fermentarunt, diligenter animo verſa, quanta ſit „ noſtra malignitas atque ignavia, qui cum jam innu„ meri ſimus, has Gentium reliquias convertere non poſ„ ſumus. Sed Apoſtolos fuiſſe dices. Quid ad rem? non„ ne tecum ejuſdem naturæ fuerunt? Nonne cum homi„ nibus etiam ipſi converſabantnr, eaſdem artes profeſſi, „ eiſdem rebus nutriti? An forte credis illos angelos „ natura, aut de cælo lapſos fuiſſe? Non, inquies, ſed „ miraculis rutilabant. Verum non propter ſola mi„ racula claruerunt. Quid igitur illos præcipue ma„ gnos effecit? Certe verus ac non ſimulatus gloriæ „ atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſæ„ cularium harum rerum curam habebant. Nam ſi cu„ piditatibus ſerviſſent, ut nos ſervimus, etiamſi a mor„ te innumeros homines ſuſcitaſſent, non ſolum inuti„ les ad omnem profectum ſpiritualem fuiſſent, verum „ etiam ſeductorum nomen non effugiſſent. Vivendi ergo „ diſciplina eſt quæ ubique fulget, quæ Spiritus etiam „ gratiam attrahit... Si morum innocentia & ſanctita„ te vitæ *nova conſperſio* eſſemus, peccatores, quibu„ ſcum vivimus & inmixti ſumus, ad pœnitentiam & me„ liorem frugem, bonis exemplis noſtris quaſi fermenti „ virtute traduceremus: ſed contrarium plane contingit: „ pravis enim exemplis, *quaſi fermento malitiæ & ne„ quitiæ* alios corrumpimus, aut ab illis corrumpi nos „ patimur, quia *vetus fermentum* non expurgamus.“

Simile eſt Regnum cælorum fermento, quod acceptum S. *Hier. in* *mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermenta-* c. 13. S. *tum eſt totum.*„ Mulier iſta, quæ fermentum accepit, *Matt.* „ vel prædicatio videtur Apoſtolica, vel Eccleſia, quæ „ de diverſis gentibus congregata eſt. Hæc tollit fer„ mentum, notitiam ſcilicet & intelligentiam Scriptu„ rarum: & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus; ut „ ſpiritus, anima, & corpus in unum redacta, non di„ ſcrepent inter ſe; ſed cum duobus & tribus convene„ rint, impetrent a Patre quodcumque poſtulaverit.“ S. Auguſt. *mulierem, ſapientiam* interpretatur; *fermen-* *S. Aug. lib* *tum, dilectionem*, quod fervefaciat & excitet. *In farinæ* 1. *Quæſt.* autem ſatis tribus, vel tria illa in homine *Ex toto cor-* *Ev. Quæſt.* *de, & ex tota anima, & ex tota mente*: vel tria illa 12. fructifera, *centenum, ſexagenum, tricenum*; vel tria illa genera hominum, *Noe, Daniel & Job*.

„ MULIER accepit a Deo fermentum fidei, quæ ac„ ceperat a diabolo perfidiæ fermentum: abſcondit in men- *S. Petrus* „ ſuris tribus, hoc eſt, in tribus hominum temporibus *Chryſol.* „ quod eſt ab Adam uſque ad Noe, a Noe uſque ad Moy- *ſer. 99.* „ ſen, a Moyſe uſque ad Chriſtum: ut mulier quæ cor„ ruperat fermento mortis in Adam totam maſſam gene„ ris humani, fermento reſurrectionis totam carnis no„ ſtræ maſſam redintegraret in Chriſto: ut mulier quæ „ confecerat panem gemitus & ſudoris, panem vitæ co„ queret & ſalutis: & eſſet omnium viventium mater ve„ ra per Chriſtum, quæ erat in Adam mater omnium „ mortuorum. Ob hoc namque Chriſtus naſci voluit, ut „ ſicut per Evam venit ad omnes mors, ita per Mariam re„ diret omnibus vita. Quæ Maria hujus fermenti implet „ typum, dum carnem in alvo Virginis cæleſtem totam „ conſperſit in maſſam. *Secundum allegoriam*, Mulier quę „ fermentum accepit, Eccleſia eſt: fermentum quod acce„ pit, cæleſtis doctrinę eſt ſacramentum, menſuræ tres in „ quibus perhibetur aſcondiſſe fermentum, Lex, Prophe„ tæ, Evangelia, ubi divinus ſenſus myſtico abſconditur „ & celatur in verbo, ut fidelem non lateat, lateat infi„ delem. Quod autem dixit, *Donec fermentatum eſt totum*, „ illud eſt quod Apoſtolus dicit, *Ex parte ſcimus, & ex* „ *parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum eſt*, „ *evacuabitur quod ex parte eſt*: In conſperſionem ſcien„ tia nunc divina eſt, aſpergit ſenſus, levat corda, „ incrementat ingenia, & ad ſapientiæ cœleſtis di„ latat, ſuſcitat, diffundit augmentum.“

Corpus Chriſti in Sacra Euchariſtia nobis datum & noſtris corporibus immixtum, divinum fermentum eſt, quo in ipſum Chriſtum mutamur, ipſique concorporales efficimur, & ad cæleſtium æternorumque bonorum amorem evehimur. Hoc fermento conſperſi, Deique Spiritu 1. *Cor.* 10 in corda noſtra effuſo a terrenis rebus elati, *Surſum cor-* 17. *da habemus ad Dominum*: Hoc fermento fideles in corpus unum rediguntur, de quo Apoſtolus: *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. De hoc Innoc. I. Pontifex Maximus ad *Decentium* ſcribit:„ De fermento quod die Dominica per *Innocent. I.* „ Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, *Epiſt. 29.* „ cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint con„ ſtitutæ: Quarum Presbyteri, quia die ipſa propter ple„ bem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, „ idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos „ accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa „ die, non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri „ debere non puto, quia non longe portanda ſunt Sa„ cramenta: nec nos per Cœmeteria diverſa conſtitutis „ Presbyteris deſtinamus.“ Fermenti nomine donata eſt Euchariſtia quam ſummus Pontifex Dominicis diebus ad Titulares Urbis Eccleſias mittebat, quam Presbyteri Sacrum celebrantes, Hoſtiæ a ſe conſecratæ adjungebant, & particulam ex ipſa in Calicem immittebant: Quia ſicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, maſſam fermentat: ſic unicum illud divinumque Pontificis fermentum, per Titulos miſſum, veluti unam maſſam & corpus fideles unius urbis copulabat.

23. *Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas* &c. Diverſus eſt hominum ſtomachus. Alii amaris, alii dulcibus, alii auſterioribus, alii lenibus delectantur cibis: *Proponit itaque Dominus diverſas parabolas, ut juxta vul-* *S. Hier. in* *nerum varietates, & medicina diverſa ſit.* c. 13. S.

24. *Simile eſt Regnum cœlorum theſauro abſcondito* *Matt.* *in agro, quem qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum*. Salus æterna, Dei gratia, ſapientia cœleſtis, bona ſpiritualia, theſaurus ſunt præ rebus omnibus temporalibus æſtimandus; *Accipite diſci-*

Prov. 8. 10. 11. *disciplinam meam ; & non pecuniam* (inquit Spiritus
Ibid. 19. Sanctus); *doctrinam magis quam aurum eligite . Melior*
Quæst. 19. *est enim sapientia cunctis prætiosissimis , & omne desi-*
Isaiæ 33. *derabile ei non potest comparari* ... MECUM *sunt divitiæ*
6. *& gloria* (inquit Sapientia cœlestis) *opes superbæ*
& justitia : Melior est enim fructus meus auro , & la-
pide pretioso , & genimina mea argento electo ... DI-
VITIÆ *salutis sapientia & scientia* (inquit Isaias) *Ti-*
mor Domini ipse est thesaurus ejus . Regnum cœlorum
thesaurus est, qui gratia invenitur, meritis emitur &
labore: Gratiam, qua ad illud pervenitur, ipsaque me-
rita quibus comparatur, abscondere debet Christiana hu-
militas . „ Inventus thesaurus absconditur ut servetur ,
S. Gregor. M. Hom. 11. in Ev. „ quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus cu-
„ stodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non
„ abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus,
„ qua ad patriam pergimus: Maligni autem spiritus iter
„ nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari
„ ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via .
„ Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona
„ non videant, cum scriptum sit: *Videant opera vestra*
Matt. 5. „ *bona , & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* :
„ sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quæ-
„ ramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus inten-
„ tio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis
„ præbeamus exemplum, & tamen per intentionem qua
„ Deo soli placere quærimus , semper optemus secre-
„ tum . " Omnium denique terrenarum rerum contem-
S. Hil. in c. 13. S. Matth. ptu, & si necesse sit, detrimento & privatione, cœlestis
S. Aug. lib. 1. Quæst. Evang. Q. 13. ille thesaurus comparandus & conservandus est. *Utendi*
& possidendi hujus thesauri cum agro potestas non potest
esse sine pretio : quia cœlestes divitiæ non nisi damno sæ-
culi possidentur . Simile est Regnum cœlorum thesauro
abscondito. *Thesaurum in agro absconditum dixit duo*
Testamenta Legis in Ecclesia , quæ quis cum ex parte in-
S. August. Enarrat. in Ps. 30. *tellectus attigerit , sentit illic magna latere* : & vadit , &
vendit universa, & emit agrum illum; *id est , contem-*
ptu temporalium comparat sibi otium , ut sit dives cogni
tione Dei .

25. *Simile est Regnum cœlorum homini Negotiatori quæ-*
renti bonas margaritas . Inventa autem una pretiosa mar-
garita , abiit , & vendidit omnia quæ habuit , & emit
eam . Christus negotiator cœlestis admirabile commercium
cum hominibus inivit. *Hæc mira commutatio facta est ,*
& divina sunt peracta commercia , mutatio rerum in
hoc Mundo celebrata a Negotiatore cœlesti . Venit acci-
pere contumelias , dare honores : venit haurire dolorem ,
dare salutem ; venit subire mortem , dare vitam . Salus
æterna , vita immortalis a nobis quærenda est majori
studio & ardore quam gemmæ pretiosissimæ a negotiato-
ribus quærantur. Nulla non subeunda sunt pericula, ni-
hil non exponendum pro æterna salute; rebus omnibus
Deus præponendus est, ut ametur, qui solus replere po-
test in bonis desiderium nostrum, cujus unius fruitione
beati esse possumus. Animam enim Dei capacem quic-
quid Deo minus est non implebit. „ Planum est, pretio-
S. Basilius in Regulis fusius Disputatis Interrog. 8. „ sam margaritam cœleste Regnum significare . Quod
„ Regnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia
„ simul quæ habemus, divitias, gloriam, genus, & si
„ quid sit aliud eorum, quibus plerique ambitiosius in-
„ hiant, pro eo parando neglexerimus. Deinde illud e-
„ tiam fieri non posse, ut illud obtineatur quod cupitur
„ studiosius, si mens diversis sit curis distracta, idem Do-
„ minus asseruit, cum dixit: " Nemo potest duobus do-
minis servire... Non potestis Deo servire & Mammo-
næ : *Quæ cum ita sint , sine dubio unum nos deligere*
thesaurum convenit , nempe illum cœlestem , in quo men-
tem habeamus defixam . Ubi enim , inquit, *est thesaurus*
tuus , ibi & cor tuum erit . Inventa autem una pretio-
sa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit , &
emit eam. *Hæc est margarita pretiosa , charitas , sine*
S. August. Tract. 5. in Epist. 1: *qua nihil tibi prodest quodcumque habueris : quam si so-*
lam habeas , sufficit tibi . Abiit , & vendidit omnia quæ
habuit, & emit eam. " Qui *enim* cœlestis vitæ dulce-
S. Joannis S. Gregor. M. Hom. 11. in Evang. „ dinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte co-
„ gnoverit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter cun-
„ cta derelinquit, in comparatione ejus vilescunt omnia,
„ deserit habita , congregata dispergit , inardescit in
„ cœlestibus animus, nil in terrenis libet, deforme con-
„ spicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie; quia
„ sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. De
Cant. 8. „ cujus dilectione recte per Salamonem dicitur, *Fortis*
„ *est ut mors dilectio*: quia sicut mors corpus interimit,
„ sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ chari-
„ tas occidit. Nam quem perfecte absorbuerit, ad ter-
„ rena foris desideria velut insensibilem reddit. "

26. *Iterum simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ*
in Mare , & ex omni genere piscium congreganti . Quam
cum impleta esset , educentes , & secus littus sedentes ,
elegerunt bonos in vasa , malos autem foras miserunt .
Sic erit in consummatione sæculi . Exibunt Angeli , &
separabunt malos de medio justorum , & mittent eos in
caminum ignis . Mare figura sæculi est: sagena, Eccle-
siæ, & prædicationis Evangelicæ: boni & mali pisces
sagena capti, bonorum & malorum Christianorum in Ec-
clesia permixtorum. Littus, Mundi finem designat; se-
paratio piscium, separationem justorum a malis & repro-
bis in fine sæculi faciendam. „ An non est Mare hoc S. Aug. ser. 202. alias de Diversis 5. cap. 2.
„ sæculum, ubi se invicem homines quasi pisces devo-
„ rant? An pravæ procellæ & fluctus tentationis per-
„ turbant hoc Mare? An parva pericula sunt naviganti-
„ um, id est in ligno crucis patriam cœlestem quæ-
„ rentium. *Modo sic mittitur verbum Dei super populos* Idem ser. 362. alias de Diversis 121
„ *& super gentes , quomodo sagena in Mare jacitur* . Col-
„ ligit autem modo Sacramentis Christianis & bonos &
„ malos: sed non omnes quos sagena tollit, etiam vas-
„ culis reconduntur. Vascula enim sunt sanctorum se-
„ des, & bona vitæ magna secreta, quo non poterunt
„ omnes pervenire, quicumque Christiani appellantur ;
„ sed qui sic appellantur, ut sint. Sane autem boni &
„ mali pisces intra sagenam natant , & boni tolerant S. Augusti. Enarrat. in Ps. 99.
„ malos, donec in fine separentur. Quo enim se sepa-
„ raturus est Christianus, ut non gemat inter falsos fra-
„ tres? Quo iturus est? Quid facturus? Solitudines petat,
„ sequuntur scandala. Separaturus est se qui bene proficit
„ ut nullum omnino hominem patiatur? Quid si & ipsum
„ antequam proficeret nemo vellet pati? Si ergo quia pro-
„ ficit , nullum hominem vult pati , eo ipso quo
„ non vult aliquem hominem pati , convincitur quod
„ non profecerit . *Sustinentes invicem* ait Apostolus,
„ *in dilectione , satagentes servare unitatem spiri-*
„ *tus in vinculo pacis* . Sustinentes invicem. Non ha-
„ bes quod in te alius sustineat? Miror si non est: sed
„ ecce non sit; eo robustior es ad ceteros sustinendos ,
„ quo jam non habes quod in te alii sustineant. Non su-
„ stineris, sustine ceteros. Non possum, inquis. Ergo ha-
„ bes quod in te alii sustineant. *Sustinentes invicem in*
„ *dilectione* . Tu deseris res humanas, & segregas te, ut
„ nemo te videat: cui panderis? *Tu ad hoc pervenisses ,*
„ *si nullus tibi profuit? An quia veloces pedes tibi vi-*
„ *deris habuisse ad transeundum , præcisurus es pontem?*
„ Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis , cum
„ illis bene mihi erit . Quid mihi est rationem habere
„ cum turbis? Bene: pauci ipsi boni de quibus turbis
„ sunt eliquati? Si tamen jamipsi pauci, omnes boni; ta-
„ men bona cogitatio humana, laudabilis, esse cum ta-
„ libus qui elegerunt vitam quietam; remoti ab strepi-
„ tu populari, a turbis inquietis , a malignis fluctibus
„ sæculi; tamquam in portu sunt. Jam ergo ibi gau-
„ dium illud? Jam ibi jubilatio illa quæ promittitur ?
„ sed adhuc gemitus, adhuc sollicitudo tentationum .
„ Habet enim aliunde & portus aditum: si portus adi-
„ tum ex nulla parte haberet, nulla in eum navis in-
„ traret; oportet ergo ut ex aliqua parte pateat : *Ali-*
quando autem per eam partem qua patet , ventus irruit :
& ubi scopuli non sunt , naves se invicem collisæ con-
fringunt . Ubi ergo securitas , si nec in portu? Et tamen
utcumque feliciores in portu , quam in pelago , fatendum Eph. 4. 2.
est . Ament se , naves in portu bene sibi applicentur , non
sibi collidantur . Servetur ibi parilitas æquabilitatis , con-
stantia charitatis : & quando forte ventus ex illa parte
qua patet , irruerit , sit ibi cauta gubernatio . „ Nam
„ quid dicturus est mihi quisquis talibus locis forte præ-
„ est, immo servit Fratribus in his quæ Monasteria di-
„ cuntur? Cautus ero, nullum malum admittam , cum
„ paucis bonis bene mihi erit. Ubi cognosces, quem forte
„ vis excludere? Ut cognoscatur malus, intus proban-
„ dus est: quomodo ergo excludis intraturum , qui po-
„ stea probandus est, & probari nisi intraverit, non po-
„ test? Repelles omnes malos: dicis enim, & nosti in-
„ spicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt. Qui in-
„ traturi sunt, ipsi se non noverunt, quanto minus tu?
„ Multi enim sibi promiserunt ; quod impleturi essent
„ illam vitam sanctam, in commune habentem omnia ,
„ ubi nemo dicit aliquid proprium, quibus est una ani-
„ ma & cor unum in Deum: missi sunt in fornacem ,
„ & crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi
„ ipse adhuc ignotus est? Excludes malos fratres a con- S. Bernard. Tract. de Conversione ad Clericos c. 10.
„ ventu bonorum? De corde tuo, quisquis ista dicis ,
„ omnes malas cogitationes, si potes, exclude: non in-
„ tret in cor tuum vel suggestio mala. " In omni igi-
tur congregatione mali tolerandi sunt : expectandus est
sæculi finis, quo mali separabuntur de medio justorum,
& in caminum ignis mittentur: & Ecclesia Christo ex-
hibebitur glorioſa, sine macula & ruga . Interim ca-
veamus mala opera, nec includentis sagenæ fiducia libe-
re intra Ecclesiam delinquamus; „ hoc scientes, quia non
„ omnes, quos sagena trahit, piscatorum vasa recipient;
„ sed erit cum ad littus venerint, eligent bonos in va-
„ sa, malos autem foras mittent.

Simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in Mare ,
&c. „ Sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quia & pi- S. Gregor. M. Hom. 11. in Ev.
„ scatoribus est commissa, & per eam quisque ad æter-
„ num Regnum a præsentis sæculi fluctibus trahitur , ne
„ in æternæ mortis profunda mergatur . Quæ om-
„ ne genus piscium congregat, quia ad peccatorum ve-
„ niam sapientes & fatuos, liberos & servos, divites &
„ pauperes , fortes & infirmos vocat . Quæ sagena ,
„ sci-

„ scilicet Ecclesia tunc universaliter repletur, cum in fi-
„ ne suo humani generis summa concluditur. Quam edu-
„ cunt, & secus litus sedent: quia sicut Mare sæculum,
„ ita sæculi finem significat litus maris. In quo scilicet
„ fine boni pisces in vasis eliguntur, mali autem proji-
„ ciuntur foras: quia & electi quique in tabernacula æter-
„ na recipiuntur, & interni Regni luce perdita, ad ex-
„ teriores tenebras reprobi pertrahuntur. Nunc enim bo-
„ nos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei
„ sagena nos continet, sed litus indicat Sanctæ Ecclesiæ
„ sagena quid trahebat. Et quidem pisces qui capti fue-
„ rint, mutari non possunt. Nos autem boni capimur,
„ sed in bonitate permutamur. Cogitemus ergo in cap-
„ tione, ne dividamur in littore. *Sic erit in consumma-*
„ *tione sæculi &c.* Hoc timendum est potius quam expo-
„ nendum. Aperta etenim voce tormenta peccantium di-
„ cta sunt, ne quis ad ignorantiæ suæ excusationem re-
„ curreret, si quid de æterno supplicio obscure loqueretur.
„ *Unde & subditur*. Intellexistis hæc omnia? *Et respon-*
„ *dent Discipuli*. Etiam, Domine ..... Ibi erit fletus &
„ stridor dentium. *Hic igitur, fratres charissimi, va-*
„ *nam lætitiam fugite, si illic flere formidatis*. Nemo
„ etenim potest & hic guadere cum sæculo, & illic re-
„ gnare cum Christo.“

27. *Ideo omnis Scriba doctus in Regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera*. Doctor & Prædicator Evangelicus Scripturas Sacras assidua lectione & studio thesaurum suum efficere debet, ac ex utroque Testamento, Novo ac Veteri proferre quæ ad institutionem & ædificationem populi Christiani sunt necessaria & conducibilia: maxime vero ad eradicandam cupiditatem, & inserendam charitatem, qui Sacræ Scripturæ finis est. *Scriptura non damnat nisi cupiditatem, non præcipit nisi charitatem, & ita informat mores hominum*. Ex utroque Testamento velut ex thesauro testimonia proferat ad destruendum errorem, ad inserendam veritatem, ad nutriendam charitatem. *In veteri* enim *Testamento occultatio est Novi: in novo Testamento manifestatio est veteris*. Scriba doctus in Regno cœlorum profert de thesauro suo nova & vetera, non dicendo solum, sed faciendo. Nam *si dicit ea, & non facit ea, de cathedra profert, non de thesauro cordis sui*: Et similis est Judæorum Scribis toties & tam acriter a Christo reprehensis, qui bona non loquebantur de thesauro malo cordis sui, sed bona loqui poterant de thesauro cathedræ Moysi. Da vocem Scribarum de corde eorum, audies: „ Manducemus & bibamus, cras enim „ moriemur. *Da vocem de cathedra Moysi, audies*: „ Non occides, non adulterabis, non falsum testi- „ monium dices: Honora patrem & matrem. Diliges „ proximum tuum sicut te ipsum. Hoc tu fac, quod „ per os Scribarum cathedra sonat: non quod per cor „ Scribarum.“

S. August. S. Aug. l. de catechizandis Rudibus c. 4. idem ser. 74.

Is. 22. 11.

Omnis Scriba doctus in Regno cœlorum similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Ille in sancta Ecclesia doctus Prædicator est, qui & nova scit proferre de suavitate Regni, & vetusta dicere de terrore supplicii: ut vel pœnæ terreant, quos præmia non invitant: „ Audiat de Regno quod amet, „ audiat de supplicio uniuscujusque quod timeat: ut tor- „ pentem animum, & terræ vehementer inhærentem, „ si amor ad Regnum non trahit, vel timor minet.“

S. Gregor. M. L. 11. in Ev.

28. *Et factum est, cum consumasset Jesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc & virtutes? Nonne hic est fabri filius? &c. Et scandalizabantur in eo*. Nec de splendore generis & nobilitate gloriari debet Pastor animarum & Minister evangelicus, nec humanam gloriam aucupari: siquidem Christus in patriam suam venit, in eaque ministerium obivit suum, quamvis a civibus suis se contemptum iri prænosceret. *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Gratia & virtus vera nobilitas. Quis nobilior Dei Filio? Ad hanc tamen nobilitatem carnalem homines non attendunt; sed ex sorte & paupertate Matris, ac Joseph ejus sponsi, atque consanguineorum, de Christo Jesu ferunt judicium, quem ex Regibus & Sacerdotibus ortum novissent, si vel in humanam ejus originem inquisivissent: & Dei Filium Deumque Patri coæqualem credidissent, si ejus sapientiam ac virtutes animo fideli ac docili consideravissent. Quærunt, unde sapientia & virtutes ei, qui *Dei virtus est, & sapientia*. Fabri filium vocant eum qui cœlos & terram creavit, omnium rerum conditorem & artificem, qui de limo finxit hominem. Et hunc patitur contemptum Dei Filius, ut nos humilitatem doceat. Vera nobilitas in potestate nostra posita est; *Dedit* enim *eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus, qui ex Deo nati sunt*. Hæc generis claritas, quam in sanctis Evangelii Prædicatoribus & Ecclesiæ Ministris venerari & optare debemus, non ad eorum carnale genus, & familiæ ignobilem sortem, obscuritatem, vel paupertatem attendere, ex ea offendi, aut propterea Dei ministros contemnere. Honoranda, amanda, suscipienda veritas est, quam

Natal. Alex. In Evang.

Jaan. 1.

Joann. 1.

prædicant & docent: non considerandum genus, conditio, vel fortuna Prædicatorum, Pastorum, & Doctorum. *Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*, (inquit Scriptura Sacra.) *Probati viri genus virtutis prosapia est, quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur: Animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis*. Qui justus est, & cum Deo ambulat, vere nobilis est: quanto magis qui & ipse justus est, & alios ad justitiam sermone & opere erudit? Rebus in bello præclare gestis nobilitas comparatur: quanto potiori jure nobilis, qui salutis hostes debellavit, qui pravas cupiditates domuit, qui Mundum ac Diabolum vicit?

Genes. 6. 6. S. Amb. lib. de Noe & arca c. 4.

29. *Jesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua*. Christum magis inhonorant plerumque qui magis ipsum colere debuissent. Gravius Christianorum, qui Christum non audiant, eique non obediunt, crimen est, quam Judæorum: cum majora collata sint nobis a Christo beneficia, quam Judaicæ Genti. *Cives sanctorum, & domestici Dei*, immo *filios & hæredes, fratres & cohæredes suos*, Christus nos effecit. Non ex Ægypti solum servitute, sed ex diaboli captivitate nos eripuit: non Manna tantum & aquis de petra scaturientibus, sed Corpore & Sanguine suo nos alit: non legem dumtaxat in tabulis lapideis scriptam nobis dedit, sed in cordibus digito Dei vivi, id est, Spiritu Sancto, gratiam & charitatem diffundente quo facile impleatur. Non per Prophetas solum nobis locutus est, sed ipse nobis loquitur Prophetarum Magister & illuminator, Propheta summus, de quo Deus ad Moysen: „ Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum simi- „ lem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque „ ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba „ ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego „ ultor existam ... MERUERUNT priora tempora Pro- „ phetas afflatos & impletos Verbo Dei: Meruimus nos „ Prophetam ipsum Verbum Dei; (*inquit S. Augustinus.*) „ Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. *Sive*, „ Nemo Propheta acceptus est in patria sua (*ut apud S.* „ *Lucam habetur.*) *Hic non mediocriter invidia proditur, quæ civicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur, quod* „ frustra opem misericordiæ cœlestis expectes, si alienæ „ fructibus virtutis invideas: Aspernator enim Dominus „ invidorum est, & ab iis qui divina beneficia in aliis „ persequuntur miracula suæ potestatis avertit. Non „ otiose itaque Salvator excusat, quod nulla in pa- „ tria sua miracula virtutis operatus sit, ne fortasse „ aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret „ affectum. Neque enim cives poterat non amare, „ qui amabat omnes: sed ipsi se charitate patriæ „ qui invident, abdicarunt. *Charitas enim non æmu- „ latur, non inflatur*: “ Nec tamen exsors beneficiorum patria divinorum est. Quod enim majus miraculum, quam quod in ea natus est Christus? Videte igitur, quid mali invidia afferat. „ Indigna propter invidiam „ patria judicatur, in qua civis operetur, quæ digna fuit „ in qua Dei Filius nasceretur.“

Deuteron. 18.

S. August. Tr. 24. in Joann.

Luc. 4. 24.

S. Amb. l. 4. in Luc. num. 46 & 47.

2. Cor. 13. 14.

30. *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*. „ Multa miracula apud concives suos „ edidit, quia non se ipsum ostentare, sed aliorum uti- „ litatem quærebat. Quia igitur incredulos eos esse vi- „ debat, ne majori culpæ obnoxii essent, non multa si- „ gna operatus est. Quamquam enim multo tempore „ post, cum jam miraculorum fama universam Judæam „ implevisset, patriam repetiisset, non potuerunt tamen „ ferre, sed magno igne livoris inflammabantur. Sed „ cur etiam pauca fecit signa? Ne dicere possent: *Me-* „ *dice, cura te ipsum*: ne inimicum putarent, vel se ab „ eo despici arbitrarentur: ne denique se excusarent, „ dicentes: Si facta signa apud nos fuissent, credi- „ dissemus: idcirco igitur pauca, non multa fecit, tum „ ut suas ipse partes expleret, tum ne majoris illi cri- „ minis rei fierent.“

S. Jo. Chrys. Hom. 49. in S. Matth.

Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. Incredulitas, verbique divini contemptus, Christum ex hominis animo excludunt, impediuntque, ne gratiæ suæ miracula in illo operetur; quemadmodum illum ex patria sua abire compulerunt, prohibueruntque ne signa multa in illa patraret. Fides omnipotentiam Dei in manu hominis quasi collocare, infidelitas Dei manus veluti ligare videtur. *Omnia possibilia sunt credenti* (inquit Christus). *Et non poterat ibi virtutem ullam facere* (inquit S. Marcus.)

Mar. 9. 22. Mar 6. 5.

CAPUT XIV

Sensus Litteralis.

1. IN *illo tempore, audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu*. Quo tempore peragrabat Jesus Galilæam, docens & patrans miracula, Herodes Antipas Herodis Magni filius, Tetrarcha Galilææ, audivit, admirabilia ope-

Marci 6 Matth. v. 9.

opera, quæ fiebant a Jesu. Hunc Herodem S. Marcus, immo & Matthæus ipse Regem appellat, quia Rex dicebatur, quicumque suprema potestate, quamvis non Regia, præerat. Cum Regnum in quatuor partes dividebatur, & unicuique Princeps præfigebatur unus, quatuor partes Tetrarchiæ, & Principes Tetrarchæ a Græcis vocabantur. Postea tamen contigit, ut quamvis plures aut pauciores partes essent, eodem tamen nomine Tetrarchiæ dicerentur. Origo nominis ex Galatia, cujus tres partes singulæ quatuor habebant Principes. Inde ad alios gentis alicujus parti imperantes, Tetrarchæ nomen transiit. Cur Herodes, tam sero Miracula Jesu audierit, non inde contigit, quod Arabico bello contra Regem Aretam distentus esset: tum quia hoc bellum per Legatos utrinque gestum est, teste Josepho; tum quia tardius gestum. Causam ignorationis Herodis verius statuit S. Joannes Chrysostomus, fastum & incuriam rerum bonarum, a quibus vitiis Principes pauciſſimi omnibus sæculis fuerunt immunes. Accedit improbitas ut plurimum Aulicorum, qui etiam dedita opera persæpe impediunt Reges & Principes, ne ad rerum illarum cognitionem perveniant, quas scire illos plurimum ipsorum intererat; ut queruntur Lampridius in Alexandro Severo, & Vopiscus in Aureliano. Sæpe etiam Deus iusto judicio voluntariam ignorantiam necessitate ignorandi punit.

Josephus lib. 13. antiq. S. Jo. Chrys. Hom. 49. in Matth.

2. *Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: Ipse surrexit a mortuis, & virtutes operantur in eo.* Domesticis suis, & familiaribus dixit: Hic est Joannes Baptista dictus: Ipse a Deo revocatus ad vitam est, majorique donatus virtute: & ideo potestas patrandi miracula vim suam in eo exerit, quam ante, dum viveret, in eo non exerebat. Hinc fidem Resurrectionis apud Judæos communem fuisse constat. Joannem Baptistam a mortuis surrexisse, nec primum dixit Herodes, nec credidit; sed aliorum opinio fuit id Herodi suggerentium; cujus mens circa id pensilis fuit & hæsitans. Lucæ 6. 7. 8. 9. *Audivit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eo quod diceretur a quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia Propheta unus de antiquis surrexit: Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.* Post hanc autem hæsitationem intelligendus est confirmasse in animo suo, quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, quod Matthæus narrat: *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & virtutes operantur in eo.* „ Aut ita pronuntianda sunt hæc verba, „ ut hæsitantem adhuc indicent. Si enim diceret: Num„ quid nam hic est, aut, numquid forte hic est Joannes „ Baptista? non opus esset admonere aliquid de pronun„ tiatione, qua dubitans atque hæsitans intelligatur; „ Nunc quia illa verba desunt, utroque modo pronun„ tiari potest; ut aut confirmatum eum ex aliorum ver„ bis, credentem dixisse accipiamus; aut adhuc, sicut „ Lucas commemorat, hæsitantem: præsertim quia & „ Marcus, qui superius dixerat, ab aliis fuisse dictum „ quod Joannes a mortuis resurrexit, in extremo tamen „ ipsum Herodem dixisse non tacet: *Quem ego decolla„ vi Joannem, hic a mortuis resurrexit.* Quæ item ver„ ba duobus modis pronuntiari possunt, ut aut confir„ mantis, aut dubitantis intelligantur. “

S. Jo. Chrys. Hom. 49. in Matth.

S. Aug. lib. 2. de Consensu Ev. c. 43.

Marci 6. 13.

3. *Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.* Joannis incarcerationem ex occasione hic referunt S. Matthæus, & S. Marcus cap. 6. non servato rerum gestarum ordine, quem nec servavit S. Lucas, ejusdem incarcerationis & Martyrii historiam cap. 3. referens per anticipationem. Herodes scilicet injecta manu in Joannem per satellites vinctum detruserat in carcerem; *propter Herodiadem*, id est, in gratiam Herodiadis, sive illius causa, & impulsu. Hæc filia fuit, non Aretæ Regis Arabum, ut Ruffino, S. Hieronymo, & Venerabili Bedæ visum est: (Hujus enim Regis filia, prima fuit uxor Herodis, ut Josephus & Eusebius testantur) sed Aristobuli, fratris Herodis ejusque adeo neptis. Nupserat autem Philippo Herodis fratri, ut S. Marcus testatur: *Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.* Alterius Herodis, Antipæ fratris, uxorem fuisse Josephus scribit, quem binomium fuisse verisimile est, & Philippum Herodem appellatum. Hæc enim sola ratio patet Josephum cum Evangelista conciliandi. Ut ut est, Philippus ille alius est a Tetrarcha Traconitidis cognomine, filio Herodis Magni ex Cleopatra, de quo *Lucæ 3. vers.* 2. sed Herodis Magni filius pariter fuit ex Mariamne Simonis Pontificis filia. Cur autem ab Herode vinctus sit ac detrusus in carcerem S. Joannes, Evangelista noster exponit: *Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.* Nefas est tibi, utpote homini circumciso, ac proinde ad observationem Legis per Moysen datæ obligato, *Habere uxorem fratris tui.* Dicitur enim in Lege: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.* Herodes Romam pergens, cum in fratris domo hospitio exceptus esset, cum Herodiade ejus conjuge pactus est, ut ipsa in conjugium ac domicilium suum migraret, statim atque Roma reversus esset; ipse vero suam uxorem, Aretæ Regis filiam, repudiaret. Itaque S. Joannes dicens Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, (prout enim dixisse S. Marcus refert) Herodis adulterium simul & incestum arguit. In abducenda nempe Herodiade duplex fuit Herodis Tetrarchæ crimen. Nam viventi marito uxorem non ab ipso dimissam abducere, raptus atque adulterium erat, hoc insignire injuria, quod in fratrem committebatur. Accedebat adulterio crimen incesti, tum ex Lege naturæ, tum ex Lege Moysis, quæ unam dumtaxat habebat exceptionem, si maritus mortuus esset sine liberis. Herodiadis autem maritus Philippus & vivebat eo tempore quo ipsam sibi copulavit Herodes, conjugium vocans, & hoc prætexens nomine culpam; & filiam ex ipsa habebat *Salomem*, saltatricem illam, cujus hic fit mentio. Utrumque crimen breviter perstrinxit Josephus: *Post cujus* (inquit) *nativitatem* (scilicet Salomes) *illa* (nempe Herodias) *spretis patriæ legibus, Herodi nubit fratri viri prioris, a quo vivo discesserat; fratri, inquam, ex patre eodem.* Quamobrem Tertulliano, & nonnullis aliis Patribus qui ipsum hac in re secuti existimarunt Herodiadem Herodi nupsisse post mortem demum prioris mariti, non assentior. Ne assentiar, Josephus prohibet, cujus testimonio derogandum S. Hieronymus non putavit: *Ergo*, inquit, *Joannes Baptista, qui venerat in spiritu & virtute Eliæ, eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat & Jezabel, arguit Herodem & Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, & non licebat fratre vivente germano uxorem illius ducere: malens periclitari apud Regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei.* Scripsit quidem S. Augustinus; *Ambiguum est, utrum Herodes mortui duxerit, an vivi fratris uxorem: & ideo non ita claret, quod Joannes ei non licere dicebat.* Sed quamvis id ex sacris litteris certum non sit ac perspicuum, ex Josepho tamen constat, viventis fratris uxorem duxisse: idque in Solemnitate Decollationis S. Joannis canit Ecclesia in Breviario Romano.

Josephus l. 18. Antiq. c. 9. Euseb. lib. 1. Hist. cap. 11. Marci 6. 17. Joseph. lib. 1. De Bello Judaico c. 18.

Deuter. 27.

Josephus l. 18. Antiq. c. 7. Tertull. lib. 4. contra Marcionem. S. Hieron. in c. 14. S. Matt.

S. Aug. l. de Fide & Operibus c. 19.

Causam alteram Josephus refert, cum Herodes Joannem in carcerem detruserit, quod scilicet multis ad Joannem undique confluentibus, defectionem populi metueret. Id Evangelio non repugnat. Quamvis enim Herodiadis insidiis & rogatu Joannem vinxerit, & morte affecerit, & quia sancta ejus libertas & vita ipsi flagitia exprobrabat: credibile tamen est, Tirannum, quo suam in virum sanctissimum crudelitatem excusaret, rumorem in vulgus dissemina sse, Joannem res novas moliri, & populum contra se commovere. Josephi verba exscripsit Eusebius lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, c. 11. „ Arbitrabantur „ quidam Judæorum divina ultione periisse Herodis exer„ citum, Deo cædem Joannis, qui Baptista cognomi„ tus est, vindicante. Quippe hunc Herodes obtruncaverat, cum esset vir bonus, Judæosque ad virtutis stu„ dium excitaret, præcipiens ut juste quidem inter se, „ erga Deum autem pie agentes, ad lavacrum accede„ rent. Tunc enim demum acceptum fore Deo lavacrum „ ajebat, cum eo non ad expiationem criminum uteren„ tur, sed ad corporis munditiem, ut mentibus jam an„ te per justitiam expurgatis, corporis quoque adderent „ puritatem. Cumque multi ad eum undique confluerent „ (hujusmodi enim sermonibus mirifice delectabantur) „ Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas subditos „ ad defectionem impelleret; quippe qui nihil non actu„ ri ex ejus consilio viderentur: satius esse duxerit, „ prius quam novi aliquid oriretur, illum e medio tol„ lere, quam mutatione rerum facta, ipse in maximum „ discrimen adductus, seram pœnitentiam agere. Vin„ ctus igitur ob hanc Herodis suspicionem, & ad castel„ lum Machæruntem perductus, ibidem cæsus est. “

Joseph. lib. 18. Antiq.

4. *Et volens illum occidere, timuit populum; quia sicut Prophetam eum habebant.* Herodes Joannem occidere cupiebat, non definita voluntate, sed ambiguus animi. Quamvis enim liberum vitiorum suorum censorem odisset, a quo nimirum corripiebatur *de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit*: Quamvis Herodiadi, vitæ Joannis insidianti, placere vellet in omnibus inanus & turpis amator, quamvis sancti viri famæ invideret, populi tamen de se judicia motumque metuebat, si illum occideret, quem ut homiaem a Deo missum reverebantur. Illum etiam ob vitæ sanctitatem eximiam & austeritatem magnificare cogebatur Herodes, & quodam modo revereri, ejusque monitis interdum auscultabat, antequam incestus amor mentem in transversum egisset, ac Herodiadi nihil negare persuasisset. Confer cum *Marci* 6. vers. 19. 20. *Herodias autem* (inquit) *insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem sciens eum virum justum & sanctum: & custodiebat eum* (id est, tuebatur ab insidiis Herodiadis;) *& audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat.* „ Seditionem populi verebatur propter „ Joannem, a quo sciebat turbas in Jordane plurimas „ baptizatas, sed amore vincebatur uxoris, ob cujus ar„ dorem Dei præcepta neglexerat. “

Luc. 3. 4.

Marci 6.

S. Hier. in c. 13. S. Matth.

Marci 6.

Levit. 18. 16.

5. *Die*

5. *Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.* Cum solemne convivium in memoriam diei natalis sui Herodes Ethnicorum more celebraret, Herodias opportunitatem nacta ab illo impetrandi ut Joannes e medio tolleretur, filiam suam ex marito relicto susceptam, Salomen nomine intromisit, quæ ad modos musicos coram Rege convivisque saltavit, lascivis gesticulationibus saltationem animans, & omnes meretrices virgo impudentia superans, filia matre scorto digna. Cum igitur Herodi, simulque recumbentibus placuisset, Rex ait Puellæ: *Pete a me quod vis, & dabo tibi: & juravit illi: Quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium Regni mei.* Loquendi genus proverbiale est Regibus usitatum, ubi liberrimam optandi facultatem cuiquam faciunt. Sic Rex Assuerus Reginæ Hester dixit: *Quid petis ut detur tibi, & pro qua re postulas? Etiam si dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.*

S. Jo. Chrys. Homil. 9. in Matt.

Marci 6. 23.

Esther. 5. 6.

6. *At illa præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis-Baptistæ.* Illa a matre, ad quam ingressa erat, ejus rogatura voluntatem, subornata & instigata, statim cum festinatione ad Herodem rediit, ne refrigesceret Regis animus, & ab imprudenti promissione resiliret: dixitque, *Da mihi hic*, hoc loco, absque mora, *in disco*, tamquam ferculum hoc convivio, his spectatoribus dignum, *Caput Joannis-Baptistæ*. Hæc votorum Herodiadis summa, tum ob metum repudii, si Herodes Joannem audire pergeret; tum ultionis libidine, ut linguæ quæ peccatum ipsius libere arguebat ac damnabat, furore muliebri illuderet: *Notumque furens quid fœmina possit.*

Marci 6. 25.

7. *Et contristatus est Rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.* Dolorem simulavit, & vultum ita composuit, ut ingratam sibi petitionem significare videretur. *Dissimulavit enim mentis suæ malitiam artifex homicida, cum tristitiam in facie, & lætitiam haberet in mente.* Nam *Volebat eum occidere.* Quidini & verum dolorem, animi pugnantibus affectibus raptati anxietas peperit? Innocentem non esse occidendum ratio dictabat: liberæ censuræ ac reprehensionis memoria iram instigabat, ultionem suadebat: amor eo fervidior quo vetitus, uxori morem gerere imperabat: populi metus, infamiæque timor, malum omen cædis geniali festo natalis sui die patrandæ revocabat: pudor ne levitatis insimularetur, ne metuere plebem videretur. *Propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.* Hanc speciem arripuit concedendi cædem viri sancti. Cum cogitare debuisset id, quod per se illicitum est, interposito jurejurando licitum fieri non posse: & juramenti verba generaliter enuntiata ita esse interpretanda, ut illiciti nihil comprehendant: *Scelus excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret.* Propter eos etiam qui recumbebant, Principes scilicet, Tribunos, & primos Galileæ, ne inconstans & infidus in promissis apud eos haberetur, utque illis se plurimum tribuere demonstraret, qui, ut mos est Aulæ, captantes Herodiadis gratiam, ancipitem Herodis animum impellebant, jussit dari saltatrici caput Joannis quod postulabat: *digno operi saltationis dignum sanguinis præmium.* Ita convivas *omnes sceleris sui vult esse consortes, ut in luxurioso impuroque convivio cruentæ epulæ deferrentur.*

S. Hieron. in hunc locum.

S. Hieron. in hunc locum.

8. *Misitque & decollavit Joannem in carcere.* „ Misit spiculatorem seu carnificem; qui decollaret Joannem in carcere vicino. Convivium namque Machærunte „ celebrabat. Inter epulas consummandæ crudelitatis „ profertur edictum (quod etiam omnes Barbari horrere consueverunt:) Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet „ vel absolvi. Legimus in Romana Historia, Flaminium „ Ducem Romanum, quod meretriculæ juxta latus suum „ accumbenti, quæ numquam se vidisse diceret hominem „ decollatum, assensisset, ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, a Censoribus pulsum curia, quod epulas sanguini miscuerit, & mortem quamvis noxii hominis in alterius delicias præstiterit, ut libido & homicidium pariter miscerentur. Quanto sceleratior Herodes, & Herodias, a puella quæ saltavit in pretium sanguinis, caput postulat Prophetæ: ut habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat? " *Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & puella attulit matri suæ:* quæ sancto capiti illusit, & sicut olim Fulvia linguam Ciceronis, ita hæc linguam Joannis discriminali acu confodit. Cæterum Deus justo judicio Herodem per Herodiadem, & hanc per Herodem punivit. Cum enim ambitiosa mulier ferre non posset, ut maritus suus Tetracha solum esset, illum Romam secum proficisci compulit, ut Regium nomen a Cajo Cæsare impetraret: verum tantum abfuit ut Herodem Cæsar Regem crearet, ut ipsa etiam Tetraarhia & bonis omnibus privatum, Lugdunum relegaverit, quo eum secuta est Herodias.

S. Ambr. lib. de Virginib.

S. Hier. in c. 14. S. Mat.

S. Hieron. lib. 3. adversus Ruffinum.

Joseph. lib. 18. Antiq. c. 9.

9. *Et accedentes Discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, & venientes nuntiaverunt Jesu.* Joannis Discipuli ad carcerem in quo decollatus fuerat, accedentes, (eo enim ipsis aditum patuisse constat ex c. 11. Evangelistæ nostri) corpus ejus tulerunt, ac sepelierunt, non Sebastæ in Samaria, quæ tunc non erat ditionis Herodis, sed Romanorum; sed Machærunte, ubi capite truncatus fuerat. Quamquam postea Sebastam translatum videatur, ubi sepulchrum ejus quarto nominis Christiani sæculo celebre fuit. *Et venientes nuntiaverunt Jesu* mortem Joannis Baptistæ, & sermones qui de ipso Jesu in Aula Herodis habebantur, ut sibi ab ejus insidiis caveret.

S. Gaudent. serm. 17. Theod. Hist. Eccl. l. 3. c. 3.

10. *Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de Civitatibus.* Secessit ex eo loco ubi mors Joannis ipsi nuntiata est in locum desertum seorsum, „ non timore mortis, sed parcens inimicis „ suis, ne homicidium homicidio jungerent: vel in diem „ Paschæ interitum suum differens, in quo propter sacramentum immolandus est Agnus, & postes credentium sanguine respergendi. Sive, ideo recessit, ut nobis præberet exemplum vitandæ ultro tradentium se „ temeritatis: quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis, qua se torquendos offerunt. " Ob hanc causam & alio loco præcipit: *Cum vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam.* Eleganter quoque Evangelista non ait, *Fugit in desertum locum, sed secessit, ut persecutores vitaverit magis quam timuerit.* Secessit præterea, ut Apostolis ab evangelica expeditione redeuntibus & fatigatis requiem præberet. Secessit autem in desertum, quod dicebatur *Bethsaidæ*, quia interjecto Mari Galileæ e regione erat. Secessit denique ut credentium fidem probaret. Unde turbæ quæ eum in desertum illud secedere videbant, undique illuc properarunt, multi currendo & præveniendo, multi sequendo, non in jumentis aut diversis vehiculis, sed pedestres, ut ardorem mentis ostenderent. Confer cum c. 6. S. Marci, 9. S. Lucæ, & S. Joannis 6. Sic habet S. Marcus: „ Et convenientes Apostoli ad Jesum, nuntiaverunt ei „ omnia quæ egerant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: „ & nec spatium manducandi habebant. Et discendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. „ Et viderunt eos abeuntes & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrunt illic, & prævenerunt eos. *Ita S. Lucas*: Et reversi Apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis, „ secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. „ Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum. *Ita S. Joannes*: Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est „ Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia „ videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus & ibi sedebat cum „ Discipulis suis. "

S. Hieron. in c. 14. S. Matt.

Marci 6. 30. 33.

Lucæ 9. 10. 11.

Jo: 6. 1. 2. & 9.

11. *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.* Et exiens Jesus e navicula, cum in montem subiisset, ibique cum Discipulis suis sederet, circumspiciens vidit turbam multam ad se venientem, & misertus eorum est, *quia erant sicut oves non habentes pastorem*, ut ait S. Marcus; eosque benigne excepit, docuit, & infirmos eorum divina virtute ac potestate sua sanavit.

Marci 6. Lucæ 9.

12. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum Discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.* Cum dies declinare cœpisset, Apostoli ad Jesum accesserunt, dicentes: Desertus est locus, ubi cibus non suppetit; & refectionis hora jam præteriit, vixque tempus supereset, quo se ante noctem recipere possint in castella viciniora. Dimitte igitur illos ut cibos emant, corpusque curent.

S. Hieron.

13. *Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: Date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos piscos. Qui ait eis, Afferte mihi illos huc.* Apostolos provocat ad frangendos panes & apponendos turbæ, ut illis se non habere testantibus magnitudo miraculi notior fiat; & ad eorum fidem exercendam, ut agnoscentes inopiam suam, ad ipsum confugiant. Ex S. Joanne supplendæ hujus historiæ circumstantiæ, quæ a S. Matthæo prætermittuntur. Jussit Christus ut Discipuli cibos turbis apponerent: atque ut Philippi fidem exploraret, dixit illi: *Unde ememus panes ut manducent hi?* Quod non ex ignorantia aut inopia consilii quærebat ab eo Jesus: sed, ut dixi, ad fidem ejus probandam, & excitandam. *Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.* Respondit Philippus, frustra hanc sollicitudinem adhiberi, cum nec ducentorum denariorum panes tantæ multitudini alendæ sufficerent. Suam autem mentem Philippus expressit vel his verbis quæ S. Joannes refert: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*: vel his, quæ apud S. Marcum leguntur, quasi per ironiam dictis: *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* Tum Jesus dixit

Jo. 6. vers. 9. & seq. S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. 46.

Marci 6. 37 & 27.

Disci-

Discipulis: *Quot panes habetis? ite, & videte*. Et cum vidissent, respondit Andreas: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos? . . . . Nisi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas?* Hoc audito, jussit Jesus sibi afferri panes, & pisces, quos eo modo multiplicavit, ut omnibus reficiendis non modo sufficerent, sed & duodecim cophini fragmentorum pleni supererent.

Joan. 6. 9. *Lucæ* 9. 13.

14. *Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit Discipulis panes; Discipuli autem turbis*. Discipulis jussit ut turbam discumbere curarent super herbam, non confuse, sed ordine collocatam, ut alii Evangelistæ notarunt. Marci 6. 39. *Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos*. Luc. 9. 14. *Facite illos discumbere per convivia quinquaginta. Et ita fecerunt*. His ita ordinatis, quinque panes & duos pisces accepit in manibus, coram omnibus, ut miraculum, seque Authorem nemo ignoraret. In cœlum suspexit, ut se suaque omnia Deo Patri accepta referret, a quo cum Divinitate vim etiam patrandorum miraculorum acceperat: utque in omnibus auxilium a Deo, qui fecit cœlum & terram, petendum esse doceret. Æqualem se Patri, ab ipsoque se missum significavit: Æqualitas quidem demonstrabatur, quoniam magna potestate omnia faciebat: Missio vero, quia multa cum humilitate ad ipsum referebat admirabilia quæ patrabat opera, ipsum interdum invocans. Non enim semper utrumque præstitit: sed modo summa cum potestate imperii, modo invocans Patrem atque orans, miracula edidit. Et ne Missio repugnare videretur æqualitati, aut gratiarum actio vel invocatio summæ potestati, in cœlum respicit minora peracturus, majora cum potestate facit: ut discamus non idcirco Deum invocasse atque orasse quod minora non posset peragere, sed ut Patri honorem redderet. Nam quando peccata dimisit, quando paradisum aperuit, & latronem introduxit, quando legem veterem ut author ejus solvit, quando mortuos quasi a somno excitavit, mare frænavit, secreta cordium revelavit, oculos cæci hominis curavit, quæ nemo nisi Deus facere potest, non oravit, neque invocavit: quando autem panes multiplicavit, quod multo minus erat, tunc in cœlum respexit, *gratias egit* Deo Patri pro beneplacito faciendi tantum miraculum in salutem hominum tam spiritualem quam corporalem: gratias egit, certus quod a Patre semper audiretur. Et *benedixit, fregitque* panes; ac illos benedictione sua virtute quasi seminali donavit ut multiplicarentur, sicut occultæ submINistratione virtutis de paucis granis segetes creat. *Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata*. Dedit autem Discipulis panes, & Discipuli turbis, tum ut testes essent certiores miraculi, tum ut illos honoraret, ac cœlestium donorum dispensatores ac ministros, servosque fideles a se constitutos, super familiam suam ostenderet, qui darent illi cibum in tempore. *Nondum enim concessum erat Apostolis ad vitæ æternæ cibum cœlestem panem perficere ac ministrare . . . Dantur Apostolis panes, quia per eos erant divinæ gratiæ bona reddenda*.

S. Jo. Chrys. Hom. 90.

Joan. 6 11.

S. Aug. Tract. 24. *in S. Jo.*

S. Jo. Chrys. Hom. 51. *in Matt. S. Hilar. c.* 14. *in S. Matt.*

15. *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos*. Expleta fames, & amor compressus edendi, ad miraculi majorem evidentiam. Manducaverunt quantum volebant, & quantum cujusque necessitati satis erat. Et Apostoli collectis fragmentorum quæ supererant ex quinque panibus, & duobus *piscibus*, reliquiis, ne perirent, duodecim cophinos seu canistra ex illis impleverunt. Id admirabilius, quam quod Moyses in Manna impetraverat, aut in farina Elias. Miraculi veritatem residua fragmenta confirmarunt. Unusquisque Apostolorum cophinum suum plenum retulit. Quod Judæis in deserto mirabile videbatur: dicebant enim, *Numquid & panem poterit dare, & parare mensam in deserto?* Christus opere confecit. *Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis*. Discumbentes fuere circiter quinque millia Joannis 6. 10. *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia*, exceptis mulieribus & parvulis, quos Judæi numerare non solebant. Unde & in Numerorum lib. 1, quoties Sacerdotes atque Levitæ, & exercitus vel turbæ pugnantium describuntur, servi & mulieres, & parvuli, & vulgus ignobile absque numero præterm ittuntur.

Marci 6. *Joan.* 6.

S. Hieron. Pf. 77. *S. Jo. Chrys. Hom.* 50. *in Matt.*

S. Hieron. in hunc locum.

16. *Et statim compulit Jesus Discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare*. Statim atque satiatis turbis collecta sunt fragmenta quinque panum, ex quibus impleti sunt cophini duodecim, & miraculum multiplicationis panum evidenter illis innotuit, homines illi ipsum pro vero Messia cognoverunt. *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*. Jesus ergo cum eorum introspectis consiliis cognovisset, quod eum etiam invitum rapere & aliquo perducere vellent ac Regem constituere & inaugurare spe facilis alimoniæ: *Cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem*, compulit Discipulos suos ascendere in naviculam, & præcedere eum *trans fretum ad Bethsaidam*, ut expeditius turbas dimitteret, quæ præsentibus Discipulis semper adhæsissent, Christi ad ipsos reditum exspectantes. Verbum illud, *compulit*, indicat *Discipulos a Domino invitos recessisse; dum amore Præceptoris ne punctum quidem temporis ab eo volunt separari*. Et cum turbas Jesus dimisisset, in eundem montem, quo ante miraculum secesserat, ascendit secreto, *fugitque solus*, tum ut vim eorum, qui Regem ipsum creare statuerant, declinaret; tum ut in secessu oraret. *Vespere autem facto, solus erat ibi*. Cum S. Matthæus ante panum multiplicationem dicat, *Vespere autem facto*, quod tamen aliquot horis ante secundum illum Christi secessum in montem contigit, idemque hoc versu repetat; inde colligunt Interpretes, vespertinum tempus ab Hebræis in duas vesperas divisum, unam meridiei, alteram occasui propiorem, quarum initium esset tempus a quo sol incipit in occasum vergere: posteriorem Græcis & Latinis Auctoribus dici *serum vesperum*; quem S. Joannes his verbis significat: *Ut autem sero factum est, descenderunt Discipuli ejus ad mare*.

Marc. 6. 45.

S. Hieron.

Joan. 16. 16

17. *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus*. Cum Discipuli navem ascendissent, & trans mare seu lacum navigarent Capharnaum appulsuri, navicula in alto fluctibus jactabatur: tenebris, adversisque ventis periculi magnitudinem augentibus, absente Jesu, cujus præsentia & imperio tempestatem sedatum iri confidebant. Quod S. Joannes clarius exprimit: *Et cum ascendissent navim*, inquit, *venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant; & non venerat ad eos Jesus. Mare autem vento magno exsurgebat*.

Joan. 6. 17 & 18.

18. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare*. Cum jam promovissent remigando quasi stadia viginti quinque aut triginta, ut S. Joannes scribit, postrema noctis parte, ortui Auroræ vicina, venit ad eos Jesus ambulans super mare. Hebræi veteres noctem in tres vigilias dividebant, dum penes ipsos jus armorum fuit, singulas quatuor horarum. Prima dicitur principium vigiliarum, cap. 12. *Lamentationum Jeremiæ*, vers. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*. Qui per hanc noctis partem vigilabant, ibant cubitum, cum pars noctis altera inciperet, hisque succedebant excubitores alii per secundam noctis vigiliam, quæ dicitur media, seu vigilia noctis mediæ *Judicum* 7. cap. vers. 19. *Ingressusque est Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo in parte castrorum, incipientibus vigiliis noctis medię, & custodibus suscitatis cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas*. Tertia denique vigilia dicitur matutina *Exodi* 16. 25. *Jamque advenerat vigilia matutina*, &c. *S. Lucas* cap. 12. vers. 38. more veteri tertiam vigiliam pro ultima usurpat. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi*. At Romani noctem quatuor vigilias arte militari dividebant, quod vigiles quater mutarentur, singulis scilicet ternis horis noctis: cui mori jam a Pompeii temporibus Judæi assueverant. Hæ porro vigiliæ *Marci* 3. 10. vers. 3. sic explicantur: *Vigilate ergo, (nescitis enim quando Dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes*. Quarta igitur noctis vigilia, venit Jesus ad Discipulos, ambulans super mare illudque procellosum & sæviens, vi divina gravitatem corporis, seu potius gravitatis actionem impediente. Quo facto Christus divinam suam potentiam insigniter ostendit, sibique convenire quod de Deo scriptum est *Job.* 9. 8. 10. *Qui graditur super fluctus maris. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia quorum non est numerus*.

S. Hier. in hunc locum.

19. *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt*. Cum aliquem super undas ambulantem viderent, & Jesum esse non cognoscerent, putabant spectrum esse, aut spiritum humana forma indutum, sive Angelum, sive Dæmonem. Talia aliquando videri, vulgaris opinio erat, Scripturæ sacræ consona, atque a Pharisæis asserta, qui spiritus ut existere per se credebant & propugnabant contra Sadducæos, ita & indutos humana forma hominibus apparere. Metuebant autem Apostoli, tum quia mali spiritus noctu potius quam interdiu ostentare se creduntur: tum quia multis nocuisse aut nocere posse compertum erat; & præsens exitium navigantibus portendere credebantur. *Et præ timore clamaverunt*. Confusus timor, & incerta vox, magni timoris indicia sunt.

Lucæ 24. 37 *Act.* 12. 15.

S. Joan. 6. 14. & 15.

20. *Statimque Jesus locutus est, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere*. Ego sum, a quo nihil

S. Hieron. in hunc locum.

timere,

timere, a quo præsentissimum auxilium & liberationem ex periculo sperare debetis. Quod ait, Ego sum, nec subjungit quis sit, vel ex voce sibi nota poterant eum intelligere, qui per noctis obscuræ tenebras loquebatur: vel ipsum esse reputabant, quem loquutum ad Moysen noverant: *Hæc dices filiis Israel*: QUI EST, *misit me ad vos. Ego sum qui sum.* Naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone eloquitur. „ Non enim aliquid magis proprium „ Deo, quam esse, intelligitur: quia id ipsum quod est, „ neque desinentis est aliquando, neque cœpti. *Ego sum* „ *qui sum*. Numquid solus Deus erat, & cetera non e- „ rant? Utique Angeli, cœlum, terra, maria, & ipse „ Moyses, cui Dominus loquebatur, & Ægyptii ad quos „ & contra quos princeps & adversarius mittebatur, „ erant: & quomodo nomen commune substantiæ sibi pro- „ prium vindicat Deus? Illa (ut diximus) causa, quia „ cetera ut sint, Dei sumpsere beneficio: Deus vero qui „ semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui „ origo est, suæque causa substantiæ, nec potest intel- „ ligi aliunde habere quod subsistit. *Nomen* qui est, *il-* „ *lius maxime proprium*, qui erat, & est, & erit: qui- „ bus significandis temporibus unum nomen impositum est. „ QUI EST. *Quid est quod est?* Quod æternum est. Nam „ quod semper aliter atque aliter est, non est quia non „ manet: non omnino non est, sed non summe est. *Id* „ *Jesu Christo convenit, de quo Apostolus ait*: Jesus Chri- „ stus heri, & hodie; ipse & in sæcula. *Et Sanctus* „ *Joannes*: Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui „ erat, & qui venturus est. Ideo Apostolis in periculo „ constitutis ait: *Ego sum nolite timere.* "

Exodi 5.

S. Hil. l. 2. de Trinitate. S. Hier. in c. 3. Epistolæ ad Ephes.

S. Clemens Alex. lib. 1. Padag. c. 8.

S. Aug. Enar. in Ps. 121. Hebr. 13. 8. Apoc. 1. 4.

12. *Respondens autem Petrus dixit*: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* De Christi virtute non dubitabat, sed de persona Petrus. Credebat Christum omnipotentem esse, sed dubitabat num ipse Christus esset qui loquebatur. Petitio illa nec infidelitatis fuit, nec curiositatis, sed fiduciæ in Dominum Jesum: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*: Jube, & veniendi virtutem tribue. In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus. Interrogatis Discipulis quem homines dicerent Jesum, Dei Filium confitetur. Volentem ad passionem pergere, prohibet: & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu, nolens eum mori, quem Filium Dei fuerat paulo ante confessus. In montem cum Salvatore inter primos primus ascendit, & in Passione solus sequitur. Peccatum negationis, quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lachrymis. Post Passionem, cum essent in Lacu Genesareth, & piscarentur, & Dominus staret in littore, aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte suo, sive tunica, statim præcipitatur in fluctus. *Eodem igitur fidei ardore, quo semper, nunc quoque ceteris tacentibus credit se posse facere per voluntatem Magistri, quod ille poterat per naturam.* Jube me venire ad te super aquas. *Tu præcipe, & illico solidabuntur undæ: leve fiet corpus, quod per se grave est.*

S. Hier. in c. 14. S. Matth.

22. *Et ipse ait*: *Veni.* Christi jussione aucta est in Petri mente fides, nata in animo securitas. *Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.* Exsilivit e navi, ut occurreret Domino, *Non gloriæ cupidus, sed obedientiæ præmaturus.* Ambulabat super aquam, jubente ac juvante Christo, ne quis de veritate carnis ejus dubitaret, quasi super molles aquas molle & aereum corpus incessisset; cum de Petri natura veraque & humana carne nullus sit dubitandi locus.

S. Amb. l. de Incarnat. Domini Sacramento c. 4. S. Hieron. in hunc locum.

23. *Videns vero ventum validum, timuit*: *& cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.* Petrum aliquid humani pati, & timore percelli permisit Deus, ut perspecta fidei suæ teneritudine & infirmitate, nihil sibi, sed omnia Deo & Christo Jesu adscriberet, ejusque auxilium imploraret. „ Ardebat animi fides, sed „ humana fragilitas in profundum trahebat. Paululum „ ergo relinquitur tentationi, ut augeatur fides, & in- „ telligat se non facilitate postulationis, sed potentia „ Domini conservatum. *Clamavit dicens: Domine, sal-* „ *vum me fac.* Hic Piscator dum turbido agitatur salo, „ mobili mentes statione nutantes fundavit in petra.

S. Hier. in c. 14. S. Matt.

24. *Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Quam exigua, o Petre, fides tua, quam infirma! Cur inter fidem ac diffidentiam fluctuasti? *Super mare Petrus ambulans titubavit, non per imbecillitatem jubentis, sed per infirmitatem obedientis.* His Christi verbis Petri fides excitatur, cum admonetur, non vento & fluctibus, sed ab infirmitate fidei, submersionis periculum ipsi ingruisse.

S. Amb. lib. de Virginitate cap. 20. S. Amb. lib. de Incarn. Dom. Sacramento cap. 9.

25. *Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.* Cum Jesus in naviculam, qua ceteri vehebantur Apostoli, ascendisset una cum Petro, ventus sedatus est, tranquillumque mare factum, ut certo compertum haberent, ejus præsentia & imperio stetisse spiritum procellæ, & siluisse fluctus, seque ejus auxilio ereptos e præsenti periculo fuisse. Ait S. Joannes. *Voluerunt ergo eum accipere in navim: & statim navis fuit ad terram in quam ibant.* Quibus verbis non significat Christum non ascendisse in navim, sed Apostolos qui in ea remanserant, & eo absente in tanto periculo fuerant constituti, vehementer optasse ut in navim ascenderet, qua tamen ipsi non erat opus. Ut autem conscendit, non solum ventorum vis compressa est, & sedata tempestas, sed quasi momento navem appulit in portum, quo tendebant. *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt Deum, dicentes: Vere Filius Dei es*, qualem te ipse prædicas, non adoptione, sed natura. Vere Messias es a Deo promissus; non solum Filius Davidis, sed & Dei, ab æterno genitus, Patrique coæqualis, de quo scriptum est: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hanc autem Divinitatis suæ confessionem, non ab Apostolis modo, sed a nautis & vectoribus editam, tantum abest ut Jesus improbet, quin potius eam novis miraculis confirmat.

Joann. 6. 21.

Psalm. 2. S. Jo: Chrys. Hom. 51. in Matth.

26. *Et cum transfretassent, venerunt in Genesareth.* Cum in ulteriorem ripam trajecissent, venerunt in terram Genesareth, regionem in Tribu Nepthalim sitam juxta locum ejusdem nominis protensam, cis Jordanem, circa urbem Cenereth sive Ceneroth: quæ regio & civitas non est confundenda cum Gerasa urbe in dimidia Tribu Manasse sita ultra Jordanem, cujus incolæ Christum rogabant, ut ab eorum finibus discederet, postquam dæmones in porcorum gregem ingredi permiserat, ut Evangelista noster refert cap. 8. 34.

27. *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum ut vel simbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Cognoverunt eum rumore, non facie, vel certe pro signorum magnitudine quæ patrabat in populis, etiam vultu plurimis notus erat. Magna certe illorum hominum fides & charitas, qui non suorum tantum salute contenti sunt, sed mittunt ad alias in circuitu civitates, quo omnes currant ad Medicum. Et rogabant eum, ut vel extremam vestimenti ejus oram ipsos tangere permitteret: Et quicumque cum fide tetigerunt, sanati sunt ab infirmitatibus suis. Vis nempe divina & vivifica ab ejus divinitate & anima in corpus, & in ipsa vestimenta derivabatur: sicut unguentum quod ex capite Aaron descendebat in oram vestimenti ejus.

S. Hieron.

SENSUS MORALIS.

1. AUDIVIT *Herodes Tetrarcha famam Jesu: & ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & virtutes operantur in eo.* Joannis Baptistæ sanctitatem ipse Herodes illius interfector agnoscit. Tanta vis est virtutis & sanctitatis eximiæ. Sed agnoscit ad pœnam, non ad salutem. *Omnis* enim *inordinatus animus sibi ipsi est pœna.* Peccatoris indurati animo semper imago criminis obversatur. Id Gentiles ipsi agnovere. *Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.* Sed melius Sapiens. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Joannes quem ego decollavi, ipse est, hic resurrexit a mortuis. *Verum dicit: nam sicut in Christo mortui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus.*

S Auguſt. S. 17. 11. S. Petrus Chrysol. Serm 171.

2. *Herodes* enim *tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes*: *Non licet tibi habere eam.* Impudicus impatienter audit quicquid ejus adversatur cupiditati, quicquid ejus voluptates interturbat. Luxuria omnem boni affectum extinguit. *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina.* Nihil adeo sanctum est, quod suæ libidinis caulæ non violet, non perdat impudicus. Joannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, Joannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna Mundi, Præcursor Christi, mediator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis, datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. *Qui vincula solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, ut victa venia, locum veniæ non relinquat.* Herodes sedet in loco judicis reus, in loco vindicis, innocentiæ persecutor. Joannem alligavit, & in carcerem detrusit, sed veritas captiva non est: *Verbum Dei non est alligatum.* Dicebat enim illi Joannes: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Joannis zelum, fidelitatem, constantiam imitari debet Prædicator Evangelicus & Pastor animarum. Magnates & Principes arguere debet, monere, corripere cum simplicitate, cum modestia, cum prudentia & mansuetudine, ut cum Propheta dicere possit: „ Loquebar „ de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non con- „ fundebar. *Debet esse* in civitatem munitam, & in co- „ lumnam ferream, & in murum æreum super omnem „ terram, Regibus, Principibus, & populo terræ. *De-* „ *bet absque ambagibus, absque metu dicere ac prædica-* „ *re quod divinæ legis est*: Non licet. HERODEM Jo- „ annes

S. Petrus Chrysol. Serm. 172. Psalm. 118. Jerem. 1. 18. Job. 31. 12.

„ annes monitis, non accuſatione pulſabat, corrigere vo-
S. Petrus Chryſol. „ luit, non perire: ſed Herodes facibus libidinis ardens
„ perire maluit, quam redire, & uxorem fratris illicite
„ poſſidere. Captivis criminum, innocentiæ inimicis odio-
„ ſa fit ſemper libertas, virtus contraria otioſis, ſacri-
„ legis exoſa ſanctitas, inimica caſtitas impudicis, cor-
„ ruptis integritas pœna, crudelibus miſericordia, pie-
„ tas impiis, in juſtis juſtitia non ferenda. *Non licet*
„ *tibi habere uxorem fratris tui*. Ecce unde Joannes
„ offendit; ecce unde Herodes furit: Malos qui monet,
„ offendit; incurrit odium qui arguit criminoſos. Dice-
„ bat Joannes quod erat legis, quod juſtitiæ, quod ſa-
„ lutis; certe quod erat non odii, ſed amoris: ecce
„ qualem conſecutus eſt ab impio pro pietate mercedem.“
Volebat Herodes illum occidere. Lubenter illum audie-
bat, & audito eo multa faciebat, cum ſermones ejus in-
ceſtum & adulterium ipſius Herodis cum Herodiade non
ſpectabant, non arguebant: ſed illum occidere volebat,
cum ejus peccatum publicum, enorme, ſcandali plenum
S. Auguſt. arguens, dicebat: *Non licet tibi*: Sic multi *Veritatem*
amant lucentem, oderunt eam redarguentem.

S. Petrus Chryſol. 3. *Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut*
Prophetam eum habebant. Populum offendere timet, non
Deum. Mundanus carnaliſque timor manum ab externo
peccati opere prohibere poteſt, voluntatem mutare non
poteſt. *Factle devitat a juſtitia, qui in cauſis non De-*
um, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor peccandi facultа-
tem differre poteſt, auferre non poteſt voluntatem. Solus
Dei timor mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam
ſervat. Solus (inquam) timor caſtus, non ſervilis. Ser-
vilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere: Timor
tunc caſtus eſt, quo times Deo diſplicere,

4. *Die autem natalis Herodis, ſaltavit filia Herodia-*
dis in medio, & placuit Herodi. Unde cum juramento
pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. At illa
præmonita a matre ſua: Da mihi, inquit, hic in diſco
S. Petrus Chryſ. ſer. 127. *caput Joannis Baptiſtæ*. „ Hæc eſt mulieris antiqua ma-
„ litia, quæ Adam ejecit de Paradiſi deliciis: Hæc cœ-
„ leſtes homines fecit eſſe terrenos; hæc humanum ge-
„ nus miſit in infernum; hæc vitam abſtulit Mundo pro-
„ pter unius arboris pomum. Hoc malum, quod homi-
„ nes ducit ad mortem, fugit Elias Propheta, & cujus
„ lingua clavis facta eſt cœli, tanquam reus fugit a fa-
„ cie mulieris.“ *Die natalis Herodis, ſaltavit filia He-*
rodiadis, & placuit Herodi. Convivia, choreæ, ſpecta-
cula, ceteræque ſæculi & aulæ voluptates, occaſiones
ſunt & incentiva vitiorum. Extruitur regio luxu ferale
convivium, & explorato quando major ſolito turba con-
venerit, Reginæ filia intimis mandata ſecretis in con-
S. Amb. lib. 3. de Virginibus cap. 6. ſpectu virorum ſaltatura producitur. „ Quid enim potuit
„ de adultera diſcere, niſi damnum pudoris? An quid-
„ quam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis
„ motibus ea quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina
„ velavit, membrorum operta nudare, ludere oculis, ro-
„ tare cervicem, crinem ſpargere? Merito inde in in-
„ juriam divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecun-
„ diæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur?
„ . . . Quid dicitis vos, ſanctæ feminæ? Videtis quid
„ docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat,
„ ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt,
„ filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem . . . .
Idem cap. 5. * Cicero. „ Ibi intuita verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi co-
„ mes deliciarum eſt extrema ſaltatio. Nemo, ut dixit
„ * quidam ſæcularium doctor, ſaltat ſobrius, niſi in-
„ ſanit. Quod ſi juxta ſapientiam ſæcularem, ſaltationis
„ aut temulentia auctor eſt, aut amentia, quid divina-
„ rum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Jo-
„ annes prænuntius Chriſti, ſaltatricis optione jugulatus,
„ exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam
„ ſacrilegi furoris amentiam?“

Cum juramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtu-
laſſet ab eo; etiamſi dimidium Regni. *Vide*, inquit, S.
Ambroſius, *quemadmodum ſæculares ipſi de ſæcularibus*
ſuis judicant poteſtatibus, ut pro ſaltatione etiam Regna
donentur.

At illa præmonita a Matre ſua: Da mihi, inquit, in
diſco caput Joannis Baptiſtæ. Infelix mater, quæ filiam
prava inſtitutione ſua in naufragium pudoris impellit!
quæ filiam ſuarum cupiditatum ſociam, ultionis inſtru-
mentum, Prophetæ interfectricem efficit! *Pete a me quod*
S. Petrus Chryſolog. ſerm. 173. & 174. *vis*, inquit, *& dabo tibi*: *Et juravit illi*. „ Jurat mi-
„ ſer, dum quicquid honeſtatis eſt & virtutis, abjurat.
„ Quid peteret luxuria, niſi caſtitatis interitum, pudi-
„ citiæ necem, mortem ſibi contrariæ ſanctitatis? *Da*
„ *mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ*. Serpentis ger-
„ men caput hominis petit, cui ſuum caput ſententia prin-
„ cipali ſciebat addictum, dicente Deo: *Ipſe ſervabit ca-*
„ *put tuum, & tu illius obſervabis calcaneum*. Si caput
„ viri eſt, juxta Apoſtolum, Chriſtus, jam tunc novello
„ ore antiquiſſimus ſerpens, Chriſti Domini tendebat ad
„ mortem. *Volo ut mihi des in diſco caput Joannis Ba-*
„ *ptiſtæ*. Jam tunc avidus draco in ſervi capite Domini
Geneſ. 3. S. Jo. Chryſ. „ deguſtabat ſitiens paſſionem. *Da mihi in diſco*. Cur in
„ Diſco? Cur pretioſe geſtaſ, quem viliter occidis, niſi
„ quia *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus?*“ Non ſeorſim acceſſit, ac de cæde Prophetæ collocuta eſt ſaltatrix; ſed coram cunctis audientibus, velamine abjecto, nudo capite: „ Diaboli uſa patrocinio petitionem
„ peregit: ille enim effecit ut ipſa ſaltans placeret, ille
„ mentem Herodis eripuit. Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi
„ diabolus certe adeſt. Non enim ad tripudia pedes no-
„ bis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus: non
„ ut imprudenter camelorum more ſaliamus: (Nec enim
„ ſolum feminæ, verum etiam cameli turpiter ſaliunt,)
„ ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quod ſi
„ corpus deforme ſit impudenter ſaliendo, quanto ma-
„ gis animam fœdari credendum eſt? His tripudiis dia-
„ bolus ſaltat, his a dœmonum miniſtris homines deci-
„ piuntur . . . . Lachrymis dignam putemus Herodia-
„ dem, & omnes illius imitatores. Multa enim etiam
„ nunc hujuſmodi ſympoſita celebrantur: in quibus etſi
„ Joannes non interficitur, Chriſti tamen membra dila-
„ niantur, multoque graviora committuntur. Non enim
„ caput Joannis, qui modo tripudiant, ſed animas re-
„ cumbentium petunt. Cum enim voluptatum ſervos ef-
„ fecerint, & illicitis meretricum amoribus occupave-
„ rint, non caput a cervicibus, ſed animam a Chriſto
„ diſjungunt, adulteros, enerves, ac effeminatos ſpecu-
„ latores reddentes.“ Hom. 49. in S. Matth.

5. *Et contriſtatus eſt Rex: propter juramentum autem,*
& eos qui pariter recumbebant, juſſit dari. Sæpe reli-
gionis ſpecie graviſſima crimina perpetrantur. Humanis
rationibus, mundano timori ſalus immolatur. „ Quod di-
„ cit, *Rex contriſtatus eſt*; non pœnitentia Regis, ſed
„ confeſſio iniquitatis eſt: quam divinæ habet conſuetu-
„ do ſententiæ, ut qui geſſerunt impia, ipſi propria con-
„ feſſione ſe damnent. *Sed propter diſcumbentes*, inquit.
„ Quid indignius, quam ut homicidium fieri juberet,
„ ne diſcumbentibus diſpliceret? *Et propter juſjurandum.*
„ O religionem novam! tolerabilius pejeraſſet. Unde
„ non immerito Dominus in Evangelio jubet non eſſe
„ jurandum, ne ſit cauſa perjurii, ne ſit neceſſitas de-
„ linquendi. Itaque ne juſjurandum violaretur, percuti-
„ tur innocens. Tolerabiliora perjuria, quam ſacramen-
„ ta ſunt Tyrannorum . . . Sæpe plerique conſtringunt
„ ſeipſos jurisjurandi ſacramento: & cum ipſi cognove-
„ rint promittendum non fuiſſe; ſacramenti tamen con-
„ templatione faciunt quod ſpoponderunt; ſicut de Hero-
„ de ſcripſimus, qui ſaltatrici præmium turpiter promi-
„ ſit, crudeliter ſolvit. Turpe, quod Regnum pro ſalta-
„ tione promittitur: crudele, quod mors Prophetæ pro
„ jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali
„ fuiſſet perjurium ſacramento? Si tamen perjurium poſ-
„ ſet dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod evira-
„ tus inter ſaltantium choros promiſerat. Infertur diſco
„ Prophetæ caput: & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod
„ amentiæ fuit.“ S. Ambr. l. 3. de Virginibus c. 6. Idem lib. 5. de Officiis Miniſtrorum c. 12.

Et contriſtatus eſt Rex: propter juſjurandum autem,
& propter circumſtantes, juſſit dari. „ Sicut famulus
„ improbus herilem reprehenſionem metuens, ita Hero-
„ des Baptiſtam metuebat. Verus enim is eſt Dominus,
„ qui officium facit, non is qui purpuram geſtat, & ar-
„ morum robore præditus eſt. Cum igitur timori ſuo quaſi
„ velum quoddam obtendiſſet juriſjurandi religionem,
„ ſuæque improbæ voluntati præſtruxiſſet periculum, quod
„ ex eo impenderet, ſi perjurium committere videretur, ad
„ cædem proceſſit. Neque enim figuram ac ſtrepitum ju-
„ dicii, ſicut a multis (in cauſa ſimili) factum eſt, pro-
„ poſuit; neque accuſatores conſtituit, neque teſtes merce-
„ de conduxit, aut ſubornavit. Noverat enim, ſe non
„ eum hominem punire qui inique ageret, ſed qui injuſti-
„ tiam infectaretur. At ipſe quidem eo fine ut reprehen-
„ ſionem occultaret, improvide & abſque judicio ſcelus il-
„ lud perpetravit. Joannes autem non tacuit, ſed clarius
„ multo prædicat. Nam hodieque per omnem terrarum
„ orbem ubicumque ſol ſplendet, clamat: *Non licet tibi*
„ *habere uxorem Philippi fratris tui*.“ S. Iſidor. Peluſiota lib. 4. Epiſt. 96.

6. *Miſitque, & decollavit Joannem in carcere: Et al-*
latum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puellæ, &
attulit matri ſuæ. “ Non poſtulat Herodias, ut Joannes
„ coram interficiatur; nec enim etiam ad mortem euntis
„ libertatem ferre potuiſſet; ſed exhorruiſſet, etiam dum
„ necaretur, vocem illius: Non enim in extremo vitæ ſi-
„ luiſſet. Ideo, *Da mihi hic*, ait, *in diſco*. Magna enim
„ inflammata ſum cupiditate videndi linguam illam ſilen-
„ tem. Non enim effugere ſolum illius redargutiones cu-
„ piebat, ſed inſultare quoque ac illudere jacenti. Deus
„ autem ſuſtinuit, nec fulgure combuſta impudentiſſima
„ illa facies eſt, nec terræ hiatu turpiſſimum illud eſt
„ abſorptum convivium: ut & juſtus ille fulgentiores co-
„ ronas conſequeretur, & qui poſtea injuriam paſſuri eſ-
„ ſent, hoc exemplo corroborati, æquiori animo cuncta
„ perferrent: intelligamus hæc omnes, qui ſtudioſe vi-
„ ventes a pravis vexamur hominibus. Intelligamus De-
„ um tunc ſuſtinuiſſe illum qui in eremo, cilicio indu-
„ tus, zona pellicea præcinctus vixerat, Prophetam, &
„ plus quam Prophetam, quo nemo major inter natos
„ mulierum ſurrexit, a petulantiſſima puella, & impu-
„ dentiſ- S. Jo. Chryſ. Hom. 49. in Matth.

„ dentissimo scorto jugulari, præsertim cum leges divinas „ defenderet. Hæc cogitantes, magno feramus animo, „ quæcumque patimur. "

Fidelis Christi Minister, Pastor, Prædicator, Doctor, ad Martyrium pro defensione Christianæ & Catholicæ veritatis, pro Dei lege, pro virtutis bono subeundum paratissimus esse debet, nec peccatis unquam connivere, aut peccatoribus adulari: *Sacerdos Christi Evangelium tenens,* S. Cyprian. *& præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest.* Occisus est Joannes Baptista, non victus ab Herode. „ Ve- S. Petr. „ stimentum Joseph, cum adulteram fugeret, dereliquit: Chrys. serm. „ Joannes ne videret adulteram, ipsum projecit & corpus. 174 „ Joseph, ne adulterium faceret, libens carcerem susce- „ pit: Joannes, ut argueret adulterium, eremum carce- „ re commutavit. Joseph, somnia dum revelat, evasit ex „ morte: Joannes, ut Dei Filium revelaret, suscepit & „ mortem. Joseph, dum panem præparat temporalem, ex „ auro torquem meruit & honorem: Joannes ut ostende- „ ret cœlestem credentibus Panem, martyrii torquem me- „ ruit ex cruore. Merito in natis mulierum cunctis ma- „ jor Joannes, qui non solum adulteras arguit, sed & li- „ cita mulierum consortia virginitatis amore calcavit. Et „ si Joannes tantus, Joannes talis, tanta eremo separatus a „ feminis, feminarum pericula non evasit: quis est, qui „ inter feminas vivens, evasurum se sine labore maximo, „ maxima sine cautione confidit, nisi is qui sancto ali- „ tur Spiritu? "

7. *Et accedentes Discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud; & venientes nuntiaverunt Jesu.* In omnibus calamitatibus & tribulationibus, in charissimorum nostrorum amissione, ad Jesum eundum, ab ipso uno solatium quærendum est, exemplo Discipulorum Joannis, qui id utique a Sanctissimo Præceptore didicerunt.

Can. 3. 2. & 3. Ps. 54. 11. & 12. 8. *Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.* Christum in desertum abeuntem turbæ majori fervore sequuntur. Cum a nobis recedere velle Christus videtur, tempore afflictionis, tentationis, desolationis interioris, tunc majori studio & ardore quærendus est: sed in sacro secessu, procul a Mundi tumultibus quærendus, ibi invenietur ab anima fideli. *Surgam* (inquit Sponsa) *& circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Non pedibus corporis, sed affectibus mentis de civitate exeundum, de qua Propheta: *Vidi*, inquit, *iniquitatem & contradictionem in civitate, Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia: & non defecit de plateis ejus usura & dolus.* De medio Babylonis fugiendum, ut Jesum sequamur, & inveniamus.

9. *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.* Summus Pastor animarum nostrarum non ægre fert quod a turbis in suo secessu interpelletur. Hujus exemplun Sacerdotes imitentur, & otium sacrum, secessum, quietem suam interpellari lubenter patiantur, occasione data laborandi pro Dei gloria, & animarum salute. *Otium sanctum quærit charitas veritatis: Negotium justum suscipit necessitas charitatis.*

S. Aug. l. 19 de Civ. Dei cap. 19. „ Si autem confregit animum tuum alterius actionis, cui „ tamquam magis necessariæ suspensus eras, omissio, & S. Aug. lib. de Catechizand. Rudib. c. 14. „ propterea tristis insuaviter catechizas: cogitare debes, „ excepto quod scimus misericorditer nobis agendum esse „ quicquid cum hominibus agimus, & ex officio sinceris- „ simæ charitatis; hoc ergo excepto, incertum esse quid „ utilius agamus: & quid opportunius aut intermittamus, „ aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum, „ pro quibus agimus, qualia sint apud Deum, non no- „ vimus, quid eis ad tempus expediat aut nulla aut te- „ nuissima & incertissima conjectura suspicamur, potius „ quam comprehendimus. Quapropter res quidem a- „ gendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo „ modo quo statuimus, si peragere potuerimus, non ideo „ gaudeamus quia nobis, sed quia Deo sic eas agi pla- „ cuit: si autem aliqua inciderit necessitas qua noster il- „ le ordo turbetur; flectamur facile, ne frangamur; ut „ quem Deus nostro præposuit, ipse sit noster. Æquius „ est enim, ut nos ejus, quam ut ille nostram volun- „ tatem sequatur. Quia ordo agendarum rerum, quem „ nostro arbitrio tenere volumus, ille utique approban- „ dus est, ubi potiora præcedunt. Cur ergo nos dole- „ mus homines a Domino Deo tanto potiore præcedi, „ ut eo ipso quo nostrum amamus ordinem, inordinati „ esse cupiamus? Nemo enim melius ordinat quid agat, „ nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate „ prohibetur, quam cupidior agere quod humana medi- „ tatione meditatur. Quia MULTÆ cogitationes sunt Prov. 19 51 „ in corde viri, consilium autem Domini manet in æ- „ ternum. "

Exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & Natal. Alex. *In Evang.* *curavit languidos eorum.* Quanta miseratione curat Christus infirmitates animarum, si tanta curat ægritudines corporum! „ Si quisquam corpore ægro- „ taret in civitate, & esset ibi aliquis peritissimus S. Aug. „ Medicus, amicis ægroti potentibus inimicus: si serm. 87. a „ quisnam ergo in civitate aliquo periculoso morbo æ- lias 59. d „ grotaret, & esset in eadem civitate peritissimus Me- Verbis Do „ dicus, amicis, ut dixi, ægroti potentibus inimi- mini c. 10. „ cus, qui dicerent amico suo, Noli eum adhibere, & 11. „ nihil novit: dicerent autem non judicante animo, „ sed invidente: nonne ille pro salute sua removeret „ amicorum potentium fabulas, & ut paucis diebus „ plus viveret cum illorum qualibet offensione, pellen- „ do sui corporis morbo Medicum illum, quem peri- „ tissimum fama commendaverat, adhiberet? Ægro- „ tat humanum genus non morbis corporis, sed pec- „ catis. Jacet toto orbe terrarum ab Oriente usque „ in Occidentem grandis ægrotus. Ad sanandum gran- „ dem ægrotum descendit omnipotens Medicus. Humi- „ liavit se usque ad mortalem carnem, tamquam us- „ que ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, con- „ temnitur: qui audiunt, liberantur. Contemnitur, „ cum dicunt amici potentes, Nihil novit. Si nihil „ nosset, potentia ejus gentes non impleret. Si nihil „ nosset, non esset antequam apud nos esset. Si nihil „ nosset, Prophetas ante se non mitteret. Nonne mo- „ do implentur quæ ante prædicta sunt? Nonne probat „ Medicus iste artis suæ potentiam promissa complendo? „ Nonne per totum mundum pernicioso evertuntur erro- „ res & tritura Mundi domantur cupiditates? Nemo di- „ cat, Antea melior erat mundus quam modo: ex quo „ cœpit iste Medicus artem suam exercere, multa vi- „ demus horrenda. Noli mirari. Ante quam aliquis cu- „ raretur, munda a sanguine statio Medici videbatur: „ immo jam tu hoc videns, excute vanas delicias, veni „ ad Medicum: sanitatis tempus est, non voluptatis. „ Curemus ergo, Fratres, si necdum Medicum agnosci- „ mus, non in eum tamquam phrenetici sæviamus: non „ ab eo tamquam lethargici avertamur: Multi enim sæ- „ viendo, multi dormiendo perierunt. Phrenetici sunt, „ qui non dormiendo insaniunt. Lethargici sunt, qui „ multum dormiendo premuntur. Prorsus tales sunt ho- „ mines. Contra istum Medicum alii sævire in eum vo- „ lunt, & quoniam ipse jam in cœlo sedet, membra e- „ jus fideles in terra persequuntur. Curat & tales. Mul- „ ti ex eis conversi, ex inimicis facti sunt amici, ex per- „ secutoribus facti sunt prædicatores. Tales etiam ipsos „ Judæos, in se ipsum, cum hic esset, sævientes tan- „ quam phreneticos sanavit, pro quibus in ligno pendens „ oravit. Multi eorum sedato furore, tamquam phrene- „ si oppressa, cognoverunt Deum, cognoverunt Christum. „ Post Ascensionem misso Spiritu Sancto, conversi sunt ad „ eum quem crucifixerunt, & in Sacramento credentes „ sanguinem ejus biberunt, quem sæviendo fuderunt. Ha- „ bemus exempla. Persequebatur membra ejus jam sedentis in cælo Saulus: persequebatur graviter in phrenesi „ mente perdita, morbo nimio. At ille una voce de cœ- „ lo clamans eum, *Saule, Saule, quid me persequeris?* „ percussit phreneticum, erexit sanum, occidit persecu- „ torem, vivificavit prædicatorem. Etiam lethargici multi „ sanantur. Ipsis enim similes sunt qui non sæviunt in „ Christum, nec malitiosi sunt adversus Christianos, sed „ tantum differendo languescunt verbis somnolentis, in „ lucem oculos extendere pigrescunt, & illis qui eos excita- „ re volunt, molesti sunt. Recede a me, inquit langui- „ dus lethargicus, obsecro te, recede a me. Quare? Dor- „ mire volo. Sed morieris inde. Ille amore somni, Mo- „ ri volo, respondet. Et charitas desuper, Nolo. Ple- „ rumque istum charitatis affectum, exhibet filius etiam „ patri seni morituro post paucos dies, jam utique æta- „ te finita. Si lethargicum videt, & lethargico morbo „ premi patrem suum a Medico agnoscit, dicente sibi, „ Excita patrem tuum, noli eum permittere dormire, si „ vis ut vivat. Adest puer seni, pulsat, vellicat, pungit, „ pietate molestus est: nec mori cito permittit ipsa sene- „ ctute cito moriturum, & si vixerit, gaudet filius, ut „ aliquanto plures dies vivat cum decessuro succesurus. „ Quanto majore charitate nos amicis nostris molesti esse „ debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, „ sed apud Deum in æternum vivamus? Sic misericor- „ diam cælestis Medici Christi Jesu imitabimur. "

10. „ Vespere autem facto, accesserunt ad eum Disci- „ puli ejus dicentes, Desertus est locus, & hora jam „ præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella emant „ sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse „ ire: Date illis vos manducare. Responderunt ei: Non „ habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui „ ait eis: Afferte illos mihi huc. Et cum jussisset tur- „ bam discumbere super fœnum, acceptis quinque pani- „ bus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedi- „ xit, & fregit, & dedit Discipulis panes; Discipuli „ autem turbis. Et manducaverunt omnes, & satura- „ ti sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos „ fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit nu- „ merus

„ merus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & „ parvulis. “ Charitas Apoſtolorum ſollicita eſt de proximorum neceſſitatibus ſublevandis. Illorum charitatem ac piam ſollicitudinem imitari debent Paſtores & Sacerdotes, nec verbo ſolum & exemplo eſurientes animas, ſed & cibo corpora indigentium paſcere, ſibique dictum a Chriſto exiſtimare in Apoſtolorum perſona: *Date illis vos manducare*. Hac ſollicitudine *Sanctus Cyprianus* ſcribebat ad Clerum ſuum Carthaginenſem: „ Vice mea (*inquit*) „ fungamini circa gerenda ea quæ adminiſtratio religioſa depoſcit. Habeatut interim quantum poteſt, & quomodo poteſt, pauperum cura; ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes, Chriſti gregem non reliquerunt: ut his ad tolerandam penuriam ſumptus per veſtram diligentiam ſuggeratur, ne quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis impertiatur cura propenſior: & quamquam ſciam plurimos ex his fratrum voto & dilectione ſuſceptos: tamen ſi qui ſunt qui vel veſtitu, vel ſumptu indigeant, ſubminiſtrentur eis quæcumque ſunt neceſſaria.“ Hac ſollicitudine S. Ambroſius æſtuabat, qui libro 2. *De Officiis Miniſtrorum*, ſcribit: „ Hoc maximum „ incentivum miſericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, neceſſitates aliorum, quantum poſſumus, „ juvemus, & plus interdum quam poſſumus. Melius eſt „ enim pro miſericordia cauſas præſtare, vel invidiam „ perpeti, quam prætendere inclementiam; ut nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vaſa „ myſtica, ut captivos redimeremus . . . . . Aurum „ habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget; & „ ſubveniat in neceſſitatibus . . . . . Nonne melius vaſa „ ſacra conflant Sacerdotes propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ut ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus, Cur paſſus es tot inopes fame mori? “ Hac ſollicitudine laborabat Sanctus Exuperius Toloſanus Epiſcopus, qui & ſe ipſum & Eccleſiam ſuam ad ſummam paupertatem redegerat, ut pauperes juvaret, de quo Sanctus Hieronymus ſcribit: „ Viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis, „ fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui Corpus „ Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.“ Hanc ſollicitudinem & charitatem Epiſcopalis Muneris propriam eſſe Gallicana Eccleſia agnovit in Concilio Aurelianenſi 1. cujus hæc ſunt verba: *Epiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur*. Si multum habent Eccleſiaſtici Viri, multum erogent; ſi exiguum, libenter impendant. Obediant Domino jubenti: *Afferte mihi huc*. Afferant Chriſto quod Chriſti eſt: bona quorum diſpenſatores ſunt, non domini: *Patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum*. Chriſtus autem Dominus exiguum illud multiplicabit & augebit in manibus erogantium eleemoſynam, ſicut multiplicavit benedictione ſua quinque panes, & duos piſces. Sane ſi facultates terrenas non multiplicat, non auget, ut viduæ Sareptanæ aliiſque miſericordiam exercentibus præſtitit, quotidieque præſtat, *Auget incrementa frugum juſtitiæ*: & majora præſtantioraque bona reddit iis qui eleemoſynas erogant. „ Potens „ eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in „ vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum „ eſt; Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet „ in ſæculum ſæculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum „ juſtitiæ veſtræ: ut in omnibus locupletati, abundetis „ in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum „ actionem Domino; “ (inquit Apoſtolus). *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis* (ait Sapiens) *& viciſſitudinem ſuam reddet ei*. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Pauca vis dare, & plura accipere? relinque hominem, qui plangit quando exigis; me inveni, qui gaudeo, quando reddo. Ecce adſum: da, & ſume; tempore redditionis reddam tibi. Et quid reddam? *Pauca dediſti, plura ſume: terrena dediſti, cœleſtia ſume: temporalia dediſti, æterna ſume: mea dediſti, me ipſum ſume. Quid enim dediſti, niſi ex eo quod a me accepiſti? Quod dederis non reddo, qui unde dares dedi? Qui te ipſum qui dares, dedi; qui tibi Chriſtum cui dares, dedi, qui tibi diceret*: Quando uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti? *Ecce cui das, paſcit, & eſurit propter te; donat, & eget. Quando donat, vis accipere: quando eget, non vis dare. Eget Chriſtus, quando eget pauper: Qui omnibus ſuis vitam æternam paratus eſt dare, in unoquoque paupere temporaliter dignatus eſt accipere*.

11. In hoc miraculo Chriſti egregium habes divinæ providentiæ documentum, quæ omnium hominum, ac præſertim cultorum & amicorum ſuorum neceſsitatibus abunde providet. *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem* (ait Propheta.) *Igitur jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Non dabit in æternum fluctuationem juſto*. Sed etſi ſubtrahat aliquando & ſervis ſuis cibum temporalem, ad ſalutem ſubtrahit. *Novit Medicus quando apponat, quando detrahat, ſicut nobis judicat expedire*. Sed tamen & egenis quod neceſſe eſt providentia ſua ſubminiſtrat, aut per ſe ipſum immediate, aut per divites, quos providentiæ ſuæ miniſtros in ſublevandis pauperum neceſſitatibus conſtituit. Divites enim & pauperes in ſinu divinæ providentiæ pariter educantur: *Simul in unum dives & pauper*. Pauperes divitum providentiæ & curæ a Deo committuntur in hac vita temporali: *Tibi derelictus eſt pauper*. Divites quoad futuræ vitæ bona pauperum providentia juvantur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Nec temporalem dumtaxat, ſed ſpiritualem cibum omnibus affatim Deus tribuit, verbum ſuum, gratiamque ſuam: Non enim *ex ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*. Inquirentes autem Dominum non deficiunt omni bono, ſed guſtant & vident quia ſuavis eſt Dominus, qui ipſos in omni tribulatione conſolatur, & reficit. Cœleſtem divini verbi alimoniam populo miniſtrare, Apoſtolorum officium eſt, & Epiſcoporum qui Apoſtolis ſucceſſerunt, præcipuum munus, exindeque ſecundi Ordinis Paſtorum & Sacerdotum, qui ab Epiſcopis velut adjutores in vineæ dominicæ cultura aſſumuntur & mittuntur, miniſterium. *Date illis vos manducare*. Rationem reddent ſummo Paſtori, graviſſimaſque dabunt pœnas, ſi illorum culpa turbæ patiantur *famem verbi Dei*; ſi dicatur, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Fregit & dedit Diſcipulis panes, Diſcipuli autem turbis, & manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. „ Hic panis quem frangit Jeſus, myſtice ver„ bum Dei eſt, & ſermo de Chriſto; qui cum dividitur, „ augetur: de paucis enim ſermonibus omnis populis redun„ dantem alimoniam miniſtravit. Dedit ſermones nobis ve„ lut panes, qui in noſtro dum libantur ore, geminantur. „ Viſibiliter quoque panis iſte incredibili ratione dum fran„ gitur, dum dividitur, dum editur, ſine ulla diſpendii „ comprehenſione cumulatur. Nec dubites vel quod in „ manibus miniſtrantium, vel in ore edentium creſcat; „ quando ubique noſtri operis teſtimonium ad firmamen„ tum credulitatis adſciſcitur.... Conferant Gentiles, ſi „ placet, cum Chriſti beneficiis Deorum ſuorum non fa„ cta, ſed ficta. Ferunt certe eorum fabulæ fuiſſe Regem „ quemdam, qui quicquid tangebat, aurum fiebat. Sed „ etiam convivia ipſa feralia; nam & ipſa mantilia di„ gitis apprehenſa riguerunt: & cibus in ore crepitabat, „ ferens non alimenta, ſed vulnera: & in gutture potus „ hærebat, nec penetrare facilis, nec redire. Digna be„ neficia votis, digna tanto munera peccatore, digna li„ beralitas conferente. Talia ſunt idolorum beneficia; ut „ cum videntur prodeſſe, plus noceant: at vero Chriſti mu„ nera parva videntur, & maxima ſunt.“ Teſtimonia Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum.... Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti. „ Denique non „ uni collata, ſed populis; nam & cibus edentium in ore „ creſcebat, & videbatur eſſe corporalis alimoniæ, ſed „ ſumebatur ſalutis æternæ. Nec otioſe quæ turbæ ſuper„ ſunt, a Diſcipulis colliguntur, quia ea quæ divina ſunt, „ apud electos facilius poſſis quam apud populos reperire. „ Utinam mihi contingat audire: Collige quæ ſuperiunt. „ Si audiero & fecero, habebo multa quæ turbæ, ha„ bebo multa quæ pueri & mulieres edere nequiverunt. „ Beatus ille qui poteſt colligere quæ etiam doctis ſuper„ ſunt. Videamus quomodo colligat: Dixit Lex, „ *Non Mœchaberis*. Fregit hunc panem Chriſtus, di„ viſit hoc verbum, non aliunde adjiciens; ſed de ſuo „ partiens: Qui viderit, *inquit*, mulierem ad con„ cupiſcendum, jam mœchatus eſt eam. *Habes fragmen„ tum de ſuo. Addidit*: Si oculus tuus dexter ſcandalizat „ te, erue eum. *Habes aliud*. Et ſi dextra tua ſcan„ dalizat te, abſcinde eam. *Et*, Qui dimiſſam a vi„ ro duxerit, mœchatur. *Vides ex uno quam mul„ ta fragmenta. Moyſes dicit, quod* Abraham duos „ filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: „ *Paulus dicit*: Hæc ſunt duo Teſtamenta. Diviſit hoc „ verbum, & invenit myſterium. Beatus ergo qui colli„ git quæ dividit Chriſtus. Qua ratione autem cophi„ nos duodecim Chriſtus implevit, niſi ut illud „ populi Judaici ſolveret: *Quia manus ejus in cophino „ ſervierunt*? Hoc eſt, Populus qui ante lutum in „ cophinis colligebat, hic jam per crucem Chriſti „ vitæ cœleſtis operatur alimoniam, & ad fidei cibum „ congerit, ubi erat ante cœnum gentilis perfidiæ. Nec „ paucorum hoc munus, ſed omnium eſt. Nam per „ duodecim cophinos tamquam tribuum ſingularum fi„ dei firmamentum redundat. PANIS enim confirmat „ cor hominis.“

12. *Et cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit Diſcipulis panes, Diſcipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt*, &c. Conſecrationis & ſanctæ Communionis Euchariſtiæ miraculum iſtud figura eſt. In hoc nempe

Sanctiſ-

S. Cyprianus Epiſt. 6.

S. Ambr. lib. 2. de Officiis c. 28

S. Hieronym Epiſt. 4.

S. Bernard. & Concilia.

2. Corinth. 9.

Prov. 9. 17.

S. Aug. ſer. 38. alias de Tempore 245. c. 6.

Pſalm. 36. 25.

Pſalm. 54 23.

S. Aug. lib. 2. de Sermone Domini in Monte cap. 17.

Pſalm. 48. 3.

Pſal. 10. 14

Lucæ 16. 9.

Matth. 4.

Thren. 4. 4.

S. Amb. l. 6. in S. Lucam n. 86. & ſeq.

Pſal. 118. 72.

Pſal. 18. 11.

Exod. 20. 14.

Matth. 5. 24. 30.

Lucæ 16. 19.

Gal. 4. 22. & 24.

Pſal. 80. 7.

Pſ. 203. 16.

Sanctissimo Sacramento, panis Christi benedictione verbisque consecratur, & in Corpus ejus mutatur. Christus Corpus suum, cœlestem panem Apostolis in ultima cœna dedit, iisque Novi Testamenti Sacerdotibus inauguratis potestatem fecit illud idem sub specie panis quem ejusdem Domini Jesu mysticis verbis consecrassent, Fidelibus distribuendi. Christi Corpus sacratissimum, idem substantialiter manens, sacramentaliter multiplicatur, seu realem in sacramento præsentiam acquirit pro signorum numero multiplicem. Qui cœlestem illum panem, Corpus (inquam) Christi manducant cum debitis animi dispositionibus, spiritaliter eo nutriuntur &, satiantur. *Caro Christi Corpore & Sanguine vescitur ut anima de Deo saginetur.* Sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Non quicumque manducant spiritaliter reficiuntur & satiantur, nisi spiritaliter comedant, fide, spe, charitate Christo incorporentur ut vivificentur. „ Vota mea reddam in conspectu timentium „ eum. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt „ Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in „ sæculum sæculi. *Quæ sunt vota sua?* Sacrificium quod „ obtulit Deo. Nostis quale sacrificium: Norunt Fideles „ vota quæ reddidit coram timentibus eum. *Edent pauperes, & saturabuntur.* Beati pauperes, quia ideo esuriunt ut satientur. Qui autem divites sunt, non satiantur, quia non esuriunt. Comedent pauperes. Inde erat piscator ille Petrus, inde erat alius Piscator Joannes, & Jacobus frater ipsius; inde erat etiam publicanus Matthæus. De pauperibus ipsi erant, „ qui comederunt & saturati sunt, talia passi, qualia „ manducaverunt. Cœnam suam dedit, passionem suam „ dedit: ille saturatus, qui imitatur. Imitati sunt pauperes: Ipsi enim sic passi sunt, ut Christi vestigia sequerentur. Edent pauperes. Sed quare pauperes? Et „ laudabunt Dominum qui requirunt eum. Divites se „ laudant, pauperes Dominum laudant. Quare sunt „ pauperes? Quia Dominum laudant, & Dominum quærunt. Dominus est divitiæ pauperum. Ideo inanis est „ domus, ut cor plenum divitiis sit. Divites quærunt „ unde arcam impleant, pauperes quærunt, unde cor „ impleant: & cum impleverint, laudant Dominum qui „ requirunt eum. Et videte, Fratres, qui vere pauperes sunt, cujus rei divites sunt: quia non in arca, „ non in horreo, non in apotheca: VIVENT corda eorum in sæculum sæculi.“

Tertull.

Ps. 21. 27.

S. Augusti: Enarrat. 21. in Ps. 21.

13. *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.* Discipulos in naviculam ascendere compulit Christus, & præcedere eum trans fretum, donec turbas dimitteret: cum ut Discipulos absentia sua magis corroboraret, accuratiori eorum experientiæ miraculum editum multiplicationis quinque panum permittens, cujus monumenta secum trajiciebant, cophinos duodecim fragmentorum: tum ut eorum fidem orta tempestate probaret, exerceret, augeret: tum ut doceret nos, inanem gloriam numquam aucupandam esse neque semper multitudini adhærendum. Quamobrem & ipse ascendit in montem solus, ut discamus, non semper cum multis esse conversandum, neque semper multitudinem fugiendam; sed alternis id faciendum; Sacerdotes & Prædicatores Evangelii, Pastoresque quos Sacri Ministerii necessitas cum turbis versari frequenter compellet, sacrum secessum interdum quærere & eligere debere, deserta loca, solitudinem, Seminaria, Monasteria adire, ac dierum aliquot intervallo in iis morari, orationis & spiritualis exercitationis causa. Discamus & nos a mundo, turbisque, a cupiditatum & sæcularium negotiorum tumultu, mente & animo recedendum; ascendendum in montem, cor ad Deum sursum erigendum, solitudinem quærendam; silentium servandum cum hominibus, si cum Deo in oratione recte ac fructuose colloqui velimus: *Ascendit in montem solus orare. Et vespere facto solus erat ibi.* Discamus etiam nos Christo adhærere, non corruptibilium rerum amore, ne nobis exprobret, ut Judæis: *Quæritis me, non quia signa videtis, sed quia saturati fuistis ex panibus.* Quapropter nec crebro istud miraculum multiplicationis panum, sed bis tantum operatus est, ut doctiores omnes redderet: non esse ventri serviendum, sed jugiter in spiritualibus permanendum. Sic igitur faciamus: quæramus diligenter Panem illum cœlestem, quo accepto, sæcularium omnium rerum curam abjiciamus. Nam illi domo patria propinquis omnibus neglectis, in deserti locis cum Christo morabantur nec inedia urgente recedebant; quid facere nos oportet, qui in tali tantaque Mensa recumbimus? Majorem certe sapientiam afferre nos oportet, spiritualia semper appetere, necessaria vero ad sustentationem corporis secundo ac minus præcipuo loco desiderare. Nam illos increpari videmus, non quia propter panes, sed quia propter id solum ac potissimum Christum quærebant. Caveamus igitur: nam si quis magna & mirabilia dona negligit, & parva diligentius sectatur, quę contemnenda ceniet is, qui ea largitur, etiam magna illa perdit: quemadmodum si illa sectatur, hæc quoque parva sibi accidunt. Magnis enim parva, non e contra in accessionem data sunt. Hæc autem caduca & instabilia, etiamsi maxima in se videantur, tamen illis collata, parva & vilia comperiuntur. Non ergo iis studeamus, sed tam possessionem, quam privationem indifferentem arbitremur. Jobum imitati, qui neque cum hæc adessent, his vehementius detinebatur; neque cum abessent, valde quærebat.

S. Jo. Chrys. Hom. 46. in S. Matth.

14. *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus*, &c. Tempestate non minori quam prius, navigantes Apostoli jactantur, hoc discrimine, quod in priori Jesus cum illis erat in navi, nunc vero ab illis navigantibus & in periculo constitutis desideratur. Quod divino ita dispositum est consilio, ut paulatim ad majora perducti, excelso ac forti animo cuncta perferre discerent. Idcirco præsens quidem erat in primo periculo, sed dormiebat, ut non longe salutem abesse crederent. Nunc vero firmiorem illorum animum faciens, cum omnino absit, in medio Mari tempestatem exoriri sinit, ne aliunde salutis spem expectent: atque etiam tempestate ipsos per totam noctem laborare permittit: ut tempestatis & temporis errore perculsi, magis ipsum desiderarent, ac firmam ejus atque perpetuam memoriam retinerent. Quapropter nec confestim periclitantibus succurrit, sed quarta vigilia in Mari ambulans, venit ad ipsos; erudiens nos non esse cito solutionem calamitatum quærendam, sed magno animo adversa perferenda. Cum igitur jam confestim se liberatum iri crederent, tunc majoris calamitatis terrore percussi sunt. Nam *videntes eum super Mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.* Ad tempestatis terrorem non minor a visu terror accessit: neque tenebras omnino dispulit, aut se statim manifestavit Jesus, ut periculorum frequentia fortiores redderentur. Hoc & in Job factum fuisse videmus. Nam cum tentationi finem Deus allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico liberorum mortem, non stulta verba uxoris, sed servorum atque amicorum exprobrationes. Similiter cum de afflictione peregrinationis Jacob liberaturus esset, major turbatio accidit: Socer enim eum persecutus, mortem minabatur, & paulo post frater successit, qui majorem illi timorem incussit. Id etiam in Abrahamo factum non ignoramus: ultima enim atque terribili illa tentatio fuit de filii immolatione. Hoc igitur etiam nunc factum videmus. Nec enim prius se Christus revelavit quam magnitudine terroris superati omnes, una voce inclamassent.

S. Jo. Chrys. ibidem.

15. *Navicula autem in medio Mari jactabatur fluctibus*, &c. Ecclesia naviculæ instar est, in hoc mundo velut in medio Mari fluctuantis: persecutionum periculis expositi sunt ejus Ministri: ventis tentationum continuo pulsantur ejus filii: sed non deserit eos Jesus, si ipsi fideles sint, in eumque tunc magis sperent, cum magis destituti, graviusque tentati videntur. Ad illos venit in necessitatibus, in tribulatione, in tenebris, in umbra mortis, si ipsum diligere & gratiæ ejus auxilium implorare non cessent. Christi præsentia in Ecclesia, operatio per gratiam interiorem, per Sacramenta, per Sacerdotes suos in servis suis, cum fluctibus & procellis tentationum & persecutionum agitantur, pro phantasmate & illusione haberi non potest, quia vox Christi in Scripturis Sacris loquentis præsentiam ejus confirmat: fiduciæ in illorum animis operatio ipsum adesse demonstrat. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere.* Tamdiu imminens naufragium perseverat, quamdiu Jesus veniat (inquit S. Hieronymus.) In omnibus quæ fecit Dominus, admonet nos quemadmodum hic vivamus. “ Nemo quip- „ pe in hoc sæculo non peregrinus est. Quamvis non „ omnes ad patriam redire desiderent. Ex ipso autem itinere fluctus tempestatesque patimur: sed opus „ est, vel in navi simus. Nam si in navi pericula „ sunt, sine navi certus interitus. Quantasvis enim „ vires lacertorum habeat, qui natat in pelago, ali- „ quando magnitudine maris victus absorbetur & mergitur. Opus est ergo ut in navi simus, hoc est, ut „ in ligno portemur, ut Mare hoc transire valeamus. „ Hoc autem lignum quo infirmitas nostra portatur, Crux „ est Domini, in qua signamur, & ab hujus Mundi sub- „ mersionibus vindicamur. Patimur fluctus: sed ille Deus „ est, qui opituletur nobis. Quod enim ascendit relictis „ turbis solus in Montem Dominus orare, Mons ille alta cœlorum significat. Relictis enim turbis solus post „ Resurrectionem Dominus ascendit in cœlum, & *Interpellat pro nobis Pontifex & Advocatus precum nostrarum*. Interea navis portans Discipulos, id est, „ Ecclesia, fluctuat & quatitur tempestatibus tentationum; & non quiescit ventus contrarius, id est, ad- „ versans ei diabolus, & impedire nititur ne perveniat ad „ quietem. Sed major est qui interpellat pro nobis: Nam „ in ista nostra fluctuatione, in qua laboramus, dat nobis fiduciam, veniens ad nos & confortans nos: tantum ne turbati in navi excutiamus nos, & projiciamus „ in Mare. Quia etsi turbatur navis, navis est, tamen. „ Sola portat Discipulos, & recipit Christum. Periclitatur

„ quidem illa in Mari, sed sine illa statim peritur. Tene „ te itaque in navi, & roga Deum. Deficientibus enim „ omnibus consiliis, cum neque gubernacula sufficerint, „ & ipsa velorum extensio majori periculo quam utilita„ti fuerit, dimissis humanis omnibus adjutoriis & viri„bus, sola restat nautis intentio deprecandi & voces „ ad Deum fundendi.„ *Qui ergo præstat navigantibus ut perveniant ad portum, numquid Ecclesiam suam dimissurus est ut eam non perducat ad requiem?* Tamen Fratres, *Maxima perturbatio in ista navi non est, nisi in absentia Domini. In Ecclesia constitutus absentem ha-*
Ephes. 4. 26. *bet Dominum? Quando autem absentem habet Dominum? Quando vincitur aliqua cupiditate.* Quomodo enim quodam in loco in sacramento dicitur: *Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo:* Intelligitur autem non de isto Sole, qui habet quamdam sublimitatem inter cœlestia visibilia, qui communiter videri potest & a nobis, & a bestiis; sed de illa luce, quam non vident, nisi pura corda Fidelium, sicut dictum
Joan. 1. est: *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Est ergo lumen verum justitia atque sapientia, quod definit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tamquam nubilo superata: & tunc quasi occidit sol super iracundiam hominis. „ Sic & in ista navi, cum absens est Christus, suis quis„que tempestatibus quatitur, & iniquitatibus, & cupi„ditatibus suis. Dicit enim tibi Lex, verbi gratia: „ Ne falsum testimonium dicas. Si intelligas testimonii ve„ritatem, lucem habes in mente: si autem turpis lucri „ cupiditate superatus, statueris animo falsum dicere te„stimonium, jam incipies absente Christo tempestate tur„bari, fluctuabis fluctibus avaritiæ tuæ, periclitaberis „ tempestate concupiscentiarum tuarum, & quasi absente „ Christo plane submergeris. Quam metuendum est ne „ avertatur navis, & retro respiciat! Quod fit, cum re„licta spe cœlestium præmiorum, ad ea quæ videntur „ & transeunt, detorquente cupiditate quisque convertitur. Nam & tentationibus libidinum qui perturbatur, „ & tamen in ea quæ intus sunt, conspicit, non est us„que adeo desperatus, veniam delictis suis deprecans, „ & intentus evincere atque transmeare rabiem sævientis „ Maris. Qui vero ita detorquetur a se, ut dicat in cor„de suo, Non videt Deus, non enim de me cogitat aut „ curat, an ne peccem: vertit proram, fertur procella, „ & unde veniebat, impellitur: Sunt enim multæ cogita„tiones in cordibus hominum: & fluctibus hujus sæculi, „ & multis tempestatibus navis Christo absente turbatur."

S. August. ibidem. 16. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super Mare.* „ Quarta vigilia noctis, finis est no„ctis. Significat ergo, quod jam in fine sæculi subve„nit Dominus, & videtur ambulare super aquas. Quam„quam enim turbetur tentationum procellis hæc navis, „ videt tamen glorificatum Christum ambulantem super „ omnes tumores maris; hoc est, super omnes hujus sæ„culi Principatus. Antea enim dictum est, ex voce pas„sionis ejus, quia secundum carnem cum demonstraret „ humilitatis exemplum, adversus eum intumuerunt flu„ctus maris, quibus cessit voluntate pro nobis, ut im„pleretur illa Prophetia, *Veni in altitudinem maris,*
Ps. 68. 3. „ *& tempestas demersit me.* Non enim repulit falsos te„stes, nec sævientem clamorem dicentium, *Crucifigatur.* Rabida corda & ora furentium non potestate „ compressit; sed patientia toleravit. Fecerunt ei quan„ta voluerunt. *Quia factus est obediens usque ad mor„tem, mortem autem crucis.* Postea quam vero resur„rexit a mortuis, ut pro Discipulis in Ecclesia tam„quam in navi constitutis, & fide crucis suæ tamquam „ ligno portatis, & tentationibus, hujus sæculi tam„quam fluctibus maris periclitantibus, solus oraret, „ cæpit nomen ejus honorari & in hoc sæculo, in quo „ contemptus, accusatus, occisus est; " *Ut qui venerat secundum passionem carnis in altitudinem maris, & tempestas demersurat eum, jam superborum cervices tamquam spumam undarum sui nominis honore calcaret. Sicut nunc Dominum videmus, tamquam ambulantem super Mare, sub cujus pedibus totam hujus sæculi rabiem subjectam esse conspicimus.*

17. *Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est, & præ timore clamaverunt.* „ Error Discipulorum, errorem figurat „ hæreticorum, præsertim Marcionitarum & Manichæo„rum, qui Christum non fuisse natum de Virgine, nec „ verum corpus habuisse docebant, sed oculis apparuis„se, quod non erat. Dixerunt, *Quia phantasma est:*
S. August. serm. 75. alias de Diversis 22. c. 7. & 8. „ Sed ille nos adversus istas pestes sua voce confirmat, „ dicens: *Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere.* „ Hoc est, nolite sic expavescere meam dignitatem, ut „ mihi velitis auferre veritatem. Etsi super mare ambu„lo, etsi elationes & fastus sæculares, tamquam rabi„dos fluctus sub pedibus habeo; tamen verus homo ap„parui, tamen verum de me Evangelium meum prædi„cat, quod ex Virgine natus, quod Verbum caro fa„ctus sim; quod verum dixi, *Palpate, & videte, quia „ spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis „ habere.* Quod manus dubitantis, vera vulnerum „ meorum vestigia tractaverunt. *Ego sum, nolite timere.* „ Alium itidem errorem figuravit error Discipulorum „ eorum, scilicet, qui Dominum credunt in aliquo fuis„se mentitum, & ea, quæ minatus est impiis, eventu„ra esse non credunt. Quasi in parte sit verax, & in „ parte mendax, veluti phantasma apparens in verbis, „ quasi quod est, & non est. Sed qui bene intelligunt „ vocem dicentis, *Ego sum, nolite timere:* jam credunt „ omnia verba Domini, ut quemadmodum sperant præ„mia, quæ promittit, ita pœnas timeant, quas mina„tur. Nam & ista opinio qua putant homines, Chri„stum non vera fuisse inquis & perditis comminatum, „ ex hoc nata est, quia vident populos multos & innu„merabiles turbas nomini ejus esse subjectas: ut ex eo „ illis videatur Christus phantasma esse, quia super ma„re ambulabat, id est, ideo videatur mentiri in com„minatione pœnarum, quia quasi non potest perdere „ tam innumerabiles populos, qui nomini ejus & honori „ subjecti sunt. Sed audiant dicentem, *Ego sum.* Illi ergo „ non timeant, qui veracem in omnibus Christum cre„dentes, non solum id quod promisit, appetunt, sed „ etiam fugiunt quod minatus est: Quia etiamsi super „ mare ambulat, id est, omnia genera hominum in „ isto sæculo constituta illi subjecta sunt; tamen non est „ phantasma, & ideo non mentitur, cum ait: *Non om-* *Matt.* 7. 21.
„ *nis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Re„gnum cœlorum.*"

18. *Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Et ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.* „ Non dixit Petrus, Ora & depre- *S. Jo. Chrys.*
„ care Deum ut venire possim: sed, *Jube ut veniam.* *l.* 51. *in*
„ Vides, quam vehementer arderet? Vides, quanta fides *Matt.*
„ ipsius etiam tunc esset? Et certe sæpenumero quia ma„jora petit, quam vires suæ postularent, in periculum „ incidit: & nunc amore, & ostentatione impulsus, im„mensa petiit. Nemo enim ita ut ipse Jesum amabat: „ propterea nec dixit, Jube, ut super aquas ambulem: „ sed, jube, ut ad te veniam. Non solum autem chari„tatem, sed fidem etiam ostendit: Quia enim crede„bat, non tantummodo Christum super mare ambulare, „ verum etiam aliis id posse concedere, ausus est hoc „ petere, ut cum eo citius esse posset. " *At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit dicens;* *Domine, salvum me fac.* „ Cum descendisset de navi, ad „ ipsum ibat, non tantum gaudens, quod super mare „ ambularet, quantum quod ad Jesum itinere mirabili „ veniebat. Ita quod majus erat, super maria scilicet de „ navigio confidenter descendere, magno animo fecit: „ vi autem ventorum, & impetu fluctuum, quod erat „ minus, superatus timuit. Naturæ quippe humanæ hæc „ conditio est, ut difficilioribus nonnumquam superatis, „ succumbat in minoribus: quod etiam Elias sub Jezabel „ passus est, Moyses in Ægypto, David in Bethsabee: *1. Reg.* 19
„ & nunc Petrus terrore tempestatis tota nocte vexatus, *Exod.* 2.
„ magna cum fiducia in aquas descendit; ad ventorum *2. Reg.* 11.
„ autem impetum animi magnitudinem retinere non po„tuit, præsertim cum jam prope Christum esset. Nihil „ certe prodest loco juxta Christum esse, si fide non sis. „ *Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum,* „ *& ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Sed cur „ non imperavit ventis ut cessarent, sed manu extensa „ accepit eum? Quia videlicet fide ipsius opus esset. „ Cum enim nos ipsi fide deficimus, tunc Dei patroci„nia retardantur. Ut ergo ostenderet, non a procellis, „ neque a ventis, sed a modica fide sua ipsum everti, „ ait: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Nisi enim labefa„ctatus in fide aliquo modo fuisset, etiam ventis faci„le restitisset: idcirco manu comprehendens eum, con„firmavit eum vento spirante, qui donec firma fides erat, „ nihil nocere poterat. Et sicut cum antequam volare „ queat, si nido pullus exiens in terram decidat, mater „ velociter raptum in nidum restituit: sic tunc Christus „ in Petro peregit. *Et cum ascendisset in naviculam ces„savit ventus.*"

Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpis- *S. Hieron-*
set mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. „ *ym. Epist.*
„ Petrus super aquas ambulat gravi & solido corpore. *62.*
„ Molis unda non cedit: paululum fides dubitat, & sta„tim naturam suam corpus intelligit: ut sciamus, su„per aquas non corpus ambulasse, sed fidem."

Modicæ fidei, quare dubitasti? „ Arguitur Moyses vo- *S. August.*
„ ce divina, quod ejus fides ad aquam de petra elicien- *lib.* 16. *con-*
„ dam aliquantulum titubaverit; quod ei cum peccato *tra Fau-*
„ Petri potest esse commune, qui in mediis fluctibus si- *stum c.* 16.
„ mili fidei defectu dubitavit." *S. Aug. ser.*

19. *Domine, si tu es, jube me venire ad te super* 67. *alias* 13
aquas: „ Non enim hoc possum in me, sed in te. A- *de Verbis*
„ gnovit quid sibi esset a se, quid ab illo, cujus vo- *Domini.*
„ luntate credidit se posse, quod nulla infirmitas humana
„ possit. Ergo, si tu es, jube: quia cum jusseris, fiet.

Quod

„ Quod ego non valeo præsumendo, tu potes jubendo. „ Et Dominus, *Veni*, inquit. Et sine ulla dubitatione „ Petrus ad verbum jubentis, ad præsentiam sustentan- „ tis, ad præsentiam regentis, sine ulla cunctatione de- „ siluit in aquas, & ambulare cœpit. „ Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino .... Fide valuit, quod humana infirmitas non valebat. Petrus confidenter ambulans super aquas, ut veniat ad Jesum, figura est firmorum, qui sunt in Ecclesia: Petrus timens ad flatum venti vehementis, figura est infirmorum. Agendum est cum infirmis ut sint firmi. *Multos autem impedit a firmitate præsumptio firmitatis. Nemo erit a Deo firmus, nisi qui se a se ipso sentit infirmum.* Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu vero perfeciſti eam. *Pluviam voluntariam segregasti, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam. Infirmata est ergo ipsa hæreditas, & agnovit se infirmam in se, ut firma esset in te. Non firmaretur, si non infirmaretur, ut abs te in te perficeretur.* Jube me, *inquit*, venire ad te super aquas. *Homo audeo, sed non hominem rogo. Jubeat Deus homo, ut possit quod non potest homo.* Veni, *inquit. Et descendit, & cœpit ambulare super aquas: & potuit Petrus, quia jusserat petra. Ecce quod Petrus in Domino. Quid in se?* „ Videns ventum validum, timuit: & cum cœpisset „ mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. „ *Præsumpsit de Domino, potuit de Domino: titubavit „ ut homo, rediit ad Dominum.* Si dicebam, Motus est „ pes meus. *Quare motus, nisi quia meus? Et quid se- „ quitur?* Misericordia tua, Domine, adjuvabat me. „ *Non virtus mea; sed misericordia tua. Numquid enim „ Dominus deseruit titubantem, quem audivit invocan- „ tem? Ubi est illud*, Quis invocavit Deum, & deser- „ tus est ab eo? *Ubi est illud*, Et omnis qui invocaverit „ nomen Domini, salvus erit? *Continuo porrigens adju- „ torium dexteræ suæ, levavit mergentem, increpavit „ diffidentem.* Modicæ fidei, quare dubitasti? *De me „ præsumpsisti, de me dubitasti?* “

Pſalm. 61. 10.

Pſalm. 93. 18.

Eccli. 2. 11.

Joel 2. 32.

„ Eja Fratres; attendite sæculum quasi Mare, ventus „ validus, & magna tempestas. Unicuique sua cupiditas „ tempestas est. Amas Deum; ambulas super Mare, sub „ pedibus tuis est sæculi tumor. Amas sæculum, absor- „ bebit te. Amatores suos vorare novit, non portare. „ Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam „ cupiditatem, invoca Christi Divinitatem. Putatis tunc „ esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi ad- „ versitas? Quando enim bella, quando tumultus, quan- „ do fames, quando pestilentia, quando cuique homi- „ num, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc pu- „ tatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus. „ Quando autem temporali felicitate sæculum arridet, „ quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare „ temporis tranquillitatem: interroga, sed tuam cupi- „ ditatem. Vide si tranquillitas est in te: vide si non te „ subvertit ventus interior. Magnæ virtutis est cum fe- „ licitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne subver- „ tat ipsa felicitas. Magnæ felicitatis est, a felicitate „ non vinci. Disce calcare sæculum, memento fidere in „ Christo. Et si motus est pes tuus: si titubas, si aliqua „ non superas, si mergi incipis, dic, Domine, pereo, „ libera me. Dic, Pereo; ne pereas. Solus enim a mor- „ te carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. “

S. Aug. ſerm. 75. alias de diverſis 22. c. 9.

20. *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* „ Gestat Petrus Ecclesiæ plerumque personam. „ Quid ergo aliud dictum putamus, nisi, Domine, si „ verax es, clarificetur etiam Ecclesia tua in isto sæ- „ culo, quia hoc de te prophetia prædicavit? „ Ambulet ergo super aquas, & sic ad te veniat illa „ cui dictum est, *Vultum tuum deprecabuntur divites „ plebis.* Sed quoniam Dominum laus humana non ten- „ tat, homines autem sæpe in Ecclesia humanis laudi- „ bus & honoribus perturbantur, & prope merguntur; „ ideo Petrus trepidavit in mari, magnam vim tempe- „ statis exhorrens. Quis enim non timet illam vocem, „ *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & „ conturbant semitas pedum vestrorum?* Et quia luctatur „ animus adversus concupiscentiam laudis humanæ, bo- „ num est in tali periculo ad orationem & deprecatio- „ nem convertatur: ne forte qui laude mulcetur, vitu- „ peratione subruatur, atque mergatur. In unda excla- „ met titubans Petrus & dicat, *Domine, salva me.* „ Porrigit enim Dominus manum, & quamvis increpet „ dicens, *Modicæ fidei, ut quid dubitasti?* Quare non „ recto itinere illum intuens, ad quem tendebas, non „ nisi in Domino gloriatus es? Tamen a fluctibus rapit, „ & confitentem infirmitatem suam atque illius auxilium „ postulantem perire non sinit. Recepto autem Domino „ in navi, confirmata fide atque omni dubitatione sub- „ lata, sedatisque tempestatibus Maris, ut jam ad terræ „ stabilitatem securitatemque veniatur, adorant omnes „ dicentes, *Vere Filius Dei es tu.* Hoc est enim gau- „ dium sempiternum, quo perspicua Veritas, & Verbum „ Dei, & Sapientia, per quam facta sunt omnia, & emi- „ nentia misericordiæ ejus, & cognoscitur & amatur. “

21. *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Ardore incredibili quærunt homines salutem corporis: stupendo tepore quæritur, imo prorsus ab hominum parte maxima negligitur salus animi. Qui Christum quærit desiderio & amore hujus vitæ, valetudinis, commodorum temporalium, Deo frui non vult, sed uti; illa amplius quam Deum & Christum diligit; animo Judæus est, non Christianus. Frui est amore alicui rei inhærere propter se ipsam: Uti, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre. Solo Deo fruendum; mundo, bonisque omnibus temporalibus utendum est. „ Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beate vi- „ vere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatio- „ ne utique miseri, & miseriam finire cupientes, in pa- „ triam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel „ marinis vehiculis, quibus utendum esset ut ad patriam, „ qua fruendum erat, pervenire valeremus: quod si amę- „ nitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos de- „ lectaret, & conversi ad fruendum his, quibus uti de- „ buimus, nollemus cito viam finire; & perversa suavi- „ tate implicati alienaremur a patria, cujus suavitas fa- „ ceret beatos: sic in hujus mortalitatis vita peregrinan- „ tes a Domino, si redire in patriam volumus, ubi bea- „ ti esse possimus, utendum est hoc mundo, non fruen- „ dum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelle- „ cta conspiciantur, hoc est, ut de corporalibus tempo- „ ralibusque rebus æterna & spiritualia capiamus. “

S. Aug. lib. 1 De Doctrina Christ. c. 4.

Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes. Qui vere Deum cognoscit & diligit, proximos & amicos ad ipsum ducere modis omnibus enititur. In hoc posita charitas est, quam proximo debemus. *Deus fons nostræ beatitudinis, ipse est omnis appetitionis finis. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere.*

S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei cap. 3.

22. *Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*, &c. „ Tangamus ergo etiam nos fimbriam „ vestimenti ejus; vel potius, si volumus ipsum totum „ habeamus. Non enim vestis solum, sed Corpus ipsius „ nobis propositum est, non ut tangamus solummodo, „ sed ut comedamus, & saturemur. Adeamus igitur „ Christum singuli ægrotantes, magna cum fide. Nam „ si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, omnes „ convaluerunt: quanto magis corroborabimur, si totum „ in nobis habebimus! Cum fide autem accedere, non „ est ut propositum corpus tantummodo recipias; verum „ etiam multo magis, ut mundo corde tangas, ut sic „ adeas quemadmodum ad ipsum Christum. “

S. Joan. Chryſ. Hom. 51. in S. Matt.

CAPUT XV.

Sensus Litteralis.

1. TUNC *accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Sub id tempus, postquam tot miracula Christus ediderat, quidam Legis Doctores & Pharisæi, ab Jerosolymis ad Christum accesserunt, seu a Synedrio missi, seu sponte & privato nomine, ut Jesum tentarent & reprehenderent. Ideo autem ab Jerosolymis venerunt, quia in primaria urbe habitabant partium illarum duces nobilissimi, doctissimi, & arrogantissimi. Pharisæi perfectioris Rituum observantiæ exemplum, Scribæ scientiæ auctoritatem & omnium doctrinarum censuram sibi vindicabant. Invidia igitur impulsi, ad Jesum adierunt, illique exprobrarunt, quod ejus Discipuli Majorum instituta violarent. *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?* Non ipsum Jesum accusare ausi sunt, sed oblique ipsum reprehendere, quod Discipuli ejus, non in Dei Legem, sed in Seniorum constitutiones committerent. Traditionum nomine hic intelliguntur doctrinæ quædam & mandata seu Dogmata, seu Ritus spectantia, quæ in Dei Lege & Scripturis sacris non extant, sed ore tenus tradebantur a Scribis & Pharisæis, quæ *Legis oralis* nomine insigniverunt, & a Senioribus, id est, antiquis Doctoribus sive Sapientibus accepta jactabant, quamvis pleraque Pharisaicæ superstitionis inventa essent. Traditionum illarum observantissimi erant Pharisæi & Scribæ: Sadducæi contra observanda putabant præcepta scripto tradita in Lege, non vero ea, quæ ex Majorum traditione vulgabantur, teste Josepho lib. 13. Antiquitatum. Nimia Magistrorum reverentia insanas & impias illas sententias peperit: *Si dixerint Scribæ, dexteram esse sinistram, & sinistram esse dexteram, audi eos.* Item: *Quicquid sapientes vetant palam fieri, id etiam in penetralibus vetitum est.* Nec solum æquaverunt commenta sua divinis legibus, verum etiam præposuerunt. *Plus est*, inquiunt, *in verbis Scribarum*,

R. Aben Ezra. R. Bechai. Talmud de Jeroſolym. Tit. Raba Metzia & Berachoth.

rum, quam in verbis Legis. Adultæ ſuperſtitioni color ex mendacio quæſitus. Perſuaſerunt enim credulæ plebi, iſta inſtituta, quamvis in Lege præſcripta non eſſent, attamen a Deo Moyſi data, a Moyſe Joſue, ejuſque Aſſeſſoribus, ab his ad Prophetas manaſſe, ab his tradita Eſdræ; deinceps vero parentum commemoratione tranſiſſe ad poſteros. Traditionum Hebraicarum genus omne haud eodem ordine habendum eſt: Quædam enim interpretationem continebant eorum quæ in Lege ambigua videbantur, ut illud de Agno paſchali intra duas veſperas Luna 14. immolando. Alia definiebant id, quod Lex divina boni viri arbitrio permiſerat, quale illud erat de itinere, quod Sabbato facere fas eſſet. Alia erant, quæ ipſi vocabant *Sepimenta Legis*, id eſt, cautiones quibus muniti homines, a Lege violanda longius arcerentur, quomodo Canones Eccleſiaſticos *propugnacula divinæ legis* Juſtinianus appellat. Exempli gratia, cum quadragenas plagas infligi ſontibus, non plures, Lex permitteret, illi unam detraxere, ut trigintanovem duntaxat infligerentur. Unde S. Paulus, *A Judæis*, inquit, *quinquies quadragenas una minus accepi*. Alia mera commenta, & ſuperſtitioſi cultus, aut futilium obſervantiarum inſtitutiones, ut illud de creba manuum lotione inter comedendum, quæ Lege Dei præſcripta non erat, ſimilibuſque
Marc. 7. 3. & 4. purificationibus, & lotionibus, de quibus S. Marcus: „ Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint „ manus, non manducant, tenentes traditiones Senio„ rum: & a foro niſi baptizentur, *id eſt*, *redeuntes a* „ *foro*, *niſi abluantur*, non comedunt: & alia multa „ ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata, *id* „ *eſt*, *lotiones* calicum, & urceorum, & ſtramentorum,
S. Epiph. Hæreſi 33. N. 9. „ & lectorum. " De Judæorum Traditionibus S. Epiphanius adverſus Ptolomaitarum hæreſim diſſerens, ita ſcribit: „ Seniorum Traditiones, Deuteroſes a Judæis „ vocantur. Quatuor autem illarum ſunt genera. Pri„ mum eſt, quod ſub Moyſis nomine circumferunt. Se„ cundum eſt, quod Rabbi Akibæ tribuunt, Tertium „ Addæ, ſive Judæ. Quartum ad Aſamonæi filios re*S. Hieron. Epiſt.* 151. *Quæſt.* 10. „ fertur. *Et S. Hieronymus*: Quantæ Traditiones Phari„ ſæorum ſint, quas hodie vocant Deuteroſes, & quam „ aniles fabulæ, evolvere nequeo; neque enim libri pa„ titur magnitudo: & pleraque tam turpia ſunt ut eru„ beſcam dicere. Dicam tamen unum in ignominiam „ gentis inimicæ. Præpoſitos habent Synagogis ſapien„ tiſſimos quoſque fœdo operi delegatos, ut ſanguinem „ virginis ſive menſtruatæ, mundum vel immundum, ſi „ ſi oculis diſcernere non potuerint, guſtu prælibent. „ Præterea, quia juſſum eſt ut diebus Sabbatorum ſedeat „ unuſquiſque in domo ſua, & non egrediatur neque am„ bulet de loco, in quo habitat; ſi quando eos juxta „ litteram cœperimus arctare, ut non jaceant, non am„ bulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præ„ cepta ſervare, ſolent reſpondere & dicere: Rabbi „ Akiba, & Simeon, & Hille, Magiſtri noſtri, tradi„ derunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sab„ bato, & ceteras iſtiuſmodi doctrinas hominum præ„ ferentes doctrinæ Dei: non quod dicamus ſedendum „ ſemper eſſe in Sabbato, & de loco in quo quis fuerit „ occupatus, non recedendum; ſed quod id quod impoſ„ ſibile Legis eſt, in quo infirmatur per carnem, ſpiri„ tali obſervatione complendum ſit. " Ad has traditiones pertinet lotio manuum, non ſolum ante ſumptionem cibi, quæ ruſticitati oppoſita videri poſſet, ſed inter comedendum ſæpius repetita definitis geſtibus, & ſanctitatis ergo, non civilis elegantiæ. Unde in nuptiis Canæis ſex hydrias poſitas *ſecundum purificationem Judæorum*, S. Joannes commemorat. Phariſaicæ ſuperſtitionis iſtius cauſa hæc erat, quod arbitrarentur, ſi quis extraneus, aut alioquin juxta Legem impurus cibum ipſum potumve attigiſſet, aut quidquam quod eum cibum potumve contingeret, puta ipſorum manus quibus cibum ſumpturi erant, aut vaſa in quibus obſonium coqueretur, aut pocula, e quibus erant poturi, eum cibum potumve talis inquinamenti contagium ad corpus primum ſuum, deinde ad animum immittere. Quapropter purificationem repererant crebra & accurata lotione, nimirum inanis metus, inane remedium. Hinc Chriſto objiciunt: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum? Non enim lavant manus, cum manducant*. Qua quidem in re multiplex eorum erat error. Exiſtimabant enim primum aliquos contactus immundos eſſe ſui natura, de quibus Lex Dei nulla extabat; deinde etiam ignorantis
1. *Joan.* 2. 26. animum affici ea impuritate: poſtremo elui poſſe maculam animo inuſtam ritu quem Deus non imperaverat, ſed ipſi erant commenti.

2. *Ipſe autem reſpondens, ait illis*: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit*: *Honora patrem & matrem*; & *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*; *Vos autem dicitis*, *Quicumque dixerit patri vel matri*, *Munus quodcumque eſt ex me*, *tibi proderit*: & *non honorificabit patrem ſuum aut matrem ſuam*: & *irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*. Falſam calum*S. Hieron. S. Jo. Chryſ.* niam vera reprehenſione confutat Chriſtus. Cum graviſſimæ & æquiſſimæ reprehenſioni obnoxii eſſetis, Diſcipulos meos nullius criminis reos reprehendere audetis. Cur legem Dei violare præ ſtudio traditionis veſtræ, nulla vobis eſt religio? De manuum lotione ſtatim non reſpondit, nec dixit recte ipſos facere, qui non Dei legem, ſed hominum traditionem contemnant; ne reprehendendi occaſionem illis præberet, ipſorumque majorem invidiam abſque neceſſitate incurreret; neque rurſus Diſcipulos ſuos recte ab ipſis argui conceſſit, ne ſuperſtitioſam traditionem approbare videretur: nec Seniores tamquam iniquos & ſceleſtos accuſavit, ne ipſum velut convitiatorem averſarentur; ſed ipſorum fundamentum convellit, evidentiſſimo exemplo oſtendens, ſtandum non eſſe Phariſaicis Traditionibus & receptis Seniorum ſententiis abſque ulla exceptione, quaſi illi erroris omnis expertes eſſent: ſiquidem ipſorum Traditiones pleræque a Dei Lege homines abducebant. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter Traditionem veſtram?* Non ait, propter traditionem Seniorum, ſed, *veſtram*, ſignificans & traditiones has nuper ab hominibus adinventas eſſe, adeoque legis auctoritatem non habere: ipſoſque eas tueri non obſervantia Seniorum, non amore veritatis, aut pietatis, ſed ambitionis impulſu, ut nempe qui Seniorum jam locum tenerent, parem ſibi arrogarent auctoritatem ſimiles pro libito tradendi atque inſtituendi ſuperſtitioſarum obſervantiarum nugas. Verum quoniam non erat illa traditio legi contraria, quæ lotis manibus manducare jubebat, aliam legi contrariam in medium adducit, per quam ipſos Dei mandatum ſacratiſſimum violare probat. *Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem*; & *Qui maledixerit patri vel matri*, *morte moriatur*. Decalogi præceptum eſt in promiſſione primum. Chriſtus autem promiſſum a Deo præmium his qui parentes honorant omittit: & terribile ſupplicium in eos qui parentes contemnunt conſtitutum ob oculos ponit, ut comminatione Legis perterriti reſipiſcerent. Quaſi dicat: Si qui verbo parentibus injuriam faciunt morte plectuntur ex præſcripto Legis: quo ſupplicio digni eſtis, qui Dei Mandatum de honorandis parentibus reipſa & opere violatis, & alios violare præ ſtudio traditionum veſtrarum docetis? Qui ergo capitali ſupplicio digni eſtis, Diſcipulos meos criminari cur audetis? *Deus dixit*, *Honora patrem & matrem*. Vox honoris omnia filiorum erga parentes officia complectitur, adeoque & officium honeſte alendi parentes: quod & ſi Judæi directe & expreſſe non negaverint, immo præſcripſerint & ad illud hortati ſint, ut ex eorum Pandectis patet: illorum tamen traditio in impiam hanc conſequentiam filios pertraxit, ut parentibus egentibus alimoniam negarent. *Vos autem dicitis*: *Quicumque dixerit patri vel Matri*, *Munus quodcumque eſt ex me*, *tibi proderit*: & *non honorificabit patrem ſuum*, & *matrem ſuam*. Hæc una eſt e traditionibus veſtris: Quicumque dixerit patri vel matri, Donum quod a me Deo offertur tibi proderit, quia non pro mea ſolum, ſed & pro tua felicitate oblatum eſt; etiamſi patrem vel matrem ſuam opibus non juverit, & neceſſaria ipſis non contulerit ſubſidia, officio ſatisfecit ſuo. Vel, Quicquid ex me capere poſſes utilitatis & commodi, id eſt, omnes facultates meæ, ſunt munus Deo conſecratum, & voti lege obligatum: quod proinde nec tibi petere licet, nec mihi concedere fas eſt; & qui res ſuas hoc modo devoverit, etiamſi debitum honorem, vitæque neceſſaria ſubſidia non conferat parentibus, hunc legem de honorandis parentibus non violare decernitis: & ſic irritum facitis Mandatum Dei propter traditionem veſtram. Irritum, inquam, feciſtis, quantum in vobis eſt, Mandatum Dei, cum traditionem veſtram illi præponi vultis. In hac autem ſpecie votorum, quamvis illegitimorum & injuſtorum executionem urgebant Sacerdotes, quorum pars magna erant Phariſæi, nec juvandos parentes ex bonis Deo conſecratis docebant; quia ſacro ærario hujuſmodi bona vindicabant, cujus obventiones partim in opera Templi, partim in uſus pauperum, partim in ipſos Sacerdotes ac Levitas erogabantur. Unde non mirum quod Phariſæi, qui erant avari, utilitatibus ærarii, ſuiſque adeo commodis, quorumvis hominum juſta, & pietatis etiam in parentes officia, Dei lege naturali, & per Moyſen data præſcripta, poſtponerent. Confer cum Marci 7. 11. *Vos autem dicitis*: *Si dixerit homo patri aut matri*, *Corban* (*quod eſt donum*) *quodcumque ex me tibi profuerit*: & *ultra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo aut matri*, *reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram*, *quam tradidiſtis*: & *ſimilia hujuſmodi multa facitis*. Recte S. Hieronymus: *Honor in Scripturis*, inquit, *non tantum in ſalutationibus & officiis deferendis*, *quantum eleemoſynis ac munerum oblatione ſentitur*. Honora, *inquit Apoſtolus*, viduas quæ vere viduæ ſunt: *Hic honor donum intelligitur*. *Et in alio loco*. Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina Dei: *Et per hoc mandatum jubemur bovi trituranti os non claudere*: *Et dignus ſit operarius mercede ſua*. *Præceperat Dominus*, *vel imbecillitates*, *vel ætates*, *vel penurias parentum conſiderans*, *ut filii honorarent*, *etiam in vitæ*

Hom. 51. in *Matt.*

Ligfoot Her. Hebr. in c. 15. *S. Matt.*

S. Hieron. in c. 15. *S. Matt*

neceſ-

necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem subvertere non dubitarunt Pharisæi, impietatem sub nomine pietatis inducentes, docentesque, *Ut si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel certe ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat ut oblatio liberorum sub occasione Templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet*. Merito Christus redarguit Scribas & Pharisæos cæcos & duces cæcorum, qui a violatione præcepti de honorandis parentibus absolvebant eum, qui debitam parentibus egenis beneficentiam non exhiberet, modo id quo ipsorum inopiam sublevare poterat, Deo devovisset. Jure (inquam) impiam illam traditionem Christus reprehendit, quia Deo res alienæ vovendæ non sunt, & consecrandæ, cum scriptum sit, *Honora Dominum de tua substantia*. Qui porro Deo vovet partem bonorum, quæ parentibus alendis vel sublevandis necessaria est, alie-
Proverb. 3. na vovet. Tantum abest igitur ut Deum honoret, quin potius ipsum graviter offendit, immanique superstitione legem illius ac mandatum de honorandis parentibus transgreditur.

3. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me*. Hypocritas apposite Christus vocat Scribas & Pharisæos, qui Dei cultum, hominumque sanctitatem in externo ceremoniarum operumque splendore totam constituebant: & cum Legis observatores accuratissimi videri vellent, eam in præcipuis præceptis violare non dubitabant. *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Isaias*, &c. Quæ de Judaico populo Babylonicam obsidionem præcedente dixit Isaias, vobis apprime conveniunt: *Populus hic labiis me honorat*, ore tenus, & exteriori dumtaxat cultu me laudat, & colit: *cor autem eorum longe est a me*, a me prorsus alienum est, contraria quippe legi meæ ac voluntati cogitat, desiderat, amat, facit; charitate, misericordia, ceterisque virtutibus, quæ veræ Religionis anima sunt, destitutus.

4. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Frustra autem & sine fructu me colunt: cultus enim exterior sine interiori inanis est: nec Deum promerentur, docentes plebem, quas ipsi sequuntur, doctrinas hominum, observantias futiles & superstitiosas, commenta & mandata hominum, Dei mandatis contraria, ad veram pietatem nihil conferentia. Confer cum Marci 7. vers. 8. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum & calicum; & alia similia his facitis multa. Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis*. Traditiones quæ sunt alterum fidei nostræ principium ac fundamentum, non sunt doctrinæ & mandata hominum, sed verbum Dei non scriptum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradi-
2. Thes. 2. 14 dit; de quibus Apostolus: *Itaque, fratres, state, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Nemo etiam, nisi hæreticus, traditiones ac mandata Ecclesiæ quæ Spiritu Sancto dirigente instituuntur & conduntur, & interiorem Dei cultum ac veram pietatem, accuratioremque Mandatorum Dei observantiam promovent, doctrinas & mandata hominum vocaverit. Alioquin Christus, qui Ecclesiæ suæ Spiritum Sanctum promisit & dedit, qui se illi adfuturum ad finem usque sæculi promisit, qui præcepit hominibus ut illam audiant, eique pareant non minus quam sibi, secum ipse pugnaret, doctrinisque & mandatis hominum a se improbatis nos addiceret, quod vel cogitatu impium est.

5. *Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite*. Relictis Scribis ac Pharisæis, qui præ invidia ac fastu indociles & insanabiles erant, plebem paulo remotius stantem advocat, tamquam docilem, & a pravis illis affectibus liberam, ut illam erudiat, & a Pharisaicis superstitionibus revocet. *Audite, & intelligite*. Non auribus solum, sed animo audite, attendite, considerate, expedite. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Nihil quod intrat in os, nullus omnino cibus, quantumvis illotis & sordidis manibus sumptus, per se & natura sua polluit hominem, & reum coram Deo constituit, vel
1. Tim. 4. 4. ejus divinæ Majestati reddit ingratum: quia *Omnis creatura Dei bona est*, &
1. Cor. 8. munda: Quamvis intemperantia, inobedientia, vel scandalum, quæ cibi potusque sumptionem comitantur, hominis animum polluant: quod certe Christus non negat, *Non quod intrat in os coinquinat hominem*: modo nihil vitii accedat ab humana voluntate, Dei, aut Ecclesiæ legem ac mandatum violante. *Sed quod procedit ex ore*, id est, ab homine; seu quod homo ex se inquinato corde, & mala voluntate profert cogitando, loquendo, vel operando, *hoc coinquinat hominem*, & reum facit. Quia enim eorum quæ ex mala voluntate procedunt, plurima solent aut ore peragi, ut falsa testimonia, blasphemiæ, calumniæ, &c. aut certe non sine oris adminiculo, quemadmodum ex rixis cædes, ex impudicis colloquiis & lenociniis adulteria & fornicationes plerumque nascuntur, & furta, fraudesque plerumque conjunctum habent mendacium: ideo Christus hoc addidit, quo evidentior esset oppositio: *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Confer cum Marci 7. 15. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem*, id est, communem reddunt. Commune Hebræi pro *profano*, quod promiscuo omnium usu quasi inquinatum est, usurparunt. Act. 10. 14. & 15. ait Apostolus, *Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. *S. Hier. in* Unde S. Hieron. *Verbum*, communicat, *proprie Scriptu-* *c. 15. S.* *rarum est, & publico sermone non teritur. Populus Ju-* *Matt.* *dæorum partem Dei esse se jactitans, communes cibos vocat, quibus omnes utuntur homines, verbi gratia, suillam carnem, lepores, & istiusmodi animantia, quæ ungulam non findunt, nec ruminant, nec squamosa sunt in piscibus . . . Unde & in Actibus Apostolorum scriptum est*: Quod Deus sanctificavit, tu commune ne dixeris. *Commune ergo quod ceteris hominibus patet, & quasi non est de parte Dei, pro immundo appellatur*.

6. *Tunc accedentes Discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito hoc scandalizati sunt?* Non observasti Pharisæos verbis tuis offensos fuisse, quasi pietati contrariis? Una quippe sententia superstitionem omnem Judaicarum observationum eliserat; qui in cibis sumendis abominandisque religionem suam sitam arbitrabantur. Offensi erant, quia Traditiones illorum, Ritusque superstitiosos, in quibus maximam divini cultus partem constituebant, & ex quibus præcipue sanctitatis famam aucupabantur, futiles esse ac inanes, & plerosque Legi Dei etiam contrarios esse demonstraverat.

7. *At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*. Omnis planta, vel germen, quo nomine vel doctrinam, vel homines, qui ratione bonorum aut pravorum affectuum dicuntur plantatio Dei vel diaboli, Patres intelligunt. Omnis doctrina prava, omnesque pravorum dogmatum auctores, omnes quorum corrupti sunt affectus, moresque, eradicabuntur, cum eos Pater meus cœlestis non severit. De pravorum Dogmatum auctoribus interpretatur S. Ignatius *S. Ignatius* Martyr. *Fugite*, inquit, *malas propagines, generantes* *Epistola ad* *fructum mortiferum, quem si gustet quis, statim moritur.* *Trallian.* *Isti enim non sunt plantatio Patris. Si enim essent, apparerent utique rami Crucis, & esset fructus illorum incorruptibilis: per quem, in passione ipsius, advocat vos existentes membra ipsius*. Traditionem hominum interpretatur Sanctus Hilarius, quam Christus mox impugnabat: *Ipse respondit, Omnem plantationem, quæ non sit a Patre, eradicandam, id est, traditionem hominum eruen-* *S. Hilarius* *dam, cujus favore, Legis præcepta transgressi sunt: &* *c. 15. in* *ideo esse eos duces cæcos, vitæ æternæ iter quod non vi-* *Matth.* *deant pollicentes, cæcisque ipsis & ducibus cæcorum casum in foveam esse communem*. De hominibus prava dogmata docentibus, seu mente & affectu corruptis, S. Hieronymus intelligit, observatque hoc loco abuti Ma- *S. Hieron.* nichæos, qui diversas naturas introducunt, dicentes: Si *in hunc lo-* plantatio quam non plantavit Pater, eradicabitur: ergo *cum. Jerem.* quam plantavit ille, non potest eradicari. Sed audiant, *2. 21.* inquit, illud Jeremiæ: *Ego vos plantavi vineam veram, quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienæ?* Plantavit quidem Deus, & nemo potest eradicare plantationem ejus. *Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est, nullus alius eradicare poterit, nisi ipsa præbuerit assensum*. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur; *id est, carnalis cupiditas, secundum quam sentientes* Pharisæi *offendebantur de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis; & præcepta vitæ non curabant quæ a cupiditate animum purgant*. Sic exponit S. Augustinus. Pharisæos itaque tamquam homines perditos, & qui suum sensum, tradi- *S. Aug. lib. 1* tionesque superstitiosas ac Legi Dei repugnantes, non *Quæst. E-* Dei Spiritum sequebantur, dimittendos innuit Christus, *vang. Quæ-* & eorum offensionem non curandam, siquidem veritate *st. 17.* offenduntur.

8. *Sinite illos*: Missos illos facite, de illorum offensione minime solliciti sitis. *Cæci sunt, & duces cæcorum*. Duces plebi se præbere volunt, quales oculatissimos esse oportet; sed tamen cæci sunt, & plebem excæcant ac seducunt potius, quam illuminent ac doceant; a via salutis abducunt potius, quam ad eam ducant. Quamobrem si consuli sibi nolunt, infelici plebi consulamus, quæ tam cæcis ductoribus usa, ipsa quoque cæca in exitium ruet. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Hinc illa confirmatur interpretatio, quæ de pravorum dogmatum Doctoribus versum superiorem exponit. *Ad Titum* *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem* *3. S. Hier. in* *devita: sciens quod perversus sit hujusmodi, & a se-* *c. 15. S.* *metipso damnatus* (ait Apostolus.) *In hunc sensum &* *Matth.* *Salvator præcipit, Doctores pessimos dimittendos arbitrio suo: sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi, & cæcos esse, & cæcum populum in errorem trahere*.

9. *Res-*

9. *Reſpondens autem Petrus dixit ei; Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Confer cum Marci 7. 17. *Et cum introiſſent in domum a turba, interrogabant eum Diſcipuli ejus parabolam.* Petrus ſcilicet omnium nomine interrogabat. Ex Scripturæ phraſi pluribus ex eadem ſocietate interdum tribuitur, quod ab uno dictum aut geſtum eſt, ut Matth. 26. 10. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Cum unus Judas murmuraret. Ex Matth. 27. 44. *Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: cum unus tantum improperaret, ut conſtat ex Lucæ 23. 39. 40. Sententiam autem de eo quod in os intrat, & ex ore exit, parabolam vocant propter obſcuritatem, & quod aliud ſignificatum putarent, quam verba præ ſe ferrent, quæ non Traditioni tantum, ſed & Legi ciborum diſcriminatrici repugnare videbantur. *At ille dixit, Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Nuncne etiam vos, qui jamdudum a me diſcere debuiſtis in quo vera pietas ſit, qui privatim a me jam ſæpe inſtituti eſtis, intelligentia caretis, ut ſermonis mei proprie accepti ſenſum non percipiatis? „ Quod aperte dictum fuerat, „ & patebat auditui, Apoſtolus Petrus per parabolam dictum putat, & in re manifeſta myſticam quærit intelligentiam Corripiturque a Domino quare parabolice dictum putet, quod perſpicue locutus eſt. Ex quo animadvertimus vitioſum eſſe auditorem, qui aut obſcura manifeſte, aut manifeſte dicta obſcure velit intelligere.“

Levit. 11. *Deuter.* 14.

S. Hier. in hunc locum

10. *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur?* Nullam eſſe in cibis naturalem immunditiam, quæ ad cor pertingere poſſit, inde probat Chriſtus, quod cibus dum adhuc ſuis fecibus eſt permixtus, non ad cor defertur, ſed in ventrem, & ſecretis partibus fæculentis, craſſioribus, impuris, homini alendo non idoneis, ab eo quod purum eſt & in hominis ſubſtantiam convertendum, hæ per alvum ejiciuntur. Cibus igitur quatenus in eo aliquid eſſe immundi dici poſſet, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur; adeoque cum animi ſedes, ejus præſertim partis qua volumus, ex qua culpa naſcitur, ſit cor, ut perſuaſum erat Judæis, utque hic ſupponit Chriſtus; ciborum immunditia quæ ad cor non pervenit, multo minus pertingit ad animum, ut illum inquinare poſſit. Confer cum Marci 7. 18. 19. *Non intelligitis quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas?*

11. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Pleraque eorum quæ de ore exeunt, ſeu ab homine libere proferuntur & fiunt, ſeu mala omnia quæ homines ſolent corde primum concipere, deinde ore eloqui, opere demum perficere, *de corde exeunt*, id eſt, ex anima & voluntate: & ea hominem reum apud Deum faciunt. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.* Ex animo & libera voluntate hæc procedunt, & criminum omne genus. Pravas cogitationes, effectu non ſecuto, ne apud Deum quidem in crimine poni, Judæi putabant, qui hac Chriſti ſententia refelluntur, ſicut illi ſeu Ethnici ſeu Hæretici, qui adulterium quidem, ſed non fornicationem ſimplicem, crimen eſſe cenſebant. *Hæc ſunt quæ coinquinant hominem*: cor enim ſeu voluntas fons eſt & origo coinquinationis. Confer cum Marc. 7. 21. 22. *Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.*

12. *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Cum enim cibi *non natura*, *ſed ſignificatione* immundi eſſent, animum bene ſibi conſcium non poterant inquinare; ac proinde manuum lotionem prætermittere, peccatum non erat. Igitur Diſcipulis Chriſti, qui manus quandoque non lavabant ante cibi ſumptionem, non ex ruſticitate, ſed ex neceſſitate, nempe cum in deſerto manducaverunt, aut ſpicarum manibus confricarum grana urgente fame comederunt, neglecta manuum lotio vitio verti non debebat. Hac Chriſti ſententia Phariſæorum & Scribarum error confutatur, qui lotionum tametſi Lege Dei minime præſcriptarum, omiſſionem, crimen eſſe docebant fornicatione majus. *Qui manibus illotis panem edit* (inquit R. Joſe) *perinde peccat ac ſi cum ſcorto cubaret.* Imo *Reus eſt mortis*, ait R. Akiba: cui in carcere detento cum aqua ad bibendum ſimul & ad lavandum præberetur, & pars major caſu effuſa fuiſſet, manus lavare maluit, quam bibere dicens, *Melius eſſe mori, quam Majorum traditiones violare.* R. Eleazarus, a Synedrio excommunicatus eſt, quod lotionem manuum contemneret, ejuſdemque Concilii juſſu lapis magnus defuncti feretro impoſitus. *Unde diſcas*, inquiunt, *Synedrium lapidare loculum feretralem uniuſcujuſque excommunicati, qui moritur in excommunicatione ſua.* Maimonides ait: *Res eſt ſummæ ſanctitatis, & via ſummæ Religionis, ut ſe homo ſegreget & ſeparet a vulgo, utque eos nec tangat, nec cum iis comedat, nec bibat. Nec ſeparatio talis inducit impuritatem corporis ab operibus malis; puritas corporis inducit in ſanctitatem animæ ab affectibus malis: ſanctitas animæ inducit in ſimilitudinem Dei.* Et Hieroſol. Berachoth: *Quicumque habitat in terra Iſraelis, & cibum ſuum communem manducat in munditia, & lingua loquitur ſancta, & mane & veſpere recitat Phylacteria; confidat ille ſe vitam adepturum Mundi futuri.*

S. Aug. l. 9. cont. Fauſtum c. 7.

S. Jo. Chryſ. Hom. 52. in Matth.

Ligfoot de Horis Hæbraicis in Matt.

13. *Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine Fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.* In territorium ipſum Tyri & Sydonis, ſive in Phœniciæ regionem Chriſtus non videtur ingreſſus, qui Apoſtolis prohibuerat ne in viam Gentium abirent: ſed in fines Tyri & Sydonis ſeceſſit, in extremas Galilææ partes, Phœniciæ finitimas, cujus præcipuæ urbes erant Tyrus & Sydon. Confer cum Marc. 7. 24. *Et inde ſurgens abiit in fines Tyri & Sydonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire,* (ea nimirum voluntate quam Theologi voluntatem ſigni vocant, quia clam domum ingreſſus eſt, ut ſolent facere qui latere volunt,) *& non potuit latere*; quia revera latere nolebat voluntate abſoluta, quam beneplaciti appellant. *Mulier enim ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere.* Cum de finibus illis egreſſa ſit ut Jeſum adiret, fines illos ingreſſus non eſt Jeſus, ſed illos verſus proceſſit, ad confinia ſcilicet Phœniciæ. *Mulier Chananæa*, quam *Syrophœniſſam* vocat S. Marcus, idem omnino ſignificat. Chananæi namque iidem ac Phœnices: ſed alia Syriæ, alia Lybiæ Phœnicia; & Chananæi ſtricte ac peculiariter dicti Hebræis hi qui Sydonem & Tyrum, & quod adjacet oræ maritimæ habitabant. Num. 13. 30. *Chananæus moratur juxta Mare, & circa fluenta Jordanis.* Et diſerte Tyri cives *Chananæos* vocat Iſaias cap. 23. verſ. 11. Rurſum Sydonii accenſentur Chananæis, Judicum 1. verſ. 31. & Philo-Byblius ex Sanchoniathone apud Euſebium lib. 1. Præparationis Evangelicæ, cap. 10. ait, *Chnam, ſive Chanaam primum cognominatum fuiſſe Phœnicem.* Quod autem S. Marcus *Gentilem* fuiſſe dicit, ſeu *Græcam*, ut Textus Græcus ſignificat, non indicat ipſam fuiſſe idolorum cultricem, ſed tantum Hebræam non fuiſſe gente, neque Judaicæ Religionis. Ceterum in Judæa, & in vicinis regionibus, & alibi erant viri feminæque verum Deum religioſe colentes extra profeſſionem Judaiſmi, qualis Cornelius, Lydia purpuraria, & alii, de quibus Actuum 10. 2. & 17. 4 & 17. atque hoc ſenſu Græcum ſæpe dixit Sanctus Paulus, omne humanum genus in Græcos & Judæos diſpertiens. Hæc igitur Mulier e finibus illis ad Chriſti famam egreſſa ad Jeſum adiit, clamavitque: *Miſerere mei, Domine Filii David.* Non ait, Miſerere filiæ meæ, ſed, *Miſerere mei*: quia filia ſine ſenſu jacebat, ipſa vero & ſuum, & filiæ ſentiebat dolorem. *Domine Fili David*, Meſſia a Deo promiſſus, qualem ex vicinis Judæis & fama publica audiverat. *Filia mea male a dæmonio vexatur.* Filiam dæmoniacam ad Dominum adducere auſa non eſt, nec illum rogare, ut in domum ſuam deſcenderet, ut ille Regulus, ſed calamitate ſua, & filiæ ſuæ morbo expoſitis, cœleſtis Medici miſericordiam implorat.

S. Jo. Chryſ. Hom. 53. in S. Matt.

S. Hier. in hunc.

14. *Qui non reſpondit ei verbum.* Non de ſuperbia Phariſaica, nec de Scribarum ſupercilio; „ ſed ut mulieris fidem excitaret ac patefaceret: tum etiam ne ſententiæ ſuæ contrarius eſſe videretur, quia juſſerat Apoſtolis: *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Nolebat enim occaſionem calumniatoribus dare, perfectamque ſalutem Gentium, Paſſionis & Reſurrectionis tempori reſervabat.“ *Et accedentes Diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos*: Diſcipuli miſericordia commoti Chriſtum rogabant, ut ipſius votis & importunis precibus annueret. Hinc colligitur Sanctorum preces apud unum Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Jeſum pie ac utiliter adhiberi ad impetrandum Dei beneficia. Hinc etiam patet, quod licet in domo fuerit Dominus, cum ad eum Chananæa mulier acceſſit, teſte S. Marco: ſilentio tamen repulſa, egreſſum e domo Jeſum ſecuta, ambulantem urgebat perſeverantibus precibus, & clamore vehementis deſiderii teſte.

S. Aug. lib. 2 de Conſenſu Evang. c. 49.

15. *Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael.* Non ſum miſſus a Patre ut Apoſtolus, niſi ad Judæos, tamquam ad oves perditas & errantes, ut eos in viam ſalutis reducam doctrina & miraculis. Chriſtus quidem erat totius humani generis Redemptor, ſed Apoſtolus tantum Iſraelitarum, inde *Miniſter circumciſionis* dictus: & illis, non Gentibus promiſſus erat; atque ideo raro & ægre Gentibus ſe præbebat, ut omnino ſe probaret Judæis Meſſiam ipſis promiſſum. „ Quid eſt, Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael, niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſrael? Ad Gentes non perrexit ipſe, ut qui contemnebant, majus judi-

Rom. 15. 8. S. Aug. Tract. 47. in Joan.

„ cium

„ cium sumerent, quia & præsentia illis est exhibita. „ Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, „ nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia „ ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascen- „ dit in cœlum: ad Gentes autem misit: sed forte ali- „ qui arbitrantur quoniam non ipse ad nos venit, sed mi- „ sit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem „ eorum quos misit: Absit, pellatur ista cogitatio de cor- „ dibus vestris: & in his quos misit, ipse erat. Ipsum „ Paulum audi quem misit; ad Gentes enim præcipue „ Paulum misit Apostolum: & ait ipse Paulus terrens non „ de se, sed de illo: *An vultis accipere experimentum e- „ jus qui in me loquitur Christus?* Audite & ipsum Do- „ minum: *Et alias oves habeo* (idest, in Gentibus) *quæ „ non sunt in hoc ovili*, (idest, de populo Israel:) *opor- „ tet me & illas adducere*: Ergo & per suos non alter „ adducit. Adhuc audi: *Vocem meam audient: Ecce & „ per suos ipse loquitur, & per eos quos misit, vox e- „ jus auditur. Ut sit unum ovile & unus Pastor.* Duo- „ bus istis gregibus tamquam duobus parietibus factus est „ lapis angularis. Chananæam porro mulierem Christus „ repellit, non quod ipsam negligat, sed ut repositum „ atque absconditum in ejus animo virtutis thesaurum in „ lucem proferat. "

S. Jo. Chrys. Hom. 53. in Matth.

16. *At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.* Repulsa fides ejus magis augetur: ideoque propius accedit ad Jesum, statque coram eo: *& prociden ad pedes ejus*, ait; Domine, succurre mihi. *Qui*

Marci 7.

respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Non est congruum projicere canibus panem alendis filiis destinatum. Panem vocat gratiam Evangelii, doctrinam & miracula sua. Filiorum nomine Judæos intelligit, quibus promissiones factæ, & ex quibus secundum carnem Christus: nomine canum Gentiles & extraneos. Loquitur autem & ex Judæorum sententia, qui Gentiles non secus ac canes aversabantur: *At illa dixit: Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ita quidem se res habet, Domine: verumtamen & catelli seu canes domestici sub mensa dominorum suorum edunt micas seu frustula panis ipsis projecta, aut forte cadentia, sine ullo filiorum detrimento: sic licet gratiam tuam ac miracula Judæis copiose proponas quasi filiis, mihi certe velut cani micam impertiri potes, exiguum beneficium, filiæ sanitatem quam supplex postulo. „ Scio me filiorum

S. Hieron. in hunc locum.

„ panem non mereri, nec integros posse capere cibos, „ nec sedere ad mensam cum patre: sed contenta sum „ reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum, ad „ panis integri veniam magnitudinem. O mira rerum con- „ versio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diversita- „ te fidei, ordo nominum commutatur. De illis postea

Psalm. 21.

„ dicitur: Circumdederunt me canes multi. "

17. *Et respondens Jesus, ait illi: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Vox est admirantis & quasi victi precibus mulieris. Magna fides tua de me, officioque meo, & miraculis de populi Judaici ac Gentilis conditione. Magna est fides tua, quam tot virtutes comitantur & commendant, fervens oratio, impetrandi fiducia vehemens, admirabilis constantia & perseverantia, quam duriora verba & repulsæ non frangunt, summa humilitas, prudentia & modestia singularis. *Mira sub persona mulieris Cannitidis Ecclesiæ fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit sanari posse filiam suam. Patientia, qua toties contempta in precibus perseverat. Humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat.*

Fiat tibi sicut vis. „ Ac si diceret, Fides quidem tua „ majora quam petis posset impetrare, verumtamen fiat

Genesis 1.

„ ut vis. Hæc vox illi affinis est, qua dictum est: *Fiat „ cœlum & factum est cœlum.* Utitur verbo imperantis „ ad restaurandam sicut ad condendam creaturam. " *Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Confer cum Marci 7. 30.

Psal. 147. 5.

Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

18. *Et cum transisset inde Jesus, venit secus Mare Galileæ: & ascendens in Montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: ita ut turbæ mirarentur, vi. dentes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel.* Cum receSisset Jesus a Phœniciæ finibus, ubi obiter fuit, venit ad stagnum Genelareth, ubi frequens versari solebat: & ascendit in montem ibique sedebat exspectans Israelitas ad se confugientes. Et accesserunt ad eum turmatim, adducentes infirmorum omne genus, mutos, cæcos, claudos, mutilos, seu membris captos, quorum scilicet manus vel alia membra seu naturæ vitio, seu paralysi aliisve morbis debilitata erant, & usui inepta: & eos ad pedes Jesu abjecerunt, ut eum ad commiserationem excitarent. Omnes porro Jesus sanos fecit seu verbo, seu manuum impositione. Hinc turbarum admiratio, videntium impleri Vati-

Isaiæ 35. 5. & 6.

cinium Isaiæ: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et laudabunt Deum, qui exhibito Messia Patribus promisso, Israelem visitavit.

19. *Jesus autem, convocatis Discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Convocatis Discipulis suis, ut eorum attentionem ad miraculum mox edendum excitaret, ait: Miseret me plebis, quæ triduo jam adhæret mihi, doctrinæ miraculisque meis adeo attenta, ut de victu non cogitet, nihilque jam habeat annonæ. Dimittere eos impastos nolo, ne inedia extenuati, in itinere viribus deficiant; *Quidam enim ex eis de longe venerunt.*

Marci 8. 3.

20. *Et dicunt ei Discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Quasi prioris jam obliti miraculi, Discipuli, quorum adhuc infirma fides, quærunt unde panes suppetere possint ad tantam hominum multitudinem satiandam. *Et ait illis Jesus; Quot habetis panes?* Quos panes vobis supersunt in familiæ nostræ annonam repositi? *At illi dixerunt: Septem, & paucos piscículos.* In priori miraculo multiplicationis panum, appositi sunt turbis quinque panes, & duo pisces: in isto, panes septem & pisciculi numero pauci, mole exigui. *Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et præcepit turbæ ut discumberent,* non super fœnum, ut prius, sed *super terram. Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens,* sive benedicens, *fregit, & dedit Discipulis suis; & Discipuli dederunt populo,* quemadmodum in priori miraculo multiplicationis quinque panum factum erat. *Et comederunt omnes, & saturati sunt.* Comederunt quantum cuique opus erat, donec fames impleretur. *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* In superiori miraculo duodecim cophini, hic septem sportæ implentur fragmentorum reliquiis. Unde sportas habuerint, inutilis quæstio. Sporta major & capacior cophino est. *Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.* In superiori miraculo quinque millia ex quinque panibus: in isto quatuor millia præter pueros & mulieres, ex septem panibus satiata sunt, ut significetur Deo æque facile esse multos ex modico, ac pauciores ex multo alere.

Marci 10. 8.

S. Aug. l. 2. de consensu Ev. c. 51.

21. *Et dimissa turba, ascendit in naviculam: & venit in fines Magedam:* Sive, *in partes Dalmanutha*, ut ait S. Marcus. Ex tabula enim Judææ constat eumdem fuisse tractum, in quo vici *Magedam & Dalmanutha*; ita ut ab utrovis denominari is tractus potuerit. Hic S. Augustini sensus est, scribentis, *Eumdem locum esse sub utroque nomine.* Addit plerosque Codices non habere etiam secundum Marcum, nisi *Magedam*.

SENSUS MORALIS.

TUNC *accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur Traditiones Seniorum? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Superstitiosarum devotionum, & humanarum traditionum amore Pastoribus, veræque pietatis professoribus obtrectare, & Ecclesiam Christi perturbare, Pharisaicum vitium est. Plurimi sunt qui graviter offenderentur, si viderent aliquem non lotis manibus ad sacram Communionem accedere; & religioni non ducunt Christi Corpus immundo corde sumere & manducare, adhuc in proximis peccatorum occasionibus constituti, nondum cum inimicis reconciliati, restitutione rerum alienarum, bonorum male partorum, famæ alienæ violatæ non facta, non expiatis baptismo lacrymarum gravissimis delictis. Multi qui pii videri volunt, affectum venialium peccatorum, quo infuscatur anima, non deponunt. „ In nonnullis Ecclesiis (inquiebat S. Joan. Chry-

S. Joannes Chrys. Hom 52. in Matt

„ sostom.) hunc morem corroboratum videmus, ut dili- „ genter multi studeant quomodo manibus loti, candidis „ induti vestimentis in Ecclesiam ingrediantur; quomodo „ autem animam atque mentem suam puram atque de- „ fæcatam offerant Deo, nullam habent curam. Hæc „ dico, non quia lavare os aut manus prohibeam; sed „ quia non aqua solum abluere os velim, verum etiam, „ quod æquius est, omni virtutis ornatu. Sordescunt quip- „ pe manus homicidio, ceteriSque operibus pravis: os „ autem maledictione, contumelia, blasphemia, verbis „ obscænis atque iracundis, dissoluto risu atque scurrili- „ tate. Si ergo nullius horum tibi conscius es, neque „ his maculis obscœnus, ingenti accede fiducia: sin au- „ tem millies his sordibus te fœdasti, cur incassum la- „ boras? Cur aqua os atque linguam diligenter lavas, „ pernicioSam vero atque pestiferam vitiorum istorum ma- „ culam non abstergis? Si manus stercore, aut cæno il- „ litas haberes, auderesne ita sordidus orare? Minime, „ inquies. Hoc tamen nullum tibi damnum afferret, i- „ stud omni peste pernicioSus est. Quomodo igitur ea „ quæ indifferentia sunt vereris: quæ autem certam per- „ niciem habent, ex desidia negligis? Quid igitur, „ an non est orandum? inquies. Orandum quidem tibi

„ eſt, ſed non ſordido, vitiorumque maculis & pravis affectibus fœdato. Sed ſi caſu lapſus fuero, inquies, quid agendum? Deterge maculas tuas diligenter, largas effunde lacrymas, ingemiſce, miſericorditer pauperibus de tuis facultatibus eroga; ſi injuriam cuipiam feceris, ſatisfacias abunde, reconcilia te illi, ne magis Oratione tua Dei iram provoces; deterge linguam tuam oraturus: Nam ſi quis pedes tuos ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tangeret, non modo non exaudires, verum etiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes hoc habitu Deum orare? Nam qui orat, lingua quaſi manu utitur, qua Dei genua ſupplicando attingit. Nolite igitur ipſam maculare, ne Deus ad vos dicat: Si multiplicaveritis deprecationem, non exaudiam vos. Vita enim & mors eſt in manu linguæ: & ex ſermonibus tuis juſtificaberis, atque ex ſermonibus tuis condemnaberis. Quo die liberis legitime operam dediſti, quamvis crimen illud non ſit, orare tamen non audes: convitiis autem atque contumeliis proximo illatis fœdus, ac gehennæ reus, antequam te ipſum mundes manus ad cœlum tollis. Dic quæſo, quomodo non inhorreſcis? Annon audiſti Paulum dicentem, *Honorabiles eſſe nuptias, & thorum immaculatum*? Quod ſi ab incontaminato ſurgens lectulo, timeas ad orandum accedere cum in diaboli lectulo ſis, quomodo nomen Dei audes invocare? Diaboli quippe lectus eſt, in convitiis & injuriis delectari: & iracundia velut perniciosus adulter occulta voluptate animam commaculat, & ex pernicioſo ſemine diabolicas inimicitias parit: contraque matrimonii jura omnia peragens, eos qui pacis vinculo in unum coarctantur, in multas dirimit partes, cum matrimonium duos in una carne conjungat. Nec conjunctos ſolum disjungit iracundia, ſed ipſum etiam animum ſcindit & lacerat. Quare ut libere Deum adire poſſis, iracundiam, rixas, obtrectationes, convitia devita. *Levantes puras manus*, inquit Apoſtolus, *ſine ira & diſceptatione*."

Iſ. 1. *Prov.* 18. *Matth.* 22.

1. *Tim.* 2. 8.

2. *Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Cæco falſoque zelo ducuntur, quem Phariſaicum appellare non dubitavero, qui ſuperſtitioſas obſervantias, humanas adinventiones, præpoſteras devotiones, legi mandatiſque Dei, & capitalibus Chriſtianæ profeſſionis officiis anteponunt. Deum colere ſibi videntur legem ejus violando, propriamque voluntatem ejus adorandæ voluntati præponendo; idolum falſi zeli colunt in templo cordis ſui poſitum. *Et ecce ab Aquilone portæ altaris, idolum zeli in ipſo introitu*. Hos abuſus Paſtores & Prædicatores verbi Dei palam impugnent ad imitationem Chriſti Domini, corripientes in ſpiritu lenitatis, non inſultando, ſed docendo; non ſtudio partium, & turpis lucri cupiditate: ſed ſtudio ſalutis animarum, & charitate: non ut vincant, ſed ut veros adoratores Deo acquirant, qui ipſum adorent in ſpiritu & veritate. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Inexcuſabiles ſunt, qui mandata Dei violant, legemque latam a Deo optimo maximo, in homines beneficentiſſimo, a Deo Creatore, conſervatore, Redemptore conditam; cujus obſervatoribus æternum præmium promiſit, ſeipſum videndum ac fruendum: Legem cujus obſervatio non ſolum poſſibilis, ſed facillima eſt, Jugum enim ejus *ſuave eſt, & onus leve*. Hac de re legatur Liber 4. Theologiæ noſtræ Dogmaticæ & Moralis, Cap. 2. Articulis 3. & 4.

Ezech. 8. 5.

„ 3. Deus dixit, honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque, eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis Mandatum Dei, propter traditionem veſtram. *Bene lex quæ præmiſerat*, Diliges Dominum Deum tuum, & Diliges proximum tuum, *ſubjecit*, Honora patrem tuum & matrem tuam. PRIMUS enim gradus iſte pietatis eſt: namque hos auctores tibi eſſe voluit Deus. Honora obſequiis, ut abſtineas a contumeliis: quia ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum. Sed parum non lædere, quia Lex proſpexit ne patiantur injuriam; *Qui enim maledixerit patri vel matri, morte moriatur*: Tu honora ut bonus ſis. Aliud eſt Legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, quia ſuos Dei Filius honoravit. Legiſti enim, *Et erat ſubditus illis*: Si Deus ſervulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Joſeph & Mariam Chriſtus, non naturæ debito ſed pietatis officio. Honorabat & Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare; ut eſſet obediens uſque ad mortem. Honora ergo & ru parentes. Eſt autem honor non ſolum honorificentiæ, ſed etiam largitatis: *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*. Honor enim eſt deferre pro meritis. Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. Et ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia quibus te illa geſtavit: non reddidiſti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labiis tuis ubera: non reddidiſti famem quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium eſſet, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere patieris? O fili, quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum judicium ſi paſcat Eccleſia, quos tu nolis paſcere! *Si quis fidelis*, inquit, aut ſi qua fidelis *habet viduas, ſubminiſtret illis; ut non gravetur Eccleſia, ut his quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat*. Hoc de extraneis, quid de parentibus? . . Ne commiſeris, fili, ut parentes tuos aliorum fames paſcat: ne commiſeris, fili, ut jejunia pauperum parentibus tuis cibum quærant. Si non propter gratiam & ſalutem, propter verecundiam paſce. Non pudet ſi te ingrediente Eccleſiam, alienis manus ſuas anus mater extendat, & prætermiſſa filia, de extraneis ſtipem poſcat; cum tu tranſeas ſublimi collo, & nutibus oculorum, trahens veſtem, habens inaures, & dextralia, & annulos, & reliqua quæ Iſaias dicit? Quid ſi in te ſermonem vertat, repoſcens naturæ debitum, alimentorum pretium, manus tuæ quod genitrici debetur officium? Quid reſpondebis? Dabiſne aliis? quid ſi tibi objiciant: Vade, prius matrem tuam paſce. Nam etſi pauperes ſunt; impiam tamen non quærunt collationem. Nonne audiſti ſupra, quia Dives ille in byſſo & purpura recubans, cujus de menſa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis, quia pauperi non impertivit alimenta? Si non donare extraneis grave eſt; quanto gravius excludere parentes? Sed dicis te, quod eras parentibus collaturus, Eccleſiæ malle conferre. Non quærit domum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis, quia Diſcipuli Domini manus non lavarent, reſpondit Jeſus: Quicumque dixerit; Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem aut matrem."

S. Amb. l. 8. *in Lucam n.* 72. *& ſeq.*

Exod. 22. 27.

Luc. 2. 51.

1. *Tim.* 5. 3.

Et irritum feciſtis Mandatum Dei propter Traditionem veſtram. „ Judæi cum hominum traditionem ſequuntur, Dei negligunt: Diſcipuli traditionem Dei præferentes, hominum negligebant, ut manus non lavarent, cum panem manducarent; quoniam, *Qui lotus eſt totus, non habet neceſſe ut manus lavet*. Laverat eos Jeſus, lavacrum aliud non quærebant; uno enim Chriſtus baptiſmate omnia ſolvit baptiſmata. Itaque cum laverit Eccleſia, non habet neceſſe iterum lavari. Ergo myſterio intendebant Diſcipuli, non ſui munditiam corporis, ſed animæ requirentes. Hoc reprehendebant Judæi, ſed argute redarguuntur a Domino, quod inania obſervent, profutura deſpiciant. Et ideo illis dicit: *Vos quare dicitis patri aut matri, quos Lex præcipit honorari: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*? Id eſt cum petit ad ſumptum aliquid egens pater, aut mater a filio, quia Legem timens Judæus excuſationem non dandi requirit, dicere ſolet: *Munus quod eſt ex me, tibi proderit*; ut dicatam a filiis Deo pecuniam pater religioſus accipere reformidet. Sed hæc traditio hominum eſt excuſationes obtexentium avaritiæ ſuæ. Ceterum Dei traditio eſt ut prius paſcas parentes. Nam ſi juxta divinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames quæ morte gravior eſt? Quo loco inſolentem Dominus infrænat jactantiam. Multi enim ut prædicentur ab hominibus, Eccleſiæ conferunt, quæ ſuis auferunt; cum miſericordia a domeſtico progredi debeat pietatis officio. Da ergo prius parenti, da etiam pauperi, da illi Presbytero quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias ſpirituale quod tibi deeſt; etenim qui honorat, honorabitur. Vide ergo quia ille cum accipit tradit: & accipit non quaſi inops, ſed quaſi remuneraturus majore menſura."

Iſai. 3 16.

Joann. 33. 19. *S. Amb. ib. n.* 78. *& 79.*

Pietatis igitur officia erga Prælatos, qui Patres ſunt & Paſtores animarum noſtrarum, nec non erga Reges & ſupremos Principes, quorum ſubditi ſumus, hoc Dei mandatum complectitur, *Honora patrem & matrem*. Ipſis ideo non modo ſalutationes, reverentiam, & obedientiam, ſed & ſubventionem debemns. Igitur *Cui honorem, honorem; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Iſtius explicationem uberrimam præcepti lege Libro 4. Theologiæ noſtræ Dogmaticæ & Moralis cap. 6. Articulo 1. Qui ab hoc pietatis officio homines quavis ſpecie pietatis avertit, impius eſt, Phariſæus, Dei & Chriſti inimicus.

Rom. 13. 7.

4. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum*

S. Aug. Ep. 14. Edit. noviſſimę Pariſ. c. 18. Prov. 23. 29.

S. Aug. l. 15. de Civ. Dei cap. 7.

Minucius Felix in Oct. Eccli. 38. 28.

1. Petri 3. 4.

Epheſ. 1. 8. Coloſſ. 3. 12. Rom. 6. 19.

S. Auguſt. Enar. in Pſ. 149.

Rabanus Maurus. S. Aug. l. de vera Relig.

S. Aug. l. 15. de Trin. c. 10.

S. Aug.

rum longe eſt a me. Cultus exterior abſque interiori Deo non placet, ad ſalutem inutilis eſt. Animo Deus colendus. Vera pietas in conjunctione cordis cum Deo poſita eſt. *Deus* enim *non colitur niſi amando*. Deus noſter Deus zelotes, cor noſtrum imprimis poſtulat. *Præbe*, inquit, *fili mi, cor tuum mihi*. Abelis Munera Deo accepta fuerunt, diſplicuerunt munera Caini, non recte dividentis, quia *Dans Deo aliquid ſuum, ſibi retinuit ſe ipſum*. Cor noſtrum Dei templum eſt præcipuum, in quo adorandus eſt in ſpiritu & veritate. *Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro imo conſecrandus eſt pectore? ..... Cum ſit litabilis hoſtia bonus animus, & pura mens, & ſincera conſcientia.* Hypocritæ homini convenit illud Sapientis: *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*. Falſa fucataque pietas picturæ ſimilis eſt, quæ in exterioribus ſiſtit, caput, oculos, labia, manus, pedes, veſtes adumbrat, inde incipit, ibi abſolvit opus ſuum. At vera pietas ſimilis eſt naturæ, quæ ab interioribus incipit corporis partibus, cor, jecur, pulmones, viſcera, ceteraſque partes interiores corporis humani primo fabricatur, deinde ad externa membra progreditur: ſic vera pietas primo format illum *qui abſconditus eſt cordis homo*, primo format *cor rectum, cor novum, cor mundum, contritum, humile, cor bonum & perfectum, cor ſenſatum, cor docile, cor ardens igne fervidæ* charitatis; *illuminatos oculos cordis, bonam voluntatem*, Deique voluntati plane ſubjectam & obedientem, *Viſcera miſericordiæ*: deinde ad exteriora progreditur, hominem exteriorem componit, membra corporis *ſervire* facit *juſtitiæ in ſanctificationem*, oculos avertit ne videant vanitatem, a muliere compta, a ſpectaculis; linguam prohibet a malo, & labia ne loquantur dolum; labia in Dei laudes aperit; manus extendit ad pauperem eleemoſynis ſublevandum, pedes avertit a malo, ab occaſionibus peccati, ſed eos dirigit in viam ſalutis, in Templa, ubi Deus oretur, ubi divinum verbum audiatur, ubi Sacramenta percipiantur; in Xenodochia, in carceres, in pauperum tuguria, ubi pauperes, infirmi, captivi juventur. Sed qui hæc pietatis opera exterius faciunt ad oſtentationem, aut ob humanas quaſvis rationes, hypocritæ ſunt, dant cor ſuum in ſimilitudinem picturæ, ipſiſque convenit terribilis illa Domini ſententia: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. „ Si illorum „ cor longe eſt, noſtrum autem cor proximum eſt, quia „ credimus, quia ſperamus, quia diligimus, quia Chriſto „ adjuncti ſumus, quia membra ipſius facti ſumus: Num„ quid membra longe ſunt a Capite? Si eſſent longe & „ diviſa eſſent, non diceret: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Si ſeparata eſſent, „ non de cœlo diceret: *Saule, Saule, quid me perſe„ queris?* Si non in nobis eſſet, non diceret: *Eſurivi, „ & dediſtis mihi manducare*: Et cum dicerent illi, „ *Quando te vidimus eſurientem? Reſpondit: Cum uni „ ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. „ Ecce populus, ecce appropinquans Iſrael: & cum illo modo ſpe, poſtea re: De quo ſcriptum eſt: *Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi.*

5. *Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Qui ſuperſtitioſas & humanas prorſus devotiones in Eccleſiam introducunt, & peccatori puerilibus illis obſervantiis occupato blandiuntur, dicentes ei, *Pax, pax*, ubi non eſt pax, cum Dei legem propter humanas illas adinventiones & externas obſervantias illum negligere doceant vel permittant, miniſtri ſunt & procuratores dæmonis ad ſeductionem eorum quibus ineſt aliquis Religionis ſenſus, ſeu aliqua ad pietatem propenſio. Fruſtra Deum & Chriſtum ſe colere gloriantur. Cæcos illos Magiſtros non excuſabit nec ab ira ventura ſalvabit, pia (ut ipſis videtur) intentio: *Non habebunt mercedem cum veris cultoribus*: Itaque *Non ſit Religio in phantaſmatibus noſtris*: ſi vere religioſi & pii eſſe volumus, ut debemus.

6. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. „ Una „ ſententia duo quædam hominis ora complexus eſt Chri„ ſtus, unum corporis, alterum cordis. Nam utique „ unde illi hominem putaverant inquinari, in os intrat „ corporis; unde autem Dominus dixit hominem inqui„ nari, de cordis ore procedit. Nullum autem eſt ab„ ſque voluntate peccatum: cum ſit *voluntas faciendi „ quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. “ Nemo plane inquinatur peccato, niſi velit. Quicquid ex prava cordis cupiditate procedit, peccatum eſt. *Omnis fructus malus eſt, qui ex radice charitatis non ſurgit*. Nihil vitio datur in Dei judicio, niſi quod ex cupiditate oritur. Gratiam & charitatem quæ mundum & immaculatum hominem efficiunt, nemo niſi volens amittit.

7. *Tunc accedentes Diſcipuli ejus dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*. Superbi de terroribus vitiiſque ſuis argui nolunt; nec doceri volunt ut illa emendent: quin & aliis prædicari veritatem, quam ipſi non amant, utpote antiquis erroribus & cupiditatibus ſuis repugnantem, ægre patiuntur. *Veritatem amant lucentem, oderunt redarguentem*. Phariſaicum iſtud ſcandalum eſt, quod Chriſtus Præceptor Optimus contemnendum docet. „ Magiſtra veritas ne in quorumdam cordibus ſcandalum „ gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rur„ ſus quia generari ſcandalum in quorumdam cordibus „ contra veritatem vidit, in ſuo eos ſcandalo remanere „ permiſit. Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in „ quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum „ ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum „ ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam ve„ ritas relinquatur. Omnis plantatio quam non plantavit „ Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Quicquid non eſt „ eradicandum, manifeſtum eſt a Patre eſſe plantatum. „ Bona autem voluntas, omnium virtutum germen eſt „ primum. Quæ innixa origini ſuæ, in illa æterna & „ incommutabili voluntate requieſcit, ut vere ſit ſpiri„ tualis: quoniam QUI adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. „ Bona voluntas ſuperni agricolæ prima plantatio eſt: „ prava voluntas & cupiditas, plantatio dœmonis eſt. „ Imploranda jugiter Dei gratia, ne pravæ voluntati & „ cupiditati noſtræ dimiſſi, ſpinæ in agro dominico ſi„ mus, penitus eradicandæ, & in fornacem ignis æter„ ni mittendæ. Nam Humana natura in primi hominis „ prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter „ præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt pro„ clivior voluntatem, cui committi non eſt aliud quam „ dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, infirma „ ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditati„ bus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicio„ nibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ „ quam conſcientiæ diligentior, (*qualis erat Phariſæorum voluntas*) & per omnem ſui experientiam miſeri„ cors fruendo his quæ concupiverit, quam carendo: nihil „ in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem; quo„ niam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili „ voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, „ quanto acrius intenditur actioni. Quandiu ergo homini „ ea placent, quæ Deo diſplicent, voluntas ejus anima„ lis eſt. Quia etiamſi in bonis moribus agat, male ad„ huc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit. Hoc eſt enim „ præcipuum & proprium piorum, ut in Domino glorien„ tur, nec ſe niſi in Deo diligant. Bene enim ſe amant, „ qui in ſe opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat „ in nobis quod ipſe fecit; & hoc odit quod ipſe non „ fecit. Si ergo opus Dei amamus in nobis, bonam vo„ luntatem recte amamus. Hæc enim eſt plantatio Pa„ tris cœleſtis, quæ non eradicatur. “

S. Auguſt.

S. Greg. M. Hom. 7. in Ezechielem.

Auct. l. de Vocatione omnium Gentium l. 1. c. 6.

Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. Non ſolum Hæreticos & Schiſmaticos, ſed etiam malos Chriſtianos ſpectat terribilis illa ſententia. „ Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis; nemo major, niſi Chriſtianus, nemo autem Chriſtianus, niſi qui in finem uſque „ perſeveraverit. Tu, ut homo, extrinſecus unumquemque noſti. Putas quod vides, vides autem quouſque „ oculos habes. Sed oculi Domini alti. Homo in faciem, „ Deus in præcordia contemplatur: & ideo cognoſcit „ Dominus qui ſunt ejus, & plantam quam non planta„ vit Pater, eradicat: & de primis noviſſimos oſtendit, „ & ventilabrum in manu portat ad purgandum aream „ ſuam. “ Chriſtiani quidem ſunt ſecundum characterem, ſecundum fidem, ſecundum præſentem juſtitiam, qui non perſeverant; ſed *temporales* ſunt, ſed Chriſtiani non ſunt ſecundum prædeſtinationem æternam, quia Chriſto veræ viti tamquam palmites non adhærebunt in æternum, nec in ipſo manebunt; ideoque ut plantæ inutiles eradicabuntur. Hoc ſenſu & S. Auguſtinus ait: *Corpus Domini non eſt, quod cum illo non erit in æternum*. Illos quoque ſpectat hæc Domini ſententia, qui Eccleſiaſticas Dignitates, & ſacra Miniſteria ambitionis impulſu, aut intuitu commodorum temporalium ſibi ſumunt, a Deo non vocati, a Patre cœleſti in agro Eccleſiæ non plantati. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*.

Tertull. l. de Præſcr. Hæret. c. 3

8. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Duces cæci ſunt, qui divinæ legis & verbi Dei ſive ſcripti ſive traditi lumine non illuſtrati, ſecundum traditiones, opiniones, & errores hominum, ac prudentiæ terrenæ & animalis principia conſcientias moderantur. Hi viam illam arctam, quæ ducit ad vitam, neſcientes, & ab ea, cum his quos dirigunt, aberrantes, in foveam æternę damnationis illos pertrahunt, & cum ipſis pereunt. „ Paſtorum „ imperitia meritis congruit ſæpe ſubjectorum, qui „ quamvis lumen ſcientię ſua culpa agente non ha„ beant, diſtricto tamen Dei judicio agitur, ut per „ eorum ignorantiam hi etiam qui ſequuntur offendant. „ Hinc Veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo*

S. Greg. M. par. 1. Paſtoralis c. 1.

„ *ambo in foveam cadunt*. Hinc Pſalmiſta non optantis
„ animo, ſed prophetantis miniſterio denuntiat dicens: *Ob-*
„ *ſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſem-*
Pſal. 98. „ *per incurva*. Oculi quippe ſunt, qui in ipſa honoris
„ ſummi facie poſiti providendi itineris officium ſuſcipiunt:
„ quibus hi nimirum qui ſubſequenter inhærent, dorſa
„ nominantur. Obſcuratis ergo oculis dorſum flectitur:
„ quia cum lumen ſcientiæ perdunt qui præeunt; profe-
„ cto cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur qui
„ ſequuntur. Nec excuſabuntur in Dei judicio, qui cæ-
„ cis ducibus adhæſerint, ſiquidem vitam moreſque ſuos
„ non hominum placitis & opinionibus, ſed Dei legi &
„ Evangelii doctrinæ conformare debent." *Sciant igitur*
errare ſe, qui Philoſophiam putant eſſe ſapientiam: non
Lactant. l. 3 *trahantur auctoritate cujuſquam; ſed veritati potius ja-*
Inſtit. c. 13. *veant & accedant. Nullus hic temeritati locus eſt, in æ-*
ternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis,
aut opinio falſa deceperit. Homo autem qualiſcumque eſt,
ſi ſibi credit, hoc eſt, ſi homini credit, (ut non dicam
ſtultus, qui ſuum non videat errorem) certe arrogans eſt,
qui ſibi audeat vindicare quod humana conditio non reci-
pit. Opinionibus & traditionibus hominum in materia mo-
rum, ubi de ſalute æterna agitur, etiamſi Sapientum & Do-
ctorum nomen obtinuerint, neglecta Dei lege acquieſcere
ſtultiſſimum eſt. „ Nihil *enim* ponderis habent illa præce-
„ pta, quia ſunt humana, & auctoritate majori, id eſt,
„ divina illa carent... Nihil apud eos certi eſt, nihil quod
„ a ſcientia veniat: ſed cum omnia conjecturis agantur,
Idem l. c. 27. „ multa etiam diverſa & varia proferantur; ſtultiſſimi eſt
„ hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrum ve-
„ ra ſint an falſa dubitabitur. *Præclare S. Baſilius*: Ne
S. Baſil. M. „ morer, *inquit*, hominum judicia, ſed per Evangelica
Epiſt. 28. „ præcepta abſolute inſtituar, quæ neque cum tempori-
„ bus, neque cum humanarum rerum circumſtantiis mu-
„ tantur, ſed eadem permanent ita perdurantia, ut a
„ veraci ac beato ore prolata ſunt. Homines vero ſimi-
„ les ſunt nubeculis pro ventorum immutatione ad aliam
„ atque aliam aeris partem jactatis." Nemo igitur ex
proprio arbitrio leges ſibi aut aliis, ubi de ſalute agi-
tur, conſtituat. Nec ſibi ex multitudine ſimiliter ſentien-
tium plaudat. Nam ut ſapienter monet Petrus Cantor Pa-
riſienſis: *Non minus peccas, quia cum multis: ſed magis*
peccas: nec minus ardebis, quia cum pluribus. Qui per
Petrus Can- *multitudinem, vel Prælatum, excuſari a peccato credunt,*
tor, in Ver- *ſimiles ſunt Pilato lavanti aqua manus ſuas, &* di-
bo Abbre- *centi*, Mundus ſum a ſanguine hujus: *non Danieli, qui*
viato. *aite*: SANGUINEM *innocentem condemnaſtis, viri Judæ,*
redite ad judicium.

9. *Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis Pa-*
rabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intelle-
ctu eſtis? Heu quam pauci, etiam inter illos qui ſcientiæ
nomine gloriantur, Chriſtianæ Religionis officia, divini
cultus puritatem, Evangelii ſpiritum intelligunt! Iſtud
intelligentiæ donum a Deo oratione ferventi petendum
eſt, & cum Propheta dicendum; *Da mihi intellectum ut*
diſcam Mandata tua. Si Propheta intellectum dari ſibi po-
ſtulat, quis tam arrogans qui profiteatur in poteſtate ſua
Pſal. 118. eſſe intelligentiam? *Niſi credideritis, non intelligetis*, ait
Propheta. „ Proficit ergo noſter intellectus ad intelligen-
Iſai. 7. v. 9. „ da quæ credat, & fides proficit ad credenda quæ in-
ſecundum „ telligat: & eadem ipſa, ut magis magiſque intelligan-
70. „ tur, in ipſo intellectu proficit mens, ſed hoc non fit
„ propriis tamquam naturalibus viribus, ſed Deo adju-
S. Aug. ſer. „ vante atque donante; ſicut medicina fit, non natura,
19. in P. 118. „ ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo di-
„ cit Deo: *Da mihi intellectum ut diſcam Mandata tua*,
„ non omni modo expers ejus eſt, velut pecus: nec ita
„ quamvis homo, ut in eorum numero deputandus ſit qui
„ ambulant in vanitate mentis ſuæ, obſcurati intelligen-
„ tia, alienati a via Dei. Nam ſi talis eſſet, nec hoc
„ diceret. Non autem parvi eſt intellectus, noſſe a quo
„ poſcendus ſit intellectus. Et cogitandum eſt quanto ſint
„ altius intelligenda divina Mandata; quando ad ea di-
„ ſcenda ſibi adhuc dari intellectum petit, qui jam ea
„ intelligit, & qui eloquia Dei ſe cuſtodiſſe ante jam
„ dixit."

10. *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in*
ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Quæ autem pro-
cedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant homi-
nem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia,
adulteria, fornicationes, &c. Corde ſeu voluntate pecca-
tores vel boni ſumus ac juſti, Deo vel Mundo, Chriſto
vel diabolo adhæremus. Ex voluntatis noſtræ rectis vel
pravis affectibus a Deo judicabimur. In corde noſtro ſeu
libertate ſemina ſunt peccatorum omnium: in ſolo Chri-
ſti corde virtutum omnium principia & ſemina ſunt. Ex
nobis ipſis peccatores, ex Chriſti gratia & miſericordia
S. Aug. l. de boni ac juſti ſumus. *Liberum arbitrium ad malum ſuffi-*
Corrept. & Gratia c. 11 *cit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omni-*
potenti bono . . . Idonea fuit humana natura per liberum
Idem ſerm. *arbitrium vulnerare ſe: ſed jam vulnerata & ſaucia,*
156. alias *non eſt idonea per liberum arbitrium ſanare ſe*. Tuæ igi-
13. de Ver- tur gratiæ deputo, Domine, & quæ feci bona, & quæ
bis Apoſtoli. mala non feci. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c.
Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Opus igitur exter-
num minime neceſſarium eſt, ut apud Deum rei ſimus;
ſola cogitario & voluntas prava ſufficiunt. Quam multi
cum diabolo pœnis æternis addicti ſunt, qui ſola cogita-
tione prava cum conſenſu, ſola voluntate & affectu pec-
caverunt! *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. Omni
ergo vigilantia cuſtodiendum cor noſtrum eſt, ne pravis
cogitationibus, ſi quæ ſurrepſerint, conſenſum præbeat.
Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.
Gratiam Chriſti invocemus, quæ corda noſtra dirigat in *Prov. 4. 23.*
charitate Dei. Cor noſtrum inter Chriſtum Salvatorem
noſtrum, & ſeductorem diabolum poſitum, quam volue-
rit in partem inclinat. Si firma charitate adhæſerit Li-
beratori, nullus ad illud aditus patebit ſeductori. *Dia-*
bolus adjutor & incentor malarum cogitationum poteſt eſ- *S. Hier. in*
ſe, auctor eſſe non poteſt. *cap. 15. S.*
Matth.

11. *Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Si-*
donis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa,
clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine, Fili David, fi-
lia mea male a Dæmonio vexatur. Inde novit vocare Fi-
lium David, id eſt, Meſſiam a Deo promiſſum, quia e- *S. Hier. in*
greſſa jam fuerat de finibus ſuis, & errorem Tyriorum ac *hunc locum*
Sidoniorum loci ac fidei commutatione dimiſerat. Pecca-
tor qui animæ ſuæ liberationem a dœmonis ſervitute vult
impetrare, miſerum animæ ſuæ ſtatum imprimis agnoſcat,
ſuamque doleat calamitatem, longe graviorem quam pu-
ellæ a dæmonio vexatæ, cujus liberatorem mater a Sal-
vatore tam humili, tam ſerventi prece poſtulabat. Pec-
candi deponat affectum, ex occaſionibus emergat, eaſque
penitus dimittat, confugiat ad Medicum, ab una ejus
Miſericordia ſalutem animæ ſuæ & liberationem expe-
ctet, quæ ſolius Chriſti gratiæ opus eſt. *Miſerere mei,*
Domine, ſana animam meam quia peccavi tibi. Oret cum
fiducia, *poſtulet in fide, nihil hæſitans*, Chananææ exem-
plo. Egrediatur e ſæculi, quaſi ex Tyri & Sidonis fi-
nibus: Mundi errores, amores, conſuetudines, pompas,
vanitates dimittat. Orationes ſuas a Deo non exaudien-
das certo ſciat, niſi affectus mutaverit, dicente Prophe-
ta: „ Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet
„ Dominus. Et, Cum multiplicaveritis orationem, non
„ exaudiam: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, *Pſalm. 63.*
„ *Unde S. Job*. Si iniquitatem quæ eſt in manu tua, a b- *Iſai. 1.*
„ ſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo in-
„ juſtitia: tunc levare poteris faciem tuam abſque ma- *Job. 11.*
„ cula, & eris ſtabilis, & non timebis. INIQUITAS in
„ manu, eſt culpa in opere. Injuſtitia in tabernaculo, *S. Greg. M.*
„ iniquitas in mente. Quæ duo ſi perfecte tergimus, ad *l. 10. Mor.*
„ Deum ſtatim ſine macula faciem elevamus, &c." *cap. 2.*

12. *Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes Diſci-*
puli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia cla-
mat poſt nos. Chananææ mulieris fides ipſam ad oran-
dum impellit. Non enim invocaret, in quem non crede-
ret: & oratio viciſſim illius fidem auget & corroborat,
ut ſuſtinere poſſit probationem ſilentii, repulſæ, verbo-
rum denique duriorum. „ Clamabat ergo avida impetran-
„ di beneficii, fortiterque pulſabat: & diſſimulabatur ab
„ eo, non ut miſericordia negaretur, ſed ut deſiderium
„ accenderetur; nec ſolum ut deſiderium accenderetur,
„ ſed ut humilitas commendaretur. Clamabat ergo tam-
„ quam Domino non audiente, ſed quod facturus erat in
„ ſilentio diſponente. *Pari fide ad Chriſtum liberatorem* *S. Aug. ſer.*
„ *noſtrum clamemus*. Clamavi in toto corde, exaudi me, *77. alias de*
„ Domine. EST autem clamor cordis, magna cogitatio- *Temp. 74.*
„ nis intentio: quæ cum eſt in oratione, magnum ex- *cap. 1.*
„ primit deſiderantis & petentis affectum, ut non deſpe-
„ ret effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quan-
„ do aliunde non cogitatur." Indignos autem nos cen-
ſere debemus qui a Domino exaudiamur, & Sanctos apud
ipſum interceſſores adhibere, ut Chananæa Apoſtolos. *Idem ſerm.*
13. *Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad* *29. in Pſal.*
oves quæ perierunt domus Iſrael. Illis enim exhibuit præ- *118.*
ſentiam ſuam, pro illis in ſe ſævientibus crucifixus ora-
vit, dicens, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid fa-* *S. Aug. ſer.*
ciunt. „ Intelligebat Medicus phreneticos mente perdita *67. c. 3. & 5*
„ Medicum occidentes, & occidendo Medicum neſcien-
„ tes, ſibi medicamentum facientes. *De Domino enim oc-*
„ *ciſo omnes curati ſumus, illius ſanguine redempti, pa-*
„ *ne illius corporis a fame liberati*. Hanc ergo præſen-
„ tiam Judæis Chriſtus exhibuit. Hoc ergo ait, *Non*
„ *ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſael*: ut
„ illis præſentiam ſui corporis exhiberet, non ut oves
„ quas habebat in Gentibus contemneret & præteriret:
„ Ad Gentes enim ipſe non ivit, ſed Diſcipulos miſit." Et ibi impletum eſt quod Propheta dixit: *Populus quem*
non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. In-
de mulier iſta erat: *Ideo non contemnebatur, ſed differebatur*. *Pſal. 17. 24*

14. *At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine,*
adjuva me. Sine intermiſſione orandum, quamvis Deus
paces noſtras repellere videatur. Adorare juſtitiam ejus
debemus, noſque repulſa dignos agnoſcere & fateri. O-
rationes noſtras Deus plerumque non exaudit, quia peti-
mus quod ſaluti noſtræ noxium eſſet. *Deus bonus, ſi*

det

S. Aug. Enarr. in Ps. 85. Idem in Ps. 26. S. Aug Enarr. in Psal. 69. 3.

det quod vis: *Quid si male vis, nonne erit tibi magis non dando misericors? .... Propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus. Iratus dat amanti quod male amat.* Quis sanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris: *Non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem.* At vero cum illud petis ut det tibi vitam æternam Deus, securus esto, accipies, si modo non accipis: non enim jam venit tempus ut accipias. *Exaudiris, & nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice res est, nondum in fructu.* Qui rogat Deum ut a tribulationibus liberetur, & non exauditur; *Intelligat Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentam esse ad salutem, non pœnam ad damnationem: sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus.* Petiit Job ad tentandum, & concessum est: dæmones petierunt ut irent in porcos, & exauditi sunt. Apostolus rogavit ut auferretur ab eo stimulus carnis, Angelus satanæ a quo colaphizabatur, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Verum, inquies, peto conversionem meam, profectum spiritualem, pacem & tranquillitatem interiorem: jam dudum oro, & non impetro. Ne idcirco animum despondeas. Non enim negat, sed differt, ut probatio fidei tuæ multo pretiosior auro inveniatur in laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi. *Sicut* enim *igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Sic repulit Chananæam, ipsamque contemnere visus est, negare quod rogabat, ut fidem ejus probaret, favorem augeret. *Oratio Sanctorum quasi dilatione repellitur, ut tamquam ignis flatu repercussus, inflammetur ardentius.* Chananæa *clamando instabat, perseverabat, pulsabat, tamquam jam audiisset, Pete, & accipe; quære, & invenies; pulsa, & aperietur tibi. Institit, pulsavit.* Vera hæc Abrahæ filia, vera Israelitis, non quidem secundum carnem, sed secundum spiritum, quæ Abrahami fidem imitata; *in spem contra spem credidit.* Repulsam enim passa, ferventius oravit, dicens: *Domine adjuva me.* Quid hoc est, mulier? Num plus fiduciæ habes quam Apostoli? plus gratiæ, plus virium? Fiduciæ quidem, inquit, at virium nequaquam: quin & pudore suffundor: attamen ipsam in verecundiam pro supplicatione propono. Meam spero fiduciam & libertatem reverebitur.

S. Aug. Enarr. in Ps. 87. Idem serm. 77. Alias de Tempore 74. S. Chrys. Hom. 53. in S. Matt.

15. *Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Sola Charitas nos Dei filios efficit, quod in nostra tamen potestate est, ex Dei misericordia nos ex canibus in filios immutante, ut ad mensam suam sedentes, seipso pane cœlesti reficiat. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt ir nomine ejus.* At illa dixit: *Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Repulsa non recedit, duriori verbo excepta non despondet animum, se magis humiliat, instat, humilitate & perseverantia Christum vincit. „ Illa si recederet post hæc verba, canis accesserat, canis abscesserat: sed pulsando, homo facta est ex cane. Institit enim petendo, & ex ipso veluti convicio humilitatem ostendit, misericordiam impetravit. Neque enim commota est, aut succensuit, quod canis appellata fuerit petens beneficium, rogans misericordiam. Sed ait: *Ita Domine*: Dixisti me canem, plane canis sum, agnosco nomen meum, Veritas loquitur: sed non ideo a beneficio repellenda sum prorsus canis: " Sed canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Modicum quoddam & exiguum beneficium desidero: non mensam invado, sed micas quæro.* In hac muliere, quæ de Gentibus veniebat, & typum seu figuram Ecclesiæ gerebat, maxime humilitas commendata est. Etenim Gens Judæa, ut ab Evangelio repelleretur, superbia inflata est, quod Legem accipere meruisset, quod de ipsa Gente Patriarchæ processerint, Prophetæ extiterint, Moyses in Ægypto miracula magna fecerit, per Mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, Legem acceperit, quam ipsi populo dederit. Erat unde extolleretur gens Judæa, *& per ipsam superbiam factum est, ut Christo nollet humiliari auctori humilitatis, repressori tumoris, Medico Deo, qui propter hoc homo factus est, ut se homo hominem cognosceret. Magna medicina! Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio: Fit ille homo cum sit Deus; & non se agnoscit homo hominem, id est, non se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agnoscit peccatorem, non se agnoscit ægrotum, ut quærat vel ægrotus Medicum, sed quod est periculosius, sanus sibi videtur.* Ergo propter hoc ille populus non accessit, id est propter superbiam: & dicti sunt ex arbore oleæ, hoc est de illo populo a Patriarchis creato fracti rami naturales, id est, Judæi, merito steriles spiritu superbiæ, & in illa olea insertus est oleaster, scilicet populus ex Gentibus. Sic dicit Apostolus quod oleaster insertus sit in olea, rami autem naturales fracti sunt. *Illi fracti propter superbiam, insertus oleaster propter humilitatem.* Istam humilitatem ostendebat mulier, dicens: *Ita Domine, canis sum, micas desidero.* Hanc humilitatem imitentur Pœnitentes: se pane filiorum indignos existiment, sacram Mensam ne temere invadant, donec plene expiati a canina spurcitia fuerint, donec mores caninos deposuerint, donec amore Dei dominante & cupiditatis victore commutati in filios fuerint. Non minor puritas & sanctimonia requiritur ut participes simus micarum Panis Eucharistici, quam ut totius Panis: siquidem tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur, & sub minima particula specierum, non minus quam sub specibus integris totus est Christus. Canes erant de quibus S. Cyprianus scribit: „ A diaboli aris „ revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis „ nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos „ adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus „ suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt, quando occurrat Scriptura divina, & clamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducaverit ex „ carne sacrificii salutaris, quod est Domini, & immunditia ejus super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Apostolus item pervicacibus & contumacibus „ comminatur & denunciat, dicens: Quicumque ederit „ panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit „ Corporis & Sanguinis Domini. Spretis his omnibus „ atque contemptis, vis infertur Corpori ejus & sanguini. "

S. Cypr. lib. de lapsis. Eccli. 35.

Hinc graviorum peccatorum rei diuturnis humillimæ pœnitentiæ laboribus olim probati, antequam ad sacram Eucharistiæ Communionem admitterentur. Probandi sunt & nunc maxime omnes, qui ex habitu inveterato peccant, & in eadem crimina sæpe relabuntur, nec temere absolvendi & ad sacram Mensam admittendi, donec dignos pœnitentiæ fructus fecerint, *Ne Sanctum detur canibus.* Chananææ mulieris humilitatem imitari etiam oportet Christianos omnes, ut eorum orationes Deo sint acceptæ. *Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit.* Odit Deus pauperem superbum. *Omnes* porro *quando oramus, mendici Dei sumus. Ante januam magni Patris familias stamus, immo etiam posternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; & ipsum aliquid ipse Deus est. Quid a te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit,* EGO *sum panis vivus qui de cœlo descendi?*

Eccli. 35. S. Aug. Ser. 83. alias 15. de Verbis Domini.

Etiam Domine: Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Vides prudentiam & modestiam mulieris? Non de aliorum laudibus doluit, nec quia contemni videbatur, moleste tulit. Vides magnitudinem animi atque constantiam? *Non est bonum,* ipse dicebat: illa, *Utique Domine,* respondebat: Filios ipse Judæos vocavit, illa dominos; & hac humilitate ex abjecta canum conditione vendicata, filia facta est. Mirabilis tibi videtur mulieris humilitas, audias & Judæorum jactantiam: *semen Abraham sumus, & nulli unquam servivimus, & ex Deo nati sumus.* Non sic mulier, quæ in schola Christi, in ipsis tyrocinii sui initiis adeo profecerat, ut humilem esse ab ipso humilitatis Magistro didicisset, cujus omnis vita & conversatio humilitatis schola fuit.

S. Jo. Chrys. Hom. 53. in Matt.

Joann. 8.

16. *Tunc respondens Jesus, ait illi: mulier, magna est fides tua: Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Victrix mulieris fides ac perseverantia misericordiam a Christo extorquet; Fides totius Christiani ædificii fundamentum est: sed fundamentum pariter ac ædificium Dei opus est. Fidem hujus mulieris per dilectionem operantem, ideoque Christi commendatione dignam, imitemur, ut ab ipso exaudiri mereamur. *Fides* enim *impetrat, quod Lex imperat.* O mulier, magna est fides tua! *Quia ille cordis inspector mutatam vidit, quam laudavit, ideo non ait: O canis, magna est fides tua; sed* O mulier, magna est fides tua! *Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum perveniisse cognovit.* Imitemur & illius in oratione perseverantiam, ut exaudiamur a Domino, & animæ nostræ liberationem ac salutem impetremus, nobisque dicatur: *Fiat tibi sicut vis.* Ut autem fiat nobis sicut volumus, nihil velle oportet ac postulare, nisi quod Deus vult, *sanctificationem nostram.* Nihil desideremus ac petamus, nisi beatitudinem æternam, Dei fruitionem: *Unam petii a Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Id si perseveranter petamus, certissime impetrabimus. „ Quisquis *enim* „ illam unam petit a Domino, & hanc requirit, certus „ ac securus petit. *Verum orationi subjungenda actio* „ *est.* Sunt namque intra sanctam Ecclesiam nonnulli, „ qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam „ deprecantium non habent: nam promissa cœlestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt... Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia „ continui amoris tenet. *Et sanata est filia ejus ex illa* „ *hora.* Cum nihil ab Apostolis in re mulieris factum „ fuerit, totum ab ipsa perfectum est. Tantum potest „ jugis ac fervens oratio, mavult enim nostram Deus, „ qui rei sumus, quam aliorum pro nobis orationem. "

S. Aug. l. de Fide & Operibus cap. 16.

Psal. 26. 4.

S. Aug. Ep. 139. alias 121.

S. Greg. M. l. 33. Moralium c. 12. S. Jo. Chrys. Hom. 53. in Matt.

17. *Et cum transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ; & ascendens in Montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mu-*

tos, cæ-

Joann. 1.

S. Aug. ser. 77. c. 6. & 7.

S. Jo. Chryſ. Hom. 52. in Matt.

tos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, &c. „ Christus nonnumquam civitates ac vicos circuit, nonnumquam ſedet exſpectatque laborantes, & claudos ad cacumina montium aſcendere facit. Nec fimbria veſtimenti modo tangit, ſed ſublimiores jam animo, qui adeunt, ad pedes ipſius ſe dejiciunt, & dupliciter fidem ſuam oſtendunt: Quia claudi aſcenderunt, & quia nihil aliud quæſierunt, ſed ſolum ad pedes ejus abjecti, ſanari ſe poſſe crediderunt. Et erat ingens omnium admiratio, cum multos, qui prius ab aliis portabantur, jam ambulare viderent, ac cœcos videre, nec ductore opus habere. Etenim multitudo eorum qui curati fuerant, & ſumma curationis facilitas obſtupeſcere univerſos cogebat. Dignum vero conſideratione eſt, quod Chananæam quidem tardius, & quaſi virtute illius inductus tandem curavit, hos vero confeſtim ut ad eum pervenerunt: non certe quod meliores illa fuerint, ſed quoniam iſtis illa fide multo ferventior. Quamobrem tardior tunc fuit, ut perſeverantia mulieris oſtenderetur: iſtis vero quod petebant ſtatim conceſſit, ut Judæorum non credentium ora obſtrueret, & nullus eis defenſionis locus relinqueretur. Nam quo majora quis beneficia conſecutus eſt, eo majori ſubjacet culpæ, ſi invitio ingrati animi perſeverat. "

Pſ. 106. 20. S. Amb. ſer. 3. in Pſ. 118.

Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos ex omnibus interitionibus eorum. NON EST *Medicus iſte de terris, qui omnes curat infirmitates, & populos integros ſanat.* Quod autem tunc illi præſtitit, qui omni genere corporalium infirmitatum & languorum laborabant; illis modo præſtare non ceſſat, qui ſpiritalibus infirmitatibus;

S. Aug. lib. 1 quæſt. Evang. quæſt. 19.

quarum illæ figuræ erant, affligebantur: mutis ſcilicet, qui Deum non laudant, vel non confitentur fidem, aut peccata: cæcis, qui non intelligunt, etiamſi obtemperant jubentibus: ſurdis, qui non obtemperant, etiamſi intelligunt: claudis qui præcepta non implent. Verum ut ab infirmitatibus & languoribus animarum noſtrarum curari valeamus, ad Chriſtum in Montem aſcendendum eſt. Quomodo vero aſcendere poterimus infirmi? Oratione, quæ mentis ad Deum aſcenſus eſt. Ad thronum gratiæ ejus cum fiducia accedamus; ad pedes ejus abjecti, exponamus ipſi miſerias noſtras, infirmitates, languores hominis interioris, impotentiam videndi & intelligendi quæ ad ſalutem noſtram pertinent, niſi illuminet tenebras noſtras; difficultatem & impotentiam orandi. *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus*: impotentiam ambulandi in viam mandatorum ejus, niſi nos ipſe ducat, & greſſus noſtros dirigat: impotentiam agendi bonum, niſi det ipſe *velle & perficere pro bona voluntate.* An ſtudio & ardore minori ad Chriſtum accedent Chriſtiani ut ſanentur ab infirmitatibus & languoribus mentis, ut non modo ſanitatem, ſed plenam immortalitatem per ipſum conſequantur; quam Judæi illi ut curentur ab infirmitatibus corporis? Non minus amemus vitam æternam, quam ipſi vitam & ſalutem temporalem, & nulli parcamus labori. Tandem ubi Chriſtus gratia ſua medicinali nos ſanaverit, gratias ipſi referamus, magnificemus laudemuſque Deum, *Qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redimit de interitu vitam noſtram, qui coronat nos in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium noſtrum.*

18. *Jeſus autem, convocatis Diſcipulis ſuis, dixit. Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum. & non habent quod manducent; & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Conſequens erat ut quos a vulnerum dolore ſanaverat, eos alimoniis ſpiritalibus a fame liberaret. Itaque *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando ſanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem ut veniret, accepit. Si lumine oculorum privatus erat, domum Domini, niſi refuſa luce, intrare non potuit.* Ubique igitur myſterii ordo ſervatur; *Ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* Chriſti gratia, Dei verbum, Chriſti Corpus, panis eſt cor hominis Chriſtiani confirmans, ne deficiat in via, qua ad cœleſtem patriam tenditur: *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Si quis ergo defecerit, non per Dominum Jeſum, ſed per ſe deficit: nec habes quid adſcribas Domino, qui vincit cum judicatur; quid enim dicas ei qui in te contulit omnia firmamenta virtutis? Nonne ipſe te genuit, nonne ipſe te pavit? *Cibus ejus fortitudo eſt. Sed ſi tu negligentia tua virtutem quam acceperas perdidiſti, non alimentorum cœleſtium, ſed tuæ mentis tibi præſidia defuerunt.* „ Denique Dominus, ſicuti ſuper juſtos & injuſtos pluit, ita juſtos & injuſtos paſcit. Dividit ergo eſcas Dominus Jeſus. Et ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, diſpenſator enim eſt omnium; ſed cum ille panes frangat, & det Diſcipulis, ſi tu manus non extendas tuas, ut accipias tibi eſcas, deficies in via; nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miſeretur, & dividit: ſed his dividit, qui cum eo etiam in deſerto permanent, qui primo & ſecundo & tertio die non recedunt. *Miſereor turbæ, quia jam triduo perſeverant mecum.* Quanta dignatio! Quanta ab eo hominibus inſpiratur humanitas! Non vult jejunos dimittere; non vult, ne deficiant in via. "

S. Auguſt.

19. *Et dicunt ei Diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſatiemus turbam tantam?* Mundus deſertum eſt, ubi cor noſtrum eſurit, variis deſideriis quaſi fame oppreſſum; ſed nihil ipſum ſatiare præter Chriſtum & Deum poteſt. *Animam Dei capacem quicquid Deo minus eſt non implebit.* Et ait illis Jeſus: *Quot habetis panes? At illi dixerunt, ſeptem; & paucos piſciculos.* Indigentiam noſtram agnoſcamus. Nihil habemus ex nobis, quo ſuſtentari ſpiritaliter poſſimus in hujus mundi deſerto: ſed per Chriſtum in ejus Eccleſia dumtaxat alimenta animæ noſtræ invenimus, dum fame pereunt, qui extra Eccleſiam ſunt. Chriſti Jeſu Corpus, Spiritus, myſteria, verbum, ſeptem Sacramenta, ſeptem dona Spiritus Sancti, Scripturæ Sacræ liber ſeptem ſigillis ſignatus; fidelium animarum panes ſunt. Doctrina, patrocinia, exempla ſanctorum, in aquis amaris afflictionum & pœnitentiæ viventium, piſciculi ſunt ad ſpiritalem refectionem nobis appoſiti.

20. *Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram,* &c. Humilitas & quies interior a pravarum cupiditatum motibus, ſæculique tumultu, neceſſaria diſpoſitio eſt, ut Chriſti Corpus Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento digne ſumamus & manducemus, cujus typum & figuram habemus in hoc miraculo multiplicationis panum. Vide quæ ſuperiori Capite diximus.

S. Hil. cap. 15. in S. Matth.

21. *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt: & quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas,* &c. Panes ſeptem afferuntur. „ Nulla enim ex Lege „ & Prophetis Gentibus ſalus ſumitur, ſed per gratiam „ Spiritus vivunt, cujus ſeptiforme munus eſt. Ergo Spi„ ritus per fidem ſalus Gentibus eſt. Quæ in terra re„ cumbunt; nullis enim Legis operibus ſuerant ante ſub„ ſtratæ: ſed peccatorum & corporum ſuorum origini „ inhærentes: ad donum Spiritus ſeptiformis vocantur. „ Indefinitus piſcium numerus, diverſorum donorum & „ chariſmatum partitiones miniſtrationeſque ſignificat: „ quibus fides Gentium, gratiarum diverſitate ſatiatur. „ Sed quod ſeptem ſportæ replentur; redundans & mul„ tiplicata ſeptiformis Spiritus copia indicatur, cui quod „ largiatur exuberet: ſitque ſaturatis nobis ditior ſemper „ & plenior. Quod vero quatuor millia virorum congre„ gantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis „ partibus intelligitur. Ad formam enim futuri in tot „ partium millia plebs dinumerata ſatiatur, quotidem de „ partibus ad cœleſtis cibi donum concurſura eſſent mil„ lia crediturorum. "

CAPUT XVI.

Senſus Litteralis.

1. *ET acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.* Phariſæi & Sadducæi, Sectæ inter ſe contrariæ & capitaliter inimicæ, adverſus Chriſtum Dominum convenerunt, calumniæ occaſionem quærentes: & rogarunt, ut ſignum de cœlo ederet, quo ejus miſſionem & auctoritatem e cœlo eſſe comprobaretur; ſignum (inquam) de cœlo quale ediderunt Joſue, ſolem ſiſtens: Samuel, tonitrua eliciens; Iſaias, umbram reducens; Elias, ignem e cœlo advocans; Moyſes, Manna obtinens.

2. *At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* Veſpertinum ruborem ſereni temporis, matutinum ruborem ſubobſcurum, ſignum eſſe tempeſtatis, ventorum, pluviæ quod longa experientia docuit, dicere conſueviſtis. *Faciem ergo cœli dijudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?* Indicia prognoſtica ſerenitatis vel pluviæ in cœli diſpoſitione, ſive ſpecie externa obſervatis, ut ad ea componatis res veſtras, & iter ſuſcipiatis vel differatis; & non attenditis ad Prophetarum oracula, quæ Meſſiæ adventum prædixerunt, & quæ jam adimpleri evidens eſt? Qui fit ut non intelligatis hæc ſigna, niſi quia attendere non vultis finem Hebdomadum Danielis, ablatum Syriæ & Ægypto Regni decus, teſtimonia de me Angelorum, ſtellæ, Patris e cœlo, Spiritus Sancti, Joannis, dæmonum: miracula a me edita, qualia nec antea viſa, nec audita, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem, mortuis vitam reddi, quæ omnia certiſſima ſigna ſunt adventus & Regni Meſſiæ?' Confer cum Luc. 12. 56. *Hyprocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?*

3. *Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.* Homines perverſi, & ſpiritaliter adulteri, qui a puro & ſincero Dei cultu ad ſua figmenta defecere, ſignum quærunt, & aliud eis non dabitur præter ſignum Jonæ Prophetæ. „ Jonæ ſe Dominus comparat, quem ad futuræ „ paſſionis effectum in prædicationem pœnitentiæ ad Ninivitas

S. Hil. cap. 16. in Mat.

„ vitas pari specie præmiserat. Namque Jonas ventis de „ sævientibus projectus e navi est, & devoratus a cete, „ & post triduum vivus emissus, non retentus a monstro, „ non cibi conditione defectus; sed contra humani cor„ poris naturam integer & illæsus in auras superas vir„ tute Dominicæ præfigurationis evadit. Hoc ergo po„ testatis suæ signum constitutum esse demonstrat: ipse „ remissionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, „ de Jerusalem vel Synagoga, immundorum spirituum „ dominante flatu, ejiciendus, & Pilati potestati, id est, „ sæculi judicio tradendus, & a morte tamquam elemen„ ti ejusdem monstro glutiendus, & post triduum ex ea, „ contra conditionem hominis quem assumpserat, non „ retentus, vivus atque incorruptus emergens. Ea igi„ tur, quæ in homine de conceptu Virginis sumto di„ vinarum erant plena virtutum, cognosci atque intel„ ligi de se voluit & Prophetæ signo, & hominis exem„ plo. Similis loci explicationem lege supra ad Caput „ 12. *Et relictis illis*, Pharisæis nimirum & Sadducæis, „ *abiit*."

4. *Et cum venissent Discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere*. Septem sportas, quas ex fragmentis residuis septem panum plenas habuerant illos pauperibus distribuisse, verisimile est. De aliis autem panibus ad iter comparandis, antequam navim cum Christo ascenderent, non cogitaverant. *Qui dixit illis: Intuemini, & cavete a fermento Pharisæorum & Sadducæorum*. Attendite vobis, & cavete a Pharisæorum doctrina, qui superstitiosis Traditionibus suis, & falsis interpretationibus Legem corrumpunt; & Sadducæorum, qui negant carnis resurrectionem, spiritum, animæ immortalitatem. Duo igitur dogmatum genera sollicite vitanda Christus docet, ea quæ præcipuam pietatem ponunt in externa rituum, præsertim ab hominibus inventorum observatione: & ea quæ Religionem transformant in Regnum hujus mundi. *Marc.* 8. 15. habetur: *Cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis*. Christus omnium meminit: & aliunde Sadducæi Herodi erant addictissimi, quo vivente, ad dignitates maximas pervenerunt, teste Josepho. Quin & ipsorum plurimos Herodianos fuisse, eruditi Interpretes conjiciunt, cujus sectæ homines dicebant, Herodem Magnum esse Messiam a Jacobo promissum. Non erat autem, inquiunt, talis opinio aliena ab illis, qui in hujus vitæ felicitate, & florenti Reipublicæ statu spes omnes collocabant. Nam Regni gloria intermissa a captivitatis Babylonicæ temporibus, in Herode quodammodo restituta erat, qui ita comiter observabat Romanam Majestatem, ut plena interim Regni jura haberet.

5. *At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus*. Non solum taciti cogitabant, sed & ea de re secreto inter se colloquebantur, ut constat ex *Marci* 8. 16. Existimabant Jesum, cum panes illis deesse sciret, monere, ne panem sibi a Pharisæis aut Sadducæis compararent: quasi is panis esset ipsos inquinaturus. Jam scilicet immemores erant sermonis Christi, quo docuerat, nullam esse vim in rebus istis ad animum inquinandum. Simul etiam ne panis penuria laborarent, anxie metuere cœperunt; præsertim circumscripta, ut existimabant, & in magnas angustias redacta emendi libertate. *Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? quare non intelligitis, quia non de pane dico vobis: Cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?* Sciens Jesus vi Divinitatis suæ quid cogitarent, & inter se colloquerentur, dixit: Quid cogitatis, infirmæ fidei viri, a me ideo dictum, quod panes non habeatis, quasi periculum sit ne fame pereatis, si a Sadducæis & Pharisæis accipere vobis non liceat? Nondum intelligitis me de fermento & pane materiali non loqui? Non consideratis, me victui vestro prospicere posse, etiamsi a nemine homine panes comparetis? An jam immemores estis duplicis miraculi multiplicationis panum, a me recens editi? *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*. Intellexetunt Christi reprehensione benevola excitati, ipsoque donum intelligentiæ per gratiam suam tribuente.

6. *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat Discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Cum venisset Jesus in agrum Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi, quod a Philippo Tetrarcha, Herodis Magni ex Cleopatra filio condita sit in honorem Tiberii Cæsaris, ad radices Libani, & ad fontes Jordanis, distincta ab alia Cæsarea nobiliori ab Herode condita, cui nomen vetus *Stratonis Turris*: interrogabat Discipulos suos, ut ipsos doceret, & adversus falsas hominum opiniones erroresque muniret: Quænam est de me hominum seu vulgi opinio, qui exteriori specie nihil præter hominem de plebe præfero? Confer cum Marci 8. 27. *Et egressus est Jesus & Discipuli ejus in Castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat Discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?*

S. Hieron. in hunc locum.

Et Lucæ 9. 18. *Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & Discipuli: & interrogavit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ?* De se autem locutus Christus est in tertia persona, referente S. Matthæo, *Ne jactanter de se loqui videretur*. Alii autem Evangelistæ non verba ipsa, sed sensum expresserunt.

7. *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam*, qui resurrexit a mortuis: quod & Herodes primum suspicatus fuerat: *Alii vero Eliam*, quem Messiæ præcursorem futurum arbitrabantur, ad primum Christi adventum referentes, quod in Scriptura de secundo prædicitur: *Alii vero Jeremiam*, redivivum, *aut unum ex Prophetis*; id est, novum Prophetam veteribus parem: Marci 8. 28. *Alii vero quasi unum de Prophetis*.

8. *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Quid de persona mea, missione, dignitate, auctoritate sentitis? Ab iis qui aliorum Doctores & Evangelii Prædicatores erant constituti, Fidei professionem exigit. *Respondens Simon Petrus*, ex omnium persona, tamquam *os Apostolorum*, & vertex Apostolici Collegii, fideique ardore Collegarum tarditatem præveniens, *dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi*. Tu Christus ille es a Lege & Prophetis promissus, a Sanctis omnibus hactenus expectatus & desideratus, unctus consecratusque a Deo, cujus Filius es, non adoptione, ut Prophetæ, aliique viri sancti, sed natura: Filius Dei, non cujuslibet, non fictitii, quales habiti sunt Heroes a Gentibus, Jupiter, Mars, Saturnus, Hercules jam mortui, quorum idola oculos habent, & non vident; aures, & non audiunt; os, & non loquuntur: sed Dei vivi, qui & vitam habet in semetipso, & dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: in quo vivimus, & movemur, & sumus.

9. *Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*. Ob illam fidei tuæ confessionem beatus es, Simon fili Joannis, quam nemo homo te docuit, nec tu ipse aut perspicacia tua assecutus es, aut adulationis animo edidisti, sed Pater meus cœlestis, cor tuum illuminans, Fidemque in te, gratia sua operatus, tibi revelavit. Hinc invictum adversus Arianos & Socinianos colligitur argumentum, cum Christus Petri confessionem non solum approbaverit, sed impense laudaverit. „ Non est Evangelica & Apostolica „ fides, Filium Dei nomine potius quam natura credidisse. *S. Hilar. l. 6 de Trinit. n. 36. & 37* „ Si enim adoptionis hæc nuncupatio est, & non idcir„ co filius est, quia exierit a Deo, quæro unde Beatus „ Simon Bar-jona est, confessus, *Tu es Christus Filius* „ *Dei vivi*? Anne cum omnibus potestas sit per Sacra„ mentum regenerationis in filios Dei nasci? Si secun„ dum hanc nuncupationem Filius Dei Christus est; in„ terrogo quid illud sit, quo Petro non caro neque san„ guis revelavit, sed Pater qui in cœlis est? Generalis „ professio quid habet meriti, aut quæ revelationis est „ gloria in publica conscientia? Si ex adoptione filius „ est; unde hæc in Petro beata confessio est, hoc Filio „ deferenti quod est commune Sanctorum? Ultra humanam autem intelligentiam se Fides Apostolica protendit. Audierat utique frequenter: *Qui recipit vos, me* *Matth. 10.* „ *recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit*. *40. Matth.* „ Missum ergo jam non ignorabat: & quem missum non *11. 25.* „ ignorabat, audierat professionem: *Omnia mihi tradita* „ *sunt a Patre, & nemo novit Filium nisi Pater, ne„ que Patrem quis novit, nisi Filius*. Quid istud est, quod „ nunc Petro Pater revelat, quod beatæ confessionis gloriam sumit? Numquid Patris & Filii nomen nesciebat? „ At quin frequenter audierat. Sed loquitur quod non„ dum vox humana protulerat, *Tu es Christus Filius* „ *Dei vivi*. Nam tametsi in corpore manens Dei se Filium esset professus; tamen Apostolica fides nunc primum in eo naturam Divinitatis agnovit. Neque enim „ Petro tantum ex confesso honore laus reddita est, sed „ ex agnitione Mysterii: quia non Christum solum, sed „ Christum Dei Filium esse confessus est. Nam utique ad „ confessionem honoris sufficerat dixisse, *Tu es Chri„ stus. Sed inane fuerat Christum ab eo confessum* fuis„ se, nisi Dei Filium confiteretur. In eo enim quod „ ait, *Tu es*, virtutem & proprietatem naturalis veritatis explicuit. Et Pater dicendo, *Hic est Filius meus*, „ Petro revelavit ut diceret, *Hic est Filius Dei*. Quia „ in eo quod dicitur, *Hic est*, revelantis indicium est; *Matth. 17. 5* „ in eo vero quod respondetur, *Tu es*, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis Petram Eccle„ siæ ædificatio est. Sed sensus carnis & sanguinis con„ fessionis hujus intelligentiam non revelat. Hoc est di„ vinæ revelationis Sacramentum, Christum Dei Filium „ non solum nuncupare, sed credere . . . Ille confessus „ est Christum Filium Dei: at mihi tu hodie, novi Apo„ stolatus mendax sacerdotium, ingeris Christum ex ni„ hilo creaturam. Quam vim affers dictis gloriosis? Fi„ lium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc revela„ tio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc „ securitas æternitatis est. Hinc regni cœlorum habet „ claves, hinc terrena ejus judicia, judicia cœlestia sunt, „ Sacramentum occultum a sæculis per revelationem di„ dicit,

„ dicit, fidem locutus est, naturam enunciavit, Dei Fi-
„ lium confessus est. Hoc qui creaturam potius confitens
„ negat, prius est ut neget Petri Apostolatum, fidem,
„ beatitudinem, Sacerdotium, martyrium; & post hæc
„ se alienum a Christo esse intelligat, quia Petrus eum
„ Filium confessus hæc meruit. "

10. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ego vero tibi vicem rependens, dico tibi, non inani sermone, sed quem effectus consequetur, quia meum dixisse, fecisse est: Dico tibi soli, non aliis, quia tu es Petrus, seu quod idem est, Petra. (Nomen enim *Cepha* seu *Cipho*, Syriaca lingua qua Christus loquebatur, idem prorsus significat, saxum seu rupem, Petram) *Tu es Petrus*: Quod tibi nomen imposui ratione mysterii; quia fide tua & confessione Divinitatis meæ promeritus es, ut fundamentum esses & quasi rupes immobilis, super quam Ecclesiam meam ædificabo: Fundamentum, inquam, non præcipuum, non essentiale, non primarium, quod mihi lapidi angulari peculiare est; sed secundarium ac ministeriale, non ratione doctrinæ tantum, sed ordinariæ summæque in Ecclesiæ ipsius regimine auctoritatis. Sic Patrum omnium expositiones conciliantur, quorum alii hæc verba, *Et super hanc petram*, exposuerunt de fide quam Petrus confessus est; alii de Christo ipso; plerique omnes de ipso Petro. Una enim interpretatio alteram non excludit: & locutionum dumtaxat diversitas est, non sententiarum. Super Christum fundata est Ecclesia, lapidem angularem, fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere; & nihilominus super Petrum a Christo fundata, propter illius fidem: sicut in unius hominis fide fundatam esse Rempublicam vulgo dicimus, id est, in uno homine propter egregiam ejus fidem. S. Augustinus librum suum contra Epistolam Donati recensens: *In hoc libro*, inquit, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in Versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait*: Hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente, culpam diluit. *Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod a Domino dictum est*: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: *Ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens*, Tu es Christus Filius Dei vivi: *Ac sic Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra; sed, Tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem quæ sit probabilior, eligat lector.* Primam expositionem cum Ecclesia eligimus, nec alteram tamen repudiamus, quia & in Christo primario ac præcipue fundata Ecclesia est; & confessione Divinitatis Christi meruit Petrus ut super eum Ecclesia fundaretur a Christo. Atque hæc S. Hilarii mens est, scribentis: „ Dignum
„ plane confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei
„ Filium in homine vidisset. O in nuncupatione novi no-
„ minis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædifica-
„ tione illius petra, quæ infernas leges, & tartari por-
„ tas, & omnia mortis claustra dissolveret! *Et alibi*:
„ Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædifi-
„ catio est. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est, per
„ hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ infero-
„ rum ... Hæc fides omnium beatitudinum gloriam me-
„ ruit in Petro, &c. *Et*, post Sacramenti confessionem
„ Beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subjacens & cla-
„ ves Regni cœlestis accipiens. *Et alibi*: Petrum cui
„ claves Regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam
„ ædificaturus erat adversus quam portæ inferni nihil
„ prævalerent, tali convicio, detestantem hoc sacramen-
„ tum passionis excepit: *Vade post me Satana, Scanda-*
„ *lum mihi es*. Tanta enim ei religio fuit pro humani
„ generis salute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei
„ confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis Regni
„ janitorem, & in terreno judicio judicem cœli, Satanæ
„ convicio nuncuparet. *Observandum interim venit*,
„ *Orientales Versiones Christi sententiam ita reddere ut*
„ *nullum dubium superesse possit, quin ad Petri personam*
„ *hæc verba referenda sint*. Et super hanc Petram æ-
„ dificabo Ecclesiam meam. *Ita Versio Syriaca*: Quin
„ etiam dico tibi, Tu es Petra, & super hanc Petram
„ ædificabo Ecclesiam meam. *Persica*: Et ego dico tibi:
„ Tu es Petra Religionis meæ, & fundamentum Eccle-
„ siæ meæ super te extructum erit. *Arabica*: Et ego
„ dico tibi, quia tu es Petra, & super hanc Petram
„ ædificabo Ecclesiam meam. *Æthiopica*: Et ego qui-
„ dem dico tibi, quod es Petra, & super hanc Petram
„ ædificabo domum meam Christianorum. "

11. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Opponit Christus ædificium ædificio, civitatem diaboli civitati Dei. Portarum vero nomine civitatem ipsam tamquam munitissimæ partis nomine significari, ex Scripturarum phrasi notum est. Genes. 22. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*. Et c. 24. 60. *Crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum*. Igitur *portæ inferi*, id est, potestas diaboli. Hæreticorum errores, persecutiones Tyrannorum, improborum quorumvis hominum molitiones, vitiorum incursiones & scandala non prævalebunt adversus Ecclesiam, sive oppugnatam ut eam vincant, sive expugnantem, ut illi resistant. „ Ecclesia sancta, Ecclesia una,
„ Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæ-
„ reses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non
„ potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sar-
„ menta inutilia de vite præcisa: Ipsa autem manet in
„ radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ in-
„ feri non vincent eam. "

12. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Clavium nomine hic intelligitur summa potestas & auctoritas, non solum remittendi & retinendi peccata, non docendi solum, sed regendi; inde sumpta metaphora, quod claves domus & civitatis penes dominum vel gubernatorem sint. Hinc Isaiæ 22. 20. 21. 22. *Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus ... & dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Et Apocalypsis 3. 7. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Regni cœlorum nomine hic intelligitur Ecclesia; qua voce Christus usus est, ut significaret potestatem Petro collatam cœlestem esse ac spiritualem, quæ tota eo spectet ut homines ad Regnum cœlorum sive ad beatitudinem æternam præparentur, dirigantur, perducantur. Clavium itaque nomine significatur potestas omnis ad Ecclesiæ regimen necessaria: potestas, inquam, recipiendi, expellendi, præcipiendi, prohibendi, puniendi, remittendi peccata, retinendi, dispensandi, condendi leges, judicandi, &c.

Et quodcumque ligaveris super terram, &c. Alia metaphora explicat amplitudinem & excellentiam potestatis Petro datæ. Quocumque vinculo aliquem alligaveris, vel solveris in terra judicans, & Ecclesiam meam regens, hoc meo judicio ratum in cœlis habebitur, ita ut ille vere ligatus sit vel absolutus. Vinculorum autem nomine hic significantur tum peccata & peccatorum pœnæ; tum præcepta, de quibus scriptum est, *Alligant enim onera gravia*, &c. Vota denique, juramenta, & quæcumque obligationes, quibus homines a Regno cœlorum consequendo impediri possunt: Horum omnium solvendorum auctoritatem summam, plenamque potestatem Christus Petro confert tamquam Vicario suo, Ecclesiæ suæ capiti, & Ministro reconciliationis hominum cum Deo; sive potius se collaturum aliquando promittit. Claves autem Regni cœlorum, & ligandi solvendique potestatem, quatenus auctoritatem remittendi vel retinendi peccata significant, Petrus accepit suo Ecclesiæque totius nomine; „ Cujus
„ personam solum gestabat. Has enim claves non homo
„ unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri
„ excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & uni-
„ tatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, Tibi
„ trado, quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis
„ Ecclesiam accepisse claves Regni cœlorum, audite in alio
„ loco quid Dominus dicat Apostolis suis: *Accipite Spi-*
„ *ritum Sanctum: si cui dimiseritis peccata, dimittuntur*
„ *ei; si cui tenueritis, tenebuntur*. Hoc ad claves per-
„ tinet, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra,*
„ *soluta erunt & in cœlo, & quæ ligaveritis in terra,*
„ *ligata erunt & in cœlo*. Sed hoc ipsi dixit, ut sciatis,
„ quia Petrus universalis Ecclesiæ personam tunc gerebat.
„ *Sed hæc Petri singularis excellentia est, quod Ecclesiæ*
„ *gesserit in figura personam*, propter primatum quem in
„ Discipulis habuit. *Quæcumque ligaveris super terram,*
„ *&c.* Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus po-
„ testatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti
„ hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni com-
„ mendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo
„ hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Recto-
„ ribus Petri forma præponitur. *Denique* Petrus claves Re-
„ gni cœlorum *a Christo* communicandas cæteris, solus
„ accepit. *Et quodcumque ligaveris*, &c. *& quodcum-*
„ *que solveris*, &c. Actu judiciali, non nudo ministerio
„ pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata; liga-
„ tum erit in cœlis, vel solutum. "

13. *Tunc præcepit Discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Christus.* Hujus scilicet enuntiationem veritatis pro ratione locorum & temporum dispensandam sibi Christus servavit, quamdiu in terris versaretur; quam Discipuli majore cum fructu palam essent prædicaturi post ejus Resurrectionem, in cœlos Ascensum, & Missionem Spiritus Sancti, virtute ex alto tunc induti ac roborati, ut intrepide Jesum esse Christum Deique Filium Judæis ac Gentibus prædicarent. 2. Id prohibuit Christus, ut populus ipsum esse Messiam statueret, non tam ex domesticis suorum testimoniis, quam ex sermonibus & miraculis ipsius, quibus id demonstravit. 3. Ne tenella fides hominum animis insita, imminentis Passionis tempestate sub-

S. Hieron.

S. Aug. serm. alias lib. 1. de Symbolo ad Catechum.

Mat. 22. 4.

S. Aug. lib. 1 Retract. c. 12.

S. Hil. cap. 16. in Mat. Idem lib. 6. de Trin. num. 36. & 37. Ibid. num. 20. Idem Tract. in Ps. 131. num. 4.

S. Aug. serm. 295. alias de Diversis 108. Serm. 149. Alias de Diversis 23. lib. de AgoneChristiano n. 130.

Enarr. in Ps. 108. n. 1. Tract. 50. in Joan. n. 12. Tract. 118. n. 4. & Tract. 124. 5.

S. Leo serm. 3. Optatus Milev. lib. 1. Sacra Syn. Trid.

subverteretur. Quam rationem indicat Sanctus Lucas his verbis: „ Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. „ At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, „ dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & „ reprobari a Senioribus, & Principibus Sacerdotum, & „ Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. *Cujus* „ *rei gratia mandavit*: (*inquit S. Chrysostomus.*) Ut sci- „ licet scandalis de medio sublatis, & Mysterio Cru- „ cis, ac Domini Passione consummata, cum nihil resta- „ ret quod retundere ac perturbare multitudinis fidem „ posset, sincera & immobilis opinio de ipso in audien- „ tium animis confirmaretur. Nondum enim clare sua „ virtute effulserat: qua de causa post Resurrectionem, „ quando rerum veritas erat coruscatura, & virtus eo- „ rum quæ fiebant præcipue Apostolis erat auxiliatura, „ volebat ista prædicari. Non æquale erat in Palæstina „ videre modo quidem miraculis clarum, modo vero con- „ tumeliis affectum & agitatum, ac maxime quando „ Crux miraculis erat successura, & ubique terrarum fi- „ de ac adoratione certa perspicere nihil amplius tale „ quale passus fuerat patientem. Propterea igitur man- „ davit ne ulli dicerent. " *Quod enim jam radices egit, si evulsum fuerit, non facile potest iterum plantatum pullulare: quod vero postea quam semel factum est immobile ac radicatum permansit, facile propagatur, & crescit. Nam si Discipuli qui plurima viderunt, multaque audierunt arcana solo auditu scandalizati fuerunt, nec ipsi solum, verum etiam & vertex omnium Petrus; cogita quid vulgus, qui sublimiora illa arcana non cognoverunt, nulla Spiritus gratia stabiliti fuere, perpessi fuissent, si quem Filium Dei esse didicissent, eum crucifigi & omni contumelia exagitari viderent. Si enim Discipulis dicebat*, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare mo- *Joann. 16.* do: *Quanto magis reliqua multitudo decidisset, si ante opportunum tempus hujusmodi summum Mysterium fuisset revelatum?* S. Hieronymus legit: *Præcepit Discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.* Sed vocem, *Jesus*, hic omittunt vetustissima & probatissima exemplaria, tam Græca quam Latina Versio qua nunc Ecclesia utitur, Syriaca Versio, Origenes, Ambrosius, Theophylactus. *Jesus*, nomen est proprium, quo apud omnes noscebatur; *Christus*, nomen est dignitatis quare, quod nonnulli Codices hic habent, *Jesus*, interpretamentum fuit, quod ante Hieronymi tempora a margine irrepsit in textum.

S. Jo. Chrys. Hom. 55. in Matth.

14. *Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam; & multa pati a Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Cum Jesus Divinitatem suam Discipulis declarasset, mysteria reparandæ salutis humanæ, Passionem scilicet ac mortem suam eos docuit, ne, si non præmoniti passionem ejus viderent, de illius Divinitate dubitarent. Ostendit igitur Apostolis, oportere ut Jerosolymam abiret, & multas verborum ac rerum injurias pateretur, & a Judicibus Synedrii Magni, Scribis, & Principibus Sacerdotum conspiratione facta, occideretur Gentium Ministerio; & tertia die a sui occisione resurgeret ad vitam immortalem. Docuit se pati & mori *oportere*, ut implerentur Prophetarum vaticinia, ut Patris æterni mandato satisfaceret, ut consilium ipse suum de generis humani redemptione perficeret. Jerosolymis porro hæc mysteria consummanda monet; destinato suæ Passioni, Morti, ac Resurrectioni loco ob convenientissimas rationes. 1. Ut ibi rem ipsam exhiberet, veram pro peccatis hostiam, ubi umbræ & figuræ, Pascha scilicet, aliaque sacrificia legalia offerebantur. 2. Ad supplicii augmentum, ut probrosissimum esset, 3. Ad gloriam ejus, ut ex totius Judææ Metropoli facilius in orbem universum hujus rei fama perferetur. Mortem suam prædicit, ne Regnum suum terrenum sperarent: Resurrectionem, ne animis deficerent.

Marc. 8. 32 S. Hier. in hunclocum.

15. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens; Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Petrus seorsim adducens eum, ne coram condiscipulis Magistrum arguere videretur; sive, *apprehendens eum*, manu, aut veste, ut amicus amicum solet, aliquid ipsi clam dicturus, cœpit increpare eum, non jurgantis animo, sed vehementer amantis affectu, dicens: *Absit a te, Domine*; sive, quæ Græci textus vis est, *Propitius sit tibi, Domine: non erit tibi hoc:* aures meæ non ferunt, nec fieri potest, ut Filius Dei occidendus sit.

16. *Qui conversus, dixit Petro: Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Facesse hinc, qui amoris specie te mihi hostem pessimumque consultorem, & quasi satanæ partes obis, Passionis meæ mysterio, adeoque redemptioni hominum impedimentum apponens, quantum in te est. *Scandalum es mihi*, offensioni mihi es, cum ab obedientia quam Patri debeo, a consummatione charitatis & misericordiæ quam humano generi exhibere decrevi; a consummatione mysterii, quod mihi glorioſissimum erit, me avocas; mihique horrorem cruciatuum, ignominiæ, & mortis injicere conaris. Res æstimas non ex divinæ sapientiæ regulis, ex Decreto & voluntate Dei, sed ex sensu carnis & hominum judicio, humana tantum commoda spectas, & mea & tua, posthabitis Dei negotiis & gloria, quæ commodis omnibus, incolumitate corporis, & vita ipsa potiora cuique esse debent. Hæc increpatio Christi non repugnat primatui Petri. Primatus enim Ecclesiasticus & suprema auctoritas carnalem omnem sensum non adimit hominibus in gratia non confirmatis. Nondum Spiritus Sanctus Apostolis datus fuerat, immo nec primatus Petro collatus, sed tantum promissus, ut scite S. Hieronymus observat. *Omnia de futuro quæsi statim dedisset ei, numquam in eo pravæ confessionis error invenisset locum.* *S. Hier. in hunclocum*

17. *Tunc Jesus dixit Discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Postquam carnalem Petri sensum reprehendit Jesus, Discipulos suos a simili affectu & animi dispositione absterruit. Discipulorum nomine hic intellige non Apostolos tantum, sed omnes qui Christum sequebantur. Marci 8. 34. *Et convocata turba cum Discipulis suis, dixit eis*, &c. Lucæ 9. 23. *Dicebat autem ad omnes*, &c. *Si quis vult post me venire*, id est, me sequi, non pedibus corporis, sed affectibus mentis & imitatione; si quis vult meus esse Discipulus, *abneget semetipsum*: sibi ipse renunciet, naturales affectus erga commoda hujus vitæ, ipsamque vitam, exuat; rerumque omnium ac vitæ ipsius jacturam pro Dei gloria, æternaque animæ suæ salute facere sit paratus. *Et tollat crucem suam.* Quaslibet ærumnas a Deo sibi destinatas, ejusque permissu ab hominibus sibi illatas pietatis causa; mala quælibet lubenti animo suscipiat & constanter patiatur: & hac ratione, se ipsum nempe abnegando in vitæ periculis, & carnis afflictionibus, quasi non ipse, sed alius pateretur; & crucem suam ferendo, ut ego meam sum portaturus, *sequatur me*, id est, imitetur. Apud S. Lucam habetur explicatius: *Tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

18. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Qui voluerit se ipsum servare in hoc sæculo, ac propterea fidem negare, vel Dei legem violare non dubitaverit, se ipsum perdet in futuro sæculo: contra vero qui se ipsum vitamque suam propter me in hoc mundo exposuerit ac perdiderit, meliorem ac immortalem vitam in altero sæculo recipiet. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Metaphora est de foro sumpta, in quo si quis de possessione locupleti, simul & de vita litigaret, nihil lucraretur si possessionem quidem obtineret, sed vitam perderet. Quid juvabitur homo si mundum universum in hac vita lucretur, animam vero suam, se ipsum perdat in Dei judicio? Aut quid dabit homo quo se ipsum ab æterna perditione redimat, cum in ipsam incurrerit, cum de illius salute in judicio Dei actum fuerit? Nihil sane. Damnum enim prorsus inæstimabile & irreparabile est. Confer cum Lucæ 9. 25. *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsam perdat, & detrimentum sui faciat?*

19. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Filius hominis, Ego ipse, qui nunc vivo in carne passibili & mortali, veniam aliquando in gloria quæ mihi cum Patre communis est, quasi Unigenito ipsius; non cum paucis Discipulis, sed *cum Angelis*, qui ministri mei sunt æque ac Patris: & tunc reddam unicuique secundum meritum operum, non externorum duntaxat, sed internorum præcipue; præmium bonis, supplicium malis. Quamobrem nullis muneribus, aut precibus flecti poterit judex, aut corrumpi, nullo personarum intuitu inclinari, ut salvum faciat eum qui seipsum perdere maluit.

20. *Amen dico vobis: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo.* Quidam eorum qui hic adsunt, non morientur, donec videant Filium hominis in ea gloria & Majestate, qua in Regno suo fulgebit, apparentem. Id in Transfiguratione Christi impletum est, in qua gloriæ ejus specimen, non omnes, sed electi Discipuli, Petrus, Jacobus, & Joannes viderunt in Monte sancto. Vel, donec videant Filium hominis, me qui brevi moriturus sum, potenter regnantem in Ecclesia & in orbe, postquam resurrexero, & in cœlo ascendero, & tamquam Salvatorem mundi, verumque Deum, a multis adoratum & prædicatum. Misso namque Spiritu Sancto, Evangelio propagato, Domino cooperante, & Apostolorum prædicationem confirmante innumeris miraculis, ipsum jam regnare comprobat. Atque hunc sensum indicare videtur Christi sententia Marci 8. 39. *Amen dico vobis, Quia sunt quidam de hic stantibus*, (adstabant autem non Apostoli soli, sed & turbæ) *qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute.* De hoc Christi Regno S. Petrus in concione ad Judæos loquebatur: *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dextera* *Origenes S. Hilar. c. 17. in Matth. S. Jo. Chrys. Hom. 52. in Matth. S. Hieron. in hunc locum. S. Amb. l. 7. in Lucam n. 6. S. Aug. in c. 2. Epist. ad Galat. n. 13. S. Leo: Homil. de Transfi. Act. 2. 32. 33. 34*

Natal. Alex. In Evang.

igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis & auditis. Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

SENSUS MORALIS.

Tertull. l. de Præſcr. Hæret. cap. 41. & 42.

1. *Et acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.* Sic hæretici & improbi, contrariis erroribus ac ſtudiis inter ſe diſſidentes, adverſus Chriſtum & ejus Eccleſiam, adverſus veritatem ac pietatem conſpiratione facta pugnant. *Nihil intereſt illis diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent... Hoc negotium illis non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi: Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur.* Deum tentant, antiquis prodigiis & miraculis quibus fides a Chriſto confirmata eſt, credere nolunt Athei & Politici, quibus nulla Religio, ut Sadducæis; ſigna de cœlo volunt, quibus nec fidem adhiberent, *Cenſores Divinitatis*. Temeraria curioſitas gradus eſt ad hæreſim, immo ad atheismum. *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.*

Tertull. l. 2. Contra Marcionem.

Tertull. l. de Præſc

2. *At ille reſpondens, ait illis. Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & mane, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?* Homines terreni de futuris eventibus ſolliciti ſunt, tempora obſervant, quærunt opportunum tempus res ſuas temporales agendi: & tempus non arripiunt, quod ſemper opportunum adeſt, agendi maximum negotium, *unum neceſſarium*, ſalutis ſuæ. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Præclare de Mathematicis & Aſtrologis ſcripſit Sanctus Auguſtinus: *Per impiam ſuperbiam deficientes a lumine tuo, tanto ante ſolis defectum futurum prævident, & in præſentia ſuum non vident.* Studioſe inquirunt an ſerenum vel pluvium futurum ſit cœlum: & non curant *pluviam illam voluntariam*, quam ſegregat Deus hæreditati ſuæ. Quærunt an tranquillum futurum ſit an procelloſum mare: & tempeſtates non curant pravarum cupiditatum & vitiorum conflictu, tentationumque & occaſionum peccati, quibus ſe exponunt, ventis in corde ſuo excitatas. *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt; & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Facto veſpere dicitis, Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: *Id eſt, Sanguine Paſſionis Chriſti, in primo adventu, indulgentia peccatorum datur.* Et mane, & hodie tempeſtas, rubet enim cum triſtitia cœlum: *id eſt, quod ſecundo adventu, igne præcedente venturus eſt.* Faciem ergo cœli judicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis? *Signa temporum dixit de adventu ſuo vel paſſione, cui ſimile eſt roſeum cœlum veſpere: & item de tribulatione ante adventum ſuum futura: cui ſimile eſt mane roſeum cum triſtitia cœlum.*„ Faciem cœli dijudicare ſcitis, & ſigna temporum non poteſtis? Vide miſſimum Salvatoris animum: quamvis enim non diſcendi gratia, ſed reprehendendi, ſignum de cælo quærent, cauſam ſubjecit, quare negavit. Sicut enim in cœlo, inquit, aliud tempeſtatis, aliud ſereni temporis ſignum eſt, & nullus ſigno tempeſtatis conſpecto tranquillitatem exſpectat; neque tranquillo tempore tempeſtatem ſcrutatur: eodem modo de me cogitare oportet. Aliud enim tempus hujus adventus eſt, aliud futuri. His miraculis, quæ in terra facio, vobis nunc opus eſt: quæ vero in cœlo fiunt, illi tempori reſervantur. Nunc enim quaſi Medicus veni, tunc quaſi Judex adero: nunc quaſi errabundas oves reducam; tunc vero factorum rationes repetam. Et nunc quidem occultius, tunc vero apertiſſime cœlo implicato, Sole abdito, Luna obſcurata veninm; tunc virtutibus cœlorum commotis, quaſi fulgor ſubito meus adventus omnibus apparebit: ſed horum opportunum nunc tempus non eſt: non enim ad hæc, ſed ad Paſſionem veni atque ad mortem. Non audiſtis Prophetam dicentem. *Non contendet neque clamabit, neque audietur foris vox ejus?* Et alium Prophetam rurſus, *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Quod ſi quis ea ſigna commemorat, quæ Pharaonis tempore facta fuerunt, ſciat tunc opportune ad incutiendum hoſti terrorem facta fuiſſe; quibus non eget, qui ad amicos & domeſticos venit. Quomodo autem & magna illa, quæ petitis faciam, cum parva hæc non credatis? Parva quantum ad oſtentationem dico. Nam virtute quidem multo hæc illis majora fuerunt. Quid enim peccatorum remiſſioni exæquabitur? aut quid majus excogitari poteſt, quam mortuos excitare, dæmonia depellere, diſſolutam corporis compaginem verbo conſolidare?“

Iſai. 37.

Aug. l. 1. Q. Ev. Q. 20.

S. Jo. Chryſ. Hom. 54. in Matth.

Iſai. 42. Pſ. 72.

3. *Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit.* Miracula & numero & magnitudine ſufficientia Chriſtus ediderat, ut Miſſionem ſuam ac Divinitatem comprobaret: unum adhuc neceſſarium erat Reſurrectionis ipſius, cujus figura in Jona exhibita fuerat, ut mortis ejus crucisque ſcandalum tolleretur, ut implerentur Scripturæ, ut Chriſtiana Religio fundaretur, cujus Chriſtus a mortuis redivivus Sacerdos eſt in æternum & victima glorioſa, quæ jam non moritur. Hinc Apoſtolus: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Et rurſus: *Si confiteaeris in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris.* Vide quæ ad ſimilis explicationem ſententiæ diximus c. 12. Non abſque conſideratione prætereundum eſt, quod S. Marcus refert, Chriſtum ingemuiſſe, cum Phariſæi & Sadducæi tentantes eum, ſignum de cœlo poſtularunt, quod miſericordiæ ipſius argumentum eſt erga eos qui beneficiis ejus ac miraculis abutuntur, quos non deſerit omnipotens & piiſſimus Medicus, niſi quia inſanabiles malæ voluntatis vitio evaſerunt. *Et ingemiſcens ſpiritu, ait. Quid generatio iſta ſignum quærit?*

1. Cor. 15.

Rom. 10.

Marci 8. 8.

4. *Et cum veniſſent Diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes accipere.* Quid mirum, ſiquidem Panem vivum, qui de cœlo deſcendit, Panem Angelorum quo ſpiritualiter reficiebantur, ſecum habebant? Qui Chriſtum ſequitur, & guſtavit quam ſuavis eſt Dominus, facile rerum terrenarum oblivi ſcitur, vix ad corporis neceſſitates attendit, *Deo paſſus & ſaginatus*, ut de Moyſe Tertullianus ait.

5. *Qui dixit illis: Intuemini & cavete a fermento Phariſæorum & Sadducæorum.* Fermento phariſæorum, ſuperbia, invidia, hypocriſis. Ab iſtorum contagione vitiorum, quæ eo perniciosius & periculoſius graſſantur, quo ſpiritalia ſunt, minoremque ſui ingenerant horrorem, ſibi caveant maxime, qui eruditione, pietate, vitæ auſteritate ſingulares videntur & celebrantur. Vitæ futuræ oblivio, æternæque ſalutis incuria, fermentum Sadducæorum eſt, qui nec animæ immortalitatem, nec reſurrectionem corporis credebant. Quot ex iis qui ſe Chriſtianos eſſe profitentur, ita vivunt, ac ſi neutrum crederent bonis temporalibus & terrenis voluptatibus penitus immerſi, quaſi aliam æternamquæ vitam uon exſpectarent? Simplicitas & humilitas Chriſtiana, bonorumque æternorum exſpectatio, Chriſti fermentum eſt, quo conſperſa anima, creſcit in augmentum Dei, & cor fervens dilatatur, ſurſumque ad Dominum erigitur.

Tertull. l. de Jejuniis.

6. *At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Jeſus dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* &c. Apoſtolorum infirmitas, ante quam Spiritus Sancti deſcenſu renovati & confirmati fuiſſent, oſtendit gratiæ Chriſti neceſſitatem, ut ejus documenta & præcepta capiamus, memoria teneamus, diligamus, impleamus. De corporis quam de animæ neceſſitatibus prius cogitat, magiſque ſollicitus eſt infelix homo, de corpore cibis materialibus alendo, magis quam de anima Dei verbo, Spiritu, gratia, Chriſtique Corpore reficienda. Hujus defectus origo, infirmitas fidei eſt. Ob hanc acriter, ſed amanter Diſcipulos reprehendit Dominus Jeſus, ſuaque illa increpatione ipſos & a Judaicis obſervationibus abducit, & editorum a ſe miraculorum, adeoque gratiarum illis collatarum memoriam renovat, & ipſos ad majorem fidem atque fiduciam excitat, ut jam non formident neque contremiſcant ſi quando ſibi deficere panes viderint, ſed omnia hæc caduca negligant, ejus providentiæ & bonitati confidentes, qui *dat eſcam timentibus ſe, & non affliget fame animam juſti.* Nobis etiam nocumento eſt increpatio illa Chriſti, ne ſubditis ſemper adulemur, ſed eos arguamus, & increpemus, quoties ipſorum ſaluti expedit, *in ſpiritu lenitatis, in omni patientia & doctrina*: nec optemus etiam ut nobis ſemper blandiantur, ac remiſſius molliuſque nobiſcum agant. Ne etiam velimus proſperis ac ſecundis rebus ſemper uti: quia & adverſis erudiri, atque emendari nobis utile eſt ad ſalutem; ideo Deus rerum adverſarum & ſecundarum, calamitatum & conſolationum viciſſitudines amicos ſuos experiri voluit, ut Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſen, Job, Apoſtolos.

Prov. 10. 3. S. Jo. Chryſ. Hom. 54. in Matth.

7. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, ſed a doctrina Phariſæorum & Sadducæorum.* Moralis corrupta, fermentum eſt ex corruptione cordis originem ducens, quæ mores plurimorum inficit ac depravat, & longe lateque vim ſuam peſtiferam brevi temporis intervallo diffundit. Moralis corruptæ dogmata recte cum Tertulliano appellaverim *Doctrinas venenorum*. Pinxit quidam, (ſi Æliano Varronis fides) Homerum carmina eructantem, tum alios Poetas excipientes quæ ille eructaſſet. Ingenioſum commentum, ut ab eo ceteros Poeticam hauſiſſe ſignificaret. Homeri loco in tabula pingamus Luciferum virulenta dogmata, Moralis Chriſtianæ puritatem corrumpentia evomentem, & molliorum opinionum, quæ hominis libertati, cupiditati, ſæculi conſuetudini contra Dei legem favent, Auctores, qui avide ſordes illas lambunt, excipiunt,

Tert. l. de Præſcrip. c. 34.

& ad hominum perniciem effundunt: *Fermentum vetus,*
1. Cor. 5. *fermentum malitiæ & nequitiæ*, quod *totam* Christianæ
plebis *massam corrumpit.* His hominibus *Lex mendacium,*
S. Leo, ser. *diabolus religio, sacrificium turpitudo.* Sectæ duæ Mora-
15. cap. 4. lis Christianæ puritati oppositæ a Judæis ad Christianos
plerosque spiritum suum erroresque transmiserunt. Prima
Pharisæorum, qui externa dumtaxat religionis & pieta-
tis opera exercent ad pompam & ostentationem, chari-
tate & humilitate neglectis, quæ sunt Religionis ani-
ma. Hi mulierculis similes, quæ cum naturali careant
pulchritudine, fuco sibi fallacem decorem & gratiam ar-
Psalm. 44. cessunt: Sponsæ Christi longe dissimiles, cujus *Omnis glo-*
ria ab intus. Altera secta Sadducæorum est, qui alia
præter temporalia terrenaque bona, aliam præter hujus
vitæ felicitatem non credunt, non agnoscunt, aut certe
sic vivunt quasi non crederent. Quamobrem iis adulantur
& serviunt, qui temporalis prosperitatis arbitri & do-
mini videntur. His apprime convenit illud Isaiæ: *Et vos*
Isaiæ 64. 11. *qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis Montem san-*
ctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis su-
per eam. Hi Judæos imitantur, qui cum Ægyptiorum
idola adorassent, a Jeremia Propheta reprehensi, respon-
derunt: „ Sermonem, quem locutus es ad nos in nomi-
Jerem. 44. „ ne Domini, non audiemus ex te: sed facientes facie-
16. 17. „ mus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut
„ sacrificemus Reginæ Cœli, sicut fecimus nos, & Pa-
„ tres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in urbi-
„ bus Juda, & in plateis Jerusalem: & saturati sumus
„ panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus.“
Achaz Regis Juda impietatem imitantur, qui variis pla-
gis ob scelera sua a Domino afflictus, impietatem auxit,
& Assyriorum hostium suorum Diis victimas immolavit,
2. Paralip. dicens: *Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego pla-*
18. 23. *cabo victimis, & aderunt mihi: cum e contrario ipsi fue-*
rint ruinæ ei, & universo Israel.

8. *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem, quem me esse dicitis?* Humilitatem & modestiam verbis factis-
que perpetuo docet Dominus Jesus. Humili Filii hominis
nomine vocari amat, ut hominum superbiam jactantiam-
Psal. 48. 12. que damnet, qui vanis honorum titulis intumescunt. *Vo-*
caverunt nomina sua in terris suis. Non curiositate, non
inanis gloriæ studio Christus inquirit quæ sint hominum
de se opiniones, non modo enim varios sermones homi-
num de se noverat, sed & cogitationes illorum. Verum
necessitas instruendi Discipulos suos, ipsosque adversus
Mundi errores & pravas opiniones muniendi, impulit ip-
sum ut id ab iis quæreret. Sic Pastores animarum & Præ-
dicatores inquirere debent quid populi de Religione, quid
de Moralis Christianæ officiis sentiant, ut si qui erro-
res sparsi fuerint, vel obrepserint, eos impugnent ac
destruant, de se vero quam honorifice sentiant, curiose
inquirere non debent; ne gloriam suam, non Dei quæ-
rere videantur. Curent tantum ut in omnibus exhibeant
se sicut Dei Ministros, & bonus odor Christi sint in Ec-
clesia. Utinam Christum imitarentur Ecclesiastici Reli-
giosique viri, nec sæculi rebus se immiscerent, aut de
his quæ in sæculo fiunt vel dicuntur, sermones inter se
vel cum sæcularibus hominibus haberent, nisi quatenus
ad Religionem vel Ministerium suum referuntur! At
non Ecclesiasticis modo Religiosisque viris, sed Christia-
nis omnibus curiosæ illæ, otiosæ, vanæ confabulationes
sunt interdictæ, qui de omni verbo otioso rationem red-
dituri sunt in judicio Dei, & loqui debent ut & cogi-
Philipp. 4. 8. tare *quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcum-*
que justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæ-
1. Tim. 5. 13. *cumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ.* Ideo juniores viduas Apostolus graviter corripit, quæ
otiosæ discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Christia-
nus Dei Spiritu vivens, nonnisi cum Deo, de Deo, &
pro Deo loqui debet, ad ejus gloriam, & ædificationem
proximi. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* LOQUA-
1. Pet. 4. 11. MUR *Dominum Jesum quia ipse est sapientia, ipse est*
verbum Dei. Nam & hoc scriptum est: Aperi os tuum
verbo Dei. *Ipsum spirat, qui sermones ejus resonat, & verba meditatur. Ipsum semper loquamur. Cum de sapientia loquimur, ipse est: cum de virtute loquimur, ipse est: cum de justitia loquimur, ipse est: cum de pace loquimur, ipse est: cum de veritate, & vita & redemptione loquimur, ipse est.* Verba sunt S. Ambrosii, Enarrat. in Psalm. 36.

Tertull. l. 2. ad Nation. *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii Eliam,* &c. *Verietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.* Non ex humani ingenii conjecturis, non ex vulgi rumoribus, non ex Philosophorum opinionibus, non ex Sapientum & Potentum hujus sæculi arbitrio; sed ex verbo Dei, ex Ecclesiæ doctrina de rebus Religionis judicium ferendum est. *Ubinam veritas collocanda? In conjecturis? sed incerta conceptio est: in fabulis? sed fœda relatio est: in adoptionibus? sed passiva & municipalis adoptatio est.* De-
Nat. Alex. In Evang.

nique apud Philosophos incerta, quia varia; apud Poetas omnia indigna, quia turpia; apud populos passiva omnia, quia voluntaria.

Vos autem, quem me esse dicitis? *Significat, præter* S. Hilar. c.
id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum. Hæc enim 16. in S.
confessionis tenenda ratio est, ut sicut Dei Filium, ita & Matt.
Filium hominis meminerimus; quia alterum sine altero ni-
hil spei tribuit ad salutem. Vos autem, quem me esse
dicitis? *Illis quia homines sunt, humana opinantibus,* S. Hieron. in
vos qui estis dii, quem me esse existimatis? Illos scilicet hunc locum.
deos dixit, ad quos sermo Dei factus est. *Ego dixi, Dii*
estis, & filii Excelsi omnes.... adoptione, non gratia.
Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quamdiu vivimus Mun-
do, homines dumtaxat sumus: Mundo moriendum est per
fidem, per charitatem, per pœnitentiam & mortificatio-
nem Christianam, ut Deo viventes, dii simus. Sed heu!
malumus Mundo, carnique vivere, quam dii fieri, quod
de Imperatore Tertullianus facete dixit, quem Ethnici
Deum appellabant. *Qui Deum Cæsarem dicitis, & deri-*
detis, dicendo quod non est, & maledicitis, quia non vult
esse quod dicitis: MAVULT *enim* VIVERE, QUAM
DEUS FIERI.

9. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Unus Petrus pro
omnibus loquitur, ut unitas fidei, unitas Apostolatus, u-
nitas Ecclesiæ, cujus personam gerit, significetur. „ Pe- S. Aug. ser.
„ trus Ecclesiæ unicæ typus, in Apostolorum ordine pri- 76. alias 13.
„ mus, in Christi amore promptissimus, respondet pro de Verbis A-
„ omnibus. Unus pro multis dedit responsum, unitas in postoli.
„ multis. *Hanc unitatem diligere ac tueri usque ad san-*
„ *guinis effusionem debemus.* Non *enim* habet Christi cha-
„ ritatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem. *Tu es*
„ *Christus Filius Dei vivi.* Ille dixit se Filium homi- S. Augustl.
„ nis, & Petrus eum dixit Filium Dei vivi. Optime il- Tract. 25. in
„ le commemorabat quod misericorditer exhibuerat: ille Joan. n. 11.
„ commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum
„ Dei commendat humilitatem suam, homo agnoscit cla-
„ ritatem Domini sui..... Et revera justum est: humi-
„ liavit se propter nos, glorificemus illum nos; non
„ enim Filius hominis propter se est, sed propter
„ nos.“

10. *Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi,* &c. In cognitione & amore Dei, & Joan. 17. 3
Christi, posita est beatitudo hominis Christiani; non in
divitiis, non in generis claritate, non in terrena sapien-
tia & scientia rerum creatarum. *Hæc est vita æterna ut*
cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum
Christum. Hæc dicit Dominus: *Non glorietur sapiens in* Jere. 9. 23.
sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua,
& non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorie- S. Aug. l. 5.
tur, qui gloriatur scire & nosse me. Non in rerum na- Confessionu.
turalium & humanarum cognitione sita est felicitas no- c. 4. & 5.
stra. *Infelix enim homo, qui scit illa omnia,* Domine
Deus, *te autem nescit. Beatus autem qui te scit, et-*
iamsi illa nesciat. Qui vero & te & illa novit, non
propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si
cognoscens te sicut Deum glorificet, & gratias agat, &
non evanescat in cognitionibus suis.. Vanitas est enim
mundana ista etiam nota profiteri, pietas autem tibi con-
fiteri. Beatus es, Simon Barjona, &c. *Ideo beatus es,* S. Leo ser. 3
quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit,
sed inspiratio cœlestis te instruxit: & non caro & sanguis,
sed ille me tibi, cujus sum Unigenitus Filius, indicavit.

11. *Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* „ Hoc est, Sicut Pa- S. Leo ibid
„ ter meus tibi manifestavit Divinitatem meam: ita &
„ ego tibi notam facio excellentiam tuam. *Quia tu es*
„ *Petrus*: id est, Cum ego sim inviolabilis petra, ego la-
„ pis angularis qui facio utraque unum; ego fundamen-
„ tum præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu
„ quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ
„ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participa-
„ tione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ec-*
„ *clesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adver-*
„ *sus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem extruam
„ templum: & Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas,
„ in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem
„ portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt:
„ vox enim ista, vox vitæ est: & sicut Confessores suos ad
„ cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit..... S. Leo ser.
„ MANET ergo dispositio Veritatis, & beatus Petrus in 2. cap. 3.
„ accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Eccle-
„ siæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est
„ ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum
„ pronuntiatur, dum Regni cœlorum Janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura
„ etiam in cœlis judiciorum suorum definitione præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa ap-
„ pellationum ejus mysteria noscceremus. Qui nunc ple-
„ nius & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, pera-
„ git, & omnes partes officiorum atque curarum in ipso
„ & cum ipso, per quem est glorificatus, exequitur.

„ Si quid itaque a nobis recte agitur, rectèque diſcerni-
„ tur .... ſi quid a miſericordia Dei quotidianis ſupplica-
„ cationibus obtinetur ; illius eſt operum atque merito-
„ rum, cujus in Sede ſua vivit poteſtas, & excellit au-
„ ctoritas. Hoc enim obtinuit illa confeſſio, quæ a Deo
„ Patre Apoſtolico inſpirata cordi, omnia humanarum o-
„ pinionum incerta tranſcendit, & firmitatem petræ,
„ quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit. In
„ univerſa namque Eccleſia : *Tu es Chriſtus Filius Dei*
„ *vivi*, quotidie Petrus dicit & omnis lingua quæ con-
„ fitetur Dominum, magiſterio hujus vocis imbuitur.
„ Hæc fides diabolum vincit, & captivorum ejus vincu-
„ la diſſolvit. Hæc erutos Mundo inſerit cœlo, & por-
„ tæ inferi adverſus eam prævalere non poſſunt. Tanta
„ enim divinitus ſoliditate munita eſt, ut eam neque
„ hæretica unquam perrumpere pravitas, nec Pagana po-
„ tuerit ſuperare perfidia. "

S. Joan. Chryſ. Orat. in S. Petrum & Eliam Tom. 1. 3. Reg. 17.

12. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum.* Eliæ lingua *clavis cœlorum* fuit, ſiquidem pluviam per annos plurimos cohibere potuit, & precibus deinde ſuis excitare. *Vivit Dominus Deus Iſrael, cujus in conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia ; niſi juxta oris mei verba.* Verum longe major S. Petri quam Eliæ poteſtas : illi ſiquidem Chriſtus ipſe poteſtatem & auctoritatem dedit aperiendi claudendique cœlum peccatoribus, ut ſpiritalem gratiæ imbrem in animas eliceret, vel ſuſpenderet. *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum.* „ An non glorificati
S. Greg. ſeu alius Auct. Comment. in 1. Reg. l. 2. cap. 2. „ gloria eſt, in terra manere, & cœlum claudere? Vi-
„ tam communiter inter homines vivere, atque ſupernas
„ cœlorum ſedes ſubditis auctoritate poteſtatis exhibere? "
Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. S. Petro, quatenus Eccleſiæ perſonam gerit, & omnium Epiſcoporum caput & forma eſt poteſtas remittenda peccata confertur a Chriſto, ut innoteſcat illam extra Eccleſiæ unitatem non eſſe, aut exerceri
S. Aug. ſer. 295. alias de Diverſis 108. Prov. 5. 22. non poſſe. „ Columba ligat, columba ſolvit ; ædificium
„ ſupra petram ligat & ſolvit. Timeant ligati, timeant
„ ſoluti. Qui ſoluti ſunt, timeant ne ligentur : qui liga-
„ ti ſunt, orent ut ſolvantur. *Iniquitates ſuæ capiunt im-*
„ *pium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur* : &
„ præter hanc Eccleſiam nihil ſolvitur. Quatriduano mor-
„ tuo dicunt, *Lazare veni foras*. Et prodiit de monumen-
„ to inſtitis ligatus manibus & pedibus. Excitat Dominus,
„ ut mortuus de monumento prodeat, ſi cor tangit, ut
„ peccati confeſſio foras exeat. Sed parum adhuc ligatus
„ eſt. Dominus ergo poſtquam exiit Lazarus de monumen-
„ to, ad Diſcipulos, quibus dixerat, Quæcumque ſolveri-
„ tis in terra, ſoluta erunt & in cœlo : Solvite, *inquit*, eum,
„ & ſinite abire. *Per ſe excitavit, per Diſcipulos ſolvit.* "
Hac poteſtate abutuntur Sacerdotes, qui peccatores ligant vel abſolvunt contra legem a Chriſto poſitam, & contra Regulas Eccleſiæ. Tunc tantum Miniſtrorum ſuorum ſententiam Chriſtus in cœlis ratam habet, cum ſecundum Leges verbo ipſius traditas, & Eccleſiæ Decretis explicatas ligant vel ſolvunt in terris. Hinc S. Ambroſius explicans illum Pſalm. 118. Verſum. „ Et de lege tua
S. Ambrog. ſerm. 4. in Pſal. 118. num. 23. Et ſerm. 8. num. 26. „ miſerere mei, *ait* : Lege miſeretur, qui cum juſtitia
„ ſapientiaque miſeretur ; ut ea dimittat, quæ ſcit jure
„ poſſe dimitti ; ne cum alterius miſeretur, ſeipſum le-
„ gi faciat obnoxium. *Et exponens illa verba* : Miſerere
„ mei ſecundum eloquium tuum ; *ait* : In ipſa Eccleſia,
„ ubi maxime miſereri decet, teneri quam maxime de-
„ bet forma juſtitiæ ; ne quis a Communionis conſortio
„ abſtentus, brevi lachrymula, atque ad tempus parata,
„ vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plu-
„ rimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis
„ extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos
„ facit ad prolapſionis contagium provocari? Facilitas e-
„ nim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo di-
„ ctum eſt, ut ſciamus ſecundum verbum Dei, ſecundum
„ rationem, diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus.
S. Hier. in cap. 16. S. Matt. „ *Et tibi dabo claves Regni cœlorum*, &c. Iſtum locum
„ non intelligunt Epiſcopi & Presbyteri, qui aliquid ſibi de
„ Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent in-
„ nocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur ; cum apud
„ Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæ-
„ ratur. "
S. Aug. lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. Sed nec in aperiendo vere pœnitentibus nimis difficiles præbere ſe debent, quibus claves Regni cœlorum ſunt commiſſæ : *Nuſquam tam vigere debent viſcera miſericordiæ, quam in Catholica Eccleſia, ut tamquam vera Mater nec peccantibus filiis ſuperbe inſultet, nec correctis difficile ignoſcat.*

13. *Exinde cœpit Jeſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.* Divinitatem ſuam illis primum revelavit, moxque Paſſionis ſuæ, mortis ac Reſurrectionis Myſteria illis declaravit ; quia *Chriſtus Crucifixus Judæis*, qui Chriſti Jeſu divinitatem non credunt, *ſcandalum*, *Gentibus autem ſtultitia*, ſolis Chriſtianis *Dei virtus eſt & ſapientia*. Patitur autem & poſt Reſurrectionem Chriſtus, non a Judæis, ſed a Chriſtianis ; non Jeroſolymis, ſed in Eccleſia ; ipſum ſiquidem mali Chriſtiani contemnunt, injuriis afficiunt, vitam ejus Evangelio omnino contrariam agentes ; ipſum peccatis ſuis, quantum in ipſis eſt, crucifigunt ; eripiunt illi vitam, non quidem corporis glorioſi, cui mors jam dominari non poteſt, ſed vitam ſpiritualem qua in juſtorum cordibus vivit. *Rurſum Crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Patitur autem præcipue a divitibus & potentibus ſæculi, a Sacerdotibus ambitioſis & avaris, a Doctoribus ſuperbis. Diſcipulis porro ſuis oſtendit Chriſtus, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, multa pati & occidi, & tertia die reſurgere : ut ſignificaret hominem Chriſtianum, qui Spiritu Chriſti vivit & agitur, qui Dei in cruce pro ejus ſalute morientis Filius eſt, ac diſcipulus, vitam, ærumnas, amaritudines ipſi vitæ adjunctas, tolerare debere cum patientia ; mortem obire cum lætitia ; reſurrectionem exſpectare cum fiducia. Mortem neceſſitatis nomine vulgus hominum appellat. Id vero nominis vitæ ſancti tribuunt. „ Mihi vivere Chriſtus eſt, *Hebr. 6. 6* *Philipp. 1.*
„ & mori lucrum. *Apoſtolus*, Aliud ad vitæ neceſſitatem
„ refert, aliud ad mortis utilitatem. Denique & Sime-
„ on qui ait, *Dimitte ſervum tuum*, propter Chriſtum *S. Amb. l. de Bon. Mort. c. 2.*
„ exſpectabat. Chriſtus enim Rex noſter eſt, & ideo
„ quod Rex jubet, deſerere non poſſumus, aut contem-
„ nere. Vivere ergo ſervo Dei Chriſtus eſt, & mori lu-
„ crum. Quaſi ſervus enim non refugit vitæ obſequium,
„ & quaſi ſapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum
„ eſt, evaſiſſe incrementa peccati, lucrum fugiſſe dete-
„ riora, & ad meliora tranſiſſe. Et addidit : Diſſolvi e-
„ nim, & cum Chriſto eſſe, multo melius, permanere
„ autem in carne, magis neceſſarium propter vos. " *Aliud melius, aliud neceſſarium. Neceſſarium propter fructum operis ; melius, propter gratiam & copulam Chriſti.* Reſurrectionis autem exſpectatione ſuſtentari debemus & roborari, ut & vitam ejuſque ærumnas patienter feramus, & mortem læto animo obeamus. *Fiducia Chriſtianorum, Reſurrectio mortuorum... Spes Reſurrectionis, faſtidium eſt mortis.*

14. *Et aſſumens eum Petras, cœpit increpare illum, dicens : Abſit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, & de illius tamen conſiliis & Myſteriis vult ferre judicium. Deum incarnatum, paſſum & mortuum fuiſſe, humana ratio non capit. Sed *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti, eſt potentia facientis.* Qui converſus, dixit Petro : Vade poſt me, ſatana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Idem ipſe *Petrus paulo ante beatus, poſtea ſatanas, in momento uno, infra pauca verba. Miraris differentiam nominum, differentias attende cauſarum. Attende cauſam, quare beatus* : Quia non tibi revelavit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. *Ideo beatus, quia tibi caro & ſanguis non revelavit. Si enim caro & ſanguis hoc tibi revelaret ; de tuo : quia vero caro & ſanguis non tibi revelavit, ſed Pater meus qui in cœlis eſt ; de meo non de tuo. Quare de meo? Quia* Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. *Ecce audiſti cauſam quare beatus, & quare Petrus. Quare autem illud quod horreſcimus, & repetere nolumus? Quare, niſi quia de tuo?* Non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum..... *Timuit, ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem. Turbatus eſt, dicens* : Abſit a te, Domine, non fiet iſtud. *Propitius eſto tibi, Deus, nolo te mori. Petrus dicebat Chriſto, Nolo te mori, ſed melius dicebat Chriſtus, Volo pro te mori ..... Hoc intuentes nos Eccleſiæ membrum, diſcernamus quid de Deo, quid de noſtro. Tunc enim non titubabimus, tunc in petra fundabimur, fixi & ſtabiles erimus adverſus ventos, imbres, flumina ; tentationes videlicet præſentis ſæculi. Illum videte Petrum, qui tunc erat figura noſtra : modo fidit, modo titubat ; modo immortalem confitetur, modo timet ne moriatur : Perinde quia Eccleſia Chriſti habet firmos, habet & infirmos ; nec ſine firmis poteſt eſſe, nec ſine infirmis : in eo quod dixit Petrus* : Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, *firmos ſignificat ; in eo autem quod trepidat & titubat, & Chriſtum pati non vult, mortem timendo, vitam non agnoſcendo, infirmos Eccleſiæ ſignificat.* Vade poſt me, ſatana, ſcandalum mihi es, quia *S. Hilarius Tract. in Pſ. 131. n. 4.* non ſapis ea quæ Dei ſunt. *Tanta ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni janitorem, & in terreno judicio judicem cœli, ſatanæ convitio nuncuparet* ; Quia ipſum a Paſſione, Cruce & *S. Bern. ſer. 20. in Canti. n. 6.* morte abſterrere voluit. *Vocavit ſatanam, eo quod ſaluti etſi neſciens adverſaretur, qui Salvatorem mori prohiberet.... Fuit autem poſtea fortis ut mors Petri dilectio, cum ex promiſſione Jeſu Chriſti indutus virtute ex alto tanta cœpit virtute diligere, ut in concilio prohibitus prædicare nomen ſanctum, conſtanter prohibentibus reſponderet : Obedire oportet magis Deo quam hominibus. Tunc demum tota virtute dilexit, cum nec vitæ ſuæ pepercit pro dilectione.* Quicumque nos a via Chriſti, a via Crucis, a via pœnitentiæ & mortificationis Chriſtianæ vult abducere, velut adverſarius & inimicus ſalutis noſtræ a nobis habeatur. Falſa & carnalis amicitia eſt, quæ nos ab amore Crucis avertit, quam Chriſtus tam vehe-

Tertull. l. de Reſurrectione Carnis cap. 1. Idem lib. 1. ad Nationes. S. Aug. Ep. 137. alias 3. Idem ſer. 76. alias 13. de Verbis Domini c. 2.

1. Cor. 1.

vehementer desideravit, tam ardenter dilexit; ut ejus subeundæ causa, e sinu Patris in terras descenderet; & homo fieret. *Taceo quod figitur; in hoc enim venerat. Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset. Forma moriendi, causa nascendi est.*

Tertull. lib. de Patientia & lib. de Carne Christi.

15. *Tunc Jesus dixit Discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Dixisti, Petre, ut me a Passione & cruce subeunda absterreres, *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Ego vero tibi respondeo: Quod non solum me impedire & meam passionem ægre ferre, damno tibi erit, verum etiam nulla tibi spes salutis supererit, nisi & ipse ad passionem semper paratissimus sis. *Si quis vult post me venire.* „ Non impello, non cogo, sed liberam „ singulorum voluntatem alliciens, dico, *Si quis vult.* „ Non enim ad afflictiones & onera, nec ad supplicia „ & pœnas, ut cogere mihi opus sit, sed ad ineffabilia „ bona voco, quorum ea natura est, ut facile per se „ ipsam vos invitare possit. His dictis vehementer eos „ attraxit: nam sicut qui vim affert, plerumque avertit „ animos; sic qui liberos eos relinquit, multo magis at„ trahit. Potentior enim est mitis oratio, quam violen„ ta. *Si quis vult post me venire.* Magna enim sunt, „ ait, quæ retribuo, ac talia, ut ultro homines ad ea „ concursuros minime dubium sit. Non enim si quis au„ tum atque argentum proponeret, vim inferret: Quan„ to igitur magis ubi de cœlestibus bonis agitur, infe„ renda non est? *Si quis vult venire post me.* Nec vero „ satis est eo modo me sequi, quo nunc sequimini, mi„ hi adhærentes, sed multi labores tolerandi, multa peri„ cula subeunda. Non enim, o Petre, quoniam me Fi„ lium Dei confessus es, propter hoc solum tibi coronæ „ expectandæ sunt, & quasi tibi hoc satis fuerit ad salu„ tem, totaque res consummata sit, in otio & voluptate vivendum. Quamvis enim quia Filius sum Dei, „ omnium te periculorum expertem facere valeam, tui „ tamen gratia volo, ut & ipse non nihil de tuo con„ feras, & illustrior evadas. Quemadmodum enim qui „ ludicrum instituit agonem, si cui athletarum amicitia „ jungitur, numquam eum ob benevolentiam suam tan„ tum, nisi etiam descenderit in certamen, coronabit; „ quia proprium illius videlicet laborem desiderat, & quo „ magis eum diligit, eo magis victorem videre, adeoque „ & fortiter ac strenue certare cupit: Ita Christus quos „ maxime diligit, eos non solum auxilio suo, verum & „ suis laboribus immortales vult promereri coronas. *Qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* „ *Labora ergo*, inquit Apostolus, *sicut bonus miles Chri*1. *Tim.* 2. *sti Jesu.* SI QUIS VULT, sive vir, sive mulier, sive „ Princeps, sive subditus, hanc viam ingrediatur. *Si „ quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Si intel„ ligis quid sit alium abnegare, facile percipies quid sit „ abnegare te ipsum. Qui alium jam abnegavit, fratrem „ puta, aut servum, aut quemvis alium, si cœdi eum „ virgis videat, si arceri vinculis, quidquid aliud mali „ pati eum conspexerit, non accurrit, non auxiliatur, „ non flectitur, nec prorsus ullo modo movetur, ceu „ qui penitus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo „ nos pacto corpori nostro parcere vult, ut neque si „ cæditur, neque si pellitur, neque si uritur, nec „ si quid aliud hujusmodi patitur, ei parcamus. Quid „ dixi, non parcamus, cum id profecto sit vere parce„ re? Nam etiam tunc patres filiis maxime parcunt, „ cum præceptoribus illos tradentes maxime rogant ne „ parcant. Sic igitur Christus. Non dixit tamen, Ne „ parcas, sed luculentius & expressius, *Abnega temeti„ psum*; pericula subi, certaminibus te offer, & quasi „ alius hæc patiatur, afficiare. "

S. Jo. Chrys. Hom. 56. in Matt.

S. Basilius in Regulis fusius Disput. Interrog. 8.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Præceptum istud ad plura pertinet, quorum necessaria sit alienatio. *Nam & diabolo imprimis renuntiamus, itemque affectionibus carnis, consuetudini etiam vitæ qua perfectioni salutis adversatur. Et quod his omnibus magis necessarium est, quilibet sibimetipsi renuntiat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis. Postremo affectionibus cunctis mundanis, quæ pietatis propositum valeant impedire, nuntium remittit.* Christianus seipso, amoreque proprio vacuus, Deo plenus esse debet: Hoc est, abnegare se ipsum. Durum videtur & grave quod Dominus impe-

S. August. ser. 96. alias de Diversis 47. cap. 1.

ravit, ut si quis eum vult sequi, abneget seipsum. *Sed non est durum nec grave quod ille imperat, qui adjuvat us fiat quod imperat. Quicquid enim durum est in præceptis, ut sit leve charitas facit.* Novimus quanta ipse amor faciat. Plerumque etiam ipse amor reprobus atque lascivus est: quanta homines dura perpessi sunt, quanta indigna & intolerabilia pertulerunt, ut pervenirent ad id quod amaverunt? Sive sit amator pecuniæ, qui vocatur avarus; sive sit honoris amator, qui vocatur ambitiosus; sive sit corporum pulchrorum amator, qui vocatur lascivus. Et quis posset enumerare omnes amores? Considerate tamen quantum laborent omnes amatores, nec sentiunt quod laborant: & tunc ab eis plus laboratur, quando a labore quisque prohibetur. „ Cum ergo „ tales sint homines plures, quales sunt amores, nihil„ que aliud curæ esse debeat quomodo vivatur, nisi ut „ quod amandum est eligatur: quid miraris, si ille qui „ diligit Christum, & qui vult sequi Christum, amando „ negat se ipsum? Si enim perit homo amando se, pro„ fecto invenitur negando se. Prima hominis perditio „ fuit amor sui. Si enim se non amaret, & Deum sibi „ præponeret, Deo esse semper subditus vellet: non au„ tem converteretur ad negligendam voluntatem illius, „ & faciendam voluntatem suam. Hoc est enim amare „ se, velle facere voluntatem suam. Præpone his volun„ tatem Dei: Disce amare te, non amando te. "

Et tollat crucem suam. Ne quis putet ad verba usque tantummodo, & contumelias, & opprobria, abnegationem hanc sui fieri oportere, id subjunxit, ut significaret abnegandos nos esse usque ad mortem, & quidem turpissimam: quam designans non dixit, Abneget semetipsum usque ad mortem, sed, *Tollat crucem suam*, mortem ignominiosissimam significans: & non semel, nec bis, sed continue per totam vitam hanc tecum mortem circumferas, & ad necem paratissimus sis. Multi pecunias contempsere, multi delicias vitæ ac gloriam conculcaverunt, mortem autem despicere non potuerunt, sed pericula & dolores formidarunt: Ego vero ad effusionem usque sanguinis volo vos milites meos luctari, & ad necem usque certare. *Ne igitur fatigemini*, Fratres mei, *animis vestris deficientes. Non-dum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* „ Unusquisque vestrum *Tollat crucem „ suam*, inquit Christus: Ferat quicquid molestum est, „ sic *me sequatur*. Cum enim cœperit me moribus & „ præceptis meis sequi, multos habebit contradictores, „ multos habebit prohibitores, multos habebit dissuaso„ res, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Chri„ sto ambulabant, qui cæcos clamare prohibebant. Sive „ ergo minas, sive blandimenta, sive quaslibet prohibi„ tiones, si sequi vis, in crucem verte, tolera, porta, „ noli succumbere. Si persecutio est, nonne pro Christo „ debent cuncta contemni? " *Amatur Mundus: sed præponatur a quo factut est mundus. Magnus est mundus, sed major est a quo factus est mundus. Pulcher est mundus, sed pulchrior est a quo factus est mandus. Blandus est mundus, sed suavior est a quo factus est mundus. Malus est mundus, & bonus est a quo factus est mundas.* Tollite crucem vestram, & sequimini Christum. Crucem suam tollit, qui *mortificat membra sua quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus ... Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hinc idem Apostolus de se ipso ait: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Et alibi: *Hoc scientes quia vetus homo noster simul Crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Quamdiu ergo id agunt opera nostra ut evacuetur corpus peccati, quamdiu *Exterior homo noster corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem*, tempus est Crucis. Hæc sunt bona opera quidem, sed laboriosa, quorum merces est requies; sed ideo dicitur, *Spe gaudentes*, ut cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. Hoc modo sequemur Christum, qui *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* „ Crux Domini non tan„ tum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni afflictio„ ne construitur, sed illa quæ totius vitæ curriculo cun„ ctarum disciplinarum virtutibus coaptatur: de qua mihi „ videtur Salvator dicere: *Si quis vult venire post me, „ abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequa„ tur me.* Numquid enim omnes Martyres, qui secuti „ sunt Dominum, crucifixi sunt cum Domino? Numquid „ omnes Virgines, qui sequuntur Agnum Dei, crucifixi „ sunt ut sequantur? Numquid Paulus Apostolus cruci„ fixus fuerat, cum dicebat: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?* Hoc autem dicit, ut intelligas *Crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, Crux est atque Martyrium.*

S. Jo. Chrys. Hom. 56. in S. Matt.

Heb. 12. 3. & 4. *S. Aug. ser. 96. alias de Diversis* 47. *c.* 4.

Tollat crucem suam, & sequatur me. In hoc mundo, id est Ecclesia, quæ tota sequitur Christum, universaliter dixit: *Qui vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* „ Non enim hoc Virgines debent „ audire, & maritatæ non debent; aut viduæ debent „ & nuptæ non debent; aut Monachi debent, & con„ jugati non debent; aut Clerici debent, & Laici non „ debent; sed universa Ecclesia, universum corpus, cun„ cta membra, per officia propria distincta & distributa, „ sequantur Christum ... " *Abnegent se, id est, non præsumant de se; tollant Crucem suam; id est, tolerent in mundo pro Christo quicquid intulerit mundus. Ament eum, qui solus non decipit; qui solus non fallitur, solus non fallit. Ament eum, quia verum est quod promittit. Sed quia non modo dat, titubat fides. Dura, persevera, tolera, porta dilationem, & tulisti Crucem.* Sed cum omnes spectet istud ferendæ Crucis officium, plures tamen Christiani, etiam ex iis qui pietatem profitentur,

S. Aug. ser. 99. cap. 7.

Coloss. 3. 5 *Rom.* 8. 13

2. Cor. 4. 16.

Rom. 12. 13

Heb. 12. 2.

S. Max. Hom. de Martyribus cujus fragmentum asservatur ser. 207. *Augustiniæ Appendicis alias de Sanctis* 32. *Galat.* 6. 14.

a Cruce sua feruntur, quam Crucem suam ferant, ut olim ad *Lætum* scribebat S. Augustinus. „ Cum te (inquit) „ præsens animadverterem domesticis curis a divino stu- „ dio retardari, ferri te potius & duci a Cruce tua, „ non eam te ferre ac ducere sentiebam. Crucem enim „ nostram, quam Dominus portari a nobis jubet, ut eum „ expeditissimi sequamur, quid aliud quam mortalitatem „ carnis hujus significat? Ipsa enim nos cruciat, donec „ absorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hæc ipsa „ crucifigenda est, & crucifigenda est clavis timoris „ Dei, ne solutis & liberis membris, reluctantem por- „ tare non possis. Sequi enim Dominum, nisi eam por- „ tans, omnino non vales. Nam quomodo eum sequeris, „ si non es ejus? QUI *autem* Christi sunt, *ait Apostolus*, „ carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscen- „ tiis. "

S. Aug. Epi. 243. alias 34.

Galat. 5. 24.

S. Jo. Chrys. Hom. 56. in S. Matt.

Et sequatur me. „ Posset enim aliquis talia pati, „ Christum tamen non sequi si nihil videlicet propter „ ipsum pateretur. Latrones quippe, sepulchrorum vio- „ latores, dæmonum invocatores, multa plerumque talia „ patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis naturam „ per se sufficere, causam ejus subjecit: ut quæ dicta „ sunt universa faciens atque patiens, ipsum sequaris: „ ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, utque om- „ nem virtutis numerum habeas. Is enim Christum se- „ quitur, qui non in periculis modo fortitudinem adhi- „ bet, sed modestiam, humilitatem, & omne sublimio- „ ris Philosophiæ genus complectitur. Id enim est recte „ Dominum sequi, & ut oportet, si propter ipsum cun- „ cta sufferas, & alias virtutes non negligas. Multi dia- „ bolum sequentes multa patiuntur, & vitam propter „ ipsum perdunt: quam nos propter Christum, immo „ vero propter nos ipsos perdamus. Illi hoc faciunt, & „ tam hic quam in futura vita sibi obsunt: nos autem „ ut utraque vita potiamur, faciamus, obsecro. Summa „ enim ignavia est non tantam solertiam animæ nos ad- „ hibere, qui fulgentibus coronis fruemur, quantam per- „ diti homines ostentant; præsertim cum nobis Christus „ adsit atque opituletur, illis vero nemo patrocinium „ præbeat. "

S. Aug. ser. 96. alias de Diversis. 47 cap. 3.

Et sequatur me. Quo sequendus est Dominus? Quo ivit novimus: Resurrexit enim, & ascendit in cœlum: illo sequendus est. *Plane desperandum non est, quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Longe a nobis erat cœlum ante quam Caput nostrum iisset in cœlum. Jam quare desperemus, si membra illius Capitis sumus?* Illo ergo sequendus est. Et quis eum nolit sequi ad talem sedem? Maxime quia multum timoribus & doloribus laboratur in terra. „ Quis nolit illo sequi Christum, „ ubi est summa felicitas, summa pax, perpetua securi- „ tas? Bonum est illo eum sequi, sed videndum est qua. „ Etenim verba ista Dominus Jesus non tunc dicebat, „ quando a mortuis jam resurrexerat. Nondum erat pas- „ sus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhonora- „ tionem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, „ ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. „ Quasi exasperata est via: pigrum te facit, non „ vis sequi. Sequere." *Asperatum est quod sibi homo fecit, sed contritum est quod Christus redeundo calcavit.* Nam quis non velit ire ad exaltationem? *Omnes delectat celsitudo: sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, & ascendisti.*

16. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* „ Si propterea periculosum est ut ames animam „ tuam, ne pereat anima tua, ideo non debes illam a- „ mare, quia non vis illam perire. Si autem non vis il- „ lam perire, amas illam. Quid est hoc? Si amo, per- „ do. Ergo non amem, ne perdam. Sed si non vis eam „ perdere, non potes eam amare. Sunt ergo qui perver- „ se animam suam amant: & hoc vult fermo Dei cor- „ rigere, non ut oderint animam suam, sed ut recte „ diligant. Male enim diligendo perdunt eam, & fit „ quiddam magnum quasi præposterum & contrarium. „ Sed ita tamen fit, ut si diligas eam perverse, perdas „ illam; si oderis illam recte, conserves illam. Est ergo „ quidam perversus amor ejus, & quoddam rectum odi- „ um ejus. Sed amor perversus ab odio, odium rectum „ ab amore ejus. Quis est perversus animæ amor? Quan- „ do diligis animam tuam in iniquitatibus. Audi quia „ ab odio venit amor iste perversus: *Qui autem diligit* „ *iniquitatem, odit animam suam.* Odium autem rectum „ vide, quia ab amore venit: *Qui autem odit animam* „ *suam in hoc sæculo, in vitam æternam custodit eam.*" Utique. *Quod vis invenire in vitam æternam, multum amas. Quod enim amas ad tempus, quid prodest? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cum fueris tu subtractus, perit ipse amator: cum fuerit illud subtractum, periit quod amasti. Ubi ergo aut amator periit aut quod amatur, non est amandum. Quid est ergo amandum? Quod nobiscum potest esse in æternum. Sed si vis animam tuam in æternum habere salvam, oderis eam ad tempus. Ergo odium rectum ab amore venit, perversus amor ab odio venit.* „ Quis igitur modus diligendi animam? Puta- „ tis, Martyres non amabant animas suas? Videtis cer- „ te modo, si cujus vita præsentis sæculi periclitetur, „ quomodo amici ejus currunt pro ea, quomodo curritur „ ad Ecclesiam, rogatur Episcopus ut intermittat, si „ quas habet actiones, currat, festinet? Quare? Pro „ anima. Et omnes contremiscunt, omnibus ceteris rebus „ intermissis festinandum esse decernunt. Omnis festina- „ tio laudatur, omnis tardatio accusatur. Quare? Pro- „ anima. Quid est, pro anima? Ne moriatur homo... „ Mors hominis iniquitas est. Si curris pro hac vita cen- „ tum millia, quot millia debes currere pro vita æter- „ na? Et tamen propter hanc pigri sunt homines. Amor „ ergo perversus animæ abundat, amor autem rectus val- „ de paucorum est. Nam sicut nemo est qui non diligat „ animam suam, sic nemo est qui non amet carnem suam. „ Unde fieri potest ut & verum sit quod ait Apostolus, „ *Nemo unquam carnem suam odio habuit*, & anima non „ ametur? Discamus ergo, Fratres, amare animas no- „ stras. Omnis voluptas sæculi transitoria est. Est amor „ utilis, est amor noxius. „ *Amor amore impeditur; amor noxius recedat, & amor utilis succedat. Sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire: Ut non capiant, pleni sunt; fundant, & capiunt. Pleni sunt enim amore voluptatum carnalium, pleni sunt amore vitæ præsentis, pleni sunt amore auri & argenti, possessionum sæculi hujus. Qui ergo pleni sunt sic sunt quomodo vasa. Vis ut intret mel unde acetum nondum fudisti? Funde quod habes, ut capias quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic sæculo, & deinde conversio ad Deum. Qui renuntiat fundit; qui convertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed & corde.*

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ nonnisi Christi cruce potuit reparari. Si rursum corruerit peccato dumtaxat ad mortem, unde jam reparabitur? Numquid aut alter Christus, aut iterum crucifigi habet pro illa?*

S. Bern. Epist. 54.

17. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Abnegare se ipsum, crucem ferre, Christum sequi, bona omnia & commoda temporalia, vitamque ipsam propter illum amittere, merum consilium non est, sed præceptum Christianis omnibus impositum: siquidem ex illorum operum & officiorum adimpletione vel omissione unusquisque a Christo judicabitur, ex illisque salus æterna hominis pendet. Ultimum judicium si vere credimus, timeamus; si timemus, ad illud nos quotidie præparemus: sed timeamus timore casto. *In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii. Ille autem diligit adventum Domini, qui cum sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis exspectat*, qui pie vivendo ad diem vitæ suæ novissimum vigilanter se præparat. *Quoniam qualis in die ista quisque moritur, talis in illa die judicabitur.* Quam salutaris sit & necessaria ultimi judicii recordatio, veteres illi Ægypti Monachi exemplo suo ostendebant, qui in Gratiarum actione post cibi sumptionem terribilis illius diei mentionem faciebant. Hanc exscribit & explicat S. Joannes Chrysostomus: „ Benedictus Deus, qui me pascis a juventute mea, „ qui omni carni cibum præbes, reples lætitia & gaudio „ corda, ut semper satis habentes, ad omne bonum opus „ abundemus in Christo Jesu Domino nostro, cum quo „ tibi gloria, honor & imperium cum Spiritu Sancto in „ fæcula. Amen. Gloria tibi Domine, gloria tibi San- „ cte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas: gau- „ dio & lætitia reple nos in Spiritu Sancto, ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles: NEC PUDEFIA- „ MUS QUANDO UNICUIQUE REDDES SECUNDUM „ OPERA SUA. Ac si dicerent: Nulla cura est nobis „ ne verecundemur in conspectu hominum, sed quæcum- „ que de nobis homines aut ridentes aut exprobrantes „ dixerint, ad ea nec vertimur quidem: totum autem hoc „ certamen nobis est, ne tunc verecundemur. His dictis, „ ignei tandem fluvii recordantur, & præmiorum men- „ tionem faciunt; nec dicunt: Ne puniamur; sed, Ne „ pudefiamus: id enim nobis etiam gehenna ipsa terri- „ bilius est, si videbimur Dominum offendisse. Quod quia „ multos & rudiores non terret, addunt: QUANDO u- „ nicuique reddet secundum opera sua. "

1 *Joan. 4.* *S. Augustin. Epist. 99 alias 80.*

S. Joannes Chrysosto. Hom. 56. in S. Matt.

S. Hilar. c. 17. in Matt.

18. Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo. *Ex conditione gustata, tenuem quamdam Fidelibus libationem mortis ostendit.*

Psal. 10. 6.

CAPUT XVII.

Sensus Litteralis.

1. ET *post dies sex, assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem*

S. Joannes Chrysost. Hom. 57. S. Hieron. in Comment. S. Augustl. lib. 2. de consensu Evang. c. 56.

montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Post dies sex integros, non numerato eo quo Christus promissum fecit, Versu ultimo Capitis superioris descriptum, nec illo quo montem adiit cum electis tribus Apostolis. Nam si dies illi numerentur, octo circiter dies interceßere. Confer cum Lucæ 9. 28. *Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret.* Tres assumpsit, ut trium testimonio Mysterii veritas constaret. Et sicut futura Christi gloria tres habere testes debebat e cœlo, totidemque de terra, ut habetur, 1. *Joannis* 5. 7. 8. Ita & hoc gloriæ ejus specimen tres quasi de cœlo testes habuit, Patrem Æternum, Moysem, & Eliam: & tres de terra, Petrum, Jacobum, & Joannem, quos arcanorum suorum conscios esse voluit, suscitationis puellæ *Marci* 5. 37. Agonis in Horto, Transfigurationis in Monte; quibus solis inter Apostolos nova imposuit nomina, Petrum Apostolici collegii caput & Principem; Joannem qui post omnes Apostolos superstes testimonium hoc ad sequentem ætatem viva voce erat transmissurus; & Jacobum Zebedæi, Joannis fratrem, qui primus ex Apostolis sanguine testimonium erat obsignaturus. Illos itaque duxit in montem excelsum, nempe Thabor, seu Itabyrium, ut Traditio vetus habet. Mons est in media Galilæa situs, non procul a Nazareth. Duxit illos in Montem excelsum seorsum, ut oraret, procul ab hominum tumultu remotus, & ne mysterium, quod vulgari ante Resurrectionem suam nolebat, innotesceret omni populo, sed testibus præordinatis a Deo. *Et transfiguratus est ante eos*, sive coram eis, non mutatione substantiæ, corporis, figuræ, sive faciei, cujus eadem lineamenta Discipulis nota permanserunt, sed externæ duntaxat speciei. Lucæ 9. 29. *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.* Sed & S. Matthæus Transfigurationis modum hic explicat his verbis: *Et resplenduit facies ejus sicut sol;* fulgore illo tum ex Divinitatis Majestate, tum ex animi beatitudine ac gloria in faciem totumque corpus dimanante, sicut in beatis claritas corporis glorioßi ab animæ claritate derivabitur. *Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis, & propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.* Qui quidem dotes omnes complectitur. Vestimenta autem ejus *facta sunt alba sicut nix*: Candore coruscante, radiis scilicet ex sacratissimo corpore per vestimenta erumpentibus, sicut radii solis per nubem subjectam promicant. Confer cum Lucæ 9. 29. *Et vestitus ejus albus & refulgens*: Et Marci 9. 2. *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis vult nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Et

S. Augustin. Epist. 118. alias 96. Videsis S. Thomam 3. p. Q. 45. art. 10.

S. Hieron. in c. 17. S. Matt.

reßplenduit facies ejus sicut sol, &c. „ Ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Certe transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus „ est postea in Regno suo. " Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit.

S. Hieron. Epist. 27. & in Libello de Locis Hebraicis.

S. Jo. Chrys. h. 57. in Matt. S. Hieron. in hunc locum S. August. ser. 78. alias de Diversis 69. Lucæ 9. 30. 31.

2. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Elias adhuc superstes, e Paradiso Terrestri seu alio loco, in quem a Deo translatus vivit ad secundum usque Christi adventum felicis æternitatis candidatus in Montem sanctum miraculo advectus, & Moyses redivivus ad tempus ut Mysterio serviret. Apparuerunt Moyses & Elias, ille mediator cui Lex a Deo data per Angelos, iste Legis zelator ardentissimus, ut Christum Legem implere & perficere, non violare, testimonio suo confirmarent contra Pharisæorum calumnias. 2. Ut ambo ostenderent Jesum non esse Eliam, aut unum ex Prophetis, ut vulgus opinabatur, sed Dominum Prophetarum. 3. Ut Moyses Legis typus, Elias Prophetarum omnium personam gerens, significarent Legem & Prophetas æconomiæ & Passionis mortique Christi testimonium perhibere, de qua cum ipso loquebantur, ut explicat S. Lucas: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant Moyses & Elias visi in Majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Hic scilicet Legis & Prophetarum scopus. 4. Ut Jesum mortis & vitæ pariter habere potestatem, & supernorum ac infernorum Dominum esse probaretur, idcirco Moysen jam mortuum, & Eliam adhuc superstitem in medium adduxit. 5. Ut Moysis & Eliæ colloquio cum Jesu Crucis ejus, passionis ac mortis gloria ostenderetur Petro, qui illum a morte subeunda deterrere tentaverat, & reliquis qui Passionem formidabant, eorumque animi roborarentur. Cum autem Jesus oraret, Petrus & alii duo Apostoli *gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros qui stabant cum illo*, ut refert S. Lucas.

Lucæ 9. 32. 33.

3. *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine: bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Petrus spectaculi admirabilitate & voluptatis magnitudine velut extra se raptus, & nesciens quid diceret, ad Jesum conversus dixit: Domine, bonum est ac jucundum nos hic permanere, ut aspectu gloriæ tuæ sanctorumque tuorum fruamur. Quamobrem permitte ut hic tria tentoria exstruamus, Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Hoc scilicet pacto Moysen & Eliam, jam parantes discessum, retineri posse putabat: neque considerabat sanctissimos illos felicis æternitatis candidatos terrenis tentoriis ex ramis & frondibus arborum non indigere: nec Christum gloria permanenti donandum ante mortem, de qua cum Moyse & Elia colloquebatur: nec ejus Discipulis gloriæ coronam ante certamen conferendam. Inconsiderantiæ autem causa fuere stupor & timor ex spectaculi admirabilitate profectus. Confer cum Marci 9. 4. „ Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi bonum est nos hic esse: „ & faciamus tria tabernacula. Tibi unum, & Moysi „ unum, & Eliæ unum. Non enim sciebat quid dicebat: erant enim timore exterriti. *Et Lucæ* 9. 33. Et „ factum est cum discederent ab illo (*Moyses & Elias*) „ ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic „ esse: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, „ & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret. "

4. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrabit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Ipsum audite.* Nubes lucida Christum, Moysen, & Eliam cinxit, splendoremque Majestatis & gloriæ Christi Discipulis tribus attemperavit, ut ferre possent. Dei Majestas in Veteri Testamento in nube apparere & loqui solita, Moysi in Tabernaculo; Salomoni in Templo: Christus etiam in nube in cælum assumptus, in nube ad judicium venturus: sed nubes quæ Veteris Testamenti tempore Deum præsentem indicabat, caliginosa erat; quæ vero Dei & Christi sedes est tempore Novi Testamenti, lucida est, ad diversam utriusque œconomiam indicandam. Status enim ille umbrarum erat & figurarum: iste vero lucis & exhibitę veritatis: ille terroris, hic amoris. Quando minatur Deus, tenebrosam nubem ostendit. „ Cum ascendisset „ Moyses, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis. " Et Propheta de minis ejus differens, ait: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Hic vero quia docere, non terrere volebat, nubes lucida videtur. Et Petrus quidem dicebat: Faciamus hic tria tabernacula: Christus autem tabernaculum nullis factum manibus ostendit. Lux ineffabilis emicat, divina vox intonat: ut autem nulla dubitatio emergeret, quem ex tribus vox Æterni Patris indicaret, & de Christo solo dictum intelligeret, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: vox audita est, cum jam Moyses & Elias disparuissent. Hic Jesus quem Moyses & Prophetæ prædixerunt, jamque agnoverunt & venerati sunt ut finem Legis & Prophetarum, ut mundi Redemptorem, ut verum Messiam, est *Filius meus*, non servus ut Moyses & Prophetæ ceteri: *Filius meus*, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. *Hic est Filius meus* dilectissimus, utpote Unigenitus, in quo requiesco & oblector, in quo nihil mihi displicet, per quem mihi justi quique homines placent, per quem unum placari possum & reconciliari peccatoribus. *Hic est Filius meus*, quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas; *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*; qui unam mecum voluntatem habet: „ qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapi„ na appetiit, nec usurpatione præsumpsit; sed manens „ in forma gloriæ meæ; ut ad reparandum genus hu„ manum exequeretur commune consilium, usque ad for„ mam servilem inclinavit communem Deitatem. *Ipsum* „ *audite* ceu Doctorem & Legislatorem omnibus datum, „ in quo Moysis Vaticinium impletum est: Prophetam „ de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit „ tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti a „ Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congrega„ ta est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Do„ mini Dei mei, ignem hunc maximum amplius non „ videbo, ne moriar. " Quasi dicatur: Postulastis, ne Deus vobiscum ignis illis terrorem incutientibus ageret: præstat Deus quod rogastis. *Verbum caro factum est: Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*: En illum, qui cum vehementia zeli pro domo Dei Eliam vincat, simul mansuetudine Moysen superat. „ *Ipsum au„ dite*, quem Legis Mysteria prænunciaverunt, quem „ Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui San„ guine suo Mundum redimit, qui diabolum ligat, & „ vasa ejus rapit, qui peccati chirographum & prævarications pacta dirumpit. *Ipsum audite*, quia ipse „ est Veritas & Vita, ipse virtus mea, atque sapien„ tia. *Ipsum audite*, qui viam aperit ad cœlum, & per „ crucis supplicium, gradus vobis Ascensionis parat ad „ Regnum. " Confer cum 2. Petri 1. 16. 17. 18. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in*

S. Jo. Chrys. h. 57. in Matt. Exod. 24. 16. Ps. 17.

S. Leo ser. 94. sive hom. de Transfigur. Dom.

Joan. 1.

Deuteron. 18. 15. Act. 3. 22.

quo

quo mihi complacui, ipsum audite, Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

5. *Et audientes Discipuli, ceciderunt in faciem suam*, quasi exanimes præ stupore; & *timuerunt valde*, triplicem ob causam. Vel quia se erasse cognoverant: vel quia nubes lucida operuerat eos: aut quia Dei Patris vocem loquentis audierant; quia humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo & corpore contremiscens, ad terram cadit. *S. Hieron. in hunc locum.*

6. *Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* Quia illi jacebant, & surgere non poterant, clementer ad eos accessit, & tetigit eos ut tactu timorem fugaret, & ne spectrum putaretur.

7. *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum.* Ne si Moyses & Elias cum illo mansissent, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium.

8. *Et descendentibus illis de Monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis Visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Nemini, nec Condiscipulis quidem vestris, visum istud ac spectaculum admirabile enarrate, donec a mortuis resurrexerim. Noluit autem vulgari ac prædicare gloriam suam ac Divinitatem, antequam resurrexisset, ne apud rudes animos sequens crux scandalum faceret; & mysterium istud pro sui magnitudine incredibile videretur. *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderunt.* *S. Hieron. S. Jo. Chrys. Hom. 58. in Matth.*

9. *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Audita mentione Resurrectionis Christi, quam non intelligebant, ipsum interrogarunt: Quare eruditi Lege viri dicunt Eliam prius venturum quam Resurrectio fiat, & Messiæ Regnum incipiat, quod ante Resurrectionem non incœpturum nobis innuere videris? Aut si jam cœpit Missæ Regnum, Te Dei Filio ab Æterno Patre declarato, cur Elias quem venisse arbitrabamur, jam abit e conspectu nostro? Ex recepta enim eruditorum sententia in Malachiæ Prophetæ Vaticinio fundata, venire debebat non abiturus, sed omnia emendaturus, docturus populum, monstraturus Messiam, conversurus cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum. Confer cum Marci 9. 9. 10. *Et verbum continuerunt apud se; conquirentes quid esset: cum a mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* *Luc. 9. 36. Malach. 4. 5. & 6.*

At ille respondens, ait eis: Elias quidam venturus est, & restituet omnia. Elias Propheta venturus est, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & restituet Tribus Jacob*, populum emendabit, adventus ejus & prædicatio signum erit consummationis sæculi; & *Restitutionis omnium* proxime futuræ. Israelem omnem reliquum ad fidem in me, salutemque adducet, ac Gentium plenitudini uniet. *Malach. 4. Eccli. 48. 10. Apoc. 11. 3. 6. Act. 3. 1. S. Hilar. c. 17. in Matth.*

10. *Dico autem vobis, Quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* Ne vero Scribæ & Pharisæi populo persuadeant, Messiam non venisse quia ipsius adventum præcedere debet Elias: Dico vobis, Eliam, Joannem Baptistam scilicet in spiritu & virtute Eliæ jam venisse, & suo functum esse officio, & non cognoverunt eum Eliam esse secundum spiritum & virtutem; non cognoverunt eum esse Præcursorem Messiæ quem indigitavit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* &c. Et in eum homines impii fecerunt quicquid voluerunt, Deo permittente, ipsumque in carcerem miserunt, & occiderunt: sic & ego passurus sum ab eis, & occidendus. *Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Quod Elias venturus sit, & jam venerit, nulla repugnantia est. Cum enim ait Christus: *Elias venturus est, & restituet omnia*; ipsum Eliam Tresbiten dicit, & eam, quæ tunc futura est, Judæorum conversionem. Cum vero ait: *Elias jam venit*; ipsum Joannem Baptistam, propter ministerii similitudinem designavit. Nam & Prophetæ unumquemque ex approbatis Regibus David appellabant: & Judæos propter morum depravationem Sodomorum Principes, & filios Æthiopum nuncupabant. Sicut enim ille secundi adventus, ita isti primi Præcursor fuit: quamvis & illa de causa Eliæ nomine Joannem appellet, ut & hunc adventum Vaticinio Prophetæ prædictum ostendat. *Matt. 14. S. Joannes Chr. Hom. 58. in Matth.*

11. *Et cum venisset ad turbam: accessit ad eum homo genibus provolitus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Cum e Monte descendisset Jesus, magnam populi multitudinem circa Discipulos suos congregatam vidit, & Scribas *conquirentes* sive disceptantes cum illis. Unus porro de turba, quæ magna Christi admiratione & reverentia afficiebatur, ejus genibus advolutus, ait: Domine, miserere filii mei, qui certis Lunæ intervallis a dæmone vexatur, & patitur, quod solent commitiali seu epileptico morbo laborantes. Nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, jactatus & allisus a dæmone, qui & illum mutum surdumque fecit ab infantia. Et obtuli eum Discipulis tuis sanandum, & *non potuerunt curare eum.* Quod ab infelici patre minime dictum arbitror, ut Christi Discipulos accusaret, sed ut demonis malignitatem, malique gravitatem exaggeret. Scribas tamen inde arripuisse occasionem carpendi Discipulos, & cum ipsis disceptandi, colligitur ex S. Marco. *Marci 9. 13.*

12. *Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? Afferte illum ad me.* Hæc objurgatio partim patrem pueri perstringit, cujus fides imbecilla erat, partim & maxime Scribas præsentes & pertinaciter incredulos. Perversum & infidele hominum genus! Quamdiu frustra versor apud vos, nec vestram vinco contumaciam? Usquequo vos feram, qui tot labores meos vobis inutiles redditis, verbisque meis ac miraculis non creditis? Ultima divinæ erga Judæos patientiæ tempora nunc agi ostendit Christus, eosque tandem deferendos, Regnumque Dei ad Gentes transferendum: Confer cum Deuteronomii 32. 20. 21. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum. Generatio enim perversa est, & infideles filii. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Ut autem innotescat, Jesum non esse iratum homini, sed vitio, & in illo uno Judæos arguisse infidelitatis, ait: *Afferte illum ad me.* Afferte puerum lunaticum & arreptitium, ut sanem eum. *Marci 9. S. Hieron. in hunc locum.*

13. *Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Non puerum infelicem, sed dæmonem illum vexantem Jesus increpavit. Confer cum Marci 9. 24. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum, Et exclamans, & multm discerpens eum, exiit ab eo.* Et Lucæ 9. 43. *Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri suo.* Increpatio illa Christi præ se fert ejus imperium in dæmonem tamquam subditum qui obedire cogatur; & indignationem in eum ut hostem, qui hominum vexatione oblectetur.

14. *Tunc accesserunt ad Jesum Discipuli secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?* Cum Jesus domum ingressus esset, Discipuli veriti ne eorum culpa factum esset ut dæmonium a puero non ejecissent, Dominum rogarunt ut causam illis aperire dignaretur cur illum non potuerant expellere. *Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram.* Ita vocat fidem imperfectam & longe minorem quam habere debebant pro ratione diuturnæ institutionis in schola Christi, & muneris Apostolici. *Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis Monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Si vel tantillum fidei conjunctæ cum fiducia impetrandi ab omnipotente Deo quod petitis ad ejus gloriam, & vestram vel aliorum salutem, habueritis, dicetis Monti huic ante vestros oculos posito, Transi hinc in alium locum, & transibit, vestris parens mandatis. Nihil est tam difficile quod non præstetis. Nihil impossibile erit vobis eorum quæ necesse erit vos facere ad Dei gloriam, & Evangelicæ doctrinæ confirmationem. *Si habueritis fidem ut granum sinapis*, &c. Hyperbolica locutio est, quasi dicat: Si minimam fidem habueritis, idest, tantam quantam habere debetis habita institutionis vestræ muneriisque ratione, Montes transferre verbo poteritis. Hanc fidem Apostolus maximam vocat efficacia & virtute, sive comparate ad eam quam vulgo habebant Christiani. *Si habuero* (inquit) *omnem fidem*, idest, perfectissimam, *ita ut Montes transferam*, &c. Id revera factum traditur a S. Gregorio Neocæsarienſi Episcopo, cui Thaumaturgo cognomen: & S. Nonnosi precibus ingentis molis saxum a Soracte translatum Martyrologia produnt: & idem ab Episcopo Armenio præstitum instante Calipha Babylonio, anno millesimo ducentesimo quinto, Auctores non spernendi referunt. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, &c. *Fidem hic signorum dicit, & sinapis meminit, cujus maxima virtus est. Nam cum minima sit, magnitudine virtutis ceteris omnibus vehementior est. Ut igitur ostenderet sinceræ fidei minimum ingentia posse, sinapis mentionem fecit.* Apostolos eosdem montes transtulisse non legimus: sed multo majora fecerunt: multos enim mortuos suscitarunt; Majus enim est animam hominis defuncti in corpus revocare, quam montem transponere. Cumque nonnulli sanctitate multo inferiores Montes transtulerint necessitate postulante; non dubium quin & illi Montes transtulissent si opus fuisset. Quamvis & aliquid tale ab illis forte factum sit, & non scriptum: non enim omnia miracula Sanctorum, ac ne Christi quidem, litteris mandata sunt. *1. Cor 13. 2. Eusebius l. 7. Hist. Eccl. c. 2. S. Jo. Chrys. Hom. 53 in Matth*

15. *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, & jejunium.* Hoc genus dæmoniorum nequissimorum, & ferocissimorum: vel quæ diu hominem possederunt ut difficillimum est inveteratos curare morbos; non ejici-

ejicitur nisi per orationem cum jejunio conjunctam, quæ in fidei subsidium accedant. Quamquam S. Jo. Chrysostomus, *Genus hoc* interpretetur *universum dæmonum genus.*

S. Jo. Chrys. Hom. 58. in Matth.

16. *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Cum autem Christus & ejus Discipuli in Galilæa versarentur, rursus illis mortis ac Resurrectionis suæ Mysteria inculcavit: tum ut certissimam præscientiam suam, ardentissimumque patiendi desiderium monstraret: tum ne inopinato eventu fides eorum labefactaretur. Filius hominis tradendus est in manus hominum impiorum a Patre, qui permittet ipsum illorum potestati; a seipso, quia volens mortem subibit; a Juda, qui Pontificibus & Scribis ipsum tradet, & illi Pilato, & Pilatus Militibus. Et merore gravissimo affecti sunt Discipuli his auditis sermonibus: nec eos spes Resurrectionis Christi solabatur, quia Mysterium illud nondum intelligebant, vel ad illud non attendebant.

17. *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui Didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit Didrachma? Ait: Etiam.* Didrachma seu dimidium sicli capitatim Judæis impositum in usum Templi quotannis solvendum, ab ipsis penitatum est ad Vespasiani usque tempora, qui expugnatis Jerosolymis, illud Capitolio pendi imperavit. Hujus igitur sacri tributi collectores Petrum conveniunt eumque interrogant num didrachma solvere soleat, quod ex pietate in Deum solvebant Religionis Judaicæ Professores. Respondit Petrus; *Etiam.* Quod annis superioribus Magistrum solventem vidisset, aut tum non recusaturum confideret.

Exod. 30. 12. 13. 2. Paralip. 2. 4. 5. & 6. Josephus l. de bello Judaico c. 26.

18. *Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.* Cum Petrus domum ingressus esset, Jesus illum sermone prævenit de eo quod cogitabat: & interrogavit, num Reges a filiis suis Regni hæredibus, tributum vel censum exigerent, an ab alienis. Cumque Petrus & ex more gentium & ex rationis naturalis æquitatisque dictamine respondisset, *Ab alienis*: Dixit Jesus: *Ergo liberi sunt filii*, id est, a tributis immunes sunt ipso natalium suorum jure. Similitudinem a Regibus terræ ad cœli Regem deducit hoc modo: Filii Regum immunes sunt a tributis. Quis igitur dubitet me qui Filius sum unicus Dei, cujus nomine didrachma exigitur Templo inferendum, adeoque major Templo, Templique Dominus, liberum esse a didrachmi pensitatione? Si autem de Tributo sacro hic non agi, sed de tributo & censu Cæsari debito videatur, nihilominus vim suam habet ratiocinium Christi a minori ad majus. Regum filii tributa ipsis non solvunt. Ego igitur qui sum Regis Regum, Dei scilicet Filius Unigenitus, nemini tributum vel censum debeo.

S. Hil. c. 17. S. Matth. n. 10. & 11

S. Jo. Chrys. Hom. 99. in S. Matth. S. Hieron. in cap. 17. Matth. S. August. l. 1. Quæst. Evang. Qu. 27. S. Jo. Chrysost. Hom. 59. in S. Matth. S. Hier. in hunc locum

19. *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.* Ne autem ipsis offendiculo simus, cum me Filium Dei, adeoque a tributo & censu immunem esse nesciant, & nondum scire teneantur, quod & vobis vulgare prohibui, *Vade ad mare*, &c. nec omnino recusat, nec simpliciter solvi pro se jubet tributum; sed prius immunitatem suam ostendit, tum demum dari jussit: primum ut Discipulos suos instrueret, alterum ut scandalum impediret. Utque se rerum omnium Dominum esse ostenderet, & maris ipsius ditionem habere, inventum seu potius creatum in ore piscis, quem ad primum hami jactum captum iri scivit, staterem, drachmas quatuor valentem, dari jussit pro se ac Petro familiæ capite. *Honoris excellentiam* in Petro S. Joannes Chrysostomus hic commendat. „ Hunc enim locum, *inquit*, Marcus qui Petri Discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro deferebatur. Sed negationem quidem diligentissime scripsit, hæc vero quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso forsan deprecante ne magnifica de eo diceret, omnino siluit. *Pro me*, inquit, *& te*, quoniam & Petrus Primogenitus erat. Miraris omnipotentiam Christi? Mirare Discipuli etiam fidem, qui ad rem ita natura incredibilem illico paruit, cujus quidem fidei retributionem confestim habuit, Christo in tributi solutione conjunctus.

SENSUS MORALIS.

1. *Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus; & duxit illos in Montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Ex Discipulorum numero duodecim Apostolos Christus elegerat. Ex Apostolis tres seligit eximios, quibuscum arcana sua communicet, & quos suæ Majestatis ac gloriæ spectatores & testes faciat, ut singulares gratias, favores, ac dona se pro beneplacito voluntatis suæ tribuere ostendat iis qui Deum magis diligunt, & ab eo magis diliguntur. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus.* Tres assumpsit Jesus magni Mysterii testes, *non quasi ceteros reprobans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum.* Nemo Collegarum invidet, quia *charitas non æmulatur.* Tres illi sunt

Tertull. l. de Præscr. cap. 22.

de quibus dixerat, *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo.* Promissum implevit .... *qualis* enim *futurus est tempore judicandi, talis apparuit.* Duxit illos in Montem excelsum. *Ducere ad Montana Discipulos, pars Regni est. Ducuntur seorsum, quia multi vocati, pauci vero electi.* Duxit in Montem, ut oraret, ut sacrum secessum ac solitudinem, Ascensionem a terrenis rebus & affectibus ad cœlestia, quia sursum cor habetur ad Dominum, congruas esse ad orationem & contemplationem dispositiones doceret. Mysteria sua & arcana Deus singulariter non communicat, nisi cum iis qui procul a Mundi tumultibus sunt remoti. *Ducam eam in solitudinem*, inquit, *& loquar ad cor ejus.* Ceterum non omnium est in Montem ascendere, sed eorum qui a Christo assumuntur & ducuntur, qui ipsum sequuntur & imitantur, qui viva Divinitatis ipsius, Passionis, & Resurrectionis fide instructi, ad bibendum Passionis ipsius Calicem parati sunt, qui veterem hominem exuerunt cum actibus suis, & induerunt novum, qui inveniuntur in Christo habentes *illam quæ ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem Resurrectionis ejus, & societatem Passionum illius, configurati morti ejus:* qui eorum *quæ retro sunt obliti, ad anteriora semetipsos extendunt*, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu totis viribus ac studiis contendentes: *Quorum conversatio in Cœlis est; unde etiam Salvatorem expectant Dominum Jesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ad Montem contemplationis & perfectionis, ad summum orationis & sanctitatis gradum statim non ascenditur. Nemo de repente fit summus. Regnum Dei semini simile est, quod paulatim crescit in messem. *Semita Justorum quasi lux splendens, crescit usque ad perfectum diem.* Quemadmodum gradus pœnitentiæ constituti sunt olim peccatoribus, ita gradus perfectionis justis. Tres vitæ spiritualis status Theologiæ Mysticæ Magistri distinxerunt, incipientium, proficientium, & perfectorum; seu vitæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ. Ad summum genus nisi per medios non pervenitur. *Quis mihi tribuat, ut scribat librum ipse qui judicat?* (inquit Job.) *per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.* Vita spiritualis magnus liber est. Ejus enim præcepta in Novo Testamento exarata sunt a Christo summo vivorum & mortuorum Judice; & interius in cordibus piorum a Spiritu Sancto describuntur: sed liber ille statim non pervolvitur, per gradus pronuntiandus est. „ Nemo enim infima deserens, „ repente fit summus: quia ad obtinendum perfectionis „ meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc „ proculdubio velut Ascensionis cujusdam gradibus pervenitur. “

S. Hier. in c. 17. S. Matth.

Lucæ 9.

Osee 2. 14.

Philip. 3.

Prov. 4. 18

Job. 31.

Et transfiguratus est ante eos. „ In qua Transfiguratione „ illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus Discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret „ eorum fidem voluntariæ humilitas Passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sed non „ minore providentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur, „ ut totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum: ut ejus sibi honoris consortium „ membra promitterent, qui in capite præfulsisset. De „ quo idem Dominus dixerat, cum de adventus sui majestate loqueretur: Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno patris sui: *Protestante hoc ipsum beato Paulo Apostolo, & dicente.* Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, „ quæ revelabitur in nobis. *Et iterum.* Mortui enim estis, „ & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum „ enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. „

S. Greg. M. l. 21. Mor. cap. 14. S. Leo. M. ser. 94. sive h. de Transfiguratione. Matt. 13. 43. Rom. 8. 18.

Transfiguratus est ante eos. Æternæ beatitudinis quæ Sanctis promittitur, levis hæc delineatio & adumbratio fuit: *Non enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Ostendit Deus in gloriosa Filii tui Transfiguratione finem quo tendimus, & viam qua tendamus. Finis quo tendimus, beatitudo æterna est, in solius Dei fruitione sita. Ait Epicureus: Mihi frui mea carne bonum est. Ait Stoicus: Mihi frui mea mente bonum est. Dicat Christianus: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Dic Epicuree, quæ res faciat beatum? Respondet. Voluptas corporis. Dic Stoice? Virtus animi. Dic Christiane? Donum Dei. „ Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in no- „ mine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exal- „ tabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. *Virtutes quærebas? dic*: Dominus virtus mea. *Beatam vitam quærebas? dic*: Beatus homo quem tu erudieris, „ Domine. Beatus enim populus, cujus non voluptas car- „ nis, cujus non virtus propria, seu beatus populus cu- „ jus est Dominus Deus ipsius. Hæc est patria beatitudi- „ nis quam omnes volunt sed non omnes recte quærunt. „ Nos autem ad talem patriam non nobis viam quasi cor- „ de nostro machinemur, & erraticas semitas moliamur: „ Venit inde & via. Quid vult enim beatus, quid vult „ nisi non falli, non mori, non dolere? Nemo beatus est, ni- „ si qui vivit in æternum, sine ullo timore, sine ulla falla- „ cia.

Coloss. 3. 3. 1. Cor. 2. 9. S. Aug. ser. 150. Ps. 88. 16. Ps. 17. 2. Ps. 93. 12 Ps. 143. 15

„ cia. " In illa autem patria ad quam tendimus, perennis contemplatio veritatis, siquidem *Deum videbimus non per speculum & in ænigmate, sed sicuti est*: & gaudium sempiternum de veritate, & vita immortalis. Unde cœlestis beatitudo vita simpliciter appellatur. *Si vis ad vitam ingredi*, ait Christus, *Serva mandata*. Non ei dixit beatam, quia misera nec vita dicenda est. Non ei dixit æternam, quia ubi mortis timor est, nec vita dicenda est: Ergo vita, quæ hoc nomine digna est ut vita dicatur, non est nisi beata; & beata non est, nisi æterna. Hanc volumus omnes, veritatem, & vitam. Sed ad tam magnam possessionem, ad tam grandem felicitatem qua itur? Instruxerunt sibi vias erroris Philosophi. Alii dixerunt, Hac: alii dixerunt, Non hac, sed hac. Latuit illos via, quia *Deus superbis resistit*. Lateret & nos, nisi veniret ad nos. Ideo Dominus: *Ego*, inquit, *sum via*. Piger viator, venire nolebas ad viam, ad te venit via. Quærebas qua ires: *Ego sum via*. Quærebas quo ires: *Ego sum veritas & vita. Non errabis quando is ad illum, per illum*. Hæc est doctrina Christianorum, non plane conferenda, sed incomparabiliter præferenda doctrinis Philosophorum, immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum. Hanc suæ Transfigurationis Mysterio docuit Christus. *Et transfiguratus est ante eos*. Dominus Discipulos suos, præ-
S. Th. 3. p. Q. 43. Art. 1 nuntiata Passione sua, ad ejus imitationem induxerat. Oportet autem ut aliquis directe procedat in via, ut finem prægnoscat quo tendit. Unde Thomas Apostolus, dixit: *Domine nescimus quo vadis*;
Joan. 14. *& quomodo possumus viam scire?* Et hoc præcipue est necessarium, quando via est difficilis & aspera, & iter laboriosum, finis vero jucundus, Christus autem per suam passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animæ, quam ha-
Luc. ult. buit a principio suæ conceptionis, sed etiam corporis. *Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*. Ad quam etiam perducit eos qui vestigia suæ passionis sequuntur. *Per multas* enim *tribulationes oportet nos*
Act. 14. *introire in Regnum Cœlorum*. Et ideo conveniens fuit ut Discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet, cui suos configurabit. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Unde Venerabilis Beda,
Philip. 3. *Pia*, inquit, *provisione factum est, ut contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus debilitata, fortius*
Beda in Matth. *adversa tolerarent*. Hinc Moyses & Elias cum Christo transfigurato *loquebantur de excessu quem completurus erat in Jerusalem*, ut Christum per Passionem & mortem gloria & honore coronandum Apostoli discerent: & nos, si socii fuerimus Passionum Christi, socios etiam resurrectionis & gloriæ futuros. Simus igitur *in tribulatione patientes, spe gaudentes*: Quoniam *Momentaneum hoc*
Rom. 12. *leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Ad hanc gloriam suspiremus, propter ipsam cuncta faciamus, patiamurque: ejus nos expectatio in præ-
2. Cor. 4. 17. liis Christianæ militiæ roboret, in adversis consoletur, in via peregrinationis nostræ sustentet. Reposita sit hæc spes in sinu nostro velut clypeus nos protegens, velut fertum nos recreans. *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid*
Ps. 72. 25. 26. *volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Quid est illud quod habeo in cælo? Quid est? Quantum est? Quale est? „ Et cum non transit quod
„ habeo in cœlo, *a te quid volui super terram?* Servas
S. August. Enarrat. in Ps. 72. „ mihi tu divitias immortales in cælo te ipsum, & ego „ volui a te in terra quod habent & impii, pecuniam, „ aurum, argentum, gemmas, familias, quod habent „ scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, „ multi viri turpes: hæc pro magno desideravi a Deo meo „ super terram; cum servet se mihi in cælo Deus meus. „ *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Inveniamus divitias nostras, eligat sibi partes genus humanum. Videamus homines cupiditatum diversitate laniari: eligant alii militiam, alii advocationem, alii diversas variasque doctrinas, alii negotiationem, alii agriculturam; istas partes sibi faciant de rebus humanis: clamet populus Dei; *Pars mea Deus meus*. Non ad tempus pars mea, sed *pars mea Deus in sæcula*. Aurum etsi semper haberem, quam magnum bonum haberem? Huc accedit, quia mihi se ipsum promittit, & id me in æternum habiturum promittit. Tantum habeo, & numquam non habeo. Magna felicitas. *Pars mea Deus*. Quamdiu? *In sæcula*. Vide quomodo illum amavit; fecit cor castum." „ *Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula*. FACTUM *est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea vult servire Deo; carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo, nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis*.

S. Aug. ser. 88. alias de Diversis 69 2. *Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. „ Ipse Jesus splenduit sicut „ sol, se lumen esse significans quod *illuminat omnem ho-* „ *minem venientem in hunc mundum*. Quod est iste sol „ oculis carnis, hoc ille oculis cordis. *Vestimenta autem* „ *ejus, Ecclesia ejus*. Vestimenta enim nisi ab induto „ contineantur, cadunt. Horum vestimentorum, quædam „ quasi novissima fimbria Paulus fuit. Ipse enim dicit, *E-* „ *go sum minimus Apostolorum*. Et alio loco, *Ego sum* „ *novissimus Apostolorum*. In vestimento autem fimbria est „ novissima & minima. Proinde sicut illa mulier, quæ „ sanguinis fluxum patiebatur, tacta Domini fimbria sal- „ va facta est, sic Ecclesia quæ ex Gentibus venit, Pau- „ lo prædicante salvata est. Quid mirum si per candida „ vestimenta signatur Ecclesia, cum audiatis Isaiam Pro- „ phetam dicentem: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Resplenduit facies ejus „ sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut „ nix, quia *Deus lux est*, & *Amictus* est *lumine sicut ve-* „ *stimento. Et Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate* „ *in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*." *Isai. 1. 18.* *1. Jo. 1. 6.*

3. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes*. Moyses & Elias, id est, Lex & Prophetæ quid va- *Ps. 103. 2.* *2. Cor. 3. 18.* lent, nisi cum Domino colloquantur? Nisi Domino perhi- *S. Aug. ib.* beant testimonium, quis leget Legem? Quis Prophetas? Videte, quam breviter hoc Apostolus ait: *Per Legem enim cognitio peccati: nunc autem sine Lege, justitia Dei manifestata est*; ecce sol: *testificata a Lege & Prophetis*; ecce splendor. Sicut per Moysen Lex, per Eliam Prophetæ, sic *S. Aug. Tr.* per Christum Jesum Evangelium significatur. *Christus appa-* *17. in Jo.* *ruit medius inter Moysem & Eliam, tamquam Evangelium testimonium haberet a Lege & Prophetis*. „ Adstipulantur „ enim sibi invicem utriusque Fœderis paginæ; & quem „ sub velamine Mysteriorum præcedentia signa promise- „ rant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ „ splendor ostendit. Quia, sicut ait beatus Joannes: *Lex* *S. Leo. ser.* „ *per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Chri-* *94. sive h.* „ *stum facta est*: In quo & propheticarum promissio im- *de Transfi-* „ pleta est figurarum, & legalium ratio præceptorum, *guratione,* „ dum *& veram docet Prophetiam per sui præsentiam, &* *cap. 4.* „ *possibilia facit mandata per gratiam*."

4. *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*. Delectatus est Petrus, & quem sæculi hujus illecebrosa non caperent, gratia Resurrectionis illexit. *Bonum est*, inquit, *nos hic esse*. (Hinc & S. Paulus ait: „ *Dissolvi enim & esse cum* *S. Amb. l. 7.* „ *Christo, multo melius*.) Nec laudasse contentus, non *in Luc. n. 18* „ solum affectu, sed etiam factorum devotione præstantior, „ ad ædificanda tria tabernacula impiger operarius com- „ munis obsequii ministerium pollicetur. Et quamvis ne- „ sciret quid diceret, tamen pollicebatur officium: quo „ non inconsulta petulantia, sed præmatura devotio fru- „ ctus pietatis accumulat. " Nam *quod ignorabat, condi-* *S. Hier. in* *tionis fuit; quod promittebat, devotionis. Sed non capit hu-* *cap. 17. S.* *mana conditio in hoc corruptibili, in hoc mortali corpore* *Matth.* *facere tabernaculum Deo*. Apostole Sancte, *si quæris tria tabernacula, nequaquam servos cum Domino conferas, sed fac tria tabernacula, immo unum Patri, & Filio, & Spiritui-Sancto, ut quorum est una divinitas, unum sit & in* „ *pectore tuo tabernaculum*. Domine, *bonum est nos hic es-* „ *se. Si vis, faciamus hic tria tabernacula*, &c. Huic „ suggestioni Dominus non respondit, significans, non qui- „ dem improbum, sed inordinatum esse, quod cuperet: cum „ salvari mundus nisi Christi morte non posset, & exem- „ plo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut li- „ cet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubi- „ tari; intelligeremus tamen inter tentationes hujus vi- „ tæ prius nobis tolerantiam postulandam esse quam glo- „ riam, quia tempora patiendi non potest felicitas præve- „ nire regnandi." *S. Leo. ser.* *94.*

Domine, bonum est nos hic esse. Consolationibus & deliciis etiam spiritalibus ne inhæreant animæ piæ, ne Deum amore solum concupiscentiæ, non amicitiæ diligere; ne ex favoribus, non ex infinita magnitudine ipsum æstimare; ne locare cor suum, non dare Deo; ne negotiari, non gratis colere & amare Sponsum videantur. Utilius est animæ justæ per cruces interiores a Deo probari. „ Recedit *interdum Sponsus cœlestis*, ut absens magis *S. Bernar.* „ desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus „ gratius inveniatur. Ne ergo exilium deputemus pro pa- „ tria, venit Sponsus & recedit vicissim, nunc consola- „ tionem differens, nunc universum statum nostrum in in- „ firmitatem commutans."

Domine bonum est nos hic esse. Per spirituales consolationes & delicias nos vendicat Deus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, nos eripit mundo, sibique devincit. Hinc piæ animæ ajunt: *Meliora sunt ubera tua vino*. Carnis, inquiunt, voluptatem, qua pau- *S. Bern. ser.* lo ante ebriæ tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis *9. in Cant.* ubera stillant, deliciæ spirituales. „ Et pulchre vino com- „ parant carnalem affectum. Ut enim uva semel expressa „ non habet jam quid denuo fundat, sed perpetua aridi- „ tate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni pror- „ sus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad li- „ bidines. Unde Propheta: Omnis caro fœnum, & omnis „ gloria ejus tamquam flos agri. Exsiccatum est fœnum, *Isaiæ 40.* „ & cecidit flos. *Et Apostolus*: Qui seminat in car- *Galat. 9.* „ ne, de carne metet corruptionem." *Vide autem ne non carni tantum, sed & mundo competat ista pro-*

por-

portio : ſiquidem & ipſe tranſit, & concupiſcentia ejus. Et cum omnia quæ in mundo ſunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non ſic. Hæc enim cum exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt quod propinent ſugentibus. Merito proinde meliora carnis ſæculive amore afferunt ubera ſponſæ, quæ nullo umquam lactentium numero areſiunt, ſed ſemper abundant de viſceribus charitatis, ut iterum fluant. Flumina ſiquidem ſiunt de ventre ejus, ſitque in ea fons aquæ ſalientis in
Iſai. 35. 9. *vitam æternam.*

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Si gaudii cœleſtis ſtillicidio ſic extra ſe rapitur Apoſtolus, ut neſciat quid dicat, quid fiet, cum implebitur illud Propheticum, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lu-*
S. Auguſt. Enarr. in *mine tuo videbimus lumen?* „ Cum accepta fuerit illa i-
Pſalm. 35. „ neffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & „ fit divina. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, &* „ *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens dicitur aqua „ veniens cum impetu. Impetus erit miſericordia Dei, „ ad irrigandos, & inebriandos, qui modo ponunt ſpem „ ſub umbraculo alarum ejus. Voluptas illa quæ eſt? Quaſi „ torrens inebrians ſitientes. Modo ergo qui ſitit, ha-
Matt. 5. 8. „ beat ſpem, inebriatus habebit rem: antequam habeat „ rem, ſitiat in ſpe. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quo ergo fonte irri- „ gaberis, & unde currit tantus torrens voluptatis ejus? „ *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Quis eſt fons vitæ, niſi „ Chriſtus? Venit ad te in carne ut irroraret fauces tuas „ ſitientes: ſatiabit ſperantem, qui irrogavit ſitientem: „ *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbi-* „ *mus lumen.* Hic aliud eſt fons, aliud lumen; ibi non „ ita: Quod enim eſt fons, hoc eſt & lumen: & quic- „ quid vis illud vocas, quia non eſt quod vocas, quia non po- „ tes congruum nomen invenire, non remanet in uno nomi- „ ne. Si diceres, quia lumen eſt ſolum, diceretur tibi, „ ſine cauſa ergo mihi dictum eſt ut eſuriam & ſitiam: „ Quis enim eſt qui manducet lumen? Illud plane recte „ mihi dictum eſt, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum* „ *videbunt*: Si lumen eſt, oculos meos parem. Para & „ fauces, quia illud quod lumen eſt, & fons eſt: fons „ quia ſatiat ſitientes, lumen quia illuminat cæcos. Hic „ aliquando alibi lumen, alibi fons. Aliquando enim cur- „ runt fontes & in tenebris: & aliquando in eremo pa- „ teris ſolem, non invenis fontem: hic ergo poſſunt iſta
S. Auguſt. Enarr. in *duo eſſe ſeparata, ibi non fatigaberis, quia fons eſt;*
Pſalm. 74. „ non tenebrabreris, quia lumen eſt. "

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Vox eſt eorum qui guſtant & vident quam ſuavis ſit Dominus, quam beatus vir qui ſperat in eo. *Omni* enim *homini converſo ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciæ: non ſubtrahuntur, ſed mutantur. Omnes autem deliciæ noſtræ in hac vita, nondum ſunt in re: ſed ipſa ſpes tam certa eſt, ut omnibus hujus ſæculi deliciis præponenda ſit. Sicut ſcriptum eſt*, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Si nondum habes petitiones cordis tui unde delecta-*
S. Hieron. *ris in Domino, niſi quia tenes certum promiſſorem, qui*
in hunc lo- *ſe effecit promittendo debitorem.*
cum. Jo. 5. 5. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Quia imprudenter interrogaverat Petrus, reſponſionem Domini non meretur: ſed Pater reſpondet pro Filio, ut verbum Domini compleretur: *Si teſtimonium perhibeo de me ipſo,*
S. Aug. ſer. *teſtimonium meum non eſt verum..... Qui miſit me Pa-*
78. alias de *ter, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* „ Vox de cœlo
Diverſis. 69 „ Patris loquentis auditur, quæ & teſtimonium perhibeat „ Filio, & Petrum, errore ſublato doceat veritatem: i- „ mo per Petrum ceteros Apoſtolos. *Hic eſt Filius meus* „ *dilectus.* Huic figendum eſt tabernaculum, huic obtem- „ perandum. Hic eſt Filius, illi ſervi ſunt." *Moyſes &* „ *Elias debent & ipſi vobiſcum in penetralibus cordis ſui* „ *Domino tabernaculum præparare.* Hic eſt Filius meus „ dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite." *Quia & in Prophetis ipſum audiſtis, & in Lege ipſum audiſtis. Et ubi non ipſum audiſtis? Hoc audito, illi ceciderunt in terram. Jam demonſtratur nobis in Eccleſia Regnum Dei. Hic Dominus, hic Lex & Prophetæ: ſed Dominus tamquam Dominus: Lex in Moyſe, Propheta in*
S. Aug. ſer. *Elia; ſed ipſi tamquam ſervi, tamquam miniſtri. Ipſi tam-*
79. alias de *quam vaſa: ipſe tamqdam fons. Moyſes & Prophetæ di-*
Diverſ. 23 *cebant & ſcribebant: ſed de illo implebantur quando fundebant.* Loquitur Moyſes; ſed *Hunc audite.* Loquitur Elias; ſed *Hunc audite.* Loquuntur Prophetæ, loquitur
Iſai. 2. 3. Lex; ſed *Hunc audite*, vocem Legis, & linguam Prophe-
Iſai. 33. 22 tarum. Quando Evangelium loquitur, nubem putate, in-
Iſai. 55. 4. de nobis vox ſonat. Hunc audiamus; quod dicit faciа-
Joel. 2. 23. mus, quod promiſit ſperemus. *Venite aſcendamus ad mon-*
1. Cor. 2. 23 *tem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias*
24. Hebr. 1. *ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus.* Ipſum audiamus:
Jo. 14. 6. *Dominus enim judex noſter, Dominus legiſer noſter, Do-*
Jo. 6. 69. *minus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Ipſum audiamus, quem Deus *Teſtem populis* dedit, *Ducem ac præceptorem Gentibus ... Doctorem juſtitiæ ... Verbum Domini ...*

Natal. Alex. In Evang.

Dei virtutem, & Dei ſapientiam: Ipſum audiamus: *Deus* enim *multis modis olim loquens patribus in Prophetis, noviſſime locutus eſt nobis in Filio.* Ipſum audiamus, qui *Veritas eſt ....* Qui *Verba vitæ æternæ habet.* Plane audiam te, Domine Jeſu. *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.* Loquere ad cor meum, & aurem ejus inclina, ut te audiat, & obtemperet tibi.

6. *Et audientes Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Tunc maxime timendum, cum ſupernis conſolationibus ac deliciis nos Deus perfundit, ſed timore cum fiducia in bonitate ejus conjuncto. Agnoſcenda infirmitas noſtra eſt: nihil ſupra vires noſtras audendum, quæ in myſteriorum divinorum cognitione & contemplatione nullæ nobis ſunt a nobis. „ Scrutator enim Majeſta- „ tis opprimetur a gloria. *Et* Quanto quis ampliora quæ- „ ſierit, tanto magis ad inferiora collabitur, ſi ignorave- „ rit menſuram ſuam. *Et timuerunt valde.* Timoris ma- Prover. 25. „ gnitudo electæ menti aliquando poſt oſtenſionem lætæ 27. S. Hier. „ viſionis incutitur. Quod profecto dum fit, non fit ut in hunc lo- „ mentem ad gloriæ viſionem purificet, ſed ut cuſtodiat cum. „ ab elatione. Unde & Petrus, & Jacobus, & Joannes „ prius transformati Domini gloriam viderent; deinde in- S. Greg. M. „ cuſſo eis timore cecidere, ne elati perderent, quod ſeu alius „ humiliter aſſumpti videre meruiſſent. *Et acceſſit Jeſus,* antiquus & „ *& tetigit eos; dixitque eis: Surgite & nolite timere.* auctor Eccle- „ Quos manu ſanaverat, ſanat imperio. Primum timor ſiaſt. Com- „ expellitur, ut poſtea doctrina tribuatur. *Gratiæ ſuæ ma-* ment. in l. „ *nu interiori Chriſtus nos tangit, verbo ſuo nos roborat,* 1. Reg. c. 1. „ *ut timorem deponamus, ut a terra ſurgamus, oculoſque* S. Hieron. „ *& animos ad cœlum erigentes*, Aſpiciamus ipſum au- „ ctorem fidei *noſtræ* & conſummatorem. VIDI viſionem „ grandem hanc (*inquit Daniel*) & non remanſit in me „ fortitudo..... Et audivi vocem ſermonum ejus: & au- Heb. 2. 12. „ diens jacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vul- Daniel. 10. „ tus meus hærebat, & ecce manus tetigit me, & ere- 8. & ſeq. „ xit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum „ mearum. Et dixit ad me: Daniel vir deſideriorum, in- „ tellige verba quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu „ tuo. Cumque dixiſſet mihi ſermonem iſtum, ſteti tre- „ mens. Et ait ad me: Noli metuere. *Varius ille Pro-* „ *phetæ ſitus ſeu varia corporis poſitio totum ſpiritalis* „ *profectus ordinem ſignificat.* Verba enim Dei in terra S. Greg. M. „ jacentes audimus, cum in peccatis poſiti, terrenæ pol- l. 22. Mora- „ lutioni conjuncti, Sanctorum voce ſpiritalia præcepta co- lium c. 14. „ gnoſcimus. Ad quæ præcepta quaſi ſuper genua & ſu- „ per manuum noſtrarum articulos erigimur, quia a ter- „ renis contagiis accedentes, quaſi jam ab infirmis ven- „ trem levamus. Sicut enim totus terræ inhæret, qui con- „ ſternatus jacet: ita qui in genibus & manuum ſuarum „ articulis incurvatur, inchoante profectu, ex magna jam „ parte a terra ſuſpenditur. Ad extremum vero voce do- „ minica erecti quidem, ſed trementes adſiſtimus, cum a „ terrenis deſideriis perfecte ſublevati, verba Dei quo ple- „ nius cognoſcimus, plus timemus. Adhuc enim quaſi in „ terra jacet, qui ad cœleſtia erigi terrenorum deſide- „ riis negligit. Quaſi ſublevatus autem adhuc manibus & „ genibus incumbit, qui quædam jam contagia deſerit, „ ſed quibuſdam adhuc terrenis operibus non contradicit. „ Jam vero ad verba Dei erectus adſiſtit, qui perfecte „ mentem ad ſublimia erigit, & per immunda deſideria „ incurvari contemnit. Bene autem trementem ſe ſtetiſſe „ indicat: quia examen ſubtilitatis internæ, quo plus ad „ illud proficitur, amplius formidatur. Ubi apte divina „ voce ſubjungitur, *Noli metuere*; quia cum plus ipſi „ quod timeamus agnoſcimus, plus nobis de Deo per in- „ ternam gratiam infunditur quod amemus: quatenus & „ contemptus noſter pauliſper tranſeat in timorem, & „ timor tranſeat in charitatem. Ut quia quærenti nos „ Deo per contemptum reſiſtimus, per timorem fugimus; „ & contemptu quandoque, & timore poſtpoſito, ſolo ei „ amore jungamur. Pauliſper enim etiam timorem ejus „ diſcimus, cujus ſolius dilectioni inhæremus. Appoſitis „ igitur quaſi quibuſdam gradibus profectus noſtri, men- „ tis pedem prius per timorem in uno ponimus, & poſt- „ modum per charitatem ad alta amore levamus: Ut ab „ eo, quo quiſque tumet, reprimatur ut timeat, & ab eo „ quod jam metuit, ſublevetur ut præſumat. *Idem ſigni-* „ *ficat trium Apoſtolorum conſternatio, timor, & erectio* „ *in monte ſancto.* Et audientes Diſcipuli ceciderunt in „ faciem ſuam & timuerunt valde. Et acceſſit Jeſus, & „ tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere."

7. *Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Jeſum.* In Jeſum unum erigendi ſunt & defigendi oculi. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; Qui *unus Me-*
diator noſter eſt, & *Advocatus apud Patrem*; *Auctor ſa-* 1. Pet. 1. 12.
lutis noſtræ; *Filius Dei dilectus*, per quem unum Deo placent, quicumque placent; Qui *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*: & *Dei filios* Joan. 1.
congregat in unum, quos & *fratres* ſuos vocare, & co- Jo. 11. 52.
hæredes gloriæ ſuæ ac Regni facere dignatur. Erigamus oculos in Jeſum, qui caput noſtrum eſt; ſi ſapientes ſumus: *Oculi* enim *ſapientes in capite ejus.* Aſpiciamus Jeſum, non ſolum transfiguratum in Monte Thabor, Eccleſiaſt.
ſed in Monte Calvariæ crucifixum pro nobis: ſi quidem 21. 14.

dem *propter Passionem mortis, gloria & honore coronatus*
Heb. 2. 9. *est*. Compatiamur morienti, ut congaudeamus & conregnemus triumphanti & regnanti. In omnibus operibus nostris solius Dei & Christi Jesu gloriam & honorem spectemus, qui judex illorum est; non gloriam nostram vel temporalia commoda, non mundum, non homines, in quibus maledictus est qui spes suas collocat. Ut autem solum Jesum videamus, Evangelium legamus, in quo remota nube nobiscum loquitur, nobisque Mysteria sua &
S. Hieron. in hunc locum. præcepta peramanter aperit. *Discipuli vident Jesum stantem ablata nube, & Moysem & Eliam evanuisse: quia postquam Legis & Prophetarum umbra discesserit (quæ velamento suo Apostolos texerat) utrumque in Evangelio reperitur*. Evanuerunt Moyses & Elias: sed Moysis mansuetudinem, & Eliæ zelum in Jesu admirari & imitari debemus.

8. *Et descendentibus illis de Monte, præcepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat*. Tempus scilicet loquendi, & tempus tacendi: Tempus latendi & in publicum prodeundi. In his Dei voluntas exploranda est & judicanda ex ejus gloriæ, & utilitatis proximorum fine. Id prædicandum quod utrique conducibile fuerit, locis & temporibus opportunis. Quædam enim alieno tempore & nequaquam opportuno prædicata, magis obsunt interdum quam prosint. Quamquam enim Deo tempus agendi semper adsit, exemplo tamen suo Christus ostendit œconomia & prudentia utendum in doctrina & prædicatione, cum Transfigurationis suæ Mysterii, & Divinitatis suæ prædicationem Apostolis suis prohibuit, donec a mortuis surrexisset: illisque dicere noluit, quæ portare pro tempore non poterant. Ceterum
Card. Bona l. de Discretione Spirituum c. 20. quod visiones spectat & revelationes privatas, si quæ spiritualibus viris aut mulieribus contingant, *Secretum Regis abscondere bonum est*; illasque nemini aperire, nisi soli conscientiæ Moderatori, qui de illis judicet utrum ex Deo sint. Viros sanctos legimus revelationes suas numquam aliis aperuisse, nisi charitas posceret, aut Superioris jussio urgeret. Divini Spiritus indicium est ab omni re quæ notabilem hominem faciat, abstinere, de se ipso modeste loqui, nec verba illa arrogantiæ plena usurpare: Hæc mihi Deus locutus est, hæc revelavit. Observet autem conscientiæ prudens Moderator quo fine quis moveatur ad ipsas revelationes manifestandas, levitate ne, an vanitate; utilitate propria, an aliena; uniusne, an multorum: an aliqua appareat nota cupiditatis, avaritiæ, vel propriæ æstimationis: quibus verbis in ipsa narratione utatur, an humilibus & verecundis, an tumidis & inconsideratis: an paucis se expediat, seu potius prolixior sit. Illud quoque perpendendum quod sancta Theresia docuit: Rebus scilicet, quæ revelantur, nullam fidem adhibendam esse ex eo præcise quod revelatæ sunt; sed si ad fidem pertinent, illis propter fidem credendum est: si aliquid præcipitur, ad Superiorem deferendum, ejusque mandato accedente, ex obedientia peragendum est. Hanc normam secutus est Princeps Apostolorum: Christi enim Transfigurationem enarrans, & vocem a Deo Patre auditam, cum esset in Monte sancto cum Jesu, speculator factus illius magnitudinis; noluit tamen ei revelationi inniti, nisi quatenus Prophetarum oraculis consentanea fuit. *Habemus*, inquit, *firmiorem Propheticum sermonem, cui*
2. Petri 1 *bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Ac si aperte diceret: Quamvis vox e cœlo delapsa a Deo Patre revera manaverit, sermo tamen Propheticus certior est & firmior omni scientia, omnique visione & revelatione, quia sensus falli possunt, Scriptura Sacra non potest. In hanc sententiam egregie Richardus a Sancto Victore: „ Suspecta est mihi omnis veritas (*in-*
Richardus a S. Victore l. de Præparat. Animæ ad Contem. c. 2. „ *quit*) quam non confirmat Scripturarum auctoritas, nec „ Christum in sua clarificatione suscipio, si non assistant „ ei Moyses & Elias. Si Christus docet me de rebus ex„ terioribus, vel de intimis meis, facile recipio, utpote „ in his quæ comprobare possum proprio experimento. „ Verum ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cœle„ stibus quæstio ventilatur: ubi de profundis rebus agi„ tur, in tantæ sublimitatis vertice non recipio Christum „ sine teste, nec rata poterit esse quælibet verisimilis re„ velatio sine attestatione Moysis & Eliæ, sine Scriptu„ rarum auctoritate. “

9. *Et interrogaverunt eum Discipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis*, &c. Deus peccatores intercipere non vult, sed excitare, & vigilantes facere. Ideo præcursores habere voluit cum prioris adventus sui ad homines, tum secundi contra homines, Joannem Baptistam, & Eliam. Monet per eos ut
Psal. 59. 6. homines fugiant ab ira ventura. *Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui*. Omnes pœnitentiæ Prædicatores sunt præcursores Christi, qui omnia restituere nituntur in debitum ordinem, qui zelo pro Dei lege inardescunt & qui adversus vitia bellum gerunt absque personarum acceptione, ab adulatione & timore pariter alieni, ad persecutionem pro veritate patiendam paratissimi. Hi imminentem mortis judiciique diem hominibus annuntiat clamantes, *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*. Væ illis qui Eliam suum non cognoscunt, non *Apocal.* 14. audiunt, sed contemnunt, nec ad parandam viam Domini convertuntur.

10. *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: Nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis & non potuerunt ejicere eum*. Homo peccator *Eccl.* 27. lunaticus est. *Stultus* enim *sicut luna mutatur*, incon- *Thren.* 1. 8. stans est in omnibus viis suis. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*. Qui spiritualiter a dæmone possidetur, modo cadit in ignem libidinis & concupiscentiæ, quo exuritur; modo in aquam, cum ita frigescit cor ejus, ut in eo sensus omnis fraternæ charitatis & misericordiæ extinguatur. Male patitur, cupiditatum suarum æstu jactatus & allisus. Iræ impetu conturbatur & spumat, odio intus discerptus, dentibus stridet; invidia tabescit & arescit; surdus est ad Dei verbum sive exterius sonans per prædicationem, sive interius monens per inspirationes; mutus ad confessionem peccatorum, & *S. August.* Dei laudes: eo miserior est, quo sui non miseretur. *Nihil enim miserius misero non miserente sibi*. Sæpe cadit in *S. Prosper. Carmine de Ingratis.* ignem, & crebro in aquam, &c,

Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid quo se ferat; & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis tumet, & timet: omnimodaque
Mobilitate ruens, in vulnera vulnere surgit.

Hoc est sæpe cadere in aquam, & crebro in ignem; in vitia contraria labi, quibus tamen finem malitiæ suæ propositum dæmon consequitur, ut scilicet perdat hominem. In statu autem adeo infelici positus peccator, Ecclesiæ Ministris offertur curandus, & a dæmone liberandus, qui operam sæpe in eo perdunt; sive quia omnino desertus est a Deo, & in reprobum sensum traditus, occulto Dei, sed justo judicio: sine quia illum sine ministerio hominum ad se convertere vult Christus, & ostendere, quod tantum miraculum

Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola efficit.

11. *Respondens autem Jesus ait: O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? afferte illum ad me*. Non quod tædio vel impatientia superatus sit mansuetus ac mitis Dominus patiens ac multum misericors; *sed quod in similitudinem Medici, si ægrotum videat contra præcepta sua gerere, dicat: Usquequo accedam ad domum tuam? Quousque perdam artis industriam, me aliud jubente, & te aliud perpetrante?* Non irascitur homini, sed vitio. Duriora videntur verba, cor mansuetudine & charitate plenum est, quam & opere demonstrat, puerum ad se afferri jubens, ut eum curet. Christum imitentur ejus Ministri, verbi divini Prædicatores, & conscientiarum Moderatores: & dum peccatores verbis severioribus increpare coguntur, charitatem & mansuetudinem in animo servent; eorumque curationi & liberationi cum patientia adlaborent. „ Dilige (*inquit* „ *S. August.*) & dic quod voles: nullo modo maledictum „ erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris sen„ seriisque, te in gladio verbi Dei liberatorem hominis „ esse velle ab obsidione vitiorum. “

12. *Et increpavit illum Jesus*, ut perduellem, ut hostem in malitia ita obduratum, ut ad bonum ultra flecti *S. August. in Epist. Ep. ad Gal. cap. 6.* non possit, & ad charitatem redire. *Prævaricatores* enim *Angeli nec mala possunt unquam carere voluntate, nec pœna*. Cum autem dæmoni comminatus esset Jesus, & præcepisset ut exiret a puero, nec in eum amplius introiret, *exiit ab eo dæmonium*, imperio Christi resistere non valens; *& curatus est puer ex illa hora*. Nescit tarda mo- *S. Fulg. l. de* limina Christi virtus, solo verbo, sola voluntate integram *Fide ad Petrum c. 3.* & perfectam sanitatem uno temporis momento restituit.

13. *Tunc accesserunt Discipuli ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dicit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram*. Metuere debent Christi Ministri, ne labores eorum in peccatorum conversione inanes & infructuosos efficiat fidei ac bonorum operum defectus: sibi ipsis imputare debent quod nullum vel exiguum fructum faciant, hinc coram Deo humiliari, fidei, spei, & charitatis augmentum ab ipso supplices postulare, orationi & bonis operibus ferventius vacare, si quem vero fructum faciant, nihil sibi, sed totum Deo adscribere: *Quia neque qui plantat, neque qui rigat est* *1. Cor. 3. 7.* *aliquid, sed qui incrementum dat Deus*. Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. „ Si Apostoli increduli, *S. Aug. ser.* „ quis fidelis? Quid facient agni, si titubant arietes? *8. alias inter editos a Sirmondo* „ Nec tamen eos misericordia Domini despexit incredu- 34. „ los: sed arguit, nutrivit, perfecit, coronavit, nam & „ ipsi memores infirmitatis suæ, quodam loco in Evan„ gelio dixerunt ei: DOMINE, adauge in nobis fidem. „ PRIMA utilitas erat, scire quod minus habebant: ma„ jor felicitas, scire unde petebant. “

14. *Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem, sicut*

sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. „

S. Ambr. l. 7. in Lucam n. 176. & 177.

„ Non exigua hæc, sed magna fides, quæ monti possit „ ut se transferat imperare, neque enim mediocrem fi- „ dem Dominus exigit ab Apostolis; quibus adversus al- „ titudinem extollentem se nequitiæ spiritalis scit esse „ certandum . . Granum sinapis certe res est vilis & „ simplex: si teri cæperit, vim suam fundit. Etiam fi- „ des primo simplex videtur: sed si teratur adversis gra- „ tiam suæ virtutis effundit, ut alios quoque qui vel au-

S. Aug. Tr. 40. in S. Jo. num. 8.

„ diunt vel legunt, odore sui compleat . . . . Magnum „ est quod incipit a fide, sed contemnitur. Fundamen- „ tum solet etiam in ædificio ab imperitis contemni. „ Fossa fit grandis, lapides quoquo modo passim mittun- „ tur, nulla ibi expolitio, nulla pulchritudo apparet: „ quomodo nec in arboris radice aliqua pulchritudo ap- „ paret: Totum tamen quicquid te delectat in arbore, „ de radice surrexit. Sed vides radicem & non delecta- „ ris: vides arborem, & miraris. Stulte, quod miraris, „ inde surrexit quo non delectaris. Parum aliquid vide- „ tur fides credentium, & non habes stateram unde ap- „ pendas. Audi ergo quo perveniat, & vide quanta „ sit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, &c. „ quid humilius, quid vehementius? quid minutius, quid

S. Hieron. in hunc locum.

„ ferventius? " Dicetis Monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, &c. *Montis translatio non ejus significatur quem oculis carnis aspiciemus, sed illius qui a Domino translatus fuerat ex Lunatico. Quod enim ait*, Dicetis Monti huic, Transi hinc, & transibit, *de dæmone intel-*

S. Aug. l. 1. Qu. Evang. Qu. 22.

ligitur. Dicetis Monti huic, Transi hinc, &c. *Ne illis miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare ut transiret.* Spiritum superbiæ ex corde peccatoris expellere, est montem transferre. Id magnæ fidei opus. Hæc autem fidei vis, fructus est orationum multarum atque ferventium, & diuturnæ pœnitentiæ ac mortificationis Christianæ.

15. *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*. Ad pravos habitus peccatorum vincendos, ad consuetudinem inveteratam peccati eradicandam, ad destruendas cupiditates quæ ab adolescentia hominis invaluerunt, ipsique dominantur, oratione opus est qua anima humilietur; & jejunio, quo caro mortificetur. A Confessario pariter & Pœnitente, arma illa Evangelica adhibenda sunt, ut malæ consuetudinis dæmon expella-

S. Leo ser. 85. 2. de Jejunio septimi Mensis.

tur. „ Nam in omni agone certaminis Christiani, utili- „ tas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam sævis- „ simorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus „ nullis exorcizantium fugantur imperiis, sola jejunio- „ rium & orationum virtute pellantur, dicente Domi- „ no: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio*

S. Jo. Chrys. Hom. 58. in Matt.

„ *& oratione*. Grata ergo est Deo, & terribilis diabolo „ jejunantis oratio: nec latet quantum acquirat saluti „ suæ, quæ tantum præstat alienæ. Nec dicas, quod „ absque jejunio aliquando ejecti sunt dæmones. Si enim „ unus aut alter sic expulit, impossibile tamen est ut qui „ in deliciis vivit, a dæmonis furore liberetur: hujusmo- „ di enim morbo laborantibus, jejunio maxime opus est. „ Sed si fide opus est, inquies, cur jejunare oportet? „ Quia una cum fide non parvas vires affert jejunium: „ Angelum ex homine facit, & potestatibus incorporeis „ mirum in modum reluctatur: quamvis non jejunio so- „ lum, sed oratione quoque opus sit. Qui orat & jeju- „ nat ut oportet, is multis rebus non indiget: qui vero „ multis non indiget, numquam fit avarus: & qui non „ est avarus, pronior semper ad misericordiam erit. Qui „ jejunat, levior est, & vigilanter orat, & cupiditatis „ incendia extinguens, ac animam suam humilians, fa- „ cile Deum placat. Idcirco & Apostoli fere semper „ jejunabant. Qui orans jejunat, binas habet alas, qui- „ bus ventos ipsos volando prætervehitur; non enim osci- „ tat, nec torpet orando, quod multis contingit; sed „ igne ardentior & terra superior est: quare terribilis „ hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est homine pro- „ be orante potentius. Nam si mulier crudelem judicem, „ qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur, flectere „ potuit: multo magis propitium Deum faciet, qui con- „ tinue orationi adhærens, ventrem superat, & delicias „ spernit. Si vero imbecillis corpore jejunare semper non „ potes, non eris tamen ad orandum infirmus, neque ad „ condemnandas ventris delicias invalidus. Jejunare qui- „ dem non potes, sed non vivere in deliciis potes, quod „ non magno intervallo a jejunio distat. Sed sufficit eti- „ am hoc ad furorem diaboli reprimendum, cui nemo „ magis amicus est, quam qui deliciis & ebrietate ma- „ culatur. Hic enim fons, hæc mater atque origo vitio- „ rum omnium est. "

16. *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Dictum est ab Apostolo: *Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me*. Dictum est de Patre: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. „ Si ergo Pater Filium tradidit, *S. August. Enarrat. in Psalm. 69.*

„ & Filius semetipsum tradidit, Judas quid fecit? Pater „ tradendo Filium ad mortem pro nobis, bene fecit: „ Christus tradendo seipsum pro nobis, fecit bene: tra- „ dendo Judas Magistrum suum pro avaritia, fecit ma- „ le. Non enim quod nobis præstitum est de Passione „ Christi, malitiæ Judæ deputabitur. Habet ille merce- „ dem malitiæ, Christus laudem gratiæ. " *Et contristati sunt vehementer*. De peccatis nostris, quæ causæ fuere mortis Christi, vehementer dolendum est: adversus nos ipsos irasci debemus, magis quam adversus Judæos & ejus carnifices: mortem ejus in nos ulcisci per pœnitentiam, (Pœnitens enim est Homo sibi iratus) corpus peccati in nobis destruere, crucique affigere. Dolere debemus supra modum miseriam nostram, quæ tanta est, ut mors Filii Dei ad liberationem nostram ac salutem necessaria fuerit: sed gaudere debemus, quod tanta sit in nos Dei miseratio, ut nasci & mori dignatus sit pro nobis. *Filius hominis tradendus est in manus hominum*, &c. „ Numquid iniquitas persequentium Christum *S. Leo ser. 65. de Passione Dom. 16.*

„ ex Dei est orta consilio; & illud facinus quod omni „ majus est crimine manus divinæ præparationis arma- „ vit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est: „ quia multum diversum multumque contrarium est id „ quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & „ quod in Christi est Passione dispositum. Non inde „ processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de „ uno spiritu extitit atrocitas sceleris, & tolerantia Re- „ demptoris. Impias furentium manus non immisit in se „ Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod facien- „ dum esset, coegit ut fieret; cum tamen ad hoc car- „ nem suscepisset, ut fieret. "

17. *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait? Etiam. Et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? At ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad Mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te*. Humilitas Christi damnat superbiam hominis pro juribus sive privilegiis temporalibus ardentiori studio fastuque contendentis & litigantis. Genus omne subjectionis non refugit, ut homines subjectionem amare doceat, & Potestatibus parere, gloriamque suam in sola libertate a peccato constituere, qua libertate Christus nos donavit, quæ *libertas est gloriæ filiorum Dei*. Sicut Circumcisionem accepit, ut Legem impleret, & ad Ba- *S. Ambros. Epist. 7. ad Justum.*

ptismum venit ut impleret omnem justitiam: ita etiam didrachma exigentibus solutionem non recusavit, statim staterem pro didrachmo jussit pro se & pro Petro dari. Maluit enim supra Legem solvere, quam id quod Legis erat, negare. A tributo & censu immunis erat Christus ut Filius Regis Regum, omniumque Dominus, sed *Ut nobis sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Jubentur autem etiam servi Christiani, & boni Fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire, quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint; aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum Dominum conversi fuerint.* *S. August. lib. de catechizandis Rudibus c. 21.*

Ut autem non scandalizemus eos, &c. Charitatis officium est de juribus suis aliquid remittere, ne infirmi offendantur; cupiditatis vitium est, contempto pusillorum scandalo, pro bonis ac juribus nostris temporalibus vehementius contendere. „ Multa sunt autem facienda non *S. Aug. lib. 1. de Conjugiis cap. 4.*

„ jubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in no- „ stris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis etiam „ non implere, tamen causa dilectionis impendimus: unde „ prior ipse Dominus cum se tributum non debere mon- „ straret, solvit tamen, ne scandalizaret eos quibus ad „ æternam salutem gerens hominem consulebat. "

Invenies staterem: da illis pro me & te. Staterem, id est, quatuor drachmas invenies in ore piscis: *Da eis pro me, & te*. Ecclesiæ enim meæ personam geris, *S. August. serm. 155. alias de Verbis Apostoli 6.*

Sponsæ meæ, cum qua mihi communio bonorum est. *Quid est, pro me & te? Ipse Christus, Petrus, Ecclesia Christi, Ecclesiæ quatuor Evangelia. Mysterium latebat, Christus tamen tributum non debitum persolvebat: sic persolvit & mortem: non debebat, & persolvebat. Ille nisi indebitum solveret, numquam nos a debito liberaret.* Solve debita mea Patri tuo, Domine Jesu, quia solvendo non sum satis: nihil habeo quod meum sit, præter peccata: impotentiam meam supple immensa charitate & infinita misericordia tua ex pretio Sanguinis tui, pro me in Cruce effusi.

CAPUT XVIII.

Sensus Litteralis.

1. IN *illa hora, accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in Regno cœlorum?* Cum Apostoli Christum de Morte & Resurrectione sua frequenter loquentem audivissent, qua peracta, Regnum Christi non mere spirituale, verum etiam adspectabile, quale futurum Judæi omnes sperabant, inchoatum iri arbitrabantur: cum aliunde Zebedæi filii Christo magis familiares, *Lucæ* 9.49. nt sanguine propinquiores, Petro claves Regni cœlorum *Marci* 9. viderent singulariter promissas; subierat eorum animos co- 32. 33. gitatio, quis eorum major esset: qua de re & in via jam contenderant. Jesus autem eorum cogitationes, & contentionem perspectas habens, interrogavit eos, (cum venissent Capharnaum, & domi essent) qua de re tractassent in via. Primum autem præ verecundia tacuerunt, mox confidentius proposuerunt quæstionem: *Quis putas, major est in Regno cœlorum?* Quis in Regno tuo dignitate, auctoritate, honore e te secundus erit principemque locum obtinebit? Præcipua scilicet Regni munia sibi domesticis Regis conferenda confidebant, sed æmulationis ingenio interrogabant: quis eorum major futurus esset.

2. *Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœ-* *Marci* 9.33 *lorum.* Jesus autem desiderium gloriæ ambitionemque vo- *Lucæ* 9.44. lens in animis Discipulorum suorum humilitatis contentione sanare, puerulum advocans, eumque *complexus*, statuit eum in medio eorum *secus se*. Hac autem adhibita conspicua imagine, sententiam quæ sequitur, eorum animis ac memoriæ altius imprimit. *Amen dico vobis*, inquit, nisi mutaveritis affectum, *& conversi fueritis* ab ea quæ vos tenet ambitione ad humilitatem *& efficiamini sicut parvuli*, tales scilicet innocentia, simplicitate, modestia, quales illi ætate, ambitionis omnis & æmulationis expertes; *non intrabitis in Regnum cœlorum*. Tantum abest ut primas sedes habituri sitis, quod ne locum quidem ullum habebitis in Regno cœlorum, in gloria, in quam per Resurrectionem intrabo.

3. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno cœlorum.* Quicumque ab omni fastu, superbia, ambitu penitus alienus fuerit, & de se demisse senserit, talem animi proposito & affectu se exhibens, qualis puer iste natura est: hic in Regno cœlorum maximus erit.

4. *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Quisquis hospitio susceperit, vel quovis alio beneficentiæ genere prosecutus fuerit unum ex his qui in me credunt, & qui parvulis humilitate similes sunt, eo nomine quia meus est, ad rei exemplum humiliatus, parem apud me gratiam inveniet, parque premium referet, ac si me ipsum suscipiet. Cum enim membra mea sint, mihi imputo collata in ipsos beneficia.

5. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Qui uni ex his parvulis, ex fidelibus ad simplicitatem infantiæ reversis, & humilitatis meæ speciem circumferentibus offendiculo fuerit, eique occasionem ruinæ in via justitiæ quovis modo præbuerit, seu falsa doctrina, seu pravis exemplis, suasione, vi, contemptu, injuria qualibet: illi magis expediret, ut prægrandi saxo molæ, quam asinus velatis oculis gyrando versat, ad collum ejus alligato, in mare ad certum interitum mergeretur, quam ut tale peccatum committeret. Sive autem apud Judæos istud supplicii genus usitatum fuerit, in Palæstina præsertim, ut S. Hieronymo placet; aliis repugnantibus, quod nulla ejus in Lege mentio extet, solaque quatuor supplicia apud eos nota fuisse ex omni historia appareat; ignem, lapidationem, gladium, strangulationem: sive a vicinis Syris tractum sit hoc loquendi genus: eadem sententiæ Christi vis est, ex gravitate & horrore supplicii, quam grave peccatum sit scandalum infirmorum, ostendentis. Quamvis autem generalis hæc sententia videatur, & ad omnes pertineat qui proximis offendiculum præbent in via salutis, Apostolos tamen etiam perstrinxisse Christus videtur; qui inter se de dignitate contendentes, interroga- *S. Hieron.* bant, quis major esset in Regno cœlorum: *Et si in hoc* *in hunc* *vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant,* *locum.* *per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare.*

6. *Væ mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Mala extrema, summaque pericula humano generi impendent: tum iis qui aliis offendicula creant, eisque præbent occasionem lapsus & peccati: tum iis qui offensi aliorum improbitate a via salutis & justitiæ deflectunt. Necesse quidem est ut veniant scandala, necesse (inquam) non absoluta necessitate, sed conditionis & consequentiæ, spectata hominum malitia, invidiaque diaboli: sed & maxima offendicula a Deo permitti, æquum, rectum, utileque fuerit, ut integri a fictis, constantes a levibus discriminentur. Melius enim judicat ex malis benefacere, quam mala nulla permittere. Verumtamen gravissimi peccati reus est, gravique pœnæ obnoxius, qui aliis causam vel occasionem ruinæ, impedimentumque salutis objicit: non enim coactus, aut absoluta necessitate impulsus, sed libero pravæ voluntatis arbitrio id committit. *Necesse est ut veniant scandala.* Quod omnino eventurum *S. Jo. Chrys.* est prænuntiat: nec quia futura scandala prædixit, idcir- *Hom. 60. in* co veniunt; sed quoniam ventura erant, & a pravis ho- *S. Matth.* minibus ereanda, idcirco prædixit.

7. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Argumentum est sumptum a minori ad majus. Præcipua etiam, maxime necessaria, & charissima corporis membra præcidenda essent, ut æternæ damnationis pœna vitaretur, cum mortis in hoc sæculo vitandæ causa id ipsum fieri soleat: quanto magis abjiciendi sunt a nobis, quicumque nos ad peccatum sollicitant, & spiritualis ruinæ nobis occasionem præbent, ac impedimento sunt ad salutem, quantumcumque nobis necessarii, vel utiles videantur, nobisque charissimi sint? Vide quæ in similem sententiam diximus superius ad Cap. 5. num. 26.

8. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, Quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Cavete ne contemnatis vel minimum e numero fidelium ac justorum. Non solum ait, ne scandalizetis, ne offendatis; sed *ne contemnatis*: quia ex contemptu proximi quodlibet offensionis & injuriæ ipsi illatæ genus, & salutis illius negligentia originem ducit. Ne vero leve peccatum esse putetis hujusmodi contemptum: Tanta enim Deo cura est de unoquoque pusillo, ut Angeli singulorum custodiæ a Deo assignati, Deum Patrem meum, *non per speculum*, sed *sicuti est*, semper contemplentur; nec eos a beata illa visione ministerium & custodia hominum distrahat usquam & interpellet. Cum igitur Deo proximi sint & familiarissimi, & in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, velut inter Deum atque homines comeent, ad Deum referentes causam & res illorum, quorum ipsis commissa custodia est: non dubium quin accusent contemptores pusillorum, & Dei vindictam in illos arcessant.

9. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* Mirum videri non debet quod Deus Angelos singulorum hominum custodiæ deputaverit; siquidem (quod multo majus est, & insigne oris beneficentiæ) Filius ipse Dei ad eorum redemptionem & salutem missus sit a Patre. Quod si Deus Filium suum misit, ut aversos a se homines, peccatoque perditos salvaret; quanto magis non vult eorum saluti offendicula & impedimenta objici, illosque scandalis perire, pro quibus Christus mortuus est?

10. *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Vos ipsos testes appello ac judices: si quis centum ovium grege dives fuerit, & una illarum erraverit, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, ubi pascuntur, alterius custodiæ commissæ & sollicite quærit errantem? quam si forte inveniat, majori gaudio afficitur ob illius recuperationem, quam ob ceterarum possessionem, quamvis totum gregem pluris æstimet illa una quæ erraverat. Ubique enim majus gaudium molestia *S. Hilar. c.* majori præceditur. Ita non vult Pater vester cœlestis ut *18. in Mat.* vel unus ex istis minimis & humilibus pereat. Quamo- *S. Jo. Chry-* brem ipsi maxime displicent, eumque graviter offendunt, *sost. Hom.* qui offendicula & scandala illis creant, eosque a trami- *68. S. Greg.* te veritatis, justitiæ, & salutis avertunt. Nonaginta no- *Hom. 24.* vem oves plerique veterum Patrum Angelos sanctos intel- *& c. Luc. 5.* ligunt, qui homines numero incomparabiliter superant, & Deo firmiter ac inseparabiliter in gloria cœlesti per Montes figurata adhærent: unam ovem, humanum genus, quod peccando erravit. Alii in nonaginta ovibus justorum putant numerum intelligendum; & in una ovicula, peccatorum, secundum quod alio loco dixerat Christus: *Non veni vocare justos, sed peccatores: non enim opus habent sani Medico, sed hi qui male habent.*

11. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non solum proximos offendendos, aut contemnendos non esse docet Christus, sed etiam ipsis succurrendum charitatis & prudentiæ Christianæ officiis, ut resipiscant, si quando nos læserint. *Si peccaverit in te frater tuus*: Si Christianus ejusdem tecum fidei ac Religionis professor, injuriam tibi fecerit, seu ex errore & ignorantia, seu ex humana imbecillitate, seu ex malitia, *Vade*, ne expectes ut culpam agnoscat, ve-

niam-

niamque petat, noli negligere peccatum ejus, aut ad peccati illius divulgationem, aut accusationem, vel vindictam prorumpere; sed cum charitate & benignitate *corripe inter te & ipsum solum*, sine ullis arbitris, ejus pudori, famæque parcens. *Si te audierit*, fraternaque correptione tua emendatus, peccati sui pœnitentiam egerit, *lucratus eris fratrem tuum*, qui peccando perierat: ipsum, inquam, lucratus eris Deo, a quo alienus erat, & cui eum reconciliasti; sibi, qui salutem æternam, a qua per peccatum exciderat, te monitore & auctore recuperat; tibi, qui ex inimico amicum fecisti, & illum in viam salutis reducendo, æternæ salutis tuæ negotium pariter agis. Non solum autem in injurijs nobis illatis dominicum illud de fraterna correctione præceptum intelligendum est, verum etiam in peccatis quæ adversus alios, & multo magis in iis quæ contra Deum committuntur: sed dixit, *si peccaverit in te*, quia tunc acerbi disertique reprehensores esse solemus, cum eos qui contra nos peccaverunt, objurgamus. Injuriis enim nostris magis afficimur, quam alienis: immo, (quæ voluntatis nostræ depravatio est) magis quam injuriis Deo illatis. Christus igitur ibi nobis frænum sapientissime injecit, ubi maximum periculum erat ne præcipites in vindictam ageremur: verumtamen ex una peccatorum specie totum genus intelligendum est, nisi quid aliunde obstet quo minus fraterna correptio privatim adhibeatur: ut si levius peccatum sit, aut si grave quidem, sed statim ac sponte resipiscat peccator: vel sit in peccato obstinatus, ut nulla spes affulgeat emendationis: aut peccatum sit publicum. Quæ enim
1. Tim. 5. 20 peccantur coram omnibus, ipsa arguenda sunt coram omnibus. *Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant.*

12 *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum.* Si te non audierit, peccatum negans, defendens vel excusans, aut certe in eo perseverans, tecum unum vel duos viros assume, honoris Dei fraternæque salutis studiosos, quos apud eum auctoritate valere putes: ut eorum testimonio se peccasse persuasus, & pudefactus resipiscat; vel Ecclesiæ Tribunal timeat, in quo duorum vel trium testimonio convinci contumaciæ potest, secundum Legem in qua scriptum est: *Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

13. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem*
Deut. 19. 15 *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Causam ad Ecclesiam refer, sive ad Præsulem & Rectorem Ecclesiæ, cui ligandi solvendique do potestatem, quam exercet ipse & administrat, ut illius personam gerens, Ecclesiæ scilicet: recte declarari & denunciari dicitur, quod ejus Præpositis denunciatur, sicut corpus videre dicitur, cum soli videant oculi. *Si autem Ecclesiam non audierit*, id est, Pastorem Ecclesiæ monentem & redarguentem, eique non paruerit, sed contumax perseveraverit in peccato: *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Eo loco habe, quo Judæi Ethnicos & Publicanos, quos Synagogis excludunt, & ne cibum quidem cum ipsis sumunt, sed ab omni eorum consortio, non solum in negotiis Religionis, sed & consuetudinis hujus vitæ abstinent. Postremus hic est correptionis gradus, quo peccator contumax ab Ecclesia præciditur excommunicationis gladio, Pastoris qui Ecclesiæ præest sententia, & *in nomine Domini nostri Jesu*
1. Cor. 5. *Christi, & cum ejus virtute, traditur Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Ea autem severitas exercetur, cum ut peccatoris contumacia frangatur, & amariore medicina sanetur æger pene desperatus; tum ut aliorum membrorum saluti consulatur, auferendo malum, & morbidam ovem, quæ alias facile inficeret, a grege separando: & ne modicum fermentum totam massam corrumpat.

14. *Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Vobis Apostolis meis, vestrisque in Ecclesiæ meæ regimine successoribus dico ut rem certissimæ veritatis: *Quæcumque alligaveritis super terram*; sive homines, in foro exteriori, Excommunicationis vinculo; sive peccata, in foro interio-
S. Hil. cap. 18. in S. Mat. num. 8. ri Pœnitentiæ, Absolutionis negatione: *erunt ligata & in cœlo*, id est, in Dei judicio, Ministrorum suorum sententiam ratam habentis. *Et quæcumque solveritis super terram*, in utroque Tribunali, peccata vel pœnas remittentes & condonantes potestate clavium, quas Ecclesiæ meæ, & ejus Rectoribus, in Petro illius personam gerente, tradidi, *erunt soluta & in cœlo.* Hinc S. Hilarius hunc locum explicans: „ Ad terrorem autem metus maximi, *inquit*, quo in præsens omnes continerentur, „ immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut „ quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis in„ nexos reliquerint, & quos solverint, Confessione vide„ licet veniæ receperint in salutem; hi Apostolicæ con„ ditione sententiæ in cœlis quoque aut ligati sint aut
S. Hieron. in „ soluti. “ Potestatem igitur Christus tribuit Apostolis, hunc locum. & eorum successoribus, *ut sciant qui a talibus condemnantur, humanam sententiam divina sententia roborari; & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo.* Lazarus processit de monumento vivus, & ambulare Jo. 2. 44. non poterat. Et Dominus Discipulis dixit: *Solvite eum, & sinite abire* Ille suscitavit mortuum, illi solverunt li- S. Aug. ser. 98. alias de gatum. Aliquid pertinere videte ad propriam majestatem Verbis Dei suscitantis. „ Increpatur aliquis in mala consuetudi- mini 44. „ ne positus, verbo veritatis. Quam multi increpantur, cap. 6. „ & non audiunt! Quis ergo agit intus cum illo qui „ audit? quis vitam inspirat intrinsecus? quis est qui se„ cretam pellit mortem, secretam dat vitam? Nonne post „ objurgationes, post increpationes dimittuntur homines „ cogitationibus suis, & incipiunt secum volvere quam „ malam vitam gerant, quam pessima consuetudine pre„ muntur? Deinde displicentes sibi, mutare vitam insti„ tuunt. Resurrexerunt isti; revixerunt quibus displicet „ quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. „ Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut qui „ revixit, solvatur, & ire permittatur. Hoc officium „ Discipulis dedit, quibus ait: QUÆ solveritis in ter„ ra, soluta sunt & in cœlo. “

15. *Iterum dico vobis, Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.* Concordiam commendat, quam spectabat correptio: simulque tacitum a minori ad majus argumentum ducit: Si quicquid duo meo Spiritu concordes, non quæ sua sunt, sed quæ Dei, quærentes, petierint, illud a patre meo qui in cœlis est, impetrabunt: multo magis Ecclesiæ judicium ratum habebit, ligabitque quæcumque super terram ligaveritis, solvet quæcumque solveritis. Hæc autem de oratione Christus adjecit: quia & ad ligandi solvendique potestatem recte exercendam necessaria est, & ab Ecclesiæ Ministris præmitti debet sacri judicii administrationi, ad gratiam impetrandam peccatori, qua convertatur & vivat. Necessaria etiam est, ut correptio fraterna sit salutaris ei qui corripitur. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra,* Jacobi 5. 16 *& orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Si DUO *ex vobis consenserint super terram*, ad orationem convenerint unanimes, super terram, ubi necessitas est attollendi oculos in cœlum, unde veniat auxilium a Domino: *de omni re quamcumque petierint*, sive parva sit, sive magna; sive facilis, sive difficilis, *fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.* Concedetur illis quod petierint. *Si duo ex vobis*, id est, *si vel duo tantum.* Quamobrem si fratrem in peccato præfractum & contumacem non corrigat vel reprimat Ecclesiæ auctoritas, unicum vobis remedium superest, concors scilicet pro conversione illius oratio.

16. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ubi plures simul convenerint ad postulandam a Deo vel tractandam rem quamcumque, vel ad judicandum causas Fidei, aut Disciplinæ, *in nomine meo*, auctoritate mea, invocato auxilio meo, propter gloriam meam, utilitates Ecclesiæ meæ, animarum salutem: *ibi sum in medio eorum*, eis præsto sum consilio & auxilio. Hinc argumentum eruitur pro legitima Conciliorum in Christi nomine congregatorum auctoritate, quæ sunt, *repræsentationes totius nominis Christiani.* Hinc Tertullian. Sanctus Cœlestinus I. ad Patres Ephesini Concilii Gene- Act. 2. Ephe- ralis scribebat: *Spiritus sancti testatur præsentiam congre-* sini Conci- *gatio Sacerdotum. Verum est enim quod legimus, quia nec* lii. *potest Veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est*: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. „ Quod cum ita sit, „ si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, „ quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in „ unum convenit tanta turba Sanctorum? Sanctum nam„ que est pro debita sibi veneratione Concilium, in quo „ utique nunc Apostolorum frequentissimæ illius, quam Act. 5. „ legimus, congregationis aspicienda reverentia est. „ Numquam his defuit Magister, quem receperant præ„ dicandum: Adfuit his semper Dominus, & Magister, „ nec docentes a suo Doctore deserti sunt umquam. Do„ cebat ille qui miserat; docebat, qui dixerat quid docerent; „ docebat qui in Apostolis suis se confirmat audiri. *Et* S. Greg. lib. „ *S. Greg. M.* Ne qua inter Fratres dissensio, ne qua 7. Epist. 111 „ inter Præpositos & subjectos sint fomenta discordiæ, „ in unum convenire Sacerdotes necesse est, ut & de „ incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ec„ clesiastica observatione collatio: quatenus dum per hoc „ & præterita corriguntur, & regulam futura suscipi„ unt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia „ collaudetur. Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc ob„ servabitis, scitote; quia scriptum est: Ubi fuerint „ congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in me„ dio eorum. *Si ergo adesse dignatur ubi duo vel tres fue„ rint, quanto magis non deerit, ubi plures convenerint* „ *Sacerdotes?* “

17. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies.* Christus fraternæ correptionis præceptum tradens, simul injuriæ condonationem

tionem ſinceram præcepit, non illam ſolum qua vindictam remittimus, ad quam ſemper animus Chriſtiani paratus eſſe debet, ſed & eam qua in priſtinum amicitiæ gradum reſtituimus eum qui in nos peccavit, ſi veniam petat. Luc. 17. 3. 4. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens; pœnitet me: dimitte illi.* Hinc Petrus occaſionem ſumpſit interrogandi Chriſtum: *Domine, quoties peccabit*
Luc. 17. 4. *in me frater meus, & dimittam ei? Uſque ſepties?* Forſan toties peccet, ut venia prorſus indignus videatur, cui indulgentia mea incentivum tribuat delinquendi. Quoties igitur in me peccanti condonare debeo? *Uſque ſepies?* quod Chriſtus infinite dixit, *ſepties*, id Petrus definite intellexit, *uſque ſepties?* Non quotidie ſepties, ut Chriſtus dixerat, ſed ſepties per totam vitam. Septies enim in die injuriam fratri condonare, plus æquo illi videbatur ex carnis ſenſu, & ex traditione Judæorum,
Bab. Homa. fol. 80. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matt. c. 18. Verſ. 21. qui *Homini in alterum peccanti ſemel remittunt, ſecundo remittunt, tertio remittunt, quarto non remittunt.* Reſpondit autem Jeſus Petro: *Non dico tibi, uſque ſepties: ſed uſque ſeptuagies ſepties*, id eſt, ad numerum uſque ſeptuagies ſeptenum, ſive quadringentis nonaginta vicibus, hoc eſt, in infinitum: quotieſcumque peccaverit, & veniam rogaverit. Ceterum quod hic de donandis offenſionibus a Chriſto dicitur, ad pœnæ quoque condonationem minime pertinet. Ordo enim publicæ diſciplinæ, juſtitiæ, immo & charitatis ſæpe poſtulat ut peccator plectatur, ne vel ipſi vel aliis, ſed Eccleſiæ maxime, vel Reipublicæ nimia indulgentia noceat. *Ignoſcendi miſericors manſuetudo, propter quam dictum eſt, non ſolum ſepties, verum etiam ſeptuagies fratri remittenda eſſe peccata, non ad hoc valet ut ſit iniquitas impunita, aut torpens & dormiens diſciplina, quod potius obſit quam diligens vigilanſque vindicta. Claves quippe Regni cœlorum ſic dedit Chriſtus Eccleſiæ, ut non ſolum diceret*, Quæ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; *ubi apertiſſime bonum, non malum pro malo reddit Eccleſia: verum & adjungeret*, Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo; *quia bona eſt & vindicandi juſtitia. Illud enim quod ait*, Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus: *gravius eſt quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur. Nam ibi quoque ſubjunxit*, Amen dico vobis, quæ ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: *ut intelligeretur, quam gravius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus . . . Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amarius & infelicius Eccleſiæ clavibus, quam quibuslibet graviſſimis & duriſſimis ferreis vel adamantinis nexibus.*

„ 18. Ideo aſſimilatum eſt Regnum cœlorum homini
„ Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et
„ cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus,
„ qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non
„ haberet, unde redderet, juſſit eum dominus ejus ve-
„ nundari, & uxorem, & filios, & omnia quæ habebat,
„ & reddi. “ Ideo declaro vobis, ita ſe rem habere in
Quadraginta ſex millia millium librarum monetæ Gallicæ. Regno cœlorum, ac ſi Rex aliquis rationes a ſervis ſuis, ſeu miniſtris, quibus bonorum ſuorum adminiſtrationem crediderat, exigere voluerit. Et cum rationes conferre cœpiſſet, oblatus eſt ei unus decem millium talentorum debitor, ſummæ immenſæ. Qui cum ſolvendo non eſſet, juſſit eum dominus ejus, jure creditoris, & more apud Judæos recepto, venundari cum uxore, & filiis, & bonis univerſis; & conflatam ex omnium venditione pecuniam in ærarium ſuum inferri, diſpungique debitum.

19. *Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Procidens autem ſervus ille ad pedes domini, tempus ſolutionis ſibi prorogari ſupplex orabat. *Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Dominus incredibili miſeratione & libertatem, & totum debitum ipſi donavit, plus concedens quam ipſe peteret.

20. *Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios*, ſummam in-
Triginta tres circiter libras monetæ Gallicæ. comparabiliter minorem; *& tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.* Injecta in fauces ejus manu, arcte premebat ac pene ſtrangulabat, ut ad ſolutionem adigeret. *Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Eadem omnia ſupplicis officia conſervo creditori exhibuit, quæ ipſe mox exhibuerat communi domino, & prorogationem pariter poſtulavit. *Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Non ſolum noluit donare debitum, ſed ne quidem tempus prorogare: ſed abiens, eum in carcerem miſit, donec ſolveret. *Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valde*, tum ob creditoris immanitatem, & ingrati animi vitium, tum ob infelicitatem debitoris: *& venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.*

21. *Tunc vocavit illum dominus ſuus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Debitum ingens, non ex parte, ſed totum tibi miſericorditer donavi, quia ſupplex miſericordiam efflagitaſti: *Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Oportuit te ſervum domini tui clementiam imitari, erga conſervum tuum miſericordia commoveri, cum ipſo dure & crudeliter non agere, ut ad minutæ ſummæ ſolutionem adigeres. *Et iratus dominus ejus*, nec ſolum creditoris jure uſus, ſed & judicis, *tradidit eum tortoribus*, carcere, aliiſque pœnis cruciandum, *quoad uſque redderet univerſum debitum*: quia factæ ſibi condonationis beneficium reſcindi & auferri ſibi meruerat ingrati animi in dominum crimine, & inhumanitate in conſervum. Dimittendas fratribus injurias in nos commiſſas, hac Parabola Chriſtus docet, ex qua id colligit.

22. *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Simili modo ſe geret erga vos Pater meus cœleſtis, pari ſeveritate vobiſcum aget, ſi in remittendis injuriis fratribus veſtris, homiuibus quibuſcumque, qui fratres veſtri ſunt *Jure naturæ matris unius* omnium, & maxime Chriſtianis, qui *eumdem Patrem agnoverunt Deum, & biberunt eumdem Spiritum ſanctitatis*, vos difficiles & duros præbueritis; & non donaveritis offenſas plene, ſincere, ex animo. *Tertull*

SENSUS MORALIS.

1. ACCESSERUNT *ad Jeſum Diſcipuli, dicentes: Quis putas, major eſt Regno cœlorum?* Cupiditas gloriæ noviſſima hominis exuitur. *Hoc ipſo perniciosior ambitio, quod blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum; & ſæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubvertere, facit ambitio criminoſos.* Ardentior plerumque eſt & impotentior in Eccleſia, & in Monaſterio, quod regnum eſt humilitatis, quam in mundo quod regnum eſt ſuperbiæ. Quis non timeat, ubi Apoſtolos in ſchola Chriſti inſtitutos, hac tentatione concuti videt prius quam Sp. Sanctum accepiſſent, & contendere quis eorum videretur eſſe major? Tu vero non ſolum modo illorum defectum conſidera, ſed illud quoque tecum expende, primum quod nulla eis de rebus hujus ſæculi quæſtio eſt: deinde quod poſtea hac quoque tentatione ſuperata alter alteri in primatu cedebat. Nos vero neque ad hos eorum defectus pervenire poſſumus, nec quis futurus ſit Major in Regno cœlorum, ſed quis in terris major ſit, quis ditior, quis potentior quærimus. Fumum conſectamur, non ignem qui Deus noſter eſt; vanitatem, non charitatem, & ideo deficimus, evaneſcimus in cogitationibus noſtris, & vana magnitudine perimus. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* „ Fumus a loco ignis erumpens in altum ex-
S. Ambr. lib. 4. in Lucam n. 31.
S. Jo. Chryſ. Hom. 59. in Matth.
Pſal. 36. 15.
„ tollitur, & ipſa elatione in globum magnum intume-
„ ſcit: ſed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit
„ vanior: “ *Ab illa enim magnitudine non fundata & ſolidata, ſed pendente & inflata, in auras dilabitur, ut videas ipſam ei obfuiſſe magnitudinem. Quanto enim plus erectus eſt, quanto extentus, quanto diffuſus undique in majorem ambitum, tanto fit exilior, & deficiens, & non apparens.* Sic ambitioſus in tumorem ſuperbiæ culmine poteſtatis excreſcit, & dum ei honorum & dignitatum deſiderio & conſecutione animus inflatur, *in luxum ſuperbiæ ipſo faſtigio lenocinante corrumpitur.* INIMICI *vero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*
Aug. Enarr. in Pſal. 36. ſerm. 2.
S. Greg. M. 1 p. Paſtor. c. 3

2. *Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum. Et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Non ſe ipſum, ſed parvulum velut exemplar innocentiæ & humilitatis Chriſtus Diſcipulis proponit. Nos vero ad puerum illum admirabilem fide aſſurgamus, ad Filium unicum Dei pro nobis incarnatum, de quo ſcriptum eſt, *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*: Qui ſtatuit ſe in medio noſtrum, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, ut nobis humilitatis exemplum præberet. Diſcipulis porro ſuis non præcipit ut ætatem habeant parvulorum, ſed ut innocentiam, & quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam; ut malitia, non ſapientia parvuli ſint. Sed heu! Chriſtiani plurimi levitate, rerum ſenſibilium amore, pauciſſimi innocentia, ſimplicitate, ignorantia mali, docilitate, bumilitate pueri ſunt. *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.* Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. *Pueros autem credentes omnes per audientiæ fidem nuncupavit. Hi enim patrem ſequuntur, matrem amant, proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum aſſumpta in nobis & conſuetudo & voluntas, cœlorum iter pervium præſtat.* Revertendum igitur eſt ad ſimplicitatem infantium: *quia in ea collocati, ſpeciem humilitatis Dominicæ circamferemus.* In Chriſtiana infantia proficiendum & perſeverandum eſt: numquam illa deponenda & exuenda eſt ut infantilis ætas. Chriſtiani
S. Hieron. in hunc locum.
1. Cor. 14. 20
S. Hil. cap. 18. in S. Matth.

stiani etiam senes debent esse pueri. *Omnes qui in veri-*
5. Clemens Alexand. l. 1. Pædagogi cap. 5. *tate versantur, esse apud Deum pueros*, Clemens Alexandrinus demonstrat: *Nos*, inquit, *pueri sumus*. Quod ipse Dominus declarat, dicens: *Nisi conversi fueritis, & efficamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum*: Non regenerationem hic significans, sed quæ pueris inest simplicitatem, ut ejus similitudinem referamus, commendans ....., Qui itaque infantes sumus, humi non „ amplius volutamur, neque ut antea serpentum more in „ terra serpimus, toto corpore in stultis cupiditatibus „ provoluti; sed mente sursum erecti, mundoque & pec„ catis renunciantes, suspenso pede eatenus terram tan„ gentes, quatenus in mundo esse videamur, sanctam „ persequimur sapientiam. Hæc autem videtur esse stul„ titia iis, qui se ad calliditatem & versutiam exacue„ runt. Jure ergo sunt pueri, qui Deum solum patrem „ noverunt, simplices infantes, integri ac innocentes. „ *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum* „ *cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvu-*
S. Leo ser. de Epiphania 7. c. 3. & 4. „ *lus iste, hic est major in Regno cœlorum*. Amat Chri„ stus infantiam, quam primum & animo suscepit, & „ corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magi„ stram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. „ Amat Christus infantiam, ad quam majorum dirigit „ mores, ad quam senum reducit ætates; & eos ad suum „ inclinat exemplum, quos ad Regnum sublimat æter„ num. Ut autem plene valeamus agnoscere, quomodo „ apprehendi possit tam mira conversio, & in puerilem „ gradum qua nobis mutatione redeundum sit; doceat
1. Cor. 14. 20. „ nos beatus Paulus, & dicat: *Nolite pueri effici sensi„ bus, sed malitia parvuli estote*. Non ergo ad ludicra „ infantiæ & imperfecta nobis primordia revertendum „ est, sed aliquid quod etiam graves annos deceat, inde „ sumendum est, velox commotionum transitus, citus „ ad pacem recursus. Nulla sit memoria offensionis, nul„ la cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis, æqua„ litas naturalis. Magnum enim bonum est, nocere non „ nosse, & ad maligna non sapere; quia inferre ac re„ ferre injuriam, mundi hujus prudentia est: nemini au„ tem malum pro malo reddere, Christianæ est æquani„ mitas infantiæ. "

S. Aug. ser. 96. alias de Diversis 47. Et ser. 11. alias 38. de Verbis Domini. Et ser. 353 alias 20. inter 50. Hom.

3. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno cœlorum*. Humilitas gradus est ad veram celsitudinem. „ Omnes delectat celsitudo, sed „ humilitas gradus est... Ad magna nos tendimus, par„ va capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudi„ nem Dei? cape prius humilitatem Dei. Dignare esse „ humilis propter te, quia Deus dignatus est humilis es„ se propter eumdem te: non enim propter se.... Ma„ gnorum est ista pusillitas; superbia vero fallax infirmo„ rum est magnitudo; quæ ubi mentem possederit, eri„ gendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. „ Humilis esse non potest nocens, superbus esse non pot„ est innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult „ perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraci„ ter cogitat, quo non suis viribus, sed adjuta perve„ niat. Hæc malum cujusquam velle non potest, quo ne„ quaquam bonum ejus augetur. Porro autem superbia „ continuo parit invidiam. Quis vero sit invidus, qui „ non ei malum velit, cujus bono cruciatur? Ergo & „ invidia parit consequenter malitiam: unde procedit & „ dolus, & adulatio, & detractio, & omne opus malum „ quod pati nolis ab alio. Pia itaque humilitate servata, „ quæ in Scripturis sanctis sancta probatur infantia, sæ„ curi eritis de immortalitate beatorum: TALIUM est „ enim Regnum cœlorum." Christus cum in forma Dei esset, naturam humanam assumpsit: cum Sanctus sanctorum, speciem peccatoris induit: cum beatus, immo ipsa beatitudo, miseriis nostris se subjecit, humilians semetipsum usque ad mortem crucis. Homo factus est, ut nobis communicaret divinitatem suam: in forma peccatoris visus est, *factus pro nobis peccatum & maledictum*, ut nobis mereretur gratiam: miseriis nostris obnoxius factus est, ut nos perduceret ad beatitudinem suam. Humilitas igitur necessaria est ut participes simus divinitatis Christi, gratiæ Christi, beatitudinis Christi. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno cœlorum*. Primus locus in Regno cœlorum illi promittitur virtuti, quæ omnium facillima est, cum & in nobis ipsis tot rationes ad humilitatem moventes habeamus, culpam, miseriam, ignorantiam, infirmitatem, concupiscentiam legi mentis repugnantem, ad omne opus bonum ex nobis ipsis impotentiam: & rebus exterioribus minus indigeat humilitas ut exerceri possit. Quæ igitur erit superbis & ambitiosis excusatio? *Quatenus te censes hominem eatenus nobis es Deus*, (inquiebat profanus Orator & adulator in Panegyrico Imperatoris.) Id apprime quadrat Christiano, qui se humiliat sicut parvulus. Humilitate fit quodammodo Deus, certe filius adoptivus Dei, Deo proximus, major in Regno cœlorum. Quid non suscipiunt, quid non agunt, quid non patiuntur ambitiosi, ut optatis honoribus & dignitatibus potiantur? Coram majoribus decrescunt, ut crescant, politicam humilitatem affectant, ut exaltentur, *Fœnerando servitium*,

Plinius junior in Paneg. Trajani.

Natal. Alex. In Evang.

mercantur imperium. Christianus vero humiliare se refugit, ut sit major in Regno cœlorum. „ Illos qui ambi„ tus obeunt capessendi Magistratus, neque pudet, ne- *B. Petrus*
„ que piget incommodis animæ & corporis, nec incom- *Damiani.*
„ modis tantum; verum & contumeliis omnibus eniti in *l. 2. Epist.*
„ causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium *3. Tertull.*
„ affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis salutatio- *l. de Pœniten. c. 11.*
„ nibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujus„ que personæ decrescentes, nulli convivio celebres, nul„ lis commessationibus congreges, sed exules a libertatis „ & lætitiæ felicitate: idque totum propter unius anni „ volaticum gaudium. Nos quod sæcurium virgarumve „ petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubi„ tamus? " Quid est quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura?

4. *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*. Christus in pauperum, maximeque justorum persona suscipitur. Sæculares homines honori & gloriæ ducunt Magnates & Potentes sæculi hospitio & mensa excipere: perfectus Christianus pauperes & humiles lubentius ac lætius excipiat, non ad ostentationem, sed in nomine Christi, & ob ejus amorem. „ Bona est *S. Ambr. l.*
„ hospitalitas, habet mercedem suam, primum humanæ *1. de Abra-*
„ gratiæ, deinde quod majus est, remunerationis divinæ. *ham c. 5.*
„ Omnes in hoc incolatu hospites sumus; ad tempus enim *n. 34. & 35.*
„ habitandi habemus hospitium; emigramus propere. Ca„ veamus ne si nos duri aut negligentes fuerimus in re„ cipiendis hospitibus, etiam nobis post vitæ istius cur„ sum Sanctorum hospitia denegentur, ... Sed pauperem „ prætendis. Non opes a te hospes requirit, sed gratiam; „ non ornatum convivium, sed cibum obvium. *Melius est* *Prov. 15.*
„ *vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum* *17.*
„ *saginatum cum odio*. Hæc grata hominibus, & accep„ ta Deo. Unde Dominus Jesus in Evangelio eum qui„ cumque dederit hospiti potum aquæ frigidæ, cœlestium „ asserit præmiorum non exortem futurum. Denique Ja„ cob oves adaquavit Rachel, & gratiam reperiit, & „ uxorem acquisivit. Deinde qui scis an Deum suscipias, „ cum hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus de„ fert hospitium, Deum atque Angelos ejus hospitio sus„ cepit: quamvis & cum hospitem suscipis, suscipias De„ um, sicut scriptum in Evangelio legis, dicente Domi„ no Jesu: Hospes eram, & collegistis me.... Quod e„ nim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis .... Et „ qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, „ me suscipit. "

„ 5. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis „ qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola va„ sinaria in collo ejus, & demergatur in profundum ma„ tris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut ve„ niant scandala: veruntamen væ homini illi per quem „ scandalum venit." Mors violenta minus timenda est, quam animæ unius perditio. Væ illi qui ponit offendiculum fratri, pro quo Christus mortuus est: Væ illi qui consilio, aut pravo exemplo, seu quovis alio modo proximum impellit vel allicit ad peccatum! Organum est diaboli, Mundique a Christo damnati minister, qui ruinæ præbet occasionem animabus Christi sanguine redemptis. Væ mundo, in quo regnat impune scandalum, id est, hominibus qui diligunt mundum. Si vel uni pusillo datum scandalum grave peccatum est: quanto gravius est toti civitati datum sermonibus impudicis vel impiis, nuditatibus & picturis dissolutis, librorum & carminum impudicorum, amatoriorum, vel famosorum scriptione, editione, cantu; Comœdiæ exhibitione, choræis, larvis, luxu, alea, &c. *Væ mundo a scandalis! necesse est enim ut veniant scandala*, &c. Nusquam est securitas, neque in cœlo, neque *S. Ber. ser.*
in paradiso, multo minus in mundo. *In cœlo enim cecidit* *de Diver-*
Angelus sub præsentia Divinitatis, Adam in paradiso de *sis.*
loco voluptatis, Judas in mundo de schola Salvatoris. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. *Ne-* *S. Ber. ser.*
mini blanditur Veritas, neminem palpat. Bonum erat ei, *2. in Festo*
si natus non fuisset homo ille. „ Natus sane denuo, na- *S. Michaelis.*
„ tus ad vitam, natus de Spiritu, qui nimirum in car„ ne postmodum consummatur. Expedit ei (si quis est) „ qui scandala suscitat in hac domo, in sancta Deo pla„ cita & Angelis ejus admodum grata ac familiari Con„ gregatione, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, „ & pro suavi jugo & levi onere Salvatoris, gravi mo„ le terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demer„ gatur in profundum maris hujus magni & spatiosi ma„ nibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Minus „ enim damnabile erat ei in sæculo magis perire, quam „ in Monasterio. Perire siquidem necesse est hominem, „ qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus „ suum, ita ut ardeat." Quod Fratribus suis Sanct. Bernardus timebat, nemo Christianus est, cujuscumque conditionis, qui sibi timere non debeat. Sicut enim magis reus est Vir Religiosus, qui scandalum Fratribus creat, quam sæcularis, sic magis reus est Christianus quilibet auctor scandali, quam Ethnicus.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me *S. Amb. in in Psal.*
credunt, &c. „ Multa generantur ad perturbationem *118. Rom.*
„ hominis: & uxor plerumque decepta serpentis in- *8. 35.*

„ fidiis animum viri exagitare conatur : & pater fidem „ filii frequenter irridet : & vir conjugis ſuæ mentem tentat opprobriis. Sed in his omnibus ſuperat juſtus, & „ dicit : *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio : an anguſtia ... an perſecutio?* Quoties ipſa beneſacta crimini dantur? Quoties virtus opprobrio ducitur? „ Quoties ipſa ingrata eſt gratia? Vendidit juſtus facultates ſuas, diſpenſavit pauperibus, nihil ſibi reliquit : „ contemnitur plerumque in ipſa Eccleſia, quia dives eſſe „ deſivit. Non ergo moveatur ; non enim mercedem hujus ſæculi, nec gratiam, ſed vitæ quæſivit æternæ. „ Non indignetur quia homines pecuniis magis quam operibus bonis deferunt. Nam ſi ei propter bonum opus „ in hoc ſæculo deferatur, & hujus ſtudii fructum hic „ adipiſcatur, dicitur de eo : *Percepit mercedem ſuam*. „ Serva futuris mercedem tuam : & iſtius ſæculi opprobria incrementa mercedis tuæ judica .... Nullis ergo „ juſtus frangatur injuriis, nullis moveatur periculis, nullis tentetur procellis ; ſive mors ingruat, ſive vita, ſive Angeli cœlorum. Neque dejiciatur adverſis, neque „ extollatur ſecundis. Nuſquam ſit ejus infirmus affectus. Et mors tentat, & vita tentat ; cave ſcandalum. Qui pacem habet, quæ omnem metum ſuperat, magnus eſt : non eſt de puſillis iſtis. Ideo „ ſcandalum pati non debet, quia puſillorum eſt exagitari ſcandalo. Unde & Dominus ait : *Quicumque „ ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis minimis*. Non „ ſolum puſillos, ſed etiam minimos dixit, quos perturbant ſcandala ; & ideo gravi obnoxius pœnæ eſt, „ ut legiſti, quicumque turbaverit infirmæ mentis infantiam. Sicut enim graviori dignus ſupplicio eſt, qui „ perſuaſerit crimen infantulo, & incautam præcipitavit „ ætatem : ita qui invalidum, & inſipientem, & improvidum circumſcripſerit perſuaſione erroris, aut exagi-
1. Cor. 8. 13 „ tatione cordis affectum. Vis ſcire quam infirmus ſit „ qui ſcandalizatur? *Non manducabo*, inquit, *carnem, „ ne fratrem meum ſcandalizem*. Quanta infirmitas & „ quædam infantia animi, ut eum etiam eſca fratris exagitet! Unde non poteſt homini eſſe præcipitum, quando etiam hinc eſt periculum? Et quod pejus eſt, infirmitas hujuſmodi ſerpit in multos, &c.“

S. Aug. ſer. 81. alias 33 ex editis a Sirmondo. Pſal. 128. 165. Væ mundo a ſcandalis. *Veritas dicit : terret, & monet ; non vult eſſe nos incautos ; nam non fecit utique deſperatos. Contra hoc* Væ, *ideſt, contra hoc malum metuendum, tremendum, cavendum, conſolatur nos, & hortatur ; & inſtruit illo loco Scriptura ubi dicitur* : Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. *Oſtendit hoſtem cavendum, ſed non ceſſavit oſtendere murum munitum. Cogitabas tu audiens,* Væ mundo a ſcandalis, *quo ires extra mundum, ne ſcandala patereris. Ergo propter cavenda ſcandala quo ibis extra mundum, niſi fugias ad eum qui fecit mundum? Quomodo autem ad eum qui fecit mundum fugere poterimus, niſi legem ejus, quæ ubique prædicatur, audiamus? Parum*
Rom. 2. 13. Galat. 5. 6. *audiamus, niſi diligamus. Securum enim te facieus Scriptura divina contra ſcandala, non ait, Pax multa audientibus legem tuam*. „ Non enim auditores legis juſti „ ſunt apud Deum. Sed quia factores legis juſtificabun„ tur, & fides per dilectionem operatur?“ *Pax multa*, inquit, *diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Non res adverſæ hujus ſæculi vocantur ſcandala : ſcandala quæ ſint, advertire. „ Neſcio quis verbi gratia in ne„ ceſſitate aliqua conſtitutus urgetur preſſura. Non eſt hoc „ ſcandalum quia preſſura urgetur Preſſura & Martyres preſſi „ ſunt ſed non oppreſſi. Scandalum cave, non valde preſſu„ rum. Preſſura premit te, ſcandalum opprimit te. Quid „ ergo intereſt inter preſſuram & ſcandalum? In preſſu„ ra parabas ſervare patientiam, tenere conſtantiam, non „ relinquere fidem, non conſentire peccato. Hoc ſi ſer„ vas, aut ſi ſervaveris, preſſura tibi ruina non erit : ſed „ ad hoc valebit illa preſſura, ad quod valet in torcula„ ri, non ut oliva opprimatur, ſed ut oleum liquetur. „ Denique ſi in iſta preſſura laudes Deo dicas, quam u„ tile prelum, unde a te liquor emanat?... Quicquid bo„ ni facis, non tibi placeat niſi Deus : quicquid mali pa„ teris, non tibi diſpliceat Deus. Hoc fac, & vives ; e„ vades quod dictum eſt, *Væ mundo a ſcandalis*. Cui mun„ do enim *Væ a ſcandalis*, niſi de quo dictum eſt, *Et „ mundus eum non cognovit*? Non illi mundo de quo di„ ctum eſt, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſi-*
Joan 19. 4. „ *bi*. Mundus malus, mundus bonus : mundus malus, om-
Cor. 5. 19. „ nes in mundo mali : & mundus bonus, omnes in mun„ do boni.... Ergo cum audis, *Væ mundo a ſcandalis*, „ noli terreri, dilige legem Dei, non tibi erit ſcanda„ lum.“

6. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te ; abſcinde eum, & projice abs te : bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te : bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quam duos*
S. Jo. Chryſ. Hom. 60. Matth. *oculos habentem mitti in gehennam ignis*. „ Non hæc de „ membris dicta ſunt, ſed de amicis ac neceſſariis, quos „ quaſi membra nobis conjunctos ducimus. Nihil enim „ ita pernicioſum ac peſtiferum, ut conſuetudo pravo„ rum hominum & converſatio : quippe cum amicitia at„ que neceſſitudo & ad nocendum, & ad juvandum plus „ nonnumquam efficiat, quam neceſſitas potuiſſet : ac ideo „ magna quadam cum vehementia juſſit nocentes a nobis „ propinquos depellere : eos vero amputandos atque projiciendos eſſe, conſequentia ipſa rerum ſignificat, quia „ ſcandali auctores ſunt. Vides quemadmodum futurum e„ ſcandalis detrimentum exterminat, tum quia prædixit „ omnino ventura, ut nullus otio poſſit marceſcere, ſed „ exſpectatione ſcandali commotus, jugiter vigilet : tum „ quia oſtendit extrema & maxima eſſe mala : non enim „ ſolummodo dixit, *Væ mundo a ſcandalis* : Verum etiam ut maximam ab illis ſequi perniciem monſtret, „ auctorem ſandali multo magis quaſi miſerum deplora„ vit : *Verumtamen Væ homini illi*. Quibus verbis ma„ gnum oſtendit ſupplicium illi futurum : nec id ſatis „ fuit ; ſed ſimilium adjectione terrorem in majus extu„ lit, & viam monſtravit per quam hæc ſcandala fuge„ re poſſimus. Quæ autem hæc via eſt? Pravi homines, „ inquit, etiamſi valde tecum amore aut neceſſitudine „ conjuncti ſint, abſcindendi ſunt ab amicitia tua. Nam „ ſi maneant amici, nec illos lucraberis, & tu ipſe ſimul peribis : ſin vero procul a te illos abjeceris, tu „ ſaltem ſalutem conſequeris. Quare ſi cujus conjunctio „ ſaluti tuæ obeſt, rejice ipſum abs te. Nam ſi noſtra „ plerumque membra reſcindimus, cum incurabili morbo „ & ipſa tabeſcunt, & reliquis officiunt : multo magis „ in amicis atque cognatis id faciendum.“

Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, S. Hier. in &c. „ Omnis affectus, & univerſa propinquitas amputa- cap. 18. S. „ tur, ne per occaſionem pietatis unuſquiſque credentium Matth. „ ſcandalis pateat. Si, inquit, *ita* eſt quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & eſt utilis atque ſollicitus, & acutus ad perſpiciendum ; ſcandalum tibi facit, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in „ gehennam, melius eſt ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere „ cognatos & neceſſarios, cauſam habeas ruinarum.“ *Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus qui nos excludere poteſt a Regno cœlorum, amori Domini præponatur, Novit unuſquiſque credentium quid ſibi noceat, vel in quo ſollicitetur animus, ac ſæpe tententur. Melius eſt vitam ſolitariam ducere, quam ob vitæ præſentis neceſſaria æternam vitam perdere.*

Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, S. Aug. ſer. *erue eum, & projice abs te*, &c. „ Scandalum tibi e- 81. alias 33 „ rit ille, qui tibi mali aliquid ſuadere cœperit ; ſit ex editis a „ hoc plerumque non malevolentia, ſed perverſa bene- Sirmondo. „ volentia. Videt enim te amicus tuus, qui te diligit, „ viciſſimque a te diligitur, pater tuus, frater tuus, „ conjux tua, videt te in malo, & vult te facere malum. Quid eſt, videt te in malo? Videt te in aliqua „ preſſura, preſſuram ipſam propter juſtitiam forſitan „ pateris, ideo pateris preſſuram, quia non vis dicere „ falſum teſtimonium ... Accedit amicus, qui non vult „ te eſſe in preſſura, non vult te eſſe in malo. Rogo te, fac quod tibi dicitur, quid magnum eſt? .... „ Jam iſte ſcandalum eſt. Amicus eſt, quid facturus es? „ Oculus eſt, manus eſt. *Amputa & projice abs te*. Id „ eſt, *Noli conſentire. Membra enim noſtra in corpore noſtro conſenſione faciunt unitatem, conſenſione vivunt, conſenſione invicem connectuntur. Ubi diſſenſio, ibi morbus ac* Iſaiæ 1. 15. *vulnus eſt. Ergo membrum tuum eſt, dilige eum. Sed* Sap. 1. 11. *ſcandalizat te?* Amputa eum, & projice abs te. *Quomodo facturus es quod dico, amputaturus, & abjecturus, & eo fortaſſe correcturus?* „ De Lege voluit ſuadere men„ dacium. Ille enim ait, Dic. Et fortaſſe ille non eſt „ auſus dicere, Dic mendacium : ſed ſic, Dic quod vult. „ Tu dicis, ſed mendacium eſt. Et ille, ut excu„ ſet : *Omnis homo mendax*. Et tu contra, frater : „ *Os quod mentitur, occidit animam*. Quid mihi fa„ cit inimicus iſte potens ; qui me premit, quia mi„ ſeraris me, & non vis me eſſe in malo ; cum velis „ me eſſe malum? Quid mihi facit potens iſte, quid „ premit? Carnem, Corpus, dicis tu, premit : „ dico ego, perimit?“ *Quanto mitius mecum agit ille, quam ego, ſi mentitus fuero? Ille occidit carnem meam : ego occido animam meam. Corpus occidit, moriturum erat, etſi non occideretur : Animam vero quam non occidit iniquitas, in æternum excipit veritas. Serva ergo quod ſervare potes : pereat quod quan-* Pſal. 5. 7. *doque periturum eſt* ... Hoc ergo reſponde ei qui dicit, Mentire, quia ſcriptum eſt, *Omnis homo mendax* : Non mentior, quia ſcriptum eſt, *Os quod mentitur, occidit animam*. Non mentior, quia ſcriptum eſt, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Non mentior, quia ſcriptum eſt, *Falſum teſtimonium non dices*. Urgeat licet preſſuris carnem meam ; cui diſpliceo in veritate : Deut. 5. 20 audio Dominum meum, *Nolite timere eos qui corpus occidunt*.

„ Vaſtatur Mundus, calcatur torcular. Eja Chri„ ſtiani, cœleſte germen, peregrini in terra, qui ci„ vitatem in cœlo quæritis, qui Angelis ſanctis ſocia„ ri de-

„ ri desideratis, intelligite vos sic venisse ut discedatis. „ Transitis per mundum, conantes ad eum qui creavit „ mundum. Non vos perturbent amatores mundi, qui „ volunt in mundo remanere, & velint nolint, cogun- „ tur migrare: non vos decipiant, non seducant. " *Pressuræ istæ sunt, non scandala. Justi estote, & exercita-*
S. Aug. ib. n. 8. *tiones erunt. Tribulatio venit: quod volueris erit, aut exercitatio, aut damnatio. Qualem te invenerit, talis erit. Tribulatio ignis est: aurum te invenit? Sordes tollit. Paleam te invenit? In cinerem vertit. Ergo pressuræ quæ abundant, non sunt scandala. Sed quæ sunt scandala? Locutiones illæ, verba illa quibus nobis dicitur, Ecce quid faciunt tempora Christiana.* Ecce quid tibi professio pietatis prodest, quomodo res tuæ pereunt, fortuna tua evertitur, filii tui ad mendicitatem rediguntur, quomodo contemptu & ludibrio hominum honestorum te exponis, &c. „ Ad hoc enim tibi dicitur, ut tu, si a- „ mas Mundum, blasphemes Christum. Et dicit tibi hoc „ amicus tuus, consiliarius tuus: ergo oculus tuus. Dicit „ tibi hoc minister tuus, cooperarius tuus: ergo manus „ tua. Dicit tibi hoc forte qui te sustentat, qui te ab „ humilitate terrena sublevat: ergo pes tuus. Abjice, „ amputa, projice abs te, noli consentire. Responde ho- „ mini dicenti tibi, Ecce temporibus Christianis tantæ pres- „ suræ sunt, vastatur Mundus: responde tu; Hoc mihi ante „ quam eveniret, prædixit Christus. *Responde dicenti tibi,* „ *Ecce quid prodest professio pietatis, res tuæ pereunt, per-* „ *secutionem pateris, in contemptum venis: responde*: Beati „ pauperes... Beati qui persecutionem patiuntur propter „ justitiam... Omnes qui pie volunt vivere in Christo Je- „ su, persecutionem patientur ... Non habemus hic ma- „ nentem civitatem, sed futuram inquirimus. "

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c. „ Post- „ quam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo di- *S. Bern. ser. 2. in Festo S. Michaelis.* „ vinus aspere satis, consilium dat quid de eo nobis a- „ gendum sit scandalo quod interius patimur, contrariam „ invenientes legem in membris nostris. Ipse enim co- „ gnovit figmentum nostrum, quod ejusmodi scandalum „ non tam facile a nobis valeat evitari. Porro triplici- „ ter fieri scandalum illud, quotidiano nobis nosse licet „ experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis „ intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quam „ noster dicendus sit: sed scandalizat nos oculus noster, „ & qui vere a nobis est, dum voluntas nostra aliam mi- „ nus castam importune ingerit intentionem. Sed habemus „ jam super hoc salubre consilium Salvatoris: *Erue eum*, „ inquit, *& projice abs te*. Hoc autem fiet, si non con- „ sentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu ac „ pede est intelligendum. Cum enim bonis operibus inten- „ tos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, „ manus nostra est quæ scandalizat nos, sed abscindi de- „ bet, & projici a nobis, ut non ei consentiamus. Sic „ etiam proficere in sancta conversatione, & ascendere per „ gradus scalæ quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psal- „ mista, de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpe „ scandalum patimur a pede quodam pusillanimitatis & „ negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis ac „ remissius ire conatur: sed abscindi eum necesse est, ut „ pes gratiæ qui stat in directo, currere possit sine offen- „ sione, sine scandalo, sine impedimento. Quod autem „ dicit: *Bonum nobis esse vitam intrare cum uno oculo,* „ *aut manu, aut pede, quam duos habentes ire in ge-* „ *hennam ignis*, Eos notat qui voluntatem suam, sive bo- „ na, sive mala sit, æque sequuntur, & ingrediuntur dua- „ bus viis, nunc bona, nunc mala sectantes, secundum „ quod variantur desideria sua. Quibus utilius fuerat gra- „ tiæ in omnibus inhærere, & ubi obviat propria volun- „ tas, abscindere, & a seipsis abjicere eam. "

7. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: Dico enim vobis: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Viros pios contemptui habere, grave peccatum est. Ipsis offendiculum apponens in via salutis, providentiæ Dei curam ipsorum gerentis singularem, & de iis mandantis Angelis suis, ut eos in viis omnibus illorum custodiant, ne forte offendant ad lapidem pedem suum, quantum in se est adversatur. *Magna dignitas*
S. Hieron. in hunc locum. *animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Viæ Angelorum ad easdem tendunt. „ Cum enim ascendunt ad contemplationem, in- „ quirunt veritatem, de qua & desiderando satiantur, &
S. Bern. serm. 11. Ps. 50. „ satiando desiderant. Cum vero descendunt, faciunt no- „ biscum misericordiam, ut custodiant nos in omnibus „ viis nostris .... Fructus angelicarum viarum, quod ad „ ipsos spectat, sua ipsorum beatitudo, & obedientia est „ charitatis: quod autem ad nos pertinet, inde quidem „ obtentus divinæ gratiæ, hinc vero custodia viæ nostræ. „ Siquidem Angelis suis mandavit de te, ut custodiant „ te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus desideriis „ tuis. Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, ut „ videlicet aut de necessitate in obstinationem, aut in „ præsumptionem de cupiditate prorumpas: quæ quidem „ jam non hominum, sed dœmonum viæ sunt .... Man-

Natal. Alex. In Evang.

„ davit Angelis suis Deus, non quidem, ut amoveant te „ a viis tuis, sed in eis ipsis te custodiant, & quasi per „ vias suas te dirigant in vias ipsius. Quonam modo, in- „ quis? Nempe ut quod Angelus ex sola charitate pu- „ rius agit, tu propria saltem necessitate compulsus & „ admonitus, descendas & condescendas exhibere scili- „ cet proximo misericordiam: & rursum cum eodem An- „ gelo levans desideria tua, tota animi cupiditate ascen- „ dere studeas ad summam & perpetuam Veritatem ... „ Quæ sunt sanctorum Angelorum viæ? Profecto illæ „ quas Unigenitus enarravit, dicens: *Videbitis Angelos* „ *ascendentes & descendentes super Filium hominis*. A- *Joann. 1.* „ scensio igitur & descensio viæ illorum. Ascensio propter „ se; descensio, vel potius condescensio propter nos. „ Sic beati illi Spiritus ascendunt per contemplationem „ Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant „ te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum ejus, de- „ scendunt ad nutum ejus: quoniam Angelis suis mandavit „ de te. Nec tamen vel descendendo, visione gloriæ frau- „ dantur; quia semper vident faciem Patris. " Eorum reverentia nos a contemptu pusillorum, quorum custodiæ ex Dei mandato invigilant, revocare debet.

8. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* „ Noli ergo dicere, aliquem esse fabrum ferrarium, aut „ sutorem, aut agricolam, ac ideo quasi rudem atque „ indoctum esse contemnendum. Vide quibus argumentis „ ad curandam minorum fratrum salutem te Christus „ hortatur. Infantem in medio statuit, & dixit, *S. Joan.* „ *Efficiamini ut parvuli*: &, *Quicumque talem susceperit* *Chrys. Hom.* „ *parvulum, me suscipit*: Quicumque hunc scandalizabit, *60. in S.* „ extrema luet supplicia: & ad terrorem molæ ac sub- *Matth.* „ mersionis, *Væ*, adjecit: & scandali auctores, etiamsi lo- „ co manuum atque occulorum nobis essent, abscindere „ jussit. Angelorum quoque, qui hos tenues fratres tutan- „ tur auctoritate, ut eos veneremur, impellit: ac demum „ a sua voluntate ac passione hortatur. Nam cum dicit, „ *Venit Filius hominis salvare quod perierat*, passionem „ suam & crucem significat, sicut & Paulus de fratre „ scribens dixit: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo* „ *Christus mortuus est ... Noli propter escam destruere* „ *opus Dei*. Nec sufficerunt hæc omnia, verum etiam a *Rom. 14. 15.* „ dignitate Patris ad hoc ipsum inducit, quia nec patri „ quidem videtur ut unus istorum parvulorum pereat: & „ a communi consuetudine hominum, quia pastor salvis „ ovibus derelictis, eam quæ erravit diligentius quærit, „ & cum invenerit, summopere de illius salute læta- „ tur. Si ergo Deus mirum in modum invento parvu- „ lo gaudet, qua tu audes ratione eos contemnere at- „ que conculcare, qui Deo chariſſimi sunt: cum opor- „ teat vitam quoque ipsam pro uno istorum tradere pu- „ sillorum? Ita, inquies, sed abjectus & tenuis est. Hac „ quidem ratione multo diligentius tibi omnia facienda „ sunt ut eum conserves. Nam & ipse nonaginta no- „ vem relictis ovibus, ad errantem abiit, nec potuit il- „ larum multarum salus perditionem unius obducere at- „ que offuscare. Lucas quoque in humeris attulisse ait, „ ac majorem factam esse lætitiam in uno peccatore pœ- „ nitentiam agente, quam in nonaginta & novem ju- „ stis. Ita & quia propter errantem universum dereli- „ quit gregem, & quia magis hac inventa lætatus est, „ magnum studium multamque curam ejus se habuisse „ ostendit. Ne igitur talium animas negligamus; omnia „ enim ista propterea dicta sunt. Certe minis illis, qui- „ bus denunciat nullum ad cœlos perventurum qui non „ fuerit sicuti parvulus, & mola, & submersione, tu- „ morem protervorum hominum depressit. Nihil sane „ ita charitati repugnat, sicut superbia, & mentis ela- „ tio. Quia vero dixit scandala necessaria fore, vigilan- „ tiores eos reddidit. Cumque adjecerit, *Væ illi per* „ *quem scandalum venit*: unumquemque cavere hortatur, „ ne culpa sua scandalum accidat. Quod autem præce- „ pit scandalizantes esse propellendos, salutis iter nobis „ expeditius faciendum admonet. Quod denique injunxe- „ rit ne pusillos contemnamus, neque id simpliciter, sed „ vehementer atque acriter, cum dicat: *Videte ne con-* „ *temnatis unum ex his pusillis*, quia *Angeli eorum sem-* „ *per vident faciem Patris mei*: & quia ego propter eos „ veni: & hæc Patris mei voluntas est: ad tuendos con- „ servandosque pusillos diligentiores nos reddidit. Per- „ spicis quam ingentia in tutelam tenuium mœnia ere- „ xerit, quantum studium curamque habeat ne perdantur; „ tum quia supremas decipientibus eos pœnas statuit; „ tum quia summam pollicetur mercedem his qui curam „ eorum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exem- „ plo corroborat. Dominum igitur etiam nos imitemur, „ & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quæ „ humilia viliaque nimium videantur: sed si ministerio „ nostro etiam opus fuerit, quamvis tenuis fuerit & ab- „ jectus cui ministrandum fuerit, quamvis ardua nobis „ res atque laboris plena esse videatur, quamvis rupes, „ præruptaque præcipitia transeunda: omnia hæc pro „ fratris salute tolerabilia faciliaque videantur. Tanto „ enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam „ ostendit, ut neque Filio suo pepercerit. Quare obse-

„ cro, summo mane cum e domo exieritis „ hanc uni-
„ cam intentionem habeatis, & hoc ante omnia studium
„ ut e periculis aliquem liberare possitis. Nec dico a pe
„ riculis corporis solum : (nam hoc neque periculum
„ quidem vere dici potest) sed multo magis a periculo
„ animæ, quod tentatione diabolica hominibus inferri so-
„ let. Si enim mercator ut rem familiarem amplificet,
„ terroris plena maria navigat : si opifices ut rebus suis
„ aliquid adjiciant, duros tolerant labores : & nos pa-
„ riter saluti nostræ salutem proximorum adjicimus : præ-
„ sertim cum qui sua contentus negligit alienam, nec
„ suam quidem consequi possit. In prælio enim ac expe-
„ dita acie, qui sibi solum consulit miles, nec aliud re-
„ spicit quam quo modo possit fugiendo animam suam
„ servare, is ceteros quoque milites secum ad perniciem
„ trahit : quemadmodum e contra generosus miles, cum
„ alios tutari conatur, se ipsum quoque defendit. Quo-
„ niam igitur bellum quoque nobis indictum est, & præ-
„ lium agitur amarissimum, & acie instructa jam pugna-
„ mus : sic magno animo, ut noster jussit Imperator ad
„ sanguinem & ad necem simus præparati, ut ad salu-
„ tem omnium pugnemus, alios cohortatione, alios au-
„ xilio juvantes. Multi enim in hac acie fratres perfossi
„ atque sanguinolenti jacent, nec ullus invenitur qui me-
„ dicetur, non vulgo aliquis, non Presbyter, non Ponti-
„ fex, non amicus, non frater, non alius quispiam, sed
„ singuli quæ nostra sunt quærimus, ac propterea nostra
„ minuuntur. Atqui non ignoramus, magnam inde ad Deum
„ fiduciam, magnam approbationem comparari, si quis
„ quæ sua sunt non quærat. Cujus rei oppositum facien-
„ tes, tam pravis hominibus quam diabolo captu facilio-
„ res, imbecilioresque nos ipsos constituimus, non enim
„ alter pro altero arma capimus, nec Dei charitate nos
„ communimus, sed alios quosdam amicitiæ prætextus
„ quærimus : sic alius affinitate, alius consuetudine, alius
„ consortio, alius vicinia, alius alia quadam ratione : ne-
„ mo fidei ac religionis pietate nobis amicus est. "

9. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non consilium dumtaxat, sed præceptum est, necessariumque charitatis officium, correptio fraterna. Id Christo Salvatori debemus : cujus gloriam propagare, cujus propensæ in omnium salutem voluntati cooperari, injurias ejus quasi nostra reputare debemus : *Adversus publicos hostes, & Majestatis reos omnis homo miles* (inquit Tertullianus) multo magis adversus peccatum, Dei publicum inimicum : Totis itaque viribus eniti debemus, ut Regnum peccati destruamus, non modo in nobis ipsis, sed in aliis. Ad hoc tendit correctio fraterna. *Deus neminem vult perire*, benignitas ejus & longanimitas peccatorem adducit ad pœnitentiam. Qui fratrem peccantem corripit in spiritu charitatis & lenitatis, divinæ misericordiæ erga ipsum cooperator est. Vir est misericordiæ, illorum imitator, de quibus Spiritus Sanctus : *Illi viri misericordiæ*
Eccli. 44. 10. *sunt, quorum pietates non defuerunt.* Coadjutor est misericordiæ peccatorem ad pœnitentiam adducentis : Liberator est misericordiæ in peccatore patientis : particeps est misericordiæ de peccatoris duritie & obstinatione triumphantis. Id officii fratribus debemus. Sumus enim omnes unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Porro ejusdem corporis membra pro invicem solicita sunt. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Proximo itaque in nos peccanti compati debemus, & salutis eius curam gerere : adhibendo
S. Aug. lib. de Corrept. & Grat. cap. 6. medicinalem correptionem, *ut strepitu correptionis forinsecus insonante ac flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle.* Id nobis ipsis debemus, siquidem Christi mandatum de fraterna correptione implentes, nostrorum peccatorum remissionem & misericordiam uberem a Deo impetramus. *Fratres mei, Si quis*
Jacobi 5. 19. 20. *ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum : scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum
S. Aug. ser. 28. alias 16. de Verbis Dom. *inter te & ipsum solum.* Dedemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. „ Quare fra-
„ trem tuum corripis, quia te doles, quod peccaverit in
„ te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis : si amore
„ illius facis, optime facis. In ipsis Evangelii verbis at-
„ tende, cujus amore id facere debeas, tui, an illius. "
Si te audierit, inquit, *lucratus eris fratrem tuum.* Ergo *propter illum fac, ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses, perierit. Si neglexeris, pejor es. Ille injuriam fecit, & injuriam faciendo, gravi seipsum vulnere percussit : tu vulnus fratris tui contemnis ? Tu eum vides perire, vel periisse, & negligis ? Pejor es tacendo, quam ille conviciando.* Corripe eum inter te & ipsum solum, *intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correptiorem, facis pejorem.* Corripe eum inter te & ipsum solum. *Quare? Quia peccavit in te. Quid est, in te peccavit ? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit ; secretum quære, cum corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.*

10. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, &c. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Charitati prudentia jungenda est, ut pudore ac timore excitatus peccator resipiscat. Ideo testes adhibendi coram quibus correptus, pudore suffundatur, & timens ne peccatum suum pluribus innotescat, Deum magis vereatur, & ad pœnitentiam redeat. Si testes non audierit, zelus ad charitatem & prudentiam accedat, prodatur peccatum Medico & Patri, austerioribus, sed efficacioribus remediis, curandum ; prodatur Ecclesiæ Præposito, qui tamen secreto arguat, obsecret, increpet, in omni patientia & doctrina : quem si non audierit, velut filius perduellis & contumax ex Ecclesia, quæ Domus est Dei vivi, ejiciatur ; velut putre membrum a corpore Christi Mystico abscindatur Excommunicationis gladio, charitate pie sæviente, de qua S. Augustinus : „ Cor-
„ ripiantur, *inquit*, a Præpositis suis subditi fratres cor- *S. Aug. lib.*
„ reptionibus de charitate venientibus, pro culparum di- *de Corrept.*
„ versitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus. Quia *& Grat.*
„ & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episco- *cap. 15.*
„ pale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est,
„ potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam
„ cedere, atque proficere. Neque enim scimus quid con-
„ tingat sequenti die ; aut ante finem vitæ hujus de ali-
„ quo desperandum est ; aut contradici Deo potest ne res-
„ piciat, det pœnitentiam ; & accepto sacrificio spiritus
„ contribulati cordisque contriti a reatu quamvis justæ
„ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet.
„ Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures ser-
„ pant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbi-
„ dam : ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan se-
„ paratione sanandam.

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Habere* enim *jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Alienus est, profanus est, hostis est.*

11. *Amen dico vobis : Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo : & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* „ Implicatus *S. Cypr. lib. de Unitate Ecclesiæ Catholicæ.*
„ mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut dif-
„ fert, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ,
„ quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo ; & au- *S. Aug. ser.*
„ det sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dici- *35. alias*
„ tur, salutem aliquam pollicere ? ... Judicet ergo sei- *50. inter*
„ psum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conver- *Hom. 50. c.*
„ tat in melius : ne cum jam non poterit, etiam præter *4.*
„ voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protu-
„ lerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves
„ ministrantur : & tamquam bonus jam incipiens esse filius,
„ maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis
„ Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum : ut in
„ offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & suplex,
„ id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam
„ salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum
„ ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scan-
„ dalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ vi-
„ detur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius ple-
„ bis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non le-
„ thali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.
„ Meminerit semper quod *Superbis Deus resistit, humilibus*
„ *autem dat gratiam.* Quid enim est infelicius, quid perver- *Jacob. 4. 8.*
„ sius, quam de ipso vulnere quod latere non potest, non
„ erubescere, & de ligatura ejus erubescere ? " Nemo ar-
bitretur, propterea se consilium salutiferæ hujus pœnitentiæ debere contemnere quia multos forte advertit & novit ad Sacramenta Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. *Multi enim corriguntur, ut Petrus : multi tolerantur, ut Judas : multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare.* Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam ; non tamen Judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonsterentur. *Nos vero a Communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.*

12. *Iterum dico vobis, Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque peterint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt*

duo

duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Deus enim concordiæ & pacis Deus est, non dissensionis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nihil ad orationis efficaciam conducibilius Christiana concordia & unanimitate. Christus his verbis ostendit, non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui: *Si duo ex vobis*, inquit, *consenserint super terram*: unanimitatem prius posuit; concordiam pacis ante præmisit; ut conveniat nobis, fideliter & firmiter docuit. „ Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius „ Ecclesiæ, & cum universa fraternitate non convenit? „ Quommodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo & ab ejus Evangelio se- *S. Cypr. lib. de Unitate Ecclesiæ Catholicæ.* „ parari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Et cum hæreses & schismata postmodum nata „ sunt, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in „ Ecclesia sua loquitur; ut si ipsi concordes fuerint, si „ secundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licet collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet „ sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant. Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, *inquit*, cum eis sum, *cum simplicibus scilicet atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta servantibus*. Cum his, duobus vel tribus licet, esse se dixit. Quo modo & cum tribus pueris in „ camino ignis fuit; & quia in Deum simplices atque „ iner se unanimes permanebant, flammis ambientibus „ medio spiritu roris animavit. Quo modo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes „ erant ipse adfuit, ipse resolutis carceris claustris, ut „ verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent ad forum, rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit & dicit, Ubi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: *non homines ab Ecclesia dividit, qui instituit & fecit Ecclesiam*; sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem „ sua voce commendans ostendit magis esse se cum duobus ant tribus unanimiter orantibus, quam cum dissidentibus plurimis; plusque impetrari posse paucorum „ concordi prece, quam discordiosa oratione multo- *S. Cypr. Tract. de Orat. Dominì.* „ rum . . . . Pacificos & concordes atque unanimes es„ se in domo sua Deus præcipit: & quales nos fecit se„ cunda nativitate, tales vult renatos perseverare, ut „ qui filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus; „ & quibus Spiritus unus est, unus sit & animus & sen„ sus. Sic nec sacrificium Deus recepit dissidentis, & „ ab Altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, „ ut pacificis precibus Deus possit esse pacatus. Sacrifi„ cium Deo majus est pax nostra, & fraterna concor„ dia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs „ adunata. Neque enim in sacrificiis quæ Abel & Cain „ primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda in„ tuebatur; ut ille placeret in munere, qui placebat in „ corde. Abel pacificus & justus dum Deo sacrificat in„ nocenter; docuit & ceteros quando ad Altare munus „ offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici cor„ de, cum lege justiciæ, cum concordiæ pace: merito il„ le dum in sacrificio Dei talis est ipse, postmodum sa„ crificium Deo factus; ut martyrium primus ostendens, initiaret Sanguinis sui gloria dominicam Pas„ sionem, qui & justitiam Domini habuerat & pa„ cem. "

De omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Modo tamen boni, bona petant, bene, & ad bonum. Prima restrictio docetur Joannis 9. 31. *Scimus quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Et 1. Joannis cap. 3. 21. 22. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus*. Secunda Matthæi 7. 11. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Tertia, Lucæ 18. 1. *Oportet semper orare & non deficere*. Et Jacobi. 5. 6. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino*. Quarta Jacobi 4. 3. *Petitis & non acciptis: eo quod male pietatis, ut in con-* 1. Cor. 12. *cupiscentiis vestris insumatis*. Multi sane inveniuntur con- *S. Joan. Chrys. Hom.* sentientes super terram, qui tamen a Patre non impetrant *61. in* quidquid petunt; quia multæ causæ sunt non impetran- *Matt.* di. „ Nam aut inconducibilia postulant, nec mirum est „ si non exaudiuntur, cum & Paulus non exauditus au„ dierit: *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infir„ mitate perficitur*. Aut indigni sunt qui exaudiantur, „ nec quidquam boni Deo offerunt: cum Dominus Apo„ stolorum similes designare videatur, dicens: *Si duo ex „ vobis consenserint super terram, de omni rei quamcum„ que petierint, fiet illis a Patre meo*. Ex vobis, inquit, „ qui virtute polletis, qui evangelicam doctrinam recte „ vivendo complectimini. Aut adversus eos qui ipsis do„ lorem intulerunt, ultionem orantes petunt, quod om„ nino prohibetur: *Orate*, inquit, *pro inimicis vestris*. „ Aut misericordiam postulant, cum nullam egerint „ pœnitentiam: qua re potiri est penitus impossibile, „ etiamsi qui multam ad Deum fiduciam habent, pro eis „ deprecentur: veluti Jeremias cum pro Judæis oraret, „ audivit: *Noli orare pro populo hoc, quoniam non te ex-* „ *audiam*. Si vero cuncta hæc adfuerint, & conducen- *Jerem. 7.* „ tia petas, & quantum in te est, vitam secundum Evan„ gelium instituas, & concordiam atque charitatem cum „ proximo serves, impetrabis orando misericordiam Domini. Verum quoniam, *a Patre meo*, dixit, ut una cum „ Patre seipsum quoque postulata largiri ostendat: subjunxit: *Ubi enim duo vel tres congregati sunt in nomine* „ *meo, ibi sum in medio eorum*. Nonne igitur sunt duo „ vel tres in nomine ipsius usquequaque congregati? Sunt „ quidem raro, tamen inveniuntur. Tale quippe est quod „ dicitur: Si quis propter me principaliter charitate proximo conjungitur, cum eo ipse sum, si ad hoc virtutis „ etiam opus adjecerit. Nunc autem complures videamus „ alias quasdam causas amicitiæ quærere. Nam alius a„ mat, quia redamatur; alius quia honore afficitur; alius „ quia utilitati sibi esse aut fore hominem putat: Christi „ vero causa difficillime quemquam invenies, qui amicum „ ut oportet diligat; sed omnes fere sæcularium vinculo „ rerum inter se vinciuntur. Ideo instabiles sunt & in„ constantes sæculi amicitiæ: quæ vero secundum Deum „ est, firma est & constans. Qui enim amat quoniam re„ damatur, si quid minus jucundum ipsi ab amico conti„ gerit; finem amandi illico facit: qui vero Christi charitate amicis conglutinatur, numquam ab amando desistit. Ideo Paulus ait: *Charitas numquam excidit* . . . . „ Qui amore spiritali diligit, non generis nobilitatem, „ non præstantiam patriæ, non excellentes divitias, non „ denique quantum redametur, attendit; verum etiam si „ odio habeatur, si contestatur, si interficiatur; quoniam „ sufficiens sibi causa ad amandum Christus est, perseve„ rat in amore. Firmus ergo & constans manet in cha„ ritate, ad Christum respiciens; a quo inimici, obtre„ ctatores, persecutores, qui nec videre ipsum æquo ani„ mo poterant, supremo amore, quo majorem excogita„ re non possumus, amati sunt. *Majorem* enim *charitatem* „ *nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro* „ *amicis suis*. "

13. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine* *Joan. 5.* *meo, ibi sum in medio illorum*. Multi congregati sunt in unum; sed in medio illorum non est Christus, quia non conveniunt in Christi nomine. Duæ sunt civitates, una justorum, altera impiorum; una electorum, altera reprodiaboli. In medio istius satanas: in medio illius Christus. borum: in ista congregatur populus Dei, in illa populus Socialis est vita Sanctorum. Unde enim ista Dei civitas vel inchoaretur exortu, vel progrederetur excursu, vel apprehenderet debitos fines, si non esset socialis vita Sanctorum? *Jerusalem* celestis *ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*. Prædestinati sunt *populus acquisitionis . . . . gens sancta . . . . plebs Dei . . . . . Domestici Dei*, quorum in medio Christus, sanctificans eos in hoc sæculo, quos in futuro coronabit & beatificabit. Cives Babylonis ad malum sæpe consentiunt; cives Jerusalem ad bonum. Utraque civitas concordiam & pacem quærit, sed illa terrenam & temporalem dumtaxat, ista celestem, quæ sola rationali creaturæ pax habenda atque dicenda est. *Ordinatissima* scilicet *& concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo . . . . . Hanc pacem, dum pe-* *S. August. l.* *regrinatur in fide habet: atque ex hac fide juste vivit,* *19. de Civ.* *cum ad illam pacem adipiscendam refert quicquid bonarum* *Dei c. 17.* *actionum gerit erga Deum & proximum, quoniam vita civitatis utique socialis est*.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re *S. Hieron.* quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. *Ubi spiri-* *in hunc lo-* *tus & anima corpusque consenserint, & non inter se bel-* *cum.* *lum diversarum habuerint voluntatum: carne concupiscente adversus spiritum, & spiritu adversus carnem: de omni re quam petierint, impetrant a Patre: Nullique dubium quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus ea vult habere quæ spiritus*.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, *S. Hieron.* *ibi sum in medio eorum*. In tantum humanæ pacis studuit *in c. 18. S.* concordiæ, *ut unitatis merito omnia, quæ a Deo pre-* *Matt.* *canda sint, impetranda esse confirmet, & ubi duo atque tres parvi spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum polliceatur futurum. Ipse enim pax atque charitas, sedem atque habitationem in bonis & pacificis voluntatibus collocabit*.

14. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, *Tertull.* &c. Major vis est orationis publicæ, de qua Tertullia- *Apolog. c.* nus: *Corpus sumus*, inquit, *de conscientia religionis, &* *39.* *disciplinæ unitate, & spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus: hæc vis Deo*

grata

grata est. Idem spiritualiter accidit orantibus in communi Christianis, quod contigit olim visibiliter & corporaliter Christianis militibus imperante Marco Aurelio Cæ-
Eusеb. lib. 3. Hist. Eccl. c. 5. sare simul orantibus, ut Eusebius refert. Cum M. Aurelius Cæsar adversus Germanos & Sarmatas pugnaturus aciem instrueret, & exercitus ipsius siti premeretur, Milites legionis Melitinæ, flexis in terram genibus, preces ad Deum fuderunt. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud longe majori dignum admiratione accidit: hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque extinctæ sunt: illinc vero vis imbrium, quibus exercitus eorum qui Deum precati fuerant, jam jam siti periturus, præter spem recreatus est. Hinc legio ipsa, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo *Fulminea* cognominata est ab Imperatore. Adscripti sumus omnes in militiam Dei vivi, cum baptizati sumus, & in Sacramenti verba respondimus. Non adversus visibiles hostes tantummodo, non adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principatus & Potestates, adversus spiritualia nequitiæ, adversus diabolum, mundi a Christo damnati principem, gloriæ Dei, salutisque nostræ capitalem hostem nobis pugnandum est. In terra deserta & inaquosa positi deficimus præ siti, *Anima nostra sicut terra sine aqua* Domino. Quid facto opus? Turmatim conveniendum in Templa Deo consecrata; vel in Oratoria, preces unanimi devotione ad Deum fundendæ: tunc fulgura & fulmina coruscabunt & tona-
Ps. 17. 14. 15. bunt a Deo ad terrorem dæmonum. *Intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos*. Hinc vero pluvia suavissima, pluvia voluntaria, quam segregat Deus hæreditati suæ, pluvia gratiæ, consolationumque divinarum, qua arens & sitiens anima recreetur, decidet, vi-
Ps. 134. 7. resque & animos tribuet pugnaturis. *Fulgura in pluviam fecit*.

S. August. serm. 83. alias 15. de Verb. Domini. 15. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies* " Enumera quoties peccaverit „ in te frater tuus. Si potueris pervenire usque ad se„ ptuagesimam & octavam culpam, ac transeas septuagies „ septies, tunc molire vindictam. Ita-ne verum est quod „ dicit, & vere ita se res habet, ut si peccaverit sep„ tuagies septies, ignoscas; si autem peccaverit septua„ gies octies, jam liceat tibi non ignoscere? Audeo di„ cere, ut etsi septuagies octies peccaverit, ignoscas. Et „ si centies peccaverit, ignosce. Et quid dico, toties &
Coloss. 3. 13. „ toties? Omnino quoties peccaverit, ignosce. Ait Apo„ stolus: *Donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem „ habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis*. „ Audistis formam. Si septuagies septies peccata tibi do„ navit Christus, si huc usque ignovit, & ultra negavit; „ pone & tu limitem, & ulterius noli ignoscere. Si au„ tem Christus multa millia peccatorum invenit, & ta„ men omnia donavit: noli subducere misericordiam, sed „ posce illius numeri solutionem. Non enim sine causa „ Dominus septuagies septies dixit: quia omnino nulla „ culpa sit, quam non debeas ignoscere. " *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi*, subjungit ibidem Apostolus. *Filius diceris: si respuis imitationem, quare quæris hæreditatem?*

16. *Ideo assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta*, &c. Christus Rex Regum, cœli terræque Dominus, ab omnibus hominibus servis suis rationem exiget, & post mortem uniuscujusque, & in su-
2. Cor. 5. 10. premi judicii die. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Servus decem millium talentorum debitor, totius generis humani figura est. Deo debitores sumus universi & singuli decem millium talentorum; tum quia beneficia, donaque innumera, cum ordinis naturalis, tum ordinis supernaturalis gratiarum copiam inundantem ab ejus immensa bonitate accepimus: tum quia hujusmodi donis & gratiis abusi, ipsum in multis graviter offendimus. Quot peccata cogitationis, oris, operis, ignorantiæ, cupiditatis, malitiæ; omissionis, & commissionis; propria, & aliena? *Non in-*
Ps. 124. 1. Ps. 39. 3. *tres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: (orabat David.) *Circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit ..... Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super*
Ps. 37. 5. *me*. Miser ille servus, de quo Parabola, non habebat unde redderet, solvendo non erat: neque etiam nos aliquid habemus ex nobis unde debita nostra Deo solvamus, unde illius justitiæ satisfaciamus. Ad extremam redacti sumus inopiam & miseriam, venundati peccato & dæmoni, non a Deo, sed a nobis ipsis. Quid vero Christus? Peccatorem, qui se ipsum servituti dæmonis addixit, qui animam suam æternamque salutem illi vendidit, sub ejus servitute & tyrannide derelicturum comminatur, ut ab eo torqueatur in æternum, cui servire maluit. Deus peccatori minatur, ut respiscat: irascitur, ut humilianti se ac pœnitenti propitius esse possit. Adhuc differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est minas. *Clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire? Differt ergo manum a peccatis tuis: tu noli differre. Converte te ad punienda peccata tua; quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut a te, aut ab ipso: tu agnosce, ut ille ignoscat*. Servum illum decem millium talentorum debitorem imitare, qui procidens coram Rege domino suo, orabat eum. Miseriam tuam agnosce, inopiam & impotentiam fatere, Dei misericordiam corde contrito & humiliato implora, coram eo procide, supplex ora per Christum Jesum, ne terribiles minas peccatoribus juste intentatas in te exequatur. Ad patientiam ejus cum fiducia confugias: finceram voluntatem offer satisfaciendi pro viribus ejus justitiæ per pœnitentiam; tibi non parcendi, ut ille parcat. In ejus immensa bonitate & misericordia confidens, nec non in Christi meritis, infinitoque sanguinis ejus pretio, dic supplex: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, prout potero, non de meo quidem, sed de tuo, de tuis donis ac datis. Id si ex odio peccati, & amore Dei sincere pœnitens feceris, *Deus qui dives est in misericordia*, non modo minas tibi remittet, sed debitum omne condonabit. *Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei*.

S. August. Enarrat. in Ps. 34. num. 18.

17. *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes*, &c. Quod nobis debent conservi, incomparabiliter minus est iis, quæ Deo debemus. Decem millia talenta nobis donat Deus, si centum denarios donemus fratribus. Peccata nostra, quibus debitores sumus ejus justitiæ pœnarum æternarum; aut certe gravissimarum & diuturnarum, si venialia sint, nobis ea conditione remittit, ut fratribus ignoscamus: & conditionem respuimus. O cæcitatem! o duritiam! „ Om-
S. Aug. ser. 83. alias 15. de Verbis Domini cap. 2. „ nis homo & debitor est Dei, & debitorem habet fra„ trem suum. Quis est enim qui non sit debitor Dei, nisi „ in quo nullum potest inveniri peccatum? Quis est au„ tem qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem „ nemo peccavit? Putasne quisquam in genere humano „ repiriri potest, qui non & ipse aliquo peccato obstri„ ctus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, ha„ bens tamen & ipse debitorem. Ideo Deus justus con„ stituit tibi Regulam in debitore tuo, quod facit & ipse „ cum suo. Duo sunt enim opera misericordiæ quæ nos „ liberant, quæ breviter ipse Dominus posuit in Evan-
Lucæ 6. 37. „ gelio: *Dimitte, & dimittetur vobis*, ad ignoscendum „ pertinet. *Date & dabitur vobis*, ad præstandum bene„ ficium pertinet. Quod ait de ignoscendo; & tu vis ti„ bi ignosci quod peccas, & habes alium cui tu possis „ ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum benefi„ cium, petit te mendicus, & tu es Dei mendicus; om„ nes enim quando oramus, mendici Dei sumus: ante „ januam magni patris-familias stamus, immo etiam pro„ sternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes ac„ cipere; & ipsum aliquid ipse Deus est. Quid a te pe„ tit Mendicus? panem. Et tu quid petis a Deo, nisi „ Christum, qui dicit, *Ego sum panis vivus, qui de cœ-*
Joann. 6. 12. „ *lo descendi*? Ignosci vobis vultis? Ignoscite: Remittite „ & remittetur vobis. Accipere vultis? Date & dabitur „ vobis. " Servi illius nequam, de quo Evangelica Parabola, ingrati animi vitium, duritiem, & inhumanitatem imitantur, qui a pauperibus creditoribus, qui solvendo non sunt, debita immisericorditer exigunt, ipsos in carcerem mittunt, ipsos rem omnem familiarem, agellos, ædiculas, supellectilem, vestes vili pretio vendere compellunt, illorum precibus & lachrymis nihil commoti. Considerent quæso, servum illum qui centum denarios exigebat a conservo, alienum non rapuisse, sed debitum exegisse: & tamen juste damnatus est, quia debitum durius exigebat. *Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habet in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum*. Servi illius duritiem & inhumanitatem pariter imitantur divites, qui pauperibus mutuum dare nolunt, ob periculum amittendi. „ Considerent, „ amabo, illum Deo fenerari, qui dat eleemosynam vel „ mutuum pauperi. Da, & noli te avertere ab eo qui „ mutuum petit. Sed tantum accipe, quantum dedisti. „ Non ploret cui dedisti; nam beneficium perdidisti. Et „ si hoc ipsum quod datum est, vel quod accepit exigi„ tur, forte ad manum nondum habet: pertulisti peten„ tem, expecta non habentem: cum habuerit, reddet ti„ bi. Noli clamare & dicere. Numquid fenus quæro? „ Tantum peto quantum dedi: quod dedi, hoc accipiam. „ Benefacis, sed nondum habet. Non es fenerator, & „ vis quod præstitisti, ut quærat feneratorem, ut tibi red„ dat. Si proprerea fenus non exigis, ne te fenerato„ rem patiatur; quare vis ut propter te alium fenerato-

S. August. serm. 339. alias de Temp. 146. cap. 4.

„ rem

„ rem patiatur? Premis, suffocas: etsi tantum exigis quantum dedisti; suffocando tamen & angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potius majores angustias intulisti. Sed forte dicis, Habet unde reddat: habet domum, vendat: habet possessionem, vendat. Quando a te petivit, ideo petivit ne venderet; propter te non faciat qui subveniſti ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus.“ Denique servi illius duritiem imitatur, qui fratri non vult ignoscere, cum toties veniam a Deo obtinuerit, & ab illo sibi quotidiana, quæ committit peccata oret ignosci. Quisquis Christum cogitas, & cupis accipere quod promisit, noli esse piger facere quod præcepit. Quid enim promisit? Vitam æternam. Et quid præcepit? Dari fratri tuo veniam... Volo ergo te ignoscentem, quia teneo veniam postulantem, Rogaris, ignosce; tu rogabis ut ignoscatur tibi. Ecce veniet tempus orandi. In verbis quæ dicturus es, teneo te. *Dimitte nobis debita nostra.* Quo jure? Quo pacto? Quo placito? Quo chirographo recitato? *Sicut & nos, dimittimus debitoribus nostris.* Parum est quod non dimittis: adhuc & Deo mentiris. „ Conditio posita est, fixa „ est lex: Dimitte, sicut dimitto. Ergo non dimittit, „ nisi dimittas. Dimitte, sicut dimitto. Petenti vis ut dimittatur tibi, petenti dimitte. Preces istas Jurisperitus cæli dictavit: non te fallit, secundum cælestem ejus „ vocem posce: dic, *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus*, & fac quod dicis. Qui mentitur in precibus, beneficio caret: qui mentitur in precibus, & perdit causam, & invenit pœnam. Et si aliquis mentitur Imperatori, cum venerit, convincitur quia mentitur: quando autem tu orando mentiris, in ipsa oratione convinceris: non enim Deus ut te convincat, testes a te quærit. Qui tibi dictavit preces, Advocatus est tuus: si „ mentiris, testis est, si non te corrigis, Judex erit tuus. „ Ergo & dic, & fac. Quia si non dicis, contra jus petendo non impetras: si autem dicis, & facis, etiam „ mendacii reus... In oratione dicis, Da; dicis, Dimitte: ut accipias quod non habes, & relaxetur tibi quod „ deliquisti. Ergo vis accipere? da, vis ut dimittatur tibi? dimitte.„ Alioquin tibi Christus duritiem & inhumanitatem in die judicii palam exprobabit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Et iratus Dominus tradet te tortoribus, dæmonibus scilicet in æternum cruciandum.

S. Aug. ſ. 114. Edit. noviſſimæ Pariſienſis.

18. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ne dicas lingua, Ignosco, & corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. *Vocem tuam homo audivit: conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis, Dimitto, dimitte. Melius est cum clamas ore, & dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.*„ Ita tamen ignoscendum, ut non ne„ gligatur disciplina. Corripiamus verbis subditos, & si „ opus est, & verberibus: sed delictum dimittamus, cul„ pam de corde abjiciamus. Ideo enim Dominus subdi„ dit, *De cordibus vestris*, ut si per charitatem imponitur „ disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim „ tam pium, quam Medicus ferens ferramentum? Plo„ rat secandus, & secatur; plorat urendus, & uritur. „ Non est illa crudelitas, absit ut sævitia Medici dica„ tur.“ *Sævit in vulnus, ut homo sanetur, quia si vulnus palpetur, homo perditur. Sic Fratres nostros qui peccaverint, omni modo diligamus, de corde nostro charitatem in eos non dimittamus, & disciplinam cum opus est, demus, ne per solutionem disciplinæ crescat nequitia.*

S. Aug. ſ. 83. alias 15. de Verbis Domini.

Galat. 6. 1. Id tamen cum mansuetudine agendum est. Unde Apostolus ait: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

CAPUT XIX.

Sensus Litteralis.

Marci 2. 1. ET *factum est, cum consummasset Jesus sermones istos migravit a Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem; & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.* Consummatis sermonibus capite superiori descriptis, migravit Jesus a Galilæa; & per loco ultra Jordanem sita, venit in fines Judææ, Jerosolymam ascensurus ad Festum Scenopegiæ: *& secutæ sunt eum turbæ multæ*, quas ibi, scilicet in Judææ finibus, docuit, ut habetur Marci 10. 1. & curavit a variis infirmitatibus.

Deuter. 24. 1. 2. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini uxorem suam dimittere, quacumque ex causa?* Non discendi studio, ad Jesum accesserunt, illumque interrogaverunr, sed calumniandi, ut ex quæstionis tunc apud Judæos controversæ definitione ipsi inimitias conciliarent, & obtrectandi invenirent materiam tum apud eruditos, cum apud plebem hujus aut illius sexus. *Si licet homini dimittere uxorem* id est, repudiare, e thoro ac domo in perpetuum ejicere, soluto matrimonii vinculo, ita ut aliam ducere possit, quamvis ob culpam, immo quamvis ob causam, & pro suo arbitrio? Eo consilio interrogant, ut quodcumque responderit, captioni pateat. „ Si dixerit dimittendas esse *S. Hier. in* „ uxores qualibet ex causa, & ducendas alias, pudi- *hunc lo-* „ citiæ prædicator sibi videbitur docere contraria. Si *cum.* „ autem responderit, non omnem ob causam debere di„ mitti, quasi sacrilegii reus tenebitur, & adversus do„ ctrinam Moysi, immo Dei, facere judicabitur. Igi„ tur Dominus sic responsionem temperat, ut decipulam „ eorum transeat, Scripturam sanctam adducens in testi„ monium, & naturalem legem; primamque Dei sen„ tentiam secundæ opponens, quæ non voluntate Dei, „ sed peccantium necessitate concessa est.“

Genes. 1. 3. *Qui respondens, ait eis: Non legistis; quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Vos qui de Legis scientia gloriamini, non legistis, Deum, qui hominem condidit in prima rerum institutione, masculum unum uni feminæ, Adamum & Evam condidisse & in matrimonium conjunxisse? Porro si virum unum plures uxores habere voluisset, vel priori pro arbitrio repudiata, alteram ducere, non unam, sed plures feminas primum condidisset. *Et dixit* Deus per Adamum suo Spiritu afflatum. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem*, quoad cohabitationem, & vitæ societatem, *& adhærebit uxori suæ* individuo scilicet vitæ consortio. Unde Psalmo 45. 11. dicitur: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum.* Arctissima quidem conjunctio est inter parentes & liberos: at longe arctior est ex instituto divino inter conjuges. *Et erunt duo in carne una*; sive, secundum vim Græci Textus, *in carnem unam*. Erunt duo, non plures, quasi unus homo, una caro, unum corpus, non facto tantum, sed mutuo ipsorum corporum jure & potestate; unum generationis principium ex institutione Dei 1. Cor. 7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Lib. 7. Conſtit. Apoſtol. c. 3. S. Aug. l. 2. Operis Imperf. contra Julian. c. 39. Epheſ. 5. 28. & ſeq.

4. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*„ Unum „ sunt, inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum, unum „ sunt vir & uxor natura, consensu, concordia, propo„ sito, vita, moribus: distincti figura & numero. Duo „ non pluribus opponit, sed uni. Ante fœdus matrimo„ nii duo erant, postea pro uno censentur legis interpre„ tatione & corporum conjunctione ad procreationem fi„ liorum. Hinc Apostolus scribit: Ita & viri debent „ diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem „ diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem „ suam odio habuit; sed nutrit & fovet eam, sicut & „ Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, „ de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relin„ quet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxo„ ri suæ: & erunt duo in carne una.“

5. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Cum ergo duo per matrimonium ex Dei institutione & conjunctione in unam carnem coaluerint, quod Deus conjunxit, *homo non separet*: nemo homo, non vir, non uxor, non judex, non legislator quilibet divortio aut repudio dividat conjuges, sive matrimonii legitimi vinculum solvat. Ostendit itaque & præter naturam, & contra Legem esse repudium; præter naturam quidem, quia una caro dividitur ac discerpitur: contra Legem vero, quia cum Deus conjunxerit ac separare prohibuerit, Judæi contra Legis præceptum facere ausi sunt.

S. Jo. Chryſ. Hom. 63. in Matt.

Deuter. 24. 1. 6. *Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Quare ergo Moyses præcepit nobis dare libellum repudii uxoribus quas dimittere„ mus? *Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Moyses, auctore Deo, cujus Legem promulgabat, vobis quidem non præcepit, ut dicitis, sed permisit, id est, non severe prohibuit, sed toleravit ut uxores vestras scripto libello repudii dimitteretis, propter duritiam cordis vestri, quod adversus æquitatem a natura Deoque præscriptam obduruerat. Id quippe vobis indulgere, hac erga vos uti conniventia opus fuit ne majora mala perpetraretis, uxoricidia, veneficia, apostasiam, ac defectionem a cultu veri Dei, repudium prohibentis, ne denique in uxores vestras sæviretis. Verum ab initio mundi & institutionis matrimonii, permissum non fuit homini ut uxorem suam dimitteret. Revocat eos Christus ad primævam matrimonii institutionem, quæ lex est ipsius naturæ; ideoque ut recta est, & perfecta, ita & inviolabilis.

S. Hieron. in c. 1. 9. Matth.

7. *Dico autem vobis, Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quicumque uxorem suam a thoro & cohabitatione in perpetuum abjecerit (quod ob solum adulterium licet) & aliam duxerit illa superstite, mœchatur; & qui dimissam duxerit

viro

viro ſuperſtite, mœchatur; quacumque ex cauſa dimiſſa ſit, etiam adulterii. Confer cum Marci x. 10. 11. 12. „ „ Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interro- „ gaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxo- „ rem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit „ ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii „ nupſerit, mœchatur. *Et Lucæ* 16. 18. Omnis, qui di- „ mittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: „ & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur. *Et* 1. *Cor.* „ 7. 10. Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio „ non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcede- „ re: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro re- „ conciliari. *Rom.* 7. 2. Nam quæ ſub viro eſt mulier, „ vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fue- „ rit vir ejus ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente vi- „ ro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi au- „ tem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri: „ ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.“ Generales ſententiæ ſunt, huic S. Matthæi loco lucem afferentes. Exceptio igitur iſta, *Niſi ob fornicationem*, ad ſolam quæ proxime antecedit, dimittendi licentiam reſtringenda eſt. *Sola fornicatio eſt* (inquit S. Hieronymus) *quæ uxoris vincat affectum: immo cum illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura*: Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt: *Ubicumque eſt igitur fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere ut quis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat.* Ideo autem Dominus cauſam fornicationis interpoſuit, dicens: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: „ quia illud quod majus eſt comme- „ morare voluit. Majus enim adulterium eſſe quis neget, „ uxore non fornicante tunc dimiſſa alteram ducere, „ quam ſi fornicantem quiſque dimiſerit, & alteram du- „ xerit? Non quia & hoc adulterium non eſt; ſed quia „ minus eſt, ubi fornicante dimiſſa, altera ducitur.“ Nam ſimili locutione uſus etiam Apoſtolus Jacobus ait: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi*. Numquid ideo non peccatum eſt illi etiam qui neſcit bonum facere, & ideo non facit? Utique peccatum eſt, ſed hoc gravius, ſi etiam ſciat & non faciat: nec illud ideo nullum, quia minus. „ Ut ergo eodem modo „ utrumque dicamus: Sicut quicumque dimiſerit uxorem, „ excepta cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœcha- „ tur: ita quicumque ſcit bonum facere & non facit, „ peccat. Sed quemadmodum hic recte dici non poteſt: „ Ergo ſi neſcit, non peccat; ſunt enim etiam peccata „ ignorantium, quamvis minora quam ſcientium: ita nec „ illic recte dici poteſt: Ergo ſi cauſa fornicationis di- „ miſerit, & aliam duxerit, non mœchatur; eſt enim „ mœchatio eorum etiam qui alias ducunt relictis pro- „ pter fornicationem prioribus; ſed utique minor quam „ eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & „ alteras ducunt. *Poteſt quippe ſicut dictum eſt*, Scien- „ ti bonum facere, & non facienti, eſt peccatum illi: „ *eodem modo & illud dici, Dimittenti uxorem ſine cau- „ ſa fornicationis, & aliam ducenti, mœchatio eſt illi.* „ Quemadmodum igitur ſi dixerimus. Quicumque mulie- „ rem a marito præter cauſam fornicationis dimiſſam „ duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec „ tamen ideo illum qui propter cauſam fornicationis di- „ miſſam duxerit, ab hoc crimine abſolvimus, ſed utro- „ ſque mœchos eſſe minime dubitamus: ita eum qui præ- „ ter cauſam fornicationis uxorem dimiſerit, & aliam „ duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum „ qui propter cauſam fornicationis dimiſerit & alteram „ duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos „ enim, licet unum altero gravius, mœchos tamen eſſe „ cognoſcimus.“

S. Hieron. in hunc locum. Legatur & Epiſtol. 30. *& 147. Proverb.* 18

S. Aug. lib. 1 *de Conjugiis adulterinis cap.* 9.

8. *Dicunt ei Diſcipuli ejus*: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*. Si ea eſt mariti conditio, ut uxorem dimittere nnn poſſit, niſi ob cauſam fornicationis, ſatius eſſet uxorem non ducere. *Qui dixit illis*: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*. Non omnes huic rei ſufficiunt, non omnes pares ſunt ſublimi propoſito ſervandæ continentiæ: hæc enim Dei donum eſt. Confer cum Sapientiæ 8. 21. „ Et ut ſcivi „ quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus „ det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet „ hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum. „ *Verſio Syriaca*: Si talis eſt rigor inter virum & uxo- „ rem ſuam, non expedit ducere uxorem. Ipſe vero di- „ xit eis: Non quilibet capax eſt hujus ſermonis, ſed is „ cui datum eſt. *Perſica*: Haud quivis homo huic ido- „ neus eſt, ſed is cui datum fuerit. *Arabica*: Non qui- „ libet tolerat hæc verba, ſed ii qui donati ſunt. *Hinc* *S. Clemens Rom. Epiſt.* 1. *ad Corinthios.* „ S. *Clemens Romanus*: Qui carne, *inquit*, caſtus eſt, „ ne inſoleſcat, cum ſciat alium eſſe qui continentiæ „ donum ipſi tribuat.“

9. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt*, natura quodammodo caſti, ſaltem ſecundum corpus, non virtute: *& ſunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus*, per violentiam ſcilicet, quo modo Valeſii Hæretici ſe ipſos hoſpiteſques ſuos caſtrabant: *Et ſunt eunuchi qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum*, non in corpore, ut Origenes, iidemque Valeſii male interpretati ſunt, *ſed in ipſa concupiſcentiæ radice, cœleſtem & angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes*; Caſtitatis propoſito, aut etiam voto ſui ſexus velut obliti: idque propter regnum cœlorum, non ob præſentis vitæ commoda, idololatriam, Philoſophiam, laudem hominum, ſed propter Deum, ut purius illi ſerviant, ea *cogitantes quæ Domini ſunt, ut ſint ſancti corpore & ſpiritu*. De his S. Juſtinus Martyr ad Imperatores ſcribebat: „ Permulti ſexus utriuſque, & ſexaginta „ & ſeptuaginta nati annos, qui a pueritia Chriſti di- „ ſciplinam ſunt affectati, & apud nos incorrupti & cę- „ libes perdurant. Et glorior me per omne genus ho- „ minum noſtrorum tales commonſtrare poſſe. *Tertulli-* „ *anus*. Nos, *inquit*, ab iſto eventu (*inceſtus ſaltem* „ *fortuiti*) diligentiſſima & fideliſſima caſtitas ſepſit, „ quantumque ab ſtupris, & ab omni poſt matrimonium „ exceſſu, tantum & ab inceſti caſu tuti ſumus. Qui- „ dam multo ſecuriores, totam viam hujus erroris virgi- „ ne continentia depellunt, ſenes pueri. *Minucius Felix*: „ Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus. Cupi- „ ditate procreandi aut unam ſcimus, aut nullam . . . „ Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruun- „ tur potius quam gloriantur.“

S. Augustin. lib. de Sancta Virginitate cap. 24.

1. *Cor.* 2. 34. *S. Juſtinus Apolog. ad Imp.*

Tertull. in Apolog.

Minucius Felix in Octavio

10. *Qui poteſt capere, capiat*, Qui tam ſublimi eximioque dono inſtructus a Deo eſt, ut in perpetuum continere poſſit, & cęlebs manere, maneat Dei gratia favente. Verſio Syriaca; „ Qui poteſt capax eſſe, capiat. *Per-* „ *ſica*: Quicumque voluerit præſtare, præſtet. *Arabica*: „ Qui poteſt tolerare, toleret. *Æthiopica*. Qui poteſt „ perficere illud, perficiat. *Confer cum* 1. *Cor.* „ 7. 7. Volo enim omnes vos eſſe ſicut me ipſum: ſed „ unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius qui- „ dem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis, & „ viduis: Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. „ Quod ſi non ſe continent, nubant:“

11. *Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret, Diſcipuli autem increpabant eos*. Oblati ſunt Chriſto *infantes* a parentibus & nutritiis *ut eos tangeret*, manumque impoſitione & oratione eis benediceret. Pro pueris eo ritu preces concipi ſolitas conſtat ex *Geneſ.* 48. 14. 15. & 16. ubi Jacob hoc modo benedixit filiis Joſeph. Hinc mos apud Hebræos invaluit, ut ad eos qui ſanctimonia ceteris præſtare crederentur, pueros deferrent, ipſorum precibus per manuum benedictionem Deo commendandos: qui mos a Synagoga in Chriſtianam etiam Eccleſiam tranſiit. Hunc enim approbavit Chriſtus, ut iſti etiam ætati prodeſſe aliorum fidem ac preces oſtenderet. Diſcipuli autem prohibebant eos, & duriuſculis verbis repellebant, ut minus honorifice Dominum obſervantes, cujus dignitati non convenire exiſtimabant circa pueros occupari. *Jeſus vero ait eis*: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire*: *talium eſt enim Regnum cęlorum*. Ne moleſti ſitis pueris, & his qui ipſos afferunt vel adducunt, & ne illis aditum ad me prohibeatis, cum deſignati ſint ſanctitati & ſaluti, & benedictione mea ſanctificandi, ut Regnum cęlorum conſequantur. Huic Chriſti dicto inter cetera innititur mos infantes baptiſmo tingendi, quem & Traditio contra Anabaptiſtas vindicat. Non dixit porro, Iſtorum eſt Regnum cęlorum, ſed *talium*, ut non ſolis ætate parvulis, ſed & adultis, qui morum innocentia, ſimplicitate & umilitate parvulis ſimiles eſſent, Regnum cęlorum deſtinatum ac promiſſum oſtenderet. Confer cum Marci 10. 15. & Lucæ 19. 17. *Amen dico vobis*: *Quicumque non acceperit Regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud*. Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde. Jeſum illos complexum, S. Marcus addit.

S. Cypr. Epiſt. ad Fidum. S. Aug. paſſim in libris contra Pelagian. S. Ber. Ep. 241. *& ſerm.* 66. *in Cantica. S. Hieron. in hunc locum.*

12. *Et ecce unus accedens, ait illi*: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Unus, non Legiſperitus ille, qui tentandi animo eamdem quæſtionem Chriſto propoſuit *Lucæ* 10. 25. ſed *Princeps*, id eſt, vir precipuæ dignitatis & potentiæ inter Judæos, de quo *Lucæ* 18. 18. qui ſincero corde & cum reverentia ad Jeſum acceſſit, eumque interrogavit. Marci 10. 17. *Et cum egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum*: *Magiſter bone*, &c. Quibus verbis Chriſti benevolentiam captare voluit. Quibus autem operibus ad vitam perveniatur æternam, interrogat, quam Judæis tenuiter cognitam aperte a Chriſto prædicari audiebat.

13. *Qui dixit ei*: *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata*. Duplex hic lectio, prior quam vulgata noſtra exhibet ex Græcis pleriſque Codicibus derivata, & SS. Hieronymi & Auguſtini auctoritate confirmata, nec non Syriacæ Verſionis. Altera Codicibus Græcis longe pluribus conſentiens, quam Origenes, S. Hilarius, S. Joannes Chryſoſt. S. Gaudentius, & alii quidam ſequuntur,

S. Aug. l. 1. *de Trin. c.* 18. *S. Gaudent. Tract.* 7. *in Exod.*

(quam-

(quamquam Origenes utramque lectionem referat) *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* Ita legitur Marci 10. 18. & Lucæ 18. 19. ex quibus in nonnullos S. Matthæi codices hæc lectio traducta est. Idem est utriusque sensus: *Quid me interrogas de bono?* id est, Quid me interrogas bonum appellans? Vel *Quid me dicis bonum? Unus est bonus Deus.* Et, Nemo bonus præter unum Deum, per se, & natura sua, ut fons omnium bonorum, quamvis & alia sint participatione quemadmodum
1. Tim. 6. 16. *& solum Deum habere immortalitatem* S. Paulus dixit, cum tamen & Angelos, & Animas nostras immortales esse constet immortalitatis divinæ participatione. Unum vero Deum bonum asserendo, tantum abest ut se Deum esse negaverit, & per se bonum; quin potius juvenem interrogantem, qui ipsum bonum vocaverat ut Magistrum Legis, dicendo, *Magister bone*, ad notitiam divinitatis suæ, ac summæ bonitatis perducere voluerit. *Quare* (inquit S.
S. Jo. Chrys. Hom. 63. in Matth. Joannes Chrysostomus) *Christus neminem esse bonum respondet? Quoniam ceu ad hominem nudum & unum e multis Judæorum Magistris adiit; idcirco etiam ipse quasi homo ei respondet. Sæpius enim ad mentem interrogantium*
Joann. 3. *orationem accommodat, ut quando dicit*: Nos adoramus quod novimus: & *Si* ergo testor de me ipso, testimonium meum non est verum. „ Cum igitur nullum bonum di„ cit, non se excludit a bonitate, abest. Non enim di„ xit, Quid me dicis bonum? Non sum bonus: sed, Nul„ lus bonus, hoc est, nullus hominum. Neque tamen cum „ hoc dicit, omnino humanum genus bonitate privatum „ esse affirmat, sed comparatione divinæ bonitatis nemi„ nem bonum esse asserit, ac ideo subjunxit, *Nisi unus.* „ *Deus.* Nec intulit, nisi Pater meus: ut discas quod se illi „ non revelavit: sed eum sensim ad altiora adducere vo„ luisse: ut ab adulationis vitio liberatus, & a terrenis „ abductus, solum Deum vere bonum, & radicem ac fon„ tem bonorum omnium esse cognosceret, eique gloriam
S. Hilar. l. 9 de Trinit. n. 16. 17. 18. „ referret. *Fidem itaque imperfectam interrogantis arguit,* „ *non boni nomen sibi tributum.* Ita arguit se Magistrum „ bonum dici, ut fidem interrogantis potius, quam vel „ Magistri in se vel boni nomen argueret. Juvenis enim „ insolens per observantiam Legis, & finem Legis, qui „ Christus est, nesciens, & justificatum se in operibus e„ xistimans, & non intelligens venisse eum ad oves per„ ditas domus Israel, & impossibile esse Legi per fidem „ justificationis salvare credentes: tamquam communium „ præceptorum & in Lege scriptorum Magistrum inter„ rogat Dominum Legis, & Unigenitum Deum. Dete„ status itaque Dominus hanc de se irreligiosæ fidei pro„ fessionem, quod tamquam Magister Legis interrogare„ tur, respondit: *Quid me vocas bonum?* Atque ut si„ gnificaret quatenus intelligendus & profitendus bonus „ esset; subjecit, *Nemo bonus nisi unus Deus*, non res„ puens bonitatis nomen, si sibi hoc tamquam Deo repu„ taretur. Denique ostendens se Magistri in se boni, per „ fidem ejus qui tamquam hominem interrogabat, nomen „ arguere, post jactantiam juvenis, & gloriam Legis im„ pletæ, ita respondit: Unum tibi deest, vade, quæ„ cumque habes vende, & da pauperibus, & habebis „ thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Non refugit „ bonitatis de se nomen, qui cœlestem thesaurum polli„ cetur: nec Magistrum se non vult videri, qui ducem „ se perfectæ hujus beatitudinis præstat. Terrenæ autem „ de se opinionis fidem arguit bonitatem in solo Deo do„ cens esse. Et ut se & Deum & bonum significaret, „ bonitatis est usus officio, cœlestes thesauros pandens, „ se ad eos prævium tribuens. Ita & quæ sibi tamquam „ homini tantum deferebantur, detestatur, neque se ab „ his quæ Deo deputabat, professus alienum est: cum „ unum Deum bonum confitens, ea ipse loqueretur at„ que ageret, quæ unius Dei virtutis, bonitatis, at„ quæ naturæ sunt. Quum igitur non bonitatis nomen „ refugerit, sed neque Magistri honorem recusaverit, „ sed fidem ejus qui nihil in se nisi corporeum & car„ nale sapuisset, arguerit: hinc intelligitur, quod aliter „ ad Apostolos Magistrum se confitentes locutus est, di„ cens, " Vos me vocatis Magistrum & Dominum, &
Jo. 13. 15. Matt. 23. 10. bene dicitis; sum etenim, *& cum alibi dixisset*, Ne vocemini Magistri, quia Magister vester Christus est, i„ bi adeo laudat, ut & profiteatur hoc nomen: „ hic „ vero boni Magistri nomen non recognoscit, ubi nec „ Dominus intellectus est esse, nec Christus: solum u„ num Deum bonum prædicans, non se utique a Deo „ secernens, qui & Dominum se professus & Christum, „ ducem thesauri cœlestis ostendat. "

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Si vitæ æternæ, quæ sola vitæ nomine digna est, iter ingredi velis, serva mandata Dei, non aliqua dumtaxat, sed omnia, tum quæ fidem, tum quæ opera spectant. Prov. 7. 1. 2. *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili, serva mandata mea, & vives.*

14. *Dixit illi*: *Quæ?* Id quærit juvenis, quia a Jesu novo Doctore nova mandata Discipulis suis proponi putabat. *Jesus autem dixit*: *Non homicidium facies*: *Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam*: *&, Dili-*
Natal. Alex. In Evang. *ges proximum tuum sicut teipsum.* Jesus illi mandata Legis enumerat, non Ritualia, sed Moralia, non ad solos Judæos, sed ad Christianos etiam pertinentia. Enumerat autem præcepta secundæ Tabulæ tantum, quod notoria essent, & quod ex illis primæ Tabulæ præcepta intelligantur, cum dilectio proximi sit *plenitudo Legis*, & amoris erga Deum signum certissimum. Confer cum *Rom.* 13. 8. 9. & *Jacobi* 2. 8. 11. ubi facta mentione Legis, sola secundæ tabulæ præcepta exempli gratia pariter proponuntur.

15. *Dicit illi adolescens*: *Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* Omnia hæc servavi ab ineunte ætate, a primo rationis usu. Si quid mihi defuerit, illud suscipere & exequi paratus sum. Quamvis autem *arrogantius quam verius* responderit juvenis ille, candido tamen animo respondit, nec mentitus esse dicendus est: servaverat enim omnia, saltem quod ad externam & civilem justitiam attinet. Unde S. Marcus narrat, Christum ipsi post ingenuam illam professionem benevolentiæ signa exhibuisse. *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei*, &c. *S. Aug. Ep. 157. alias 89.*

16. *Ait illi Jesus*: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*: *& veni, & sequere me.* Si perfectiorem viam ingredi velis, sublimiusque vitæ genus profiteri & amplecti, vade, facultates & bona tua vende, & da pauperibus: ut divitiarum impedimentis, curisque & affectibus rerum terrenarum expeditus, ad propositum æternæ vitæ finem facilius tendas atque pervenias: & majores divitias, thesaurum non deficientem in cœlo, gloriam ampliorem consequeris, quam si sola mandata observes. *Et veni & sequere me.* Discipulus meus esto, mihi individuus adhære, vitam meam omnibus conspicuam virtutibus imitare. Evangelicorum perfectionem consiliorum hic demonstrat Christus, non commune præceptorum iter, de quo superius dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hic autem non ait, *Si vis ad vitam ingredi*, vade, vende quæ habes, & da pauperibus: sed, *Si vis perfectus esse . . . & habebis thesaurum in cælo*, quamdam egregiam gloriam, *non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuendam, cui consequendæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi Liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis.* S. Aug. l. de Sancta Virginit. c. 4.

17. *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Temporalium bonorum, quæ plurima possidebat, amor immodicus effecit, ut se imparem eorum abdicationi sentiret: ideo tristis abiit, quod tam arduum perfectionis iter ipsi Christus præter expectationem proposuisset.

18. *Jesus autem dixit Discipulis suis*: *Amen dico vobis*: *Quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum.* Opes enim, ut plurimum sunt irritamenta malorum, aut certe bonorum impedimenta. Divites quippe solent plerumque divitiis suis confidere, & quasi in illis ponere summam boni. „ Radix *autem* omnium est malorum cupi- 1. Tim. 9
„ ditas: & qui volunt divites fieri incidunt in tentatio„ nem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inu„ tilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum. „ *Confer cum Marci c.* 10. 24. Filioli, quam difficile est „ confidentes in pecuniis, in Regnum Dei introire. *Ps.* „ 51. 9. Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem „ suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, „ & prævaluit in vanitate sua. *Eccli.* 31. Qui aurum „ diligit, non justificabitur . . . Multi dati sunt in au„ ro casus, & facta est in specie ipsius perditio illo„ rum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ „ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet „ in illo. Beatus dives, qui inventus est sine macula, „ & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, „ & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Fecit „ enim mirabilia in vita sua. *Coloss.* 3. 5. Mortificate „ membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, „ immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & „ avaritiam; quæ est simulacrorum servitus: propter quæ „ venit ira Dei in filios incredulitatis. "

19. *Et iterum dico vobis*: *Facilius est camelum per foramen acus transire; quam divitem intrare in Regnum cœlorum.* Non de camelo rudente, seu fune nautico, sed de camelo animali Christus loquitur. Proverbium est de re quæ nullo modo, aut difficulter admodum fieri potest, usitatum apud Talmudistas, de elephante. Sub initio Gemaræ: *Dicunt homines, Non est elephas qui intret per foramen acus.* Ibidem, cum aliquis incredibilia narrat, respondent: *Forte ex Pombedithanis es, qui introducere possunt elephantem per foramen acus.* Bal. Berachor, fol. 55. *Non ostendunt homini palmam ex auro, nec elephantem incedentem per foramen acus.* Ubi Glossa: *Rem quam non solitus est videre, nec de qua unquam cogitavit.* Christus autem elephanti loco substituit camelum, animantis genus in Syria vulgo notius. Quo autem absurdius & impossibilius videtur hoc de camelo sumptum proverbium, eo verior est Christi sententia, eoque aptius Lightfoot Hor Herb. in c 19. S. Matt Vers. 28.

eſt ad ſummam difficultatem vel impoſſibilitatem moralem ſalutis divitis ſignificandam. In talibus enim adagiis nihil neceſſe eſt accuratam inter partes collatas comparationem inſtitui, cum ornari ſoleant hyperbolis. Tale
S. Hieron. in hunc locum. eſt illud Jeremiæ 13. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Eleganter autem dives turgens ac tumens opibus, quæ ipſi ſæpe magis oneri ſunt, quam uſui, quippe quas aliis potius bajulat quam ſibi, camelo comparatur; & anguſta porta qua intratur ad vitam, foramini acus. Æque impoſſibile eſt divitem cum amore & cupiditate divitiarum ſalvari, ac camelum intrare per foramen acus. Naturæ enim viribus cupiditas & amor divitiarum, ceteraque impedimenta quæ afferunt ad æternam ſalutem, ſuperari ac removeri non poſſunt.

Marci 10. 26. 20. *Auditis autem his, Diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Diſcipuli ſtupore percuſſi, *ad ſemetipſos* dicebant ſummiſſa voce: Cum ita ſe res habeat, quis divitum poterit ſalutem æternam conſequi? immo quis hominum? Qui enim ſenſu pauperes ſunt, plerumque divites ſunt affectu, & bonis temporalibus inhiant. *Aſpiciens autem Jeſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Jeſus benigne Diſcipulos intuitus, ut eorum cogitationes, & ſecretam collocutionem ſibi notas eſſe oſtenderet, anxiumque ipſorum animum ſedaret, dixit illis: Viribus quidem humanis impoſſibile eſt divitibus abrumpere vincula quibus eorum affectus illigatur, impoſſibile eſt removere impedimenta quæ divitiæ afferunt ad ſalutem, impoſſibile eſt vitare contagium divitiarum, & vitia ex illarum poſſeſſione & affectu plerumque emergentia; ſicut impoſſibile eſt ut camelus humana arte, induſtria, viribus tranſire poſſit per foramen acus: verum Deo poſſibilia ſunt omnia. Ille igitur gratiæ ſuæ
1. Cor. 7. auxilio divites præſtare poteſt immunes a contagio divitiarum, efficere, ut qui *habentes ſunt, ſint tamquam non habentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*, ut non *ſublime ſapiant*, id eſt, non efferantur
1. Tim. 6. divitiis, quarum vermis eſt ſuperbia; neque *ſperent in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo: ut bene agant, divites fiant in operibus bonis, facile tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

21. *Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Duo quæ Chriſtus a juvene exegerat, Petrus a ſe conditcipuliſque ſuis præſtita ait, ſcilicet omnia reliquiſſe ut Chriſtum ſectarentur: quoſdam divitias, ut Matthæum; alios naviculam, & artem cujus uſu fructuque vitam ſuam ſuſtentare ſolebant; plura relicturos, ſi plura ſuppetiiſſent. Ideoque cum fiducia interrogat: *Quid ergo erit nobis?* Quid nobis dabis præmii? *Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis, Quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael.* Vos, qui relictis omnibus, in diſciplinam meam vos tradidiſtis, mihique individui comites adhæſiſtis, in regeneratione hominis noviſſima, in Reſurrectione mortuorum, cum ego vivos & mortuos judicaturus veniam in nube cum poteſtate magna & Majeſtate, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, proximum mihi Regi ac Judici locum & honorem obtinebitis, meæque conſortes eritis poteſtatis & gloriæ in ſupremo illo ac univerſali judicio. Alludit autem ad veterem Iſaelitici Regni ſtatum, in quo Tribuum Principes proxime ad Regiam Majeſtatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus ſolium ſedebant in ſellis curulibus: vel ad communem morem, quo Regi judicanti ſelecti ab ejus Majeſtate Conſiliarii aſſident. *Sedebitis*
S Aug. l. 20 de Civit. De cap. 5. *& vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael.* „ Duodenario numero univerſa quædam ſignifica„ ta eſt judicantium multitudo. Alioquin quoniam in lo„ cum Judæ Traditoris Apoſtolum Matthiam legimus „ ordinatum; Apoſtolus Paulus, qui plus illis omnibus „ laboravit, ubi ad judicandum ſedeat, non habebit: „ Qui profecto cum aliis ſanctis ad numerum judicum „ ſe pertinere demonſtrat, cum dicit: *Neſcitis quia Angelos judicabimus?* De ipſis quoque judicandis in hoc „ numero duodenario ſimilis cauſa eſt. Non enim quia „ dictum eſt, Judicantes duodecim Tribus Iſrael, Tribus „ Levi, quæ tertiadecima eſt, ab eis judicanda non e„ rit, aut ſolum illum populum, non etiam ceteras gen„ tes judicabunt: " Sed duodecim ſolum Tribus nominari plerumque ſolent, quia Tribus Levitica nullas habebat ſedes ſeorſum, ac proinde nec proprium Tribus Principem. Ideo autem Chriſtus duodecim Tribuum dumtaxat meminit, quia his primum ac diſerte promiſſus eſt,
Rom. 11. 17. 19. & non venit, niſi ad oves quæ perierant domus Iſrael, nec Evangelium Gentibus prædicandum erat, niſi a Judæis contemptum, & Gentes, tamquam oleaſter, Judæis, tamquam *oleæ*, inſerendæ eſſent, & *Iſrael Dei*
Apocal. 7. 4 & 21. Verſ. 12. futuræ, *non ſecundum carnem*, ſed *ſecundum ſpiritum*. Hac etiam de cauſa S. Joannes in Apocalypſi omnium prædeſtinatorum numerum ad duodecim Tribus revocavit: *Et audivi numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni Tribu filiorum Iſrael. Ex Tribu Juda duodecim millia ſignati, &c. .... Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo a Deo ..... Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim Tribuum filiorum Iſrael.* Quod autem ait: *In regeneratione*, proculdubio mortuorum reſurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. *Sic enim caro noſtra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum eſt anima noſtra regenerata per fidem.* *S. Aug. l. 20 de Civit. Dei cap. 5.*

22. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et quicumque aliquid reliquerit propter me, ſeu amore mei, ſive domum, ſive fratres, vel ſorores, ſive patrem, aut matrem, ſive uxorem, aut agros, & quævis temporalia bona, potius quam me, aut fidem meam, aut mandata mea deſerat, ejuret, violet, (non enim conjugia, & neceſſitudines dirimi Chriſtus jubet: ſed ſpiritualia carnalibus, ſcilicet uxori, ceteriſque affectibus, immo & ipſi vitæ anteponi) *Centuplum accipiet*: centies tantumdem pro ſingulis relictis, in hoc ſæculo recipiet. Numerus certus pro incerto ponitur. Multo plura recipiet quam reliquerit: Et vitam æternam poſſidebit in futuro ſæculo. Confer cum Marci 10. 29. *Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domus, & fratres, & ſorores, & matres & filios, & agros, cum perſecutionibus*; id eſt, in mediis perſecutionibus, cum ad ſuos deferendos compellitur, & omnium auxilio deſtitui videtur; *& in ſæculo futuro vi-* *S. Hier. in c. 19. Matt.*
tam æternam. Et Lucæ 18. 19. *Amen dico vobis: Nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter Regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.* Ex hac Domini ſententia quidam olim mille annorum pleniſſimam in terris felicitatem poſt Reſurrectionem intulerunt, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimiſimus, & vitam æternam eſſe reddendam: non intelligentes quod ſi in ceteris digna ſit repromiſſio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiſerit, centum recipiat in futuro. Senſus ergo iſte eſt: „ Qui carnalia pro Salvatore dimiſerit, „ ſpiritualia recipiet: quæ comparatione & merito ſui
1. Cor. 6. „ ita erunt, quaſi ſi parvo numero centenarius numerus „ comparetur. Unde dicit Apoſtolus, qui unam tantum „ domum, & unius provinciæ parvos agros dimiſerat: „ QUASI nihil habentes, & omnia poſſidentes. *Meritum „ bonorum operum hac Domini ſententia luculentur adſtruitur & confirmatur*: Omnis qui reliquerit domum vel „ fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. "

23. *Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.* Multi qui primi ſunt in hoc ſæculo, noviſſimi erunt in futuro: & multi noviſſimi in hoc ſæculo, primi erunt in gloria. Multi, inquam, qui in hoc ſæculo primi ſunt temporali dignitate, auctoritate, opibus, viribus, ſcientia Legis, opinione ſanctitatis, &c. ut Scribæ, Phariſæi, ac Judæorum pars maxima, in futuro ſæculo ultimi erunt, contemnentur, a gloria rejicientur: & Gentiles Judæis ob Legem ac promiſſiones ſuperbientibus, æquiſſimo Dei judicio præferentur: & inter Judæos hi qui ob prioris vitæ peccata erant contemptiſſimi, ut Publicani & meretrices, Phariſæos & Scribas ſcientia Legis, & legalis juſtitiæ opinione inflatos, ceterum incredulos, ſuperbos, obduratos, pœnitentiæ remedium contemnentes, præcedent in Regnum Dei, quo illi nuſquam pervenient. Ait autem: *Multi erunt primi noviſſimi*, &c. non omnes, quia quidam, ſed numero pauciores, & hic, & in futuro ſæculo primas tenent.

SENSUS MORALIS.

1. ET *acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa? Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* &c. Deus conjugalis ſocietatis auctor nuptiarum fœdus vinculumque conjugale omnino indiſſolubile eſſe voluit, duos in carne una, multoque magis animo uno eſſe dixit; conjuges, relictis parentibus, ſibi mutuo individua vitæ ſocietate bonorum, honorum, ſecundarum adverſarumque rerum communione ſad mortem uſque alterutrius

trius adhærere præcepit, figuram & imaginem conjunctionis Christi cum Ecclesia in eo exhibuit. Moyses Judæis permisit dare libellum repudii uxoribus, illasque dimittere: repudium toleravit, redditque difficilius imperata conditione, ut scripto libello fieret. Christus matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit: *Sacramentum hoc magnum est, in Christo dico & in Ecclesia*: repudii licentiam sustulit, rebus ad naturæ legem primamque Dei institutionem redactis; Moralem suam non tempori, non hominum cupiditati accommodans, sed Dei voluntati & mandato, ut supremæ & indeficienti regulæ conformans; idque Dei gloriæ, hominum naturæ & utilitati convenientius esse docens & conducibilius, quòd Deus ab initio instituit. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Ephes. 5. 32

S. Aug. l. de Bono Conjugali c. 7.

„ Usque adeo fœdus illud initium nuptiale cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat. „ Quandoquidem vivente viro, a quo relicta est, mœchatur si alteri nupserit; & ille hujus mali causa est qui „ reliquit. Itaque interveniente divortio, non absolvetur „ illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, „ etiam separati, cum illis autem adulterium committant, „ quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel „ illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate „ Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est causa cum „ uxore. Ceterum aliter se habere jura Gentilium, quis „ ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam „ voluerit ducit? Cui consuetudini simile aliquid, propter Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses „ de libello repudii. Qua in re exprobratio quam approbatio divortii magis apparet. *Quamobrem* sicut conjunctio a Deo, ita divortium a diabolo. Sed propterea in „ causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa „ esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito „ non servavit. "

S. Aug. Tract. 9. in Joan.

S. Amb. l. 8. in Lucam n. 4. & seq.

Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. „ Ergo „ ubi nuptiæ, harmonia: ubi harmonia, Deus jungit. „ Ubi hormonia non est, pugna atque dissensio est: quæ „ non est a Deo, quia Deus charitas est. Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim si alienos, multo magis uxoris debes tolerare & emendare mores. Audi quid dixerit Dominus: „ *Qui dimittit mulierem, facit eam mœchari.* Etenim „ cui non licet vivente viro mutare conjugium, potest „ obrepere libido peccandi. Itaque qui auctor erroris, etiam reus culpæ est. Quo cum parvulis fœta dimittitur? „ Quo titubanti vestigio grandæva detruditur? Durus, si „ excludas parentem, pignora teneas, ut contumeliæ „ charitatis addas etiam pietatis injuriam: durus, si propter matrem etiam filios simul pellas; cum magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam „ periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori „ offeras! Quam impium, si ejus destituas senectutem, cujus defloraveris juventutem! Ergo inhonoratis stipendiis „ & veteranum Imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat: & rusticum laboris sui „ effœtum, agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi „ Legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt. *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.* Sed non „ solum hic cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur. Paterisne, oro, liberos tuos vivente „ te, esse sub vitrico; aut incolumi matre degere sub noverca? Pone si repudiata non nubat. Et hæc viro „ tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat? Pone, „ si nubat. Necessitas illius tuum crimen est: & conjugium quod putas, adulterium est. Quid enim refert, „ utrum id aperta criminis confessione, an mariti specie „ adulter admittas; nisi quod gravius est legem criminis „ feciste, quam furtum? Sed fortasse dicit aliquis; *Quomodo Moyses mandavit dari librum repudii, & dimittere uxorem?* Qui hoc dicit, Judæus est; qui hoc dicit, „ Christianus non est. Et ideo quia obiicit quod objectum „ est Domino, respondeat ei Dominus: Ad duritiam, *inquit*, cordis vestri permisit vobis Moyses dare librum „ repudii, & dimittere uxores: ab initio autem non fuit „ sic. " *Moyses permisit, inquit, non Deus jussit; ab initio autem Dei lex est; Quæ est lex Dei?* Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne una. Ergo qui *dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus.* Ferenda uxor quam elegisti, etsi deformis & fœda, etsi temulenta, etsi iracunda, etsi vaga, etsi jurgatrix, etsi maledica, nec sustinenda tantum, sed & diligenda est, *sicut Christus dilexit Ecclesiam*: & ex charitate & cum mansuetudine emendanda est ut socia, non conculcanda & verberanda ut serva, multo minus ejicienda aut dimittenda. Ideo enim Deus conjugem Adamo formavit, non ex capite, quia imperiosa mulier esse non debet, neque dominari viro, sed subdita esse; neque ex pedibus, quia non debet a viro contemni, con-

Natal. Alex. In Evang.

culcari, & durius tractari; sed ex ejus costa & latere, ut ab eo diligi ac foveri debere ut individuam vitæ sociam ostenderet. Verum ut pax & concordia inter coniuges perennis sit, ineundum est ex charitate matrimonium, non ex cupiditate; uxor bona, casta, pia, prudens, a Deo petenda est, cujus munus est: *Dominus enim & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* Virtus magis quærenda est, quam bona fortunæ. Viri diligere debent uxores ut corpora sua, illarum infirmitatibus compati, *quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ.* Uxor similiter infirmitates & defectus viri sustinere debet charitatis compatientis affectu, ipsum *casta conversatione & incorruptibilitate quieti & modesti spiritus qui est in conspectu Dei locuples*, Domino lucrifacere, ipsi subjecta esse, *sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans*: patientia, mansuetudine, precibus ad meliorem frugem revocare, si quando a tramite pietatis & via mandatorum Dei deflectat; Dei magis injurias dolere, quam suas.

Proverb. 19. 14.

2. Petr. 3. 7

2. Christus animabus nostris per gratiam suam copulatur, patrem non reliquens, a quo tamen exivit, & venit in mundum, ut Ecclesiam sibi uxorem jungeret mundatam lavacro aquæ in verbo vitæ, ipsamque sibi desponsaret in fide, in justitia & in sempiternum; Patrem, inquam non dimittit, sed secum adducit, & cum Spiritu Sancto, quo se, nosque diligunt, ut mansionem apud nos faciat. Non Spiritu solum nobis adhæret, præstatque ut ipsi adhæreamus, & unus cum eo spiritus efficiamur: *Qui* enim *adhæret Domino, unus spiritus est*: sed & *carne se nobis reipsa commiscet* per sacram Eucharistiæ Communionem, ut *simus unum Christi corpus, & una caro.* ET ERUNT DUO in CARNE UNA. Christi fœdus & conjunctio cum animabus nostris ex ipsius intentione æterna est. Qui enim prior dilexit nos non deserit nisi deserentes: non nisi vitiis nostris dirimitur sacra illa conjunctio, quæ nos divinitatis ejus, omniumque bonorum participes facit. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: Non dimittit nos *nisi ob fornicationem*, cum scilicet a Deo aversi, aliis amatoribus adhæremus, carni, mundo, terrenis rebus earum fruitione cupiditates nostras explere malentes, quam Deo fideles permanere, eoque frui. Sicut enim Deus Synagogam non dimisit nisi infidelem: sic animas nostras sibi desponsatas non dimittit, nisi fidem ipsi debitam violent, & spiritaliter fornicentur lethalique peccato se coinquinent & polluant. „ Quis est hic liber repudii „ matris vestræ, quo dimisi eam? Ecce in iniquitatibus „ vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, & non erat vir: vocavi, & „ non erat qui audiret. *Cum Apostolo igitur dicat Anima „ Christiana.* Quis nos separabit a charitate Christi? „ &c. "

1. Cor. 6. 17 S. Jo. Chrys.

Lege Origenem in hunc locum S. Matth. Isaiæ 50. 1. & 2.

3. *Dicunt ei Discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis*: Non omnes *capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Nec matrimonium inire debent, aut perpetuum quemlibet vitæ statum, nisi ad illum sint a Deo votati, & divinam voluntatem sedulo exploraverint, antequam illum eligant & amplectantur. Matrimonii incommoda, sollicitudines, onera, servitus, fastidia, tribulatio, aliæve rationes humanæ, deterrere a nuptiis non debent illos, qui ad hunc statum vocantur, qui continere non possunt, quorum adeo infirmitati necessarium est matrimonium, ne in fornicationem & immunditiam cadant. *Melius est enim nubere, quam uri.* Cœlibatus quidem perfectior est ac præstantior conjugio status: sed qui hunc eligit & in eo manet absque Dei vocatione maximis periculis salutem suam exponit. Multi sicut Loth in monte polluuntur; qui innocentiam suam in parva urbe Segor conservassent. Multi pereunt & damnantur cœlibes, qui salutem consecuti fuissent conjugati. Qui igitur Religiosum vel Ecclesiasticum statum amplectuntur vel castitatem in sæculo vovent, vires suas, vocationem suam, proprium donum prius explorent. *Non* enim *omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Debent rebellis concupiscentiæ motibus non cedere, cogitationes & desideria carnalia mox opprimere, & allidere parvulos Babylonis ad petram, quæ Christus est, ne si eis consentiatur, iniquitas dominetur; mortificare membra sua, quæ sunt super terram; carnem abstinentia, jejuniis, cibi potusque parcitate castigare, frenare, lascivientem domare. His enim modis Deus donum istud tribuit quibus tribuit. Inspirat quippe eis non solum ut casti esse velint; sed etiam ut possint, hoc est, ut magna & robusta voluntate velint. *Quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt, ut impleant quod volunt. Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum arbitrium.* Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. *Nemo putet sub hoc verbo vel fatum vel fortunam introduci, quod hi sint virgines quibus a Deo datum sit; aut quos quidam ad*

1. Cor. 7. 9.

S. Aug. l. de Grat. & l. arbit. c. 4.

hoc casus adduxerit: sed his datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. OMNI *enim petenti dabitur, & quærens invenict, & pulsanti aperietur . . . .* Perfectam igitur in cœlibatu & castitate munditiem, egregium videlicet donum iis largietur Deus qui ex animo, & cum fide, & precibus illam continuis postulabunt.

S. Hier. in c. 19. S. Matt.

Matt. 7.

4. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum,* &c. Triplex eunuchorum genus Christus distinxit. „ In „ uno posuit naturam, in altero necessitatem, in tertio vo„ luntatem: naturam in eo qui ita nascitur; necessitatem „ in eo qui ita factus est; voluntatem in illo qui spe Re„ gni cœlestis talis esse decrevit:" *Cui nos similes effici, si tamen possimus, admonuit.* Id autem possunt opitulante Dei gratia, qui eadem inspirante castitatem voverunt; vereque dicere possunt cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Id illi dumtaxat eunuchi dicere possunt, qui castitatem vovent in Ecclesia: Ethnicorum enim, Hæreticorum, & Schismaticorum virginitas & continentia inanis est. *Et tibi reddetur votum in Jerusalem* (inquit Propheta): quibus verbis: *Omnia superstitionum genera quæ extra religionem Dei sint, condemnat. Plures enim sunt in demersissimo erroris profundo locati, qui doctrinæ suæ perversitatem quadam inanis laboris probitate commendent. Cernimus namque nudis Philosophos corporibus algere: ipso etiam conjugiorum usu magistri * abstinent: Hæretici sicco panis cibo vivunt. Sed quis tandem otiosi hujus propositi profectus est? Totum hoc inane atque ridiculum est, & cum ipsis superstitionum causis miserabile. Deo ego vovenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia. Atque ideo ait:* Et tibi reddetur votum in Jerusalem. *Vota enim tantum Ecclesiasticæ religionis utilia sunt. Quæ cum & dignis Deo cantionibus, & propositæ in Ecclesia observantiæ studio probabuntur, tum digni erimus pro quibus Deum Spiritus Sanctus interpellet.* De Sanctis illis eunuchis, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum, Deus apud Isaiam ait. *Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum . . . . Quia hæc dixit Dominus eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum; & nomen melius a filiis & filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Sublimior utique gloriæ gradus in cœlesti Regno virginibus & continentibus utriusque sexus promissus est, qui non necessitate, sed boni appetitione melioris virginitatem vel continentiam servant. *Pergite itaque Sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius: sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius.* " Lumbis accinctis, & lucernis ardentibus ex„ pectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Vos af„ feretis ad Nuptias Agni canticum novum, quod can„ tabitis in citharis vestris, non utique tale quale can„ tat universa terra, sed tale quale nemo poterit dice„ re nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam „ præ ceteris dilectus ab Agno. Ipse vos vidit duoce„ cies duodena millia Sanctorum citharedorum illibatæ „ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde: „ & quia sequimini Agnum quocumque jerit, scripsit il„ le de vobis: Quo ire putamus hunc Agnum, quo „ nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? „ Quo putamus eum ire? in quos saltus & prata? Ubi „ credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi „ hujus vana, insaniæ mendaces: „ *nec gaudia qualia in ipso Regno Dei ceteris non virginibus erunt, sed a ceterorum omnium gaudiorum forte distincta. Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi: Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Ite, in hæc sequimini Agnum, quia & Agni caro utique virgo. " Merito eum sequimini virgini„ tate cordis & carnis, quocumque jerit. Quid est e„ nim sequi, nisi imitari? Hunc in eo quisque sequi„ tur, in quo imitatur . . . . & multa in illo ad imi„ tandum omnibus proponuntur, virginitas autem „ carnis non omnibus; non enim habent quid faciant „ ut virgines sint, in quibus jam factum est ut vir„ gines non sint. Sequantur itaque Agnum ceteri fi„ deles qui virginitatem corporis amiserunt, non quo„ cumque ille jerit, sed quousque ipsi potuerint. „ Possunt autem ubique, præter cum in decore vir„ ginitatis incedit. *Beati pauperes spiritu*; imitami„ ni eum qui propter vos pauper factus est, cum „ dives esset. *Beati & humiles corde. Beati lugen„ tes*; imitamini eum qui flevit super Jerusalem. *Bea„ ti qui esuriunt & sitiunt justitiam*; imitamini eum „ qui dixit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem „ ejus qui misit me. Beati misericordes*; imitamini „ eum qui vulnerato a latronibus & in via jacenti „ semivivo desperatoque subvenit. *Beati mundi corde*; „ imitamini eum *qui peccatum non fecit, nec inventus „ est dolus in ore ejus. Beati pacifici*; imitamini eum „ qui pro suis persecutoribus dixit, *Pater, ignosce illis, „ quia nesciunt quid faciunt. Beati qui persecutionem patiun„ tur propter justitiam*; imitamini eum qui *pro nobis pas„ sus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia „ ejus.* Hæc qui imitantur, in his Agnum sequuntur. Sed „ certe etiam conjugati possunt ire per ista vestigia, etsi „ non perfecte in eadem forma ponentes pedem, verum„ tamen in eisdem semitis gradientes: Sed ecce ille Ag„ gnus graditur itinere virginali, quomodo post eum „ ibunt qui hoc amiserunt quod nullo modo recipiunt? „ Vos ergo, vos ite post eum virgines ejus; vos & illuc „ ite post eum, quia propter hoc unum quocumque jerit, „ sequimini eum; ad quodlibet enim aliud sanctitatis do„ num quo eum sequantur, hortari possumus conjugatos „ præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. " *Vos itaque sequimini eum, tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. Videbit vos cetera multitudo Fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest: videbit, nec invidebit: & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis:* Nam & illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit; audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. „ Sed vos qui dicetis & audietis, quia & hoc quod di„ cetis, a vobis audietis, felicius exultabitis, jucundius„ que regnabitis. Præsumite itaque, fidite, roboramini, „ permanete, qui vovetis & redditis Domino Deo ve„ stro vota perpetuæ continentiæ, non propter præsens „ sæculum, sed propter Regnum cœlorum. Vos etiam „ qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite, „ perseveranter currire ut comprehendatis. Neque enim „ sicut *Non mœchaberis, Non occides*, ita dici potest, „ Non nubes: Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant „ ista, laudantur.: nisi fiant illa, damnantur. In illis „ Dominus debitum impetrat vobis: in his autem si quid „ amplius erogaveritis, in redeundo reddet vobis. Co„ gitate quicquid illud est, in muro ejus locum nomi„ natum meliorem multo quam filiorum atque filiarum. „ Cogitate illic nomen æternum. Quis explicat quale „ nomen erit? Quicquid tamen erit, æternum erit. Hoc „ credendo & sperando & amando, potuistis conjugia „ non devitare prohibita, sed transvolare concessa. "

Origines

S. Hilar. c. 19. in Matt.

S. Hilar. Tract. in Ps. 64. n. 3.

* *forte* magi abstinet *ut in Ms. Regio.*

Is. 56. 3. 4. 5.

S. Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 26.

S. Aug. ibid cap. 30.

5. *Qui potest capere capiat.* „ Unusquisque considereat „ vires suas, utrum possit virginalia & pudicitiæ im„ plere præcepta. Per se enim castitas blanda est, & „ quemlibet ad se alliciens. Sed considerandæ sunt vi„ res, ut qui potest capere, capiat. *Quæ hortantis vox Domini est, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis. Qui potest, capere, capiat: qui potest pugnare, pugnet, superet, ac triumphet.*

S. Hier. in Matt. 19.

6. *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere: talium est Regnum cœlorum.* „ Non invidæ in pueros mentis aspe„ ritate increpabant offerentes Apostoli, sed sedulæ ser„ vitutis obsequia Domino ferebant, ne comprimeretur a „ turbis. Denique alibi scriptum est: *Magister comprimunt „ te turbæ.* RESPUENDA *quippe est utilitas nostra, u„ bi Divinitatis injuria est.* " Quod Apostoli ex reveren„ tia & observantia erga Dominum faciunt, plerique ho„ minum ex animi corrupti pravitate & malitia præstant; pueros ad Christum venire prohibent, ejusque benedictionem & gratias consequi; prohibent (inquam) pravis exemplis, coram eis facientes opera aut proferentes verba contraria legi Dei, & laudantes in eis tyrocinia malitiæ. Exiget, exiget Deus a parentibus pravæ institutionis rationem. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere; talium est enim Regnum cœlorum.* „ Atqui ætas hæc infirma est „ viribus, invalida ingenio, immatura consilio: non „ ergo ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. „ Quid votis opus est ut ævi maturitas consequatur, si „ mihi meritum Regni demptura cœlestis est? Ergo Deus „ vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa vir„ tutis? Et cur ipse Apostolos non puerilis, sed prove„ ctioris elegit ætatis? Cur autem pueros aptos Regno „ dicit esse cœlorum? Fortasse *quia malitiam nesciant, fraudare non norint, referire non audeant, scrutari ignorent opes, honorem, ambitionem non appetant. Sed ignorare ista virtus non est, sed contemnere; nec continentia laus, ubi infirmitas integritas; non igitur pueritiæ, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam.*

S. Ambr. l. 8. in Lucam num. 60.

Sinite parvulos venire ad me, talium enim est Regnum cœlorum. „ Quamobrem si cœlorum hæredes con„ stitui volumus, hanc parvulorum virtutem consequi stu„ deamus. Hoc enim supremum Philosophiæ culmen est „ ut cum prudens sis, nihil ficti, nihil simulati adsci„ scas: id Angelorum vita est. Ab omnibus enim pas„ sionibus anima parvulorum munda est: his qui dolo-

S. Ambr. ibid. num 57.

„ dolorem intulerunt, nulla ultionis vices reservant, &
„ quasi nihil actum esset, velut ad amicos accedunt.
„ Quanto magis a matre vapulant, tanto magis eam
„ quæritant, atque ceteris omnibus eam anteponunt.
„ Nam etiamsi Regina cum diademate atque purpura sibi
„ afferretur, non præponerent eam matri, quam cum sor-
„ dido habitu aspicere malunt, quam Reginam ornatu au-
„ reo decoratam. Quod enim suum aut alienum est, non
„ copia & inopia rerum, sed amicitia & familiaritate
„ discernunt: nec ultra necessitatem aliquid quæritant,
„ sed cum lacte repleti fuerint, statim relinquunt ma-
„ millam: non dolent pecuniarum, aliarumque hujusmo-
„ di rerum jacturam, sicuti grandiores; non venustas for-
„ mas admirantur. Ideo dicebat, *Talium est Regnum cœ-*
„ *lorum*: ut ea nos volentes faciamus, quæ ingenita par-
„ vulus atque insita duce natura facit.“

7. *Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Juvenes qui certum vitæ genus ac statum eligere volunt & amplecti, Deum adire oportet cum fiducia, ut Patrem ac Magistrum optimum, i lumen ferventi ac humili oratione postulare, quo in tanti momenti negotio dirigantur: nihil aliud quærere quam *unum* illud *necessarium*, ut Deo accepti sint, & salutem suam operentur: Deum ut omnis boni fontem, plenitudinem, exemplar, finemque intueri. Nemo enim bonus est, nisi plenitudinis istius adoratione, fontis hujus participatione, exemplaris hujus imitatione, finis hujus intentione. Unus ipse, *Principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum: A quo & natura nobis est, qua facti ad ejus imaginem sumus; & doctrina, qua eum nosque noverimus; & gratia, qua illi cohærendo beati simus.* Eo cognito reperimus *ubi sit causa constitutæ universitatis, & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ felicitatis.* Generalis via salutis, est observatio mandatorum Dei. Quisquis statum aliquem aut conditionem eligit in quo ea servare non possit, certum in discrimen ac periculum salutem suam æternam adducit. In hujusmodi statu vel conditione qui manserit, ad vitam æternam se numquam ingressurum certo sciat, cum immutabilis sit Veritatis sententia: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, non aliqua dumtaxat, sed omnia; non externo tantum opere, sed animo, ex charitate serva, propter Deum serva, in eorum observantia persevera. „ Quicumque totam Legem servaverit, offen-
„ dat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim
„ dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides; quod
„ si non mœchaberis, occides autem, factus es transgres-
„ sor Legis . . . Quid proderit, fratres mei, si fidem
„ quis dicat se habere, opera autem non habeat? Num-
„ quid poterit fides salvare eum? *Non diceret Dominus*,
„ Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, *si etiam his non servatis, ad vitam per solam fidem veniri posset.*
„ Quis est qui nolit vitam? Et tamen quis est qui velit
„ servare mandata? Si mandata servare non vis, quare
„ vitam quæris? Si ad opus piger es, quare ad merce-
„ dem festinas? Dixit se ille dives adolescens servasse
„ mandata: audivit præcepta majora: *Si vis perfectus*
„ *esse, unum tibi deest, Vade, vende omnia quæ habes,*
„ *& da pauperibus*: nec perdes, sed *habebis thesaurum*
„ *in cœlo*; *& veni, sequere me.* Nam quid tibi prodest,
„ si feceris, & non sequaris me? Quod audivit ille, au-
„ divimus & nos: os Christi Evangelium est. In cœlo
„ sedet, sed in terra loqui non cessat. Nos non simus
„ surdi, nam ille clamat. Nos non simus mortui, nam
„ ille tonat. Si majora non vis facere, minora fac. O-
„ nus majorum ad te multum est, vel minora prende.
„ Quid ad utraque piger es? Quid utrisque adversaris?
„ majora sunt, *Vende omnia quæ habes, & da pauperi-*
„ *bus, & sequere me.* Minora sunt, *Non homicidium*
„ *facias, Non adulteres, Non falsum testimonium quæ-*
„ *ras, Non fureris. Honora patrem & matrem, Dili-*
„ *ges proximum tamquam te ipsum*, ista fac. Quid ad
„ te clamo, ut vendas res tuas, cui extorquere non pos-
„ sum ne rapias alienas? . . . . Aliquando fini malum,
„ & pro mercede exige bonum. Bona habere vis, &
„ bonus esse non vis: contraria est vita tua votis tuis.
„ Si magnum bonum est habere villam bonam: quantum
„ malum est habere animam malam?“

S. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 10.

Jacobi 2. 10. 14.

S. Aug. ser 87. alias de Tempor. 205.

8. *Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Non sibi blandiatur adolescens de puerilium innocentia, non de viribus suis præsumat, sibi timeat, caveatque a laqueis, tentationibus, erroribus, amoribus, & terroribus mundi: nondum se quod præcipui momenti est, feciisse intelligat, nondum Christianæ vitæ officia plane cognovisse; status & conditionis ex quibus tota vitæ ratio, & salutis æternæ pendet negotium, electionem in Spiritu Dei faciendam. Postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter sapientiam & gratiam ad id sibi necessariam, & dabitur ei. In fide nihil hæsitans postulet, & Deum interroget: *Quid adhuc mihi deest?* Ipse respondebit intus per Spiritum suum, & loquetur ad cor ejus. Audiat & inclinet aurem suam; sed ut verba Dei & inspirationes obedienter audiat, avellatur ab uberibus mundi, lac voluptatum terrenarum non quærat. *Quem docebit scientiam & & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* *Isaiæ 28. 9.*

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, &c. „ Non dixit, Da filiis, da fratribus,
„ da propinquis, quos etiamsi haberes, jure iis Dominus
„ præferretur; sed, Da pauperibus, imo, da Christo,
„ qui in pauperibus pascitur, qui cum dives esset, pro
„ nobis pauper factus est. *Vade, vende omnia quæ*
„ *habes, da pauperibus.* Christus non nobis præcepit ut
„ perderemus, sed locum ostendit ubi poneremus. Nemo
„ enim potest nisi cogitare de thesauro suo, & quodam
„ cordis itinere divitias suas sequi. Si ergo in terra ob-
„ ruuntur, ima petit cor: si autem cœlo reservantur,
„ sursum erit cor. Si ergo volunt facere Christiani, quod
„ norunt se profiteri: (neque enim hoc omnes qui audi-
„ unt noverunt; atque utinam non frustra noverint, qui
„ noverunt;) qui ergo vult cor sursum habere, ibi po-
„ nat quod amat; & in terra positus carne, cum Chri-
„ sto habitet corde, & sicut Ecclesiam præcessit Caput
„ ejus, sic Christianum præcedat cor ejus. Eamus ergo
„ hinc ex qua parte possumus: sequetur totum nostrum,
„ quo præcesserit aliquid nostrum. Domus terrena ruino-
„ sa est; domus cœlestis æterna est. Quo venire dispo-
„ nimus, ante migremus. Audivimus divitem quemdam
„ a bono Magistro quærentem consilium adipiscendæ vitæ
„ æternæ. Magnum erat quod amabat, & vile erat quod
„ contemnere nolebat. Itaque perverso corde audiens
„ quem jam dixerat Magistrum bonum, majore amore
„ utilitatis, possessionem perdidit charitatis. Nisi vitam
„ æternam consequi vellet, consilium de habenda Vita
„ æterna non requireret. Quid ergo est, Fratres, ut
„ verba ejus quem Magistrum bonum ipse dixerat, de
„ fideli doctrina sibi deprompta respueret? Magister ille
„ bonus est antequam doceat, cum docuerit malus? An-
„ tequam doceret, dictus est bonus. Non audivit quod
„ voluit, sed audivit quod debuit: desiderans venerat,
„ sed tristis abscessit. Quid si ei diceretur, Perde quod
„ habes? quando tristis abscessit, quia dictum est: Bene
„ serva quod habes, *Vade*, inquit, *vende omnia quæ ha-*
„ *bes, & da pauperibus.* Forte times ne perdas? Vide
„ quid sequitur: *Et habebis thesaurum in cœlo.* Custo-
„ dem tibi thesaurorum tuorum forte servulum aliquem
„ posuisses: custos auri tui erit Deus tuus. Qui dedit in
„ terra, ipse servat in cœlo: Fortassis non dubitasset
„ ille Christo commendare quod habebat, & ideo con-
„ tristatus est, quia dictum est ei, *Da pauperibus*: Tam-
„ quam in corde suo dicens; Si diceres, Da mihi, ego
„ tibi in cœlo servabo; non dubitarem dare Domino
„ meo, Magistro bono: nunc autem dixisti: *Da paupe-*
„ *ribus.* Nemo timeat erogare pauperibus, nemo putet
„ eum accipere cujus manum videt. Ille accipit, qui
„ jussit ut dares.“

S. Hieronym. Epist. 150. Q. 1. S. Aug. ser. 86. alias de Diversis 43.

9. *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Aliud est quod jussit Christus, aliud quod promisit. Faciamus quod jussit, ne impudenti fronte desideremus quod promisit: ne dicat nobis in judicio suo, *Fecisti enim quod jussi, ut expetas quod promisi?* Quid ergo jussisti Domine Deus noster? dicit tibi, ut sequereris me. Consilium vitæ petiisti. Cujus vitæ, nisi de qua dictum est, *Apud te est fons vitæ?* Audivit quidam, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* Tristis abscessit, non est secutus: *Quæsivit Magistrum bonum, interpellavit Doctorem, & contempsit docentem: tristis abscessit, ligatus cupiditatibus suis: tristis abscessit, habens grandem sarcinam avaritiæ super humeros suos. Laborabat, æstuabat, & qui ab illo sarcinam deponere voluit, non est sequendus putatus, sed deserendus. Postea vero quam Dominus per Evangelium clamavit.* „ Venite ad me omnes qui laboratis, & one-
„ rati estis, & ego reficiam vos; tollite jugum meum
„ super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis
„ corde: “ *Quam multi fecerunt audito Evangelio, quod ex ore ipsius auditum dives ille non fecit? Ergo modo faciamus, sequamur Dominum; solvamus compedes, quibus impedimur sequi. Et quis idoneus solvere tales nodos, nisi ille adjuvet, cui dictum est, Dirupisti vincula mea?* De quo alius Psalmus, *Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos.* Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *Præcepta summa quæ capiunt spirituales, non capiunt carnales; & de quibus gaudent spirituales, contristantur carnales.* Sermo iste quam dulcis in ore Ecclesiæ! *Ab omnibus spiritualibus factum est. At vero carnali cuicumque dixeris, Fac hoc: facilius a te tristis recedit, sicut ille dives a Domino, quam facit quod dictum est.* *S. Aug. tract. 34. in Joan.* *Ps. 115. 17* *Ps. 145. 8.* *S. Aug. Enar. in Ps. 44.*

10. „ Jesus autem dixit Discipulis suis: Amen dico
„ vobis, quia dives difficile intrabit in Regno cœlorum

Lactantius lib. 7. Div. Institut. c. 1

„ Opes

„ *Opes scilicet malorum omnium irritamenta sunt, & impedimenta plerumque virtutum*. Nemo virtuti favet, „ nisi qui sequi potest: sequi autem non facile est omnibus: ii possunt, quos paupertas & rerum indigentia „ exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam si virtus est „ tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem qui „ semper in bonis fuerunt, quia mala neque experti sunt, „ neque ferre possunt affuetudine ac desiderio bonorum, „ quæ sola noverunt. Eo fit ut pauperes & humiles Deo „ credant facilius, qui sunt magis expediti, quam divites, qui sunt impedimentis plurimis implicati; immo „ vero catenati & compediti serviunt ad nutum domine „ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit, nec possunt in cœlum aspicere, quoniam mens „ eorum in terram prona, humique defixa est. Virtutis „ autem via non capit magna onera portantes. Angustus „ admodum trames est, per quem justitia hominem deducit in cœlum: Hunc tenere non potest, nisi qui „ fuerit expeditus & nudus. Nam isti locupletes multis „ & ingentibus sarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latissima est, quoniam late perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad „ justitiam præcepit . . . *Dives difficile intrabit in Regnum cœlorum*. Non est itaque quod competere quisquam aut non obesse divitias Religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adjumenta: onera, non subsidia. Possessione enim & usu opum non suffulcitur Religio, sed evertitur, secundum illud quod Dominus ipse dixit: *Sollicitudo istius sæculi, & fallacia divitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficitur* . . . Et Apostolus ait: *Habentes victum & vestitum, iis contenti simus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*. Ergo in rebus tantum *Salvianus l. 1. ad Ecclesiam Catholicam,* „ necessariis est salus, in superfluis laqueus, in mediocritate Dei gratia, in divitiis diaboli laqueus. Denique „ quid statim Apostolus subdit? *Quæ demergunt*, inquit, *hominem in interitum & in perditionem*. Ergo si divitiæ interitum in se habent, evitemus opulentiam, ne „ in interitum corruamus. Ampla ac locuples facultas „ perditionem inferre dicitur: refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio. Ac per hoc, „ sive sexus, sive ætas, sive infirmitas, necessaria victui „ requirant; sufficientibus debent esse contenti; ita ut „ quicquid temporarium excedit usum, religiosum assumat officium." “

S. Greg. M. lib. 7. Epist. 135. Tertull. l. de Habitis mulier. c. 5. S. Pet. Chrysolog. ser. 29. Dives difficile intrabit in Regnum cœlorum. *Ubi* enim *aurum placet, ibi & vitium*. Aurum & argentum *Principes materia*, divitem cupiditatum ac vitiorum servituti plerumque addicunt. *Aurum natura grave, gravius fit avaritia; plus habentem deprimit, quam ferentem; & vehementius aggravat corda, quam corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus: & dum suam semper repedat ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit . . . . Auri fervor ardentius humano fervet in pectore, quam caminus totus ignescit incendiis, & acrius homines dissolvit in terra, quam solvitur calore flammarum. Credulitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat ditando, ipsum etiam captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium*. „ Aurum Patriarcharum stirpem, progeniem sanctam adeo corrupit, & totius reddidit pietatis extorrem, ut Joseph Ægyptiis, fratrem „ barbaris, innocentem noxiis, ingenuitatem traderent „ servituti. Sic siccavit mentes, sic corda depressit, sic „ quod in eis fuerat humani sensus, ferinam in rabiem „ commutavit, ut non offensam Dei, non patris dolorem, non proprii sanguinis sensum meminisse permiserit. Intuere quid auro gravius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam. Aurum Judaicum populum sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie decepit, ut hoc esse Deum crederent; & Deum „ verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent: sic „ convertit homines in jumenta, ut vituli caput, caput „ suum esse crederent, & omnium rerum capiti caput „ pecudis anteferrent. Attendite quam sit pernicies ista „ fugienda, quæ cum mores hominum, honestatem, vitamque perdiderit, ipsum quoque Deum voluit homini & contendit auferre. Hoc est quod Judam fecit „ proditorem, ut hominem cogeret Deum negare, & „ ipsum sanguinem taxare pretio, quem Dominus nostrum largiturus erat in pretium. “ *Aurum erogare, bonum; reponere, malum; contemnere, validum; fugere, persecurum: quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis est evasisse*.

11. *Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum*. Proprie dives est, qui avaritiæ servit, qui in divitiarum suarum virtute confidit, qui justitiam deserere & amittere mallet, quam pecuniam, qui cupiditate inflatur, quæ est *Venenum charitatis*, qui divitiarum pos- *S. Ambros.* sessione intumescit, & superbe sapit. Hic in Regnum cœlorum intrare non potest. Avaritia enim fons est omnis nequitiæ. *Amos* 9. scriptum est: *Vidi Dominum stantem super Altare, & dixit: Percute cardinem, & commoveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium*. Præmiserat Propheta: *In illa die deficient virgines pulchræ*, quas S. Hieronymus oraculum istud exponens, virtutes intrepretatur. Ex quo intelligimus, dominante avaritia facile *perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes*. Ideo *Radix omnium malorum cupiditas* ab 1. *Tim.* 6. Apostolo dicitur. Nullum quippe peccatum est, ad quod committendum avarus paratus non sit, ut divitias acquirat, vel male partas augeat, aut perituras conservet. 1. *Reg.* 8. 3. ubi secundum Vulgatam Versionem legimus, *Declinaverunt post avaritiam*: secundum Versionem 70. Interpretum legimus, *Declinaverunt post consummationem*: quasi avari sint in omni genere improbitatis consummati. Hinc S. Paulinus scribit, Avaritiam non arcu, telo, & *S. Paulinus Epist. 2* sagittis, sed criminibus armatam, hominum animos expugnare, hoc unum vitium dæmonis malitiam, & studium eripiendæ nobis salutis æquare. *Quæ una*, inquit, *omnibus armata criminibus, vel si sola nos capiat, & zabulo ad malitiam, & homini ad mortem sufficit*.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum. Si tam difficile salvantur, qui sua cupide possident, quanto difficilius qui aliena rapiunt & retinent? Impossibile est illos salvari nisi restituant. Nam *Si res aliena, propter quam peccatum est, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Ad rapinam porro gradus est, immoderata cupiditas possidendi. *Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi*. Hinc a Sapiente dictum: *Qui festinat ditari, non erit innocens*. Et a Propheta: *Ignis in domo impii, thesauri impietatis*. Et ab altero: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentum*. Quorumdam fortuna, ut ita loquar, pedestris est, multo labore ac longo tempore congregant opes, iisque non iniuste partis cupidius inhærent: aliorum fortuna alata est, paucis annis immensas opes congerunt, jungunt domum ad domum; nasturtio similes, quæ herba id proprium habet, ut sibi uni omnium humorem attrahat, eoque vicinas plantas defraudet: ita ut illæ pereant dum hæc crescit. Usuris, rapinis, monopoliis, aliisque malis artibus eorum fortuna non tam progreditur, quam volat: sed si eorum alæ excutiantur, invenietur in eis sanguis viduarum & lachrymæ orphanorum. Divitum abundantiam sub eleganti plantæ luxuriantis metaphora Propheta describit: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum* . . . Et mox eamdem plantæ metaphoram prosecutus, vicinorum destructionem subjungit: *Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea?* Hi certe divites in Regnum cœlorum non intrabunt.

S. Aug. Epist. 153. alias 54.

S. Amb. l. de Abel. Prov. 28. 20. Michææ 6. 10. Isai. 2. 34.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum. „ Dives ille, qui „ instar cameli portabat pondera divitiarum, noluit Do- „ mini audire consilia, nec exonerari, ut abjecta sarci- „ na, alis columbæ volaret ad cœlum; propterea tristis „ abiit. Divitias *quidem* habere criminis non est, sed „ modus in habendo retinendus est. Nam quomodo im- „ pertiendum est, quomodo communicandum, si imper- „ tiendi & communicandi materia non relinquatur? Er- „ go nocenter magis habere, quam illud ipsum habere „ fit crimen. Sed periculosa cura est, velleditescere: „ & grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata. Res enim sæculi, famulatus Dei non sine sæ- „ culi ipsius vitiis assequitur. Hinc difficile est divitem „ Regnum cœlorum adire. Atque etiam, quia uti plures „ his quæ habent, recte possent, ea in sermone Domini „ ratio servata est, ut non absolute Regnum cœlorum „ nemo introire posset; sed intelligi posset futurorum ra- „ ritas ex difficultate. “ Divitem qui divitiis male utitur, in Regnum cœlorum intrare, non magis possibile est, quam camelum transire per foramen acus. Si prudenter intueamur quod scriptum est: „ Fidelis hominis *Apud* „ totus mundus divitiarum est, infidelis autem nec obo- *Prov.* „ lus: *Nonne* Omnes qui sibi videntur gaudere licite con- *post Vers.* „ quisitis, eisque uti nesciunt, aliena possidere convin- *S. Aug. Ep.* „ cimus? Hoc enim certe alienum non est, quod jure *153. alias* „ possidetur, hoc autem jure quod juste, & hoc juste *54.* „ quod bene. Omne igitur quod male possidetur, alienum est: male autem possidet qui male utitur. Cernis „ ergo quam multi debeant reddere aliena, si vel pauci „ quibus reddantur, reperiantur: qui tamen ubi sunt, „ tanto magis ista contemnunt, quanto ea justius possidere potuerunt. Justitiam quippe & nemo male habet, „ & qui non dilexerit, non habet. Pecunia vero & a „ malis male habetur, & a bonis tanto melius habetur, „ quanto minus amatur. “

S. Hier. in c. 19. Mat.

S. Hil. cap. 19. Comment. in Matth.

Apud Prov. 17. post Vers. 6. S. Aug. Ep. 153. alias 54.

12. *Auditis autem his, Discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Cum pauci sint divites

S. Aug. lib. 1 Qu. Evangel. Quæst. 26.

Et l. 2. Qu. 47. S. Amb. ser. in Ps. 118. n. 18.

divites in comparatione multitudinis pauperum : intelligendum est quod Discipuli Christi, omnes qui terrenas opes cupiunt, in divitum numero haberi animadvertebant. Ex Christi autem responsione perspicuum est, singulari Dei gratia opus esse divitibus ut salutem æternam consequi possint : gratia (inquam) & auxilio potentiori, quo *A cupiditate temporalium ad charitatem æternorum, & a pernicioſa ſuperbia ad humilitatem ſaluberrimam convertantur*. Apud homines hoc impossibile est, *Quia divites non custodiunt mandata Dei : si autem custodiant, fit possibile quod impossibile videbatur. Hic est camelus qui intrat per angustam viam ; quæ illum ante capere non poterat concupiscentem, jam capit custodientem mandata divina*. Divitiæ scilicet, aspirante Dei gratia bonorum operum & virtutum instrumenta esse possunt, & frænatis cupiditatibus utiles esse possunt ad salutem.

S. Clemens Alexandr. l. Quis dives salvandus sit?

„ Contra vero, nihil proderit abjicere divitias, & iis „ carere, nisi cupiditates præfocentur. Abjectis quis sæ„ cularis fastus divitiis, vitiorum adhuc ac affectuum se„ gete dives esse potest, tametsi terrena substantia ei „ non suppetat. Nihil plane ei profuit, qui egenus di„ vitiis factus est, qui vitiis & affectibus dives sit. Non „ enim ea abjecit quæ abjcienda erant, sed quæ promi„ scui usus : ac sibi quidem servitia abstulit, innatam ve„ ro libidinis vitiique materiam exteriori penuria succen„ dit. Renuntiandum ergo facultatibus quæ noxiæ sint, „ non iis rebus, quibus si quis recte usus fuerit, conduce„ re etiam possunt. Conducunt vero quæ prudentia co„ mite & sobrietate ac pietate dispensantur. Porro ea „ summovenda, quæ noxia sunt ; quæ autem foris sunt „ ea nihil damni afferunt. Sic igitur Dominus etiam ex„ teriorum usum insinuat, jubens ponere non ea quibus „ vita sustentatur, sed quæ illis male utantur ægritudi„ nes animi, vitiaque, seu pravi affectus. Horum copia „ ipsa quidem suppetens, cunctis mortifera est, & si pe„ reat, salutis causa est. Ab ea mundam, hoc est, pau„ perem nudamque animam præstare decet, sicque jam „ Salvatorem audire dicentem : *Veni sequere me*. Via e„ nim ipse tunc fit habenti cor purum : in impuram e„ nim animam Dei gratia non subit. Impura autem est, „ multisque amoribus, iisque sæcularibus fœta. Nam qui „ possessionibus locuples est, aurumque & argentum & „ domos tamquam Dei dona habet, Deoque largitori in „ hominum salutem ex eis obsequitur ; novitque fratrum „ potius causam, quam in sui gratiam hæc a se possideri ; animoque quam pro illorum possessione præstantior „ non ut servus hisque mancipatus, ea possidet ; neque „ animo circumfert, nec eis vitam suam definit ac circumscribit ; sed & honesti aliquid operis atque divini „ in laboris partem semper assumit ; &, si quando neces„ se fuerit illis privari, placido animo, parique hilarita„ te jacturam eorum ferre potest ac abundantiam ; hic „ ille est qui a Domino beatus prædicatur, & pauper „ spiritu vocatur, expeditus hæres Regni cœlorum, non „ qui divitiarum impatiens, earum cultu vivere non po„ test. At qui fert opes in animo, & loco Spiritus Dei, „ fert aurum in corde, sive agrum, nulloque iis modo „ adhibito, prædia & possessiones semper auget, ac quo„ tidie alia pluraque animo cogitat & concupiscit, in „ terram pronus, mundique laqueis irretitus ; unde is „ Regni cœlorum desiderio accendatur, ac ejus cura af„ fici possit ? Homo scilicet qui non cor, sed agrum aut „ metallum gerat, quem plane necesse sit in iis, depre„ hendi, quoniam amore captus existit. Ubi enim est „ mens hominis, ibi & thesaurus ejus est."

13. *Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce non reliquimus omnia, & secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israel*. Relinquere omnia, & Christum non sequi, virtus Philosophorum est : Christum sequi, & temporalia bona non deserere, communis Christianorum status est : omnia relinquere, & Christum sequi, Apostolica virtus & perfectio est, cui centuplum in vita æterna promittitur, mundum judicandi potestas, gloriæ Christi consortium. *Ecce nos reliquimus omnia*. Apostoli gloriantur quod omnia dimiserint, & secuti sint Salvatorem. Certe præter retia & navem nihil legimus eos dimisisse : tamen testimonio futuri judicis coronantur, quia *se offerentes, totum dimiserant quod acceperant* . . . . . TOTUM *mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere dimittit* . . . Affectum in hac re debemus potius pensare, quam censum. " Multum reliquit, qui sibi nihil reti„ nuit, & qui quamlibet parum, totum deseruit. *A se„ quentibus enim tanta dimissa sunt, quanta a non se„ quentibus concupisci potuerunt*. Nemo igitur etiam „ cum quosdam conspicit multa reliquisse, apud seme„ tipsum dicat : Imitari mundi hujus contemptores vo„ lo, sed quod relinquam non habeo. Multa, fratres, „ relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. Exte„ riora enim nostra Domino quantumlibet parva suf„ ficiunt. *Cor namque & non substantiam pensat ; nec „ perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto pro„ feratur*. Nam si exteriorum substantiam perpendamus, „ ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum „ vitam datis retibus & navi mercati sunt. *Æstimatio„ nem quippe pretii non habet : sed tamen Regnum Dei „ tantum valet, quantum habes*. Valuit namque Zachæo „ dimidium substantiæ quia dimidium aliud ad hoc quod „ injuste abstulit restituendum in quadruplum reservavit. „ Valuit Petro & Andreæ dimissis retibus & navi. Va„ luit viduæ duobus minutis. Valuit alteri calice a„ quæ frigidæ. *Pensate quid vilius cum emitur, quid ca„ rius cum possidetur . . . . Ante Dei oculos numquam „ est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis re„ pleta bona voluntate*. Hinc Psalmista dicit : *In me sunt „ Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Ac si *Ps. 55* „ aperte dicat, Etsi exterius munera offerenda non ha„ beo, intra memetipsum tamen invenio quod in ara lau„ dis impono : quia qui nostra datione non pasceris, o„ blatione cordis melius placaris. *Nihil quippe offertur „ Deo ditius bona voluntate*. Voluntas autem bona est : „ sic adversa alterius sicut nostra pertimescere ; sic de „ prosperitate proximi sicut de nostro profectu gratula„ ri ; aliena damna nostra credere ; aliena lucra nostra „ putare : Amicum non propter mundum, sed propter „ Deum diligere, inimicum etiam amando tolerare : „ nulli quod pati non vis, facere ; nulli quod tibi juste „ impendi desideras, negare : Necessitati proximi non so„ lum juxta vires succurrere, sed prodesse etiam ultra „ vires velle. *Quid ergo isto holocausto locupletius, quan„ do per hoc quod Deo immolat in ara cordis anima se„ metipsam mactat ? Sed hoc bonæ voluntatis sacrificium „ numquam plene persolvitur, nisi mundi hujus cupiditas „ perfecte deseratur*."

S. Hier. Ep. 34. S. Aug. Ep. 157. al. 89. S. Greg. M. Hom. in Evangelia.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. „ Non ei dixit Dominus, Oblitus es paupertatem tuam, „ quid dimisisti, ut totum mundum acciperes ? Multum „ dimisit, fratres mei, multum dimisit. Quid ? Non so„ lum dimisit quicquid habebat, sed etiam quicquid ha„ bere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spem „ hujus sæculi ? Quis non quotidie cupit augere quod ha„ bet ? *Ista cupiditas præcisa est. Ibat in immensum ; „ accepit modum ; & nihil dimissum est ? Prorsus totum „ Mundum dimisit Petrus, & totum Mundum Petrus ac„ cepit*. QUASI *nihil habentes, & omnia possidentes*." *S. Aug. ser 3. in Ps. 103*

Ecce nos reliquimus omnia. „ Bene, optime, & non ad „ insipientiam tibi : Nam & *Mundus transit & concupi„ scentia ejus* ; & relinquere hæc magis expedit, quam „ relinqui ... *Exultavit ut gigas ad currendam viam* ; „ nec currentem sequi poteras oneratus. Sed nec inutilis „ commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reli„ quisse. Nam & simul cum eo donantur omnia, & ubi „ apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, „ qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim non „ tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime, „ plus enim concupiscentia mundi, quam substantia nocet." *S. Bern. Declamat. in Evangel. Ecce nos reliquimus omnia 3. 2.*

Et secuti sumus te." Temporalium bonorum relictio, „ non decursus stadii, sed ingressus ; nec ut meta, sed „ janua est. Non enim athleta tum vincit, cum exui„ tur : qui ideo nudatur ut incipiat dimicare, cum le„ gitime certaverit coronandus. Et natator amnem in„ terpositum superaturus exuitur : nec tamen hoc tanto „ apparatu quod se despoliaverit, trasnatabit, nisi totius „ corporis nisu, & omnium scita mobilitate membrorum, „ & propulsu pedum, & remio brachiorum, & lateris „ illapsu, torrentis impetum scindat, & laborem nata„ tionis exhauriat." Hujus rei typum in Patriarcha Jacob habemus, qui postea quam torrente transmisso, præmissis curarum suarum oneribus, id est, facultatum corporalium, & necessitudinum impedimentis, solus in tabernaculi loco remanserat, cum Deo luctatus, benedictionem extorsit, & illud cœlo terrisque sacramentum Israel nomen accepit. „ Itaque ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei „ verbum, & prævalendum in Regnum cœlorum, quod a „ diebus Joannis vim patitur a diripientibus, idonei esse „ non possumus, nisi omnia, quæ vel amore vel cura, si in „ itinere istius sæculi nobis adhæreant, impediunt & re„ tardant, ante obitus nostri vesperam præmittamus, & „ inde per totam hujus sæculi noctem apprehendere & „ tenere Christum sollicita spiritalium operum ac studio„ rum contentione luctemus ; nec divellamur a charitate „ Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueamus „ benedictionem ... *ideo Christus propter nos obediens fa„ ctus usque ad mortem crucis, viam vitæ nobis perfectio„ nemque virtutis, non in vendendis tantum prædiis, & „ pretiis erogandis, sed in sui sectatione proposuit. Et „ quia dixerat*, Cum exaltatus fuero a terra, omnia ad „ me traham, *ideo dicit* : Veni sequere me. *Beatus „ qui tam proximo intervallo sequitur, ut dicat* : Adhæ„ sit anima mea post te. *Quod illa tantum charitas di„ cere potest, quæ* Finis præcepti, & plenitudo legis est, „ *id est*, de corde puro, & conscientia bona, & fide „ non ficta, *se ita inserit & affigit Deo, ut nihil extra „ Deum amans dicat* : Et ego semper tecum. *Quare* „ Totus labor, & plenum opus nobis in observantia *S. Paulinus. Ep. 2.* *Ps. 62. 9* *Rom. 5. 10* *1. Tim. 1. 5* *Ps. 72. 25*

&

„ & expoliatione cordis noſtri eſt: cujus tenebras, vel „ abſtruſas in eo inimici latebras videre non poſſumus, „ niſi defæcato ab externarum rerum curis animo, & Prov. 4. 23. „ intus ad ſemetipſum converſo. *Non enim fruſtra dictum eſt*: Omni cuſtodia ſerva cor tuum.“

In regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c. „ Felix regenera- S. Bern. in Ev. Ecce nos reliquimus omnia. „ tio! Quando enim renaſcar ad ſeſſionem, miſer homo „ natus ad laborem? O ſi unquam ſedero totus, cujus „ modo ne minima quidem portio ſedet, in quo nihil „ tranquillum, nihil quietum, ſedatum nihil umquam in „ eodem permanens ſtatu. *Sedebitis & vos*. Quis mihi „ tribuat ſeſſionis hujus imperturbata frui requie, quam „ deſidero, quam cupio, quam requiro? Ecce enim ni„ hil in me ſedet, ſed cuncta in motu ſunt. Ubi con„ cupiſcit adhuc caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus ad„ verſus carnem, quidnam hominis ſedere videtur? Nec „ ſola jam concupiſcentia pacem turbat, impedit ſeſſio„ nem, vetat eſſe ſedatum; ſed duplex quoque ſecundum „ corpus miſerum hominem contritio vexat, præſentis „ videlicet ſenſus doloris, & metus mortis futuræ: ni„ mirum cum & paſſibile ſit, & mortale. Duplex nihi„ lominus animam agitare ſollicitudo videtur, ſpei luti„ que & timoris. Inter hæc nempe fluctuat jugiter, do„ nec peccati corpus inhabitat, aſcendens uſque ad cœ„ los, & iterum uſque ad abyſſos deſcendens: tabeſcens „ in malis, & ad bona nihilominus inardeſcens. *In re„ generatione ſedebitis & vos*. Sedebit corpus, & im„ mortalitatis & impaſſibilitatis gemina quadam felici„ tate dotatum, liberum ab omni neceſſitate; ſab omni „ corruptione ſecurum, alienum & immune ab omni con„ cupiſcentia, plenum gloria, configuratum denique cla„ ritati corporis Chriſti. Sedebit & anima, ſicut nihil „ metuens, ſic nec cupiens ultra, nimirum plena beati„ tudine, & ſecura plenitudine fruens, nullos jam co„ gitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nul„ los affectionum ſentiens motus: ſed æternæ illi incom„ mutabilitati prorſus immerſa, & ſic adhærens Deo, „ ut unus jam ſpiritus ſit facta cum eo. Sed quando hæc, „ aut quibus hæc erunt? *Vos*, inquit, *qui ſecuti eſtis „ me, cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, „ ſedebitis & vos*. Jam quidem ſedet Filius hominis in „ ſede Majeſtatis: ſiquidem aſcendens in cœlum, ſedet a Coloſſ. 1. 2. „ dextris Dei. Sed, *cum ſederit*, dictum eſt, hoc eſt, „ cum apparuerit ſedens, ſicut Apoſtolus ait: *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis „ cum ipſo in gloria*. An magis audebimus dicere & ip„ ſum adhuc ſtare quodammodo, utpote cujus necdum ſe„ des conſummata videtur, necdum pedibus ejus ſcabello „ ſuppoſito, quod a Patre promiſſum eſt? *Non quod illi „ plenitudini quidpiam deſit, ſed quod membra Caput ex„ pectet. Ceterum in regeneratione corporum ſedebit in ſe„ de Majeſtatis, qui pro animarum regeneratione ſtetit in „ ignominioſo ſupplicio crucis . . . Sedebitis & vos ſuper „ ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael*. „ Quid glorioſius? Judicent nunc & præjudicent ſuper„ biæ filii, cum Rege ſuo ſedeant, qui ſibi latera A„ quilonis elegit. Exaltentur & eleventur ſicut cedri Li„ bani. Tranſibimus, & ecce non erunt. Opprimant nunc „ quos poſſunt, blaſphement, congerant maledicta, ve„ niant ſuper nos opprobria exprobrantium Chriſto, quo„ niam merces noſtra copioſa eſt in cœlis“ . . . *Hæc eſt perfectorum gloria ſingularis, inter ipſos etiam eminere Fideles, & ceteris quoque ſalvandis præeminere auctoritate judiciariæ poteſtatis*, ut *ſedeant ſuper domum David*. Quid iſtud miſeriæ eſt, quod ad tantæ promiſſionis verbum negligentia humana dormitat?

15. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut* S. Aug. Epiſt. 157. alias 88. c. 4. *ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Omnia neceſſitudinum vincula, amicitiarum fœdera, potius abrumpenda ſunt, omnia bona temporalia potius deſerenda, quam Deus deſeratur. Nihil omnino ejus cultui, amori, & mandatis anteponendum eſt. „ Quid ſibi volunt iſta præcepta? „ „ Niſi quia occurrit aliquando neceſſitatis articulus, ubi „ aut uxor dimittatur, aut Chriſtus: ut alia omittam, „ ſi uxori maritus diſplicuerit Chriſtianus, eique propo„ ſuerit aut a ſe divortium, aut a Chriſto. Hic ille „ quid eligat, niſi Chriſtum? Hoc & de filiis atque pa„ rentibus, hoc de fratribus & ſororibus intelligitur, „ propter Chriſtum omnes eſſe dimittendos, cum propo„ nitur iſta conditio, ut Chriſtum dimittat, ſi illos ſe„ cum habere deſiderat: Hoc ergo & de domo atque „ agris, hoc de iis rebus quæ jure pecuniario poſſiden„ tur, hoc loco accipiendum eſt. Similiter enim etiam „ de his non ait: Quicumque vendiderit propter me que„ cumque licitum eſt vendere, ſed quicumque dimiſerit. „ Fieri enim poteſt ut dicatur Chriſtiano ab aliqua po„ teſtate, Aut Chriſtianus non eris, aut ſi in hoc per„ manere volueris, domum poſſeſſionesque non habebis. „ Tunc vero etiam illi divites, qui in ſuis divitiis ſic ſta„ tuerant permanere, ut ex earum bonis operibus pro„ mererentur Deum, hæc dimittant potius propter Chri„ ſtum, quam propter hæc Chriſtum, ut accipiant in „ hoc ſæculo centuplum, cujus numeri perfectione ſigni„ ficantur omnia. Fidelis quippe hominis totus mundus „ divitiarum eſt; ſiuntque hoc modo quaſi nihil haben„ tes, & omnia poſſidentes: & in futuro ſæculo poſſi„ deant vitam æternam, ne propter iſta dimiſſo Chriſto, „ in mortem præcipitentur æternam. Hac quippe lege „ & conditione, non illi tantum qui mentis excellentia „ perfectionis conſilium receperunt, ut vendita ſua pau„ peribus diſtribuerent, & humeris ab omni ſæculi hu„ jus ſarcina liberioribus levem Chriſti ſarcinam ferrent; „ ſed etiam quiſquis infirmior, & illi glorioſiſſimæ per„ fectioni minus idoneus, qui tamen meminerit ſe vera„ citer eſſe Chriſtianum, cum audierit ſibi proponi, quod „ niſi hæc omnia dimiſerit, dimiſſurus eſt Chriſtum, ap„ prehendet potius turrim fortitudinis a facie inimici: „ quia cum eam in ſua ædificaret fide, computavit ſum„ ptus quibus perfici poſſet, id eſt, eo animo acceſſit ad „ fidem, ut huic ſæculo non ſolum verbis renuntiaret, „ quia etſi emit aliquid, tanquam non poſſidens erat; „ etſi utebatur hoc mundo, tamquam non utens erat, „ non ſperans in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo. „ Cum omnis qui renuntiat huic ſæculo, ſine dubio re„ nunciet omnibus quæ ſunt ejus, ut poſſit Chriſti eſſe „ Diſcipulus: profecto renuntiat etiam divitiis ſuis, ſi „ quas habet; aut ſic ut eas omnino non diligens totas „ diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſarci„ nis: aut ſic ut plus diligens Chriſtum, ſpem ab eis „ transferat in ipſum, atque ita utatur illis ut facile tri„ buens & communicans, theſaurizet in cœlo; paratuſ„ que ſit quemadmodum parentes & filios, & fratres, „ & uxorem, hoc modo & iſtas relinquere, ſi talis con„ ditio propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto eas ha„ bere non poſſit. Nam ſi aliter huic ſæculo renunciat „ quando accedit ad fidei ſacramentum, facit quod de „ Lapſis beatus Cyprianus ingemit dicens. “ Sæculo ver- Lucæ 14. „ bis ſolis renuntiantes, & non factis. „ De hoc quippe 30. „ dicitur, cum veniente tentatione magis iſta metuit „ amittere, quam Chriſtum negare, Ecce homo qui cæ„ pit ædificare, & non potuit perficere. Ipſe eſt etiam „ qui cum adhuc longe eſſet adverſarius ejus, miſit le„ gatos quærens pacem; id eſt, nondum affligente, ſed „ adhuc imminente ac minante tentatione, ut iis non „ careat, quæ plus diligit, ad relinquendum Chriſtum „ negandumque conſentit: Et multi ſunt tales, qui eti„ am putant ſibi ad augendas opes ſuas, & multiplican„ da delectamenta terrena, Religionem ſuffragari debere „ Chriſtianam. Sed non ſunt tales divites Chriſtiani, „ qui licet iſta teneant, non tamen ab eis ita tenentur, „ ut hæc Chriſto anteponant; quia veraci corde ſæculo „ renuntiarunt, ut nullam ſpem in talibus ponant. Hi „ uxores & filios, univerſaſque familias ad Chriſtianam „ Religionem tenendam ſana erudiunt diſciplina. Ho„ rum Domus hoſpitalitate ſerventes; recipiunt juſtum in „ nomine juſti, ut mercedem juſti accipiant. Frangunt „ eſurienti panem ſuum, nudum veſtiunt, captivum re„ dimunt, theſaurizant ſibi fundamentum bonum in fu„ turum, ut apprehendant veram vitam. Et ſi forte pro „ fide Chriſti pecuniaria damna perpetienda ſunt, ode„ runt divitias ſuas: ſi ſuorum orbitates vel ſeparationes „ pro Chriſto minatur hic mundus, oderunt parentes, „ fratres, filios, uxores: poſtremo ſi de ipſa hujus cor„ poris vita cum adverſario paciſcendum eſt, ne deſer„ tus deſerat Chriſtus, oderunt inſuper animam ſuam. „ De iis quippe omnibus mandatum acceperunt, quod „ aliter diſcipuli Chriſti eſſe non poſſint.“

16. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut* Pſalm. 24. *ſorores*, &c. *propter me, centuplum accipiet*, &c. „ Ha- S. Bern. in „ betis, filii Adam, promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, Ev. Ecce „ pariter & futuræ, ut obſtruatur os loquentium ini- nos reliqui„ qua, & *confundantur omnes iniqua agentes ſupervacue*. mus omnia. „ An non ſupervacue penitus agit iniqua qui non modo „ fructuoſius, ſed & jucundius; non modo ſalubrius, ſed „ & ſuavius Deo poterat ſervire quam mundo? . . . . „ Quid inſaniæ eſt, quod cunctantur homines relinquere „ ſimpla pro centuplis? Ubi eſt cupidus, ubi ambitioſus, „ ubi conquiſitor hujus ſæculi? Quid ad fidele negotium „ & nundinas quæſtuoſiſſimas avaritia intepuit & obdor„ mivit humana? Cui Judæo id negares, o homo, qui „ in vanum accepiſti nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti? „ Cui ſacrilego dare quicquid habes pro centuplo cun„ ctareris? Sed execrabilis tibi eſt manus Domini ut nul„ lam ab eo commutationem recipere, non ei in ratio„ ne dati vel accepti communicare penitus acquieſcas. „ An forte non ex odio, ſed ex incredulitate detrectas? „ Nam id mihi, fateor, credibilius eſt. Nemo enim pe„ rire magis optaret minimæ cujuſpiam conſolationis ob„ tentu, quam maxima cum exultatione ſalvari. Sed non „ eſt omnium fides, ne eorum quidem qui nomine tenus „ ſunt fideles . . . *Centuplum accipiet*, &c. Sed quomo„ do, inquis, poſſunt hæc fieri? Qua ratione accipit cen- Pſal. 93. „ tuplum, qui nihil ſibi reliquit ex omnibus? *Tollite*, „ inquit, *jugum meum ſuper vos, invenietis requiem*. „ Mira novitas, ſed ejus qui nova omnia facit. Jugum

„ tol-

„ tollens, invenit requiem: relinquens omnia, centuplum „ habet. Noverat hoc & ille nimirum homo secundum „ cor Dei, qui ei loquebatur in Psalmo: *Numquid ad-* „ *hæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præ-* „ *cepto*? Annon fictus in præcepto labor, onus leve, sive, „ suave jugum, crux inuncta? Hujus rei sacramentum est, „ quod in Dedicatione Ecclesiarum, depictas in pariete
Genes. 22. „ cruces oleo sancto Pontifex linit. Sic & olim quan- „ do Abrahæ dictum est, *Tolle filium tuum, quem diligis* „ *Isaac, & offeres mihi eum in holocaustum*, labor fictus „ est in præcepto. Oblatus siquidem *Isaac sanctificatus est*, „ *non mactatus*. Et tu igitur si vocem Domini audieris „ intus in animo, & dicatur tibi ut offeras tuum Isaac, „ tuum quodcumque est gaudium immoles Deo, fideliter „ & constanter obedi. Quicquid affectus proprius judicet, „ securus esto: *Non Isaac, sed aries morietur; non peribit* „ *tibi lætitia, sed contumacia*. Sed multi, inquies, relin- „ quunt omnia, qui centuplum non accipiunt. Examinet „ serio, qui centupli gratiam sibi deesse causatur, an per- „ fecte omnia reliquerit. Neque enim potest solvi Scriptu- „ ra, quæ tam certa veritate subnixa, omnibus id sine „ exceptione promittit. Sunt enim qui sibi retinent ali- „ quid, Dominicæ vocis obliti, qui non suam venit fa- „ cere voluntatem, & in ipsis quoque Sanctorum colle- „ giis proprio aut desiderio, aut fortasse consilio impor- „ tunius adhærentes, sciolos sese faciunt, de se sibi ali- „ quid retinentes, quos penitus abnegasse, & divinæ pro- „ videntiæ, ac obedientiæ Patrum, consiliis quoque spi- „ ritualium virorum debuerant commisisse. Sunt qui pro- „ pinquis retinent & amicis, quod abjiciunt a semetipsis, „ pro eorum prosperitate præsenti, inani prorsus & sæ- „ culari solitudine æstuantes, crudeles plane, qui nec proxi- „ mos diligunt tanquam se: crudeles, inquam, vel in se vel „ in suos, imo quod verius est, in utrosque. Nemo ergo „ cum se videt non omnia reliquisse, centuplum non acce- „ pisse miretur. *Pretiosa siquidem divina consolatio est*, „ *nec omnino tribuitur admittentibus alienam*. "

17. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Il-
S. Ber. ib. lud enim in via, hæc in patria: immo hæc patria, illud via: illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio est. „ Sic nimirum & operariis hujus sæ- „ culi cibus in opere, merces in fine datur: sic militan- „ tibus & stipendia ministrantur pro necessitate temporis, „ & novissime donativum majus erogatur pro quantitate „ laboris. Sic & filiis Israel donec terram promissionis in- „ trarent, in deserto Manna non defuit: & ab Ecclesia, „ post quæsitum Regni cœlestis adventum, quotidianus pa- „ nis quotidie petitur in Oratione quam ipse Salvator in- „ stituit: At forte ad hæc sæcularis adhuc quispiam di- „ cat: Ostende mihi centuplum quod promittit, & libens „ universa relinquo. Ut quid ostendam? Fides enim non „ habet meritum, cum humana ratio præbet experimen- „ tum: an potius homini ostendenti, quam Veritati crede- „ res promittenti? Nisi credideris, non intelliges. Manna „ absconditum est, quod in Apocalypsi vincenti promittitur. „ Novum nomen est, quod nemo scit, nisi qui accipit. Vi- „ detur enim forte nonnullis præsentem Sanctorum com- „ munionem facultatum pariter & voluntatum, hoc loco „ centupli nomine designari. Et magna quidem hæc ipsa „ consolatio, sed non adeo generalis ut possit universali- „ ter omnibus convenire. Quantos enim Sanctorum aut „ voluntarie eam deseruisse, ut Anachoretas; aut violen- „ tia persecutionis, ut Martyres exilio relegatos, huma- „ na consolatione novimus caruisse? Datum, optimum est „ centuplum, hoc desursum descendit a Patre luminum. „ Annon denique omnia possidet, cui omnia cooperantur „ in bonum? An non centuplum habet omnium, qui im- „ pletur Spiritu Sancto, qui Christum habet in pectore? „ Nisi quod longe plus quam centuplum est visitatio Para- „ cleti Spiritus, & præsentia Christi. *Quam, magna* inquit, „ *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti ti-* „ *mentibus te? Perfecisti eis qui sperant in te*. Hoc cen- „ tuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ Spiritus, „ deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, Regnum Dei, „ quod intra nos est, non utique esca vel potus, sed ju- „ stitia & pax, & gaudium in Sp. Sancto. Gaudium sa- „ ne non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationi- „ bus..... Hæc gratia devotionis, & unctio docens de „ omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quo- „ niam nemo scit nisi qui accipit. Utinam hic filiorum „ hominum concupiscentia vigilet, utinam vel curiositas „ excitetur, ut dicant in cordibus suis: Non videtur hoc „ verbum adinventionis humanæ, cui sic consonant uno „ ore testimonia Scripturarum. Quod si ita est, sine du- „ bio vehementer erramus. Probare libet an hæc ita se „ habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, „ experiri quod sit hoc centuplum, quale gaudium in „ Spiritu Sancto. Cras profecto respondebit ei justitia sua, „ qui id studiose quæsierit. Confestim ut gustaverit, vi- „ debit quoniam suavis est Dominus, non modo tenenti, „ sed quærenti se, animæ speranti in se. "

18. *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi pri-*
mi. In Christianis enim non coronantur initia, sed finis:
& Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ne-
Natal. Alex. In Evang. mo se alteri præponet, non innocens pœnitenti, non pœ- nitens peccatori. Nemo altum sapiat, sed timeat. *Qui* *stat, videat ne cadat*. Teneat quod habet, ne coronam ejus alius accipiat. Humiliet se in conspectu Dei, memi- neritque *Maximum fidei nostræ opus esse humilitatem*. Cum animi celsitudine cordis humilitatem conjungat. *Te-* *S. Hilar. in* *nendus* enim *humilitatis & altitudinis modus est: ut cor-* *Psal. 130.* *de humiles, sensu vero & anima simus excelsi*.

CAPUT XX.

Sensus Litteralis.

1. SIMILE *est Regnum cœlorum homini patri-familias,* *S. Hieron.* *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam* *Comment.* *suam*. Istius parabolæ finis est explicatio superioris senten- *in S. Matt.* tiæ: *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi pri-* *mi*. Unde Textus Græcus & Syriaca Versio causalem ha- bent particulam, qua parabolæ istius connexio cum sen- tentia superiori exprimitur hunc in modum. *Simile enim* *est Regnum cœlorum homini patri-familias*. Id confirmat parabolæ conclusio eorumdem constans repetitione verbo- rum: *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi*. Simi- le est Regnum cœlorum homini patrifamilias, &c. Ita se habet divinæ dispensationis æquitas in Regno cœlesti, ac si quis pater-familias ante solis ortum prodiret in publi- cum sive in forum, ubi stant operarii conductorem exspe- ctantes, ut eos ad vineæ suæ cultum vocaret atque con- duceret. *Conventione autem facta cum operariis ex dena-* *rio diurno, misit eos in vineam suam*. Argenteum pactus in dies singulos, ut stipendium laboris eorum, misit illos in vineam suam, ut illam colerent.

2. *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes* *in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam,* *& quod justum fuerit dabo vobis*. Circa horam tertiam, quæ Gallico numerandi modo nonæ matutinæ respondet, iterum prodiens, vidit alios in foro stantes & tempus te- rentes, quos pariter conduxit, non certa præstituta mer- cede; (his enim denarius non debebatur, cum dies inte- gra non esset) sed indefinita promissione ejus quod æ- quum erat.

3. *Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam*, id est, circa meridiem, nostro computandi more, & cir- ca tertiam horam pomeridianam; *& fecit similiter*; id est, stantes operarios pariter conduxit, justa mercede pro- missa, quam ipsius æquitati ac fidei committerent.

4. *Circa undecimam vero*, sero admodum, die ad oc- casum vergente, *exiit, & invenit alios stantes* in foro, pariter otiosos, *& dicit illis*, exprobrantis & increpantis voce: *Quid hic statis tota die otiosi?* Illi vero ab igna- viæ labe se purgantes, *dicunt ei: Quia nemo nos condu-* *xit*. Per nos non stetit quin operas nostras locaremus, parati eramus ad laborem: sed nemo nos conduxit. No- stra infelicitas est, quod aliis vocatis fuerimus præter- missi, non ignavia. *Dicit illis*: Ut ut se res habeat, *Ite* *& vos in vineam meam*.

5. *Cum sero autem factum esset*; cum sol occidisset, *Ps. 103.22.* quo tempore finis est operarum, juxta illud: *ortus est* *sol.... Exibit homo ad opus suum, & ad operationem* *suam usque ad vesperam*, dicit Dominus vineæ *Procura-* *tori suo*, seu Præfecto domus: *Voca operarios*, quorum mer- cedem apud me manere nolim usque in crastinum contra præceptum Legis: *& redde illis mercedem*, seu diurnum *Levit. 19.* stipendium, *incipiens a novissimis usque ad primos*; ab iis 13. qui ultimi advenerunt, usque ad illos qui primi omnium sunt conducti; id est nullo inter ipsos facto discrimine.

6. *Cum venissent ergo qui circa undecimam horam ve-* *nerant, acceperunt singulos denarios*, æquale stipendium, singuli denarium accepere. *Venientes autem & primi*, qui primo diluculo in vineam vocati, solida die laboraverant, *arbitrati sunt quod plus essent accepturi*, quod majori mer- cede donandi essent: *acceperunt autem & ipsi singulos de-* *narios*, parem iis, qui novissimi venerat, mercedem. *Et* *accipientes murmurabant adversus patrem-familias*, oblo- quebantur, (ut hujusmodi hominum mos est in similibus rerum circumstantiis) dicentes: *Hi novissimi una hora fe-* *cerunt, & pares illos nobis fecisti qui portavimus pondus* *diei & æstus*. Hi qui novissimi omnium in vineam vene- re, una dumtaxat hora fecerunt opus, & pari mercede illos munerasti, ac nos qui die solida laboravimus, & me- ridianum fervorem sustinuimus.

7. *At ille respondens uni eorum*, pro omnibus, illique forte qui ceteris impotentius murmurabat, *dixit: Amice,* *non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniisti mecum?* Reddidi quod debebam, pacta mercede te non fraudavi; quæ igitur tibi conquerendi ratio? *Tolle quod tuum est,* *& vade: volo autem & huic novissimo dare sicut tibi*. Nihil tua refert, si huic novissimo ex mera liberalitate mea æ- qualem mercedem rependere velim ac tibi, quamvis bre- vissimo tempore laboraverit. *Aut non licet mihi quod volo* *facere?* Secundum textum Græcum intelligendum est, *in* *meis*, seu de meis rebus, quod & Syriaca Versio sic ex- primit: *Nonne mihi licet quod volo facere iis quæ ad* *me pertinent?* Persica: *In administratione opum mea-*

rum ipſe arbiter ſum, ut quicquid volo faciam; vobis vero de negotio meo arbitrium nullum eſt. Arabica: *An non datur mihi ut faciam quod volo de bonis meis?* Æthiopica: *An non licet mihi quod volui facere cum ſubſtantia mea?*

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Meamne liberalitatem aliis invides? Malus oculus invidiam ſignificat, quod ex oculis invidia potiſſimum eluceat. Confer cum *Prov.* 33. 6. *Eccleſiaſtici* 31. 14. & *Marci* 6. 21.

8. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*. Ita fiet in regeneratione ſeu in die Reſurrectionis & Judicii generalis, ut multi qui hoc in mundo abjectiſſimi fuerunt, & ab paupertatem, humilemque conditionem contemptui habiti, vel etiam ob præcedentia peccata, primi fiant in cœleſti gloria: e contrario qui primi fuerant in hoc mundo, ut Scribæ, Phariſæi & ſimiles, fiant noviſſimi, & a vita æterna excludantur. Sive, Judæi qui *primi* erant in promiſſionibus & vocatione, erunt *noviſſimi*, ceu reprobi foras expellentur: Gentiles vero, tametſi poſterius vocati, *erunt primi* ac beatitudinis æternæ mercede donabuntur. Hoc ſenſu Phariſæis dicitur infra, Cap. 21. *Amen dico vobis, Quia Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei*. Quibus verbis ſignificatur, Publicanos & meretrices, qui Joanni viam juſtitiæ demonſtranti crediderunt, & pœnitentiam egerunt, Regno Dei donandos eſſe: Phariſæos vero qui non crediderunt ei, nec pœnitentiam egerunt, a Regni cœleſtis poſſeſſione excludendos. Eodem ſenſu *Lucæ* 13. 28. Judæis ait: *Cum videritis Abraham & Iſaac & Jacob & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Auſtro, & accumbent in Regno Dei. Et ecce ſunt noviſſimi qui erant primi, & ſunt primi qui erant noviſſimi*. Parabolæ itaque iſtius finis ac ſcopus in eo poſitus videtur, uti Chriſtus demonſtrat, Regni cœleſtis, & æternæ ſalutis adipiſcendæ modum ac rationem ex humanis judiciis non æſtimari, neque ex eo quod in uſu hominum & conſuetudine verſatur: ſed ſola Dei gratuita voluntate, ac pro ejus arbitrio totum illud adminiſtrari: fierique ſæpiſſime ut quos quiſque idoneos maxime putet ad æternam felicitatem obtinendam, & ad eam jure ſuo quodam admittendos; ii tamen præter omnium opinionem ab ea excidant: contra vero, quos illius beatitudinis ac regni numquam participes futuros haberet humana ſuſpicio, eos præter omnium opinionem compotes fieri. Hunc eſſe Parabolæ ſenſum ac finem, clauſula illa nos docet: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Hinc enim perſpicuum eſſe colligunt Interpretes eruditi, ſolos ibi electos opponi reprobis, cum omnes vocati fuerint, nec de majori aut minori gloria electorum agi. Cetera quæ iſti Parabolæ inſeruntur, ad illius ſenſum & finem non pertinere, ſed ſolum ad ornatum, veluti emblemata quædam & circumſtantias minime neceſſarias ad ſignificationem; Parabolas ſcilicet non omnibus ſuis partibus rei ſignificatæ reſpondere; nec oportere omnia quæ continent verbatim ſcrutari; ſed ſcopum intelligere ad quem inſtitutæ ſunt, eoque percepto & uſurpato nihil amplius inquirere, tradunt Tertullianus, S. Joannes Chryſoſt. & S. Auguſt. Quamobrem non adeo anxie ſcrutandum eſt: quid ſignificet unus omnibus datus denarius, quid laboris operæque diſpar mora, quid maturius conductorum querela & murmuratio, & id genus alia, quæ adornandæ & inſtruendæ ſimilitudini ſerviunt, qua id unum quæritur, ut intelligant totum ſalutis Regnique cœleſtis negotium ex Dei arbitrio & voluntate pendere. Apoſtoli teſtimonio ac ſuffragio myſterii iſtius fides confirmatur. *Gratia*, inquit, *ſalvati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur*. Neque tamen merita bonorum operum propterea excluduntur: ſed cum & *bona ipſa vita, cui æterna vita redditur, Dei gratia ſit, & ipſa æterna vita gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur*; (inquit S. Auguſt. libro *De gratia & Libero Arbitrio*, cap. 8.) Alludit autem potiſſimum Chriſtus ad Judæorum abdicationem, qui filii Regni vocantur, & adoptionem Gentium: Unde Judæis infra comminatur: *Ideo dico, Quia auferetur a nobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Illi enim (inquit Sanct. Hieronymus) *juxta vocationis ordinem primi fuerunt, & appellabantur caput: nos ſecundi, qui dicebamur cauda, verſi ſumus in caput, & Dei appellamur filii*. Sane *S. Aug.* libro 11. *De Peccatorum Meritis & Remiſſione*, cap. 18. parabolam iſtam ſic accepit, ut quos temporius conduxit Pater-familias, & quibuſcum pactus eſt de denario, reprobos intelligat, quibus Deus ex juſtitia reddit quod merentur, noviſſimos autem, electos, quibus gratiam & miſericordiam indulget. „ Quare autem, *inquit*, illos velit „ convertere, illos pro averſione punire: quamquam & „ in beneficio tribuendo nemo juſte reprehendat miſericordem, & in vindicta exercenda nemo juſte reprehendat veracem: ſicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus juſte culpaverit: conſilium tamen occultioris juſtitiæ penes ipſum eſt. "

Tertull. l. de Pudic. c. 9. *S. Joan. Chryſ. Hom.* 64. *in Matt. S. Aug. lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 94. *l.* 16. *de Civit. Dei c.* 11. *Epheſ.* 2. 8.

Matt. 21. 43. *S. Hier. in cap.* 11. *Iſai.*

9. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Multi exterius, per Evangelii prædicationem; interius etiam per gratiæ ſubminiſtrationem ad fidem & charitatem vocati; pauci autem ex illis electi ſunt ad regnandum cum Chriſto. Quicumque enim electi, ſine dubio etiam vocati; non quicumque vocati, conſequenter electi. Illi ergo electi, qui *ſecundum propoſitum vocati*, qui etiam prædeſtinati atque præſciti. Electi ſunt ad regnandum cum Chriſto; non quomodo electus eſt Judas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus eſt, qui novit bene uti etiam malis, ut & per ejus opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt*? Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum Regnum ſuum, illum ad fundendum ſanguinem ſuum . . . „ Horum fides quæ per dilectionem operatur, profecto aut „ omnino non deficit, aut ſi qui ſunt quorum deficit, re„ paratur antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ in„ tercurrerat iniquitate, uſque in finem perſeverantia de„ putatur. Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic a fi„ de Chriſtiana & converſatione lapſuri ſunt, ut tales „ eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo „ tempore, quo bene pieque vivunt, in iſtorum numero „ computandi ſunt. Non enim ſunt a maſſa illa perditio„ nis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti: & ideo „ nec ſecundum propoſitum vocati; ac per hoc nec ele„ cti, ſed in eis vocati, de quibus dictum eſt, *Multi vo„ cati*; non in eis de quibus dictum eſt, *pauci vero ele„ cti*. Et tamen quis neget eos electos, cum credunt, & „ baptizantur, & ſecundum Deum vivunt? Plane dicun„ tur electi a neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo „ qui eos novit non habere perſeverantiam quæ ad bea„ tam vitam perducit electos, ſcitque illos ita ſtare, ut „ præſcierit eſſe caſuros. "

Rom. 8. *Joan.* 6. 71. *S. Aug. l. de Corrept. & Gratia c.* 7.

10. Ut vero explicetur illa parabola, in cujus interpretatione antiqui Patres non omnino conveniunt, ex denarii tamen æqualitate quia omnibus operariis, quamvis inæquali labore functis pariter datus eſt, perperam colligebat Jovinianus æternæ compenſationis & gloriæ, proindeque & meritorum, in beatis omnibus æqualitatem. *Unus enim denarius non unum eſt præmium; ſed una vita, & de una gehenna liberatio*. Æqualis omium Sanctorum ſalus; licet ſalutis pro labore diverſa ſit gloria. *Hoc denario vita ſignificatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit; quoniam vivendi non eſt diverſa in æternitate menſura. Sed multæ manſiones, diverſas meritorum in una vita æterna ſignificant dignitates*. Alia eſt *enim* gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum: ſtella enim a ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum. *Tamquam ſtellæ Sancti diverſas manſiones, diverſas claritates tamquam in cœlo ſortiuntur in Regno: ſed propter unum denarium nullus ſeparatur a Regno; atque ita Deus erit omnia in omnibus: ut quoniam* Deus charitas eſt, *per charitatem fiat, ut quod habent ſinguli commune ſit omnibus. Sic enim quiſque etiam habet, cum amat in altero quod ipſe non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis*.

S. Hier. l. 2 contra Jovinianum & Epiſt. 146. *S. Aug. Tract.* 67. *in Jo.* 1. *Cor.* 15

11. *Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecreto, & ait illis: Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte*. Ex Ephrem civitate, quo ſeceſſerat poſt Reſurrectionem Lazari, ut Phariſæorum invidiam declinaret, & ubi cum Diſcipulis ſuis aliquandiu moratus eſt, aſcendit Jeſus Jeroſolymam, ultimum vitæ ſuæ Paſcha celebraturus: dum porro iter faceret, duodecim Diſcipulis ſuis a comitatu pauliſper ſegregatis & ſubductis, paſſionem ac mortem ſuam prædicit, ut eos ad tentationem præparet, ne ex Paſſione ſua & Crucis ignominia ſcandalizentur. Tribulatio enim ſit levior cum expectantibus & paratis advenit, quam ſi repentina opprimeret. Crebro autem hanc illis prædictionem repetit, ut diſcant ipſum Paſſionis & mortis ſuæ prætium, eam ſponte ac libere ſuſcepiſſe. Ecce, conteſtantis eſt ut memoriam præſcientiæ hujuſmodi in cordibus recondant. *Aſcendimus*: Videte quia voluntarie vado ad mortem, meque ipſum offero, quia volo, ut Prophetia impleatur; *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Cum ergo me in Cruce pendentem videritis, ne putetis me hominem eſſe tantum: nam etſi poſſe mori hominis eſt; velle tamen mori, hominis non eſt. *Ecce*, jam imminet, tempus, quod ſæpe vobis prædixi. *Et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis*. Tradar ergo ab uno ex Diſcipulis & domeſticis meis. Principibus Sacerdotum, qui ſanctimonia; & ſcribis, qui eruditione & ſcientia Legis præcellere ceteris deberent: qui tamen *condemnabunt* me *morte*. Damnarunt autem, non ſententiam judiciali poteſtate pronunciando, ſed præjudicio auctoritatis ſuæ, declarando & clamando *Reum mortis*. Marci 14. v. 64. *Summus autem Sacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis*. Confer cum *Matth.* 27. 1. 2. & 3. Non alio quam Crucis ſupplicio Chriſtus mori volebat, ut implerentur Prophetarum oracula. Hoc autem

Jo. 11. 54. *S. Hier. in hunc locum S. Jo. Chryſ. Hom.* 66. *in Matt. Auctor Operis imperf. in Matth.*

Iſai. 53. 7.

autem supplicii genere ipsum afficere Judæi non poterant cum usitatum apud illos non esset. Unde Pilato illis permittenti, ut Christum secundum Legem suam judicarent, *Jo.* 18.31.2 responderunt (ut S. Joannes observat) *Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus*: Scilicet.

Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Tradent Pilato, ejusque Consilio & Satellitio. Act. 10. 27. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius-Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*. Ostendit autem Christus facinoris indignitatem, quod ad se perdendum illorum opera usuri essent, quorum etiam contactum defugiebant. Sic Davidis facinus in URIÆ nece ostenditur 2. Regum 12. 9. *Et interfecisti eum gladio filiorum Ammon*. Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Quamvis enim Judæi disertis verbis a Pilato non petierint ut Christus flagellaretur, id tamen ipsis gratum fuit, & eum tradendo malorum omnium, penarum, & opprobriorum quæ passus est, authores fuerunt. *Et tertia die resurget*. Spe Resurrectionis suæ mœsta Discipulorum corda solatur. Apostolos hanc prædictionem Christi tunc non *Luc.* 18. 34 intellexisse, S. Lucas observat. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur*. Non quod verba Christi non intelligerent, sed quod mortis & resurrectionis ejus nondum caperent Mysteria. Unde S. Marcus illos ob- *Marci* 10. stupuisse & timuisse notat. *Erant autem*, inquit, *in via* 32. *ascendentes Jerosolymam: & præcedebat illos Jesus, & stupebant, & sequentes timebant*. Quomodo timore, stupore, tristitia afficiebantur, si non intelligebant? Morte quidem acerbissima & probrosa damnandum intelligebant (quæ verborum Christi erat significatio) sed My- *S. Jo. Chrys. Hom.* 66. *in Matth.* sterium dispensationis hujus non intelligebant, quod nempe morte sua universo hominum generi salutem esset allaturus. Neque etiam Resurrectionis ejus Mysterium, & quæcumque per eam admirabiliter operaturus erat, intelligebant. Nam alios quidem ab aliis excitatos audierant, & ab ipso Jesu a morte ad vitam revocatos viderant: quod vero quisquam se ipsum a morte excitasset, ita ut in posterum non moreretur, inauditum erat, eorumque captum superabat.

13. *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus* *Marci* 10. *ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo*. Cum 35. Salome Mater Jacobi & Joannis Christum brevi morituram, & tertia die resurrecturum, Regnique possessionem aditurum audivisset, pro filiis sollicita, cum illis ad ipsum accessit, & coram ipso procumbens, significavit se aliquid pro ipsis petere, quod jure propinquitatis se impetraturum confideret; scilicet ut Regni illius, quod temporale futurum existimabat, primi proceres essent, dignitate & auctoritate ipsi Jesu proximi. Accessit autem, & petiit incrementum filiorum, tum ipsorum instinctu, tum affectu motuque proprio. Et quidem quod filii matrem impulerint ut ad Jesum accederet, & pro ipsis rogaret, S. Marcus ostendit, ipsos accessisse & petiisse commemorans; *Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Jesus autem dixit* *S. Hier. in hunc locum. & S. Aug. l. 1. de Cons. Evang. c. 64. S. Ambr. l. 5. de Fide ad Gratian. cap. 5.* eis, &c. Narrat & S. Matthæus, Christum filiis respondisse, non matri, quod *ejus preces ex filiorum descendere voluntate* intelligeret, ut S. Hieronymus observat. Ambitus quidem rei fuisse videntur & filii, & mater, tametsi venialis. *Postulat mater errore muliebri, & pietatis affectu, nesciens quid peteret* (inquit S. Hieronymus.) Matri pro filiorum honore sollicitæ *immoderatior quidem, sed tamen ignoscendæ mensura votorum est*. „ Etsi error, pietatis tamen error est; „ (*inquit S. Ambrosius*.) Nesciunt enim materna viscera „ patientiam. Etsi voti avara, tamen veniabilis cupiditas, „ quæ non pecuniæ est avida, sed gratiæ. Nec invere- „ cunda petitio, quæ non sibi, sed liberis consulebat. Ma- „ trem considerate, matrem cogitate.... Considerate fe- „ minam, hoc est sexum fragiliorem, quem Dominus pro- „ pria nondum confirmaverat passione. Considerate Evæ il- „ lius primæ mulieris hæredem transfusa in omnes immo- „ deratæ cupiditatis successione labentem, quam Domi- „ nus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum „ inolitam affectibus omnium immodici contra fas hono- „ ris appetentiam suo cruore diluerat. Hæreditario igi- „ tur mulier delinquebat errore. "

S. Jo. Chrys. Hom. 66. *in Matth.* 14. *Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis*. Multiplici errore implicita est petitio vestra. Regnum enim meum temporale non est ac terrenum, ut existimatis, sed spirituale, & ipsis Virtutibus Angelicis sublimius. Neque hoc statu idonei estis possessioni primariisque sedibus Regni mei. Sed nec jure cognationis, aut precum ambitu, sed meritis, & laboribus impetratur. Pugnandum ac vincendum est, ante triumphum & coronas. *Potestis bibe-*

Natal. Alex. In Evang.

re calicem, quem ego bibiturus sum? Satne virium habetis, ut eamdem sortem subeatis passionum, & mortis, quam ego subiturus sum? Hæc enim via est, qua Regni mei possessio, primæque in eo sedes possunt impetrari. Observant eruditi Interpretes calicis nomine in Scripturis significari sortem, quæ decernente ac moderante Deo cuique obtingit, sive prospera sit, sive adversa: prospera quidem Ps. 15. vers. 6. „ Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis „ mei, *&c. Ps.* 22. *vers.* 5. Et calix meus inebrians quam „ præclarus est! *Adversa vero Ps.* 10. 7. Pluet super pec- „ catores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procel- „ larum pars calicis eorum. *Ps.* 115. 13. 14. 15. Quid re- „ tribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ca- „ licem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. „ Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: „ pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Isaiæ* „ 51. 17. Elevare, Elevare, consurge Jerusalem, quæ bi- „ bisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fun- „ dum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad feces. *Je-* „ *remiæ* 26. 15. Quia sic dicit Dominus exercituum Deus „ Israel: Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: „ & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mit- „ tam te, *&c. Matth.* 26. 39. Pater mi, si possibile est, „ transeat a me calix iste. " Metaphoram sumptam notant vel ab antiquo more, quo damnatis ad mortem porrigi solebat poculum veneno plenum, ut eo epoto extinguerentur: vel a more conviviorum, ubi pater-familias vel honoratissimus quisquis convivio præsidebat, bibendi leges ferebat, & præscribebat quantum quisque biberet, & quomodo temperatum: quæ leges molestæ erant convivis, & iis liberari magnæ gratiæ loco ducebatur. Unde illud Horatii:

Prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices conviva, solutus *Lib. 2.*
Legibus insanis. *Satyr. 6.*

Hinc nomen *calicis* ad pœnam significandam translatum & usurpatum est apud profanos & Sacros Scriptores. Nonnulli Codices Græci, & Syriaca Versio, & Arabica, & Persica, & Evangelium secundum Hebræos, hoc loco habent post hæc verba, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* ET BAPTISMATE, QUO EGO BAPTIZOR, BAPTIZARI? Verum melioris notæ Codices hanc sententiam non habent, a Vulgata nostra Versione Latina abest, nec eam agnoscunt SS. Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, nec ipsis antiquior Origenes Tom. 16. in Matthæum, ubi cum illam ex S. Marco citet, argumento est in Codices nonnullos Græcos irrepsisse, ex margine translatum in Textum ab imperitis librariis; cum nota marginalis ex Marci 10. capite accepta esset, ubi sic loquitur Christus Vers. 38. *Potestis libere calicem, quem* *Ps. 8. Vers.* *ego bibo: aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Bap- *1. 2. & 3.* tismi porro nomine idem significat quod nomine calicis, *Origenes* passionem scilicet ac mortem; metaphorica locutione, qua *Tom. 16. in* res adversæ & calamitates in Scriptura-Sacra sæpe com- *Matth.* parantur gurgitibus aquarum, quibus veluti submerguntur *Edit. Huetii.* qui vexantur. Duas martyriorum significationes comprehendit, quarum altera *calix salutaris* appellatur; alia autem *baptisma*: „ & quatenus labores aliquis sustinet, ca- „ lix est ab eo ebibitus, qui illata sibi omnia perfert, do- „ lores suscipit ac veluti haurit, eosque nec repellit, „ nec ejicit, vel evomit: Baptisma autem est, quatenus „ remissionem peccatorum adipiscitur qui mala sustinet, „ ut exponit Origenes. Suum autem baptisma Christus *S. Jo. Chry.* „ vocat, ut magnam orbi futuram expiationem per pas- *Hom.* 66. „ sionem suam significet. "

15. *Dicunt ei: Possumus*. Parati sumus tecum mori. Non intelligebant, quod se posse tam confidenter affirmant. Id *Auctor Ope.* pollicebantur non tam ex fiducia suæ fortitudinis, quam *ris Imperf.* ex ignorantia suæ fragilitatis: sicut enim bellum dulce *in Matth.* inexpertis videtur, ita & martyrium.

16. *At illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere au-* *Act. 12. Ter-* *tem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare* *tull. lib. de* *vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*. Martyrii gra- *Præscript.* tiam & coronam ipsis promittit. Idque impletum est, cum *cap. 36. S.* Jacobus gladio cæsus est jussu Herodis; Joannes autem e- *Hieron. in* jus frater propter martyrium missus est Romæ in ferven- *hunc locum:* tis olei dolium, & in Pathmos insulam relegatus, ubi *& l. 1. cont.* multas calamitates passus est: unde bibit calicem confes- *Jovin. & in* sionis, quamvis sanguinem revera non fuderit. Certe Po- *Catal. Scr.* licrates Ephesiorum Episcopus in Epistola ad Victorem *Eccles. in* Romanum Episcopum, cujus fragmentum refert Eusebius, *Jo. Euseb.* Joannem Apostolum *Doctorem & Martyrem* appellat. *Ca-* *l. 3. Histor.* *licem quidem meum bibetis*, patiemini pro fide & confes- *Eccles. c. 31* sione nominis mei. *Sedere autem ad dexteram meam vel* *S. Ambr. l.* *sinistram, non est meum dare vobis*; quatenus homo sum. *5. de Fide* Rogatus enim a muliere quasi homo, ut ad dexteram vel *cap. 6.* ad sinistram filios ejus sedere pateretur; quia illa quasi hominem rogaverat, & Dominus quasi tantummodo homo de sua passione respondit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Itaque quia secundum carnem de passione sui corporis loquebatur, *demonstrare voluit quod secundum carnem quidem subeundæ passionis nobis exemplum ac similitudinem derelinqueret, secundum humanam autem conditionem sedis supernæ consortia dona-*

donaret. Hoc est enim quod dixit, Non est meum, *sicut alibi*, Mea doctrina non est mea: *quia quæ divina sunt, non sunt carnis eloquia*. Vel, *non est meum dare vobis*. Quamquam enim meæ sit potestatis & officii sedes & præmia in cœlesti Regno dare; non est tamen meum dare vobis quia petitis, aut quia cognati mei estis; non est meum dare vobis qui nondum meruistis, sed quibus paratum est a Patre meo, propter merita conferendum. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *Non est enim acceptio personarum apud Deum: sed quicumque talem se præbuerit ut Regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini Regnum cœlorum, quod Pater meus triumphantibus & victoribus præparavit, vos quoque accipietis illud.*

S. Hier. in hunc locum.

His igitur verbis, *Non est meum dare vobis*, non significat Christus ad se non pertinere cælestium distributionem præmiorum, immo potius sui esse officii, suæque potestatis hos præ illis in primariis Regni sui sedibus collocare, non tamen immeritos, sed a Patre prædestinatos ut per merita primas in Regno cœlorum obtineant. Quemadmodum ergo Patri non derogat, cum ait: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*: ita nec sibi aliquid derogat, cum dicit; *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: siquidem alias Regnum cœleste se illis daturum pollicetur: *Ego*, inquit, *dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim Tribus Israel*. Et rursus ait: *Ego ad Patrem vado, & quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Sacrilegum itaque est asserere quod Filius dare non possit quod Pater dare potest; & quod non possit facere quicquid Pater in nomine ejus fuerit obsecratus. Non ergo dixit: *Quibus paratum est a Patre meo*, ut tantummodo a Patre poscatur; nam omnia quæcumque a Patre fuerint postulata, se donare memoravit. Quod paratum est a Patre, & a Filio, qui Dominus ac Rex est gloriæ, paratum est: quia ipse & Pater unum sunt. In Trinitate enim quod de singulis dicitur, omnium est, propter inseparabilem operationem unius ejusdemque substantiæ. Cum igitur ait, *sed quibus paratum est a Patre meo*; cum Patre intelligi voluit parare sedes gloriæ quibus vellet. *Non est meum dare*, secundum formam servi; *Non est humanæ potestatis hoc dare per quod Deus æqualis est Patri*. Non est meum dare; *id est, non humana potestate ista do*, sed quibus paratum est a Patre meo: *sed jam tu intellige, quia si omnia quæ habet Pater mea sunt, & hoc utique meum est, & cum Patre ista paravi.*

Jo. 5. 22.
Luc. 22. 19
Jo. 14. 12. & 13.
S. Amb. l. 5. de Fide c. 5
S. Aug. l. 1. de Trin. c. 12.

17. *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus*, Æmulatione carnali, qualis inter Aulicos Principum hujus mundi fervere solet. Nec mirum cum nondum in eos Spiritus Sanctus descendisset, cujus virtute a terrenis illis cupiditatibus purgati sunt. *Jesus autem vocavit eos ad se*, ut eos saluberrimis documentis sanaret, suæque humilitatis exemplo ad modestiam revocaret. Et ait: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. Ab affectando Regni cœlestis seu Ecclesiæ Principatu Discipulos suos Christus deterret, proposito discrimine sæcularis principatus & dominationis, qualem Gentium Deum ignorantium Reges exercebant, & Ecclesiastici Regiminis, cui Apostoli, & eorum successores Episcopi destinati erant. Sæcularia imperia ambitiosius appeti mirum non est, ut quæ ad imperantium utilitates, fastum, ac voluptates converti soleant. Qui autem in Regno meo excellendi desiderio tenentur, illi sciant sibi majus quam ceteris onus ministerii ac servitutis incumbere; non propria, sed eorum quibus præsunt, commoda quærere; se ipsos pro eorum animabus & salute devovere ac lubenter impendere debere. Hinc S. Paulus ait: *Non quæro vestra, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.*

S. Jo. Chrys. Hom. 66.

18. *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*. Qualis Rex, tales sint qui Præfecturas primarias in Regno gerunt. Exemplum igitur meum imitari vos oportet. Ego enim Rex & Dominus omnium non veni in hunc Mundum ut hominum satellitio & ministerio utar ad splendorem & pompam, non ut meis rationibus serviam, non ut opes & delicias consecter, non ut subditos pro gloria & magnitudine mea tuenda morti exponam, ut sæculi Reges solent: sed ut hominum saluti & utilitati serviam, laboribus, peregrinationibus, prædicatione, miraculis, ipsa sanguinis mei effusione ac vitæ oblatione serviam, ipsam ut pretium redemptionis tradendo *pro multis*, sive pro omnibus, qui simul multi sunt. 2. Corinth. 5. 14. & 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Et 1. ad Timoth. 2. 7. *Unus enim Deus, Unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Maluit tamen hic *pro multis*, quam pro omnibus sanguinem suum effundendum in redemptionem dicere, ut mortis ac redemptionis suæ fructum in multos redundaturum significaret, quibus in ipsum crediturі erant, non Judæos solum, sed & Gentiles. Unde infra cap. 26. Sanguis Christi dicitur effundendus *pro multis in remissionem peccatorum*. Et Joann. 11. 52. Jesus *moriturus dicitur pro Gente, & non tantum pro Gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Et ad Hebræos 9. 8. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Quod Isaiæ 53. 11. & 12. prædictum est: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit ... Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit*: In hunc sensum S. Hieronymus: *Non dixit animam suam redemptionem dare pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint*.

2. Cor. 12. 14.
S. Hier. in hunc locum.

Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Jesum cum Discipulis suis Jericho exeuntem magna populi frequentia secuta est. *Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret: & clamaverunt dicentes, Miserere nostri, Fili David*. Una & eadem Historia est, quam & S. Marcus cap. 10. & S. Lucas cap. 18. commemorant. Unum enim miraculum a tribus Evangelistis narrari, ex circumstantis compertum est. Quia porro duorum illorum cæcorum alter erat altero notior, unius tantum meminerunt duo posteriores Evangelistæ, cujus & nomen appellat S. Marcus *Bartimæum, filium Timæi*. Ait quidem S. Lucas miraculum istud factum esse cum Christus appropinquaret Jericho: alii Evangelistæ, cum Iericho exiisset. Sed tamen nulla inter illos discordia est, nulla miraculi diversitas. Ut enim Viri Eruditi observant, τὸ *appropinquare* non semper motum ad locum, sed sæpe distantiam tantum significat, ut Lucæ 19. 29. *Cum appropinquasset Bethphage & Bethaniam*: & tamen Bethaniam jam transierat. Sensus ergo est: cum Jesus non procul distaret ab oppido Jericho, *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu fili David, miserere mei*.

S. Aug. l. 2 de Consens. Evang. c. 36
Luc. 18. 35.

19. *Turba autem increpabat eos ut tacerent*, quia vel putabant eos stipem tantum rogasse mendicorum instar ceterorum, vel eorum clamorem Jesu nihil respondenti molestum fuisse. *At illi magis clamabant dicentes, Domine, miserere nostri, Fili David*. Clamabant fortius, ut supra turbæ strepitum a Jesu exaudirentur; ac geminato clamore, invictæ fidei & ardentis desiderii specimen præberent. *Miserere nostri, Fili David*, tu qui Davidi promissus es, ex semine David secundum carnem nasciturus, verus Messias, Mundique Salvator. *Et stetit Jesus, & vocavit eos*, seu *vocari præcepit*, ut SS. Marcus & Lucas referunt. *Et ait: Quid vultis ut faciam vobis?* Non ignorans interrogat, sed ut supplicantium fides manifesta fieret, evidensque ac fructuosum esset miraculum. *Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri*. Quod præstare, Dei proprium opus est. Genes. 20. 19. *Aperuitque oculos ejus Deus*. 4. Regum 6. 17. *Cumque* orasset Elisæus ait: *Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit*. Psal. 145. *Dominus illuminat cæcos*. Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum*. Jesum itaque Messiam & Deum agnoscunt, qui ipsum supplices orant ut eorum oculos aperiat. *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum*. Tetigit ut homo, sanavit ut Deus. *Præstat enim Artifex quod natura non dederat; aut certe quod debilitas tulerat, Misericordia donat*. (inquit S. Hieronymus.) *Et confestim viderunt*. Natura enim paulatim, Deus momento producit opus. Statim itaque ac vivifica Christi manu tacti sunt, visum recepere, & *secuti sunt eum*: ut gratum animum erga benefactorem suum testarentur, ejusque potentiam prædicarent.

Marc. 10. 94
Luc. 18. 40.
S. Jo. Chrys. Hom. 67. in Matth.
S. Hier. in hunc locum

SENSUS MORALIS.

1. SIMILE *est Regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, &c. Pater familias Deus Optimus Maximus, Vineam habet, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Exiit Deus primo mane, & per creationem, & per Incarnationem Filii sui, & omnes homines, maxime vero Fideles vocavit ad laborem in vinea sua exercendum, justitiæ scilicet Christianæ opera. Singulis autem horis diei, id est, singulis vitæ hujus mortalis ætatibus vocantur & conducuntur ad laborem. Tamquam prima hora vocati, qui recentes ab utero matris incipiunt esse Christiani; quasi tertia pueri, quasi sexta juvenes, quasi nona vergentes in senium, quasi undecima omnino decrepiti; unum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi. *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*

S. Greg. M. Hom. 19. S. Aug. ser. 87

S.Greg.M. Ibid. *suam*. Ad erudiendam Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere; quia & prius per Patres, & postmodum per Legis Doctores & Prophetas, ad extremum vero per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laboravit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta, & nona, antiquus ille Hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineæ cultura laborare: Ad undecimam vero Gentiles vocantur, quibus & dicitur, *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant. *Nemo*, inquiunt, *nos conduxit*. Nullus vitæ vias nobis prædicavit. Nullus quippe ad eos Patriarcha, nullus Propheta venerat.

S.Aug. ser. 87.alias 59 de Verbis Domini. *Simile est Regnum cœlorum homini patri-familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*. Colimus Deum, & colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, ut nos eum meliorem colendo faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando. „ Ille autem „ colit nos tamquam agricola agrum. Quod ergo nos „ ille colit meliores nos reddit; quia & agricola agrum „ colendo facit meliorem: & ipsum fructum in nobis „ quærit, ut eum colamus. Cultura ipsius est in nos, „ quod non cessat verbo suo exstirpare semina mala de „ cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro „ sermonis, plantare semina præceptorum, exspectare *S.Bern.ser. 2.de purific. B. Mariæ Virginis.* „ fructum pietatis. Cum enim istam culturam in cor nostrum sic acceperimus, ut eum bene colamus, non „ existimus ingrati agricolæ nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores. "

2. *Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit*. Cum arguantur otiositatis ipsi quoque quos nemo conduxit: qui iam conducti sunt si otiosi inventi fuerint, quid merentur? *Fides quippe sine operibus mortua est*. Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum ... Venit nox, quando nemo potest operari*. Tempus breve est, quo laborare in vinea Domini possumus, æterna merces quam speramus. *Ecce nunc tempus acce-* *Galat.6.20* *ptabile, ecce nunc dies salutis*. Post hanc vitam *Tempus* *Joann. 9.4* *non erit amplius* operandi & merendi, sed in æternum quiescendi, & gaudendi, vel sine fine patiendi. Caveamus ne servi inutiles simus. Otiosa vita, damnationis æternæ causa. Homo lege creationis; peccator lege pœnitentiæ; Christianus lege redemptionis & adoptionis suæ ad laborandum pro salute sua tenetur. Vocat nos Deus ad vineam suam colendam omni hora, in pueritia, in juventute, in ætate virili, in senectute. Nisi nos gratia sua vocaret atque præveniret, salutem nostram operari non possemus. Prius agit in nobis sine nobis, ut subsequente consensu nostro, bonum quod agimus agat nobi- *S. Augustin.* scum. Voluntas quam gratia Dei non prævenit, lumen non habet, sed errat in tenebris, ambages dubiarum ingressa viarum; ardorem non habet, nisi ut in vitia præceps omnimoda mobilitate ruat; vires non habet, nisi ut in vulnere surgat. Omnis enim mali ex se capax, ad omne bonum impotens est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. *Ite & vos in vineam meam*. Nisi Christus nos quærat, vocet, conducat, applicet ad opus, aut in otio torpescemus, aut opera tenebrarum faciemus; vanitatis causa, non æternitatis, non salutis æternæ, non Dei *S. Prosper.* intuitu laborantes: *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere*. Nihil possumus in negotio salutis nostræ nisi per Christum *creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*.

3. *Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ* *Joan.15.5.* *procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem,* *Ephes. 2.10.* *incipiens a novissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios*. Immensa Dei bonitas vult nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona. Unus denarius vita scilicet æterna, omnibus qui in ejus vinea laboraverint, in fine vitæ persolvitur, simul omnibus beatæ resurrectionis merces *S.Aug. ser.* confertur. „ Erimus in illa mercede omnes æquales, tan- *57.al.59.de* „ quam primi, novissimi, & novissimi primi: quia de- *Verb. Dom.* „ narius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes „ æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate „ fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad „ vitam æternam attinet, æqualis erit omnibus. Non „ enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter „ sempiternum est: quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi. Alio modo ibi erit castitas conjugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis: alio „ modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis. Illud alio modo, illud alio modo: tamen quantum pertinet ad vivere æternum, nec ille plus vivet „ illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine vivunt, „ cum in suis quisque claritatibus vivat: & ille denarius vita æterna est. Non murmuret ergo qui post multum tempus accepit, contra eum qui post modicum „ tempus accepit. Illi redditur, illi donatur: utrisque „ tamen una res donatur. "

„ Cavendum tamen, ne ideo quisque differat venire ad „ vineam, & in ea laborare, quia securus est, quoniam „ quandocumque venerit, ipsum denarium accepturus est. „ Securus est quidem quod ipse denarius illi promittitur, „ sed differre non jubetur. Numquid enim & illi qui sunt „ ad vineam conducti, quando ad illos exibat Pater-familias, ut conduceret quos invenit hora tertia, & „ conduxit, dixerunt: Non imus nisi hora sexta? aut „ quos invenit hora sexta, dixerunt, Non imus nisi hora „ nona? aut quos nona invenit, dixerunt, Non imus nisi „ undecima? Omnibus enim tantumdem daturus est: quare „ nos amplius fatigamur? *Quid ille daturus sit, & quid „ facturus sit, penes ipsum consilium est; tu quando vocaris, veni*. Merces enim cunctis æqualis promittitur: „ sed de ipsa hora operandi magna quæstio est. Si enim „ illi, verbi gratia, qui vocati sunt hora sexta, in hac „ ætate corporis constituti, ubi juveniles anni fervent, „ sicut ipsa hora sexta fervet; si dicerent illi juvenes „ vocati, expecta, audivimus enim in Evangelio, quia „ omnes unam mercedem accepturi sunt, cum senes fa- „ cti fuerimus hora undecima veniemus; tantumdem ac- „ cepturi, quare laboraturi? Responderetur eis: *Labora- „ re non vis, qui utrum vivas usque ad senectam nescis? Sexta hora vocaris, veni. Paterfamilias tibi qui- „ dem etiam undecima venienti denarium promisit; sed „ utrum vivas usque ad septimam, nemo tibi promisit. „ Non dico usque ad undecimam, sed usque ad septi- „ mam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne forte quod ille tibi da- „ turus est promittendo, tu tibi auferas differendo.* " Si hoc recte dicitur de infantibus, tamquam ad horam primam pertinentibus; si recte dicitur de pueris, tamquam ad horam tertiam pertinentibus; si recte dicitur de juvenibus, tanquam in horæ sextæ flagrantia constitutis: quanto magis recte de decrepitis dicitur, Ecce jam hora undecima est, & adhuc stas, venire pigrescis? An forte non exiit ad te vocandum pater-familias? Si non exiit, quid est quod loquimur? Nempe nos servi de familia ipsius sumus, conducere operarios missi sumus. Quid ergo stas? *Finisti annorum numerum, festina ad denarium*. Æternæ salutis causa tota die, & usque ad vesperam, id est, toto vitæ tempore, & usque ad mortem laborandum est, nusquam quiescendum, nusquam otio indulgendum. Quidni laboremus, cum Christus toto vitæ suæ mortalis decursu, & ad mortem usque crucis, nostri causa laboraverit? Momentum quidem temporis sufficit ad promerendam vitam æternam, si peccator animo sincero ad Deum conversus fuerit, peccatum oderit, Deum toto corde dilexerit; sed temerariæ præsumptionis reus est, qui in extremo momento divinam misericordiam sibi adfuturam pollicetur, quam toto vitæ tempore contempsit, cum ad pœnitentiam vocaret, sinumque expanderet. Neque tamen peccator omnium horarum in mortis articulo constitutus ultimum illud momentum elabi sinat, sibique a dæmone præripi desperatione & diffidentia de bonitate & misericordia Dei. Nam qui vel hora undecima in vineam domini venerunt, & in ea laboraverunt, eamdem mercedem accipiunt, si laboris brevitatem fervore charitatis compensaverint.

4. *Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, & acceperunt singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam ... Tolle quod tuum est, & vade: Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi*. Non in laboris diuturnitate, non in propria justitia, sed in sola Dei misericordia fidendum est. De nostro minime gloriandum, cum nostrum nihil sit. Quid enim habemus, quod non acceperimus? Non vocationis prioritas, non diuturnitas laboris, non austeritas vitæ, non difficultas, aut splendor operum; sed charitas, humilitas, & fidelitas, quam Deus in cordibus per Sp. Sanctum secundum consilium voluntatis suæ diffundit, divinæ liberalitatis mensura est. Christus dona sua singulis membris suis dividit prout vult. Mensura quisque sua sit contentus: proprii doni, gratiæque quam accepit fructus cum fœnore Deo offerat; aliis vero non invideat, se ex seipso nihil mereri certus, & de suo nihil habere præter mendacium & peccatum. *An non licet mihi quod volo facere?* (inquit pater familias) *Recolamus illos operarios in vinea, qui toto die laboraverunt, & eos qui hora una* (inquit S. Augustinus); *nempe causa diversa est impensi laboris, & tamen idem judicium* *S. Aug. lib.* *in redditione mercedis. Numquid & hi audierunt mur-* *de Dono* *murantes a patrefamilias, nisi, Hoc volo? Ita quippe ejus* *perseve-* *erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla esset iniqui-* *rantiæ c. 8.* *tas. Et illi quidem utrique in bonis sunt: Verumtamen quantum ad justitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur, recte dici de reo qui damnatur*, Tolle quod tuum est, & vade: huic autem volo *quod non debetur* donare. „ An non licet mihi facere quod volo? An ocu- „ lus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Hic ille si „ dicat, Cur non & mihi? merito audiet*, O homo tu

quis

quis es, qui reſpondeas Deo? *Quem certe in uno veſtrum benigniſſimum largitorem, in te exactorem juſtiſſimum, in nullo tamen cernis injuſtum. Cum enim juſtus eſſet, etiamſi utrumque puniret: qui liberatur, habet unde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat ... In hac re ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus, ita inſcrutabilia judicia ejus.*

5. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Qui ſegni & inerti animo in vinea Domini operantur, & negotium ſalutis ſuæ languenti charitate agunt, quamvis a pueritia vel juventute Deo ſe conſecraverint, non ſolum noviſſimi fiunt in Regno cœlorum, ſed periculo damnationis æternæ ſe exponunt. Contra vero pœnitentes videmus, qui cum juvenilibus annis in ſumma Dei oblivione vixerint, ac ſuis cupiditatibus abrepti, voluptatum illecebris allecti, in peccata ruerint præcipites, ad Deum tamen matura aut etiam inclinante in ſenium ætate converſi, tanto charitatis fervore ipſi ſerviunt, ut in ejus Regno primos gloriæ gradus mereantur & conſequantur præ illis qui jugum Domini ab adoleſcentia portaverunt. Ne igitur juſtus ſe extollat ſupra peccatores quantumvis obduratos; ſed infra omnes Chriſtiana humilitate ſe dejiciat; videat ne cadat; teneat quod habet, ne alius coronam ejus accipiat; peccatorem illum, hominem illum nequiſſimæ & profligatiſſimæ vitæ, ſinceræ pœnitentiæ conatibus, charitatis fervore, ſe ſanctiorem forte evaſurum cogitet, atque in Regno Dei priorem. Sola humilitas impedire poteſt, ne primi fiant noviſſimi, aut divinam miſericordiam & gratiam advocare & obtinere, qua noviſſimi fiant primi. *Parum eſt, ut illud quod in te eſt bonum agnoſcas quod a Deo ſit, niſi etiam inde non te extollas ſuper illum, qui nondum habet; qui fortaſſe cum acceperit, tranſiet te: Quando enim erat Saulus Stephani lapidator, quam multi erant Chriſtiani quorum erat ille perſecutor? Tamen quando converſus eſt, omnes qui ſe præceſſerant ſuperavit.*

S. Aug. Enarrat. in Pſ. 70. ſerm. 1.

Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Non vocatione, non juſtitia temporali, ſed una perſeverantia, quæ Dei donum eſt omnino gratuitum, innoteſcunt electi. *Qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Paulus quidem Apoſtolus fideles omnes complecti videtur ſanctorum, electorum, & prædeſtinatorum nomine. Nimirum quia latet homines, qui vere ſint electi, pie ſentiendum eſt omnes eſſe, qui fidei & pietatis ſpeciem præ ſe ferunt, & imagini filii Dei ſe conformes exhibere ſtudent. Unde S. Auguſt. „ Appellamus ergo eos & eloſtos Chriſti Diſcipulos, & Dei filios, quia ſic appel„ landi ſunt, quos regeneratos pie vivere cernimus; ſed „ tunc vere ſunt quod appellantur, ſi manſerint in eo „ propter quod ſic appellantur. Si autem perſeverantiam „ non habent, id eſt, in eo quod cœperunt eſſe non „ manent, non vere appellantur, quod appellantur, & „ non ſunt: apud eum enim hoc non ſunt, cui notum „ eſt quod futuri ſunt, id eſt ex bonis mali. " Paucitas electorum, præ ingenti numero reproborum, ſalutarem nobis timorem incutiat, cum neſciamus an amore, an odio digni ſimus.

S. Aug. l. de Corrept. & Grat. cap. 9.

6. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte*, &c. Veris tantum Chriſti Diſcipulis datum eſt noſſe myſterium, virtutem ac fructum Crucis Chriſti; ideo Chriſtus Jeroſolymam aſcendens, aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecreto, & cum illis de Paſſione ſua, & præcipuis ejus circumſtantiis, necnon de ſua Reſurrectione collocutus eſt. Narravit autem adeo nitide quomodo tradendus eſſet primum Principibus Sacerdotum & Scribis, deinde Gentibus, *ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*, ut ejus ſermo hiſtoria magis quam Prophetia videretur. Paſſionem ſuam ac mortem non præſcivit ſolum, ſed ardentiſſime deſideravit: *Baptiſmo* (inquit) *habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* De opprobriis ſuis, contumeliis, flagellis, cruce, ac morte, non tranquillo tantum, ſed læto animo cogitabat & loquebatur. Aſcendamus & nos Jeroſolymam cum Salvatore noſtro, Paſſionis ejus, Crucis, mortis, ac Reſurrectionis myſteria meditemur. Compatiamur & condoleamus, ut Apoſtoli, cum peccata noſtra cauſam fuiſſe conſtet, cur traditus ſit, contumeliis affectus, crudeliſſime flagellatus, morte damnatus, crucifixus. Chriſti contumelias honoribus ſæculi, flagella deliciis ac voluptatibus, crucem bonis omnibus perituris preponamus. Spes reſurrectionis, quam nobis a mortuis tertia die reſurgens dedit, nos in adverſis conſoletur, & ad damna quæque, orbitates, ægritudines, contumelias, perſecutiones, tormenta, mortem ipſam, ſi opus fuerit, pro ejus nomine ac gloria forti animo tolerandam accendat & confirmet. „ Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad „ propoſitum nobis certamen: aſpicientes in Auctorem „ fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in „ dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum, qui „ talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum „ contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris de„ ficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, „ adverſus peccatum repugnantes: & obliti eſtis conſo„ lationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: „ Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fa„ tigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Domi„ nus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem „ recipit. In diſciplina perſeverate. Tamquam filiis vo„ bis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corri„ pit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus par„ ticipes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filii „ eſtis. "

Lucæ 12. 56.

Hæbr. 12. 1 2.

7. *Tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dicit ei, Quid vis? Ait illi: Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in Regno tuo.* Ambitioſi ſe humiliant ſpecie tenus, ut ad honores irrepant; ad occurſum majoris cujuſque decreſcunt, ut extollantur: *Fœneraudo ſervitium, mercantur imperium.* Ambitionis vilitatem duo illi Apoſtoli Jacobus & Joannes non ignorarunt, qui primas in Chriſti Regno ſedes petituri, tempus illud obſervarunt quo Chriſtus aſſumpſit duodecim Diſcipulos ſecreto, immo ſeorſim a reliquis Diſcipulis Chriſtum Dominum convenerunt. Cur honorem ac dignitates petituri, ſolitudinem quærunt, fugiunt arbitros & teſtes? *Cum humano more id facerent, coram omnibus erubeſcentes dicere, ſeorſum ab aliis Diſcipulis Chriſtum convenientes interrogaverunt. Præceſſerunt enim, ut remotis arbitris occultius loquerentur.* Vides quam indecora ſit ambitio, quæ coram teſtibus erubeſcit. Et ne in receſſu quidem & ſolitudine ambitioſum deſiderium aperire auſi ſunt, ſed matrem præmiſerunt, quæ pro ipſis Chriſto ſupplicaret. *Pudore victi, matris patrocinium aſſumpſerunt.* Quin etiam ipſa mater accedens erubuit poſtulare, quod pro filiis ambitioſius optabat: & forte penitus obmutuiſſet, niſi ad loquendum excitaretur a Chriſto interrogante; *Quid vis?* AMBITIO *mater hypocryſis, latebras amat & tenebras, lucis impatiens eſt. Ambitio ſpurcum vitium in imo jacet: videt ſcopos tamen omne ſublime, ſed videri ipſa refugit. Nec mirum: optato namque neceſſe eſt careat, niſi caveat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur; eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. Quid denique tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi?* Duplex eſt ambitio; una nuda & impudens, quæ palam Eccleſiaſticas dignitates & ſacra miniſteria petit & affectat. Talis fuit Thebulis ambitio, qui Eccleſiæ integritatem hæreſi ſua violavit, propterea quod *in petitione Epiſcopus repulſam tulerat.* Talis ambitio Valentini, de quo Tertullianus lib. adverſus Valentinianos, cap. 9. „ Speraverat Epiſcopatum „ Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: ſed „ alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indigna„ tus, de Eccleſia authenticæ Regulæ abrupit (ut ſo„ lent animi pro proprietate exciti præſumptione ultio„ nis accendi) ad expugnandam converſus veritatem. " Talis ambitio Diotrephis, de quo S. Joannes Epiſt. 3. verſ. 9. *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos*, &c. „ „ Alia eſt ambitio ſobria & quodammodo oculata, ut „ loquitur S. Bernardus, moliens ſaltem caute, etſi „ non caſte. Si valet proficere, clam negotia ſua cu„ rat. Sin vero, manet in ſe, & pudoris umbram non „ deſerit: Equidem talis etſi Deum nondum metuit ad „ ſalutem, pro ingenita tamen verecundia honeſtatem in„ terim retinet, quod homines reveretur, & publicum eru„ beſcit. " Talis erat ambitio filiorum Zebedæi. Ideo Chriſtus interrogat quid velint, non ignorans certe, ſed *Ut reſpondere compulſi, ulcus aperiant, quod ſanare Chriſtus intendebat.* Ulcus ſane periculoſum ambitio, ſic appellata, quod *concupiſcentia apud animum ambientem natatur ad gloriæ votum. Grande ſcilicet votum, quod non natura, nec veritas, ſed vitioſa animi paſſio concupiſcentia commendavit.*

S. Jo. Chryſ. Hom. 66. in Matt.

S. Bern. Ep. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ.

S. Jo. Chryſ. Tertull. l. de Habitu muliebri cap. 9.

8. *Reſpondens autem Jeſus dixit: Neſcitis quid petatis.* Neſciunt quid petunt, qui Eccleſiaſticas dignitates & miniſteria ſive beneficia ob honorem, opes, & commoda temporalia quærunt, non ob opus ſanctum ac laborem ſuſcipiunt. Neſciunt quid petunt parentes, qui filios ſuos Eccleſiaſtico ſtatui deſtinant, non curantes an ſint a Deo vocati. Neſciunt quid petunt, quid hæreditate ſanctuarium Dei poſſidere, ſive jure cognationis obtinere conantur. De Chriſto Prophetice ſcriptum eſt: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cur non ſecundum ordinem Aaron? Quia, ut ait S. Leo Magnus „ cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum ad „ humanas pervenit functiones, non per generationum „ tramitem curritur, nec quod caro & ſanguis creavit, „ eligitur: ſed ceſſante privilegio patrum, & familiarum „ ordine prætermiſſo, eos Rectores Eccleſia accepit, „ quos Spiritus Sanctus præparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus univerſitas ſacerdotalis atque regalis „ eſt, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctio„ nem, ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat Antiſtitem. " Neſciunt quid petunt, qui abſque vocatione, & meritis, ad Ec-

S. Leo ſerm. 2. in Anniverſ. Aſſumptionis ſuæ.

ad Ecclesiasticas Dignitates, Sacerdotia, & Ministeria quærunt promoveri. De illis conqueritur Deus Osee 8. 4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* „ Ex se namque, & non ex arbitrio „ summi Auctoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, „ sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt po- „ tius quam assequuntur. Nullus magis dignus est Ec- „ clesiasticis Dignitatibus, quam qui se indignum censet." *S. Greg. M. Pastor p. 2. cap. 1.*

Meriti prærogativa, est honoris repulsa. Hinc Sanctus Hieronymus de Nepotiano Sacerdotium recusante: *Quanto magis* (inquit) *repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat: eoque dignior erat; quo magis se clamabat indignum.* Cœlestis sponsus ter repetitis vocibus sponsam vocat, *Veni de libano sponsa, veni de Libano, veni.* Cur non ad unicam sponsi vocem accurrit? Nimirum quia ad coronam & imperium vocat: *Veni coronaberis.* Prudenter venire metuit, quæ lapsus periculum non ignorat honoribus & dignitatibus annexum. *Mora hæc non est contumaciæ, sed cautelæ.* Imprudentem & cæcam ambitionem damnat illud sponsæ cœlestis exemplum. *Non exspectantes vel semel vocari, ultro nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes vel arte procurantes.* *Author serm. sub Eusebii Emiss. nomine editorum serm. in laudem S. Maximi. S. Hier. Ep. 3. ad Heliodorum Cantic. 4. Guibertus Abbas in Cant.*

9. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.* Illi Discipuli gloriam requirebant, qui volebant sedere unus ad dexteram ejus, & alter ad sinistram; *Attendebant quo, & non videbant qua: Dominus eos ut ordinate venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi: patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? Denique & illis hoc respondit quærentibus altitudinem.* Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? *Ecce qua venitur ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis atque passioris.* Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? . . . . *Dominus non illis sedes invidit; sed convallem prius plorationis ostendit, quasi diceret: Illuc vultis venire, ubi sum ego? Venite qua ego. Quid est, venite qua ego? Per humilitatem. Ego de sublimi descendi, & humiliatus ascendo: Vos in terra inveni, & ante vultis volare quam pasci; prius nutrimini, educamini, serte nidum. Quid enim ait? Quomodo illos revocavit ad humilitatem, jam quærentes altitudinem?* „ Potestis bibere calicem, quem „ ego bibiturus sum? *Et illi, etiam in hoc superbi,* Pos- „ sumus. *Quomodo Petrus,* Tecum usque ad mortem. „ Fortis vir, donec femina *diceret,* Et iste cum illis „ erat. *Sic & isti,* Possumus. *Et ille:* Calicem quidem „ meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad „ sinistram, non est meum dare vobis." *Non est meum dare superbis. Vos quibus loquor, superbi estis: ideo dixi, Non est meum dare vobis. Sed forte dicerent, Erimus humiles. Non ergo eritis vos. Ego,* Vobis, *dixi. Non dixi, non dabo humilibus: sed, Non dabo superbis. Qui autem ex superbo fit humilis, non erit qui erat.* *S. Aug. Tract. 28. in Joann. n. 5.* *S. Aug. Enarr. in Psal. 103. serm. 3. n. 9.*

Calicem quidem meum bibetis. „ Duo sunt Martyrii „ genera, unum in mente, aliud in mente simul & ac- „ tione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo per- „ cutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequen- „ te, Martyrium in aperto opere est: ferre vero contu- „ melias, odientes diligere, martyrium est in occulta „ cogitatione." Jacobus & Joannes, non uterque per Martyrium occubuit, & tamen quod uterque calicem biberet, audivit. *Et nos igitur sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.* *S. Greg. M. Hom. 35. in Evang.*

Si non dico primas sedes, sed locum aliquem in Regno cœlorum habere volumus, via humilitatis & crucis ineunda est, quam Christus monstravit, aperuit, calcavit. *Quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere: A gradu incipe, & ascendisti.* *S. Aug. serm 96. alias de Diversis 47*

10. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Non impotentiam suam, sed justitiam his verbis significat. Quod ut clarius fiat, exemplo rem ante oculos ponamus. Ad editorem munerum atque certaminis, quo multi atque præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate conjunctos accessisse fingamus, qui amicitia Principis freti, postulare audeant, ut victores ipsi præconio declarati coronentur: quibus ille respondeat, Non est meum id dare, sed quibus labore ac sudore præparatum est. An illum impotentem esse dicemus? Nequaquam, sed justitiam ejus admirabimur, & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Ita Christum dixisse intelligamus. *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Discipulos hortabatur, in gratia Dei primum, deinde in laboribus propriis omnem salutem & gloriæ spem reponere: ideo dixit, *Quibus paratum est.* Nam si alii præstantiores videbuntur, si excellentiora quam vos opera facturi sunt, quomodo illis præponemini? An quia mei Discipuli estis? Nisi igitur primis sedibus dignos vos exhibueritis, bibendo calicem passionis & humilitatis meæ, frustra speratis ad illas provehendos. *S. Aug. Tract. 28. in Joann. n. 5.*

11. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Ambitio radix æmulationis & murmurationis. Hinc aliorum peccata majori sæpe peccato ab iis damnantur, qui spirituales videri volunt, cum tamen carnales sint, ut Apostolus ait: *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Apostoli adhuc carnales erant, nondum in viros spirituales per adventum Sancti Spiritus immutati. *Jesus autem vocavit eos ad se,* ut eorum tumorem sanaret doctrina & exemplo humilitatis suæ, & ait. 12. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit minister vester, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Ecclesiastica potestas tota in humilitate fundatur, charitati tota consecratur. Pastores Ecclesiæ a fastu sæcularium Principum & imperioso agendi modo alieni esse debent, Christi charitatem & mansuetudinem imitari, subditorum servos per Jesum se exhibere, non dominos, *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Se totos gregi devovere, labores suos, tempus, bona, vitam ipsam, si necesse sit, gregis utilitati consecrare: Christi paupertatem, humilitatem, zelum pro animarum salute imitari. *In domo justi viventis ex fide, & adhuc ab illa civitate cœlesti peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia.* Christus Apostolis suis Ecclesiastici Regiminis formam ac modum præscribens, eorum Successores docet; Ecclesiæque regimen dominationem non esse demonstrat, sed ministerium ac servitutem. *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te illorum exceptum numero putes, de quibus queritur Deus:* Ipsi regnaverunt, & non ex me. *Jam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam, sed non apud Deum.* Sed Christi ministrum, se fidelium servum profitebatur Apostolus, non de principatu, sed de humiliationibus, opprobriis & periculis gloriabatur. *Ministri Christi sunt? (ut minus sapiens dico) plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* O præclarum ministerium! Quo non id gloriosius Principatu? *Si gloriari oportet, forma tibi sanctorum præfigitur. Apostolorum proponitur gloria, parvane tibi videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria sanctorum? Clamat Propheta:* „ Mihi autem nimis honori- „ ficati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est prin- „ cipatus eorum. *Clamat Apostolus;* „ Mihi autem absit „ gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi," *Hoc glorieris, opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegere sibi, reliquere tibi. Agnosce hæreditatem tuam in Christi Cruce, in laboribus plurimis.* Erubesce, superbe cinis; Deus se humiliat, & tu te exaltas? *Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori? Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur, quod & ipso increpando respondit Apostolo:* Vade post me satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt. *Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc vere non sapio ea quæ Dei sunt.* *1. Cor. 3. 3* *1. Petr. 5. 3.* *S. Aug. lib. 19. de Civit. Dei cap. 14.* *S. Bern. lib. de Consideratione cap. 6.* *2. Cor. 11. 23.* *S. Bernard. ib.* *Psalm. 138.* *Galat. 6. 14* *S. Bern. Hom. super Missus est.*

12. *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret: & clamaverunt dicentes:* *Matth. 15.* *Domine, miserere nostri, fili David.* De una cæcitate cordis nemo pene conqueritur, vix ab ea petit aliquis liberari. Illorum deploranda magis cæcitas, qui interiorem illam cæcitatem minime cognoscunt, immo se maxime perspicaces putant. *Clausi sunt oculi cordis, transit Jesus ut clamemus. Quid est, transit Jesus? Agit temporalia Jesus, agit transitoria Jesus.* „ Attendite & vide- „ te quanta ejus gesta transierint. Natus est de Virgine „ Maria, numquid semper nascitur? Infans lactatus est; „ numquid semper sugit? Per ætates cucurrit usque ad „ juventutem; numquid semper corporaliter crescit? ipsa „ etiam quæ fecit miracula transierunt, leguntur, & „ creduntur. Quia enim talia scripta sunt ut legi pos- „ sent, transibant cum fierent. Postremo, ne in multis „ moremur, crucifixus est: numquid semper pendet in „ cruce? Sepultus est, resurrexit, ascendit in cœlum: „ jam non moritur, & mors, illi ultra non dominabi- „ tur: & divinitas ejus semper manet, & immortalitas „ jam corporis ejus numquam deficiet. Sed tamen illa „ omnia quæ temporaliter ab eo gesta sunt, transierunt; „ & legenda scripta sunt, & credenda prædicantur: in „ illis ergo omnibus transiit Jesus. Duo cæci juxta viam „ duo populi ad quos sanandos venit, unus Judæorum, „ alius Gentium. Dominus transibat, cæci clamabant. *S. Aug. ser. 88. alias de Verbis Domini c. 10. 11. & 12.*

„ Quid

„ Quid eſt, tranſibat? Tranſitoria opera faciebat. Secun-
„ dum hæc opera fides noſtra ædificatur. Credimus enim
„ in Filium Dei, non tantum quia Verbum Dei eſt, per
„ quem facta ſunt omnia: ſi enim ſemper in forma Dei
„ manens æqualis Deo, non ſemetipſum exinaniret for-
„ mam ſervi accipiens; nec ſentirent cæci ut poſſent
„ clamare. Sed cum operaretur tranſitoria, id eſt, hu-
„ miliaret ſe, factus obediens uſque ad mortem, mor-
„ tem autem crucis, clamaverunt duo cæci, *Miſerere*
„ *noſtri, fili David*. Quia & hoc ipſum quod Dominus
„ & Creator David, etiam filius David eſſe voluit, in
„ tempore hoc fecit, tranſiens hoc fecit. "

S. Aug. ibid. „ 13. *Et clamaverunt dicentes, Domine miſerere no-*
„ *ſtri*. Quid eſt clamare ad Chriſtum, niſi gratiæ Chri-
„ ſti congruere bonis operibus: Quis eſt qui clamat ad
„ Chriſtum, ut pellatur interior cæcitas tranſeunte Chri-
„ ſto, id eſt, diſpenſante nobis temporalia ſacramenta,
„ quibus admoneamur ad æterna capienda? Quis eſt qui
„ clamat ad Chriſtum? Qui contemnit mundum, cla-
„ mat ad Chriſtum. Qui ſpernit ſæculi voluptates, cla-
„ mat ad Chriſtum. Qui dicit non lingua, ſed vita,
„ *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, clamat ad
„ Chriſtum. Qui diſpergit, & dat pauperibus, ut juſti-
„ tia ejus maneat in ſæculum ſæculi, clamat ad Chri-
„ ſtum. "

S. Auguſtin. ibid. cap. 14. 14. *Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Miſerere noſtri, fili David.* Turba quæ cum Domino erat, compeſcebat clamorem quærentium ſanitatem. „ Bonos Chriſtianos, vere ſtudio-
„ ſos, volentes facere præcepta Dei, quæ in Evangelio
„ ſcripta ſunt, Chriſtiani mali & tepidi prohibent. Tur-
„ ba ipſa quæ cum Domino eſt, prohibet clamantes,
„ ideſt, prohibet bene operantes, ne perſeverando ſanen-
„ tur. Clament illi, non deficiant, neque ducantur quaſi
„ auctoritate turbarum; nec eos qui priores Chriſtiani fa-
„ cti ſunt, male viventes, & bonis operibus invidentes
„ imitentur. Non dicant, quomodo iſti vivunt tam mul-
„ ti, ſic vivamus. Quare non potius quomodo dicit E-
„ vangelium? Quare vis vivere ſecundum increpationem
„ turbæ prohibentis, & non ſecundum veſtigia Domini
„ tranſeuntis? Inſultabunt, vituperabunt, revocabunt:
„ Tu clama quo uſque pervenias ad aures Jeſu. Nam qui
„ perſeveraverint in faciendo talia qualia præcepit Chri-
„ ſtus, & non attenderint turbas prohibentes, neque
„ magni penderint quod Chriſtum videntur ſequi, id eſt,
„ quod Chriſtiani appellantur; ſed plus amaverint lucem
„ quam Chriſtus eſt redditurus, quam timuerint ſtrepi-
„ tum prohibentium: nullo modo ſeparabuntur, & ſta-
„ bit Jeſus, & ſanabit eos. Quomodo enim ſanantur o-
„ culi noſtri? Quomodo per fidem ſentimus Chriſtum tran-
„ ſeuntem temporali diſpenſatione, ſic intelligamus Chri-
„ ſtum ſtantem incommutabili æternitate. Ibi enim ſa-
„ natur oculus, quando intelligitur Chriſti Divinitas. "

S. Aug. ibid. cap. 1. 15. *At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſe-*
rere noſtri, fili David. Quo plura ſunt impedimenta con-
verſionis & bonæ voluntatis, eo magis augendus eſt fer-
vor orationis. Cujus aſſiduitate per Chriſti gratiam om-
nes contradictiones ceſſabunt, ut tranquille Deo ſervia-
tur. „ Cum quiſque Chriſtianus cœperit bene vivere, fer-
„ vere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipſa
„ novitate operum ſuorum patitur reprehenſores & con-
„ tradictores frigidos Chriſtianos. Si tamen perſeverave-
„ rit, & eos ſuperaverit perdurando, & non defecerit
„ a bonis operibus; iidem ipſi jam obſequentur, qui ante
„ prohibebant. Tamdiu enim corripiunt, & perturbant,
„ & vetant, quamdiu ſibi cedi poſſe præſumunt. Si au-
„ tem victi fuerint perſeverantia proficientium, conver-
„ tunt ſe, & dicere incipiunt, Magnus homo, ſanctus
„ homo, felix cui Deus conceſſit. Honorant, gratulan-
„ tur, benedicunt, laudant: quomodo illa turba quæ cum
„ Domino erat, ipſa prohibebat ne cæci clamarent:
„ ſed poſt quam illi ita clamaverunt ut mererentur au-
„ diri, & impetrare miſericordiam Domini, ipſa turba
Marc. 10. „ rurſum dicit, *Vocat vos Jeſus*. Jam & hortatores fiunt,
„ qui paulo ante corripiebant, ut tacerent. "

16. *Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vul-*
tis faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur
oculi noſtri. Chriſtus orantes ad ſe trahit & conſolatur.
Aſcendit oratio, & deſcendit miſeratio. Excitat Deus
deſideria noſtra, ut nos præparet ad recipienda dona ſua.
Voluntatem noſtram non explorat; niſi quam ipſe præ-
paravit ut illi obediat. Noſtrum conſenſum exſpectat,
ſed quem ipſe per gratiam ſuam formavit in nobis. Pri-
ma gratia eſt apertio oculorum cordis, ad morbum no-
ſtrum miſeriamque cognoſcendam, ad implorandum auxi-
lium cœleſtis Medici & Liberatoris. Cæci dumtaxat vi-
ſum corporis poſtulant: ſed jam illuminari incipiunt,
qui lumen animæ a Deo rogant, qui cæcitatem ſuam
oderunt, qui ejus curationem ferventi oratione poſtulant.
S. Greg. M. Hom. 2. in Evang. *Domine, ut aperiantur oculi noſtri*. Cæci a Domino non
aurum, ſed lucem quærunt: „ Quia etſi habere cæcus
„ quodlibet poteſt, ſine luce videre non poteſt quod habet.
„ Imitemur eos, quos & corpore & mente illuminatos
„ a Chriſto videmus. Non falſas divitias, & non terrena
„ dona, non fugitivos honores a Domino, ſed lucem
„ quæramus: nec lucem quæ loco clauditur, quæ tem-
„ pore finitur, quæ noctium interruptione variatur, quæ
„ a nobis communis cum pecoribus cernitur: ſed lucem
„ quæramus, quam videre cum ſolis Angelis poſſimus,
„ quam nec initium inchoat, nec finis anguſtat. Ad
„ quam profecto lucem via fides eſt. Unde recte & il-
„ luminando cæco protinus reſpondetur: RESPICE, fi-
„ des tua te ſalvum fecit. "

17. *Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum.*
Et confeſtim viderunt & ſecuti ſunt eum. Dei miſeratio
amor ejus eſt erga peccatorem, amor Dei fons gratiæ:
gratia operatio omnipotentis Dei: hujus operationis ef-
fectus, videre quæ agenda ſunt, & facere; Deum co-
gnoſcere, & amare; credere in Deum, & ſecundum
fidem operari; oculos aperire, & conjicere in Chriſtum,
ejus vitam & præcepta intueri; illum tandem ſequi &
imitari. „ Videt & ſequitur, qui bonum quod intelligit, *S. Greg. M. ibid.*
„ operatur. Videt autem & non ſequitur, qui bonum
„ quidem intelligit, ſed bona operari contemnit. Si ergo
„ cæcitatem jam noſtræ peregrinationis agnoſcimus: ſi
„ credendo in Redemptoris Myſterium juxta viam ſede-
„ mus: ſi exorando quotidie ab Auctore noſtro lucem
„ petimus: ſi eamdem lucem jam per intellectum viden-
„ do, illuminati poſt cæcitatem ſumus; Jeſum quem
„ mente cernimus, opere ſequamur. Aſpiciamus qua gra-
„ ditur, & ejus veſtigia imitando teneamus. Jeſum ete-
„ nim ſequitur, qui imitatur . . . Qui ergo in Chriſtum
„ jam credidit, ſed adhuc avaritiæ lucra ſectatur, in
„ ſuperbia honoris extollitur, invidiæ facibus inardeſcit,
„ libidinis ſe immunditia polluit, proſpera quæ in mun-
„ do ſunt, concupiſcit, Jeſum in quem credidit, ſequi
„ contemnit. Diverſo quippe itinere ambulat, ſi gau-
„ dia delectationeſque appetit, cui Dux ſuus viam ama-
„ ritudinis oſtendit. "

CAPUT XXI.

Senſus Litteralis.

1. ET *cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent*
Bethphage ad Montem Oliveti: tunc Jeſus miſit
duos Diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra
vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pul-
lum cum ea: ſolvite, & adducite mihi: & ſi quis vo-
bis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet,
& dimittet eos. Id factum in confiniis Bethaniæ, Be-
thphage, & Jeroſolymorum. Unde Marci 11. 1. ſcrip-
tum eſt, *Cum appropinquarent Jeroſolymæ & Bethaniæ*,
& Lucæ 19. 29. *Cum appropinquaſſent ad Bethphage &*
Bethaniam. Cum ergo in confiniis horum vicorum eſſet
Jeſus, atque in agrum Jeroſolymis vicinum perveniſſet,
miſit duos e Diſcipulis ſuis, quorum nomina ignorare nos
voluerunt Evangeliſtæ ſancti, dicens eis: Ite in caſtel-
lum e regione ſeu in conſpectu ſitum: & ſtatim invenie- *Marci 11.*
tis aſinam alligatam cum pullo, cui nemo adhuc inſedit: *Luc. 19.*
ſolvite, mihique adducite. Et ſi quis vos interrogaverit
cur id faciatis, & cujus mandato: reſpondete, Dominus
his opus habet. Non ait: Dominus noſter, ſed ſimplici-
ter *Dominus*, Rex ſcilicet univerſi, cujus & conditor
eſt. Et ſtatim herus, cujus hæc jumenta ſunt, ea ſponte
mittet ad meos uſus.

2. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod*
dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion,
Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſi-
nam, & ſuper pullum filium ſubjugalis. Hac pompa
Chriſtus Jeroſolymam ingredi voluit, tum ut Regni ſui
naturam ſic adumbraret, quod pacificum & humile eſt,
& ab hujus ſæculi Regum faſtu maxime alienum: tum
ut Prophetæ vaticinium in ſe impletum oſtenderet, ſeque
verum eſſe Meſſiam, Regem & Salvatorem Judæis a Deo
promiſſum, & tamdiu expectatum. Prophetam qui hic
citatur, quidam putant Iſaiam eſſe, ut Nonnus in Pa-
raphraſi S. Joannis, & S. Matthæi Æthiops interpres.
Nempe hæc habentur Iſaiæ 62. 11. *Dicite filiæ Sion,*
Ecce Salvator tuus venit. Ad quæ S. Matthæus ita vide-
tur alludere ut e recentioribus nonnulli velint ver-
ba quæ citat, ex parte ſaltem ex Iſaia eſſe deprompta.
Sed is unum Prophetam citat, non plures, *Ut adimple-* *Zachariæ*
retur quod dictum eſt per Prophetam. Quem eſſe Zachari- *6.*
am nemo negaverit, hæc apud illum legens; *Exulta ſa-*
tis filia Sion, jubila filia Jeruſalem, Ecce Rex tuus ve-
niet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens
ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Unde ſi non
omnia, ſaltem quæ ad rem maxime erant, deſcripſerunt
SS. Evangeliſtæ Matthæus & Joannes, mutatis aliquot
verbis, ſed eodem ſenſu ſervato. His enim Zachariæ,
Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem, reſpondent
iſta S. Matthæi, *Dicite filiæ Sion*; & hæc S. Joannis, *Joan. 22. 15*
Noli timere filia Sion. Nempe filia Sion ſunt Jeroſoly-
mitani, qui viſo Rege Chriſto, in quo uno ſalutis ſpes
erat ſita, cum lætitia & jubilo alii aliis dixerunt verba
plena fiduciæ & gaudii. Quod porro hic ſupponit uter-
que Evangeliſta, Zachariam de Chriſto Jeſu hæc præ-
dixiſſe,

dixisse, locus ipse palam evincit, & quod res ibi prædictas solus Christus impleverit, ut non immerito exclamat S. Jo. Chrysostomus: *Interrogetur Judæus, quisnam Regum asina vectus Jerosolymam intravit: Neminem profecto præter Christum dicere poterunt.* Sed & agi de Christo Jesu, patet ex iis, quæ sequuntur ibidem de pace per illum Regem restituenda, & ita ut curribus & equis & armis bellicis amplius non sit opus; & de imperio ejus a Mari, ad Mare, atque ad extrema terrarum propagando, de captivis denique per sanguinem testamenti ab ipso liberandis. Frustra igitur hunc locum ad Zorobabelem pertinere vult Grotius in Notis ad Zachariam, quem egregie ac luculenter refellit Bochartus l. 2. Hierozoici, cap. 17. Sed & a Theodoreto illud Grotii commentum Judaicum jampridem confutatum est. „ Ego vero (inquit) Judæorum stuporem admiror, qui impudentissime hanc „ Prophetiam de Zorobabel interpretari conantur. Nam „ Zorobabel non totam Palæstinam tenuisse, sed solam „ Judæam, ipsimet Judæi confitentur: Propheta autem „ prædixit, eum qui pullo insedit toti orbi imperaturum. „ Accedit quod Christum pullo usum fuisse novimus: Zo„ robabel vero id fecisse nemo ad hunc diem dixit ex his „ qui divina conscripserunt. Quod si Christus Dominus „ juxta Prophetiam pullo usus est, & imperium orbis ter„ ræ tenuit, & Deus verus esse creditur & prædicatur, „ delevitque Regnum Ephraim & Israel, de eo & hæc „ Propheta prædixit, & Prophetia sine dubitatione ad „ finem pervenit. "

S. Jo. Chrys. Hom. 67.

Theodoret. in c. 9. Za.

Dicite filiæ Sion, civitati sive populo Jerusalem, supra Montem Sion ædificatæ: *Ecce Rex tuus*, Messias tibi promissus: *venit tibi*: jam ad te missus a Deo est, & apud te versatur, ut tibi salutem impertiat. *Mansuetus*, non ferox, ut Reges gentium, sed benignus & facilis, non perdens peccatores, sed absolvens, levans, & recreans; non ultionem inimicis inferens, sed beneficentiam & misericordiam in ipsos exercens. Vox Hebraica apud Prophetam significat *pauperem*: Septuaginta Interpretes *mansuetum* reddiderunt, affini significatione: pauperes enim spiritu & humiles, qualis Christus fuit, etiam mansueti esse solent. Mansuetudo porro & humilitas charissimæ Christi virtutes fuerunt, quas præsertim homines docuit: *Discite* (inquam) *a me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. Non est existimandum, Christum primo asinæ, deinde pullo insedisse: Non enim ejus Majestate dignum videtur ut tam breve iter duobus jumentis confecerit, & ex uno in alterum insiliverit, ut desultorii equites. Hic igitur agnoscenda est numeri enallage, qua pluribus indefinite tribuitur, quod illorum uni convenit, ut Gen. 8. 4. *Requievitque arca super montes Armeniæ*, idest, super unum montium. Genes. 19. 29. *Liberavit Loth de subversione urbium in quibus habitaverat*, idest, in quarum una habitaverat. Genes. 23. 6. *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*: idest, in uno sepulchrorum nostrorum, quodcunque eligere visum fuerit: Josue 7. 1. *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate*; idest, Israelitarum unus Achan. Matth. 26. 8. *Videntes autem Discipuli indignati sunt*, idest, Discipulorum unus Judas, Matth. 27. 44. *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: idest, latronum unus. Ita hic: sedens super asinam & pullum, idest, uni illorum insidens, scilicet pullo injugi & indomito.

S. Hier. in c. 21 S. Mat.

3. *Euntes autem Discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua*, ut commodius sederet, *& eum desuper sedere fecerunt*, scilicet super pullum: Marc. 11. *Et duxerunt pullum, & imponunt illi vestimenta sua, & super eum sedit.* Luc. 19. 34. *Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.* Joannis 12. 14. *Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Non per se, sed per Discipulos se missos invenit. Marc. 11. 4. *Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum.* Syrus Interpres hunc Matthæi locum ita reddit: *Et adduxerunt asinum & pullum, et posuerunt super pullum vestes suas, & equitavit super eum Jesus.*

Joan. 12. 32

4. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* Plurimi e turba, quæ Jerosolymam venerat ad diem festum Paschæ, vestimenta sua viæ ornandæ, & lætitiæ expromendæ causa sternebant; cæsisque ramis olearum & palmarum, tentoriola quædam ex vestibus suis, ac ramis frondentibus construebant. Sic Regiam Christi Jesu potestatem honorarunt, more apud gentem recepto, ut ex 4 Reg. 9. 13. constat, ubi de inauguratione Jehu Regis Israel: *Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.* Addit S. Joannes, turbam accepisse *ramos palmarum* & Christo Jesu obviam processisse. In signum publicæ lætitiæ id præstiterunt. Is ritus in Festo Tabernaculorum usurpatus, Septembri mense, ex præscripto legis, Levitici 23. 40. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Cum autem Judæi certo persuasum haberent, festos dies non solum Ægyptiaci exitus memoriam, sed & præsagium temporum Messiæ continere, ut vir eruditus observat, plebis illa pars, quæ miraculis ejus adducta hunc verum esse Messiam credebat, velut impleto præsagio, ritum gestationis ramorum usurpat. In nova dedicatione Templi sub Machabæis, eadem lætitiæ publicæ signa usurpata legimus. Exhibenda multo magis erant, cum Templi Dominus triumphali pompa Jerosolymam ingressus est, cum novum Templum, scilicet Ecclesia Christi excitari ac dedicari ab ipso cœpit, primo longe augustius, secundum Aggæi Vaticinium: *Veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissima plus quam primæ:* Hoc etiam ritu adumbratum est, quod S. Joannes Apocal. 7. 9. visum a se memorat: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amictis stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Agno Dei quem Joannes demonstravit, qui ab origine mundi occisus est, qui proxime immolandus erat pro totius mundi peccatis, vocibus festivis, hymneque gratulatorio populus acclamat & bene precatur.

1. Mach. 13 51. & 2. Machab. 10. 7.

S. Hier. in Comment. Ep. 145. ad Damasum.

5. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in altissimis.* Hosanna, vox Hebraica, significat: *Salva quæso.* Exultantium acclamatio est, ac Jesu tanquam vero Messiæ bene precantium, quasi dicerent: *Serva quæso Regem nostrum*: non dissimilis illi apud nos usitatæ: *Vivat Rex.* Sumpta est ex Psalm. 117. qui manifeste de adventu Salvatoris scriptus est, in quo inter cetera hæc quoque legimus: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Statimque subjungitur. *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hosanna filio David: Serva quæso, filium David, prosperet Deus Regnum ejus. *Hosanna in altissimis* audiatur Festis vocibus: in honorem Messiæ editissima loca personent, *Hosanna filio David.* Salva nos, quæso, Deus, per Messiam, quem salutis auctorem in hunc mundum misisti. *Hosanna in altissimis*, tuo siquidem nomine venit, tuo decreto, & potestate visitans populum tuum *Oriens ex alto*, ut terrena jungat cœlestibus. Verbum Hebraicum *Hosanna*, sive (ut nos loquimur media vocali elisa, *Hosanna*) sacri Evangelistæ servarunt, sicut in *Alleluja* & *Amen*, & in plerisque factum videmus. Solus Lucas hoc verbum tacuit, sensum nihilominus exprimens turbarum Jesu tamquam novo Regi & vero Messiæ acclamantium. Confer cum Marc. 11. 9. 10. *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna. Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum Patris nostri David. Hosanna in excelsis.* Luc. 19. 37. *Cœperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Joannis 12. 13. *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.*

6. *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ.* Jerosolymitani cives commoti sunt, admirati frequentiam, nescientes veritatem. Populi autem, non Jerosolymitani, sed advenæ, simplices & recti, dicebant: Hic est Jesus, quem hactenus ut Prophetam agnovimus, nunc ut verum Regem & Messiam veneramur. Hic Propheta, de quo a Moyse scriptum est: *Prophetam de genere tuo & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipsum audies.* Dicitur autem *A Nazaret Galilææ*, quia ibi fuerat educatus.

7. *Et intravit Jesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: & dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Regni sui in hominum animis novum specimen edit Jesus, cum ædem paternam a profanis commerciis purgat, nulla vi externa fretus, sola virtute divina venerabilis: sui etiam Regni ingenium ostendit, quod Rex proclamatus, non ad Arcem Sion, non ad Domum Regiam, sed ad Templum adeat, potestatem suam & imperium eo tendere demonstrans, ut homines ad Deum adducat. *Et ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo*, in atrio scilicet exteriori, in quo aut Gentes, aut Judæi immundi

Joan. 12. 12

Natal. Alex. In Evang.

Deut. 18. 15

orabant. Ibi Sacerdotes emporium conſtituerant & tabernas, in quibus boves & oves, ceteraque ſacrificiis neceſſaria vendebantur, tum ut offerentium commodis ſervirent, tum ut ipſi quæſtum majorem facerent, certum pro conceſſo loco tributum exigentes; aut ipſi famulorum ſuorum opera vendentes. Ejecit autem illos vi adhibita, ut *Joannis* 2. 15. facto quaſi flagello de funiculis, quamvis non ſit eadem, ſed ſimilis hiſtoria. Bis enim vendentes & ementes e Templo Chriſtus ejecit. *Et menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Numularios pariter in exterius atrium Templi Sacerdotes admiſerant, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam inopibus. Sed quia Lege præceptum erat, ut nemo uſuras acciperet; & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet, ex numulariis collybiſtas fecerunt, qui pro uſuris varias ſpecies accipiebant, & quod in nummmo non licebat, in his rebus exigebant, quæ nummis coemuntur: quaſi utrumque ad uſuram non pertineat, & a Deo vetitum non ſit *Ezechielis* 22. dicente: *Uſuram & ſuperabundantiam non accipietis.* Menſas etiam habebant in Templo trapezitæ, ut pecunias permutarent, ſiclos aut hemiſiclos Lege præſcriptos, aut more pendi ſolitos Templo (*Exod.* 30. 15.) dantes pro aliis ſpeciebus, & lucrum ex hujuſmodi permutatione cantantes. Vel etiam pecuniam in locis remotioribus penſitatam, Jeroſolymis reddebant, ut viatores & moleſtia ferendæ pecuniæ, & amittendæ periculo levarent. Horum menſas Jeſus evertit, necnon cathedras vendentium columbas, quas offerebant pauperes vice majorum victimarum, ut patet ex Lege, & ex *Lucæ* 19. 6. *Et dicit eis*, graviter increpando, ut auctoritatem habens: *Scriptum eſt*, (Iſaiæ 56. 7. & Jeremiæ 7. 11.) *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Domus mea, Templum Dei cultui & orationi conſecratum eſt: Vos autem, quantum in vobis eſt, in ſpeluncam latronum illud convertiſtis. *Latro enim eſt, & Templum Dei in latronum convertit ſpecum, qui lucra de Religione ſectatur: cultuſque ejus non tam cultus Dei quam negotiationis occaſio eſt.*

S. Jo. Chryſ. Hom. 66. 68 in Matth.

S. Hieron. Comment. in hunc locum.

S. Hieron.

8. *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in Templo, & ſanavit eos.* Miraculis divinam ſuam auctoritatem probavit; ac Templum piis operibus ſanctificavit, quod Sacerdotes & Phariſæi ſordido & impio quæſtu violaverant.

S. Hier. in hunc locum

9. *Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Hoſanna filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* Plerique „ (inquit S. „ Hieronymus) arbitrantur maximum eſſe ſignorum, quod „ Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex utero lumen ac„ ceperit, quod ad Jordanem vox audita ſit Patris, quod „ transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphan„ tis. Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur „ mirabilius, quod unus homo, & illo tempore con„ temptibilis, & in tantum vilis ut poſtea crucifigere„ tur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & vi„ dentibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad unius flagelli „ verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſub„ vertere, & cathedras confringere; & alia facere quæ „ infinitus non feciſſet exercitus. *Igneum enim quiddam „ atque ſydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas lucebat in facie.* Cumque manum non „ audeant injicere Sacerdotes, tamen opera calumnian„ tur; & teſtimonium populi atque puerorum, qui cla„ mabant, *Hoſanna filio David*, vertunt in calumniam: „ quod videlicet hoc non dicatur niſi ſoli Filio Dei. “ Audis (inquiunt) quomodo iſti tibi ut Regi ac Meſſiæ acclamare etiam in Templo non ceſſant? Cur puerile ac vanum præconium non compeſcis? Cur ſilentium illis non imponis? Num te delectant inanes tituli? *Jeſus autem dixit eis: Utique numquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Vultis ut os claudam ætati parvulæ, cui Sp. S. aperuit, & jam olim aperiendum prænuntiavit per os Davidis prophetæ? *Ex ore infantium & lactentium*, o Deus, laudem omnibus numeris perfectam expreſſiſti. Quæ verba S. Jo: Chryſoſtomus ita ediſſerit. „ Quamnam ob cauſam a„ liis omiſſis miraculis, mortuorum reſurrectione, le„ proſorum mundatione, dæmonum expulſione, nunc „ puerorum miraculi meminit? Quoniam illa quidem „ etiam ante facta ſunt, etſi non ſic. Suſcitatus eſt „ enim mortuus ſub Eliſæo & leproſus mundatus, & „ dæmon per Davidem expulſus eſt, quando Saul inva„ debatur a Dæmone. Chorus autem infantium & la„ ctentium nunc primum locutus eſt. Ne ergo impu„ denter ſe gereret Judæus, aſſerens hæc de iis dicta „ eſſe quæ ſunt edita in veteri Lege, elegit ſignum quod „ tunc primum & ſolum factum eſt. In aliis, etſi præ„ ter rationem, aliqua tamen ſuſpecta habebant qui „ ſunt impudentes: hic autem nihil potuerunt dicere, „ cum ipſa per ſe nuda natura contenderet. “

Pſalm. 8.

S. Jo. Chryſ. in Pſalm. 8

10. *Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam; ibique manſit.* Veſpere venit in Bethaniam vicum quindecim ſtadiis Jeroſolymis diſtantem, ibique pernoctavit, ut omnem affectati a ſe Regni terreſtris ſuſpicionem amoveret, quam fovere poterat urbs per ſe populoſa, concurſus frequentiſſimus ad Feſtum Paſchæ, & nocturnum tempus hujuſmodi conatibus opportunum. *Mane autem revertens in civitatem* (Jeruſalem) *eſuriit. Et videns ſici arborem unam ſecus viam venit ad eam; & nihil invenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuo ficulnea.* Non finxit Jeſus, nec ignoravit arborem illam fructus non ferre, ſed humano more ſe geſſit, fructus in ea quærens, quos polliceri videbatur, ut aliquid ſignificaret. S. Marcus obſervat, *Tempus ficorum non fuiſſe.* Rationem reddere videtur, cur Chriſtus ad iſtam arborem potius quam ad aliquam aliam acceſſerit, quod nempe in ea videret folia, atque inde ſpem ficuum. Verum ea folia non erant præſentis veris; nam ea vix, aut ne vix, adhuc in rerum natura; ſed aut erant anni præteriti, quæ hyeme tota ficui adhæſerant; aut erat hæc arbor de eo ficuum genere, quæ fructus pariter ac folia per biennium aut triennium appendentia habuerunt, antequam fructus ad maturitatem perducerentur. Habuiſſe ergo hæc arbor videtur folia, quæ ficus promitterent; aliæ non ita: quæ ſi omnes ejuſdem fuiſſent generis, omnes pariter ſpem fructuum prudentibus hominibus feciſſent. At cum reliquis vento & hyeme excuſſa eſſent folia anni præteriti, præſentiſque non eſſent producta, menſe ſcilicet Martio, hæc ſua retinuit, pro natura & genere ſuo, & æſtate, & hyeme. Itaque S. Marcus non ſtricte & ſolum rationem reddit, cur Jeſus in hac arbore ficus non invenerit; ſed rationem reddit totius actionis, cur nempe in monte iſto ficubus abundanti, unam tantum viderit foliis ornatam, eamque e longinquo conſpectam adierit, ab ea ſola ficus expectans: *Non enim erat tempus* ordinarium *ficuum.* Quod ſi fuiſſet, a ficubus aliis undique circumſtantibus decerpere potuiſſet; ſed cum non eſſet, ab ea ſola erat expectatio, quæ de genere earum ficuum eſſe videbatur, quæ numquam foliis ac fructibus caruerunt. Produxit, verbi gratia, hujus generis ficus hac æſtate fructus, qui hyeme tota ramis hæſerant, produxit & alios æſtate proxima, eæque & priores hyeme ſequenti ramis etiam hæſerunt, tertia æſtate tertium fructum edidit, & primi anni fructus ad maturitatem decoxit: & ſic in perpetuum: ita ut nullo tempore plurium annorum fructu vacua videretur. Minus ergo mirum eſt, ſi ficus a Chriſto conſpecta, quæ iſtius generis eſſe videbatur ipſa frondentium ramorum ſpecie, ut duorum ſaltem annorum fructum promitteret, adeo autem ſpem fefellit, ut ne unam quidem ficum exhiberet, a Domino juſtam patiatur vindictam: emblema pœnæ Judæis infligendæ ob eorum ſpiritualem ſterilitatem ac hypocriſim. *Arborem intelligimus Synagogam, & conciliabulum Judæorum, juxta viam, quia non credebat in viam*, ideſt in Chriſtum. *Venit ad eam, nihilque invenit in ea niſi folia tantum, promiſſionum ſtrepitum, traditiones Phariſaicas, & jactationem Legis, & ornamenta verborum abſque ullis fructibus veritatis.*

Marci 11. 15.

Logfoot in Hom. Hebraicis.

S. Hier. in hunc locum

11. *Et videntes Diſcipuli* poſtridie mane quomodo ficus arida facta eſſet a radicibus, *mirati ſunt dicentes: Quomodo continuo aruit?* Reſpondens autem Jeſus ait eis: *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem*, illam præſtantiſſimam, quam grano ſinapis alibi comparavi, & *non hæſitaveritis*, diffidentia, operiſque difficultate territi, vel, (quæ Græci textus vis eſt) *non dijudicaveritis*, ideſt, non diſcreveritis inter facile & difficile, certo confiſi non viribus veſtris, aut ſanctitate, ſed Dei omnipotentia, & bonitate faciendum, quicquid ad ejus gloriam fieri expediet: *Non ſolum de ficulnea facietis*, ipſam verbo arefacientes, ut ego arefeci, *Sed & ſi monti huic dixeritis, tolle, & jacta te in mare, fiet.* Fidei omnipotentia his verbis demonſtratur. Fruſtra impii objiciunt hujuſmodi miraculum ab Apoſtolis patratum non fuiſſe. Non enim ſcriptis mandata ſunt omnia, quæ edidere miracula. Sane Gregorium illum Taumaturgum nuncupatum, Epiſcopum Neocæſareenſem, Montem fidei ſuæ virtute tranſtuliſſe, Eccleſiaſticæ Antiquitatis monumenta teſtantur: quidni igitur id fecerint ſancti Chriſti Apoſtoli, ſi opus fuit ad Dei gloriam, & fidei confirmationem? *Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Non ſolum miracula, ſed & quævis alia ad Dei gloriam, Eccleſiæ ædificationem, veſtram, aliorumque ſalutem neceſſaria petieritis a Deo *ſecundum voluntatem ejus*, in oratione, quam firma & viva fides formaverit, obtinebitis.

Marci 15.

S. Jo. 5. 14

12. *Et cum veniſſet in Templum, acceſſerunt ad eum docentem Principes Sacerdotum, & Seniores populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?* Jeſum publice docentem in Templo adierunt ſummi Sacerdotes, Judices populi, ac Legiſperiti, Synedrii ſeu Concilii magni legati, quod omnem ſibi auctori-

auctoritatem in rebus ad Religionem pertinentibus arrogabat. Adierunt autem Jesum, inito ante consilio, quomodo ei perniciem accersere possent, irritati ob traductam ac damnatam suam in Templo nundinationem, ut S. Marcus observat: *Quo audito* (inquit) *Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus*. Interrogarunt autem: Quo jure, qua auctoritate publice doces & evangelizas?

Marci 11. 18. *Luc.* 19

13. *Respondens Jesus, dixit eis: Interrogabo & ego vos unum sermonem; quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio*. Unam vobis quæstionem proponam, cui si responderitis, quod res est, & ego vestræ quæstioni satisfaciam. *Baptismus Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus?* Baptismi nomine totam Joannis prædicationem, & doctrinam intelligit, quemadmodum nomine circumcisionis tota Lex Moysi intelligebatur. Qua auctoritate (inquit Christus) Joannes baptizabat, & pœnitentiæ baptismum prædicabat? An Dei, an hominum? A Deo missus erat, an ab hominibus? Vel temere docendi & prædicandi munus usurpabat? Hanc quæstionem ita Christus proponit, ut manifestum fiat, justas ipsum causas habuis-
Galat. 5. 3. se ipsorum interrogationi non respondendi. Quomodo enim credidissent respondenti, quod res erat, se missum a Deo, & ejus nomine, auctoritate, ac mandato docere & facere quæcumque docebat & faciebat, qui Joanni non crediderant; quem tamen a Deo missum aperte diffiteri nnn audebant? Sua igitur vel sententia, vel silentio erant damnandi. *At illi cogitabant inter se* (apud se ratiocinabantur) *dicentes: Si dixerimus, E cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi?* tum in ceteris, tum præsertim in testimonio quod de me perhibuit, quem constanter Christum esse testatus est, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Et cur ab ipso baptizati non estis? *Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam*, quæ Joannis dignitatem & missionem e vestigio vindicabit, nosque lapidabit: *Omnes enim habebant Joannem*
Luc. 20. 6. *sicut Prophetam*. Confer cum Lucæ 20. 6. *Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim Joannem prophetam esse.*

14. *Et respondentes Jesu, dixerunt, Nescimus*. Humilitatis verbo, quo nescire se dicerent, usi sunt ad insidias coaptandas. *Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio*. Illi in eo quod nescire se re-
S. Hier. in hunc locum ponderant, mentiti sunt: consequens ergo erat juxta responsionem eorum Dominum quoque dicere, Nescio: sed mentiri Veritas non potest. Ait ergo, *Nec ego dico vobis*. Ex quo ostendit & illos scire, sed respondere nolle, & se nosse, sed ideo non dicere, quia illi, quod sciunt, tacent.

15. *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait, Eo, Domine, & non ivit, Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus*. Quid sentitis de parabola quam subjicio? An adhuc ignorantiam prætexetis vos, qui clavem scientiæ vos habere gloriamini? Quis ex duobus illis filiis mandatum patris implevit? Responderunt, Primus: quia nempe solis verbis restiterat primum patris imperio, re ipsa autem illi paruerat: alter vero verbis quidem paratum se exhibuerat ad obediendum patri, reipsa vero mandatum ejus spreverat.

Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Viri avaritia & rapinis, feminæ luxuria infames, vobis exclusis, in Regnum Dei introducentur: sive, vobis qui religionis professione insignes videri affectatis, & justitiam verbis promittitis, duces sunt itineris ad Regnum cœlorum, Pœnitentiæ ac virtutis semitam demonstrantes, qua gradiendum esset, ut ad illud perveniretis. Duo itaque Ju-
S. Hil. c. 21 in Matth. dæorum genera Christus hac parabola indigitat. Prior filius typus est plebis Judaicæ, & publicanorum ac peccatorum, qui etsi primo verbis & factis mandata Dei repulerint, postea tamen ad prædicationem Joannis & Christi respuerunt: posterior filius typus est Scribarum & Pharisæorum, qui Legis observationem accuratissimam profitebantur, sed eam minime servarunt, neque Joannem aut Christum, salutaribus præceptis monentem, audiverunt. Hunc esse parabolæ sensum apparet ex ejus applicatione ad ipsos Pharisæos & Scribas: *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ*, incedens, sive, justitiæ viam vobis indicans prædicatione pœnitentiæ, & demonstratione Messiæ, idest, mei qui vera sum justitiæ via: *& non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei*: Mente scilicet operibusque fidei congruentibus pœnitentes, baptismum suscipientes: Christo, quem judicaverat, adhærentes; Regnum cœlorum, quod proximum prædicaverat, vi facta rapientes. *Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.*

Natal. Alex. In Evang.

Vos tam præclara sinceræ conversionis & pœnitentiæ videntes exempla, ea secuti non estis, sed obstinati mansistis in incredulitate.

„ 16. Aliam Parabolam audite. Homo erat pater-fa-
„ milias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit
„ ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, &
„ locavit eam agricolis, & peregre profectus est. Cum
„ autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos
„ suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et a-
„ gricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, a-
„ lium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum mi-
„ sit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis simi-
„ liter. Novissime autem misit ad eos filium suum di-
„ cens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem vi-
„ dentes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, ve-
„ nite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.
„ Et apprehensum ejecerunt extra vineam, & occide-
„ runt." Hanc Parabolam hoc loco Sacerdotibus Christus proposuit, plebi vero *Lucæ* 20. idest, Sacerdotibus imprimis, sed circumfusa & audiente plebe. Pater-familias iste, Dei Patris typus est, qui mundum universum, maxime vero humanum genus providentia sua regit, & bonitate fovet. Vinea, Judaici populi typus, de quo scriptum est Isaiæ 5. 7. *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est*: & Psalm. 79. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti Gentes, & plantasti eam*. Sepes vineæ circumdata, *S. Hier. in hunc locum* vel murus Urbis, vel Angelorum custodia. Torcular, Altare holocaustorum sanguine, quasi musto redundans: vel lex urgens & premens, ut unusquisque justitiæ fructum referat. Turris, Arx Sion, aut Templum, de quo Micheæ 4. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion*. Vel sepis, torcularis, & turris nominibus significat se vineam necessariis omnibus instruxisse; ut merito per Prophetam dixerit, *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sic porro instructam & munitam vineam excolendam *Isai.* 5. 4. dedit Regibus, Sacerdotibus, Legis Doctoribus, Judicibus populi, ut unusquisque pro officio suo in ea laboraret. *Et peregre profectus est*, non loci mutatione, qui nusquam abesse potest; sed quod subtractis admirabilibus illis præsentiæ suæ signis quæ olim exhibuerat, cum per se populum regeret, se tanquam absentem gesserit, permisso regimine populi sui illorum arbitratui ac fidei. Sive, *Abire videtur a vinea, ut vinitoribus liberum operandi arbitrium relinquat*: (inquit S. Hieronymus.) Fructus, sunt opera justitiæ, cultus Dei, obedientia præceptis Legis. Et tempus quidem fructuum semper fuit; sed sic peculiariter vocatur, quo nulla potuit afferri excusatio quominus fructum ferrent. Servi ad agricolas missi ut fructus vineæ exigerent, sunt Prophetæ, quos illi apprehensos vel cæciderunt, ut Jeremiam; vel occiderunt, ut Isaiam, vel lapidaverunt, ut Zachariam, quem interfecerunt inter Templum & Altare. *Iterum misit alios servos plures prioribus*, longanimitate sua certans cum illorum malitia, ut illos ad pœnitentiam adduceret. *Misi ad vos* (inquit Jerem. 7. 25.) *omnes servos meos Prophetas per diem consurgens diluculo:* sed frustra, similiter enim illos exceperunt. Quorum sortem Apostolus describit cap. 11. Epistolæ ad Hæbreos 1. vers. 36. *Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt*. Quem vero novissime ad eos misit filium suum, Jesus Christus est, Filius Dei unigenitus, filius non adoptione, ut justi quique homines, vel Angeli sancti, sed natura: non servus, ut Prophetæ, sed Dominus unus omnium cum Patre. Nam *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testi-* *Heb.* 3. 5. 6. *monium eorum quæ dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua*, ut loquitur Apostolus. Hunc novissime Deus misit ad Judæos, ut finem Legis & Prophetarum, dicens: *Verebuntur filium meum*. Ratio postulat, ut revereantur. Quibus verbis eorum officium magis indicat, quam rei eventum. Apud S. Lucam habetur: *Mittam Filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur*. Quod verbum, *forsitan*, non de ignorantia venit: quid enim nesciat pater-familias, qui hoc loco, ut dixi, Deus Pater intelligitur? sed dubitationis verbum Deo tribuitur, ut humanæ jura libertatis illæsa servari significentur. *Agricolæ autem videntes filium*, cognoscentes ex Joannis testimonio, ex miraculis Jesu ipsum esse *S. Hier. in hunc locum* Messiam & Filium Dei, sed invidia se ipsos excæcantes, dixerunt intra se: *Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus*; vineam scilicet nobis locatam: liberum nobis erit in populum Israel dominium, cum nunc iste honorem nostrum, quæstumque prohibeat. Confer cum Joannis 11. 47. 48. & 49. ubi Pontifices & Pharisæi coacto Concilio dixisse referuntur: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Apprehensum igitur Christum Dei Filium *ejecerunt*

terunt extra vineam, ideſt, extra civitatem Jeruſalem, *extra caſtra*, tanquam alienum a Regno Iſrael, adeoque populi communione indignum. Confer cum Apoſtolo, ad Hebræos cap. 11. 12. 13. ſcribente: *Propter quod & Jeſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.*

17. *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos Dominus, non quod ignoret quid reſponſuri ſint, ſed ut propria reſponſione damnentur. *Ajunt illi: Malos male perdet: & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Malos mala morte plectet, excidetque: (quod excidium Judæis per Titum Imp. Romanum illatum eſt) & cultum ſuum, verbum promiſſionis, Regnum Dei, ad Gentes transferet: vel, Eccleſiam ſuam ex reliquiis Iſrael & Gentibus congregatam, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus excolendam & regendam tradet, qui fructum ipſi reddent ſtatutis atque opportunis temporibus. Hæc verba, *Malos male perdet*, &c. Sacerdotibus & Senioribus populi tribuit S. Matthæus: SS. vero Marcus & Lucas ipſi Chriſto tribuunt. Quo audito, ipſos reſpondiſſe S. Lucas obſervat: *Abſit*: Tam infauſtum nomen Deus a nobis avertat. Facile autem conciliantur Evangeliſtæ, ſi Sacerdotes id primo reſpondiſſe dicamus, ut Matthæus narrat: deinde Chriſtum eorum reſponſum approbaſſe, ita tamen, ut ipſis exitium illud inferendum ſignificaret, quia Dei Filium, ſe ipſum nempe, qui illos alloquebatur, brevi erant occiſuri. Chriſtus vero Prophetæ teſtimonio id futurum confirmavit.

Marc. 12. 9.
Luc. 21. 16
S. Jo. Chryſ. Hom. 60. *in Matth.*

18. *Dicit illis Jeſus: Numquam legiſtis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?* Pſalmum citat, quem ipſi de Meſſiæ rebus ſcriptum intelligebant. Mutata porro metaphora, confirmat, quod prædixit. Iidem enim ſunt ædificantes, qui ſuperius agricolarum nomine ſunt deſignati; idem ædificium, quod vinea; idem lapis reprobatus, qui filius ſeu hæres occiſus. Ædificantes igitur hoc loco, ſunt Sacerdotes ac Principes populi, qui docendo, regendoque Synagogam, Dei domum ædificabant. Quo ſenſu & Apoſtolus ſe *ſapientem architectum* vocat: ipſum vero populum, *Dei agricolturam*, *Dei ædificationem*. Lapis quem reprobaverunt ac rejecerunt Sacerdotes & Phariſæi, ut ineptum & inutilem, Chriſtus eſt: lapis dictus, & fundamentum cui ſpiritale Eccleſiæ ædificium totum innititur, & a quo ſtabilem firmitatem accipit: lapis qui duos Eccleſiæ parietes, Judaicum ſcilicet populum ac Gentilem, in ſe ipſo indiſſolubili junctura connectit. Lapis ille a Sacerdotibus Judæorum, Phariſæis & Scribis reprobatus, *factus eſt in caput anguli*: ſpiritalis ædificii lapis præcipuus, & honoratiſſimus, Eccleſiæ caput & ſuſtentaculum. Tam admirabilis rerum converſio non humana induſtria aut virtute, ſed Dei potentia facta eſt. Hic eſt, de quo Iſaiæ 28. 16. ſcriptum eſt: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum*. De hoc S. Petrus confidenter ſcribit Epiſt. 1. cap. 2. 4. & ſeq. „ Ad quem ac„ cedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem repro„ batum, a Deo autem electum & honorificatum, & ipſi „ tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritua„ lis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias ac„ ceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum: propter quod con„ tinet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum, „ angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in „ eum non confundetur. Vobis igitur honor credentibus; „ non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt æ„ dificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis of„ fenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt, nec „ credunt, in quo & poſiti ſunt. “

Pſalm. 117.
Hieron. in c. 21. *Matt.*
1. *Cor.* 10.

19. *Ideo dico vobis: Quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Ideo, quia hunc lapidem reprobaſtis, quia filium & hæredem patris familias ad vos miſſum, mox ejicietis extra vineam, & occidetis, auferetur a vobis regnum Dei, apud vos amplius non regnabit Deus, non eritis amplius Populus ejus; auferentur a vobis Scripturæ Sanctæ, notitia divinæ Legis, verbum Dei, doctrina Evangelii mei, auferentur (inquam) a vobis omnibus, tam a Sacerdotibus, Judicibus, Legiſperitis, Phariſæis, ceu totius mali auctoribus, quam a plebe pariter degenere & impia: *& dabitur genti facienti fructus ejus*: ad Gentes transferetur gratuita Dei gratia vocandas, quæ fructus Regno Dei convenientes, fructus bonorum operum, fructus juſtitiæ, fructus Spiritus edant. Confer cum *Act.* 13. 46. & *Rom.* 11. 25 & *ſeqq.*

S. Aug. l. 2. Quæſt. Evang. q. 30

20. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Qui in lapidem iſtum impinget, cui Chriſtus adhuc in terra ambulanti & viventi offenſioni erit & ſcandalo, quod fit ab illis, qui in Chriſtum non credunt, vel cum in eum crediderint, deſerunt, vel male vivendo contemnunt; & injuriis afficiunt, *confringetur*, ſive conquaſſabitur; id eſt, lapidi non nocebit, ſed ſibi ipſi graviſſimum damnum inferet, inſtar vaſis figuli ſupra grande ſaxum cadentis, vel ad illud illiſi: non tamen omnino conteretur, quandiu in hoc mundo vivit; reparari enim poterit per pœnitentiam ad ſalutem. *Super quem* vero pondere ſuo ex alto *ceciderit* lapis iſte, ſuper quem Chriſtus toto pondere iræ ſuæ ac ultionis incubuerit, quod fiet, cum veniet incredulis & impiis, omnibuſque in peccato ſuo morientibus deſuper in judicio cum pœna perditionis, *conteret eum*, tam funditus peribit, quam vas fragile, in quod ſaxum ingens ex loco ſublimi devolvitur, ita ut nulla ſpes reparationis illi ſuperſit. *Non enim reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum*: non reſurgent (inquam) ad gloriam, ſed ad ſupplicium æternum: & erunt *tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* *Pſalm.* 1.

21. *Et cum audiſſent Principes Sacerdotum & Phariſæi Parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipſis diceret.* Parabolas illas ad minas ſententiaſque Chriſti contra ſe dirigi intelligebant; ideo in ipſum manus injicere meditabantur, ut eum occiderent: quod tamen nondum auſi ſunt exequi popularis tumultus metu, quia plebs ipſum venerabatur ut Prophetam. *Et quærentes eum tenere, timuerunt turbam; quoniam ſicut Prophetam eum habebant.*

SENSUS MORALIS.

1. *ET cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi, &c.* Ingreſſus triumphalis Chriſti in Jeroſolymam, figura eſt Regni ejus in Eccleſia & in animis fidelium ac juſtorum. Ingreditur pompa humili, apparatu modeſto, in Urbem in qua poſt dies aliquot morte crucis afficiendus eſt. Morte ſcilicet ſua regnabit, humiliatione vincet, cruce triumphabit de mundo, peccato, & diabolo. Aſina alligata cum pullo, duplicis populi typi ſunt; Judaici, jugo Legis aſſueti, & Gentilis, qui jugum illud non tulit. Ex utroque congregata eſt Eccleſia: ad utrumque Chriſtus Apoſtolos ſuos miſit, ut eos a jugo Legis, & a vinculis peccatorum ſolverent, tradita ſibi ab ipſo poteſtate ligandi atque ſolvendi ſuper terram, eoſque ad ipſum Dominum adducerent, triumpho gratiæ ejus ſervituros. S. Marcus pullum dixit ligatum ante januam, quia *Extra Chriſtum quicumque eſt, foris eſt in via: qui autem in Chriſto eſt, foris non eſt.* In tranſitu, *addidit, ubi nullius certa poſſeſſio, non præſepe, non alimenta, non ſtabulum. Miſera ſervitus, cui vagum jus eſt, plures enim Dominos habet, qui unum non habet. Alieni alligant ut poſſideant, iſte ſolvit, ut teneat: vehementiora enim dona novit eſſe, quam vincula.* Solvite, & adducite mihi. *Non poterat ſolvi, niſi juſſu Domini: ſolvit eum manus Apoſtolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Eſto talis, ut & tu poſſis ligatos ſolvere.* Diſcipuli vero cum ſolverunt pullum, numquid ſuis verbis uſi ſunt? Minime: ſed dixerunt, ſicut dixerat illis Jeſus, ut agnoſcas, quod *Non ſuo ſermone, ſed Dei verbo; nec proprio, ſed Chriſti nomine fidem populis infudere gentilibus, atque adverſariæ poteſtates quæ ſibi nationum obſequia vindicabant, mandato ceſſere divino.* Sacerdotes quibus ſacra illa ſolvendi animas & ad Chriſtum adducendi provincia commiſſa eſt, Dei legem ac verbum accurate & fideliter ſequi debent, ejuſque unius, non hominum judicia, in divina illa functione vereri. Spoliare ſe debent propriis veſtimentis, temporalibus commodis & utilitatibus renuntiare, quæſtum non arbitrari pietatem; quæ ſua ſunt, non quærere, ſed quæ Chriſti ſunt; omnia arbitrari ut ſtercora, ut animas Chriſto lucrifaciant, ad eumque ut Regem ſuum ſuſcipiendum diſponant: illarum tegere peccata inviolabili ſilentio; fragilitatem affectu compatiente, pudorem præveniente charitate, ut Chriſti jugum ferre aſſueſcant. *Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Veſtimenta *virtutes ſunt*, quibus Apoſtoli credentium animas emolliunt & adornant, ut Chriſtum geſtent, a quo & portantur. *Diſce geſtare Chriſtum, quoniam prius te ille geſtabat, cum paſtor errantem reduceret ovem: Diſce eſſe ſub Chriſto, ut poſſis eſſe ſupra mundum: Non quicumque facile vehit Chriſtum, ſed ille qui poteſt dicere: INCURVATUS & humiliatus ſum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.* Nec animo ſolum ſed & corpore Chriſtum portare debemus, duplici illa parte per jumentum utrumque adumbrata, quarum una ſervit Legi Dei, altera Legi peccati. Servitutis illius infelicis vincula juſſu ſuo gratiaque ſolvet Chriſtus, & membra quæ ſervierunt iniquitati, ſervire faciet juſtitiæ in ſanctificationem. Sic adimplebitur quod monet Apoſtolus: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

in Lucam.
S. Ambroſ.
1. *Cor.* 6. 20

2. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus & ſternebant in via*: Ut Chriſtum Regem ſequi poſſimus, via Sanctorum veſtimentis ſtrata eſt, Apoſtolorum & martyrum exemplis munita; in his figendum eſt veſtigium. *Ut tu ſine offenſione gradiaris, Diſcipuli Domini amictu ſe proprii corporis exuentes, inter adverſa turbarum viam*

S. Ambr. ib.

tibi ſuo

tibi suo stravere martyrio. Arborum rami, id est, mundi vanitas & inanis gloria resecanda est & calcanda, ut velut novæ arbores ex vetustis, non steriles ramos, sed fructuosos germinare possimus. *Jam securis ad radices arborum posita est, quæ tempore adventus Domini salutaris infœcunda succidat, & infructuosam inanem gloriam Gentium solo sternat, fidelium pedibus proterendam; ut renovatæ mentis spiritu nationes, velut novellarum arborum stirpes de vetustis possint germinare caudicibus*. Palmarum ramos turbam accepisse, & obviam Jesu processisse, scribit S. Joannes, ut illius nempe victoriam de mundo & diabolo honorarent. Palma justitiæ victricis symbolum est. *Justus* enim *ut palma florebit*: Ideo adventante Christo, *erigebantur jam super humeros hominum vexilla justitiæ, & insignia triumphorum*.

S. Gregor. M. Hom. 17. in Ezechielem.

3. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis*. Turbæ præcedentes & sequentes, Judaicum Gentilemque populum designant. „ Præcessit quippe Judaicus populus, „ secutus est Gentilis. Et quia omnes electi, sive qui in „ Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia exi„ stunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt, „ & credunt, qui præeunt & sequuntur, Hosanna cla„ mant. *Hosanna*, Latina lingua, *Salva nos*, dicitur. „ Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præ„ sentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Do„ mini confitentur, quoniam una spes, una fides est præ„ cedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illi „ expectata Passione ac Resurrectione ejus sanati sunt, „ ita nos præterita Passione illius ac permanenti in sæ„ cula Resurrectione salvamur. Quem enim priores no„ stri ex Judaico populo crediderunt atque amaverunt „ venturum, eum nos & venisse credimus & amamus, „ ejusque desiderio accendimur, ut eum facie ad faciem „ contemplemur. "

Ps. 87. 15.

4. Hic ingressus Regis est, Victoris, Victimæ pro totius Mundi peccatis immolandæ. *Ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto*. Sic Propheticum oraculum impletur: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum subjugalis*. Non solum Rex est, sed Rex noster, omniumque hominum & Angelorum. *Rex noster ante sæcula*, qui in plenitudine temporum *operatus est salutem in medio terræ*. Rex jure nativitatis, utpote Regis æterni filius. Unde Propheta canit: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio*, &c. Rex jure hæreditatis: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus . . . . . Postula a me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Rex jure victoriæ; principem enim hujus mundi foras expulit, fortem armatum vicit ipse fortior, universa ejus arma abstulit in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit: A terra exaltatus, omnia ad se traxit. *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Rex noster est emptionis jure: nos enim pretioso sanguine suo redemit, & *fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo. Princeps Regum terræ*. Rex noster est jure electionis: ipsum enim in baptismo elegimus, & fidelitatem atque obedientiam legibus ejus spopondimus ac vovimus. *Tu es ipse Rex meus & Deus meus . . . Testes vos estis, quia ipsi elegeritis Dominum ut serviatis ei*. ECCE REX TUUS VENIT TIBI. *Totus mihi datus, totus meos expensus in usus*; (inquit S. Bernardus) VENIT TIBI. *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*. Sui ipsius præ hominum amore prodigus fuit. *Pertransiit benefaciendo & sanando omnes*. Seipsum dedit redemptionem pro omnibus. Venit tibi MANSUETUS, nihil aliud desiderans quam in cordibus hominum regnare, nihil ab eis exigens præter amorem, leges illis imponens adeo faciles, adeo suaves, ut amando impleantur: *Ama, & fac quod vis*. Apud ipsum non est personarum acceptio; non divites pauperibus, non nobiles ignobilibus, non doctos imperitis, non Principes subditis anteponit: *Omnibus æqualis, omnibus Rex* (inquit Tertullianus.) Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. *Quid fui Domino Regem esse Israel? Quid magnum fuit Regi sæculorum Regem fieri hominum? Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel ad exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israel quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in Regnum cœlorum credentes, sperantes amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod Rex voluit esse Israel, dignatio est, non promotio: miserationis indicium, non potestatis augmentum*. Venit mansuetus ad illos qui sunt in perniciem ipsius conjurati, & cogitant quomodo ipsum interficiant.

Ps. 2.

Ps. 71.

Ps. 53. 5.

Josue 24. 22.

S. Aug. Tract. 51. in Joann.

Non solum ut Rex, sed ut victor & triumphator ingreditur, qui de se ipso dixit: *Confidite, ego vici Mundum*. Sed victoria ejus completa non est, nisi & in nobis mundum, peccatum, cupiditates, diabolumque vincat, ut & nos per ipsum, in ipsoque vincamus, qui est fortitudo nostra: ut *non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus: sed sicut peccatum regnavit in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum*. Nihil igitur gratiæ ejus resistat in nobis, nihil hostibus faveat. Victoriæ illius cooperemur: in ejus castris, sub crucis ejus vexillo fortiter dimicemus, si ex beatorum illorum pugilum numero esse velimus, qui in cœlesti Jerusalem stant in conspectu Agni amicti stolis albis, *& palmæ in manibus eorum*, & clamant: *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno*.

Rom. 6. 12 & c. 8. 21.

Ingreditur denique ut victima, ut Agnus paucos infra dies immolandus. Salutem, quam vox *Hosanna* significat, alter non dabit. *Usque ad Passionem effectus est victima* (inquit Tertullianus,) Ingressus ille velut sacrificii preludium, quasi victimæ præparatio est, via ad crucem, progressus ad mortem. Qui hodie clamant, *Hosanna filio David*, brevi clamabunt, *Crucifigatur*. Brevi ipsum Barabbæ seditioso ac homicidæ postponent, qui vestimenta sua sternunt incedenti, propriis ipsum vestimentis exuent ut flagelletur & crucifigatur: qui benedictum prædicant, contumeliis, opprobriis & blasphemiis lacessent: qui ramos arborum cædunt honoris causa, illum in arbore suspendent, clavisque configent in medio latronum. Quot Christiani nunc Christum adorant, sequuntur, laudant, ut Regem suum ac victorem colunt, qui paulo post ipsum deserunt & *rursus crucifigunt in semetipsis?*

Venit sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. Paupere illo & humili apparatu ostendit, Regnum suum non esse de hoc mundo. Eo magnificentior est ejus ingressus, quo Mundi magnificentiam, fastumque contemnit, & contemptum ejus exemplo suo docet. „ Simul & Prophe„ tias adimplebat, & dogmata veritatis tradebat, & vi„ vendi præcepta exemplis firmabat. Regulas enim no„ bis præbet, ne majora quam necessarius usus exigat, „ requiramus. Itaque quando etiam nascebatur, non ma„ gnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperri„ mam & fabro desponsatam elegit, & in tugurio na„ scitur, & in præsepio ponitur. Sic Discipulos non ora„ tores aut sapientes, nec genere aut fortuna claros, „ sed inopes valde atque ignotos. Mensa ejus hordeaceis „ quandoque panibus, nonnunquam quos Discipuli e foro „ emerent, referta erat. Recumbebat præterea in fœ„ no: vestes viles, nec conditionem vulgi excedentes in„ duebatur. Domum nullam habebat. Pedibus iter facie„ bat, & ita faciebat, ut labore quandoque conficere„ tur. Non in sede, nec in pulvinari, sed in ipsa super„ ficie terræ, modo quidem in monte, modo vero apud „ fontem solus sedebat, & mulierem Samaritanam allo„ quebatur. Mediocritatem in omni vivendi ratione con„ stituit, ut quousque progrediendum esset non ignora„ remus. Quibus etiam nunc quoniam jumentis opus esse „ imbecillioribus non ignorabat, modum exemplo dedit, „ ne aut equis aut mulis junctis sublimes feramur, sed „ asino, quando res cogit, insidere, neque ulterius pro„ gredi, sed ubique necessitatis usum terminare. *Ecce* „ *Rex tuus venit tibi mansuetus, ascendens super asi*„ *nam, & pullum filium subjugalis*: non currus, ut Re„ ges ceteri, agens, non vectigalia exigens, non elatus „ tumore, non satellitibus stipatus, sed magnam undique „ monstrans humilitatem. "

S. Jo. Chrys. Hom. 66.

5. *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens, quis est hic?* Nascente Jesu, ad Magorum adventum commotus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo: triumphante Jesu, ad illius ingressum commota est universa civitas. Hujus commotionis causa, Sacerdotum, Pharisæorum, & Scribarum invidia, ceterorum infidelitas. Quid mirum si commoveantur impii, præsente Rege, qui eorum vitia & cupiditates improbat & arguit? Quid mirum si commoveatur Mundus reprobus præsente Judice, qui ipsius errores, pravosque mores damnat? Sic turbantur impii, cum severa veritas ipsis prædicatur, cum arguuntur, & ad officium compelluntur. *Veritatem amant lucentem, oderunt eam redarguentem*: & Dei, Christique ac Mysteriorum ejus, post tot beneficia, post tot miracula adeo sunt immemores, ut adhuc quærant *quis sit*, quasi illum numquam nossent: *Quis est hic?* Ad Christi ingressum commovetur & turbatur fidelis anima, sed alia ratione. Salutari scilicet timore concutitur & configitur ad pœnitentiam. Commoventur etiam justi piis affectibus ad Christi adventum, sicut turbata est Maria, cum ab Angelo gratia plena salutata est; sicut commota est, turbataque Sponsa ad vocem cœlestis Sponsi, ut ipsum quæreret, amaretque ferventius.

S. Augusti.

Luc. 1. Cant. 3. & 10

6. *Et intravit Jesus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Cogita quam gravia peccata sint profanantium verum Templum Dei, scilicet Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo, rerum sacrarum nundinatione, simoniacis beneficio-

reficiorum reſignationibus & permutationibus fraudulentis, quæſtu, & avaritia ſpecie religionis velata Dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum impetratione per obſequia & adulationes; collationibus, nominationibus, electionibus, alio intuitu factis quam gloriæ Dei, & utilitatis Eccleſiæ. „ Has Cathedras de Templo Salvator „ ejecit eorum qui ſe honore jactarent, primatus quæ„ rerent dignitatum: eorum qui Sacerdotio vel primatu „ honoris uterentur ad quæſtum: eorum qui indulgentes „ gulæ, nequaquam debitam continentiæ præſtarent cu„ ſtodiam. *Et ejiciebat omnes vendentes & ementes in* „ *Templo*. Deus Templum ſuum non mercatoris vult eſſe „ diverſorium, ſed domicilium ſanctitatis. Generaliter „ docuit ſæculares a Dei Templo abeſſe debere contra„ ctus. *Et Cathedras vendentium columbas everrit*. Ad„ monet dominici forma baptiſmatis, quando deſcendit „ Spiritus Sanctus in columba, typo ejectorum de Tem„ plo hujuſmodi mercatorum, in Eccleſia Dei conſor„ tium eos habere non poſſe, qui Sancti Spiritus gratiam „ nundinentur. *Gratis enim*, inquit, *accepiſtis, gratis* „ *date*. Denique Simoni, qui ſanctificandi munus pretio „ in ſe putavit poſſe conferri, reſpondit Petrus, *PECU*„ *NIA* tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum „ Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars ne„ que ſors in ſermone iſto; Cor enim tuum non eſt re„ ctum coram Deo. *Cathedras vendentium columbas e*„ *vertit*. Qui in Templo Dei columbas vendere præſum„ pſerunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui „ error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam eo „ ipſo quod quiſque ad ſacrum Ordinem perducitur, jam „ in ipſa provectus ſui radice vitiatus, paratus eſt aliis „ vendere quod emit . . . Cum Sacerdotalis Ordo intus „ cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. "

S. Ambr. Enar. in Pſal. 1.

S. Ambr. l. 9. *in Lucam. n.* 19. *Matt.* 10. 8. *Act.* 8. 20.

C. Greg. M. l. 5. *Epiſt.* 7.

7. *Domus mea domus orationis vocabitur, & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Si Templo typico tanta debebatur reverentia, quanta debetur Templo vero; ſcilicet Eccleſiæ, in qua non Arca fœderis, ſed Chriſtus Jeſus verus Deus in Euchariſtiæ Sacramento realiter præſens adoratur? Indignatus eſt Chriſtus negotiatoribus, quod licitis alioquin commerciis in Domo Patris ſui vacarent: & facto quaſi flagello de funiculis, eos ejecit, zelo gloriæ Dei ſuccenſus, ſicut ſcriptum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me*. Iram ultionemque divinam metuant & in hoc ſæculo, & in futuro, qui Templorum Chriſtianorum ſanctitatem violare non verentur immodeſtiis ſuis, impudicis aſpectibus & colloquiis, luxu, vanitate. *Eccleſia nihil differt a foro; & ſi non ſit dictu audacius, forte nec a fornice aut proſtibulo*. Tantum abeſt ut mulieres in Templo Sancto Dei velent caput propter Angelos, ut potius *propter mutuum videre ac videri*, pompas omnes mundi muliebris proferant in publicum. *Fode parietem, videbis abominationes majores, ...* *Ecce ibi mulieres ſedentes plangebant Adonidem*. Quid de hypocritis dicam, qui ſolam ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes, cupiditatum & vitiorum omnis generis idola in corde ſuo colunt, etiam cum in Templo verſantur? *Et ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio & univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Jezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum, ſtantium ante picturas: & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua: & vapor nebulæ de thure conſurgebat*. Nec abominationum finis. Ibi Sacerdotes dorſa vertentes contra Templum Domini, & faciem ad Orientem, adorantes ad ortum ſolis; qui ſcilicet ſacrum Miniſterium implere non curant, qui in Eccleſiis ac Beneficiis ſuis non reſident, ſed in Aulis Principum maximam anni partem manent, favorem aucupari, beneficia congerere, in ſacrorum Canonum contemptum geſtiunt. *Aulæ magis quam Eccleſiæ Sacerdotes*, abuſu bonorum ac reddituum Eccleſiæ, quæ *patrimonia pauperum, oblationes fidelium, pretia peccatorum*, a Patribus & Conciliis merito appellantur; domum Dei in ſpeluncam latronum convertentes. *Inter veſtibulum & Altare quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum ſolis*. Sacrilegos illos Templi ſui violatores Deus zelotes ab Eccleſia ſua inviſibiliter ejiciet, a corpore ſuo penitus ſegregabit, in æternum abſcindet. *Numquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic; quia replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me? Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos*.

Pſalm. 68. *Joan.* 2. 13

S. Jo. Chryſ. Hom. 74. *in Matt.*

Tertull. l. de cultu muliebri.

Ezech. 3.

S. Athan.

8. *Domus mea domus orationis vocabitur*. Quamvis in omni loco Deus orari poſſit ac debeat, qui ubique præſens eſt, quemdam tamen ſpeciatim ad id deſtinatum conſecratumque locum ſibi Dominus elegit, ad quem Fideles conveniant, ejus Majeſtati ſupplicaturi; non quod ipſe loco indigeat, ſed ut nos per corporalem domum, quæ *Domus orationis*, & *Domus Dei* ſingulari quadam ratione dicitur, & in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventius orandum excitet. Quod ſi Templum Salomonis Deus ſanctificavit, ibique oculos ſuos & cor ſuum futurum promiſit, ut populi ſui preces exaudiret: ſi Apoſtoli accepto etiam Spiritu Sancto, Templum illud orationis gratia frequentant, multo magis Templis noſtris benedicit, in quibus Jeſu Chriſti Corpus offertur, conſecratur, ſumitur, aſſervatur. Si *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine* Chriſti, ipſe *in medio eorum eſt*: Multo magis cum tota ad eum orandum & laudandum convenit Eccleſia. Major certe vis eſt orationis quæ a multis offertur Deo in domo ejus. *Coimus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt*.

3. *Reg.* 8. & 9. *Act.* 2. & 3. *Tertull. Apolog.* 39.

Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. „ Eccleſias vel potius Tem„ pla atque Altaria Dei, minori reverentia quidam ha„ bent, quam cujuslibet minimi ac municipalis judicis „ domum. Siquidem intra januas non modo illuſtrium „ Poteſtatum, ſed etiam Præſidum aut Præpoſitorum, „ non omnes paſſim intrare præſumunt; niſi quos aut Ju„ dex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipſa hono„ ris proprii dignitas introire permiſerit: ita ut ſi qui„ ſpiam fuerit inſolenter ingreſſus, aut cædatur, aut „ propellatur, aut aliqua verecundia, atque exiſtimatio„ nis ſuæ labe mulctetur. In Templa autem vel potius „ ſacraria atque Altaria Dei paſſim omnes fordidi ac „ flagitioſi ſine ulla penitus reverentia ſacri honoris ir„ rumpunt: Non quia non omnes ad exorandum Deum „ currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placan„ dum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim „ ejuſdem officii eſt indulgentiam poſcere, & iracundiam „ provocare. Novum ſiquidem monſtri genus eſt: eadem „ pene omnes faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui „ intrant Eccleſiaſticam Domum ut mala antiqua defle„ ant, exeunt; & quid dico, exeunt? in ipſis pene hæc „ orationibus ſuis ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud „ quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum ver„ bis præterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur: „ ac ſic oratio eorum auctrix eſt magis criminum, quam „ exoratrix. Ut vera illa in eis Scripturæ maledictio „ impleatur; ut de oratione ipſa exeant condemnati, „ & oratio eorum fiat in peccatum. Denique ſi vult qui„ ſpiam ſcire quid in Templo hujuſmodi homines cogita„ verint, videat quid ſequatur: ſiquidem conſummatis „ ſolemnitatibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnes „ ſtudia diſcurrunt: alii ſcilicet ut furentur, alii ut ine„ brientur, alii ut fornicentur; ut evidenter appareat „ hoc eos eſſe meditatos, dum intra Templum ſunt, „ quod poſtquam egreſſi fuerint, exequuntur. "

Salvianus l. 3. *de Gubernatione Dei.*

Domus mea domus orationis vocabitur: & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum. Quod de Eccleſiis diximus, unuſquiſque de ſe intelligat. Dicit enim Apoſtolus: Vos eſtis templum Dei, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. *Non ſit in domo pectoris noſtri negotiatio, non ementium vendentiumque commercia, non donorum cupiditas; ne ingrediatur Jeſus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum ſuum, niſi flagello adhibito; ut de ſpelunca latronum, & de domo negotiationis, domum faciat orationis*.

S. Hieron in c. 12 *Matt.*

9. *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in Templo, & ſanavit eos*. In Templo Dei, in Eccleſia, quotidie cæci illuminantur, claudi ſanantur, & greſſus eorum diriguntur verbo Dei, Sacramentis, Sacroſancto Sacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti, precibus Sacerdotum, omniumque Chriſtianorum juſte ac pie viventium, quibus ipſis gratia medicinalis Chriſti Salvatoris impetratur.

10. *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Hoſanna Filio David, indignati ſunt*. Cæcitas & obſtinatio Sacerdotum & Doctorum, plerumque ſunt avaritiæ, ambitionis, ſuperbiæ & invidiæ, quibus dediti ſunt, effectus. Qui gloriam & opus Dei promovere magis tenentur ex officio, ipſum plerumque acrius & pertinacius impediunt. *Et dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Utique numquam audiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Qui ſimplicitate & innocentia morum pueris ſimiles ſunt, Deo perfectam laudem canunt, a Spiritu Sancto in eorum ore formatam. Non alios poſſumus hic intelligere infantes atque lactentes, quam eos quibus dicit Apoſtolus, *Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam*. Quos ſignificabant illi qui Dominum præcedebant laudantes. „ Non ait autem, *Feciſti*, ſed, *perfe„ ciſti laudem*: Sunt enim in Eccleſiis etiam hi qui non „ jam lacte potantur, ſed veſcuntur cibo, quos idem A„ poſtolus ſignificat dicens, *Sapientiam loquimur inter „ perfectos*: ſed non ex his ſolis perficiuntur Eccleſiæ; „ quia ſi ſoli eſſent, non conſuleretur generi humano. „ Conſulitur autem, cum illi quoque nondum capaces „ cognitionis rerum ſpiritalium atque æternarum, nu„ triuntur fide temporalis hiſtoriæ, quæ pro ſalute no„ ſtra poſt Patriarchas & Prophetas, ab excellentiſſima „ Dei Virtute atque Sapientia ſuſcepti hominis ſacramen„ to adminiſtrata eſt, in qua ſalus eſt omni credenti; „ ut auctoritate commotus, præceptis inſerviat, quibus „ purgatus unuſquiſque, & in charitate radicatus atque „ fundatus, poſſit currere cum ſanctis, non jam parvu-

1. Cor. 3. *S. Auguſtin Enarrat. in Pſalm.* 8. *2. Cor.* 2. 6.

lus

„ lus in lacte, sed juvenis in cibo, comprehendere lati-
„ tudinem, longitudinem, altitudinem & profundum,
„ scire etiam supereminentem scientiam charitatis Chri-
„ sti. "

11 *Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi. Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes Discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?* Quid arbor fecerat, fructum non afferendo? Quæ culpa arboris infœcunditas? Sed sunt qui fructum voluntate dare non possunt. *Illorum est culpa sterilitas, quorum fœcunditas est voluntas.* Erant ergo Judæi habentes verba Legis, & facta non habentes, pleni foliis & fructus non ferentes. Venit ad Judæos, & apud eos invenit omnia eloquia Prophetarum: sed ista folia sunt. Christus esurit, fructum quærit; sed ideo in eis fructum non invenit, quia se in eis non invenit. *Non enim habet fructum, qui non habet Christum. Non autem habet Christum, qui Christi non tenet unitatem, qui non habet charitatem.* FRUCTUS *autem spiritus charitas* . . . Arbor secus viam, Christianus mundi tentationibus expositus; sola verba, inania promissa, sterilia desideria, fidem sine operibus Christo exhibens. „ Virtutes sine fide, folia sunt:
„ videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur
„ vento, quia non habent fundamentum. Quanti Gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem: sed fru-
„ ctum non habent, quia fidem non habent? Labuntur
„ cito folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Judæi habent
„ castimoniam, sedulitatem in lectione multam, & dili-
„ gentiam; sed sine fructu sunt, & versantur ut folia.
„ Hæc forte sunt folia, quæ Salvator in illa ficu repe-
„ rit, sed fructum non invenit. " Christi maledictionem timeat Christianus, qui fructus bonorum operum non profert, æternam metuat ariditatem, igne æterno damnandam, si Christus salutem nostram esuriens, fidem operibus bonis destitutam in illo inveniat, cum gratiarum & donorum suorum fructus exiget in hora mortis. Tempus fructuum, vita præsens est. *Pascamus* hic *Christum bene vivendo, & pascet nos in æternum nobis vivere donando.*

12. *Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis: Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Mons diaboli typus est: Christianæ igitur fidei firmitati perfectam de diabolo victoriam Christus Dominus promittit. *O ingens fidei præmium, cujus merito in tantum potestas credentium extollitur, ut judicaturi universos, pari severitatis sententia in damnationem sæculi diaboli celsitudinem molemque demergant.* Vel aliter: Arbor gens Judæa, arbor sterilis, reprobata, arida. Mons, Christus; Mare, sæculum hoc omnibus Gentibus, Apostoli in Actibus Apostolorum loquuntur ad Judæos contradicentes, & verbo veritatis resistentes, hoc est, folia habentes, & fructum non habentes, & dicunt illis: *Vobis primum oportebat annuntiare verbum Dei: sed quoniam repellitis illud:* Prophetarum verba loquimini, & non agnoscitis quem prænuntiarunt Prophetæ, hoc est, folia habentes: *ecce convertimur ad Gentes.* Hoc enim etiam per Prophetam prædictum est: *Ecce posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea ab extremis terræ.* Ecce aruit arbor; & Christus ad Gentes, mons translatus in mare.

Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis „ Fides fons orationis, nec potest ire rivus
„ ubi caput aquæ siccatur. Ergo ut oremus, credamus;
„ & ut ipsa non deficiat fides qua oramus, oremus. Fi-
„ des fundit orationem, fusa oratio impetrat ipsi fidei
„ firmitatem. "

13. *Et cum venisset in Templum, accesserunt ad eum docentem Principes Sacerdotum & Seniores populi dicentes: In qua potestate hæc facis? Respondens Jesus dixit eis; Baptismus Joannis unde erat, &c. At illi cogitabant inter se dicentes; Si dixerimus, E cœlo, dicet nobis, Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam.* Quod Christus Sacerdotum & seniorum quæstionem altera quæstione eludat, non est astutiæ, sed summæ sapientiæ. Dei sapientia omnem sæculi prudentiam confundit, omnem hominum malitiam evertit. Pia & laudabilis est industria, quæ malas artes repellit impiorum aut superborum hominum, qui fidei aut pietatis progressum impedire nituntur; aut Ecclesiasticam Disciplinam, morumque emendationem prohibere litibus, quas legitimis Pastoribus intentant; quasi jurisdictionem usurpent, aut ea abutantur. *In qua potestate hæc facis?* Sed quantumvis invidia aut alio pravo affectu sanctis consiliis, conatibus & statutis Prælatorum adversentur exterius, iniquitatem ipsi suam interdum agnoscunt, turbantur intus & dissecantur cogitationibus suis, propriæque conscientiæ judicio damnantur. Malis artibus utuntur ut Superiorum suorum jurisdictionem, & impositam ab iis disciplinam declinent & excutiant: & pejora molirentur adversus veritatem & justitiam, nisi plebem timetent, nisi hominum judicia magis quam Dei vererentur.
„ Si dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam. (*Per-*
„ *spicis cordis eorum perversitatem? inquit S. Joannes*
„ *Chrysost.*) Deum ubique contemnunt, & cuncta pro-
„ pter homines peragunt. Nam & Joannem, non quia
„ tantum virum verentur, sed multitudinis opinione per-
„ territi metuebant. Christo quoque ipsi propter homi-
„ nes, ne minores viderentur, credere nolebant: omnia
„ denique hinc eorum mala oriebantur. *Duæ januæ pec-*
„ *cati, amor & timor mundi.* "

14. *Quid autem vobis videtur? homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, Domine, & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus.* Primo dicitur Gentilium populo per naturalis legis notitiam; *Vade & operare in vinea mea*; hoc est, *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Qui superbe respondit, *Nolo.* Postea vero in adventu Salvatoris, acta pœnitentia, operatus est in vinea Dei, & sermonis contumaciam labore correxit. Secundus autem filius, populus Judæorum est, qui respondit Moysi: *Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus:* & non ivit in vineam, quia interfecto patris-familias filio, se putavit hæredem . . . Justitia Christiana in promissis inanibus & ostentatione zeli studiique ardentis ad Legem Dei observandam posita non est, sed in ejus observantia humili, accurata, perseverante. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Rom. 2. 13. Duæ duntaxat ad cœlum viæ, innocentia & pœnitentia. Qui innocentiam amiserunt violando Legem Dei, sola pœnitentia voluntatem ejus implent. „ Sed (inquit
„ Sanctus Ambrosius) facilius inveni, qui innocentiam
„ servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.
„ Renuntiandum sæculo est; somno ipsi minus indulgen-
„ dum, quam natura postulat, interpellandus est gemi-
„ tibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus ora-
„ tionibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui,
„ se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur: sicut
„ quemdam adolescentem fabulæ ferunt propter amores
„ meretricios peregre profectum, & abolito amore re-
„ gressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi se
„ non interpellavit, mirata putaverit non recognitam,
„ rursus occurrens dixerit, Ego sum; responderit ille:
„ sed ego non sum ego. " Sic mutetur necesse est filius contumax, qui prius jubenti patri ut in vinea sua operaretur, ut legem suam servaret, ut animam suam omni virtutum genere excoleret, superbe respondit, *Nolo.* Contumaciam obedientia, negligentiam diligentia & vigilantia, languorem fervore compensat. Siquidem sanctos imitari non potest, qui innocentia vitæ ad mortem usque constanter servata, ad Regnum cœlorum pervenerunt; vel illos imitetur, qui illud pœnitentia rapuerunt, ne cum Pharisæis audiat: *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Conversio publicanorum & meretricum, magnum solatium est insigniumpeccatorum, si & ipsi Deo ad pœnitentiam vocanti pareant: sed Sacerdotum Judaicorum, Pharisæorum & Legisperitorum qui Christum ipsum prædicatorem audiebant, & miracula innumera videbant operantem, cæcitas & obstinatio, timorem incutere debet iis, qui dignitate sua vel doctrina elati, nec non Pharisaica justitiæ specie, a via Regni cœlorum aberrant avaritia sua, ambitione, superbia, invidia, aliisque vitiis occultis. „ Quid patimur? Quid est
„ hoc? Quid audisti? (*inquiebat Augustinus Alypio suo*)
„ surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos doctrinis
„ nostris, sine corde ecce volutamur in carne & sangui-
„ ne. An quia præcesserunt pudet sequi, & non pudet
„ nec saltem sequi? "

15. *Homo erat pater-familias, qui plantavit vineam &c.* Plantata est vinea, lege data in cordibus Judæorum. Missi sunt Prophetæ, quærentes fructum, bonam vitam eorum; Prophetæ ab eis contumeliis affecti & occisi sunt. Missus est & Christus unicus Filius Patris-familias & ipsum occiderunt hæredem, & ideo perdiderunt hæreditatem. In contrarium eis vertit malum consilium. *Ut possiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdiderunt.* Vinea est & Ecclesia, vinea electa, quam Christus acquisivit & emit pretio magno, sanguine suo. Sepe illam munivit, scilicet fide qua discernitur a Judæorum Synagogis, & conventiculis Hæreticorum. Illam torculari instruxit, scilicet Sacramentis & Sacrificio, quibus Christi Sanguis & virtus Passionis ejus diffluit. Turri ipsam protegit; præsentia sua usque ad consummationem sæculi, virtute nominis sui, adversus quam inferorum portæ ac vires prævalere non possunt. Agricolæ, Pastores. Regio longinqua, cœlum, quo Christus ascendit, postquam Apostolos misit. Sed & agricola quisque vineæ Dei, id est, animæ suæ, quam Deus plantavit, quam Christus Sanguine suo rigavit, eique per Spiritus Sancti, gratiarumque illius ac donorum subministrationem, incrementum

S. Aug. ser. 89. alias 44 de Verb. Domini. cap. 3.

Idem serm. 89. alias 9. inter editos ex Mſ. Carthusiæ Majoris. Galat. 5. 21 S. Ambros. Enarrat. in Psa. 1. n. 41.

S. Auguſtin Enarrat. in Pſalm. 127

S. Hilar. in c. 21. Mat.

S. Aug. ſer. 39.

S. Aug. ſerm. 115. alias 36. de Verbis Domini.

S. Joannes Chryſ. Hom. 68.

S. Hieron. in cap. 21. Matt. Exod 24.

S. Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. cap. 10.

S. Aug. lib. 8 Confeſſ. cap. 8.

S. Aug. ſer. 37. alias 19 de Verbis Domini cap. 2.

tum dedit. Fructus a nobis jure expectat & exigit mysteriis suis, verbo suo, exemplis suis ac miraculis. Sed heu ingrati, Judæisque pejores, Christum a corde nostro ejicimus, & quantum in nobis est, occidimus, *Rursum crucifigentes filium Dei*. Eo graviora sunt Christianorum peccata, eoque gravior ipsos manet damnatio, quo majores gratias receperunt. Ad ipsos magis quam ad Judæos dirigitur illa Dei per Prophetam querela: „ Quid „ est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci „ ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non „ fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus „ mandabo ne pluant super eam imbrem . . . Expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, „ & ecce clamor. " A Deo deseri, ejusque gratiis, verbo, Sacramentis privari, atque dæmonibus in direptionem permitti, metuendum maxime supplicium est, æternæque damnationi proximum: sic enim a Deo derelicti peccatoris finis, interitus & æterna combustio. „ Nam, „ ut ait Apostolus, Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a „ quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Profetens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. „ Nam (*ut S. Hieronymus interpretatur*) Tollitur Dei „ auxilium ab iis qui indigni sunt: ut, quia non sentiunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia. "

Hebr. 6. 6.

Isaiæ 5. 4. & seqq

Hebr. 6. 7.

S. Hieron. in cap. 5. Isai.

16. *Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris: ideo dico vobis, Quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Incarnatio Verbi Dei, opus Domini est, voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, a Filio ipso carnem nostram assumente peractum. Christum Jesum prædestinatum Filium Dei in virtute, Judæi rejecerunt & crucifixerunt: Pater a mortuis suscitavit; caput & fundamentum Ecclesiæ suæ constituit: „ pacem nostram, qui fe„ cit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum de„ cretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum „ novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos „ in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimici„ tias in semetipso. Superædificati sumus super funda„ mentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo an„ gulari lapide Christo Jesu: in quo omnis ædificatio con„ structa crescit in Templum Sanctum Domino. " Verum si Judæorum infidelitatem & malitiam imitemur, si Christum contemnamus, & injuriis afficiamus male vivendo, non ut decet cives Sanctorum, domesticos Dei, membra Christi, Templa Spiritus Sancti; justo Dei judicio auferetur a nobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus; gratiæ suæ dona Deus a nobis auferet, aliisque tradet, qui fideliter cooperando, pœnitentiæ ac bonorum operum fructus facient.

Ephes. 2. 14 & seqq.

S. Aug. ser. 91. alias de Tempore 234.

17. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit conteret eum.* Quando enim in eum offenditur, humilis jacet: *Jacendo humilis, quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem.* Jam ergo Judæi illa offensione quassati sunt: restat ut ejus præclaro adventu etiam conterantur, nisi forte, cum vivunt, agnoverint, ne moriantur. Patiens enim est Deus, & illos quotidie invitat ad fidem.

CAPUT XXII.

Sensus Litteralis.

1. ET *respondens Jesus, dixit iterum in Parabolis eis, dicens: Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Perrexit Jesus in sermone, novam illis proponens Parabolam. Simile quid accidit in parando Regno cœlorum, sive in colligenda ex hominibus Ecclesia, in qua Deus Regnum suum inchoat in terris, postea completurus in cœlis; ac si Rex quispiam nuptiale convivium pararet filio suo uxorem ducenti. *Et misit servos vocare invitatos ad nuptias, & noluerunt venire.* Misit servos suos, ut eos qui prius invitati fuerant ad nuptias, certiores facerent de hora & die præstitutis. At illi convivio adesse noluerunt. „ Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce „ prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa „ sunt; venite ad nuptias. „ Humanitatis, amorisque sui novum dedit argumentum, missis aliis servis, qui rursus ipsos ad nuptiale convivium omni ciborum genere splendide instructum nomine suo invitarent: *Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* Sibi factum honorem parvi fecerunt, & rei familiaris curam, compendiaque sua nuptiarum gaudio præposuerunt: *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* Servos ejus in carcere truserunt, & contumeliis affectos morti tradiderunt immaniter ingrati. *Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos*, internecione delevit, *& civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt*, nuptiale convivium instructum est: *Sed qui invitati erant, non fuerunt digni*: eo honore se indignos præstiterunt. *Ite ergo ad exitus viarum*, in compita, plateasque publicas, & quoscumque inveneritis pauperes, viatores, nullo facto discrimine gentis, generis, conditionis, *vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt*, ex omni hominum genere, nullo facto delectu, *bonos & malos*, honestos & sordidos, dignos & indignos: *& impletæ sunt nuptiæ discumbentium*, & locus nuptialis convivii impletus est hominibus, qui ad mensam Regis accubuerunt. *Intravit autem Rex ut videret discumbentes*, ut convivas spectaret, utrum omnia pro nuptiarum excellentia, sponsique ac sponsæ dignitate agerentur: *& vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*: non ornarum veste quæ nuptias & festum diem deceret: *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Qua fronte in aulam & convivium nuptiarum te intrusisti absque ornatu nuptiis conveniente, cum veste pannosa & sordida, quæ in meum, sponsique & sponsæ contemptum ac dedecus cedat? *At ille obmutuit*, sua ipse conscientia damnatus. *Tunc dixit Rex ministris*: iis qui convivis ministrabant, vel ministris justitiæ suæ: *Ligatis manibus*, ne se defendere valeat, *& pedibus ejus*, ne fugeret; *mittite eum in tenebras exteriores*; extra aulam nuptialis convivii ejicite, & in carcerem obscurum, ubi rei quasi præsentis morris imagine in extremam tristitiam & desperationem aguntur: *Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Multi ita vocati sunt, ut vere pareant vocanti, & ad nuptias veniant: pauci vero electi, ut nuptiarum gaudio fruantur, & inter amicos sponsi numerentur. Parabolæ sensus obvius est. Rex qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est. Fecit autem nuptias Domino nostro Jesu Christo & Ecclesiæ, quæ tam ex Gentibus quam ex Judæis congregata est; quam *Christus dilexit, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* De qua in Apocalypsi dicitur: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo . . . Et venit unus de septem Angelis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem Agni*, &c. Nuptiale convivium, est sacer ille doctrinæ Evangelicæ, Sacramentorum, gratiarum, & spiritualium donorum apparatus, quibus, tanquam exquisitis ferculis, Deus hominum animas per fidem sibi copulatas pascit, & beatæ vitæ gaudiis in æternum refecturus est. Primo vocati ad nuptias, ad Christi fidem, Ecclesiam, spiritale convivium, Judæi sunt, fœderatus Deo Populus; quibus adventus Regni Messiæ primo per Moysen & Prophetas, deinde in plenitudine temporis per Joannem & Christum ipsum annuntiatus est, ut se per pœnitentiam illi Regno, nuptiisque Regiis præpararent. Cum autem illi ad nuptias venire, in Christum credere, ejus Ecclesiæ inseri, mystici convivii participes fieri noluissent; misit Deus post mortem ac resurrectionem Christi alios servos, duodecim Apostolos, & eorum adjutores, qui Judæos iterum ad prandium nuptiale invitarent, in quo spiritalium genus omne bonorum, ad mentes in præsenti vita reficiendas paratum est. Illi autem terrenarum & caducarum rerum studio æterna bona posthabentes, veritatem Evangelicam respuerunt. Reliqui vero missos ad se Apostolos contumeliis affecerunt, ut Petrum & Joannem, Paulum quoque non semel: & occiderunt, ut Stephanum & Jacobum utrumque. Rex autem, scilicet Deus optimus maximus, tantum gratiæ suæ contemptum, servorumque suorum contumeliam, ac cædem ulcisci decrevit, & missis exercitibus suis, scilicet Romanis, sub Tito & Vespasiano Impp. homicidas illos fame, peste, gladio delevit; & prævaricatricem civitatem succendit. Cum autem pertinaciter Evangelium sibi annuntiatum respuissent, Deus Apostolos misit in universum mundum, ut Gentes omnes Evangelii prædicatione ad fidem Christi, & ad cœlestis convivii participationem vocarent, nemine cujuscumque nationis, tametsi barbaræ; cujuscumque conditionis, etsi infimæ; cujuscumque vitæ, etsi pessimæ, excluso. A generali enim beneficio neminem Deus voluit ullo præjudicio excludum. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Per exitus viarum, significantur hoc loco variæ Philosophorum opiniones, & diversi superstitionum ritus, in quos nationes relictis viis ab Adamo & Noe monstratis deflexerant. *Deus* enim *in præteritis generationibus dimisserat omnes gentes ingredi vias suas*, non missis scilicet ad eos Prophetis, ut ad Judæorum gentem facere solebat, cum alioqui naturalibus testimoniis illos quotidie conveniret, *Benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora*

S. Hieron. in c. 12. Matth. Ephes. 5. 25 26. 27. Apocal. 21. 2. & 9.

Josephus l. 7. de Bello Judaico c 17.

Act. 14. 17.

pora fructifera, implens cibo & lætitia corda ipsorum: nec clausus illis esset majoris profectus aditus, præsertim ex quo Judæorum multiplex dispersio orbem impleverat, & divina Lex, Prophetæ, & Psalmi Græco sermone legebantur. Judæorum ergo *delicto, salus est Gentibus, ut illos æmulentur*, & æmulatione stimulati, ac ægre ferentes salutem sibi præripi a Barbaris, ad fidem tandem convertantur eorum reliquiæ. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum? ..... Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret*, &c. Congregaverunt autem Apostoli in Ecclesiam *bonos & malos*, sive qui laterent probitatem simulantes, sive qui jam adducti & intromissi in convivium nuptiarum, apparerent sæculo verbis tantum, non factis renunciasse. „ Sive, *bo-*
„ *nos & malos*, dictum est secundum quamdam humanam
„ conversationem, in qua etiam ii qui nondum credide-
„ runt, vel laudari vel vituperari solent. Unde est etiam
„ & illud quod Dominus monet Discipulos, quos ad præ-
„ dicandum Evangelium primitus mittit, ut in quamcum-
„ que venerint civitatem, quærant, quis illic dignus sit,
„ ut apud eum habitent, donec inde proficiscantur. Pro-
„ fecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suo-
„ rum civium bonus habebitur? Et quis indignus, nisi
„ qui eis malus innotuerit? Ex hoc utroque genere ve-
„ niunt ad Christi fidem, & sic adducuntur boni & ma-
„ li: quia & illi mali a mortuis operibus pœnitentiam
„ non recusant. " Si autem recusant, non intrare cupientes repelluntur, sed ab introitu ipsi aperta contradictione discedunt: sic impleta est Ecclesia, locus nuptialis convivii. Ingressus Regis, ut convivas spectet, adventum Christi significat in Judicii die, ut examinet ac judicet, quinam vocatione sua digne se gesserint. Vestis nuptialis, Christus est, quem per charitatem, ceteraque virtutes charitatis comites induimus. Nam ut Christus & Sacerdos, & victima, & Altare, & Templum diverso respectu vocatur, quod iis velut typis fuerit adumbratus; ita hoc loco & sponsus est, & cibus, & vestis, distincta aptaque comparatione: Sponsus, quia Ecclesiam sibi desponsavit in *justitia, in fide, & in sempiternum*, eamque velut novam Evam ex suo latere in cruce eductam sibi copulavit; & justorum animas sibi quasi sponsas copulat: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*; (inquit Apostolus) Cibus, quia Corpus & Sanguinem suum nobis manducandum & bibendum in mensa Eucharistica apponit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Vestis, quia nuditatem nostram ac vitiositatem justitia sua tegit, non extrinsecus dumtaxat nobis imputata, qua ille justus est, sed nobis communicata, & inhærente, ut peccatis nostris non tectis solummodo, sed absterstis & abolitis, gratia & charitate per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa justi simus. *Induimini Dominum Jesum Christum ... Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis ... Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis ..... Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum*. Qui Christum hoc modo non induit, in die judicii propriæ conscientiæ testimonio convictus, interrogationi & exprobrationi Christi respondere non poterit: sed ligatis manibus & pedibus ejicietur ex Sanctorum cætu, & a luce æterna in æternum exclusus, in tartara detrudetur.

Rom. 11. 11. 12.

S. Aug. l. de Fide & Operibus c. 27.

Rom. 13. 14. Galat. 3. 27. Ephes. 4. 22. 23. 24. Coloss. 3. 9. 10.

2. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Multi, non solum Judæi, qui venire ad Nuptias Agni, & in Christum credere noluerunt; sed etiam ex Gentibus plurimi, vocati sunt a Deo: *pauci vero electi*, ut cœnam æternam degustent, ac cœlesti beatitudine fruantur; illi scilicet qui Christum per gratiam sanctificantem & charitatem induerunt, ac in justitia perseverantes, ea quasi nuptiali veste ornati invenientur, cum ad judicium veniet. Non omnes vocati, secundum propositum sunt vocati; ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi. Omnium itaque reproborum typus est ille, qui vestem nuptialem non habens, mandato Regis ejectus est extra aulam convivii, & missus in tenebras exteriores, ubi fletus, & stridor dentium. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Ostendit his verbis Christus, causam cur Gentes credant, non esse ipsorum præ Judæis præstantiam, non præclaras naturæ dotes, non merita vocationem præcedentia, non quæ futura prævisa sint a Deo; sed Dei electionem gratuitam; ideoque non esse cur glorientur. Secundo, etsi Gentes in Judæorum locum successerint, non omnes tamen ex iis salvos fore; quamobrem illos monet ne se efferant, sed Deo digne vivant. *Si aliquis ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar: bene; propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.*

S. Aug. l. de Gestis Pelagii cap. 3.

Rom. 11. 17 & seqq.

3. *Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone*. Pharisæi conspiratione facta adversus Jesum, inter se deliberarunt quo pacto aliquod responsum insidiose ab illo elicerent, quo vel Populum, vel Cæsarem offendisse videretur, ut eum rerum novatarum apud Romanorum Præsidem accusare possent. Confer cum *Lucæ* 20. *vers.* 20. *Et observantes, miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, & potestati Præsidis.*

4. *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet censum dare Cæsari, an non?* Quosdam e discipulis suis miserunt, quasi Christo ignotos, & in Sermonibus ejus infrequentes, ut coram eis Christus securius loqueretur. Adjunxerunt autem illis milites, servos, seu domesticos Herodis. Sic enim vocem, *Herodianos* interpretantur Evangelium Hebræum, Syriaca Versio, S. Chrysostomus & S. Hieronymus: vel cum iis qui Romanis tributa sponte solvebant, & solvenda docebant, quos Pharisæi *Herodianos* vocabant, & non divino cultui deditos: Herodes enim Magnus impense faverat Romanorum tributis, quibus olim præfuerat, cujus studia imitatum Herodem Antipam ejus filium, nemo dubitaverit. Pharisæi vero favebant Judaicæ libertati, & Herodis erant adversarii. Sane Pharisæorum quosdam Judam Galilonitem secutos, sensisse nefas esse Judæis parere Potestati a Lege divina extraneæ, & pendere tributum, aut censum solvere, testes sunt Josephus & Eusebius. Illud scilicet, *Uni Deo servies*, ita intelligi volebant, non quasi cum quovis imperio summo, puta Saulis, Davidis, Salomonis pugnaret, sed quasi adversaretur imperiis profanarum Potestatum: quo & illud Deuteron. 17. 15. trahebant: *Regem constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus*. Cum Herodianis igitur discipulos suos ad Christum allegarunt Pharisæi, qui eum quasi judicem controversiæ inter eos ortæ interpellarent; num scilicet Cæsari solvendum esset tributum, necne: ut si solvendum esse responderet, ipsum plebi odiosum redderent, velut publicæ libertatis hostem: si negaret, ipsum Herodiani accusarent ut seditiosum, & Romani Imperii inimicum, ut per summam calumniam accusarunt coram Pilato, *Lucæ* 23. 2. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributum dare Cæsari*. Honorifica autem præfatione usi sunt, quam tamen ab eis non reverentia, sed adulatio insidiosa expressit. *Magister, scimus, quia verax es*, amator & doctor veritatis tam privatim, quam publice: *& viam Dei in veritate doces:* Legem divinam ac præcepta, secundum quæ Deus vitam vult a nobis institui, doces, tradis, exponis vere, fideliter, sincere, absque omni fuco, & pravi affectus corruptela: *Et non est tibi cura de aliquo*: Non curas aliquem, ita ut ejus gratia, vel odio, aut metu commotus, veritatem prodas vel dissimules: *Non enim respicis personam hominum*: Non externam hominum speciem, divitias, paupertatem, nobilitatem, ignobilitatem, potentiam, sed unum Deum, veritatem, justitiam attendis. Marci 12. 14. *Nec enim vides in faciem hominum*. Lucæ 20. 21. *Et non accipis personam*. Non es ex iis qui metu Cæsaris aut Pontii Pilati aperire non audent quid sentiant. *Dic ergo* nobis, quid tibi videtur de illa quæstione quæ conscientiam nostram torquet, & gravem scrupulum nobis injicit? *Licet*, salva Religione & Lege Dei, *censum dare Cæsari*, homini profano & peregrino, qui a nobis extorquet quæ vult, & plura forte deinceps extorquebit? *An non licet?* Nam aliud aliis sentientibus, hæremus ancipites & dubii. Tunos doce. Census nomen & ad prædiorum, & ad capitum onera refertur, ut videre est in Codice Justiniani, Tit. *De censibus*, ubi Cæsareensibus narratur remissum a Vespasiano tributum capitis. Ammianus Marcellinus de Juliano Augusto scribit: „ Partes eas (*Galliarum*) in-
„ gressus, pro capitibus singulis tributi nomine vicenos
„ quidem aureos reperit flagitari; discedens vero septe-
„ nos tantum. *Tertullianus*: Agri tributo onusti viliores:
„ hominum capita stipendio censa ignobiliora. " Hinc discimus Provincias Romani Imperii non agrorum tantum pendisse tributum, sed & humanorum capitum, extra colonias, municipia, & civitates Italici juris. Census igitur nomine hic tributum in capita singula indictum, quæ Cæsaris mandato recensita fuerant & descriptione comprehensa, intelligi potest, secundum Syriacam Versionem: *Licet dare pecuniam capitationis Cæsari, necne?* & Persicam: *Fas est ut censum capitis Cæsari demus, an non?* Atque hanc interpretationem firmat illud Ulpiani Leg. 3. Dig. De Censibus: *In Syriis a quatuor-*

S. Hier. in c. 22. Matth.

Josephus l. 18. Antiq. c. 2. & Euseb. l. 1 Histor. cap. 5.

decim annis masculi, a duodecim fœminæ, usque ad sexagesimum quintum annum, tributo capitis obligantur. Marci tamen 12. 14. & Lucæ 20. 22. *tributi* nomen simpliciter habetur.

5. *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Jesus cognita versutia & fraudulenta hypocrisi tam Pharisæorum mittentium, quam illorum quos ad ipsum miserant, ait illis: Quid me insidiosa interrogatione implicare nitimini, hypocritæ, crudele consilium specie religionis velantes? Ostendite mihi nummum aliquem ejus monetæ, in qua tributum seu capitatio exigi & pendi solet. Obtulerunt ei denarium Romanum, argenteum. Ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & inscriptio nummo incisa? Quærit autem, non quod nesciret, sed ut solutionem quæstionis ex ipsorum verbis extorqueret. Nummus enim Tiberii Cæsaris imagine signatus testabatur illum summum in Judæam imperium reipsa obtinere, idque a Judæis nummo illo utentibes agnosci. Cum autem respondissent, imaginem & inscriptionem Cæsaris esse, eorum quæstionem solvit Jesus, dicens: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Persolvite Cæsari, non quasi gratuitum munus, sed quasi debitum ratione supremi dominii temporalis, patrocinii ac defensionis, pecuniam quæ tributi vel capitationis nomine vobis indicta est, & quæcumque Cæsariani sunt juris. Tributi enim pensitatio non solum divinæ Legi non repugnat, sed ab ea imperatur, cum honorem, timorem, obedientiam Principibus exhiberi præcipiat. Ceterum, reddite etiam Deo, quæ ipsi debetis; Cæsari censum, Templo siclum persolvite: Cæsari tributa, Deo animum, cultum, amorem super omnia. At si quid Cæsar, aut alia Potestas Legi divinæ contrarium jubeat, Deo potius quam hominibus parendum noveritis. Quod enim pietati ac Dei Legi adversum est, non Cæsaris, sed diaboli tributum est. Ita Christus sapientissimo responso, & seditionis, & violatæ religionis calumniam in quæstione insidiosa effugit, & potestatis utriusque limites definivit. *Et audientes mirati sunt* tam prudens responsum, quo nec Cæsar, nec Populus offendi posset: *& relicto eo abierunt.*

S. Jo. Chrys. Hom. 71. in Matth.

6. *In illo die, accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse Resurrectionem: & interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta, defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius, usque ad septimum. Novissime autem omnium & mulier defuncta est. In Resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam.* Sadducæi nullam substantiam esse extra Deum præter res sensibiles contendebant, *neque Angelum, neque Spiritum*: quod illius erroris fundamentum erat, quo negabant Resurrectionem mortuorum. Animas igitur hominum per se subsistere posse & immortales esse inficiabantur; & in nihilum redire corporibus destitutas asserebant. Hinc sequebatur non esse Resurrectionem, quæ permansionem & immortalitatem animorum requirit. Hi quæstionem proposuerunt Jesu, ex ipsa Lege Moysis, quam solam recipiebant, petitam, contra Resurrectionem & vitam æternam quam prædicabat; ex quibus dogmatibus rem absurdam sequi, carnales homines putabant. Magister, Lege Moysis sancitum est, ut si quis mortuus fuerit sine liberis, frater ejus, eodem patre natus, & proximus ætate, ducat Viduam defuncti, ex qua filium procreet, ad quem hæreditas & nomen defuncti transeat. Erant autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta defunctus est sine liberis, & reliquit uxorem fratri suo, pari jure ac hæreditatem. Idem contigit secundo ac tertio; & ceteris usque ad septimum. Eamdem enim uxorem, ex qua nemo illorum prolem susceperat, alter alteri reliquit; eamque singuli successive duxerunt, Legi obtemperantes. Cujus ergo erit uxor in Resurrectione? An plures eamdem simul habebunt uxorem? An unus præ ceteris, cum tamen par videatur esse jus omnium? Pharisæi vitam quidem felicem post Resurrectionem sperabant, sed huic nostræ in multis similem. Unde Josephus Pharisaicam sententiam comparat iis quæ apud Græcos de Fortunatis Insulis canebantur. Nam bonis dari ait: *Vitam ultra Oceanum; & loca nec imbribus, nec nivibus, nec æstibus obnoxia, sed quæ lenis ex Oceano Zephyrus afflans mulceat.* In eundem sensum Horatius, Homerum secutus cecinit.

Act. 23. 8.

Grotius Annot. in Matt

Nos manet Oceanus circumvagus; arva beata,
Petamus arva, divites & Insulas,
Pleraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis.

Hinc verisimile videtur erudito viro, Pharisæos mansurum quoque conjugii usum post Resurrectionem sibi persuasisse: quod Mahometes, ut plurima alia figmenta & deliria, in Alcoranum suum ex Traditionibus Judaicis transtulit. Sadducæi autem Pharisaicæ doctrinæ ac sectæ hostes, Resurrectionem a Christo doceri putabant secundum Pharisæorum hypothesim; sed Christus eos errare ostendit.

7. *Respondens aotem Jesus ait illis: Erratis nescientes Scripturas, nepue virtutem Dei.* Non nequitiæ, non fraudis, ut Pharisæos: sed erroris & crassæ intelligentiæ eos arguit, quod Scripturas Sacras non legerent, vel male intelligerent: nec attenderent ad virtutem infinitam & omnipotentiam Dei, quæ animis hominum extra corpora sustentandis par est, & iisdem iterum conjungendis cum corporibus: quo fit ut Resurrectio impossibilis non sit, nec incredibilis. Causam erroris duplicem Christus indicat, ignorantiam scilicet Scripturarum, & omnipotentiæ Dei, quam ingenio suo metiuntur. Confer cum Marci 12. 24. *Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?* Tum eorum objectioni erroneo fundamento nixæ Christus respondet: *In Resurrectione enim neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* In futuro illo beatitudinis statu, post resurrectionem corporum, neque nuptiæ erunt, neque nuptiarum opus. Habent enim filii resurrectionis in se Spiritum vivificum, seu vim internam ex qualitatibus gloriæ ab anima in corpus dimanantem, quæ corpus conservet in perpetua incorruptione. Unde tale corpus non jam *animale*, sed *spirituale* dicitur ab Apostolo. Nam *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem oportet, absorpta morte in victoria.* Cum igitur corpora ista non sint morti obnoxia, sicut nec Angeli, quos omnis Scriptura commemorat, ut mirum sit, Sadducæos in tanta luce cæcutire: sequitur, nuptiis & earum usu homines post Resurrectionem non indigere, sive ad sobolem propagandam; sive ut singulis pereuntibus universitas conservetur. Confer cum Lucæ 20. 34. 35. 36. *Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis; neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultra mori potuerunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei; cum sint filii resurrectionis.* Fœminas in muliebri sexu non resurrecturas senserunt Tertullianus lib. 1. de *cultu Fœm. cap.* 2. Origenes in Matth. Edit. Huetii p. 487. Hilarius cap. 23. in Matt. quam opinionem etiam S. Hieronymo exprobrat Rufinus ex dictis ipsius in cap. 5. Epist. ad Ephes. Ille tamen se se ab ea purgat Apol. cap. 6. & Epist. 27. ad Eustoch. cap. 11. S. Aug. autem lib. 22. De Civit. Dei, cap. 17. *Corporibus*, inquit, *vitia detrahentur, natura servabitur.*

1. Cor. 15. 44.

8. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Hoc argumento invicte probatur a Christo & animorum immortalitas, & resurrectio corporum. Significatur enim his verbis Dei ad Moysen, Deum peculiariter & eximie esse Deum Abraham, Isaac, & Jacob, ob singulorum scilicet ipsorum fidem atque obedientiam; atque ipsis singulari quadam & præcellenti ratione benefacere. Id vero de hac vita mortali dumtaxat intelligi non potest, in qua commoda quidem aliqua, sed multis incommodis permixta illis acciderunt. Multi enim improbi aut minus probi, in Ægypto, Cananæa, & alibi, vitam haud paulo felicius egere. Sequitur ergo, Deum ipsorum Deum fuisse, non solum cum in terris ageret, sed etiam cum ad Moysen ista loqueretur; sicque ipsos fuisse meliore sui parte superstites, quod probat immortalitatem animorum. Imo cum Deus non sit mortuorum, sed viventium Deus & benefactor, sequitur Abrahamum, Isaac, & Jacob (quæ nomina non solum animum significant, sed personam constantem ex animo & corpore, cui mors & vita proprie tribuitur) sequitur, inquam eos Dei respectu vivere, id est, decrevisse Deum illos vitæ reddere; ex quo sequitur restitutio corporum, quæ cum animabus bona, malave gesserunt. Confer cum Lucæ 20. 37. 38. „ Quia vero resurgant mortui, & Moy„ ses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum „ Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, Deus au„ tem non est mortuorum, sed vivorum: omnes vivunt „ ei. *Confer & cum Apost. cap.* 11. *Epist. ad Hebr.* V. „ 13. *& seqq.* Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non „ acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, „ & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites „ sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant „ se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent; „ de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: „ nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. I„ deo non confunditur Deus vocari Deus eorum: para„ vit enim illis civitatem, *in æternum permansuram.* “

S. Hier. in c. 22. Matt.

9. *Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus*, sive doctrinam ejus plane cœlestem, dicendique modum promptum, clarum, efficacem. *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis*, quod eos tacere & cedere cum dedecore coegiret, *convenerunt in unum*

in unum, gestientes de Sadducæorum confusione, interimque novas insidias struentes Jesu.

9. *Et interrogavit eum unus ex eis Legis Doctor*, sive *Scriba*, *tentans eum*, volens amplius experiri, quam peritus esset Scripturarum. Id enim innuit S. Marcus: *Accessit*, inquit, *unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis respondit, interrogavit eum*, &c. *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Maximum & *primum omnium mandatum? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Præmittitur apud S. Marcum, ut Deuteron. 6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deum unus est*; primum est enim, ut unum tantum credamus Deum, deinde eum ex toto corde diligamus. Qui enim plures credit, amorem dividit, nec unum ex toto corde diligit. Utramque sententiam pronunciavit Christus, responsoque suo complexus est: sed posteriorem dumtaxat S. Matthæus refert, in qua prior implicite continetur. Quod autem præcipitur, Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente* diligendum, significat, nos teneri ad Deum diligendum, quantum possumus; ad illi impendendum quicquid valemus. *Diliges Dominum Deum tuum*, non effectivo dumtaxat amore, seu factis externis, cetera ejus mandata servando; sed affectivo, & interiori actu, ac sæpius exercendo & in vita, & in morte, & quam frequentius a te fieri potest. Diliges Dominum Deum tuum propter se, super omnia, & præ omnibus rebus creatis, si non actu semper (quæ beatorum felicitas est, ad quam currere debemus) saltem habitu, ut omnia tua ad honorem ejus referas, quidvis potius pati paratus, quam aliquid facere quod sancto ejus amori adversetur. Diliges *ex toto corde*, ut tota intentio tua feratur in Deum: *ex tota mente*, ut mens tua & intelligentia tota subdatur Deo maxime per fidem: *ex tota anima*, ut appetitus tuus inferior secundum Deum omnino regatur. Addit S. Lucas: *& ex omnibus viribus tuis*: ut omnes actus exteriores tui obediant Deo. *Hoc est maximum & primum mandatum*: 1. Ratione dignitatis, cum de Deo præcipiat. 2. Ordinis naturæ, siquidem ex dilectione Dei manat dilectio proximi. 3. Officii, quia Deus illud præcipue requirit: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* 4 Virtutis & fœcunditatis, quia in eo omnia mandata continentur: *Plenitudo* enim *Legis est dilectio*. 5. Ratione finis, quia omnia mandata ad illud tamquam ad finem referuntur: *Finis* enim *præcepti est charitas*. 6. Ratione efficaciæ, quia per illius observantiam Deus regnat in homine, & homo Deo intime conjungitur.

Marci 12. 28.

Marci 12. 32

S. Thom. secunda secundæ Q. 44. Art. 5. Lucæ 10. 27 Prov. 23. 26

Rom. 13. 10 1. Tim. 1. 5

10. *Secundum autem simile est huic*: officio, cum dilectionem pariter præcipiat: amplitudine, cum omnia secundæ tabulæ præcepta pariter contineat, ut illud primæ. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Diliges*, interno affectu, quem & externis indiciis atque effectis comprobabis: *Proximum tuum*, omnem hominem, utpote tibi conjunctum naturæ societate, ad imaginem Dei pariter conditum, felicitatis æternæ pariter capacem: *Sicut te ipsum*. Similiter ac te diliges, vere & sincere, ac propter Deum, non propter tua commoda. Confer cum Rom. 13. 10. & seqq. „ Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: & si quod est „ aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges „ proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio. "

11. *In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ*. In his duobus sita est, & ad hæc duo collineat universa Lex & Doctrina Prophetarum. Ad hunc finem refertur quicquid Lex præcipit, quicquid Prophetæ docuerunt ad morum emendationem pertinens. In his firmitatem & consistentiam habent universa quæ in Lege & Prophetis continentur, iis appensa sunt, & in iis hærent, ut numquam inde divellantur. Metaphora sumpta est a rebus suspensis, quæ quandiu non demuntur, hærent in ea re cui appensæ sunt, ibique firmitatem & consistentiam suam habent; ut Isaiæ 20. 24. & 25. Vel, universa Lex & Prophetæ ad hæc duo mandata tradenda, inculcanda & firmanda conspirant.

12. *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Quid de Christo censetis, de Messia vobis promisso? Vobisne hominis filius videtur, an Dei? Responderunt, *David*: ex Isaiæ vaticinio, quo tanquam notissimo Gabriel Archangelus mysterium Incarnationis Mariæ annuncians usus est. Sed Messiam Davidis filium esse ita intelligebant non solum Judæorum vulgus, sed etiam Pharisæi & Legisperiti, ut magnificentius de illo nihil sentirent, quam terrenum Regem fore de stirpe Davidica, inter adoptionis divinæ filios Deo charissimum, qui Judæos dispersos in temporalem asseret libertatem, Regnum Davidis collapsum restitueret, & usque ad terræ fines, debellatis Gentibus dilataret. Hunc igitur errorem Christus corrigit prolato Psalmi 109. oraculo, quem quidem Psalmum de Messia vaticinari certissimum erat apud Judæos. Quomodo ergo David Spiritus Sancti afflatu vocat eum Dominum, dicens: *Dixit Dominus*, Deus Pater, *Domino meo*, Christo: *Sede a dextris meis*: Sede ad dexteram meam ut æqualis mihi agnoscaris natura, majestate, gloria, imperio, etiam donec omnem vim tibi adversam, Gentiles, Judæos, Regna, Imperia, mortem ipsam, dæmones ita tibi subjiciam, ut instar scabelli eos conculces & proteras. Hinc invicte probatur Christi divinitas. Unde Apostolus ad Hebræos scribens cap. 1. hoc eos urget argumento: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? ..... Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Verbum *donec*, exprimit illud tempus, quo maxime videri poterat Christus ad Dei dexteram non sedere, tempus scilicet quo mortalem vitam egit in terris, dispensationem a Patre sibi traditam exercens; & intelligendum relinquit absque dubio postea sessurum. Non enim *præsentium promissio est futurorum exceptio*. Confer cum Apostolo ad Hebræos 10. 12. *In sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus*. Et 1. ad Corinth. 15. 24. *Deinde finis: cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subjecit sub pedibus ejus*. Et tamen in æternum regnaturum, & Regni ejus nullum finem fore, Prophetæ & Evangelium testantur. Quamquam autem constitutum ad dexteram Patris in cœlestibus post Resurrectionem Apostolus scribat, *Ephes.* 1. 20. quia tunc res fieri dicitur Scripturæ phrasi cum innotescit: ipsa tamen Incarnatione Christus æqualem Patri gloriam accepit, post Resurrectionem Ascensionemque suam in cœlos gentibus omnibus declarandam. Philipp. 2. 6. „ Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens ... Humiliavit semetipsum, „ factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit „ illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine „ Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & „ infernorum: & omnis linqua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. "

Isai. 9. 7.

Hebr. 1. 5. 13.

S. Basilius Hom. 25.

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Quomodo hæc consistunt? Si Christus merus homo est, ut vos censetis errantes, si ita sit filius David, ut non sit etiam natura Filius Dei, quomodo David vocat eum Dominum? „ Quomodo, *cum dicit*, verbum quærentis est, „ non negantis? tanquam si hoc eis diceret, Bene quidem dicitis Christum filium David, sed ipse David Dominum eum dicit; quem ille dicit Dominum, quomodo „ est Filius? Dicerent Judæi, si contra Evangelium corda non clauderent; quoniam *In principio erat Verbum*, „ *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: „ ecce quomodo est Dominus David. Sed quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, ecce quomodo „ est Filius David. Sed nescientes obmutuerunt, nec ore „ saltem clauso aures aperuerunt, ut quod respondere non „ potuerunt interrogati, nossent edocti. Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam „ ex illa die eum amplius interrogare "

SENSUS MORALIS.

1. SIMILE *factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*, &c. „ Tunc Deus Pater Deo „ Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis „ humanæ naturæ conjunxit. Filios nuptias fecit, cum „ ei per Incarnationis Mysterium Sanctam Ecclesiam so- „ ciavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi „ thalamus fuit. Unde & Psalmista dicit: *In sole posuit „ tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens „ de thalamo suo*. Tanquam sponsus quippe de thalamo „ suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam in- „ carnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit. Misit ergo servos suos, ut ad istas nuptias amicos invitarent. Misit semel, misit iterum quia Incarnationis „ Dominicæ Prædicatores, & prius Prophetas, & post- „ modum Apostolos fecit. Bis itaque servos ad invitan- „ dum misit: quia Incarnationem Unigeniti & per pro- „ phetas dixit futuram, & per Apostolos nunciavit fa- „ ctam. "

S. Greg. M. h. 37. in Ev.

Judæi primum, deinde Gentiles ad fidem Incarnationis vocati sunt. Filius Dei non solum cum Ecclesia sua, sed cum anima uniuscujusque nostrum nuptias contrahit, ut cum illo per fidem & charitatem conjungamur. Nuptiale illud fœdus Dei cum anima justi initur in via, consummatur in patria. Nullam ex se dotem affert

affert sponso, cum pauper ipsa sit, nullaque propria bona habeat; sed eam donis suis auget sponsus, divitiis gratiarum suarum cumulat; magnifica & pretiosa promissa illi
2.Petri 2.4 donat, ut divinæ sit consors naturæ. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Sacrum illud fœdus æternum esse debet. Per Deum non stat quin æternum sit, si fideles ipsi simus, si ab ejus amore non deficiamus, si non abeat anima nostra post amatores multos, ac spiritaliter fornicetur; sed amore casto semper adhæreat cœlesti Sponso. *Neminem Deus deserit, nisi prius ab eo deseratur .... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* infidelitate
S. August. sua. Tria nuptiarum bona in hoc mystico connubio inveConc. Trid. niantur, *fides*, *proles*, *Sacramentum*. Fides, ut nullum sit adulterium; Sacramentum, ut nullum sit divortium; proles fructusque nuptiarum, sint opera virtutum. Ad istas nuptias invitatur homo, non cogitur: nemo enim credere, & diligere Deum, ipsique hoc modo conjungi potest, nisi volens. Maxima pars hominum divinam vocationem negligit, cum exteriorem, tum interiorem voluptatibus sæculi illecta, lucris temporalibus addicta. „ Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam
S. Greg. M. „ suam, alius vero ad negotiationem suam. " In villam
h.38.in Ev. ire (inquit S. Greg.) est labori terreno immoderate incumbere; in negotiationem vero ire, est actionum sæcularium lucris inhiare. „ Quia enim alius intentus labori terreno, alius vero mundi hujus actionibus dedi„ tus, Mysterium Incarnationis Dominicæ pensare, & „ secundum illud vivere dissimulat, quasi ad villam vel „ negotium pergens venire ad Regis nuptias recusat. Et „ plerumque, quod est gravius, nonnulli vocantis gra„ tiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur, vim „ Prædicatoribus & Doctoribus veritatis inferentes, aut „ ipsis insidias struentes. " *Reliqui vero tenuerunt servos ejus; & contumeliis affectos occiderunt.* At Deus ultionum Dominus, *perdit homicidas illos*. Homicidas perdit, quia persequentes interimit. Civitatem eorum succendit, quia illorum non solum anima, sed & caro quoque in qua habitaverant, æterna gehennæ flamma cruciatur. Mundus ipse quem dilexerunt, in die judicii igne conflagrabit: *Missis* vero *exercitibus suis* extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne judicium per Angelos exhibetur.

2. *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum & quoscumque inveneritis, vocate ad Nuptias.* Nuptiæ paratæ sunt omnibus, gratia Christi omnibus oblata: nemo a cœlesti convivio, nisi indignus excluditur, licet nemo per se dignus sit qui ad illud admittatur. Ne convivium nuptiale frustra paratum esset, Judæis venire renuentibus substitutæ sunt Gentes: pessimis Christianis gratia Dei abusis alii substituuntur operanti
Isaiæ 55. Deo fideliter cooperaturi. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*, (ait Dominus) si apud hos fructum non referat, quem volui, ad alios transferetur, qui ferant. Auferetur *a vobis Regnum Dei* (inquit Christus) *& dabitur genti facienti fructum ejus ... Tene* igitur *quod habes, ut nemo ac*Apoc. 3. 11. *cipiat coronam tuam*. Magis rei sunt Christiani, qui cum gustaverint cœleste convivium, incomparabiles illius delicias fastidiunt, quam Judæi qui non cognoverunt. „ Qui
S. Greg. M. Hom. 38. „ invitantem se contemni conspicit, Regis filii sui nu„ ptias vacuas non habebit. Ad alios mittit, quia etsi „ apud aliquos laborat, quandoque tamen sermo Dei in„ venturus est ubi requiescat. "

S. Aug. ser. 90. alias 14 ex editis a Sirmondo. 3. *Et egressi sunt servi ejus in vias, & congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium*. Apparatus Mensæ Dominicæ omnium est voluntati propositus. Interest autem quomodo quis accedat, cum accedere non vetatur. Scripturæ quippe sanctæ docent nos duo Dominica esse convivia, unum quo veniunt boni & mali, alterum quo non accedunt mali ... Omnes qui se ab hoc convivio excusaverunt, mali sunt, sed non omnes qui intraverunt boni sunt. In hoc convivio boni discumbunt, quicumque attendunt quod
2.Cor.9.29. dictum est: *Quicumque manducat & bibit indigne, ju*Matth.8.11 *dicium sibi manducat & bibit ... Multi ab Oriente & Occidente venient*. Quo venient? Ad illud convivium in quod boni & mali intrant. De alio convivio locutus adjunxit: *Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno cœlorum*. Illud est convivium quo non accessuri sunt mali: *Hoc quod modo est, digne accipiatur, ut ad illud perveniatur*. In Ecclesia boni & mali. Extra nulli boni: intus mali tolerandi.

S. Aug. ibid. 4. *Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, &c. Quæ est vestis nuptialis? Procul dubio illa vestis est, quam non habent nisi boni, in convivio relinquendi, servandi ad convivium quo nullus malus accedit, per Domini gratiam perducendi. Quæramus inter fideles, qui sunt qui habent aliquid quod mali non habent, & ipsa erit vestis nuptialis. „ Si Sacramenta dixerimus, videte quemadmo„ dum sint malis bonisque communia: Baptismus est? Si „ ne baptismo quidem nemo ad Deum pervenit: sed non „ omnis qui habet baptismum, ad Deum pervenit. Non „ ergo possum intelligere baptismum esse vestem nuptia„ lem, id est, ipsum Sacramentum; quam vestem video „ in bonis, video in malis. Forte Altare est, vel quod „ accipitur de Altari? Videmus quia multi manducant, „ & judicium sibi manducant & bibunt. Quid ergo est? „ Jejunatur? Jejunant & mali. Ad Ecclesiam concurritur? „ Concurrunt & mali. Postremo miracula fiunt? Non so„ lum boni faciunt & mali, sed aliquando non faciunt „ boni ... *Quæ est ergo vestis illa nuptialis?* Finis præce„ pti est charitas de corde puro, & conscientia bona, „ & fide non ficta. *Hæc est vestis nuptialis. Interrogate „ vos, si habetis illum, securi estis in convivio Dominico.* „ Duæ sunt in homine uno, charitas & cupiditas. Cha„ ritas nascatur in te, si nondum nata est; & si nata est, „ alatur, nutriatur, crescat. Illa vero cupiditas, etsi in „ hac vita extingui penitus non potest; quia si dixerimus „ quod peccatum non hebemus, nos ipsos seducimus, & „ veritas in nobis non est: in quantum est in nobis cu„ piditas, in tantum sine peccato non sumus: charitas „ crescat; cupiditas decrescat: ut aliquando illa perficia„ tur, hoc est charitas, cupiditas consumatur. "

5. *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit*. In Dei judicio peccator obmutescet præ confusione, propriæ conscientiæ testimonio convictus, nec terribili judici respondere quid- *Job. 9. 3.*
quam poterit. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille*. „ Vestis nuptialis (inquit „ S. Hier.) præcepta sunt Domini & opera quæ com„ plentur ex Lege & Evangelio, novique hominis effici„ unt vestimentum. Si quis igitur in tempore judicii in„ ventus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem „ nuptialem, hoc est, vestem supercœlestis hominis, sed *S. Hier. in*
„ vestem pollutam, id est, veteris hominis exuvias, hic *22. Matth.*
„ statim corripitur, & dicitur ei: *Amice, quomodo huc „ intrasti?* Amicum vocat quod invitatus ad nuptias est: „ arguit impudentiæ, quod veste sordida munditias pol„ luerit nuptiales. At ille *obmutuit*. In tempore enim „ illo *non erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, „ cum omnes Angeli, & Mundus ipse testis sit peccato„ rum*. " Publicam illam confusionem præveniamus ac vitemus peccatorum confessione, ac pœnitentia: a sacro Eucharistiæ convivio nos humiliter subtrahamus, donec induti simus veste nuptiali. „ Ascendat homo adversum *Ps. 49. 21.*
„ se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem su„ am, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus „ peccatori dicens: *Arguam te; & statuam te ante fa„ ciem tuam*. Atque ita constituto in corde judicio, ad- *S. Aug.*
„ sit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex ti- *Serm. 39.*
„ mor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachry- *alias 50.*
„ mas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia *inter h. 50.*
„ proferatur, ut se indignum homo judicet participatio„ ne Corporis & sanguinis Domini: ut qui separari a „ Regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi „ judicis, per Ecclesiasticam Disciplinam a Sacramento „ cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos „ imago futuri judicii; ut cum alii accedunt ad Altare Dei, „ quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa „ pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in „ mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim Altare „ quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis „ expositum, ad Mysteriorum divinorum signacula cele„ branda, multi etiam scelerati possunt accedere: quo„ niam Deus commendat in hoc tempore patientiam su„ am, ut in futuro exerat severitatem suam. Ad illud „ autem Altare quo præcursor pro nobis introiit Jesus, „ quo caput Ecclesiæ præcessit, membris ceteris secuturis, „ nullus eorum accedere poterit, de quibus dicit Apo„ stolus, QUONIAM qui talia agunt, Regnum Dei non „ possidebunt. "

6. *Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium*. His verbis funestus damnatorum status significatur, qui ad Dei misericordiam currere, ab ejus ira fugere amplius non possunt: bonum operari, mala commissa expiare amplius non valent: salutari lumine *S. Bern. l. de*
penitus destituti, quo Deum officiaque sua cognoscant. *Gratia & liberoArbi*„ Quid est ipsa manuum pedumque ligatio, nisi omnimo- *trio c. 9.*
„ da potestatis ablatio? *In tenebras exteriores*. Amando *S. August.*
„ tenebras, in tenebris remanebis, & remanendo in te- *Tract. 18. in*
„ nebris, etiam in tenebras exteriores projicieris, ibi *Jo. Idem.*
„ erit fletus & stridor dentium. Si nihil in te faciebat amor *Enarrat. in*
„ lucis, faciat timor doloris. *In tenebras exteriores mit- Psal. 139.*
„ tentur, qui interiora, spiritualia, æterna bona non dile- *Idem. Epist.*
„ xerunt. Non ergo amemus magis exteriora, sed interio- *140. alias*
„ ra. De interioribus gaudeamus: in exterioribus autem *120. Auctor*
„ necessitatem habeamus, non voluptatem. *Ibi erit fletus lib. de Voca*„ *& stridor dentium*. Quia enim volentes injuste utuntur *tione Gen*„ bonis, juste nolentes cruciabuntur malis. " *tium inter*

7. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Non *S. Prosper.*
solum multi, sed omnes sufficienter vocati per le- *Opera edi*
gem naturalem, per legem scriptam, per prædicatio- *torum lib*
nem Evangelicam, per voces & testimonia creaturarum, *2. c. 4.*
per internas inspirationes. „ Nam ne in præteritis
quidem

„ quidem sæculis hæc eadem gratia, quæ post Domini „ nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & „ de qua scriptum est: Illuxerunt coruscationes tuæ or„ bi terræ, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura „ atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet elec„ tum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, hoc„ est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntа„ tem; non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab „ ullis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se „ atque metuendum, nullis significationibus admoneret. „ Cœlum quippe ac terra & mare, omnisque creatura „ quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue „ disposita est humani generis utilitatem, ut natura ra„ tionalis de contemplatione tot specierum, de experi„ mentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, „ ad cultum & dilectionem sui imbueretur Auctoris. *Pau*
S. Aug. E- „ *ci electi*. Tam multos creando nasci voluit *Deus*, quos
pist. 190. a- „ ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut multitu-
lias 157. „ dine incomparabili plures sint illis, quos in sui Re„ gni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est, „ ut etiam ipsa multitudine rejectorum ostenderetur, quam „ nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet nu„ merositas justissime damnatorum: Atque ut hinc quo„ que intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, „ hoc fuisse debitum massæ illi universæ, quod tam ma„ gnæ parti ejus redditum cernerent, non solum in eis „ qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis „ arbitrio, verum etiam in tam multis parvulis, qui tan„ tummodo vinculo peccati originalis obstricti, sine gra„ tia Mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista „ massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea „ faceret non solum justus sed etiam misericors figulus „ alia vasa in honorem secundum gratiam, non secun„ dum debitum; dum & parvulis subvenit, quorum nul„ la merita dici possunt & majores prævenit, ut habe„ re aliqua merita possint. “

8. *Tunc abeuntes Pharisæi concilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, &c. Facile capiuntur in sermone, qui linguam suam non frænant, qui non ponunt custodiam ori suo, & ostium circumstantiæ labiis suis. Volat irrevocabile verbum. Ponderandi sunt sermones nostri, atque ad prudentiæ, veritatis, & charitatis regulas dirigendi; ut prius veniant ad limam, quam ad linguam. Cavendum ne diabolus, Mundus propriaque cupiditas nostra nos in sermone capiat. *Magister scimus quia verax es*, &c. Laudes hominum insidiosæ ac fallaces. Qui illas amat, tentationem & periculum amat: qui periculum amat, in illo peribit. *Semper insidiosa, callida, blanda*
S. Hieron. l. *est adulatio, pulchreque apud Philosophos definitur, blan-*
1. contra *dus inimicus*. Duo sunt genera persecutorum, vitupe-
Pelagianos rantium, & adulantium. *Plus persequitur lingua adula-*
S. August. *toris, quam interfectoris ... Magister, scimus quia verax*
Enarrat. in *es*. Hic veri Doctoris character, ut veritatem unice di-
Psal. 69. ligat, sincere & absque fuco Dei viam, legem, ac voluntatem doceat: ad eam attendat, non ad opiniones aut studia hominum: nullo hominum respectu, gratia, aut metu ab officio & libertate asserendæ & prædicandæ veritatis deflectat.

9. *Dic ergo nobis quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Jesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census*. Blandæ & fraudulentæ interrogationi Christus aspere respondet: illi blandiuntur ut noceant; Jesus increpat ut prosit. *Utilior homini Deus iratus, quam homo*
Auctor Ope- *propitius*. Hypocritis detrahenda est larva pietatis, ne
ris Imper. pietati noceant. Calumniatorum & invidorum nequitia
in Matt. detegenda, cum specie pietatis abutuntur ut veritati, Religioni, Ecclesiæ Prælatis, Prædicatoribus ac Doctoribus noceant. *Ait illis Jesus: Cujus est imago hæc & superscriptio?* ita se gerit Christus, ac si ignota illi esset monetæ species, ut divitiarum contemptum doceat; ut spirituales viros a sæculi negotiis alienos esse debere significet; ut inimicos suos proprio eorum responso confutet & confundat. *Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt*
Rom. 13. 6. *Dei, Deo*. Regibus debita officia & tributa reddenda Chri-
& 7. stus docet, Apostolus confirmat. *Ideo* (inquit) *necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. O plenam miraculi responsionem, & perfectam dicti cœlestis absolutionem! Ita omnia inter contemptum sæculi, & contumeliam lædendi Cæsaris temperavit, ut curis omnibus & officiis humanis devotas Deo mentes absolveret, cum Cæsari quæ ejus essent redhibenda decernit. „ Si enim nihil
S. Hil. c. 23. „ ejus penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ
in Matth. „ sua sunt, non tenebimur. Porro autem si rebus illius „ incubamus, si jure potestatis suæ utimur, & nos tam„ quam mercenarios alieni patrimonii procurationi subji„ cimus; extra querelam injuriæ est, Cæsari redhiberi „ quod Cæsaris est; Deo autem quæ ejus sunt propria „ reddere nos oportere, corpus, animam, voluntatem. „ Ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus; & „ proinde condignum est, ut ei se totum reddant, cui „ debere se recolunt & originem & profectum. “

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt
Dei, Deo. „ Moneta Dei sumus: nummus a thesauro ob- *S. August.*
„ erravimus. Errore detritum est, quod in nobis fuerat *Tract. 40. in*
„ impressum. Venit qui reformet, quia ipse formaverat. *Joann.*
„ Quærit & ipse nummum suum, sicut Cæsar nummum „ suum: ideo ait, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt; &* „ *Deo, quæ Dei sunt*: Cæsari nummos, Deo vos ipsos. „ *Reddite, quæ sunt Dei Deo*. Benignus exactor est, non *Idem Epist.*
„ egenus; & qui non crescat ex redditis, sed in se cre- 127. *alias*
„ scere facit redditores. Huic ergo quod non redditur, 45.
„ perditur: quod autem redditur, reddenti additur: im„ mo vero in eo cui redditur, ipse reddens servatur. „ Idipsum quippe erit redditum & redditor, quia id „ ipsum erat debitum & debitor. Deo namque se ipsum „ debet homo, eique reddendus est ut beatus sit, a quo „ accepit ut sit. “

Reddite quæ sunt Dei, Deo. „ Si me totum debeo pro *S. Bernar.*
„ me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto *Tract. de di-*
„ hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam fa- *ligendo Deo*
„ ctus. Siquidem non solum de me, sed de omni quoque *cap. 5.*
„ quod factum est, scriptum est: *Dixit, & facta sunt*. „ At vero qui me tantum & semel dicendo, fecit, in „ reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & „ pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. Quid „ ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mi„ hi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et „ ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & reddi„ tus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retri„ buam pro se? Nam etiamsi me millies rependere pos„ sem, quid sum ego ad Deum? „

10. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse* *Tertull.*
Resurrectionem, &c. Politici & impii, *Censores Divini-*
tatis, Resurrectionem & immortalitem animorum impugnant, quibus eversis, *inanis* esset *fides nostra*, *inanis* Christi & Apostolorum *prædicatio*. Pauci quidem ex iis qui Christiano nomine gloriantur, divina hæc dogmata negant; sed multi ita vivunt, ac si nec Resurrectionem corporum, nec animorum immortalitatem crederent, nec alteram vitam sperarent. „ Dixerunt enim cogitantes a- *Sapient. 2.*
„ pud se non recte: Exiguum & cum tædio est tempus „ vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, „ & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex „ nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non „ fuerimus, quoniam fumus flatus est in naribus nostris, „ & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua „ extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffun„ detur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tam„ quam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ „ fugata est a radiis solis, & a calore illius aggravata: „ & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & „ nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ „ enim transitus est tempus nostrorum, & non est rever„ sio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo re„ vertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & „ utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vi„ no pretioso & unguentis nos impleamus: & non præ„ tereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis ante„ quam marcescant: nullum pratum sit quod non pertran„ seat luxuria nostra. Nemo nostrorum exors sit luxu„ riæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam „ hæc est pars nostra, & hæc est sors ... Manducemus *1. Cor. 5.*
„ & bibamus; cras enim moriemur. “ Resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi cogitemus, ne præsenti vitæ, caduciisque & transituris bonis inhæreamus: Utamur hoc mundo, tanquam non utamur. Jejunemus, vigilemus, oremus, ut ad vitam feliciorem transeamus, & beatæ resurrectionis participes simus. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum*.

11. *Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Scriptura Sacra diligenter, fideliter, humiliter legenda est, in qua Deus ipse nos docet quid credere debeamus. Virtus & omnipotentia Dei consideranda, non humana ratio audienda, ubi de Fidei Christianæ Mysteriis & dogmatibus agitur. „ Quia caligantes hominum mentes consuetudine tene„ brarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque ve- *S. Aug. lib.*
„ lantur, perspicuitati sanctitatique Rationis aspectum *de Moribus*
„ idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum *Eccl. Ca-*
„ est, ut in lucem veritatis aciem titubantem & veluti *thol. c. 2.*
„ ramis humanitatis opacatam inducat auctoritas. *In*
„ *Scripturis* (*inquit Lactantius*) Divina tradita sunt „ breviter ac nude. Nec decebat aliter, ut cum Deus *Lactant. l. 4*
„ ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas vo- *Instit. c. 1.*
„ ces, tamquam fides ei non haberetur; sed ut oportuit „ est locutus quasi rerum omnium maximus Judex, cu„ jus non est argumentari, sed pronuntiare verum. “

12. *In Resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo*. Connubia sunt humanæ indigentiæ & mortalitatis solatia. Cum Deus ho-

hominem in suam æternitatem admiserit, cum ejus desideria in bonis repleverit, cum absorptum fuerit quod mortale est a vita; tunc omne societatis & conjunctionis genus cum ea feliciter confundetur, quæ Sanctis cum Deo in perpetuum intercedet. „ Demonstravit *Christus*, quod
S. August. Enarrat. in Psal. 65. Tertull. „ ibi sit necessaria successio, ubi doletur decessio: ibi „ quia decessores non erunt, nec successores quærentur. „ *Angelis semper cognata virginitas*. Virgines in terris „ non nubendo, de familia angelica deputantur. *Hinc S.* „ *August. ad Virgines*: Qui jam voviſtis, corpus arctius ca-
S. August. Serm. 132. alias 46. de Verbis Domini. „ stigate, & concupiscentiæ frænos nec ad ipsa quæ per- „ missa sunt patiamini relaxare, ut non solum a concu- „ bitu illicito divertatis, sed etiam licitum contemnatis „ aspectum. Mementote in quocumque sexu sitis, sive ma- „ res, sive feminæ, Angelorum vitam ducere vos in ter- „ ra. Angeli enim non nubunt, neque uxores ducunt. „ Hoc erimus, cum resurrexerimus. Quanto vos melio- „ res, qui quod erunt homines post Resurrectionem, hoc „ vos incipitis esse ante mortem? Servate gradus ve- „ stros; servat enim Deus vobis honores vestros. "

13. *De Resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed viventium*. „ Non dixit, Eram Deus Abra-
S. Jo. Chrys. Hom. 79. in Matth. „ ham, Deus Isaac, & Deus Jacob; sed, *Sum*, eorum „ scilicet qui sunt & vivunt. Quemadmodum enim A- „ dam, quamvis viveret, postea quam de vetito ligno co- „ medit, sententia tamen prolata mortuus erat: sic pro- „ fecto isti etsi mortui erant, pollicitatione tamen Re- „ surrectionis vivebant; quomodo igitur alibi dicit, *ut &* „ *mortuis & vivis dominetur*? Non est hoc illi contra- „ rium. Mortui namque hic illi, qui victuri sunt, ap- „ pellantur. Novit autem Scriptura aliam mortem, de „ qua ait: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. " Verum quoniam Resurrectionem futuram credimus, jam vivere incipiamus ut *filii resurrectionis*, ut felicis æternitatis candidati. *Tempus breve est: reliquum est ut & qui*
1. Cor. 7. 29. *habent uxores, tamquam non habentes sint: & qui flent tamquam non flentes; & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi*. Fidem & obedientiam Abraham, Isaac, & Jacob imitemur: in hoc mun-
Hebr. 11. do *tamquam in terra aliena* habitemus, ut *peregrini & hospites super terram, meliorem* patriam appetamus & inquiramus, *id est cœlestem*.

14. *Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuam ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum*. Si Deum ex toto corde diligere est ipsum quærere, illi adhærere, illo propter ipsum frui velle, in illo quiescere: nullam rem appetere & quærere, nulli rei adhærere, in nulla re delectari, nisi quatenus ejus voluntati consentanea est, quatenus ad ejus gloriam referri potest, quatenus ad salutem nostram vel proximi vel ad Ecclesiæ bonum conducibilis est; pauciſſimi certe Deum ex toto corde diligunt. Nulla cogitatio in mente; nullum desiderium, nullus affectus in voluntate; nullum opus, nullum negotium in tota vitæ serie esse debet, quod ab amore Dei non sit, ut a principio, quod ad ejus gloriam ceu ad finem non refera-
S. Aug. l. 1. de Doctr. Christ. cap. 22. tur. „ Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua „ pergit in incommutabilem vitam & toto affectu inhæret „ illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad „ Deum, sed ad se ipsum conversus, non ad incommuta- „ bile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu „ aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret atque „ constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel „ ad se ipsum relaxatur. Si ergo te ipsum non propter te „ debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ „ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si et- „ iam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula di- „ lectionis divinitus constituta est, *Diliges proximum tuum* „ *sicut te ipsum*: *Deum vero ex toto corde, & ex tota* „ *anima, & ex tota mente*: Ut omnes cogitationes tuas, „ & omnem vitam & omnem intellectum in illum con- „ feras, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem „ ait, *toto corde, tota anima, tota mente*, nullam vitæ „ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi lo- „ cum dare, ut alia re velit frui, sed quicquid aliud di- „ ligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus „ dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proxi- „ mum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse „ toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. „ Sic enim eum diligens tamquam seipsum, totam dile- „ ctionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, „ quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus de- „ rivatione minuatur. "

15. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum*
S. Aug. l. 10. de Civit. Dei cap. 3. *tuum sicut te ipsum*. Amor Dei, principium & regula dilectionis proximi. " Ut enim homo sese diligere nosset, „ constitutus est ei finis, quo referret omnia quæ age- „ ret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud „ esse vult quum beatus. Hic autem finis est adhærere „ Deo. Jam igitur scienti diligere seipsum, cum manda- „ tur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud „ mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet di- „ ligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera re- „ ligio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ser- „ vitus. "

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. „ Proximus, *S. Bern. Serm. 50. in Cant.* „ quem vere te oportet diligere tamquam te ipsum, ut „ tibi & ipse sapiat prout est, haud aliud profecto sapiet „ tibi, quam tu tibi, qui hoc est quod tu, est enim ho- „ mo. Qui itaque te non diligis, nisi quia diligis Deum, „ consequenter omnes qui similiter diligunt eum, diligis „ tamquam te ipsum. Porro inimicum hominem, quoniam „ nihil est, pro eo quod non diligit Deum, non potes „ quidem diligere tamquam te ipsum, qui Deum diligis: „ diliges tamen ut diligat. Non est autem idipsum dili- „ gere ut diligat, & diligere quia diligit. Proinde ut „ tibi & ipse sapiat prout est, sapiet tibi non quidem „ quod est, qui utique nihil est, sed quod futurus forsi- „ tan est, quod est prope nihili, quippe quod adhuc pen- „ det sub dubio. Etenim de quo constat quod ad amo- „ rem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi neces- „ se est non prope jam nihil, sed nihil ex toto, utpote „ quod in æternum nihili est. Illo igitur excepto, qui „ non modo jam non diligendus, insuper & odio haben- „ dus est, secundum illud: *Nonne qui oderunt te, Domi-* „ *ne, oderam: & super inimicos tuos tabescebam*? De „ cetero nulli vel inimicissimo homini negari quantulum- „ cumque affectum charitas sane in hac parte ambitiosa „ permittit. Da mihi hominem qui ante omnia quidem „ ex toto se diligat Deum: se vero & proximum in quan- „ tum diligunt ipsum, inimicum autem tamquam aliquan- „ do forsitan dilecturum; porro parentes carnis suæ ger- „ manius propter naturam, spirituales vero eruditores „ suos profusius propter gratiam: atque in hunc modum „ ad cetera quæque Dei ordinato intendat amore, despi- „ ciens cœlum, utens hoc mundo tamquam non utens, „ & inter utenda & fruenda intimo quodam mentis sapo- „ re discernens, ut transitoria transitorie, & ob id dum- „ taxat quod opus & prout opus est curet; æterna desi- „ derio amplectatur æterno: talem inquam, da mihi ho- „ minem, & ego audacter illum sapientem pronuncio; „ cui nimirum quæque res revera sapiunt prout sunt, & „ cui in veritate atque securitate competit gloriari & di- „ cere: QUIA ordinavit in me charitatem. "

Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Proximum sicut se ipsum diligit, qui nemini invidet, qui in aliis hominibus, etiam consanguinitate sibi conjunctis, non diligit nisi spiritualia bona, qui inimicos ipsos charitate complectitur, qui præstat omnibus quod potest. „ Qui amat id solum, quod amanti eri- *S. Aug. lib. de vera Religione c. 46.* „ pi non potest, ille indubitanter invictus est, nec ulla „ cruciatur invidia. Id enim diligit, ad quod diligendum „ & percipiendum quantoplures venerint, tanto eis ube- „ rius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, „ & ex tota anima, & ex tota mente; & diligit proxi- „ mum tamquam se ipsum. Non ergo illi invidet, ut sit „ quod ipse est; immo adjuvat etiam quantum potest. „ Nec potest amittere proximum, quem diligit quantum „ se ipsum; quia neque in se ipso ea diligit quæ oculis „ subjacent, aut ullis aliis corporis sensibus. Ergo apud „ se ipsum habet, quem diligit tamquam se ipsum. Ea „ autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult homo pro- „ venire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non „ vult, & illi nolit. Nam erga neminem operandum est „ malum. *Et dilectio proximi malum non operatur*. Dili- *Rom. 13. 10.* „ gamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros, „ si vere invicti esse volumus. Non enim per se ipsum qui- „ squam hominum invictus est, sed per illam incommuta- „ bilem legem, cui quicumque serviunt, soli sunt liberi. „ Sic enim eis quod diligunt auferri non potest; quæ res „ una invictos facit & perfectos viros. Nam si vel ipsum „ hominem homo dilexerit, non tamquam se ipsum; sed „ tamquam jumentum aut balneas, aut aviculam pictam „ vel garrulam, id est, ex eo aliquid temporalis voluptatis vel commodi capiat, serviat necesse est, non homini, „ sed, quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, „ quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo „ vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potius „ mortem perducitur. Sed nec si quidem ab homine ho- „ mo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres vel „ filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines, „ aut cives. Nam & dilectio ista temporalis est. Non „ enim ullas tales necessitudines haberemus, quæ nascen- „ do & moriendo contingunt, sic natura nostra in præ- „ ceptis & imagine Dei permanens, in istam corruptio- „ nem non relegaretur. Itaque ad pristinam perfectam- „ que naturam nos ipsa Veritas vocans, præcipit ut car- „ nali consuetudini resistamus; docens neminem aptum es- „ se Regno Dei, qui non istas carnales necessitudines „ oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet „ Magis enim est inhumanum, non amare in homine „ quod homo est, sed amare quod filius est: hoc est enim „ non amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare „ illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad Re-

„ gnum

„ gnum non pervenit, qui non communem, ſed priva-
„ tam rem diligit? Immo utrumque, ait quiſpiam: Il-
„ lud unum, dicit Deus. Dicit enim veriſſime Veritas:
Matth. 16. „ *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*. Nemo enim poteſt
„ perfecte diligere quo vocamur, niſi oderit unde revo-
„ camur. Vocamur autem ad perfectam naturam huma-
„ nam qualem ante peccatum noſtrum Deus fecit: revo-
„ camur autem ab ejus dilectione quam peccando merui-
„ mus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur opta-
„ mus. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi æter-
„ nitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum
„ tamquam ſe ipſum. Certe enim ſibi ipſi nemo eſt pa-
„ ter, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujuſmodi, ſed
„ tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tamquam ſe
„ ipſum, hoc in eo debet diligere, quod ſibi ipſe eſt.
„ Corpora vero non ſunt quod nos ſumus: non ergo in
„ homine corpus eſt expetendum aut deſiderandum. Va-
„ let enim ad hoc etiam quod præceptum eſt: *Non con-*
„ *cupiſcas rem proximi tui*. Quapropter quiſquis in pro-
„ ximo aliud diligit, quam ſibi ipſe eſt, non eum dili-
„ git tamquam ſe ipſum. Ipſa igitur natura humana ſine
„ carnali conditione diligenda eſt, ſive ſit perficienda ſive
„ perfecta. Omnes ſub uno Deo patre cognati ſunt, qui
„ eum diligunt, & faciunt voluntatem ipſius. Et invi-
„ cem ſibi ſunt & patres, cum ſibi conſulunt, & filii
„ cum ſibi obtemperant, & fratres maxime, quia eos
„ unus Pater teſtamento ſuo ad unam hæreditatem vo-
„ cat. “

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. „ Sicut ſi quiſ-
S. Aug. lib. 1. cap. 47. „ quam diligat bene cantantem, non hunc aut illum,
„ ſed tantum bene cantantem quemlibet, cum ſit can-
„ tor ipſe perfectus; ita vult omnes tales eſſe, ut tamen
„ ei non deſit quod diligit, quia ipſe bene cantat. Nam
„ ſi cuiquam invidet bene cantanti, non jam illud dili-
„ git, ſed aut laudem aut aliquid aliud, quo bene can-
„ tando vult pervenire; & poteſt ei minui vel auferri,
„ ſi & alius bene cantaverit. Qui ergo invidet bene can-
„ tanti, non amat bene cantantem: ſed rurſus qui eo
„ indiget, non bene cantat. Quod multo accommodatius
„ de bene vivente dici poteſt, quia invidere nulli poteſt:
„ Quo enim perveniunt bene viventes, tantumdem eſt
„ omnibus, nec minus fit cum plures habuerint. Et po-
„ teſt eſſe tempus quo bonus cantator cantare non de-
„ center queat, & indigeat voce alterius, qua ſibi ex-
„ hibeatur, quod diligit, tamquam ſi alicubi convivetur,
„ ubi eum cantare turpe ſit, ſed deceat audire cantan-
„ tem: bene autem vivere ſemper decet. Quare quiſquis
„ hoc & diligit & facit, non ſolum non invidet imitan-
„ tibus, ſed & his ſe præbet libentiſſime atque huma-
„ niſſime quantum poteſt; nec tamen eis indiget. Nam
„ quod in illis diligit, in ſe ipſo habet totum atque per-
„ fectum. Ita eum diligat proximum tamquam ſe ipſum,
„ non invidet ei, quia nec ſibi ipſi: præſtat ei quod po-
„ teſt, quia & ſibi ipſi: non eo indiget, quia nec ſe
S. Aug. lib. de Moribus Eccleſiæ Cathol. cap. 26. „ ipſo: tantum Deo indiget, cui adhærendo beatus eſt.
„ Nemo autem illi eripit Deum . . . Hic vir quamdiu
„ eſt in hac vita, utitur amico ad prependendam grati-
„ am; utitur inimico ad patientiam; utitur quibus po-
„ teſt ad beneficentiam; utitur omnibus ad benevolen-
„ tiam. “

Diliges proximum tuum tamquam te ipſum. „ Te au-
„ tem ipſum ſalubriter diligis, ſi plus quam te diligis
„ Deum: quod ergo agis tecum, id agendum cum po-
„ ximo eſt, hoc eſt, ut ipſe etiam perfecto amore dili-
„ gat Deum. Non enim eum diligis tamquam te ipſum,
„ ſi non ad id bonum ad quod ipſe tendis, adducere ſa-
„ tagis. Illud eſt enim unum bonum, quod omnibus te-
„ cum tendentibus non fit anguſtum. Ex hoc præcepto
„ naſcuntur officia ſocietatis humanæ, in quibus non er-
„ rare difficile eſt. Agendum autem in primis eſt, ut
„ benevoli ſimus, id eſt ut nulla malitia, nullo
„ dolo malo adverſus hominem utamur: Quid e-
„ nim homini homine propinquius? *Dilectio proximi ma-*
„ *lum non operatur*. Sed cum duobus modis peccetur in
„ homine, uno ſi lædatur, alio ſi cum poteſt non adju-
„ vetur: eaque ipſa ſint quibus mali homines eſſe dican-
„ tur, quorum neutrum qui diligit, facit: ſatis quod vo-
„ lumus demonſtrat iſta ſententia, *Dilectio proximi ma-*
„ *lum non operatur*. Et ſi ad bona pervenire non poſ-
„ ſumus, niſi mala operari deſtiterimus, iſta ſunt quaſi
„ cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum...
„ Nullus certior gradus ad amorem Dei, quam hominis
„ erga hominem charitas. “

16. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet &
S. Aug. l. de Perfectione juſtitiæ hominis c. 5. Prophetæ. „ Dominus in duobus præceptis dixit Legem
„ Prophetaſque pendere; ut intelligeremus quicquid aliud
„ divinitus præceptum eſt, his duobus habere finem, &
„ ad hæc duo eſſe referendum . . . Quicquid ergo Dei
„ Lege prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad hoc
„ prohibemur & jubemur, ut duo iſta compleamus. *Ut*
Idem lib. de Moribus Eccleſ. Cathol. cap. 25 „ *enim alibi S. Auguſt. ait*: Scriptura non præcipit niſi
„ charitatem, nec damnat niſi cupiditatem, atque ita
„ informat mores hominum. *Huc virtutum omnium officia*
„ *revocantur*. Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum,
„ ſequitur profecto, quoniam ſummum bonum appetere,
„ eſt bene vivere, ut nihil aliud ſit bene vivere, quam
„ toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere:
„ a quo exiſtit, ut incorruptus in eo amor atque inte-
„ ger cuſtodiatur, quod eſt temperantiæ; & nullis fran-
„ gatur incommodis, quod eſt fortitudinis: nulli alii ſer-
„ viat, quod eſt juſtitiæ; vigilet in diſcernendis rebus,
„ ne fallacia paulatim doluſve ſubrepat, quod eſt pru-
„ dentiæ. Hæc eſt hominis una perfectio, qua ſola im-
„ petrat ut veritatis ſinceritate perfruatur: hæc nobis
„ Teſtamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque
„ inde ſuadetur. “

In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ. „ Si ergo non vacat omnes paginas ſanctas per-
S. Aug. ſer. 350. alias de Tempore 39. „ ſcrutari, omnia involucra ſermonum evolvere, omnia
„ Scripturarum ſecreta penetrare: tene charitatem, ubi
„ pendent omnia: Ita tenebis quod ibi didiciſti; tene-
„ bis etiam quod nondum didiciſti. Si enim noſti chari-
„ tatem, aliquid noſti, unde & illud pendet quod forte
„ non noſti, & in eo quod in Scripturis intelligis, cha-
„ ritas patet; in eo quod non intelligis, charitas latet.
„ Ille itaque tenet & quod patet & quod latet in divi-
„ nis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus. “

17. *Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt? Dicunt ei, David: Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, &c. Non ſe filium David negavit Chriſtus, ſed modum quæſivit. Hanc vero per Apoſtolum ſolvit quæſtionem, qui ſcripſit ad Timotheum: *Memor eſto Chriſtum Jeſum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum*. Ecce Chriſtus Filius eſt David: Quomodo eſt & Dominus David, alibi explicat: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Filius David unde? *Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, &c. Dominus David ſemper, Filius David ex tempore: Dominus David natus ex ſubſtantia Patris: Filius David natus ex Maria Virgine, conceptus de Spiritu Sancto. Utrumque teneamus. *Unum nobis erit æterna habitatio: alterum nobis eſt a peregrinatione liberatio. Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus, niſi dignatus eſſet fieri homo, periiſſet homo. Factus eſt quem fecit, ne periret quem fecit. Qui confitetur Deum æqualem Patri Chriſtum, & hominem verum, habet patriam, habet viam. Habet patriam*: In principio erat Verbum. *Habet patriam*: Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. *Habet viam*: Verbum caro factum eſt. *Habet viam*: Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. *Ipſe eſt patria quo imus; ipſe via qua imus. Per ipſum ad ipſum eamus, & non errabimus*.

2. Tim. 2. 8.

Philipp. 2. 6

S. Aug. ſer. 92. alias de Tem. 235.

CAPUT XXIII.

Senſus Litteralis.

1. TUNC *Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad Diſcipulos ſuos, dicens: Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt*. Pietatis larvam Scribis & Phariſæis Chriſtus detrahit, ne populus duces cæcos & improbos imitaretur. Phariſæi, inquit, & Legis Doctores Legem, doctrinamque Moyſis pro muneris ſui ratione vobis prælegunt, tradunt, explicant; voſque regendi ac judicandi poteſtatem habent: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſive præceperint Legi Moſaicæ conſentanea, non vero ejus præceptis, ipſique pietati contraria, (quale eſt illud de Corbona parentum ſuſtentationi & levamini præponenda) ſervate & facite; ipſis omnino parete, donec Lege abrogata fuerint exauthorati. Mores vero & opera illorum imitari nolite; quia eorum doctrinæ non congruunt. Lex & doctrina Moyſis, quam tradunt & interpretantur, bona & ſancta eſt, vita illorum prava. Muneri ac miniſterio dignitatem ſuam ac reverentiam ſervat Chriſtus, perſonarum vitia graviter reprehendit, ne fermento ſuo, id eſt hypocriſi, & ſuperba in impugnando Evangelio contumacia populum inficiant; Cathedra non ipſorum, ſed Moyſis, cogit eos docere etiam bona non facientes. *Agunt ſua in vita ſua: docere autem ſua, cathedra illos non permittit aliena*.

S. Aug. l. 4 de Doctr. Chriſt. c. 27

2. *Alligant enim onera gravia, & importabilia & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere*. Metaphora ſumpta eſt a ſarcinis, quæ ut in jumenta aut hominum humeros imponantur, in faſciculum colligi ac ligari ſolent. Congerunt igitur Phariſæi & Scribæ, imponuntque hominibus onera gravia, ſcilicet præcepta ritualia Legis quæ durius interpretantur, & quorum ſeveram obſervantiam exterius exigunt; cultus præterea ſuperfluos, & traditiones plurimas & moleſtas, minime neceſſarias ad pietatem & Dei cultum: nec exemplo tamen ſuo alios impellunt ad ea onera alacriter ferenda. Confer cum Act. 15. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?*

3. *Om*

3. *Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*. Si quid boni faciunt, & ad Legis præscriptum, non id faciunt ut Deo placeant, sed ut gloriam hominum aucupentur: *Animalia gloriæ*: quod de antiquis Philosophis ethnicis eleganter a Tertulliano dictum est. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias*. „ Cum Dominus mandata Legis per Moysen dedisset, „ subjunxit: *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota „ ante oculos tuos*. Et est sensus: Præcepta mea sint in „ manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, „ ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi male „ interpretantes, scribebant in membranis Decalogum Moysi; idest, decem verba Legis: complicantes ea & li„ gantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, „ ut semper ante oculos moverentur. Aliud quoque jus„ serat Moyses: ut in quatuor angulis palliorum hyacin„ thinas fimbrias facerent, ad Israelis Populum digno„ scendum: ut quomodo in corporibus circumcisio signum „ Judaicæ Gentis daret: ita & vestis haberet aliquam
S. Hier. in c. „ differentiam. " *Superstitiosi Magistri captantes auram*
23. Matth. *popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant: ut videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, & ministeria servitutis ejus*. Quia ergo dixerat Dominus, *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*; quod generaliter accusaverat, nunc per partes dividit. „ Membranulas illas, in quibus descripta erant „ Decalogi præcepta, phylacteria vocabant, quod qui„ cumque illas habuisset, quasi ob custodiam & moni„ mentum sui haberet: non intelligentibus Pharisæis, „ quod hæc in corde portanda sint, non in corpore: „ alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notiti„ am Dei non habent. "

4. *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Locum honoratiorem in solemnibus conviviis tamquam ingens bonum expetunt, atque etiam data occasione velut jure suo sibi vendicant, & primarum sedium honores in Synagogis & conventibus ambiunt & affectant: & salutationes in locis frequentibus, honorem a pluribus & coram pluribus sibi exhiberi gestientes: & honorifico Doctoris ac Magistri nomine compellari.

5. *Vos autem nolite vocari Rabbi: Unus est enim Ma-*
Joann. 1. *gister vester, omnes autem vos fratres estis*. Vos autem,
Coloss. 2. 1. Discipuli mei, ne glorioſum illud nomen affectetis aut eo gloriemini, atque ad ostentationem vobis sumatis. Unus est enim Magister vester Christus: solus ille Magister vester principaliter & per excellentiam: 1. Scientia, quia solus ipse novit omnia, doctus a nemine: *Plenus gratiæ & veritatis*: & *in ipso omnes thesauri sapientiæ sunt absconditi*. 2. Docendi auctoritate, quam a se
Matth. 7. 29 ipso habet: *Erat enim docens eos sicut potestatem habens,*
1. Cor. 3. 5. *& non sicut Scribæ eorum & Pharisæi*. 3. Efficacia,
6. 71. quam & ipse habet & aliis impertit. Unde Apostolus: *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit... Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed*
S. Jo: Chrys. *qui incrementum dat, Deus*. Omnes autem vos ut natu-
Hom. 75. in ra, ita & doctrina unius Christi Magisterio accepta,
Matth. fratres estis, & condiscipuli: nec alter altero præstantior, quoniam nihil est quod a se ipso sciverit.

6. *Et Patrem nolite vocare vobis super terram: Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est*. Qui Sapientem aliquem, tamquam scholæ principem sectabantur, & velut in nomen ejus juraverant, ejus filii vocabantur, ut vir eruditus observat, illum Patrem vocabant; sed quia Patris nomen dignius erat quam Magistri, ideo Christus istud sibi, illud Patri æterno vindicat. Nec quemquam Patrem vocetis, eo sensu quo Judæi Sapientes suos Patres vocant, quasi dogmatum suorum auctores, aut principes Sectæ: unus est enim vestræ familiæ Princeps, & dogmatum auctor Deus, qui per Filium suum unigenitum vobis omnia ad salutem necessaria revelavit. Joannis 6. 45. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Ceterum Patres optimo sensu vocamus, qui nos per Evangelium genuerunt. 1. Cor. 14. 15. *Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia Pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*.

7. *Nec vocemini Magistri: quia Magister vester unus est Christus*. Eamdem humilitatis doctrinam repetit & inculcat, ut altius memoriæ commendetur. Apostolus quidem se *Doctorem Gentium* dixit; Viri Religiosi in Monasteriis se invicem Patres vocant; nec tamen in hoc præceptum Christi Apostolus peccavit, aut peccant illi.
S. Hier. in c. Nam *Aliud est esse natura Patrem vel Magistrum, aliud*
23. S. Mat. *indulgentia. Nos si hominem Patrem vocamus, honorem ætati deferimus; non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri Magistri. Et quomodo unus per naturam Deus, & unus Filius non præjudicat cæteris, ne per adoptionem dii vocentur & filii: Ita & unus Pater & Magister non præjudicat aliis ut abusive appellentur Patres & Magistri*. Non prohibet igitur absolute Christus ne ullum in terris Patrem vocent, sed ne ignorent quem principaliter Patrem vocare oporteat. *Nam quemadmodum nemo principaliter Magi-* *S. Jo. Chrys.*
ster est; sic nec Pater præter illum, qui tam magistro- *Hom. 67.*
rum, quam patrum omnium causa est.

8. *Qui major est vestrum, erit minister vester*. Qui inter vos in Ecclesia Dei præstantior est officio, dignitate, eruditione, aliisve Dei donis, nihil inde sibi præ ceteris arroget aut vindicet, præter humilis ministerii oblationem & sedulitatem; gloriam omnem ad Deum referat, non plus imperii sibi concessum, sed plus oneris sibi impositum noverit a Deo, cui redditurus est rationem de talentis, officiis, & honoribus. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur*. Qui se superbe extulerit, magnifice de se senserit, se aliis præposuerit; honores & dignitates, auramque popularem appetiverit, aut iis vane fuerit delectatus, a Deo deprimetur. Et qui se humiliaverit, de se demisse sentiens, nihil de Dei donis sibi tribuens, non aliis se præponens, ut aliorum ministrum & conservum se gerens; exaltabitur a Deo & in futura vita ipsius humilitatem per se ipsum munerante, & in præsenti homines ad eum honorandum movente. Confer cum Proverb. 16. 18. *Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus*. Et 29. 23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*. Item Prov. 15. 33. *Gloriam præcedit humilitas*.

9. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis Regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare*. Væ vobis, quia Regnum cœlorum, quod adventu meo, prædicatione & doctrina, atque miraculis patefeci, clauditis coram hominibus ad Christum accurrentibus, & ad ingressum paratis: veram interpretationem locorum Scripturæ in quibus agitur de Messia, ejusque doctrina, fide, charitate supprimentes, doctrinamque meam ac miracula calumniis vestris impugnantes. Vos enim non intratis, quia doctrinæ meæ, ac miraculis missionem meam a Patre ac Divinitatem confirmantibus non solum credere non vultis, verum etiam vestris consiliis, pravis exemplis, falsa interpretatione Legis, traditionum inutilium aut impiarum onere, minis ac terroribus, a fide mihi præbenda revocatis; & jam veluti pedem habentem in limine ab ingressu Regni cœlorum arcetis & prohibetis. Idem paulo aliis verbis exprimitur. Lucæ 11. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis*. Metaphora sumpta est ab ædium dominis, qui cum neminem domum ingredi volunt nisi jussu suo, clavem secum auferunt. Pharisæos itaque clavem scientiæ tulisse Christus ait, ut significet illos ita scientiam Legis sibi usurpasse, ut plebi persuaderent neminem nisi ipsis aperientibus & viam Regni cœlorum indicantibus ac docentibus intrare posse.

10. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium*. Græcus Evangeliorum indiculus, quem Canonem vocant, hunc Versum in S. Matthæo non habet; nec illum Origenes & S. Hieronymus itterpretantur. Cum tamen illum habeant Græci, Syriaci, & Latini Codices universi, illumque S. Chrysostomus exponat, & quod caput est, a SS. Marco & Luca, alio licet ordine, referatur, in hunc S. Matthæi *Marc. 21.* locum irrepsisse nequaquam censendum est. Væ vobis, *40.* Legisperiti & Pharisæi hypocritæ, qui viduarum ob sexus *Luc. 20. 47.* infirmitatem fraudibus vestris magis patentium facultates captatis, hauritis, devoratis assumpta pietatis larva, & prolixiorum orationum specie, quas stantes in Templo, Synagogis & angulis platearum fundere vos simulatis. Propter duplex illud crimen, simulationem scilicet pietatis, & immanem avaritiam, majorem damnationem subibitis. Confer cum Luc. 20. 47. *Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem*.

11. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*. Terram ac mare lustrare, omnem adhibere diligentiam videmini, ut ethnicum aliquem & advenam ad Judaicam Religionem petrahatis, vestrumque discipulum magis quam Dei cultorem faciatis: & cum feceritis, æterna damnatione dignum redditis multo magis quam vos. Duplex erat proselytorum genus. Quidam relicto Idolorum cultu, uni Deo & communibus humani generis Legibus se addicebant, non Mosaicæ Legis Sacramentis & ritibus: alii circumcisionem suscipiebant, & totius Legis Judaicæ observantiæ se obstringebant. Priores dicebantur *proselyti portæ*, quibus inter Judæos vivere concessum erat. Posteriores vocabantur *Proselyti justitiæ*, sive fœderis, omnibus Judeorum privilegiis donati. De posteriori proselytarum genere hic sermo est. Ait autem

Chri-

Chriſtus, factum a Phariſæis & Legiſperitis proſelytum
S. Hier. in c. 23. Matth. majori damnationi obnoxium reddi quam ipſos: tum quia non ſolida pietate ipſum imbuebant, ſed externos tantum mores formabant, non tam in maximis & præcipuis Dei mandatis, quam in Traditionibus & Ritibus propriis: tum quia fucatæ dumtaxat ſanctimoniæ, revera autem malæ vitæ exemplum illi præbebant. „ Phariſæi „ totum luſtrantes orbem propter negotiationes, vel di„ verſa lucra a Diſcipulis captanda, quaſi per imaginem „ ſanctitatis ſtudium habebant de Gentibus facere pro„ ſelytum, ideſt, advenam & incircumciſum miſcere Po„ pulo Dei. Sed qui ante, dum eſſet ethnicus, ſimplici„ ter errabat, & erat ſemel filius gehennæ, videns Ma„ giſtrorum vitia, & intelligens deſtruere eos opere quod „ verbis docebant, revertitur ad vomitum ſuum; & Gen„ tilis factus, quaſi prævaricator pœna majori dignus „ erit. Filius autem vocatur gehennæ, quomodo filius „ perditionis, & filius hujus ſæculi. Unuſquiſque enim „ cujus opera agit, ejus filius appellatur. „

12. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil eſt*, nullius momenti juramentum eſt, reus non eſt, ſi promiſſum non ſolverit: *Qui autem juraverit in auro Templi, debet*. Si vero juraverit per aurum Templo oblatum, præſtare tenetur. *Stulti & cæci! Quid enim majus eſt, aurum, an Templum quod ſanctificat aurum?* Fatua & abſurda opinio veſtra. Aurum enim ſanctum non cenſetur, niſi propter Templum cui oblatum eſt, & cujus uſibus conſecratum: Templum autem non eſt ſanctum propter aurum, ſed propter Deum inhabitantem. *Et quicumque juraverit in Altari, nihil eſt*: qui per Altare juraverit religione juramenti non tenetur, nec reus eſt perjurii, ſi non præſtiterit: *Quicumque autem juraverit in dono quod eſt ſuper illud, debet*. Quicumque juraverit per dona ſeu victimas ſuper Altare oblatas, jurejurando tenetur, & perſolvere debet quod juravit. *Cæci! Quid enim majus eſt, donum, an Altare quod ſanctificat donum?* Altare namque per ſe & ex inſtitutione ſua Deo dedicatum eſt: victimæ vero ſanctæ non ſunt antequam ſuper altare imponantur, Deo offerendæ. *Qui jurat in Altari*, ſeu per Altare, jurat in eo, *& in omnibus quæ ſuper illud ſunt*: per illud & per omnia dona & ſacrificia ſuper illud oblata jurare cenſendus eſt, ac proinde æque tenetur præſtare quod juravit. *Et quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in Eo qui habitat in ipſo*. Qui per Templum jurat, cenſendus eſt & per Deum jurare, qui in Templo colitur. *Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in Eo qui ſedet ſuper eum*. Et qui per cœlum jurat, cenſendus eſt & per Deum jurare, cujus cœlum ſedes eſt. Phariſæi & Legiſperiti duplicis generis juramenta diſtinguebant, alia magna, alia parva. Magna per Deum ipſum, quo in cenſu etiam juramenta per *Corban* ponebant, id eſt per donum Deo ſacrum. Id autem erat duplex: aut donum quod Altari ſuperponebatur; aut pecunia miſſa in gazophylacium, quod *Corbonam* vocat S. Matthæus. Per utrumvis horum ſi quis juraſſet, per Deum ipſum juraſſe ab ipſis cenſebatur. Juramenta autem per Templum & Altare minoribus juramentis accenſebantur: cum tamen qui per ea jurat, reſpectu divini nominis juret. Iſtorum igitur juramentorum gratiam facile faciebant Judæi Doctores, nec reos habebant perjurii qui illa violaſſent: ſed ſi quis juraſſet per aurum aut dona Templo oblata, illum non minus teneri cenſebant ad præſtandum quod juraverat, quam ſi per Deum juraſſet. Hac ſententia ſerviebant avaritiæ ſuæ & quæſtui, cujus intererat dona illa haberi quam ſanctiſſima, etiam præ templo & Altari, quaſi Deus illis præcipue gauderet. Sic enim Populus ad ea dona frequentius & copioſius offerenda excitabatur: ex quibus Sacerdotum, qui Phariſæi vel Legiſperiti ut plurimum erant, creſcebant emolumenta. „ Arguit ergo eos Dominus &
S. Hier. in c. 23. Matth. „ ſtultitiæ, & fraudulentiæ: quod multo majus ſit Tem„ plum, quam aurum quod ſanctificatur a Templo; & „ Altare, quam hoſtiæ, quæ ſanctificantur ab Altari. „ Totum autem faciebant non ob Dei timorem, ſed ob „ divitiarum cupiditatem „ (inquit S. Hieronymus.)

13. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum: & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Decimas minutiorum olerum ſcrupuloſe ſolvitis, ut minutias obſervando, religioſiſſimi Legis obſervatores videamini: dum quæ majoris ſunt momenti in Lege, officia ſcilicet præcipua erga Deum & proximum, quæ Lex ante omnia requirit, & ab omnibus, negligitis, ſcilicet judicium, ſeu juſtitiam, qua jus cuique ſuum redditur; & miſericordiam, ſeu beneficentiam, qua proximo indigenti ſuccurritur: & fidem in Deum, quæ per dilectionem operatur. Hæc ſummo ſtudio & præcipua religione ſervare oportuit; & leviora illa non omittere, quandoquidem has decimationis minutias Lege præceptas cenſetis. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes!* Nonne cæci eſtis, qui tam anxie & ſuperſtitioſe leviora ſervatis, & graviſſima Legis capita, ſine quibus pietas ſincera non conſiſtit, abſque ullo ſcrupulo prætermittitis? Ita vos gerentes ac ſi quis vinum percolaret ad eximendum culicem in illud forte delapſum, & grandius animal ſecure deglutiret. Minutiæ ſcilicet illæ in quibus adeo accurati ac religioſi videri ſtudetis, gravioribus illis præceptis, quæ ſecure negligitis, tanto leviores ſunt, quanto culex camelo minor eſt. Proverbialis eſt locutio, ſimilis illi qua Chriſtus Matth. 7. 5. dixit: *Vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Quibus verbis non ſignificat trabem in oculo poſſe latere, ſed vitia illa, quorum alios arguunt hypocritæ, iis criminibus, quæ in ſe ipſis ſecure prætereunt, tanto eſſe leviora, quanto feſtuca levior eſt trabe.

14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia*. Exteriorem ſuperficiem calicis, ex quo potus, & paropſidis, ex qua cibus ſumitur, ſtudioſe mundatis, non curantes interiorem munditiem. Parabolicus ſermo eſt. Cum corporis frequentes lotiones affectatis, & animum purgare negligitis, tantumdem agitis ac ſi diligenter lavaretis patinas & pocula, cum interim cibi & vinum impuræ fecis & ſordium plena eſſent. Sicut enim id ad ſanitatem corporis non prodeſſet; ita nec illud ad animæ ſalutem. Ut autem ſermonem parabolicum intelligerent, ſtatim tranſit ad proprium: *Intus autem, pleni eſtis rapina & immunditia, ſive iniquitate*, (ut apud S. Lucam legitur.) Quæ vox omne vi- *Luc. 11. 39.*
tiorum genus ſignificat. *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum*. Munda prius ea, quæ calice & paropſide continentur: da operam ut cibum & potum juſte acquiras, & iis temperanter fruaris: ac deinde munda calicem & paropſidem, quibus illa ſumuntur. Allegoricus ſermo eſt, quo ſignificat Chriſtus legitimum ordinem poſtulare, ut prius animus & conſcientia mundetur, tum actiones omnes externas mundas fore, quia pura mens legalibus immunditiis inquinari non poteſt: (quæ falſa erat Phariſæorum perſuaſio.)

15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia*. Similes eſtis ſepulchris opere tectorio inductis, & calce & gypſo illitis, marmore forinſecus veſtitis, ac ſplendidis: quæ tamen cadaverum & vermium immunditia plena ſunt. *Sic & vos a foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem plevi eſtis hypocriſi & iniquitate*. Juſtitiæ quidem ac pietatis ſpecie hominibus imponitis: intus autem in animo turpes eſtis & immundi ob hypocriſim & iniquitatem.

16. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum qui Prophetas occiderunt*. Prophetarum, aliorumque juſtorum monumenta vetuſtate collapſa reficitis, ut vos a ſceleribus patrum veſtrorum, qui illos injuſte & crudeliter occiderunt, alienos eſſe probetis, & perſuadeatis plebi, vos ſanctorum hominum virtutes colere; Majorum veſtrorum, qui illos perſecuti ſunt, vitia execrari. Verum fruſtra id facitis; ſi quidem opere ipſo demonſtratis vos eſſe filios eorum qui Prophetas occiderunt, non natura ſolum, ſed imitatione; dum me perſequimini, & longe atro- *S. Hier. in*
cius crimen meditamini occiſionis meæ. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*. Pergite imitari majores ve- *hunc locum.*
ſtros. Quod illis defuit, vos adimplete. Illi interfecerunt ſervos, vos Dominum crucifigite: illi Prophetas, vos eum qui a Prophetis prædicatus eſt. *Implete menſuram patrum veſtrorum*. Non imperantis vox eſt, ſed prædicentis. Deus qui peccatorum auctor non eſt, ſed ordinator & vindex, certum criminibus terminum modumque ſtatuit; quo cum pervenerint, vindictam peccatoribus infligit. Dei bonitas & patientia diſſimulat peccata hominum, ut eos ad pœnitentiam adducat: ſed læſa ejus patientia fit furor, ut Scriptura Sacra loquitur tribuendo Deo humanos affectus, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat; quod non ſolum in hominum ſingulorum, ſed & in populorum puniendis peccatis Deus facit. Hic peccatorum modus a Deo expectatus, *menſura* aut *complementum iniquitatis*, dicitur. Gen. 15 16. *Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus*.

17. *Serpentes, genimina viperarum: quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Malorum parentum pejores filii: quomodo fieri poteſt ut graviſſimum non hujus tantum ſæculi, ſed & futuri ſupplicium vitetis? Unica fugæ via pœnitentia eſt: cui obſtat pertinax & in naturam vobis ſponte verſa malitia.

18. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris*. Quia menſuram patrum veſtrorum, progenies nequior, impleturi eſtis: Ego *Sapientia Dei*, mittam ad vos *Apoſtolos* & *Luc. 11. 49.*
Prædicatores Prophetiæ dono illuſtres, & ſapientia non humana, ſed cœleſti inſtructos, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii: & divinæ Legis

peritissimos: & quosdam ex illis occidetis, Stephanum, Jacobum utrumque, &c. & crucifigetis, ut Petrum & Simeonem Cleophæ; & flagellabitis, ut Paulum. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Altare.* Ut in caput vestrum redundet pœna genti vestræ debita pro cæde justorum omnium ab Abele usque ad Zachariam. Quis ille Zacharias fuerit, non omnino compertum. Quidam Zachariam patrem Joannis Baptistæ intelligi volunt, qui propterea occisus sit, quod Domini prædicaret adventum: sed id velut ex apocryphorum somniis acceptum
Zachar. 1. rejicit S. Hieronymus. Alii Zachariam, qui in duodecim Prophetis minoribus undecimus est. Hic enim *filius Barachiæ*. Quam opinionem adstruxi & probavi in Historia Veteris Testamenti, Ætate 6. Dissertatione 6. Articulo 2. S. Hieronymus, & alii, Zachariam filium Joiadæ, quem occisum inter Templum & Altare legimus 1. Paralipomenon 24. 22. & de quo ab eo moriente dictum est: *Videat*
S. Hier. in c. 23. Matth. *Deus, & judicet.* Obstat quidem S. Hieronymi sententiæ patris nomen: nam iste Zacharias patrem habuit Joiadam, non Barachiam. Sed respondent hujus sententiæ vindices, vel Joiadam binomium fuisse, vel ob eximiam sanctitatem sic fuisse cognominatum, quasi *benedictum Domini*, vel Joiadæ patrem vocatum *Achiam*, ita ut *Barachias* idem sit ac *filius Achiæ*. Alii denique Zachariam filium Baruch intelligunt, quem Josephus paulo ante novissimam Jerosolymorum obsidionem a Judæis zelotis in atrio Templi occisum commemorat, cum a 70. Judicibus fuisset absolutus: Christum porro Prophetice narrasse velut præteritum, quod futurum erat. Sed hæc contorta: & vix persuadebitur Baruchum idem esse cum Barachia. In Codice Hebræo Nazaræorum pro nomino Barachiæ, nomen
Josephus l. 5. de Bello Judaico c. 1 Joiadæ scriptum S. Hieronymus testatur. Vetustatem tamen lectionis nostræ magno consensu tuentur Græci, Latini, Syri Codices, & Patres antiqui. Dicitur, *quem occidistis*, propter unitatem populi; cujus unitatis ratione facta majorum filiis imputantur, & contra. Sic Abrahæ data dicitur Terra Chanaan, sed in posteris ejus. Sic Judæis tempore Judith viventibus in ejus Historia tribuitur habitatio in Mesopotamia, descensus in Ægyptum, transitus per Mare Rubrum & desertum; quæ majoribus eorum contigerant. Ratione istius unitatis fit, ut peccata majorum filiis imputentur, & in illis puniantur, cum prava illorum opera imitantur, & mensuram ab illis inchoatam implent & cumulant. Sic Amalecithæ excisi sunt propter facta parentum ab annis quadringentis patrata. 1. *Reg.* 15. 2. & 3. Sic Judæis, cum cædes Prophetarum & justorum a parentibus suis perpetratas imitati essent, & mensuram eorum sceleribus a Deo præstitutam atrocioribus Christi & Apostolorum cædibus & Ecclesiæ nascentis persecutione complevissent, non solum propria, sed & Majorum peccata imputata sunt, & totius gentis excidio punita. Hic prædictionis Christi sensus est: *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.*

19. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Viri Jerosolymitæ, Judæique omnes, quorum Metropolis Jerusalem; qui Prophetas occidere consuevistis, ut Isaiam, & alios; & lapidare viros sanctos qui ad vos legati a Deo mittuntur: quoties volui, & quod in me erat præstiti, ut vos peccatis errantes per Propheras, aliosque viros justos; ac novissime per me ipsum revocarem, in sinum meum colligerem, multis adhortationibus, comminationibus, miraculis ad veram pœnitentiam & fidem perducerem, & ab imminente ira divina liberarem, eo affectu quo gallina pullos suos sub alas congregat, fovet, a milvo protegit ac tuetur: & noluistis? Paternum loquendi genus, Filius, imago Patris, exprimit. Sic enim loquitur Deus Proverb. 1. 24. *Vocavi, & renuistis.* Isaiæ 55. 2. „ Vocavi, & non respondistis; „ locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in „ oculis meis, & quæ nolui elegistis. Jeremiæ 7. 13. 14 „ Quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus; & locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non „ audistis: & vocavi vos, & non respondistis: faciam „ domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & „ in qua vos habetis fiduciam: & loco quem dedi vobis „ & patribus vestris, sicut feci Silo. *Ezech.* 24. 13. „ Mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis. „ Ne tamen quis sibi fingat voluntatem Dei ab homine
S. Aug. l. 1 Operis novissimi contra Julianum, „ impediri potuisse. Absit ut impediatur ab homine „ Omnipotentis & cuncta præscientis intentio. Parum de „ re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, „ qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente non posse. Sicut certum est „ Jerusalem filios suos ab illo colligi noluisse; ita certum est eum, etiam illa nolente, quoscumque eorum „ voluit collegisse. Deus enim, sicut homo Dei dixit „ Ambrosius, quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. "

20. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Templum, Urbs, Gens tota, me ac Patre meo præsentiam, tutelamque nostram subtrahentibus, mox vastabitur, & in solitudinem vertetur. Confer cum Psalm. 68. 26. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Et cum Jeremiæ 12. 7. 8. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam... Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam.*

21. *Dico enim vobis; Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ab hoc quod imminet, Paschate, non me videbitis, ad usque secundum adventum meum, cum vivos & mortuos judicaturus veniam. Tunc vel inviti agnoscetis & experiemini me esse Messiam ac verum Deum. Et quod indignati estis mihi a pueris acclamari, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ipsi non ore quidem ad laudem & confessionem, sed animo ad confusionem dicetis. Vel: *Nisi pœnitentiam egeritis, & confessi fueritis me ipsum esse, de quo Prophetæ cæcinerunt, Filium omnipotentis Patris, meam faciem non videbitis. Habent Judæi datum sibi tempus pœnitentiæ, confiteantur benedictum qui venit in nomine Domini & Christi ora conspicient.* *S. Hier. in hunc locum.*

SENSUS MORALIS.

1. SUPER *cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Doctrina veritatis quam in cathedra unitatis Christus posuit, nullum ex malis moribus Ministrorum ejus, id est, Sacerdotum, & Pastorum, detrimentum patitur. Servanda sunt & facienda quæ dicunt & prædicant, cum sua non dicunt, sed Christi: „ Tunc „ enim vos non pascunt ipsi, sed Deus; quia velint nolint „ Pastores, ut perveniant ad lac & lanam, verba Dei „ dicturi sunt. *Qui prædicas non furandum, furaris,* di- *S. Aug. ser.* „ cit Apostolus ad eos qui bona dicunt, & mala faciunt. *46. al. de* „ Tu audi prædicantem, ne fureris: noli imitari furan- *Temp. 165.* „ tem: Si furantem imitari volueris, ipse te pascit facto *cap. 10.* „ suo: tibi venenum subministrat, non cibum. Si vero „ hoc ab illo audis, quod non dicit de suo, sed de Dei; *Marc. 7. 16* „ non potest quidem uva de spinis legi: (Nam & ipsa „ Domini sententia est, *Nemo colligit de spinis uvam, aut de tribulis ficus:*) Nec ideo tamen quasi calumnieris „ Domino tuo, & dicas; Domine noluisti me, quia fieri „ non potest de spinis legere uvam, & rursus dixisti mi- „ hi de quibusdam, *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Nempe mala facientes uti- „ que spinæ sunt.„ Quomodo vis de spinis me colligere uvam verbi tui? Respondebitur: „ Non est illa uva spi- „ narum: sed aliquando increscens sarmentum implicat „ se in sepem, & pendet uva inter densa spinarum, sed „ non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & a- „ liud non habes unde sumas, caute manum mitte, ne „ lacereris a spinis, idest, ne facta imiteris malorum, „ lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite nascen- „ tem. Ad te perveniat botri alimentum: spinis serva- „ tur ignis tormentum. " Nihil interest ad aquæ puritatem, & irrigationem horti, an aureus sit vel lapideus canalis, per quem aqua transfunditur. Verbum Dei aqua sapientiæ salutaris: per Ministros & Pastores Ecclesiæ velut per canales transfunditur ad irrigandas horti divini plantas, ut flores virtutum, bonorumque operum fructus ferant. Quidam ex his canalibus sunt ex auro puro, divina charitate splendidi & ardentes, de qua scriptum est: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.* Alii terreni sunt & lapidei propter cupiditatis & duritiem cordis: *Lapides sanctuarii dispersi in capite omnium platearum, petræ scandali:* Quæ tamen per illos derivatur aqua verbi divini, origine celestis est. Et mel & aquam de petra durissima Deus eduxit, ut populum suum in deserto ambulantem satiaret. „ Quæcumque ergo dixerint „ vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum *S. Aug. Epist. 208. alias 209. ad* „ nolite facere. *His auditis, oves Christi etiam per ma-* *Felician.* „ *los Doctores vocem ipsius audiunt, & utilitatem illius* „ *non relinquunt: quia* bonum quod eos audiunt dicere, „ non est ipsorum, sed illius. Et ideo securæ oves pas- „ cuntur, quia & sub malis Pastoribus pascuis dominicis „ nutriuntur. Non autem faciunt malorum facta Pasto- „ rum, quia talia opera non sunt illius, sed ipsorum. „ Quos autem bonos vident, non solum audiunt bona *2. Cor. 13.* „ quæ dicunt, sed etiam imitantur bona, quæ faciunt. „ De talibus erat Apostolus qui dicebat: Imitatores mei „ estote, sicut & ego Christi. " Et quia non sua quærebat, sed quæ Jesu Christi; quamvis ad imitationem suam, quos per Evangelium genuerat, hortatur: tamen corripit graviter eos, qui per Apostolorum nomina schismata fecerunt; & objurgat illos qui dicebant, *Ego sum Pauli.* „ Numquid (*inquit*) Paulus pro vo- „ bis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati e- „ stis? *Hic intelligimus* & bonos Pastores non sua quæ- „ rentes, sed quæ Jesu Christi; & bonas oves, quam- „ vis imitentur facta Pastorum bonorum, tamen in „ eis non ponere spem suam, quorum ministerio sunt

„ con-

„ congregatæ; sed in Domino potius, cujus sanguine sunt „ redemptæ: ut quando forte incurrerint in Pastores malos, doctrinam illius prædicantes, & sua mala opera „ facientes, quæ dicunt, faciant, quæ autem faciunt, „ non faciant; nec propter filios iniquitatis pascua defe„ rant unitatis. " Non ex personis fidem, sed ex fide judicamus personas. Sacerdotes & Pastores colendi, diligendi, audiendi sunt ut *Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: Ministerium & auctoritas reverenda quamvis mala sit vita. Ecclesiastici 7. *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & Ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes*. Tanto magis honorandi sunt novæ Legis Sacerdotes quam Mosaicæ, quanto excellentius Sacerdotium est. Mosaicæ Legis Sacerdotibus si quis obedire superbe recusaret, capitali supplicio plectebatur. Deuteronom. 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille*. Gravioribus certe pœnis digni sunt in foro divinæ justitiæ, qui novæ Legis Sacerdotibus non obediunt. *Quæcumque dixerint vobis, servate & facite*. Omnibus enim Pastoribus & Rectoribus animarum in persona Discipulorum Christi ab ipso Salvatore dictum est:

Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me*. Auctoritas enim, ministerium, & doctrina illorum a Deo est.

S. Ivo Carnotensis Ep. 233. *Præcepta* igitur *Præsidentium ad cathedram pertinentia* debent *obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi. Si vero ea præcipiant quæ sint contra doctrinam Evangelicam vel Apostolicam, ibi non esse eis obediendum exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non recte incedenti ad veritatem Evangelii in faciem restitit*. Non tamen abjiciendi sunt Præpositi ab inferioribus, nec eorum auctoritas spernenda. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, si quid homines divinæ legi contrarium præcipiant: alias servandum illud Domini præceptum ab

Hebr. 13. Apostolo prædicatum. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Rationem reddunt de ovibus & Pastores mali, sed malam, si vel errantes oves neglexerint, vel, quod multo deterius est, in errorem impulerint, vel prava doctrina, vel mala vita. Oves Domini occidunt, quantum in ipsis est, Præpositi mali: nam etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud quod

S. Aug. ser. 46. *Edit. postremæ Parisiensis.* audierunt a Domino suo, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: tamen qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo adtenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicida est*. Quando cum lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam, jam mœcathus est eam in corde suo: sic omnis qui male vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit & fortes oves. *Qui ergo imitatur Præpositum malum, moritur; qui non imitatur, vivit; tamen, quantum ad illum pertinet, ambos occidit*. Culpa nihilominus sua moritur, qui malos Præpositos imitatur, siquidem admonenti Domino parere negligit. *Secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt*. Lugenda certe illorum insania est, qui ex pravis moribus Præpositorum & Ministrorum Ecclesiæ, vitiis suis quærunt auctoritatem. „ Tam sunt isti absur-

S. Aug. ser. 351. *al.* 50. *inter Hom.* 60. „ di, & præposteri, & miseri, qui præpositorum suorum „ malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicata „ Domini præcepta servare; quam si quisquam viator re„ manendum sibi esse existimet in itinere, cum viderit „ milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non „ ambulare. Cur enim non potius, si pervenire desiderat, tales comites intuetur & consequitur, qui & vi„ am bene demonstrant, & in ea perseveranter atque „ alacriter ambulant? Quod si isti desint, vel potius mi„ nus appareant, nam deesse non possunt: non enim sic „ quærunt homines charitate studiosa quod prædicent ad „ imitationem, quomodo quærunt iniquitate suspiciosa „ quod murmurent ad deceptionem; partim non inveniendo bonos, dum ipsi mali sunt, partim timendo inveni„ re, dum mali esse semper volunt. Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione. „ Quisquis hoc putas, mente Dominum intuere, qui homo factus est, ut hominem vivere doceret. Si habitat „ Christus in interiore homine per fidem in corde tuo,

1. Jo. 2. 6. „ recordarisque illud quod Joannes ait, *Qui dicit se in „ Christo manere, debet quemdmodum ille ambulavit & „ ipse ambulare*: Ita nec tibi deerit quem sequaris, & „ cum te alius viderit, de bonorum inopia conqueri de„ sinet. Si enim non nosti quid sit recte vivere, divina „ præcepta cognosce. Fortassis enim multi recte vivunt; „ sed propterea tibi nullus recte vivere videtur, quoniam „ quid sit recte vivere ignoras. Si autem nosti, age quod „ nosti; ut & tu quod quæris habeas, & aliis quod i„ mitentur ostendas. Christum animo attende, attende „ Apostolos, quorum novissimus est ille qui dicit, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Attende animo „ tot Martyrum millia. Ibi videbis non solum viros, sed „ etiam feminas, postremo pueros & puellas, nec impru-

Natal. Alex. In Evang.

„ dentia decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi ti„ more frangi, nec sæculi amore corrumpi. Ita te non „ invenientem quod excuses, non solum præceptorum ine„ vitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabi„ lis multitudo circumdabit. " Ad illos adtende, non ad malos Ecclesiæ Ministros & Pastores, similes Pharisæis, qui *dicunt, & non faciunt*, & quod verbis ædificant, vitæ pravitate destruunt: cum tamen, *Ut quis obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis majus habeat pondus vita dicentis*. *S. Aug. l. 4 de Doct. Christ. c. 7*

2. *Alligant enim onera gravia & importabilia in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*. Secundus hic est Pharisaicæ hypocrisis character: Erga alios severi, sibi ipsis indulgentes. Disciplinæ veteris observantiam, sacrorum Canonum executionem, Pœnitentiæ publicæ instaurationem clamant: cum ipsi mollem vitam agant, commodis suis studeant, avaritiæ serviant, Christi mortificationem verbis tenus noverint. Onus tamen grave & importabile nemo Christianus arbitretur pœnitentiam gravitati criminum respondentem secundum legem Dei & Ecclesiæ regulas peccatoribus impositam. Nemo præceptorum Evangelicorum accuratam observantiam inter onera gravia censeat: *Jugum* enim Christi *suave est, & onus ejus leve. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Alia sarcina premit te, Christi sarcina sublevet te. Omnia fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est*. Onera gravia & importabilia sunt, quæ Pharisaica durities contra legem Evangelicam, aut Evangelii Spiritum infirmis imponit. Prudentia, mansuetudine, compatiente charitate, bono exemplo Pastores & Rectores animarum, Moderatoresque conscientiarum insignes esse debent ut peccatores recens conversos, Pœnitentes infirmos Christi jugum subire, amare, ipsique ferendo assuescere doceant. Nimia severitas æque ac nimia lenitas in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ & Regimine Animarum vitanda. Ovis errans ad summum Pastorem animarum nostrarum reducenda, omnique ratione, pro morborum qualitate, circumstantiis, dispositione ipsius Pœnitentis curanda est interdum per acriora & adstringentia remedia; interdum per melliora & leniora medicamenta: nusquam vero per desperationis præcipitia inconsulta severitate impellenda est. Hanc regulam tradiderunt Ecclesiæ Orientalis Antistites in Concilio Trullano, Canone ultimo, Sanctus Gregorius Magnus in Pastorali, Sanctus Carolus Borromæus in Institutionibus, & Sanctus Franciscus Salesius. *S. Aug. l. 5. de Civit. Dei cap.* 19.

3. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Tertius hic Pharisaicæ hypocrisis character, justitiæ & virtutis ostentatio. Opera bona coram hominibus, quibus præest, Pastor facere debet ad eorum ædificationem, non ad ostentationem. Exemplo prælucere illis debet, sed humilitatis, non minus quam virtutum ceterarum. *Ego non quæro gloriam meam.... Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*, (inquit Christus.) *Neque enim* (inquit Apostolus) *aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec querentes ab hominibus laudem, neque a vobis, neque ab aliis*. His exemplaribus conformare se debent Pastores & Rectores Ecclesiæ. Constat inter omnes veraciter pios, *Neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem, nec eam veram esse, quando gloriæ servit humanæ*. Inanis gloriæ vitium tam est inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor vel amor, ut Dominus diceret: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam quæ a solo Deo est, non quæretis?* Item de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palam confiteri, ait Evangelista: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei*. Non mirum igitur quod Pharisæi & Scribæ inanis gloriæ cupidi, non solum non crediderint, sed Veritatem ipsam Christum, ejusque doctrinam ac miracula impugnaverint. *Joan.* 10. *2. Thess.* 2. *Joan.* 9. *Joan.* 12.

4. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis & primas cathedras in Sinagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Et hi sunt Pharisaicæ superbiæ characteres; singularitas in habitu exteriori, ad captandam hominum existimationem ac laudem; honorationis loci in Ecclesiasticis aut civilibus conventibus affectatio, & amor publicæ reverentiæ ac honoris forensis: nominum & titulorum illustrium ac magnificorum ambitiosum studium. Lugenda illorum vanitas, qui humilitatis & pœnitentiæ habitu intumescunt. Melior est palliata seu pallio ornata humilitas, quam tunicata superbia: (inquit S. Bern.) Sponsam in Canticis cœlestis Sponsus in hunc modum compellat: *Revertere revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*. Quater dicit *Revertere*, propter quadruplicem superbiam, per quam aversa a Domino non videbatur. Est enim *superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus*. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est, Contra quam Sapiens orat dicens: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi*: Et alibi: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*. Superbia oris vel linguæ, quæ & *Cant.* 6. 12. *S. Bernardus ser.* 47

jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur. Unde Psalmista: *Disperdat*
Eccli 22. *Isaiæ 5.* *Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit; de qua idem Psalmista
Psalm. 11. ait: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Superbia habitus est, quando homo ut gloriosus
Psalm. 110 videatur, pretiosis se ornat vestibus: Unde Paulus: *Non in veste pretiosa.* Et Dominus: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*, ubi superbia abundat. Sed & ex vestium vilitate, inelegantia & neglectu interdum vana gloria nascitur. Sæculi moribus contradicitur, ut sæcularis gloria habitus singularitate captetur: vanitas sperni ac fugillari videtur, sed secretiori vanitate: fastus calcatur, sed alio fastu, ut de Diogene Plato dicit, & Tertullianus; *Diogenes*, inquit, *lutulentis pedibus superbos Platonis choros alia superbia decalcat.* Extremum humilitatis cultum sæpe assumit superbia. *Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat.*

S. Bern. Tract. de gradibus humilitatis.

5. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis.* Ecclesia schola veritatis, ubi Christus unus Magister: Sacerdotes & Pastores ministri. Eorum lingua loquitur, eorum verba audiuntur; sed Christi doctrina docetur, in ejus verbo reperitur, ejus auctoritate prædicatur, ejus Spiritu dicitur. Quamvis sint in Ecclesia Pastores & Doctores; apud Christum tamen omnis docendi auctoritas residet, ab illo velut a fonte veritatis omnis & scientiæ derivatur, qui docet hominem scientiam. Verba enim mera signa sunt, quæ admonent tantum ut quæramus veritatem, non exhibent ut noverimus. „ De universis autem quæ intelli-
„ gimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi
„ menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortas-
S. Aug. l. de Magistro c. 21. „ se ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur,
„ docet, qui in interiore homine habitare dictus est Chri-
„ stus; idest, incommutabilis Dei Virtus atque sempiter-
„ na Sapientia: quam quidem omnis rationalis anima con-
„ sulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere prop-
„ ter propriam sive bonam sive malam voluntatem pot-
„ est. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ Ve-
„ ritatis: ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est
„ quod corporei oculi sæpe fallunntur: quam lucem de re-
„ bus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis, quantum
„ cernere valemus ostendat. " Hunc audiamus & sequamur Doctorem justitiæ; non coacervemus nobis Magistros prurientes auribus, a veritate auditum avertentes, ad fabulas autem conversi. Veritatem & verbum Dei ut commune patrimonium Christi Testamento nobis relictum suscipiamus, totum possideamus singuli, sine invidia cum fratribus communicemus: *Omnes enim vos fratres estis.* Fratres sumus, non natura tantum, sed gratia & disci-
Tertull. Apolog. 39. plina. *Fratres sumus jure naturæ matris unius. At quanto dignius, fratres & dicuntur & habentur qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis?*

6. *Et patrem nolite vobis vocare super terram: Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Ecclesia una familia est, cujus Deus Pater est, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Hujus filii sumus, *Dedit* enim nobis *potestatem filios Dei fieri*, credentibus in nomen ejus. Verbo illius & Spir. Sancto in sinu Sponsæ ejus regenerati sumus in vitam novam. Patres tamen nostri sunt, illosque ut tales honorare debemus, qui potestatis ejus, auctoritatis, & charitatis participes, filios illi generant & instituunt in ordine naturæ, in ordine civili, in ordine gratiæ. Hoc nomine magis compellari ament Ecclesiæ Principes & Pastores, quam Domini. *Gratius siquidem nomen pietatis, quam potestatis*, iis
Tertull. qui Apostoli monitum secuti, *Non dominantur in Clero.*

7. *Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est Christus:* Nos instituens exterius verbo suo, præceptis, consiliis, flagellis, interius Spir. Sancto suo, docens nos omnem veritatem ejusque amorem inspirans, ut non solum videamus quæ agenda sunt, sed eo adjuvante faciamus. Docet nos ut Verbum Patris, ut Veritas & Sapientia æterna, ut *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsum audiamus in Scripturis suis, in Ecclesia sua, in Sede S. Petr. per Vicarios suos, in singulis Ecclesiis per Episcopos & Pastores nostos docentem, de quibus in persona Apostolorum dixit: *Qui vos audit, me audit.* Ipsum audiamus intus in cordibus nostris per inspirationes gratiæ suæ loquentem ac docentem, ut vere simus *Docibiles Dei*: ubi non littera docet, sed Spiritus: non lectio, sed unctio: non disputatio, sed exercitatio in mandatis Dei. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus..... Justificationes tuas doce me... Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

8. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Humilitas gratias a Deo acceptas custodit; charitas in proxi-
S. Aug. l. 19 de Civit. Dei c. 14. morum utilitatem effundit. Dignitas Ecclesiastica ministerium est, non dominatio. *In domo justi viventes ex fide, & adhuc ab illa cœlesti vita peregrinantes, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia.* Multo magis qui Ecclesiæ bene præsunt, de nobilitate, de dignitate, de eruditione, de gradu minime gloriantur: sed ut servos Jesu Christi, & omnium, quibus præsunt, *servos per Jesum* se gerunt. Quo majores sunt eo magis se humiliant in omnibus. *Neque potestate dominante, sed charitate serviente* felices se existimant. Si forte errent aut labantur, monitores admittunt, exemplo S. Petri, qui nec a S. Paulo, quamquam inferiore, dedignatus est reprehendi: *Quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, primus fieret in humilitate.*

S. Augusti.

9. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Humilitas securus est ad veram celsitudinem gradus, humiliatio & abjectio certa & inevitabilis superbiæ pœna: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quippe tamquam contumeliæ suæ propulsator, veluti quoddam suscipit adversus superbiam speciale certamen. Cetera vitia contra Deum pugnant fugiendo, superbia ad ipsius similitudinem indebito modo accedere tentando. Hinc Deus superbis resistit, suamque contumeliam propulsat. *Dominus qui aliis donat*, inquit S. Ambrosius, *superbis resistit, & tamquam congreditur iis qui se exaltant; sibique hoc certamen vindicat.* DEJECISTI *eos dum allevarentur* (inquit Propheta.) *Non dixit, Dejecisti eos, quia elati sunt: non quasi postea quam elati sunt dejecisti illos: sed in eo ipso quod elati sunt, dejecti sunt. Sic enim efferri, jam cadere est.*
„ Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt
„ perierunt propter iniquitatem suam.... Deficientes quem-
„ admodum fumus deficient. " *Vere quomodo fumus, qui dum extollitur, deficit, defecerunt.... Fumus a loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit: sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior: ab illa enim magnitudine non fundata & solidata, sed pendente & inflata, is in auras atque dilabitur, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem.* Ita superbi, qui magnifice de se sentientes, in suis cogitationibus evanescent, qui *ambulant in magnis & mirabilibus super se; qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur, qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus; labia nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est?* pergit Rex Propheta, Psalm. 62. vers. 20. *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* „ Ho-
„ mo in somnis videt se invenisse thesaurum, dives est,
„ sed donec evigilet. Pauper dormierat, dives in somnis
„ factus fuerat: si non evigilasset, dives esset: evigila-
„ vit, invenit ærumnam, quam dimiserat dormiens. Et
„ isti invenient miseriam quam sibi comparaverant. Cum
„ evigilaverunt de hac vita, transit illud quod quasi in
„ somno tenebatur. *Velut somnium surgentium.* Et ne
„ diceretur: Quid ergo, parva tibi videtur claritas eo-
„ rum, parva tibi videtur pompa eorum, parvi tibi vi-
„ dentur tituli, imagines, statuæ, laudes, cunei clien-
„ tium? " *Domine* (inquit) *in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Quicumque ista non habetis,
S. Aug. Enar. in Ps. 71. non cupiatis: quicumque habetis, non in eis præsumatis. Non dico, Damnamini si habetis, sed, Damnamini, si de talibus præsumatis, si de talibus inflemini, si propter talia magni vobis videamini, si propter talia pauperes non agnoscatis, si generis humani conditionem communem propter excellentem vanitatem obliviscamini. Tunc enim necesse est Deus retribuat in novissima, & in civitate sua imaginem ipsorum ad nihilum redigat. *Qui se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

S. Aug. in hunc Ps. & ser. 2. in Ps. 36.

Psal. 72. 18

10. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis Regna cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Octo beatitudines Evangelicæ justis a Christo prædicatæ ac promissæ: octo imprecationes ac maledictiones ab eodem contra Sacerdotes, Pastores, & Directores hypocritas, quorum typi erant Scribæ & Pharisæi, prolatæ. *Væ vobis*, &c. VÆ *in Scriptura sæpius de æterno luctu, quam de præsenti solet intelligi. Unde scriptum est*: VÆ *impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.* VÆ illis qui Christi opus, animarum salutem, vel profectum impediunt, utilibus operariis invidentes, & sancto eorum labori suis calumniis derogantes! Magna infelicitas est, in Regnum cœlorum, cujus januam nobis Christus aperuit, intrare nolle: cumulus infelicitatis, alios ab introitu prohibere vel avertere, quibus esse duces ad Christum verbo & exemplo deberes, qui dixit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Regnum cœlorum ante homines claudunt, qui nimium arctant viam salutis, vel nimis emolliunt jugum Christi.

S. Greg. M. Hom. 9. in Ezech.
Isai. 3. 11.

Joan. 10. 9.

11. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.* Hypocritæ sua quærunt, non quæ Jesu Christi: Religione ad quæstum abuntur: Orationem, Sacramentorum frequentationem

Deum

Deum ipsum avaritiæ suæ servire faciunt. A viduis, a devotis matronis, a virginibus quarum incautæ simplicitati specie Religionis facilius illudunt, extorquent munera, donationes, fundationes, pia legata. Devotiones & Exercitia Pietatis apud ipsos magis sancta, quæ magis quæstuosa: ut hic locum habere videatur illud Tertulliani contra Ethnicorum superstitiones: *Dii qui magis tributarii, magis sancti; immo qui magis sancti, magis tributarii. Majestas quæstuaria efficitur, circuit cauponas Religio mendicans. Exigitis mercedem pro solo Templi, pro aditu sacri. Non licet Deos nosse gratis; venales sunt.* Ut hypocritarum Clericorum & Monachorum avaritiam coercerent olim Imperatores Christiani, Leges condiderunt, quibus ipsis hæreditates capere vetabatur; de quibus S. Hieronymus: *Provida severaque legis cautio, & tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus . . . Ignominia Sacerdotis est propriis studere divitiis.* „ Simulatores sanctitatis maxime circa mulieres „ negotiantur, quia nec intelligere ita facile eorum si„ mulationes possunt, & facile ad eorum dilectionem in„ clinantur Religionis causa: præcipue tamen circa vi„ duas: primo quidem quia mulier non facile decipitur „ habens consiliarium virum: deinde quia non facile de „ facultatibus suis aliquid dat, cum sit in potestate viri. „ Propterea ergo Dominus, dum Judaicos Sacerdotes con„ fundit, Christianos monet ne cum viduis mulieribus „ amplius commorentur quam cum ceteris; quia etsi vo„ luntas mala non sit, tamen suspicio mala est. *Comedi„ tis domos viduarum, orationes longas orantes: propter „ hoc amplius accipietis judicium.* Qui enim a religione „ causam accipit nequitiæ, graviori pœnæ obnoxius est. „ *Propter hoc amplius accipietis judicium*: Primo, quia „ iniqui estis: secundo, quia larvam assumitis sanctitatis: „ & quasi præstatis diabolo arma Dei, ut ametur iniqui„ tas, dum pietas æstimatur.“

Tertull. Apolog. 13.

S. Hieron. Epist. 2.

Auctor Operis Imper. in Mat. sub nomine S. Chr. h. 44.

22. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam ut faciatis proselytum unum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quam vos.* Qui propter quæstum aut vanam gloriam, non propter gloriam Dei, & ex sincera charitate, zeloque salutis animarum sacra ministeria obeunt, inutiles sunt ad aliorum salutem, quia spiritualis fœcunditatis principium, scilicet Spir. Sanctum non habent: unde vix multo labore quemquam ad Deum adducere possunt; & ad pœnitentiam ac professionem pietatis trahere: & si forte quempiam traxerint, in eis spiritum pœnitentiæ ac pietatis conservare nequeunt: cum eos pravis principiis, opinionibus, exemplis deteriores faciant. Magistris scilicet deteriores fiunt discipuli. Ea enim est naturæ nostræ corruptela, ut probos Doctores vix imitemur: improbos autem, quoniam procliviores ad mala sumus, etiam superemus. Pastores & Directores hypocritæ similes sunt Struthioni, quæ *Relinquit in terra ova sua*, ut Job 39. scriptum est. „ Quid enim per ova, nisi tenera adhuc „ proles exprimitur, quæ diu fovenda est ut ad vivum „ volatile perducatur? Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta in vivis volatilibus con„ vertuntur. Ita nimirum parvuli auditores ac filii cer„ tum est quod frigidi insensibilesque permaneant, nisi „ Doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur „ derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua Do„ ctorum voce fovendi sunt, quousque valeant & per in„ telligentiam vivere, & per contemplationem volare. „ Quia vero hypocritæ quamvis perversa semper operen„ tur, loqui tamen recta non desinunt; bene autem lo„ quendo in fide vel conversatione filios pariunt, sed non „ bene vivendo nutrire non possunt, recte de struthione „ dicitur: *Quæ derelinquit in terra ova sua*. Curam nam„ que filiorum hypocrita negligit; quia ex amore intimo „ rebus se exterioribus subdit, in quibus quanto magis „ extollitur, tanto minus de prolis suæ defectu crucia„ tur. Ova ergo in terra dereliquisse, est, natos per „ conversionem filios nequaquam a terrenis actibus inter„ posito exhortationis nido suspendere. Ova in terra de„ reliquisse, est nullum cœlestis vitæ filiis exemplum præ„ bere. Quia enim hypocritæ per charitatis viscera non „ calent, de corpore prolis editæ, idest, de ovorum suo„ rum frigore nequaquam dolent: & quanto se libentius „ terrenis actibus inserunt, tanto negligentius eos, quos „ generant, agere terrena permittunt.“

S. Jo. Chr. h. 74. in Matt.

S. Greg. M. l. 31. Moral in Job. c. 5.

13. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil est: qui autem juraverit in auro Templi, debet. Stulti & cæci: quid enim majus est, aurum, an Templum quod sanctificat aurum?* &c. Juramenti per creaturas facti vinculo non minus adstringitur homo, quam si expresso Dei respectu fiat ad quem referuntur creaturæ; quædam propius, aliæ remotius. Omnis juratio periculosa, si frequens sit, cum viam sternat perjurio, & debitis sit conditionibus destituta, quæ ad juramenti religionem requiruntur, ut scilicet fiat *in veritate, in judicio & in justitia*. Lege quæ in Theologia nostra Dogmatica & Morali diximus, ad secundum præceptum Decalogi.

Quid majus est, aurum, an Templum quod sanctificat aurum? Avarus pluris facit aurum, quam Templum; & pluris dona, quam Altare. Cupiditate sua religionis & rerum ad illam pertinentium magnitudinem & sanctitatem metitur. Quid mirum? Aurum pro Deo habet *Avaritia simulacrorum servitus*. Deum pecuniam coluere veteres Ethnici sine Templo, ut canit Poeta: *Juvenalis*

------- *Etsi funesta pecunia Templo* *Tertull. l. d Idolat.*
Nondum habitas, nullas nummorum extruximus aras.

Quo detestabilius avarorum scelus, qui pecuniæ Templum in animo suo dicant: ut de ipsis auro & argento servientibus dici possit, quod Tertullianus contra illos urget qui idola fabricabant: *Colis non spiritu nidoris alicujus, sed tuo proprio, nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis: diligentia tua nomen illorum est. His saginatiorem, & auratiorem, & majorem hostiam cædis salutem tuam.* Judas Iscariotes pretium ex sacrilega Magistri venditione comparatum in Templum projecit. Non projecit in sterquilinium, sed in Templum: nimirum *Talibus semper Diis Templum suum devoverat*: aurum illi pro Deo fuerat. *Drogo Hostiensis de Passione Domini.*

Quid enim majus est, donum, an Altare, quod sanctificat donum? Omnis victima per altare; Christi humanitas per divinam ejus personam non modo sanctificatur, sed adoratione digna redditur. Deus per Christum Jesum adorandus est in spiritu & veritate. Nihil Deo dignum, quod per istud Altare sanctificatum non fuerit. Nihil Deo acceptum esse potest, quod per unionem cum Christo Jesu Filio ejus consecratum non fuerit. Fide & charitate animi offerentis hæc unio perficitur. *Intelligendum Templum & altare ipsum Christum: aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.* *S. Aug. l. 1. Q. Ev. Q. 34*

14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt Legis, judicium, & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes!* Qui in exterioribus observantiis diligens ac scrupulosus est, & essentialia maximeque necessaria religionis ac pietatis Christianæ officia sine scrupulo prætermittit, pietatem ac religionem a fundamentis evertit. Hæc eorum frequens & maxime periculosa tentatio, qui devotionem proficentur. Externa devotionis exercitia, formulæ precum proprio arbitrio selectæ, pleraque arbitrariæ devotionis crepundia sexus utriusque religiosiores occupant ac detinent, dum generalia Christianæ professionis, & propria sui cujusque status ac vocationis officia negligunt, interioris hominis reformationem, justitiæ & charitatis erga proximum, fidei, religionisque erga Deum officia necessaria, immobilia, indispensabilia. Falsa conscientiæ teneritudo; quæ superbiam ac vanitatem fovet, peccatorem specie boni decipit. Humanitus instituta, & proprio arbitrio suscepta pietatis exercitia anxie observat, dolet vehementer, si prætermiserit; nec tamen pravos iræ, maledicentiæ sive detractionis, calumniæ, mendacii, luxus, &c. habitus emendare, aliasve malas cupiditates domare curat. Minimum quid ac leve proximo furari nollet: sed tamen pauperibus magnam pecuniæ vim gonduque furatur avaritia, immodicis ac vanis sumptibus, redituum Ecclesiasticorum abusu & effusione. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Verum (inquient) eleemosynas obviis pauperibus stipem mendicantibus, panem ostiatim petentibus largimur; sicque Dominicum præceptum implemus: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Sed dabant & Pharisæi, e quibus erat ille, qui in Templo orans cum Publicano dicebat: *Jejuno bis in Sabbato, decimas omnium bonorum meorum do pauperibus.* Eleemosynas dabant illi, qui mentham & anethum, & cyminum, & rutham, & minima quæque olera decimabant. Sed relinquebant *graviora Legis, judicium, & misericordiam, & fidem.* Non est hoc facere eleemosynam, *Hæc oportuit facere* (inquit Christus) *& illa non omittere.* Quæ facere? Judicium, & charitatem, & justitiam, & misericordiam. *Facite illa, sed ista præponite.* Num quid vero (inquies,) non facimus misericordiam, qui eleemosynam erogamus? Si intelligis quid sit facere misericordiam, a te incipe. „ Quomodo es misericors alteri, si „ crudelis sis tibi? Mendicat ante te anima tua, redi „ ad conscientiam tuam. Quicumque male vivis, quicum„ que infideliter vivis, redi ad conscientiam tuam: & „ ibi invenies mendicantem animam tuam, invenies egen„ tem, ærumnosam, invenies forte nec egentem, sed ege„ state obmutescentem. Nam si mendicat, esurit justitiam. „ Quando inveneris talem animam tuam, fac prius mi„ sericordiam cum illa. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* „ In judicio & charitate fac eleemosynam cum anima „ tua. Quid est in judicio? Respice, & inveni; dispice „ tibi, pronuntia in te. Et quid est charitas? *Dilige „ Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Dilige proximum tuum tamquam te ipsum.* Et fecisti misericor„ diam *S. Aug. serm. 106. alias 30. de Verbis Domini.* *Eccli. 30. 24*

„ diam prius cum anima tua, in conſcientia tua. Hanc
„ autem eleemoſynam ſi prætermittis, da quod vis, do-
„ na quantum vis; retrahe de fructibus tuis, non deci-
„ mas, ſed dimidias; novem partes da, & unam tibi
„ dimitte: nihil facis, quando tecum non facis, & te-
„ cum pauperes, Anima tua veſcatur, ne fame pereat.
„ Da illi panem. Quem panem? Ipſe tecum loquitur.
„ Tu ſi audires, & intelligeres, & crederes Domino,
Joann.6.42. „ ipſe tibi diceret: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo de-*
„ *ſcendi*. Nonne iſtum panem primum dares animæ tuę,
„ & faceres cum illa eleemoſynam? Si ergo credis, de-
„ bes facere ut prius paſcas animam tuam. "

15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum.* Animus virtutum & vitiorum ſedes eſt: eo grati vel inviſi Deo ſumus. Hypocritæ fruſtra conantur ejus immunditiam hominibus occultare, ut famę ſuæ conſulant, & probitatis opinionem laudemque conſequantur: cum revera immundus ſit coram Deo affectu peccati, praviſque deſideriis. Contra, vere Pœnitens animum purgare ſtudet amore Dei & odio peccati, qui certæ ac veræ pœnitentiæ characteres ſunt; & ab hominibus *peccator omnium notarum* haberi non refugit, temporali verecundia confuſionem æternam redimens. *Munda prius quod intus eſt, &c.* Munditia exterior ab animo in corpus, a conſcientia in ſuperficiem exteriorem operum derivatur. Niſi charitas hujuſmodi operum principium ſit, finis una Dei gloria, hypocriſis & falſæ juſtitiæ folia ſunt, non veræ juſtitiæ pietatiſque fructus. *Quid prodeſt quia caro munda eſt, & habitator carnis immundus? Ille qui forte mundus eſt in carne, adulterum eum Deus tenet in corde, ſicut Dominus dicit*, Amen dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam
Matth. 5. mœchatus eſt eam in corde ſuo. „ Iſta eſt coinquinatio
„ ſpiritus. Quando autem fit perfecta ſanctificatio? Quan-
„ do & carnis & ſpiritus. Sunt enim homines qui tem-
„ perant ſe a factis, & non temperant ſe a cogitationi-
„ bus malis: faciunt mundationem carnis, & non faci-
S. Aug. ſer. „ unt mundationem ſpiritus. Tales ideo non faciunt,
46.al.52.ex „ quia timent homines. Libido ardet, timor revocat.
additis a „ Quid times? Inveniri & damnari; inveniri & expom-
Sirmondo. „ pari. Ergo incoinquinata videtur caro, ſed non eſt
„ perfecta ſanctificatio: quia quid dicit Apoſtolus? *Mun-*
„ *demus nos ab omni coinquinatione carnis & ſpiritus*:
„ Ut quomodo te temperas a malis factis, ſic te tempe-
„ res a mala voluntate, a malis cogitationibus. A malo
„ facto contine, & mundas te a coinquinatione carnis:
2 Cor. 7. 1. „ a mala voluntate abſtine te, & mundas te a coinqui-
„ natione ſpiritus. *Et ſequitur: Perficientes ſanctificatio-*
„ *nem in timore Dei*. Magnifice, addidit, *in timore Dei*.
„ Non perficit homo ſanctificationem, niſi in timore
„ Dei. Quæ eſt perfecta ſanctificatio? Sanctificatio cor-
„ poris & ſpiritus. Si ſit corporis, & ſpiritus non ſit,
„ imperfecta eſt. Eſſe corporis & non eſſe ſpiritus, po-
„ teſt: eſſe ſpiritus, & non eſſe corporis non poteſt.
„ Qui enim eſt mundus ſpiritu, operari flagitia non po-
„ teſt. Unde hoc? Ex corde enim procedunt, ait Do-
„ minus, adulteria, homicidia. Homo enim non poteſt
„ perpetrare per membra, quod non ſibi in corde dixe-
„ rit: Verbum in corde concepit, & deputatum eſt in
Mat.15.19. „ opus. Ideo Dominus, *Mundate quæ intus ſunt*, ait,
„ *& quæ foris ſunt, munda erunt*. Non dixit mundate
„ quæ foris ſunt. Si a corpore inciperet, reſtabat ut mo-
„ neret nos, ut mundaremus & animum: Si autem ab
„ animo, non opus eſt ut mundemus corpus; quia ani-
„ mi munditiam ſequitur corporis munditia... Quis fa-
„ cit ſanctificationem corporis, & non facit animæ?
„ Qui homines timet, & non Deum. Nam qui in timo-
„ re Dei eſt, perficit ſanctificationem. Ideo certe nolui-
„ ſti perpetrare adulteria, ne ſciret homo: timore ho-
„ minum tenuiſti carnem a commiſſis malis: ideo nolui-
„ ſti committere ubi videt homo. Si & Deum times,
„ noli & ibi, ubi videt Deus, & perfeciſti ſanctificatio-
„ nem. "

16. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ; quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Juſtorum corpora templa ſunt, quorum inhabitator Deus eſt, quem adorant in ſpiritu & veritate. Corpora peccatorum ſepulchra ſunt mortuorum; quia anima eorum mortua eſt deſerente Deo, ſicut corpus moritur anima deſerente. Ipſi vivi funus ſuum circumferunt. *Sepulchrum*
Apoc. 3. 1. *patens eſt guttur eorum*, &c. Peccatores quorum iniquitas exterius apparet; patentia ſepulchra ſunt: Hypocritę vero ſepulchra dealbata. Externam enim dumtaxat juſtitiæ ac pietatis ſpeciem habent, non veritatem; non interiorem ſpiritum: quibus dici poſſit: *Scio opera tua: nomen habes quod vivas, & mortuus es*. Mortua ſunt revera hypocritarum opera, tametſi vitæ ſpiritalis nomen habeant. Moventur ut cadavera; externum eſt motus illorum principium, ſcilicet hominum timor; ſpes commodorum temporalium, ſtudium inanis gloriæ, Interius vitę motuſque principium non habent, ſcilicet charitatem: intus pleni ſunt ſpurcitia; & oſſibus mortuorum, vitiis occultis, pravis affectibus, quibus coram Deo fœtent, corruptæ intentionis putredine, malæ conſcientiæ vermibus. *Pleni ſunt oſſibus mortuorum*. Oſſa viventium firma & fortia ſunt: oſſa mortuorum inutilia, & ad corruptionem vergentia. Affectus & virtutes juſtorum ſimiles ſunt oſſibus viventium. Unde Propheta ait: *Non eſt occultatum os meum a te, quod feciſti in occulto*. Os hujuſmodi firmitas quædam eſt interior: quia in oſſibus firmitas & fortitudo intelligitur. *Eſt ergo quædam animæ interior firmitas, ubi non frangitur. Quælibet tormenta, quælibet tribulationes, quælibet hujus ſæculi adverſitates undique ſæviant, illud quod Deus in abſcondito fecit firmum, in nobis frangi non poteſt, non cedit.* Quæ vero hominibus videntur bona opera hypocritarum, ſimilia ſunt oſſibus mortuorum, arida ſunt, inutilia, corrupta: nulla eſt in eorum animo interior firmitas, qua mundi amoribus & terroribus reſiſtere valeant. *Intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum*. Quid prodeſt pietatis opinio, juſtitiæ ſpecies, fucata virtus, umbra ſanctitatis, ſi animus plenus ſit fallacia & dolo, avaritia, ſuperbia, immundis affectibus, omni hypocriſi, omni genere iniquitatis? Cum exterior illa albedo, colores, ornatus, quibus paries inductus & linitus eſt, deleti fuerint in ſupremi judicii die, & animus hypocritæ, velut ſepulchrum omnibus patebit, quid proderit homines decepiſſe occultando ejus putredinem, ſimulando ſanctitatem? Major erit illius confuſio, terribilior damnatio. *In fine hominis denudatio operum illius.* Ecch.11.29.

17. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum. Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*, &c. Phariſæis ſimiles ſunt, qui præteritorum temporum Sanctos colunt, præſentis temporis perſequuntur: defunctos lubenter laudant, ſuperſtites calumniis appetunt. Impiorum facta te damnare ſimulas, ſi imiteris. Pios occidit, qui calumniatur. *Homicidium non in ſola ſanguinis profuſione, & animæ ereptione reputandum. Homicidium enim in verbo maledicti vel convitii judicat Deus;* (inquit Tertullianus.) *Linguas acuiſtis in gladios, quas* Tertull.l.de
moviſtis in mortes non corporum, ſed honorum. Jugula- Idol. cap. 2.
ſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt quia vivunt homines, & occiſi ſunt honores a vobis? Valent quidem membris, ſed ereptæ portant funera dignitatis, (inquit S. Optatus Milevitanus.) Dimittes filios qui bona uſuris, rapinis, fraudibus, monopoliis, iniquis exactionibus, concuſſionibus, oppreſſione pauperum, & quibuſvis malis artibus a parentibus quæſita poſſident, nec reſtituere curant: ſatis eſſe putantes, cæcorum forte Directorum conſilio, ſi aliquid ad Sacrarum Ædium & Altarium ornamentum conferant; ſi Capellas dotent, aut Anniverſaria Sacra fundent, ad oſtentationem potius quam ad ſatisfactionem: teſtimonio ipſi ſuo convincuntur, quod filii ſint eorum qui pauperes oppreſſerunt & ſpoliarunt. *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum qui Prophetas occiderunt.*

18. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Divina miſericordia ſtatuit menſuram gratiarum, divina juſtitia menſuram terminumque peccatorum. Metuendum eſt ne duritie cordis impœnitentis exhauriamus menſuram gratiarum ejus; & addentes peccata peccatis, ſcelerum menſuram cumulemus. Vita impii concatenatio quædam eſt peccatorum, quorum poſtremum reprobationis ejus veluti ſigillum eſt. *Aæ qui trahitis iniquitatem in funicu-* Iſaiæ 5
lis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum, &c. Nullum quidem peccatum irremiſſibile eſt, ſi agatur ex animo pœnitentia: ſed vix agitur ab eo qui Phariſaicam vitam agit, qualem hic deſcripſit Chriſtus. Deſeritur enim luce veritatis, qua deſertus utique fit cæcus: & Dei miſericordia, omnibuſque Chriſti donis & gratiis tam exterioribus, quam interioribus abuſus, verbi Dei prædicatione, Sacramentis, bonis exemplis, ſalutaribus monitis, & correptionibus piorum & ſapientum, contemnit Dei patientiam quæ illum ad pœnitentiam invitat & diu expectat, & divitias longanimitatis ejus: ac propterea *Theſaurizat ſibi iram in die iræ & juſti* Rom. 2. 5.
judicii Dei. Implete menſuram patrum veſtrorum. *Unicuique homini ſupplicium fieri de peccato ſuo, & eius iniquitatem in pœnam converti*; hinc intelligere debemus: *Ne putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei* S. Auguſt.
de ſe proferre unde peccata puniantur; ſed ipſa peccata En.in Pſal.
ſic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, ſint inſtrumenta punienti; (ut loquitur S. Aug.) 7.

19. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* &c. Severas illas & publicas increpationes manſuetiſſimi Salvatoris meruit Phariſæorum hypocriſis & ſuperbia. Hinc cogita quam terribilis futura ſit exprobratio & ſententia, qua impios in die judicii conteret. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit.* Neminem timuit, quia Deus ultionum eſt. *Ideo non parcebat in verbo, ut eſſent poſtea quibus parceret in ju-*
dicio:

dicio: quia si nollent accipere verbi medicinam, incursuri erant utique & inventuri Judicis sententiam. Qui in verbo non pepercit passurus, parcet in Sententia judicaturus? Qui neminem timuit in humilitate, timebit quemquam in claritate? Ex eo quod jam fidenter egit, cogita quomodo sit acturus in fine sæculi.

20. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Infidelis & crudelis Jerusalem, peccatoris typus, cujus Deus *non vult mortem, sed ut convertatur & vivat*. Non paterno dumtaxat, sed materno affectu illi misericordiam suam & protectionem offert. *Expandit alas suas in protectionem*: non modo ut *Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, sed ut gallina congregans pullos suos sub alas. Hæc avis majorem præ ceteris affectum in pullos exhibet, pro quibus veluti infirmatur. Rauceſcit illi vox, fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ: *Et ea est materna charitas, quæ invenitur infirmitas*: Ideo Christus se gallinæ comparavit. *Mater nostra Sapientia Dei per carnis susceptionem infirmata est quodammodo. Unde & Apostolus dicit*: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *Protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. In qua defensione, quod illa adversus milvum conatur affectu; hæc adversus diabolum perficit potestate*. Vult nos sub alas congregare misericors Salvator, sicut gallina congregat pullos suos, & nolumus, cum illius vocationi & gratiæ resistimus. Quid vero nobis continget, si redire ad illum nolumus, & sub ejus alis congregari? Ab eo deseremur, ejus protectione & gratia destituemur; *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: & Dei visione in perpetuum privabimur. *Non me videbitis amodo*. Claudentur amodo oculi fidei, ne Christum, ne salutares Evangelii veritates, ne officia nostra videamus. Claudentur & obtenebrescent oculi mentis, ne unquam Deum ut in se est videant, quæ Sanctorum felicitas est. Summam illam, quam Christus impiis minatur miseriam ut vitemus, ut fugiamus ab ira ventura, ad Deum per penitentiam confugiamus, ipsi per charitatem adhæreat anima nostra: sub ejus alis securi quiescamus, velut pullos Sapientiæ matris nos semper gerentes. Dicamus ex animo cum Rege Propheta: *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te*. Hilarescо in bonis operibus, quia super me est velamen alarum tuarum. Si me non protegas, quia pullus sum, milvus me rapiet. „ Parvuli sumus; ergo protegat „ nos Deus sub umbraculo alarum suarum. Quid cum „ majores facti fuerimus? Bonum est nobis ut & tunc „ protegat nos, ut sub illo majore semper nos pulli simus. Semper enim ille major est, quantumcumque creverimus. Nemo dicat, Protegat me cum parvulus sum: „ quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit pervenire, quæ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es. „ Semper ab illo protegi velimus: tunc semper in illo „ magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli sumus. „ *Et in velamento alarum tuarum exultabo: Adhæsit anima mea post te*. Gluten charitas est. Charitatem habe, quo glutine adglutinetur anima tua post Deum. „ Non cum Deo, sed post Deum, ut ille præcedat, tu „ sequaris. Qui enim voluerit Deum antecedere, consilio suo vult vivere, & non vult sequi præcepta Dei. „ *Me suscepit dextera tua*. Quis pertinens ad Christum „ non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cum „ illo diabolus & angeli ejus, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, „ vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore „ mortis, aut alicujus Potentis inimicitiis, aut alicujus „ Potentis amicitiis? Omnibus modis instat diabolus quemadmodum dejiciat: sed non timeamus. Sic sunt diabolus & Angeli ejus quasi milvi: sub illius gallinæ „ alis simus, & non nos potest contingere. Gallina enim „ quæ nos protegit, fortis est. Infirma est propter nos: „ sed fortis est in se Dominus noster Jesus Christus, ipsa „ Sapientia Dei. "

S. Aug. Enar. in Psal. 58. conc. 1. Idem l. 1. Quæst. Evang. Q. 16. 1. Cor. 1. 25.

Psal. 62.

S. Aug. Enar. in Psal. 62.

CAPUT XXIV.

Sensus Litteralis.

1. *ET egressus Jesus de Templo, ibat*, versus montem Oliveti, unde optimus erat Templi prospectus, quod subjecta ei monti pars murorum Templi depressior esset partibus ceteris. *Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes Templi*: admirantium in modum, sive etiam commiserantium affectu, quia Templi eversionem futuram a Christo proxime audiverant, dicente: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Quod a Discipulis factum S. Matth. memorat, S. Marcus ab uno factum scribit, sive per enallagem numeri multis tribuatur quod actum ab uno est, sive unus id fecerit reliquis præsentibus; Marci 13. 1. *Et cum egrederetur de Templo, ait illi unus ex Discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ*. Luc. 21. *Et quibusdam dicentibus de Templo quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit*: &c. De Templi a Zorobabele & Judæis e Captivitate Babylonica redeuntibus excitati, & ab Herode Magno innovati magnifica structura, legi potest Josephus.

Josephus l. 6. de Bello Judaico c. 6. & *lib.* 15. *Antiq. cap. ultimo.*

2. *Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*. Videtis hæc, & obstupescitis? Non relinquetur lapis lapidi adhærens, qui non dissolvatur. Proverbialis locutio est, qua summa vastatio significatur. Et certe Templum, ut Christus hic prædixerat, plane dirutum est, nulla ejus parte servata; cui etiam aratrum inductum est Turno Rufo, quem Hebræi sæpe, & cum infamia memorant, inter alios Maimonides, *Taanith cap.* 5. Et quamvis incendium Templi Titus prohibuisset, Milites tamen ejus edictum non reveriti, sed *Divino quodam moti impetu* illud incenderunt, Josepho teste: & Juliano Apostata imperante quicquid vetustarum supererat ruinarum ac fundamentorum excussum est, cum Judæi Templum excitare conarentur (inquit Socrates:) „ Cum Imperator igitur sumptus operi præberi ex publi„ co jussisset, brevi parata sunt omnia: materia scilicet, „ lapides, lateres cocti, argilla, calx, & quæcumque „ alia ad ædificandum necessaria. Quo quidem tempore „ Cyrillus Jerosolymorum Episcopus, memor vaticinii „ Danielis Prophetæ; quod Christus etiam in sacris E„ vangeliis confirmavit, palam multis adstantibus prædi„ xit, futurum brevi ut in eo Templo lapis super lapi„ dem non maneret, sed Servatoris oraculum complere„ tur. Cumque hæc dixisset Episcopus, noctu ingens ter„ ræ motus exortus, lapides ex veteribus Templi fun„ damentis avulsos sursum excussit, & cunctos una cum „ contiguis ædificiis disperſit. Terror ex eo non medio„ cris invasit Judæos; famaque ejus miraculi plures exci„ ti, ex regionibus ad eum locum convenerunt. Cum „ igitur quamplurimi adessent, aliud denuo prodigium „ accidit. Ignis enim subito ex fundamentis erumpens „ multos consumpsit, & omnia artificum instrumenta de„ pastus est. "

Scaliger Can. Isag. p. 304. Ligfoot in Horis Hebr. ad c. 24. Matth.

Socrates l. 3. Histor. Eccles. cap. 20.

Sozomen. l. 5. cap. ultimo. Theodoret. l. 3. c. 15. Ammian. Marcel. l. 23. S. Greg. Naz. Orat. 3. adversus Julianos. S. Ambros. Epist. 29. ad Theodosium.

3. *Sedente autem eo super Montem Oliveti, accesserunt ad eum Discipuli secreto dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? Et quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Cum sederet Jesus in Monte Olivarum *contra Templum*, quatuor ex Discipulis ejus, ipsi præ ceteris familiares, *Petrus, Jacobus, Joannes & Andreas* ipsum interrogarunt seorsim ab aliis, & secreto humana curiositate ducti, futura, maximeque ea quæ patriam suam, seque ipsos spectarent, prænoscendi. Interrogarunt autem de tribus quæstionibus, scilicet de tempore eversionis Templi, de signis adventus ejus ad ultimum judicium, & finis mundi. Et Apostoli quidem excidium Templi & finem mundi conjuncta fore existimabant: neque hanc illis opinionem excutere impræsentiarum Christus voluit; ne post Templi eversionem in longum expectationem porrigentes securi essent. Sicut ergo tres quæstiones confuse proposuerunt, sic ad eas Christus confuse respondit, ut finis mundi judiciique tempus ignotum maneret. Sed tamen intelligendum & explicandum est, quoad poterit, quæ ad Jerosolymitanum excidium, quæ ad finem Mundi pertineant. „ Interrogantibus enim Dominus ea respondit, „ quæ jam ex illo tempore fuerant secutura, sive de ex„ cidio Jerusalem, unde orta est ipsius interrogationis „ occasio; sive de adventu suo per Ecclesiam, in qua „ usque ad finem venire non cessat. In suis enim venie„ ens agnoscitur, dum ejus quotidie membra noscuntur; „ sive de ipso fine in quo apparebit vivos judicaturus & „ mortuos. Cum itaque signa dicat, quæ ad ista tria „ pertinent, id est, ad excidium illius Civitatis; ad ad„ ventum ejus in corpore suo, quod est Ecclesia; ad adven„ tum ejus in capite Ecclesiæ, quod est ipse: quod eo„ rum signorum ad quod horum trium referendum sit, „ diligenti consideratione cernendum est, ne forte quod „ pertinet ad eversionem Jerusalem, ad finem sæculi re„ ferendum putemus, aut e contrario, quod ad finem sæ„ culi pertinet, affirmemus ad civitatis illius excidium „ pertinere; aut quod pertinet ad ejus adventum in cor„ pore suo, quod est Ecclesia, dicamus pertinere ad ejus „ adventum novissimum in corpore suo, quod est caput „ Ecclesiæ; aut rursus quod pertinet ad adventum ejus „ novissimum per se ipsum, ad eum pertinere asseverе„ mus adventum qui est per Ecclesiam, in quibus omni„ bus sunt quædam manifesta, quædam vero sic obscura, „ ut vel laboriosum sit ea dijudicare, vel temerarium, „ quando non intelliguntur, de his aliquid definire. "

S. Aug. Ep. 199. alias 80. c. 9.

4. *Et respondens Jesus dixit eis: Videte nequis vos seducat*. De tempore excidii Jerosolymitani, & finis Mundi curiose & anxie quæritis: de vobis ipsis solliciti estote: cavete vobis ne quis vos a fide dimoveat, & in errorem inducat. *Multi enim venient*, & ante Templi excidium, & ante finem Mundi, *in nomine meo*, nomen meum, officium, dignitatemque usurpantes, *dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent*. Talis Theodas, de quo Gamaliel Act. 5. 36. *Ante hos enim dies exstitit Theodas dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum*

rorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Tales illi impostores, qui Felice Judææ Procuratore, prætextu afflatus divini imponebant hominibus, persuadentes iis ut se in solitudinem sequerentur, signa & miracula maxima conspecturi. Talis Ægyptius ille Magus, qui cum opinionem atque auctoritatem Prophetæ sibi conciliasset, usque ad triginta hominum millia, quos præstigiis suis deceperat, congregavit. Quos cum ex solitudine ad montem usque Olivarum perduxisset, inde in Urbem irrumpere statuerat, depulsoque Romanorum præsidio dominationem occupare. Verum Felix Judææ Procurator conatum hominis prævenit, adversus eum progressus cum Romanis militibus. De quo S. Lucas Act. 21. Josephus lib. 2. Histor. Eusebius lib. 2. cap. 21. Talis Simon Magus, qui se magnam Dei Virtutem prædicabat; & Dositheus, qui sibi Christi titulum vindicabat, de quo Origenes Lib. 2. adversus Celsum, & Tractatu 27. in Matthæum. Talis Bencosba, qui se Barcocheba, *Filium stellæ*, nominabat, dicens se *Stellam* illam esse *ex Jacob orituram*, de qua Num. 24. 17. Tales multi finem Mundi, & adventum Christi ad ultimum Judicium præcedent, inter alios ille de quo Apostolus 2. Thessal. 2. 8. „ Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus „ interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione ad„ ventus sui eum: cujus est adventus secundum operatio„ nem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis „ mendacibus: & in omni seductione iniquitatis iis qui „ pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperant „ ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem er„ roris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui „ non crediderunt veritati, sed consensserunt iniqui„ tati. "

Videsis Joseph. lib. 18. & 20. Antiq. & l. 7. de Bello Judaico. S. Hil. cap. 25. in Matth. S. Jo. Chrysost. Hom. 76. S. Hieron. in hunc locum.

5. *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum; videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.* Audituri estis ante Jerosolymitanum excidium, & ante Mundi finem, prælia & bella tum externa, tum domestica & *seditiones* (ut apud S. Lucam habetur) cedesque popularium vestrorum, & rumores bellorum: sed ne propterea moveamini ac perturbemini, ita ut a fidei meæ sive retinendæ, sive aliis prædicandæ constantia discedatis. Hæc enim fieri oportet, posita hominum malitia, positoque Dei decreto, quo Judæos punire statuit: cum tamen ista fient, nondum erit finis malorum, quæ Judaicæ genti ante Jerosolymitanum excidium, vel humano generi ante finem mundi sunt eventura. Hæc enim velut præludia sunt & prænuntia malorum graviorum.

Joseph. lib. 20. Antiq. & in lib. de Bello Judaic. Eusebius in Chron. Philostrat. in Vita Apollonii.

6. *Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca.* Judæos, & aliarum gentium in iisdem civitatibus commorantes, mutuis inter se cædibus collidendos significat, Tetrarchias & Provincias apertis bellis in se mutuo sævituras. Hæc ante excidium Jerosolymitanum contigere: Cæsareensium scilicet, Scythopolitarum, Ascalonitarum, Ptolemeensium, Tyriorum, Gadensium, Alexandrinorum, Damascenorum bella in Judæos: Judæorum in Peræa habitantium bellum adversus Philadelphenos ob finium controversiam, Cuspio Fado Procuratore: Judæorum & Galilæorum bellum adversus Samaritas, Procuratore Cumano: bellum primum a Sicariis, quos vocabant, deinde ab universa Judæorum gente adversus Romanos & Agrippam, aliosque Romani Imperii socios, quod initium habuit Gessio Floro Procuratore. Item, fames magna, ab Agabo prædicta, Claudii Imp. tempore Judææ incubuit *Act.* 11. 28. Horrendi terræ motus Claudii Neronisque Imp. temporibus, variis in locis contigerunt, in Cretа, Smyrnæ, Mileti, Chii, Sami, paulo ante excidium Jerosolymitanum: Item in Asia, ubi Laodicea, Hierapolis, & Colossæ terræ motu corruerunt.

Tertull. Apol. cap. 2. & 3.

7. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Sed ea, quę jam memoravi, mala, scilicet bella, pestilentiæ, fames, terræ motus, adeo suprema non erunt sive Jerusalem mox diruendæ, sive orbis conflagraturi & judicandi, ut primis demum doloribus parituræ mulieris conferri debeant, quos dolor multo gravior in ipso partu sequitur.

Luc. 11.

8. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Interea, immo *ante hæc omnia*, (ut apud S. Lucam habetur) Judæi tradent vos, & rapient ad Synedria, ad Præsides, ad Reges, & efficient ut carcerem, flagra, contumelias, aliasque id genus vexationes vobis inferant Apostolis ac Discipulis meis, aliisque Religionis Christianæ Professoribus: & efficient ut quidam vestrum interficiantur, sive populari tumultu, sive judicii specie. Priori modo Stephanus, altero Jacobi duo, hic ab Herode gladio percussus; ille a Synedrio morte damnatus. *Et eritis odio*, non modo Judæis, sed *omnibus gentibus*, ob Fidei Legisque meæ professionem. Tertullianus in Apologetico: „ Christianum (*inquit*) hominem omnium scelerum „ reum, Deorum, Imperatorum, Legum, morum, na„ turæ totius inimicum existimas, & cogis negare ut „ absolvas, quem non poteris absolvere, nisi negaverit... „ Cum igitur in omnibus non aliter disponitis quam ce„ teros nocentes, in unum contendendo ut de eo nomi„ ne excludamur, (excludimur enim, si facimus quæ „ faciunt non Christiani) intelligere potestis non sce„ lus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quædam „ ratio æmulæ operationis insequitur, hoc primum agens „ ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro „ certo sciunt, ideo & credunt de nobis quæ non pro„ bantur; & nolunt inquiri, ne probentur non esse, quę „ malunt credi esse, ut nomen illius æmulæ operationis „ inimicum, præsumptis non probatis criminibus, de sua „ sola confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, „ & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia „ nominis prælium est... Christianus si nullius nomi„ nis crimen est, valde ineptum si solius nominis crimen „ est. Quid quod ita plerique clausis oculis in odium „ ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, „ admisceant nominis exprobrationem? Bonus vir Cajus „ Sejus, tantum quod Christianus. Item alius. Ego miror „ Lucium sapientem virum repente factum Christianum... „ Alii quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso denotant quo laudant. Cæcitate „ odii in suffragium impingunt. Quæ mulier! Quam la„ sciva! Quam festiva! Quis juvenis! Quam amasius! „ Quam lusius! Facti sunt Christiani. Ita nomen emen„ dationi imputatur. Nonnulli etiam de utilitatibus suis „ cum odio isto paciscuntur, contenti injuria, dum ne „ domi habeant quod oderunt. Uxorem jam pudicam ma„ ritus jam non zelotypus ejecit. Filium jam subiectum „ pater retro patiens abdicavit. Servum jam fidelem do„ minus olim mitis ab oculis relegavit. Ut quisque hoc „ nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, „ quanti est odium Christianorum... Census istius Dici„ plinæ, a Tiberio est. Cum odio sui cœpit veritas si„ mul atque apparuit inimica esse. Tot hostes ejus quot „ extranei, & quidem proprie ex æmulatione Judæi, ex „ concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici no„ stri. Quotidie obsidemur, quotidio prodimur: in ipsis „ plurimum cœtibus & congregationibus nostris oppri„ mimur. "

Ibid c. 7.

9. *Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.* Et multi hac occasione, conspecto scilicet omnium gentium adversus Christianos odio, metu mortis, & vexationum illis illatarum, a Christianæ Religionis professione deficient: & alter alterum odio habebit, & persecutoribus tradet; nimirum falsi fratres qui a Christianismo deficiunt, illos qui perseverant. Nulli enim pene in veram Religionem crudeliores, quam qui veræ Religioni repudium miserunt.

10. *Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* Multi qui se Evangelicæ Veritatis Doctores mentientur, multos decipient; & a fide veraque Religione, quam vos prædicabitis, abducent. His verbis omnes Hæretici designantur, qui Jerosolymitanum excidium præcesserunt, & Mundi finem erant anteceSSuri. Quorum alii omnem Religionis usum auferre conati sunt, ut Hymenæus & Philetus, qui dicebant *Resurrectionem jam esse factam*. Alii cultum omnem externum indifferentem esse docebant; a quibus id hauserunt Elxai & Elcesaitæ. Ex hoc dogmate ortum est illorum crimen, qui in Idolis una cum ceteris accumbebant: de quibus Apostolus 1. *Cor.* 8. 4. & 10. 19. adversus quos est illa admonitio 1. Joannis 5. 21. *Filioli, custodite vos a simulacris*. Alii Christianam Religionem cum Paganismo miscere aggrediebantur, ut Simon Magus, Carpocrates, & Gnostici, & ex Imperatoribus Tiberius, Adrianus, Severus, Heliogabalus, qui Christum cum Di's gentium coli peroptarunt. Alii cum Judaismo, ut Cerinthus & Ebion. De primis Timotheum suum monet Apostolus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Et ad Colossenses scribit ut ab iis sibi caveant: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi, & non secundum Christum.* De postremis ad Galatas scribit: *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.* Hi omnes, horumque similes sunt, quos Christus vocat *Pseudoprophetas*, S. Paulus *perversa loquentes* (Act. 20. & 30.) & *Pseudoapostolos*, (2. Cor. 11. 13.) quorum dogmatibus multorum fides eversa est.

1. Tim. 6. 20. Coloss. 6. 8. Galat. 6. 12.

11. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Propter sævitiam persequentium, scandalum desertorum & apostatarum, errores falsorum Doctorum, extinguetur ac deficiet multorum charitas, qua erga Deum, Christique cultores fervebant: ita ut vix aliquis eos excipere ac juvare audeat. Id in se expertus est S. Paulus Apostolus, qui ad Timotheum suum scribit: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.*

12. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qui tot mala a me prænuntiata constanti animo in finem usque pertulerit, nec ullis seductionibus, persecutio-

2. Tim. 4. 16

secutionibus, ac vexationibus, publicis hominum odiis, scandalisve fractus, in fide & charitate firmus permanserit, æterna salute & beata immortalitate donabitur. Confer cum Marci 13 vers. 13. *Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.*

13. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus: & tunc veniet consummatio.* Hæc tamen mala & pericula ex bellis, seditionibus, fame, pestilentia, terræ motibus, seductoribus, pseudochristis, falsis fratribus, apostatis, omnium gentium in Christianos odio, & persecutione, non impedient quin Evangelium meum in universo orbe, & quidem cum fructu prædicetur, in testimonium salutis per Christum partæ, cujus particeps erunt qui Evangelio crediderint & obedierint; a qua exsortes & alieni, qui non crediderint. *Et tunc veniet consummatio*, finis Judaicæ Reipublicæ per Jerosolymitanum excidium, sive finis Mundi. Primum sensum S. Hilarius & S. Jo: Chrysostomus: secundum S. Hieronymus & venerabilis Beda adstruunt. Utraque interpretatio vera. Nam & ante Jerosolymitanum excidium in universo orbe prædicatum fuisse Evangelium; quia in maxima orbis noti parte suo tempore jam factum fuerat, testatur Apostolus Rom. 1. 8. „ Fides vestra annuntiatur „ in universo Mundo, *Et cap.* 10. 18. Sed dico, numquid „ non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit „ sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Et* „ *Coloss.* 1. 4. 5. & 6. Audientes fidem vestram in Chri„ sto Jesu, & dilectionem quam habetis in sanctos om„ nes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam „ audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad „ vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & „ crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis & co„ gnovistis gratiam Dei in veritate. *Et vers.* 23. Si ta„ men permanetis in fide fundati, & stabiles, & immo„ biles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum „ est in universa creatura, quæ sub cœlo est, cujus fa„ ctus sum ego Paulus minister. " Porro si unus Paulus ab Jerosolymis ad Illyricum usque Evangelium Christi pertulit, & (ut quidam existimat) etiam in Hispaniis, quid de omnibus aliis Apostolis, & tot eorum adjutoribus existimandum est? Exemplo certe gentium etiam barbararum Judæos Deus invitare voluit ad obedientiam Evangelii, & non obedientes, contumacis incredulitatis apud omnes populos convincere, antequam in eos iram suam effunderet. SS. Hilarii & Chrysostomi interpretationem juvat S. Marcus cap. 13. 10. *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus.*

14. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Primæ Apostolorum quæstioni de excidio Jerusalem hic respondere Christus incipit, usque ad Ver- *Marci 13.* sum 23. Cum videritis signum abominandum futuræ desolationis stans in Templo, *ubi esse non debet*: qui legit Danielis oraculum, illud tunc adimpletum intelligat. Danielis 9. 26. legitur: *Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio... Et erit in Templo abominatio desolationis, &c.* Abominatio porro quam prædicit Christus, est scelestissima illa profanatio Templi per zelotas, seu per ingentem latronum manum, qui in Jerusalem irrumpentes, pollutis pedibus Templum ingressi, eoque ceu castro, & tyrannidis præsidio adversus populum usi sunt. Tot vero cædibus innocentium simul ac nocentium illud repleverunt, sive inter se digladiati, sive cum populo pugnantes, ut per atria divina diversorum sanguis cadaverum stagnum faceret, nec posset amplius manere Dei locus, quod tot domesticorum funerum sepulcrum erat. Facta est hæc Templi profanatio paulo post circumdatam ab exercitu *Cestii*, & liberatam Jerusalem, duravitque usque ad ejus excidium per tres circiter annos cum dimidio. De hac scribit Josephus lib. 6. *De bello Judaico*, cap. ultimo: *Puta, si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum, aut Sodomæ incendia passurum.* Quin & Titus ipse seditiosos aliquoties *Josephus l. 7. de Bello Judaico c. 4. & l. 5. c. 2.* rogavit ut a tam nefaria profanatione desisterent, se illius causam non esse contestatus, ut idem Historicus refert. Qui & alibi testatur veterem fuisse sermonem, tunc demum civitatem expugnatum iri, & Sancta flammis exurenda, cum seditio exorta fuisset, ac Templum Dei Judæorum ipsorum manibus violatum: *Quibus* (inquit) *zelotæ nihil de eorum verborum fide dubitantes, se ministros præbuerunt.* Obsessæ porro ab exercitu Cestii civitatis tempus spectant S. Lucæ verba cap. 20. v. 20. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.* Obsidionem ejus a Tito non spectant, quo tempore non erat fugæ locus. Unde Josephus lib. 2. De *bello Judaico*, *S. Irenæus l. 5. c. 25. & S. Hilar. in* cap. 25. scribit: *Post Cestii casus adversos, nobilium Judæorum multi, tanquam ex navi pessum itura, & ex civitate enatarunt.* Non me latet, Veterum non-

nullos *abominationem desolationis stantem in loco sancto*, *hunc locum.* Antichristum interpretari, qui extollet se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, *ita ut in Templo* *2. Thessal.* *Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*, ut S. Pau- *c. 2. v. 4.* lus ad Thessalonicenses scribit; sed cum S. Augustino sentire malim, qui hæc ad excidii Jerosolymitani tempus referenda probat ex supra citato S. Lucæ loco.

15. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* *S. August.* His locutionibus hyperbolicis festinatio fugæ præcepta *Epist. 199.* significatur. Ut primum hæc videritis, qui in Terra Israelis sunt, quæ tota ante ultimam Jerosolymorum obsidionem & excidium debellabitur & vastabitur, fugiant in loca invia & tuta: & qui in tecto, sive solario domus (quæ pars ædium in Palestina plana erat, & obeundis negotiis vel deambulationi opportuna) non descendat in domum suam ad sumendum aliquid ad iter aut ad subsidium vitæ necessarium: & qui in agro fuerit, vel ambulandi vel laborandi causa, non revertatur in domum, pallium accepturus. Confer cum Luc. 21. v. 21. ubi hæc aliis verbis exprimuntur, quæ ad Jerosolymitanum excidium, non ad mundi finem, hæc referenda esse secundum sensum litteralem confirmant. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam,* (scilicet Jerosolymam:) *quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.* Huic monito Christi obedientes Christiani, ex Jerosolymis totaque regione migrarunt trans fluvium in urbem Pellam, quæ Regi Agrippæ, amico & adjutori Romanorum parebat. Ita & Regia Urbe, & universa Judæa viris sanctis destituta, tum demum divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum, tum in ejus Apostolos scelera corripuit, totamque illam piorum sobolem funditus delevit. Ita refert *Eusebius* lib. 3. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 5.

16. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Miserabilior erit prægnantium & nutricum status, quæ uteri vel puerorum sarcina gravatæ, ad fugam expeditæ non erunt. *Orate autem ut non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.* Deum qui tempora disponit, & impedimenta removet, orate, ne fugiendi necessitas vos premat hyeme, ob temporis importunitatem, viarum difficultatem, brevitatem dierum: vel Sabbato, quo iter prohibitum est. Cum tamen non omnem ambulationem Sabbato vetitam esse constaret, siquidem eo die ad Sanctuarium ex castris iri solebat, ut habetur Levitici 23. 3. *Exod. 16.* Sapientes Hebræi bis mille cubitis spatium Sabbatici itineris definierunt, quod alii quinque, alii septem stadiis metiuntur. Orandum igitur, ait Christus, ne in Sabbatum incidat fugæ necessitas, ostendens longe ultra bis mille cubitos fugiendum. Et quamquam in vitæ periculo cessaret lex Sabbati, ea tamen exceptio omnibus probata non erat: Vulgus enim Judæorum ad superstitionem usque Sabbatum etiam in necessitate observasse, variis in locis testatur Josephus. *29.*

17. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Non frustra vos præmoneo, ut tunc fugam capessatis. Elapsa enim fugæ opportunitate, mala Judaicæ genti imminebunt malis omnibus humanis graviora; talis calamitas, qualem nulla gens aut civitas ab orbe condito passa est, aut unquam patietur. Nec mirum; extremum enim scelus nempe Deicidium, extremis tribulationibus ac pœnis plectendum erat. Confer cum Lucæ 21. 23. 24. *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Consentit Josephus l. 6. cap. 21. scribens: *Neque ullam urbem umquam passam talia, neque ab omni ævo fuisse nationem ullam malitia ferociorem.*

18. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Nisi æterno Dei decreto dies illi tribulationis & calamitatis incredibilis ad parvum numerum redacti fuissent, vel mala ipsa breviori tempore durassent, Deo Urbis expugnationem per Romanos accelerante, nullus Judæorum tunc mortem evasisset, sed quotquot erant in Terra Israel mutuis cædibus, aut fame, aut hostili gladio concidissent. Sed propter eos qui ex Judæis ad æternam beatitudinem electi sunt, Deus bello & calamitatibus infandis finem citius imponet. „ Non debemus ambigere (*inquit S.* *S. August.* „ *Augustinus*) quando eversa est Jerusalem, fuisse in illo *Ep. 199.* „ populo electos Dei, qui ex Circumcisione crediderant, *alias 80.* „ sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mun„ di, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia „ mala fierent. Nam quidam convenientius intellexisse „ videntur, mala ipsa significata nomine dierum, si„ cut dicti sunt dies mali in aliis divinæ Scripturæ lo„ cis. Neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quæ „ fiunt in eis. Ipsa ergo dicta sunt breviari, ut Deo „ donante tolerantiam minus sentirentur, ac sic quæ „ magna essent, brevia fierent. Sed sive isto modo intel„ ligenda sit illa dierum breviatio, sive quod ad paucitatem „ redigerentur; tamen Lucas Evangelista & hanc die-

,, rum breviationem, & abominationem deſolationis, ad ,, everſionem Jeruſalem docuit pertinere. " Divina porro providentia factum ut obſidio ſpe omni celerius finem haberet, liquido apparuit. Nam & obſeſſi ambuſtis frumentis famem acceleraruntt, & munitiſſima præſidiorum fatali vecordia deſeruerunt. Unde ipſe Titus expugnatis Joſephus l. 7. de Bello judaico c. 16. Philoſtratus in Vita Apollonii. Grotius in hunc locum. Jeroſolymis & inſpectis munitionibus dixit: *Plane Deo adjuvante pugnavimus; & Deus erat qui detraxit ab iſtis munitionibus Judæos.* Idemque rejecta corona ſibi oblata, profeſſus eſt, ſe talium operum auctorem non fuiſſe, ſed Deo iram ſuam in Judæos effundenti manus præbuiſſe. Ceterum ſcite obſervat eruditus Interpres, divini conſilii diſpenſatione factum eſſe, ut inter Chriſti, veri Paſchatis immolationem, & amiſſionem Terræ Promiſſæ a Judæis anni totidem intercederent, quot inter Ægyptiacum Paſcha, & ejuſdem Terræ adeptionem interceſſerant: ipſiſque pro diebus quadraginta, qui dati erant Ninivitis ad pœnitentiam, annos totidem fuiſſe conceſſos.

19. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Tranſit Chriſtus ad tertiam quæſtionem, de qua ipſum interrogaverant Apoſtoli, ſcilicet ad finem mundi, adventuſque ſui ad judicium ſigna. Tunc, poſt excidium ſcilicet Jeruſalem uſque ad finem mundi, ſi quis vobis dixerit, hoc vel illo loco apparuit Meſſias a Deo promiſſus, qui Judæos a calamitatibus liberet, qui fauſta vobis proſperaque omnia Regno ſuo faciat, nolite credere. Unus enim Chriſtus eſt, qui jam venit: Ego ipſe, præter quem Judæi fruſtra alium expectant.

20. *Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Orientur qui ſe Chriſtos mentiantur, qui Meſſiæ nomen uſurpent: & Pſeudo-prophetæ ſeu falſi Doctores, & ſigna magna prodigiaque edent, ſed mendacia, Chriſti, ac verorum Prophetarum æmuli, qui veris miraculis, quaſi Dei ſigillis, miſſionem, doctrinam & vaticinia ſua confirmarunt. Illa autem edent vi dæmonum naturales cauſas adhibentium, aut ſenſibus humanis illudentium. Tanta porro erit mendacium hujuſmodi prodigiorum cum veris miraculis ſimilitudo, ut ipſi electi ad gloriam æternam ſecundum propoſitum divinæ voluntatis in errorem traherentur, eoque perirent in perpetuum, ſi poſſibile eſſet ut vitio humano vel aliqua re creata vinceretur Deus; & ut quiſquam de manu Chriſti raperet oves, quas Pater illi dedit. Pſeudo Chriſti & Pſeudo-prophetæ ſunt Hæretici, de quibus S. Joannes ſcribit Epiſt. 1. cap. 2. *Filioli, noviſſima hora eſt:* S. Aug. l. de Corrept. & Gratia c. 7. & Jan. c. 25 *& ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt: unde ſcimus quia noviſſima hora eſt . . . Quis eſt mendax, niſi qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic Antichriſtus qui negat Patrem & Filium.* Et cap. 4. 3. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Illi vero præ ceteris convenit Antichriſti nomen, quem S. Paulus *Hominem peccati & Filium perditionis* vocat, qui revelabitur ſuo tempore, ſcilicet paulo ante mundi finem ultimumque judicium, *cujus eſt adventus in omni operatione ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus: quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui,* Apoc. 13. *& deſtruet illuſtratione adventus ſui:* quem S. Joannes in Apocalypſi indigitat nomine beſtiæ, cui *draco dedit poteſtatem*, cui *datum eſt os loquens magna & blaſphemias. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant. Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram: quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni qui occiſus eſt ab origine mundi.* De qua idem Joannes Apoc. 19. 13. ſcribit: *Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim ſpiritus Dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.*

21. *Ecce prædixi vobis.* Futura ſalutis pericula vobis prædixi, ut illa ſolicite caveatis. *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.* Si dixerint vobis aliqui, Chriſtus in deſerto eſt, nolite exire ad eum audiendum vel videndum, ne in errorem inducamini. Si dixerint: Ecce in conclavibus ſeu locis ædium abſtruſioribus eſt, nolite credere. S. Jo. Chryſ. hom. 77. in Matth. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.* Sicut fulgur promicans e nubibus in Oriente poſitis ſubito per univerſum orbem cernitur: ſic ultimus Adventus meus, ſubitus quidem & inexpectatus, ſed tamen toti orbi conſpicuus & manifeſtus erit. Non enim quemadmodum primus apud Bethleem fuit, in angulo videlicet orbis minimo, nec ullo id hominum ſciente, ſic & ſecundus: ſed manifeſte adeo, ut nuntio res non indigeat Sicut fulgur non indiget præcone aut nuntio, ſed in momento temporum omnibus apparet: ſic adventus ille ſtatim propter gloriæ ſplendorem ubique videbitur.

22. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Alluditt Chriſtus ad illud Job 39. 30. *Pulli ejus lambent ſanguinem, & ubicumque cadaver fuerit ſtatim adeſt.* Quod ad certum aquilæ genus pertinere agnoſcunt Hiſtoriæ naturalis interpretes. Significat igitur Chriſtus, Adventum ſuum ad judicium latere poſſe neminem: quia ſicut aquilæ ſtatim advolant ad cadaver, quod naturali ſenſu & mira ſagacitate deprehendunt ubicumque fuerit, etiam trans maria: ſic ad locum ubi erit Chriſtus, qui ſe ipſum cadaveri propter mortem quam paſſus eſt, comparavit, homines congregabuntur univerſi, ab illo judicandi. Sive ſanctos aquilarum inſtar raptum iri in nubibus obviam Chriſto in aera ſignificat. *Sanctos* (inquit Sanctus Hilarius) *de volatu ſpiritalis corporis aquilas nuncupavit: quorum, congregantibus Angelis, conventum futurum in loco paſſionis oſtendit. Et digne illic claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis paſſione corporeæ humilitatis operatus eſt.* Ariſt. Hiſt. l. 9. c. 32. Plin. lib. 10. c. 4. Bochart. l. 2. Hierozoici c. 2. S. Hil. c. 23. in Matth.

23. *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.* Statim autem poſt calamitoſa illa Eccleſiæ tempora, & Antichriſti perſecutionem, ſol tenebris ut velo operietur; luna lumen non dabit, obtenebrato ſole, utpote quæ luce lucet aliena. Stellæ de cœlo cadere videbuntur, tum quia ſubito deſtituentur lumine; tum quia cometæ in aere accenſi decident. Virtutes cœlorum commovebuntur: vires cælorum in luce & influxibus ſitæ deficient. Vel, Angelicæ Virtutes ad tantam rerum perturbationem admiratione concutientur. Hæc mundi occaſus imminentis ſymptomata, & ſecundi Adventus Chriſti ſigna prænuntia, de quibus veteris novique Teſtamenti Prophetæ. *Iſaiæ* 13. 9. 10. 11. ,, Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala; & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. ,, *Joelis* 2. 30. 31. Et dabo prodigia in cœlo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. *Apoc.* 6. 12. 13. *& ſeq.* Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræ motus magnus factus eſt, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis: & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum a vento magno movetur. Et cœlum receſſit ſicut liber involutus: omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: & Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare? *Confer cum Lucæ* 21. 25. Et erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur.

24. *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate.* Sole obſcurato, & luna non dante lumen, apparebit ſignum quo Chriſtus mundo & hominibus, fidelibus & infidelibus notus ac celeber eſt, ſignum ſcilicet crucis ſole fulgentioris, ceu vexillum trophæumque Regis, ac Judicis. Et tunc omnes nationes dolorem ſerum & inutilem pectoris tunſione teſtabuntur, quod judicem illum ſuum olim crucifixerint, vel crucifixum contempſerint. Confer cum Zachariæ 12. 10. *Et aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum: & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Et cum Apocal. 1. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Et videbunt corporeis oculis Chriſtum ad judicandum vivos & mortuos venientem, nubibus quaſi currum triumphali vectum, ſeu quaſi in throno gloriæ in illis ſedentem. Sic venturum Angeli confirmarunt Apoſtolis: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Venientem porro videbunt homines univerſi ab eo judicandi cum *virtute multa*, id eſt, cum magna poteſtate, & majeſtate ſive gloria, non cum illa infirmitate & humilitate qua nunc me circumdatum intuentur. Virtutem ſeu poteſtatem demonſtrabit ignis SS. Hilar. Chryſ. Hieron. &c. & Eccleſia canens. Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Act. 3. 11.

ante

ante ipsum præcedens, & inflammans in circuitu inimicos ejus, mundi conflagratio & innovatio, momentanea mortuorum resurrectio: Majestatem corporis claritas, nubis lucidissimæ amictus, Angelorum stipantium multitudo, gloria, & reverentia. Potestatem ac Majestatem Christi ad judicium venientis paulo aliter describit S. Joannes: „ Et vidi, *inquit*, cœlum apertum, & ecce equus
Apocal. 19. „ albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, „ & Verax; & cum justitia judicat, & pugnat. Oculi „ autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus dia„ demata multa, habens nomen scriptum, quod nemo no„ vit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & „ vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui „ sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti „ byssino albo & mundo. Et de ore ejus procedit gla„ dius ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat Gen„ tes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat „ torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet „ in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Re*Apocal. 20.* „ gum, & Dominus dominantium. *Et rursus*: & vidi „ thronum magnum candidum, & sedentem super eum, „ a cujus conspectu fugit terra & cœlum, & locus non „ est inventus in eis. Et vidi mortuos, magnos & pusil„ los, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: „ & alius Liber apertus est qui est vitæ, & judicati „ sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secun„ dum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos, qui in „ eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, „ qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secun„ dum opera ipsorum. „

25. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Et mittet Angelos suos Christus Jesus, Angelorum & hominum Dominus efficaci imperio, quod vocis & tubæ nomine significatur, metaphora sumpta vel a bello ubi tuba adhibetur tum ad convocandum milites, tum ad terrendum hostes: vel ex more Judæorum, qui tuba & populum convocabant, & dies festos indicebant. Dicitur autem hæc tuba modo Christi, ceu Regis, cujus edicta cum tubæ clangore promulgantur: modo Angelorum, tamquam accensorum Christi aut præconum. Et congregabunt electos ejus a quatuor ventis cardinalibus, id est, a quatuor mundi plagis, ab uno orbis extremo usque ad alterum. *Confer cum Joannis* 5. 25. „ Amen Amen dico vobis, „ quia venit hora & nunc est, quando mortui audient „ vocem Filii Dei: & qui audierint vivent... Venit ho„ ra, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient „ vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in „ resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resur„ rectionem judicii. *Confer cum Sancto Paulo.* 1. *Corin.* „ 15. 51. 52. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes „ immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novis„ sima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent in„ corrupti, & nos immutabimur. *Et ad Thessalonicens.* „ 4. 14. Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, „ & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui qui in
Apoc. 4. vers. 1. & c. 8. vers. 6. „ Christo sunt, resurgent primi. „ Angelos cum tubis Sanctus Joannes in Apocalypsi exhibet, quod Dei mandata velut ejus ministri significent & exequantur.

26. *Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.* Ex arbore fici, quæ his in regionibus notissima & obvia erat, Christus similitudinem arcessit. Sicut vicinam æstatem esse nostis, cum fici ramus mollis fuerit & succo plenus, gemmasque & folia protrudere cœperit: ita cum videritis hæc omnia fieri, quæ huc usque dixi vobis, certi estote jam proximum esse vobis Regnum Dei plenum illud & pacatissimum, quod post judicium in sanctis revelabitur.

S. Hieron. in hunc locum. 27. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Non peribit humanum genus, vel Judæorum natio non omnino interibit, donec omnia fiant quæ vobis prædico. Judæorum enim reliquiæ post Gentis excidium mansuræ erant ubique dispersæ, usque ad ultimum Christi adventum. *Cœlum & terra transibunt*: non abolitione sui, sed innovatione: *Verba autem mea non præteribunt*: non fallent, non inania erunt, sed certissime implebuntur.

S. Hieron. in hunc locum. 28. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Diem porro consummationis sæculi & adventus Christi ad judicium, nemo novit (Angelos ipsos non excipio) præter Patrem. Filius non excluditur: sed dicens, Patrem solum nosse, *in Patre comprehendit & Filium. Omnis enim Pater filii nomen est.* Cum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est Verbum Dei: *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: in omnibus autem temporibus etiam dies judicii sit: qua consequentia potest ejus ignorare partem, cujus totum noverit? Deinde quid est majus, notitia Patris, an judicii? Si majus novit, quomodo
S. Athan. Orat. 4. cont. Arianos. ignorat quod minus est? Scriptum legimus: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Si omnia Patris Filii sunt, qua ratione unius sibi diei notitiam reservavit, & noluit eam communicare cum Filio? Additur tamen Marci 13. 32. *Neque Filius*: & in quibusdam etiam Latinis Codicibus sic legi S. Hieron. observat. Nescit scilicet Christus illum diem ex eo quod est homo; quamvis sciat ex eo quod simul est Filius Dei. Scit in natura humanitatis, non ex natura humanitatis. Nescit, quia nescientes nos facit. Id nempe ita sciebat, ut tunc Discipulis indicare nollet. Sic Apostolus: *Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum.* Hoc scilicet inter ipsos nesciebat, quod per illum scire non poterant, cum tamen *sapientiam inter perfectos* loqueretur. Sic Christus Joannis 15. ait: *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Omnia scilicet quæ ipsis nosse expediret, & quorum cognitionem ferret ipsorum infirmitas. Loquitur igitur Christus hic tamquam Dei Legatus, qui non sic a Patre diem illum didicerat ut cuiquam eorum ad quos fuerat legatus, illum aperire deberet: ita ut illum sibi sciret, non aliis. Hinc Apostolus de Christo scribit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Quare absconditi? Quia hominibus non expedit plura nosse. Unde ab Apostolis post Resurrectionem de die judicii interrogatus, respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *Non est vestrum scire*, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis. Alioqui qua ratione diem illum ignorare fingi potest, *Qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum*: & qui omnia ad illum diem pertinentia prænuntiavit?

S. Ambr. l. 8. in Lucam. S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 15. & l. Qu. 83. Qu. 60. S. Gregor. M. Ep. 42. l. 8.

29. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.* Sicut factum est in diebus Noe, ita continget in adventu Christi. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.* Sicut enim temporibus Noe, imminente diluvio, homines genio indulgentes, & voluptatibus immersi, vivebant absque metu & sollicitudine futuri exitii: non illud cognoverunt donec diluvium improviso advenit, & omnes submersit ac extinxit: ita Christus ad judicium improvisus & inexpectatus adveniet hominibus, nihil minus quam ejus adventum cogitantibus. Aliam similitudinem addit apud Sanctum Lucam: „ Similiter sicut factum est in diebus „ Loth: edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, „ plantabant, & ædificabant: qua die autem exiit Loth *Luc. 17.* „ a Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes *28. 29. 30.* „ perdidit: secundum hæc erit qua die Filius hominis „ revelabitur. „

30. *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur.* Duo erunt in agro uno, socii operæ & mercedis, unus assumetur ad Filium hominis, in Regnum ejus; alter relinquetur in inferos detrudendus. *Duæ molent in mola; una assumetur, & una relinquetur.* Duæ ancillæ erunt in pristino; una assumetur, altera deseretur peritura. Apud Sanctum Lucam additur: *In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur.* Ex duobus conjugibus, aut familiaribus, unus velut apprehensa manu e communi exitio salvabitur: alter deseretur. Eadem verba in plures Codices huc irrepserant ex S. Luca, & retinuerat in Editione sua Sixtus V. sed consultius expunxit Clemens VIII.

31. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Diem igitur judicii præ oculis semper habete; ea sollicitudine vivite, ut ad reddendam operum vestrorum rationem parati semper sitis: quia nescitis quo tempore Dominus vester Christus venturus sit ad judicium. *Confer cum Marci* 13. 33. 34. 35. „ Videte, vi„ gilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. „ Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum „ suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, „ & janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo (nesci„ tis enim quando Dominus domus veniat; sero, an „ media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum ve„ nerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem „ vobis dico, omnibus dico: Vigilate. „

32. *Illud autem scitote, quoniam si sciret pater-familias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non fineret perfodi domum suam.* Si sciret pater-familias qua hora noctis fur venturus esset, vigilaret certe, nec domus suæ parietes perfodi fineret: sed quia id scire non potest, cum id sit furis ingenium ut captet horam qua non expectatur, & improvisus irrepat: omni tempore illi vigilandum est: *Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est.* Soliciti estote ut Deo semper placeatis: quia Christus venturus est qua non expectatis hora, ad judicium sive universale in fine mundi, sive particulare, in uniuscujusque morte. Confer cum 1. ad Thessalon. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, Pax & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti; & non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis; & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur*

non dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus. Confer & cum Apocalypsi 26. 16. ubi Dominus ait: *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.*

33. *Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Quisnam ille servus est, quem Dominus familiæ suæ dispensatorem constituit, ceteriisque servis præficit? Ille nimirum quem fidelem esse novit ac prudentem, ut det illis cibum tempore statuto, seu *tritici* Lucæ 12. 14 *mensuram* (ut habetur apud S. Lucam.) Ad antiquum morem alludere videtur Christus Dominus; quo servi quolibet mense certam frumenti mensuram ad victum accipiebant, quod *demensum* a demetiendo appellatum est. *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus*, scilicet Christus, *invenerit sic facientem*: ministerio suo ac officio fideliter ac prudenter functum. *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum*: ut scilicet ea administret, primusque illis utatur ac fruatur. Vigilantiam Pastorum & Rectorum Ecclesiæ hæc spectant, quos singulari quadam ratione expectare adventum suum Dominus jubet, fideliter scilicet ac prudenter obeundo ministerium suum, digne tractando & dispensando verbum veritatis, & in omnibus exhibendo se *operarios inconfusibiles*.

34. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet dominus servi illius in die qua non sperat; & hora qua ignorat: & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium*. Si autem servus ille a Domino super familiam ejus constitutus malus factus fuerit, & ex longiori mora domini occasionem sumpserit male tractandi conservos suos, & in illos sæviendi; comessationibus autem & voluptatibus indulgeat: dominus servi illius improviso adveniet, & eum e familia sua ejicet, ab officio amovebit, paremque sortem ipsi dabit, parem ipsi pœnam infliget sorti ac pœnæ hypocritarum seu impiorum. Lucæ 12. 46. *Partem ejus cum infidelibus ponet*; æternæ damnationi addicet. Damnatorum enim pœna duplex significatur his verbis: pœna damni, & separatio æterna a Deo, & a societate sanctorum: *Dividet eum*: & pœna sensus: *Illic erit fletus & stridor dentium*.

SENSUS MORALIS.

1. VIDETIS *hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*. Templi excidium Deus ex justitia decrevit propter Judæorum peccata: ex misericordia, ne in Judaismo manerent, sed ut plerique post Templi & Urbis eversionem crederent in Christum, & reliquiæ Israel salvæ fierent: & propter mysterium, ut vetera sacrificia abolita, cultumque Judaicum abrogatum esse significaret. Si Deus Templo suo non pepercit, putas parcet ædificiis profanis ex pauperum sanguine, ex rapinis coagmentatis, erectis, & ornatis. „ Væ qui ædificat domum suam in Jerem 22. „ justitia, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum „ opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei. „ Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacu„ la spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & laquearia ce„ drina, pingitque sinopide.... Terra, terra, terra audi „ sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum „ istum sterilem, virum qui in diebus suis non prospe„ rabitur. „ Non habemus hic manentem civitatem, futuram inquiramus, *Domum non manufactam, æternam in cœlis*.

2 Templum Jerosolymitanum magnificentia incredibili exstructum, laminis aureis, & candidissimis lapidibus exterius fulgens, intus, ad miraculum ornatum, ex quo Judæi in tantam efferebantur superbiam, volente Deo, destructum est. Nihil enim est opere & manu factum, quod non aut vetustas conficiat, aut vis subruat, aut ignis exurat. Quid de domibus luteis corporum nostrorum aliquando fiet? Corpus vides statura nobili, forma eleganti, circum ornatum ut similitudinem templi quod specie sua omnium alliciat & perstringat oculos: cogita illud per mortem funditus destructum iri, intra breve 2. Cor. 5. tempus. *Non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur*. Et ut Apostoli verbis utar, *Terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvetur*. Hæc cogitatio mulierum vanitatem emendet, de elegantia formæ superbientium, aut de mundi cultuque muliebris apparatu gloriam captantium. Hæc cogitatio corrigat profanos amatores tertenæ formæ lenociniis captos, quorum oculi pleni sunt adulterii & incessabilis delicti. Vides (inquiunt) quales oculi, quale os, qualis facies, qualis statura, quam pulchra, quam elegans, quam amabilis! admirantur, laudant, inardescunt, depereunt, opportunitates quærunt impudicæ fruitionis. Cogitent non solum fallacem esse gratiam, vanam pulchritudinem, marcescere ut florem agri: sed totum illud corpus amatæ suæ destruendum, & in cineres resolvendum.

3. Corpora nostra Dei Templa sunt. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Si illa polluamus, gravior nos pœna manet, gravius exitium quam Judæos. *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim sanctum est, quod estis vos*. Templum Dei omnes & singuli sumus, quotquot sumus in Christo baptizati: ideo materialis Templi magnifica structura non est commotus Christus ad ejus eversionem prohibendam. *Templum enim æternum ad habitationem sancti Spiritus consecrabatur, homo scilicet per agnitionem Filii & confessionem Patris, & præceptorum obedientiam, Deo fieri dignus habitaculum*. Superædificamur ut lapides vivi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Domino*. Templi hujus & ædificii spiritalis lapides charitate compaginantur & connectuntur. Credendo enim quasi de sylvis & montibus ligna & lapides præciduntur: cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum & opificum dolantur, collineantur, complanantur. Verumtamen *Domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur*. Ligna ista & lapides si non sibi certo ordine cohærerent; si non se pacifice innecterent, si non se invicem cohærendo sibi quodam modo amarent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo Dominus Christus intrare, & in nobis habitare, tamquam ædificando dicebat, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*. Veteres enim eratis, domum mihi nondum faciebatis, in vestra ruina jacebatis. *Ergo ut eruamini de vestræ ruinæ vetustate, vos invicem amate*. Deum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. *Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo*. Si charitatem in nobis destrui sinamus, spiritale funditus concidet ædificium.

1. Cor. 6. 19. Et c. 13. 17.
S. Hil. c. 25. in Matth.
Ephes. 2. 20. & 21.
S. Aug. serm. 336 alias de Tempore 256.

4. *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui & consummationis sæculi?* Triplex Christi adventus hic intelligitur: primus in ira, ad punitionem Judæorum, regnumque Legis finiendum: secundus in misericordia, ad formandam Ecclesiam, regnumque Evangelii & gratiæ inchoandum: tertius in gloria, ad judicandum homines, Regnumque Dei in sanctis consummandum. De tempore finis Mundi, & die judicii, quem Deus latere nos voluit, curiose ne inquiramus: sed ad finem vitæ nostræ, ad diem & horam mortis, ad particulare judicium Christiana sollicitudine & vigilantia nos præparemus. *In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur*.

S. Augus. Epist. 199. alias 80.

5. *Videte, ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent*. Multi ab omni ævo seductores, Pseudochristi, Pseudoapostoli, Pseudoprophetæ seu Doctores, falsi Pastores, falsi Directores. *Multi Seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet... Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis*. Judæi seducti sunt sæpius ab impostoribus qui se Christos mentiebantur. Permisit Deus ut falsitatem reciperent, quia non receperunt veritatem. Sæpe etiam permittit, ut in seductorum laqueos incidamus, quia boni Pastoris & sapientis atque Evangelici Directoris ductum contempsimus. Achabum Regem Israelis Rex pius Josaphat invisit, & prius quam ad bellum cum eo se conferret, an essent ibi Prophetæ rogavit. „ Dixit 3. Reg. 22. „ autem Josaphat: Non est hic Propheta Domini quis- 7. & seq. „ piam, ut interrogemus per eum? Et ait Rex Israel ad „ Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus in„ terrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non pro„ phetat mihi bonum, sed malum; Michæas filius Jemla. „ Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita Rex. Vocavit ergo „ Rex Israel Eunuchum quemdam, & dixit ei: Festina „ adducere Michæam. Rex autem Israel & Josaphat Rex „ Juda sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu „ regio in area juxta ostium portæ Samariæ, & universi „ Prophetæ prophetabant in conspectu eorum... Nuntius „ vero qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, „ dicens: Ecce sermones Prophetarum ore uno Regi bo„ na prædicunt: sit ergo sermo tuus similis eorum, & „ loquere bona. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia „ quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit „ itaque ad Regem, & ait illi Rex: Michæa, ire de„ bemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? „ Cui ille respondit: Ascende & vade prospere, & tradet „ eam Dominus in manus Regis. Dixit autem Rex ad „ eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mi„ hi nisi quod verum est in nomine Domini. Et ille ait: „ Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves „ non habentes Pastorem, & ait Dominus: Non habent „ isti Dominum: Revertatur unusquisque in domum suam

S. Joannes Epist. 2.

„ in

„ in pace .... Propterea audi sermonem Domini : Vidi „ Dominum sedentem super solium suum, & omnem exer- „ citum cœli assistentem ei a dextris & a sinistris : & „ ait Dominus : Quis decipiet Achab Regem Israel, ut „ ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus „ verba hujuscemodi & alius aliter. Egressus est autem „ spiritus, & stetit coram Domino, & ait : Ego deci- „ piam illum. Cui locutus est Dominus. In quo? Et ille „ ait : Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium „ Prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies, & „ prævalebis : egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce „ dedit Dominus spiritus mendacii in ore omnium Pro- „ phetarum, qui hic sunt, & Dominus locutus est con- „ tra te malum. " Ne porro seducamur, vigilandum est, orandum, probandi spiritus, si ex Deo sint.

6. *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum : Videte ne turbemini : oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ & fames & terræ motus per loca.* Prælia & opiniones præliorum, aliique orbis casus, in hominibus carnalibus excitant tumultus cupiditatum, ambitionis, vindictæ, curiositatis, desiderii, novorum eventuum perturbationes. Justus vero divinam inter tot adversos casus providentiam adorat, ingemiscit ob peccata quæ belluni aliaque Dei flagella accersunt, & quibus bellum vicissim occasionem præbet. Justitiam divinam in homines armatam videns, contremiscit : tot animarum in bello pereuntium æternam perditionem luget : bella, famem, pestem, terræ motus, aliaque id genus Dei flagella, imagines seu potius umbras pœnarum futuri saculi esse cogitat, necnon vitiorum quibus animi nostri agitantur, tabescunt, spiritaliter intereunt. Quamobrem illas prævenire, hæc emendare per pœnitentiam & ipse statuit, & aliis persuadet. Verum inter hæc meruit ut filius, non ut servus, Deo arctius adhæret, ac in ejus amore magis firmatur. Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Christi quippe monitis *S. Cypr. lib. de Mortalit.* munitus, *Videte ne turbemini* : tot inter casus & tumultus tranquillus est. „ Agnoscere se debet qui „ Deo militat, qui positus in cœlestibus castris divina „ jam sperat, ut ad procellas & turbines Mundi tribu- „ latio nulla sit in nobis, nulla cunctatio, quando hæc „ ventura prædixerit Dominus providæ vocis hortatu in- „ struens & docens, & præparans atque corroborans „ Ecclesiæ suæ populum ad omnem tolerantiam futuro- „ rum, bella, & fames, & terræ motus, & pestilentias „ per loca singula exurgere prænuntiavit & docuit. Et „ ne inopinatus nos & novus rerum infestantium metus „ quateret, magis ac magis in novissimis temporibus ad- „ versa crebrescere ante prænionuit. Fiunt ecce quæ di- „ cta sunt; & quando fiunt quæ ante prædicta sunt, se- „ quentur & quæcumque promissa sunt, Domino ipso pol- „ licente & docente : *Cum autem videritis hæc omnia „ fieri, scitote quoniam in proximo est Regnum Dei*. Re- „ gnum Dei, fratres dilectissimi, cœpit esse in proxi- „ mo : præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & „ perpetua lætitia, & possessio paradisi nuper amissa, „ mundo transeunt, jam veniunt : jam terrenis celestia „ & magna parvis, & caducis æterna succedunt. Quid „ hic anxietatis & sollicitudinis locus est? Quis inter „ hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides de- „ est? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum „ nolit ire : ejus est ad Christum nolle ire, qui non se „ credat cum Christo incipere regnare ... Murmuran- „ dum non est in adversis, sed patienter & fortiter quic- „ quid acciderit sustinendum, cum scriptum sit : Sacrifi- „ cium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & hu- „ miliatum Deus non despiciet. *In Deuteronomio quoque „ moneat per Moysen Spiritus Sanctus, & dicat* : Domi- „ nus Deus tuus vexabit te, & famem injiciet tibi, & „ cognoscetur in corde tuo si bene custodieris præcepta „ ejus, sive non. *Et iterum*. Tentat vos Dominus Deus „ vester, ut sciatis si diligitis Dominum Deum vestrum „ ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra. Sic Ab- „ raham Deo placuit, quia ut placeret Deo, nec amit- „ tere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit. „ Qui filium non potes & lege & sorte mortalitatis amit- „ tere, quid faceres si filium jubereris occidere? Ad om- „ nia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sit „ licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis „ assidua membrorum & cruenta vexatio : sit de uxore, „ de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis „ avulsio; non sint tibi scandala ista, sed prælia; nec „ debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius „ ostendant in colluctatione virtutem; cum contemnen- „ da sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia fu- „ turorum honorum. Nisi præcesserit pugna, non potest „ esse victoria : cum fuerit in pugnæ congressione victo- „ ria, tunc datur vincentibus & corona. Gubernator in „ tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Deli- „ cata jactatio est, cum prælium non est : conflictatio in „ adversis probatio est virtutis. Arbor quæ alta radice „ fundata est, ventis incumbentibus non movetur : & „ navis quæ forti compage solida est, pulsatur fluctibus, „ nec foratur : & quando area fruges terit, ventos gra- „ na fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu „ portante rapiuntur. "

7. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum, &c.* Publicum ac generale omnium odium, mundi persecutio, domesticorum fidei scandala, proditiones & insidiæ falsorum ob causam religionis ac pietatis, tentationes sunt gravissimæ. Verumtamen justus inter hæc non turbabitur, Christi verbis ac præsidio munitus : immo se felicem existimabit, attendens ad illam S. Petri sententiam. *Communicantes Christi Passionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in Nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.* In mundi odium incurrere, fors est discipulorum Christi, qui mundo verbis, & factis renuntiant. *Si mundus vos odit;* (inquit Chri- *Joan. 15.* stus) *scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Si qua conditione, qua lege crediderit Christianus, noscat, & teneat, *sciet plus sibi quam ceteris in sæculo laborandum, cui magis sit cum* *S. Cypr. lib.* *diaboli impugnatione luctandum*, (inquit Sanctus Cypria- *de Mortalit.* nus.) *Christianus, quia Christianus est, plus aliquid pas-* *S. August.* *surus est in hoc sæculo* (inquit S. Augustinus.) Ete- *ser. 46. alias* nim, ait Apostolus, *Omnes qui volunt in Christo pie vi-* *de Temp.* *vere, persecutionem patientur.* 165. 2. *Tim.*

Eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum : 3. 12. „ In quibus *scilicet* Gentibus nondum est Ecclesia, opor- „ tet sit; non ut omnes qui ibi fuerint credant : omnes „ enim Gentes promissæ sunt, non omnes homines om- „ nium Gentium. Non enim omnium est fides. Credit „ itaque omnis gens in omnibus qui electi sunt ante con- „ stitutionem mundi : in ceteris non credit, & creden- „ tes odit. Quomodo enim & illud implebitur : *Eritis* *S. August.* „ *odio omnibus Gentibus propter nomen meum*, nisi in *Epist. 199.* „ omnibus Gentibus sint & qui oderint, & qui non *alias 80.* „ oderint? "

8. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum! Quantum* enim *Regnum cupiditatis minuitur, tantum charitas augetur*; & contra. In novissimis autem diebus regnabit maxime cupiditas. *Erunt* *2. Tim. 3.* *enim homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti; sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. CUPIDITAS *venenum charitatis*. Divinum illum ignem, quem Christus venit mittere in terram, & quem vult jugiter ardere, in nobis extingui, sanctum illius fervorem refrigescere non sinamus; iniquitatem & cupiditatem prevalere non permittamus : immo quo magis abundat in mundo iniquitas, in nobis crescat, & firmiores radices agat charitas; ut cum Apostolo dicere possimus : „ Quis *Rom. 8.* „ nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An an- „ gustia? An fames? An nuditas? An periculum? An „ persecutio? An gladius? (Sicut scriptum est, quia „ propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut „ oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus, pro- „ pter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia ne- „ que mors, neque vita, neque Angeli, neque Princi- „ patus, neque Virtutes, neque instantia, neque futu- „ ra, neque fortitudo, neque altitudo, neque profun- „ dum, neque creatura alia poterit nos separare a chari- „ tate Dei. " Refrigescit charitas cum non operatur. Dilectio vacare non potest. „ Quid enim de quoquam ho- *S. Aug.* „ mine etiam male operatur, nisi amor? Da mihi va- *Præf. in* „ cantem amorem, & nihil operantem. Flagitia, adul- *Psal. 31.* „ teria, facinora, homicidia, luxurias omnes nonne amor „ operatur? Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem „ in cloacam converte ad hortum. Quales impetus ha- „ beas ad mundum; tales habeas ad Artificem mundi. „ Non vobis dicitur, nihil ametis. Absit. Pigri, mor- „ tui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Ama- „ te, sed quid ametis, videte. Amor Dei, amor proxi- „ mi, charitas dicitur. Amor mundi, amor hujus sæ- „ culi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, chari- „ tas excitetur. "

9. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* In Christianis enim non coronantur initia, sed finis. Merum Dei donum perseverantia est. Mereri illud non possumus, orando impetrare possumus. Si fideles Deo simus, si illum non deseramus, qui neminem deserit nisi prius deseratur ab eo; si cum timore & tremore salutem nostram operemur, si nos tanto dono indignos existimemus, si non in nostris viribus confidamus, nos perseveraturos speremus. Qui in nobis incœpit opus salutis, illud perficiet usque in diem Christi Jesu. Timeamus, oremus, labo-

S. Aug. lib. de Dono perseveran. tiæ c. 22.

laboremus non deficientes. „ Vos ipsam obediendi perse-
„ verantiam a Patre luminum, a quo descendit omne da-
„ tum optimum, & omne donum perfectum, sperare de-
„ bétis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc fa-
„ ciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi
„ ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largi-
„ tur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quo-
„ niam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vo-
„ bis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine:
„ & Bonum est confidere in Domino, quam confidere in
„ homine; quia Beati omnes qui confidunt in eum. Hanc
„ spem tenentes servite Domino in timore, & exultate ei
„ cum tremore: quoniam de vita æterna, quam filiis pro-
„ missionis promisit non mendax Deus ante tempora æ-
„ terna, nemo potest esse securus; nisi consummata fue-
„ rit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed fa-
„ ciet nos perseverare in se usque in ejus vitæ finem,
„ cui quotidie dicimus. Ne nos inferas in tentationem."
Utile est autem omnibus, aut pene omnibus propter hu-
militatem saluberrimam, ut quales futuri sint, ignorent.
Ad hoc dicitur. *Qui videtur stare, videat ne cadat.*

1. Cor. 10. 11. S. Aug. Epist. 207. alias 107.

„ Propter hujus timoris utilitatem, ne regenerati & pie
„ vivere incipientes, tamquam securi alta sapiamus. Qui-
„ dam non perseveraturi perseveraturis, Dei permissio ne
„ vel provisione ac dispositione miscentur; quibus ca-
„ dentibus territi, cum timore & tremore gradiamur
„ viam justam, donec ex hac vita, quæ tentatio est su-
„ per terram, transeamus ad aliam, ubi jam non sit
„ elatio comprimenda, nec contra ejus suggestiones ten-
„ tationesque luctandum."

10. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet consummatio.* Magnum Divinitatis Christi, & veritatis religionis Christianæ argumentum est, quod Evangelium tot persecutionibus, hominum odiis, hæresibus, scandalis adversus veritatem ejusque Prædicatores conspirantibus & sævientibus, ubique prædicatum fuerit, & veritas tot contradictiones, tot impugnatores, multitudine, sapientia sæculari, potentia insignes passa, nihilominus apud omnes Gentes triumphaverit. Hæc est scilicet efficacia verbi

Hebr. 4.

Dei. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem spiritus & animæ, compagum quoque ac medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis.* Hoc triumphali verbo armati Apostoli, Gentes omnes Christo subegerunt, & captivas duxerunt in obsequium fidei: Christique Regnum sive Ecclesiam in orbe universo fundaverunt, nullis unquam vicissitudinibus aut casibus, aliorum instar Imperiorum concutiendam aut defecturam, sed in

Daniel. 7. 19.

terris mansuram usque ad consummationem sæculi, æternumque in cœlis regnaturam. „ Et judicium sedebit, ut
„ auferatur potentia, & conteratur, & dispereat us-
„ que in finem. Regnum autem & potestas & magni-
„ tudo Regni, quæ est subter omne cœlum, detur
„ Populo Sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum
„ sempiternum est, & omnes Reges servient ei, & obe-
„ dient . . . . . Potestas ejus, potestas æterna, quæ non
„ auferetur; & Regnum ejus quod non corrumpetur." Regnabit in domo Jacob in æternum: *& Regni ejus non erit finis.*

Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. In testimonium bonitatis & misericordiæ Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. In testimonium Sanguinis Christi pro omnibus hominibus effusi. In testimonium patientiæ & longanimitatis Dei, qui omnes non modo invitat, sed expectat ad fidem & ad pœnitentiam, in testimonium incredulitatis & contumaciæ Judæorum, qui Gentibus credentibus credere noluerunt. In testimonium veritatis Oraculorum Propheticorum, & promissionum Christi. In testimonium contra eos qui Christianam Religionem amplecti noluerunt: (Qui enim crediderunt, contra illos surgent in judicio, & condemnabunt eos.) In testimonium denique contra eos qui non vixerunt ut crediderunt, seu opera fide digna non fece-

Jo. 12. 48.

runt. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicat eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Postquam autem prædicatum fuerit Evangelium in universo orbe, tunc erit consummatio operis Christi; tunc erit consummatio Regni Dei, quod ut adveniat quotidie in Oratione Dominica supplicamus: consummatio victoriarum Salvatoris in corpore ejus mystico. „ Deinde finis: cum tradiderit Regnum Deo & Pa-

1. Cor. 15. 24. & seq.

„ tri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Potesta-
„ tem, & virtutem: oportet autem illum regnare, do-
„ nec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima
„ autem inimica destruetur mors: omnia enim subjecit sub
„ pedibus ejus. Cum autem subjecta fuerint illi omnia,
„ tunc & ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi om-
„ nia, ut sit Deus omnia in omnibus." Tunc erit consummatio gloriæ ac beatitudinis in omnibus electis, per resurrectionem corporum. Tunc erit consummatio caritatis & pacis in Ecclesia: consummatio pulchritudinis ejus quia non habebit amplius maculam neque rugam. Tunc denique erit consummatio iniquitatis in Babylone, sed & consummatio justitiæ Dei in damnatis illius civibus. *Et tunc veniet consummatio.*

11. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.* Non movent nos signa desolationis Jerusalem, quia præterita sunt. Vix movent nos signa terribilia desolationis Ecclesiæ per Antichristum, quia futura & longe remota videntur: moveat nos saltem desolatio animæ per peccatum: cujus per tot exempla præsentiam videmus, cujus principium in nobis gerimus, cujus abominationem Scripturarum Sacrarum oracula nobis describunt. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* *Ps. 13. 1.*
Abominationis nomine idola, & cultus idolorum in Scriptura sacra designantur. Nonne vero idololatriæ spiritalis reus est, quicumque lethaliter peccat, siquidem finem ultimum in creatura constituens, Deoque illam præponens, & illi præ Deo serviens, illam sibi Deum facit? *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Idololatriæ rei sunt peccatores, tametsi nullum simulacrum colant. *Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi.* Aut carnalibus gaudiis subditi sunt, aut potentiam vanam fovent, aut aliquo spectaculo delectati, insaniunt. *Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem exspectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est. Nam quocumque duxerint, sequitur, & quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur.* Hæc est abominatio desolationis in loco sancto. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Locus Sanctus anima nostra unctione Spiritus Sancti in Baptismo Deo consecrata: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* *Ad Titum 2.* *S. Aug. l. de vera Religione c. 38.* *Osee 9. 10.* *1. Cor. 3. 17.*

Abominatio desolationis stans in loco sancto, profanatio rerum sanctarum, frequens Sacramentorum abusus, Communiones sacrilegæ, verbi divini contemptus, Ministerii sacri ab indignis Sacerdotibus usurpatio & executio: Abominatio desolationis *Pastor & Idolum derelinquens gregem*; Pastor qui pascit semetipsum, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, qui gregem verbo & exemplo non pascit, qui Ecclesiasticis redditibus abutitur, nec fidelis est illorum dispensator, sed prodigus in luxum ac voluptates suas dissipator, non considerans Ecclesiæ bona *pauperum* esse *patrimonia*. *Zac. 11. 17.*

12. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* Divinorum judiciorum timor ad mundi fugam compellere nos debet, in quo innumeræ sunt peccandi occasiones, innumera pericula, qui Dei inimicus est, qui a Christo judicandus & damnandus. Impiorum societatem, mundi errores, moresque pravos, pompas, vanitates, insanias fugiamus. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. Nolite tacere super iniquitatem ejus: quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.* Sed fugiendum in montes æternos, e quibus Deus mirabiliter illuminat; ad perfectionem evangelicam contendendum est, ad montem ubi Christus docet, rectaque vivendi præcepta tradit. *Ne* vero *quisque tribulationibus* mundique terroribus vel amoribus *devictus ad carnalem vitam de spiritali sublimitate descendat, aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo, in posteriora respiciat.* Et qui serit in agro Scripturarum sacrarum, ut fructum capiat ex eo, seu qui virtutes in agro animæ suæ colit a Deo satas, ipso incrementum dante: (Dei enim agricultura sumus:) non descendat in terrestrem domum hujus habitationis, quæ dissolvitur: corporeis affectibus, veteris hominis exuviis, quibus se per carnis mortificationem expoliavit, ne superveste tur: Pallium dimittat instar Eliæ ad cœlum festinantis, id est terrenos omnes affectus, & quæcumque vitæ Christianæ & salutis impedimenta. *Jer. 51.* *S. Aug. Ep. 199. alias 80.*

13. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Animæ molles & effæminatæ, carnalibus desideriis prægnantes, corpori blandientes ut nutrix infanti; ipsius concupiscentiam deliciis & voluptatibus quasi cupediis & bellariis quibusdam nutrientes, Dei judicia fugere, extra Judæam in montes se recipere non possunt, corporis & cupiditatum sarcina prægravatæ. Igitur *curam carnis ne feceritis in desideriis . . . . . Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* Parvuli Babyloniæ suffocentur & elidantur. Quid sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas, nequaquam pravæ consuetudinis robur accipiat; cum parvula est elide illam. Sed times ne elisa non moriatur: ad petram elide. Petra autem erat Christus.* *Rom. 15. 14.* *Ps. 136.* *S. Aug. En. in Ps. 136.*

14. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbato.* Orate ne refrigescat fides vestra vel charitas, otiosique in opere Dei torpeatis virtutum sabbato & inutilitate. Orate ne hujus vitæ curis, ne sæculi voluptatibus impediamini, quominus mundum, peccatum, Deique judicia fugiatis. *Ad hyemem* enim *pertinent curæ hujus* *1. Cor. 10. 4.* *S. Hier. in hunc locum.*

hujus vitæ: ad sabbatum vero crapula & ebrietas. Curæ quippe tristes sunt velut hyems: crapula vero, & ebrietas, carnali lætitia luxuriaque cor submergit atque obruit: quod malum sabbati nomine propterea significatum est, quia hæc erat jam, sicuti & nunc est, Judæorum pessima consuetudo, illo die deliciis affluere, dum spiritale Sabbatum ignorant. Fugiendum est a Deo irato ad Deum placatum, ab ejus justitia ad misericordiam, sed fugiendum tempore opportuno. Dum tempus habemus, pœnitentiam agamus, operemur bonum: quæcumque saluti nostræ obstant impedimenta, sine mora fugiamus. Tempus opportunum non erit hyems languentis & frigidæ senectutis; tempus extremi morbi, quo infirmum, & corruptioni proximum corpus aggravabit animam. Tunc frigida erit voluntas, quæ toto vitæ hujus curriculo in Dei amore & mandatorum ejus observantia se non exercuit: Tunc operibus bonis vix apta erit, quæ semper a bonis operibus feriata est. Metuendum ne impotens ad bonum fiat justo Dei judicio, illoque deserente, qui noluit cum poterat Deo invitante & succurrente: *Peccator quando vult non potest quia quando potuit noluit, & per malum velle perdidit bonum posse* ... Pœnitentiam si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non præsumimus quia bene hinc exit. „ Agens pœnitentiam ad ultimum „ & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum „ securus. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare „ non possum ... Vis te dubio liberare? Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. „ Si enim agis veram pœnitentiam, dum sanus es, & in„ venerit te novissimus dies, cura ut reconcilieris; si „ sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti „ pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si „ autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam „ peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu il„ la ... Ergo dimitte incertum, tene certum. "

S. Aug. in l. 2. de Consensu Ev. cap. 77.

S. August.

S. Aug. serm. 391. al. 41. ex Hom. 50.

15. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Propter electos ex Judæis misericors Dei providentia tempus obsidionis & vastationis Jerosolymorum contraxit, ne supra vires tentarentur, & in tentatione deficerent. Hi electi sunt servi illi Dei ex Tribubus 12. quos in Apocalypsi Angelus narratur obsignasse, antequam adveniret dies ille iræ divinæ. Illa enim obsignamus, quæ recte custodita volumus. Pari erga electos novissimorum temporum providentia, Regnum & persecutio Antichristi contrahentur. Eadem Dei misericordia tentationes & tribulationes attemperantur in gratiam electorum. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Eadem bonitate alios hujus vitæ periculis & tentationibus subtrahit, ne in illis deficiat ipsorum infirmitas. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius ... Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum; quoniam gratia Dei & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius.* Hanc Dei curam, misericordiam, amorem, vigilantiam precibus nostris ac fidelitate impetrare ac mereri studeamus.

Apocal. 7.

1. Cor. 10. 13. Sap. 4. 11-14. 15.

16. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Extra Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam, Christus, veritas, salus æterna, inveniri non potest. Falsa doctrina est in materia fidei, quæ ex Scripturarum Sacrarum aut Apostolicæ Traditionis fonte non ducitur, sive dogmata, sive mores spectet. Unus Mediator, unum Evangelium, una Ecclesia, una fides, una Fidei Regula invariabilis & irreformabilis, quam *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Adversus Regulam nihil scire, omnia scire est.* Quæcumque ergo signa & prodigia jactentur ad peregrinarum vel novarum doctrinarum, quæ in desertis aut latebris docentur, non in luce, non supra montem ubi posita Ecclesia est, confirmationem, mendacia sunt & præstigiæ. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ne igitur circumferamur omni vento doctrinæ palearum instar, sed firmas radices habeamus in fide, ut frumentum Christi. Quis possit singulas quasque sectas & hæreses enumerare gentium singularum? „ Si autem Christi Ecclesia canonica„ rum Scripturarum divinis & certissimis testimoniis in „ omnibus gentibus designata est; quicquid attulerint, „ & undecumque recitaverint qui dicunt, *Ecce hic est Christus, ecce illic*: audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem Pastoris nostri dicentis, *Nolite credere*: „ Illæ quippe singulæ in multis gentibus, ubi ista est, „ non inveniuntur: Hæc autem, quæ ubique est, etiam „ ubi illæ sunt, invenitur. Ergo in Scripturis sanctis ca„ nonicis eam requiramus. Totus Christus caput & cor„ pus est. Caput unigenitus Dei Filius, & corpus ejus „ Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne una. Qui„ cumque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, „ etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Eccle„ sia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus qui„ cumque de ipso Capite Scripturis sanctis consentiunt, „ & unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ec„ clesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab „ ipsius Christi testificatione dissentiunt ... Non est ob„ scura quæstio in qua vos fallant, quos ipse Dominus „ prædixit futuros atque dicturos, *Ecce hic est Christus, ecce illic: Ecce in deserto*, quasi ubi non sit frequentia „ multitudinis: *Ecce in cubiculis*; quasi in secretis tra„ ditionibus atque doctrinis. Habetis Ecclesiam ubique „ diffundi. Habetis civitatem, de qua ipse qui eam con„ didit, ait: *Non potest civitas abscondi supra montem „ posita.* Ipsa est ergo quæ non in aliqua parte terra„ rum, sed ubique notissima est. "

S. Jo. Chrys.

Ibid. cap. 25

Ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. „ Ista dubitatio Dominici sermonis ex electorum „ cordibus designatio tentationis fuit; quia qui electi „ sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Anti„ christi tentabuntur ad cadendum. Per hoc enim quod „ dicitur, *si fieri potest*, hoc exprimitur, quod electi in „ corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. „ Dicitur ergo, *si fieri potest*, quia trepidabunt: & ta„ men dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio ita„ que sermonis a Domino in electis exprimit trepidatio„ nem mentis. Quos & electos nominat, quia cernit quod „ in fide & bono opere persistunt. " Hos in fide, quæ per dilectionem operatur, perseveraturos non solum præscivit Deus, sed prædestinavit. In his Christus servat, quam dedit in fide ac pietate fortissimam, liberrimam, invictissimam & perseverantissimam voluntatem.

S. Gregor. M. Hom. 9. in Ezech.

17. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit adventus Filii hominis.* Adventus Christi ad judicium, fulguris instar manifestus, subitus, & terribilis erit. Nunc admonet misericors Deus ut fugiamus ab ira ventura: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui*: Tunc subito & improviso feriet ac conteret reprobos. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Ad Christum convolabunt Sancti, *qui diligunt adventum* ejus, ad corpus Agni, qui occisus est ab origine mundi, sed qui dignus fuit accipere divinitatem, & fortitudinem, & gloriam, & honorem, & benedictionem, & qui sedet in throno judicaturus gentes: ad catholicam Patris æterni victimam in ara crucis pro peccatorum totius humani generis expiatione immolatam, cum fiducia, & fervore incredibili volabunt spiritales illæ aquilæ; ejusque immortali & glorioso corpori in beata æternitate sociabuntur & conjungentur. *Aquilæ appellantur Sancti, quibus innovata est juventus ut aquilæ: & qui juxta Isaiam plumescunt, & assumunt alas, ut ad Christi veniant Passionem.* Si irrationabiles volucres naturali sensu, tantis terrarum spatiis, & maris fluctibus separatæ parvum cadaver sentiunt ubi jaceat: quanto magis nos, & omnis multitudo credentium decet ad Christum festinare, Passionem ejus adorare & meditari, ad sanctissimum Corpus ejus in venerabili Eucharistiæ Sacramento adorandum, & digne manducandum congregari? Sed ut digne manducemus, aquilarum instar ad alta contendere debemus, & nihil cum terra habere commune, neque ad inferiora trahi & repere; sed ad superiora semper volare, & Solem justitiæ propius intueri. Aquilarum enim, non graculorum est hæc mensa.

Psalm. 59. 6.

S. Hier. in hunc locum.

18. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cœlo: & Virtutes cœlorum commovebuntur.* Signa illa terribilia judicis iram demonstrabunt, cum *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Juste porro qui creaturis abusi sunt ad Creatoris offensam, per creaturas puniri incipient. Sol, Luna, & Stellæ lucis suæ usuram negabunt impiis, ex illa nocte deficientes mundi ad æternas inferorum tenebras transituri. Sed & Sol justitiæ illis in perpetuum obscurabitur, & occidet, sine spe luminis, quo in viam salutis, a qua erraverunt, reduci unquam possint. *Sol obscurabitur.* Fides, quæ modo lucet ut Luna in tenebris non recreabit illos lumine suo. Dei notitiam non habebunt, nisi ad cumulum desperationis, ut acerbior illis sit damnatio, dum semper cogitabunt quale quantumque bonum culpa sua amiserint. Deipara Virgo, quæ *pulchra ut Luna* prædicatur, nullum reprobis patrocinium in judicii die præstabit. Ecclesia nullum suffragium, nullum auxilium iis impertiet, qui ad Christi corpus non pertinebunt, & in perpetuum ab eo excommunicabuntur. *Et Luna non dabit lumen suum.* Sancti, qui velut Stellæ in firmamento lucent, illos non juvabunt; immo illos judicabunt cum Christo, & in iræ ac justitiæ ejus affectum

Sap. 5.

S. Aug. lib. de unitate Eccl. cap. 3. & 4.

Tertull.

Galat. 1. 8.

transi-

tranſibunt ſlavantes manus ſuas in ſanguine peccatorum.
Pſal. 140. *Abſorpti ſunt juncti Petræ judices eorum*. Angeli quondam ipſorum cuſtodes illos accuſabunt, quod tot Dei beneficiis, illorum cura, monitis, protectione tam indigne abuſi ſint. *Et virtutes cœlorum commovebuntur*.

19. *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo*: & *tunc plangent omnes tribus terræ*, & *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli*, *cum virtute multa & majeſtate*. Crux Chriſti quæ nunc ſignum eſt contradictionis impiis & carnalibus hominibus, in die judicii ſignum illis erit ruinæ & damnationis. Quantus erit terror *Inimicorum crucis Chriſti*, *quorum finis interitus*, *quorum Deus venter eſt*, & *gloria in confuſione ipſorum*, *qui terrena ſapiunt*, cum ſignum crucis in nubibus coruſcare videbunt inſtar ſolis. Quod ſolatium, quæ lætitia electorum, qui crucem ſuam ferentes, ſecuti ſunt Chriſtum, cruci cum ipſo confixi? Plangamus nunc peccata noſtra ex vera ſinceraque contritione, ne tunc plangamus ex deſperatione: cruci Chriſti nunc adhæreamus ad ſalutem, ne illam tunc videamus ad confuſionem. Si tuleris crucem in hac vita, ſi Chriſtum crucifixum fueris imitatus, tunc ad vocem tubæ paventibus impiis, tu gaudebis. „ Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet,
S. Hier. Ep. 1. „ tribus ad tribum pectora ferient: potentiſſimi quondam „ Reges nudo latere palpitabunt: exhibebitur cum pro„ le ſua vere tunc ignitus Jupiter: adducetur & cum „ ſuis ſtultus Plato diſcipulis; Ariſtotelis argumenta non „ proderunt: tunc tu exultabis, & videbis, & dices: Ec„ ce crucifixus Deus meus: ecce Judex, qui obvolutus pan„ nis in præſepio vagiit: hic qui Matris geſtatus ſinu, „ hominem Deus fugit in Ægyptum: hic veſtitus coc„ cino: hic ſentibus coronatus. Cerne manus, Judæe, „ quas fixeras: cerne latus, Romane, quod foderas: „ videte corpus an idem ſit, quod dicebatis nocte ſuſtu„ liſſe Diſcipulos. " Tunc ſignum redemptionis tuæ cum
Luc. 21. 28. fiducia & gaudio conſpicies: *Reſpicite & levate capita veſtra*, *quoniam appropinquat redemptio veſtra* (inquit Chriſtus.) Hinc judicii dies a Tertulliano, vocatur *Dies Chriſtianæ exultationis*.

Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, *cum virtute multa & majeſtate*. Ipſe videbitur terribilis, qui viſus eſt contemptibilis. *Demonſtrabit potentiam*, *qui demonſtravit patientiam*. *In cruce patientia erat*; *in judicio potentia erit*. *Apparebit enim homo judicans*, *ſed in claritate*: *quia ſicut eum vidiſtis ire*, *dixerunt Angeli*, *ſic veniet*. *Forma ipſa veniet ad judicium*: *ideo videbunt illum & impii*, *nam formam Dei non videbunt*. *Apparens in hominis forma dicet*, Ite in ignem æternum, *ut impleatur quod dixit Iſaias*, Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini: *Tollatur ut non videat formam Dei*. O Domine, *Fac mecum ſignum in bonum*, *ut videant qui oderunt me*, & *confundantur*. In judicio confundentur pernicioſe, qui modo nolunt confundi ſalubriter. *Præbet illis Deus modo aditum ſalubris confuſionis*, *ſi non contemnant medicinam Confeſſionis*. *Si autem modo nolunt confundi*, *tunc confundentur*, *quando deducent eos ex adverſo iniquitates eorum*. *Quomodo confundentur? Quando dicent*:
Cap. 4. „ Hi ſunt quos aliquando ha„ buimus in deriſum & in ſimilitudinem improperii: nos „ inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem „ illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter „ filios Dei. Quid nobis profuit ſuperbia? " *Tunc dicent*: *modo dicant*, & *ſalubriter dicunt*. *Convertatur enim unuſquiſque ad Deum humilis*, & *modo dicat*: *Quid mihi profuit ſuperbia? & audiat ab Apoſtolo*: Quam enim gloriam habuiſtis in his, in quibus nunc erubeſcitis? *Videtis eſſe & modo confuſionem ſalubrem in loco pœnitentiæ*; *tunc*
Rom. 6. 22. *autem ſeram*, *inutilem*, *infructuoſam*. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tamquam umbra. *Quid enim*, *quando hic vivebas*, *non videbas quia tranſibant omnia iſta tamquam umbra? Tunc relinqueres umbram*, & *eſſes in luce*, *non poſtea diceres*: Tranſierunt omnia velut umbra, *quando ab umbra in tenebras iturus es*.

20. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba*, & *voce magna*, & *congregabunt electos ejus*. &c. In electorum ſocietate nemo locum habebit, niſi qui membrum fuerit Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ, & ſecundum ejus mores, Chriſtique legem vixerit. Ad hanc vocant Angeli viſibi*Iſai. 38. 1.* les, Prædicatores Apoſtolici cum tuba & voce magna verbi Dei, quibus Dominus ait: *Clama*, *ne ceſſes*, *quaſi tuba exalta vocem tuam*, & *annuntia populo meo ſcelera eorum*. Qui ad hujus tubæ vocem non excitatur, qui Domino exercituum non paret; qui contra hoſtes ſalutis noſtræ, carnem, mundum, diabolumque non pugnat; qui in caſtris pœnitentiæ Chriſtianæ, ſub vexillo crucis non meretur, ad Eccleſiam electorum in voce noviſſimæ tubæ non congregabitur.

21. *Ab arbore autem fici diſcite parabolam*: *Cum jam ramus ejus tener fuerit*, & *folia nata*, *ſcitis quia prope eſt æſtas*: *ita & vos cum videritis hæc omnia*, *ſcitote quia prope eſt in januis*. Prædicit æſtatem tunc ſpiritalem, tranquillitatemque a fluctibus hujus vitæ juſtis hominibus futuram, quorum vita ſpiritalis tempore mortalis hujus vitæ abſcondita eſt, ut arborum vita hyberna tempeſtate. *Mortui enim eſtis* (inquit Apoſtolus) & *vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Reprobis autem e contrario hyemem ac terribiles tempeſtates poſt æſtivam tranquillitatem venturas prænuntiat, quod paulo poſt confirmavit, dicens, laſcive illis viventibus diem illum eſſe venturum. *Sicut autem in diebus Noe*, *ita e-* *Coloſſ. 3. 5.*
rit & adventus Filii hominis, &c. Lugendus hominum ſtupor qui Dei & judiciorum ejus immemores, vitæ præſentis curis ita implicantur, voluptatibus ſic immerguntur, ut nec prædictionibus, nec adhortationibus, nec promiſſionibus, nec minis excitentur ad cogitandum ſerio de noviſſimis ſuis, de morte, de judicio, de impiorum æterna damnatione, de ſanctorum æterna beatitudine. *Non eſt Deus in conſpectu ejus*: *inquinatæ ſunt viæ* *Pſal. 9.*
illius in omni tempore. *Auferuntur judicia tua a facie ejus*... *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua*, & *in æternum non peccabis*. Jam tunc noviſſimæ tubæ clangore, quam in Evangelio audimus, excitati, Deum timeamus, illumque ut par eſt colentes, & mandata ejus fideliter ſervantes, ad judicium nos præparemus. *Timete* *Eccleſ. 7.*
Dominum, & *date illi honorem*, *quia venit hora judicii ejus*. Timeamus, ſed timore caſto, qui cum ſummo deſiderio & amore cohæret, quo pii cujuſque pectus accenditur. Poſita eſt mihi corona juſtitiæ, (inquit Apoſtolus) *quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus ju-* *2. Tim. 4.*
dex: *non ſolum autem mihi*, *ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Ille autem diligit adventum Domini, *qui cum ſinceritate fidei*, *firmitate ſpei*, *ardore charitatis exſpectat*: Qui pie vivendo ad diem vitæ ſuæ noviſſimum *S. Aug.*
ſe præparat. Ideo adventus ſui ad judicium diem & ho- *Epiſt. 199.*
ram Chriſtus hominibus ignotam eſſe voluit, ut eorum *alias 80.*
ſollicitudinem & vigilantiam excitaret, ſemperque ad comparendum coram ejus tribunali, & ad reddendam de operibus ſuis rationem parati eſſent. „ Tunc enim uni„ cuique veniet dies ille, cum venerit dies ut talis hinc „ exeat, qualis judicandus eſt illo die. Ac per hoc vi„ gilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum inve„ niat eum Domini adventus. Imparatum autem inve„ niet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ „ hujus ultimus dies. *Quamobrem* Attendite vobis, ne *Lucæ 21.*
„ forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, *34. 35. 36*
„ & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina „ dies illa: tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, „ qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque, „ omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta „ omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. "

22. *Sicut enim erant in diebus Noe ante diluvium*, *comedentes*, & *bibentes*, *nubentes*, & *nuptui tradentes*, *uſque ad eam diem quo intravit Noe in Arcam*, & *non cognoverunt donec venit diluvium*, & *tulit omnes*: *ita erit & adventus Filii hominis*. „ Quid ergo? Peribunt„ ne omnes qui iſta faciunt? Non, ſed qui de iſtis præ- *S. Aug.*
„ ſumunt; ſed qui iſta Deo præferunt; ſed qui propter *Enarr. in*
„ hæc Deum offendere cito parati ſunt. At vero qui *Pſ. 120.*
„ iſtis omnibus aut non utuntur, aut utuntur tamquam „ non utentes, plus præſumentes de illo qui dedit, quam „ de his quæ data ſunt, & intelligentes in his ejus con„ ſolationem & miſericordiam; & non ſunt occupati „ donis, ne a Donatore ruant; qui tales ſunt, non illos „ inveniet imparatos hora illa ſicut fur. "

23. *Tunc duo erunt in agro*: *unus aſſumetur*, & *unus relinquetur*. *Duæ molent in mola*: *una aſſumetur*, & *una relinquetur*. Ex omni ſtatu & conditione quantumvis obſcura & vili, Deus aliquos eligit & aſſumit ad Regnum gratuito miſericordiæ ſuæ dono; alios relinquit in maſſa perditionis juſto ſemper judicio. Nec rude ingenium, nec deſpecta conditio cuiquam obſtat quo minus ad cœli gloriam aditus ei pateat, modo mandata Dei ſervet, eumque ex toto corde diligat, ſua conditione bene utatur, laboreſque manuum ſuarum offerat Deo ut media pœnitentiæ & ſalutis. *Duo in agro*: *duæ in mola*, &c. Molendi ac pinſendi tritici cura propria erat ancillarum. Oſtendit itaque Chriſtus Regni ſui diſcrimen a Regnis terrenis. Nam in Regnis mundi, fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; ſervi vero multo magis: at Chriſtus mulieres, etiam ſervas, ad Regnum ſuum aſſumit. *Omnes filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in* *Galat. 3.*
Chriſto Jeſu... *Non eſt ſervus neque liber*: *non eſt maſ-* *26. 28.*
culus, *neque fœmina*. *Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. In omni conditione & ſtatu ſalus æterna ſperanda; in nullo ſtatu, nulla in conditione præſumendum, ſed cum timore & tremore Chriſtianæ vitæ, illiuſque ſtatus & conditionis officia, ſecundum Chriſti legem implenda ſunt. *Duo erunt in agro*: *unus aſſumetur*, & *unus relinquetur*. *Duæ molent in mola*: *una aſſumetur*, & *una relinquetur*. Addit Chriſtus apud S. Lucam: *Erunt duo in lecto uno*: *unus aſſumetur*, & *unus relinquetur*. „ Quoniam diem noviſſimum ſcimus venturum, *S. Aug. in*
„ utiliter autem ſcimus venturum, & utiliter ignora- *Enarr.*
„ mus quando venturus ſit, paratum cor habeamus be- *Pſalm. 6*
„ ne vivendo, & non ſolum timeamus venturum illum *ſerm. 1.*
„ diem, ſed & amemus. Dies quippe ille ſicut infide„ libus laborem auget, ſic fidelibus finit. Quid autem

S. Jo. Chryſ. Hom. 78. in Matth.

horum

„ horum duorum esse velis, antequam veniat, nunc est
„ in potestate; cum venerit, non erit. Elige ergo cum
„ tempus est: quia Deus quod misericorditer occultat,
„ misericordier differt. Jam vero quia in quocumque ge-
„ nere vitæ, quod habet aliquam professionem, non om-
„ nes inveniuntur probi, non omnes reprobi, ex hoc ap-
„ paret, quia de quibusdam hominum generibus, quæ
„ per similitudines in Evangelio proposita audivimus, sic
„ concluditur: *Unus assumetur, & unus relinquetur.*
„ Assumetur bonus, relinquetur malus. Videntur duo in
1. Cor. 3. 9. & 10. Ibidem 6. „ agro; eadem professio est, sed non idem cor. Profes-
„ sionem vident homines, cor novit Deus . . . *Videntur*
„ *mihi in agro laborare qui præsunt Ecclesiis: sicut Apo-*
„ *stolus dicit*, Dei agricultura, Dei ædificatio estis.
„ *Nam & Architectum se dicit*: Ut sapiens architectus
„ fundamentum posui: *& agricolam, cum dicit*: Ego
„ plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum de-
„ dit. In molendino duas dixit, non duos; credo,
„ quod hæc figura ad plebes pertineat: quia Præpositi
„ regunt, plebes reguntur. Et molendinum puto dictum
„ mundum istum; quia rota quadam temporum volvitur,
„ & amatores suos conterit. Sunt ergo qui de actionibus
„ mundi non recedunt: sed tamen & ibi alii bene ope-
„ rantur, alii male: alii sibi amicos faciunt de mamona
„ iniquitatis, a quibus recipiantur in tabernacula æter-
„ na, quibus dicitur, *Esurivi, & dedistis mihi manduca-*
„ *re*: alii ista negligunt, quibus dicitur, *Esurivi, &*
„ *non dedistis mihi manducare*. Proinde, quia de his qui
„ versantur in negotiis & operibus hujus mundi, alii di-
„ ligunt benefacere indigentibus, alii negligunt: tamquam
„ de duabus in molendino una assumetur, & una relin-
„ quetur. Lectum autem positum arbitror pro quiete:
„ quia sunt qui neque actiones mundi pati volunt, sicut
„ sunt conjugati homines habentes domos, familias, fi-
„ lios; neque aliquid in Ecclesia agunt, sicut Præpositi
„ velut in agricultura laborantes; sed velut ad hæc in-
„ firmi, secedunt ad otium, & quieti esse diligunt; ve-
„ luti memores infirmitatis suæ, non se committentes
„ magnis actionibus, & quodammodo in strato infirmita-
„ tis rogantes Deum. Et ipsa professio habet bonos, ha-
„ bet fictos, proinde etiam ex his unus assumetur, &
„ unus relinquetur. Ad quamcumque professionem te con-
„ verteris, para te pati fictos: alioquin si te non para-
„ veris, invenies quod non sperabas, & deficies aut per-
„ turbaberis. Ad omnia ergo te paratum facit qui tibi
„ loquitur, cum tempus est & illi loquendi, nondum ju-
„ dicandi, & tibi audiendi, nondum frustra pœnitendi. "

24. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus ve-*
ster venturus sit, &c. Quam vigilantes sumus ad acqui-
sitionem & conservationem bonorum temporalium! Quam
desides, quam somnolenti ad æternorum adeptionem, ad
gratiæ & donorum spiritualium conservationem! Vigile-
mus ne nos ultimus dies imparatos inveniat. Non otiosa
sit, sed actuosa vigilantia nostra; vigilantia examinis pec-
catorum nostrorum, ut illa per pœnitentiam emendemus;
vigilantia attentionis ad officia nostra, ut illa impleamus;
vigilantia applicationis ad bona opera, ut illis Deo
promereamur, & per illa vocationem nostram cer-
tam faciamus. Ne dicas, Faciam quod volo, Deus bonus
est, quando me convertero, ignoscet mihi. Ita plane dic
tibi, si crastinus dies certus est tibi. Nonne ad hoc te
S. Aug. admonet Scriptura; dicens: *Ne tardes converti ad Do-*
serm. 352. *minum, neque differas de die in diem; subito enim venit*
alias 27. *ira ejus, & in tempore iracundiæ disperdet te*. Ecce ad
inter Hom. utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei. *Ne despe-*
50. *Eccli.* 5. *rando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus:*
8. & 9. *rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis in-*
certus.

25. *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem con-*
stituit Dominus super familiam suam ut det illis cibum
in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit domi-
nus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quo-
niam super omnia bona sua constituet eum. Quamvis om-
nes vigilare debeant, ut servi dominum suum expectan-
tes, multo magis tamen Christi & Ecclesiæ Ministri,
quorum officia hic describit Dominus. „ Quæ est hujus
S. Fulg. ser. „ Domini familia? Illa est, quam ipse de manu inimici
de Dispen- „ redemit, & suo dominio mancipavit, Ecclesia scilicet
satoribus „ Catholica, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate dif-
Domini. „ funditur, & redemptam se pretioso Domini sui sangui-
Matth. 20. „ ne gloriatur. *Filius enim hominis non venit ministrari,*
„ *sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro*
„ *multis*. Grex ergo boni Pastoris, ipsa est familia Re-
„ demptoris, Dispensatores, Apostoli: & eorum succes-
„ sores Episcopi. " *Sic nos existimet homo ut ministros*
Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, (inquit Apo-
1. Cor. 4. stolus). Et, *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei*
Ad Tit. 1. *dispensatorem*. Horum officia sunt, 1. Ut super familiam
Hebr. 5. 4. Domini ab ipso constituantur, non intrudantur, non ir-
repant, non ambiant sacrum principatum: *Nec quisquam*
sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aa-
ron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Ponti-
1. Petri 2. *fex fieret*. 2. Se tanquam servos gerant, non dominos in
& 3. Ecclesia. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes*
Natal. Alex. In Evang.

non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis
lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cle-
ris, sed forma facti gregis ex animo. 3. Fidelis sit & pru-
dens servus: Fidelis, ut fallere nolit: prudens, ut falli
non possit: Fidelis, qui non sua, sed Domini lucra, glo-
riam, & familiæ ejus utilitates quærat: prudens, qui cum
judicio illud faciat, mediisque utatur idoneis. Fidelis in
omnibus, in modicis & in magnis: prudens in consiliis,
in verbis, in operibus, non prudentia carnis, sed Spiri-
tus. 4. Conservis cibum dispenset, non ex propria penu,
sed ex cellario Domini, ex Scripturis sacris & Traditio-
ne. Verbum enim Dei cibus est animarum. „ Non aliud *S. Fulgent.*
„ est spiritale triticum, quam Christianæ Fidei venera-
„ bile Sacramentum. Hujus tritici mensuram vobis in no-
„ mine Domini damus, quoties illuminati dono gratiæ
„ spiritalis secundum regulam veræ fidei disputamus: &
„ eamdem tritici mensuram per dominicos dispensatores
„ accipitis, cum quotidie per Dei famulos verbum verita-
„ tis auditis. Ex ipsa, sicut Deus dividit, universi pas-
„ cimur, inde alimenta bonæ vitæ sumantur, ut ad æter-
„ næ vitæ præmia pervenire possimus, in illum credentes,
„ in illo sperantes, illum præ omnibus & in omnibus dili-
„ gentes, qui se ipsum nobis & alimentum præstat, ne defi-
„ ciamus in via: & præmium servat, ut gaudeamus in pa-
„ tria. " 5. Conservis det cibum *in tempore*. Tempus au-
tem semper opportunum est, semper urget. Ministerio
verbi, Sacramentorum administrationi, Doctrinæ Christia-
næ traditioni, procurationi salutis animarum, continua vi-
gilantia, studioque indefesso incumbendum est: quia omni
hora plurimos deficere potest tempus ex cujus bono usu
pendet beata æternitas. *Beatus ille servus, quem cum ve-*
nerit dominus ejus, invenerit sic facientem, in sacro mi-
nisterio assiduum, vigilem, ferventem, fidelem, pruden-
tem; unius Domini gloriam quærentem; illi uni placere
studentem, cui se probavit. *Amen dico vobis, quoniam*
super omnia bona sua constituet eum. Quænam bona? De-
us ipsemet, *Omne bonum*. Æquum est ut illi nos totos
devoveamus, illique alacriter serviamus omni tempore,
qui se ipsum nobis præmium daturus est in æternitate.

26. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo,*
Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere
conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis:
veniet dominus servi illius in die qua non sperat, & hora
qua ignorat: & dividet eum, partemque ejus ponet cum
hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium. Mali Mi-
nistri & prælati onus angelicis humeris formidandum, sine
metu, ne dicam sine fide judiciorum Dei & adventus
Christi, subeunt: multos annos sibi pollicentur; nec Pa-
storum Principi cogitant se reddituros esse de cura gre-
gis, Domino de dispensatione & administratione familiæ
rationem. 2. Officium ac Ministerium sacrum negligere pa-
rum illis est: in Clero dominari volunt, suaque auctorita-
te in aliorum injurias ac tyrannidem abutuntur. Non sunt
forma gregis, nisi violenta, quæ in subjecto non manet,
nisi ad ejus perniciem ac destructionem: cum e contrario for-
ma naturalis (cui boni Prælati similes sunt) in subjecto spon-
te diuque reideat ad ejus perfectionem. 3. Voluptatibus suis
ac genio indulgent, luxuque, lautitia, conviviis, ludis
celebres, cum hominibus sui similibus societatem ineunt,
seque in illorum consuetudinem ac familiaritatem penitus
immergunt, patrimonium Crucifixi profundentes ac de-
coquentes. Pascunt semetipsos; incrassati, impinguati,
dilatati recalcitrant, Superiores contemnunt, æquales
fastidiunt, opprimunt inferiores; obliviscuntur Dei Crea-
toris sui, Christi Redemptoris, & magni Pastoris ani-
marum; omniumque officiorum suorum. Verum Dominus
qui fideles prudentesque Ministros magnis præmiis donat,
pravos terribilibus pœnis afficiet: 1. Oblivionem judicio-
rum Dei, & infidelitatem in sacro ministerio, improvisa
morte, repentina iræ ac furoris sui oppressione vindica-
bit. 2. Abusum Auctoritatis Ecclesiasticæ plectet æterna
separatione a societate Ecclesiæ triumphantis & consor-
tio Sanctorum. 3. Mollem voluptuariamque vitam æterno
fletu ac stridore dentium ulciscetur. „ Quamquam ergo
„ in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam De- *S. Hier. c.*
„ *minus* adhortetur, specialem tamen populi Principi- 27. *in Mat.*
„ bus, idest, Episcopis, in expectatione adventuque suo
„ sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem pat-
„ que prudentem, præpositum familiæ significat, commo-
„ da atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui
„ si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est,
„ si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confir-
„ met, disrupta consolidet, depravata convertat, & ver-
„ bum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dis-
„ pendat, atque hæc agens hisque immorans deprehen-
„ datur, gloriam a Domino tamquam dispensator fidelis
„ & villicus utilis consequetur, & super omnia bona
„ constituetur; id est, in gloria Dei collocabitur,
„ quia nihil sit ultra quod melius sit. Quod si con-
„ tuens longam Dei patientiam, quæ in profectum
„ humanæ salutis extenditur, adversum conservos
„ insolescet, & sæculi malis, vitiisque se tradet,
„ præsentium tantum curam in cultu ventris exer-
„ cens: desperata die Dominus adveniet, eumque a

„ bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus cum „ hypocritis in pœnæ æternitate constituet, quia adven„ tum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, „ quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit; „ quia desperatione judicii commissam sibi familiam fa„ me, siti, cæde vexaverit. „

CAPUT XXV.

Sensus Litteralis.

1. TUNC *simile erit Regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt* ob- *Judit. 14. 11. Ps. 45. Cant. Canticor.* *viam sponso & sponsæ.* Cum improvisus ad judicandum vivos & mortuos venero, Ecclesia mea ex hoc mundo collecta similis erit decem Virginibus Parabola sumpta est ab antiquo ritu, quo sicut sponso juvenes, ita sponsæ virgines honoris causa adjungebantur, quæ ipsa nocte nuptiarum in sponsæ ædibus adventum sponsi expectabant, & sponso in domum sponsæ venienti cum facibus nuptialibus occurrebant, qui eam inde cum sociis virginibus in domum suam, vel aliam duceret, ubi nuptiarum pompa celebraretur. Per *virgines* hic omnes solique Christiani significantur, propter integritatem fidei, & quod hujus sæculi pollutionibus se renuntiare in baptismo professi fuerint. *Decem* dicuntur, quia vix pauciores erant in nuptiis Hebræorum. Per *lampades* fides significatur, quæ accenditur, cum operibus bonis quoquo modo lucet. *Sponsus Christus est.* Exisse dicuntur obviam sponso & sponsæ per anticipationem; quando enim in occursum iverint, inferius narratur. His verbis, *& sponsæ*, nihil est in Textu Græco quod respondeat; sed sponso dumtaxat occurrisse dicuntur. *Et sponsæ*, addunt Vulgata nostra Latina, & Syriaca Versio: atque ita legisse videtur Origenes. Suspicantur viri eruditi omissum ab his qui non videbant quomodo virgines, id est, fideles, dicerentur *sponsæ occurrere*, cum ipsi sint Ecclesia, id est sponsa, de quibus Apostolus scribit: *Despondi enim vos uni* *2. Cor. 11. 2.* *viro virginem castam exhibere Christo.* Sed id neminem movere debuit. In parabolis enim & comparationibus non sunt premendæ & scrupulosius examinandæ partes singulæ, sed intuendus parabolæ scopus ac finis, cujus respectu quædam significant, aliæ vero accessionum & ornamentorum loco sunt habendæ. Scopus autem hujus parabolæ est, quem Christus ipse indicat his verbis: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Debere nos scilicet semper esse sollicitos de vita recte instituenda, & ad reddendam illi de operibus nostris rationem paratos. *Sponsus & sponsa Dominus noster Deus* (inquit S. Hilarius). *Nam ut spiritus carni, ita spiritui caro sponsa est. Sed tuba excitante, sponso tantum obviam proditur: erant enim jam ambo unum, quia in gloriam spiritalem humilitas carnis excesserat.*

S. Aug. ser. 93. alias 23. de Verbis Domini, item Epist. 140. alias 120. c. 31. & l. Q. 83. Quæst. 59. 2. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Pars eorum erant fatuæ, pars prudentes. Bonis enim mali sunt permixti in Ecclesia, donec ad nuptiarum aulam, quod cœlum est, pervenerint. Illarum porro imprudentia in eo posita fuit, quod oleum sibi non comparaverint, quod lampadibus, moram faciente sponso, infundi posset, earumque lucem fovere ac perennem servare. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Per *oleum* quod ceteris supernatat liquoribus, charitas significatur. Per *vasa* indicantur corda, in quibus diffunditur charitas per Spiritum sanctum. Fatuæ ergo virgines non sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadibus, quod prudentes fecere: quia satis ipsis visum est, si lampades earum externo splendore bonorum operum, quæ sive timore, sive cupiditate rerum temporalium, sive desiderio gloriæ & laudis humanæ ediderunt, lucerent coram hominibus: sibi autem non providerunt ut charitatem intus haberent, qua sine fidei lampas Christianis non sufficit ut in occursum Christi pergant, ab eoque ad nuptiale convivium admittantur.

1. Thessal. 4. 12. 3. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Sponso, ultra quam sperabant, adventum suum in ædes sponsæ ad eam ducendam differente, nictare cœperunt omnes oculis gravatis, & tandem sopore victæ omnino dormierunt. Christo adventum suum ad judicium protrahente, omnes in varias ægritudines & languores mortis prænuntios inciderunt, & tandem somno mortis dormierunt. Quo de somno Apostolus scribit: *De dormientibus nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.* De dormientibus, id est, de his qui mortui sunt. Quare enim dormientes vocantur, nisi quia suo die resuscitantur. Ergo dormierunt omnes: Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur. Moram sponsi, pœnitentiæ spatium S. Hilarius interpretatur.

S. Hilar. c. 27. in Matth. 4. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Nocte profundissima, hora inexpectata, clamor factus est, qui nocte latius auditur: *Ecce sponsus venit*, &c. Quando non speratur, quando non creditur, Christus ad judicium venit. *Nocte media clamor, cunctis ignorantibus tubæ vox est Domini præcedentis adventum, & universos ut obviam sponso exeant excitantis.* Nox igitur ibi posita est pro ignorantia. *S. Hila-* *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt rius.* *lampades suas.* Omnes, canente novissima tuba, resurrexerunt. *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt* *Joan. 5. 20.* *audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent: & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Lampadum compositio & ornatus, præparatio qualiscumque est ad reddendam operum suorum rationem, quæsita boni operis conscientia, velut luce in corporum lampadibus lucente. Quam sibi deficere cum tardius animadvertissent: *Fatuæ sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Charitate vestra & meritis nobis succurrite, cum boni operis conscientia, quæ charitatis effectus est, nos deficiat: & opera quæ splendere hominum oculis videbantur, charitatis igne destituta, in conspectu Dei tenebræ sint.

Proverb. 20. 8. 9. S. Augustin. 5. *Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Non desperationis, sed piæ humilitatis vox ista est, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* In tremendo enim Christi judicio vix ipsa sibi sufficit bona conscientia ut sibi testimonium perhibeat. *Quis enim gloriabitur mundum se habere cor*, in conspectu ejus qui *justitias judicabit?* VÆ *etiam laudabili hominum vitæ, si remota misericordia discutias eam* (Domine). Ista vero verba: *Ite potius ad vendentes, & emite vobis*: non consilii, sed ironiæ & obliquæ exprobrationis verba sunt. Cum in mundo essetis, ante sponsi adventum, tempus erat emendi olei, merita comparandi: nunc tempus non est amplius. Ite ergo ad eos quorum gratiam & laudem quærebatis, vel a quibus commoda temporalia sperabatis; ite ad eos, quibus ut placeretis, bona aliqua fecistis opera, exterius dumtaxat micantia non igne charitatis, non oleo Sancti Spiritus accensa.

Apoc. 19. 6. *Dum autem irent emere, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Dum autem alienam opem & solatium frustra quærerent, venit sponsus ad sponsæ domum, & quæ paratæ erant, adornatis & accensis lampadibus, testimonium scilicet perhibente bona conscientia, fide non ficta, & charitate ardente in corde puro, intraverunt cum eo in domum convivii nuptialis, in gaudia æterna: & ingressis omnibus *ad cœnam nuptiarum Agni*, glorificata cum Christo Ecclesia, membris omnibus ad totum collectis, & cum glorioso capite in æternum conjunctis, clausa est janua, nemini umquam aperienda. *Non enim post judi-* *S. Aug. l. Q. 83. Qu. 59.* *cium patet precum aut meritorum locus.*

7. *Novissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Novissime vero, cum olei emendi, cum meritorum comparandorum tempus præteriisset, fatuæ virgines, Christiani charitate & meritis destituti, præ angustia spiritus gementes, Dei misericordiam frustra implorabunt dicentes, *Domine, Domine, aperi nobis*... Non enim (inquit alibi Christus) *Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.* Illis itaque respondebit, *Nescio vos.* Non habeo vos ut meas, nuptiisque meis, ac æterna felicitate dignas.

8. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, qua Sponsus veniet. In quibusdam Codicibus Græcis habetur, *In qua Filius hominis veniet.* Quod interpretamentum ex margine in textum irrepsisse, melioris notæ Codices, Latina Versio Vulgata, Syriaca, & Arabica, quæ illud non habent, manifeste probant.

9. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.* Eumdem esse hujus parabolæ scopum ac finem, qui præcedentis, hæc indicat conjunctio, *Sicut enim*: Ut scilicet Apostoli & Christiani omnes intelligerent qua sollicitudine & diligentia parare se deberent ad reddendam Christo judici, in novissimo die omnium operum suorum, acceptorumque a Deo donorum rationem. Eademne sit, an distincta parabola, quam S. Luc. cap. 19. alio loco, alia occasione, aliis etiam verbis a Christo narrat propositam, sacri dissentiunt interpretes. Diversam S. Joannes Chrysostomus; eamdem SS. Ambrosius & Hieronymus censent: hanc quæstionem S. August. in lib. *De consensu Evangelistarum* non attingit. Ut ut est, idem est finis utriusque. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos*, &c. idest: Sic agetur cum hominibus in novissimo judicio, sicut ageret homo nobilis, qui in regionem longinquam proficiscens vocavit servos suos, & distribuit illis bona sua ut negotiarentur & lucrum illi parerent; redux vero ab illis rationem exegit. Homo peregre proficiscens, Christus est in Cœlum ascendens, unde nonisi longo post tempore, in fine scilicet sæculorum, redituros: Abiens

vero

vero inæqualia dona servis suis, Ecclesiæ ministris; immo fidelibus omnibus dedit, quæ vel in aliorum, vel in propriam salutem, semper autem in utilitatem ac gloriam Domini, qui illa contulit, impendentes, fidelitatem suam, industriam, ac studium in re ejus amplificanda illi probarent. Confer cum 1. ad Corint. cap. 12. „ Divisiones gra-„ tiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones mi-„ nistrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones „ operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur om-„ nia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio „ Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum da-„ tur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ se-„ cundum eumdem Spiritum: alteri in eodem Spiritu: „ alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio vir-„ tutum: alii prophetia, alii discretio spirituum, alii ge-„ nera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc au-„ tem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens „ singulis prout vult... Et quosdam quidem posuit Deus „ in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, ter-„ tio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curatio-„ num, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, „ interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? „ Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores, „ &c. Et ad Ephes. 4. Unicuique nostrum data est gratia „ secundum mensuram donationis Christi. Propter quod „ dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, „ dedit dona hominibus... Et ipse dedit quosdam quidem „ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evan-„ gelistas, alios autem Pastores & Doctores; ad consum-„ mationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificatio-„ nem corporis Christi: donec occurramus omnes in unita-„ tem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, „ in mensuram ætatis plenitudinis Christi. " Distribuisse autem dicitur *unicuique* talenta *secundum propriam virtutem*, seu capacitatem; humano more loquens: quia sic homines facere solent, nec bona sua servis temere & æqualiter, sed pro cujusque industria, virtute, & fide distribuunt. At Dei donum sicut gratuitum est, sic nonnisi per alteram gratiam eo bene utimur, secundum Apostolicam illam sententiam: *Qui dignos nos fecit in partem* Coloss. 1. *sortis sanctorum in lumine*: & capacitas omnis etiam naturalis, multo magis supernaturalis, Dei munus est. Et licet in gratiarum, quas gratis datas vocamus, distributione Deus plerumque capacitatem attendat, dotesque etiam naturales quas dedit ipse, ingenii, scientiæ, eloquentiæ, industriæ ac solertiæ; id tamen non esse perpetuum vel unius Jeremiæ exemplum evincit. In gratiæ vero, quam gratum facientem vocamus distributione, Deum naturæ vires, aut liberi arbitrii merita non spectare, nec bonum usum gratiæ, qui ex gratia Christi non sit, dogma fidei est.

10. *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Qui plura & præstantiora dona a Christo acceperat, negotiatoris instar industria & diligentiis, qui commissa sibi pecunia maximum lucrum facit, iis usus est ad Dei gloriam, suique & aliorum salutem promovendam, ita ut fructum referret uberrimum. Similiter & qui pauciora minoraque dona acce-S. Augusti. Tract. 74. in Joan. perat, pro mensura donationis Christi illa egregie impendit, illisque fructum etiam uberem fecit, seu novarum gratiarum & donorum accessionem bono usu priorum promeritus est: quemadmodum S. Augustinus ait, *Spiritum sanctum habere qui Deum diligit, & habendo mereri ut plus habendo plus diligat.*

11. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* Qui unum talentum acceperat, donum aliquod seu magnum seu modicum, quod & ipse ad gloriam Domini, ad proximorum utilitatem, ad propriam salutem impendere poterat & debebat, ex pusillanimitate & inertia otiosum illud habuit, & inutile fecit. Idem significat S. Lucas cum ait, servum illumnam creditam in sudario alligasse, & abscondisse pecuniam domini sui.

12. *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Post longum illud temporis intervallum, quod a Christi in cœlos Ascensione, usque ad finem mundi intercedit, veniet Christus ad judicium, & rationem acceptorum donorum gratiarumque tum ab Ecclesiæ Ministris, tum a Christianis omnibus exiget. Qui quinque talenta accepit, alia quinque talenta offert Domino in fidei suæ ac virtutis testimonium, fructum scilicet uberrimum bonorum operum ac meritorum, quæ gratia peperit: vel salutis animarum, quam procuravit. *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque* supra sortem *ex eis lucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* S. Hier. in hunc locum. Euge, vox est laudantis & congratulantis, quasi dicat, Bene habet; probitas fidesque tua mihi probata est, eamque præmio dignam judico. Quia igitur in paucis, quæ tuæ fidei commiseram, fuisti fidelis: *Omnia enim quæ in*

Natal. Alex. In Evang.

præsenti habemus, licet magna videantur & plurima, tamen comparatione futurorum parva & pauca sunt: super multa te constituam. *Omnia* scilicet *bona* mea (ex superiori cap. vers. 47.) tibi administranda & possidenda jam trado, ut sis *cohæres* meus, & *hæres Dei*, ut possideas 2. Petri *Hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & im-* 1. 4. *marcessibilem*, tibi *conservatam in cœlis*. Ejusdem gaudii particeps esto cum Domino tuo, ejusdem regni, ejusdem gloriæ. *Intra in gaudium domini tui*: His verbis tota beatitudo significatur; his verbis significatur: *Quod nec* Jo. 2. 9. *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

13. *Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Æque laudat eum qui ex duobus talentis, ac eum qui ex quinque duplum lucratus fuerat; æque illi gratulatur: quia pariter ostendit iste, se a domino principium & occasionem operationis ac lucri accepisse, & gratiam habere, & totum ipsi imputare. Quamobrem il-S. Jo. lum pariter in gaudium domini, in æternam beatitudi-Chrys. nem intrare jubet. *Deus* enim *cor interrogat, non ma-* Hom. 76. *num*. Non tam opera ipsa ponderat (ad quæ facienda in Matt. non pares omnibus vires, non occasiones eædem, non tantumdem temporis) quam affectum & fidele studium. Quamvis ergo sæpe sit in tenui labor, at tenuis non gloria, quæ pro mensura charitatis & fidelitatis datur.

14. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo auserus es: metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.* Noveram te durum & asperæ indolis hominem, qui non solum nihil remittas debitorum tuorum, sed amplius exigas: ideo pecuniam tuam exponere nolui negotiationi, ne minus lucri faciendo quam sperabas, aut sortem ipsam amittendo, in tuam indignationem incurrerem. Consultius itaque ac securius duxi talentum tuum integrum tibi servare, quam lucrum aliquod venari cum periculo sortis. Ecce quod tuum est: nihil tibi debeo. Hæc pars non videtur parabola, sed supplementum ad ejus explicationem. Damnatorum enim aliquem ita Christo judici responsurum credibile non est, cum accusante illos & convincente propriæ conscientiæ testimonio nihil habeant quod justo judici respondeant: sed verosimile fuit negligentem superbumque servum, *ad excusandas excusationes in peccatis*, ita responsurum fuisse domino traditæ pecuniæ rationem ab illo exigenti, ut negligentiæ suæ culpam in illum rejiceret, & suam inertiam domini severitate excusaret. Verisimilem ita servi pigri responsionem subjunxit Christus ad parabolæ complementum: quæ si quid significat, id significat unum, nullam excusationem habituros qui vel minimum talentum, minimamque gratiam a Deo acceperunt, quod ea non recte sint usi ad suam vel aliorum salutem, Dominique gloriam.

15. *Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Non concedit dominus quod servus calumniator ad illius accusationem suæque negligentiæ excusationem dixerat: sed ex ejus opinione loquitur, propriisque verbis ipsum coarguit, ut expressit S. Lu-Luc. 19. 22. cas, *De ore tuo te judico: serve nequam*, &c. Si, inquit, durum & crudelem esse me noveras, & aliena sectari, ibique metere ubi non severim: quare non tibi istiusmodi cogitatio timorem incussit, ut scires me mea diligentius quæsiturum, & dares pecuniam meam numulariis seu trapezitis, ne otiosa maneret: Et ego veniens cum aliquo fructu & incremento recepissem quod meum est? Usuram non approbat, sed stultitiam, & negligentiam S. Thomas mali servi damnat. Metaphorica locutio est, sumpta ex secunda more pecuniosorum & avarorum hominum, qui cum hone-secundæ stanegotiatione uti nolint ad incrementum pecuniæ, pro-Qu. 78. pter pericula amittendæ sortis, eam fœneratoribus cre-A. 1. dunt, ut cum usura recipiant. Significat igitur usura hoc in loco superabundantiam bonorum spiritualium, quam exigit Deus, volens ut in bonis ab eo acceptis semper proficiamus, quod non in ejus utilitatem, sed in nostram redundat.

16. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Dei dona ab illis auferri significat Dominus, qui illis abutuntur; in iis vero qui bene utuntur, augeri. Fructus porro donorum & gratiarum Dei sunt a Deo & a nobis: quamvis ipsa dona in nobis sint a Deo sine nobis. Ceterum hæc Domini jussio pressius accipienda non est, quasi in judicio auferantur Dei dona a reprobis, eademque electis tribuantur; sed id dixit Christus, quia inter homines ita fieri solet, ut pecunia ab infideli & negligenti servo ablata, fideli ac diligenti tradatur. Idque unum (ut dixi) significat, justo Dei judicio gratiam indignis quotidie auferri; Dei misericordia, gratiam dignis augeri.

17. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei*

autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Omni qui donorum gratiæque Dei recto uſu, & bonorum operum fructibus, eorum incrementum obtinuit, gratia uberior a Deo dabitur: omni autem qui gratiam quam accepit, cooperatione ſua & labore non curat augeri a Deo omnibus fideliter cooperantibus incrementum dante, ſed eam otioſam habet ac vacuam, ea ipſa, quam videtur habere, quia inutiliter habet & ſine fructu, gratia auferetur. *Quod non habet, auferri non poteſt; ſed aliud non habet ut merito auferatur quod habet: non habet charitatem utendi, ut auferatur quicquid aliud habet, quod ſine charitate non prodeſt.*

S. Aug. l. 2. de Div. Q. ad Simplicianum Quæſt. 1.

18. *Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.* Inutilem ſervum detrudite in locum ſupplicii, ubi perpetuæ tenebræ, fletus, & ſtridor dentium. Similem ſententiam expoſuimus cap. 8. v. 12.

19. *Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes: & ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem a dextris, hœdos autem a ſiniſtris.* Cum autem venerit ad judicium Filius hominis, rationes a ſervis exacturus, cum venerit Chriſtus ea ipſa forma viſibili in qua nunc contemnitur, ſed tunc majeſtate & gloria circumdatus, quæ illi ceu vero Dei Filio debetur; & omnium Angelorum ſuorum magnifico ſtipatus ſatellitio; ſedebit in throno gloriæ ſuæ. Similitudo ſumpta eſt a Regibus, qui cum res maximas tractant, cum generalia Regni comitia celebrant, aut judicia exercent, inſident magnifico ac ſublimi ſolio. Solium Chriſti ad judicium venientis, nubes ſplendidiſſima. Et congregabuntur ante eum, ad certum aliquem ac definitum locum, (puta Vallem Joſaphat circumſtantemque regionem; Chriſti converſatione, prædicatione, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione ſanctificatam) omnes utriuſque ſexus, omnium ætatum, omnium temporum, omnium gentium homines, vivi & mortui, ab illo judicandi, qui *conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum*. Et ſeparabit eos ab invicem in duos veluti greges, Angelorum miniſterio, ſicut paſtor ſero ex agro reverſus ſegregat oves ab hœdis, qui mixtim paſti fuerint in agro, in diverſis ſtabulis collocandos. Bonos & electos ovibus comparat ob vitæ innocentiam, ſimplicitatem, obedientiam, patientiam, manſuetudinem, & utilitatem, ſeu beneficentiam. Malos & reprobos hircis comparat ob vitæ immunditiam, fœtoremque peccatorum, pronam in rixas indolem, & libidinem qua præ ceteris animalibus fervent. Et ſtatuet oves quidem, id eſt, bonos & electos a dextris; hœdos autem, ideſt, malos & reprobos a ſiniſtris. Dextra virtutes, ſiniſtra vitia notat. Eccleſiaſtis 10. 2. *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Jonæ 4. 11. *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam?* Rurſum dextera benedictionem, ſiniſtra maledictionem indicat. Ideo benedictiones Legis pronuntiatæ ſunt obverſo vultu ad montem Garizim, qui ſitus erat ad meridiem: Hebræi porro meridiem *dextrum* vocant. Maledictiones vero prolatæ ſunt ore obverſo ad montem Hebal, qui ad Aquilonem, ideſt, ad ſiniſtram poſitus erat. Dextera denique vulgo honoratior ſiniſtra apud omnes gentes habetur. Convenienti igitur ſibi loco electi a dexteris, reprobi a ſiniſtris Chriſti judicis ſtatuentur. Duo tantum erunt ordines: qui non erunt ad dexteram, erunt ad ſiniſtram, medius locus non erit.

20. *Tunc dicet Rex his qui a dexteris ejus erunt; Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mundi.* Qui Filium hominis ſe ante dixerat, nunc Regis nomen aſſumit: quia Regis eſt in ſui Regni conſortium & poſſeſſionem alios admittere, alios e Regno proſcribere & excludere. Ab electorum remuneratione judicium incipiet, quia ad benefaciendum quam ad puniendum, ad ſalvandum quam ad perdendum pronior & promptior eſt. Sponte benefacit, quaſi invitus punit, cui proprium eſt miſereri & parcere, de ſuo bonus, de noſtro juſtus. *Venite benedicti Patris mei.* Accedite, vos mihi adjungite, quibus in me benedixit Pater meus omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. *Poſſidete Regnum*, hæreditario ſtabilique jure, ut filii Patris, ut hæredes ejus, cohæredeſque mei: Regnum, inquam, cœlorum, *Paratum vobis a conſtitutione mundi*, ab æterno prædeſtinatum, ex mera gratia & miſericordia, veſtris tamen meritis jam retribuendum. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.*

Eſurivi enim & ſitivi in membris meis, quibuſcum unus ſum Chriſtus, & me fame preſſum vel ſiti afflictum, cibo vel potu dato refeciſtis. Peregrinus & exſul fui, & hoſpitio me ſuſcepiſtis. Nudus, & induiſtis. Infirmus, & me veſtris facultatibus, vel opera, vel ſolatio recreaſtis. Captivus, & ad me veniſtis ſive redimendum ſive ſublevandum, aut conſolandum. Non erit quidem una omnino ſalutis vel perditionis omnium cauſa; ſed Chriſtus unum genus bonorum operum, ſcilicet miſericordiæ; quæ veras inter virtutes eminet, loco omnium poſuit, quemadmodum in exemplis fieri ſolet. Id autem bonorum operum genus præcipue commemoravit. 1. Ut operum miſericordiæ neceſſitatem dignitatemque commendaret. 2. Quia hæc opera ſunt aliis notiora, & electis omnibus communia. 3. Ut ea ſibi gratiſſima eſſe ſignificaret. 4. Ut Diſcipulos conſolaretur, quibus vexationis genus omne prædixerat; doceretque ſe in illis eſurire & ſitire, peregrinum & hoſpitem, captivumque eſſe, cum famem, ſitim, exilii, carceriſque moleſtias propter nomen ejus paterentur: & numquam defuturos qui illos eſurientes paſcerent, hoſpitio exciperent, captivos ſublevarent & ſolarentur.

21. *Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem & pavimus te? ſitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* Iſta inter Chriſtum judicem, & electos collocutio non fiet verbis ultro citroque habitis, nec enim ignorabunt ſe Chriſtum in membris ſuis paviſſe, &c. ſed parabolica deſcriptio eſt, juſtorum admirationem gratique animi ſenſum ſignificans, quod Chriſtus opera miſericordiæ ab ipſis edita tanta benignitate ſuſceperit, ut tam parva charitatis officia quaſi ſibi præſtita habere dignetur ac remunerare poſſeſſione Regni æterni. *Non enim ſunt condignæ paſſiones* (neque actiones) *hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* *Rom. 8.*

22. *Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Eo ipſo quo hæc miſericordiæ officia, aut aliquod eorum præſtitiſtis uni ex his fratribus meis, quibus nimirum dedi poteſtatem filios Dei fieri, quos, paupertate & humili conditione non obſtante, ego Rex & Dominus univerſorum, fratrum loco habui & dilexi; id perinde habeo ac ſi mihi indigenti præſtitum eſſet. „Qui „ enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes. „ Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vo„ care, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in „ medio Eccleſiæ laudabo te.... Et extendens manum in „ Diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. „ Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in „ cœlis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.„ *Hebr. 2. 11. 12.* *Matt. 12. 49. 50.*

23. *Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Diſcedite procul tamquam mihi prorſus diſſimiles, ut numquam faciem meam videatis. Diſcedite a me, qui ſum juſtitia, ſanctitas, vita, lux, ſalus, ſummum bonum, beatitudo. Suſtinere vos diutius non poſſum in conſpectu meo maledicti, Deo odioſi & exſecrati. Non ait, *Maledicti Patris mei*, ſicut juſtis dixerat, *Benedicti Patris mei*: Nam *benedictionis quidem miniſtrator eſt Pater; maledictionis autem ſibi unuſquiſque eſt auctor, qui maledictione digna eſt operatus.* Diſcedite in ignem æternum. His verbis, *Diſcedite*, pœna damni ſignificatur. *In terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.* His vero verbis, *in ignem æternum*, ſignificatur pœna ſenſus. *In ignem*, non metaphoricum, ſed verum, realem, corporeum, *miris, ſed veris modis*, animas corporaque cruciantem: non diuturnum dumtaxat, ſed *æternum*, nuſquam finiendum ſupplicium. In ignem æternum, qui malorum Angelorum Principi Lucifero, & defectionis ejus ſociis dæmonibus reliquis paratus eſt. Dicitur autem *paratus Diabolo & Angelis ejus*, potius quam hominibus reprobis, (quamvis & iſtis ob peccata paratus ſit) 1. Quia paratus fuit ante hominis peccatum, immo ante illius creationem. 1. Joan. 3. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat.* 2. Ne ſe impii effugere poſſe ſperent, eodem illos ſupplicio cum diabolo damnari & affici ſignificat, quem certum eſt ſine omni ſpe liberationis ſtagno ignis addictum eſſe. Confer cum Apocal. 20. 9. *Et Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum... Et qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Et cum Epiſt. S. Judæ ℣. 6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium; in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Ut tacite impiis exprobret, quod ad ſpem ſalutis conditi, & a Chriſto redempti & vocati, cum Sathana perire maluerint, quam Deo adhærere. 4. Ut intelligatur ſummus Dei erga homines amor, qui bonorum omnium cumulum hominibus nondum creatis præparavit, una ſua bonitate & miſericordia ductus. At cruciatum nullum deſtinavit antecedenter ad præviſionem peccati: ſed extorquente malitia, primum quidem Angelorum rebellium, deinde impiorum hominum, qui alienam culpam imitati, ad pœnitentiam inſuper invitati (quod Angelis peccantibus non contigit) Diaboli & Angelorum ejus ſupplicium in ſe traxerunt. Denique *Dominus iniquos & impios prædeſtinavit ad ſupplicium juſtum, non ad opus injuſtum; ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad* trans-

Origenes Tract. 33. in Matt. *Iſaiæ 16. 10.* *S. Aug. lib. contra Priſcill. & l. 21. de Civit. Dei c. 17. & ſeq. uſque ad finem lib.* *S. Jo. Chryſ. Hom. 80. in Matth.* *S. Fulg. l. 1. ad Monimum c. 26.*

transgressionem; ad interitum quem ira justi judicis peccantibus reddit, non ad interitum quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit.

24. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Quare isti percepturi Regnum? *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Quare isti ituri in ignem æternum? *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Quid est hoc, rogo? „ Video
S. Aug. ser. 60. alias de Temp. 51. c. 9. & 10. „ de his qui percepturi sunt Regnum, quia dederunt „ tamquam boni & fideles Christiani, verba Domini non „ contemnentes, & cum fiducia promissa sperantes; fe„ cerunt hoc; quia si non fecissent, vitæ ipsorum bonæ „ sterilitas ista non utique conveniisset. Forte enim casti „ erant, non fraudatores, non ebriosi, abstinentes se ab „ operibus malis. Si hoc non adderent, steriles remane„ rent. Feciissent enim, *Declina a malo*: non feciissent; „ *Et fac bonum*. Verumtamen etiam ipsis non ait, *Ve„ nite, percipite Regnum*; caste enim vixistis, nulli fraudem feciistis, neminem pauperem oppressistis, limitem „ nullius invasistis, neminem jurando fefelliistis. Non di„ xit hæc, sed, *Percipite Regnum*, quia esurivi, & de„ distis mihi manducare. Quantum hoc excellit, quando „ cetera tacuit, & hoc solum Dominus nominavit? Rur„ sus ad illos, *Ite in ignem æternum, qui præparatus „ est Diabolo & Angelis ejus*. Quam multa posset in „ impios dicere, si quærerent, quare imus in ignem „ æternum? Quare, quæris adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum: „ sed, *quia esurivi, & non dedistis mihi manducare*. Mira
Eccli. 3. 33. Dan. 4. 24. Eccli. 29. 15 „ res! Hujus autem admirabilis rei rationem colligo ut „ possum. Scriptum est, *Sicut aqua extinguit ignem, sic „ eleemosyna extinguit peccatum*. Item scriptum est, *Con„ silium meum audi, Rex, & peccata tua eleemosynis „ redime*. Item, *Include eleemosynam in corde pauperis, „ & ipsa pro te deprecabitur Dominum*. Et alia multa „ sunt divini eloquii documenta, quibus ostenditur mul„ tum valere eleemosynam ad extinguenda & delenda pec„ cata. Proinde illis quos damnaturus est, immo plus „ illis quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, „ tamquam dicens: Difficile est ut si examinem vos & ap„ pendam vos, & scruter diligentissime facta vestra, non „ inveniam unde vos damnem, sed, *Ite in Regnum: esu„ rivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis „ in Regnum, quia non peccastis, sed quia vestra pecca„ ta eleemosynis redemistis*. Rursus & illis, *Ite in ignem „ æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*. Et „ illi tamquam noxii, olim rei, sero tremente, adten„ dentes peccata sua, quando auderent dicere immerito „ se damnari, immerito a se hanc depromi a judice tam „ justo sententiam? Considerando conscientias suas, con„ siderando omnia vulnera animæ suæ, quando auderent „ dicere, Injuste damnamur? De quibus ante in Sapien„ tia dictum est, *Traducent eos ex adverso iniquitates „ eorum*. Sine dubio videbunt se juste damnari pro scele*Sap. 4. 20.* „ ribus & criminibus suis: & quasi eis diceres; Non, „ non unde putatis, sed quia esurivi, & non dedistis mi„ hi manducare. Si enim ab illis omnibus vestris factis „ aversi, & ad me conversi, illa omnia crimina atque „ peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ mo„ do liberarent vos, & a reatu tantorum criminum ab„ solverent. Beati enim misericordes, quoniam ipsi mi„ sericordiam consequentur. Modo autem ite in ignem „ æternum. Judicium sine misericordia ei qui non fe„ cit misericordiam. "

25. *Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?* Impii ad excusandas excusationes in peccatis ex superbia proni sunt: sed tamen conscientiæ suæ testimonio satis convincentur Christum in pauperibus contempsisse. Hæc igitur sermocinatio verbis ultro citroque non fiet, sed summo judici & reprobis tribuitur parabola (ut dixi) ad Christianorum eruditionem: ut scilicet doceantur, Christum duritiem & inhumanitatem divitum in pauperes perinde execrari ac punire, ac si sibi ipsi esurienti, sitienti, aut hospiti, aut infirmo, aut nudo, aut peregrino, aut captivo, misericordiæ officia impendere neglexissent vel recusassent. *Amen dico vobis, Quamdiu non feciistis uni de minoribus his, nec mihi feciistis.*

26. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Non inanis erit sententia justi judicis; absque mora, absque appellatione, absque ulla remissione seu imminutione pœnæ, executioni mandabitur. Reproborum pœna æterna erit sicut electorum vita, felicitas & gloria æterna. Confer cum Danielis 12. 2. *Et multi de illis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.*
S. Greg. M. lib. 34. Moralium c. 16. Sunt (inquit S. Gregor. M.) qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur. Quibus breviter respondemus: *si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum. Per semetipsum namque Veritas dicit*: Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit.* At, inquiunt; Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: „ Si „ falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret: etiam fal„ sa pollicitus est ut ad justitiam provocaret. Et quis „ hanc eorum vesaniam tolleret, qui dum promissionibus „ suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertio„ ne sua etiam electorum præmia remuneratione[sque] con„ fundunt? Quis hanc eorum vesaniam tolleret, qui co„ nantur adstruere verum non esse quod Veritas de æter„ no igne minata est, & dum satagunt Deum perhibere „ misericordem, non verentur prædicare fallacem? "At inquiunt, Sine fine puniri non debet culpa cum fine ... quibus citius respondemus: Quod recte dicerent, si judex justus non corda hominum, sed facta pensaret. „ Iniqui „ enim ideo tunc cum fine derelinquentur: quia cum fine „ vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine „ fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis „ appetunt peccare, quam vivere: & ideo hic semper „ vivere cupiunt, ut numquam desinant peccare cum vi„ vunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut „ numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita „ numquam voluit carere peccato; & nullus detur ini„ quo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere no„ luit terminum criminis. "

SENSUS MORALIS.

1. TUNC *simile erit Regnum cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes; sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Christianus omnis ad Nuptias Agni se aspirare profitetur. Nunc desponsationis tempus est: *Æmulor enim vos Dei æmula-* 2. *Cor.* 11. 2.
tione: despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. In beata æternitate tempus erit nuptiarum. *Nunc desponsata est Ecclesia & virgo est ad nuptias perducenda*; (inquit S. Augustinus) *id est, cum se conti-* *S. Aug. l.* 83.
net a corruptione sæculari. Illo autem tempore nubet, cum *Quæst. qu.*
universa mortalitate in ea pereunte, immortali conjunctio- 59.
ne fruetur. „ Quinque Virgines significant quinquepar„ titam continentiam a carnis illecebris. Continendus est „ enim animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate aurium, a voluptate olfaciendi, gustandi, tangen„ di: sed quia ista continentia partim coram Deo fit, „ ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ; par„ tim coram hominibus tantum, ut gloria humana capia„ tur, quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ; „ utræque tamen virgines, quia utraque continentia est, „ quamvis diverso fomite gaudeant. " Ad istam continentiam pertinet quod scribit Apostolus: *Timeo autem ne* 1. *Cor.* 11. 2.
sicut Serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse *S. August.*
in corde. *Virginitas carnis, corpus intactum: virginitas cordis, fides incorrupta.* Sed fides non sufficit, lampades manibus ferendæ sunt. Lampades, opera bona. De quibus operibus Dominus dicit: *Luceat lux vestra coram ho-* *Enarr. in*
minibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent *Ps.* 147. *v.*
Patrem vestrum qui in cœlis est: Item: *Sint lumbi ve-* 13. *Matt.* 5.
stri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. 16. *Luc.*
In lumbis accinctis virginitas: in lucernis ardentibus, 12. 35.
opera bona. *Fides sine operibus mortua est.* Ad nuptias Agni sola Fide *quæ per dilectionem operatur*, anima Christiana disponitur. Lampades habere non sufficit quoquo modo ardentes; nec opera quæ lucere coram hominibus videantur, nisi oleum in vasis, charitas in cordibus habeatur: *excellentior* illa & eminentior *via* quam demonstrat Apostolus, quam qui non habet, *Factus est tamquam æs* 1. *Cor.* 12.
sonans, & cymbalum tinniens, etiamsi linguis hominum & 13.
loquitur & Angelorum. Hoc oleum solus Deus cordibus infundit per Spiritum sanctum: Spiritus ipse Sanctus oleum est lætitiæ, quo vita cordis nostri foveri perenniter æternumque debet. Hujus olei plenitudinem solus Christus habet, qui Spiritum ad mensuram non accepit, unctus a Deo oleo lætitiæ præ participibus suis: De cujus plenitudine omnia ejus membra accipiunt, secundum mensuram donationis ejus. Supereminens via, id est, charitas merito oleo significatur. Omnibus enim humoribus oleum supereminet. Mitte aquam, & superinfunde oleum, oleum supereminet. Mitte oleum, superinfunde *S. Aug. ser.*
aquam, oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit; 93. *alias* 22
si ordinem mutaveris, vincit. *Charitas numquam exci-* *de Verbis*
dit. Hujus olei comparandi tempus, vita præsens. Cum *Domini*
hoc oleo obdormiunt prudentes Virgines quæ perseverant usque in finem. Non eis obrepsit frigus charitatis, non in eis refriguit charitas, usque in finem fervet. Hac in-

ſtructæ, obviam eunt Sponſo. Oleum in vaſis ſuis habent, bonæ conſcientiæ teſtimonium, qui charitatis fructus eſt, intus portantes, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, (inquit Apoſtolus.) Fatuæ Virgines, quæ bonis operibus volunt hominibus placere, non ſumpſerunt oleum ſecum. Si ideo abſtines ab illicitis, & facis opera bona ut ab hominibus lauderis, non eſt intus oleum. Cum cœperint homines non laudare, lampas deficit & extinguitur. Ante quam dormirent illæ Virgines, lampades illarum extinctas eſſe Chriſtus in parabola non ait: *Sapientium lampades ardebant de oleo interno, de conſcientiæ ſecuritate: de interiore gloria, de intima charitate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quare tunc ardebant, quia non deerant laudes hominum.* Poſt Reſurrectionem vero aptaverunt lampades ſuas, ſe quoquo modo, ſed inutiliter præparaverunt ad reddendam operum ſuorum rationem, & ipſæ fatuæ: Verum extinctis lampadibus, oleum non invenerunt quo illas accenderent: *Quia tunc nemo eſt qui laudet, omnis homo cauſæ ſuæ vacat, tunc nemo eſt qui de ſe non cogitet; Non ergo erant qui oleum venderent; cœperunt deficere lampades*: & converterunt ſe fatuæ ad prudentes, dicentes, *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Hoc quærebant quod conſueverant, id eſt, *alieno oleo lucere, ad alienas laudes ambulare.* At prudentes reſponderunt: *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Irridentium reſponſio eſt. In illis ſcilicet loquebatur Sapientia, quæ peccatoribus ait, *In interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos.* Ite ad vendentes, & emite vobis: quæ non ſolet bene vivere, niſi quia vos homines laudabant, qui vobis oleum, id eſt, laudes vendebant. Qui vendunt laudes, niſi adulatores? Si illorum laudibus delectatæ non eſſetis, ſi propter inanem gloriam bona veſtra opera non feciſſetis; ſi dixiſſetis, *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput caput meum*, alienum oleum non quæreretis, cum Sponſo obviam eundum eſt. *Quid eſt oleum peccatoris, niſi blandimenta adulatoris?* Ite potius ad vendentes, & emite vobis, ſicut facere conſueviſtis. Nos autem vobis non damus: *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis.* In judicio Dei trepidat ipſa bona conſcientia. Rege ſedente in ſolio judicii, *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Fatui certe ſunt, qui ad horam mortis olei ſpiritalis, charitatis ſcilicet comparationem differunt. Non emitur oleum illud, ſed a Deo gratis donatur. Cum in lampadibus noſtris ac vaſis, cum in cordibus defecit culpa noſtra, cum frequentibus actibus dilectionis Dei, operibuſque bonis ex ipſa charitate propter unam Dei gloriam factis, oleum illud augere, perennem lampadum lucem conſervare non curavimus: vix erit ut in morte oleum invenire poſſimus, quo lux lampadum deficiens exſuſcitetur ac foveatur. Piis legatis, anniverſariis ſacris, ſeris eleemoſynis, Sanctorum meritis & interceſſionibus tunc oleum nos empturos, ne confidamus. Non deſperamus illorum ſalutem, qui in extremis pœnitentiam agunt, ſed ſecuritatem dare non poſſumus. Poſſunt adhuc impetrare charitatem qua boni Latronis inſtar peccata deteſtentur, pœnitentiam agant, corda ſua impleant, adhuc tempus eſt, ſed ſerum eſt. Eſau meminerint, qui *non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrimis inquiſiſſet eam.* Meminerint Antiochi, qui a Deo percuſſus, & in extremis poſitus, ex gravi ſuperbia ad agnitionem ſui deductus, has in voces erupit: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Et pollicitus eſt ſe Judæos, quos immaniter perſecutus fuerat, æquales Athenienſibus facturum; & Templum ſanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis coronaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & ſumptus ſacrificiorum de bonis ſuis præſtiturum, inſuper & Judaicam Religionem profeſſurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & poteſtatem Dei prædicaturum. Et his tamen promiſſis oleum quod emeret, non invenit: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Deus in theſauro ſuo charitatem habet, & erogat gratis: ſed *Theſauro ſuo invigilat nec ſinit obrepere indignos.*

Qui autem ſine charitate hinc exeunt, alienis meritis ac precibus juvari amplius non poterunt. Fruſtra quærent aliena ſuffragia & ſolatia, qui conſcientiæ bonæ teſtimonio deſtituentur. Veniet Sponſus ad judicium, occurrent illi electi, intrabunt cum eo ad nuptias; claudetur janua; fruſtra pulſabunt, qui ad illius adventum ſe, ut par erat, non præparaverunt, qui illum non exſpectarunt cum oleo charitatis, & bonorum operum lampadibus de oleo illo interiore ſemper ardentibus, qui non dilexerunt adventum ejus. Pulſandum eſt modo, cum tempus eſt miſericordiæ: *Pulſate & aperietur vobis*: tunc inutiliter pulſabitur, cum tempus erit judicii. *Et clauſa eſt janua*: clauſis portis nullus intrabit, nullus exibit. Fruſtra inclamabitur, *Domine, Domine aperi nobis*. Illis enim qui in ſe, non in Domino gloriantur; illis qui ſæcularem gloriam, favorem vulgi, commoda temporalia bonis operibus exterius lucentibus aucupati ſunt, pietate ad quæſtum abuſi, ſponſus reſpondebit: *Neſcio vos*. Quid eſt, *Neſcio vos?* Improbo vos, reprobo vos, *In arte mea non vos agnoſco, ars mea neſcit vitia*; hoc eſt autem magnum, *& neſcit vitia, & judicat vitia. Neſcit faciendo, judicat arguendo.* Satagamus quando tempus habemus, ut Deo innoteſcamus. Illos ſolos agnoſcit, id eſt approbat, ac pro ſuis habet, qui charitatem habent. Sola charitas ſapientes virgines a fatuis, filios Dei a filiis diaboli diſcernit. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Diem omnem, atque horam ſpectate, ac ſi noviſſima dies & hora eſſet vitæ veſtræ. Vigilate, ne peccati ſomnus obrepat; ne vos blanda voluptas ceu Dalila Samſonem in ſinu ſuo dormientem, abraſis ſeptem crinibus, id eſt, ſeptem donis Spiritus ſancti, in quibus hominis juſti fortitudo ſita eſt, detractis, in manus Philiſtæorum, id eſt, dæmonum tradat. Vigilate ut prudentes illæ virgines in exſpectatione ſponſi. Ad reddendam Deo omnium operum veſtrorum rationem parati ſemper eſtote. *Quiſquis paratus eſt, uſque ad ſomnum: id eſt, uſque ad mortem, quæ omnibus debetur; paratus etiam invenietur, cum illa non media nocte ſonuerit, qua omnes evigilaturi ſunt.* Heu! quot Chriſtiani in peccato, & noxiis voluptatibus dormiunt, immemores Dei, immemores judiciorum ejus, de noviſſimis ſuis, de ſalute ſua nequidem cogitantes! Quot letargici ſunt, qui nec monitionibus amicorum, nec adhortationibus Superiorum, nec voce Prædicatorum & evangelicæ tubæ clangore, nec Dei minis & flagellis excitantur! Quot penitus mortui, in quibus nullus eſt amplius pietatis ſenſus, in quibus obtenebratus eſt oculus fidei, obſurduerunt aures interioris hominis, os clauſum eſt omnino ad Confeſſionem peccatorum, Deique laudes, pulſus ac motus omnis ad Deum, charitas, quæ vita cordis eſt, defecit; Spiritus ſanctus in ipſis extinctus eſt. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, ſi ſurgas tempore opportuno, & ambules deincens ut filius lucis. „ Omnes enim vos „ filii lucis eſtis, & filii diei (*inquit idem Apoſtolus*): non „ ſumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus „ ſicut & ceteri, ſed vigilemus & ſobrii ſimus. Qui enim „ dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii „ ſunt. Nos autem qui diei ſumus, induti loricam fidei, „ & charitatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit „ nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Domi„ num noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: „ ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo viva„ mus. " Veniet hora, & quando neſcimus veniet, vigilate. Corde vigila, fide vigila, ſpe vigila, charitate vigila, operibus vigila & cum ſomno mortis dormieris, veniet tempus ut ſurgas, & adornata ardenteque lampade, oleo charitatis in corde recondito, occurras Sponſo, ipſumque incorporeis nexibus amplectaris, & ab illo introducaris in domum æterni convivii, ubi numquam dormias, ubi numquam tua lampas poſſit extingui, numquam excidere charitas valeat.

2. *Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem &c.* Miniſtri & ſervi Chriſti vocati ſunt ad res ipſius agendas, non ſuas. Unum illorum negotium, una cura eſſe debet, ne aliud curent quam Domini gloriam. Quæcumque talenta habent ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, Domini bona ſunt, ab illo accepta. Qui illa tribuit, uſurpator eſt. Qui de illis gloriatur, injuſtus. *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Servus a Domino pecuniam accepit, non ingenium, non induſtriam, non diligentiam: Chriſti vero Miniſtri, & Chriſtiani quilibet non ſolum a Deo talenta accipiunt, ſed & bonum uſum talentorum, bonam voluntatem, gratiam & bonum uſum gratiæ. Itaque *Totum Deo debetur: qui voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Non viribus naturæ, aut meritis, ſed cujuſque ſtatui, conditioni, vocationi ſecundum æternum providentiæ ſuæ conſilium, Deus gratias ſuas & dona commenſurat. Fidelis, gratus, & diligens eſſe debet quicumque Chriſtianus, ſive plura, ſive pauciora, ſive magna, ſive mediocria a Deo accepit, eaque ad ejus gloriam, ad Regnum ejus in ſe & in aliis ſtabiliendum & amplificandum conferre. „ Talenta hic pro eo quod unuſquiſque facere „ poteſt, accipimus, ſive auctoritate protegere, ſive pe„ cuniis juvare, ſive doctrina admonere, ſive alia qua„ piam re proximis prodeſſe queas. Nemo dicat: Cum „ unum talentum habeam, nihil poſſum efficere: poteſt „ profecto ex una re ſola comprobari. Non es pauperior „ illa vidua; non es Petro atque Joanne ruſticior, qui „ quamvis rudes & illiterati fuerint, quoniam magno „ ſtudio communem utilitatem amplexi fuerant, cœlorum „ Principes facti ſunt. " Quippe nulla res Deo gratior eſt, quam ut univerſam vitam ad commune commodum conferas. Nullus eſt qui duo ſaltem talenta non acceperit. 1. Intelligentiæ, ut Deum cognoſcat. 2. Voluntatis, ut Deum diligat, eique adhæreat. Magnum lucrum faciet, ſi in ejus cognitione & amore ita proficere ſatagat, ut ad beatam Dei viſionem, conſummatamque

Hab. 12. 17. — *2. Mach.* 9. — *Tertull. de Pœnit.* — *Pſ.* 140. 5. — *Prov.* 20. 99. — *2. Cor.* 12. — *S. Auguſt. Ibidem.* — *S. Aug. l.* 83. *Quæſt. Quæſt.* 59. — *Epheſ.* 5. 14 *1. Theſſ.* 5. *& ſeqq.* — *1. Cor.* 4. 7. — *S. Auguſt.* — *S. Jo. Chryſ. Hom.* 79. *in Matth.* — *Lucæ* 21.

tamque

tamque charitatem recto duorum illorum talentorum usu perveniat. Qualecumque vero sit quod accepimus talentum, sic illud impendamus, sic operemur, quasi Deo rationem accuratissimam reddituri. Nullus piger ab hac talenti acceptione securus, a ratione reddenda pro talento accepto immunis est. „ Nullus est qui veraciter dicat, *S. Greg. M. Hom. 9. in Evang.* „ Talentum minime accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. „ Alius namque accepit intelligentiam, prædicationis „ ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur, „ ipsa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius „ nihil horum affecutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto „ familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens „ ergo intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiæ largitate „ torpescat: habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum illius atque utilitatem cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cum valet, non „ apud eum pro pauperibus intercedit. Tantum quippe „ ab unoquoque nostrum venturus judex exiget, quantum „ dedit. " Quidam talenta latius patentia & splendidiora, alii angustiora & obscuriora accepere: omnes tamen pariter obnoxii sunt reddendæ rationi: omnes ideo incumbere officiis suis debent, eaque fideliter implere: omnes æterno creditori fructum & lucrum accepti talenti repræsentare tenentur. Qua de re *S. Bernardus* ad Balduinum Reatini Monasterii Abbatem scribebat: *S. Bern. Epist. 201.* „ Nec „ sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem laudabilis. Officium ergo tuum attende. Pelle pudorem consideratione officii, age ut magister. Novus es, sed debitor. Et ex tunc te noveris debitorem, „ ex quo te alligasti. Numquid novitas excusabit apud „ creditorem damna lucrorum? Numquid prima tempora „ vacua præterire patitur fœnerator? Sed non sum, inquies, ad ista sufficiens. Quasi vero devotio tua accepta non sit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes. De solo tibi credito talento respondere para, „ securus de reliquo. Si multum accepisti, da multum. Quod si modicum est, & id tribue. Etenim qui „ in modico fidelis non est, nec in maximo. Totum „ da, quia totum repetendus es usque ad novissimum „ quadrantem; sed sane quod habes, non quod non habes. „

3. Si talentis a Deo datis & commissis recte utamur, si ea ad ejus gloriam, ad nostram ac proximorum salutem impendamus, a Christo in die judicii audiemus: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis,* 1. *Cor.* 4. 5. *intra in gaudium Domini tui.* Laudem ac plausus hominum ne quæramus, si Dei laude digni esse velimus, qua suorum electorum opera probare & commendare dignabitur. *Et tunc laus erit unicuique a Deo.* Nullam operum nostrorum mercedem ab hominibus expectemus, si volumus ut Deus ipse sit merces nostra, prout Abrahæ promisit: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* *Genes.* 15. 1. Deum amemus pure & caste. *Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de Dei cultu* *S. August. Enarr. in Psalm. 96.* *non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est. Adtende quia mercedem consequeris. Amatoribus suis Dominus noster Jesus Christus quid dicit?* Qui diligit me, mandata mea custodit, & diligetur a Patre meo, & diligam eum. *Quid illi ergo dabis?* Et ostendam me ipsum illi. „ Si non amas, parum est: si amas, si suspiras, si „ gratis colis eum a quo gratis emptus es, si considera„ tis in te ejus beneficiis suspiras, & inquietum habes „ cor desiderio ejus; noli extra eum aliquid ab eo quæ*Jo.* 14. 23 „ rere, ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus. Etenim avaritia terram quærebat possidere totam, adde & cœlum: plus est qui fecit cœlum „ & terram. In istis humanis conjugiis considerate cor „ castum quale sit ad Deum: certe humana conjugia „ sunt: non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit: non maritum caste diligit, quæ propterea „ diligit, quia aliquid donavit, aut quia multum donavit. Et dives manens, & pauper factus, maritus est. „ Quam multi proscripti a castis uxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta conjugia calamitatibus maritorum: ne aliud amare quam maritum putarentur non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutæ sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur, „ si caste diligitur; & uxor carnalis gratis diligitur, si „ caste diligitur: Deus quomodo diligendus est, verus & „ verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fœcundans, & steriles nos non esse permittens? Illum „ ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur. " Denique ne in vana gaudia effundamur, ne nobismetipsis inaniter placeamus, aut hominibus placere magis quam Deo studeamus, ne indigni simus gaudio Domini. *Serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Gaudia sæculi intrant in cor nostrum, quia major est capacitas cordis nostri quam ut illis repleatur: sed cor nostrum intrat in gaudium Domini, quia Deus *major est corde nostro.* Animam ergo 1. *Jo.* 3. 20. Dei capacem quicquid Deo minus est non implebit. *Magnum penetrale, & dulce secretum. O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum. Non ne illud secretum est quo intrabit ille, cui dicturus est Dominus servo bene merito,* INTRA in gaudium Domini tui..... *Et quid est intus?* Quoniam apud te est fons vitæ, & in lu- *S. Aug. tr.* mine tuo videbimus lumen. *Non foris extra te, sed intus* 25. *in Jo.* *apud te, ibi est fons vitæ. Ideo intrare debemus, ut vi-* *Psalm.* 35. *vamus, non quasi nobis sufficere ut pereamus, non quasi de nostro velle satiari ut arescamus: sed os ad ipsum fontem ponere, ubi aqua non deficit.* Ne ergo derelinquamus Deum *fontem aquæ vivæ*, & fodiamus nobis *cisternas* *Jer.* 2. 13. *dissipatas, quæ continere non valent aquas*, sed unum Deum sitiamus ac desideremus, in eoque uno semper gaudeamus, dicentes: *Quemadmodum desiderat cervus ad* *Ps.* 41. 1. *fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* & 2. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei.*

4. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii & abscondi talentum tuum in terra*, &c. Ut se excuset peccator, nec calumniæ parcit nec blasphemiæ. Pigritiæ suæ causam in Deum rejicere non erubescit, dicere quod nimis severus sit, cui servire sit difficile; qui reprobet quos voluerit; qui graviora jubeat, quam infirmæ & imbecillæ hominis vires ferant, qui gratiam neget ad obediendum & operandum necessariam: atque ita metere velit, ubi non seminavit, & congregare ubi non sparsit. O stupendam cæcitatem! O immane ingrati animi vitium! Deum optimum & beneficentissimum inhumanitatis & injustitiæ accusare, qui nihil a nobis exigit, nisi quod ad salutem nostram utile est, qui peccata in se commissa gratis condonat; qui bona opera, quæ ipse in nobis per gratiam suam operatur, liberaliter & magnifice remunerat; qui neminem vult perire, qui omnes expectat & invitat ad pœnitentiam; qui numquam instat præcepto, nisi præcurrat auxilio, qui jugum mandatorum suorum suave, & onus leve amore facit, quo redametur amans; & amor, quem conserit, ipse est; qui gratiam suam omnibus offert, stans ad ostium cordis nostri & pulsans, bona sua omnibus servis suis liberaliter tradens, unicuique secundum propriam virtutem, quam ipse sufficientem præstat, ut ea augere possint. Frustra vero Dei timorem obtendit servus malus & piger ad inertiam suam excusandam. Talentum sibi creditum ad gloriam Domini, ad suam & proximi salutem impendere & conferre debuit. „ Nulli pro„ desse, impium & crudele est. Nonne hoc docuit Do„ minus? Non enim damnavit servum qui intervertit quod *S. August.* „ accepit; sed qui non erogavit. Intelligatur pœna in- *Enarr. in* „ terversoris ex pœna pigri. *Serve nequam & piger*, ait *Psal.* 99. „ Dominus damnas. Non ait, intervertisti pecuniam „ meam; non ait, Dedi tibi, & non mihi; quod dedi „ integrum reddidisti: quia non crevit, quia non eroga„ sti, inde, inquit, te puniam. Avarus est Deus salutis „ nostræ: " Divini verbi ministerium, talentum est Ecclesiæ Rectoribus, Doctoribus, & Prædicatoribus a Domino creditum, ad illius gloriam & proximorum utilitatem ab illis erogandum: sed usuræ illius ab auditoribus exigentur. Non ita tamen ad Prælatos & Doctores pertinent cœlestis illius talenti dispensatio, & erogatio, ut Christiani omnes ad eam privato non teneantur officio. „ Nos dispensatores sumus, nos erogamus, vos ac- *S. August.* „ cipitis. Lucra quærimus: bene vivite. Lucra enim e- *serm.* 94. „ rogationis nostræ ista sunt. Sed etiam ad vos nolite e- *alias* 51. *de* „ xistimare non pertinere erogationem. Non potestis ero- *Sanctis.* „ gare de isto loco superiore, sed potestis ubicumque e„ stis. Ubi reprehenditur Christus, defendite: murmura„ toribus respondete, blasphematores corripite, ab eorum „ vos societate alienate. Sic erogatis, si aliquos lucrami„ ni. Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus „ inde appellatus est, quia superintendit, quia intenden„ do curat. Unusquisque ergo in domo sua si caput est „ domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus offi„ cium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæ„ resim incurrant: *Quomodo vivant, ne in gravia crimi„ na incidant, ne Christianam professionem pravis mori„ bus inhonorent*; ne uxor, ne filius, ne filia, ne ipse „ servus, quia tanti est emptus. Disciplina Apostolica „ præposuit dominum servo, servum subdidit domino: „ Christus tamen pro ambobus unum pretium dedit. Mi„ nimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestro„ rum salutem omni vigilantia procurate. Hæc si faci„ tis, erogatis: pigri servi non eritis, damnationem tam „ detestandam non timebitis: " Tollite ab eo talentum *S. Greg.* ..... & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: *Hom.* 9. *in* *Quisquis enim charitatem non habet, etiam dona quæ per-* *Evang.*

cepisse

cepiſſe videbatur, amittit. Charitas autem vera eſt, amicum in Deo diligere, & inimicum propter Deum, eorumque ſaluti cooperari. *Unicuique* enim *mandavit Deus de proximo ſuo*. Hanc charitatem quiſquis non habet, omne bonum amittit quod habet, talento quod acceperat privatur, & in exteriores tenebras mittitur. „ Per pœ„ nam quippe in exteriores tenebras cadit, qui per cul„ pam ſuam ſponte in interiores tenebras cecidit: & il„ lic coactus patitur tenebras ultionis, qui hic libenter „ ſuſtinuit tenebras voluptatis. “

5. *Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gen-*
Job. 30. 21. *tes, & ſeparabit eos ab invicem ſicut paſtor ſegregat oves*
ab hædis: & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos
Tertull. l. de Spectaculis c. ult. *autem a ſiniſtris*. Quale ſpectaculum, quam Chriſtiano dignum, qui fidei oculis Chriſti myſteria hic contemplatur! quam terribile illis qui non crediderint, aut ſecundum fidem ſuam non vixerint! „ Quale ſpectaculum in „ proximo eſt adventus Domini jam indubitati, jam ſu„ perbi, jam triumphantis? Quæ illa exſultatio Angelo„ rum, quæ gloria reſurgentium ſanctorum? Quale Re„ gnum exinde juſtorum? Qualis civitas nova Jeruſalem? „ At enim ſuperſunt alia ſpectacula, ille ultimus & per„ petuus judicii dies, ille nationibus inſperatus, ille de„ riſus, cum tanta ſæculi vetuſtas, & tot ejus nativita„ tes uno igne haurientur. Quæ tunc ſpectaculi latitudo? „ Quid admirer? Quid rideam? Ubi gaudeam? ubi exul„ tem? tot ſpectans Reges, qui in cœlum recepti men„ tiebantur; cum ipſo Jove & ipſis ſuis teſtibus in imis „ tenebris congemiſcentes? Item Præſides, perſecutores „ Dominici nominis, ſævioribus quam ipſi contra Chri„ ſtianos ſævierunt flammis inſultantibus liqueſcentes; „ præterea ſapientes illos Philoſophos coram diſcipulis „ ſuis una conflagrantibus erubeſcentes, quibus animas „ aut nullas, aut non in priſtina corpora redituras affir„ mabant; etiam Poetas non ad Rhadamanti, nec ad „ Minois, ſed ad inopinati Chriſti tribunal palpitantes? „ Tunc magis tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales „ in ſua propria calamitate. Tunc hiſtriones cognoſcen„ di ſolutiores multo per ignem .... Niſi quod ne tunc „ quidem illos velim viſos, ut qui malim ad eos potius „ conſpectum inſatiabilem conferre, qui in Dominum de„ ſævierunt. Hic eſt ille (*dicam*) fabri aut quæſtua„ riæ filius, ſabbati deſtructor, Samarites, & dæmonium „ habens. Hic eſt quem a Juda redemiſtis. Hic eſt ille „ arundine & colaphis diverberatus, ſputamentis dedeco„ ratus, felle & aceto potatus. Hic eſt quem clam di*Diſcipuli „ ſcentes * ſubripuerunt, ut reſurrexiſſe dicatur. Ut ta„ lia ſpectes, ut talibus exſultes, quis tibi Prætor, aut „ Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua liberalita„ te præſtabit? Et tamen hæc jam quodammodo habe„ mus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata. “ Tunc videbitur Chriſtus ut Deus in ſua majeſtate ut Rex in throno, ut judex in tribunali, ut Paſtor in medio ovili, ſegregans oves ab hædis. Deus miſerator, dives in miſericordia, benefaciens, magnificus electis; Deus ultionum reprobis. Judex juſtis propitius; iniquis ſeverus, terribilis, implacatus. Rex ſubditos obedientes ad Regni ſui conſortium, æternamque feliciratem vocans & admittens: perduelles ut vas figuli confrigens, conterens, perdens, æterniſque tormentis damnans. Paſtor oves colligens in ovile æternum, ubi paſcet eas in paſcuis uberrimis, in montibus æternitatis, ſe ipſo pane vitæ, & potabit eas aqua ſapientiæ, qua fiet ut non ſitiant in perpetuum: hœdos putidos ejiciens & in prædam lupis, id eſt, dæmonibus relinquens. Satagamus ut oves ſimus innocentia, ſimplicitate, humilitate, docilitate, manſuetudine. Qualis quiſque ex hac vita migraverit, talis in judicio & in æternum erit, aut ovis, aut hœdus. Veniet Filius hominis in majeſtate contra peccatores, ad ipſos veniet cum poteſtate magna, qui venit in infir*Apoc. c. 13.* mitate multa: veniet judicaturus, qui venit judicandus.
verſ. 14. Vidit S. Joannes in divina ſua Apocalypſi *ſimilem Filio*
Abbas Joachim in *hominis*, omnem quippe erga iniquos affectum humanita*Apoc.* tis, bonitatis, & commiſerationis exuet: *Ut ſicut in eo aliquando Divinitatis gloriam occultaverat humanitas; ita nunc humanitatis ejus abjectio a Majeſtatis gloria abſorpta videatur*. Nunc affectus patris, benefactoris, ſponſi, Salvatoris reſpectu hominum induit: in ultimo vero judicio tenerrimos illos affectus exuet penitus ac deponet reſpectu peccatorum, unamque irati judicis ſeveritatem aſſumet ac exercebit. Tunc impii in deſperationem acti, Chriſtum deinceps patrem ſuum, ſponſum, benefactorem, Salvatorem vocare non auſi, dicent: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi*. Solum digitum (ut ita loquar) adhibet Deus ut peccatores in hoc ſæculo puniat. Unde magi Pharaonis terribiles Ægypti plagas conſiderantes dixere: *Digitus Dei*
Exod. 8. 19. *eſt hic*. In judicio vero & in futuro ſæculo totam vim
Jer. 16. 21. manus ſuæ, totam brachii ſui potentiam & pondus ad reproborum punitionem adhibebit. *Oſtendam eis per vicem*
Tertull. *hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam, & ſcient quia nomen mihi Dominus*. Deum modo non cognoſcunt peccatores, ſolam quippe ejus miſericordiam intuentur: ſed tunc & juſtitiam infelici experientia cognoſcent, quæ eſt *plenitudo divinitatis*. Tunc continebit *1. Reg. 15.* in ira ſua miſericordias ſuas. Nunc miſericordiæ tempus *29. Pſal. 7.* eſt, tunc regnum erit juſtitiæ. Nunc miſericordia juſti*32.* tiam continet ne peccatores perdat; tunc juſtitia miſeri cordiam continebit ne peccatoribus ſubveniat. *Porro Triumphator in ira non parcet & pœnitudine non flectetur*. Viam faciet ſemitæ iræ ſuæ, & non parcet a morte animabus eorum. Accipiet armaturam zelus illius: contemptus amor in furorem adverſus reprobos convertetur. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos* *Pſ. 93. 3.* *ejus*. De ore ejus gladius utraque parte acutus exibit, & facies ejus ſicut ſol lucebit in virtute ſua. Nunc ægre *Apoc. 1. 16.* punit. *Juſtitia opus a Deo peregrinum*, (inquit Tertul- *Tertull.* lianus) Non in perpetuum irascitur, neque in æternum comminatur. Iraſcitur, & propitius eſt. *Miſericors Dominus & juſtus, & Deus noſter miſeretur. Deus poſt tot ac tanta humanæ temeritatis delicta a principe generis Adam auſpicata, poſt condemnatum hominem cum ſæculi dote, poſt ejectum paradiſo mortique ſubjectum, rurſum ad ſuam miſericordiam maturavit*. At in judicio cum *Jer. 1. 24.* lætitia incredibili vindictam repetet: *Conſolabor ſuper ho- Jacob. 2. 11.* *ſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Nullus erit *Oſee 6.* amplius miſericordiæ locus. *Judicium ſine miſericordia... Non addam ultra miſereri*. Falli non poteſt ſummus ille judex, quia ſapientia eſt: corrumpi non poteſt, quia veritas: appellari ab ejus judicio non poterit, quia Dei Filius eſt, cui Pater omne judicium dedit. Sententiæ ab ipſo latæ executio retardari non poterit, quia omnipotens eſt. Abſque perſonarum acceptione judicabit puſillos & magnos, nobiles & ignobiles, principes & ſubditos, pauperes & divites. Nemo homo judicium ejus effugiet. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut* *2. Cor. 5. 12.* *referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Nec facta ſolum, ſed & prava conſilia, pravos affectus, cogitationes pravas judicabit. Nihil illum latebit, qui pertingit uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ, compagum quoque & medullarum, & nihil eſt inviſibile in conſpectu ejus. *Illuminabit abſcondita te-* *1. Cor. 4. 5.* *nebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Uniuſcujuſque conſcientia pellucida erit. Libri aperientur, & judicabuntur mortui ex iis quæ ſcripta erunt in libris, ſecundum opera ipſorum. Uniuſcujuſque conſcientia liber eſt, in qua peccatorum, aut bonorum operum characteres deſcribuntur; ſed clauſus eſt, quamdiu hic vivimus, ſoli Deo patet, non Angelis, non hominibus. Ille ſolus ſcrutator cogitationum cordis, quod alioquin inſcrutabile: At in ultimo judicio libri aperientur, conſcientiæ patebunt, non ſolum Chriſto ſummo judici, ſed omnibus Angelis & hominibus: *Et manifeſtabit conſilia cordium*. Nullus erit excuſationi, aut defenſioni, nullus tergiverſationi locus, ſed æternæ confuſioni, qua reprobi induentur. *Tunc mens ſuper gehennæ incendio ſuo gravius igne cruciabitur* (inquit S. Gregorius Magnus). Lege quæ in Theologia noſtra diximus ad illum Symboli Articulum: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Judicium Dei timeamus, ſed timore caſto: Adventum Chriſti ad judicium diligamus; in die judicii fiduciam habeamus. *Noviſſimus dies terribiliter venturus auditur eis, qui ſe-* *S. Aug. Enarr. in Pſ.* *curi eſſe bene vivendo nolunt, & male vivere diu volunt*. *39. ſerm. 1.* Bonis vero optandus eſt & amandus ob gloriam Chriſti, ob finem peccati, ob adeptionem Regni. Judicium ſecuri *Idem Enarr. in Pſ.* expectabimus, ſi bonam conſcientiam habeamus. *Quando* *37. Idem* *Deus judex erit, alius teſtis, quam conſcientia tua non* *Enarr. in* *erit. Inter judicem juſtum & conſcientiam tuam, noli ti-* *Pſalm. 49.* *mere niſi cauſam tuam*. Ceterum ut ſecurus ſtes ante Tribunal Chriſti, judicium ejus in te præveni: *Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi judex, torqueat te timor, e-* *S. Aug. Enarr. in* *rumpat a te confeſſio, & dic Deo*: Quoniam iniquitatem *Pſ. 66.* meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. „ Quod erat poſt te, fiat ante te: ne tu ipſe „ poſtea a Deo judice fias ante te, & non ſit quo fugias „ a te. *Præveni faciem ejus in confeſſione*. Tuam iniqui„ tatem confitere, gratiam Dei confitere: te accuſa, il„ lum glorifica; te reprehende, illum lauda: ut & ipſe „ veniens inveniat te punitorem tuum, & exhibeat ſe „ tibi Salvatorem tuum... Confiteri times Deo, ne con„ feſſum damnet? Si non confeſſus lates, confeſſus dam„ naberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non „ potes occultus: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari „ confeſſus. „ Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. *Et quia confitentur*, Lætentur & exultent gentes quoniam judicas populos in æquitate. „ Nemo te fallit: gaudeat judicandus, qui timuit judi„ caturum. Prævidit enim, & prævenit faciem ejus in „ confeſſione: ille autem cum venerit, populos in æqui„ tate judicabit. Quid ibi valebit calliditas accuſatoris, „ ubi eſt teſtis conſcientia, ubi tu eris & cauſa tua, „ ubi judex non quærit teſtem? Advocatum miſit tibi: „ propter illum, & per illum confitere; age cauſam „ tuam: & defenſor eſt pœnitentis, & petitor veniæ „ confitentis, & judex innocentis. Vere timere poteris „ cauſam tuam, ubi Advocatus tuus erit Judex tuus?

Læten-

„ *Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos* „ *in æquitate*. Sed timere poterunt, ne male judicentur: „ dent se corrigendos, dent se dirigendos ei qui videt „ judicandos. Hic corrigantur, & non timeant cum ju- „ dicabuntur. Vide quid dicat in alio Psalmo: *Deus in* „ *nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica* „ *me*. Si non me prius salvas in nomine tuo, debeo ti- „ mere cum me judicabis in virtute tua: si autem me „ prius salvas in nomine tuo, quid timebo judicantem in „ virtute, cujus salus præcessit in nomine?

Apoc. al. ult. 6. *Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Qui in hac mortali vita positus, vero, sincero, ardenti Dominici Adventus Regnique desiderio sæpe dixerit: *Veni, Domine Jesu*, in eoque affectu obierit; & qui non verbis tenus, sed operibus, fidelitate. & charitate dixerit, *Domine Jesu, posside cor meum: Tu scis* enim *quia amo te*: in ultimo judicio suavissima hæc verba a Christo audiet, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum*: id est, *Qui regnum eratis, & non regnabatis, venite, regnate: ut quod in spe fuerat, etiam in re esse possitis*. Sancti sunt Regnum Dei, quatenus in iis regnat Deus per charitatem. *Fecisti nos Deo nostro regnum*. Ideo in Regni æterni possessionem vocantur & mittuntur. *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum*. Nunc Regnum Dei adhuc congregatur, adhuc ædificatur, adhuc paratur. In illo erunt mansiones sicut adhuc parat eas Dominus: in illo jam sunt sicut jam prædestinavit Dominus. Dominus nos sibi parat, & se nobis parat; quoniam locum parat & sibi in nobis, & in se nobis. Dixit enim *Manete in me, & ego in vobis*. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. *Tunc locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur*: *Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis*. Nunc *Spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*.

S. Aug. Tract. 68. in Joann. Apoc. 5: 10. & c. 22. 5. *Joann. 15. 4 S. Aug. ibid.* *Apoc. 22. 17.*

S. Aug. ser. 261. alias de Diversis 12. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*. Ad dexteram staturis non dicet, Illa & illa magna feciſtis: sed, *Esurivi & dedistis mihi manducare*. „ Ad sinistram staturis non est dicturus, Illa & illa mala feciſtis: sed, „ *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*. Illi pro ele- „ emosyna in vitam æternam; isti propter sterilitatem in „ ignem æternum. Modo eligite aut dexteram, aut sini- „ stram. Nam rogo vos, quam habere poterit spem sa- „ lutis piger in remediis, creber in morbis? *Aperi sinum* „ *pietatis, excipe donum felicitatis*. “ Peccata tua ele- emosynis redime. Forte contemnebas nescio quem pauperem aut egenum: noli contemnere Christum in cœlo sedentem, in terra egentem. Ipse dat, ipse accipit; dat de cœlo, accipit in terra. *Quasi fœnus trajectitium facis*. Hic das, ibi recipis: hic das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras. „ Esurivi enim, & dedistis, mi- „ hi manducare. Pauca dedisti, plura sume: terrena de- „ disti, cælestia sume: temporalia dedisti, æterna sume: „ mea dedisti, me ipsum sume. Quid enim dedisti, nisi „ ex eo quod a me accepisti? Quod dederis non reddo, „ qui unde dares dedi? Qui te ipsum qui dares dedi, qui „ tibi Christum cui dares dedi? Ecce cui das, pascit, & „ esurit propter te: donat & eget. Quando donat, vis „ accipere; quando eget, non vis dare. Eget Christus, „ quando eget pauper; qui omnibus suis vitam æternam pa- „ ratus est dare, in unoquoque paupere temporaliter dignus „ est accipere. Et consilium dat quod migres. Migra de ter- „ ra in cœlum, ne perdas. “ Si forte tibi aliquis diceret. Migra divitias tuas ab Occidente in Orientem, si non vis ut pereant, æstuares, laborares, satageres, attenderes quanta essent quæ haberes, videres te multiplicitate rerum tuarum in longinqua facile migrare non posse: & forte fleres, quia ire cogereris, & quomodo tecum tolleres quod collegeras, non invenires. In longiora te migrare jussit, qui non ait, Migra de Occidente in Orientem: sed, Migra de terra in cœlum. Æstuas; quasi difficultatem majorem tibi videris pati, & dicis: Si non inveniebam jumenta & naves, quibus ab Occidente migrarem ad Orientem; quomodo inveniam scalas, quibus a terra migrem in cœlum? Noli, inquit tibi Deus, noli laborare: *Qui te divitem feci, qui tibi quod dares dedi, laturarios tibi pauperes feci*. Si invenires aliquem inopem de trans mare, aut quo ire velles, invenires inde civem aliquem necessitatem patientem, diceres tibi: Civis iste inde est quo ego volo ire: eget hic, do illi quod ibi mihi reddat. *Ecce eget hic pauper; civis est Regni cœlorum, quid dubitas facere trajectitium?*

Idem ser. 42. alias Hom. 29. ex 50. *Idem ser. 38. alias 245. de Tempore.*

S. Aug. ser. 81. alias de Diversis 43. 7. *Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus te? . . . Et respondens Rex dicet illis: Amen, amen dico vobis: Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Da Deo, & ut recipias conveniris. Certe in terra quærebas debitorem tuum: quærebat & ille, sed ubi se absconderet a facie tua. Adieras judicem, & dixeras, Jube illum debitorem meum conveniri. Ille audito hoc, discedit, & nec salutare te quærit, cui forte egenti salutem commodando præstiteras. Habes ergo cui eroges. Da Christo, ipse te convenit ultro, ut recipias, & mirantem quia aliquid a te recepit. „ Convenit debitor, „ & creditores excusant. Non vult eos fidelis debitor „ falli. Recipere dubitatis? Accepi, & ignoratis. Non „ accepi per me, accepi per meos. Quod illis datum „ est, ad me pervenit: securi estote, non perdidistis. „ Minus idoneos adtendebatis in terra: idoneum habetis „ in cœlo. Ego, inquit, accepi, ego reddam. Terram „ accepi, cœlum dabo: temporalia accepi, æterna re- „ stituam: Panem accepi, vitam dabo. Immo etiam hoc „ dicamus; panem accepi, panem dabo: potum acce- „ pi, potum dabo: hospitium accepi, domum dabo: æger „ visitatus sum, salutem dabo: in carcere visus sum, li- „ bertatem dabo. Panis quem dedistis pauperibus meis con- „ sumptus est: panis quem ego dabo, & reficit, & non „ deficit. Det ergo nobis panem Panis ille qui de cœlo „ descendit. Cum panem dabit, seipsum dabit. “

Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Quid potuit nobis majus Christus edicere? „ Quomodo magis potuit justitiæ ac misericordiæ nostræ „ opera provocare; quam quod præstari dixit sibi, quic- „ quid egenti præstetur & pauperi: & se dixit offendi, „ nisi egenti præstetur & pauperi, ut qui respectu fra- „ tris in Ecclesia non movetur, vel Christi contempla- „ tione moveatur, & qui non cogitat in labore atque in „ egestate conservum, vel dominum cogitet in illo ipso „ quem despicit constitutum. “ *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. Super egenum & pauperem intelligit, qui Christum in paupere fidei oculis intuetur. Sacramentum quoddam est pauper. Panni quos videmus, quasi species sunt; sub quibus Christus latet, dives in misericordia, verus Deus. Christi Domini verbis Corpus ejus & Sanguinem in Altaris sanctissimo Sacramento substantialiter præsentia esse credimus: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*. Ejusdem Salvatoris nostri verbis illum in paupere moraliter præsentem esse credamus: *Quamdiu* (inquit) *feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. SOLUM *tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum unitate mendicat*. Eucharistia sacrificium pariter & Sacramentum est: pauper quasi Sacramentum est, Christum continens ac repræsentans; eleemosyna quasi Sacramentum est, Christum pascens in paupere: simul & sacrificium est, propitiatorium, & impetratorium eleemosynas erogantibus: quia & remissionem peccatorum, & ubertatem ipsi impetrat gratiarum. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci*; (inquit Apostolus) *talibus enim hostiis promeretur Deus*. Sacrilegus est qui indigne tractat Eucharistiam: *Vis injertur Corpori & Sanguini Domini*. Sacrilegii cujusdam reus est, qui Christum in paupere despicit, conculcat, occidit. *Non pavisti, occidisti*. Indigne communicans, judicium sibi manducat & bibit: qui pauperem non juvat, maledictionem & damnationem æternam sibi arcessit. Dicet enim Christus his qui a sinistris erunt.

S. Cypr. in Tract. de Opere & Eleem. *Salv. l. 4. ad Eccles. Catholic.* *Hebr. 13. 16.* *S. Cypr. Citatur sub nomine.* *S. Amb. in collectione Gratiani c. Pasce Dist. 36.*

8. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. *Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, &c. & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*. „ Si in ignem, mittitur, „ qui esurienti non dedit panem suum; puta ubi mit- „ tendus est, qui vestitum expoliavit? Si cum diabolo dam- „ natur, qui hospitibus non præbuit domum suam; puta „ ubi mittendus est, qui tulit alienam? Si perituri est „ qui in carcere non visitavit, quid de illo fiet, qui for- „ te injuste in carcerem misit? Rogo vos, Fratres, hic „ adtendite, quam spem habere possunt qui mala faciunt; „ quando illi perituri sunt qui bona non faciunt? Deni- „ que & alio loco Dominus terribiliter nos admonet, „ dicens, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum*, „ *excidetur, & in ignem mittetur*. Non dixit, quæ fa- „ cit fructum malum, sed quæ non facit fructum bo- „ num. Hinc ergo possumus evidenter agnoscere, quas „ pœnas arbor spinosa in die judicii patietur; quando „ illa quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignem „ mittetur. “

S. Cæsarius ser. 31. inter Aug. alias 58. de Sanctis nunc in Appen. 77. *Matth. 7. 19.*

Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. „ Regnum ego vobis; „ ignem autem non vobis, sed Diabolo & Angelis ejus „ præparavi, in quem quoniam vos sponte injeciſtis, vo- „ bis ipsis id imputate. *Esurivi enim, & non dedistis mihi* „ *manducare*. Si enim inimicus fuissem, nonne ad immi- „ sericordes etiam flectendos mitigandosque sufficissent „ passiones illæ, inedia scilicet, frigus, vincula, nudi- „ tas, ægritudo, aut quia ubique sine tecto pervagatus „ sum? Hæc enim cum etiam inimicos movere possent: „ vos autem neque amico hæc contuliſtis, & Domino, „ & benefactori. At canem plerumque fame premi vi- „ dentes, compatimur, & belluarum inedia movemur: „ Tu vero Domino famem patiente non moveris? Qua „ ratione hæc poterunt excusari? Nam etsi illud so-

S. Joan. Chrys. hom. 80. in Mat.

„ lummodo ſpectaretur, nonne magni præmii loco habendum eſſet, Chriſtum paſcere? Non dico, ut vocem illam, *Venite benedicti*, &c. a ſedente in Patris ſolio, orbe terrarum præſente audias, & Regnum conſequaris: ſed ipſum opus nonne ſibi ad retributionem ſufficit? Te autem inſuper coram univerſis, cum apparuerit ineffabilis illa gloria, laudibus extollit, & coronat, patronumque ac hoſpitem profitetur. Perpende autem non unum, aut duo, ſed omnia miſericordiæ opera & officia reprobos contempſiſſe. Non enim ſolum eſurientem non cibarunt, & nudo veſtem non præbuerunt, ſed (quod facillimum erat) nec ægrotum viſitarunt. Et vide quam facilia præcipit. Non enim dixit: In carceribus eram, & liberaſtis me: aut ægrotus fui, & ſanitatem procuraſtis: ſed, *Viſitaſtis*, & *veniſtis ad me*. Sed nec eſurienti famem levare difficile: non enim lautam quæſivit menſam, ſed eam dumtaxat quæ neceſſitati ſufficeret: quodque majus eſt, non in principis viri, ſed in humilis habitu ſervi quæſivit: quorum ſingula ad improborum condemnationem ſufficiunt: petitionis ſcilicet facilitas, & dandi poteſtas; panis enim petitur: petentis miſeria, quia pauper atque mendicus: præmii magnitudo; Regnum enim promittitur: terror pœnarum; gehenna enim intentatur: accipientis dignitas; Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus; quia tantum deſcendere dignatus eſt: jus exigendi; ſumma enim juſtitia eſt de ſuis ei tribuere. Verum ad hæc omnia ipſos adtendere prohibuit cupiditas & avaritia; nec pœnarum minas timuerunt, cum & his qui pauperibus non ſubveniunt, graviora quam Sodomis minatus ſit, & hic expreſſe dicat: *Quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*. Quid ais, Domine? ſi fratres tui ſunt, quomodo minimos appellas? Imo vero ideo fratres, quia humiles, quia pauperes & abjecti. Hos enim maxime in fratres adoptat: non dico Monachos dumtaxat, qui montes habitant, ſed fideles ſingulos eſurientes, nudos, ac peregrinos: eoſque nobis curæ eſſe jubet. Fratres enim noſtri baptiſmate conſtituti ſunt, & ineffabilis Myſterii participatione. "

Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Infelicem illum Eſau cogitate, qui translata Iſaac Patris ſui, cum primogeniti juribus, juſto Dei judicio, ad fratrem ſuum natu minorem Jacob benedictione, *Irrugiit clamore magno, & conſternatus ait, Benedic etiam & mihi, pater mi . . . Numquid non reſervaſti & mihi benedictionem? Num unam tantum benedictionem habes, Pater? Obſecro mihi quoque benedicas*. Fruſtra vero benedictionem poſtulabunt. Noluerunt, dum hic viverent, benedictionem, & elongabitur ab eis. *Non novi vos* (inquiet Chriſtus); *vos ex patre diabolo eſtis*. Diſcedite a me, *operarii iniquitatis, genimina viperarum, ſervi nequam, non populus meus*; Diſcedite a me. *Et quo*, Domine, *ibimus a ſpiritu tuo? Quo a facie tua fugiemus?* Diſcedite *in ignem*. Numquid vero hujus ignis ardorem clementia tua non moderabitur? Non ſtillam aliquam roris immittet? Immo vero illum accendet juſtitia mea, ut numquam extinguatur. *In ignem æternum*. Angelorum & hominum maledictionibus onerati, Dei ipſius maledictione percuſſi, ut hœdi emiſſarii ejicientur, tradenturque dæmonibus in inferno ſine fine cruciandi. Nullum vel minimum ſolatium in ſempiterna calamitate habebit infelix anima. *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus*. Æternitate tota inclamabit, Deus ultionum, cur me diris malæ conſcientiæ morſibus, omnium creaturarum exprobrationi, dæmonum furori, igni devoranti, ſupplicio æterno traditum reliquiſti? Avertat a nobis hoc Deus, Fratres chariſſimi, & ab auditu malo nos liberare dignetur, ut in nobis impleatur quod ſcriptum eſt: *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit*. „ Hoc „ enim erit auditum malum, quod audituri ſunt impii, „ *Diſcedite a me maledicti, in ignem æternum*. Irrevocabilis enim ſententia erit, quæ a piiſſimo Deo multo „ ante prædicitur, ut a nobis totis viribus caveatur. Si „ enim nos Deus noſter vellet punire; non nos ante tot „ ſæcula commoneret. Invitus quodam modo vindicat, qui „ quo modo evadere poſſimus, multo ante demonſtrat. „ Non enim te vult percutere, qui tibi clamat, Obſerva. *Dediſti metuentibus te ſignificationem* (inquit Propheta) *ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti „ tui*. " Dei natura, bonitas; *juſtitia opus peregrinum ab eo: De ſuo bonus, de noſtro juſtus . . . Niſi homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet ex naturæ proprietate; at nunc etiam eum juſtum patitur ex cauſæ neceſſitate*. Hinc apud alterum Prophetam ait Dominus: *Ecce furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum*. Conflari proprium eſt inſtrumentorum, quę ſeparata Philoſophi vocant, quæ partes non ſunt agentis, nec ad ejus ſubſtantiam & integritatem pertinent. Non conflatur cor generoſum, non manus fortes & induſtriæ, non pedes veloces, non corpus agile: ſed conflantur enſes, lanceæ, ſagittæ, clypei, quæ arma naturalia non ſunt bellatori. Deus itaque iram & indignationem ſuam conflari ait, ut ſignificet affectus illos a natura ſua alienos eſſe, vimque ſibi fieri peccatis noſtris ut iraſcatur. *Ecce furor meus & indignatio mea conflata eſt*, ſive *ſtillavit*, *ſuper locum iſtum* (ut vertit S. Hieronymus) quaſi dicat . . . *Ego quidem naturaliter non iraſcor, ſed illi ita agunt ut me ad iracundiam provocent; & meam videar mutare naturam. Sentiant igitur iratum, quod quantum in ſe eſt, facere conantur*. Miſericordia torrentibus comparatur, qui improviſo ex montibus in valles deſcendunt, & curſu præcipiti omnia evertunt. Juſtitia vero pluviæ, quæ prænuntiis vaporibus & nubibus obſcuris caſum ante ſuum ſignificat, nec impetu labitur, ſed guttatim fluit: ſic gratiarum aquæ a montibus æternis impetu fluunt in valles, id eſt, in humiles animas, ut in iis evertant & ejiciant quicquid terrenum eſt: ſed felices illæ inundationes divinæ miſericordiæ ipſis improviſæ ſunt & inexpectatæ. *Et torrentes inundaverunt*. Juſtitia vero ſenſim præparatur ad vindictam, peccatoribus materiam ſubminiſtrantibus, & peccata ſua velut atros vapores in altum emittentibus: *Præparabitur veritas tua in eis*. Horum multiplicatione nubes addenſatur; modo in diluvium aquæ, modo in diluvium ignis reſolvenda: ſed ſenſim decidit, nec abſque ſignis, quibus peccatores moneantur, & ad pœnitentiam ultimo invitentur. *Et pluit Dominus ſuper Sodomam ignem & ſulphur a Domino de cœlo . . . Furor meus & indignatio mea ſtillavit ſuper locum iſtum*. Pulchre non ait, *Effuſus eſt furor meus, ſed ſtillavit, ut moderatam pœnam ſignificet. Si autem in ſtilla furoris tanta duritia eſt, quid fiet ſi omnis imber fuerit effuſus? ſed & conflata indignatio ſic intelligi poteſt; ut quod diu facere noluit, peccatorum multitudine facere compellatur*. Et ſuccendetur *furor Domini*, &, non extinguetur: *quia non agit populus per quæ poſſit extingui*. Bonis operibus, & præcipue eleemoſynis extingui furor Domini poteſt. Qui illum peccatis ſuis provocaverit, & extinguere in hoc mundo neglexerit; pondus ejus in judicio ſuſtinebit, & rerribilem vocem audiet: *Diſcedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Deum ſuum amittent, & omnia: & quantum glorificaverunt ſe, & in deliciis fuerunt, tantum patientur tormentum & luctum. *Si non amas cum Chriſto eſſe; time ſine illo eſſe. Quare, time ſine illo eſſe? Quia cum diabolo eris, ſi cum Chriſto non fueris. Et ubi eris cum diabolis? Audi ipſum Chriſtum*: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. *Si igne cœli non accenderis, ignem time gehennarum. Si non amas eſſe inter Angelos Dei; time eſſe inter angelos diaboli. Si non amas eſſe in Regno, time eſſe in camino ignis ardentis, inextinguibilis, ſempiterni. Vincat in te prius timor, & erit amor. Timor prædagogus ſit, non ipſe in te remaneat, ſed te ad charitatem, quaſi ad magiſtrum perducat*.

9. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam*. Dignitas infinita Dei offenſi, ex qua malitia peccati infinita repetitur; & voluntas peccatoris, qui æternum peccaret, ſi poſſet, infert æternitatem ſupplicii. *Omnipotens Deus, quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur: quia vero juſtus eſt, ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur. Sed iniqui omnes æterno ſupplicio deputati, ſua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt: ſcilicet ut juſti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipunt, & in illis reſpiciant ſupplicia quæ evaſerunt: quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ debitores ſe eſſe cognoſcant, quanto in æternum mala puniri conſpiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt*. Inferni pœnas, ſempiterna damnatorum ſupplicia ſæpe cogitemus, ut a peccatis quæ illa merentur, abſtineamus. Deſcendamus in infernum viventes, ne deſcendamus morientes. Æternitatem meditemur hinc tormentorum, hinc gaudiorum. Æternitas! æternitas! æternitas! quam cito dicitur, & numquam finitur! Quatuor ſyllabis conſtat, & fine caret. Quandiu Deus durabit, tamdiu durabunt ſupplicia damnatorum; tamdiu ardebit ignis in furore ejus ſuccenſus uſque ad inferni noviſſima. „ Sapiens ignis, „ *qui* membra urit, & reficit, carpit & nutrit: ſicut „ ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut „ ignes Etnæ, & Veluvii, & ardentium ubique terra„ rum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incen„ dium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa cor„ porum laceratione nutritur. *Æterni illius ſupplicii „ meditatio, innocentiæ cuſtos*. Enim vero nos qui ſub „ Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quippe æter„ nam ab eo pœnam providemus, merito ſoli innocen„ tiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, & pro „ latebrarum difficulate, & pro magnitudine cruciatus, „ non diuturni, verum ſempiterni eum timentes quem „ timere debebit & ipſe qui timentes judicat; Deum, „ non Proconſulem timentes. "

10. *Juſti autem in vitam æternam*. Hæc ſimpliciter vita eſt, cujus in perpetuitate beatitudo eſt, in qua ſcilicet Deus videtur, amatur, & laudatur, & certum eſt nos in ea ſemper eſſe manſuros. „ Beata vita ſi non „ amatur, non habetur. Porro ſi amatur & habetur, „ ceteris omnibus excellentius neceſſe eſt ut ametur.

„ Quo-

S. Hier. l. 12 Commentar. in Jeremiam.

Gen. 19. 27. Jerem. 7. 20 S. Hieron.

S. Aug. ſerm. 349. alias de Tempore 51

S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 44.

Minutius Felix in Octavio.

Tertull. Apologet. 45

S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei c. 25.

Genes. 25. 34. 36. 38.

Threnor. 1. 2.

Pſal. 3. 7.

S. Cæſarius ſerm. 31. in Auguſt. Append. 77.

Pſal. 59. 6.

Jerem. 7. 20

„ Quoniam propter hanc amandum est, quicquid aliud
„ amatur. Porro si tantum amatur, quantum amari digna
„ est, fieri non potest ut eam qui sic amat, non æter-
„ nam, velit. Tunc igitur beata erit, quando æterna
Idem l. 12. de Civit. Dei c. 18. „ erit... Illa vita sola est quæ nec beata esse potest,
„ nisi fuerit æterna. Cum pervenerimus ad vitam, cer-
„ tum nobis erit in ea nos semper futuros. Nam si eri-
„ mus ibi, & utrum ibi semper futuri simus, incerti
„ erimus, etiam ibi erit timor. Et si erit timor, cru-
„ ciatus erit, non carnis; sed, quod pejus est, cordis.
„ Ubi autem cruciatus, quæ beatitudo? Erit ergo nobis
„ certum quia in illa vita semper erimus, & illam fini-
„ re non poterimus: quia in illius Regno erimus, de
Lucæ 1. „ quo dictum est: *Et Regni ejus non erit finis*. Ibi es-
„ se nostrum non habebit mortem; ibi nosse nostrum non
„ habebit errorem; ibi amare nostrum non habebit offen-
„ sionem. " Hanc nobis donare vult Deus, qui neminem
vult perire, sed omnes salvos fieri: sed ea conditione ut
mandata ejus servemus. Ideo Christus Legisperito inter-
roganti, Quid faciendo vitam æternam possidebo: Res-
pondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Quam
Domini sententiam Ecclesia in Ordine & Ritibus baptis-
mi baptizandis per sponsores declarat. S. N. *Quid petis
ab Ecclesia Dei? P. Fidem. S. Fides quid tibi præstat?
P. Vitam æternam. S. Si igitur vis ad vitam ingredi,
serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor-
de tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua*; & *proximum tuum sicut te ipsum*. Meritis, charitate, eleemo-
S. Jo. Chr. Hom. 77. in Matt. synis æterna vita comparatur. Obdurationi adversus misericordiam æterna pœna infligitur. Hæc cogita quisquis operibus abundas, quisquis habes substantiam hujus mundi, & claudis tua viscera fratribus necessitatem patientibus. Dispensatorem te pecuniarum tuarum esse noveris, non minus quam Rectores Ecclesiarum. Quemadmodum igitur illi non habent potestatem, ea quæ a vobis collata sunt pauperibus, temere dispergendi, quandoquidem ad alimenta pauperum constituta sunt; pari tu quoque jure non debes tua temere consumere. Nam etsi paternam hæreditatem accepisti, atque ea ratione quæcumque habes, tua sunt: Dei tamen sunt universa. Deinde si tu diligenter quæ dedisti vis dispensari, Deum autem non arbitraris accuratiorem a nobis rationem dispensationis petiturum, sed toleraturum ut bonis tuis abutaris, & in voluptates, in ludos, in luxum temere effundas; falleris, non ita est. Ideo enim te divitem fecit, ut pauperibus alimenta submini stres. Sicut igitur tu servo ad dispensandum dedisti, sic Dominus tibi, ut opportune impendas. Cumque possit auferre, reliquit tamen, ut virtutis exercendæ habeas facultatem, utque altero alterius egente, ferventiore omnes inter se charitate vinciret. Tua, immo te ipsum Christo redde, mercedem vitæ
Idem Hom. 77. in Matt. æternæ tibi donaturo. Ego, inquit, ipse sum pater, ego frater, ego domus, ego sponsus, ego nutritor, ego vestis, ego radix, ego fundamentum. Quicquid volueris, ipse sum, nulla re indigebis, ego tuus ero. Ipse amicus sum, membrum, caput, frater, soror, mater, universa ipse sum, modo meus (ut decet) efficiaris. Ego pauper propter te, in cruce propter te, in sepulchro propter te. Patrem in cœlis pro te interpello, qui ad inferiora pro te a Patre missus descendi. Omnia tu mihi es, frater, cohæres, amicus, membrum. Quid vis amplius? Quid adversaris amantem? Quid caduco huic mundo laboras? Cur perforato dolio aquam ingeris? Cur frustra curris? Nonne uniuscujusque artis finis quidam est? Ostende mihi secularis hujus studii finem. *Vanitas vanitatum*: & *omnia vanitas*. Christo labora, Christo milita, ad bravium curre tibi ab ipso propositum, ad summi boni, id est, ipsiusmet Dei possessionem. „ Qui volunt divites fie-
„ ri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli,
„ & desideria multa inutilia, quæ mergunt homines
„ in interitum, & perditionem. Radix enim omnium
„ malorum cupiditas. Tu autem hæc fuge: sectare vero
„ justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam,
„ mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, appre-
„ hende vitam æternam, in qua vocatus es. *Discant di-
„ vites hujus sæculi*, Non sublime sapere, neque sperare
„ in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat
„ nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divi-
„ tes fieri in bonis operibus, facile tribuere, communi-
„ care, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futu-
„ rum, ut apprehendant veram vitam. „

CAPUT XXVI.

Sensus Litteralis.

1. *ET factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit Discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Munere Doctoris hucusque impleto, consummatisque sermonibus, non modo superiori capite, sed toto Evangelio ad hunc usque locum recensitis, Jesus Redemptoris & Sacerdotis munus aggreditur: & quos doctrina sua & prædicatione instituit, exemplis ædificavit, miraculis convicit, sanguine suo redimere, sacrificio suo mox sanctificare parat. Scitis, inquit, ut rem publice notam, imminere Festum Paschatis, primam scilicet diem Azymorum, solemnem, in qua Paschalis Agnus ex præscripto Legis immolandus est, eamque *post biduum* celebrandam, Feria nimirum sexta. Quamobrem id in fine diei Martis a Christo dictum videtur. *Et filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Infra tam breve tempus tradar gentibus (ut vobis prædixi) ut ipso Paschatis die crucifigar.

2. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* Sub id tempus quo Christus mortem suam prædixit, nempe postridie mane seu Feria quarta, primarii Sacerdotes, id est, capita 24. familiarum Sacerdotalium, seu qui aliquando summi Pontifices fuerant (summus enim Pontificatus non jam perpetuus ut olim, sed annuus erat) & Judices seu Magistratus præcipui, qui populum in civilibus regebant; nec non Scribæ seu Legisperiti, (ut addunt SS. Marcus & Lucas) ex quibus magnum Synedrium constabat, cujus summum erat de Religione judicium, summo Pontifice præside: convenerunt in Aulam Principis Sacerdotum, seu Pontificis, cui nomen Caiphæ. *Josephum Caipham* vocat Josephus. Is *erat Pontifex anni illius*, ut S. Joannes observat, instatutus scilicet a Valerio Grato Judææ Præside. Penes Reges Hebræorum olim potestas fuerat deligendi summum Pontificem ex familia ei muneri destinata, ut constat ex libris Regum & Paralipomenon. Libera Republica idem jus fuisse penes Synedrium, notat Maimonides. Postea qui Judæis imperarunt Syro-Macedones, deinde Romani, eodem jure licentius usi sunt. In ædibus igitur Caiphæ consilium habuerunt Sacerdotes & Magistratus Jerosolymitani, ut deliberarent qua ratione Jesum, non palam & vi, sed clam & per insidias capere possent, & Romano Præsidi tradere, palam occidendum. Confer cum Psalm. 2. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus*.

S. August. Epist. 36. alias 86. ad Casularum ubi Feriam olim jejunio deputatam observat, quod ea Constitutum de morte Jesu habitum

Josephus l. 18. Ant. cap. 3.

3. *Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in Populo*. Non in die festo occidatur, inquiebant; veriti popularem tumultum. Insignes rei plecti solebant in Festis, ut etiam Talmudici observant, quo exemplum ad plures perveniret, quo tempore Judæi Religionis ergo frequentiores Hierosolyma conveniebant. Sic Herodes Petrum ad supplicium statim *post Pascha producere populo decreverat*, ut habetur *Act.* 12. 4. id est, intra illos septem dies Paschalis solemnitatis, quorum primus dumtaxat & ultimus a servilibus operibus liberi erant. Synedrio igitur visum est, a recepto more esse recedendum, & occisionem Jesu differendam extra festos dies, *Ne forte tumultus fieret in Populo*. Plebs enim in Jesum erat propensior, Galilæi præsertim ipsius populares: multi ex plebe in eum credebant, vix ullus erat qui non illum veneraretur ut Prophetam, ut benefactorem. Paschæ dies festivus erat & lætus, quo vel noxii liberabantur, ideoque cædi innocentis minime opportunus. Timebant ergo ne id plebi displiceret, occasioque seditionis esset: præsertim cum ob leviores longe causas eo tempore seditiones oriri solitæ essent ex frequenti populi concursu: quibus reprimendis vel impediendis Romani Præsides militum cohortem supra Templi porticus constituebant, Josepho teste. Dei autem singulari providentia factum est, ut Principes Sacerdotum & Magistratus ab hoc consilio discederent non occidendi Jesum festo die oblata per Judam opportunitate, ut appareret, plus divinum decretum & Christi prædictionem, quam Judæorum consilia valuisse; illumque mortis genus, locum, & diem elegisse, ac circumstantias omnes definivisse. 2. Ut mors Christi plures testes haberet, magisque ignominiosa esset. 3. Ut innotesceret fidelibus Christum per Agnum Paschalem adumbratum fuisse, & ipso die festo legalis Paschatis immolaretur *Pascha nostrum*, Agnus sine macula, ad tollenda totius mundi peccata, utque non de captivitate Ægypti unus populus, sed de captivitate Diaboli totum genus humanum erueretur. „ Itaque divino intelligimus
„ dispositum esse consilio, ut sacrilegi Judæorum Principes,
„ & impii Sacerdotes, qui sæviendi in Christum occasiones
„ sæpe quæsiverant, non nisi in solemnitate paschali exer-
„ cendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat e-
„ nim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant
„ figurato promissa mysterio; ut ovem significativam ovis
„ vera removeret, & uno expleretur Sacrificio variarum
„ differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immo-
„ latione agni divinitus per Moysen fuerant præstituta,
„ Christum prophetaverant, & Christi occisionem pro-
„ prie nunciaverant. Ut ergo umbræ cederent corpori;
„ & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua
„ observantia novo excluditur Sacramento, hostia in ho-
„ stiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis
„ festivitas dum mutatur impletur. „

S. Leo serm. 56. de Pass. Dom. 7

4. *Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis*. Cum esset Jesus Bethaniæ, quod castellum

erat ſeu vicus Mariæ & Marthæ ſororum Lazari, ubi hoſpitari ſolebat, & a Simone Leproſo fuiſſet ad cœnam invitatus, acceſſit ad eum mulier habens vas ſeu pixidem ex alabaſtrite lapide, continentem liquorem odoriferum magni pretii, quod effudit ſuper caput ipſius Jeſu recumbentis, in honoris & reverentiæ teſtimonium. Non fuit ſpiſſum & tenax, ſed liquidum, & herbis odoriferis expreſſum unguentum, præſertim ex ſpicis nardi, cujus odor maxime commendatur, *Cant.* 1. 12. Unde S. Marcus *Nardum ſpicatum vocat*, S. Joannes *Nardum piſticum*, ſeu fidelem, id eſt ſincerum, minimeque adulteratum. Una & eadem mulier hæc eſt, unctrix capitis & pedum Chriſti apud quatuor Evangeliſtas, Maria Magdalena ſoror Lazari. Matthæo & Marco omnia conveniunt. Matthæo, Marco & Lucæ convenit quod hæc geſta in convivio, quo mulier adventat habens *Alabaſtrum unguenti*, quo Jeſum perfundit. Non alia unctrix, licet unctio diverſa ab ea quam deſcribit S. Lucas: Matthæo, Marco, & Joanni convenit, quod hæc geſta in Bethania, in convivio; quod ungentum a muliere allatum maximi erat pretii; quod reprehenſa eſt hoc nomine mulier ab uno Diſcipulorum (Judam Joannes nominat) velut prodiga, hoc obtentu quod rectius is ſumptus factus eſſet in pauperes; quod Chriſtus mulierem defendit, interpretatione benigna ad pollincturam ſuam hunc honorem referri declarans. Rurſus Lucæ cum Joanne convenit, quod hæc mulier pedes Chriſto perfudit, & capillis exterſit. Præterea Joannes Mariam Lazari ſororem hac velut peculiari nota deſcribit: *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis*. Hic autem proprius non fuit Mariæ ſororis Lazari caracter, ſi aliæ mulieres Chriſtum pariter unguento perfuderunt. Quod vero hæc ipſa ſit Maria Magdalena, quod Chriſti pollincturam hoc pietatis officio prævenerit, quia poſt mortem Jeſu ad ejus ſepulchrum itura ut illius corpus ungeret, illud inventura non erat, utpote jam a mortuis redivivum. Mariam autem Magdalenam unam fuiſſe ex ſanctis mulieribus quæ ad Chriſti monumentum valde una Sabbatorum, ſeu prima hebdomadæ die cum aromatibus venerunt, ut Jeſum ungerent, probat ſummus Evangeliſtarum conſenſus. Nec refert quod apud Matthæum & Marcum capitis Chriſti ab illa muliere unguento perfuſi, apud Joannem pedum eſt mentio. Quid enim vetat credi prius pedes perfuſos, deinde caput? Nec etiam refert, quod apud Lucam *Mulier peccatrix*, ungit pedes Jeſu? Mariæ autem ſororis Lazari pietas commendatur. Nam diſtinguenda ſunt tempora. Vixerat olim diſſolutius, ideo peccatrix dicta; mox delicta vitæ prioris pœnitentia expiavit, quam ad Chriſti pedes in domo Simonis Phariſæi profeſſa fuerat. Eadem igitur mulier, quamvis non ſit idem factum vel eadem unctio, quæ a S. Luca, & aliis tribus Evangeliſtis narratur. Quæ enim a S. Luca commemoratur, biennio ante Chriſti Paſſionem contigit: quæ vero ab aliis, *ante ſex dies Paſchæ*, ut expreſſe obſervat S. Joannes. SS. autem Matthæus & Marcus hanc hiſtoriam temporis ordine ſervato non referunt, ſed per recapitulationem, occaſione data, ut notent quid Judam ad proditionem impulerit. Simon Leproſus dicitur, non quod tunc lepra laboraret, alioquin illi interdictum fuiſſet hominum commercio, ſed quod Leproſus fuiſſet, atque a Chriſto mundatus, ſeu quod cognomen id fuerit ejus familiæ, aut caſu inditum, aut quia aliquis majorum ipſius lepra infectus fuerat; ſicut aliis familiis cognomina fuerunt Cocles, Ruſus, Niger, Claudus, &c. An idem ille fuerit ac Simon Phariſæus, dubium eſt. Alius viſus eſt S. Auguſtino.

Marci 14. *Lucæ* 7. *Joann.* 12.

S. Aug. l. 2. de Conſenſu Evang. cap. 78. *S. Gregor. M. Hom.* 25. *in Evangel.*

Joann. 11. 2.

Tertull. l. de Pudicitia c. 11.

S. Ambroſ. in Lucam.

S. Aug. l. 2. de Conſenſu. Evang. c. 78. & 79.

5. *Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt dicentes*: *Ut quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus*. Diſcipuli quidam videntes prætioſi unguenti effuſionem, indignatione commoti ſunt in mulierem, dicentes, Quorſum iſta profuſio? Offerre poterat Domino pretium hujus unguenti, quod pauperibus erogari juſſiſſet. Diſcipulorum nomine unus Judas ſignificatur, locutione ſacris Scripturis uſitata, ut pluralis numerus pro ſingulari interdum uſurpetur. Confer cum Joan. 12. 6. 5. & 6. *Dixit ergo unus ex Diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus; Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens ea quæ mittebantur, portabat*. Poteſt etiam intelligi quod & alii Diſcipuli aut ſenſerint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente perſuaſum ſit, atque omnium voluntatem Matth. & Marcus etiam verbis expreſſerint; ſed Judas propterea dixerit, quia fur erat, ceteri vero propter pauperum curam: Joannem autem de ſolo illo id commemorare voluiſſe, cujus ex hac occaſione furandi conſuetudinem ſignificandam duxit.

S. Hieron in hunc locum S. Aug. l. 2. de Conſenſu Ev. cap. 9

6. *Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me*. Jeſus eorum indignationem, tametſi occultam cognoſcens, piæ mulieris defenſionem ſuſcepit. Quid, inquit, huic mulieri moleſtiam exhibetis? Ipſam temere accuſatis: Opus enim bonum operata eſt, unguentum effundendo in caput meum ut me honore afficeret; Opus, (inquam) humanitatis, grati animi, magnæ fidei, eximiæ pietatis, ardentiſſimæ charitatis. Fruſtra vero pauperum curam prætexiſtis: *Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*. Pauperes ſemper habebitis, quibus benefaciendi præſto ſemper erit occaſio: me autem non ſemper habebitis vobiſcum viſibili modo præſentem quo modo nunc in omni convictu & familiaritate, ſiquidem brevi ſum moriturus. Ita conciliantur hæc verba Chriſti, cum iis quæ Diſcipulis dixit poſt Reſurrectionem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Atque eodem ſenſu Apoſtolus ait: *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc non novimus*. Senſus igitur eſt: Non ero ſemper vobiſcum ita præſens, ut ſimilia mihi exhiberi poſſint humanitatis officia; pauperes autem vobiſcum ſemper habebitis. Reſpicit Chriſtus illud Deuteron. 15. Verſ. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*: quod minime pugnat cum Verſ. 4. ubi ſcriptum eſt: *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos*. Nam hoc præcipientis eſt; illud prædicentis. *Non erit*, id eſt, *Ne ſit*. Erunt igitur qui egeant, in tanto quippe populo; ſed ceteri pati non debent ut in egeſtate permaneant, ſed eorum inopiam pro viribus ſublevare. Quem ſenſum aperte ſatis indicant Verſ. 7. *Si unus de fratribus tuis, qui non morantur intra portas civitatis tuæ, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi*. Et verſ. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra*. Confer cum Marci 14. 7. *Semper enim pauperes habetis vobiſcum; & cum voluerit is, poteſtis illis benefacere: me autem non ſemper habetis*.

Matth. 2. 2. *Cor.* 5. *S. Hieron. in hunc locum*

Tertull. l. 4. adverſus Marcionem

7. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Perditionem ac profuſionem eſſe perperam exiſtimaſtis, quod hæc mulier corpus meum prætioſo unguento perfudit: atqui ſi is ſumptus ad pollinciendum mortuum impenſus eſſet, nemo improbaret; cum id ex pietatis officio, & ad amorem erga defunctos ſignificandum, & ad ſpem Reſurrectionis teſtificandam apud vos frequentetur: qui igitur honos mortuo laudabiliter impenderetur, cur eum viventi, ſed brevi morituro exhiberi ægre fertis? *Ad ſepeliendum me fecit*: quaſi ad me pollinciendum & funerandum. Cum enim mortem meam imminere intellexerit, me jam velut mortuum ſpectat, & ſolemne illud pietatis officium modico tantum tempore antevertit. Hunc ſenſum Sanctus Marcus clarius exprimit his verbis: *Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*. Id eſt, cum me jam propinquum morti eſſe noverit, quod jam ſæpe prædixi vobis, fecit quod in ſe erat ut hoc mihi officium vivo impenderet, verita ne mortuo non poſſet ob furorem inimicorum meorum. Quod autem ſancta illa mulier Chriſti mortem fide præviderit, ſepulturam ejus officio prævenerit, Spiritus Sancti impulſu, confirmatur ex cap. 24. S. Lucæ verſ. 6. & 7. ubi Angeli ſancti mulieribus, quarum hæc una erat, corpus Jeſu in monumento quærentibus, ajunt: *Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere. Et recordatæ ſunt verborum ejus*. Quem ſenſum S. Marcus clarius expreſſit, S. Joannes paulo obſcurius innuit; ſecundum Latinam Verſionem noſtram vulgatam. *Sinite, illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*: Sive ſecundum vim Græci Textus, quam & Syriaca Verſio exprimit: *In diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*. Idem enim Vulgatæ noſtræ Verſionis ſenſus eſt: Sinite ut non fruſtra hoc unguentum ad pollincturam meam ſervaverit, me ſcilicet nunc perfundendo, quod poſt mortem meam non poterit.

Marci 14. 8.

S. Joan. 12. 7.

8. *Amen dico vobis, Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus*. Ubicumque Evangelium meum, doctrina mea, vitæque & prædicationis meæ Hiſtoria prædicabitur: (quæ quidem prædicatio orbem pervagabitur univerſum:) pium iſtud mulieris hujuſce factum ad laudem ipſius ſempiternam narrabitur & celebrabitur.

9. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet*. Congregato primariorum Sacerdotum & civilium Magiſtratuum, Legiſque peritorum concilio, ut de Morte Jeſu deliberarent, Judas Iſcariotes unus ex duodecim Apoſtolorum ejus Collegio, Chriſti reprehenſione irritatus, & unguenti pretio, cui inhiabat, fruſtratus, abiit, non coactus, non invitatus, ſed ſponte, ut avaririæ ſuæ damnum quoquo modo compenſaret, ad Principes Sacerdotum, tunc in Aula Pontificis Caiphæ congregatos: & ait illis: Quid mihi dabitis, & ego vobis eum tradam, ut cum eo pro arbitrio veſtro agatis? At illi ſe ipſi daturos pacti ſunt *triginta argenteos* ſiclos, quanti caput ſervi æſtimatur. *Exod.* 21. 32. (Libellæ ſunt circiter quadraginta quinque monetæ Gallicæ.) Vilitatem pretii oſtendit Zachariæ locus: *Et appenderunt mercē-*

mercedem meam triginta argenteos. Nec obstat quod ex
Zach. 11. 12. ea pecunia emptus sit ager figuli ad sepulturam peregrinorum, qui tam vili pretio emi potuisse non videtur. Non constat enim quantus fuerit ager: parvum fuisse verisimile est, eumque infœcundum & vilem, cujus ubertas omnis ad figulina opera exhausta fuerat. Deinde non constat an ea tantum pecunia emptus fuerit, an aliquid superadditum, quantum ad justum pretium conficiendum necesse erat. Tertio, rariore tunc temporis pecunia, res minoris emebantur. Denique, *Jerem.* 32. 9. ager non malus emitur septemdecim siclis. Pretii porro vilitas Judæ animum ostendit ita avaritiæ mancipatum, ut quovis vel exiguo lucro ad scelus immane proditionis Christi impelli potuerit. Unum ex duodecim Apostolis Christi illum fuisse hic observat Evangelista, tum ad criminis gravitatem indicandam, tum ad significandam personam idoneam proditioni, utpote domesticam.

10. *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Die decima quarta mensis Nisan, qua immolabatur Paschalis agnus inter duas vesperas, & fermentum omne e domibus abjiciebatur, azymique panes manducari incipiebant in cœna ad esum agni, & eorum usus ad diem usque vigesimam primam inclusive perseverabat se-
Luc. 1. 22. cundum Legem, *Exod.* 12. 18. Confer cum Marc. 14. 12. *Et prima die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli*, &c. Et Luc. 22. 7. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*. Quibus locis inter se collatis evincitur Pascha eo anno celebratum a Judæis, quo oportebat die secundum Legem; atque a Christo pariter celebratum legitima die cum vulgo Judæorum. Misit itaque Christus Petrum & Joannem, ut Paschalem Cœnam pararent. At illi de hospitio solliciti, quod propriam domum Jerosolymis non haberet Jesus; & quod difficile videretur invenire hospitium in Urbe ob hominum ex tota gente ad Festi celebrationem eo confluentium frequentiam; & quod illum ad mortem quæsitum vix ab ullo exceptum iri verosimile esset; aut certe nullus esset tutus satis locus: *Dederant enim Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum*. Hæc igitur cum nossent Petrus & Joannes, dixerunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?*

Joan. 11. 56. 11. *At Jesus dixit: Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit. Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis*. Ite Hierosolymam ad talem, sive ad certum quemdam hominem cujus domum indicabit vobis homo lagenam aquæ portans, qui vobis in ipso civitatis ingressu occurret. Eum forte non
S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. ultimo Marc. 14. *Luc.* 22. nominavit Jesus, ne Judas mysticam cœnam turbaret, vel legalem, ut Euthymius & Theophylactus, Commentariis in Lucam, conjiciunt. Ceterum divitem & honestum fuisse, cui domus commoda, cœnaculum grande aulæis stratum & ornatum esset; ac Jesu familiarem, ejusque discipulum fuisse oportet, cujus domum ad ultimam suam cœnam, sponte, non invitatus elegit. Idque hæc verba auctoritatis indicant, *Magister dicit*: Tempus discessus mei ex hoc mundo proximum est: apud te celebrare decrevi cœnam Paschalem cum duodecim Discipulis meis. *Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha*. Hinc perspicuum est, Christum tempus legitimum Paschatis non prævenisse; nec alia die celebrasse quam ceteros Judæos. Agnus enim die 14. mensis Nisan Jerosolymis in Templo, inter duas vesperas mactandus & sacrificandus erat interveniente Sacerdotum opera, qui sanguinem agni excipere, & ex eo Altare aspergere, victimamque Altari imponere, ac deinde offerentibus familiis reddere solebant, ut colligitur ex Josepho, qui Sacerdotes Cestio quærenti, Quis numerus esset Judæorum Jerosolymam convenientium, exacte dixisse refert quot fuissent agni sacrificati, quod profecto dicere exacte non potuissent, nisi ipsi interveniissent mactationi sive sacrificio. Operam autem suam non navassent, nisi stato tempore.

12. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis*. Post occasum Solis, hora esui agni destinata, Jesus ad mensam accessit cœnaturus cum Discipulis suis. Agnum quidem stantes manducasse secundum Ritum lege præscriptum verisimile est, sed vocem usitatam retinuerunt ac usurparunt Evangelistæ: sicut etiam hodie Latine mensæ accumbere dicimur, cum tamen sedeamus. Et post cœnam legalem seu manducationem agni Paschalis, Christum cum Discipulis discubuisse more solito ad cœnam justam, nihil prohibet ut intelligamus. Numerus autem Discipulorum exprimitur, ut Christum cum tota sua familia Paschalem Agnum comedisse, cœnamque mysticam celebrasse significetur: & neminem præter Apostolos 12. utrique cœnæ adfuisse, neminem ex iis ab alterutra summotum & excusum, ne quidem Judam proditorem, Veteres Patres, uno pene Hilario excepto, summo consensu affirmant, *S. Jo: Chrysost. Hom.* 82. *in Matth. & Hom. De Proditione Judæ, S. Hieronymus in hunc locum, S. August. Tract.* 26. *in Joann. Theodoretus in cap.* 11. *Epist.* 1. *ad Corinth. S. Leo Serm.* 56. *de Pass. Dom.* 7.

13. *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis: Quia unus vestrum me traditurus est*. Inter cœnandum, dixit Jesus: Unus ex vobis, quos in familiam meam cooptavi, quos amicitia mea dignatus sum, quos Apostolos meos creavi, quos tot tantisque beneficiis affeci, me proditurus est hostibus meis. Id prædixit Christus, ut se non invitum: sed scientem volentemque mori ostenderet. Proditoris autem nomini pepercit & honori, ne irritaretur, immo potius ut flecteretur ad pœnitentiam, cogitationes suas & occulta consilia Christo plene perspecta esse intelligens: tum etiam ut doceret peccatores occultos non esse mox publice traducendos. Hæc autem de proditore narrata per anticipationem a S. Matthæo videntur, quæ nonnisi post Eucharistiæ institutionem facta sunt, ut colligitur ex S. Luc. cap. 22. v. 20. & 21. *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix Novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*. Quibus connectendum est id quod Joannes narrat cap. 13. v. 26. de buccella panis intincti Judæ a Christo porrecta, quo signo eum Joanni supra pectus suum recumbenti indicavit. Vel dicendum, Jesum semel & iterum de proditore suo sermonem fecisse: ante, & post instituta traditaque Mysteria. Primum a S. Matthæo, secundum a SS. Luca & Joanne narratum. *S. Aug. lib. 3. de Consensu Ev. cap.* 1.

14. *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*. Christi prædictione ac declaratione vehementer afflicti Apostoli tum ob atrocitatem facinoris, tum ex metu fragilitatis & infirmitatis suæ (plus enim credebant Magistro quam sibi) interrogarunt de peccato, cujus conscientiam non habebant: *Numquid ego sum, Domine?* Essemne ita miser, ita ingratus, ita infidelis & impius? Respondit Jesus. Qui intingit mecum buccellam, quam manu tenet, in paropside, hic me tradet. Judas prope Christum accubuisse videtur, ita ut cum plures essent in mensa catini, ille ex eodem ederet ex quo edebat Christus. Ita enim facilius fieri potuit, ut Christus illi interroganti an ipse esset, de quo loquebatur, submisse & plerisque non audientibus responderet: *Tu dixisti*; utique eo non audito, Joannes a Petro monitus, quærens quis ille esset qui tantum scelus meditaretur & perpetraturus esset, certum a Christo Jesu signum accipere; eum hunc esse, cui ipse Jesus daturus esset de catino tinctam jure offulam. Accidit quod S. Marcus cum prius dixisset. *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*, postea subjecit: *Unus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino*. Quare cum bis idem dictum censeri non debeat, sequitur in posteriori Versu restrictiorem esse descriptionem. *O mira Domini patientia! Primum dixerat. Unus vestrum me traditurus est. Perseverat proditor in malo: manifestius arguit, & tamen nomen proprie non designat. Judas ceteris contristatis, & trahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo; temeritate & impudentia qua proditurus erat, etiam manum cum Magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur*. *S. Hieron. in hunc locum.* *Marc.* 14. 18. 20. *S. Hieron. in hunc locum.*

15. *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*. Mortem oppeto non fortuito, non inopinato, non invitus, non inimicorum potentia in me prævalente, sed sciens volens, ut Dei Patris mei obtemperem voluntati ac decretis, atque impleantur quæ in Lege, Psalmis, & Prophetis de me scripta sunt, secundum quæ oracula oportet Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ne tamen ideo se minus reum, aut mitius puniendum a Deo existimet Proditor: sapientissimum enim divinæ permissionis decretum, Deique præscientia cum nullam imponat sceleris necessitatem, cujus auctor non est Deus, sed ordinator, neque culpam elevat, neque pœnæ meritum minuit. Maledictus æternum ille qui me tradet: melius esset illi, si natus non fuisset. Non quod bene esse ei possit, qui non sit, sed quod Judæ & similium impiorum æternæ damnationi addictorum pœnæ tam graves, tam atroces sint ac futuræ sint, ut optabilius ipsis esset non esse. Scilicet *Multo melius est non subsistere, quam male subsistere*. Proditoris igitur pœna his verbis prædicitur: *ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia*. *S. Hieron. ib.*

16. *Respondens autem Judas, qui tradidit eum dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti*. Judas, ne tacendo se prodere viderentur, blandientis verbo Jesum interrogat: Num ego ille sum, de quo tale scelus suspicaris? Magistrum vocat hypocrita impudens, ut Jesum ceteris condiscipulis magis honorare videretur. Nam *Domini* nomen etiam plebeis, *Rabbi* vero seu *Magistri*, solis Doctoribus apud Hebræos tribuebatur. Respondit Jesus: Ita est; tu es ille proditor. Hanc Christi responsionem vel non audiverunt ceteri Apostoli, vel non intellexerunt. Unde Petrus Joanni innuit, ut a Jesu quæreret quis esset Proditor. Itaque cum Joannes recubuisset supra pectus Jesu, dixit ei: *Domine, quis est? Respondit Jesus:* *Luc.* 22. 20. & 1. *Cor.* 11.

Jeſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam introivit in eum Satanas: plenius ſcilicet
Jo. 13. 24. 25. 26. *ibid.* illum poſſeſſurus, cujus cor jam occupaverat. Unde Joannes præmiſit: *Et cœna facta, cum Diabolus jam miſiſſet*
v. 2. *in cor ut traderet eum Judas, &c.* Sicut ergo Apoſtoli, qui jam acceperant Spiritum ſanctum, quando eis poſt reſurrectionem Jeſus inſufflavit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum*, poſtea eum die Pentecoſtes plenius acceperunt: ita e contrario, Diabolus qui jam ante cor Judæ occupaverat, illi perſuadens ut Chriſtum traderet; illum ſibi plenius ſubjecit, poſtquam Jeſus illi buccellam intinctam porrexit.

17. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum.* Cum adhuc menſæ accumberent, cœna legali, uſualique, peracta: unde S. Lucas & S. Paulus calicem a Chriſto acceptum, benedictum, datumque Apoſtolis ſcribunt, *poſtquam cœnavit*; quod & in Canone Miſſæ exprimitur: Accepit
S. Aug. l. 3. de Conſenſu Ev. Jeſus panem, azymum utique, cum a prima die azymorum ad octavam uſque nullus eſſet fermentati uſus, & ad cœnam, in qua Paſchalis Agnus comedebatur azymos panes adhiberi Lex juberet. Et gratias agens Patri, *benedixit* pani; quo modo nos calici benedicere S. Paulus ait: *Calix* (inquit) *benedictionis, cui benedicimus, nonne*
1. Cor. 10. 16. *communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Et fregit in tot partes quot erant convivæ; *deditque Diſcipulis ſuis*, in manus, dicens: *Accipite, & comedite: Hoc* quod vobis porrigo, & quod a me comedendum accipitis, *eſt corpus meum*, non typus dumtaxat & figura corporis mei, ut Agnus Paſchalis, quem manducaſtis; ſed ipſum Corpus meum verum, quod pro vobis in cruce immolandum eſt, & modo myſtice immolatur in ſacrificio incruento, cujus vos participes eſſe volui. Quem ſenſum SS. Lucas
Luc. 22. 19. & Paulus exprimunt his verbis, *quod pro vobis datur*,
2. Cor. 11. 14. *quod pro vobis tradetur*. Corpus autem ipſum Chriſti, pro nobis traditum & ſacrificatum eſt, non figura corporis. Figuratam locutionem in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, non magis licet comminiſci, quam in his Patris Æterni verbis: *Hic eſt Filius meus dilectus*. Utrobique Veritas perſpicue loquitur: verba ejus intelligenda ſunt ſecundum eum quem præferunt ſenſum. Figuram a Melchiſedecho præmonſtratam hic implet Chriſtus, Paſcha verum inſtituit in agno Paſchali adumbratum: an quæſo figuram obſcuriorem, non veritatem ipſam ſubſtituiſſet? *Poſtquam* (inquit S. Hiero-
S. Hieron. in hunc locum. nymus) *typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui Corporis & Sanguinis repræſentaret*; ideſt, præſentem exhiberet; quo ſenſu & Tertullianus repræſentandi verbo utitur, dicens, Patrem Æternum Filium ſuum in Monte Thabor repræſentaſſe, cum ait: *Hic eſt Filius meus dilectus*. Hæc verba: *Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum*; cum Chriſtiani cultus inſtitutionem, novæ Legis conditionem, veri fœderis contractum, teſtamentum Patris morientis, mandatum Domini, ſubſtitutionem veritatis omnibus veteris Legis umbris, omniumque figurarum finem ſignificent & exprimant, in ſenſu figurato & metaphorico explicari non debent; cum ratio juſque poſtulent ut in his occaſionibus & circumſtantiis ſermo clarus ſit, nullique æquivocationi obnoxius. „ Tamdiu contenditur
S. Auguſt. „ de hæreditate mortuorum, quamdiu teſtamentum profe-
„ ratur in publicum, & cum prolatum fuerit, tacent o-
„ mnes ut tabulæ aperiantur & recitentur, Judex intentus
„ audit, Advocati ſilent: Præcones ſilentium faciunt,
„ univerſus populus ſuſpenſus eſt ut legantur verba mor-
„ tui non ſentientis in monumento: Ille ſine ſenſu jacet
„ in monumento, & valent verba ipſius: Sedet Chriſtus
„ in cœlo, & contradicitur teſtamento ejus? Aperi; le-
„ gamus. Fratres ſumus, quare contendimus? Qui fecit
„ teſtamentum, vivit in æternum, audit voces noſtras,
„ agnoſcit ſuam. Legamus, quid litigamus? Ubi inven-
„ ta fuerit hæreditas, ipſam teneamus. „ Quis pro domo vel prædio ſibi a patre moriente teſtamento legatis, figuram domus vel prædii in charta delineatam tradi pateretur? Quis non amentem inclamaret hominem, qui ſic teſtamentum interpretaretur? Chriſtus Jeſus Dominus noſter morti proximus teſtamentum condidit: nobis Corpus & Sanguinem ſuum legavit, dicens: Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus. Quid pro Corpore & Sanguine Chriſti figuras Corporis & Sanguinis ipſius nobis ſupponere conantur Calviniani & Zuingliani Hæretici? *Confirmatum teſtamentum nemo ſper-*
Galat 3. 15. *nit aut ſuperordinat*. Denique trium Evangeliſtarum in referendis Chriſti Euchariſtiam inſtituentis verbis ſummus conſenſus; & S. Pauli cum illis concordia, non permittit
S. Hil. l. 8. de Trinit. ut ad ſenſum figuratum & metaphoricum trahantur. *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro eſt, & vere ſanguis eſt, & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, ut Chriſtus in nobis ſit.*

18. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* Et accipiens calicem vino plenum aqua mixto, cum gratias egiſſet Deo Patri, ipſique calici ſeu contento in eo elemento benedixiſſet, dedit illis in manus, jubens ut in orbem omnes ex eodem iſto calice biberent, quod S. Lucas his verbis expreſſit: *Dividite inter vos*: Syrus Interpres ad ſolos Apoſtolos Chriſti juſſionem refert: *Bibite vos omnes*. Sanctus Mar-
Marc. 14. 23. cus ſtatim impletum eſſe illud Domini mandatum obſervat: *Et biberunt* (inquit) *ex eo omnes*, ſcilicet præſentes Apoſtoli; quos proinde ſolos, & Sacerdotes ſacrificium offerentes mandatum illud ſpectat. Apoſtoli enim in ultima cœna Novi Teſtamenti Sacerdotes a Chriſto
Luc. 22. 19. ſunt inaugurati his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex hoc itaque loco perperam colligunt Heterodoxi Communionem ſub utraque ſpecie divini eſſe juris reſpectu ſingulorum & omnium fidelium, qui ſunt Euchariſtiæ participes. Unde nec Sacerdotes ipſos, quando non offerunt ſacrificium, ſed Sacramentum ſimpliciter ſumunt ut fideles ceteri, ſpectat illud Chriſti mandatum, ut probat collatio cum ipſius Domini verbis a S. Paulo relatis: *Hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam com-*
1. Cor. 11. 25. *memorationem*.

19. *Hic eſt enim Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Quod enim vobis exhibeo bibendum in calice, Sanguis meus eſt, quo novum fœdus & Teſtamentum, æternæ hæreditatis promiſſiones filiis Dei, per gratiam ejus prædeſtinatis, factas continens, prænuntiatum a Prophetis, a me revelatum & prædicatum, & veluti morte Teſtatoris jam jam futura, & hoc ipſo ſanguine qui myſtice jam funditur, repræſentata confirmatur. *Hic eſt ſanguis meus*, verus & proprius, loco ſcilicet ſanguinis veterum victimarum ſubſtitutus, quem Moyſes reſperſit in populum, dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his*. Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui *pro multis effundetur*. Apud S. Lucam, *pro vobis*. Utrumque a Chriſto dictum conjunxit Eccleſia in Canone Miſſæ: *Qui pro vobis & pro multis effundetur*. Maluit autem *pro multis dicere*, quam *pro omnibus*: (quamvis omnibus ſufficiat ad pretium redemptionis, & pro omnibus illum effuderit Patrique obtulerit Chriſtus, qui & pro inimicis rogavit:) quia ſacrificii fructum & efficaciam reſpexit. Hic eſt Sanguis meus, qui pro veſtra & multorum ſalute *effunditur*, & ſalvabit omnes quotquot prærordinati ſunt ad vitam æternam. Trium Evangeliſtarum, & Sancti Pauli Textus Græcus uniformiter habet, τὸ ἐκχυνόμενον *qui effunditur*, ideſt, nunc offertur Deo, & libatur in ſacrificio incruento, ut mox effundetur in ſacrificio crucis, cujus iſtud figura eſt, *in remiſſionem peccatorum*: Piaculare enim & propitiatorum ſacrificium eſt. Confer cum Apoſtolo cap. 9. Epiſtolæ ad Hebræos ℣. 13. & ſeqq.
„ Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vi-
„ tulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem
„ carnis: quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiri-
„ tum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo,
„ emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis,
„ ad ſerviendum Deo viventi? Et ideo Novi Teſtamen-
„ ti Mediator eſt; ut morte intercedente in redemptio-
„ nem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori
„ Teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt
„ æternæ hæreditatis. Ubi enim teſtamentum eſt, mors
„ neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in
„ mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum
„ vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine
„ ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato
„ Legis a Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem
„ vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea,
„ & hyſſopo; ipſum quoque librum & omnem populum
„ aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti quod manda-
„ vit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vaſa
„ miniſterii ſimiliter aſperſit: & omnia pene in ſangui-
„ ne ſecundum Legem mundantur: & ſine ſanguinis ef-
„ fuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria
„ quidem cæleſtium his mundari: ipſa autem cæleſtia
„ melioribus hoſtiis quam iſtis. „

20. *Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*. Ex S. Luca perſpicuum eſt id dictum a Chriſto ante panis & vini conſecrationem. Sed quia vini mentio hic præceſſerat, viſum eſt S. Matthæo id dictum hic ſubtexere. Genimen ergo vitis non vocatur quod benedictio conſecravit, ſed quod natura formavit. Sic autem habet S. Lucæ Textus: „ Et
„ cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apo-
„ ſtoli cum eo. Et ait illis: Deſiderio deſideravi hoc
„ Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico
„ enim vobis: Quia ex hoc non manducabo illud, donec
„ impleatur in Regno Dei. Et accepto calice, gratias egit,
„ & dixit: Accipite, & dividite inter vos: Dico enim

„ vo-

„ vobis quod non bibam de generatione vitis, donec Re-
„ gnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, &
„ fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum,
„ quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemo-
„ rationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, di-
„ cens: Hic est calix, Novum Testamentum in Sangui-
„ ne meo, qui pro vobis fundetur. " Horum igitur verborum sensus est: Hæc ultima cœna est, quam vobiscum facio, hoc ultimum Pascha quod vobiscum celebro. Non bibam in posterum de hoc vino quuod in cœna & in Paschali calice bibimus, donec bibam illud longe alterius generis, longe præstantius atque jucundius in cœlo. *Vinum novum*, lætitiam scilicet immortalem, quæ per vinum adumbrata est in Psalmis. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*, &c. Quam & his verbis Christus significavit, quibus compellavit Apostolos post sacrorum Mysteriorum dispensatio-
Luc.22.29. nem: *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo*. Non est autem inusitatum ut idem nomen duobus sensibus serviat in eadem oratione, proprio & me-
taphorico, ut in ista Domini sententia, *Dimitte mortuos*
Matth.6.2. *sepelire mortuos suos*: Priori parte *mortui* metaphorice, posteriori vere mortui appellantur. Et in illa: *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex a-*
Jo.4.14.22. *qua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: Primum *aqua* proprie, deinde metaphorice sumitur. Ita & hic. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei*: priori parte sententiæ *genimen* seu fructus *vitis* proprie sumitur; posteriori vero parte metaphorice pro cœlestibus immortalis vitæ deliciis.

21. *Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti*. Cum hymnum in gratiarum actionem dixissent Jesus & ejus Apostoli, excepto Juda qui jam abierat, exierunt versus Montem Olivarum. Nam Getsemani erat inter Torrentem Cedron & montem ipsum ad radicem montis. Hymnum consuetum a Christo recitatum, verisimile est. Non alium fuisse quam Psalmos centesimum decimum quartum & sequentes usque ad centesimum decimum octavum, censent interpretes eruditi. Hunc hymnum Paschate cani solitum, quem vocabant *Hymnum magnum*, seu *Halleluia magnum*. Censent alii hunc Hymnum fuisse orationem ipsam, quam Christus ad Patrem fudit sublevatis oculis in cœlum, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*, &c. quæ Joannis 17. referuntur. Quibus descriptis, S. Evangelista continuo subdit: *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum Discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & Discipuli ejus*. Solebant scilicet Hebræi pro re nata ex tempore hymnos componere & ad Deum fundere nullis numeris adstrictos, qualia sunt Cantica Deboræ, Annæ, Zachariæ, Mariæ, &c. & oratio illa Petri & Joannis ac reliquorum Discipulorum sive Christianorum, quæ legitur Act. 4. Hunc morem primi Christiani servarunt: ut colligitur ex cap. 5. Epistolæ ad Ephesios vers. 19. & ex cap. 3. Epistolæ ad Colossenses vers. 16. De hoc more Tertullianus in Apologetico: *Post aquam manualem*, inquit, *& lumina, ut quisque de Scripturis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere*.

22. *Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*. Omnes ab officio discipuli verique amici deficietis, minus digne de me sentientes, me deserentes, ignavo & mundano timore fugientes, in fide Divinitatis meæ vacillantes ista nocte, occasione eorum quæ mihi evenient, cum me ab inimicis captum, rapi ad supplicium videbitis. Tunc fiet quod
Zach.13.7. scriptum est: Percusso Pastore dispergentur oves gregis. Zachariæ vaticinium secundum sensum citat, non verbis tenus, sibique accommodat. Confer cum Joannis 16. 31. 32. ubi narrat S. Evangelista, dum Apostoli dixissent: *In hoc*
S. Aug. Tr. 103. in Jo: *credimus quia a Deo existi*, respondisse eis Jesum: *Modo creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis*. Idest, *Tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modo creditis, relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & suæ pristinæ fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui post ejus Resurrectionem cum illo se loqui nesciens, & quid ei contigerit narrans*, Nos, *inquit*, sperabamus quod ipse redempturus fuerat Israel. *Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fi-*
Luca 24. 1 *dem, qua in eum ante crediderant*. Futuræ igitur infirmitatis Discipulos admonuit, & nocte eadem *omnes metu atque infidelitate turbandos*: se tamen resurgentem in Galilæam eos præcessurum esse promittit, ut infirmita-
S. Hilar. in hunc locum tem eorum sponsione reditus sui & Resurrectionis consolaretur, *Omnes vos scandalum patiemini*. Prædicit quod passuri sunt: ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam, liberentur. *Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam*. Præcedam
S. Hieron. in hunc locum. vos in Galilæam patriam vestram, de qua repetenda cogitabitis, ut a Judæorum odiis & metu liberati securius vivatis; vobis præibo, ut Pastor gregi, vosque dispersos colligam.

23. *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*. Ex ardenti quidem erga Dominum affectu & charitate hæc Petrus dixit, sed imbecillitatem suam, & fidem verborum Christi non attendens, de viribus suis præsumendo peccavit. *Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis*. Mire emphatica sunt Christi verba. Negaverat Petrus se ab officio discessurum: ostendit Christus discessurum, non leviter, sed graviter, id est, non solum fuga, sed Magistri abdicatione. Dixerat Petrus, *Numquam*: Christus docet facturum eum, quod se facturum negabat, ea ipsa nocte antequam dies oriretur; sed facturum non semel, sed ter: quod signum erat non qualiscumque infirmitatis, sed expectoratæ constantiæ. *Antequam gallus cantet, ter me negabis*. Bis canit gallus, primum medinoctio, deinde sub adventum lucis. Posterior cantus ut nobilior atque alacrior, proprie vocatur gallicinium. De isto loquuntur SS. Matthæus, Lucas, & Joannes, de utroque S. Marcus: *Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*. Tota Petri negatio, trina negatio est. Hæc ante primum galli cantum cœpta, ante secundum completa est: quamquam & affectione animi, & timore Petri ante primum tota concepta sit. Sicut ergo jam mœchatus est mulierem in corde suo qui eam viderit ad concupiscendum; sic Petrus quandocumque verbis ederet timorem, quem tam vehementem animo concepe-rat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputanda est, quo eum trinæ negationi sufficiens timor invasit, ex quo etiamsi post primum galli cantum inciperent pulsato interrogationibus pectore verba illa negationis erumpere, nec sic absurde atque mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quando ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eum posset usque ad tertiam negationem perducere. Multo minus igitur movere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est.

S. Hieron. in hunc locum S. Amb. lib. 10. in Lucam. 1. Joan. 4. 18 Joann. 13. 37. S. Aug. lib. de Gratia & l. Arbitrio c. 17. Marci 14. 30. S. Aug. lib. 2. de Consensu Ev. cap. 3.

24. *Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes Discipuli dixerunt*. Bona fide, bono animo id dixit Petrus, boni propositi sibi conscius, sed neque virium suarum imbecillitatem, neque periculi ingruentis magnitudinem, neque Christi verba satis considerans. *Et Petrus de ardore fidei promittebat, & Salvator quasi Deus futura noverat*. Christi tamen prædictione *non cogitur* Petrus *ad negandum, sed instruitur ad cavendum ... Magnam charitatem*, qua Dei mandata fiunt, *Petrus nondum habuit, quando timore ter Dominum negavit*. Timor *enim* non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. *Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino*: Animam meam pro te ponam: *Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Par voluntas, bona quidem, sed imperfecta erat ceteris Discipulis, qui Petro ardore fidei, & animi constantia videri noluerunt inferiores: *Similiter & omnes Discipuli dixerunt*.

25. *Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Getsemani, & dixit Discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem*. Venit Jesus cum Apostolis in prædium seu agrum, cui nomen Getsemani, id est *Torcular olei*, propter Montem Olivarum, ad cujus radices situs erat. Et dixit Discipulis suis, Manete hic, in anteriore scilicet horti parte, dum paulo ulterius secedam orationis gratia. *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi*, Jacobo & Joanne, [quibus arcana sua libentius credebat, & qui gloriam ejus in Transfiguratione viderant] *cœpit contristari, & mœstus esse*; vehementer angi, & animo pene deficere, *tædere & pavere*, ut habet S. Marcus; sive *obstupescere*, secundum vim Græci verbi, idest metu graviissimo imminentium malorum agitari & concuti. *Cœpit contristari, & mœstus esse*. Non subito animum Christi invaserunt mortifera illa tristitia, anxietas, metus; non præter voluntatem, (ut nobis accidit) sed sponte, ad imperium rationis, cujus serenitatem ne minimum quidem obnubilarunt; quando, quomodo, & quantum voluit. „ Non animi infirmitate, sed
„ potestate turbatus est, ne nobis desperatio salutis oria-
„ tur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur.
„ Non ergo aliquo est cogente turbatus, sed turbavit
„ semetipsum, quod de illo evidenter expressum est, quan-
„ do Lazarum suscitavit .... Affectum quippe humanum,
„ quando oportuisse judicavit, in se ipso potestate com-
„ movit, qui hominem totum potestate suscepit. " Ut veritatem probaret assumpti hominis vere quidem contristatus est, sed ne passio illius animo dominaretur, *per propassionem cœpit contristari*. Denique *Hos motus ita cum* Dei

S. Aug. Tract. 60. in Joann. S. Hieron. in hunc locum S. Aug. lib. 13. de Civit. Dei cap. 9.

vo-

voluit animo susceptit humano, sicut cum voluit factus est homo: & ejus infirmitas fuit ex potestate.

26. *Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum.* Mortifera tristitia animus meus undequaque obsessus est, dolores mortis in animum meum penetrarunt. *Circumdederunt me dolores mortis.* Ita vocantur dolores maximi, & quales in procinctu mortis esse solent, quibus non immerito comparatur horror ipse mortis, & quidem tam acerbæ, tam ignominiosæ. Manete hic, & vigilate mecum, ut vigilantiæ & orationis societas vobis præsidio sit adversus tentationem imminentem; præsentia vestra mihi sit solatio. Manete hic, & vigilate, ut eorum quæ mihi accidunt, suo tempore testes sitis.

Psal. 116.

27. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et progressus pusillum etiam a tribus illis selectis Apostolis, (more hominum quos pudet æstuantis animi motus in oratione coram aliis effundere,) ita tamen ut ab his videri audirique posset, procidit in faciem suam, ut corporis habitu summam animi demissionem ac humilitatem, & extremam inferioris appetitus desolationem significaret. Orabat autem *cum clamore & lachrymis*, hunc in modum: *Pater mi, si possibile est*, si tua decreta ferunt ut alio modo tuæ gloriæ hominumque saluti consulatur: *Pater si vis, transfer calicem istum a me.. ABBA, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me.* Hæc igitur verba, *Si possibile est*, dubitationem Christi de rei possibilitate aut de Patris omnipotentia non exprimunt: non enim dixit, *si facere potes*: sed, *si fieri potest*: fieri autem potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est, *si fieri potest*, ac si diceretur, *si vis*. Manifestavit enim Marcus quo sensu accipiendum sit, *si fieri potest*, quando Christum dixisse refert, *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt*. Hæc enim ostendunt, non ex impossibilitate, sed ex Patris voluntate dictum esse, *Pater mi, si possibile est transeat a me calix iste*; acerbissimæ mortis genus a me averte. Naturæ desiderium & inferioris appetitus repugnantiam exprimit. Naturalis enim appetitus refugit mortem: sed rationali voluntate naturale illud desiderium, ac repugnantiam sentientis appetitus subjicit divinæ voluntati. In Christo itaque contraria desideria non fuerunt, sed diversa, primum naturale, & quidem conditionatum, quo secundum affectum sentientis appetitus, & infirmitatem assumptæ carnis, optasset a morte acerbissima & ignominiosissima liberari, si Pater voluisset: alterum rationale & absolutum, quo voluntatem suam Patris decreto penitus submisit, factus obediens usque ad mortem crucis: quam animi summissionem, voluntatisque suæ ad voluntatem Patris accommodationem perfectissimam hac postrema orationis suæ parte significat: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* vis, fiat. *Revertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei Filiique confirmat.* Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Non, inquit, hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.*

Hebr. 5. 7.

Lucæ 22. 42.

Marci 14. 56. *S. Aug. l.* 3. *de Consensu Evang. c.* 4.

S. Hier. in hunc locum.

28. *Et venit ad Discipulos suos; & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Id Petro præcipue dixit, quasi cæterorum capiti, & ei qui de se nimis pollicendo aliis præiverat: in ipso tamen omnibus Discipulis eorum ignaviam exprobrando dixit: Ita ne? Non potuistis una hora vigilare mecum? Siccine promissa vestra tam magnifica impletis? Me non solum vigilante, sed orante, sanguineo sudore perfuso, cum morte luctante, tranquille dormitis, qui me dormiente vigilare pro me debebatis. Vel propter vos vigilate, & orate, ut vigilantia precibusque vestris impetretis potentius ac robustius gratiæ victricis auxilium, in his gravissimæ tentationis angustiis vobis necessarium, ne a satana oppugnati, succumbatis. *Impossibile est humanam animam non tentari. Unde & in oratione Dominica dicimus:* Ne nos inducas in tentationem, *quam ferre non possimus. Non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.* Ergo & impræsentiarum non ait: *Vigilate & orate ne tentemini*, sed, *ne intretis in tentationem*: hoc est, *ne tentatio vos superet & vincat, & vos intra casses teneat.* Rationem porro subdit, cur ipsis timendum sit, gratiæque robustioris auxilium implorandum: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: Animo quidem bene in me affecti estis; & ex gratiæ meæ dono prompti estis & alacres ad resistendum tentationi, sed carnis infirmitatem cogitate, quæ ad effectus naturales & spiritali voluntati contrarios edomandos, scilicet vitæ curam dolorumque fugam, nullas per se vires habet. Hanc infirmitatem carnis pulchre describit Apostolus Rom. 8. 5. *Nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.*

S. Hieron.

29. *Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hæc oratio eadem est quæ prior, quamvis aliqua in verbis varietas esse videatur: unde S. Marcus ait: *Et iterum abiens, oravit, eumdem sermonem dicens*: Pater mi, quando quidem decrevisti ut hunc calicem bibam, ut hæc patiar omnia, idque mortis genus subeam, tua circa me voluntas, precor, impleatur. *Et venit iterum* ad Discipulos suos, ut eos officii sui admoneret, & *invenit eos dormientes* PRÆ TRISTITIA, ut explicat S. Lucas. Ex merore enim torpor somnolentus oritur. *Erant enim oculi eorum gravati.* Et *relictis illis iterum abiit, & oravit tertio, eumdem sermonem dicens.* Oravit tertio, ut perseverandum in oratione exemplo suo doceret. Ternarius numerus in precibus iterandis solemnis. 2. Cor. 12. 8. *Propter quod ter Dominum rogavi.* Idem numerus rei perfectioni & constantiæ declarandæ servire solet. Unde Joannis 21. Christus ter Petrum interrogat, *Simon Joannis diligis me plus his?* Ter Petrus respondet, *Tu scis, Domine, quia amo te.* Oravit autem *eumdem sermonem dicens*, hoc est, in eamdem sententiam, & eamdem rem petens.

Luc. 22. 44.

30. *Tunc venit ad Discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Tempus præterit quo vigilando poteratis mihi esse solatio: dormite jam, & requiescite, per me licet. *Sufficit* quod hucusque vigilastis. Quæ verba exprobrantis potius sunt quam permittentis. Ceterum jam vos satis excitabit periculum præsens. Imminet articulus temporis a Deo definitus, quo tradar in manus flagitiosorum hominum, Gentilium, Militum Romanorum, Sacerdotum & Magistratuum Judæorum, qui mortem meam decreverunt. *Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.* Obviam illis eamus, ut comprehensionem meam divinæ dispensationis esse pateat, non humanæ infirmitatis; ipsique hostes me ultro ad mortem pergere agnoscant, meaque confidentia & intrepidi animi tranquillitate confundantur. Jam appropinquat Proditor.

Marci 14. *S. Aug. l.* 3. *de Consensu Evang. cap.* 4.

S. Hier. in hunc locum.

31. *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi a Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.* Vix sermonem compleverat, cum Judas unus ex duodecim Apostolis, non merito, sed numero, & ex Apostolo jam factus proditor Magistri, & dux sceleratorum hominum, in conspectum se dedit, & cum eo Præfectus Vigilum, seu Tribunus Romanæ cohortis ad Templi custodiam per festos dies destinatæ, cum sua cohorte, & *ministri* sive satellites a Sacerdotibus & Pharisæis missi; simul & aliqui *Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi, & Seniores*. Milites autem & ministri missi erant a Synedrii magni Senatoribus, quibus Pilatus Præses Romanus cohortem illam concesserat, permisso pro Paschali tempore in eam custodiam imperio. Armis autem muniti, metuentes ne Christi discipuli vim vi repellere conarentur, illumque de manibus illorum eriperent.

Joan. 18. 2. *Lucæ* 22. 52.

32. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.* Judas proditor dedit illis signum, præcipue militibus Romanis, qui Jesum non noverant, ne in persona errarent, aut Jesus nescientibus eis pertransiret, quod & alias fecit; & tunc factum esset, si voluisset. Duas in Christo fuisse formas seu figuras Origenes ait, idque velut ex Traditione acceptum refert: unam secundum quam eum omnes videbant: alteram secundum quam transfiguratus est coram Discipulis in monte; & unicuique apparuisse sicut erat dignus: propter hujusmodi ergo transfigurationes ejus illos indiguisse signo. Verum quænam sit hæc Traditio, non liquet, nec videtur consentanea veritati, vel ad hunc locum pertinere, cum unam tantum Christi figuram Judas vidisset ac nosset. Ait quidem S. Hieronymus, quod *quia eum forte audierat in monte transfiguratum, timebat ne simili transformatione nunc e manibus ministrorum elaberetur.* Sed unde audierat Judas, quod revelari prohibuerat Christus, donec a mortuis resurrexisset? Quemcumque *osculatus fuero, ipse est* quem quæritis, *tenete eum*; &, ne forte elabatur, *ducite caute* (ut apud Marcum habetur.) Hoc autem signum elegit partim ficta in Magistrum reverentia, partim *Discipuli verecundia*, non eum palam tradere ausus hostibus, sed simulato officio. Osculum enim Hebræis non solum valedicentibus, aut post longam absentiam redeuntibus erat usitatum, verum etiam dilectionis pignus. Unde Christus Simoni Pharisæo ait: *Osculum mihi non dedisti.* Eaque *osculi pacis, osculi sancti* consuetudo apud veteres Christianos mansit, ut discimus ex Apostolo *Rom.* 16. 16. & alibi passim, & ex *Act.* 20. 37. ex

S. Jo. Chr. Hom. 82 *in Matth.*

Origenes in Matth.

S. Hier. in hunc locum

S. Hieron.

Lucæ 7. 45.

Justi-

Justino Martyre in Apolog. Tertulliano lib. *De Oratione*, & lib. 2. *Ad Uxorem*, & aliis.

33. *Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* Juda, quem etiamnum diligo, cui bene volo, cujus perditionem doleo, ad quid venisti? Cur osculum libas, proditor? Cur dux factus es hostium meorum, si amicum te simulabas? Lucæ 22. 48. *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Tunc Judas qui cohortem paululum anteverterat, ad eam regressus est, eaque contigerunt quæ Joannes narrat de turbis prostratis, dicente Jesu, *Ego sum*. Si enim ante os- *Joan. 18.5.*
culum contigissent, osculi signo non fuisset opus. *Tunc* *Aug. lib. 3.*
accesserunt, propria Christi voce edocti quod ille esset, *de Consensu*
quem quærebant, Jesus Nazarenus, & eo permittente ac *Ev. cap. 5.*
eorum viribus cedente, manus in eum injecerunt, *& tenuerunt eum*.

34. *Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manus, exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus*. Petrus, qui *Luc. 22.*
gladium ad Christi defensionem sumpserat, occasione verborum ejus, *Qui* gladium *non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, & responsionis ad verba Discipulorum dicentium, *Domine, ecce duo gladii hic*: quibus *Luc. 22.*
dixit Jesus, *Satis est*: Petrus, inquam, eo quo fervebat *36. 38.*
animi ardore, gladium exemit, ictumque direxit in ca- *Lucæ 22.*
put servi Principis Sacerdotum qui ceteris audacior & ferocior primus in Jesum irruebat: sed Deo ictum moderante, servoque declinante, illius auriculam *dexteram* dumtaxat amputavit, quem contactu suo sanavit Christus auricula restituta. Servo nomen *Malchus*.

35. *Tunc ait illi Jesus*, Petro scilicet: *Converte gladium tuum in locum suum*, in vaginam reconde. *Omnes* *S. Aug. lib.*
enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Omnes qui *22. contra*
gladium privata auctoritate distrinxerint, digni sunt qui *Faustum*
gladio pereant. „ Ille utitur gladio (*inquit Sanctus Au-* *cap. 70.*
„ *gustinus*) qui nulla superiore ac legitima potestate vel
„ jubente, vel concedente, in sanguine alicujus armatur. Nam utique Dominus jusserat, ut ferrum Discipuli ejus ferrent, sed non jusserat ut ferirent. Quid
„ ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus
„ est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est Rector Synagogæ? Uterque enim non
„ detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit: uterque odio improbitatis alienæ; sed ille fraterno, iste Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit. Resecandum hoc vitium
„ vel eradicandum; sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum. „

36. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Si mortem fugere vellem, si hostibus meis resistere, nonne possem rogare Patrem meum, ut mihi Angelos mittat auxilio: & absque mora pro vobis duodecim Discipulis meis, hominibus infirmis & imbellibus, exhibere mihi, non duodecim Angelos dumtaxat, sed *Vegetius,*
duodecim legiones Angelorum? Allusit ad Militiam Ro- *S. Hier. in*
manam, in qua duodecim legiones justum constituebant *hunc locum*
exercitum. Legio apud Romanos sex hominum millia continebat. Duodecim legiones pro ingenti numero Angelorum positæ. Verum si hostium meorum me comprehendere, vincere, & morti tradere volentium consilia & conatus impediantur, *Quomodo implebuntur Scripturæ*, quæ docent, *quia sic oportet fieri?* id est, me capi, & ad mortem duci. Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*.

37. *In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis*. Conversus Jesus ad turbas, præcipue vero ad Duces, quibus & alii aderant e Sacerdotum & Senatorum numero, dixit: Siccine ad me capiendum intempesta nocte, ac si homo facinorosus essem, ac latro cum armata manu existis? Si talis sum, quare me non cepistis apud vos quotidie docentem in Templo, ubi facile & sine strepitu id fieri posse videbatur? sed Dei providentia id tunc inhibuit, quod modo sapientissimo consilio permittit. Confer cum Luc. 22. 53. *Cum quotidie vobiscum fuerim in Templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*.

38. *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum*: ut exitum haberet decretum Patris de Christi Passione & morte per Prophetas pridem enunciatum. „ Et utique Sacramentum passionis ipsius figura- *Tertull. l.*
„ ri in prædicationibus oportuerat: quantoque incredi- *adversus*
„ bile, tanto magis scandalum futurum si nude prædica- *Judæos*
„ retur: quantoque magnificum, tanto magis obumbran- *cap. 10.*
„ dum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. „

39. *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt*; alii citius, alii serius, timore humano ne a Judæis caperentur. Sic impletum est Prophetæ vaticinium, ipsius Christi verbis paulo ante confirmatum: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*.

40. *At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant*. Jesum ad Annam Caiphæ socerum primum ductum fuisse S. Joannes testatur, inde duxerunt ad Caiphan anni illius Pontificem, cujus in ædibus congregatum erat Concilium. *Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium Principis Sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem*. Petrus charitate in Dominum, quamvis parva & infirma tractus, illum sequebatur; sed a longe, quia cum perfecta charitas non esset, foras non mittebat timorem. Secutus est autem eum usque in aulam Principis Sacerdotum: & introductus ab ostiaria, precibus illius Discipuli qui notus erat Pontifici, ut refert S. Joannes, sedebat ad ignem cum ministris, dolorem premens, & simulans audaciam, ne notaretur.

41. *Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: & non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes. Et dixerunt: Hic dixit, Possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud*. Quæstionem habentes in caput Jesu, conabantur a testibus aliquid elicere quod ad eum damnandum valeret. Et neminem invenerunt, qui adversus ipsum aliquid proferret, quod capitale posset videri. Tandem duo falsi testes accesserunt, ut non unius, sed duorum ore velut sufficienti ac legitimo testimonio damnari posset. Vere falsi testes appellantur ob depravata Christi verba: neque enim dixerat Christus, *Possum destruere Templum hoc* MANUFACTUM, ut addit S. Marcus; sed, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: neque de Templo Jerosolymitano dixerat, *Jo. 2. 10. &*
sed *de templo corporis sui*. Hinc S. Marcus observat, *con-* *21.*
veniens non fuisse testimonium illorum, sive ad Christi da- *Marc. 13.*
mnationem sufficiens, ne illud quidem quod maxime per- *59.*
tinebat ad invidiam illi conflandam: nihil enim mali templo ominatur qui demoliturum se dicit, si se mox restituturum addat; neque pollicitatio utcumque vana, capite luenda fuisset.

42. *Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat*. Ira præceps & impatiens non inveniens calumniæ locum excutit de solio Pontificem. Quanto Jesus tacet ad indignos responsione sua falsos testes, & Sacerdotes impios; tanto magis Pontifex furore superatus eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis locum inveniat accusandi. Nihilominus *Isaiæ 63.7.*
Jesus tacebat. Sciebat enim quasi Deus, quicquid responderet, torquendum ad calumniam. *Jesus autem tacebat*, ut impleretur Isaiæ vaticinium: *Oblatus est quia ipse vo-* *Act. 8. 32.*
luit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.

43. *Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*. Præcipio tibi Dei veri nomine & auctoritate, cujus sum Minister, ut veritatem proferas, cujus ille testis sit & judex: ut dicas nobis, si tu es Messias, Rex Israel, nobis promissus; & expectatus; & Filius Dei, non adoptione tantum, ut viri justi, sed natura. Eo tendebat illa adjuratio, ut Christum blasphemiæ reum damnaret, si Filium Dei se esse responderet, ut sperabat responsurum, si divini nominis religione premeretur.

44. *Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei, & venientem in nubibus cœli*. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Non silet amplius Christus, sed respondet Pontifici, tum ne divini nominis interpositam auctoritatem contemnere videretur; tum ne silendo negare censeretur veritatem, cui ut testimonium perhiberet, illamque prædicaret, in mundum venerat; veritatem pro cujus confessione tot Martyres sanguinem fundere debebant; cujus fides erat fundamentum Ecclesiæ. In eodem concilio repetitæ interrogationi respondit Jesus, primum, quod Lucas refert: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem* *Luc. 22. 66.*
& interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Deinde cum per Deum vivum a Pontifice adjuratus esset: *Tu dixisti*, Vel ut Lucas refert: *Vos dicitis, quia* *Luc. 22. 67.*
ego sum. Quæ responsio expressa ac perspicua fuit, æquivalens illi, *Ego sum*, quam his ipsis verbis exprimit S. Marcus. Verumtamen licet mihi affirmanti me Filium esse Dei non credatis, id tandem aliquando agnoscetis vel inviti, cum id reipsa demonstrabo universo hominum generi. Deinceps enim me, quem modo ut vilem homuncionem contemnitis, judicatis, & morti addicitis, post Resurrectionem & Ascensionem in cœlos meam, ex effectis cognoscetis & experiemini a dextris Dei sedere, natura, imperio, potestate, honore, Majestate Deo æqualem. Id vero tum maxime cognoscetis, cum me in fine mundi venientem in nubibus cœli videbitis, ut vivos & mortuos judicem, ac inter illos vos qui hic judices sedetis, ad quorum tribunal habitu rei nunc sto & respondeo. Allu-

S. Hier. in hunc locum S. Jo. Chrys. Hom. 85. in Matt.

dit ad duo Scripturæ oracula de Filio Dei, Pſal. ſcilicet 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*. Et Dan. 7. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nu-*
Gen. 37.29. *bibus cœli quaſi Filius hominis veniebat*.
33. & c. 44. 45. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua*,
13. Num. *dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce*
14. 16. Ju- *nunc audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur? At illi*
dic. 11. 35. *reſponderunt: Reus eſt mortis*. Scidit veſtimenta ſua, qua-
4. Reg. 19. ſi in horrorem blaſphemiæ, cujus reum declarabat Jeſum.
1. Jer. 36. Hic autem mos veſtimenta ſcindendi vel in ſignum dolo-
22. ris, vel in execrationem blaſphemiæ, Judæis ſolemnis
Act. 14. 13. fuit, Scriptura teſte. Eruditi quidam Interpretes, cum
S. Hier. in antiqui, tum recentiores obſervant, nullo unquam caſu
hunc locum licuiſſe ſummo Pontifici veſtem lacerare, idque ex *Lev.* 21. 10. colligunt. Verum illa prohibitio ad cauſam funebrem dumtaxat pertinet, ut conſequentia oſtendunt. Alioqui in luctu publico etiam Pontifex Maximus diſcindebat veſtimenta, ut conſtat ex 1. *Mach.* 11. 71. & ex Joſepho. Hunc tamen Levitici locum S. Leo reſpexit, Serm. 55. ſcribens: „ Caiphas ad exaggerandam auditi ſermonis „ invidiam, ſcidit veſtimenta ſua: & neſciens quid hac „ ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore privavit: U-„ bi eſt, Caipha, rationale pectoris tui? Ubi continen-„ tiæ cingulum? Ubi ſuperhumerale virtutum? Myſtico „ illo ſacratoque amictu ipſe te ſpolias, & propriis ma-
Lev. 21. 10. „ nibus Pontificalia indumenta diſcerpis, oblitus præce-„ pti illius quod legeras de Principe Sacerdotum: *De* „ *capite ſuo cidarim non deponet, & veſtimenta ſua non* „ *diſrumpet*. Tu vero a quo jam alienabatur hæc digni-„ tas, ipſe tibi es executor opprobrii, & ad manifeſtan-„ dum finem veteris inſtituti, pertinet eadem diſruptio „ Sacerdotii. “ Eadem cogitatio S. Hieronymi mentem ante ſubjerat: *Scidit autem veſtimenta ſua*, (inquit) *ut oſtendat Judæos Sacerdotii gloriam perdidiſſe, & vacuam ſedem habere Pontifices*. Et certe eadem myſtica ſignificatio ſciſſæ veſtis, ablationem Regni portendit Sauli 1. *Reg.* 15. 28. & Regni diviſionem Salomoni 3. *Reg.* 11. 31. Judices porro teſtes facit Pontifex iniquiſſimus, accuſator ipſe & judex. *Quid adhuc*, inquit, *egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam*, ſiquidem & Chriſtum & Filium Dei ſe profitetur. At quærere oportuit, an non in ipſum vaticinia Prophetarum congruerent, an non apertiſſimis miraculis probaſſet ſe Chriſtum & Dei Filium eſſe. His illi præteritis pro manifeſto ſumunt, Jeſum, Chriſtum & Filium Dei eſſe non poſſe: & ſententiam a Caipha rogati, iniquiſſimo præjudicio reſpondent dignum eſſe morte: *Reus eſt mortis*. Quæ quidem ſententia etſi capitalis non eſſet, cum a Judæis capitalium Judiciorum poteſtatem Auguſtus abſtuliſſet; eo tamen ſpectabat ut Judæi Senatores ſalva religione Jeſum accuſare poſſent apud Romanum Præſidem, ejuſque ſupplicium flagitare, Legem contra blaſphemiæ reos pœnam capitis decernentem, *Levit.* 24. 16. allegantes.

46. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, di-*
Marc. 14. *centes, Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Cum hoc præjudicatum in Jeſum audiſſent *qui tenebant illum*, ut ait S. Lucas, & quidam etiam Senatores, ut Marcus innuit, & Miniſtri, expuerunt in ſacram ejus faciem, quod genus contumeliæ graviſſimum, ſignumque ſummi contemptus & abominationis, *Num.* 12. 14. & *Deuteron.* 25. 9. *Et colaphis eum cæciderunt*, contracto pugno caput ejus & tempora ferientes. Alii autem alapas illi impingebant plana palma. Hinc totum Chriſti caput tuber, tota facies livida. Velatis porro ejus oculis, ne percutientes videret, illi inſultabant, dicentes: *Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Prophetica illius dignitati illudebant. Tu qui Prophetæ & Chriſti nomen tibi arrogas, dicas nobis quis hanc alapam vel hunc colaphum tibi impegit. *Prophetiza* (inquiunt); Prophetarum enim erat non tantum futura prædicere (quod proprie vox ſignificat) ſed & alia aperire quæ naturali cognitione ſciri nequibant. *Confer cum Iſaiæ* 1. *verſ.* 6. „ Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vel-„ lentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & „ conſpuentibus in me ..... Poſui faciem meam ut pe-„ tram duriſſimam. *Et cap.* 53. 2. 3. 5. & 5. Non eſt ſpe-„ cies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſ-„ pectus, & deſideravimus eum; deſpectum, & noviſſimum „ virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & „ quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec „ reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & „ dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum „ quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum. „ Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, „ attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis no-„ ſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. „

47. *Petrus vero ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.* Dum hæc agerentur, Petrus erat in aula Principis Sacerdotum, deorſum, ut obſervat S. Marcus, in inferiori parte ædium, ſedens ad ignem cum miniſtris, ut rei exitum videret. Et acceſſit ad eum ancilla ſummi Sacerdotis janitrix, dicens: Et tu ſectator eras & diſcipulus Jeſu Galilæi. Contemptus cauſa Galilæum vocabant, quod in Galilæa ut plurimum verſatus eſſet, & plerique ejus Diſcipuli Galilæi eſſent. Sic Julianus Apoſtata Chriſtum *Galilæum*, & Chriſtianos *Galilæos* per contemptum appellare ſolebat. Petrus vero palam & coram omnibus negavit ſe Jeſu diſcipulum eſſe, dicens: *neſcio quid dicis*. Sive, ut Marcus refert: *Neque ſcio, neque novi quid dicas*.

48. *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jeſu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem*. Cum Petrus *foras* exiret *ante atrium*, gallo primum cantante nullatenus commotus eſt. Quem euntem & redeuntem cum alia ancilla intuita eſſet, circumſtan- *Marci* 14.
tibus dixit: *Et hic erat cum Jeſu Nazareno*. S. Lucas 68. *Lucæ*
ſecundam illam negationem Petri referens, ancillæ non 22. 58.
meminit, ſed ait: *Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non ſum*. Utrumque contigit. Ancilla id dixit miniſtris ad focum ſedentibus: tum alius ancillæ monitione excitatus Petrum ipſum compellavit dicens: *Et tu de illis es*. Eamdem negationem Joannes refert his verbis: *Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex Diſcipulis ejus es? Negavit ille, &* Joan. 18. 25
dixit: Non ſum. Ex quo patet, non illam tantum alte- S. Aug. l. 3.
ram ancillam, quam Matthæus & Marcus commemorant, de Conſen-
ſed & alium quem commemorat Lucas, ea cum Petro ſu Ev. c. 6
egiſſe, quæ illi Evangeliſtæ referunt. Et liquido colligitur collatis hac de re omnium Evangeliſtarum teſtimoniis, non ante januam ſecundo Petrum negaſſe, ſed intus in atrio ad ignem. Matthæum vero & Marcum, qui commemorarunt eum exiiſſe foras, regreſſum ejus brevitatis cauſa tacuiſſe. Mendacii porro & negationis repetitæ gravitatem perjurio cumulavit Petrus. Sic peccatum ſuo pondere ad aliud trahit.

49. *Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem. Et continuo gallus cantavit*. Poſt breve temporis intervallum, *quaſi unius horæ*, ut S. Lucas notat, acceſſerunt qui ſtabant ad ignem, Malchi cognato præeunte, ut ex S. Joanne diſcimus, & dixerunt Petro: Tu certe ex diſcipulis es hominis illius; nam pronuntiatio tua te Galilæum eſſe docet. Alius ſcilicet Galilæis erat pronuntiandi modus, alia dialectus quam Jeroſolymitis, eaque durior, rudis, & incondita. Accedebat & aliud indicium a cognato Malchi, qui Petrum a ſe in horto viſum meminerat, & affirmabat. *Tunc cœpit deteſtari*, id eſt, ſe diris omnibus devovere, ſibi anathema imprecari, & *jurare quia non noviſſet hominem*, tantum abeſſe ut diſcipulus ejus eſſet. Et continuo, *adhuc eo loquente*, ut Lucas refert, gallus *iterum* cantavit; ut Chriſti prædictionem veram eſſe appareret. Petri crimen graviſſimum nonnulli nimis elevant, quoſdam Patres (ut illis videtur) ſecuti, inter alios S. Ambroſium lib. 10. in Lucam, ubi multa habet oratorio ſtylo ad extenuandum Petri peccatum; & S. Leonem Serm. 58. contra. S. Hieronymus Epiſt. 149. ad Marcellam, Petrum cum ancillæ interrogatione perterritus Dominum negavit, in Filium hominis, non in Spiritum ſanctum peccaſſe ait, & *ridiculam* eorum *interpretationem* vocat, qui non Chriſtum eum negaſſe, ſed hominem aſſerunt; & mendacem illos facere Salvatorem, qui ſe, hoc eſt Filium Dei, a Petro negandum prædixerat. Eamdem interpretationem luculente refellit S. Auguſtinus Tractatu 66. in Joannem.

50. *Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amare*. Simul & galli cantu, & Domini aſ- S. Aug. l. 3.
pectu excitatus ad pœnitentiam eſt: *Converſus* enim *Do-* de Conſen-
minus reſpexit Petrum (inquit S. Lucas) non corporis ſu Evang.
oculis, ſiquidem Petrus erat in exteriore atrio, Jeſus au- c. 6. & l. de
tem in ſuperioribus ædium partibus, in interiori aula au- Gratia
diebatur, illudebatur, & cædebatur. Quod igitur a S. Lu- Chriſti
ca ſcriptum eſt, „ Reſpexit eum Dominus, intus actum eſt, cap. 45.
„ in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericor-
„ dia Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam
„ revocavit, interiore gratia ſua viſitavit Petrum, inte-
„ rioris hominis uſque ad exteriores lachrymas movit &
„ produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvan-
„ do adeſt voluntatibus & actionibus noſtris: ecce que-
„ madmodum & velle operari operatur in nobis. „

Et egreſſus foras, extra Caiphæ domum, ad declinandum impiorum conſortium, per quod lapſus erat; & ut in receſſu erumpentibus ubertim lachrymis, & dolori, quo amor pœnitens cor ejus compungebat, locum daret, *flevit amare*.

SENSUS MORALIS.

1. *ET factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit Diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Poſt ſermonem quo venturum ſe Dominus ad judicium in gloria & majeſtate dixerat,

nunc

S. Hil. c. 28. in Matt. S. Leo serm. 40. nunc passurum se admonet. *Ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent.* Per crucem scilicet ad gloriam pervenitur. *Certa atque secura est exspectatio beatitudinis, ubi est participatio dominicæ passionis.* De cruce sua ac passione loqui amat Jesus, & tranquillo sedatoque animo loquitur, ut crucem amare, Christi passionem jugiter meditari, de illa frequenter loqui discamus, ad ejus amorem in nostris ac proximorum cor-
Heb. 12. 2. dibus accendendum. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedet.* Præsertim vero Paschatis celebrationi crucis amor, & præparatio ad res quaslibet adversas tolerandas, quibus nos Deus probare voluerit, conjungi debent. Duo Paschata Christus conjungit, typicum & verum. *Scitis quia post biduum Pascha fiet* (inquit Apostolis) *& Filius hominis tradetur ut crucifigatur.* Non ait, Pascha veniet, ne legale Pascha dumtaxat his verbis designare videretur, sed Pascha fiet, verum scilicet ac novum, quod per ve-
1. Cor. 5. 7. Exod. 12. tus illud adumbratum est; de quo Apostolus scribit: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Post duos dies clarissimi luminis, veteris ac novi Testamenti, verum pro mundo Pascha celebratur. Pascha nominatur a transitu, eo quod Exterminator videns sanguinem in foribus Israelita-
S. Hier. in hunc locum rum, pertransierit, nec percusserit eos. *Transitus autem noster, id est Phase, ita celebratur, si terrena & Ægyptum dimittentes, ad cœlestia festinemus.* Quoties sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumimus, toties Pascha celebramus: sed ut digne celebremus, dare debemus operam ut Christo commoriamur & configamur in cruce, ut carnalis vitæ mortificatione in nobis impleatur quod Apostolus scribit: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Tradat nos amor Deo ut victimam, tradat veterem nostrum hominem crucifigendum; tradat sicut Deus Filium suum pro nobis tradidit. *Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.* Non dixit a quo tradendus esset, ut verbum illud ad omnes referatur qui eum tradituri erant. Sed omnes eodem proposito tradiderunt.
Origenes Tract. 35. in Matth. „ Deus enim tradidit eum propter misericordiam circa „ genus humanum, quod unico Filio suo non pepercit, „ sed pro nobis omnibus tradidit eum: Judas propter a„ varitiam; Sacerdotes propter invidiam; Diabolus pro„ pter timorem ne avelleretur de manu ejus genus hu„ manum per doctrinam ipsius; non advertens quoniam
Coloss. 2. 15. „ magis eripiendum erat per mortem ipsius. Traditus est „ enim ad crucifigendum, ut exuens principatus & pote„ states, de illis triumphet in ligno. „

2. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, &c. & concilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Consilium istud confirmatio fuit alterius præcedentis, quod S. Joannes commemorat cap. 11. Evangelii sui, vers. 46. & 47. *Collegerunt* (inquit) *Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Prudentia carnis huic tenebrarum consilio præsidebat, sed adversus se ipsam agebat incauta. Mala scilicet quæ vitare volebant Judaici Sacerdotes & Magistratus, in caput ipsi suum
Ps. 9. 16. ac perfidæ gentis arcessebant. Sic *infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Quam multi etiamnum, adversus Jesum consilium faciunt ut eum dolo teneant, & occidant! 1. Hæretici, qui verborum fallaciis homines decipiunt, *Interfectores veritatis*, (ut loquitur Tertullianus.) 2. Catholici, etiam Sacerdotes, qui adversus Doctores & Prædicatores Moralis Evangelicæ, adversus Ecclesiasticæ Disciplinæ vindices, adversus impugnatores indulgentiorum & meliorum opinionum, quæ animis interficiunt, & viam salutis dilatant, quam angustam & arctam Christus esse docuit, persecutiones movent, calu-
Ps. 49. 19. Rom. 2. 28. mniis ipsos vexantes, crucem illis figentes: quibus illud Prophetæ convenit: *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Hi Christum tradunt religionis specie, dolo tenere volunt, *Veritatem in injustitia detinentes*, dum impedire conantur malis artibus ne libere doceatur & prædicetur: Christum occidunt in ejus Ministris, quos lin-
Optatus Milevit. guæ gladio jugulant, *Fundentes sanguinem non corporis, sed honoris.* 3. Concilium faciunt adversus Jesum, ut illum occidant, & rursus crucifigant in semetipsis, quicumque mali Christiani, sed illi præsertim dolo agunt in Jesum, qui Religionem suis utilitatibus & cupiditatibus servire facientes, opportunitate data leges Dei sacratissimas violare non verentur: si quando vero manus cohibent a pravo opere, dum intus iniquitas vivit in mente, non abstinent nisi humano timore, infamiæ metu, timore pœnæ, non amore justitiæ; ut Sacerdotes & Senatores Judæi, qui solo metu popularis tumultus occisionem Christi
S. Leo ser. 56. de Pass. Dom. 7. post Paschale tempus differre decreverant. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* „ Incipiente Fe„ stivitate Paschali, qui ornare Templum, mundare vasa,

„ victimas providere, & legitimis purificationibus sacra„ tiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidialis „ odii furore concepto, ad unum opus vacant, & in u„ num facinus simili crudelitate conjurant. Quid assecu„ turi supplicio innocentiæ, condemnatione justitiæ, nisi „ ut & nova mysteria non apprehenderent, & antiqua „ violarent? Providentibus ergo Principibus ne in die „ sancto tumultus oriretur, non devotioni, sed facinori „ studebatur: nec religioni serviebat hæc cura, sed cri„ mini. Diligentes enim Pontifices & solliciti Sacerdotes, „ seditiones turbarum fieri in præcipua solemnitate me„ tuebant, non ut populus non peccaret, sed ne Chri„ stus evaderet. „

3. *Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem Discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Laudabilis profusio, quam pietas & charitas in Dei honorem, cultumque imperat. Illa tantum perduntur, quæ cupiditas aut vanitas effundunt. Christus Jesus paupertatis amator, a luxu & deliciis prorsus abhorrens, effusionem unguenti pretiosi a pia muliere factam super caput suum, honoris & reverentiæ causa, gratam habet, magnumque mysterium bono illo opere significat ad eruditionem nostram. „ In omnibus *quippe* talibus re- *S. Aug. l. 3.*
„ bus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. *de Doctrin.*
„ Neque ullo modo quisquam sobrius crediderit, Domini *Christ. c. 12.*
„ pedes ita unguento pretioso a muliere perfusos, ut lu„ xuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia „ convivia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, „ quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum ve„ stigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odo„ re perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque fla„ gitium est, in Divina vel Prophetica persona magnæ „ cujusdam rei signum est. „ Ecclesiæ typum hæc mulier gerebat. Unguentum illud figura erat boni odoris Domini, de quo Apostolus dicit: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Unguentum super caput Jesu effudit. *Caput* *2. Cor. 2. 15.*
Christi Deus est. Unguentum boni operis fructus est. Un- *S. Augustl.*
guentum propter corporis curam mulierum sexui maxime *Præfat. in*
gratum est. Igitur unguentum super Christi caput ille ef- *Psal. 121.*
fundit, qui *Omnem corporis sui, & totum pretiose mentis affectum in honorem Dei laudemque transfundit.* Maria Christi caput unxit, & pedes, capillisque suis extersit, capillitii curam immodicam & criminosam, & unguentorum abusum, quæ ad luxum adhibuerat, sumptibus non parcens ut hominibus placeret, ad peccatorum expiationem, Christique cultum convertens. *Quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat... Quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Conver-* *S. Hil. c. 29. in Matth.*
tit ad virtutum numerum, numerum criminum: ut totum *S. Greg. M.*
Deo serviret in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat *hom. 13. in*
in culpa. Hinc edocemur, ut pœnitentia nostra Deo gra- *Evang.*
ta sit, nobisque fructuosa, implendum esse quod Apostolus monet: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immun-* *Rom. 6. 19.*
ditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Visibile sacrificium invisibilis sacrificii signum est: unguenti pretiosi effusio super caput Jesu, signum est effusionis cordis co- *Ps. 61. 4.*
ram illo per amorem & orationem. *Effundite coram illo corda vestra.* Pretiosum certe unguentum charitas est, quæ sola bonis operibus pretium & meritum omne confert.

4. *Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum,* *S. Ber. ser.*
ad sepeliendum me fecit. Mariæ defensor est ac patronus *de fragmentis ser-*
adversus Judæ murmurationem, qui fidei, charitatis, & *mentis se-*
pietatis illius & judex est & testis. *Quis accusavit Ma-* *ptem mise-*
riam, & pro se eam oportuit respondere? Si Pharisæus *ricordiarum.*
murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli, Maria tacet; Christus excusat, etiam & laudat tacentem. Ille vere probatus est, quem Deus commendat. Bonum opus Mariæ prædicat; fidem laudat ac pietatem, qua sepulturam ejus prævenit impulsu Spiritus sancti; gloriam illi ac laudem decernit tamdiu duraturam, quamdiu prædicabitur Evangelium. Vere monumentum ære perennius, quod non tempus edax, non Aquilo impotens possit subruere. *Sic honorabitur quemcumque Rex* Christus *voluerit honorare.* Impleta Christi prædictio & *Esther. 6.*
promissio est. *Ubicumque prædicatur Evangelium in toto* *S. Jo. Chr.*
mundo, dicitur & quod hæc fecit in memoriam ejus. Et *hom. 81. in*
regum quidem multorum & ducum victoriæ silentur: & *Matth.*
multi qui civitates condiderunt, & gentes multas impe- rio suo subjecerunt, ne ex nomine quidem sunt cogniti. Quia autem hæc mulier oleum effudit super caput Jesu in domo Leprosi cujusdam, duodecim viris præsentibus, hoc omnes prædicant per orbem terrarum. Tempus tantum elapsum est, & memoria operis ejus non est abolita, nec porro unquam abolebitur. Piæ mulieris devotionem *Origenes*
& charitatem imitemur. Ungamus Domini caput, unga- *Tract. 35.*
mus & pedes. Opera bona quæ ad Dei gloriam dumtaxat *in Matth.*

prosunt, ut orationes, jejunia, castitas, & actus imprimis fidei, spei, charitatis, religionis; adoratio Christi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & quæcumque ad Dei cultum pertinent, tam interiorem, quam exteriorem, unguenta sunt pretiosa, quibus Domini caput perfundimus, quorum odore tota repletur Ecclesia. Sic ungere caput Christi, perfectorum est: aut ad perfectionem tendentium. Opera bona quæ ad hominum utilitatem propter Deum fiunt, ut eleemosynæ, & alia misericordiæ opera, unguenta pretiosa sunt, quibus Domini pedes ungimus. Pauperes enim & quicumque indigent opis nostræ, sunt Domini pedes. Et hæc pedum unctio propria est pœnitentium, qui eleemosynis aliisque misericordiæ operibus peccata sua redimere satagunt. *Peccator ad pedes, justus ad caput.*

S. Ambr. l. 6. in Lucam.

Christiani bono odore sanctitatis & operum suo nomini suæque professioni convenientium, Christi caput perfundere debent, ipsique pretiosi hujus unguenti nardi pistici, fidei scilicet per charitatem operantis fragrantia redolere, illudque adhibere non ad sepulturam Jesu, qui post Resurrectionem suam jam non moritur, sed ad carnalium affectuum suorum & cupiditatum, veterisque hominis sepulturam, ut novus tantum homo in eis vivat. „ Spirat odor, redolet unguentum in corpore, si „ quis possit (atque utinam ego possim!) confidenter lo- „ qui, Mihi crucifixus est mundus: non amanti divitias, „ non amanti honores sæculi: non amanti quæ sua sunt, „ sed quæ Jesu Christi; non amanti quæ videntur, sed „ quæ non videntur; non cupido vitæ, sed ei qui festinat dissolvi, & cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, & sequi Christum, „ ut & nos commoriamur, & consepeliamur cum eo, ut „ unguentum quod ea mulier in sepulturam ejus misit, „ olere possimus. „

S. Amb. l. 6. in Lucam

5. Quid molesti estis huic mulieri? .... Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. „ Semper tecum pauperem habes, & ideo bene fac. Num „ igitur differre pauperem debes, quia tecum semper est, „ cum tibi Propheta dicat: *Ne dixeris pauperi .... Cras dabo?* Sed ille de sola misericordia locutus est: hic autem misericordiæ fidem prætulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. *Mittens enim unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Non ergo unguentum Dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probavit. Et tu „ si desideras gratiam, charitatem auge: mitte in corpus Jesu fidem Resurrectionis, odorem Ecclesiæ, communis charitatis unguentum; & ita progrediens pauperi dabis. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tamquam affluentem tribuas, sed tamquam profuturam „ Christi nomine largiaris: si ita eam conferas pauperi, „ ut deferas Christo. „ Pauperes sibi substituit Christus e mundo discedens, tamquam visibilis præsentiæ suæ ad excipienda nostræ charitatis officia vicarios. *Tibi derelictus est pauper*, ut in ipso benefacias Salvatori tuo. *Tibi pauper relictus est, ut Deo .... Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Pro tot tibi collatis beneficiis, Christo in ejus membris subveni, cibum præbe, detritum pannum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percunctare, ad patientiam hortare. Ne experiri velis Deum adversus eos qui cervicem attollunt, ac pauperes prætereunt, manus extendentem. Egenti parvum aliquid tribue. Neque enim parvum est ei qui omnibus rebus caret, imo ne ipsi quidem Deo, si viribus par sit. Summi muneris loco animi promptitudinem dona: si nihil habes, illachrymare. Magnum calamitoso remedium est miseratio ex animo collata. Pauperes fratres nostri secundum Deum sunt, ex eodem luto compacti, ex quo primum creati sumus, qui divinam imaginem perinde ac nos acceperunt, & melius fortasse, quam nos, tuentur atque conservant, qui eumdem Christum secundum internum hominem induerunt, atque idem Spiritus pignus fidei suæ commissum habent; qui earumdem nobiscum legum participes facti sunt, eorumdem oraculorum, testamentorum, conventuum, mysteriorum ejusdem spei, pro quibus Christus æque mortem oblit: qui cœlestis vitæ cohæredes sunt, qui cum Christo sepeliuntur, ac cum eo ad vitam redeunt; siquidem compatiuntur, ut & conglorificentur. Quid autem nos, qui Christi discipuli sumus, mitis & benigni, qui infirmitates nostras portavit, qui propter nos carnis hujus atque terreni tabernaculi paupertatem subiit; & nostra causa doloribus & languoribus versatus est, ut nos Divinitatis opes consequamur? Quid nos, inquam, qui tantum misericordiæ exemplum accepimus? An pauperes contemnemus? An præteribimus? Duorum alterum faciendum est, ut vel omnia propter Christum deponamus, quo vere atque sincere sublata humeris cruce ipsum sequamur, ac leves & expediti, nec ab ulla re in diversum tracti, ad supernum Mundum convolemus, Christumque loco rerum omnium lucremur, propter humilitatem elati, propter egestatem locupletati: vel certe cum Christo opes nostras partiamur, ut ipsæ honeste possessæ, & cum pauperibus communicatæ sanctitate quadam imbuantur. *Pauperes*

S. Greg. Nazianz. Orat 7. de pauperum amore.

semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis: Non habetis visibiliter conviventem & conversantem vobiscum; sed in pauperibus habetis, ut mihi in illis egenti subveniatis. Christum igitur alamus, Christum induamus, Christum colligamus, Christum honoremus non mensa solum, ut quidam, nec unguentis, ut Maria; nec sepulchro dumtaxat, ut Joseph Arimathæus; nec rebus tantum ad sepulturam accommodatis, ut ille dimidia tantum ex parte Christum amans Nicodemus; nec denique auro, thure, & myrrha, ut Magi ante eos omnes: sed quoniam omnium Dominus Misericordiam vult, non sacrificium, hanc per pauperes ipsi conferamus; ut cum hinc excesserimus, in æterna tabernacula nos recipiant.

6. *Pauperes semper habetis vobiscum, &c.* Quid tam aptum fidei, quid tam conveniens pietati, quam egentium juvare paupertatem, infirmiorum curam recipere, fraternis necessitatibus subvenire, & conditionis propriæ in aliorum labore meminisse? In quo opere quantum quis possit, quantumque non possit, solus veraciter ille discernit, qui novit quid quibusque contulerit. „ Non solum „ enim spirituales opes & dona cœlestia Deo donante ca- „ piuntur, sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex „ ipsius largitate proveniunt, ut merito rationem eorum „ quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, „ quam dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei juste & sapienter utendum est, ne materia boni operis „ fiat causa peccati. Nam divitiæ, quod ad ipsas species „ earum atque substantias pertinet, bonæ sunt, & humanæ societati plurimum prosunt, cum a benevolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut „ avarus abstrudit, ut tam pereant male conditæ, quam „ insipienter expensæ. Quamvis autem laudabile sit intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna „ vitare, multique magnifice facultates suas dedignentur „ occulere; & in copia affluentes vilem atque sordentem horreant parcitatem: non est tamen talium aut „ felix abundantia, aut probanda frugalitas, si ipsis tantum propriæ opes serviunt; si eorum bonis nulli juvantur pauperes, nulli foventur infirmi; si de magnarum „ abundantia facultatum, non captivus redemptionem, „ non peregrinus solatium, non exul sentit auxilium. „ Hujusmodi divites egentiores sunt omnibus egenis. Perdunt enim illos redditus, quos possunt habere perpetuos: & dum brevi, nec semper libero incubant usui, „ nullo justitiæ cibo, nulla misericordiæ suavitate pascuntur: foris splendidi, intus obscuri; abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant, qui de iis, quæ „ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt. „

S. Leo ser. 92.

7. *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me.* Mariam imitemur, non curemus hominum contra nos calumnias & murmurationes; non vereamur Mundi judicia, cum Christo servimus, & pietatis atque charitatis opera exercemus: humano timore ab illis ne abducamur. Sufficiat nobis testimonium conscientiæ nostræ, Deique intuitus, qui nos judicat & defendit. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? ... Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Rom. 9. 31. 33. 34.

8. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.* Abiit unus ex duodecim, *Numero, non merito; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis socius unitate.* Hinc discimus in omni professione necesse esse pati fictos & malos, siquidem Christus traditorem in familia sua, in Apostolorum suorum collegio toleravit. *Merito de arca missus est corvus, & non est reversus: missa est columba, & reversa est: illas duas aves misit Noe. Habebat ibi corvum, habebat & columbam, utrumque hoc genus arca illa continebat: & si Arca figurabat Ecclesiam, videtis utique quia necesse est ut in isto diluvio sæculi utrumque genus contineat Ecclesia, & corvum & columbam. Qui sunt corvi? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Christi sunt, quærunt.* Corvus ergo Judas. *Explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris*, quia sua adeo quæsivit, ut vili pretio Dominum venderet. *Quid vultis mihi dare? Et ego vobis eum tradam.* Certam summam non postulat: *sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare.* At illi constituerunt ei triginta argenteos. *Joseph* Patriarchæ fratres invidia & odio in illum perciti, vendiderunt illum Ismaelitis negotiatoribus *viginti argenteis*: Judas Jesum Judæis vendidit triginta argenteis: *Neque enim pretiosior poterat esse servus, quam Dominus.* Ad omne nefas impellit avaritia *& cupiditas, radix omnium malorum.* Nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus istius aviditatis est morbus. *Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire*

S. Aug. Tr. 61. in Joan.

Idem Tract. 6. in Joan.

Idem Tract. 55.

S. Hier. in hunc locum Gen. 27. 28.

S. Hier. in hunc locum 1. Tim. 6. 10. S. Leo serm. 68.

non

non metuit: nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, ubi avaritia sibi fixit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum: & tam stulte impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum venderet & Magistrum. Et exinde quærebat opportunitatem ut Jesum traderet. Vix crimen corde conceptum imperfectum manet. Consummandi peccati occasio vix deest quærentibus: Hanc Diabolus mundusque
Jacobi 1. 13. ultro offerunt. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem.* Qui cum mundo pacisci tur, ejusque munera quærit, ac promissis movetur, conscientiam suam oppigneravit, salutem suam vendidit.

9. *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim Discipulis suis.* Christiani Paschatis celebratio sive Corporis & Sanguinis Christi receptio, quod Pascha nostrum est, sedulam præparationem postulat. Ad Christum accedendum est, non gressibus corporis, sed affectibus mentis. Per fidei, spei, & charitatis actus conveniendus est. Exquirenda humiliter ejus voluntas, & obedienter implenda. *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.* Parandum & comedendum est in Ecclesia, in Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, in quam ascenderunt tribus Domini ad confitendum nomini Domini. *Ite in civitatem.* Domum in qua Pascha parari debet, ostendit homo lagenam aquæ portans. Hujus mysterii conscius & particeps esse non potest, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, de cujus ventre fluxerint aquæ vivæ, Spiritum sanctum significantes. Domus quæ parari debet ad faciendum Pascha, uniuscujusque Christiani animus & corpus est, ut cor & caro ejus exultent in Deum vivum. Cœnaculum grande postulat cor dilatatum charitate: cor enim latum charitas, angustum cupiditas facit. Cœnaculum stratum & ornatum, animum & corpus ab omni inquinamento mundum, utrumque congrue dispositum, virtutum apparatu, continentiæ ornamento. Discipulus Jesu esse debet, in ejus doctrina & fide institutus, illum relictis omnibus sequens, quocumque ierit, ut Pascha cum illo manducare dignus sit: verbis ejus credere, in ejus promissis sperare, ejus mandata diligere. Agnum sine macula, Christum, qui tollit peccata mundi pro nobis occisum, nunc viventem, & numquam amplius morituram, in sacrificio tamen incruento a Sacerdotibus oblatum & immolatum comedere debemus cum azymis, pura conscientia, absque fermento malitiæ & nequitiæ, absque fictione & hypocrisi. *Expurgate vetus fermentum,*
1. *Cor.* 5. 7. (inquit Apostolus) *ut sitis nova conspersio, sicut estis*
& 8. *azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.*
2. *Cor.* 1. 12. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & ve-*
S. Gregor. M. Hom. 22. *in Evang.* *ritatis.* Ad Mensam Eucharisticam accedere debemus *in simplicitate cordis, & sinceritate Dei.* Ad id significandum, panis azymus adhibetur ad Eucharistiæ consecrationem. Agnus ex Legis præscripto comedebatur cum lactucis agrestibus, & panibus azymis. *Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet: ne perverse diripiat, quod quasi recte dispensat. Hoc peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus Propheticæ voce per increpationem Dominus*
Amos 4. *dicebat*: Venite ad Bethel, & impie agite .... & sacrificate de fermentato laudem. „ De fermentato namque laudem Deo immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactucæ vero agrestes valde amaræ sunt. „ Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ: ut cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro „ peccatis nostris in fletibus affligamus; quatenus ipsa „ amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho per„ versæ humorem vitæ. " Comedendus erat agnus renibus accinctis. Qui Pascha comedit, habere renes accinctos debet: *Ut qui solemnitatem Resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat.* Comedendus erat agnus cum calceamentis in pedibus, cum baculo in manu, festinanter, tamquam ab hominibus accinctis ad iter, moxque ex Ægypto discessuris ad Terram promissam! Eucharistia sumenda est a Christianis, qui se peregrinos & hospites super terram esse meminerint, non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere, qui cum Christo dicant: *Tempus meum prope est.* Qui Christi Corpus manducent, ut ad terram promissam, ad terram viventium migraturi, qui ad sacram Communionem accedant cum præparatione tam accurata, tam sedula, ac si ultima Communio esset, ac si *Viatici ultimi* nomine perciperetur. *Festinantes Pascha comedite, id est, ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelate. Nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat.* Denique *vespere facto*, quia *Fidei mysterium est*, discumbere debemus cum Jesu, qui *Ipse convivia & convivium, ipse comedens & qui comeditur.* Caput enim & membra unus est Christus. Ad terribilem Mensam cum debita reverentia, cum congrua vigilantia accedamus. Nullus ibi Judas reperiatur, nullus malignus accedat, nec insidiæ mente condantur. Nullus fictus ac- *S. Hieron. Epist.* 150. *Quæst.* 2.
cedat, nullus fucato animo. Pura sit mens, pura cogitatio, quia & sacrificium purum est.

10. *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est: Et contristati valde, cœperunt singuli dicere; Numquid ego sum Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet,* &c. Notam sibi Proditoris sui conscientiam Dominus demonstravit: „ Non aspera nec aperta eum in- *S. Joan. Chrys. Hom. de Proditione Judæ. S. Leo serm* 56.
„ crepatione confundens, sed leni ac tacita admonitione „ conveniens: ut facilius corrigeret pœnitudo, quem nul„ la deformasset abjectio. Cur, infelix Juda, tanta beni„ gnitate non uteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus, „ & nulli te, nisi tibi, indicat Christus: nec nomen „ tuum, nec persona detegitur. Sed veritatis & miseri„ cordiæ verbo cordis tantum tui arcana tanguntur. „ Non Apostolici ordinis honor, non sacramentorum ti„ bi communio denegatur. Redi in integrum, & deposi„ to furore resipisce. Clementia invitat, salus pulsat, „ ad vitam te vita revocat. Ecce immaculati & inno„ centes condiscipuli tui ad significationem facinoris ex„ pavescunt, & omnes sibi, non edito impietatis auctore, „ formidant. Contristati enim sunt non de conscientiæ rea„ tu, sed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne „ minus verum esset quod in se quisque noverat, quam „ quod ipsa Veritas prævidebat. Tu autem in hac trepi„ datione Sanctorum, abuteris Domini patientia, & ab„ scondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sce„ leri, nec signo evidentiore terreris. Cumque se a ci„ bo alii, in quo judicium Dominus posuerat, contine„ rent: tu manum non retrahis a paropside, quia ani„ mam non avertis a crimine. " Christi exemplo doce- *S. August. Enarrat. in Psalm.* 34. *serm.* 1.
mur, peccatores occultos tolerandos esse, eorum correctionem ita procurandam, si forte ad pœnitentiam adduci possint, ut eorum nomini famæque parcatur. „ Ille
„ videbat Traditorem suum, & elegit illum magis ad „ opus necessarium. Illius malo magnum bonum opera„ tus est: & tamen inter duodecim electus est, ne ipse „ duodenarius tam exiguus numerus esset sine malo. Hoc „ ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat „ ut inter malos viveremus: necesse erat ut malos, sive „ scientes, sive nescientes toleraremus: exemplum patien„ tiæ præbuit, ne deficias, cum cæperis inter malos „ vivere. " A divino illo patientiæ exemplari quam longe absumus, qui malos non solum tolerare nolumus, cum ipsi qui mali forte sumus, tolerari velimus; non solum peccatores occultos non corripimus in spiritu lenitatis, nosmetipsos considerantes, ne & ipsi tentemur: sed cum lateat nos aliena conscientia, de his qui forte boni & justi sunt, plerumque male judicamus & loquimur. Alienæ famæ detrahimus, non opera dumtaxat, (quamvis media sint, & binas (ut dicitur) ansas habeant; dextram, secundum quam bona & laudabilia videri; sinistram, secundum quam mala & vituperatione digna censeri possunt) sed intentionem ipsam damnantes. Si charitas Christi regnaret in cordibus nostris, omnia qua fieri potest, in partem interpretaremur benigniorem; intentionem saltem excusaremus, cum opus non possumus. Charitas enim benigna non tantum virtutes amat, sed & simulacra virtutum; & si quid in modo agendi vitii est, condonat agentis affectui. Si vero tale sit opus, quod nec excusari per se possit, quia ex genere suo malum est; nec recta intentione factum præsumi possit; infirmitati humanæ condolendum est, ingemiscendum: orandum, non insultandum peccatoribus. Immo trepidare debemus, ne in similia vel graviora prolabamur peccata, Deo deserente. Quis non timeat, cum Apostolum in avaritiæ laqueum incidisse audit, ex avaritia in proditionis voluntatem, ex proditionis voluntate in sacrilegium, ex sacrilegio in ipsum opus traditionis Magistri, Domini, benefactoris, & Dei sui, ex traditione in desperationem? Noverant undecim Apostoli quam alieni essent a Magistri proditione, se nihil tale cogitare noverant; conscientiæ testimonium, horror sceleris ipsorum perturbationem sedare posse videbatur: timent nihilominus, & *pertimescentes fragilitatem suam*, Christum tristes interrogant, *Numquid ego sum Domine?* Et nos timeamus, cum alios in gravia pec- *S. Hieron.*
cata labi videmus: timeamus (inquam) ne forte peccatum in corde nostro lateat, tametsi nobis nihil conscii simus. Timeamus casum, tentationibus expositi, in periculis amittendi Dei nostri constituti; thesaurum gratiæ (si forte habeamus) *in vasis fictilibus* portantes. *Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector a quo factus est homo.* *S. Aug. ser.* 99. *alias* 23 *ex Hom.* 50

11. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Davidis vaticinium impletum est: *Homo pacis meæ* *Psal.* 40. 10
in quo

in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Non minoris sceleris rei sunt quicumque Christi corpus in Eucharistia indigne suscipiunt. Judas sacrorum Mysteriorum particeps fuerat; illum Jesus a communione corporis & sanguinis sui non removerat, ut ostenderetur nulla injuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate præscitus. Ipse enim sibi materia fuit ruinæ, & causa perfidiæ sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem. Ceteri Apostoli *Manducabant panem Dominum*: *Ille panem Domini contra Dominum*: *illi vitam*; *ille pœnam*. Quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indigne, judicium sibi manducat & bibit: & Reus erit Corporis & Sanguinis Domini. „ De his erat sermo, cum „ hoc Apostolus diceret, qui Domini Corpus velut alium cibum quemlibet indiscrete negligenterque sumebant. Hic ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc „ est, non discernit a cæteris cibis Dominicum corpus; „ quomodo damnatur qui ad ejus mensam fingens amicum accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, qua pœna percutitur venditor „ invitantis? " Per buccellam tinctam atque porrectam Christus suum indicat proditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem. Buccella in paropside jusculo tincta Corpus Christi non erat, quod antea Judæ cum reliquis Apostolis distribuerat: sed Judæ hypocrisim & ingrati animi vitium arguebat. *Quid erat panis Traditori datus, nisi demonstratio cui gratiæ fuerat ingratus?* Post buccellam autem introivit in eum Satanas, ut S. Joannes commemorat; non quia malum accepit: (Non enim buccella dominica venenum fuit Judæ, sed quia bonum male malus accepit. Et cum accepisset buccellam, exivit continuo, proditionis opus consummaturus. *Ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur*. Ingrediebatur Judas exploraturus Salvatorem, ut videret quid ageret, quidve loqueretur; ut eum caperet in sermone, & Judæis nuntiaret: sed nihil inveniebat, qui nihil intelligebat. Bene ait Scriptura, Quia intus cum Jesu non erat, qui de doctrina ejus recesserat, & institutiones ejus reliquerat. Volebat intrare, sed penetrare non poterat; quia eum sua excludebat perfidia. *Omnis enim impudicus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei*. Non solum ergo ingredi moliebatur, & non ingrediebatur; sed etiam volebat videre, & non videbat. Loquebatur Jesus in parabolis, sed non audiebat Judas. Denique divina non videbat Mysteria; non enim omnes audiunt verbum, qui sibi videntur audire. Nam si omnes audirent, non diceret Jesus: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Et ideo quia non audiebat, neque videre poterat, loquebatur vana pro veris, & putabat quod Jesum falleret. Doctorem appellabat, a cujus magisterio deviabat. Cor ejus sibi congregabat & augebat iniquitates. Sibi enim erat injustus, sibi iniquus, sibi delinquebat, qui intra se dolum meditabatur, qui latere non poterat. Non enim circumveniebatur Jesus, qui prodebatur volens, & testificabatur: *Unus ex vobis me tradet*. Denique cum Dominum & ipse interrogasset, *Numquid ego sum, Rabbi?* & respondisset Dominus, *Tu dixisti*: Judas cæcus & in peccatis suis obduratus non intellexit quod Jesus illius crimen agnosceret, illius conscientiam perspectam haberet: sed nihilominus *Egrediebatur foras & loquebatur*. Foris lupi, foris prædones: intus Moyses in nube cum Jesu, foris Judæi: intus Zacharias Sacerdos in Templo, foris multitudo: intus Spiritus sanctus in cordibus nostris clamat ad Patrem, foris adversarius noster sicut leo pervigilat ad rapinam: foris infideles, intus fideles. Et ideo eos qui foris sunt, judicabit Deus; reos autem qui intus sunt, Christus absolvit. Egrediebatur itaque Judas, & loquebatur. „ Egrediebatur de fide: egrediebatur de concilio & numero Apostolorum: egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli: egrediebatur de gratia sanctificationis „ ad laqueum mortis, qui vana ad perfidos loquebatur: „ egrediebatur foras, qui vitæ internæ mysteria relinquebat, egrediebatur foras, qui Scripturæ anteriora non „ noverat. " Non manebat ergo cum Apostolis proditor Judas, qui foras exibat, & cum perfidis susurrabat. *Homo pacis meæ*, cui pacem meam dederam, cui pacem meam relinquere volueram, persecutoribus me tradidit, & fallere me voluit, *in quo speravi*. Speravit se dicit Christus, quod membra ejus sperabant. Sperare enim licebat, ut qui sanctificandi alios munus acceperat, ipse in se sanctitatis gratiam custodiret, & sinceritatis inhæreret officiis. *Qui edebat panes meos*, qui verbi cœlestis alimoniam sumebat, qui Corpus meum manducavit & Sanguinem bibit; qui in familia mea, ad mensam meam alebatur, levavit contra me calcaneum suum, *magnificavit contra me supplantationem*. Qui supplantat, dolum facit, quo adversarium elidit aut vulnerat. Ideo & Judas supplantasse dicitur, quia osculo suo vulnus infixit, quo invadendi Salvatoris signum persecutoribus demonstravit. Supplantavit ergo quasi serpens; quia serpens suo ore venenum infundit, & vulnerat dente calcaneum. Judam imitantur mali Sacerdotes, quotquot Christi Corpus indigne offerunt & sumunt, vel peccatoribus non vere pœnitentibus tradunt: aut illos in peccatis suis fovent negligentia, ignorantia, ignavia, cupiditate, adulatione. *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*.

S. Aug. Tract. 59. in Joann. — *2. Cor. 11. 27.* — *S. Aug. Tract. 59. in Joann.* — *Psalm. 40.* — *S. Ambros. Enarrat. in Psalm. 40.*

12. *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi; Tu dixisti*. Perpende ineffabilem Christi in arguendo lenitatem. Non enim acriter, sed commiserando orationem profert quasi tenebris obductam. Et certe non superior solum vecordia, sed posterior impudentia omnem indignationem merebatur. Postquam enim ita reprehensus fuit, interrogavit dicens; *Numquid ego sum, Rabbi?* Quærit de his quorum sibi conscius erat. Nam & Evangelista ex admiratione impudentiæ illius hæc refert. Quid porro ad hæc mitissimus Jesus? *Tu dixisti*. Ita quamquam dicere potuisset: Scelerate, tanto tempore hoc malum parturiens, & nunc diabolicis factis conciliis, pecuniam ex pacto habiturus, audes a me reprehensus, quasi nullius tibi conscius criminis interrogare? Nihil tamen horum dicere voluit; sed, *Tu dixisti*. Ita nobis terminos ac regulas tolerantiæ & oblivionis injuriarum præscripsit.

S. Joan. Chrysost. Hom. 82. in Matth.

Qui Judæ cæcitatem & obdurationem audit, expavescat, & timeat ne & ipse in cæcitatem & obdurationem incidat merito priorum peccatorum; ac inprimis avaritiæ, & indignarum communionum. Quæris quid sit cor durum? Si non expavisti, tuum hoc est. „ Solum est „ cor durum, sed semetipsum non exhorret, quia nec „ sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. „ Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi „ quem forte miserans Deus abstulit ab eo, juxta Pro„ phetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid „ ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione „ scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, „ minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad bene„ ficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, in„ verecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhu„ manum ad humana, temerarium ad divina, præterito„ rum obliviscens, præsentia negligens, futura non pro„ videns. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas in„ jurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil „ non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum „ prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta hor„ ribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec De„ um timet, nec hominem reveretur. "

S. Bern. lib. 1. de Consideratione cap. 2.

13. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Sacramentum pietatis, vinculum unitatis, corporis & sanguinis sui sacrum mysterium Christus in illis rebus commendavit & instituit, quæ ad unum aliquid maxime rediguntur. Ex multis enim granis unus panis conficitur, & ex multis acinis vinum confluit. Id documento est, nos per divinam Eucharistiam unum cum Christo, unum etiam inter nos esse debere: Christo *consubstantiales & concorporales* fieri, *cum ipso commisceri*, & *reipsa unum fieri corpus, & unam carnem* (ut SS. Patres loquuntur.) Panem illum Angelorum, panem vivum qui de cœlo descendit, nos in substantiam nostram non mutare, sicut cibos carnis nostræ, sed in illum mutari, & cum illo unum fieri, sicut ipse unum est cum Patre, non morali tantum, sed naturali unitate, ut S. Hilarius docet. „ Si „ enim vere Verbum caro factum est, & vere nos Ver„ bum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non na„ turaliter manere in nobis existimandus est, qui & na„ turam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo na„ tus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æter„ nitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis ad„ miscuit? Ita enim unum sumus, quia in Christo Pater „ est, & Christus in nobis, unum in his esse nos faci„ ens . . . Hæc vitæ nostræ causa est, quod in nobis „ carnalibus manentem per carnem Christum habeamus: „ victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille „ per Patrem. " Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me.

S. Hilar. lib. 8. de Trinitate n. 13. & seq. — *Joan. 16.*

Sed & mutuæ inter nos unitatis Eucharistia ea ratione Sacramentum est. „ Unus panis, *inquit Apostolus*, u„ num corpus multi sumus, omnes qui de uno pane par„ ticipamus. *Hoc igitur divino Sacramento* populus no„ ster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana mul„ ta in unum collecta, & commolita, & commixta pa„ nem unum faciunt: sic in Christo, qui est panis cœ„ lestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit „ noster numerus & adunatus. *Hinc S. Augustinus*: Si „ bene accepistis, vos estis quod accepistis. Commenda„ tur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debea„ tis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? „ Nonne

1. Cor. 10. 17. — *S. Cypr. Ep. 63. ad Cæcilium. S. Aug. ser. 227. alias de Diversis 83.*

„ Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad „ panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta „ sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim mola„ tur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam „ formam minime venit quæ panis vocatur. Sic & vos „ ante jejunii humiliatione & Exorcismi sacramento qua„ si molebamini. Accessit baptismus & aqua; quasi con„ sparsi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed non„ dum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? „ Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus „ sancti est sacramentum . . . Inspirat enim charitatem „ qua ardeamus in Deum, & contemnamus mundum, „ & fœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum pur„ getur. Accedit ergo Spiritus sanctus, post aquam ignis: „ & efficimini panis, quod est Corpus Christi . . . Quo„ modo unum videtis esse quod factum est, sic unum esto„ te vos, diligendo vos, tenendo unam fidem, unam „ spem, individuam charitatem. "

Idem Ser. 229.

Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum, cujus Manna Israelitis in deserto datum figura fuit. Accipite munus salutis, pignus immortalitatis. Accipite supremum charitatis in vos meæ argumentum: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Accipite corpus quod pro vobis assumpsi, quod pro vobis offero & immolo; corpus a Spiritu sancto formatum, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis, corpus meum quod pro vobis mox tradetur, crucifigetur, morietur, & tertia die resurget. Accipite ut fideles Discipuli, munda conscientia: non ut Judas ille proditor, cujus cor occupavit satanas. Accipite id quo nihil majus ac pretiosius donare vobis possum, Corpus meum, Animam, Divinitatem, Me ipsum totum quantus sum. Accipite, & comedite, non in Sacramento tantum, quod & multi mali, *sed usque ad Spiritus participationem*, ut in meo corpore tanquam membra maneatis, ut meo Spiritu vegetemini. Comedite cibum qui non perit, panem qui vos alit in vitam æternam, comedite, *ut anima* vestra *de Deo saginetur*. Comedite cum fide, spe, charitate, cum fraterna concordia. *Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur, sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat corpori, vivat Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in cœlo*. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? ACCIPITE, ET COMEDITE. HOC EST CORPUS MEUM. *Quis Pastor umquam membris suis oves suas nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat*.

Joan. 13.

S. August. Tract. 27. in Joan. Tertull.

S. Aug. Tract. 26. in Evang. S. Joann.

S. Jo. Chrys. Hom. 83. in Matth.

14. *Et accipiens Calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus*, &c. Bibite pretium salutis vestræ, sanguinem quo Novum Testamentum sancitur. Bibite ex calice, de quo Dominus per Prophetam ait: *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis qualis vini sæcularis: „ *cum* Calix dominicus sic „ bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spi„ ritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari „ ad intellectum Dei unusquisque respiscat: & quemad„ modum vino isto communi mens solvitur, & anima „ relaxatur, & tristitia omnis deponitur; ita epoto San„ guine Domini, & poculo salutari, deponatur memoria „ veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ „ sæcularis, & mœstum pectus ac triste, quod prius pec„ catis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ læ„ titia resolvatur. " Christus Corpus & Sanguinem suum victimam fecit sacrificii nostri: nos vicissim victima ejus simus; sacrificium ejus sacrificio interioris & exterioris hominis honoremus: hominem interiorem Deo immolemus per adorationem, orationem, fidem, spem, charitatem, gratiarum actionem; hominem exteriorem immolemus per pœnitentiam, mortificationem, continentiam. *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus*. „ Non „ videtis quanta infantes animi alacritate mammillas ar„ ripiunt? qua pressione papillis infigunt labia? Non mi„ nori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hu„ jus calicis spiritalem accedamus papillam: immo vero „ majore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Spiritus „ sugamus: unus sit nobis dolor si hoc alimento spiritua„ li privamur. "

S. Jo. Chrys. Hom. 83. in Matth.

Bibite: Hic est enim sanguis meus. Bibite sanguinem meum, si ad Novum Testamentum pertinetis, in quo cœlestia & æterna, non temporalia & terrena bona promittuntur. Ad hanc mensam accedite, si vos ipsos probastis, si mundi estis. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. „ Nullus itaque Judas, nullus avarus ad„ sit. Qui Discipulus non est, secedat: qui tales non „ sunt, ab hac Mensa excluduntur. *Cum Discipulis*, in„ quit, *meis facio Pascha*. Hæc enim illa, non alia „ Mensa est; hæc nulla re minor quam illa est. Hoc „ est illud cœnaculum, ubi tunc Christus cum Discipu„ lis erat. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus: „ ibi enim Mons Olivarum est. Olivæ quippe in domo „ Dei plantatæ, multitudo pauperum est: hinc stillat il„ lud guttatim oleum, quo nobis opus erit, ut cum lam„ padibus ardentibus obviam Sponso progrediamur. Adeat „ nullus crudelis, nullus immisericors, nullus impurus... „ Multo dæmoniaco pejor est, qui peccati sibi conscius „ accedit: illi enim quoniam a dæmone vexantur, non „ puniuntur: qui vero indigne adeunt, æternis traden„ tur tormentis. "

S. Cypr. Ep. 63.

2. Cor. 11.

15. *Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei*. Communio Corporis & Sanguinis Christi, pignus est communionis cœlestis, qua pane & vino electorum, increata Veritate in æternum pascemur, sicut pascuntur Angeli. Sed Angelorum pane, ut in se est, hic ali non poteramus; necesse fuit ut quemadmodum mater cibum incarnat, & in lac convertit, ut nutriat infantem solidioribus cibis sumendis imparem; sic Increata Veritas, Deus Verbum carnem assumeret, panemque ac vinum in Corpus & Sanguinem suum converteret ad homines spiritaliter alendos, quorum pater, & mater, pædagogus & altor est. *Oportebat ut Mensa illa lactesceret, ut ad parvulos perveniret.* Eucharistia pignus est gloriosæ Resurrectionis, & beatæ immortalitatis. Unde S. Irenæus ex Eucharistiæ participatione Resurrectionem corporum contra Hæreticos probat. „ Quomodo, *inquit*, carnem negant capacem esse „ donationis Dei quæ est vita æterna, quæ sanguine & „ corpore Christi nutritur, & membrum est ejus? . . . „ Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fru„ ctificat tempore, & granum tritici decidens in terram „ & dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei qui „ continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum „ hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Eu„ charistia fiunt, quod est Corpus & Sanguis Christi: sic „ & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in terram, „ & resoluta in ea, resurgent suo tempore, Verbo Dei „ Resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris. "

S. August.

S. Irenæus lib. 5. cap. 11

16. *Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti*. Post Communionem gratiæ Deo agendæ sunt de tanto beneficio. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quid retribuam Deo pro se, qui *se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium?* Solido die Communionis in gratiarum actione manendum est. Gratiarum actio novam gratiam trahit. Sacramentum Altaris ab actione gratiarum nomen sumpsit, *Eucharistia*. Post Communionem Corporis Christi, a sæcularibus societatibus secedendum, orationi vacandum, operibus charitatis & misericordiæ incumbendum est, a ludis & deliciis sæcularibus abstinendum; sursum cor habendum ad Dominum; in spiritu gratiarum actionis manendum est. Deus nobis Caput dedit & Spiritum Deum; cibum his congruentem nobis dedit, Divinum: gratias igitur agamus Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto, diem Communionis transigamus in hymnis & canticis spiritualibus, Christum sequamur in Montem Olivarum, cum ipso vigilemus & oremus.

S. Thomas

17. *Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*, &c. *Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*. Plures Christum sequuntur, & Deo serviunt, sed usque ad tempus tentationis, qua urgente deficiunt: in pace leones, in bello cervi. Christum in gloria sequi volunt, illique adhærent lubenter, quandiu prospera sunt omnia; illum sequi nolunt patientem, illius Passione & Cruce offenduntur; *Verbum crucis illis stultitia est*, a Christo deficiunt in tribulationibus; nec attendunt quod ea demum conditione participes erimus gloriæ ipsius: *Si compatimur*: si crucem feramus, & *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*. Amicorum auxilium, præsentia, societas individua, compassio, supremum est infelicium & calamitosorum solatium. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur*. Hoc solatium Christo in passione sua defuit. *Ecce, non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me: Fratres mei prætenerunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus*. Denique *Discipuli omnes relicto eo fugerunt*. Hanc suorum desertionem patiendo, mundanarum amicitiarum abusus expiavit: Qui sunt illi abusus? Amicorum dilectio propter lucrum, propter privatum commodum, propter voluptatem, propter peccatum. Rectus usus, dilectio amicorum propter Deum, & ad salutem æternam. „ Quæ „ est vita æterna? Vera salus. Et si amicum tuum vide„ ris, quem amabas in hoc sæculo ut salvus esset, quia „ tu jam talem salutem desideras quæ æterna est, ad ip„ sam salutem diligis amicum tuum, & totum quicquid „ vis amico tuo præstare, ad hoc vis præstare, ut illam „ tecum teneat salutem. Amas enim justitiam, vis il„ lum esse justum. Amas sub Deo esse, vis illum esse sub „ Deo. Amas vitam æternam, illic eum vis tecum re„ gnare in æternum. Quomodo ergo amicus hujus sæculi

Act. 14. 22.

Proverb. 17. 17.

Job. 6. 13. 15 Mat. 26. 50.

S. Aug. serm. 385. alias 38. inter 50 Hom.

„ secun-

„ secundum sæculum amans animam suam, febrem vult „ expellere de amico suo, quem similiter amat ut se, „ propter præsentem salutem: sic tu quemcumque dili„ gis, propter vitam æternam dilige; cum inveneris „ iram, indignationem, odium, iniquitatem, sic coneris „ expellere morbum animæ, quomodo amicus sæculi mor„ bum corporis: ad hoc enim amas, ut facias quod & „ tu es: & erit in te perfecta charitas. "

Respondens autem Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, Quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Superbus omnia se posse præsumit, cum nihil possit: omnibus se præstare confidit, cum nulla in re præstet: omnia pollicetur, & nihil implet. Nihil homini se ipso ignotius est, nihil ipsi minus perspectum quam propria infirmitas & egestas. *Deus scit in nobis, & quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando a Domino quod ter esset negaturus audiebat, & æger se ignorabat, Medicus ægrum sciebat.* Petrus non noverat se, quando dixit Medico, TECUM SUM USQUE AD MORTEM; *Medicus noverat vena inspecta, quid intus ageretur in ægroto; ægrotus non noverat. Venit accessio tentationis, & probavit Medicus sententiam suam, perdidit æger præsumptionem suam.* Petri, non minus quam Davidis, vox illa est: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* „ Dixerat quippe & ipse in abundantia sua: „ *Animam meam pro te ponam*, sibi festinando tribuens, „ quod ei fuerat a Domino postea largiendum. *Avertit „ autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus*: ita ut eum mori pro illo metuens, ter negaret. „ Sed rursus convertit ad eum faciem suam Dominus, „ & culpam lachrymis diluit. Quid est enim aliud, *Respexit eum*, nisi faciem suam, quam paululum ab illo „ averterat, revocavit ad eum? " *Factus ergo fuerat conturbatus: sed quia didicit non de se ipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocatus erat, ut nemo posset eum eripere de manu Christi, cui datus erat.* „ Sic diligentibus Deum omnia co„ operantur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut si „ qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis „ faciat proficere in bonum, quia *Humiliores redeunt atque doctiores*. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tamquam „ de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in „ abundantia sua, Non movebitur in æternum. Propter „ quod eis dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus & pereatis de via justa.* Commonentur qui jam ambulant „ in via justa, ut non altum sapiant, sed timeant; non „ superbiant, sed humiles sint; exultent Deo, sed cum „ tremore, in nullo gloriantes, quando nostrum nihil sit; „ ut qui gloriatur, in Domino glorietur, ne pereant de „ via justa, in qua ambulare cœperunt, dum sibi hoc „ ipsum assignant quod in ea sunt. "

18. *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hic, & vigilate mecum.* Jesus in tristitiæ suæ societatem vocat, quos magis diligit. Extremam tristitiam pro peccatis nostris subit, ut vana gaudia expiet, quibus Deum offendimus; ut dolorem & contritionem, qua pro delictis nostris deberemus compungi, in se ipso experiatur. Pro nobis tristis est Jesus usque ad mortem: & nos propter ipsum sæculi voluptatibus & gaudiis privari nolumus. Quicquid nobis triste contigerit, propter ipsum bono animo subeamus, illum oremus ut mœrores nostros, tædia, cruces interiores, extremæ quam passus est propter nos tristitiæ merito sanctificet; ut nobis *tristitiam* donet, quæ *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; summum horrorem odiumque peccati, summum amorem Dei, amorem pœnitentem, quo cum illo vigilemus & perseveremus. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nusquam magis Christi Jesu pietatem majestatemque demiror, quam cum ipsum pavere, tædere, usque ad mortem contristari audio: „ Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit „ quod doleret: & sequestrata delectatione Divinitatis „ æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim „ tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur: „ & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, „ ut nos suis vestigiis evocaret ad vitam. Confidenter „ ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico; neque „ enim speciem Incarnationis suscepit, sed veritatem, „ Debuit ergo & dolorem suscipere, ut vinceret tristi„ tiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudi„ nis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam „ dolorem. Virum dolorum (*inquit Propheta*) & scien„ tem infirmitatem. Vere languores nostros ipse tulit, „ & dolores nostros ipse portavit. DOLES ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, „ sed nostram infirmitatem: & nos æstimavimus te esse „ in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me dole„ res . . . Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui „ pro uno flevit? Et quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? „ Sed & ibi piæ sororis lachrymis commovetur; quia „ mentem humanam tangebant: & hic alto operatur affectu; ut quia in carne sua peccata nostra perimebat, „ mœrorem quoque animæ nostræ suæ animæ mœror „ aboleret. Et fortasse ideo tristis est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc sæculo recedendum, ut mori esset necesse: *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, & ideo faltidit quod ipse non fecit . . . Tristis videbatur, & tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit, Scriptura declarat: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi „ dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis „ erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit: *Transfer hunc „ calicem a me*, non quia Dei Filius mortem timebat, „ sed quia vel malos perire nolebat. Denique ait: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, ut Passio sua esset „ omnibus salutaris. "

Tristis est anima mea usque ad mortem. „ Vox capitis „ nostri, vox nostra. In illo enim eramus, quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Non enim „ timebat mori, qui venerat mori; aut recusabat mori, „ qui potestatem habebat animam suam ponendi, & iterum sumendi eam: sed loquebantur membra in capite, „ & loquebatur caput pro membris. *Christus* pœnitentiam in semetipso dedicavit, *peccatis nostris oneratus.* „ Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. "

19. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Oratio Christi forma est orationum nostrarum, sicut tristitia ejus exemplar est pœnitentiæ nostræ. In agonia positus orat, cum opus redemptionis nostræ ab ipso proxime consummandum est, ut doceat nos operibus vitæ nostræ difficillimis, & quæ majoris sunt ad salutem æternam momenti, orationem præmittere debere, ut voluntatem Dei exquiramus, ut gratiam ejus ad optimam electionem, & ad facilem executionem nobis necessariam impetremus. Prolixius orat in agonia constitutus, ut ferventius ac perseverantius orandum doceat, cum violentius ac periculosius tentamur, aut acerbius affligimur. Prostratus in faciem orat, ut Deum orandum esse doceat summa cum reverentia, humilitate & timore filiali: unde & Patrem appellat. Orat ut voluntas Patris impleatur potius quam sua; ut voluntatem nostram divinæ semper conformandam, ac in omnibus subjiciendam esse discamus: nec rem ullam temporalem ab illo postulandam in oratione, nisi sub ejus beneplacito, & ea conditione ut ejus gloriæ, nostræque saluti sit conducibilis. A Discipulis avulsus & pusillum progressus orat, ut in secessu & solitudine orandum esse intelligamus. *Procidit in faciem suam orans.* Peccata enim nostra portabat, gravissimum onus. Gravia in centro non gravitant, ut loquuntur Philosophi. Grave non est peccatum in corde peccatoris, quia in centro ejus est. Bibit sicut aquam iniquitatem: sed peccata nostra Christo velut victimæ piaculari imposita, sunt extra centrum; ipse enim peccatum non fecit, sanctus est, innocens, impollutus. Ideo illi gravissima sunt; & oneris instar gravissimi in terram ipsum prosternunt. *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Pudeat nos irreverentiæ nostræ, elationis, & ignaviæ cum oramus. „ Orat Misericordia, & non orat „ miseria: orat Charitas, & non humiliatur iniquitas: „ prostratus in terra orat Medicus, & non humiliatur „ ægrotus. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Qui ut a se transeat rogat, non ut ipse pertranseat orat, sed ut in alterum id quod a se transit „ excedat. Numquid possibile erat non pati Christum? „ Atqui jam a constitutione Mundi sacramentum hoc „ in eo erat nostræ salutis ostensum. Numquid pati ipse „ nolebat? Atqui superius fundendum in remissionem „ peccatorum corporis sui sanguinem consecraverat. Quomodo ergo ait, *Pater, si possibile est?* & quomodo „ *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis?* Totus igitur super his, qui passuri erant, metus est: atque ideo, quia „ non est possibile se non pati, pro his rogat qui passuri post se erant, dicens: *Transeat calix a me*: id „ est, Quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine „ spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. „ Ideo autem, *si possibile est*: quia & carni & sanguini „ horum gravis terror est, & difficile est eorum acerbitate corpora humana non vinci. Quod autem ait: *Non „ sicut ego volo, sed sicut tu vis*: vellet quidem eos „ non pati, ne forte in passione diffidant, sed cohæreditatis suæ gloriam sine passionis difficultate mereantur. Non ergo ut non patiantur rogat, dicens, *Non „ ut ego volo*: sed, ut ait, quod Pater vult, bibendi calicis in eos ex se transeat firmitudo: quia ex voluntate

S. Aug. Tract. 32. in Joann.

Idem Enar. in Ps. 43.

S. Aug. l. de Correptione & Gratia c. 9.

2. Cor. 7.

S. Amb. l. 10 in Lucam

Is. 53. 4. & 5.

Sap. 1. 13.

Luc. 22. 42

Luc. 23. 34

S. Aug. Enarr. 2 in Psal. 40.

Tertull.

Isaiæ 53. 6

Psalm. 37. 5

S. August.

S. Hil. c. 31 in Matth.

„ te ejus non tam per Christum vinci diabolum, quam
„ etiam per ejus Discipulos oportebat. "

Pater mi, si possibile est, &c. veruntamen non sicut ego volo. „ Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis, „ (*inquit S. Leo.*) Illud optavit ex nostro, hoc elegit „ in proprio. Quod erat hominis, divinam desideravit po- „ tentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam. „ Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & „ cito demonstratum est quid possit a trepidante orari, „ & quid non debeat a Medente concedi. "

S. Ath. Orat 4. contra Arianos.

Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. „ Pe- „ trum antea increpuerat cum a passione illum averte- „ ret, eumque non illa sapere quæ Dei, sed quæ homi- „ num essent, dixerat. Volebat enim hoc ipsum quod de- „ precabatur, ut qui ejus rei gratia venerat. Cetèrum ut „ ejus erat id velle, ita carnis erat expavescere, ac pro- „ inde ut homo hanc vocem edidit: utrumque tamen ab „ eo dicebatur, ut ostenderet se Deum esse, quatenus „ mortem volebat; hominem autem quatenus mortem ge- „ staret metu concitatam, propter quam attemperavit „ suam voluntatem humanæ infirmitati, ut metu mortis „ abolito, audacem redderet hominem adversus mortem. „ Certe beati Apostoli postea hinc animati ita mortem „ contempserunt, ut non curarent Judices, a quibus da- „ mnabantur, sed dicerent obediendum esse magis Deo „ quam hominibus. Alii item Martyres ea fiducia auda- „ ciaque fuere, ut crederent se potius ad vitam transire, „ quam mortem sustinere. Qui (quæso) non absurdum „ fuerit, famulos Verbi ob fortitudinem admirationi es- „ se: Verbo autem ipsi timiditatem adscribere, cujus vi „ & ope ita mortem contempserunt? Cetèrum ex San- „ ctorum Martyrum tolerantissimo proposito & fortitudi- „ ne ostenditur, Deitatem non timuisse, sed nostrum il- „ lum fuisse timorem quem sustulit Salvator. Ut enim „ morte mortem destruxit, ita pavore, quem suscepit ut „ homo, nostrum pavorem ademit, effecitque ne homines

S. Laur. Justinianus. „ mortem timerent. *Transeat a me calix iste*, calix ama- „ ritudinis, calix meri doloris, nullo solatio temperati. „ In Christo enim tempore Passionis *Omnis gloria Divi-* „ *nitatis militabat ad pœnam.* "

20. *Et venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma.* Multi vigilant cum mundo, vix aliquis vigilat cum Christo. Filii & filiæ sæculi facile noctes insomnes ducunt, ut ludis indulgeant, ut serviant voluptati: ægre vigilarent vel una hora cum Jesu, pœnitentiæ, charitatis, & pietatis animo, illum patientem adoraturi, & in passionum ejus societatem venturi. Pudeat Christianum dormire in sinu voluptatis, in medio tentationum vehementium, in summo salutis discrimine; non audire vocem gratiæ ad cor clamantis: *Vigilate, & orate ut non in-*

S. Aug. lib. de Gratia & l. Arbitr c. 4. *tretis in tentationem*: dum Christus pro nobis vigilat & orat. „ Unusquisque contra suam concupiscentiam dimi- „ cans oret, ne intret in tentationem, id est, ne sit ab „ illa abstractus & illectus. Non autem intrat in tentatio- „ nem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. „ Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi a „ Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentatio- „ nem. Quid vero evidentius, quam Dei ostenditur gratia: „ ubi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Salvator no- „ ster: *Vigilate, ne intretis in tentationem*, admonuisse vi- „ deretur tantummodo hominis voluntatem. Cum vero ad- „ didit, *& orate*: ostendit, Deum adjuvare ut non intre- „ tur in tentationem... Homo ergo gratia juvatur, ne sine „ causa voluntati ejus jubeatur. "Vigilantia Christiana, & humilis oratio, origo est fortitudinis nostræ. Illa inutiles reddit diaboli adversum nos vigilantiam & insidias: ista

Psalm. 120. Dei vigilantiam & protectionem nobis impetrat: *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.*

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Omnium caro infirma, non omnium promptus spiritus est. Sanctorum dumtaxat spiritus promptus est; infidelium, peccatorum, sæcularibus desideriis æstuantium hominum spiritus segnis est: omnium caro infirma. Hominum pars maxima, prompti sunt, ferventes, alacres ad ea quæ mundi sunt, ad lucra & commoda temporalia, ad cupi-

Origenes in Matth. Rom. 8. 13. 2. Cor. 12. 10 ditates explendas; segnes vero & desides ad ea quæ sunt Dei, ad spiritalia & æterna. Est autem satagendum ut caro nostra infirma sit alio genere infirmitatis, ut nempe infirma sit ad malum, non ad bonum: quod demum fiet, si spiritu prompto carnis opera mortificemus; carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigamus. Nam *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Tunc vere dicemus: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Vigilent & orent spirituales viri & perfecti, quia solliciti esse debent, ne quo præstantius est illorum bonum, eo gravior sit eorum lapsus. Vigilent sollicitius, orentque ferventius imperfecti, quia vires eorum infirmiores sunt & fragiliores; adeoque majori indigent gratiæ auxilio. Temerarius est & præsumptor, qui de fervore animi, ac piis quibusdam affectibus sibi blanditur; ideoque ad vigilandum piger, ad orandum segnis est. Igniculi illi pietatis, initia bonæ voluntatis

Natal. Alex. In Evang.

facile extinguuntur & evanescunt, nisi vigilantia Christiana & humili oratione foveantur, ut in magnam & firmam charitatem crescant, quæ totum sibi subjiciat animum, & terrenas cupiditates consumat. *Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus.* Spiritus promptus est, &c. *Propterea prædixit spiritum promptum esse, ut ostenderet, quid cui debeat esse subjectum; scilicet, ut caro serviat spiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute.* *S. Hieron. in hunc locum: Tertull. l. ad Matth. cap. 4.*

21. *Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Urgente mortis metu, imminentibus periculis, præsentibus malis, ferventius orandum, divinæque voluntati nostra penitus subjicienda & conformanda est. *Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur.* Humana voluntas ex se prava & distorta, ad bonum particulare, sensibile, temporale propensa, ut recta fiat, necesse est, ut Regulæ, scilicet Dei voluntati conformetur: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. „ Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox „ omnes Fideles instruxit, omnes Confessores accendit, „ omnes Martyres coronavit. Nam quis Mundi odia, quis „ tentationum turbines, quis posset persecutorum superare „ terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus dice- „ ret Patri: *Fiat voluntas tua?* Discant igitur hanc vocem „ omnes Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis justifi- „ cati; & cum adversitas violentæ alicujus tentationis incu- „ buerit, præsidio potentissimæ orationis utantur; ut supe- „ rato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis. " *S. Augustin. Tract. 52. in Joann.* *Psalm. 39.* *S. Leo serm 56. de Pass. Domini 7.*

22. *Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertio eundem sermonem dicens.* Christus solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro universis. Bonus pastor pro ovibus vigilat. Erant oculi eorum gravati, non tam corporum, quam animarum. *Nondum* enim eis *Spiritus datus.* Languescebant & opprimebantur Apostolorum oculi negatione vicina (inquit S. Hieronymus.) Pastoris vocem audiamus dicentis, *Surge qui dormis.* Propter Deum, pro salute nostra vigilemus, & cum oculi corporis somno gravati sunt, cor ad Deum semper vigilet, ut dicere cum cœlesti Sponsa possimus: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; Et cum Propheta: *Memor fui nocte Nominis tui, Domine.* „ Si studentes igitur doctrinis sæ- „ cularibus perparum somno indulgent, quanto magis qui „ Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis „ impediri, nisi quantum naturæ satis est? David per „ singulas noctes lectum suum lachrymis diluebat: surge- „ bat etiam noctis medio ut Domino confiteretur; & tu „ totam noctem sopori existimas deputandam? *Tunc ma-* „ *gis tibi orandus est Dominus, tunc præsidia postulan-* „ *da, culpa cavenda, quando videtur haberi secretum:* „ *tunc maxime quando tenebræ in circuitu meo, & pa-* „ *rietes me operiunt, considerandum quia Dominus omnia* „ *intuetur absconditæ.* Ne dixeris ergo, Circumfusus sum „ tenebris, quis me videt? & quem vereor septus pari- „ etibus & inclusus? Quia *Vultus Domini super facien-* „ *tes mala.* Deinde si arbitrum non vides, te ipsum non „ vides? Tuæ conscientiæ testimonium non vereris? Ne- „ scis illam caliginem noctis non opertorium, sed incen- „ tivum esse peccati? Cum somno & cibo fervent cor- „ pora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno „ resolvitur: tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc „ perturbatur cor, squallor immunditiæ non videtur, casti- „ tatis puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recen- „ setur. Nox erat quando Judas prodidit, quando Petrus ne- „ gavit. Illo igitur præcipue tempore justificationes Dei ani- „ mo retexendæ sunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de „ castitate præcepta non absint: his occupata mens flagranti- „ am libidinis, carnis restinguat ardorem. Tene illud anim- „ *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Quis enim stupro „ deditus, flagitiis involutus, lavat per singulas noctes lectum „ suum? Nescit flere qui flenda committit; & cum sit ipse la- „ chrymabilis, non habet pene lachrymas suæ. At ille qui casti- „ gat corpus suum, & sui sollicitus gubernator est, atque in- „ gemiscens & dolens lapsus superioris offensæ, quærit quo- „ modo abluat eam fletibus pœnitentiæ, hic lavat per singu- „ las noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis nocti- „ bus: sed maximam partem earum lectioni & orationibus „ deputemus. " Audi Ecclesiæ vocem quærentis etiam in noctibus Christum: *In lectulo*, inquit, *meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea.* Quæsivit in noctibus orando, deprecando, etiam lachrymis deplorando ... Quæsivit in noctibus, in persecutionibus & adversis, in tribulationibus & laboribus duris ... „ Non magnum ergo si tunc Domino gratias „ agas, quando in prosperis & secundis es, sed si tunc „ adhæreas Christo, quando te persecutor exagitat, „ quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? In „ illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento „ Domini Dei tui; ne quasi non exauditus, ingratus sis, „ & in una prævaricaris ærumna. Pulsus es in exilium? *Psalm. 33. 17.* *Cantic. 5. 2.* *Psal. 118. 55. S. Ambr. exposit. in Ps. 118. serm. 7.* *Psal. 6. 7.*

„ Memento Domini Dei tui; ne nox te egestatis abdu-
„ cat a devotionis affectu. Hoc est enim mandatum le-
„ gis, ut in nocte magis quæras, quando magis exaudi-
„ ris a Domino, & possis dicere: *In tribulatione invoca-*
„ *vi Dominum, & exaudivit me in latitudine*. Sed nec
„ quærere perfunctorie abundat ad gratiam, sed ut insi-
„ stas, & intendas muneri. *Qui ita non quærunt, no-*
„ *cte dormiunt: & cum venit ad illos Jesus*, invenit eos
„ dormientes. *Oculi enim eorum sunt gravati*. "

Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertio eundem sermonem dicens: Non absurde, intelligitur, propter trinam tentationem ter Dominum orasse. Sicut enim tentatio cupiditatis trina est; ita etiam tentatio timoris tri-
S.Aug.lib.1 Quæst. Evang. Q. 47. na est. *Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis. Sicut enim in illa cognoscendarum rerum est avi-ditas, ita & in ista metus amittendæ talium notitiæ. Cupiditati vero bonorum vel laudis opponitur timor igno-miniæ & contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis op-ponitur timor doloris. Non absurde ergo intelligitur pro-pter trinam tentationem passionis ter Dominum orasse ut transiret calix: sed ita ut potius impleretur voluntas Pa-tris*. Docuit etiam ter repetita oratione, debere nos pec-catis præteritis veniam, a præsentibus malis tutelam, a futuris periculis cautelam orare: & omnem orationem no-strum dirigendam ad Patrem, & Filium & Spiritum san-
1.Tess.5.25. ctum, *Ut integer spiritus noster, & anima & corpus ser-*
S. Aug. Epist. 130. alias 121. c. 10. *vetur sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi*. Ex oratione Christi discamus orationis humilitatem, sim-plicitatem, perseverantiam. *Ab oratione abest multa lo-cutio, sed non deest multa precatio, si fervens perseverat intentio. Plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu*.

23. *Tunc venit ad Discipulos suos, & dicit illis: Dor-mite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, &*
S. Hilar. c. 31. in Mat. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum*. Quod ite-rum reversus reperit dormientes, ostendit *absentiæ suæ tempore plures quodam fidei somno* detinendos. „ Sed rur-
„ sus oravit, idem repetens: reversusque, qui vigilare
„ jusserat; qui consopitos objurgaverat, ait, *Dormite jam*
„ *& requiescite*. Post orationem frequentem, post discur-
„ sus recursusque multiplices, metum demit, securitatem
„ reddit, in requiem adhortatur, voluntatem Patris jam
„ de nobis securus exspectat, dicens. " *Fiat voluntas*
tua: quia *transiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, & timoris sollicitudinem, & ipsum dolo-rem mortis absorbet*. „ Quod autem ad eos revertens
„ dormientesque reperiens, primum reversus objurgat,
„ secundo silet, tertio quiescere jubet: ratio ista est,
„ quod primo post Resurrectionem dispersos eos & diffi-
„ dentes ac trepidos reprehendet: secundo, misso Spiritu
„ Paracleto gravatis ad contuendam Evangelii libertatem
„ oculis, visitabit. Nam aliquandiu legis amore deten-
„ ti, quodam fidei somno occupati sunt. Tertio vero,
„ id est claritatis suæ reditu, securitati eos quietique re-
„ stituet. Veram quietem in creaturis invenire non pos-
S. August. „ sumus, sed in Deo solo. *Fecisti nos, Domine, ad te,*
„ *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*.
„ Perfecta requies non erit, nisi ubi summa pax, & de
„ æterna Dei fruitione firma securitas. "

Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Jure merito indignamur quod San-ctus sanctorum in manus peccatorum traditus sit: sed in-dignationem nostram in nos ipsos convertamus, siquidem peccata nostra Jesum in manus peccatorum tradide-runt. „ Sed & nunc in manus peccatorum traditur Je-
Origenes in Matth. „ sus, quando hi qui videntur in Jesum credere, habent
„ eum in manibus suis, cum sint peccatores. Sed & quo-
„ tiescumque justus habens in se Jesum, in potestate sa-
„ ctus fuerit peccatorum; Jesus est traditus in manus
„ peccatorum, facientium ei quod possunt. " Cum pec-catoribus in proxima peccati occasione, vel affectu hæ-rentibus, aut necessaria restitutione ac possibili nondum functis; aut quorum conversio post frequentes in gravia peccata relapsus, ac sæpe frustrata melioris vitæ promis-sa, post scandala publica, non satis probata est morum emendatione, & satisfactoriis operibus: cum (inquam) hujusmodi peccatoribus præpropera Absolutio & communio datur, tunc Jesus traditur in manus peccatorum. Cum in-digni ad Sacerdotium, ad Episcopatum, ad qualecumque re-gimen animarum promoventur: tum Jesus in manus peccato-rum traditur, qui faciunt ei quod possunt; nec per ipsos stat quin iterum crucifigatur. *Rursus crucifigentes*.

24. *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi a Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcum-que osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim ac-cedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* Jesus a Ju-da domestico suo, & familiari, Apostolo, proditur ac venditur hostibus suis, triginta denariis, osculo traditur. O perfidiam execrandam! Proditiones Cain, fratrum Jo-sephi, Dalilæ, Saulis, Amnon, Joab, quæ tetris coloribus in Scriptura depinguntur, ad Judæ perfidiam non acce-
dunt. Cain Abelem fratrem innocentem occidit, cum illum in agrum ad deambulandum simulata amicitia in-vitasset: Judas patrem ac magistrum tradit Principibus Sacerdotum, Pharisæis, Legisperis, Senioribus Ju-
Genes. 4. 8. Genes. 27. 28. dæis, qui eum interficere decreverant. Fratres Josephi vendunt illum Ismaelitis viginti argenteis: Judas vendit Dominum suum triginta argenteis, pretio quo servorum capita æstimabantur. Dalila Samsonem tradit Philistæ-
Exod. 21. 32. Judic. 16. is, qui molæ & columnæ illum alligarunt, il-lique illuserunt: Judas Jesum, qui arcana sua illi reve-laverat, Judæis tradit, qui illum columnæ alligatum, crucique affixum, opprobriis, flagellis, & plagis one-rant. Amnon filius David sororem suam Thamar simu-lata ægritudine rogat ut paret illi cibos, & stupro ipsi illato, eam ignominiose ejicit: Judas Christi Corpore
2. Reg. 13. 1. Reg. 19. Psal. 54. 14. & Sanguine in ultima ejus cœna pastus, hostibus tradit, non modo ejiciendum, sed crucifigendum extra civita-tem. *Tu vero homo unanimis, dux meus & notus me-us, qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Saul ne-cem David molitur, ipsumque lancea conatur configere, cum cithara coram eo luderet ad dæmonem, quo vexa-batur, expellendum: Judas a diabolo spiritualiter pos-sessus, qui in cor ejus intraverat, Jesum tradit, qui illum liberare paratus erat, & qui *Sanguinem ei, quem*
S. Joan. Chrys. Hom. de proditione Judæ *vendidit, offerebat in remissionem peccatorm, si tamen im-pius existere noluisset*. Joab Amasam amice salutat, di-cens; *Salve mi frater*; & libato osculo, percutit eum in latere, & occidit; cujus sceleris vindictam ob politicas rationes dilatam David moriens Salomoni filio præcepit: quia *Joab effudit sanguinem belli in pace*. Perfidus Judas
2. Reg. 20. signo pacis, osculo Dominum suum, benefactorem, Ma-gistrum ac Deum suum tradit. Venenum in corde, mel ore gerens, salutat dicens, *Ave Rabbi: & osculatus est eum*. Spiritu oris Jesu abutitur, ut Jesum tradat. „ Ju-
„ da, osculo Filium hominis tradis? *Hoc est*, Venenum
3.Reg.2.5. Lucæ 22. „ infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur: oscu-
„ lo, quod sacræ pacis insigne est: osculo, quo amici-
S. Ambros. Enarrat. in Psalm. 39 „ tia fida firmatur: osculo, quo fides sancta signatur?
„ Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter oscuti
„ commercium venerari deberes? Et tradis Filium homi-
„ nis homo, qui propter hominum salutem descendit de
„ cœlo? Filium homnis tradis, qui te ex peccatore Apo-
„ stolum fecit? Filium hominis tradis, qui venit, ut in
„ sanguine suo omnium peccata dilueret? Ego osculum
„ non nego: ipse videris qui violaveris osculi sanctitatem.
Prov. 27 „ An non legisti, quod utilia sunt vulnera amici, quam
„ voluntaria oscula inimici? Nec immerito graviore telo
„ tantæ dignationis percussus est Judas, quam si eum
„ fulmine perculisset. "

Et osculatus est eum. Osculum proditori benignissimus Jesus non negavit. *Huic no criminis causam aliqua præ-beret offensio, nulla est negata dignatio*. Osculum dedit,
S.Leo serm. 74.de Pass. Dom.cap.5. S. Ambros. lib. 10. in Lucam n. 64. Psal. 119. 7. S. Hilar.c.32. in Matt. S. Leo in ser. 63. de Pass. Dom. non quo simulare nos doceat, sed ut neque proditionem refugere videretur, & *plus afficeret proditorem, cui amo-ris officia non negaret*. Scriptum est enim: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* Osculum Judæ non res-puit: *Ut doceremur inimicos omnes, eosque quos sciremus desævituros in nos esse, diligere*. Hac Christi Jesu beni-gnitate & clementia damnantur, qui inimicos ad se re-deuntes, reconciliari volentes, & sincere pœnitentes ni-hilominus refugiunt, nec ullum eis humanitatis officium exhibere volunt. *Et osculatus est eum. Dixitque illi Je-sus: Amice, ad quid venisti?* „ Traditorem ab immani-
„ tate concepti sceleris, & beneficiis revocare dignatus
„ est & verbis, assumendo in Discipulum, provehendo in
„ Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut
„ cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil
„ occasionis superesset ad crimen. Sed tu, impiissime ho-
„ mo, Chanaam & non semen Juda, nec jam vas ele-
„ ctionis, sed filius perditionis & mortis, utiliora tibi
„ diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus
„ avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesce-
„ res, & quid divitiarum amitteres, non videres. Nam
„ etsi non putabas credendum esse promissis, quæ fuit
„ ratio ut tantillus pecuniæ modus præponeretur acce-
„ ptis? Imperabas demoniis, medebaris infirmis, hono-
„ rabaris cum Apostolis & ut famem tuæ cupiditatis ex-
„ pleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum in-
„ terdictorum avidum, quod minus licuit, amplius inci-
„ tavit: " *Nec tam placuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati. Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti: sed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendi-disti*.

25. *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum*: Sed Dominum omnium Mysteria non
S. Ambros. lib. 10. in Lucam. Joan. 18. 6. Tertull. lib. ad Martyres. arma tenuerunt. Denique locutus est, & ceciderunt re-trorsum. Quo mihi legiones Angelorum, quo cœlestis exercitus? *Vox Domini sola plus terret*. Hanc ille ad demonstrandum divinæ majestatis indicium, quę in pe-ctore Christi recumbebat, elegit. *Volenti ergo injicit manus turba, nectuntur vincula*. Capitur Jesus & li-gatur, ut malum usum nostræ libertatis expiet sua cap-tivitate: ut captivitas ejus sit solatio captivis, sive juste,

juſte, ſive injuſte detineantur. Qui carceri addictus, Chriſtum cogitat, eique adhæret, liber eſt: Via illi patet, quæ ad Deum ducit. Chriſtus enim via eſt, veritas & vita. *Nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cælo eſt*. Jeſus fortius conſtringitur *vinculis charitatis ſuæ* quam vinculis militum.

Tertull. lib. ad Mar.

26. *Et ecce unus ex his qui erant cum Jeſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt, &c.* Cæcum & imprudentem Petri pro defenſione ſua ardorem Jeſus non probat. *Noluit perſecutorum vulnere defendi, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare*. Prudentiæ, manſuetudinis, charitatis, patientiæ documenta dedit: vim publica auctoritate illatam, vi non eſſe repellendam ab iis qui Rempublicam non gerunt, etiamſi Religionis cauſa inferatur, perſecutionem patiendam, Religionis veritatem patientia & martyrio propugnandam eſſe docens. Certe in Religionis negotio talem vim, quæ infertur a ſublimiori poteſtate, patienter ferendam, docet nos ipſe Petrus a Chriſto & a Spiritu ſancto edoctus. „ Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod „ eſt honoris, gloriæ „ & virtutis Dei, & qui eſt ejus „ Spiritus ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine . . . Itaque & ii qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis. „ *Idem docent primæ ſerventiſque Chriſtianitatis exempla. Audiamus Tertullianum*: Sed abſit ut aut igne humano vindicetur divina Secta, aut doleat pati in quo „ probatur. Si enim & hoſtes exſertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, non deeſſet nobis vis numerorum & copiarum. Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis relinquimus Templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam Diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? *Audiamus & S. Cyprianum*. Inde eſt, *inquit*, quod nemo noſtrum quando apprehenditur reluctatur, nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus ſit noſter populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt." Atque hoc argumentum nobis maxime patientiam commendare debet, quod ſciamus Deum illatas cultoribus ac ſervis ſuis injurias ſevere vindicaturum. *Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi*, (inquit Apoſtolus) *ſed date locum iræ: Scriptum eſt enim, Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. Et Joannes in divina Apocalypſi: *Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hæc eſt patientia & fides Sanctorum*. Enimvero *ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?* Ideo Chriſtus armis defendi noluit, juſſitque Petro ut gladium reconderet in vagina, nec Deo præriperet ultionem concitatiore & imprudente zelo. Non tam igitur ſervum illum, cujus auriculam gladio ſuo abſcidit, quam patientiam Jeſu vulneravit. *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt*.

S. Ambroſ. lib. 3. de Officiis c. 4.

1. Petr. 4. 14 15. 16. 19.

S. Cypr. lib. ad Demetrianum.

Ad Rom. 12. 19. Apocal. 13. 10. Tertull. lib. de Patientia.

Tertull. ibid.

27. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Qui Dei providentiæ, omnipotentiæ, & bonitati confidit, in medio inimicorum in ſuam perniciem conjuratorum, tranquillus eſt, aitque: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum*. Neque enim calamitates & anguſtiæ noſtræ ſapientiam Dei latere poſſunt, nec bonitatem Patris non movere; nec vim Omnipotentis, ut eis medeatur, ſive bonum gloriæ ſuæ, ac ſalutis noſtræ ex eis eliciat, ſuperare. *Per patientiam* igitur *& conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*. Divinæ providentiæ ac voluntatis circa nos reſque noſtras conſilia ac decreta impleri oportet. Illis ſervire glorioſum; ſe illis ſubiicere, perfectum; numquam ab illorum ordine deficere, beatum.

Pſal. 26. 3.

Rom. 15. 14.

28. *In illa hora dixit Jeſus turbis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me: quotidie apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis*. Suam in paſſione Divinitatem oſtendit inimicis ipſis, qui, niſi cæci eſſent, ad tam fulgentes cœleſtis veritatis radios oculos mentis aperirent. Se volentem capi, vinciri, & ad judices trahi probat. „ Occupant parati teneri, & trahunt volentem trahi: qui ſi vellet „ obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus poſſent; ſed mundi redemptio turbaretur, & nullum ſalvaret illæſus, qui pro omnium ſalute erat moriturus." Manſuetudinem Jeſu mirare, & adora, qui & inimicis ſuis prodeſſe vult, & eos in infidelitatis ac impietatis ſuæ nocte illuminare. Salvatoris tui

S. Leo ſer. 57. de Paſs. Dom. 8.

Natal. Alex. In Evang.

charitatem & benignitatem in ſimilibus occaſionibus imitare.

29. *Hoc totum factum eſt, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*. Legis figuræ, Prophetarum oracula, Chriſtum prælocuta ſunt & prænuntiarunt, qui finis eſt Legis & Prophetarum, eventus eſt ſeu adimpletio rerum & Myſteriorum eo quo prænunciata ſunt modo. Hinc veritas Chriſtianæ Religionis mirifice confirmatur. Deo gratias humillimas agamus, qui nos ad eam vocavit, & in Scripturis divinis, ac Prophetis loqui nobis dignatur, ut perfecti ſimus, & non ſolum in fide inſtituti, ſed ad omne opus bonum inſtructi. Laudemus autem illum impenſius, quod nobis locutus ſit in Filio, & quod *Ab omnipotenti Medico duplex nobis remedium præparatum ſit, cujus aliud eſt in ſacramento, aliud in exemplo, ut per unum conferantur divina, per aliud exigantur humana. Quia ſicut Deus juſtificationis eſt auctor, ita homo devotionis eſt debitor. Merito Dominus ipſe factus eſt nobis via, quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientiæ & humilitatis ejus incedit*.

S. Leo ſer. 65. de Paſs. Dom. 16.

Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. Sic multi Chriſtum ſequuntur in proſperis, in adverſis vero, ubi ob cauſam pietatis aliquid patiendum eſt, ubi aliquid ab hominibus timetur, relicto Jeſu fugiunt. *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli*. Amicorum Jeſu defectio & fuga, non minima paſſio cordis ejus. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me ... Et ſuſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni*.

Pſ. 77. 9.

Pſ. 141. 3.

Pſ. 68. 25.

30. *At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant*. Summus Sacerdos, Legis Novæ Doctor, Rex Judæorum Sacerdotibus, Legiſperitis & Senatoribus ſiſtitur judicandus. Utinam & nunc ab improbis Sacerdotibus immolandus non ſiſteretur in Altari! Utinam veritas ejus non damnaretur unquam, aut captiva detineretur ab eis qui illius defenſores ac vindices eſſe deberent! Honor nihilominus Sacerdotio & auctoritati deferendus eſt in improbis etiam Sacerdotibus.

31. *Petrus autem ſequebatur eum a longe, uſque in atrium Principis Sacerdotum. Et ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, ut videret finem*. Petrus amore Domini impellebatur ad eum ſequendum: ſed amor parvus erat & languidus, nec humano prævalebat timori: ideo ſequebatur a longe. Et ingreſſus in Aulam Caiphæ, ſedebat cum miniſtris Pontificis. Quid mirum ſi in ſervorum comitatu, libertatem juſtitiæ, libertatem filiorum Dei per negationem Domini ac Magiſtri ſui amittit? Malorum ſocietas, occaſioneſque peccati, exitiales ſaluti. Illas infirmi, qualis erat Petrus, vitare ſollicite debent, Chriſtum propius ſequi, gratiam qua id poſſint humiliter implorare. *Cum ſancto ſanctus erit* (inquit Propheta) *& cum perverſo perverteris*.

Pſ. 17. 27.

32. *Principes autem Sacerdotum, & omne Conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent: & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent*, &c. Chriſtus, qui Veritas eſt, falſis teſtimoniis accuſatus & prædamnatus, ſilet, ut os ejus *taciturnitatis honore ſignatum* venerati, convitia, maledicta, calumnias improborum & invidorum patienter feramus, nec aperiamus os abſque neceſſitate, innocentiam noſtram, ſi opus ſit, ſervata charitate, manſuetudine, & humilitate defendentes; non convitia convitiis, calumnias calumniis repellentes. Dicat Chriſtianus aliquando, cum tacendi tempus eſt, cum ſtultis convitiatoribus aut calumniatoribus non eſt reſpondendum ſecundum ſtultitiam illorum, quod a Propheta, in perſona etiam Chriſti dictum eſt: *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me: obmutui, & humilitatus ſum, & ſilui a bonis*. Siluit Chriſtus, numquid ſemper ſilebit? Siluit judicandus: *Sicut ovis ad occiſionem* ductus eſt. *Sicut agnus coram tondente ſe* obmutuit. Non ſilebit judicaturus. *Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit*. Chriſti Jeſu ſilentium confundit ſuperbiam filiorum Adam, qui ſe & cum juſte accuſantur ac reprehenduntur, purgare & excuſare ſemper volunt, parati ſemper *ad excuſandas excuſationes in peccatis*.

Tertull.

Pſ. 32. 2. & 3.

Iſai. 53.

Pſal. 49.

Ceterum Jeſus a Principe Sacerdotum per Deum vivum adjuratus, ut dicat ſi Chriſtus ſit Filius Dei, ita eſſe palam fatetur. Tempus enim tacendi, & tempus loquendi. Veritatem diſſimulandam non eſſe, cum de illa a publica poteſtate ſecundum juris ordinem interrogamur, exemplo ſuo docet; maxime vero veritatem fidei, quantumvis odioſa ſit fidei hoſtibus; ſed & verbi, & ſanguinis ad mortem uſque profuſi confeſſione ac teſtimonio conſignandam. Hæc confeſſio Martyres facit & conſecrat. Sic divini nominis gloriæ militatur. Hoc nomine Chriſtus *primus Martyr* a Patribus appellatur. Sicut Jeſus ſe Chriſtum eſſe confeſſus eſt; ita Chriſtianus ſe Chriſti Diſcipulum eſſe verbis, operibuſque fateatur, & toto, ſi opus eſt, profuſo ſanguine pro fide, pro juſtitia, pro cujuſvis

S. Greg. Nazianz. Orat. 18.

Tertull. Apolog. c. 1. Christianæ virtutis bono confirmet. *Christianus si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit; interrogatus, vel ultro confitetur; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet, timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, deplorationem? Quid hoc mali est, cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est & pœna felicitas?* Gaudebant Martyres, cum ab Ethnicis ut blasphemiæ in Deos rei cruciabantur, aspicientes *in auctorem fidei & consummatorem Jesum*, qui cum *splendor gloriæ Dei* esset, & *figura substantiæ ejus*, unumque ei studium fuisset ut homini, honorificare Patrem suum, & ejus nomen hominibus manifestare, nihilominus ab impio & injusto Pontifice ut blasphemiæ reus damnatus est: & patientissime tulit pro salute nostra illatam sanctitati suæ adeo atrocem injuriam. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur?* Caiphas actor est & judex. Senatores adversus Jesum magis commovet seditioso præjudicio, nullo juris ordine servato, nullo causæ examine, nulla prævia doctrinæ, vitæ, ac miraculorum Christi inquisitione, nulla Propheticorum oraculorum collatione facta, iniquorum & conjuratorum Judicum sententias rogat. *Quid vobis videtur? At illi dixerunt, Reus est mortis.* Auctor vitæ, & vitæ quidem æternæ, mortis reus pronuntiatur. Qui mortuos ad vitam revocavit, morti devovetur.

33. *Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt: alii autem palmas in faciem ejus dederunt dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Injuriarum atrocium genus omne pro nobis Christus summa cum mansuetudine patitur, nobis patientiæ in ferendis, charitatis in condonandis injuriis documentum præbens. *Deus spiritum suum in Filio cum tota patientia collocavit. Taceo quod figitur: in hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides! Qui hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime, Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis. Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Atroces maxime sunt injuriæ, quæ hominem in facie dehonestant, fœdant, vulnerant. Facies pars hominis præcipua, templum rationis, simulacrum animæ, gloria corporis, sedes honoris & pudoris. *Totus homo in vultu est,* Verbera in facie illata maxime contumeliosa sunt, liberis præsertim hominibus. *Non enim plaga repræsentat contumeliam* (inquit Demosthenes) *sed dedecoratio.* Hinc Constantinus Augustus lege lata sancivit, ne in facie eorum qui ad metalla damnati essent, pœna damnationis inscriberetur: *Quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, minime maculetur.* Hinc Tertullianus: *Quæ in stadio geruntur, indigna conspectui tuo non negabis, pugnos, & calces, & colaphos, & omnem petulantiam manus, & quamcumque humani oris, idest divinæ imaginis depugnationem.* Christus colaphos & alapas, aliosque insultus contumeliosissimos pro nobis patitur: nos vero pro ipso nihil pati volumus: immo injuriam pro injuria, contumeliam pro contumelia, persecutionem pro persecutione, pro verberibus verbera rependimus. Tantum abest ut patiamur in spiritu Evangelii, & ad præbendam alteram maxillam ei qui nos in dextera percutit, parati simus, secundum Christi præceptum, potius quam charitatem amittamus: quin immo charitatem amittere, & Evangelium conculcare pro nihilo ducimus, ut usciscendi libidinem expleamus. Quid aliud istud est, quam faciem Christi Jesu colaphis & alapis cædere? Siquidem insultus, contumelias, & injuriarum genus omne membris suis illatum, sibi illata reputat. Unde Saulum e cœlis alloquens, persecutorem suum vocat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sputa, colaphos, alapas, aliosque petulantium militum insultus in facie sua sacratissima Christus Jesus patitur, ut muliebris præsertim sexus peccata expiet, cultu nimio faciei, nimio studio formæ ac nitoris perpetrata. „ In Deum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Displicet nimirum illis plastica Dei: in ipsis se nimirum arguunt & reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta. Is est diabolus. Nam quis corpus mutare monstraret, nisi qui & hominis spiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujusmodi ingenia conginavit, ut in vobis pateat manus vos quodammodo Deo inferre, &c. "

Tertull. l. de Patientia.

Tertull. l. 2. de Fœminarum cultu.

Apulejus a Demost. citatus L. Aut facta D. *de pœnis* L. Si quis, C. *eodem* *Tertull. l. de spectac.* c. 18.

34. *Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla. Et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere tu ex illis es . . . Tunc cœpit detestari & jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit:* Unusquisque tentatur a concupiscentia sua: hæc ancilla est, cujus voce ad negandum Christum sollicitatur. Quantas tenebras in mente? Quantam infirmitatem & corruptelam in voluntate? Quantam oblivionem gratiarum & promissorum Dei, officiorumque hominis in memoria parit? Cohibenda illa & coercenda est, ne menti dominetur: Si enim semel succubuerimus tentationi, & statim auxiliante Deo pœnitentiam non egerimus, primum peccatum semen erit alterius peccati; secundum, semen tertii; tertium, pœna præcedentium: quod in Petro contigisse videmus, qui ex negatione Christi in perjurium labitur; se novisse, negat, quem Dei vivi Filium fuerat confessus, a quo tot affectus fuerat beneficiis, Apostolici Senatus Princeps, Ecclesiæ suæ caput, amorisque sui ac auctoritatis Vicarius in ejus regimine constitutus; *prior in donis, major in imperio*, ut Jacob Patriarcha de primogenito suo ait. Non solum negat, sed cum execratorio juramento, non a judicibus interrogatus, & ad mortem quæsitus, sed a servis notatus. Ad unius auræ flatum Ecclesiæ columna concussa est: quid debiles arundines non timeant? Petri lapsum considerando admonemur, *Ne homo quisquam de humanis viribus confidat. Nam quid aliud pertinuit ad Doctorem Salvatoremque nostrum, nisi ut nobis nequaquam de se quemquam præsumere debere, in ipso primo Apostolorum demonstraret exemplo?* Infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando a Domino quod ter esset negaturus, audiebat, æger se nesciebat, Medicus ægrum sciebat. Sunt ergo quædam quæ Deus novit in nobis, nescientibus nobis. Petrum cadere permisit Deus, ut ejus præsumptionem, & arrogantiam curaret. Hinc discimus. 1. Voluntatem hominis sibi non sufficere, nisi gratiæ Christi auxilio roboretur. 2. Inutile nobis fieri culpa nostra gratiæ cœlestis auxilium, si voluntas nostra repugnet, quorum alterum Petri, alterum Judæ confirmat exemplum. Hic enim, etsi gratiam Christi uberem habuerit, tamen quia noluit attendere, nec quod in se erat, cooperari, nullam inde consecutus utilitatem est: Ille vero, etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio, non stetit. Totum igitur ita Deo tribuamus, ut tamen oscitandum dormiendumque non putemus: nec rursus, si vigilamus, laboribus nostris ac vigilantia rem totam confici arbitremur. Nam nec desides jacere nos vult Deus, ac ideo nonnihil a nobis petit: nec arrogantia corrumpi, atque in nobis ipsis confidere & gloriari; ideo totum nobis non commisit. Ita ex utraque parte incommodo remoto, nostræ consuluit utilitati. Hanc ob rationem Verticem quoque Apostolorum labi permisit, humiliorem ipsum faciendo, & ad majorem charitatem perducendo: *Cui enim plus donavit, magis diligit.* Propterea ter a Christo post Resurrectionem interrogatus est: *Petre, amas me?* Cordis inspector interrogat, & vult audire quod ametur & parum est semel; interrogat hoc prope cum tædio ipsius Petri: miratur enim a præscio se toties interrogari, cum semel sufficeret respondere etiam nescienti: *Sed tamquam tibi diceret Dominus, Expecto, ut numerus legitimus impleatur: tertio confiteatur per amorem, quia ter negaverat per timorem.*

S. Aug. Tract. 66. in Joan.

S. Joh. Chrys. Hom. 83. in Matth.

Luc. 7

Nimius amor sui, nimius vitæ præsentis amor, Petrum ad negationem Christi impulit. Et hæc omnium pene peccatorum nostrorum origo est. „ Duas Apostoli tene„ mus voluntates. Unam qua voluit non mori, penitus „ inculpabilem; alteram & multum laudabilem, qua sibi „ complacebat quod esset Christianus. In qua ergo cul„ patur? An in eo quod mentiri quam mori maluit? „ Hæc plane voluntas reprehensione digna fuit, quia „ corporis magis, quam animæ, voluit servare vitam. „ Os nempe *quod mentitur, occidit animam.* Et peccavit „ ergo: & non absque consensu propriæ voluntatis, in„ firmæ quidem & miseræ, sed plene liberæ. Peccavit „ autem, non spernendo, aut odiendo Christum, sed se „ nimis amando. Nec in hunc perversum amorem sui, „ voluntatem metus ille subitus compulit, sed ecce con„ vicit. Jam tunc procul dubio talis erat, sed nesciebat, „ cum ab illo quem latere non poterat, audivit: *Prius* „ *quam gallus cantet, ter me negabis.* Illa itaque vo„ luntaria infirmitas per concussum amorem nota, non „ orta, notum fecit, quatenus se, quatenus Christum „ amaverit; notum autem non Christo, sed Petro. Nam „ Christus & ante sciebat quid esset in homine. Quate„ nus ergo Christum diligebat, vim passa est illa volun„ tas, ut contra se loqueretur: quatenus vero se, voluntarie „ proculdubio consensit, ut pro se loqueretur. Si Chri„ stum non amasset, non negasset invitus. Verum si se „ amplius non amasset, non aliquatenus negasset. "

S. Aug. ser. 35. al. 27. ex Homil. 50.

S. Bern. l. d Grat. & l. Arbitr. c. 12

35. Petrus ex infirmitate periculum negationis incurrit, ob hoc *hæsitare permissus, ut in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur; & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset evadere.* Cadere permissus est, ut humanam in se expertus infirmitatem, peccantibus compati, eosque in spiritu charitatis & lenitatis corripere disceret. *Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me negabis.*

S. Leo ser. 68. de Passion. Dom. 9

Et

Et egressus foras, flevit amare. Dominus Jesus, qui intra Pontificale Concilium solo corpore tenebatur, trepidationem Discipuli foris positi divino vidit instinctu: & paventis animum mox ut respexit, erexit. *Felices, Sancte Apostole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem habuere sacri baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Jesu Christi, quæ labentem te prius quam dejicereris, exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti.*

S. Aug lib. cont. Mendacium cap. 6.

Et egressus foras flevit amare. „ Quis ita evanescat, „ ut existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, „ quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in il- „ la negatione intus veritatem tenebat, & foris menda- „ cium proferebat. Cur ergo lachrymis diluit quod ore „ negaverat, si saluti sufficiebat quod corde credebat? Cur „ loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu puni- „ vit mendacium quod ore deprompsit; nisi quia magnam „ vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad ju- „ stitiam, sed ore non est confessus ad salutem? *Magna* „ *pariter Christianorum pernicies, qui Christum* & Deum „ se nosse confitentur, factis autem negant. „

Ad Titum cap. 1. 16. S. Aug. ser. 228.

Petrus flevit, postquam Jesus illum respexit. *Præsumptor periisset, nisi Redemptor respexisset.* Flevit: *Maluit enim* ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando. Petrus doluit & flevit, quia erravit, ut homo. „ Non inve- „ nio quid dixerit: invenio quod fleverit: lachrymas „ ejus lego, satisfactionem non lego: (*id est, excusatio-* *S. Amb. l. 10 in Lucam.* „ *nem seu defensionem*:) sed quod delendi non potest, „ ablui potest. Lavent lachrymæ delictum, quod voce pu- „ dor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & vere- „ cundiæ. Lachrymæ sine horrore culpam loquuntur: la- „ chrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur: „ lachrymæ veniam non postulant, & merentur. Inveni „ cur tacuerit Petrus, ne tam cita veniæ petitio plus of- „ fenderet. Ante flendum est, sic precandum. Bonæ la- „ chrymæ, quæ lavant culpam. Denique quos Jesus res- „ picit, plorant. Negavit primo Petrus, & non flevit, „ quia non respexerat Dominus. Negavit secundo, non „ flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit „ & tertio: respexit Jesus, & ille amarissime flevit. Re- „ spice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere pec- „ catum, lavare delictum. Flevit ergo & amarissime Pe- „ trus, flevit ut lachrymis suum posset lavare delictum: „ & tu si veniam vis mereri, dilue lachrymis culpam „ tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Chri- „ stus. Si in aliquo fortasse labaris; quia secretorum tuo- „ rum adsistit testis, respicit ut recorderis, & fatearis er- „ rorem. Imitare Petrum dicentem alibi tertio: *Domine,* „ *tu scis quia amo te.* Etenim quia tertio negaverat, ter- „ tio confitetur: sed negavit in nocte, confitetur in die. „

Et recordatus est Petrus verbi Jesu... Et egressus foras flevit amare. Ad veram conversionem tria esse necessaria *Jo. 21. 15.* Petrus exemplo suo docet. 1. Ut verbi Jesu recordemur, ut legis & mandatorum Dei, ut Evangelii memores simus. *Lex enim Dei immaculata, convertens animas... In cor-* *Ps. 18. 8.* *de meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* 2. Occa- *Ps. 118. 11.* siones peccati deserendæ. Ubi negat Petrus? Non in monte, non in Templo, non in sua domo; sed in Prætorio Judæorum, in domo Principis Sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non est; ibi negat, ubi Christus captus, ubi Jesus ligatus est. Ideo egressus est foras, ut pœnitentiam inchoaret, ac fletibus peccatum expiaret. Didici cavere alloquia perfidorum. Petrus inter Judæos negavit, Salomon contubernio Gentili deceptus erravit. 3. Flenda sunt peccata, & amara cordis contritione eluenda. *Quam magna* *S. Cypr. l. de Lapsis S. Amb. En. in Psal. 118. ser. 7.* *deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit.* Quis stupris deditus, flagitiis involutus, lavat per singulas noctes lectum suum? *Nescit flere, qui flenda committit: & cum ipse sit lachrymabilis, non habet pœnæ lachrymas suæ.*

S. Aug. ser. 285. alias 4. inter editos ex Maioris Carthusiæ mss.

Et egressus foras, flevit amare. Sequens per omnia vestigia Christi. Petrus conturbatur, & negat: respicitur & plorat; fletus tergit, quod timor infecerat. *Non fuit illa Petri desertio, sed eruditio.* Amare quippe Dominum interrogatus in corde suo præsumpserat se pro eo moriturum. Viribus suis hoc tribuerat; *Nisi paulisper a regente desereretur non sibi demonstraretur.* Ausus est dicere; *Animam meam pro te ponam.* Animam suam pro Christo præsumptor se positurum esse jactabat, pro quo nondum posuerat Liberator. Denique cum timore turbatur, sicut Dominus prædixerat, ter negat eum, pro quo se promiserat moriturum. Respexit illum Dominus. At ille amare flevit. *Amara erat recordatio negationis, ut dulcis* *S. Ambr. lib. 5. in Hexamer. cap. 25.* *esset gratia redemptionis. Nisi desertus, non negaret: nisi respectus, non fleret. Odit Deus præsumptores de viribus suis, & tumorem istum in eis, quos diligit, tamquam Medicus secat. Secando quidem infert dolorem, sed firmat postea sanitatem.* Flevit amare. *Flevit errorem suum Petrus, & meruit ut aliorum aboleret errores.* Da, Domine, lachrymas Petri, nolo lætitiam peccatoris.

CAPUT XXVII.

Sensus Litteralis.

1. MANE *autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores Populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Cum dies illuxisset, Principes omnes Sacerdotum, & Senatores magni Synedrii qui in ædes suas recesserant, dissoluto nocturno conventu, in quo falsi testes auditi fuerant adversus Jesum, rursus convenerunt, & Jesum, quem in manibus militum reliquerant illudendum, concilio suo, cui nemo Senatorum deerat ob celebritatem causæ, iterum sisti jussum interrogaverunt (ut S. Lucas) narrat *dicentes: Si tu es Christus,* *Luc. cap.* *dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mi-* *22. 60. &* *hi: si autem & interogavero, non respondebitis mihi, ne-* *seqq.* *que dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus.* Post istam igitur solemniorem interrogationem Jesu in frequentissimo, diurnoque concilio, cum eum in confessione Divinitatis suæ persistentem unanimi suffragio reum mortis pronuntiassent, deliberarunt qua ratione omnium commodissima, facillima & expeditissima, sententiam capitalem in ipsum exequerentur, quo mortis genere illum e medio auferrent. Quia vero expeditius illis esse visum est, ut publico judicio affigeretur cruci: Cum illis adempta esset a Romanis capitalium judiciorum auctoritas, ut eorum verba apud Joannem testantur: *Nobis non licet interficere quemquam:* Illum Pilato judicandum tradiderunt. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi,* seu Procuratori Judææ pro Cæsare, qui potestatem vitæ ac necis a Tiberio acceperat. Expetierunt autem Pilatum *S. Leo ser.* Sacerdotes & Senatores Judæorum executorem magis sæ- *57. de Pass.* vitiæ, quam arbitrum causæ. Offerebant enim Jesum du- *Dom. 8.* ris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblinitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere.

2. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem Justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris: Et projectis argenteis in Templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit.* Videns Judas quod Jesus Synedrii præjudicio morti destinatus elabi non posset, mœrore ac pudore peccatum consequente cruciatus, conscientiæ stimulis dilaniatus, pœnitentia ductus, sed falsa & inutili, triginta argenteos, proditionis mercedem restituit primariis Sacerdotibus & Senatoribus Judæorum, dicens: Peccavi, tradens hominem insontem. At illi respondunt: Factum tuum solus expende: nostra nihil interest. Et projectis in ea parte Templi, in qua considebat Synedrium, abiit, & laqueo se suspendit. Fracto porro laqueo præceps corruit vel in saxum asperum, vel in ligni truncum acutum, & fisso ventre intestina illi effusa sunt. Vel, suspensus ita intumuit, ut crepuerit *Act. 1.* illi venter & viscera ejus omnia effusa sint. Ita conciliatur S. Matthæus cum S. Petro. Ille desperationis & mortis Iudæ initium, hic exitum describit, supplens quod Matthæi narrationi deerat.

3. *Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.* Acceptis argenteis in Templum a Juda projectis, quos antea recipere noluerant, ne venditionem rescindere viderentur, dixerunt: Non licet hanc pecuniam in Thesaurum sacrum sive in Ærarium Templi inferri, quia pretium est quo homo venditus est ad cædem, & turpe lucrum Templo efferri vetitum. *Deut.* 23. 18. Apud Hebræos cultus Idolorum, stuprum, cædes velut paria censentur. Ad homicidium etiam justum id extendunt, ea forsan ratione, quæ 1. *Paralip.* 22. 8. exprimitur, ubi Dominus dixisse memoratur Davidi: *Multum sanguinem effudisti: non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me:* Sed eadem, immo potiori ratione ipsi Sacerdotes qui sanguinem effuderant arceri debebant ab offerendis Deo sacrificiis, quæ pecuniariis illis donis longe erant sanctiora. Damnant itaque se ipsos impii Sacerdotes, cum in venditores id facinus execrantur, cujus ipsi emptores erant.

4. *Concilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Deliberatione facta in quem usum pecunia illa expendi posset, emerunt ex ea certum agrum, *figuli* nuncupatum, sive quod alicujus figuli proprius esset, sive quod testarum fragmenta in illum projicerentur, sive quod ejus uber omne ad figulina opera exhaustum esset, ita ut nullus inde fructus sperari posset. Illum autem agrum sepulturæ peregrinorum destinarunt, sive Judæorum, qui ex remotis regionibus Hierosolymam adventabant Religionis

cau-

cauſa, ac morte occupati propriam ſepulturam non habebant: ſive, quod veriſimilius eſt, Ethnicorum, qui Hieroſolymis præſidii cauſa tunc ingenti numero habitabant, ne promiſcue cum Judæis ſepelirentur. Pretium ſanguinis in mortuos & immundos impendi conveniens judicarunt. Propter hoc vocatus eſt ager ille a vulgo, *Ager ſanguinis*, ideſt, emptus pretio ſanguinis, ad perennem proditionis Judæ, ſceleriſque Judæorum memoriam. In Petri oratione *Act.* 1. Judas hunc agrum acquiſiviſſe dicitur ex mercede iniquitatis non tamquam rem ſuam, ſed tamquam æternum infamiæ monumentum. Dicebat enim populus præteriens: Hic eſt ager ille emptus ex pecunia pro qua Judas Magiſtrum ſuum vendidit.

5. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Locus ille in Jeremiæ Prophetia non invenitur, ſed in Zacharia minorum Prophetarum undecimo, cujus ſenſum, non verba S. Matthæus expreſſit. Sic autem habet Zacharias ex perſona Chriſti: *Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos; & projeci illos in Domum Domini ad ſtatuarium.* Chriſtus per Prophetam mercedem petit a Judæis pro beneficiis quibus eos affecerat. At Principes Sacerdotum loco mercedis appenderunt triginta argenteos Judæ proditori, ut eis ad mortem traderetur. Projecti ſunt autem a Juda in domum Domini, ideſt, in Templum, *ad ſtatuarium*, Hebraice *figulum*, ut ſcilicet per Sacerdotes ad manus ſtatuarii ſeu figuli eo pretio vendentis agrum ſuum pervenirent. Hoc igitur Zachariæ vaticinium tunc impletum eſſe Sanctus Matthæus obſervat, cum Judas triginta argenteos reſtituit Principibus Sacerdotum, & in Templum projecit, ex iiſque ager figuli emptus eſt. *Et acceperunt* Principes Sacerdotum *triginta argenteos* in Templum projectos, *pretium appretiati*, Meſſiæ, quem tanti æſtimaverunt filii Iſrael, ad quos miſſus erat: & eos dederunt ad emendum agrum figuli, ſicut Dominus Zachariæ juſſerat.

S. Hieron. in hunc locum Zachariæ 11. 12. 13.

Verum cur *Jeremiæ* nomine citat Evangeliſta, quod apud Jeremiam non invenitur, ſed apud *Zachariam*? Id a Jeremia dictum revera, quamvis non ſcriptum quidam reſpondent. Et certe S. Hieronymus oſtenſum ſibi teſtatur a Nazarenæ ſectæ homine librum apocryphum, in quo id ſub Jeremiæ nomine extaret. Quod a Jeremia dictum erat, Zachariam uſurpaſſe, qui Jeremiæ locutiones imitari ſic amat, ut propterea dicere ſoliti ſint Hebræi, *Jeremiæ ſpiritum in Zacharia fuiſſe*. Illud S. Matthæum citaſſe ſub nomine Jeremiæ a quo primitus dictum ex traditione noverat, vel ex revelatione Spiritus ſancti. Reſpondent alii Scribarum errore irrepſiſſe in S. Matthæi Textum *Jeremiam* pro *Zacharia*, cum adſcriptum eſſet compendiariis notis, Ζριου ideſt, Ζαχαριου & ab iis oſcitantibus lectum eſſet Ιριου ideſt, Ιερεμιου. Syrum Interpretem nullius Prophetæ nomen habere, uti nec Perſicum; ſed, *Tunc impletum eſt quod dictum fuerat per Prophetam*. In ora marginali adſcriptum abbreviatis characteribus Prophetæ nomen, ab Exſcriptoribus falſa lectione deceptis in Textum intruſum fuiſſe, *Jeremiam* pro *Zacharia*. Quæ conjectura & Euſebii Cæſareenſis auctoritate nititur. Sed & nonnullos Codices Latinos ſuo tempore habuiſſe: *Quod dictum eſt per Prophetam*, tacito *Jeremiæ* nomine, S. Auguſtinus teſtatur: quamvis hæc ei reſponſio non placeat. Alii Jeremiam in volumine Prophetarum primum locum olim obtinuiſſe ex Rabbinorum Traditionibus obſervant, & primum propterea nominari Matth. 16. 14. *Alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Matthæum ergo verba ex volumine Prophetarum citaſſe tantum ſub illius nomine, qui primus eo in volumine occurrebat. Simile illud Luc. 24. 44. *In Lege, Prophetis, & Pſalmis*. In Pſalmis, id eſt in Libro Hagiographorum, in quo Pſalmorum liber primum locum obtinebat.

Euſeb. l. 10. Demonſt. Ev. c. 7.

Huic nodum aliter ſolvit S. Auguſtinus. Reſpondet primo, ſecretiore conſilio Providentiæ Dei, qua mentes Evangeliſtarum ſunt gubernatę, factum ut *Jeremiæ* nomen pro *Zacharia* ſcriberetur. Potuiſſe fieri, ut animo Matthæi Evangelium conſcribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri ſolet, quod tamen ſine ulla dubitatione emendaret ſaltem ab aliis admonitus, qui illo adhuc ſuperſtite hoc legere potuerunt, niſi cogitaret memoriæ ſuæ, quæ Spiritu ſancto regebatur, non fruſtra occurriſſe aliud pro alio nomen Prophetæ; ſed quia Dominus ita ſcribi conſtituit, ut doceret, ita omnes ſanctos Prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter ſe conſenſione conſtare, ut hoc multo amplius ſit, quam ſi omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: *Et ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus ſanctus dixit, & ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum*. Propter hanc Prophetarum admirabilem concordiam, inquit S. Auguſtinus, non abſurde, immo congruentiſſime etiam Jeremiæ deputatur, quod per Zachariam dictum reperitur.

S. Auguſt. l. 3. de Conſenſu Ev. c. 7

Alia S. Auguſtini Reſponſio eſt, ex duobus locis Propheticis conflari hoc teſtimonium, Jeremiæ, & Zachariæ. Illud autem uſitatum eſt, ut cum verba aut teſtimonia duorum ſunt, aut altero omiſſo alter tantum nominetur; aut totum teſtimonium, quaſi unius tantum eſſet, ſignificetur. Prioris exemplum eſt *Marc.* 1. 2. & 3. ubi prior teſtimonii pars Malachiæ eſt, poſterior Iſaiæ, & tamen omiſſo Malachia unus nominatur Iſaias. Poſterioris, *Matth.* 21. 5. ubi teſtimoniis duorum Prophetarum connexis, dicitur tamen *ſcriptum per Prophetam*. Quod de pretio hic dicitur, eſt ex Zacharia; quod de agro empto, ex Jeremia. „ Eſt apud Jeremiam, quod emerit agrum a filio „ fratris ſui, & dederit ei argentum, non quidem ſub „ hoc nomine pretii quod poſitum eſt apud Zachariam, „ triginta argenteis; verumtamen agri emptio non eſt „ apud Zachariam. Quod autem Prophetiam de triginta „ argenteis ad hoc interpretatus ſit Evangeliſta, quod „ modo de Domino completum eſt, ut hoc eſſet pretium „ ejus, manifeſtum eſt; ſed ad hoc pertinere etiam illud „ de argo empto, quod Jeremias dixit, hinc potuit myſtice ſignificari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dixit triginta argenteis, ſed Jeremiæ qui dixit de agro empto; ut lecto Evangelio atque invento „ nomine Jeremiæ, lecto autem Jeremiæ & non inventó teſtimonio de triginta argenteis, invento tamen agro „ empto, admoneatur lector utrumque conferre, & inde „ ſenſum enucleare Prophetiæ, quomodo pertineat ad „ hoc quod in Domino impletum eſt. Nam illud quod „ ſubjecit huic teſtimonio Matthæus, cum ait: *Quem „ appretiaverunt filii Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus*, nec apud Zachariam, „ nec apud Jeremiam reperitur. Unde magis ex perſona „ ipſius Evangeliſtæ accipiendum eſt eleganter & myſtice inſertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit, ad hanc rem, quæ de Chriſti pretio facta eſt „ hujuſmodi pertinere Prophetiam. Liber quippe empti „ agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile; & tenetur hic de pretio Domini ager figuli, & hoc ad ſepulturam peregrinorum, tamquam ad permanſionem „ quietis eorum, qui in hoc ſæculo peregrinantes conſepeliuntur Chriſto per baptiſmum. Nam & illam emptionem agri hic ſignificare verba Jeremiæ, dixit Dominus: „ Quia erit permanſio de captivitate liberatorum. „

Jer. c. 32. 14.

6. *Jeſus autem ſtetit ante Præſidem: & interrogavit eum Præſes, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jeſus: Tu dicis.* Jeſus ante Præſidem ſtetit in Prætorio, ut reus, Judæis remanentibus foris, ut non contaminarentur. Interrogavit autem eum Pilatus an Rex eſſet Judæorum: quia Sacerdotes & Senatores Judæi illum cum hoc elogio Pilato tradiderant: hoc crimen affectati Regni maxime valiturum exiſtimantes ut Jeſum morti addiceret. Confer cum Luc. 23. 2. *Cœperunt autem* (inquit) *illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*. Hinc eum interrogavit Pilatus: *Tu Rex es Judæorum?* Tu tam vilis, tam pauper, Rex es Judæorum? Reſpondit illi Jeſus: *Tu dicis*: Ita res habet. Rex quidem ſum ego: ſed terrenum & temporale non eſt Regnum meum. Confer cum Joannis 18. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, Miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem Regnum meum non eſt hinc.* Sic reſpondit, ut & verum diceret, & ſermo ejus calumniæ non pateret. Ceterum Regnum ſuum ſpiritale omnino eſſe ſignificat, prædicatione veritatis inchoatum. *Ego*, inquit, *in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.*

5. Hieron.

7. *Et cum accuſaretur a Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Cum vidiſſent Pontifices Pilatum priori criminatione non multum moveri, ſecundam accuſationem coram ipſo Jeſu more Romano intentarunt, quod nempe populum commoveret docens per univerſam Judæam, incipiens a Galilæa uſque Jeruſalem. Pilatus Jeſum urget ut cauſam agat, innocentiam ſuam tueatur. Jeſus non reſpondet ei ad ullum verbum. 1. Quod accuſationum inanitas per ſe ſatis perſpicua & explorata eſſet vel ipſi judici. 2. Quod ſupervacuam defenſionem omnem fore Chriſtus pernoſceret, Pilato Judæorum clamoribus importunis, ac Cæſaris timori ceſſuro. 3. Quod mortem crucis pro generis humani redemptione pati decreviſſet. *Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer*, hominem inſontem, ſapientem, eloquentem, in capitis periculo ſilere. Mirabatur ejus patientiam, fortitudinem, mortis contemptum, integritatem, modeſtiam. At ex ſilentio Jeſu nullum adverſus ejus innocentiam præjudicium fieri poterat. Nam in capitalibus cauſis, non modo tacentes, niſi certiſſimis convicti teſtimoniis

Joan. 18. 37.

Luc. 23. 5.

niis damnari non possunt; sed ne confessio quidem perire volentium admittenda est.

8. *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Mos invaluerat, ex Augusti (ut probabile est) concessione, ut tempore Festi Paschatis populo Judaico vinctum unum reum mortis Præses dimitteret, quemcumque postulassent. Sic Imperatores Christiani Valentinianus, Theodosius, & Arcadius generali Lege judicibus mandarunt, ut primo die Paschali omnium in carcere clausorum, nisi ob certa crimina, quæ Lex excipit, vincula dissolverentur. Habebat autem tunc vinctum sceleribus *insignem, latronem*, ut ex S. Joanne constat, ex iis scilicet qui publicas vias obsident, seditionis insuper & homicidii in civitate perpetrati reum, ut S. Lucas refert, nomine *Barabbam*. Congregatis ergo Sacerdotibus & Senioribus Synedrii, adstante populo, Pilatus præveniens postulationem populi, & liberandi Jesum, cujus innocentiam perspectam habebat, occasionem quærens, dixit: *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?* Sceleratum, an insontem? Seditiosum, an pacificum? Latronem, an benefactorem vestrum? Homicidam, an ægrorum vestrorum curatorem, mortuorum suscitatorem? hominem famosum, an Jesum, qui a multis creditur Messias vobis promissus? Christum non multis opponit Præses, sed uni, eique homicidæ, seditioso, latroni publico, omnibus odioso, ceu communi civitatis hosti, ut sic Christum eligere fere cogerentur. Sciebat enim Pilatus, tum ex fama, tum ex modestia Jesu, tum quod nulla in eum crimina probarentur, quod per invidiam eum tradidissent Principes Sacerdotum & Seniores, Pharisæi, Legisperiti. Invidiam non dissimulabant, qui dixerant nuper: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum... Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.* Jo. 11. 47. 48.

9. *Sedente autem illo pro Tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & Justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Non de ultima cognitione hic agitur qua Christus cruce damnatus est post flagellationem, sed de alia priore. Aliquoties enim Pilatus sedit in Tribunali, pro more judicum ad examen causæ. Cum igitur in Tribunali sederet, internuncium ad eum misit uxor ejus, dicens: Nihil agas adversus Justum illum; liberum illum dimitte. Multos enim terrores & angores passa sum hodie mane in somnis propter eum. A Deo scilicet patefacta illi fuerat per somnium Jesu innocentia, forte & mala quæ Pilatum, Urbemque ex injusta damnatione manebant. Uxori autem hoc somnium immissum est, non Pilato, sive quia illa minus indigna erat, sive quia Pilatus illud non declarasset, vel ipsi creditum non fuisset. Mulier igitur videt, ut manifestum fiat, nec solum videt, sed patitur multa, ut judicem a sententia ferenda paululum cohiberent tener erga uxorem affectus & compassio. *S. Jo. Chrys. Hom. 86. in Matth.*

10. *Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis*, per emissarios suos huc illuc discurrentes & insusurrantes, *ut peterent Barabbam* dimitti, *Jesum vero perderent*, seu ad mortem deposcerent. *Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam.* Uxoris denuntiatione territus Præses, aut magis inflexus, vehementiori cum studio instat & urget ut Christus liberetur, illumque cum Barabba proponit. Ignominiosissima certe comparatio, sed longe iniquior & ignominiosior postulatio Judæorum, Barabbam Jesu præponentium. Criminis hujus atrocitatem illis exprobrat S. Petrus *Act.* 3. 14. *Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem vero vitæ interfeciſtis.* Petitionis iniquæ ac insolentis pertinacia attonitus Pilatus iterum instat: *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* Sic autem urgebat, *volens dimittere Jesum*, ut S. Lucas observat. *Dicunt omnes*, & Principes Sacerdotum, & populus, etiam qui *Hosanna* paulo ante acclamaverant: *Crucifigatur*, ut seditiosus, & læsæ Majestatis reus. Ad supplicium ignominiosissimum & acerbissimum Christum deposcunt innocentem & sanctum. *Ait illis Præses: Quid enim mali fecit?* Non faciam. Quid enim mali commisit? Stupenda pertinacia vestra est, qui insontem ad supplicium omnium maxime infame & atrox deposcitis. *At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.* Quem calumniis, & falsis testimoniis opprimere non poterant, insanis ac tumultuariis vociferationibus ad crucem deposcunt, ut quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere. *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret*, ac frustra tentasset liberationem Jesu, *sed magis tumultus fieret*, Judæis clamantibus: *Nos Legem habemus, & secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, ut refert S. Joannes; politicus Præses seditionem popularem metuens, forte & defectionem a Romanis, hoc periculum innocentis damnatione redimere voluit, & populo gratificari decrevit. Postquam igitur Jesum flagellari jussit, spinis coronari permisit, populo produxit ad commiserationem eorum excitandam, obstinatos eorum animos in morte ipsius urgenda cognoscens ex seditiosis clamoribus; *accepta aqua, lavit manus coram populo*, ad contestationem innocentiæ suæ hac in causa, seu ex more Judæorum, quos inter versabatur, seu ex aliarum gentium solemni ritu, *dicens: Innocens ego sum a sanguine Justi hujus: vos videritis.* Non mihi, sed vobis justi cædes imputabitur, qui hanc a me violentis ac pertinacibus suffragiis & clamoribus extorquetis. Ad hoc attendite: *Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Populus universus, qui magno numero Hierosolyma confluxerat Paschalis solemnitatis causa, & hic aderat ut causam Jesu audiret, se filiosque devovit & obstrinxit vindictæ divinæ pro illius cæde. Sanguis ejus, inquiunt, idest, Pœna, si quæ propter sanguinem ejus effusum a Deo irroganda est, super nos, & posteros nostros veniat. Ne sollicitus sis, Præses, culpam in nos suscipimus, a nobis luendam. *Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos, & sanguis Domini non auferetur ab eis.* Joann. 19. Deuter. 25. Ps. 26. 6. S. Hieron.

11. *Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Violentis ac pertinacibus populi votis ac impotenti vociferationi clamantium: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari*, ut S. Joannes refert, cessit tandem Pilatus, & Barabbam illis dimisit, prout flagitabant. Jesum autem Militibus Romanis tradidit crucifigendum, petitioni & clamoribus Judæorum annuens. *Excessit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & invidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum... Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur quod famulante impia mente committitur.* Jesum autem crucifigendum tradidit Pilatus, postquam eum flagellari jussisset. Quamvis porro flagellationem crucifixioni præmittere moris esset, non eo tamen animo Jesum flagellari jusserat Pilatus ut crucifigeretur, sed potius ut Judæorum animos hoc tormento mitigaret. Nam & post flagellationem ipsum a crucis supplicio liberare conatus est; & quo animo eum flagellis addiceret, significaverat his vervis. *Nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis... Emendatum ergo illum dimittam.... Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.* Quæstionis in modum sæpe inflicta flagellatio, alias supplicii causa. Aliud virgis, aliud flagellis verberari, ut patet etiam ex 2. ad Corinth. 11. 24. 25. *A Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi. Ter virgis cæsus sum.* Flagellis verberari, ignominiosius & atrocius erat, quam virgis cædi. Alligatus columnæ Jesus, quæ cruore illius infecta, etiamnum Romæ in Templo Sanctæ Praxedis videtur, a Romanis Militibus flagellis dirissime cæsus est, ictuum numero, quem Lex Mosaica Judæis excedere vetuit, quadraginta uno minus, non observato. Viliores dumtaxat & tenuioris conditionis personas flagellis cædi, Romanæ Leges permittunt, *honestiores* hoc supplicio affici vetant. *D. Tit. de Pœnis.* Ignominiosum ergo flagellationis supplicium, servis, ignavis & contumacibus, desertoribus, & latronibus infligi solitum. Notum illud Ciceronis in Verrem: *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno res tam nefaria exprimi nullatenus potest.* Flagellationis Christi acerbitas prædicta est a Prophetis. Ps. 21. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Psalm. 34. 15. *Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi* Ps. 128. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Isaiæ 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, &c.* Isaiæ 53. 3. & seq. *Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Joann. 19. 13. S. Leo ser. 57. de Pass. Domini 8. Luc. 23. 16. 22. Act. 24. L. Nullam C. Tit. Ex quibus causis infamia irrogetur Orat. 17. de Statutis. S. Hier. Ep. 27. S. Jo. Chrys.

A nonnullis in dubium revocatur utrum Pilatus permiserit dumtaxat Judæis Jesum, an more judicis damnaverit. Prolatam a Pilato sententiam negant, Lactantii auctoritate fulti Libro quarto Institutionum, cap. 1. & S. Joannis Chrysostomi Oratione secunda De Eleemosyna. Sed contrarium multa evincunt. 1 Locus tribunalis in quem processit Pilatus, & in quo *adjudicavit fieri petitionem illorum*, idest, Jesum crucifigi, prout illi violentis ac pertinacibus suffragiis flagitabant, ut loquitur S. Cyprianus lib. adversus Demetrianum. 2. Quod per solos Milites Romanos exactum supplicium; ipsa pœna propria Romani juris; nam crux Judæis Legibus ignota: titulus crucis a Pilato dictatus: corpus ab eo postulatum aliæque circumstantiæ. 3. Quod jam ante, cum Pi-

Luc. 23. v. 24.

latus

Luc. 2. 3. 20.

latus dixisset: *Accipite eum vos, & secundum Legem vestram judicate eum*, Judæi responderunt sibi judiciorum capitalium ademptam potestatem: *Nobis non licet interficere quemquam*: & omnes insecuti clamores non alio tendebant, quam ut Pilatus sua voce lataque sententia Jesum damnaret. Atque hoc est in quo populo furenti contra jus & æquum, & proprium mentis suæ judicium ignave gratificatus est. 4. Christus de se ipso dixit, *Tradetur Gentibus ad crucifigendum*. 5. Catholicorum & Quartodecimanorum provocatio ad Acta Pilati, ostendit rem judicii specie gestam. 6. Tacitus Romanus Historicus id confirmat. *Auctor*, inquit, *nominis ejus Christus, qui Tiberio Imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat*.

12. *Tunc Milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Tunc Milites Romani, Pilati Præsidis lictores, quatuor numero, duxerunt eum *in atrium Prætorii*, & congregata universa cohorte sua, ut communi petulantia Jesu insultarent, Regiæque illius illuderent Dignitati, exuerunt eum vestibus propriis, quibus eum post flagellationem toto corpore vulneratum & sanguine suo perfusum iterum induerant: & chlamydem coccineam, quæ purpuræ colorem referebat, detritum scilicet aliquod Militis pallium, regalis instar paludamenti illi aptaverunt. Et spinis e rhamno acceptis, qui locis illis frequens, coronam ex illis plectentes, imposuerunt eam super caput ejus, diadematis instar regii, in ludibrium simul ac supplicium: *Certe præter figuram, contumelia in promptu est, & turpitudo, & dedecoratio, & bis implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt*. Et arundinem in dextera ejus posuerunt, loco sceptri. Et genuflexo specie adorationis, illudebant ei ceu ludrico Regi, dicentes: *Ave Rex Judæorum*; affectationem Regni simulatæ salutationis ludibrio illi exprobrantes. Sputa & verbera addiderunt tributi loco. *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem*, quam manu gestabat, *& percutiebant caput ejus*, tamquam morionis, spinas altius in caput illius sacrosanctum adigentes. Crudelis hæc scena, spineæque coronæ impositio, illusio, contumeliæ, permittente Pilato, non jubente, facta sunt. Unde Tertullianus coronationem illam Jesu vocat *Romanorum Militum commentum*. Agrippam Regem Judæorum postea simili fere modo ab Alexandrinis illusum in persona morionis cujusdam, cui nomen *Carabæ*, testis est *Philo Hebræus* lib. in *Flaccum*. Quod in vindictam illusionis Christi factum pie credi potest. „ Stragulo, *inquit*, quale in terra sternitur corpus ejus ceterum pro chlamyde obvelant; papyrum extensam vice diadematis capiti ejus imponunt. Pro sceptro fragmentum papyri indigenæ humi porrectum quis videns ei tradidit. Postquam vero tamquam in theatricis mimis insignia Regni accepit, & in Regem ornatus est, accessere postea alii quidam ut salutaturi. Post hæc circumstante multitudine vox sonuit ridicula, Marin vocantium: sic aiunt a Syris Dominum appellari. " Sed hæc Agrippæ in aliena persona, morionis scilicet illum velut in scena repræsentantis illata sunt ludibria; Christo in propria persona; Agrippæ homini mero; Christi homini Deo: Agrippæ Regi Judæorum a Tiberio creato; Christo Regi non Judæorum dumtaxat, sed omnium gentium nato, cœli terræque Domino: Agrippæ sine tormento; Christo cum acerbissimis punctionibus spinarum sacram ejus cervicem & tempora configentium, cum verberibus, alapis & sputis.

Jo. 19. 11. *Marc.* 15. 16.

Ter. l. de Corona cap. 14.

13. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent*. Multa prætermittit S. Matthæus, quæ ex S. Joanne supplenda sunt. In isto scilicet ludicri Regis habitu Judæis est ostensus, iterum examinatus, rursum productus foras, tandemque illis traditus ut crucifigeretur. Traditus autem est militibus per quos exigebatur supplicium a magistratibus Romanis, etiam extra castra. Unde Tertullianus Christiano Militiam dissuadens: *Et vincula*, inquit, *& crucem, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum?* Quatuor igitur milites Jesum chlamyde coccinea exuerunt, & propriis indutum vestimentis eduxerunt extra civitatem, ut crucifigerent. Qua de re Apostolus ad Hebræos scribit: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

Joan. 19.

Heb. 13. 11. 12. 13.

14. *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus*. Jesum e Prætorio eductum crucem suam per Urbem tulisse, constat ex S. Joanne: *Et bajulans sibi crucem*, inquit, *exivit in eum qui dicitur Calvariæ locus*: Idque more Romano, quo qui cruci affigendus erat, crucem prius per urbem portabat. Unde nomen *furcifer*, proverbiale evasit. Sed in ipso portæ civitatis egressu, obvium habuerunt hominem Cyrenæum, ex Lybiæ scilicet Pentapoli Cyrenaica oriundum, cujus mentio fit, *Act.* 2. 11. & 6. 9. Judæum, an Gentilem, incertum, *venientem de villa, Patrem Alexandri & Rufi*, ut S. Marcus observat. Hunc milites coegerunt ut tolleret crucem Jesu, tum ut viam citius conficerent, tum quia vires Jesu erant exhaustæ. Crucem totam, non partem ejus, Simonem tulisse extra urbem usque ad montem Calvariæ, sicut totam Jesus per urbem tulerat, significat S. Lucas his verbis: *Et imposuerunt illi crucem portare post Jesum*: & S. Augustinus confirmat. Isaac ligna sacrificii sui portans in montem, typus Christi fuit crucem in qua immolandus erat in Calvariæ montem, bajulantis.

Joan. 19. 17.

Marc. 15. 21.

Luc. 23. 16.

S. Aug. lib. de Consensu Evang. cap. 10.

15. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus*. Golgotha dicitur euphoniæ causa pro *Colgotha*, quod Syriace significat *Calvariam*. Sic appellatus mons est, quod ibi decollari homines solerent. Veterum Patrum nonnulli ita vocatum volunt, quod ibi Adam generis humani Caput sepultus esset, ut scilicet ibi mortem Christus pateretur, ubi radix mortis requiesceret, ac Redemptoris sanguis rigaret cineres primi Peccatoris. Hanc sententiam refellit S. Hieronymus. „ Audivi, *in-* „ *quit*, quemdam exposuisse Calvariæ locum, in quo se- „ pultus est Adam: & ideo sic appellatum esse, quia „ ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse „ quod Apostolus dicat, *Surge qui dormis, & exurge a* „ *mortuis, & illuminabit te Christus*. Favorabilis inter- „ pretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. „ Extra urbem enim & foras portam loca sunt, in qui- „ bus truncantur capita damnatorum, & Calvariæ, id- „ est, decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem „ ibi crucifixus est Dominus: ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla Martyrii. Et quo „ modo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus est, & crucifixus: sic pro omnium salute qua- „ si noxius inter noxios crucifigeretur. Sin autem quis- „ piam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Adæ tumulum distillaret; interrogemus eum quare & latrones in eodem loco crucifixi sint? Ex quo apparet, Calvariam non se- „ pulchrum primi hominis, sed locum significare decol- „ latorum: ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia. Adam vero sepultum juxta Hebron & Arbec, in „ Jesu filii Nave Volumine legimus. „

S. Epiphan. Hæresi 46.

S. Hier. in hunc locum

Ephes. 5.

Josue 14.

16. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset noluit bibere*: Vinum thure aut myrrha conditum recepto more dabatur ad supplicium damnatis, & jam morituris, ut eo exhilarati mortem minus considerarent, & facilius tolerarent. Moris hujus, cujus testes sunt Rabbinici Libri, fundamentum habetur *Prov.* 31. 6. ubi Salomon ait: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*. Ex more itaque milites Christo dederunt *Vinum myrrhatum*, ut S. Marcus narrat, sed corruptum, acidum, & *felle mixtum*, ut ejus amaritudine palatum & gustum Jesu affligerent & cruciarent. Sic impleta Prophetia est: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Sed cum gustasset, noluit bibere, ut ostenderet se placide mori, & ad ferendos dolores medicamento non egere: vel pro nobis mortis amaritudinem gustare, sed tertia die surrecturum.

Marc. 5. 25

Ps. 60. 22.

S. Hier. in hunc locum

17. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Postquam crucifixerunt eum, non funibus, sed clavis manus ejus & pedes configentes cruci, tribus dumtaxat, an pluribus, incertum: Milites vestimenta ejus partiti sunt, dum in cruce nudus penderet: sortem mittentes, non solum super tunicam inconsutilem, quam non diviserunt, sed alea addixerunt victori; sed etiam super vestes illas divisas, quis quid tolleret. *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: diviserunt sibi vestimenta mea, &c.* Hæc verba ex S. Joanne adjecta hoc loco Viris Eruditis videntur, cum non extent in Græcis optimæ notæ Codicibus, nec in plerisque Latinis, nec in Versione Syriaca, nec legerit Origenes: Retinenda sunt tamen, cum in Vulgata Versione, quæ usu Ecclesiæ consecrata est & auctoritate firmata, reperiantur: cui auctoritati & usui prævalere non debent Eruditorum conjecturæ. Evangelica certe verba sunt a Spiritu sancto inspirata S. Joanni, quamvis a S. Matthæo prætermissa essent.

Ps. 21. 19

Jo. 19. 24. *Marc.* 15 25.

18. *Et sedentes servabant eum*. Centurio & Milites ejus Jesum in cruce pendentem servabant more Romano; donec sententia executioni mandata esset, morsque secuta; ne qui forte amicorum vivum de cruce deponerent & asferrent.

19. *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam*: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Sive *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, ut habetur apud S. Joannem. Brevibus verbis causa supplicii indicari sole-

solebat, scripto aut præconis voce. Milites igitur titulum seu causam supplicii a Pilato scriptam seu dictatam, in summa cruce, vel in tabella ei affixa posuerunt. Matthæus, Marcus & Lucas inscriptionis sensum retulerunt: Joannes verba ipsa describit. *Jesus*, proprium nomen, *Nazarenus*, patria, qua vulgo erat, *Rex Judæorum*, causa supplicii. Tribus linguis scriptum titulum S. Joannes observat: Hebraica, ob locum in quo supplicium sumebatur; Græca, ob maximam turbam Hellenistarum, sive Judæorum in Græcia dispersorum, & Græco idiomate loquentium, quæ ad Pascha convenerat; Latina, ob Imperii Majestatem.

Isai. 53. 12. 20. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, & unus a sinistris.* Quod factum & Dei consilio, ut illud Prophetæ vaticinium impleretur: *Et cum sceleratis reputatus est*: & consilio Pilati, ut velamentum iniquitati suæ obtenderet, ne dum innocentem occideret, sceleratis parcere videretur, & ut Jesus in medio duorum maleficorum crucifixus, maleficorum princeps haberetur: consilio denique Judæorum, ut mors ejus ignominiosior esset. Atque de Christo in medio duorum latronum crucifixo hæc verba Habacuc Prophetæ cap. 3. vers. 2. *In medio duorum animalium cognoscetis*, secundum Versionem 70. Interpretum (aliter enim habet Vulgata versio Latina) SS. Hieronymus & Augustinus sunt interpretati, quamquam & alias explicationes adjunxerint. Bonum Latronem ad dexteram Christi crucifixum, malum ad sinistram, S. Hilarius scripsit, idque præsumi potest, non certo probari.

S. Hieron. in c. 3. Habacuc S. Aug. l. 18. de Civit. Dei c. 32. S. Hil. c. 33. in Matth.

21. *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, & dicebant: Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum, dixit enim: Quia Filius Dei sum: Idipsum autem & Latrones, qui crucifixi erat cum eo, improperabant ei.* Judæorum in via publica prætereuntium, sive circa Crucem circumcursantium spectaculi causa vulgus blasphemiis Divinitatem Christi Jesu lacessebat: & moventes capita sua in signum contemptus, irrisionis, & insultationis, quod a Propheta prædictum, dicebant: Tu qui gloriabaris te destructurum Templum Dei & in triduo illud instauraturum: salva temetipsum, si adeo potens es. Si Filius Dei es, ut palam docuisti, & in judicio confessus es, descende de Cruce. Næ te egregium Templi instauratorem, qui nec temetipsum a supplicio liberare vales. Similiter & Principes Sacerdotum dignitatis & ministerii sui obliti (cum nec eos suppliciis interesse, multo minus morientibus insultare deceret) cum Scribis & Seniorибus illudentes ei, dicebant: Si vere alios salvos fecisset, veris miraculis, Dei virtute editis; non autem ut Impostor & Magus ope Beelzebub dæmoniorum principis operatus hominum oculis illusisset, aut præstigiis insolita & admirabilia opera edidisset, se ipsum certe nunc salvum faceret. Si Rex Israel est, si Messias & Christus a Deo promissus, qualis credi voluit, descendat nunc de Cruce, & fidem ei habebimus. Fiduciam in Deo, Patre, ut jactat, suo, habere se, ad ostentationem dixit: liberet nunc eum Deus, si illum ut Filium suum agnoscit ac diligit. Dixit enim se Filium Dei esse. Impossibile autem est ut Deus Filium suum derelinquat, qui neminem in se sperantem deserit. Confer cum Psal. 21. 7. 8. 9. „ Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes „ me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt „ caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Et cum Sapientiæ 2. 12.* „ Circumvenianus Justum, quoniam inutilis est nobis & „ contrarius est operibus nostris, & improperat nobis „ peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ „ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat . . . Gravis est nobis etiam ad „ videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & „ immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati „ sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam „ ab immunditiis, & præfert novissima Justorum, & „ gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si „ sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt „ illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est „ verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de „ manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus „ eum. „

Psal. 108. 25.

Idipsum autem, inquit Evangelista noster, *& latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei:* nempe, *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos*, ut S. Lucas exprimit. Latrones improperasse Jesu, eumque convitiis affeciisse scribunt Matthæus & Marcus: sed enallage numeri sive syllepsis est, qua unus e multis plurali numero significatur, cujus figuræ & alia sunt in Scripturis

Lucæ 23. 39. & seqq.

exempla. Sic autem intelligendam Matthæi & Marci locutionem, ex S. Luca constat, qui blasphemias & convitia uni tantum latronum tribuit, & hunc a socio reprehensum commemorat. *Unus autem*, inquit, *de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.* Sic sacros Evangelistas conciliat Sanct. Augustinus. Origenes, Cyrillus Hierosolim. S. Hilarius, S. Chrysostomus, utrumque latronem initio blasphemasse & convitiatum fuisse Jesu censent; alterum deinde ingruentibus tenebris, terra commota, saxisque diruptis, Christique patientia & mansuetudine attentius consideratis conversum, & ex latrone confessorem Christi factum, socium increpuisse. Utramque expositionem amplectuntur SS. Ambros. & Hieron.

S. Aug. l. 3. de Consensu Ev. cap. 15. Orig. Tract. 35. in Matt. Cyrill. Hierosol. Catech. 13. S. Joh. Chrys. Hom. 88. in Matth.

22. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* A media die, qua circiter hora crucifixus est Jesus, secundum Sanctum Joannem, *Hora quasi sexta*, seu *Hora tertia*, ut ait Sanctus Marcus, secundo scilicet diei trihorio ad exitum vergente, tenebræ factæ sunt, non solum in Judæa, sed super universam terram, sole scilicet obscurato, ut docet Sanctus Lucas, non interposita Luna, ut quæ tum plena esset, neque nube obducta, sed modo admirabili, hominibus ignoto, supernaturali. Stupendi illius Solis deliquii meminit Phlegon Hadriani Imperatoris libertus libro 13. Olympiadum. *Quarto anno*, inquit, *Olympiadis ducentesimæ secundæ factum est deliquium Solis omnibus cognitis majus, & nox facta est hora diei sexta, ita ut & stellæ in cœlo conspicerentur: præterea terræ motus per Bithyniam magnam partem Nicææ urbis evertit.* Terræ motus locum nominat, tenebrarum non nominat; & cum majores ante visis memorat, ita ut meridie velut nox esset, satis demonstrat non per Judæam solum, sed per universam terram fuisse. Thallum quoque Gentilem scriptorem l. 3. Historiarum, hujus deliquii meminisse testis est Julius Africanus. Meminit & Tertullianus, & illud subductæ diei, cum meridies esset, miraculum in Archiviis Romanis consignatum notat. „ Tamen, *inquit*, *suffixus*, multa mortis illius ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis „ officio. Eodem momento dies, medium orbem signante, te sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, „ qui id quoque super Christo prædicatum non sciebant. „ Et tamen eum mundi casum relatum in Archiviis vestris habetis. Duravit autem Ecclipsis illa prodigialis per tres horas, a sexta hora scilicet usque ad horam nonam, id est, a meridie usque ad tertiam pomeridianam: cum naturales ecclipses brevissimo durent tempore, quoad Luna Solem transeat. Ad hanc solis in meridie admirabilem & terribilem defectionem pertinet illud Amos vaticinium: „ Et erit in die illa, dicit Dominus „ Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam „ terram in die luminis ... & ponam eam quasi luctum „ unigeniti, & novissima ejus quasi diem amarum. *Quem „ locum S. Hieronym. ita commentatur.* Possumus hunc „ locum & in Domini intelligere passione, quando sol „ hora sexta retraxit radios suos, & pendentem in cruce „ Dominum suum spectare non ausus est: quando tenebris cuncta complentibus festivitates eorum & cantica, „ Vespasiano Titoque superantibus, in planctum luctum, „ que mutata sunt: quando lachrymarum & pœnitudinis, & ciliciorum repleta sunt omnia, & capita habuere calvitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæsarie „ comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius „ Dei populus Israel, qui in unigenitum & vere Filium „ Dei miserat manum, æterno luctui traditus est, & novissima hujus, sive qui cum eo erant, amaritudine repleta. „ Sol itaque retraxit radios, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.

S. Hil. c. 33. in Matth. S. Hieron. in hunc locum. S. Aug. l. 3. de Consensu Ev. c. 16. Tertull. in Apolog. c. 21. Amos 8. 9. 10. S. Hieron. l. 3. in Amos ad hunc locum. S. Hieron. in hunc locum.

23. *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammasabactani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Voce magna clamavit, ut vocis contentione non solum doloris acerbitatem testaretur, sed ex potestate & voluntate, non ex infirmitate se mori significaret. Non modo enim morientes, sed & gravi timore perculsos vox deficit. Psalmi autem 21. qui totus illum spectat, verbis Patrem invocat: *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Cur me persecutorum sævitiæ, tormentorum omnium acerbitati dereliquisti, omni solatio destitutum, externo, interno, corporis, animi, sive a ratione humana, sive a visione beatifica, sive ab ipsa Divinitate mea derivando? Cur consolationem omnem suspendisti, & omnes fluctus tuos induxisti super me? Naturæ humanæ, in qua patiebatur, vox ista fuit; vox capitis omnia in se corporis sui membra transformantis. „ Vox ista, doctrina est, non „ querela. Nam cum in Christo, Dei & hominis „ una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo „ non poterat separari: pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caro pati metuens, exaudita non fuerit. „ Instante enim passione, ad sanandum & corrigendum

S. Hieron in hunc locum. S. Leo serm. 65. & 66 16. & 17. de Pass. Dom.

„ dum nostræ fragilitatis metum dixerat; *Pater, si possi-*
„ *bile est, transeat a me calix iste* ... Qui ergo trepida-
„ tione carnis evicta, jam in paternam transierat volun-
„ tatem, & toto mortis terrore calcato opus suæ con-
„ stitutionis implebat: cur in ipso tantæ victoriæ exalta-
„ tus triumpho, causam & rationem, qua sit relictus, id
„ est, non exauditus, inquirit: nisi ut ostendat alium esse
„ illum affectum, quem ad humanæ formidinis excusatio-
„ nem recepit, alium illum, quem ex æterno Patris con-
„ silio præelegit? Unde ipsa vox non exauditi, magni est
„ expositio sacramenti, quod nihil humano generi con-
„ fert Redemptoris potestas, si quod petebat, nostra
„ obtineret infirmitas.... Ideo ergo Jesus voce magna cla-
„ mabat, dicens: *Quare me dereliquisti?* ut notum face-
„ ret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed
„ sævientium manibus derelinqui, hoc est, Salvatorem
„ mundi fieri & omnium hominum Redemptorem; non
„ per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione
„ auxilii, sed definitione moriendi.... Unde tradi Domi-
„ num Passioni tam fuit paternæ quam ipsius voluntatis:
„ ut eum non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se
„ quadam ratione desereret, non trepida discessione,
„ sed voluntaria cessione. Continuit enim se ab impiis
„ crucifixi potestas: & ut dispositione uteretur occulta,
„ uti noluit virtute manifesta. Nam qui mortem & mor-
„ tis Auctorem sua venerat passione destruere, quomodo
„ peccatores salvos faceret, si persecutoribus repugnaret?„

24. *Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.* Id dictum a Romanis militibus sermonis Hebraici ignaris, qui *Eliam* pro *Eli* intellexerint, quidam conjiciunt. Verisimilius est id dictum a Judæis Helleniistis, qui cum Hebraica verba non intelligerent, Eliæ nomen sibi notum audire sibi visi sunt. Romani enim Milites nihil de Elia noverant. Forte & Judæi Hierosolymitani verba Christi ex industria perverterunt, ut ipsi illuderent. *Et continuo*, cum Jesus dixisset, SITIO, currens unus ex eis, Romanis scilicet militibus, *acceptam spongiam* implevit aceto, & *hyssopo* circumpositam, ut aceti acore cum hyssopi amaritudine mixto potus fieret ingratior, *imposuit arundini* ut ad os Christi in cruce pendentis pertingere posset: & *dabat ei bibere*; simulque illusit eum, cum aliis dicens: *Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac*, ut refert S. Lucas. *Ceteri* vero dicebant: *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum*: Quod ab ipso milite spongiam aceto plenam porrigente dictum S. Marcus observat: *Potum dabat ei dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Sic impleta Prophetia est: *Et in siti mea potaverunt me aceto.*

S. Hieron. in hunc locum.
Joann. 19. 28.
Lucæ 23. 37.
Marci 15. 36. Psal. 68. 22.

25. *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Cum accepisset acetum, & dixisset: *Consummatum est*, ut S. Joannes refert, clamore magno proferens suprema illa verba: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, ut S. Lucas refert, *inclinato capite*, ut S. Joannes observat, *emisit spiritum*, sponte, non necessitate; voluntate, non infirmitate. *Quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium* (inquit S. Ambrosius). *Crucifixus prævento carnificis officio*, spiritum sponte dimisit (inquit S. Cyprianus.) Confer cum Isaiæ 53.12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Hora tertia sententiam acceperat Jesus a Pilato; hora quasi sexta crucifixus; hora nona, scilicet tempore sacrificii vespertini, mortuus est.

S. Amb. l. 10 in Lucam
S. Cypr. lib. ad versus Demetr.
S. Ignat in Epist. ad Smyrnenses.

26. *Et ecce velum Templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Statim atque Jesus spiritum emisit velum Templi scissum est; an exterius, quod oppansum erat foribus Templi, an vero interius, quod oppansum erat penetrali sive Sancto Sanctorum, incertum. De velo exteriori hunc locum intelligunt Origenes, S. Hieronymus, alii e Veteribus. De interiori, SS. Cyrillus Alexandrinus, Leo, & alii. Hoc scissi veli miraculo significatum est: 1. omnia Legis Sacramenta, quæ prius tegebantur, jam Christi morte esse patefacta, nec amplius velo tegenda, ut docet Apostolus 2. ad Corinthios 3. 14. *Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum*, (*quoniam in Christo evacuatur.*) 2. Significatum est eo miraculo, Sancta Sanctorum ab indignis Sacerdotibus recessisse. *Velum* (inquit S. Leo) *cujus objectu intercludebantur Sancta Sanctorum, a summo usque ad ima diruptum est, & sacrum illud mysticumque secretum, quod solus summus Pontifex jussus erat intrare, reseratum est, ut nihil jam esset discretionis, ubi nihil resederat sanctitatis. Repudiatos itaque vos* (o Judæi) *debuistis agnoscere, & omne jus Sacerdotii perdidisse, quia verum erat quod Veritas vobis dixerat*: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. *Merito ergo vos Testamentum utrumque condemnat, & gratia vacuatos, & lege privatos, qui ideo resistitis novis, quia non credidistis antiquis.* 3. Hoc miraculo significatum est, jam *propalatam esse sanctorum viam, priore Tabernaculo non amplius habente statum.* Christum scilicet *Pontificem futurorum bonorum, per proprium sanguinem* ingressum *in Sancta, æterna redemptione inventa*, id est, *in ipsum cœlum* per *sancta manufacta* adumbratum, aditum ad illud justis veteris novique Testamenti aperuisse. *Terra* insuper *mota est, & petræ scissæ sunt* ex terræ motu, quo significatur apud Prophetas alicubi rerum; alibi Dei majestas, alibi ira divina ob hominum scelera. Sane Centurio ira interpretatus est hoc prodigium. Inde enim colligebat Jesum inique damnatum. Lucæ 33. 47. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* In damnationem Judaici sceleris unam tulerunt omnia elementa sententiam. Horruit terra immane scelus, ut solet homo horrens contremiscere. „ Velum scinditur, quo „ vel duorum populorum divisio, vel mysteriorum Syna- „ gogæ profanatio declaratur. Scinditur ergo velum „ vetus, ut Ecclesia nova fidei suæ vexilla suspendat. „ Synagogæ velamen aufertur, ut Religionis interna „ mysteria, revelato mentis cernantur obtutu. Denique „ jam etiam Centurio Dei Filium quem crucifixerat, con- „ fitetur. O duriora saxis pectora Judæorum! Finduntur „ petræ, sed horum corda obdurantur. Judex arguit, „ credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, „ elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta rese- „ rantur: Judæorum tamen immobilis duritia manet orbe „ concusso. „

Ps. 18. 7. & 8. Joel 3. 16.
S. Amb. l. 10. in Luc. n. 128.

27. *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* In ipso mortis Christi articulo monumenta aperta sunt, quo clarius appareret illum mortem subiisse, *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et multa corpora sanctorum, qui mortui fuerant, surrexerunt, non statim per mortem Christi, sed post ejus Resurrectionem, qui est *Primogenitus ex mortuis*, tamquam *Appendices Dominicæ Resurrectionis*, seu tamquam testes & socii Resurrectionis Domini, *surrexerunt*, & exeuntes e sepulchris, quæ extra urbem erant, venerunt Hierosolyma, quæ *sancta civitas* appellatur propter Templum & Sancta Sanctorum, & ob distinctionem aliarum urbium in quibus idola colebantur: & quia Redemptionis nostræ Mysteria in ea perfecta sunt, indeque Evangelium in universum mundum coruscavit: & *apparuerunt* multis, qui cernere merebantur, id est, fidelibus, & a Christo Jesu non alienis. Utrum vero ad vitam immortalem surrexerint, an postea mortui sint iterum, sicut Lazarus, incertum est. Origenes & Eusebius, in opinione fuerunt priori. Posterior sententia placuit SS. Joanni Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Theodoreto, Avito Viennensi, & S. Thom. Probabilior tamen nobis videtur S. Augustini sententia, quam fulcit primo his S. Petri verbis *Act.* 2. 29. in concione ad Judæos dicentis: *Viri fratres, liceat audentes dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Id autem ait, ut ostendat hæc verba Davidis, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, non de ipso Davide, sed de Christo esse intelligenda. Argumentum autem ex monumento Davidis petitum convincens non fuisset, si corpus ejus ibi jam non erat: *Quia si & ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro ejus vidisset corruptionem; posset nihilominus illud monumentum manere. Durum autem videtur, ut dicitur, ut David non fuerit in illa Resurrectione justorum, si eis jam æterna donata est, cujus Christus ex semine tam crebro, & tanta evidentia, tantaque honorificentia commendatur.* 2. Id confirmat ex eo quod ab Apostolo de justis antiquis scriptum est: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Quod certe periclitabitur, *si jam in illa Resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur.*

Heb. 2. 14.
Apocal. 1. 5. Tertull. lib. de Anima c. 33.
Origenes in Cantic. Euseb. l. 10. de Demonstrat. Ev. S. Joan. Chrys. Hom. 28. in Epist. ad Hebr. S. Ambros. l. 6. in Lucam n. 60.
S. August. Epist. 164. alias 99. Theodoret. in c. 2. Epist. ad Hebræos Avitus in Fragm. S. Th. 3. p. q. 53. A. 3. ad 2. Hebr. 11. 39. 40.

28. *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* Centurio supplicio præpositus, & milites Jesum custodientes, etiam mortuum, ne quis ad sepulturam corpus ejus detraheret sine Præsidis licentia, viso terræ motu, ceterisque prodigiis mortem ejus comitantibus vel secutis, scilicet quod statim post validum clamorem spiritum emisisset, Solis caligine, &c. iram vindictamque Dei in se ipsos timuerunt, dicentes: *Vere Filius Dei erat iste.* S. Lucas Centurionem dixisse refert, *vere hic homo justus erat.* Vel utrumque dictum a Centurione intelligere debemus; vel Lucam exprimere voluisse sententiam Centurionis, quomodo dixerit Jesum Filium Dei. Forte enim non eum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat, sed ideo Filium Dei dixerat, quia justum crediderat, sicut multi justi dicti sunt filii Dei.

S. Aug. l. 3. de Consensu Ev. c. 1.

29. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei. Inter quas erat*

erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi: Stabant ibi religiosæ mulieres, quæ diffugientibus Apostolis ad triste spectaculum morientis Domini accesserant, si quam opem illi ferre possent, vel certe adessent tamquam testes gestorum, *juxta crucem quidem*, ut S. Joannes observat, sed *a longe*, quia crucem attingere non poterant, quæ militum turba cingebatur. Hæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei de facultatibus suis, eique servientes. Inter illas præcipuæ fuerunt Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris & Josephi seu Josis mater, quam Joannes vocat *Mariam Cleophæ*, sic a patre vel a marito appellatam, qui & *Alphæus* cognominatus est, Mariæ Matris Jesu soror; & mater filiorum Zebedæi, Jacobi Majoris & Joannis.

30. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui & discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus: Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* Post horam nonam, die jam ad occasum inclinante, Joseph ab Arimathæa civitate oriundus; civis tamen & *nobilis Decurio* Hierosolymitanus, cui dignitas & divitiæ facilem ad Pilatum accessum præbuerunt, *audacter* illum adiit, & petiit ab eo corpus Jesu, cujus discipulus erat, *occultus* tamen, *propter metum Judæorum*. Pilatus autem vocato Centurione, & interrogato utrum Jesus jam obiisset, jussit reddi corpus Josepho: qui acceptum involvit in sindone munda. Quamquam vero sudarium unum nominet S. Matthæus, præcipuum videlicet quo corpus involvebatur, plura tamen fuisse certum est: quare *lintea* sepulchralia dixit S. Joannes cap. 18. 40. & 20. 6. Inter quæ erat & sudarium velando capiti, quod a reliquis operimentis distinguit. Sepultum porro cum aromatibus, Nicodemo piam opem ad pollinctiuram Jesu ferente, Joseph sacrum Corpus posuit in monumento novo, quod exciderat in petra, in horto prope montem Calvariæ sito. Novum fuisse monumentum, in quo nondum quisquam positus erat, Evangelistæ observarunt, ne post Resurrectionem ceteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius fingeretur. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, ut sine auxilio plurimorum non potuisse referari exploratum esset. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria* Jacobi & Joseph mater, *sedentes contra sepulchrum*; observantes ubi & quomodo a piis illis viris sepeliretur, ut ipsæ redirent elapso Sabbato, & corpus pariter ungerent.

Marci 15. 43.
Jo. 19. 38. Videri potest Chiffletius lib. de Linteis Sepulchralibus Christi.
S. Hier. in hunc locum.
Luc. 23. 55.

31. *Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant Discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis; & erit novissimus error pejor priore.* Postridie, nempe magno die Sabbati, Principes quidam Sacerdotum & Pharisæi Pilatum adierunt, Sabbati posthabita religione, dicentes: Domine, recordamur quia ille impostor & præstigiator (his enim convitiis & doctrinam & miracula Jesu calumniati sunt) dixit dum viveret, se tertia post mortem die resurrecturum. Jube ergo muniri sepulchrum, usque in diem tertium, militum præsidio, qui diligenter observent ne forte Discipuli ejus veniant, & furtim auferant corpus ejus, & imperitæ multitudini persuadeant ipsum resurrexisse: qui error periculosior esset priore, quo se Christum & Filium Dei haberi voluit. Ait illis Pilatus: *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.* Habetis cohortem, quæ hoc tempore ad omnes tumultus prohibendos vestro imperio commissa est; ea utimini pro arbitrio & prudentia vestra. *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Munierunt sepulchrum duplici modo, primum obsignantes lapidem, quo claudebatur ostium, publico sigillo, ut fraus omnis sive Discipulorum, sive corruptorum custodum caveretur. Sic lapis super os laci positus, in quem Daniel detrusus erat, annulo Regis Darii obsignatus est.

Dan. 6. 17.

2. Sepulchrum munierunt adhibito militum præsidio, ne quis sepulchrum adire & ingredi posset. Quantum in illis fuit, manum opposuerunt relurgenti, ut diligentia illorum fidei nostræ proficeret. Quanto enim amplius reservatur, tanto magis Resurrectionis virtus ostenditur. Unde & in monumento novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est: ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. Prædicta est sepultura Jesu ab Isaia. *Et dabit impios pro sepultura* (inquit) *& divitem pro morte sua*: idest, Potuit cum impiis sepulchrum ejus, & cum divite monumentum ipsius. Mortem scilicet passus est Christus Jesus eo loco, quo scelerati supplicio afficiebantur, illicque idem quod alii sepulchrum erat habiturus: at in Josephi Arimathæi, hominis divitis monumentum novum, ipsius atque Nicodemi viri optimatis manibus sacrum ejus corpus illatum est. Eodem spectat illud Jeremiæ: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Publico autem sigillo obsignatus est lapis, ut res anteactæ res Christi undique adumbrarent: & quemadmodum publica sigilli fide

S. Hier. in hunc locum.
Isiæ 53. 9.
Thren. 53.

constitit, Danielem nulla ope humana e lacu leonum liberatum, ita simili fide constaret Christi corpus nulla humana manu exemptum sepulchro.

SENSUS MORALIS.

1. *Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Jesus innocens ut sceleratus ligatur, Sanctus Sanctorum ut profanus brachio sæculari a Principibus Sacerdotum traditur: Vita morti destinatur: qui missus a Deo in mundum est, *Ut prædicaret captivis indulgentiam, & clausis apertionem*, vinctus ad Pilatum adducitur, sistitur ad tribunal Judicis, vivorum & mortuorum Judex. Alexander ille Macedo *Sola gloria minor*, ut Tertullianus ait, in femore sagitta vulneratus, alligari sibi femur a Chirurgis refugit, dicens: *Non decet Regem vinciri*: Christus ipsa gloria major, *Dominus virtutum, ipse Rex gloriæ*, vinctus adducitur a peccatoribus. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Sed nullum vinculum Filium Dei tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset. David plangens Abner exercitus sui Ducem, a Job & Abisai fratre ejus cæsum, ait: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus ligatæ non sunt, & pedes sui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruit.* Christus Jesus non patitur, nec moritur ut pati & mori solent ignavi: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Moritur ut mortem vincat, ut diabolum debellet, ut *Expoliet principatus & potestates, palam triumphans illos in semetipso*; & tamen manus ejus ligatæ sunt, pedes ejus compedibus sunt aggravati. Nostrorum scilicet peccatorum pœnas subit, ut ab eorum vinculis nos solvat, ut *in libertatem gloriæ filiorum Dei* nos restituat, ut liberum nostrum arbitrium, quod sub peccati servitute captivum erat, per ejus gratiam liberatum & sanctificatum, Redemptori ac Liberatori suo canat: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.*

Isaiæ 61. 1.
Ps. 118. 61.
2. Reg. 3. 33. 34.
Col. 2. 15.
Psal. 15. 16. 27.

2. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem Justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in Templo, recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Nulla pœnitentia salutaris, nisi quæ ex Christi gratia & amore procedit. Peccati cognitio, horror, confessio, restitutio, veram pœnitentiam non faciunt, nisi Spe Christiana, & amore Dei formentur, animentur, dirigantur. Judas peccati horrore perculsus, crimen publice confitetur, *Peccavi, tradens sanguinem justum*: Sacrilegæ venditionis pretium restituit: pœnitentia tamen ejus falsa est, pœnitentia reprobi est, quia ad Dei misericordiam per Christum non confugit, quia Deum sibi per Christum propitium fore non sperat: quia solo pœnæ timore, ut servus, non amore justitiæ, ut filius, pœnitentiam profitetur. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* „ Timuit Judas traditor Christi, sed non speravit in misericordia ipsius. *Peccavi*, inquit, *tradens Sanguinem Justum*. Bene quidem timuisti; sed si speras in misericordia ejus quem timuisti. Ille desperando abiit, & laqueo se suspendit. Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Si times latronem, ab alio speras auxilium, non ab eo quem times: poscis auxilium ab eo quem non times, adversus eum quem times. Si sic times Deum, & ideo times Deum quia peccator es, a quo accepturus es auxilium adversus Deum? Quo iturus es? Quid facturus? Vis fugere ab irato? Fuge ad placatum. Placabis autem eum, si speres in misericordia ipsius; atque ita de cetero peccare caveas, ut de præteritis depreceris ut tibi dimittantur a Domino. „ Judas ad remedium pervenire non potuit, cum diceret, *Peccavi tradens Sanguinem Justum*; quia *alienum ignem volvebat in pectore suo*, qui eum inflammavit ad laqueum. Indignus enim remedio fuit, quia non in intimo mentis conversus ingemuit, nec seculo gessit pœnitentiam: *Tantæ enim pietatis est Dominus Jesus, ut & ipsi donaret veniam, si Christi exspectasset misericordiam.* Salubris conversio duplici in ratione consistit, (inquit S. Fulgentius) *Si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem*; ac per hoc si ex toto corde quisquam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo. Etenim nonnumquam aut spem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit. „ Unum dum onerat, comprimit; alterum dum elevat, dejicit. Judas qui Christum tradidit, peccati sui pœnitentiam „ gessit; sed salutem perdidit, quia indulgentiam non speravit: Digne quidem pœnitentiam gessit, quia peccavit „ tradens Sanguinem Justum: sed *Ideo sibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis suæ ipso, quem tradidit, diluendum Sanguine non speravit.*" Ad generalem indulgentiam a Christo, suis etiam crucifixoribus in cruce oblatum, traditor Judas pervenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam Sacramentum generalis Redemptionis Christus impleret. *Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam forte hic consequi remedium, si non festinasset ad*

Ps. 146. 11. S. Aug. Enarr. in Ps. 146.
S. Amb. Epist. 67. Edit. Paris. 6. S. Fulg. Epist. 9. ad Venantiam. c. 5.

laqueum. Sed maligno cordi nunc furtis fraudium dedito, nunc parricidialibus commerciis occupato, nihil unquam documentorum misericordiæ Salvatoris insederat, nec piis acceptaverat auribus verba Domini dicentis: *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Et, *Filius hominis venit quærere & salvare quod perierat*. Nec intellexerat clementiam Christi, qui non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens paralytico: *Confidens esto, fili, remissa sunt tibi peccata tua*. Dicens & oblatæ sibi adulteræ: *Nec ego te condemnabo, vade & amodo noli peccare*: ut per omnia opera sua ostenderet, in illo adventu suo, Salvatorem mundi se venisse, non judicem. A quo intellectu alienatus impius Traditor, insurrexit in semetipsum. *Non judicio pœnitentis, sed furore pereuntis: Ut qui vitæ Auctorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ etiam moriendo peccaret*. Pati Christus venerat, & punivit per quem passus est. Nam Judas traditor punitus est, & Christus crucifixus est: sed *Nos redemit sanguine suo, & punivit illum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse a Domino redemptus erat*. Et abiens laqueo se suspendit. *Quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius*. Spiritus dicitur etiam iste ventus aeris hujus. *Quomodo ergo qui collum sibi ligant, deinde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus: sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus sanctus visitare non possit*

Matt. 9. 13. Luc. 5. 32. — Matt. 9. 3. Joan. 8 11. — S. Leo ser. de Pass. Dom. 12. S. Aug. En. in Ps. 66. Conc. 7. — S. Aug. serm. 352. alias 27. inter Hom. 50.

3. *Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem initio, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum*, &c. Hypocritæ, excolantes culicem, camelum autem glutientes, pretium sanguinis in sacrum ærarium inferre verentur, & effusi sanguinis crimine conscientiam suam polluere non formidant. Sic plerique Sacerdotes in rebus mediis seu indifferentibus ad superstitionem usque scrupulosi sunt, cum tamen de avaritia, ambitione, calumnia, aliisque vitiis nullos scrupulos patiantur. Dei autem providentia dirigente, pretium Sanguinis Christi ad emendum agrum in sepulturam peregrinorum impensum est: *Ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret; non sit sacrilegis ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum: ut jam exinde Christus & vos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretiosa possessione suscipiat*. Ager Christi sanguine emptus, mundus est. *Scientes* (inquit Apostolorum Princeps) *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Figulus hujus agri dominus Deus est, qui vascula corporis nostri fecit ex limo, qui *Fecit hominem de limo terræ*. „ Ipse est figulus qui carnium nostrarum cænosum „ lutum vapore sui spiritus animavit, & materiam fluidam atque terrenam igneo calore decoxit, ipse qui nos „ per manus suas formavit ad vitam, per Christum suum „ reformavit ad gloriam, sicut ait Apostolus: *In eamdem „ imaginem transformamur a claritate in claritatem*: scilicet ut qui a priore factura propriis vitiis corruimus, „ in secunda nativitate figuli hujus misericordia reparemur: hoc est, qui per Adæ transgressionem in mortem „ cecidimus, per Salvatoris gratiam denuo resurgamus. „ Ipse est figulus, de quo dicit Apostolus: *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me finxisti sic?* „ Et, *Numquid non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam*? Ex eodem enim luto corporis „ nostri Deus, tamen pro meritis singulorum, alios custodit ad Regnum, alios reservat ad pœnam. Istius „ itaque figuli ager Christi sanguine emptus est peregrinis: peregrinis, inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules jactabantur, requies Christi „ sanguine providetur: ut quibus non est in mundo possessio, his in Christo sit sepultura.... Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur, ut qui se a carnalibus vitiis tamquam peregrinum & alienum custodierit, hic Christi requiem mereatur. Sepultura enim „ Christi, quid est aliud nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tamquam hospites in hac luce versamur, sicut ait Apostolus: *Etenim „ dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Peregrini, inquam, sumus, & nobis Salvatoris sanguinis „ pretio empta est sepultura. *Consepulti enim sumus cum „ illo per baptismum in mortem*. Baptismus igitur Christi „ nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, crimi„ nibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resolu„ ta, in alteram nativitatem rediviva infantia repara„ mur. Baptismus, inquam, Salvatoris nobis est sepultu„ ra: quia ibi perdimus quod ante viximus, & ibi denuo „ accipimus ut vivamus. Magna igitur sepulturæ hujus „ est gratia, in qua nobis & utilis mors infertur, & „ utilior vita donatur. Magna hujus gratia sepulturæ, „ quæ & purificat peccatorem, & vivificat morientem. „

S. Hierrn. in hunc locum. — S. Maximus Taurinensis Episcopus serm. inter Augustinianos olim de Tempore 128, nunc in Append. 80. — 1. Petr. 1. 18. Genes. 2. 7. — 2. Cor. 3. 18. — Rom. 9. 21. — 2. Cor 5. 6. Rom. 6. 4.

4. *Jesus autem stetit ante Præsidem, & interrogavit eum Præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer*. Jesus a Præside interrogatus an Rex Judæorum esset, se Regem esse confessus est. Hanc confessionem prædicat Apostolus ad Timotheum scribens: *Præcipio tibi*, inquit, *coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: ut serves mandatum sine macula*, &c. Hac confessione Christi Jesu, quia & se Regem esse, & tamen Regnum suum non esse de hoc mundo, coram Pilato professus est, ejus Divinitas, virtus crucis, regnum veritatis, & gratiæ declaratur. Jesum Regem Regum & Dominum dominantium adoremus, & Judæorum perduellium perfidiam detestati, qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos*. Illi dicamus ex animo: *Rex meus, & Deus meus*. Tu Domine Jesu, Rex cordis mei, in illo regna, fac ut non dominetur mei omnis injustitia, ut non regnet in me peccatum: Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. *Da quod jubes, & jube quod vis*. Traxisti omnia ad te: hæc crucis tuæ virtus, de qua prædixeras, *Cum exaltatus fuero a terra, omnia trahem ad me ipsum*: Trahe me ad te omnipotenti vi gratiæ tuæ, ut post te curram in odorem unguentorum tuorum; ut virtutes imitari studeam, quarum tam divina exempla nobis in passione tua tribuisti, præsertim vero patientiam, modestiam, tranquillitatem, & imperturbatum in persecutione atrocissima, inter calumnias, convitia, falsorum testium accusationes, opprobria, dolores, & in mortis imminentis certo periculo animum: quæ virtutes ipsi Pilato admirationem moverunt. *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer*. Et revera *Magno miraculo* par *videbatur* Præsidi, *ut exhibitus Christus ad criminale judicium imperturbatus staret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis æstimatur*. Admirabilius est silentium Jesu, celebratissimis Græcorum Sapientum Apothegmatibus: *Silentium Jesu inter flagra & contumelias multo majorem ostendit constantiam & patientiam, quam omnes voces Græcorum in rebus adversis*. Quid admirabilius silentio Verbi?

1. Tim. 6. 13. 14. — Luc. 23. 14. — S. Augustin. Jo. 12. 32. — Origenes in Matth

5. *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.... At illi dixerunt; Barabbam.... Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur*. Contumeliosissima comparatio innocentis cum latrone, seditiosi cum pacifico, homicidæ cum Auctore vitæ! Quæ comparatio *justitiæ cum iniquitate, lucis cum tenebris? Quæ conventio Christi cum Belial*? Eorum arbitrio Jesum permittit iniquus Judex, quos illum per invidiam tradidisse certissime novit. Inclamant, *Barabbam*; Jesum vero ad crucem & ad mortem deposcunt: *Crucifigatur*. Quid aliud agit peccator, cum Christum & evangelium ejus, mundo, cupiditati suæ, voluptati, peccato, dæmoni postponit? *Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiasse eum meliorem cujus se rursus esse maluerit*. Diabolus *Divinæ imaginis prædo*, ut Tertulliani verbis utar; *Homicida ab initio*; qui seditionem in cœlo adversus Deum movit, & in terris movere non cessat, Christo Redemptori nostro, Domino, Magistro, Mediatori, Benefactori, *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio*, a peccatore præponitur: nec modo præponitur, sed morti addicitur, privaturque vita qua in illo spiritaliter vivebat per gratiam & charitatem, ut dicere posset: *Vivit vero in me Christus*. Non mirum quod homo ethnicus, Præses politicus, Judex ignavus, dubitaverit qua ratione ageret cum Jesu. *Quid igitur faciam de Jesu qui vocatur Christus*? Sed stupendum est quod Christiani ancipites hæreant & deliberent quid faciant de Jesu. Nesciunt scilicet Jesum: nesciunt quibus illum officiis colere debeant; oneri illis est Christus Jesus; gravia illis sunt doctrina, Evangelium, mandata, & Crux Jesu. Pro nihilo ducunt Sanguinis ejus effusionem, cum Judæis clamantes, opere, si non voce: *Sanguis ejus super nos*..... Sit, Domine, super nos pretiosus Sanguis tuus, non ad reatum, sed ad redemptionem & indulgentiam. Sit nobis lavacrum quo mundemur a peccatis nostris, sit nobis in pharmacum, sit in potum. *Bibunt* enim *credentes, quod fuderunt sævientes*. Sanguis Christi sit super corda & corpora nostra, ut illa expiet, ut typicus ille passeris sanguis in Lege veteri ad leprosi mundationem adhibebatur: sit super cogitationes & desideria nostra, ut illa sanctificet: sit super opera nostra, ut illa consecret, & faciat nos *Regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Manus abluit Pilatus, & se effusi sanguinis justi reum non esse profitetur, frustra: *Non enim purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis*

2. Cor. 6. 14. 15. — S. Aug. ser. 284. Lev. 14. 14. Apocal. 1. — S. Leo ser. 57. Deuter. 22. 7.

persis aqua digitis expiatur quod famulante impia mente committitur. Mendaciter dicitis peccatores : *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt*. Rei estis sanguinis & mortis Christi. *Auctorem vitæ in-*
Act.2.& 3. *terfeciſtis. Hunc Jesum crucifixiſtis. Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Contritis cor-
Deut.21.8. dibus dicite, ne oratio vestra fiat in peccatum: *Propitius esto populo tuo, quem redemiſti, Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui*. Stupenda cæcitas Judæorum, qui se puros sceleris arbitrantur, quia in prætorium non introierunt, nec manibus propriis Jesum crucifixerunt, cum tamen illum Pilato tradiderint, & ejus damnationem ac mortem pertinaciſſimis clamori-
Psal.56.5. bus ab illo extorserint, dicentes: *Crucifigatur*. Horum
S.Leo serm. *Dentes, arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acu-*
57.de Pass. *tus*. „ Frustra enim a crucifigendo majestatis Domino
Dom. 8. „ manus proprias continebant, in quem lethalia vocum „ spicula, & venenata verborum tela jaciebant. Vobis, „ vobis, o falsi Judæi, & sacrilegi Principes populi to„ tum facinoris istius pondus incumbit; & licet imma„ nitas sceleris & Præsidem obligarit, & Milites; om„ nis tamen facti summa vos arguit. Et quicquid in sup„ plicio Christi, vel Pilati peccavit judicium, vel cohor„ tis obsequium, hoc vos facit humani generis odio di„ gniores: quia *Vestri furoris impulsu, nec illis innocen„ tes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit*." Si qui imperio, consilio, adulatione, illecebris, precibus, terrore ac nimis, alios ad peccandum impellunt, non proprii dumtaxat rei sunt peccati, sed alieni participes; & sanguinem pereuntium per ipsos animarum de manibus illorum Deus requiret.

6. *Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur*. Cum Judæi clamassent, non Jesum sibi a Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non Salvatorem, sed interfectorem; non datorem vitæ, sed ademptorem: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*. Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem sævire desisterent. Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus. Sic Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutori libuisset facere, perferenda. „ Sic pau-
S.Augustin. „ lisper occulta tremenda potentia, commendabatur pri-
Tract. 116. „ us imitanda patientia. Sic Regnum quod de hoc mun-
in Joann. „ do non erat, superbum mundum non atrocitate pugnan„ di, sed patiendi humilitate vincebat. Sic illud gra„ num multiplicandum seminabatur horribili contumelia, „ ut mirabili pullularet gloria. „ Traditus est Jesus mi„ litibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pe„ ctuique Dei capax, flagella secuerunt. Hoc autem fa„ ctum est, ut quia scriptum erat, *Multa flagella pec„ catorum*, illo flagellato nos a verberibus liberaremur:
Psalm. 31. „ dicente Scriptura ad virum justum: *Flagellum non ap-*
S. Hieron. „ *propinquabit tabernaculo tuo*." Flagellatio latronum,
in c.27.Mat servorum contumacium, desertorum & transfugarum supplicium erat. Quam inique ergo Pilate, flagellationi Jesum addicis, Christum Dei Filium, justum, Regem gloriæ, qui in mundum venit ut homines a peccati servitute liberaret? Qui benefecit omnibus? Qui Patris æterni voluntatem semper implevit? Nos flagella meruimus. Latrones scilicet sumus, & imitatores primorum gene-
S. August. ris humani parentum, qui superbia sua *rapere volue-*
Luc. 12. *runt divinitatem, & perdiderunt felicitatem*. Desertores
47. sumus, qui a Deo sæpe defecimus, ut diabolo nos addiceremus. Servi sumus contumaces, qui cognovimus Domini voluntatem, & non paruimus illi, ideoque vapulare debemus plagis multis. Flagella passus est Jesus, ut hominum libidines & impudicitiæ peccata expiaret. Supra dorsum ejus fabricaverunt peccatores, omnia ossa ejus dinumeraverunt, ut pœnas peccatis carnis debitas sacratissimi corporis sui laceratione, plagisque lueret innume-
Psalm. 37. ris & atrocissimis: *Vir dolorum*. Respice in me Domine, & miserere mei, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. „ Iniquitates meæ, *fateor*, „ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gra„ vatæ sunt super me. Lumbi mei impleti sunt illusioni„ bus, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum „ & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. „ In te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine „ Deus meus: QUONIAM EGO IN FLAGELLA PA„ RATUS SUM, & dolor meus in conspectu meo sem„ per. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. *Atten„ de ad Passiones Christi: attende ad illum sine ullo pec„ cato, quæ non rapuit exsolventem: attende ad Scriptu-*
Hebr.12.16 „ *ram dicentem tibi*: Flagellat autem omnem filium quem
„ recipit, *& para te flagellari; aut certe non quæras re„ cipi*. Si exceptus a passione flagellorum, exceptus a nume-
S. Aug. ser. „ ro filiorum. *Itane, inquies, flagellat omnem filium?*
46.alias de „ Prorsus ita flagellat omnem filium, ut & Unicum. Uni-
Tem. cap. 5. „ cus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri in „ forma Dei, Verbum per quem facta sunt omnia, non „ habebat unde flagellaretur: ad hoc carne indutus est: „ ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat Unicum „ sine peccato, numquid relinquit adoptivum cum pec„ cato? Adoptionem filiorum accepimus, ut essemus Uni„ ci cohæredes, essemus etiam hæreditas ejus: *Postula,*
Psal. 2. 8. „ inquit, *a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. „ Exemplum nobis proposuit in passionibus suis . . . . . „ Christi Passiones imitandæ sunt, non a Christiano de„ liciæ conquirendæ. Ad confortandum cor tuum venit „ Christus pati, venit mori, venit sputis illiniri, venit „ spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremo „ ligno configi: Omnia hæc ille pro te; tu nihil pro il„ lo: sed pro te. *Domine, hic non parcas, ut in æter„ num parcas*. Quoniam ego in flagella paratus sum, „ & dolor meus in conspectu meo semper." Quis do-
S.Aug. En. lor? Forte de flagello. Flagella sua dolent homines, quare
in Psal. 37. flagellantur non dolent. Nescio quis si damnum patitur, proclivior est ut dicat, Indigne passus sum, quam ut consideret quare passus sit, *dolens damnum pecuniæ, non dolens justitiæ. Si peccasti, thesaurum tuum interiorem dole*. Nihil habes in domo, sed forte inanior es corde: si autem plenum est cor bono suo, Deo tuo; quare non dicis, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*? Unde ergo iste dolebat? de flagello quo flagellabatur? Absit. *Et dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniqui-*
Job. 1. 22. *tatem meam ego cognosco*. Ecce unde dolor. *Non de flagello dolor: de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum est contra peccata*. Audite, Fratres; Christiani sumus: & tamen plerumque *si filius cujusdam moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit*. Tunc plangeret, tunc doleret, cum peccantem videret; tunc modum imponeret, tunc normam vivendi doceret, disciplinam daret: aut si fecit, & ille non audivit, tunc erat plangendus, tunc pejus mortuus luxuriose vivens, quam moriendo luxuriam finiens: tunc ergo quando ista faciebat in domo tua, non solum mortuus erat, sed putebat. *Hæc dolenda sunt, illa sustinenda: illa ferenda, ista plangenda*.

7. *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exutentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*. Exuitur Christus, ut illudatur, ut patiatur: exuitur, ut justitia sua nos induat. Exuitur, ut dissolutas lascivasque nuditates pœna sua expiet, quarum radix impudicitia vel superbia, quarum fructus crimen & scandalum est. Exui-
Tertull.l.2. tur, ut vestium luxui & vanitati debitas pœnas luat.
de cultu „ Propter mutuum videre ac videri, omnes pompæ in
Fæminar. „ publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur, aut
c. 11. „ gloria insolescat ... Quid alteri periculo sumus? Quid
Ib.cap.2. 3 „ alteri concupiscentiam importamus? Quam si Deus am„ pliando legem, facto stupri non discernat a pœna, „ nescio an impune habeat, quæ alicui fuerit causa per„ ditionis. Perit enim ille simul ut tuam formam concu„ pierit, & facta es tu gladius illi . . . Nunc non sit „ timenda dignitas formæ, ut ne possidentibus gravis, „ nec appetentibus exitiosa, nec conjunctis periculosa; „ non exposita tentationibus, non circumdata scandalis „ existimetur: sufficit quod Angelis Dei non est neces„ saria. Nam ubi pudicitia, ibi vacua pulchritudo . . . „ Viderit quem juvat de carne gloriari. Nobis autem „ primo quidem nullum gloriæ studium est: quia gloria „ exaltationis ingenium est. Porro exaltatio non con„ fruit „ professoribus humilitatis ex præscriptis Dei. Dehinc „ si omnis gloria vana, quanto magis quæ in carne? „ Nam etsi gloriandum est, in spiritus bonis, non in car„ ne placere velle debemus, quia spiritualium sectatores „ sumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his „ gloriam carpamus, de quibus salutem speramus. Plane „ gloriabitur Christianus etiam in carne, sed cum pro„ pter Christum lacerata duraverit, ut spiritus in ea co„ ronetur, non ut oculos & suspiria adolescentum post „ se trahat . . . Projiciamus ornamenta terrena, si cœ-
Ib. c. 13. „ lestia optamus. Jesum intuemini amictu irrisoriæ vestis „ pro nobis indutum, ancillæ Dei vivi, conservæ & so„ rores meæ, & de luxu vestium vestrarum, ac ornamen„ torum affectatione erubescite, *Vestite vos serico probi„ tatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ*." Et exu-
S. Cæsar. entes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.
Arel.Hom.6 *Indumenta Christi, merita sanctorum sunt: jam tunc itaque Martyrum sanguine in illo colore perfunditur*.

8. *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus*. Maledictio in spinis cœpit, in spinis desiit. Christus *Lilium convallium inter spinas* cernitur.
Gen. 3. 18. Aries hærens vepribus, quem pro filio Isaac Abraham
Cant. 2. immolavit, Christi, qui se victimam pro nobis substituit, & spinis coronatus est, insignis typus fuit. Sacrificiis quæ Deo offerebant veteris Testamenti Patres, Christum significabant, in his Christum fide intelligebant. „ Sa-
S. Aug. ser. „ cramenta sunt mutata, non fides. Signa mutata sunt
19.alias 4. „ quibus aliud significabatur; non res quæ significabatur.
ex Sirmon- „ Pro Christo aries, pro Christo agnus, pro Christo vi-
do Cant 7. „ tulus, pro Christo hircus, totum Christus. Aries, quia
11. „ ducit gregem: ipse est inventus in vepribus, quando

„ Pater

„ Pater Abraham filio juſſus eſt parcere, nec tamen ſine „ oblato ſacrificio inde diſcedere. Et Iſaac Chriſtus erat, „ & aries Chriſtus erat. Iſaac ſibi ligna portabat: Chri- „ ſtus crucem propriam bajulabat. Pro Iſaac aries, non „ tamen pro Chriſto Chriſtus. Sed in Iſaac & aries & „ Chriſtus. Tenebatur cornibus in vepre aries: interro- „ ga Judæos unde tunc Dominum coronaverint. Egredi- „ mini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in dia- „ demate quo coronavit illum mater ſua in die deſpon- „ ſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. " *Myſte-*
S.Cyp.Hier. *rium erat corona.* Myſterium erat contumeliæ, & dede-
Catech.15. coris, ex quo Chriſti gloria: Myſterium infirmitatis, ex quo Eccleſiæ robur & fortitudo: Myſterium doloris, ex quo fidelium lætitia. Myſterium iſtud contumeliæ ac dedecoris, gloriam Chriſto parit immortalem; illam quippe gerit ut Rex, ut Sacerdos, ut mundi Diabolique vi-
Apoc. 6.2. ctor. *Data eſt ei corona, & exiit vincens ut vinceret.*
Iſaiæ 62.3. Illi coronæ, tametſi ſpineæ, convenit illud Iſaiæ: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui.* Myſterium illud infirmitatis incredibilem Eccleſiæ fortitudinem, divinumque robur confert. Hac enim corona protecta, hoſtibus ſuis, dæmonibus ſci-
Cant.6.10. licet, *Terribilis* eſt *ut caſtrorum acies ordinata.* Myſte-
Iſaiæ 28.5. rium doloris eſt, quod Fidelibus ſolatium & gaudium pa-
6. rit. *Erit Dominus corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui, & fortitudo revertentibus de bello ad portam.* Militibus qui coronam ſpineam capiti Jeſu im-
Pſ.117.12. poſuerunt, Davidicum illud accommodari poteſt: *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Sicut enim apes mel conficiunt, non ſibi, ſed hominibus profuturum: ſic perſecutores & tortores Chriſti Jeſu ſacro illius capiti coronam impoſuerunt, quæ ſpiritalis ſolatii, ſuavitatis incomparabilis, & gaudii fons eſſet, non illis, ſed Fidelibus. „ Ipſum Dominum caput Eccle-
S. Auguſt. „ ſiæ (*inquit S. Auguſtinus*) recte accipimus circum-
in hunc „ datum a perſecutoribus; ſicut circumdant apes favum.
Pſalm. „ Quid enim ab ignorantibus geſtum ſit myſtica ſubtili- „ tate Spiritus ſanctus loquitur. Mel quippe apes operan- „ tur in favis. Neſcientes autem perſecutores Domini, „ fecerunt nobis ipſa paſſione dulciorem: ut guſtemus &
Pſal.33.8. „ videamus quam ſuavis eſt Dominus, qui mortuus eſt
Rom.4.23. „ propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtifica- „ tionem noſtram. In umbra ſpinarum Chriſti Jeſu re- „ quieſcamus; ejus opprobria honoribus & vanitati ſæcu- „ li præponamus, in quo *Omnia imaginaria, & nihil „ veri.* Dolores & pœnas Jeſu præ terrenis voluptatibus „ & deliciis eligamus. Cogita quale ſertum vir Eccle-
Tertull. l. „ ſiæ Chriſtus Jeſus pro utroque ſexu ſubiit, ex ſpinis
de corona. „ & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit „ terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnem acu- „ leum mortis in Dominici capitis tolerantia obtun- „ dens .... Chriſti coronam æmuleris, quia & favos „ poſt fella guſtavit; nec ante Rex gloriæ a cœleſtibus „ ſalutatus eſt, quam Rex Judæorum proſcriptus cruci: „ minoratus primo a Patre modicum quid citra Ange- „ los, & ita gloria & honore coronatus. Si ob hæc „ caput ei tuum debes, tale ſi potes ei repende, quale „ ſuum pro te obtulit: aut nec floribus coronetur, ſi „ ſpinis non potes. " Ne dicas cum amatoribus mundi:
Coronemus nos roſis antequam marceſcant, &c. Corona
Sap. 2. 8. ſpinea Domini Jeſu pudore ſuffundat Chriſtianas mulieres, quæ ornando capiti alienis crinibus, auro, gemmis, exquiſito curioſæ vanitatis artificio, opes & tempus impendunt. „ Quid tanta ordinandi crinis operoſitas ad
Tertull.l.2. „ ſalutem ſubminiſtrat? Quod crinibus veſtris quieſcere
de Cultu „ non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſu-
Fœmina- „ ſcitatis, modo eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnos coer-
rum. „ cere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona „ ſimplicitate. Affigitis præterea neſcio quas enormita- „ tes capillamentorum: nunc in galeri modum, quaſi va- „ ginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervi- „ cum retro ſuggeſtum. Mirum quod non contra Domi- „ nica præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi „ adjicere poſſe pronuntiatum eſt. Vos vero adjicitis ad „ pondus colluras quaſdam, vel ſcutorum umbilicos cer- „ vicibus aſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat „ inquinamenti: ne exuvias alieni capitis, forſan im- „ mundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati ſancto & „ Chriſtiano capiti ſupparetis. Immo omnem hanc orna- „ tus ſervitutem a libero capite depellite. Fruſtra labo- „ ratis ornatæ videri: fruſtra peritiſſimos quoſque ſtru- „ ctores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari jubet... „ Oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia virgo, vela
Lib.de Vir- „ caput: ſi mater, propter filios: ſi ſoror, propter fra-
ginibus „ tres: ſi filia, propter patres. Omnes in te ætates pe-
Velandis „ riclitantur. Indue armaturam pudoris, circumduc val-
cap. 16. „ lum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos „ emittat oculos, nec amittat alienos. " Hac ſaltem ratione ſpineam Domini coronam æmulare.

Judicum 9. *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus.* Præclaram Apologum legimus in Sacro Libro Judicum, huic loco convenientem. „ Ierunt ligna, ut un- „ gerent ſuper ſe Regem: dixeruntque olivæ: Impera „ nobis. Quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere pin- „ guedinem meam, qua & Dii utuntur & homines, & „ venire, ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna „ ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum acci- „ pe. Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere dul- „ cedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire, ut in- „ ter cetera ligna promovear? Locutaque ſunt ligna ad „ vitem: Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis: „ Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætifi- „ cat Deum & homines, & inter ligna cetera promo- „ veri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, „ & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si vere me „ Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea „ requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de „ rhamno, & devoret cedros Libani. " Chriſtus Jeſus ſpinis coronatus nos ad ſuum comitatum, ad imitationem ſuam vocat, ut Rex noſter. Sed reſpondet avarus: Te ſequi non poſſum, Regem nolo pauperem: deſerendæ eſſent opes, animo & affectu amplectenda paupertas evangelica; modus ponendus deſiderio habendi & congerendi bona temporalia: *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam?* Dicit luxurioſus: Te ſequi non poſſum, Regem nolo, ſpinas, fel, opprobria, dolores crucem ſubditis ſuis offerentem: ſæculi voluptatibus, vitæ molli & delicatæ, terrenis deliciis renuntiandum eſſet: *Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos?* Dicit ebrioſus, & lautiorum epularum amator. Te ſequi non poſſum: Regem nolo, qui pro vino acetum ſitiens bibit, qui auſteram ſobrietatem imperat: *Numquid poſſum deſerere vinum meum?* Veri fideles, & amatores Jeſu ad pedes ejus provoluti dicunt ei: *Veni, & impera ſuper nos.* Sed vult ille experiri an ſincera ſit illorum poſtulatio. *Si vere*, inquit, *me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Spinas meas roſis ſæculi anteferte. *Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani*: Superbos dominationem imperiumque meum refugientes ultio divina conſumat, & in cineres redigat. Heu, quot Dominum Jeſum ſe adorare ſimulant impii, hypocritæ, mali Chriſtiani, qui divinæ ejus Majeſtati revera illudunt!

9. *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigeretur.* Exuamus veterem hominem cum actibus *Jo.11.16.* ſuis, & novum induamus, Dominum Jeſum Chriſtum, illum ſequamur in Calvariæ montem: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Gratiæ ejus ductum ſequamur, carnem noſtram configentes Cruci ejus *cum vitiis & concupiſcentiis*, ſi vere Chriſti ſumus. Crucem feramus poſt Jeſum, verborum ejus memores: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

10. *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum,* *Gal. 5.24.*
nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem *Matth. 16.*
ejus. Ibat ergo ad locum, ubi fuerat crucifigendus, por- *24.*
tans crucem ſuam Jeſus. „ Grande ſpectaculum: ſed ſi *S. Aug.*
„ ſi ſpectet impietas, grande ludibrium; ſi pietas, gran- *Tract. 117.*
„ de myſterium: ſi ſpectet impietas, grande ignominiæ *in Joann.*
„ documentum; ſi pietas, grande fidei munimentum: ſi „ ſpectet impietas, videt Regem pro virga Regni lignum „ ſui portare ſupplicii; ſi pietas, videt Regem bajulan- „ tem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fue- „ rat etiam in frontibus Regum: in eo ſpernendus ocu- „ lis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sancto- „ rum. Dicturo enim Paulo: *Mihi abſit gloriari niſi in* *Gal. 6.24.*
„ *cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ipſam crucem ſuam „ ſuo geſtans humero commendabat; & lucernæ arſu- „ ræ, quæ ſub modio ponenda non erat, candelabrum „ ferebat. „ Euntibus autem cum Jeſu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inventus eſt, in quem *S. Leo ſer.*
lignum ſupplicii transferretur a Domino: ut etiam ta- *57.de Paſſ.*
li facto præſignaretur Gentium fides, quibus crux Chri- *Dom. 8.*
ſti non confuſio futura erat, ſed gloria. „ Non ergo for- *Rom. 8.17.*
„ tuitum, ſed figuratum & myſticum fuit, ut Judæis in „ Chriſtum ſævientibus, ad compatiendum ei peregrinus „ occurreret, dicente Apoſtolo, *Si compatimur, & con-* „ *regnabimus.* Ut ſacratiſſimo Salvatoris opprobrio, non „ Hebræus quiſquam, aut Iſraelita, ſed alienigena ſub- „ deretur. Per hanc enim translationem a circumciſione „ ad præputium, a filiis carnalibus ad filios ſpiritales, „ immaculati Agni propitiatio, & omnium Sacramento- „ rum plenitudo tranſibat. Siquidem *Paſcha noſtrum im-* „ *molatus eſt Chriſtus*, qui ſe novum & verum reconci- *1.Cor. 5.7.*
„ liationis ſacrificium *offerens Patri*, non in Templo, „ cujus jam finita erat reverentia, nec intra ſepta civi- „ tatis ob meritum ſui ſceleris diruendæ, ſed foris & „ extra caſtra crucifixus eſt, ut veterum victimarum ceſ- „ ſante myſterio, nova hoſtia novo imponeretur altari, „ & crux Chriſti non Templi eſſet ara, ſed Mundi. *Hebr. 13.*
„ EXEAMUS igitur ad eum extra caſtra, improperium *13.*
„ ejus portantes. „ Ne caro repugnans & invita crucem Chriſti ferat, ſpiritu facta carnis mortificemus. Si minus ferventes ſumus ut crucem eligamus & ſponte feramus ex fervore charitatis, a Deo ſaltem nobis impoſitam patienter toleremus affectu animi pœnitentis, & Chriſto compatientis.

11. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Ibi crucifixerunt Jesum. Quod mortis genus, ut eligeret pro nobis pati, ratio multiplex fuit. Primo quidem propter exemplum virtutis. „ Nam „ sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte vive- „ remus suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, quæ „ non sunt metuenda, non metuere. Sunt tamen homi- „ nes, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus „ tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum genus mor- „ tis recte viventi homini metuendum esset, illius homi- „ nis cruce ostendendum fuit. " Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius ac formidabilius. Secundo, quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, qui peccavit manum extendendo ad pomum ligni vetiti contra Dei mandatum: & ideo conveniens fuit ut Christus pro illo peccato Deo satisfacturus, seipsum ligno affigi pateretur, quasi restituens quod Adam abstulerat, secundum illud Psalmi: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Quod juste debebat Adam, Christus injuste mortem suscipiendo persolvit: Ille manum expandit ad pomorum dulcedinem; iste ad crucis amaritudinem: Ille arborem necis; iste salutis ostendit: Adam universis mortem intulit, & Christus vitam omnibus reparavit. Tertio in alto moritur, ut innotescat, illum morte sua nobis aditum ad cœlum parare. *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quarto, ut ipsa figura Crucis in quatuor extrema porrectæ ostendatur, illum pro totius Mundi salute passum & mortuum esse, virtutemque & providentiam ejus ubique diffusam. Quinto, expansis in cruce manibus moritur, ut altera manu Israeliticum populum, altera Gentilem trahat; ut S. Athanasius commentatur. Sexto, hoc genere mortis diversæ virtutes designantur. *Non frustra tale genus mortis elegit, ut latitudinis, & altitudinis, & longitudinis, & profunditatis*, de quibus loquitur Apostolus, *Magister existeret.* „ Nam latitudo est in eo ligno, quod transver- „ sum desuper figitur: hoc ad bona opera pertinet, quia „ ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ip- „ so ligno usque ad terram conspicuum est; ibi enim „ quodammodo statur, id est persistitur & perseveratur; „ quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni „ parte, quæ ab illo quod transversum figitur, sursum „ versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi; quia „ bene sperantium superna exspectatio est. Jam vero il- „ lud ex ligno quod non apparet, quod fixum occulta- „ tur, unde totum illud exurgit, profunditatem signifi- „ cat gratuitæ gratiæ. " Denique *Lignum in quo fixa erant membra morientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis.* Sed & genus illud mortis veteribus figuris respondet. Ex diluvio scilicet humanum genus arca lignea liberavit. Moyses mare virga divisit, & Pharaonem prostravit. Idem misso in aquam ligno, ex amara dulcem effecit: & petram virga percussit, ut ex ea fluerent ubertim aquæ salutares: & expansis in monte manibus Amalechitas vicit. Ceterum exaltato in monte Calvariæ per crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem Spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis cœlo terraque radiantem puro ac libero corde suscipiat & interiore acie videat, quale sit, quod Dominus, cum de Passionis suæ loqueretur instantia, dixit: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis . . . . . Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater, salva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica Filium tuum.* Et cum vox Patris venisset e cœlo, dicens, *Et clarificavi, & iterum clarificabo*: Respondens Jesus circumstantibus dixit: *Non propter me vox hæc facta est, sed propter vos. Nunc judicium mundi est, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis! *In qua & Tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi.* Crux Jesu *Omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Ascendamus in palmam, & apprehendamus fructus ejus.

12. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.* Gustavit, ut nullus in eo sensus a dolore immunis esset; bibere noluit, ne dolor levior eo potu fieret: Pati enim voluit, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Hujus potus amaritudine peccata, quæ homines per gustum committunt, vina exquisitissima, liquores omnis generis suavissimos, cibos delicatos, cupedias, ceteraque gulæ irritamenta conquirentes, expiavit. Epulones & ebriosi, qui alios ad bibendum cogunt, & in conviviis certant quis bibendo præcellat, vinum propinant cum felle mixtum, peccatum felle amarius cum vino propinantes. *Fel draconum vinum eorum.* Unde illud S. Ambrosii contra ipsos usurpare liceat. „ Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invi- „ tas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum: Cibos pro- „ mittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suf- „ fundis... *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* „ Quid tam delectabiliter fugitur, si amarus tibi factus „ est mundus? Implevit Deus amaritudinibus mundum, „ & inhias tu, incumbis tu, fugis tu; nonnisi inde & „ inde voluptatem capis. Quamdiu? Quid si dulcis esset, „ quomodo amaretur? Ama Deum, contemne ista, des- „ pice res humanas, quandocumque hinc iturus: non „ enim hic futurus semper. Et tamen sic quomodo malus „ est, quomodo amarus est mundus, quomodo calamitati- „ bus plenus est mundus, si dictum tibi esset a Deo quod „ semper hic esses, lætitia te non caperes, exultares, „ gratias ageres. Unde? Quia miseriam non finires. „ Ipsa est major infelicitas quæ se amari cogit. Minor „ esset, si non amaretur: tanto pejor est, quanto plus „ amatur. "

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Tunc impletum est, quod Propheta ait ex persona Christi; *Dederunt in escam meam fel.* Christi esca, unitas est corporis ejus, quam Apostolus commendavit, dicens: *Unus panis, unum corpus multi sumus.* In hanc escam suavem quis est qui dat fel, nisi contradictores Evangelii, tamquam illi persecutores Christi? *Minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in cœlo sedentem.* Quod ergo fecerunt Judæi, ut in escam, quam jam acceperat, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui male vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ. Hoc faciunt hæretici amaricantes: sed non exaltentur in semetipsis. Dant fel super tam jucundum cibum. Sed quid facit Dominus? Non admittit ad corpus suum. Hoc sacramento ipse Dominus, quando illi obtulerunt fel, gustavit, & noluit bibere. „ Si non „ eos pateremur, nec omnino gustaremus. Quia vero ne- „ cesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in mem- „ bris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, re- „ cipi in corpus non possunt. *In siti mea potaverunt me „ aceto.* Sitiebam, & acetum accepi; id est, fidem „ illorum desideravi, & vetustatem inveni. "

13. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes*, &c. Vestimenta Christi, sacramenta ipsius: potuerunt dividi per hæreses, sed erat ibi Vestimentum quod nemo divisit. *Erat ibi tunica desuper contexta.* Ergo de cœlo, ergo a Patre, ergo a Spiritu sancto. Quæ est ista tunica, nisi charitas, quam nemo potest dividere? Quæ est ista tunica, nisi unitas? In ipsam sors mittitur, nemo illam dividit. *Sacramenta sibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviserunt. Et quia dividere non potuerunt, recesserunt; illa autem manet integra. Sorte obvenit quibusdam: nemo illam movet de Ecclesia Catholica.* Non pertinet ad quoslibet, sed occulta Dei gratia tamquam sorte donatur. Unde Simoni qui baptismum habebat, & sinceram fidem, quæ per dilectionem operatur unitatis integritatem, non habebat, a Petro dictum est: *Non est tibi sors neque pars in sermone isto.*

14. *Et posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæorum.* Jesum crucifigendo, Regem Gentium fecerunt; dedit enim illi Pater Gentes hæreditatem: nec tamen Judæi Regis sui dominationem evertere potuerunt. Rex est Judæorum & ipsis contradicentibus: *Rex ille virgam ferream gerit, qua & regit, & frangit. Quos regit? Quos conterit? Regit inobedientes, conterit resistentes.* Rex Judæorum est non solum vivens, sed mortuus, & a morte redivivus. Unde Psalm. 2. ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Crucis titulus scriptus est litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis, Deo dirigente, ut more Imperatorum, Christi crux preferret titulos gentium, nondum quidem subactarum, sed brevi subigendarum. Ille enim in cruce pendebat, cui credere debebat Religio Judaica, eruditio Græca, robur Latinum. „ Quamvis in illis tribus linguis Christo subju- „ ganda universitas gentium omnium monstraretur: non „ tamen illic scriptum est, & *Rex Gentium*, sed tantum- „ modo *Judæorum*; ut commendaretur origo seminis in „ proprietate nominis. *Lex* enim *de Sion exibit, & ver- „ bum Domini de Jerusalem.* Pilatus quidem Regem Ju- „ dæorum scripsit, non Regem Græcorum aut Latino- „ rum, quamvis Gentibus regnaturum. Et quod scripsit, „ scripsit, neque infidelium suggestione mutavit: cui tan- „ to ante prædictum erat in Psalmis. *Tituli inscriptionem ne corrumpas*: Omnes gentes credunt in Regem „ Judæorum: omnibus gentibus regnat, sed tamen Rex „ Judæorum. Tantum valuit illa radix, ut insertum olea- „ strum in se possit ipsa mutare, oleaster autem olivæ „ non possit auferre. "

15. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, & unus a sinistris.* Jesus sceleratos inter medius crucifigitur, & pendet, ut se propter peccatores mori & sanguinem fundere ostendat. Quicumque exterius

cum

S. Th. 3. p. q. 46. Ar. 4. — *S. August. l. Qu. 83. Qu. 25.* — *Ps. 68. Auctor. ser. inter Augustinianos olim 101. de Temp. nunc 32. in App.* — *Jo. 12.* — *S. Greg. Nyss. Orat. 1. de Resurrect. Christi. S. Ath. l. de Incarn. Verbi.* — *Ephes. 3. 14* — *S. Aug. Epist. 140. alias 120. ad Hon. cap. 26.* — *S. Aug. Tract. 119. in Joan.* — *Deut. 28. 66* — *S. Leo ser. 58. de Pass. Domini 8.* — *Jo. 12. 23. 27. 28. 30.* — *Cant. 7. 8.* — *Deut. 32. 13. S. Ambr. l. de Elia & jejun. cap. 14* — *S. Aug. ser. 311. alias de Diversis 115.* — *1. Cor 10. 17.* — *S. Aug. Enar. in Psal. 68. Concione 2.* — *Joann. 19. S. Aug. Enar. in Psal. 21. Conc. 3.* — *Act. 8. 18.* — *S. Aug. Ena. in Psal. 58.* — *S. Aug. ser. 318. alias de Diversis 76.* — *Isaiæ 1. 3. Ps. 56. 1. 57. 1. &c.*

cum Christo patiuntur in Ecclesia, vel ejus Passionis per Sacramentorum Communionem sunt participes, non propterea passionis ejus fructum interius per gratiam sanctificantem & charitatem percipiunt. Quid & quantum quis patiatur, non tam spectandum est, quam qua de causa patiatur. Unde scriptum est, *Judica me Deus, & discerne causam meam.* Martyrem pœna non discernit, sed causa. *Ps. 42. 1.*

Tres cruces in uno loco erant; in una, latro liberandus; in alia, latro damnandus; in media, Christus alterum liberaturus, alterum damnaturus: Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus? Christus inter iniquos reputatus est. Latro evasit: Christus damnatus est qui omnium crimina confitentium relaxavit. „ Tamen „ & ipsa crux, *si attendas*, Tribunal fuit: in medio e- „ nim Judice constituto, unus latro qui credit, libera- „ tus, alter qui insultavit damnatus est. Jam significabat „ quod facturus est de vivis & mortuis, alios posiurus „ ad dexteram, alios ad sinistram: similis ille latro fu- „ turis ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram. „ Judicabatur, & judicium minabatur. „ *S. Aug. Ep. 93. alias 48. S. Aug. Tr. 31. in Joan.*

Crucifixi sunt cum eo duo latrones. Duo latrones cum Domino Jesu crucifixi, omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum Passionis Domini ostendunt: sed quia per diversitatem fidelium & infidelium, fit omnium secundum dexteram sinistramque divisio; unus ex duobus ad dexteram ejus situs, fidei justificatione salvatur. Unus blasphemat, alter blasphemantem corripit, Jesum reveretur, misericordiam rogat. Cor dumtaxat & linguam libera habet; utrumque offert Deo, corde credens ad justitiam, ore confessus ad salutem. Fidem habet, qui regnaturum Dominum credit, quem secum morientem videt. Spem habet, qui Regni ejus aditum postulat. Charitatem habet, qui latronem alterum pro simili scelere morientem ob blasphemias increpat, & ei vitam, quam non noverat, prædicat. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum ex humana infirmitate morientem, quando Apostoli negabant eum, quem miracula viderant divina virtute facientem. Sic utendum est cruce, sic in tribunalibus actus fidei, spei, charitatis ferventius exercendi. Ita cruce, calamitatibus, infirmitatibus, damnis, persecutionibus, ipsa morte utuntur electi. *S. Hilar. c. 33. in Matth. S. Greg. M. l. 18. Mor. c. 1.*

16. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce*, &c. Jesus crucifixus, etiamnum, & ad finem usque sæculorum, blasphemiis, ludibriis, contemptui impiorum expositus est. Scandalum est iis, qui carnis dumtaxat oculis illum intuentur. Summus Sacerdos, qui vult destruere Templum Dei; Salvator, qui non salvat semetipsum de cruce descendens; Filius Dei crucifixus, & mortuus in cruce inter duos latrones: hæc sunt, quæ Judæos, & impios quosvis offendunt. Summus vero Sacerdos, qui veteres figuras umbrasque dissipat, ut Religionis stabiliat veritatem, & sanctuarii cœlestis sit Pontifex: Salvator qui mortem subit, ut sit victima salutis omnium hominum; Filius Dei qui potentiam suam includit in cruce, ut fidei justitiam constituat; hæc sunt, quæ verus Christianus adorat; hæc in quibus confidit. „ Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapien- „ tia. Quænam stulta sunt? Conversio hominis ad cul- „ tum veri Dei? rejectio erroris, disciplina justitiæ, pu- „ dicitiæ, patientiæ, misericordiæ, innocentiæ? Omnia „ hæc quidem stulta non sunt. *Stulta dixerit sapientia „ secularis, quæ pertinent ad contumelias & passiones „ Dei? Verum* quid indignius Deo? Quid magis erubes- „ cendum, nasci, an mori? carnem gestare, an crucem? „ circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? In præ- „ sæpe deponi, an in monumento recondi? Non eris sa- „ piens, nisi stultus in sæculo fueris, Dei stulta creden- „ do... Parce unicæ spei totius orbis. Quid destruis ne- „ cessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum „ est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Do- „ mino meo. Crucifixus est Dei Filius: non pudet, quia „ pudendum est. Et mortuus est Dei Filius: prorsus cre- „ dibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: „ certum est, quia impossibile est. „ *Ter. l. de Car. Christi c. 5. S. Aug. Tract. 37. in Joann.*

Si Filius Dei es, descende de cruce. „ Non descen- „ dit Christus, ut eis suam potestatem descendendo mon- „ straret: quia patientia docebat, ideo potentiam differe- „ bat. Si enim quasi commotus ad eorum verba descende- „ ret, victus conviciorum dolore putaretur. Prorsus non „ descendit, fixus permansit, quando vellet abscessurus. „ Nam quid ei magnum fuit de cruce descendere, qui „ potuit de sepulchro resurgere? „ Non vestræ cæcitatis arbitrio, o stulti Scribæ, & impii Sacerdotes, ostenden- da erat potentia Salvatoris; nec secundum blasphemantium linguas, humani generis redemptio debebat omitti; cum si deitatem Filii voluissetis agnoscere, innumera opera ejus videretis, quæ vos ad eam, quam fallaciter promittitis, fidem confirmare debuerint. Si autem, ut ipsi profitemini, verum est quod alios salvos fecit, cur illa tot & tanta miracula, quæ sub publico facta sunt *Leo ser. 66. de Pass. Dom. 17.*

conspectu, in nullo cordis vestri duritiam mollierunt? nisi quia ita semper Spiritui sancto resistitis, ut omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteritis? Nam etiam si descenderet Christus de cruce, vos semper hæretis in crimine. „ Spreta ergo sunt vanæ insultationis opprobria „ & misericordiam Domini perdita & collapsa reparan- „ tem, nullæ contumeliæ, nulla convitia a sui via pro- „ positi removerunt. Offerebatur enim Deo pro salute „ mundi Hostia singularis, & occisio Christi veri Agni, „ per tot sæcula prædicata, promissionis filios in liber- „ tatem fidei transferebat. Confirmabatur quoque Testa- „ mentum Novum, & Christi sanguine, æterni Regni „ scribebantur hæredes. Ingrediebatur summus Pontifex „ Sancta Sanctorum, & ad exorandum Deum immacula- „ tus Sacerdos per velum suæ carnis intrabat. "

17. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Prodigiales illæ tenebræ Judæis ostendere debebant, Jesum esse lumen mundi, solem justitiæ, quem quia secuti non erant, sed rebelles fuerant lumini, merito suæ infidelitatis & immanitatis, deserebantur in errore & tenebris, quæ peccatoribus concreata sunt. „ Stultis ac blasphemis voci- „ bus vestris, *o Judæi*, reddunt omnia elementa respon- „ sum, & unam in vos sententiam ferunt cœlum, ter- „ ra, sol, sideraque, indignos vos suo ministerio prote- „ stantes terribili motu, insolitoque defectu, tenebras „ mundo vestræ cæcitatis ostentant. „ *S. Leo ser. 59. de Pass. Dom. 10.*

18. *Et circa hora nonam exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammasabactani! hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Vox ista, *Membrorum ipsius vox erat, non capitis. Corpus enim suum gerebat, id est, Ecclesiam.* Sancti in quibus vetus homo Cruci Christi confixus est, similem interdum vocem in tribulationibus & persecutionibus emittunt. Spiritus amat crucem, illamque *proposito gaudio* cum Jesu sustinet, sed caro conqueritur, inferior appetitus clamat, *Deus meus, quare dereliquisti me?* Clamat sæpe & ratio, & orat: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Et cum non exauditur, se derelictam a Deo anima adhuc infirma putat. Verum attendant, non minus intime Deum unitum fuisse Christo, cum se ab illo derelictum clamabat: *Erat* enim *Deus in Christo, mundum reconcilians sibi:* & pro Mundi reconciliatione tunc exaudiebatur a Patre, ut Apostolus docet: *Qui in diebus carnis suæ*, inquit, *preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Sed, inquies, justi sæpe clamant ad Deum in tribulatione, & non exaudiuntur. Id etiam a Propheta in persona Christi prædictum de illius membris. *Clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Mihi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur; sed ad salutem, non ad insipientiam. Clamavit Paulus, ut auferretur ab eo stimulus carnis; & non est exauditus ut auferretur; & dictum est, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ergo non est exauditus; sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam: „ Ut intelligat homo, Medicum esse Deum, & tribulatio- „ nem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad dam- „ nationem: sub medicamento positus ureris, secaris, cla- „ mas: Non audit Medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem. „ *Non ideo tamen derelinquit Deus sanctos suos.* Tu autem „ in sancto habitas, laus Israel. *Quare ergo illos non exau- „ dit?* Quia in tribulatione positus Christianus probatur, „ si non dereliquit Deum suum. Nam quando bene est „ homini, desertus est sibi Christianus. Ignis intrat in „ fornacem, & fornax aurificis magni sacramenti res „ est. Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto „ operatur. Ignis ille non est diversus & diversa agit; „ paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In qui- „ bus autem habitat Deus, utique in tribulatione melio- „ res fiunt, tamquam aurum probati. „ Et si forte petierit inimicus diabolus aliquem probandum, & concessum illi fuerit a Deo, sive aliquo dolore corporis, sive aliquo damno, sive amissione rerum suarum: *Fixum cor habeat in illo, qui se non subtrahit; & si quasi subtrahit aurem ploranti, sed apponit misericordiam deprecanti. Novit quid agat qui nos fecit, novit & reficere nos. Bonus est structor qui ædificavit domum; & si aliquid ibi ceciderit, novit resarcire.* Eruit clamantes ad se, cum expedit illis ad salutem: *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt & liberasti eos.* Eruit populum Israel de terra Ægypti; eruit tres pueros de camino ignis; Danielem de lacu leonum; Susannam de falso crimine: omnes invocaverunt, & eruti sunt. Numquid defecit Filio suo, ut in cruce pendentem non exaudiret? Quare autem modo non eruitur? Dominus flagellabatur & nemo subveniebat; sputis fœdabatur, & nemo subveniebat; colaphis cædebatur, & nemo subveniebat; spinis coronabatur, nemo subveniebat; affigebatur cruci, nemo subveniebat. Clamat, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Non subvenitur. Quare? Qua mercede tanta passus est? *Omnia ista quæ passus est, pretium est.* Pretium est redemptionis & salutis nostræ, Deo Patri oblatum, quo illius justitiæ accurate, plene, uberrime factum est satis. Ne ex illorum *S. Aug. Enarr. in Psal. 21.* *2. Cor. 5. 19.* *2. Cor. 12. 9.*

nume-

numero simus, de quibus Christus apud Prophetam ait: *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & cordo suo maledicebant.* Ne impios imitemur, qui Christi passioni & morti præsentes, ejus pœnas & dolores suis insultibus & crudeli malitia augebant. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Ps. 61. 5.

Ps. 68. 31.

19. *Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* „ Crux Christi Judæis scan-
S. Ambr. ser. 8. in Psal. 118. Hebr. 11. 26.
„ dalum & opprobrium, mihi virtus est, per quam ad-
„ versarium repello, sæculum vinco. Mihi sapientia,
„ per quam insipientiæ laqueos evado. Hoc opprobrium
„ thesauris Ægypti Moyses prætulit. *Majores divitias*
„ *æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.*
„ Si opprobrium tuum gloria est, Domine Jesu, quanta
„ est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid
„ erimus, cujus sumus opprobrio glorioši? Denique scri-
Ps. 33. 6.
„ ptum est: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies*
„ *vestræ non confundentur.* Hoc opprobrium auferri a
„ nobis nolumus, opprobrium crucis Domini Jesu, quo
„ nostra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictum
„ factus est, ut nostra maledicta doleret: homo factus
„ est, ut omnium auferret opprobria. " Verum cum opprobrium nostrum per baptismum virtute passionis suæ abstulerit, opprobrium ipsi facimus, & facere non desistimus, post baptismum peccando, Spiritui gratiæ contumeliam facientes, sanguinem testamenti, in quo sanctificati sumus, pollutum ducentes, Filium Dei & ejus passionem ludibrio & ostentui habentes. Nostram salutem sitit, & illi acetum propinamus, veteris hominis actus pravos.

Qui vitam vere Christianam & pœnitentem, quæ crux est & martyrium, ducere constituunt, multos plerumque patiuntur illusores; impiorum, & sæculo penitus addictorum hominum sarcasmis, ludibriis, contradictionibus tentat eos diabolus, ut ab arcta via dimoveat, quæ ducit ad vitam. Verum hac pulsatus tentatione, quæ certe gravis est incipientibus, „ Ibi se constituat Christianus quo
S. Leo ser. 68. de Pass. Domin. 19.
„ eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem
„ viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam.
„ Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi:
„ & sicut in sanctis suis diligitur, & in pauperibus ipse
„ compatitur: nisi forte æstimandum est, multiplicata
„ per orbem fide, & rarescente impiorum numero, om-
„ nes persecutiones, & omnia quæ adversus beatos Mar-
„ tires sævierunt, finita esse certamina, tamquam susci-
„ piendæ crucis illis tantum necessitas incubuerit, qui-
„ bus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima
„ sunt illata supplicia. Sed aliud servientium Deo pietas
„ experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur,
„ qui dicit; *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Je-*
2. Tim. 3. 12.
„ *su, persecutionem patientur.* Qua sententia nimis tepi-
„ dus & segnis ostenditur, qui nulla persecutione pulsa-
„ tur. Pacem enim cum hoc Mundo nisi amatores mun-
„ di habere non possunt: & nulla unquam iniquitati cum
„ æquitate communio, nulla mendacio cum veritate con-
„ cordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Quia
„ etiamsi pietas bonorum cupiat malos corrigi, conver-
„ sionemque multorum per gratiam Dei miserentis obti-
„ neat: malignorum tamen spirituum adversus Sanctos
„ insidiæ non quiescunt, & sive occulto dolo, sive aper-
„ to prælio, in omnibus fidelibus propositum bonæ vo-
„ luntatis infestant. „

20. *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Sic ostendit, quod ante dixerat, potestatem habere se ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, non necessitate, sed charitate se mori. *Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis?* Cogitate, quis, pro quibus moritur. Filius Dei pro servis, justus pro impiis, ut illos a servitute diaboli, & ab æterna morte redimat. *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes: Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Sed hæu! *Justus perit, & non est qui recogitet in corde suo.* O cæcitatem! o ingrati animi vitium! In peccatum arma sumamus; quod mortem Christo intulit, illud in nobis destruamus. Animam corpusque nostrum, vitam nostram Deo in holocaustum offeramus cum Christo Jesu in ara crucis ejus, ei compatientes & commorientes, ut cum illo vivere possimus. Nobis mundus crucifixus sit, nosque mundo viciissim crucifixi simus. Christi Jesu mortem continuo meditemur, ut bene moriendi modum ab illo discamus. Mors nostra felix non erit, nisi morti illius sit conformis; nisi ipsam humiliter subeamus, pœnam peccati in sacrificium convertentes,

S. Aug. Tract. 119. in Joan.

Hebr. 12. 3. & 4.

Isaiæ 57. 1.

Natal. Alex. in Evang.

ejusque cruci per amorem pœnitentem confixi, animam Creatori reddamus.

21. *Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* Velum peccati, quod inter nos & misericordiam Dei interjectum erat, ne sanctuarium cę'este videre & ingredi possemus, Christi morte diruptum est. De quo velo Isaiæ 59. 2. dicitur: „ Iniquitates vestræ „ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata ve-
„ stra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.
„ *Terra mota est, & petræ scissæ sunt, &c.* Contremi-
„ scat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia,
S. Leo ser. 62. de pass. Dom. 13.
„ rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalita-
„ tis gravabantur sepulchris, discussa obstaculorum mole
„ prosiliant. Appareant tunc quoque in civitate sancta, id
„ est, in Ecclesia Dei, futuræ Resurrectionis indicia: &
„ quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Nul-
„ li infirmorum crucis est negata victoria: nec quisquam
„ est, cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in
„ ipsum sævientibus profuit, quanto magis eos qui ad
„ ipsum converturtur, adjuvit? Sublata est ignorantia,
„ temperata est difficultas, & igneam illam, qua vitæ
„ regio erat inclusa, romphæam facer Christi sanguis ex-
„ tinxit. Veræ luci antiquæ noctis cessit obscuritas. In-
„ vitatur ad paradisi divitias populus Christianus, & cun-
„ ctis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reddi-
„ tus: si nemo viam illam facit claudi, quæ fide Latronis
„ potuit aperiri. „ Centurio, & qui cum eo erant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. *Centurio agnoscit alienum, Levita non recognoscit suum: Gentilis veneratur, Hebræus abjurat.* Sed non excusantur Principes Sacerdotum quia nesciunt, cum nescire voluerint quod debuerant cognoscere. Centurionis conversio fructus orationis Christi pro persecutoribus & crucifixoribus suis fuit. Conversio ejus, primitiæ vocationis gentium ad lumen Evangelii. Timore salutari cor ejus concussum est ad pœnitentiam, ut misericordiam consequeretur. In tenebris mundi & erroris ipsum illuminavit Sol justitiæ. Quam oculata fides, quæ Deum in patibulo pendentem videt. A timore spiritum concepit: sed postea perfecta charitas foras misit timorem. Adeo enim in fide & charitate profeciisse dicitur, ut postea martyrium pro Christo obierit.

S. Ambr. l. 1. de Interpellat. Job. 1. 5.

Chrys. Hom. 8.

22. *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei,* &c. Piarum mulierum admirabilis constantia est. Jesum sequebantur usque ad extrema pericula, omnia fideliter observabant, quæ in ejus morte facta sunt miracula, ut de illis opportuno tempore testimonium perhiberent. Discipuli fugerunt, mulieres ad Crucem Jesu remanserunt, compassæ morienti, lachrymas suas cum ejus sanguine pretioso miscentes, ut quæ deerant passionum Christi in se ipsis adimplerent. Ideo ipsum a morte redivivum videre priores meruerunt. *In Christo Jesu non est masculus, neque fœmina.* Sexus infirmior plerumque per Dei gratiam fortior est.

Coloss. 1. 24. Galat. 3. 28

23. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo,* &c. Hunc Joseph Matthæus divitem, Lucas justum dixit. Ditior erat fide & justitia, quam censu & pecunia. Discipulus erat Jesu, justus erat, hæ magnæ divitiæ. *Fideli totus mundus divitiarum est.* Ceterum dives qui justus sit, & periculo divitias suas propter Christum exponat, eique crucifixo adhæreat, rara avis. *Sequi Christum quomodo possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? aut quomodo cœlum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Possidere se credunt, qui magis possidentur; census sui servi, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati.* Vere opum suarum dominus est, qui illas in Christi honorem erogat & impendit in opera pietatis & charitatis. Vere dives Joseph, qui accepit corpus Jesu, in quo tametsi mortuo, *habitabat plenitudo divinitatis.* Nam *Quis potest pauper esse, qui Deo dives est?* Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Corpus Christi, non mortuum, sed vivum & glorioſum in Eucharistia recipimus: illud pura conscientia, mundo corde suscipiamus; odore virtutum, velut aromatibus ungamus: novum sit quo illum recipimus hospitium, non sepulchrum, simus homines novi per charitatem, in novitate vitæ ambulantes; non ex eorum numero, de quibus a Propheta dictum est: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum in labiis eorum.* In petra excisum sit conditorium in quo Christi corpus deponimus, id est, in fidei firma-

S. Cypr. lib. de Lapsis.

Minutius Felix in Octav.

Psalm. 5. 11. S. Ambr. in Lucam.

firmamento, de qua veri Israelitæ dulcedinem mellis, & oleum spiritale suxerunt. Lapidem admoveamus, ne pateat; diligenter Christum custodiamus, ne eum perdamus, neve perfidiæ sit ingressus. Corpus Jesu non sepeliunt nisi justi, ejusque discipuli. Christi corpus in Sacramento digne suscipere non possumus, nisi justi simus, nisi fideles ejus discipuli simus, illi in vita & in morte adhærentes, ejusque Passioni communicantes.

Joseph Christi corpus deponit in monumento suo novo. Christus in sepulchro etiam suo nobis paupertatem prædicat. Natus est pauper. *Propter nos egenus factus cum dives esset, ut illius inopia divites essemus.* Pauper vixit, non habens ubi reclinaret caput suum, nudus in cruce mortuus est. Sepulchrum denique proprium non habuit, nec sindonem qua involveretur: Josephi & Nicodemi pietate & charitate sacrum ejus corpus pollinctum est. Verum & alia ratio fuit, cur proprium sepulchrum non habuerit Christus Jesus, sed in monumento novo Josephi Arimathæi sepultus sit. Alii quippe mortui in regione umbræ mortis habitant, sepulchrorum sunt inquilini, *Et sepulchra eorum domus illorum in æternum.* At Christus Jesus solus *inter mortuos liber*, in regione mortis peregrinus est, per illam transit, die tertia resurrecturus, & in gloriam suam intraturus: *Singulariter sum ego donec transeam.* Ideo in sepulchro alieno, tamquam in hospitio deponitur; novo tamen & in quo nemo unquam sepultus fuerat, quia novus homo, novæ nativitatis dedicator, novus in morte, quia mortis triumphator, vitæque novæ instaurator. „ Non habebat Christus tumulum suum; et„ enim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis: vi„ ctor mortis tumulum suum non habet. Quæ enim com„ munio tumulo & Deo? Specialis igitur præter commu„ nem omnium mortem mors Christi est: & ideo non cum „ aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur; omnia enim „ in similitudinem hominum habuit Incarnatio Domini, „ sed similitudo erat cum differentia. Natus est ex Vir„ gine, similitudine generationis, dissimilitudine conce„ ptionis. Curabat ægros, sed imperabat. Aqua Joannes „ baptizabat. Hic Spiritu. Et mors ergo Christi commu„ nis secundum naturam corporis, specialis secundum vir„ tutem. „ Baptismus in quo sumus *Christo consepulti*, in quo & resurreximus, nobis legem imposuit moriendi mundo, vivendi Deo.

2.Cor. 8. 9.

43. 1 1.

Ps. 87. 6.
Ps. 140. 10.

S. Ambr. l. 10. in Lucam num. 140.

Colos. 2. 12

24. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.* Fortis ut mors dilectio. Qui Christum ardenter diligunt, in meditatione mortis ejus perseverant; vitam suam cum Christo abscondunt in Deo, ad pietatis officia prompti sunt, in eisque constantes. Quamvis religiosæ mulieres longe stent, locum tamen ubi Christi corpus deponitur, diligenter observant, ut unguenta afferant & superfundant. *Sollicitæ & a monumento posteriores recedunt, & ad monumentum priores revertuntur, etsi deest constantia, non deest diligentia. Sexus natat, devotio calet.* Immo nec constantia omnino deest: nam *Resurrectionis tempore præsto sunt, & cum viri fugarentur, solæ tamen ab Angelo ne timeant admonentur.*

S. Ambr. l. 10. in Luc. num. 144.

25. *Altera autem die quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam: jube ergo custodiri sepulchrum usque ad diem tertium*, &c. Ubique error & impostura seipsam confodit, & veritati nolens suffragatur. Credere oportuit Jesum mortuum esse, sepultum esse, resurrexisse: hæc omnia inimici ejus explorata reddunt. *Recordati sumus*, inquiunt, *quod impostor ille adhuc vivens dixerat.* Mortuus igitur est. *Jube ergo muniri sepulchrum.* Igitur sepultus est. *Ne forte veniant Discipuli ejus & furentur eum.* Munito & obsignato sepulchro, fraus aliqua intervenire non potuit. Si nullus esse potuit fraudi locus & sepulchrum nihilominus repertum est vacuum, perspicuum est quod sine dubio resurrexerit. Discipulorum candor hinc apparet, quod nihil eorum quæ ab adversariis Jesu in illum dicebantur, fileant, quamvis probrosissima essent. Principes autem Sacerdotum & Pharisæi, sepulchrum adhibitis custodibus obsignaverunt & munierunt. Quomodo corpus Jesu furari potuerunt ejus Discipuli sepulchro obsignato, munito, a Militibus Romanis custodito? Quando furati sunt? an Sabbato? Sed non licebat accedere ad sepulchrum festo die. Quod si Legem contempsissent, quomodo plebi potuissent persuadere illum resurrexisse? Qui viventem adhuc, statim atque comprehensus est, deseruerunt, & fugerunt homines timidi, nonne ab illo penitus alienati fuissent jam mortuo, si spem suam de illius Resurrectione post triduum, frustratam vidissent, tamquam ab illo decepti, & in extrema propter illum pericula adducti? Quomodo vero, nisi vera fuisset Resurrectio, eam fingere ac persuadere potuissent? Qua enim re freti id ausi fuissent? An eloquentia? At rudes erant ac imperiti. An opibus? Nec baculum, nec calceamenta habebant. Generisne claritate? Ignobiles erant piscatores. Suane multitudine? Pauciissimi erant, undecim dumtaxat, & illi quidem dispersi. Num promissionibus Magistri? Nullius apud ipsos firmitatis ac roboris fuissent, si non resurrexisset.

S. Joannes Chrysost. Hom. 90. in Matth.

Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, &c. Qui viventem comprehenderant, mortuum verentur. Atqui si purus homo erat, quid ipsis metuendum fuit? Sed ut compertum omnibus fiat illum sponte passum ac mortuum: en & sigillum, & lapis, & custodes, nec tamen ipsum retinere potueretur: sed id unum effecerunt, ut sepultura publicaretur, & Resurrectio crederetur. Ecclesiæ inimici fidem ejus confirmant. Prudentia carnis inimica Deo, ejus consiliis vel invita servit. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ideo Principes Sacerdotum & Pharisæi *cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Scriptum est, *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi?* „ Metus furandi corporis, & sepulchri custodia „ atque obsignatio, stultitiæ atque infidelitatis testimo„ nium est, quod signare sepulchrum ejus voluerint, cu„ jus præcepto conspexissent de sepulchro mortuum susci„ tatum. „

Prov. 21. 30.
Ps. 20. 17.
1.Cor. 1. 19. & 20.
S. Hil. c. 33. in Matth.

Recordati sumus quia seductor ille, &c. Christum Jesum non modo viventem, sed & mortuum persequuntur, & convitiis proscindunt Principes Sacerdotum & Pharisæi. Seductorem vocant impii. *Hoc appellatur nomine ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores.* Dominum nostrum imitemur, si cum ejus gloriam & Ecclesiæ utilitatem promovere studemus, convitiis & detractionibus maledicorum hominum petimur. Induamur sicut ipse, decore & fortitudine; decore, respectu eorum quibus placent bona quæ Deus in nobis & per nos operatur; fortitudine, respectu eorum qui nos vituperant, nobisque detrahunt. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.* Cum Christus prædicaret Evangelium Regni, prædicationemque suam miraculis confirmaret, *Alii dicebant, Non, sed seducit turbas.* Alii ergo bene loquebantur: alii detrahebant, lacerabant, mordebant, conviciabantur. *Ad eos* ergo *quibus placebat, decorem induit: ad eos quibus displicebat, fortitudinem induit. Imitare Dominum tuum, ut possis esse vestis ipsius: esto cum decore ad eos quibus placent bona operatua: esto fortis adversus detractores.* Audi Apostolum Paulum imitantem Dominum suum, quomodo & ipse habuit fortitudinem. *Christi bonus odor sumus*, inquit, *in omni loco, in iis qui salvi fiunt, & in eis qui pereunt.* Quibus enim placet bonum, salvi fiunt: qui detrahunt bono, pereunt. Quod suum erat, ille odorem habebat bonum, immo bonus odor erat: sed væ miseris, qui & bono odore moriuntur. Non ait, Illis bonus odor sumus, illis malus odor sumus, sed, *Christi bonus odor sumus in omni loco; & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Quibus erat odor vitæ in vitam, decorem induerat: quibus erat odor mortis in mortem, fortitudinem induerat. Si autem tunc gaudes, quando te laudant homines, & placent illis bona opera tua; cum autem vituperaverint, deficis in bonis operibus, & quasi fructum bonorum te perdidisse arbitraris, quia invenis reprehensores; non stetisti immobilis, non pertines ad orbem terrarum qui non commovebitur. De ipso decore & fortitudine alibi ait Paulus: *Per arma justitiæ a dextris & a sinistris: per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam: ut seductores & veraces*, &c. In gloria decorus, in ignobilitate fortis. Apud alios gloriosus prædicabatur, apud alios ignobilis contemnebatur. Decorem afferebat eis quibus placebat, fortitudinem adversus eos quibus displicebat. Veri igitur perfectique Christiani ad utrumque parati esse debent; gaudere cum laudantibus, fortes esse adversus vituperantes: *Non molescere linguis laudantium, nec frangi linguis vituperantium.*

S. Aug. Enar. in Ps. 63. v. 9.
Ps. 92. 1.
Jo. 7. 12. 40.
S. Aug. Enarr. in Psal. 92.
2.Cor. 2. 15.
2.Cor. 6. 7.

CAPUT XXVIII.

SENSUS LITTERALIS.

1. VESPERE *autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre Sepulchrum.* Sub exitum Sabbati, sive nocte Sabbati desinente in primam hebdomadæ diem, eaque illucescere incipiente, primo scilicet *diluculo*, cum nondum omnino discussæ essent noctis *tenebræ*, Maria Magdalene, & altera Maria Cleophæ filia vel conjux, Mater Jacobi & Joseph, cum aliis, venerunt ad Sepulchrum Jesu, sacrum ejus corpus unctura. Confer cum Marci 16. 1. *Et cum transisset Sabbatum; Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum*, (id est prima die hebdomadæ, quæ Christianorum Dominica est) *veniunt ad munumentum, orto jam Sole.* Græci verbi Aoristus exactum tempus non significat, sed adhuc durans. S. Augustinus legit, *Oriente jam Sole*, idest, cum cœlum ab Orientis parte jam albesceret: quod non fit utique nisi Solis orientis vicinitate: ejus enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet: Quod ergo ait S. Matthæus, *Vespere Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati*, venisse pias mulie-

Lucæ 24. 1. Joan. 20. 1.

lieres ad sepulchrum Jesu, hoc nomine *vespere* non intelligitur initium noctis, sed ipsa nox quæ luce incipit terminari. „ Et usitatus loquendi modus divinæ Scripturæ est a parte totum: a vespere ergo noctem significa„ vit, cujus extremum est diluculum. Diluculo enim ve„ nerunt illæ mulieres ad monumentum, ac per hoc ea „ nocte venerunt, quæ significata est nomine vesperi. To„ ta enim significata est eo nomine, & ideo quacumque e„ jus noctis parte veniissent, ea utique nocte veniissent: „ cum ergo venerunt parte ejus noctis extrema, ea pro„ cul dubio nocte venerunt. Vespere autem quæ lucescit „ in prima Sabbati, non potest nisi tota ipsa nox intelli„ gi: eo igitur vespere venerunt, quæ ipsa nocte vene„ runt: ipsa autem nocte venerunt, quæ ipsa noctis ipsius „ quamvis extrema parte venerunt. „ Sub finem igitur noctis primo diluculo surrexerant mulieres: dum alia aliam expectat, dum parata accipiunt aromata, dum progrediuntur per Urbem & extra Urbem ad sepulcrum, facile tantum temporis transiit, ut cum ad sepulchrum ventum esset, aliquid jam Solis appareret. Addit S. Hieronymus S. Matthæum non scripsisse *vespere*, sed *sero*, idest, *tarde*, & interpretem verbi ambiguitate deceptum non *sero* interpretatum esse, sed vespere.

S. Aug. l. 3. de Consensu Ev. cap. 21.

S. Hier. Epist. 150. q 4.

Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens revolvit lapidem; & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Terræ motus factus est, ut signum esset secuturæ Angelorum apparitionis. Id significant verba sequentia; *Angelus enim Domini, &c.* Præsentem certe Dei virtutem, & secuturam visionem sæpe significat in Scripturis terræ motus, *Psal.* 67. 8. 9. 98. 1. 103. 7. Secundo, terra mota est, ut custodes, qui dormiebant, excitarentur & Resurrectionis Christi testes esse cogerentur. Tertio, ut indicaretur totum orbem Christi prædicatione commovendum. Terræ autem motus devolutio lapidis, fuga custodum, evenerunt dum mulieres in itinere essent; neque id ex mulierem testimonio notum videtur, sed ex militum relatu, qui, accepta pecunia, silentii fidem, quam Sacerdotibus promiserant, non servaverunt, & ex revelatione sanctis Evangelistis facta. Id colligitur ex Marci 15. 4. *Et respicientes viderunt revolutum lapidem*: Devolvi non viderunt: neque ausæ fuissent accedere, si monumentum obseptum vidissent militari custodia. Antequam ergo ad monumentum perveniissent terra eo in loco vehementer concussa est, & Angelus Domini descendit de cœlo, a Deo missus ut omnes Judæorum fraudes converteret, ne illi, cum audissent Christum resurrexisse, alium ejus loco supponerent, ut non resurrexisse videretur. Duos Angelos nominant Lucas & Joannes, unum dumtaxat Matthæus & Marcus, quia unus ille & propior, & pro duobus verba fecit, quod solemne notant Hebræi ex *Genes.* 18. 1. 3. Unus scilicet sedebat ad caput, & unus ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Vel, primum quidem unum dumtaxat Angelum viderunt sedentem super lapidem, qui extrorsum erat devolutus, tamquam accepto in custodiam sepulchro. Deinde cum sepulchrum intrassent, nec invenissent corpus Jesu, idque renuntiassent Petro & Joanni, illique comprobata mysterii veritate a sepulchro recessissent, sanctæ Mulieres ibi remanentes duos Angelos viderunt. Quod autem Angelos sedisse alii Evangelistæ scribant, S. Lucas stetisse, nulla contradictio est. Standi enim verbum in Scriptura sacra non semper situm, sed aliquando solam præsentiam vel solam quietem significat, ut *Matth.* 16. 28. *Marci* 2. 25. *Lucæ* 7. 38. & 17. 11. *Joannis* 1. 26. Revolutus autem sepulchri lapis est, non ut Christus resurgeret, sed ut Resurrectio ejus manifesta fieret. Qui enim clauso Virginis utero, venit in mundum, clauso sepulchro resurrexit. Erat porro facies Angeli fulguri similis, vestes vero candidæ ut nix, facies fulgida & radians, ut Angelus ipsa specie humanam superante videretur; vestes ad talos demissæ, sive *stola*, ut vocat Marcus, candore cum nive certans, in signum puritatis & sanctimoniæ: & quod splendidus habitus nuntio Resurrectionis gloriosæ Christi, & gaudii quod illa paritura erat Ecclesiæ, conveniret. Duplex crypta erat in sepulchro Jesu, quæ etiamnum visitur: præcipua una & intima, in qua reconditum fuit sacrum ejus corpus: extima altera & tamquam aditus ad aliam, & vestibulum. Angeli sacellum appellant, quod illic Angelus super lapidem sedens Christum resurrexisse mulieribus nuntiarit.

S. Hier. Epist. 150. q 4.

Luc. 24. 4. Jo. 19. 12.

S. Aug. l. 3. de Consensu Evang.

S. Hier. Epist. 105. Quæst. 6. Auctor Respons. ad Orthod. inter S. Justini Opera Quæst. 117

Ad dammanus l. 1 de situ Terræ Sanctæ Jo. Phocas in ejusd. Descrip. Dan. 10. 8.

3. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Angeli conspectu custodes exterriti sunt, non humano tantum timore, ne pœnas luerent sepulchri negligenter custoditi, sed divino, ne divinitus punirentur aut dehiscente terra; aut emisso fulmine, ut qui Judæorum sceleri operam præstarent. Et facti sunt velut exanimes præ timore: quod & sancto Danieli, cum Angelum vidisset, contigisse legimus.

4. *Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim sicut dixit: Venite & videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite Discipulis ejus quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.* Sanctæ mulieres timore etiam correptæ fuerunt, non servili, quem improba conscientia parit, sed eo quem naturæ imbecillitas ad visum cœleste, insolitum, inexpectatum patitur, & quem verecundia simul ac reverentia pariunt. Unde S. Lucas eas vultum in terram demisisse observat. Eas porro consolari cæpit Angelus his verbis: *Nolite timere vos*, quæ bono ac religioso animo huc accessistis. Apprime novi vos quærere Jesum, qui crucifixus est, vosque venisse ut illum honoraretis: Non est in hoc sepulchro; neque tamen alio translatum est corpus ejus: sed surrexit devicta morte, sicut prædixerat. Venite, introspicite in locum ubi positum erat corpus ejus: & si non meis verbis, oculis vestris credite. Et absque mora ite ad Discipulos ejus, ut nutantes confirmentur, lugentes recreentur tam fausto lætoque nuntio, & dicite illum resurrexisse. Quantumcumque vero postea festinetis in Galilæam, illuc vos præcedet, ibi eum videbitis frequentius & familiarius. Experientia comprobabitis eventum prædictioni meæ respondere.

Quæsierat Hedibia a S. Hieronymo, quomodo Matthæus & Marcus scribant, Apostolis mandatum per mulieres, ut irent in Galilæam Dominum revisuri, cum Lucas & Joannes Hierosolymis ab illis visum esse perhibeant? Respondit: Aliud esse, undecim se offerre Discipulis, qui propter metum Judæorum absconditi erant, quando ad eos clausis ingressus est januis: & putantibus quod videretur in spiritu, manus & latus obtulit, clavis & lancea vulneratum: aliud, quando, secundum Lucam, præbuit se eis in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei, & convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. In altero enim pro consolatione timentium videbatur, & videbatur breviter rursumque ex oculis tollebatur: In altero autem tanta familiaritas erat & perseverantia, ut cum eis pariter & vesceretur. Unde & Apostolus Paulus refert eum quingentis simul apparuisse Discipulis. Et in Joanne legimus, quod piscantibus Apostolis in littore steterit, & partem assi piscis, favumque comederit; quæ veræ resurrectionis indicia sunt. In Jerusalem autem nihil horum feciisse narratur.

Lucæ 24. *Joan.* 20. *S. Hier. Epist.* 150. *Quæst.* 7. *1. Cor.* 15. *Joan.* 21.

5. *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.* Absque mora parentes Angelo, exierunt de Monumento, quod ingressæ fuerant eo invitante, & fulgore locum illustrante; timore simul & gaudio magno affectæ: timore, ob insuetam Angeli visionem: tum ne spectro delusis obtrusum esset mendacium: gaudio, ex amore Jesu, & Angeli verbis ac promissis. Festinabant autem ut Discipulis ejus nuntiarent quæ viderant & audierant.

6. *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt; & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Cum Maria Magdalene ea quæ primum viderat, lapidem scilicet e monumento sublatum, & quod inde conjecerat, scilicet corpus Jesu sublatum, Petro, & Joanni renuntiasset, regressa statim ad monumentum est cum comitibus; cum interim Petrus & Joannes illuc perveniissent, & sepulchro inspecto, linteaminibusque sepulchralibus seorsim positis, comprobassent facti veritatem. Rediit autem non sola, sed in aliarum mulierum comitatu, quarum dux erat & nobilitate, & pietatis fervore. Cum autem rursus inspecto sepulchro redirent, Maria Magdalene paululum subtitit, hæsitque foris plorans, & dum rursus inclinaret se in monumentum, apparuit ei *primo* Jesus; dixitque ei; *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: Satis tibi superest temporis ut pedes meos amplectaris, *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Hac visione recreata, cum mandato Christi & charitate alas addente, socias mulieres in itinere assecuta esset, illæque simul redirent, Jesus occurrit illis, ut hic S. Matthæus narrat, dicens: *Avete:* Pax vobis: salutem ipsis optat, quam morte ac resurrectione sua peperit. Illæ autem cum ipsum Jesum esse certo novissent, ad pedes ejus advolutæ, eos cum reverentia complexæ sunt, *& adoraverunt eum.*

S. Aug. l. 3. de Consensu Ev. c. 24. *Marci* 16. 9. *Joan.* 20.

7 *Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Timorem ex naturæ infirmitate ad visum insolitum & naturam ipsam superans, profectum pellit Dominus, ut mente pacata possent, quæ dicturus erat, percipere. *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis*, Discipulis quos fratrum loco habeo, ut eant in Galilæam, ubi congregari & conversari tuto poterunt, nihil a Judæis ibi metuentes: ibi visione mea & conversatione fruentur. Confer cum c. 2. Epist. ad Hebræos vers. 10. 11. 12. *Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.* Primum autem mulieribus apparet post Resurrectionem suam Christus, vultque Mysterium istud per illas Apostolis nuntiari: *Ut quia a sexu isto cœpta mors esset, ipsi primum in*

Psal. 23. 23 *S. Hilar. cap.* 23. *in Matth.*

Resurrectionis gloria, & visus & fructus & nuntius redderetur.

8. *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerunt. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.* Cum a sepulchro discessissent mulieres, quidam e militibus custodiæ sepulchri præpositis, præcipui scilicet, ceterorum nomine, venerunt in civitatem, & Principibus Sacerdotum nuntiaverunt omnia quæ contigerant, scilicet terræ motum, visum cœleste, devolutum nulla humana opera lapidem, corpus Jesu non repertum. Hæc autem simpliciter narrarunt, ut fidem suam probarent. Principes autem Sacerdotum cum Senatoribus in Synedrio congregati, nummos non paucos dederunt militibus, quibus mendacium ab illis redemerunt, suadentes illis ut illud spargerent in vulgus, Discipulos scilicet Jesu noctu venisse, & dormientibus custodibus, corpus ejus furatos fuisse. Et, si inquiunt, ea res apud Præsidem agatur, nimirum male curatas excubias, & desertam stationem, nos sua debimus ei rem ita se habuisse, vosque indemnes & immunes a pœna præstabimus. Et divulgatum est figmentum istud apud Judæos, sparsusque ab iis omni studio hic rumor, Discipulos Jesu noctu venisse ad sepulchrum ejus, dum custodes dormirent, & corpus ejus abstulisse, illosque hominibus imponere, asserendo illum resurrexisse. Non potuit tamen ita celari illa inter Sacerdotes & milites mendacii nundinatio, ut non aliquam rimam inveniret veritas, per quam in publicum manaret. Nam ad Pilatum quoque perveniisse videtur hujus doli notitia, cum Tertullianus scribat: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiavit.* Et certe facillime cognosci potuit mendacii insolentia & nequitia. Qui enim credi potuit a viris prudentibus, & rem istam considerata ratione expendentibus, Apostolos, viros simplices, rudes, imperitos, inermes, meticulosos, & ad satellitum adventum vel ad ancillæ vocem paulo ante trepidantes, tantum ausos esse facinus, ut corpus Jesu Christi subriperent? Quis credat tantum ipsis fuisse otii, ut ingentem lapidem sepulchri ostio appositum amovere, ac sudarium & institas Corpori Christi unguentis delibuto inhærentes explicare & disjungere possent, dum prope erant semisomni satellites, quos vel levissimum murmur poterat excitare? Quis sibi persuadere possit, neminem militum, vigiliis assuetorum, sepulchro circumfusorum, strepitu devoluti saxi, Discipulorum accedentium & efferentium corpus, excitatum, sed jacuisse omnes quasi lethargo sepultos? Quis adeo insaniisse censeat Discipulos Jesu, ut nullo proposito operæ pretio fraudem universo hominum generi, sibique ipsis struere vellent, & vitam pro mendacio cujus sibi fuissent conscii, & vana Religione pacisci ac profundere? Quis fingat sibi tot homines in periculosum adeo flagitium, cujusmodi erat raptio Corporis Christi, falsamque de eo redivivo opinionem spargendam conspirasse? Denique quomodo sopiti homines deprehendere per somnum potuerunt, corpus Jesu ab Apostolis fuisse subreptum? Qui id resciverunt, quod insciis ipsis & incautis factum est? Qua fide id testari valuerunt? *Quis est qui dicit testimonium? Qui dormiebat. Talibus ego narrantibus non crederem, nec si somnia sua mihi indicarent. Stulta insania: si vigilabas, quare permisisti? Si dormiebas, unde scisti?*

Justinus in Dial. cum Tryphone.

S. Jo. Chr. Hom. 91. in Matth.

Tertull. in Apolog.

S. Jo. Chr. seu alius.

S. Aug. En. in Ps. 39. ser. 2.

9. *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.* Undecim Apostoli abierunt in Galilæam, quo & reliqui Discipuli Jesu se receperant, & secesserunt in montem, ipsi a Christo constitutum. Quando id ipsis dixerit Jesus, aut quis fuerit mons ille, scriptum non est. Montem fuisse Thabor, in quo gloriam suam tribus olim selectis Discipulis patefecerat, probabiliter conjicitur. Eo in monte congregatis quingentis & amplius Discipulis conspicuum se præbuit. Ceteras apparitiones Christi redivivi præterit S. Matthæus, hanc unam celebriorem commemorans. Et videntes eum adoraverunt, ut verum Deum glorioſa Resurrectione sua declaratum, ut scribit Apostolus ad Romanos cap. 1. v. 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Quidam autem dubitaverunt, non tunc, siquidem illum adorasse absque exceptione dicuntur, & undecim, quibus ante Jerosoymis apparuerat, Resurrectionem ejus tunc credidisse certum est; sed ante: id est, & videntes eum adoraverunt, tametsi quidam eorum antea dubitaverint, scilicet Thomas.

1. Cor. 15. 16.

Theophyl.

10. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Data est mihi a Patre tamquam victori mortis, & hominum Redemptori summa auctoritas, summum imperium super omnem creaturam. Hanc potestatem, hoc imperium Christus ab æterno habuit ut Deus; habuit ab incarnatione, ut homo; sed non exercuit, nisi post Resurrectionem. Usum quippe illius suspenderat in statu mortali, plene exercuit in statu glorioso, propter Passionem & mortem gloria & honore coronatus. Atque per Resurrectionem innotuit ea Christi Jesu auctoritas & imperium, seu jus Ecclesiam ex toto orbe colligendi, constituendi & regendi. Confer cum Psalm. 2. 8. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et ad Philip. 2. 8. 9. 10. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Tunc Christo dictum a Patre, *Filius meus es tu, ego hodie genui te, ut* Apostolus interpretatur: *Et nos* (inquit) *vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Per Resurrectionem scilicet glorioſam Christi Jesu declaratum est mundo, ipsum esse verum Dei Filium, ab æterno genitum a Patre.

Psalm. 2. Act. 13. 32. 33.

11. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Hac igitur auctoritate, cujus vos administros, vicarios, & legatos constituo, a me missi, ite, non in Judæam solum, ut prius, sed *in Mundum universum*, docete omnes gentes, instituite in doctrina fidei, quam a me accepistis, non Judæos tantum, sed omnium gentium homines: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quos autem feceritis discipulos, qui doctrinam fidei susceperint, initiate baptismo, aqua abluite, auctoritate & virtute Patris & Filii & Spiritus sancti, triumque personarum nomine expresso & invocato. His igitur verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, consecratur baptismus. Non dicit, *In nominibus*, sed *in nomine*, ut veteres Patres observant, quia trium personarum una deitas est, una potestas, virtus, auctoritas. Moris fuit apud Judæos, ut baptizarentur, qui se a falsorum Deorum cultu ad cultum unius & veri Dei convertebant. Apud gentes etiam profanas usurpatum antiquitus fuit, ut qui initiari vellent, prius toto corpore abluerentur, haud dubie eo ipso propositum innocentiæ quodammodo testati. Christus Jesus neminem in Ecclesiam suam introduci voluit, nisi post fidei professionem lavacro mystico expiatum & in vitam spiritualem regeneratum, in Deique filium adoptatum. Hujus lavacri seu baptismi formam Apostolis suis hic præscripsit. Baptizantes *eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti: Docentes eos servare*, non hæc aut illa, sed universim & indiscriminatim *omnia quæcumque mandavi vobis*. Non solum quæ scripto mandabuntur, sed quæcumque viva voce vobis præcepi, etiamsi scripto exarata deinceps non fuerint: omnia quæ vobis observanda tradidi & præcepi, sive dum mortalem vitam vobiscum agerem, & prædicarem Evangelium Regni, sive a Resurrectione mea usque in hanc diem per dies quadraginta vobis apparens & loquens de Regno Dei.

Marci 16. 15.

12. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Ne autem timeatis infirmitatis vestræ conscii, quasi impares sitis sustinendæ tanti negotii moli; Vobis enim opportune adero, non solum Spiritu, quem mittam vobis a Patre, cum in cœlum assumptus fuero; sed auctoritate, favore, virtute, in omnibus difficultatibus, tempestatibus, periculis. Nec vobis tantum, sed successoribus vestris in veritate Fidei prædicanda & declaranda, & in Ecclesiæ meæ regimine semper adero, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Qua Jesu Christi promissione Ecclesiæ perpetuitas, indefectibilitas, & infallibilitas, seu indeficiens judicium in dogmatibus constituendis, sive in controversiis fidei dirimendis comprobatur. Ex hoc quod Christus Apostolos miserit ad prædicandum, colligit optime Tertullianus, „ Alios non esse recipiendos prædicatores, „ quam quos Christus instituit: quia nec alius Patrem „ novit nisi Filius, & cui Filius revelavit; nec a„ liis videtur revelasse Filius quam Apostolis, quos „ misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. „ Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Chri„ stus revelaverit, & hic præscribam non aliter pro„ bari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi A„ postoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva „ voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, „ constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ec„ clesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei con„ spiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem „ quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Chri„ stus a Deo accepit: reliquam vero omnem doctrinam „ de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veri„ tatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & „ Dei: *Præsertim vero contra Fidem & Traditionem Ro„ manæ Ecclesiæ*. Unde nobis auctoritas præsto est, cui

Tertull. l. de Præsc. cap. 21.

„ to-

„ totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profude-
„ runt. Videamus quid didicerit, quid docuerit ... Le-
„ gem & Prophetas cum Evangelicis & Apoſtolicis Lit-
„ teris miſcet, & inde potat fidem, eam aqua ſignat,
„ ſancto Spiritu veſtit, Euchariſtia paſcit, Martyrio ex-
„ hortatur; & ita adverſus hanc inſtitutionem neminem
„ recipit.“

SENSUS MORALIS.

1. *VEſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Mariam Magdalenam, aliaſque ſanctas mulieres amor ducit ad ſepulchrum Jeſu, ut eum quem viventem dilexerunt, pietatis officiis proſequantur. *Fortis ut mors dilectio ... Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* „ Sicut enim mors corpus interi-
„ mit, ſic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ cha-
„ ritas occidit. Nam quem perfecte abſorbuerit, ad ter-
„ rena foris deſideria velut inſenſibilem reddit. Magda-
„ lenæ, aliarumque ſanctarum mulierum amotem, zelum-
„ que erga Chriſtum Jeſum imitemur: nulla pericula,
„ nulla adverſa, perſecutiones nullæ ab eo nos ſeparent.“ Dicamus cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* &c. Ad crucem & ſepulchrum ejus per fidem accedamus, Jeſu pro nobis crucifixo adhæreamus amore tenero, ardente, conſtante. Mane ſurgamus ante lucem, quia promiſit Dominus coronam vigilantibus. *Maturiores habet fructus accelerata devotio.* Adhuc quidem tenebræ ſunt, ſed tamen Sol juſtitiæ ortus eſt nobis. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem: ſed tamen nobis veſper luceſcit, Chriſtus, cujus *Oriens nomen ejus*, nos illumi-nat ad agnitionem ſuam: & *nox ſicut dies illuminabitur.* „ Reſurgente Chriſto fidelibus luceſcit veſper, dies
„ infidelibus tenebreſcit: Diſcipulis nox mutatur in diem;
„ Judæis dies vertitur & mutatur in noctem.“ Per noctem quæramus quem diligit anima noſtra. Non in lectulo, non in deliciis, non in otioſa mollique vivendi ratione; non in civitatis plateis & vicis, non in negotiorum & ſocietatum ſæcularium tumultu, ſed in ſepulchro, in ſeceſſu ſancto, in paſſionis & mortis ejus pia meditatione, per ſenſuum noſtrorum mortificationem, & veteris hominis ſepulturam, Jeſum quæramus cum Maria. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Quæ de paradiſo perfidiam ſumpſerat, feſtinat fidem ſumere de ſepulchro: contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem. Venit videre ſepulchrum: ut quam deceperat arboris viſus, viſus rapararet ſepulchri; quam proſtraverat illecebroſus aſpectus, aſpectus ſalutaris attolleret. Venit *prima Sabbati*, ut qua die de ſeptem creatio inchoata eſt, eadem & nova creatio per Chriſti Reſurrectionem compleretur. Venit *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*: quia illuminatur per Chriſtum Sabbatum, non deletur. Non enim venit ſolvere legem, ſed adimplere. „ Illuminatur, ut in die Do-
„ minico luceat; clareſcat in Eccleſia, quod in Synago-
„ ga Judæis obſcurantibus fuſcabatur: “ ea præſertim die, Dominica (inquam) quæ *Dies Reſurrectionis Chriſti* ab antiquis, & præſertim a S. Leone appellatur; Jeſum quæramus, conveniamus ad Eccleſiam, ut Corpus ejus adoremus & ſumamus, non mortuum, ſed vivum & glorioſum; non in ſepulchro, ſed in Sacramento, hic tamen etiam abſconditum, & immolatum in Myſterio quo mors ejus commemoratur, fructuſque illius nobis applicatur. Si fide contemplemur hoc myſterium, ut Maria ſepulchrum Jeſu, dicere poterimus de Salvatore noſtro: *Vidi Agnum ſtantem, tamquam occiſum.* Ibi enim eſt in ſtatu quidem glorioſæ immortalitatis; *Vidi Agnum ſtantem*: ſed tamen in ſtatu victimæ: *tamquam occiſum*. Palla linea, in qua Chriſti Corpus conſecratur, quam Corporale vocamus, Chriſti ſepulturam, & ſindonem, qua Jeſu Chriſti Corpus a Joſeph involutum eſt, nobis repræſentat & in memoriam revocat. Unde S. Iſidorus Peluſiota ſcribit: *Pura illa ſindon, quæ ſub divinorum Donorum miniſterio expanſa eſt, Joſephi Arimathenſis eſt miniſterium. Ut enim ille Domini Corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum mortalium genus Reſurrectionem percepit: eodem modo nos propoſitionis Panem in ſindone ſacrificantes, Chriſti Corpus ſine dubitatione reperimus.* Denique ad ſepulchrum Domini venire debemus, non ſolum ut videamus, ſed ut illi pietatis officia exhibeamus, quemadmodum ſanctæ mulieres cum aromatibus venerunt, ut ſacrum corpus ejus ungerent. Aromata, ſunt bona opera. Aromata, ſunt orationes Juſtorum. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Viginti quatuor Seniores viſi ſunt ſancto Joanni cadere coram Agno, *habentes ſinguli phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Aromata ſunt eleemoſynæ, quas Apoſtolus vocat *Odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Aromata ſunt bona quævis opera, quæ mundo corde & pura intentione Deo offerimus. *Oblatio juſti impinguat altare & odor ſuavitatis eſt in conſpectu Altiſſimi.* „ Et nos ergo in Chriſtum Jeſum Dei Filium
„ pro nobis mortuum & ſepultum credentes, ſi odore virtu-
„ tum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quæ-
„ rimus, ad monumentum illius cum aromatibus venimus.

Cant.8.6.7 S. Gregor. M.

Rom.8.35.

S. Ambroſ.

Pſalm.138.

S. Petr. Chryſ. ſer. 75. Cat. 3.

S. Petr. Chryſ.ſerm 74.

S. Leo Ep. ad Turribium.

Apoc. 5. 6.

S. Iſidorus Peluſ. Ep. 123.

Pſ. 140. 2. Apoc. 5. 8.

Philipp. 4. 18.

Eccli.38.8. S. Greg. M.

„ Illæ autem mulieres Angelos vident, quæ cum aroma-
„ tibus venerunt: quia illæ mentes ſuperuos cives aſpici-
„ unt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per ſan-
„ cta deſideria proficiſcuntur. “ Ad Jeſum adeamus cum aromatibus contritionis, devotionis, & pietatis ſeu miſericordiæ. Prima ſpecies unguenti conficitur ex peccatorum recordatione, & divini amoris igne in corde noſtro coquitur. Altera ex divinorum beneficiorum recordatione. Tertia, de omnibus quorumlibet miſerorum ærumnis, etiamſi fuerint inimici. „ Felix mens, quæ talium col-
„ lectione aromatum ſeſe ditare & impinguare curavit,
„ infundens ea oleo miſericordiæ, & ardore decoquens
„ charitatis. Quis putas eſt *Jucundus homo qui miſere-*
„ *tur & commodat?* Pronus compati, ſubvenire promp-
„ tus, dare quam accipere beatius judicans, ignoſcere fa-
„ cilis, difficilis iraſci, ulciſci penitus non acquieſcens,
„ & per omnia proximorum æque ut proprias reſpiciens
„ neceſſitates. Quæcumque ſic affecta ęs anima, pretioſa
„ aromata ad ſepulchrum Domini Jeſu attuliſti.“

S. Bern. ſer. 10. & 41. in Cantica.

2. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix.* Commota eſt & contremuit terra, non ſolum quia Angelus deſcendit de cœlo, ſed maxime quia ex inferis Dominator aſcendit. Ut Chriſtus in nobis reſurgat, ſeu ut in Chriſto a morte peccati ad vitam gratiæ reſurgamus, terra cordis noſtri moveatur timore ſalutari, timore filiorum, non ſervorum; timore reverentiæ, timore caſto, quo ſponſa timet ſponſo diſplicere, *A facie Domini mota eſt terra.* Tunc Angelus Domini, Sacerdos, conſcientiæ prudens & pius Moderator, Paſtor Angelo ſimilis, cujus converſatio in cęlis ſit, qui Deum ſemper intueatur, qui ad homines non accedat niſi divinæ charitatis condeſcenſu, ut Dei legatione fungens, ut illorum ſaluti conſulat; Viſibilis, inquam, ille Angelus Domini, converſatione & ipſo habitu corporis ſui ſanctitatem myſteriorum, quorum diſpenſator eſt & nuntius oſtendens, miniſterium exhibeat ſuum ad revolvendum lapidem vitioſorum habituum, pravarumque conſuetudinum, ne gratiæ aditum animæ iterum occludant. Lapis magnus eſt, ipſum revolvere difficile, & infirmis impar naturæ viribus. *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Sola gratia revolvere poteſt. Dei unius opus eſt & beneficium, viſibilis Angeli, ſcilicet Sacerdotis miniſterium. „ Chriſti *enim* cui credidiſtis, Mini-
„ ſtri, Dei adjutores ſumus (*inquit Apoſtolus*) pro Chri-
„ ſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per
„ nos. *Angelus deſcendit de cœlo.* Reſurgente Chriſto
„ morte pereunte, terrenis redditur cœleſte commercium:
„ & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale conſilium,
„ cum Angelo colloquium fit vitale. *Et accedens revolvit*
„ *lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Sedebat ut fidei do-
„ ctor, ut Reſurrectionis magiſter: ſedebat ſuper petram,
„ ut ſoliditas ſedis daret credentibus firmitatem. Pone-
„ bat Angelus ſuper petram fundamenta fidei, ſuper quam
„ Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus, qui dixit: Tu es
„ Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam me-
„ am. *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſti-*
„ *mentum ejus ſicut nix.* In fulgure terror timoris eſt;
„ in nive blandimentum candoris. Quia vero omnipotens
„ Deus & terribilis peccatoribus, & blandus eſt juſtis:
„ recte teſtis Reſurrectionis ejus Angelus, & in fulgore
„ vultus, & in candore habitus demonſtratur; ut de ipſa
„ ſua ſpecie & terreret reprobos, & mulceret pios. Un-
„ de recte quoque populum per deſerta gradientem co-
„ lumna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die.
„ In igne enim terror eſt, in nube viſionis blandimen-
„ tum: Dies vero vita juſti, nox vita peccatoris. Unde
„ converſis peccatoribus Paulus dicit: *Fuiſtis aliquando*
„ *tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In die ergo per
„ nubem columna monſtrata eſt, & in nocte per ignem,
„ quia omnipotens Deus & blandus juſtis, & terribilis
„ apparebit injuſtis. Iſtos in judicio veniens per lenitatis
„ manſuetudinem demulcet, illos vero per juſtitiæ diſtri-
„ ctionem terret.“

S. Gregor. M. Hom. 21. in Evang.

Exod. 13.

Epheſ. 5.

3. *Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus. In libro Judicum legimus, quod cum Samſon Gazam civitatem Philiſtinorum fuiſſet ingreſſus Philiſtæi ingreſſu ejus cognito, civitatem repente obſiederunt, cuſtodes ad portas poſuerunt, ne fugere & elabi poſſet: jamque fortiſſimum Samſonem ſe comprehendiſſe gloriabantur & gaudebant. At ille media nocte ſurgens, portas civitatis abſtulit, & montis verticem aſcendit. Samſon typus eſt Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri; Gaza civitas, tartari; Philiſtæi, Judæorum: qui cum mortuum Dominum viderent, ejuſque corpus in ſepulchro jam poſitum, cuſtodes illico deputaverunt, & eum qui auctor vitæ claruerat, in inferni clauſtris retentum, quaſi Samſonem in Gaza ſe deprehendiſſe lætati ſunt. Samſon vero media nocte non ſolum exiit, ſed etiam portas tulit, quia *Redemptor noſter ante lucem reſurgens, non ſolum liber de inferno exiit, ſed & ipſa etiam inferni clauſtra deſtruxit. Portas tulit, & montis verticem ſubiit: quia reſurgendo clauſtra inferni abſtulit,*

Pſ. 67. 1.

Judicum 15.

S. Gregor. M. Hom. 21. in Ev.

& aſcendendo cœlorum Regna penetravit. Si tantum terrorem Angelus Chriſti reſurgentis nuntius & miniſter militibus ſepulchri cuſtodibus incuſſit, quantum terrorem Chriſtus ipſe mortis inferique victor tartareis legionibus intulit?

4. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus*: *Nolite* S. Greg. M. *timere vos*: *ſcio enim, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit. Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus*. Paveant illi, qui non amant adventum ſupernorum civium. Pertimeſcant, qui deſideriis carnalibus preſſi ad eorum ſocietatem ſe pertingere poſſe deſperant. Vos autem cur pertimeſcitis, quæ veſtros concives videtis? *Nolite timere vos*. Nihil timendum iis qui Jeſum hunc crucifixum quærunt amoris pœnitentis affectu, qui crucem amant, tantum abeſt ut oblatam vel impoſitam refugiant; qui viæ morificationis inſiſtunt, qui Chriſtianæ vitæ ac pietatis officia ſedulo implent, hominum contradictione ac perſecutione ſpreta; qui nullis difficultatibus, nullo timore humano a via perfectionis evangelicæ dimoventur. Hi Jeſum crucifixum ſincere quærunt. *Scio enim quod Jeſum qui crucifixus eſt quæritis*. Hi ſolatio & gaudio Reſurrectionis ejus fruuntur; hi fructum Reſurrectionis ejus in hac vita, & pignus Reſurrectionis ad gloriam percipiunt. Nolite timere vos, qui Jeſum crucifixum ita quæritis. Chriſtus enim *Traditus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter juſtificatio-* Rom. 4. 13. *nem noſtram*, ut adoptionem filiorum Dei, ac cæleſtis gloriæ hæreditatem exinde reciperemus. Nolite timere vos. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum* Ib. c. 8. 16. *in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo* 17. *clamamus*: *Abba* (*Pater.*) *Si autem filii, & hæredes*: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*: *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Oportuit Chriſtum pati, 2. ad Tim. & ita intrare in gloriam ſuam: oportet Chriſtianum ipſi 2. 11. compati, ut gloriæ illius ſit particeps. *Fidelis ſermo*: *Nam ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*.

Non eſt hic; ſurrexit enim ſicut dixit. Venite & videte locum ubi poſitus erat Dominus. Ne quæratis in ſepulchro mortis victorem, qui ex eo exiit velut ex utero quondam virginali, clauſo, & inviolato ſigillo: ſed longe diſpari conditione: in uterum enim Virginis deſcendit immortalis, ex eo natus eſt mortalis: in ſepulchro depoſitus eſt mortuus, ex eo ſurrexit redivivus, immortalis, glorioſus. „ Mutatur hic ordo rerum: mortem non mortuum devorat hic „ ſepulchrum; domus mortis manſio ſit vitalis: uteri nova S. Petrus „ forma, mortuum concipit, parit vivum. *Surrexit, ſicut* Chr. ſer. 64. „ *dixit*. Duæ vitæ erant, quarum unam novimus, alteram neſciebamus. Una quippe mortalis eſt, altera „ immortalis: una corruptionis, altera incorruptionis: „ una mortis, altera reſurrectionis; ſed venit Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſuſce- S. Gregor. M. Hom. 21. „ pit unam, & oſtendit alteram. Unam pertulit moriendo, & oſtendit alteram reſurgendo. Si ergo Ev. „ nobis mortalem vitam ſcientibus reſurrectionem promitteret carnis, & tamen hanc viſibiliter non exhiberet, „ quis ejus promiſſionibus crederet? Factus itaque homo „ apparuit in carne, mori dignatus eſt ex voluntate, re„ ſurrexit ex poteſtate, & oſtendit exemplo, quod nobis „ promiſit in præmio." In novitate igitur vitæ ambulemus. Crucifixus eſt Dominus Jeſus Chriſtus, ut in cruce oſtenderet veteris hominis noſtri occaſum: & reſurrexit ut in ſua vita oſtenderet noſtræ vitæ novitatem. *Si conſurreſiſtis* Coloſſ. 3. 2. *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Si bene vivimus, mortui ſumus, & reſurreximus. Qui autem nondum mortuus eſt, nec reſur- S. Auguſt. rexit, male adhuc vivit: & ſi male vivit, non vivit; *Moriatur, ne moriatur, mutetur, ne damnetur*. Sed quid eſt, bene vivere? Quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram. Si vere cum Chriſto ſurreximus, de nobis dicatur; *Surrexit, non eſt hic*. Morum mutatione, vitæ novitate ſpiritalem reſurrectionem noſtram comprobemus. Quid hunc Chriſtianum quæritis cum mortuis ſæculi in occaſionibus peccati? Surrexit, non eſt hic. Quid hunc quæritis in theatris, in ſpectaculis, in choreis? Surrexit, non eſt hic. Quid hunc quæritis in mulierum periculoſa converſatione & familiaritate? Surrexit, non eſt hic. Quid hunc quæritis in ludis, in comeſſationibus & compotationibus? Surrexit non eſt hic. *Filii hominum, uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Beati eſſe vultis: ſed unde homo beate vivit, quærere non vultis. Divitias quæritis, honores & pompam ſæculi quæritis, voluptates terrenas quæritis: ſed nulla res terrena vos beatos facit. *Uſquequo gravi corde*? Non vultis eſſe graves corde, qui terrenis oneratis cor veſtrum? Quouſque fuerunt graves corde homines? Antequam veniret Chriſtus, antequam reſurgeret Chriſtus, fuerunt homines gravi corde. *Ut quid diligitis* Pſal. 4. 3. *vanitatem, & quæritis mendacium*? Volentes beati eſſe, eas res quæritis, unde miſeri ſitis. Fallit vos quod quæritis: mendacium eſt quod quæritis. *Scitote quia Dominus Sanctum ſuum mirificavit*. Venit Chriſtus ad miſerias noſtras, paſſus eſt, mortuus, ſepultus, reſurrexit tertia die, finito labore, mortua morte. Oculos mentis in ejus Reſurrectione defige, quia Deus ita magnificavit Sanctum ſuum, Filium ſuum Jeſum, ut eum ſuſcitaret a mortuis, & ad dexteram ſuam in cœlis collocaret. Oſtendit tibi quid debeas ſapere, ſi vis beatus eſſe: hic enim beatus eſſe non potes. Bonam rem quæris, ſed terra iſta non eſt regio S. Aug. ſerm. ejus rei quam quæris. Si habuit hic Chriſtus, habebis & 231. *alias* tu. In regione mortis tuæ quid ille invenit, niſi quod hic *de Temp.* abundat? Manducavit tecum quod abundat in cella miſe- 141. riæ tuæ. Acetum hic bibit, fel hic habuit. Sed ad magnam menſam ſuam te invitavit, menſam cœli, menſam Angelorum, ubi ipſe panis eſt. Vitam ſuam promiſit nobis: mortem ſuam prærogavit nobis, tamquam diceret: Ad vitam meam vos invito, ubi nemo moritur, ubi vere vita beata eſt, ubi cibus non corrumpitur, ubi reficit, & non deficit. Ecce quo vos invito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris & ſancti Spiritus, ad cœnam ſempiternam, ad fraternitatem meam; poſtremo ad me ipſum, ad vitam meam vos invito. „ Non vultis credere quia dabo vobis „ vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modo „ ergo cum in iſta carne corruptibili vivimus, morum mu„ tatione cum Chriſto moriamur, amore juſtitiæ cum Chri„ ſto vivamus: beatam vitam non accepturi, niſi cum ad „ illum venerimus qui venit ad nos, & cum illo eſſe ce„ perimus, qui mortuus eſt pro nobis."

5. *Et cito euntes, dicite Diſcipulis ejus, quia ſurrexit;* S. Petr. *& ecce præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, ec-* Chryſ. ſerm. *ce prædixi vobis*. Mulieres ſiunt Apoſtolorum Apoſtolæ, 77. nuntium vitæ & reſurrectionis ferunt, quæ mortem intulerant & ruinam. Revertere ad virum, mulier jam ſanata, & ſuade fidem, quæ perfidiam ſuaſiſti: refer homini Dominicæ Reſurrectionis indicium, cui ante tentationis & ruinæ conſilium detuliſti. Si vere cum Chriſto reſurreximus, Reſurrectionem ipſius aliis nuntiare debemus, alios ad ejus cultum, confeſſionem, & laudem adducere, dicentes cum Propheta: *Venite adoremus, & pro-* Pſal. 194 *cidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos ... Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelſus, ter-* Pſal. 46. 2. *ribilis, Rex magnus ſuper omnem terram ... Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum omnes populi*. Sponſus ſponſæ, pater filio, dominus ſervo dicat: *Memor eſto* Pſal. 10. 6. *Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis*. Adni- 1. Tim. 2. 8. tendum nobis eſt, ut Reſurrectionis Chriſti ſimus conſortes, & de morte ad vitam, dum in iſto ſumus corpore, tranſeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua converſione mutatur, finis eſt, non eſſe quod fuit; & ortus, eſſe quod non fuit: ſed intereſt cui quis moriatur aut vivat: quia „ Eſt mors quæ cauſa eſt viven- S. Leo ſerm. „ di; & eſt vita, quæ cauſa eſt moriendi. Moriendum 59. de Re- „ ergo eſt diabolo, & vivendum Deo: deficiendum iniqui- ſurrect. „ tati, ut juſtitiæ reſurgatur. Occumbant vetera, ut orian- Dom. 1. „ tur nova. Et quoniam, ſicut ait Veritas. Nemo poteſt duo„ bus Dominis ſervire: dominus ſit non ille, qui ſtantes im„ pulit in ruinam, ſed ille qui dejectos erexit in gloriam. „

6. *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare Diſcipulis ejus. Et ecce Jeſus occurrit illis, dicens*: *Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*. Dixerat illis Angelus, *Nolite timere vos*. Exierunt nihilominus de monumento cum timore & gaudio magno. *Timor non ablatus eſt, ſed mutatus. Malus timor culpæ, bonus reverentiæ timor. Adam datum perdiderant: ne perderent ipſum redditum, pertimeſcebant*: Cum timore & gaudio magno. *Scriptum eſt*, Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore .... Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. *In ſanctitate ergo manet, qui Dei permanet* S. Petr. Chr. *in timore*. Quo majoribus donis & gratiis cumulantur ſancti, ſerm. 80. eo magis timent, de indignitate ſua perſuaſi, ſuæque infir- Pſ. 2. mitatis ſibi conſcii. Illuſiones timent, timent ne Angelus Pſ. 18. tenebrarum ſe forte transfiguraverit in Angelum lucis, timent *a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negotio* Pſ. 90. *perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano*. Timent ne gratiæ minus fideliter & minus digne reſpondeant. *Et ecce Jeſus occurrit eis, dicens*: *Avete*. Fideliter currentibus occurrit Chriſtus, ut quod fide crediderant, agnoſcerent viſu: & firmaret præſentia, quas adhuc trepidas habebat auditus. *Occurrit ut Dominus*; S. Petr. Chr. *ſalutat, ut parens; affectu animat, ſervat timore*: *ſalutat, ut per amorem ſerviant, non fugiant per timorem*. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus. *Haberi ſe voluit, qui paſſus eſt teneri*. Tenuerunt pedes ejus: *Ut ſcirent in capite Chriſti virum eſſe, ſe eſſe in pedibus Chriſti: & datum ſibi virum ſequi, non præire per Chriſtum*. Quod in Chriſto videtur infimum, amplectuntur; quod ſublimius eſt, adorant. Ad pedes procidunt, humilitatem profeſſæ, quam a Chriſto didicerunt. Via ſcilicet ad cœleſtium Myſteriorum cognitionem a Deo obtinendam compendiaria, humilitas. „ Non aliam tibi (*inquit* S. Aug. Ep. „ *S. Auguſtinus*) ad capeſſendam & obtinendam verita- 118. *al.* 56. „ tem viam munias, quam quæ munita eſt ab illo qui n. 22. „ egreſſuum noſtrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. „ Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, ter„ tia humilitas, & quoties interrogares hoc dicerem, „ non quod alia non ſint præcepta, ſed niſi humilitas

„ omnia

„ omnia quæcumque bene facimus & præcesserit, & co-
„ mitetur, & consecuta fuerit, jam nobis de aliquo bono
„ facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. "

7. *Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.*
S.Petr.Chr „ Quod dixerat Angelus, dicit & Dominus, ut quas firma-
„ verat Angelus, Christus redderet firmiones. *Ite, nun-*
„ *tiate fratribus meis*, &c. Resurgens Christus a mor-
„ tuis, resumpsit hominem, non reliquit: vocat ergo fra-
„ tres, quos corporis sui fecit esse germanos: vocat fra-
„ tres, quos Patris sui adoptavit in filios: vocat fratres,
„ quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes in gloria
1.Joan.3.2. „ cœlesti, ubi Similes ei erimus, quoniam videbimus eum
„ sicuti est. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quid
„ enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?
„ Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum ...
„ Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo
„ spem meam. "

8. *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus*, &c. Impletum est, quod prædictum est a Propheta Psalm. 65. qui *Psalmus Re-*
Psal. 65. 3. *surrectionis* inscribitur: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*. Magnitudo potentiæ Domini secundum quod Homo factus est, in virtute Resurrectionis
Phil.3.9.10 apparet. Hanc commendat Apostolus, cum ait: *Non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem Resurrectionis ejus.* Et alibi: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate; sed vivit ex*
S. Aug. Enar. in Psal. 65. *virtute Dei*. Cum ergo magna ista potentia Domini in Resurrectione intelligatur, quid sibi vult, *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*; nisi ut sic intelligas, Ideo tibi mentientur inimici tui, ut crucifigaris; ideo crucifigeris, ut resurgas. Mendacium ergo illorum ad commendandum multam potentiam tuam valebit. Quare solent inimici mentiri? ut potentiam cujusque minuant, de quo mentiuntur. Tibi, inquit, contra accidit. Nam minus appareret potentia tua, si tibi illi non mentirentur. Falsi testes mentiti sunt tibi in Passione tua: creditum est eis, oppressus es, crucifixus, depositus in sepulchro, additi custodes, ne corpus tuum Discipuli tui furarentur, resurgis occultus, appares manifestus. Nonne in multitudine virtutis tuæ mentiti sunt tibi inimici tui? Mentiti sunt & sepulchri custodes a Judæis corrupti, dixerunt: Cum dormiremus, venerunt Discipuli ejus, & abstulerunt eum de monumento. O vere stultitia dormiens! Aut vigilabas, & prohibere debuisti; aut dormiebas, & quid sit gestum, nescisti. Accesserunt & ipsi mendacio inimicorum: *Auctus est numerus mentientium, ut augeretur merces credentium*: quia *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*. Apparuisti contra mendaces veracibus & apparuisti eis veracibus, quos tu veraces fecisti. *Omnis terra adoret te & psallat tibi, psallat nomini tuo, Altissime.* Paulo ante humillime, modo altissime: humillime inter manus mentientium inimicorum; altissime super verticem laudantium Angelorum. *Venite, & videte opera Domini.* O Gentes, o ultimæ nationes, relinquite Judæos mentientes, venite confitentes. *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Machinati sunt filii hominum consilium ad crucifigendum Christum, excæcavit crucifigentes. Quid ergo fecistis, filii hominum, machinando consilia adversus Dominum vestrum, in quo latebat majestas, & apparebat infirmitas? „ Vos machinati
„ estis consilia perdendi, ille excæcandi & salvandi; ex-
„ cæcandi superbos, salvandi humiles: ad hoc autem su-
„ perbos ipsos excæcandi, ut cæcati humiliarentur, hu-
„ miliati confiterentur, confessi illuminarentur. *Terribi-*
„ *lis in consiliis super filios hominum.* Ecce cæcitas ex
„ parte Israel facta est: ecce Judæi, ex quibus natus est
„ Christus, foris sunt: ecce Gentes quæ contra Judæam
„ erant, in Christo intus sunt. "

Pecuniam copiosam dederunt Militibus, dicentes: Dicite, quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus. Avaritia, & rerum temporalium falsorumque bonorum amor, Christo Jesu persecutores semper peperit. Avaritia Sacerdotum, Pharisæorum, & Scribarum persecuta est viventem: Avaritia Judæ morientem: Avaritia militum resurgentem: & Avaritia Virorum Ecclesiasticorum in cœlis regnantem, ad finem usque mundi persequitur. Nec avaritia tantum, sed & malus usus
S.Hieron.in c. 28. Mat. bonorum Ecclesiæ. „ Custodes miraculum confitentur, ad
„ urbem cito redeunt, nunciant Principibus Sacerdotum
„ quæ viderint, quæ facta compererint. Illi qui debue-
„ rant converti ad pœnitentiam, & Jesum quærere re-
„ surgentem, perseverant in malitia, & pecuniam quæ
„ ad usum Templi data fuerat, vertunt in redemptionem
„ mendacii, sicut antea triginta argenteos dederant Judæ
„ proditori. Omnes igitur qui stipe Templi, & his quæ
„ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis re-
„ bus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt
„ Scribarum & Pharisæorum redimentium mendacium,
„ sanguinem Salvatoris. "

Pecuniam copiosam dederunt militibus, &c. „ Qui dant *S. Petr.*
„ pecuniam, non perdenda comparant, sed ser- *Chrys. serm.*
„ vanda. Judæi vendente Juda emerunt, ut perderent, 80.
„ Christum: nunc pecuniam copiosam, ut se, Legem,
„ Templum, Patriam perderent, effuderunt. Viri sangui-
„ num & dolosi statuunt pretium falsitatis, perfidiæ con-
„ ficiunt instrumentum: commercio crudeli fraudem fidei,
„ veritatis latrocinium nundinantur: corrumpunt milites,
„ ut furtum vocent quod erat Resurrectionis arcanum.
„ *Dicite, quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati*
„ *sunt eum.* Non contenti interfeciisse Magistrum, quo-
„ modo Discipulos possent perdere, moliuntur. Discipu-
„ lorum crimen esse faciunt virtutem Magistri. Plane
„ amiserunt milites, perdiderunt Judæi; sed Discipuli
„ Magistrum suum, non furto, sed fide; virtute, non
„ fraude; sanctitate, non crimine; vivum, non mortu-
„ um sustulerunt. Hinc est quod in Galilæam, ut eum
„ possint videre, mittuntur, quia Deus in loco perfidiæ
„ non videtur. "

9. *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.* Christo docenti & invitanti cito & alacriter parendum est, vitanda malorum societas, de medio Babylonis fugiendum, contendendum est in montem evangelicæ perfectionis, ubi constituit nobis Jesus: *Sursum corda*: iis enim quorum animus in terra, rebusque terrenis defixus est, Christus Jesus conspicuum se non præbet, cum illis familiariter non versatur. Nemo est qui Christum resurgentem sequi nolit: sed heu, quam pauci qui crucifixum & morientem sequi velint! Nemo est Christianus, qui gaudia Resurrectionis ejus non amet, non desideret. Sed quam pauci qui ejus opprobria, passiones, & crucem ament ac desiderent, quam pauci qui non refugiant! Christum resurgentem adoremus cum ejus Discipulis. Fides nostra pariat adorationem, spem, & amorem. Fides resurrectionis Christi nos discernit a paganis, qui crucifixum fatentur, resurrexisse negant: adoratio & charitas discernat nos a dæmonibus, qui Christum resurrexisse credunt, & Filium Dei agnoscunt, & contremiscunt; non adorant, nec diligunt. Dæmones Jesum Filium Dei confessi sunt, & audierunt ab illo: *Obmutescite*: Petrus Filium Dei vivi confessus est, & audivit: *Beatus es.* Quod discernebat illos, discernat & nos. Unde dæmones clamabant? *Timendo.* Unde Petrus? *Diligendo. Eligite, diligite.* Fides quæ per dilectionem operatur, quæ bona opera adjuncta habet, Christianos a dæ-*S. Augus.*
monibus discernit. „ Quomodo distinguimur fide, sic di- *ser.234. al.*
„ stinguamur & moribus, sic distinguamur & operibus, *38. de Div.*
„ accensi charitate, quam dæmones non habebant. Ardete
„ igne charitatis, ut a dæmonibus vos discernatis. Ar-
„ dor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cœlum
„ levat. "

10. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Resurrectio Chri- *Rom. 1. 4.*
sti status est potestatis ad quem prædestinatus est ab æterno: quem sponte abdicavit, dum mortalem inter homines vitam ageret; cujus possessionem adiit per gloriosam Resurrectionem suam. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex Resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Resurrectionis Christi Jesu fructus est, novum jus, nova potestas, quam in cœlo Christus habet mittendi Spiritum sanctum ut novam creaturam formet, ac renovet faciem terræ. Hinc S. Petrus in concione publica ad Judæos ipsa die Pentecostes, qua super Discipulos effusus est Spiritus sanctus, habita, ait: *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione* *Act. 2. 34.*
Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Resurrectionis Christi fructus est, potestas Christo data in cœlo, ut illuc membra sua e terris trahat, ut ibi sanctos suos perenni beatitudine, gloria, immortalitate donet, coronet. Resurrectionis Christi fructus est, jus congregandi populum, quem acquisivit sanguine suo, ex omnibus terræ finibus. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a* *Psalm. 2.*
me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Resurrectionis Christi fructus est, summum imperium quod exercet in Angelos & homines ut caput Ecclesiæ. *Et ipse est caput corporis Ec-* *Coloss. 1.*
clesiæ, qui est Principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Crucis & Resurrectionis Christi fructus est, potestas omnis illi data in corda seu voluntates hominum, ut illas victricis gratiæ suæ efficacia convertat, dirigat, trahat, agat quocumque voluerit. Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem & in terra potestas data est, ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quamvis ergo magnum sit & arduum,

um, quod vobis impono miniſterium, humanaſque vires ſuperans, ne deſpondeatis animos, immo potius confidite: Ego ſiquidem Filius unigenitus Dei cœli ac terræ Dominus, mortis victor, triumphator inferni, Rex a Patre conſtitutus ſuper Sion montem ſanctum ejus, hæres univerſorum, ſub quo curvantur qui portant orbem, vos elegi, voſque mitto ad hoc opus.

11. *Euntes ergo docete omnes Gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Miſſio Apoſtolorum in mundum univerſum, vocatio omnium gentium, Eccleſiæ fundatio, electorum, quos nemo rapiet de manu ejus, acquiſitio, ſunt effectus novæ poteſtatis Chriſti Jeſu, & Paſſionis ejus præmia. *Euntes ergo docete omnes gentes*, quia Chriſtus *Vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; & pro omnibus mortuus eſt. Poteſt omnes ad ſe convertere, ipſique volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium. Docete adultos omnes Regulam Fidei & doctrinæ cœleſtis, quam a me accepiſtis. Docete quid credere, quid ſperare, quid timere, quid agere debeant. Tum recte inſtitutos, credentes, pœnitentes, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Baptiſmus ſit fidei doctrinæque ab ipſis receptæ ſignaculum & profeſſio. Abluantur, non Ethnicorum more, qui ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, & impunitatem perjuriorum ſibi ſpondent, ſed *Vi-*
Tertull. l. de Baptiſmo. *duis aquis*, id eſt ſterilibus ac virtute deſtitutis, *ſibi mentiuntur*. Non ritu Judæorum, qui proſelytos per lavacrum initiant, & jugo Moſaicæ Legis ſubjiciunt: ſed ritu novo, myſtico, ſingulari, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ad omnium *peccatorum remiſſionem*, ſpiritalemque *regenerationem*, ac *renovationem*, ad interioris hominis *Illuminationem*: ut ſcilicet *Undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infundat*. Baptizantes eos *In nomi-*
Act. 2. 28. *ne Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ut quorum una
Ad Tit. 3. 5. eſt divinitas, una ſit largitio; & ut credentes eumdem
S. Cyprian. eſſe intelligant ſuæ regenerationis auctorem, qui genera-
S. Hieron. tionis & creationis eſt auctor, Deum unum in eſſentia,
in hunc locum. S. & trinum in perſonis, Patrem, & Filium, & Spiritum
Fulgent. ſanctum. Ut denique innoteſcat, hominem per baptiſmum fieri filium adoptivum Patris, membrum Filii ejus Jeſu Chriſti, templum Spiritus ſancti, Deoque uni & trino conſecrari ut eum adoret eique ſerviat in ſpiritu & veritate ſecundum Evangelium. *Ablutio* itaque *delictorum ob-*
Tertull. l. de Baptiſ. *ſignatur* in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, *ſub quibus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignerantur.*

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Baptizati eſtis infantes, doceri ante baptimum non potuiſtis: ſed ex quo rationis uſum habuiſtis, ſtudioſe diſcere debuiſtis omnia ad ſalutem neceſſaria, quæ olim Catechumeni ante baptiſmum docebantur. Lugendum quod Chriſtiani plerique in Fide & Lege Chriſti ſint ita rudes ac ſi neutram profiterentur. Sed eſto Fidei ſymbolum, Legiſque mandata memoria teneant: maxima pars ignorat, aut certe non attendit quanta ſit baptiſmi gratia, quanta ſit Chriſtiani dignitas, quam *magna & pretioſa* dona per baptiſmum nobis Chriſtus contulerit, ut ſimus *conſortes divinæ naturæ, ut filii Dei nominemur & ſimus*. Nihil majus, nihil magis æſtimandum gratia baptiſmatis, Chriſtiani dignitate. Nulla nobis præterire debet vitæ noſtræ dies, qua pro tanto beneficio nobis a Deo ſine ullis meritis noſtris collato gratias non agamus. *Non fecit taliter omni nationi.* Quam pretioſum fidei donum! Quam
Galat. 3. 27 magna & incomparabilis baptiſmi gratia! *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Sed præterea diſcendum quænam ſint Chriſtiani hominis officia; quibus legibus, præceptis, votis obſervandis nos in baptiſmo obligaverimus.

12. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Quiſquis baptizatus eſt, omnis Chriſtianus, debitor eſt totius Legis Evangelicæ implendæ. Fides ante baptiſmum, obſervantia Legis Evangelicæ poſt baptiſmum exigitur. *Fides* enim *ſine operibus mortua eſt.* Cum puer offertur Eccleſiæ baptizandus, Sacerdos interrogat: *Quid petis ab Eccleſia*
Jacobi 2. 10 *Dei?* Patrinus reſpondet; *Fidem*. Sacerdos: *Fides quid tibi præſtat?* Patrinus. *Vitam æternam*. Tum Sacerdos: *Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Baptiſmo igitur obligamur ad ſervandum mandata Dei, & Chriſti, non aliqua ſolum ſed
Jacobi 2. 10 omnia. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Nam *Quicumque totam legem ſervaverit, offendit*
Mat. 16. 13. *autem in uno, factus eſt omnium reus*. Chriſti præceptum eſt: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Et ſi quis cetera præcepta impleverit, ſi tamen ſæculi voluptatibus ſe immerſerit, ſi carnis deſideriis indulgere, ſi nihil eorum quę
Gal. 5. cupiditatem fovere ac roborare poſſunt, negare illi voluerit, votorum baptiſmi infractor, legiſque evangelicæ tranſgreſſor eſt. *Qui* enim *Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. Ideo in ſacris baptiſmi Ritibus crux imprimitur fronti & pectori baptizandi, ut doceamur de cruce Domini Jeſu non eſſe erubeſcendum, ſed eamdem amandam. *Accipe ſignum crucis tam* *Galat. 5.*
in fronte, quam in corde: ſume fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut templum Dei jam eſſe poſſis. Chriſti præceptum eſt, in omnibus ſe humiliare: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. Qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur*. Qui cetera præ- *Matth. 18.*
cepta obſervat, ſed tamen ſe non humiliat, defectus ſuos 23.
ac miſerias non agnoſcit, ſe omnium poſtremum coram Deo, ſe peccatorum maximum non ſentit ac profitetur; violator ille eſt votorum baptiſmi ſui, & totius Legis Evangelicæ tranſgreſſor. Qui inimicos non diligit, qui injurias non ignoſcit, qui maledicentibus ſibi non benedicit: quamvis cetera legis capita ſervaverit, votorum baptiſmi, divinæque legis violator eſt. Qui ſæculi pompis non renunciat, ſed luxum in veſtibus, in ſupellectili, in curribus & equis, in ſatellitio ſectatur, qui ludos, choreas, ſpectacula diligit, ſectatur, frequentat, pactorum ac votorum quibus ſe Deo in baptiſmo obſtrixit, totiuſque legis Evangelicæ trangreſſor eſt. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque dixero vobis.*

13. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* „ Ideſt, cumſicut oves introieri- *Auctor lib. de Vocatione omnium Gentium l. 2. c. 2.*
„ tis in medium luporum, nolite de veſtra infirmitate
„ trepidare, ſed de mea poteſtate confidite; qui vos uſ-
„ que ad conſummationem ſæculi in omni hoc opere non
„ derelinquam: non hoc ut nihil patiamini, ſed quod mul-
„ to majus eſt & præſtantius, ut nulla ſævientium cru-
„ delitate ſuperemini. In mea enim poteſtate prædicabi-
„ tis, & per me fiet ut inter contradicentes, inter fu-
„ rentes, Abrahæ filii de lapidibus ſuſcitentur. Ego in- *S. Leo ſerm. 70. de Reſurrect. Dom. 2.*
„ ſinuabo quod docui, ego faciam quod promiſi " ... *Im-*
plet Jeſus proprietatem nominis ſui: & qui aſcendit in cœlos, non deſerit adoptatos: qui ſedet ad dexteram Patris, ipſe totius habitator eſt corporis: & ipſe deorſum conſortat ad patientiam, qui ſurſum invitat ad gloriam. Nobiſcum eſt Chriſtus, & cum Patre eſt; quia nec Patrem dimiſit, cum ad nos deſcendit; nec nos deſeruit, cum ad Patrem aſcendit. Nobiſcum eſt ad conſummationem uſque ſæculi, ſecundum præſentiam majeſtatis, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam.
„ Totus Chriſtus caput & corpus: corpus autem ejus eſt *S. Aug. Enarr. in Pſal. 56.*
„ Eccleſia; non iſta aut illa, ſed toto orbe diffuſa: nec
„ ea quæ nunc eſt in hominibus qui præſentem vitam
„ agunt; ſed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt
„ ante nos, & his qui futuri ſunt poſt nos uſque in fi-
„ nem ſæculi. Tota enim Eccleſia conſtans ex omnibus
„ Fidelibus, quia Fideles omnes membra ſunt Chriſti, ha-
„ bet illud caput poſitum in cœleſtibus, quod gubernat
„ corpus ſuum: etſi ſeparatum eſt viſione, ſed annectitur
„ charitate. Quia ergo totus Chriſtus caput eſt & cor-
„ pus ejus, propterea in omnibus Pſalmis ſic audiamus
„ voces capitis, ut audiamus & voces corporis. Noluit
„ enim loqui ſeparatim, quia noluit eſſe ſeparatus dicens:
„ *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Si nobiſcum eſt, loquitur in nobis, loquitur de
„ nobis, loquitur per nos; quia & nos loquimur in illo:
„ & ideo verum loquimur, quia in illo loquimur. Nam
„ quando in nobis, & ex nobis loqui voluerimus, in men-
„ dacio remanebimus. "

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Præſens eſt nobis adjutorio gratiæ *S. Aug. ſerm. 142. al. 34. inter Hom. 50.*
ſuæ, qui præivit exemplis vitæ ac Paſſionis mortiſque ſuę, in Evangelio ſuo nobis relictis. *Semper ante te habes quem ſequaris. Dominus exemplum in terra poſuit, cum Evangelium tibi reliquit. In Evangelio tecum eſt. Ergo ſequere Dominum. Quid eſt, Sequere Dominum? Imitare Dominum, imitare Dominum?* „ Diſcite a me quo-
„ niam mitis ſum & humilis corde. Quia ſi diſtribuero
„ omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ut
„ ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi
„ prodeſt. "

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Hæc Salvatoris noſtri promiſſio ſolatium eſt omnium ſanctorum, qui pro fide ac juſtitia aliquid patiuntur. Hinc de S. Cypriano Martyre ſcribit S. Auguſtinus: „ Quod pro fide Confeſſionis Chriſti in exi- *S. Aug. ſerm. 308. alias 12. inter editos a Pariſienſibus.*
„ lium Curubim miſſus eſt, non ſancto Cypriano aliquid
„ nocitum, ſed multum illi præſtitum eſt civitati. Quo
„ enim ipſe mitteretur, ubi ille non eſſet, propter cujus
„ teſtimonium mittebatur? Chriſtus ergo qui ait: *Ecce*
„ *ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumma-*
„ *tionem ſæculi*, in omni loco membrum ſuum excipiebat,
„ quocumque furor inimici pellebat. O ſtulta infidelitas
„ perſequentis! Si quæris exilium, quo Chriſtianus jubea-
„ tur ire; prius ſi potes, inveni, unde Chriſtus cogatur
„ exire. De patria ſua in alienam te arbitraris exclude-
„ re hominem Dei, in Chriſto nuſquam exulem, in car-
„ ne ubique peregrinum. "

Finis Expoſitionis S. Evangelii ſecundum Matthæum.

EX-

EXPOSITIO
LITTERALIS ET MORALIS
S. EVANGELII
SECUNDUM
MARCUM.

CAPUT PRIMUM.

Sensus Litteralis.

I. INITIUM *Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Exordium prædicationis Christi Jesu, Filii Dei non adoptivi, sed proprii & naturalis, tale fuit, quale futurum principium prædicationis Messiæ venturi prædixit Isaias: *Ecce ego mitto Angelum meum.* In pluribus Exemplaribus Græcis lectum, ἐν τοῖς Προφήταις, *In Prophetis*, testes sunt S. Irenæus, Euthymius, Theophylactus. Sed longe plures & melioris notæ Codices Græcos, omnesque Latinos habere, *Sicut scriptum est in Isaia Propheta*, certum est ex objectione Porphyrii, & ex S. Hieronymo. Verba illa, *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. non sunt Isaiæ, sed Malachiæ. Cur ergo Isaiæ nomine illa citat S. Marcus? Optima Responsio est, Prophetas omnes in uno Codice descriptos fuisse, cumque in eorum ordine primus occurreret Isaias, ejus nomine interdum citata aliorum Prophetarum oracula, quorum libri eodem volumine, suo quisque ordine continebantur. Addi potest, hæc verba S. Marci, *Sicut scriptum est in Isaia Propheta*, ad priorem illam sententiam non referri, *Ecce ego mitto Angelum meum*; sed ad sequentem: *Vox clamantis in deserto.* A voce enim Joannis, ad quem usque Lex & Prophetæ, Evangelii seu prædicationis Christi, cui viam Joannes præstruxit, repetendum initium est. Quod ut probaret S. Marcus, citavit illud oraculum Isaiæ: *Vox clamantis in deserto*, &c. sed quia verba Malachiæ congruam vaticinii Isaiæ expositionem subministrabant, illa subjunxit, ut Isaiæ testimonium Malachiæ verbis illustraret; atque ita ex utroque testimonio unum contexuit: & quia tota vis probationis erat in Isaiæ oraculo, ideo unum Isaiam appellavit. „ In utraque sententia, inquit Venerabilis Beda, similiter paranda via Domini prædicatur. „ Ideoque non fallitur Evangelista, qui hoc dictum ab „ Isaia scribit, quod etsi non eisdem verbis, eodem tamen sensu ab ipso scriptum invenit. „ Mitto quod a S. Augustino occasione simili dictum, & a Beda hic usurpatum, Dei voluntate unius pro alio Prophetæ nomen ab Evangelista positum, ut innotesceret omnes Prophetas *uno Spiritu locutos*, mirabili inter se consensione constare; & ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus sanctus dixit, & *singula esse omnium*, & *omnia singulorum.*

S. Ireneus lib. 3. c. 11.

S. Hieron. lib. de optimo genere interpretandi

Malach. 3.

Beda Commentar. in Marc. S.

Aug. lib. 3. de Consensu Evang. c. 7.

Ecce ego mitto Angelum meum. Angelus Joannes vocatur, non naturæ societate, juxta Origenis errorem, sed officii dignitate: quia *Missus fuit a Deo ut testimonium perhiberet de lumine*, & venientem in carne Dominum mundo nuntiaret. Nec mirum si Angelus nominetur ille, quo nemo surrexit major inter natos mulierum, cum Sacerdotes qui evangelizandi officio rite funguntur, Angeli a Propheta appellentur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.*

Malach. 2. 7.

Natal. Alex. In Evang.

Vox clamantis in deserto audita est. Christus Verbum Patris, Joannes adventum Domini præcurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium Verbum Patris ab hominibus auditur. Quid vero clamat? *Parate viam Domini*, &c. Messiæ, Redemptoris, Domini Deique vestri, mox ad vos venturi. *Joannes*, (inquit Tertullianus) *limes constitutus inter vetera & nova, ad quem desineret Judaismus, & a quo inciperet Christianismus. Si Joannes antecursor & præparator viarum Domini, Evangelium superducturi & Regnum Dei promulgaturi; ex hoc jam quod Joannes venit, ipse erit Christus, qui Joannem erat subsecuturus, ut antecursorem; & si desierunt vetera, & cœperunt nova interstite Joanne, non erit mirum quod ex dispositione est Creatoris, ut aliunde magis probetur, quam ex Legis & Prophetarum in Joannem occursu, & exinde ortu, Regnum Dei.* Hoc Marci propositum in ipso Evangelii sui exordio.

Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 33.

2. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* Baptismum pœnitentiæ, cujus scilicet susceptio, publica erat pœnitentiæ professio, cum peccata sua confiterentur, ac detestarentur, qui ad illum accedebant, & vitæ novæ inchoationem pollicerentur. *In remissionem peccatorum*, non a Joanne, & per ejus baptismum, sed per Christum, & Christi baptisma, cujus figura erat illud Joannis, tribuendam. *Agebatur itaque baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ*: (inquit Tertullianus.) *Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hæc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat.*

Tertull. lib. de Baptism. c. 10.

3. *Venit fortior me, post me.* Qui post me veniet, me potentior est, utpote Dei virtus & Dei sapientia, Dominus omnium, novæ Legis lator, Messias promissus, Agnus Dei qui mundi peccata sublaturus ac deleturus est, *cujus non sum dignus procumbens*, pro more famulorum, *solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Divinam autem virtutem, qua mihi infinite antecellit, inde cognoscite, quod cum ego baptizem vos aqua, externas dumtaxat sordes abluens, quo peccatorum absterionem, & emundationem animæ significem ac prænuntiem; *Ille baptizabit vos Spiritu sancto*, quem effundet in vos abunde, fide in nomen suum per dilectionem operante, & baptismo suo purificans corda vestra. Scilicet *Baptismi casualis actus quod in aqua mergimur: spiritalis effectus, quod delictis liberamur.* Sicut ergo Joannes ante Præcursor Domini fuit, præparans vias ejus: Ita & *Angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.*

Tertull. l. de Baptismo cap. 7.

Ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. Jesum Christum Deum aut Dei Filium auditoribus suis nondum manifeste prædicat Joannes; nondum enim capere poterant

rudes homines Incarnationis sacramentum, sed paulatim per agnitionem glorificatæ humanitatis introducendi erant ad fidem divinæ æternitatis: tamen quasi velato sermone hunc verum esse Deum declarat, dum eum Spiritu sancto baptizaturum esse confirmat. Cui enim dubium est, neminem alium gratiam sancti Spiritus dare posse, nisi Deum? Postea vero cum auditores suos capaciores jam per Dei gratiam factos videret ad intelligendum mysteria, etiam Filium Dei Jesum Christum illis aperte prædicavit, dicens: *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

4. *Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos*: & *Isai. 2. 2.* *Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem* *Joan. 1. 33.* *in ipso*. Ut illum esse demonstraret, de quo ab Isaia prædictum est: *Et requiescet super eum Spiritus Domini*: & de quo Deus Joanni dixerat: *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Stetit columba super illum, ne vox Patris ad Joannem facta, non ad ipsum Jesum putaretur. *Et vox facta est de cœlis*, unde Christus descenderat, Secundus homo de cœlo cœlestis: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui*. Apud Matthæum habetur: *Hic est Filius meus dilectus*. Apud Lucam ut apud Marcum: *Tu es Filius meus dilectus*. Alii Evangelistæ verba, alii sensum retulere. Utri verba, incertum.

5. *Et statim Spiritus expulit eum in desertum*. Brevi post baptismum temporis intervallo, Spiritus sanctus qui in Eum descenderat, in eoque manebat, ipsum impulit ut in desertum secederet. Idem Lucæ sensus est: *Et agebatur a Spiritu in desertum*, ab eo utique quo plenus regressus est *a Jordane*. *Eratque cum bestiis*. Quibus verbis de- *Lucæ 4. 1.* sertissimam fuisse solitudinem, S. Evangelista significat. *Et Angeli ministrabant illi*. Inter bestias commoratur ut homo, Angelico ministerio utitur ut Deus. Accesserunt autem Angeli Christo ministraturi, postquam diabolum debellavit, ut non Angelorum ope, sed propria virtute, victoriam de Satana retulisse demonstraretur.

6. *Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium Regni*. Temporum ordinem S. Marcus non servat. Non enim traditio Joannis in carcerem statim post jejunium quadraginta dierum & tentationem Domini contigit. Sed antequam Joannes in carcerem mitteretur & multa docuit, & miracula fecit Jesus, ut constat ex Joannis 3. 24. *Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit Regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio*. Appropinquavit tempus illud a Deo præordinatum, de quo Apostolus: *Postquam autem venit* *V. Beda.* *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret*. Pœnitentiam prædicat Jesus, quemadmodum Joannes ejus præcursor, ut ostendat se ejusdem Dei esse Filium, cujus ille Propheta est.

7. *Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo*. Homo a dæmone vexatus, qui spiritus immundus appellatur, tum propter obstinatam in malitia mentem, tum quod peccatis & obscœnis operibus hominum vehementer delectetur. *Et exclamavit, dicens: Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos*. Quid tibi nobiscum rei & causæ? Venisti perdere nos, prohibendo ne hominibus noceamus, nostram in homines potestatem auferendo, & imperium destruendo, nosque in abyssum detrudendo. *Scio qui sis, Sanctus Dei*. Jam experimento novi, & plane persuasus sum te esse *Sanctum Sanctorum*, Sanctum illum a Prophetis prænunciatum, hominibus a Deo promissum & exspectatum, *Filium Dei*. „ Clarum „ est in his verbis, inquit S. Augustinus, quod in eis & *Dan. 9. 34.* „ tanta scientia erat, & charitas non erat. Pœnam *Marci 3. 12.* „ quippe suam formidabant ab illo, non in illo justitiam *Lucæ 4. 41.* „ diligebant. Tantum vero eis innotuit, quantum voluit: *S. August.* „ tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit, *lib. 9. de* „ non sicut Angelis Sanctis, qui ejus secundum id quod *Civ. Dei* „ Dei Verbum est participata æternitate perfruuntur; *cap. 21.* „ sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum „ tyrannica quodam modo potestate fuerat liberaturus præ- „ destinatos in suum regnum & gloriam semper veracem „ & veraciter sempiternam. Innotuit ergo dæmonibus, „ non per id quod est vita æterna, & lumen incommutabile „ quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo „ est, corda mundantur; sed per quædam temporalia suæ „ virtutis effecta & occultissimæ signa præsentiæ, quæ „ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius „ quam infirmitati hominum possent esse conspicua. „

Victor. Antiochenus in Marc.

Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Comminando præcepit ut taceret, nec mani- *Marci 3. 12.* festaret illum. Silentium autem indixit dæmonibus, nec permisit ut ejus divinitatem, quam ex metu, ex adulatione, ex odio, & invidia confitebantur, prædicarent; tum ne cum illis commercium habere & colludere putaretur, quod postea per calumniam & blasphemiam dicere non dubitarunt Pharisæi: tum quia veritatem a patre mendacii testimonium accipere non decebat. „ Increpuit illum Jesus, „ plane ut invidiosum & in ipsa confessione petulantem & „ male adulantem, (*inquit Tertullianus*) quasi hæc esset *Tertull. l. 4.* „ summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum veni- *contr.* „ set, & non potius ad hominum salutem; qui nec Disci- *Marc. cap.* „ pulos de subactione spirituum, sed de spirituali salute glo- *5. & 6.* „ riari volebat.... Christus ab hominibus, non a spiritibus „ immundis, volebat se Filium Dei agnosci. Ille Christus „ dumtaxat cui hoc congruebat: quia præmiserat per quos „ posset agnosci, & utique digniores prædicatores. Illius „ erat præconium immundi spiritus respuere, cui Sancti „ abundabant. „ Denique ostendit aures dæmoni præbendas non esse, licet veri aliquid suis verbis admisceat: *Ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem. Improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat* (inquit S. Ambrosius.) *S. Ambros. l. 6. in Luc. n. 102.*

Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Diabolus miserum hominem violentis convulsionibus agitans, & in terram jactans, ac incondito ejulatu rabiem suam ac dolorem indicans, quod ex ejus corpore discedere cogeretur, exiit ab eo. Confer cum Lucæ 4. 34. *Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit*. CHRISTUS *jussu & increpitu dæmonia expellens, non* *Tertull.* *suasu qua bonus, timendum se exhibebat* (inquit Ter- *lib. 4. cont.* tullianus.) *Marcion.*

8. *Quænam doctrina hæc nova? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei*. Quænam doctrina tam efficax, & cum tanta potestate conjuncta, ut qui eam tradit non divini nominis invocatione dæmones ejiciat, ut Exorcistæ nostri, sed pro imperio illos fuget?

9. *Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis ..... Decumbebat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicunt ei de illa. Et accedens elevavit eam apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis*. Tria miracula insignia hoc in capite narrat S. Marcus, dæmonis expulsionem, curationem mulieris, sanationem leprosi. Quoniam enim *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*, ideo contra ipsum mortis auctorem primo debuit medicina salutis operari; primo lingua serpentina ne ultra virus spargeret, occludi: deinde femina, quæ prima seducta est, a carnalis concupiscentiæ febre curari: tertio vir qui male suadentis dicta conjugis audivit, ab erroris sui lepra mundari, ut idem ordo restaurationis a Domino servaretur, qui fuerat casus in primis parentibus.

10. *Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant* *Act. 18. 45.* *ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes; & curavit multos*, &c. Nemini ex iis qui offerebantur, optatæ negavit beneficium sanitatis, qui *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo*... Sed multos curasse dicitur, quia omnes qui illi offerebantur ægroti & dæmoniaci, multi erant. Ita Christi sanguis *pro multis* effusus dicitur, qui pro omnibus effusus est.

11. *Et venit ad eum Leprosus deprecans eum, & genuflexo dixit; Si vis, potes me mundare*. Idem ille leprosus est, quem S. Matthæus a Christo mundatum esse *Matth. 8. 1.* commemorat statim atque celebri illo Sermone in monte habito descendit.

Et comminatus est ei, statimque ejecit illum. Severe *V. Beda.* præcepit, additis minis, ne vulgaret miraculum in se factum, & dimisit eum.... *Vade, ostende te Principi Sacerdotum, & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses*, &c. Ostendere se Sacerdoti jubetur, ut intelligeret Sacerdos eum non legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatum: offerre autem sacrificium, ut ostenderet Dominus se legem non solvere, sed adimplere; qui secundum legem gradiens, supra legem sanaret eos quos remedia legis non sanaverant. *Quantum ad gloriæ humanæ aversionem pertinebat, vetuit eum divulgare*, (inquit *Tertull. lib. 4. cont.* Tertullianus) *quantum autem ad tutelam legis, jussit or-* *Marcion.* *dinem impleri*. Vade, ostende te Sacerdoti, &c. *Argumenta enim figurata utpote Prophetatæ Legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & gratiarum actiones apud Ecclesiam, per Christum Jesum Catholicum Patris Sacerdotem. Itaque adjecit*, Ut sit vobis in testimonium. *Sine dubio, quo testabatur se Legem non dissolvere, sed adimplere; quo testabatur se ipsum esse, qui morbos & valetudines eorum suscepturus annuntiabatur.*

SENSUS MORALIS.

1. ECCE *ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Prædicatorum Evangelicorum exemplar normaque Joannes Baptista. Prædicator Evangelicus Angelus esse debet morum puritate, cœlesti conversatione, qui dicere possit: *Nostra autem conversatio in cœlis est*: Missione, Ministe- *Philipp. 3.* rio: ingerere se ipsum non debet in munus Evangelicum, *20.*

nec

nec illud ambitiose aucupari, sed legitimam exspectare
Rom. 10. 15. missionem a Deo per Ecclesiæ Pastores. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Angeli esse debent in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: Angeli qui semper videant faciem Patris cœlestis,
S. Gregor. M. Pastor. Cur. c. 5. tametsi in hominum salute procuranda versentur. Sit rector & prædicator divini verbi *singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus*. In id studiis omnibus incumbere debet ac eniti, ut in hominum animis paret viam Domino, rectas faciat semitas ejus, illos ad pœnitentiam verbis & exemplis adducendo. Totus sit vox necesse est, qui audiatur magis quam videatur: cujus *etsi eloquium quiescat, habitus sonet*: qui *ab occursu suo vitia suffundat*. Vox clamantis, non palpantis & adulantis; vox fortis & severa contra errores & vitia, pravasque consuetudines; non mollis, timida, languens, effœminata. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum*. Vox clamantis in deserto, a sæculi scilicet affectionibus, tumul-
Tertull. lib. de Pallio. tibus, negotiis alieni. *Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*. Solitudinis & sacri secessus amator sit oportet, humilitatem
Isaiæ 58. 1. & mortificationem Christi sectetur, & in corpore suo portet; non se ipsum prædicet, sed Jesum Christum. Sic Joannes fuit 1. *in deserto baptizans & prædicans baptisma pœni-*
2. Tim. 2. 4. *tentiæ*. 2. *Erat vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat*. 3. Se humiliabat ac deprimebat, Christi potentiam atque virtutem prædicabat, dicens: *Venit fortior me post me, &c. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto*.

2. *Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, &c. & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes pec-*
S. Cæsar. Arelat. Hom. 4. de Pass. *cata sua*. 1. Conscientiæ sapiens piusque moderator & Director eligendus & adeundus est iis qui sincere ad Deum convertuntur; ejusque consilia audienda & sequenda sunt. Deus Israelitis jussit ut Moysi parerent ad terram promissam post Maris Rubri transitum illos per desertum ducenti, quamvis Deus ipse in columna nubis & lucis illos præcederet; ut agnoscamus quod *plebs quæ Præpositos suos studet audire, Deum sequitur, & per Deum hominem pervenit ad salutem*. Dux ad salutem initio conversionis eligendus, qui pœnitentiæ ordinem præscribat. 2. Apud ipsum deponenda sunt peccata, ejusque consilio in lachrymarum & laborioforum operum flumine abstergenda & expianda.
Tertull. lib. de Pœnitent. *Confessio satisfactionis consilium est: dissimulatio, contumaciæ... Exomologesis est qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur*. Lachrymæ & satisfactionis opera, quæ *laboriosum baptismum* pœnitentiæ efficiunt, quæ ardorem cupiditatis extinguunt, quæ cor nostrum ab operibus mortuis emundant, quæ instar fluminis animarum nostrarum sordes abluunt, longeque a nobis auferunt, Spiritu sancto & Dei animatæ esse debent, ut remissionem peccatorum consequamur. *Ille vos bap-*
Tertull. lib. de Baptismo c. 5. *tizabit Spiritu sancto*. Sine Spiritu sancto & igne divini amoris viduæ sunt aquæ, steriles lachrymæ, pœnitentia mendax. *Viduis aquis sibi mentiuntur* (inquit Tertullianus.)

3. *Venit Jesus a Nazareth Galilææ, & baptizatus est a Joanne in Jordane*. Joannem ad se non vocat Jesus ut ab eo baptizetur, sed Joannem adit in Jordane baptizantem: cum vulgo peccatorum se miscet Pontifex innocens, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis, ut nos humilitatem doceat, ne nos de pietatis & pœnitentiæ operibus erubescamus, aut laborem fugiamus adeundi spirituales viros, Ecclesiæ Ministros, templa & Sacramenta frequentandi, ut Spiritum quo baptizati sumus, in nobis excitari, & manere a Deo impetremus, ut cœlum nobis aperiri obtineamus, speque jam paradisi cives simus, Christo habitante per fidem in cordibus nostris, & charitate in iis diffusa per Spiritum sanctum.

Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso, & vox facta est de cœlis: Tu es Filius meus. Id factum est invisibiliter in baptismo nostro, in quo adoptionem filiorum Dei recipimus, descendente in nos Spiritu sancto: & Regni cœlestis nobis reseratus est aditus. „ Tunc
Tertull. l. de Baptismo. „ ille Sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta „ corpora lubens a Patre descendit, super baptismi aquas, „ tamquam pristinam sedem recognoscens conquiescit, co- „ lumbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus „ sancti declararetur per animal simplicitatis & innocen- „ tiæ: quod etiam corporaliter ipso felle careat columba. „ Ideoque ESTOTE, inquit, *simplices sicut columbæ*. Ne „ hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quem- „ admodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas an- „ tiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) „ mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris adnun- „ tiavit, demissa ex arca, & cum olea reversa: eadem di- „ spositione spiritalis effectus, terræ, id est, carni nostræ „ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba San- „ cti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de „ cœlis, ubi Ecclesia est Arca Dei figurata. „

4. *Et statim Spiritus expulit eum in desertum*; &c. Sæ-
Natal. Alex. In Evang.

pe efficacissimo Spiritus sancti & divinæ gratiæ impulsu Christi membra, homines suæ salutis studiosi a mundo abstracti in solitudinem expelluntur, ut diabolo fortius resistant. Nec tamen ibi a tentationibus immunes sunt; quinimo gravius interdum tentantur. Ibi sunt *cum bestiis*, variis scilicet cupiditatibus, quas intus gerunt, quibus domandis continuo invigilare debent ne ipsis noceant. Id autem consequuntur gratia Christi, qui nobis pugnavit & vicit, Dei Spiritu quo aguntur filii Dei, verbo Dei quo nutriuntur, cœlestibus inspirationibus Dei ad cor ipsorum loquentis, secundum illud Prophetæ: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*: Angelorum denique in ministerium missorum propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, protectione quibus mandavit ut custodiant eos in omnibus viis suis, ne umquam offendant ad lapidem pedem suum. „ Baptizatus Domi- „ nus expellitur in desertum a Spiritu, & tentatur a sa- „ tana, ut exemplum vitæ suis Fidelibus præbeat; qui „ post acceptam in baptismo remissionem peccatorum, „ non solum ad exercenda opera virtutum, verum etiam „ ad tolerandam propter justitiam persecutionem sunt ac- „ cingendi. Secedit enim in desertum, ut nos doceat „ relictis mundi illecebris, & societate pravorum, divi- „ nis per omnia servire mandatis. Tentatur solitarius a „ diabolo, ut nobis insinuet quod *Omnes qui volunt pie „ vivere in Christo Jesu persecutionem patiuntur*: & quod „ *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum „ Dei*. Tentatur quadraginta diebus, & quadraginta no- „ ctibus, ut indicet quod quamdiu viventes hic Domino „ servimus, sive prospera blandiantur (quod ad dies „ pertinet) seu nos adversa feriant (quod noctis figuræ „ congruit) semper ambulantibus in lege Domini adsit „ toto orbe adversarius, qui iter nostrum tentando im- „ pedire non cessat. „

Osee 2. 24.

Beda in Commentar.

5. *Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit Regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio*. Tempore prædefinito a Patre, adumbrato in Lege per multiplices variasque figuras, a Prophetis prædictum, ab ipso Deo promissum hominibus Regnum appropinquavit. Regnaverat antea peccatum sub Lege: regnavit deinceps Deus sub gratia & per gratiam. Regnum istud pœnitentia præparatur, fide inchoatur, charitate perficitur: *Pœnitemini, & credite Evangelio*. Credite, fide quæ per charitatem operatur. Credite Evangelio, quod Christi doctrinam, exempla, promissa complectitur: doctrinam cœlestem tot miraculis confirmatam: exempla virtutum omnium a Filio Dei homine propter nos facto nobis data: promissa pretiosa & magnifica bonorum æternorum. Credite Evangelio, quod non solum aufert ignorantiam docendo, sed adjuvat ad faciendam justitiam per gratiam Spiritus Sancti. Homo enim sub gratia constitutus, præter doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipit Spiritum sanctum quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cum per fidem ambulatur, nondum per speciem: ut hac sibi velut arra data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis; ut ex illo ei bene sit, a quo habet ut sit. „ Nam „ neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum „ valet, si lateat veritatis via; & cum id quod agen- „ dum, & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi „ etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, „ non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei „ diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium li- „ berum quod surgit ex nobis, sed per spiritum sanctum „ qui datus est nobis. "

S. Aug. lib. de Spiritu & Litter. c. 3.

6. *Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit dicens: Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo*. Dæmonis silentio luculentius probatur omnipotentia & divinitas Christi, quam præconio. Ipsum imperio suo exire cogit ab infelici homine quem vexabat. Hinc innotescit, venisse Filium Dei ut everteret imperium diaboli, & hominum animas communi illi humani generis hosti per infidelitatem & peccatum mancipatas ab illius servitute liberaret. Per os Apostolorum & Virorum Apostolicorum jussit immundo spiritui ut ex illis exiret, Deoque legitimo Domino illos servire sineret. Quantis interim vexationibus corpus Ec- *Tertull.*
clesiæ agitavit, concussit, dispersit! Sed nocere non potuit Christi membris, e quibus ejectus est foras; quia *Sanguis Martyrum, semen Christianorum*.

7. *Erat homo in spiritu immundo*. Homines per impudicitiam sibi magis subjicit diabolus, sibi arctius obstringit. Difficilior illorum conversio. *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicatio-* *Osee 5. 4.*
num in medio eorum, & Dominum non cognoverunt. Potentiore Salvatoris gratia opus est ad eorum liberationem.

8. *Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo*. Quid est (inquit S. Gregorius M.) quod obsessum hominem antiquus Hostis quem *S. Gregor. Naz. Hom. 12. in Ezech.*

possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod *plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus possidebat?* Unde & Israelitæ ad Moysen & Aaron dicunt: *Exod. 15.* *Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus, & præbuistis ei gladium ut occideret nos.* In Moyse enim & Aaron Lex & Prophetæ figurati sunt. *Et sæpe apud se infirmus animus quasi contra sacra Eloquia murmurat: quia postquam verba cœlestia audire & sequi cœperit, Regis Ægyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio excrescit.*

9. *Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa. Et accedens elevavit eam apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.* In Ecclesia, quæ Christi corpus est, si patitur unum membrum compatiuntur cetera membra. Infirmis corpore aut anima vera charitas pro viribus succurrit, Pro illis saltem Deum orat, si aliud non possit. Domus Petri est Ecclesia Catholica. Nemo in ea est qui peccatorum aut concupiscentiæ febri non laboret. Cupiditas animæ febris est: charitas, animæ sanitas est. In sola Ecclesia Catholica pro remissione peccatorum, & extinctione cupiditatum noxiarum utiliter oratur. Extra domum veritatis, charitatis, & unitatis nulla est Animarum infirmarum & languentium medicina. Ad infirmos accedat necesse est per gratiam suam cœlestis Medicus, illos tangat, dataque manu auxiliatrice illos erigat atque roboret; pravis habitibus, socordia, languore penitus depulsis ac dissipatis, & inspirata charitate, quæ numquam otiosa est, sed Domino servit in lætitia. Bona igitur opera seu pietatis & grati animi in Deum, seu charitatis in pauperes signa sunt febris ab anima depulsæ, & sanitatis per gratiam Christi medicinalem animæ languenti restitutæ. *Et continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Sic *Rom. 6. 19.* membra quæ servierant immunditiæ ad iniquitatem ut fructificarent morti, serviunt justitiæ in vitam æternam.

10. *Et venit ad eum Leprosus deprecans eum: & genuflexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo, mundare.* Lepra peccatorum fœdi ad Christum accedamus, & coram eo supplices procidamus, de illius potestate minime dubitantes, de illius misericordia & bonitate non diffidentes. Fide, humilitate, oratione misericordiam ejus imploremus. Dicamus cum fiducia: *Domine, si vis, potes me mundare .... Miserere mei, Domine, quia infirmus sum: sana animam meam quia peccavi tibi ... Salvum me fac propter misericordiam tuam.* *Psal. 6.* *Omnes iniquitates meas dele. Asperges me hyssopo, & mun-* *Psal. 50.* *dabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Piæ orationis exemplum nobis præbet iste Leprosus. Nos impetraturos emundationem & sanctificationem animarum nostrarum ne dubitemus, si oremus sicut oportet. *Postulet* *Jacobi 1. 56.* *in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.* Credendum autem est curationem & justificationem nostram opus esse gratuitæ misericordiæ ac voluntatis Dei: hanc operari Christum auctoritate suprema, sacrosanctam ejus humanitatem instrumentum esse operationis Dei in cordibus nostris: Ejus voluntate vim sanguinis ejus ac merita nobis applicari. *Justificati gratis per gratiam ipsius,* *Rom. 3. 24.* *per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium de-* *Venerab. Beda in Marc.* *lictorum.* Incarnato Dei Verbo, humanamque contingente naturam, & per gratiæ suæ vim medicinalem intus operante, sanantur homines secundum animam leprosi, *Joan. 15. 3.* & cum Apostolis audiunt: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis:* Deique Templum ingredi non solum illis conceditur, sed fiunt ipsi templum Dei, ut Apostolus ait: *Templum Dei sanctum est, quod* *1. Cor. 3. 17.* *estis vos.* Sed quamvis forte Christo per gratiæ suæ efficaciam nos tangente, & amorem pœnitentem nobis inspirante mundati fuerimus a lepra peccatorum nostrorum antequam ad Sacerdotem adeamus, conveniendus tamen est Sacerdos eique aperienda conscientia, confitenda peccata, secundum Christi præceptum: *Vade, ostende te sacerdoti.* Offerenda pro emundatione satisfactio, sacrificium bonorum operum, in testimonium animi pœnitentis & mundati. *Exhibete corpora vestra hostiam viventem,* *Rom. 12. 1.* *sanctam, Deo placentem. Et nolite conformari huic sæculo,* ne lepram pejorem iterum contrahatis: *sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Mundati autem & liberati a peccato, enarrate & prædicate laudes & gloriam Salvatoris & Medici animarum vestrarum Jesu Chri- *Coloss. 3. 17.* sti, in omnibus *gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

CAPUT II.

Sensus Litteralis.

Superiori capite. 1. ET *iterum intravit Capharnaum post dies* aliquot. Inde enim discesserat in proximos vicos & civitates, ut missione sua fungeretur, prædicans in Synagogis Galilææ, & demonia ejiciens. *Et auditum est quod in domo esset.* Id vulgatum ab aliquo e domesticis, aut vicinis. Clam enim ingressus erat, cum non posset manifeste ingredi civitatem ob populi ad ipsum turmatim concurrentis frequentiam. *Et* convenerunt multi, *ita ut non caperet neque ad januam.* Ita ut nec domus, neque vestibulum ipsum capiendæ plebis ad Jesum convenientis multitudini sufficeret. *Et loquebatur eis verbum* Dei. Non so- *Luc. 5.* lum Capharnaumi cives, sed ex omni castello Galilææ, & Judæi, & Jerusalem convenerat ingens hominum multitudo, Christum audiendi & admirabilia ejus opera spectandi avida.

2. *Et venerunt ad eum ferentes Paralyticum, qui a quatuor portabatur.* Plures ægrotum adduxerunt, quatuor autem bajulabant; quod observatum est ab Evangelista ad morbi gravitatem significandam. Hominem scilicet ita fuisse membris omnibus dissolutum, ita totius corporis impotentem, ut eum a quatuor bajulis portari necesse fuerit. *Et cum non possent offerre eum illi præ turba,* cum appropinquare non possent ad Jesum præ turba domum implente & circumstante, *nudaverunt tectum ubi erat,* detexerunt tectum domus; *& patefacientes, submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat.* Demiserunt lectum ante pedes Jesu. *Cum autem vidisset Jesus fidem illorum,* qui ægrotum illi curandum offerebant, *ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Morbi radicem excidit divinus Medicus, se missum docet ut animarum ægritudinibus imprimis medeatur, ut interiorem sanet paralysim, cujus exterior illa paralysis figura erat. *Missum est Verbum quod est Deus, qui Medicus est pec-* *Origenes* *catoribus, qui Magister rerum arcanarum jam purgatis* *contra Cel-* (inquit Origenes). *sum.*

3. *Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphemat: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quod S. Matthæus dictum a Legisperitis dixerat, *Hic blasphemat,* a S. Marco uberius explicatur. Remissionem peccatorum esse Dei propriam, Lex & Prophetæ passim testantur. Exod. 24. 6. 7. *Dominator Dominus Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax ... Qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata.* Job. 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Isaiæ 43. *Ego sum,* *1. Reg. 16.* *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccato-* *7. 1. Paral.* *rum tuorum non recordabor.* Hanc potestatem homini cui- *28. 9. Psal.* quam communicatam nusquam legebatur. Hinc Legisperiti *7. 10. Je-* Christi hostes, ex ejus verbis occasionem calumniæ nacti, *rem. 17. 10.* ipsum blasphemiæ tacite damnant. Horum malitia usus *S. Justin.* Jesus, in testimonium potestatis dimittendi peccata, sibi *Apolog. 2.* ut Deo convenientis, atque etiam ut homini sibi a Patre *S. Iren. lib.* concessæ, insigne miraculum edit; immo duplex: nam *4. c. 36. Ter-* & adstantium cogitationes sibi apertissime cognitas ostendit, quod non minus Dei proprium esse quam peccata *tull. in* condonare, Sacræ Litteræ docent: & Paralyticum sanat. *Apol. lib.* *Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent* *adverf.* *intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus ve-* *Marcion.* *stris?* Cognovit, non ut Prophetæ, per afflatum, sed *& de car-* *suo Spiritu,* id est plenitudine Divinitatis in se corpora- *ne Christ.* liter habitantis: *suo Spiritu,* per se ipsum, qui Dei sa- *Lactant. l.* pientia, virtus, spiritus passim a veteribus appellatur. *4. de Sa-* *Quid est facilius, dicere Paralytico: Dimittuntur tibi* *pientia c.* *peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & am-* *6. & 8.* *bula?* Lege quæ diximus in cap. 9. Matthæi. *& alii.*

4. *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad* *telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus* *est eum. Et factum est, cum accumberet in domo illius,* *multi Publicani & peccatores simul discumbebant cum* *Jesu, & Discipulis ejus,* &c. Cum Jesus ad partes maritimas iturus ut populum doceret, per portam maritimam Capharnaum transiret, ubi telonium erat, vidit ibi *Luc. 5.* sedentem Matthæum Levi appellatum, ipsumque vocavit. Ille vero sine mora obtemperans vocanti relictis omnibus, secutus est Jesum. Atque in grati animi significationem, utque amicorum suorum & familiarium qui vectigalibus exigendis, colligendis, rationibus describendis, sub ipso aut cum ipso navabant operam, conversionem procuraret, convivium Christo paravit in domo sua, quæ in urbe erat, plurimosque Publicanos simul cum Jesu & discipulis ejus manducaturos invitavit. *Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum Publicanis, & peccatoribus, dicebant Discipulis ejus. Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* „ Inde offenduntur Phari- *S. Tho. Se-* „ sæi, unde ædificari deberent. Quamvis enim convivere *cunda Se-* „ peccatoribus, vitandum sit infirmis, propter periculum *cundæ* „ quod eis imminet, ne ab eis subvertantur: perfectis *Quæst. 25.* „ tamen, de quorum corruptione non timetur, laudabile *A. 6. in* „ est quod cum peccatoribus conversentur, ut eos conver- *Resp. ad 5.* „ tant. Sic Dominus cum peccatoribus manducabat & bi- „ bebat. Convictus autem peccatorum quantum ad con- „ sortium peccati, vitandus est omnibus. Et sic dicitur 2. „ ad Corinthios 6. *Exite de medio eorum, & immundum* „ *ne tetigeritis,* scilicet secundum peccati consensum. „

5. *Et erant Discipuli Joannis & Pharisæi jejunantes,* jejunabant frequenter. Et veniunt, *& dicunt* *Luc. 5. 33.* *illi:*

illi: *Quare Discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem Discipuli non jejunant?* Diverso forsan tempore venerunt; idque diversa ratione & intentione Christo dixerunt: Pharisæi, ut calumniarentur, Discipuli Joannis ut docerentur: *Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum quamdiu sponsus cum illis est, jejunare?* Hæc interrogatio vim negandi habet. Non decet eos jejunare quamdiu cum illis est sponsus. Lege quæ diximus in cap. 9. S. Matthæi.

6. *Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & Discipuli ejus cœperunt progredi & vellere spicas. Tò iterum*, actionem Jesu iteratam non significat, quasi bis contigerit quod hic refertur ab Evangelista; sed novam calumniæ occasionem a Pharisæis arreptam.

7. *Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum, & Panes propositionis manducavit*, &c. Confer cum Matthæi 12. & nostrum in eo locum commentarium lege. Narratur historia 1. *Regum c.* 21. ubi tamen Panes propositionis dati dicuntur Davidi esurienti & comitibus ejus ab *Achimelech Sacerdote*, non ab *Abiathar Principe Sacerdotum*. Hinc recentiores quidam interpretes, ut Marcum Evangelistam cum Auctore sacro libri 1. Regum concilient, Achimelecho nomen fuisse *Abiathari*, & Abiathari ejus filio vicissim nomen fuisse *Achimelecho* dicunt, & colligunt ex 1. Paralip. 18. vers. 16. & c. 24. vers. 6. Planior & probabilior utrumque conciliandi ratio est Marcum sub Abiathare Pontifice factum dixisse, quod sub Achimelecho Pontifice Maximo ejus patre contigit: tum quia tamen Abiatharis notius erat ob Ephod allatum ad Davidem (1. *Reg.* 23. 6.) & ob diu gestum sub Davide Pontificatum: tum quia & ipse Pontifex erat cum hæc gesta sunt, Patris scilicet Vicarius, ut cui in Pontificatum Maximum successit, & rei gestæ adfuerat, ipseque cum patris, tum Davidis factum probaverat.

Beda in Marc.

Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum. Sabbatum institutum non fuit ut homo periret, sed ut animo & corpore salvus esset. Animo quidem, quia lex illa otii die septimo statuta est ad colendam religionem, & ad profitendam fidem creati a Deo mundi, & ne ullius operis obtentu conventus & actus pietatis negligerentur, quod salutem spectat animæ. Corpore vero, quia etiam institutum est diei septimæ otium, ut hominibus assiduo sex dierum labore fatigatis, aliquantulum respirare & requiescere liceret: quod dominorum duritiei vix erat famulis concessura. *Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati.* Omnium enim hominum caput potestatem habet rerum omnium quæ ad hominum salutem pertinent: cum itaque sabbatum propter hominem factum sit, etiam sabbati jure suo dominus est: adeoque violati sabbati noxa non tenetur propterea quod ejus Discipuli spicas aliquot sabbato vulserint urgente fame. Atque sabbati se dominum esse apertius olim demonstrabit, cum illud, & quicquid legalium ceremoniarum est, abrogabit. *

Exod. 23. 12.

* *Tertull. l.* 4. *cont. Marcion. c.* 16. Dominus est Sabbati & legis & omnium paternarum dispositionum Christus.

SENSUS MORALIS.

I. ET *iterum intravit Capharnaum post Dies. Et auditum est quod in domo esset: & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum.* Curato Caphurnaumi Leproso, Jesu in deserta loca secesserat, ibique convenientibus ad se turbis prædicabat verbum Dei: quo significatur, Veritatem tumultuosis carnalium mentibus apertam sui manifestationem non exhibere, sed iis suorum lucem donorum largius infundere, quos ab illecebris rerum temporalium viderit esse discretos, & a rerum sæcularium tumultu longe positos. Verum quia nec carnales & sæculi cupiditatibus implicitos Dei misericordia omnino deserit; quin etiam iis gratiam suæ visitationis, per quam & ipsi spirituales effici valeant, indulget, post aliquot dies in civitatem redit Dominus, multisque eodem convenientibus verbum Dei prædicat, ac sanato Paralytico, pluribus occasionem internæ sanationis tribuit, quam ipse in illis per fidem operatur. Quam admiranda Christi Jesu benignitas, tam stupenda Capharnaitarum cæcitas & obduratio, qui Christo apud illos tam frequenter prædicanti, & tot ac tanta patranti miracula non credunt! Christum docentem lubenter audiunt, & mirantur, sed non convertuntur. Curiositate & utilitate temporali ducti ad illum turmatim concurrunt, non veritatis & justitiæ amore, non pœnitentiæ ac melioris vitæ studio. Sic plerique Christiani verbum Dei audiunt, quasi *Verbum hominum*, non *sicut est vere verbum Dei*; non ut *Verbum veritatis*, *verbum vitæ*, *verbum reconciliationis*, *verbum salutis*. Quid mirum? cum a Ministris verbi non ea ratione plerumque prædicetur, qui loquuntur placentia, compto sermone pruriunt auribus, Christi crucem evacuantes, semetipsos prædicantes, non Christum crucifixum. Timeant Christiani qui verbi divini prædicatione, ceteriisque Dei beneficiis abutuntur, nec jugi Dei misericordia ipsos ad pœnitentiam invitante meliores fiunt, ne illis contingat quod Capharnaumi civibus Christus comminatur: *Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.* Luc. 10. 15

Beda in Commentario.

1. *Thessal.* 2. 13. *Ita passim in novo Testamento vocatur.*

Et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam. Non ad eos solum qui in domo erant, id est in Synagoga; non ad Judæos tantum, sed ad Gentes verbum salutis misit Dominus, eosque Evangelii sui participes fecit, in unam domum, scilicet Ecclesiam colligens utrumque populum. *Nos* enim qui *eramus longe*, extra januam, alienati a Christo, qui vitæ æternæ ostium est, *facti sumus prope in sanguine Christi. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Virtutes igitur annuntiemus ejus qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum, & pro tantis beneficiis gratias immortales agamus. *Ephes.* 2. 13. 2. *Petri* 2. 10

2. *Et venerunt ad eum ferentes Paralyticum, qui a quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Hujus Paralytici curatione salvatio designatur animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam ad Christum suspirantis: quæ imprimis indiget ministris qui eam sublevent, & Christo offerant; id est, bonis Doctoribus, Prædicatoribus, conscientiæ Moderatoribus, qui spem salutis suggerant, opem intercessionis ferant, omnemque adhibeant industriam ut cœlesti Medico sistatur. Quatuor bajulorum numerus non est absque mysterio: quatuor enim sancti Evangelii libros significat, quibus omnis Prædicantium virtus, omnis sermo firmatur. Designat & quatuor Virtutes cardinales, quibus anima ad promerendam salutem erigitur, quæ nihil aliud sunt quam Amor Dei quadripartitus, seu quatuor divini amoris affectus, secundum S. Augustinum, quibus omnia perrumpuntur obstacula, quæ impediunt ne ad Christum accedamus. Temperantia enim est amor Deo sese integrum incorruptumque servans: Fortitudo, amor omnia propter Deum facile perferens: Justitia, amor Deo tantum serviens, & ob hoc bene imperans ceteris quæ homini subjecta sunt: Prudentia, amor bene discernens ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest. Has virtutes Dei Sapientia, id est Dei Filius homines docuit, quibus languentes animæ ad Deum ferrentur. *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Sæpe anima post desidiam resipiscens, gratiæque cœlestis remedio cupiens innovari, priscæ consuetudinis, & pravorum habituum nondum destructorum reliquiis retardatur. Sed hæc impedimenta vincit Evangelii gratia, vincit amor Dei quadripartitus, vincunt quatuor Virtutes Animam ad Christum ferentes. *S. Augustin. lib. de Moribus Ecclesiæ Cathol. c.* 15. *Sap.* 8. 7.

Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat. Sæpe in ipsa orationis dulcedine, cum anima in lectulo Dilectum suum quærit, turba cogitationum interveniens, aciem mentis, ne videatur, impedit. Quid facto tunc opus? In infimis, aut ad januam non est remanendum, ubi turbæ tumultuantur, ubi creaturæ, ubi sensus, ubi cupiditates aditum ad Christum impediunt: sed tectum domus in qua Christus docet, ascendendum est: sacræ Scripturæ sublimitas appetenda, lex Domini diu noctuque meditanda. *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.* Et, *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Et, *Nisi quod Lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.* Tecto denique patefacto, æger ante Jesum dimittitur, quia reseratis Scripturarum mysteriis ad notitiam Christi pervenitur, de quo scriptum est in Lege & Prophetis, & ad ejus humilitatem fidei pietate descenditur. Cum grabato demittitur infirmus ante Jesum: quia salvi esse non possumus, nisi in corpore isto mortali positi fidem explicitam in Jesum Christum habeamus, in quo Deus est mundum reconcilians sibi, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, qui *Unus est Dei & hominum Mediator, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Aspiciens ergo infirmus homo in auctorem fidei & consumatorem Jesum cum Apostolo dicat: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hæc fides impetrat remissionem peccatorum, & restitutionem in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* *Psal.* 118. *Psal.* 18. 8. *Psal.* 118. 1. *Tim.* 2. 5. *Galat.* 2. 20.

3. *Quid est facilius, dicere Paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula?* Omnia Deo æque facilia sunt, qui solo verbo, sola voluntate universa quæ ipsi placent, operatur: sed visibilibus miraculis, invisibilibus fidem conciliat. Prius autem peccata dimittit, deinde corporis infirmitati medetur; ut pleraque corporum infirmitates propter peccata evenire significet. Hinc Apostolus ad Corinthios scribens, ubi crimen indigne manducantium & bibentium Corpus & Sanguinem Domini exposuit, continenter subdit: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*; id est, moriun-

1.Cor.2.30. riuntur. Quinque de cauſis corporis morbos & infirmita-
Beda. tes Deus infligit. 1. Ad meritorum incrementum per patientiam, ut Job, Tobiæ, aliiſque Sanctis in utroque Teſtamento. 2. Ad virtutum cuſtodiam, ne ſuperbiæ tentatione diſpereant. Sic Apoſtolo datus eſt ſtimulus carnis illum colaphizans, ne magnitudo revelationum ipſum extolleret. 3. Ad cognitionem & emendationem peccatorum noſtrorum. Sic Maria ſoror Moyſis Aaron in deſerto lepra percuſſa eſt ob verba temeritatis & ſuperbiæ: & Paralyticus noſter nonniſi dimiſſis peccatis fuit a Chriſto ſanatus. 4. Ad gloriam Dei manifeſtandam, ut cæcus natus, de quo Chriſtus ait: *Neque hic peccavit, neque*
Jerem.27. *parentes ejus, quia cæcus natus eſt, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* 5. Ad inchoationem damnationis æternæ, quæ reproborum pœna eſt, ut Antiochi & Herodis. Quibus congruit illud Prophetæ: *Et duplici contritione contere eos.* Cum igitur corporis infirmitates, aut alias calamitates temporales patimur, ad Deum ante omnia convertamur; pœnitentiam agamus, ipſaſque pro noſtrorum expiatione peccatorum illi offeramus.

Dum toto furore Balaam raperetur jumento inſidens, ut Dei populo malediceret, occurrit illi Angelus, ſtrictoque gladio jumenti oculis objecto detinet procedentem, qui nec gladium advertit evaginatum. Aſina verita mucronem, ſiſtit in via, nec ultra progreditur. In illam ſtomachatur Vates, ejuſque latera fuſte percutit: non magis illa procedit. Aſinæ inter anguſta parietis compulſæ mortem minitatur. Tum illa ſeſſorem compellans, ait: *Quid feci tibi? Cur percutis me jam tertio?* Statim Deus oculos aperuit Balaamo, viditque Angelum ſtringentem gladium, quo territam detinebat aſinam, ne ipſe male-
Num. 22. dicturus Populo Dei proficiſceretur. Hominem videmus languidum, ejuſque carnem qua velut jumento ſpiritus vehitur, gravi infirmitate collabentem: unde nec cœptum ambitionis, avaritiæ, vindictæ, voluptatis iter proſequi poteſt: carnem venarum apertione, purgationibus, medicaminibus, velut fuſtium ictibus repetitis convellit, eo quod ſuis favere nolit conſiliis. Verum oculos aperiat infelix, conſpiciet non carnem eſſe quæ ipſum remoratur, ſed Angelum, divinam ſcilicet Miſericordiam, quæ corpus affligit infirmitate, ut gradum figat, nec malitiæ conceptum facinus ad exitum perducat. *Prohibitione im-*
S.Greg. M. p.3. Paſtor. Admonit. 13. *morata aſina Angelum videt, quem humana mens non videt*, (inquit S. Gregorius) *quia plerumque caro per moleſtias tarda flagello ſuo menti Deum indicat, quem mens ipſa carni præſidens non videbat: ita ut anxietatem ſpiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei inviſibilis, qui ſibi obviat, innoteſcat.*

4. *Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Sic gratia Medicinalis Chriſti animam peccatoris terrenis rebus adhærentem, in creatura quieſcentem, pravis habitibus & mala conſuetudine detentam, facultatibus omnibus velut membris interioris hominis diſſolutam, momento ſanat.

S. Proſper Carm. de Ingratis. ----- *Omnipotens hominem cum gratia ſalvat,*
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.
Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen: quo immunda niteſcunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valeſcunt,
Nemo alii dat, nemo ſibi, non litera Legis,
Nec naturalis ſapientia; quæ ſemel acta
In præceps labi novit, conſurgere neſcit.

5. *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me.* Magna gratiæ vis, quæ ex Publicano Apoſtolum facit. Difficilis hominum pecuniæ & lucris temporalibus addictorum converſio. S.
S. Greg. Naz.Orat. in Nat. Domini. Gregorius Nazianz. divites vocat *compeditos terræ.* Multos in perſecutione patrimonii cæcus amor & dilectæ facultates a cura ſalutis ſuæ, legumque divinarum obſervantia avocarunt, ut S. Cyprianus lugens ſcribit: *Illa fuerunt remanentibus vincula quibus & virtus retardata eſt,*
S. Cypr. Tract. de Lapſis. *& fides preſſa, & mens victa, & anima præcluſa.* Ad hujuſmodi vincula dirumpenda gratia fortiſſima eſt opus. Illa dirupit Chriſti miſericordia Levin ſeu Matthæum reſpiciens & vocans, ut dicere poſſet in familiam ejus ac ſcholam cooptatus: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo*
Pſalm.115. Salv.lib. 5. de Gubern. Dei. *hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Difficilior Publicanorum converſio, qui *Exactionis publicæ nomen in quæſtus proprii emolumenta verterunt, & indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt: qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed devorarunt: nec ſpoliis tantum hominum, ut plerique latrones ſolent, ſed laceratione etiam, & (ut ita dicam) ſanguine paſcebantur* (ait Salvianus.) Magna Dei miſericordia, qui Matthæum ex conditione adeo ſaluti æternæ periculoſa vocavit.

6. *Et factum eſt cum accumberet in domo illius, multi Publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Jeſu & Diſcipulis ejus.* Multi ad Deum recens converſi de pretatis profeſſione in ſocietatibus hominum ſæcularium erubeſcunt. Non erubuerunt de peccato, erubeſcunt de pœnitentia & emendatione. Hos damnat Matthæi exemplum, qui ſe Diſcipulum Chriſti coram publicanis & peccatoribus palam profitetur; illos ad Jeſum adducit, eaque etiam de cauſa illos ad convivium cum Domino & Magiſtro invitat. Hunc imitentur qui Dei gratia ex peccato & peccati occaſionibus emerſerunt, amicos ſuos ad Chriſti & Apoſtolorum menſam vocent, ad doctrinæ a Chriſto traditæ & ab Apoſtolis mundo prædicatæ guſtum & obſervantiam; qua de menſa S. Proſper: S. Proſper Epigr. 8.

Exueret Deus ut tetra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen Apoſtolicæ:
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans pueros, pane cibans validos.
Non tempus, non ſexus huic, non cauſa reſiſtit,
Omnes curat, alit, juſtificat, vegetat.
Sumite quæ magnæ appoſuit Sapientia menſæ,
Et variis paſci diſcite deliciis.
Quarum pars totum eſt epulum quo quiſque juvatur,
Inde capit vitam, quam parit una fides.

Hanc menſam faſtidire, quam periculoſum! quam mortiferum!

Nam quid erit quod dira procul faſtigia pellat,
Cum ſe ipſo refugit mens ſaturare Deo?

7. *Et erant Diſcipuli Joannis & Phariſæi jejunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant?* Invidi alienæ vitæ moribuſque obſervandis ac reprehendendis magis ſtudent, quam propriæ vitæ moribuſque emendandis. Vitium iſtud Phariſaicum eſt. Ex Phariſaica etiam ſuperbia deſcendit temerarium judicium quo alios vere religioſos, pios & devotos non judicamus, niſi noſtris vivendi formulis ac rationi ſeſe accommodent; niſi exteriora, quæ proprio ſæpe judicio eligimus, & quibus amore proprio adhæremus, opera & exercitia ſectentur. Varia ſunt divinæ gratiæ dona; variis viis ad ſpiritualis vitæ perfectionem pervenitur. Verendum ne ad oſtentationem pertineat externus ille operum, quibus devoti indigitantur, apparatus. Vera pietas in Dei amore, & ſincera humilitate conſiſtit. Hæc *ad omnia utilis: corporalis autem exercitatio*, niſi anima ſit in charitate & humilitate *radicata*, (ut Apoſtoli verbis utar) *ad modicum utilis eſt*. Phariſaicum etiam vitium 1. ad Tim. 4. 8. eſt, nos ipſos, noſtramque vivendi rationem commendare; de aliis loqui, ut de nobis loquendi, noſque ab illis diſcernendi occaſionem habeamus. *Quare Diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant, tui autem non jejunant?* Sæpe accidit ut qui extraordinaria jejunia & ſupererogationis obſervat, imperfectior ſit eo qui minus jejunat, quia ſpiritalibus abſtinens bonis, jejuno corde tabeſcit.

8. *Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus eſt Filius hominis, etiam Sabbati.* Omnes Religionis obſervantiæ, univerſaque inſtituta ad illius finem qui Dei honor eſt, & utilitas hominum, referenda ſunt. Veræ Religionis proprium eſt nihil in ſe habere quod homini non ſit utile ad ſalutem. Hac ratione Deus oſtendit ſe non ex indigentia coli velle, ſed ex bonitate, ut homines beatos faciat. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam* Pſal. 15. *bonorum meorum non eges.* Spiritale Sabbatum in eo poſitum eſt, ut homo in Deo requieſcat, ut a ſuis ceſſet operibus, ſcilicet a peccatis, quæ ſolius hominis opera ſunt; Deique operibus vacet. Qua de re S. Proſper ſcribit:

Non recto ſervat legalia Sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos;
Omnia conveniunt tempora juſtitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus otia ſancta,
Tantum a peccatis libera corda vacent.

Lege quæ diximus ad Caput nonum S. Matthæi.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. *ET introivit iterum*, altero die Sabbati, *in Synagogam*, Capharnaum, *& erat ibi homo habens manum aridam.* Confer cum Matthæi 12. & Lucæ 6. *Et obſervabant eum*, (Phariſæi) *ſi sabbatis curaret, ut accuſarent illum.* Refert S. Matthæus, illos *interrogaſſe Chriſtum: Si licet Sabbatis curare?* quæ nequaquam pugnant. Phariſæi enim primo obſervaverunt Jeſum animo illum accuſandi ut violatæ religionis reum, ſi ægrum hominem Sabbato curaret: deinde illum interrogarunt, *Si licet Sabbatis curare?* Quibus reſpondit hac illis propoſita quæſtione, qua illorum ora occluſit: *Licet Sabbatis bene facere, an male? Animam ſalvam facere, an perdere?* Anima ſumitur ibi pro vita. Hac interrogatione oſtendit Jeſus, hominis curationem Sabbati ſanctificationi contrariam non eſſe, cum ſit opus bonitatis & omnipotentiæ Dei, cujus cultui dicatum eſt otium Sabbati: ſed nihil magis illius diei ſanctificationi repugnare quam Phariſæorum malignitatem & immanem invidiam, qui cum Herodianis conſpirabant ut Jeſum perderent.

Et

Et circumspiciens eos cum ira ad rationis imperium excitata, & secundum moderationem divinæ virtutis temperata, *contristatus super cæcitate cordis eorum*, sive (quæ vis est Græci Textus) πωρωσει καρδίας *callum cordis eorum*, *dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.* Quod Græcus Textus habet, ὑγιης ὡς ἡ ἀλλη *sana sicut altera*, interpretationis loco adjectum ex S. Matthæo videtur.

2. *Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare*, ut Pharisæorum & Herodianorum in illum conspirantium insidias vitaret, quia nondum venerat hora ejus. *Et multa turba a Galilæa & Judæa secuta est eum, & ab Jerosolymis*, tametsi plures in urbe illa Principe inimicos haberet, Pharisæos nimirum, Scribas & Senatores; & ab *Idumæa*, quamvis Idumæi homines Gentiles essent, & perpetui Judæorum hostes; & *trans Jordanem*; & a regione quæ trans Jordanem dicebatur, quia venientibus ab Ægypto Judæis ultra Jordanem erat: *Et qui circa Tyrum & Sidonem*, nobilissimas civitates, sive Decapolitæ Tyriorum & Sidoniorum vicini, *multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.* Miraculorum ejus fama commoti, frequentes ad eum concurrerunt. *Et dixit Discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbas, ne comprimerent eum. Multos enim sanabat.* Naviculam sibi parari jussit, qua uteretur quoties stagnum cum selectis Discipulis trajicere vellet, ne turbis ad ipsum concurrentibus opprimeretur. Ideo autem tantus hominum undique concursus ad Jesum fiebat, *quia multos sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.* Desiderio recuperandæ sanitatis in eum irruebant, ut eum tangerent, quovis morbi genere afflicti. *Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei.* Energumenos impellebant ut coram eo procideret: *& clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.* Divinitatis ejus confessione, & subjectionis signo supplicium *Jacob. 2. 19* suum deprecabantur. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Jesus autem adjunctis minis vehementibus eis præcipiebat ne declararent quis esset.

3. *Et ascendens in Montem*, orationis causa, *vocavit ad se* ex Discipulis suis *quos voluit ipse*: non quia meruerunt. *Jo. 15. 16.* Unde apud Joannem ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* *Ephes. 1. 1.* Hinc S. Paulus *Apostolum per voluntatem* Dei se inscribit. *Et venerunt ad eum*, statim atque vocati fuere. *Et fecit ut essent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare*; elegit duodecim Apostolos ex Discipulorum numero, quos mitteret ad prædicandum Evangelium, cum ipsi opportunum videretur. *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Vide quæ diximus ad cap. 10. S. Matthæi. *Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui.* Ex *Benereen*; seu, (ut viri Hebraice periti emendari volunt) *Bene rabbam*, factum Boanerges a Notariis linguam Hebraicam ignorantibus, S. Hieronymus non semel observat. Respexisse videtur Christus hoc illis nomen imponens, ad illud Aggæi vaticinium: *Adhuc* *Aggæi 2. 7.* *unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram,* *Hebr. 12.* *& mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes.* Quod de *26.* Evangelii prædicatione Apostolus exponit. Ad hanc ergo maximam rerum mutationem Zebedæi filios eximios sibi ministros fore significat, cum illos *Filios tonitrui* vocat. „ Apte (inquit Venerabilis Beda) Filii tonitrui „ sunt cognominati, quorum unus e cœlestibus intonans „ vocem illam theologicam, quam nemo prius edere no- „ verat, emisit: *In principio erat Verbum*; & cetera. „ Quæ tantæ virtutis pondere gravida reliquit, ut si ali- „ quando plus intonare voluisset, nec ipse capere mun- „ dus posset. Sed & ambo sæpe seorsum & in montem „ a Domino duci, & aliquando sonum e nube terrificum „ percipere meruerunt: *Hic est Filius meus dilectus,* „ *ipsum audite.* „

4. *Et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.* Cum Christus domum rediisset cum Apostolis, tantus ad ipsum factus est hominum concursus, ut nec ipse Christus, nec Apostoli cibum capere possent, obstante turba, quam docere, & ægros curare pergebat Christus, qui alias ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris... Et cum audissent sui, exierunt te-* *Jo. 4. 34.* *nere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Cum audissent cognati Jesu illum discipulos adlegere, turbas ad illum confluere, ipsum insolita docere, mira operari, Pharisæos & Legis Doctores ipsi invidere & perniciem ejus meditari; exierunt ut eum domi tenerent, id sibi juris legibus aut consuetudine convenire arbitrati. Dicebant enim illum esse mentis impotem, sive id vere crederent, sive id simularent, metuentes ne quid illi aut sibi periculi a Pharisæis, Scribis, & Herodianis, aut ab iis qui Rempublicam gerebant, crearetur. Quod autem dicebant, *Quoniam in furorem versus est*, non est necesse ut ad Christi Matrem sanctissimam, aut ad *Matt. 27.* omnes ejus cognatos referatur, de quibus vers. 31. scri- *8. & 54.* bit Evangelista: *Et veniunt mater ejus & fratres, & Joan. 4. 5.* *foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum.* Satis enim *Lucæ 23.* fuerit aliquem ex cognatis Jesu dixisse ipsum in furorem *39.* versum esse, ut id omnibus tribuatur per syllepsim, figuram in sacris Litteris frequentem. Sic Discipulos ob effusum in Christi caput unguentum indignatos murmurasse S. Matthæus scribit, cum solum Judam indignatum fuisse & murmurasse compertum sit ex S. Joanne. Sic Matthæus scribit Latrones, qui una cum Christo crucifixi erant, blasphemasse, cum ex S. Luca certum sit non blasphemasse nisi unum. Dissimulare non possum, Viros quosdam Eruditos ita vertendum existimare: *Dicebant enim, Eum a se exisse ὑπ ἐξέστη*, quod animi defectum seu deliquium cordis significat, tum ex inedia, tum ex circumstantis aeris tepore, quem facit nimius turbæ concursus, sequi solitum. Atque hanc interpretationem juvat Arabica Versio: *Et exierunt sui, egressique sunt ut tenerent ipsum*, (sive ut eum contingerent & curam ejus gererent) *dicentes, Eum in deliquium cordis incidisse.* Veruntamen aliæ Versiones Orientales cum Vulgata nostra conveniunt. Syriaca; *Dicebant enim eum extra mentem suam exiisse.* Persica: *Et amici ejus audientes egressi sunt ut eum prehenderent: eo quod dixerunt: Hic quidem ex intellectu suo excessit.* Æthiopica: *Et audientes cognati ejus venerunt prehendere eum, quia dementem dicebant eum fuisse.* *Victor Antioch. in Marc.* *Grotius Annotat. ad Marc.*

5. *Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant, quoniam Beelzebub habet.* Dæmonum Princeps in eo est, per eum operatur. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: *Quomodo potest Satanas Satanam ejicere?* Id nequaquam verisimile, imo contradictorium est. *Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.* Concordia enim familiæ & imperia firmantur, discordia pereunt. *Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.* Satanas hoc loco sumi videtur pro tota universitate malorum spirituum, quomodo Homo pro genere humano aut natura humana. Si dæmon insurrexerit in dæmonem, concidet regnum ejus, & penitus dissolvetur. *Nemo potest vasa fortis*, variam supellectilem, possessiones, *ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.* Tunc demum domum ejus prædabitur, cum ipsum alligaverit.

6. *Amen dico vobis, Quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint.* Hominibus ex ignorantia, vel ex infirmitate peccantibus remitti poterunt peccata quæ commiserint & blasphemiæ quas protulerint. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum*; in Deum, diabolo tribuens opera Dei, *non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Numquam remissionem consequetur, aut certe vix & difficillime: sed delicti sui pœnas æternas dabit. *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.* Hac comminatione usus est Christus, quia dicebant ipsum a spiritu immundo agi, & diabolo ejus opera ex invidia & odio tribuebant. Ceterum ob id peccatum hoc venia indignum dicitur, quia ex se veniæ causam non affert. „ At vero *Victor. Antioc. in Marc.* „ blasphemiam in Filium, cum altera illa collatam, ve- „ nia dignam affirmat. Nam etsi reipsa Deus esset, vul- „ go tamen tenuis sortis, obscurique generis homo ha- „ bebatur. At gravius censetur peccatum quod commit- „ titur in Deum. Itaque miracula, quæ solius Spiri- „ tus sancti, id est, solius Dei opera sunt, sataneæ at- „ tribuere, nefarium manifestumque blasphemiæ crimen „ est, & quidem ejusmodi, ut nullum ex se veniæ locum „ faciat. Hæc autem cum de blasphemiæ peccato Ser- „ vator noster differit: neque convitium in Filium abso- „ lute remissibile, neque blasphemiam rursus in Spiritum „ Sanctum simpliciter irremissibilem definire vult: quasi „ nullus prorsus ejusmodi blasphemis hominibus (dum- „ modo ad sanam mentem redire in animum induxerint) „ pœnitentiæ locus relictus sit: verum comparatione qua- „ dam inter hanc & illam contumeliam facta, indicat „ eam quæ cadit in Filium, tamquam quæ in hominem „ proxime ferri videatur, multo minorem censeri illa „ quæ temerario nefarioque ausu effunditur in Spiritum „ sanctum.

7 *Et veniunt mater ejus & fratres*, id est cognati; *& foris stantes*, (quia non poterant eum adire præ turba, ut observat S. Lucas) *miserunt ad eum, vocantes* *Jac. 8. 19.* *eum.* Continuatio est historiæ cœptæ Versu secundo istius capitis. Vide quæ diximus ad cap. 12. S. Matthæi.

SENSUS MORALIS.

1. *ET erat ibi homo habens manum aridam.* „ Qui „ fidem habent, & bona opera non faciunt, qui „ puras manus non levant in oratione, qui manus suas *Jac. 2. 14.* „ non extendunt ad pauperem, illis manus arida est. *15.* „ Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se ha- „ bere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides „ salvare eum? Si autem frater & soror nudi sunt & in- „ digeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis „ illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non de- „ deritis autem eis quæ sunt necessaria corpori, quid „ proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua „ est in semetipsa. „ Manum habent aridam Magistratus, qui pauperes, pupillos, viduas quibus succurrere

teneu-

tenentur ex officio, a magnatibus & potentibus opprimi patiuntur. Sola medicinali gratia Salvatoris manus arida sanari potest, cum hujusmodi morbus ex animo oriatur. *Licet Sabbatis bene facere, an male? animam salvam facere, an perdere?* Dominicis præsertim & Festis diebus exercenda misericordiæ opera. Hæc sacros & solemnes dies sanctificandi ratio. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Sic Ecclesiæ nascentis Christiani Dominicam diem sanctificabant. 1. ad Corinthios 16. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Hoc alterum sacrificii genus. Unde idem Apostolus: Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Nam *Misericordia verum sacrificium est.* Et *sacrificium est omne opus quod fit ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem unde beati esse possimus*, scilicet ad ipsummet Deum per ejus amorem.

Jacobi 1, 27.

S. August. lib. 10, de Civit. Dei c. 5. 6.

2. *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.* Ita se gerere debent Rectores animarum. 1. Vitiis indignari debent, non hominibus, sicut Christus superbiæ & invidiæ Pharisæorum indignatus est. Hæc *Ira per zelum, non per vitium.* 2. Illorum cæcitati condolere debent, qui Dei verbo & gratiæ resistunt, aut quod longe gravius, aliorum conversionem impediunt. 3. Animarum sibi creditarum saluti procurandæ sedulo incumbere debent, eosque hortari, & Christi auctoritate illis præcipere ut manus extendant ad Deum, misericordiam ejus & quotidianum gratiæ adjutorium sibi in omni opere necessarium postulaturi. *Expandi manus meas ad te: Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ad inimicos, ipsos ut fratres in Christo amplexuri, & carbones ignis super eorum capita ferventi charitate congesturi, ut reconciliati eadem charitate ardeant. Ad pauperes denique, ut eorum miseriam sublevent. *Sananda manus arida jubetur* (inquit Venerab. Beda) *quia infructuosæ debilitas animæ nullo melius ordine quam eleemosynarum largitate curatur.* Unde S. Joannes Baptista turbis scisitantibus quid facerent, ut non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc solum præcipit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti. Et qui habet escas, similiter faciat.* Hinc Spiritus sanctus per os Sapientis ait: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* FRUSTRA *enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad viduam rogantem, beneficium collaturus expanderit.* 4. Ministerium suum exercere, ac salutem animarum, Deique gloriam viis omnibus procurare debet Rector animarum & Prædicator, insuperhabitis falsorum fratrum, aut sæcularium hominum & impiorum motibus, invidia, calumniis. *Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.* Murus ferreus sit Pastor, Doctor, Prædicator, nihil curans nisi ut ministerium suum impleat, & Deo probetur. Quicquid in ipsum carnales homines moliantur, arguat, obsecret, increpet in omni patientia & doctrina, dicens: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* 5. Christi Jesu patientiam & bonitatem Rector animarum imitetur; omnibus affabilem se præbeat, nusquam morosum; omnes recipiat qui ejus doctrina, consilio, ope indigent, etsi importuni sint ac molesti; etsi spe temporalis subsidii, potius quam pœnitentiæ & pietatis animo, ac desiderio Regni Dei & justitiæ ejus ipsum adire videantur. *Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas.* 6. Laudes & adulationes carnalium hominum rejicere debet ac spernere. Et *Spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.* Et *vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.* 7. Ne credat omni spiritui, sed discernat & probet Spiritus si ex Deo sint. Hypocritæ enim humiliant se exterius, cum intus superbi sint sicut dæmones: orant, ac gemunt, *timore pœnæ, non amore justitiæ*; confitentur, non convertuntur. *Et Spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.*

S. Gregor. 5. Moral. c. 33.

Ps. 142, 6.

Beda in Commentar.

Eccli 4.36.

Psal. 62,3.

3. *Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit ut essent duodecim cum illo.* „ Mons in quo Apostolos elegit Dominus altitudinem designat justitiæ qua instituendi erant, & „ quam prædicaturi hominibus. Nam quia missurus erat „ eos ad prædicandum Evangelium Regni cœlestis, merito per sublimitatem loci in quo electi sunt, admonere „ voluit eos non in infimis desideriis animum dissolvere, „ sed ad superna desideranda & quærenda semper erigere „ debere. Sic etiam Legem daturus priori populo suo in „ monte apparuit, de monte quæ agenda essent intonuit. Verum quia necdum erat tempus ut diceretur: „ *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlo-*

Beda in Marc.

„ *rum*: sed tantum dicebatur, *Honora patrem & matrem* „ *tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus* „ *Deus tuus dabit tibi*: nequaquam populus loquenti in „ monte Domino appropinquare voluit, sed ex inferiori „ loco quæ dicerentur audivit, quia necdum mente capaci ad intelligenda mysteria ascendere noverat; soluisque „ Moyses, quia Legem spiritaliter intelligebat, montis „ in quo loquebatur Deus verticem conscendit. „

Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, &c. Christi Jesu Apostolos vocantis exemplum imitentur, qui Episcopos Ecclesiis præficiunt, aut præficiendos eligunt vel nominant: & qui beneficia quælibet Animarum curam annexam habentia conferunt. Ascendant in montem, nullam personarum rationem habeant, non opes, non nobilitatem, non potentiam, non temporales necessitudines, amicitias, commendationes spectent, sed dotes dumtaxat regendæ Ecclesiæ necessarias: non carnem & sanguinem, sed Deum unum consulant. Deum orent ut ostendat quos elegit ipse, digniores Apostolici muneris successores, utiliores Ecclesiæ Ministros. Non iis Dignitates Ecclesiasticas, & Animarum curam commendent, qui se ingerunt, qui postulant, qui ambiunt. *Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quam aliena a carne & sanguine esse debeat Episcoporum & inferiorum etiam Ecclesiæ Pastorum electio inde ostenditur, quod non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech „ Novi Testamenti „ Sacerdotium a Christo institutum est. Cum hujus divi- „ ni Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit „ functiones, non per generationum tramitem curritur, „ nec quod caro & sanguis creavit, eligitur: sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus „ præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus uni- „ versitas Sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio „ cœlestis gratiæ gignat Antistitem. „

Heb. 1. 5. 6.

S. Leo Mag. ser 2.

Episcopi & Presbyteri ad Sacerdotium Christi vocantur, & unus fiunt cum ipso Sacerdos, 1. ut Sacerdotio ejus in terra velut Ministri fungantur. *Ad Trinitatis instar*, inquit Symmachus Papa, *cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium.* Unum (inquam) Sacerdotium Christi veri & æterni Antistitis, cujus administratio nec commutationem potest habere, nec finem. *Et fecit ut essent cum illo.* 2. Vocantur ad verbi divini prædicationem, præcipuum Episcoporum munus, vel ut populos doceant Dei mysteria ac Legem, sub Episcoporum moderamine gregem pascentes verbo veritatis, & erogatione Sacramentorum. *Et ut mitteret eos prædicare.* 3. Vocati sunt ut sint Animarum Medici, earumque plagis & infirmitatibus medeantur. *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates.* Hinc S. Gregorius Nazianz. *Divinæ*, inquit, *Animarum medicinæ nos ministri & adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus.* 4. Vocati sunt ut continuum adversus dæmonem bellum gerant, & ad ejus imperium destruendum viribus omnibus enitantur. Quamvis enim in hoc bello cuncti Christiani milites sint, vocati ad militam Dei vivi cum in Sacramenti verba responderunt; Sacerdotes tamen sunt hujus belli duces, sub Christo summo Imperatore, qui in hoc apparuit ut dissolvat opera diaboli, & qui in membris suis quotidie pugnat & vincit. *Et ejiciendi dæmonia.*

Symmachus P. Epist. ad Æonium Arelat. Episc.

4. *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: „ Ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, „ omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter re- „ git & Christus. *Tu es Petrus*; Id est, cum ego sim in- „ violabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque „ unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud „ ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute soli- „ daris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi me- „ cum participatione communia.„ S. Petri primatus jure divino institutus, & in Romanos Pontifices Petri Successores transfusus, vinculum ac centrum Sacerdotalis unitatis, typus unitatis fidei, unitatis capitis & corporis Ecclesiæ. Synagoga Ecclesiæ figura est; populus Judaicus, figura populi Christiani; duodecim Tribuum capita, duodecim Apostolorum; promissa temporalia, promissorum spiritualium. Quæ promissa ut impleantur, institutum novæ Legis Sacerdotium est, & duodecim Apostolis primo communicatum, ut duodecim Tribus intelligerent in Christo & ejus membris, Regnum quod exspectabant implendum esse, & Ecclesiæ filios esse filios promissionis. „ Non „ enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque „ qui semen sunt Abrahæ omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi filii „ Dei, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in se- „ mine .... Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is qui secundum „ carnem

S. Leo serm. 3.

Rom. 9. 7. 8.

Galat. 2. 28. 29. 30. 31.

„ carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum
„ spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice
„ ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius an-
„ cillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus an-
„ cillæ filii, sed liberæ; qua libertate Christus nos libe-
„ ravit. „

Bedain Comm. 5. *Et veniunt ad domum.* „ Electos in monte Apostolos
„ Christus ad domum reducit, quasi tacite eos admonens
„ ut post acceptum Apostolatus gradum ad conscientiam
„ suam redeant, & quo ampliorem docendorum curam
„ susceperunt populorum, eo solertius ipsi habitacula men-
„ tium suarum considerando penetrent: & ne quid ibi
„ forte quod occulti inspectoris oculos offendat inveniatur, sedula examinatione perquirant; sic etenim quis-
„ que proximum rite regit, si a suo prius corde studio-
„ sa exploratione quicquid inerat pravitatis expurget.

S. Greg. M. Pastoralis Curæ part. 2. cap. 7. „ Sit Rector internorum curam in exteriorum occupatione ne non minuens, exteriorum providentiam in internorum occupatione non relinquens: ne aut exterioribus
„ deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis non impendat.
„ *Non totum actioni dandum, sed aliquid considerationi*
„ *sui ipsius*. A te incipiat tua consideratio, *scribit S.*

S. Bern. lib. 2. de Consideratione. „ *Bernardus ad Eugenium Papam*; non solum autem, sed
„ & in te finiatur. Quocumque evagetur, ad te eam re-
„ vocaveris cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ulti-
„ mus. Sume exemplum de summo omnium Patre, Ver-
„ bum suum & emittente & retinente. Verbum tuum
„ consideratio tua. Quæ si procedit, non recedat; sic
„ progrediatur, ut non regrediatur; sic exeat, ut non
„ deserat . . . Et hæc tui consideratio in tria quædam
„ dividitur, si consideres quid, quis, & qualis sis. Quid
„ in natura, quis in persona, qualis in moribus... Mon-
„ strosa res gradus summus, & animus infimus; sedes pri-
„ ma, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otio-
„ sa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis,
„ & actus levis; ingens auctoritas, & nutans stabilitas
„ . . . Volo glorieris testimonio conscientiæ tuæ, sed

1. Cor. 4. „ non minus ut eodem ipso humilieris. Rara vox est,
„ *Nihil mihi conscius sum*. Cautior in bonis ambulas,
„ si & mala non lateant. Noveris te, ut scias quid desit
„ tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nil
„ sibi deesse putat . . . Vigilanter discerne, qualis ex te
„ & qualis sis dono Dei, & non sit in spiritu tuo do-
„ lus. Erit autem nisi fideliter partiens, tua t. i, &
„ quæ sunt Dei Deo sine fraude resignes. Ex te mala,
„ bona a Domino esse, persuasum tibi non ambigo. Sane
„ inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris, ad
„ memoriam revocandum. Conferenda posteriora priori-
„ bus, &c. "

Et convenit iterum turba; ita ut non possent neque panem manducare. Non solum nobilibus, potentibus, & divitibus sæculi, sed hominibus vulgi & pauperibus impendere se debet Rector animarum, ac superimpendere pro

1. Cor. 1. 26. 27. animabus eorum. „ Quia non multi sapientes secundum
„ carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed
„ quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sa-
„ pientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat
„ fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit
„ Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrue-
„ ret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

Jacobi 2 „ *Hinc Jacobus Apostolus*: Nolite, *inquit*, in perso-
„ narum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu
„ Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum ve-
„ strum vir aureum annulum habens in veste candida,
„ introierit autem & pauper in sordido habitu, & in-
„ tendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixe-
„ ritis ei: Tu sede hic, bene: pauperi autem dicatis,
„ Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum:
„ nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices
„ cogitationum iniquarum? Nonne Deus elegit pauperes
„ in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, quod
„ repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis
„ pauperem. " Omnibus accommodare se debet Pastor & Rector animarum, omnibus facilem se præbere ac benignum, proprii etiam corporis curam negligere, si neces-

1. Cor. 8. 19. se sit, ut proximorum saluti serviat. *Omnium me servum feci* (inquit Apostolus) *ut plures lucrifacerem*.

6. *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem versus est*. Sic a suis tractatur *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. Confundantur superbi, qui sapientes videri volunt, quia prudentia carnis, prudentia hujus sæculi forte sunt insignes, cum secundum Deum insipientissimi sint. Gaudeant pii, quos pœnitentia, pietas, alienatio a pravis sæculi moribus, austeræ ac Deo penitus devotæ vitæ professio, velut stultos & imprudentes a propinquis suis & amicis contemptui & ludibrio haberi facit. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum*. Sic Paulus a Festo Proconsule insanus vocatus est, cum Christum crucifixum & a mortuis redivivum prædicaret. *Insanis,*

1. Cor. 3. 18. 19. Act. 26. 24. *Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertunt*. Qui patientissime tulit, quod stultus propter Christum haberetur, & ministerium suum obire pergens, pari modestia ac magnanimitate respondit: *Non insanio, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor*.

7. *Et Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Pastores, Christi Ministri, Doctores veritatis, calumnias non timeant. Famam non minus sacrificent quam vitam, si pro ejus gloria & animarum salute necesse sit. *Si patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus*? Ipsos non turbent calumniæ, contumeliæ, convitia; sed Deo serviant *per infamiam & bonam famam*. Atque ita animo sint affecti, ut cum Apostolo dicere possint: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*. Exultent, exemplo Christi, & pro ejus nomine calumniam & injurias passi, *Qui cum malediceretur, non maledicebat. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit*.

Matth. 10. 25. *2. Cor. 6.* *1. Cor. 4. 12.* *1. Petri 2. 23. & 4. 14.*

8. *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet*. Filius Dei in mundum ingressus, diabolum alligavit, id est, ab electorum suorum seductione compescuit; domum ejus & vasa diripuit, homines scilicet, quos ex ejus servitute & tyrannide liberatos sibi subjecit, Ecclesiæque suæ adunavit. „ Diabolum vult intelligi fortem,
„ qui genus humanum potuit tenere captivum, vasa vero
„ ejus quæ fuerat erepturus, fideles suos futuros, quos
„ ille in diversis peccatis atque impietatibus possidebat.
„ *Ut ergo alligaretur hic fortis, propterea vidit S. Joan-*
„ *nes in Apocalypsi* Angelum descendentem de cœlo, ha-
„ bentem clavem abyssi, & catenam in manu sua. Et
„ apprehendit (inquit) draconem illum, serpentem an-
„ tiquum qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per
„ annos mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & si-
„ gnavit super illum, ut non seducat amplius Gentes,
„ donec consummentur mille anni: Hoc est, ejus pote-
„ statem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerant li-
„ berandi, cohibuit atque frænavit. Mille anni pro an-
„ nis omnibus hujus sæculi ponuntur. Et misit illum in
„ abyssum, quo nomine significata est multitudo innume-
„ rabilis impiorum, quorum in malignitate adversus Ec-
„ clesiam Dei multum profunda sunt corda: non quia ibi
„ diabolus ante non erat; sed ideo dicitur illuc missus,
„ quia exclusus a credentibus plus cœpit impios possi-
„ re. *Plus namque possidetur a diabolo, qui non solum*
„ *alienatus est a Deo, verum etiam gratis odit servien-*
„ *tes Deo*. Et clausit super eum, id est, exire ac tran-
„ sgredi vetuit. Et signavit: quia occultum esse voluit
„ qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertine-
„ ant. Hoc quippe in sæculo isto prorsus latet: quia &
„ qui videtur stare, utrum sit casurus, & qui videtur
„ jacere, utrum sit surrecturus, incertum est. Ab eis au-
„ tem Gentibus seducendis hujus interdicti vinculo & clau-
„ stro diabolus prohibetur atque cohibetur, quas pertinen-
„ tes ad Christum seducebat antea vel tenebat. Has enim
„ Deus elegit ante mundi constitutionem eruere de potestate
„ tenebrarum & transferre in Regnum Filii charitatis
„ suæ. Nam seducere illum Gentes etiam nunc, & secum
„ trahere in æternam pœnam, sed non prædestinatos in
„ æternam vitam, quis fidelis ignorat? Nec moveat,
„ quod sæpe diabolus seducit etiam illos, qui jam rege-
„ nerati in Christo vias ingrediuntur Dei: *Novit enim*
„ *Dominus qui sunt eius*; ex his in æternam damnatio-
„ nem neminem ille seducit. Igitur Alligatio diaboli,
„ est non permitti exercere totam tentationem, quam
„ potest vel vi vel dolo ad seducendos homines, in par-
„ tem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. "

Bedæ. *S. Aug. lib. 20. de Civ. Dei c. 7.* *Apocal. 20. 1.* *Ephes. 1. 4.* *Coloss. 1. 13.* *2. Tim. 2. 19.* *S. Aug. c. 2. libri laudati.*

9. *Amen dico vobis, Quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ quibus blasphemaverint: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti*. Magna Dei misericordia in homines qui ex ignorantia vel ex infirmitate peccant. Nullum est adeo grave peccatum, quod vere pœnitentibus non remittatur. Remissionis pignora habemus promissionem Dei, & Sanguinem Christi. „ Si impius egerit pœnitentiam ab omni-
„ bus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia
„ præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam; vita
„ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus,
„ quas operatus est, non recordabor... Numquid voluntatis
„ meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut
„ convertatur a viis suis, & vivat? Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non
„ erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes
„ iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis: & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare
„ moriemini, domus Israel? *At justitiæ divinæ severitas*
„ *in eos qui ex mera malitia peccant, metuenda est*. Vo-
„ luntarie enim peccantibus nobis post acceptam noti-
„ tiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis
„ hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii,
„ & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.

Ezech. 18. *Hebr. 10. 26.*

„ Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione ne duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim quia dixit: Mihi vindicta & ego retribuam. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. „ Verumtamen nec peccatum & blasphemia in Spiritum sanctum absolute irremissibilis est. Nam & Pharisæos ipsos qui Christi opera dæmoni tribuerant, & Simonem Magum blasphemiæ in Spiritum sanctum reum, Petrus Apostolus ad pœnitentiam invitavit. Sola igitur impœnitentia finalis remitti non potest. Vide quæ diximus ad cap. 12. Sancti Matthæi.

10. *Et respondens ait: Quæ est mater mea, & fratres mei?* Rectores animarum & Ecclesiastici viri consanguineos ignorare debent, cum ipsos ab officio suo, & sacro ministerio avocant. Illorum amore sæcularibus negotiis immergere se non debent, avaritia ac turpi lucro studere, opes congerere, pauperum curam negligere, ex Ecclesiæ redditibus consanguineos ditare; indignis aut minus dignis beneficia cum Pastorali cura conferre, prætermissis & posthabitis dignioribus; non audire dicentes: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*

Conc. Trident. Sess. 25. c. 1. de Reformat. *Ps. 82. 13.*

CAPUT IV.

Sensus Litteralis.

1. *ET iterum cœpit docere ad mare*, postquam Capharnaumo exiisset, ubi tota die in domo Petri docuerat, ut ex cap. 13. S. Matth. vers. 1. colligitur. *Et congregata est ad eum turba multa*, quæ secuta erat eum, & quæ ad littora maris mercaturæ gratia confluere solebat. *Ita ut navim ascendens sederet in mari*, seu (quod idem est) navem ascendens, in navi sederet, ne a turba comprimeretur, utque ab omnibus audiretur. *Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua*, juxta suum docendi genus: *Audite*: *Ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit super petrosa: & quando exortus est sol, exæstuavit*, nimio ejus fervore exustum, & exaruit, quia non habebat radicem. *Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem*, e terra, firma radice nixum, *& crescentem*, ad plenam usque maturitatem, *& afferebat unum triginta, unum sexaginta, & aliud centum.* Et afferebat fructum, unum trigesimum, unum sexagesimum, & aliud centesimum. Numerandi ordinem commutat Matthæus, dicens: *Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Evangelistæ scilicet historiæ veritatem, non ordinis seriem servare sæpe studuerunt.

2. *Et cum esset singularis*, solus, seorsim a turba, *interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim*, Apostoli, *Parabolam*; quis esset parabolæ sensus. *Et dicebat eis: Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei.* Vobis datum est a Deo. *Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Humana merita hic conticescant. *Illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt.* Alienis a me disciplina, extraneis, Regni Dei Mysteria Parabolis velata proponuntur: *Ut videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.* Non verba ipsa Prophetarum, sed sensum comminationis S. Marcus expressit: futurum scilicet, ut qui oculis videntes, & auribus audientes, animo attendere & intelligere noluerunt, postea nec intelligere possint ea quæ ad ipsorum conversionem pertinebant. S. Marcus non eventum tantum, sed & causam refert cur Christus infidelibus & reprobis auditoribus in parabolis loquatur, ut qui alieno sunt a veritate animo, ipsamque studiose repellunt & impugnant, justo Dei judicio destituantur lumine & gratia ad illam intelligendam, cum præsertim obscure proponitur, necessaria, atque ita fiat ut non convertantur, nec dimittantur eis peccata. Confer cum Matthæi 13. 15.

Ephes. 2. 8.

3. *Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur?* Numquid accenditur lucerna & infertur in domum, ut sub modio aut lecto, seu alio vase concavo ponatur, quo abscondatur lumen? Nonne potius ut super candelabrum collocata, luceat omnibus qui in domo sunt, sive conclavi? Ne igitur existimetis meæ mentis esse ut parabolæ & mysteria iis obvelata sic occulta maneant & obscura hominibus, ut lucerna sub modio posita: illa certe Judæis non solum proponerem, sed exponerem quemadmodum & vobis, nisi aliud ordo justitiæ divinæ exigeret, nempe ut qui salutaris doctrinæ luci claudunt oculos, ea priventur. *Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut palam fiat.* Ideo hæc vobis explicui, quæ & vos tempore opportuno populis prædicetis & exponatis, via per mortem & resurrectionem meam propalata, quia nihil est occultum quod aliquando revelari non debeat: nec factum est adeo absconditum, quod non aliquando manifestum fiat.

4. *Et dicebat illis: Videte quid audiatis.* Etiam atque etiam considerate quid & quale sit quod auditis, ut pro rei magnitudine intendatis animum: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.* Popularis sententia, & a Christo non semel usurpata. Quantum attentionis in audiendo verbo Dei, quantum diligentiæ, fidelitatis & zeli in servando & prædicando adhibueritis, tantum inde utilitatis & præmii referetis. Negligentes autem & infideles verbi auditores aut ministros pœna manet a justo judice infligenda. *Qui enim habet, dabitur illi; & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.* Vide quæ diximus ad cap. 25. S. Matthæi.

5. *Et dicebat: Sic est Regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille.* Sic agitur in Ecclesia mea colligenda & regenda, quemadmodum si homo in terram jacta semente transigat securus noctes & dies, nunc negotiis suis vacans, nunc quiescens, & interea nesciente patre-familias sive agricola semen germinet per se, natura sua, ac vi propria. *Ultro enim terra fructificat*, seu frugem affert, sensim tamen & per gradus, *primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum*, id est, perfectum in spica. *Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* Cum maturum fuerit granum, statim agricola mittit messores cum falce, qui segetem succidant & colligant. Hæc parabola non extat apud S. Matthæum. Regnum Dei, est Ecclesia: Sementis, prædicatio Evangelii: Ager, auditorum animi: Homo qui sementem fecit, verbi Dei Prædicator: Messis, mors, aut finis mundi: Messor, Deus: Falx, Dei decretum, quo hunc vel illum hominem demeti, id est mori statuit ac jubet. Parabolæ scopus est, ut doceat Christus, tantam esse vim & efficaciam verbi Dei, ut si in bonam terram, id est, in cor optimum inciderit, per se ipsum germinet, crescat, & fructum afferat: sed quemadmodum terra non ita sponte fructum profert, jacto in eam semine, ut necessaria non sit pluvia sementem irrigans, solis influxus fovens, Dei concursus & providentia causas secundas regens & adjuvans: ita verbum Dei in corde optimo, & ab ipso Deo parato seminatum, non ita per se fructum affert, quin necessarium sit continuum gratiæ divinæ auxilium, voluntatem a Deo paratam adjuvantis. *Non enim qui plantat* aut seminat, *est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Nihil autem urget ut ad Christum referamus hæc verba: *Et dormiat, & exurgat nocte, & die.* Non enim hæc necessaria pars est parabolæ, ut agricola dormiat & exurgat nocte & die, & semen germinet eo nesciente, & nihil amplius in agro operante, sed accessio est & ornatus, ad parabolæ finem significatione sua nihil conferens. Quamquam & Christi absentia ab agro eatenus significari possit usque ad tempus Messis, quia modo adspectabili non adest, quamvis invisibiliter per protectionem suam, per gratiam, & continuam Spiritus subministrationem sit nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

1. Cor. 3. 7.

6. *Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?* Qua similitudine ipsius incrementum declarabimus? *Sicut granum sinapis*, &c. Lege quæ diximus ad cap. 13. S. Matthæi.

7. *Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra.* Non eadem die qua Christus præcedentia docuerat, sed quadam die. Confer cum Lucæ 8. 22. *Factum est autem in una dierum, & ipse ascendit in naviculam, & Discipuli ejus, & ait ad illos: Transeamus trans stagnum.*

Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et ipse Jesus *erat in puppi super cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister non ad te pertinet quia perimus?* Non tibi cura est de extremo in quo versamur periculo? *Et exurgens comminatus est vento*, ut Dominus qui producit ventos de thesauris suis, & qui fecit ventis pondus; *Et dixit Mari: Tace, obmutesce.* Sedare, tranquillum esto. *Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna*, subito, cum alioqui diu soleat mare agitari postquam ventus cessavit. „ Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati „ sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos, & descen„ dunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabesce„ bat.... Et clamaverunt ad Dominum cum tribularen„ tur: & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit „ procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus. Et „ lætati sunt quia siluerunt, & deduxit eos in portum „ voluntatis eorum. „

Ps. 134. 7. *Job 28. 29.* *Psal. 106.*

SENSUS MORALIS.

1. *ECce exiit seminans ad seminandum*, &c. Episcopi, inferiores Pastores ac Prædicatores Evangelii missi sunt a Deo ut semen verbi ejus in agro ipsis commisso ac destinato seminent. In eo igitur agro Pastores 1. residere debent. 2. In eo seminare. *Si evangelizavero* (inquit Apostolus) *non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi est si non evangelizavero.* Et, *Vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fue-*

1. Cor. 9. 16. *Act. 20. 18.*

fuerim.... Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice & per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.

Tit. 2. 1.*Tim.*1.8. 13. 3. Bonum semen, quale ipsis a cœlesti Patre-familias traditum est, seminare debent, non adulteratum, non corruptum; sanam doctrinam tam fidei, quam morum. *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam ... Verbum sanum, irreprehensibile*: ait Apostolus Titum informans. Et Timotheum suum instituens: *Collabora* (inquit) *Evangelium secundum virtutem Dei ... Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide & in dilectione, & in Christo Jesu.* „ Non humanas opiniones, cogitationes & conceptus prædicet, sed Scripturam divinitus inspiratam, quæ utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *Quæ* non damnat nisi cupiditatem, non præcipit nisi charitatem, & ita informat mores hominum ... Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum." 4. Affectare non debent Concionatores dispersionem seminis *secus viam*: id est, conciones habere nolle nisi in magnis urbibus, in nobilioribus exedris, coram auditoribus, & auditricibus nobilitatis primariæ, plausum, non fructum quærentes, & *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*. 5. Lapides auferre, spinas evellere debent ex agro, ut semen verbi Dei in eo radices agat, & fructum ferat, ne suæ in agro colendo negligentiæ dent pœnas in judicio Dei. 6. Operam dare debet Pastor & Rector Animarum, ut terra bona, ut Anima Christiana in qua verbum Dei seminatum est, fructum afferat spiritualem secundum mensuram gratiæ sibi datæ, vel trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum; illam excitans & adjuvans ut proficiat in via Dei, & crescat in charitate. *Ars artium regimen Animarum.*

1.*Tim.*6. 3.

S.Greg.M.p 3.*Pastor.c.* 1.

Act. 16.14. *Lucæ* 24.45

2. *Interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.* Cum Scripturam sacram legimus, aut verbum Dei audimus, loquitur Deus ad cor nostrum. Ipse dat aures audiendi, cor scilicet docile & obediens. Id ab ipso petendum. Rogandus est ut *adaperiat cor nostrum in lege sua & in præceptis suis*, sicut *Aperuit eos Lydiæ intendere his quæ a Paulo dicebantur*: sicut Discipulis duobus euntibus Emmauntem *Aperuit sensum ut intelligerent Scripturas*. Ut det intellectum ut scrutemur legem ejus, & custodiamus illam toto corde. Nostro non fidamus sensui & ingenio, sed Spiritum Dei humiliter interrogemus. Obscura enim Scriptura est, quod provisum est divinitus *Ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt*. „ Ut autem ad sacrarum Scripturarum intelligentiam perveniamus, opus est 1. Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. 2. „ Mitescere pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusque præcipere possimus; sed cogitare potius & credere id esse melius & verius quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quam id quod per nosmetipsos sapere possumus. *Sic pervenitur ad scientiam, in qua se exercet omnis Scripturarum divinarum studiosus*: Nihil aliud in eis inventurus quam diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum. Necesse est ergo ut primo se quisque in Scripturis inveniat amore hujus sæculi, hoc est, temporalium rerum implicatum, longe sejunctum esse a tanto amore Dei, & tanto amore proximi, quantum Scriptura ipsa præscribit. Tum vero ille timor quo cogitat de judicio Dei, & illa pietas qua non potest nisi credere & cedere auctoritati sanctorum librorum, cogit eum se ipsum lugere. 3. *Fortitudine opus est, ne animus vitiorum suorum & infirmitatis suæ conscius desperatione frangatur, sed exsuriat & sitiat justitiam*. Hoc enim affectu ab omni mortifera jucunditate rerum transeuntium sese extrahit, & inde se avertens convertit ad dilectionem æternorum. 4. *Opus est consilio quo* purgat animam tumultuantem quodammodo atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. 5. *Opus est purgatione interioris oculi cordis*, quo videri Deus potest quantum potest ab iis qui huic sæculo moriuntur quantum possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic sæculo; in quantum autem huic vivunt, non vident. In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati ne ipsum quidem præferat aut conferat proximum, ergo nec se ipsum, quia nec illum, quem diligit sicut se ipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde atque mundato, ut neque hominibus placendi studio detorqueatur a vero, nec respectu devitandorum quorumlibet incommodorum suorum, quæ adversantur huic vitæ. Sic ascendit ad *sapientiam*, qua pacatus tranquillusque perfruitur, quę mysteria revelat parvulis." *Nat. Alex. In Evang.*

S.Aug. lib. 2.*de Doctrin.Christ cap.*6.*&* 7.

„ 3. Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub „ modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum quod „ non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in „ palam veniat. *Mendacium & peccatum, opera diaboli, tenebras amant; veritas & virtus, opera Christi, lucem*. Abscondat se serpens quantum potest, totamque „ prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte „ habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam „ evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga „ bestia. Nostræ columbæ etiam domus simplex, in edi„ tis semper & apertis ad lucem. Amat figura Spiritus „ sancti Orientem, Christi figuram. Nihil veritas eru„ bescit, nisi solummodo abscondi." Testimonium igitur veritati data opportunitate perhibendum, nec illa umquam in injustitia detinenda est. Sed & fides nostra per bona opera probanda & manifestanda est, per opera lucis, de quibus Christus Dominus alias ait: *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.*

Tertull. Adverſ.Valentin. cap. 3.

*Jo.*3.20.21.

4. *Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Attendite ad excellentiam verbi quod auditis, quia non est verbum hominum, sed Dei. Videte quid a vobis postulet Deus exterius loquens per os Concionatoris, interius loquens ad cor per vocem inspirationum & gratiarum suarum: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Præmium respondebit fidelitati. Diligamus eum sine modo, serviamus ei sine mensura, qui se totum in præmium sine mensura nobis dabit. Serviamus ei sine exceptione & restrictione temporis, qui merces nostra futurus est non solum magna nimis, sed æterna. Prout homines verbum Dei, & saluti maxime necessaria documenta ac monita grato ac fideli animo accipiunt; prout divinis inspirationibus fideliter respondent, ita in eos magis magisque divina bonitas divitias gratiæ suæ effundit. „ Audientibus, „ inquam, quomodo audire oportet, beneficia ulteriora „ & dona potiora largitur. Non enim qui beneficiorum „ terrestrium mos est, in capessendo munere cœlesti mensura ulla vel modus est, profluens largiter Spiritus „ nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra „ certa metarum spatia frænatur: manat jugiter, exu„ berat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus & pa„ teat; quantum illuc fidei capacis afferimus, totum „ gratiæ inundantis haurimus."

Psalm. 94. *Hebr.* 4.7.

S. Cypr. Epist. 1. *ad Donat.*

5. *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille*, &c. Christus Jesus verbi sui sementem ipse fecit, ex qua orta est ejus Ecclesia, quam & ipse formavit prædicatione Apostolorum, & sanguine Martyrum. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Dormire interim videtur Christus, dum formari pergit Ecclesia sensim sine sensu, die ac nocte, tempore prosperitatis & adversitatis; quo ad ipsum fides clamat: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Exurge, Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum*. Vigilat tamen, *Ecce* enim *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*: & per occultas gratiæ suæ subministrationes & operationes Ecclesiam suam & fideles animas ad perfectionem perducit. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu vero perfecisti eam*. Ipsa gratia, pluvia voluntaria, quia nullis præcedentibus operum meritis gratis datur. Hanc pluviam segregavit Deus hæreditati suæ. *Et infirmata est*. Agnovit enim non esse se aliquid per se ipsam; non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendum esse quod est. Agnovit quod dictum est, *In infirmitatibus meis gloriabor*. Agnovit quod dictum est, *Noli altum sapere, sed time*. Agnovit quod dictum est, *Humilibus autem dat gratiam*. Tu vero perfecisti eam, quia *Virtus in infirmitate perficitur*. Etenim *benedictionem dabit Legislator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Benedictionem dabit, qui Legem dedit: Legem qua terreat de humanis viribus præsumentem; benedictionem qua liberet in Deum sperantem. Tu ergo perfecisti Deus hæreditatem tuam; quia infirmata est in se, ut perficeretur abs te. Ibunt de virtute in virtutem, de virtutibus actionis, ad virtutem æternæ contemplationis. Virtutes actionis, prudentia, temperantia, justitia, fortitudo. Istæ virtutes nunc per Dei gratiam dantur nobis, & augentur in nobis: sed in æterna illa felicitate necessaria non erit ista prudentia, ubi nulla mala occursura sunt quæ vitemus. Non ista justitia, ubi nulla erit cujusquam indigentia cui subvenire debeamus. Non ista fortitudo, ubi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus hujus actionis, ibimus in virtutem illius contemplationis qua Deum videamus sicuti est. Augentur illæ, crescitque charitas illarum forma, donec occurramus in virum per-

Jacobi 1.18

Psal. 43.

*Psal.*120.4

Psal. 66.

S. Aug. Enarr. in Psal. 67. 2.*Cor.*12.9 *Rom.*11.20. *Jacobi* 4.6. 2.*Cor.*12.9. *Psalm.* 83. *S. Aug. Enarr. in Psal.* 83.

perfectum, in ætatem plenitudinis Christi. Sic *Totum Christi corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei*. Sic Domino dante benignitatem, terra cordis nostri dat fructum suum, primum herbam proferens, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Cum autem dignus Deo fructus ad perfectam maturitatem pervenerit, Christus ipse qui sementem fecit, messem faciet in judicio universali, & triticum in horreum suum, electos in Regnum congregabit. Caveamus ne messis veniat ante segetis maturitatem, mors ante cordis conversionem, judicium ante bona opera. Iis qui simplicem herbam, aut spicam imperfectam protulerint, quam terribilis erit illa vox? *Adest messis.*

Psalm. 83. Coloss. 2, 19.

S. Greg. M. Hom. 15. in Ezech.

„ *Sic est Regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo semen in terram, & dormiat, &c.* „ Semen homo jactat „ in terra, cum cordi suo bonam intentionem inserit. „ Et postquam semen jactaverit, dormit: quia in spe boni „ operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die; quia inter „ adversa & prospera proficit. Et semen germinat & „ crescit, dum nescit ille: quia dum adhuc metiri in- „ crementa sua non valet, semel concepta virtus ad per- „ fectum ducitur. Et ultro terra fructificat: quia præ- „ veniente se gratia, mens hominis spontanee ad profe- *Beda in Comment. S. Marci* „ ctum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra pri- „ mum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumen- „ tum producit in spica. Herbam quippe producere, est „ inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad „ spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo con- „ cepta ad profectum boni operis protrahit. Plenum „ autem frumentum in spica fructificat, quando jam in „ tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti ope- „ ris possit. At cum ex se produxerit fructus, statim „ mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipo- „ tens enim Deus producto fructu falcem mittit, & mes- „ sem suam desecat: quia cum unumquemque ad opera „ perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per se „ emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœ- „ lestia horrea perducat. Cum igitur desideria bona con- „ cipimus, semen in terram mittimus. Cum vero ope- „ rari recta incipimus, herba sumus. Cum autem ad „ profectum boni operis crescimus, ad spicam perveni- „ mus. Cumque in ejusdem boni operis perfectionem so- „ lidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. „ Herba etenim Petrus fuerat, qui passionis tempore per „ amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante ancil- „ læ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, „ quia credebat omnium Redemptorem, sed valde adhuc „ flebilis, pede conculcabatur timoris. Jam in spicam „ surrexerat, quando eum quem moriturum confiteri ti- „ muerat, nunciante Angelo, in Galilæa viventem vi- „ debat. Sed tunc plenum granum in spicam pervenerat, „ quando veniente desuper Spiritu, & suam mentem in „ illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires per- „ sequentium cæsus despiceret, & Redemptorem suum „ libere inter flagella prædicaret. Nullus itaque qui ad „ bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse „ conspicitur, desperet: quia frumentum Dei ab her- „ ha incipit, ut granum fiat. "

6. *Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.* Ecclesia procellis hæresum exterius agitatur, corruptela morum velut fluctibus subeuntibus, & navim ipsam implentibus periclitatur. Christus in puppi, ut navis rector, obdormire videtur cum nos tentari sinit; cum fidei splendorem obtenebrescere; spei celsitudinem contabescere; charitatis flammam refrigescere. Dormit enim timidis, vigilat perfectis. Dormit, sed cor ejus vigilat. Ad ferendam opem Discipulis suis paratus est. Tantum vult excitari clamore cordis, fervore charitatis & orationis. Facta vero tranquillitate per Dei gratiam, nobis ipsis infirmitatem fidei nostræ exprobremus. *Quid timidi estis? Necdum habetis fidem?* Intueamur cum timore periculum ex quo sumus a Christo liberati. *Et timuerunt timore magno.* Illius erga nos misericordiam laudemus, potentiam & bonitatem adoremus, gratias agamus Liberatori nostro, enarremus mirabilia ejus. *Et dicebant ad alterutrum: Quis est iste, quia ventus & mare obediunt ei?*

CAPUT V.

Sensus Litteralis.

1. ET *venerunt trans fretum maris*, in ulteriorem ripam, secundum Textum Græcum, *in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei*, JESU, *de navi, occurrit de monumentis homo in spiritu immundo*; a spiritu immundo vexatus. Duos dæmoniacos fuisse S. Matthæus narrat: unius tantum, qui ferocior erat, & forte notior in ea regione, meminit S. Marcus. Addit, illum cujus liberationem commemorat, ita furiosum fuisse, ut *neque catenis jam quisquam posset eum ligare: quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. Videns autem Jesum a longe, cucurrit & adoravit eum.*

Et clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, Jesu, Fili Dei altissimi? Adjuro te per Deum, obtestor *ne me torqueas*, ex ista regione quæ jure mea est, utpote ethnica, me expellendo, aut in tartarum detrudendo.

Et interrogabat eum, Quod tibi nomen est? Et dicit ei; Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Legio apud Romanos 600. Milites continebat. Hic numerus certus pro incerto usurpatur: numerosum cœtum indicat immundorum spirituum.

2. *Cumque ascenderet navim* JESUS, *cœpit illum deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo*; ut sibi liceret illum sequi, illique perpetuo adhærere ut discipulus. Cum Christo esse voluit, sive grati animi sensu, ut liberatori suo serviret, sive timens ne absente Christo in dæmonum tyrannidem recideret. *Et non admisit eum* JESUS, *sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.* Noluit ipsum Dominus in numerum Discipulorum suorum cooptare & in suum comitatum admittere, tum ut ostenderet se etiam corpore absentem præsidio esse in se confidentibus, & præsentem virtute: tum ne testem miraculi jactabundus circumduxisse videretur: tum denique quia majore cum Dei gloria apud suos maneret, prædicatione miraculi Decapolitas ad fidem præparaturus. *Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus, & omnes mirabantur.* Vide quæ diximus ad cap. octavum S. Matthæi.

3. *Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum*; cum rediisset unde venerat, in Galilæam scilicet, urbemque Capharnaum: *convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.* Cum ad littus maris esset, turba multa ad eum confluxit. *Et venit quidam de Archisynagogis*, Synagogæ Principibus, *nomine Jayrus, & videns eum procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum tuam super eam, ut salva sit, & vivat.* Lege quæ diximus ad caput nonum Sancti Matthæi.

4. *Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa a compluribus Medicis, & erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat, cum audisset de Jesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum ejus. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.* Mulier quæ ab annis duodecim obnoxia erat profluvio sanguinis. Morbi qualitas, diuturnitas, & curationis per naturæ vires & Medicorum artem impossibilitas describitur. Exhaustæ vires corporis gravitate & diuturnitate morbi: facultates exhaustæ impensis. Tantum abest ut relevata esset medicamentis, ut contra deterius se haberet. Omni igitur humana spe destituta, ad cælestem Medicum accessit, sanari se posse credens & confidens si vel fimbriam vestimenti ejus tetigisset, quamvis nec ipsi manum imponeret Jesus; ut ceteris fere infirmis, nec eam videret. *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: & sensit corpore quia sanata esset a plaga.* Sistente sanguinis fluxu, & restitutis subito viribus, sanatam se esse sensit.

5. *Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit vestimenta mea?* Virtutem quæ exierat de illo, populari loquendi genere vocat effectum virtutis, id est, Mulieris sanationem, quam omnipotentia sua & misericordi voluntate liberrime fuerat operatus. *Non alium putemus illum de Christo virtutis exitum, nisi divinæ curationis effectum. Tunc enim ad mulierem virtus Salvatoris exivit, quando in se virtutem divinæ curationis agnovit.* Denique *Gratia processit ut illa sanaretur, non ut ille minueretur* (inquit Sanctus Augustinus.)

2. Cor. 2. 16. S. Fulg. lib. 2. ad Trasamundum. S. Aug. serm 245. alias de Tempore 155.

6. *Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat*, non quasi ignorans eam cui tantam fidem donaverat, quam ad se traxerat, quam sanitate donaverat; sed humano se habebat more, ut mulier interrogatione & circumspectione perculsa se ipsam proderet, ac miraculum palam fateretur, quo fieret celebrius, & omnibus innotesceret. *Mulier vero timens & tremens*, quod præter opinionem detecta esset, quod beneficium quasi suffurari voluisset, quod immunda mundum tetigisset: *sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit*, tibi salutem impetravit, tam corporis, quam animæ. *Vade in pace, & sana esto a plaga tua.* Fruere sanitate quam tibi reddidi.

7. *Adhuc eo loquente, veniunt ab Archisynagogo*, domestici Jayri Principis Synagogæ, qui jam ad Jesum accesserat, ex ejus ædibus veniunt, dicentes: *Quia filia tua mortua est: quid ultra vexas Magistrum?* Noli Magistro molestus esse: nullum jam remedium sperandum est. *Jesus autem audito verbo quod dicebatur, ait Archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede*, me tibi subvenire posse, quod mox experieris. *Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.* Tres selectos testes mox edendi miraculi assumpsit, quot ejus veritati probandæ sufficiebant: plures noluit,

luit, ideoque ejecit omnes ex loco ubi puella defuncta jacebat, præter patrem & matrem illius, ut ostentationis fugiendæ præberet exemplum. Vide quæ diximus ad Cap. nonum S. Matthæi.

SENSUS MORALIS.

1. *Occurrit ei de monumentis homo in spiritu immundo, &c.* Luxuria & impudicitia dæmonium est, a quo totum cor hominis possidetur. Impudicus habitat in monumentis, vivum ipse sepulchrum est, putredine vermibusque scatens, fœtorem intolerandum circumquaque exhalans, scandalum creans omnibus qui crimen ejus norunt, factus multis *odor mortis in mortem:* Cor ejus con-
2. *Cor.* 2. 16. glutinatum est cordi meretricis, quæ sepulchrum est dealbatum. *Fovea profunda est meretrix ..... An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?*
Prov. 23. 27. Cum mortuis amat commorari, cum peccatoribus sui simillimus. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum*
1. *Cor.* 6. 16. *non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.*
Psal. 87. 6. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.* Impudicus catenas dirumpit, compedes com-
Eccl. 6. 25. & 30. minuit, & nemo eum domare potest. Salutares sapientiæ compedes & vincula dissolvit, de quibus scriptum est: *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subjice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* Removeri ab illo possunt occasiones peccati, manibus pedibusque ligari potest exterius, sed a nemine homine domari potest. *Et nemo poterat eum domare.* Quamquam durissimis vinculis intus constrictus sit, cupiditatis nimirum ac libidinis suæ, noctu diuque inquies ac furiosus, operum fœditate quasi in monumentis jacet, superbiæ fastu errat in montibus, verba præcipitationis, scurrilitatis, impietatis effundens, clamat, gravitate criminis ultionem divinam provocante. Clamat eo clamore de quo scriptum est: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* In se ipsum sævit, seque ipsum
Gen. 18. 20. concidit lapidei cordis duritia. Non unus dæmon, sed multi possident impudicum. Multa vitia luxuriam comi-
S. Gregor. tantur. Magdalena septem dæmonia habuit, quia vitiis universis plena fuit; numero enim septenario universitas designatur. Idololatria, blasphemiæ, homicidia, fraudes, proditiones, furta, commessationes & ebrietates, superbia, invidia, contentiones, inimicitiæ, omnium Dei & Ecclesiæ mandatorum, totius juris divini humanique violatio & contemptus. Vitiorum genus omne perpetrare paratus est impudicus, suam ut expleat libidinem. *Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Nemo liberare potest impudicum, præter Dominum Jesum. Necesse est ut illum salutari gratiæ suæ lumine præveniat, illique longe a se remoto videndum se præbeat, illum ad se trahat, illiusque gressus dirigat ac misericordia sua currere faciat ad Medicum, & Salvatorem suum adorandum. *Videns autem Jesum a longe, cucurrit, & adoravit eum.* Ab impudicitiæ dæmonio liberatus, sedet ad pedes Jesu: fixa mentis intentione Salvatoris sui vestigia, quæ sequatur, intueri amat. Sessio designat sancti propositi constantiam. Vestes resumit, id est, virtutum studia, quæ vesanus perdiderat, jam sana mente recipit. Unde filius luxuriosus & prodigus rediens ad patrem stola prima induitur, annulo ornatur, mentis sanitatem & tranquillitatem sibi restitutam ipso habitu ostendit. *Et veniunt ad Jesum, & vident illum qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.* Veruntamen sibi ipsi diligenter attendere debet homo a spiritu immundo liberatus. Vitet occasiones omnes, cum cupiditate ne paciscatur, amorem impudicum in familiaritatem honestam, in amicitiam insontem mutatum iri ne confidat. Diabolus ex anima expulsus pristinam possessionem recuperare sperat, si vel in regione sensuum toleretur. *Et deprecabatur eum multum ne se expelleret extra regionem.* Refert Tertullianus exemplum mulieris quæ Theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in Exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; *Et justissime*, inquit, *feci; in*
Tertull. l. de Spectaculis c. 26. *meo eam inveni. Quot utique & alia documenta cesserunt de his qui cum diabolo apud spectacula communicando, a Domino exciderunt? Nemo enim potest duobus Dominis servire. Quid luci cum tenebris? Quid vitæ & morti?* Tandem qui vere conversus est, qui vere pœnitens, Christum sequi debet, ei se penitus addicere, cantare misericordias Domini, enarrare mirabilia ejus apud suos, ut sicut *odor mortis fuit in mortem* per scandala vitæ veteris; ita sit *odor vitæ in vitam*, per sancta exempla & bona opera vitæ novæ. *Cœpit illum deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus.*

2. *Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim, &c. cum audisset de Jesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum ejus. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.* Circumstantiæ morbi & curationis Hemorroissæ a Christo Domino, typi sunt morborum animæ, & curationis eorum per gratiam Christi medicinalem. Quo morbus diuturnior est, & majores radices egit, eo periculosior est, eo difficilior curatio. Quam miserandus status hominis ex habitu inveterato, ex diuturna consuetudine peccantis! Inutilia illi fuere omnia spiritualis Medicinæ remedia. Ad Pœnitentiæ Sacramentum, ad sacram Communionem a tot annis accessit, toties Dei verbum audivit, nec tamen sanatus est a morbis vitiorum. Complures Medicos habuit, multos conscientiæ Moderatores, qui forte ignorantia sua vel imprudentia, pravis consiliis, adulatione, nimia facilitate & indulgentia, præcipitatis Absolutionibus, morbos spirituales auxerunt, gravioresque fecerunt. „ Et fuerat
„ multa perpessa a compluribus Medicis. *De his S. Cy-* *S. Cypr.*
„ *prianus*: Imperitus est Medicus, qui tumentes vulne- *Tract. de*
„ rum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. *Lapsis.*
„ Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. „ Ita dum indulgetur facilius peccatoribus *S. Cypr.*
inveteratis, qui *pro salutiferis dilationum remediis exitiosa deposcunt properatæ communionis venena*, eorum *S. Ambros.*
morbi ingravescunt, quia *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi*. Conscientiarum Moderatores eleemosynas interdum imperant, nihil peccatoribus profuturas, quorum non est sincera conversio qui peccati occasiones proximas non relinquunt, qui male parta non restituunt. Hi eleemosynas erogare videntur, ut obtineant deliquendi commeatum, utque Judicem supremum, si possibile esset, corrumpant. *Eleemosynæ illis prosunt* (inquit S. Au- *S. Aug. ser.* 9. *alias* 13.
gustinus) *qui vitam mutaverunt. Das enim Christo e-* *ex Hom.* 50.
genti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideo *cap.* 4.
das ut liceat tibi semper impune peccare, non Christum pascis, sed Judicem corrumpere conaris. Omnes facultates suas pauperibus erogarent, qui peccatis animo sincero non renunciant, & ad eum amore pœnitente non convertuntur, & tamen nihil ipsis ad salutem proficeret. *Et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Anima tamen suis exhausta viribus & opibus spiritualibus omnino destituta, sanabitur gratia medicinali Christi Salvatoris sui, si in nemine homine spem habens, neque adeo confidens in se ipsa, extremæ suæ conscia miseriæ, ad eum viva cum fide & profunda humilitate accedat, suamque justificationem & salutem a Deo solo per Jesum Christum speret, qui factus est nobis justitia & sanctificatio & redemptio: Ei- *Ps.* 143. 12.
que supplex dicat: *Velociter exaudi me, Domine, defecit* *S. Aug.*
spiritus meus. IMPLEAT *me Spiritus tuus, quia defe-* Enarr.
cit spiritus meus..... Ipsa est causa ut cito exaudias, *in hunc*
quia defecit spiritus meus. In quo enim vivit spiritus *Psal.*
ejus, superbus est, spiritu suo extollitur contra Deum. *Ps.* 103. 29.
Fiat in illo quod bene alibi scriptum est; Auferes spiri- *Ps.* 102. 14.
tum eorum, & deficient, & in pulverem suum convertentur: *ut confitentes dicant: Memento quia pulvis sumus.* Necesse est ut charitas sistat fluxum cupiditatis, continuam cordis in creaturas effusionem, ut animus intra se ipsum collectus vires pristinas recuperet, ac sibi testimonium perhibente conscientia, sentiat se vere mutatum & ad Deum conversum. *Et sensit quia sanata esset a plaga.*

„ 3. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem
„ quæ exierat de illo, conversus ad turbam aiebat: Quis
„ tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei Discipuli sui;
„ Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me
„ tetigit? *Quasi diceret Dominus*: Tangentem quæro, *S. Aug. ser.*
„ non prementem. Sic etiam nunc est corpus ejus, id *62. alias* 6.
„ est, Ecclesia ejus. Tangit eam fides paucorum, pre- *de Verbis*
„ mit turba multorum. Caro eam premit, fides tangit *Domini.*
„ ... Estote ergo Corpus Christi, non pressura Cor-
„ poris Christi. Habetis vestimenti fimbriam quam tangatis, ut a profluvio sanguinis, id est, carnalium vo-
„ luptatum fluxu sanemini. Vestem putate Apostolos, sub
„ textura unitatis adhærentes lateribus Christi. In his
„ Apostolus erat tamquam fimbria, minimus & novissi-
„ mus Paulus. Tange, si fluxum sanguinis pateris: exiet
„ virtus de illo cujus vestis est, & sanabit te.... Non
„ premant Christiani, si premunt Pagani. Corpus Chri-
„ sti premebatur & non tangebatur. Tolerabat ille pre-
„ mentes, quærebat tangentes. „

5. *Et tenens manum puellæ, ait illi: Thalitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, Surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat .... Et dixit dari illi manducare.* Puellæ istius suscitatio typus est quotidiani miraculi quod Deus in peccatorum animabus operatur. Manum illis porrigit, auxilio & virtute omnipotenti gratiæ suæ illas præveniens. Vitam illis resti-

tuit

tuit verbo suo & imperio. *Amen amen dico vobis* (inquiebat alias) *quia venit hora*; & *nunc est, quando mortui qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*. Ut autem spiritualis hujus resurrectionis veritas omnibus appareat, necesse est primo ut surgant, ut cor in terra prius jacens ad cœlum sanctis desideriis & affectibus erigant. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est*
Coloss. 3. 1. *in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Secundo, necesse est ut per charitatem ad Deum tendant, & ambulent in via mandatorum ejus.
Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*.
Jo. 6. 54. Tertio necesse est ut panem cœlestem manducent, ut sacram Eucharistiam frequentent ad vitam animæ sustentandam & conservandam. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. In hujus rei typum Angelus Eliam sub umbra juniperi dormientem tan-
3. Reg. 19. gens & excitans, *dixit illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad Montem Dei Horeb*. Vitæ cibus mortuis dari non debet, peccatoribus non est porrigendus, nisi per Dei gratiam suscitatis, & qui conversionem suam ac resurrectionem ambulando in via mandatorum Dei comprobaverint.

CAPUT VI.

Sensus Litteralis.

1. *ET egressus inde, abiit in patriam suam; & sequebantur eum Discipuli sui*. Egressus e domo Jairi Synagogæ Principis, quæ erat Capharnaum, abiit Nazareth, ubi fuerat educatus. *Et facto Sabbato, cœpit in Synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina ejus*. Doctrinam ejus admirabantur, quod nullo humano magisterio institutus Prophetarum verba summa perspicuitate exponeret, ipsisque Legis Doctoribus sacra eruditione longe antecelleret. Sapientiam illi divinitus datam non dubitabant, uti & vim patrandi miracula, quibus doctrinam suam confirmabat. *Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?* Vide quæ diximus ad Caput 13. S. Matthæi, & confer cum Lucæ 4.

2. *Et vocavit duodecim* Apostolos, & cœpit eos mittere binos, tum ad plenam testimonii fidem, tum ut collata opera se mutuo juvarent. *Et dabat illis potestatem spirituum immundorum*; id est, expellendi spiritus immundos. *Et præcepit eis ne quid tollerent in via*, &c. Ne quid ad iter secum ferrent, præter ea quæ usus erant quotidiani, ne temporalium sollicitudo illos a susceptæ legationis functionibus & verbi ministerio avocaret. Lege quæ diximus ad Cap. 10. S. Matthæi.

Post hæc verba Versus 11. *Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis*: Græcus Textus habet, in nonnullis Codicibus, *Amen dico vobis*, &c. ut Matthæi 10. 15. eamque sententiam ibi legerunt & interpretati sunt Euthymius & Theophylactus; sed hic intrusa videtur ex Matthæo, cum in Vulgata desit, tametsi habeatur in Syriaca, Persica, Æthiopica, & Arabica Versionibus. *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent*. Hæc summa prædicationis Joannis Baptistæ, Christi, & Apostolorum. *Et dæmonia multa ejiciebant*,
Psal. 44. 3. Christi Jesu virtute & auctoritate, *Et ungebant oleo multos ægros, & sanabant*, non virtute oleo insita, sed mi-
Isai. 61. 1. raculorum dono sibi a Christo dato, cujus se ministros
Lucæ 4. 18. esse hoc symbolo indicabant, ejusque nomine agere, qui
Hebr. 1. 9. *Unctus esset oleo lætitiæ præ consortibus suis*. Quamquam
Conc. Trid. Sess. 14. hoc loco & Apostolico illo ungendi ritu, Unctionis Ex-
Jac. 5. 14. tremæ Sacramentum *insinuatum* & significatum fuerit, quod a Christo Domino institutum, & a Jacobo Apostolo promulgatum est.

3. *Et audivit Rex Herodes*. Fama Jesus ad illum pervenit, & de operum ejus admirabilitate aliquos in Aula sua loquentes audivit. *Et dicebat, Quia Joannes Baptista surrexit a mortuis*; & *propterea virtutes operantur in illo. Alii vero dicebant. Quia Propheta est, aut quasi unus ex Prophetis*. Euthymius in quodam Exemplari se legisse no-
Euthimius in Panopl. tat cum articulo, ὁ Προφήτης, *Ille Propheta*, de quo scilicet Moyses Deuteronomii 28. vaticinatus fuerat, scilicet Christus, aut tamquam unus Prophetarum. *Ipse enim Herodes misit ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam*, &c. Vide quæ diximus ad Caput 14. S. Matthæi. *A primordio justitia vim patitur*, (inquit Tertullianus) *statim ut coli Deus cœpit, invidiam Religio sortita*
Tert. Scorpiaci c. 8 *est*.... *Ipse clausula Legis & Prophetarum, nec Prophetes sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ psalticæ lucra*, id est, in præmium saltatricis.

4. *Et exiens vidit turbam multam Jesus*..... *Et respondens, ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare*. Serio loquitur Jesus. Nec ullus ex Apostolis, qui tot Miracula facientem viderant, & ejus auctoritate tanta recens ediderant, dubitavit, quin miraculum esset editurus ad tot hominum millia satiandum; at cum esset *obcæcatum cor eorum*, Domini verba non intellexerunt, sed humano more accipientes, quasi rem impossibilem juberet, dixerunt ei, quasi per ironiam: *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare*. Id est, non tanta nobis suppetit summa pecuniæ, ut panes tantæ multitudini reficiendæ necessarios comparare possimus. Impendemus tamen, si jubes, quantum apud nos est pecuniæ: sed quid summa tam modica ad annonam tam ingenti hominum numero coemendam? *Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces*. Humano more interrogat, quem nihil latebat, ut miraculi mox patrandi magnitudinem consideratius attenderent. *Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia*, id est, per turmas, & quasi per distinctos convivarum ordines, *super viride fœnum. Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos*. Et discubuerunt in sodalitia singula numero centum aut quinquaginta, tum ut omnia ordinate & sine tumultu fierent: tum ut ex hujusmodi distributione manducantium numerus cito percipi posset ab Apostolis: & ut ipsi etiam manducantes melius adverterent miraculi magnitudinem & veritatem. Lege quæ diximus ad caput 14. S. Matthæi, & confer cum Lucæ 9. & Joannis 6.

Vers. 52. Ducenti Denarii monetæ Gallicæ circiter, 77. Libellæ.

5. *Et cum sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra: & videns eos* (Discipulos) *laborantes in remigando (Erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos*. Ita se gerebat ac si præterire voluisset, quæ signi, non beneplaciti voluntas erat (ut cum Theologis loquar.) Hinc S. Bernardus: *Quasi volens præterire eos, nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, & elicere precem*. Lege quæ diximus ad caput 14. S. Matthæi.

S. Bern. Serm. 74. in Cantic.

SENSUS MORALIS.

1. *NON est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*. Patriæ suæ, familiæ, cognationi, Sacerdotes & Prædicatores verbi Dei, carnalis affectus vinculis nimis adstringi periculosum est; id sacri Ministerii fructum evacuat. Nam si nobiles habent cognatos, invident illi eis, & propterea contemnunt: Sin autem ignobiles, iterum propter ignobilitatem contemptui habentur. Quantum malum invidia, quæ bona semper obscurat, nec illa ab invidis videri finit? Ita interioris hominis oculos excæcat. Quam pestilens malum, judicare secundum carnem, secundum externa! Hoc judicio factum est, ut Nazareni divinitatem Jesu agnoscere non possent: quam tamen ejus miracula & doctrina apertissime declarabant. Humilitate generis illius offenduntur, qui cum ex Deo Patre natus sit ante sæcula, & cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, homo factus est ut homines Deo faceret; pauper & egenus, ut divitiis gratiæ suæ illos cumularet. Nazarenos infideles imitantur, qui conciones, & concionatores audiunt, sed verbum Dei non recipiunt, non amant, non conservant, ad praxim non redigunt; quia concionatorum censores esse malunt quam discipuli; & eorum vitia & defectus observant & scrutantur, ex iisque offensionis & excusationis occasiones sumunt, ne convertantur. Hinc evenit ut justo Dei judicio Dei gratiis priventur, nec interius curentur, propter illorum incredulitatem. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere*. Sic agit Deus cum his qui rebelles sunt lumini. Aufertur illis regnum Dei, & datur genti facienti fructum ejus. Non potuit Christus apud Nazarenos suos facere signa, non quod ille infirmus esset, sed quod illi increduli. *In virtutum enim operatoribus opus est ejus qui facit virtute, & eorum qui suscipiunt fide. Quia autem illic defuit alterum, nempe sanandorum fides, non potuit illic signum facere Jesus. Ita enim intelligere debemus: Non potuit, id est, non capaces erant*. Majora sunt miracula quæ Christus per gratiam suam operatur in conversione & sanctificatione animarum, quam exteriora illa quæ operabatur in curatione corporum. Sed quia *Qui creavit te sine te, non te justificat sine te*, & pauci fidem habent per dilectionem operantem, qua *Credunt ut oportet*, & *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*; ideo pauci admodum convertuntur, ob defectum dispositionis, & quia Spiritui sancto resistunt. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere*. Incredulitas enim & ingrati animi vitium vim faciunt divinæ misericordiæ; Deo velut manus ligant ne divitias bonitatis suæ in homines effundat; redundantiam divinæ benignitatis impediunt.

Theophyl. in Comm.

S. Augusti. Conc. Trid. Sess. 6.

2. *Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum*, &c. Binos mittit Apostolos Christus, ut Ministrorum Ecclesiæ

& Præ-

& Prædicatorum Evangelii concordiam ad Evangelii propagationem, & spiritalem fructum salutis animarum ferendum esse necessariam significet. In fide & Christiana morum Disciplina consentiant: opiniones suas, & visiones cordis sui populis non prædicent, sed in ponendo fidei fundamento, & Moralis Christianæ superstruendo ædificio, ut sapientes architecti consentiant. Ipsis mens
1. Cor. 1. 10. una, lingua sit una. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Binos Apostolos Dominus misit, quia duo sunt præcepta charitatis. Misit illos in vicos, & ca-
Theoph. in Marc. stella, ut Sacerdotes & Concionatores discant *Parvas non despicere, neque semper magnas quærere civitates, sed & in contemptis oppidulis prædicent, seminando sermonem.* Dedit eis potestatem super spiritus immundos. Finis quippe Ministerii Evangelici & functionum Pastoralium & Sacerdotalium, est destruere imperium diaboli. Destruitur autem, exscindendo cupiditatem, & inserendo cha-
S. August. ritatem. *Quanto enim regnum cupiditatis minuitur, tanto regnum charitatis augetur.* Et præcepit eis ne quid tollerent in via, ne datum requirere viderentur, non fructum: utque exemplo suo rerum terrenarum contemptum docerent. Quis enim viso Apostolo qui neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas tollat, neque aliquid eorum quæ ad commeatum necessaria sunt, non bene afficeretur, & se ad contemptum divitiarum pararet? Longum iter per verba, breve per exempla. Ad omnium rerum temporalium detrimentum damnumque subeundum paratus esse debet Pastor & Prædicator Evangelicus, omnia arbitrari ut stercora, ut Christum & animas lucrifaciat, ut ministerium suum impleat, ut veritatem annuntiet. Debet autem prædicare quæ maxime necessaria sunt ad salutem, & ad vitam æternam consequendam, & in primis pœnitentiam, *Quæ mundam pectoris domum Spi-*
Tert. l. de Pœnit. c. 2. *ritui sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa, hæc opera, negotium divinæ misericordiæ curans, quod homini profecit. Deo servit.*

3. *Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem.* Injusta crudelisque libido censores pati non potest, veritatem odit redarguentem, impatienter audit, *Non licet tibi*: Vult enim sibi licere quicquid libet. Desideriis cordis sui traditus impudicus, in peccati occasione cum scandalo perseverat, meretrici, concubinæ, adulteræ ad omne criminis genus obsequitur. Innocentes & sanctos persequitur & vexat, si mulier male amata postulet: honorem illi suum, conscientiam, salutem devovet, sacrificat. Sanctus Pastor & Prædicator publicis peccatoribus metuendus ac reverendus est. Sanctitas etiam a peccati mancipiis honoratur. Sed ut primum Dei Ministri pravis sæcularium hominum, & Principum præsertim ac Potentum moribus contradicunt; statim atque gladio Spiritus, quod est verbum Dei, armati, bellum indicunt illorum cupiditatibus: statim atque Disciplinæ Ecclesiasticæ severitatem, cum opus est, in illos exercere parant, contemnuntur, calumniis appetuntur, vexantur. *Herodias insidiabatur illi, & volebat occidere eum; nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum.*

4. *Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis*
Tert. lib. de jejun. *sui cœnam fecit Principibus & Tribunis*, &c. Convivia, choreæ, spectacula, conceptis opportuna criminibus. *Appendices gulæ lascivia atque luxuria....* Extructum Am-
Idem l. de Spectaculis. phiteatrum Bacco & Veneri Pompeius dedicavit. *Duo namque ista dæmonia conspirata & conjurata inter se sunt ebrietatis & libidinis.* In festivis sæculi conventibus tuta non est innocentia, ubi sensibus a voluptate obsessis, occupata ratione, abstracta voluntate, concupiscentia fervente, Dei memoria, Christiana vigilantia & modestia procul amandantur. Infelices, qui cœtus illos frequentare amant; qui ab illis non abstinent, cum possint, Animam oderunt suam. Qui adesse aliquando compulsi, cor suum non præmuniunt contra sæcularis lætitiæ, & noxiarum voluptatum contagionem, omnium hominum imprudentissimi. Convivia per domos faciebant filii Job, & tres sorores suas vocabant ut comederent & biberent cum
Job. 1. 4. 5. eis. „ Cumque in orbem transissent dies convivii, mitte-
„ bat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque
S. Greg. M. l. 1. Moral. c. 4. „ diluculo offerebat holocausta pro singulis. *Vir quippe* „ *sanctus* noverat quia celebrari convivia sine culpa vix
„ possint: noverat quia magna purgatione sacrificiorum
„ diluendæ sunt epulæ conviviorum: & quicquid in se-
„ metipsis filii convivantes inquinaverant, pater sacrifi-
„ cium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia,
„ quæ a conviviis aut separari vix possunt, aut certe ne-
„ quaquam possunt. Pene enim semper epulas comitatur
„ voluptas. Nam cum corpus in refectionis delectatione
„ resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. *Unde scri-*
Exod. 32. „ *ptum est*: Sedit populus manducare & bibere, & sur-
Apol. c. 39. „ rexerunt ludere. *Imitanda primorum Christianorum in*
„ *conviviis modestia, de qua Tertullianus*: Si honesta cau-
„ sa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate
„ qui sit, de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil im-
„ modestiæ admittit. Non prius discumbitur, quam ora-
„ tio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes
„ cupiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita satu-
„ rantur, ut qui meminerint etiam per noctem adoran-
„ dum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Do-
„ minum audire. Æque oratio convivium dirimit. Inde
„ disceditur non in eruptione lasciviarum, sed ad ean-
„ dem curam modestiæ & pudicitiæ; ut qui non tam cœ-
„ nam cœnaverint, quam disciplinam. „

5. *Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant & docuerant. Et ait illis. Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Apostolorum exemplum imitari debent Concionatores Evangelici, & Missionis suæ rationem reddere Episcopis a quibus missi sunt. Sed & ministerium suum ita implere debent, quasi rationem sermonum suorum, & rerum gestarum Domino Jesu reddituri. Post prædicationem & actionem, ad Deum redire debent per contemplationem, a turbis secedere ut cum Jesu in sacro secessu quiescant, & illius in schola instituantur; cum illo in sacrorum lectione librorum & oratione colloqui, ut postea de illo & ejus Mysteriis ac præceptis ad populum loquantur. „ A-
„ postoli postquam prædicaverunt, congregantur apud Je- *Theophylactus in*
„ sum, ut & nos discamus, si quando in ministerium mit- *hunc lo-*
„ tamur, ne nos totos ab eo qui mittit abripiamus, & *cum.*
„ adversus ipsum insurgamus, sed illum sciamus caput,
„ & ad illum redeamus, annuntiemusque ei omnia quæ
„ vel docuimus vel fecimus. Neque enim satis est si do-
„ ceamus nisi & fecerimus. Quiescere autem facit Chri-
„ stus Discipulos, ut sciant Prælati, laborantes in ver-
„ bo & doctrina dignos quibus detur sua quies. Porro
„ in locum desertum secedit, ut inanis gloria vite-
„ tur. „

6. *Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit & fregit panes, & dedit Discipulis suis ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus. Et manducaverunt omnes & saturati sunt.* In cœlum respiciens, docet petendum a Deo cibum, qui dat escam in tempore; non a diabolo, quod faciunt qui prædis & rebus male partis, injustisque lucris vivunt. *Benedixit & fregit panes.* Quinque panibus alitur Christianus. 1. Christo Jesu & ejus Mysteriis per fidem apprehensis. Joannis 6. 27. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* 2. Dei verbo cum reverentia audito. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* 3. Christi corpore digne manducato. Joan. 5. 58. *Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* 4. Christi gratia. Hebr. 9. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Joan. 4. 10. *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Joan. 7. 37. *Stabat Jesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* 5. Dei voluntate & justitia, illam faciendo & implendo. Matth. 5. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Et Joan. 4. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Duo pisces, sunt exempla Christi & Sanctorum, qui pisces sunt mystici, in baptismi aquis geniti, tribulationum & mortificationum amaritudine nutriti, in silentio viventes, in mari sæculi hujus absconditi. Ezech. 47. 9. *Et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores.* Præcipit Jesus Apostolis, ut accumbere *Beda in*
faciant omnes secundum contubernia super viride fœnum. *hunc lo-*
Diversa convivantium contubernia, distinctos per orbem *cum.*
Ecclesiarum designant conventus, qui unam Catholicam faciunt. Viride fœnum, carnis symbolum. Scriptum quippe est: *Omnis caro fœnum.* Et illi super viride fœnum discumbentes Dominicis pascuntur alimentis, qui per studium continentiæ calcatis carnalium concupiscentiarum illecebris, audiendis implendisque Dei verbis operam impendunt. *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.* Plures panem Christi sive panem Christum manducant, qui tamen non saturantur. In cognitione enim Dei, non in ejus amore proficiunt: Dei verbum audiunt, vel legunt, nec meliores evadunt: Christi Corpus in Eucharistiæ Sacramento frequenter sumunt, sed non *usque ad Spiritus participationem* manducant, ut in Domini corpo- *S. Aug.*
re tamquam membra maneant. *Tract. 27. in Joann.*

CAPUT VII.

Sensus Litteralis.

1. ET *conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.* Non proficiendi studio, nec mera curiositate ducti, sed ut Christum diligen-

ligenter observantes, occasionem aliquam arriperent doctrinam ejus & conversationem seu vivendi modum calumniandi, Jerosolymis in Galilæam venerunt quidam Legis Doctores & Pharisæi, Legis atque Traditionum scientiam præ ceteris sibi arrogantes, *Et cum vidissent quosdam ex Discipulis ejus, communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt*. Communia dicuntur, Hebraico loquendi more, quæ sancta non sunt, quod liceat ea communiter ab omnibus & Judæis & Gentilibus, & mundis & immundis contrectari. Ideo Sanctus Evangelista metuens ne Phrasis Hebraica non satis a Græcis intelligeretur, expositionem subjunxit. Discipulis
Theophyl. itaque Jesu vitio verterunt Pharisæi & Scribæ, quod manibus ab omni rerum profanarum contactu non lotis usque ad cubitum, secundum instituta & traditiones majorum, cibum sumerent.

Pharisæi enim & omnes Judæi, qui illos ut Magistros, & Legis ac Traditionum Judaicarum ferventiores observatores venerantur, *nisi crebro laverint manus*, summo studio, nec semel, sed pluribus vicibus inter prandendum, *non manducant*: *tenentes traditionem Seniorum*. *Et a foro*, venientes, ubi genus omne hominum, Gentiles pariter & Judæi, mundi & immundi versantur, quos attingere & alloqui contingit, & ex quorum contactu immunditia legalis rebus venalibus adhæret, *nisi baptizentur, non comedunt*. Nisi totum corpus mergendo purgaverint, cibum non sumunt. *Et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare*. Aliæ sunt apud ipsos observantiæ, scilicet *baptismata calicum*, poculorum lotiones, *& urceorum, & æramentorum*, vasorum æneorum, *& lectorum*, in quibus ad mensam accumbitur.

Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ: *Quare Discipuli tui non ambulant juxta traditionem Seniorum?* Vitam non instituunt secundum traditiones majorum, sed eas negligere, imo & contemnere frequenti transgressione videntur. *Sed communibus*, id est, impuris & illotis manibus *manducant panem?* cibum sumunt.

2. *Nihil est extra hominem introiens in eum*, & conscientiam ejus animamque non attingens, *quod possit eum coinquinare*: *sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem*, id est, immundum faciunt, invisumque Deo.

3. *Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare*, inquinare; *quia non intrat in cor ejus*; in animum, ex quo omne peccatum est, cum nullum sit sine voluntate peccatum: *sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas*. Puriorem & defœcatiorem ciborum succum ad alimentum relinquens, cum solæ feces alvo ejiciantur. *Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem*. Nihil hominis animum inquinare potest, nisi quod ex ipso ortum habet. *Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ*, seu malitiæ ac fraudes, *dolus, impudicitiæ, oculus malus*, seu invidia, *blasphemia, superbia, stultitia*, seu inconsideratio cum pravo affectu conjuncta, ex quo rerum ad salutem animæ pertinentium incuria oritur. Stultitiam convitium in homines Theophylactus interpretatur. *Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem*. Omnes illæ affectiones pravæ, quæ factis se produnt, ab anima oriuntur, & hominem vere inquinant; Deoque invisum reddunt. Vide quæ diximus ad cap. 15. S. Matthæi.

4. *Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sydonis*; *& ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere*. Abiit in extremos Palestinæ fines, quibus a Tyro & Sidone dirimitur. Et ingressus domum ut paululum quieisceret, Discipulis suis prohibuit ne adventum ejus & præsentiam Syrophœnicibus manifestarent: ne de industria Gentiles ad se allicere videretur posthabitis Judæis,
Matth. 10. 5 atque ita sibi ipsi contradicere, qui Discipulis jusserat ne *in viam Gentium* abirent. Attamen latere non potuit, quia præsentiæ ejus fama vulgata est, ejus prohibitione non obstante. Quod igitur neminem scire voluit, signi voluntas fuit, non beneplaciti. Latere enim potuisset, si absolute voluisset.

Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit in domum, *& procidit ad pedes ejus*. Cui cum Jesus ne verbum quidem respondisset, silensque statim e domo egressus esset, mulier illum secuta est, & frustra pro ipsa intercedentibus Discipulis, & Christo respondente: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*: Illa nihilominus Christum humili & perseveranti prece sollicitavit, iterum ad pedes ejus provoluta, & clamans: *Domine adjuva me*. Confer cum Matthæi cap. 15.

5. *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos*. Quo modo Christus venit per Sidonem, qui vetuerat Apostolis ne civitates Gentium ingrederentur? Deinde e finibus Tyri ad Mare Galilææ non est iter faciendum per Sidonem, sed contra potius e Sidone per fines Tyri iter fieret ad Mare Galilææ. Nulla est difficultas secundum Textum Græcum S. Marci, in quo nihil respondet his Latinorum Codicum verbis, *Venit per Sidonem*; sed simpliciter vertitur: *Et iterum exiens de finibus Tyri & Sidonis, venit ad Mare Galilææ*, consentiuntque Syriaca & Persica Versiones. Quod autem dicitur Jesus venisse ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, non significat Mare Galilææ esse inter medios fines Decapolis; sed Christum per medium finium Decapolis transisse, ut ad Mare Galilææ se conferret, quemadmodum ex Græco Textu perspicuum est. Decapolis regio partim cis, partim ultra Jordanem, a Libano Monte ad Mare Galilææ, a decem suis præcipuis civitatibus ita nominata. Illæ autem erant, Cæsarea Philippi, Asor, Cedes-Nephtali, Sephet, Corozain, Capharnaum, Bethsaida, Jotapata, Tiberias, & Bethsan, quæ Græcis Scythopolis est appellata.

6. *Et adducunt ei surdum & mutum*. Diversa est hæc historia ab ea quam S. Matthæus cap. 9. & S. Lucas cap. 2. commemorant. Nam ille mutus a dæmonio vexabatur, qui ipsum mutum fecerat; iste vero energumenus non erat, sed naturæ infirmitate in surditatem & linguæ impedimentum inciderat. Plane enim fuisse mutum eruditi interpretes non censent, ac proinde non a natura surdum, sed ex accidente. Sane Græcus Textus habet, *μογιλαλον ægre loquentem*. Et latina versio curationis ejus miraculum commemorans, ait: *Et solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte*. Quo significari videtur, prius quidem loqui potuisse, sed non recte, nec expedite. Accedit, quod si natura surdus fuisset ac mutus, nec sublato quidem linguæ vinculo adhuc loqui potuisset, nisi prius didicisset: aut hanc miraculi circumstantiam distinctius & clarius explicuisset Evangelista.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens, tetigit linguam ejus; & suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: *Ephpheta, quod est, Adaperire*. Apprehendit eum seorsum a turba, ne popularem laudem captare videretur), nosque inanem gloriam fugere doceret. Immisit digitos suos in auriculas ejus, ut clausos meatus quasi perterebraret. Et in digitum suum expuens, linguam ejus palato adhærescentem saliva sua velut irrigavit, ut volubilitatem ac motum recuperaret. Qui solo verbo ac imperio hoc miraculum operari poterat, contactum carnis salivæque suæ adhibuit, ut carnem suam vivificum esse divinitatis in ea inhabitantis & personaliter unitæ instrumentum testaretur. Suspexit in cœlum, ut a Patre suo omnia se habere, ad eum omnia referre doceret. Ingemuit, humanæ miseriæ condolens, quod merito peccati in has ærumnas homo incidisset. Et ait illi, Ephpheta, id est, Adaperire. Illud quasi Sacramentum fuit omnipotentiæ divinæ. Signis enim sensibilibus imperiale verbum adjunxit Jesus, ut Sa-
S. August cramenta nostra adumbraret. *Accedente enim verbo ad elementum, fit Sacramentum*. Ex hoc autem Christi facto originem habet antiquissima baptismi ceremonia, ut baptizandorum aures & nares digitis saliva Sacerdotis perfusis contingantur, eademque illa verba usurpentur, quæ Christus protulit: *Ephpheta, quod est, Adaperire*.

7. *Et præcepit eis ne cui dicerent*: ne miraculum vulgarent. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant*. Quanto magis eis præcipiebat ut rem celarent, tanto magis prædicabant ejus beneficentiam & potentiam, divinæ magnanimitatis & humilitatis incomparabilis esse cognoscentes, quod laudem & gratiam pro collato beneficio nullam exigeret: ceterum sui esse officii gratiam eo ampliorem etiam invito, (ut humano more loquamur) rependere. *Et eo amplius admirabantur, dicentes*: *Bene omnia fecit*: *& surdos fecit audire, & mutos loqui*. Græcus Textus habet, *ποιει, facit*, quo significatur ejus potentia ad similia miracula facienda quoties voluerit. Be-
Eccl. 39. 21 ne omnia fecit, quod Dei, non meri hominis proprium est. Nam *Opera Domini universa bona valde*.

SENSUS MORALIS.

1. *ET cum vidissent quosdam ex Discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus non manducant. Et a foro, nisi baptizentur, non comedunt*. Non in exterioribus solum observantiis, sed in pietate & Dei cultu per fidem, spem, & charitatem, Religio præcipue consistit: non in lotione corporis, sed in ablutione cordis per aquam illam mundam, quam se Deus super nos effusurum promittit, id est, per Spiritum sanctum. *Et effundam super vos aquam mundam,* *Ezech.* 36. *& mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et da-* 25. *bo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri*. Cœlesti hac aqua abluendum est cor nostrum, quando cibos sumimus, ab oblivione beneficiorum Dei, qui dat escam omni carni, qui nos pascit a juventute nostra; abluendum est ab intemperantia, a desiderio lautiorum epularum, exquisitiorum ciborum, a verbis scurrilibus & otiosis, ab inani lætitia, a vitiis quæ in hac hominis animalis actione frequenter insurrepunt, nisi no- *S. Aug. lib.* bismetipsis attendentes, in Dei nomine & Spiritu come- *4. contra* damus & bibamus, amorem seu libidinem edendi & bi- *Julianum* bendi coercentes, quæ nos ad cibum & potum sumen- *c. 14.*

dum;

sum, non *necessitate refectionis, sed appetitu carnalis voluptatis* impellit. Hæc libido *contraria est dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica*. Iste amor edendi, non edendo, sed continendo est comprimendus. Sed & a foro revertentes, id est, a negotiis terrenis, a sæcularibus conversationibus; conscientiam examinare coram Deo, & mundare debemus, ne quid terrenarum sordium, quod frequentissimum est, nobis adhæserit. „ Superstitiosa est „ hominum traditio, semel lotos ad manducandum panem „ crebrius lavare & a foro, nisi baptizentur, non come- „ dere. Sed necessaria est doctrina veritatis, quæ jubet „ eos, qui cum pane vitæ descendente de cœlo partici- „ pare desiderant, crebro eleemosynarum, lachrymarum, „ aliorumque justitiæ fructuum lavamento sua opera pur- „ gare, ut casto corde & corpore cælestibus valeant com- „ municare Mysteriis. Necessarium est inquinamenta quæ „ ex temporalium negotiorum curis quisque contraxerit, „ subsequenti bonarum cogitationum & actuum permundet „ instantia, si internæ refectionis cupit epulis perfrui. „ Non calices, urceos, æramenta, & lecta superstitiose „ abluenda sunt, sed animæ sordes abstergendæ fonte la- „ chrymarum. " *Fons numquam deficit, aqua intus est, ablutio in arbitrio est; sanctificatio in solertia est, remissio in rore lachrymarum. Fons est in homine consecratus perpetua pœnitudo. Noli jam quærere neque Joannem, neque Jordanem: ipse tibi esto baptista.* Manus, id est, operum sordes, abluendæ sunt eleemosynis, non semel, sed frequenter. Hæ sunt velut quotidianum baptisma. Nam baptisma semel mundat, & semel a peccato liberat: *Eleemosynam autem quotiescumque feceris, toties veniam promereris;* (inquit antiquus Pater.) Hæc abluvio frequentanda est cum ad mensam sedemus. *Mittite partes his qui non præparaverunt sibi.*

Beda in hunc locum.

S. Laur. Novariensis Hom. 1.

2. Esdræ 8. 10.

2. *Mulier statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.* Ad pedes Jesu curramus & procidamus, ut animam nostram a peccato, & a dæmonio, qui per peccatum eam sibi subjicit, misericordia sua & gratia medicinali liberet. Orationem nostram formet fides, comitetur humilitas, perseverantia sustentet. Indignos nos judicemus Pane filiorum, cum in mortale peccatum incidimus, præcipue vero cum in eadem peccata frequenter sumus relapsi, velut canes ad vomitum redeuntes. Misericorditer actum nobiscum existimemus, si de micis puerorum sub mensa cadentium comedamus, piis lectionibus, auditione verbi Dei pascamus animam, humiliemus nosmetipsos, orationibus, lachrymis, jejuniis, eleemosynis Dei misericordiam exorantes, divinæ justitiæ satisfacientes, cupiditates nostras & pravos habitus, radices peccatorum nostrorum excindere satagentes; dantes operam ut vere filii Dei simus conformes imagini unigeniti Filii ejus, Spiritum ejus habentes in nobis clamantem, Abba, Pater, mandata ejus implentes, non timore pœnæ, ut servi, sed amore justitiæ, ut filii, antequam sumamus panem filiorum. „ Ascendat homo adversum se tribunal mentis „ suæ .... Constituto in corde judicio, adsit accusatrix „ cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde qui- „ dam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. „ Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut „ se indignum homo judicet participatione Corporis & „ Sanguinis Domini: ut qui separari a regno Cœlorum „ timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ec- „ clesiasticam Disciplinam a Sacramento cœlestis panis „ interim seperetur .... Judicet ergo se ipsum homo in „ istis voluntate, dum potest, & mores convertat in me- „ lius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit „ severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ, sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia „ claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens „ esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, „ a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ „ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati „ devotus & supplex, id tamen agat quod non solum „ ipsi profit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris „ ad exemplum. Mulier statim ut audivit de eo, in- „ travit, & procidit ad pedes ejus. " Christiani qui Evangelium audiunt, qui Christi verbis & miraculis credere profitentur; qui interiori gratiæ ejus voce admonentur ut resipiscant a diaboli laqueis, in quibus tenentur captivi ad ejus voluntatem, corda sua obdurant, pœnitentiam differunt, dicunt, Modo & modo, & illud modo non habet modum. Mulier illa Gentilis rogabat Jesum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. Mulieres pleræque Christianæ dæmonem in animas filiarum suarum introducunt: dæmoni vanitatis & impudicitiæ, principi hujus mundi per sæculi amorem atque mores, per luxum, choræas, spectacula, aditum pandunt in cor filiarum suarum. „ Theatrum omnium dæmonum templum „ est, privatum consistorium impudicitiæ ... Quod si no- „ bis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audi- „ re quæ loqui non licet; cum etiam scurrilitatem, & „ omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus? Cur „ æque liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & „ aures admissa non videantur hominem communicare: „ cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur? Habes „ igitur & theatri interdictionem de interdictione impu- „ dicitiæ .... Pudicitiam ediscet attonitus in mimos? „ Immo in omni spectaculo nullum magis scandalum oc- „ curret, quam ille ipse mulierum, & virorum accura- „ tior cultus, ipsa consensio; ipsa in favoribus aut con- „ spiratio aut dissensio inter se de commercio scintillas „ libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo „ ineundo prius cogitat nisi videri & videre. " *Sic mors per fenestras, sic inimicus per portas intrat.*

S. Aug. serm. 351. alias 50. inter 50. Hom.

Tertull. lib. Spectaculis.

3. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est, Adaperire.* Surdus iste & mutus hominis peccatoris typus est, qui Dei ad cor loquentis vocem non audit, quia interioris hominis aures obturatas habet in modum aspidis adversus sapientis incantatoris vocem; & linguam habet invisibili vinculo ligatam, ne proprias infirmitates cœlesti Medico aperiat, & divinam misericordiam ac bonitatem imploret. Hic igitur ad Jesum adducendus est, & ad Ecclesiæ Præpositos, qui Christi Jesu vice in terris funguntur. Hi in primis illum apprehensum a turba adducere debent, id est, a parvorum hominum consortio, societate, a sæculari conversatione, a proximis peccandi occasionibus, a turbulentis cogitationibus, & sermonibus, operibusque inordinatis, atque a lata via, per quam multi ambulant, avocare. Digitos deinde suos in aures ejus inserere debent Christi ministri, illum a fiducia rerum terrenarum & fluxarum abducere, ad fidem vivam in Christum & studium doctrinæ cœlestis, quæ est ex auditu, adhortari: saliva sapientiæ Evangelicæ ita afficere palatum ejus ac linguam, ut ei sapiant quæ Dei sunt, & de rebus melius quam antea judicet. Suspiciat præterea in cœlum Pastor & Rector animarum, ad quem surdus ille & mutus adducitur, agnoscat nihil se posse in ejus curatione, nisi Deus dederit, oret, ingemiscat, ut Christus jubeat ipsi adaperiri aures mentis, & solvi linguæ vincula, ut peccata sua confiteatur, & quæ Dei sunt palam prædicet.

Misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus. Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in alio loco ejecisset dæmonium, dixit: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei.* Qua de re per alium Evangelistam dixisse narratur: *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei.* Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus Dei Spiritus vocatur. *Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ab obediendum aperire.* Quid est vero quod expuens linguam ejus tetigit? *Saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo Sapientia, quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.* Suspiciens in cœlum ingemuit: *Non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat; sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit: ut & aures nostræ per dona Spiritus sancti aperiri, & lingua per salivam oris, id est, per scientiam divinæ locutionis, solvi debeat ad verba prædicationis.* Cui mox Ephpheta, id est, *Adaperire*, dicitur: *Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus.* Propter clausas aures dictum est, Adaperire. *Sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, etiam linguæ ejus vinculum solvitur: ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur.* Unde subditur: *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

S. Gregor. M. Hom. 10. in Ezech.

Luc. 11.

Matth. 12.

4. *Et præcepit eis ne cui dicerent: quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Docet Christus exemplo suo fugere plausus populares: docet turba miraculi testis, Dei beneficia prædicare, & justorum laudes, illis etiam invitis, celebrare, de salute proximorum gaudere, & Deum in omnibus laudare, qui bene omnia fecit.

Theophylact. in hunc locum.

CAPUT VIII.

Sensus Litteralis.

1. IN *diebus illis*, sub id tempus, *iterum cum turba multa esset*, triduo solido cum Jesu versata in deserto, illique tam ardenti studio adhærens, ut cibi & potus oblivisceretur: convocatis Discipulis, ait illis: *Misecor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me*: mecum perseverant ut audiant verbum Dei. *Et si dimisero eos jejunos, deficient in via*: vires eos deficient, deliquium patientur: *quidam enim ex eis de longe venerunt*. Quod narraturus hic est miraculum multiplicationis panum secunda vice a Christo factum Evangelista significat hoc adverbio, *iterum*.

Et responderunt ei Discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Ubi poterunt hic inveniri panes, unde comparari, cum desertus sit & inhabitatus locus? Stupenda Discipulorum tardtias & diffidentia, qui cum prioris miraculi spectatores fuissent ac ministri, illius quasi jam obliti, vel nondum intelligentes Dominum, quandocunque vellet, semper posse quod semel potuit,

quærunt *Unde quis poterit saturare* turbas panibus *in solitudine*? Nondum scilicet advenerat tempus quo induerentur virtute ex alto. *Nondum Spiritus erat datus, quia nondum Jesus erat glorificatus.*

Et interrogavit eos, Quot panes habetis? Non quasi ignorans, sed ut eorum animos ad suæ virtutis ac potentiæ considerationem excitaret. *Qui dixerunt: Septem.* Vide quæ diximus ad cap. 15. S. Matthæi.

2. *Et exierunt Pharisæi*, & *cœperunt conquirere cum eo*, altercari, quærentes ab illo signum de cœlo, ad exemplum Moysis, Josue, Eliæ, Isaiæ, ut periculum facerent num Doctor esset a Deo missus, & in cælo haberet potestatem: *tentantes eum*. *Et ingemiscens spiritu*, intra se, ex intimis præcordiis, *ait: Quid generatio ista signum quærit?* quasi non sufficiant tot ac tanta quæ jam edidi miracula ad missionem meam ac veritatem doctrinæ comprobandam. *Amen dico vobis, Si dabitur generationi isti signum.* Non dabitur ipsi signum e cœlo. Sic Psalmo 88. dicitur: *Semel juravi in Sancto meo. Si David mentiar*: Id est, Davidi non mentiar. Aliud primi adventus tempus deposcit, aliud secundi. Primo adventui convenient signa terrena, posteriori cœlestia servantur. Nunc tamquam Medicus occulte venit: tunc tamquam judex venturus cum gloria & claritate, pœnasque ab improbis exacturus est. Quapropter in priori adventu miracula non edidit nisi ad hominum utilitatem: qui propter nos homines & propter nostram salutem de cœlis descendit: in secundo autem adventu signa edet de cœlo ad improborum terrorem, ad ultionem inimicorum suorum, & creaturam suam armabit contra insensatos.

Victor Antiochenus in hunc locum.

3. *Et præcipiebat eis dicens: Videte & cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.* A doctrina Pharisæorum, & Herodianorum, quæ dicitur Hærodis, quia Herodi honorem deferebant, qui Messiæ debebatur: vel aulicorum Herodis, qui Sadducæi erant, ut eorum Princeps. *Et cogitabant ad alterutrum dicentes: Quia panes non habemus*, &c. Vide quæ diximus ad cap. 16. S. Matthæi.

4. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.* Qui cæcum adduxerunt, credebant Jesum illi restituere posse visum; sed eorum fides infirma fuisse videtur, qui non alio modo Jesum sanare posse infirmos putabant, nisi contactu. Quamquam forte simplici animo rogabant ut illum tangeret, quod scirent consuevisse Christum iis quos curabat manum imponere. *Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.* Eduxit eum extra vicum, extra Bethsaidam, quæ vicus vocatur ex usu veteri, tametsi nuper jus civitatis accepisset, Josepho teste: Unde & a Sancto Joanne *civitas* vocatur. Eduxit eum extra civitatem, ut coram paucis miraculum faciens, popularem plausum & jactantiam fugere nos doceret. Interrogavit eum si quid videret. Statim cæcum perfecte illuminare poterat, sed potentiam suam ac fidem ipsius adhuc imperfectam moderari voluit. Juxta fidei enim magnitudinem & sanitas datur. Itaque fidem ejus, quam dederat, sensim perfecit Jesus, sensim illum intus illuminavit, sicut visum corporis illi sensim restituit. *Et aspiciens ait* cæcus ille jam videre incipiens: *Video homines velut arbores ambulantes.* Video homines ambulantes, sed arborum instar mihi apparent: idest, Formam quidem corporum inter umbras aspicio, sed nulla membrorum lineamenta, visu adhuc caligante, discernere valeo, quales condensæ arbores a longe spectantibus, vel certe in luce nocturna solent apparere, ita ut non facile arbor an homo sit, possit cognosci. *Deinde iterum imposuit Jesus manus super oculos ejus, & cœpit videre*, oculis juxta fidei incrementum illuminatis: *& restitutus est itaut clare* eminus dilucide *videret omnia*: nihilque deesset visus illius perfectioni. *Et misit illum in domum suam*, quæ ab oppido diffita erat, *dicens: Vade in domum tuam; & si in vicum* (Bethsaidam) *introieris*, illac transeundo, *nemini dixeris*. Miraculum in tui gratiam factum nemini oppidanorum dixeris, Bethsaitæ scilicet indigni erant, qui Christi miracula deinceps viderent, vel audirent, qui ejus verba & miracula hucusque contempserant. Ideoque væ illis dixit ob incredulitatem. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

Beda in hunc locum.

Theophylactus in hunc locum.

Joan. 4. 44.

Matth. 2. 21.

5. *Et egressus est Jesus, & Discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat Discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?* Vide quæ diximus ad cap. 16. S. Matthæi.

6. *Et cœpit docere eos, Quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari*, nihili pendi, abjici tamquam Judæi nomine indignum, *a Senioribus & a Summis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere*, idest, tertio post die, ut illud Vaticinium impleatur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Psal. 118. 22.

7. *Et apprehendens eum Petrus*, seorsum abducens, *cœpit increpare eum*, amantis affectu. *Qui conversus, & videns Discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Crucis Sacramentum & resurrectionis meæ mysterium non capis: Ideo me arguere audes quasi temere morti me offeram, cum possim passionem & mortem vitare si velim. Recede a me, qui instar Satanæ mihi adversaris, & consilio meo de passione & morte propter salutem hominum subeunda obluctaris. Petri confessionem, & promissionem supremæ in Ecclesia potestatis ligandi atque solvendi animas illi factam a Christo S. Marcus prætermittit, quam S. Matthæus commemoravit: „ Quia cum unus *Magistrum & Discipulum* „ Spiritus impleat, alter ab altero, ille in docendi, „ iste in scribendi studio non discordat. Sicut enim Pe- „ trus a propria sua laude cohibuit: ita veridicus illius „ interpres ab ea, quam in Magistro non didicit, suæ „ descriptionis articulum refrœnavit. Ad magnum quip- „ pe est nostræ ædificationis exemplum, ut & ille de „ se non offerenda, sed reprehendenda proferret; & iste „ sic per veritatis lineam rectus incederet, ut ne ad Ma- „ gistri quidem favorem aliquatenus declinaret . . . . Hi „ plane libenter alios laudibus efferunt, qui laudem ab „ adulatoribus quærunt. Ceterum qui recusat accipere, „ dedignatur offerre. Enim vero ex Matthæi libro, qui „ jam utique fuerat editus, Beati Petri laudes Marcus „ addiscere potuit, quas in ejus relationibus non audivit: „ sed morigeratus est Magistro; & qui non delectabatur „ suis, laudibus abstinuit alienis. „

S. Petr. Damiani ser. 14.

8. *Et convocata turba cum Discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Quasi dicat: Tu me reprehendis, Petre, quod Passioni Crucis & morti me exponam: Ego autem tibi significo, quod nisi quis semetipsum abneget, crucemque tollat suam, indignus est qui meus sit discipulus. Vide quæ diximus ad 16. cap. S. Matthæi.

Qui enim me confusus fuerit & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis Sanctis. Qui me erubuerit, & confiteri nomen meum noluerit coram hominibus istis spuriis & peccatoribus, neque hunc ego pro meo agnoscam in ultimo meo adventu, cum veniam in statu glorioso mundum judicaturus.

9. *Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute.* Ut autem cognoscatis vana non esse quæ de gloria mea vobis pronuncio, sunt aliqui ex hic stantibus (scilicet Petrus, Jacobus & Joannes) qui non morientur, donec eis ostendero in Transfiguratione mea, quanta cum gloria venturus sim olim. Nihil enim aliud erat Transfiguratio, quam secundi Adventus significatio. Sic enim tunc & ipse fulgebit, & sancti ejus.

Theophyl. in hunc locum.

SENSUS MORALIS.

1. *Misereor super turba: quia ecce jam triduo sustinent me: nec habent quod manducent.* Electorum turba ante Legem, tempore Legis, & tempore Gratiæ Evangelicæ, quasi tridui spatio, Christo semper adhæsit per fidem, spem, & charitatem. Veteres justi ferventissimis desideriis ad Christum panem cœlestem, panem vivum, panem Angelorum, qui se panem nostrum quotidianum fecit, suspirarunt. Judæi carnales non habebant quod manducarent, cum figuras dumtaxat & umbras Panis vivi, qui de cœlo descendit, haberent, & victimas animalium, quæ animam alere non poterant. *Umbram enim lex habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.* Gentiles vero in cultu suo & falsa Religione nihil habebant quod gustatum mortem non afferret. *Esurientes & sitientes, anima eorum in malis tabescebat . . . Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.*

Hebr. 10. 9

Psalm. 106. 5. 18.

Et si dimisero eos jejunos, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt. Quamdiu in vitæ hujus itinere ambulamus, ex hujusmodi deserto ad cœlestem patriam dimittendi, fides debilitatur, spes langescit, charitas refrigescit, in iis præsertim hominibus qui de longe venerunt, qui e regione umbræ mortis, ex infidelitatis aut mortalis peccati statu & diuturna consuetudine accesserunt ad Jesum verba ejus audituri, & mandatis ejus obtemperaturi, nisi quotidiano gratiæ suæ auxilio vires ipsis addat. Misericordia erga eos afficitur qui verbum ejus audiunt, & esuriunt justitiam. *Esurientes implevit bonis . . . . Misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se*, qua vivere possint corda eorum in sæculum sæculi. *Christus nullum vult dimittere jejunum, omnes enim vult deliciis suorum donorum alere, & maxime eos qui triduo apud se manent, hoc est baptizatos.* Quin enim baptismus tribus mersionibus, & trium Sanctissimæ Trinitatis personarum invocatione perficitur, cum Jesu quasi triduo manent qui per baptismum illuminantur. Accepit septem panes, spirituales scili-

Luc. 1. 53. Psal. 110. 5. Theophyl. in hunc locum.

scilicet sermones. Numerus enim septenarius Spiritus Sancti symbolum est, qui perficit omnia. Comedunt autem per baptismum illuminati, & saturantur, & reliquiæ supersunt. Neque enim omnes verborum divinorum & sacrorum librorum sensus edere valent. Comedunt quantum ipsis sufficit, quantum capere valent; & plures sportæ reliquiarum supersunt, sensus scilicet magis spirituales & profundiores. Comedunt viri, mulieres, parvuli, Pastoribus cœlestem panem frangentibus, & apponentibus, Christo benedicente, modo humilitatem & docilitatem
S. Aug. lib. 5. de Genesi ad Litteram c. 3. afferant. Nam *Scriptura sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.*

2. *Quidam enim ex eis de longe venerunt.* Peccatoribus qui diu a Deo procul fuerunt, in cœno vitiorum, in occasionibus peccati, in pravis consuetudinibus multo tempore permanentes, Eucharistia porrigenda non est, nisi ante probatis, Dei verbo pastis, & ad Christi corpus manducandum ante præparatis, in ejus comitatu perseverantibus, rerum temporalium præ ardore Jesum sequendi & audiendi oblitis, & esurientibus, idest, ferventi charitatis desiderio ad cœlestem aspirantibus. *Quemadmodum*
Psal. 41. 1. *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ad te, *panem desiderabilem.* Ad te qui nos solus reficere & satiare potes: *Qui optat, honorat*
Tertull. l. 2. de Pœnitentia. (inquit Tertullianus.) *Desiderium honor rei desideratæ.*
1. part. q. 12. Art. 6. *Desiderium* (inquit S. Thomas) *quodammodo facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati.*
3. p. qu. 80. Art. 10. ad 3. Amor castus Dei, necessaria dispositio est ad sacram corporis Christi communionem. *Ex amore* autem *provocatur desiderium sumendi.* Hinc Eucharistia Ecclesiastico loquendi more olim *Desiderata* vocabatur.

3. *Et responderunt ei Discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Res terrenæ, temporales & caducæ cor hominis sustentare, sanare, satiare non possunt. Illud sustentat Spiritus Sanctus virtute sua, septemque donis, quasi septem panibus, sanat
S. August. illud. Christus gratia sua: satiabit Deus gloria sua. Animam Dei capacem quicquid Deo minus est, non implebit. Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. *Satiabor cum apparuerit*
Psal. 16. 1. *gloria tua.* Solus Christi cibus animam satiare potest. *Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* Hinc etiam di-
Theophyl. in hunc locum. scimus, nos iis quibus indigemus contentos esse debere, nec de crastino sollicitos. Turbæ enim non abstulerunt secum reliquias panum, sed Discipuli has collegerunt, pauperibus utique erogandas: siquidem vers. 14. dicitur: *Et obliti*
Beda in hunc locum. *sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi.* Unus panis quem secum habebant in navi, mystice ipsum *Panem vitæ*, Dominum Salvatorem designat: *Cujus amore quia semper intus reficiebantur in corde, minus de terreno pane quo corpus pasci solet, curabant.*

4. *Videte & cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.* Fermentum Pharisæorum, est hypocrisis Hoc fermento infecti sunt, qui speciem habent pietatis, virtutem autem ejus abnegant. Fermentum Pharisæorum est, decreta Legis divinæ traditionibus hominum postponere, Legem verbis prædicare, factis impugnare. Fermentum Pharisæorum, est doctrina falsa Hæreticorum, illorum præsertim qui ab Ecclesia Catholica palam & exterius secessionem non faciunt, ut Quietistæ, quorum fermentum eo periculosius, quo videtur spiritualius: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (inquit Apostolus.) Fermentum Herodis, est Aulicorum ambitio, sunt malæ Politicorum artes, qui fruuntur Mundo, ut utantur Deo, qui Religionem privatis commodis aut Reipublicæ temporalis utilitatibus subjiciunt, & servire faciunt: qui cum effrenem circa Religionis delectum libertatem ament, nihilominus Religionem Principis exterius profitentur. Sic Jeroboam Princeps politicus Religionem ad suas utilitates accommodavit, & vitulos aureos decem Tribubus Israelitarum adorandos proposuit in Montibus Dan & Bethel, Altari, Sacerdotibus, & solemnitate constitutis, ne si Hierosolyma Religionis & sacrificiorum ergo ascenderent, ad Roboamis Regis Ju-
3. Reg. 12. da obedientiam reverterentur. „ Dixitque Jeroboam in „ corde suo: Nunc revertetur Regnum ad domum Da„ vid, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in „ domo Domini in Jerusalem: & convertetur cor populi „ hujus ad Dominum suum Roboam Regem Juda, in„ terficientque me, & revertentur ad eum. Et excogi„ tato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: „ Nolite ultra ascendere in Jerusalem. Ecce Dii tui, „ Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti. „ Sic Achaz Rex Juda Rempublicam pessum ire videns, Deo ob ejus scelera irato, & ab Assyriis primum, deinde ab Israelitis vastatam Judæam, immolavit Diis Da-
2. Paralip. 28. 23. masci victimas percussoribus suis, & dixit: *Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi.* Sic Judæi, qui in Ægyptum fugerant, a Jeremia de Idololatria reprehensi, obstinate responderunt sanctissimo Prophetæ, se in cultu Reginæ cœli perseveraturos, quem rebus suis commodum & opportunum ex-

periebantur. *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus* *Jer. 44. 16.*
omne verbum quod egredietur de ore, ut sacrificemus Re- *& seq.*
ginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in urbibus Juda & in plateis Jerusalem: & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Sic in Religionis externa professione moribus hominum, inter quos vivit, accommodare se debere, & Principum legibus obsequi Mundi sapientem & politicum sentiebat Seneca falso sapiens & infeliciter politicus, teste S. Augustino lib. 6. De Civitate Dei, cap. 10. „ In his, *in-*
„ *quit*, Sacris Civilis Theologiæ has partes potius ele„ git Seneca Sapienti, ut eas in animi Religione non „ habeat, sed in actibus fingat. Ait enim: Quæ omnia „ Sapiens servabit tamquam legibus jussa, non tamquam „ Diis grata ... Omnem istam ignobilem Deorum tur„ bam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic „ adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad *Beda in*
„ morem quam ad rem pertinere. „ Sic iste quem Phi- *hunc lo-*
losophia quasi liberum fecerat, tamen quia illustris Po- *cum.*
puli Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.

5. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret: Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.* In hoc cæco paulatim a Domino curato designatur illuminatio cordium stultorum, longeque a via veritatis aberrantium. Rogandus est Christus ut ea gratiæ suæ potentissima & efficacissima virtute tangat. Apprehendit manum cæci, ut eum ad executionem bonæ operationis confortet. Educit extra vicum, ut a vita vulgari segregatus, voluntatem sui Conditoris, qua illuminari mereatur, liberius sedulo corde scrutetur. Quisquis enim lumen æternitatis videre desiderat, non exempla turbarum, sed ducatum Redemptoris sui sequatur, necesse est. Cæcum hunc paulatim Christus curat, quem subito poterat curare, ut humanæ cæcitatis gravitatem ostendat, quæ sensim & per quosdam profectuum gradus ad agnitionem Dei pervenire solet: seu ut suæ nobis gratiæ crebra daret indicia, per quam singula nostræ perfectionis incrementa, ut proficere aliquid possint, nec deficiant, adjuvat. Sputum oris Domini, gratiam Spiritus ejus designat. Tactus manuum ejus, virtutem adjutorii ipsius. Expuens ergo in oculos cæci Dominus, imponit manus suas ut videat, quia *Cæcitatem generis humani & per invisibilia divinæ pietatis dona, & per exhibita foris Sacramenta assumptæ humanitatis absterst.* Primum autem is qui curabatur, videbat homines quasi arbores ambulantes. Primus nempe cuique virtutis introitus est, hominum vitam, moresque ceterorum inspicere, ut quicquid uspiam boni viderit, imitetur, quicquid mali, caveat ac detestetur. Sed quisquis ita desipit, ac longi temporis obscuritate depressus est, ut inter bonum & malum, fidem & perfidiam, sincera pietatis opera, & simulationem justitiæ adhuc discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit; quia facta multitudinis absque luce discretionis videt. Perfecte demum illuminatur, cum gratia Christi vim illi confert discernendi quæ maxime hominum vita sequenda, quorum sit audienda doctrina. *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clare videret omnia.* Clare videt omnia qui cæcus fuit, cum is qui illuminari intus meruit, manifeste didicit quomodo credendum; qualiter vivendum; quæ pro fide veritatis atque operatione justitiæ præmia in futuro speranda sint. *Et misit illum in domum suam.* Hinc admonentur omnes qui agnitione veritatis illustrantur, ut ad cor suum redeant, & quantum sibi donatum sit considerent, collatisque sibi a Deo beneficiis digna bonorum operum exe-
cutione respondeant.

Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum & exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interro- *S. Petrus*
gavit eum, &c. Apprehensa manu ejus, eum de domo *Chrysolog.*
infidelitatis educit, *ut ante fidem quam oculos daret ... serm. 176.*
Divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris Et imposuit manus. *In faciendo, in reparando, in componendo hominem, Dominicæ manus curatrices hominibus semper adsunt. Manus tuæ* *Psalm. 118.*
fecerunt me, & plasmaverunt me. Et interrogavit eum si aliquid videret. Interrogat ut homo, operatur ut Deus. Interrogat ut præsentes scirent, futuri cognoscerent, cæcitatis hujus non esse simplicem, sed mysticam curam. Respondit qui curabatur: Video homines sicut arbores ambulantes. Qui a Christo curari incipit, videt res omnes terrenas transire, arescere, ad tempus plantatas esse, non post multum temporis eradicandas. Iteranda est cura Christi, ut perfecte illuminati cordis oculi futura, certa, manentia videant & æterna. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse il-*
luxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ cla- *2. Cor. 4.*
ritatis Dei in facie Christi Jesu.... Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ

enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.

S. Petrus Chrysol. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum*, &c. Cæcus iste est Judæus, qui in Synagoga, hoc est, in perfidię domo, & in vico, hoc est in conventu malignantium, ignorantiæ cæcitate tenebatur, & sedebat oppressus. Hinc est quod non veniebat ad Christum, sed venit ad eum Christus, & apprehendit manum ejus, ut *Dono vocantis, non beneficio Legis*, non proprio curatum se gloriaretur arbitrio. Educit eum foras, *Ut in Ecclesia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub Legis velamine nil videbat*. Imponit ei primum manum, *Ut videat transire umbram Legis*: ut Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, & figuram totam Judaicæ observantiæ videat velut arbores præterire, quæ ut nascuntur, virescunt, florescunt, fructificant in tempore, sic senescunt, pereunt, evanescunt. Iterum imponit ei manum, *Ut resurgens non jam caduca videat, sed æterna*; & videat quicquid est luminis, honoris, & gloriæ; sicut ille magnus ex ipsis Paulus, qui extra vicum, & in via Judæus cecidit, ut resurgeret Christianus, & cæcatus est in Lege, ut videret in Gratia. „ Surrexit autem Saulus de terra, „ apertisque oculis nihil videbat . . . Et Abiit Ananias, „ & introivit in domum, & imponens ei manus, dixit: „ Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit „ tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spi„ ritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus „ tamquam squamæ, & visum recepit. „

Act. 9. 8. 17.

Et misit illum in domum suam dicens: Vade in domum tuum. „ Quamdiu in hoc pago, id est, mundo agimus, „ anima sumus cæci: educti autem e mundo & sæcula„ ribus negotiis, a Christo sanamur. Postquam autem sa„ nati fuerimus, dicit nobis ne ultra revertamur in pa„ gum, sed in domum. „ *Domus autem uniuscujusque nostrum cœlum, & mansiones quæ illic sunt.*

Theophyl. in hunc locum. 6. *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Petrus dixit: Tu es Christus.* A solis Veritatis discipulis, in Schola Christi, id est, in Ecclesia Catholica, Dei revelatione, ejusdem Christi Domini ac Salvatoris nostri mysteria cognoscuntur, divinitas & humanitas, passio & resurrectio, crux & gloria. Divinitatis suæ fidem in Discipulorum suorum animis firmari voluit Jesus antequam illis passionis & crucis suæ mysteria revelaret: contra vero pati prius voluit & crucifigi quam Divinitas sua Judæis ac Gentibus prædicaretur: ut crucem iter esse ad gloriam ostenderet. *Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos, Quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari a Senioribus, & a summis Sacerdotibus, & Scribis, occidi, & post tres dies resurgere* Felices nos, si Christo compatiamur ut corregnemus, si configuremur morti ejus, si cum ipso configamur cruci. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo*.... *Quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.* Qui a Christi cruce, qui a mortificatione Christiana nos abducit, ille a nobis habeatur ut Satanas, quamvis propinquus, quamvis amicus: *Vade retro me Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum*. Animalis ille homo est, Spiritum Christi non habens. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Spiritum Christi non habet, qui crucem Christi non amat, non fert, non ad eam amandam & ferendam alios adhortatur.

Rom. 6. 5. 8. Act. 14. 21. Rom. 8. 9.

Et convocata turba cum Discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Non Apostolos solum, sed turbas, id est, Christianos omnes spectat hoc præceptum, quod totius Moralis Evangelicæ compendium quoddam jure dixerimus. Abnegandus omnino vetus homo cum actibus suis. Abnegandum, rejiciendum, extirpandum est, quicquid in intellectu nostro, in voluntate, in memoria, in affectibus nostris contrarium est Evangelio & Cruci Christi. *Tunc nosmetipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per novitatem vocamur*. Sic seipsum S. Paulus abnegaverat: *Vivo* (inquit) *jam non ego, vivit vero in me Christus*. Extinctus nempe fuerat sævus ille persecutor, & vivere cœperat pius Prædicator. Igitur *Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est non appropinquat: Nec valet apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est*. Duobus autem modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Utroque modo S. Paulus crucem suam ferebat: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*. Ecce crucem carnis. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* „ Ecce crucem mentis. Perfectus scilicet Prædica„ tor, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat „ in corpore. Et quia in se trahebat damna infirmitatis „ alienæ, crucem portabat in corde. „

Beda in hunc locum. *1. Cor. 9. 2. 7. 2. Cor. 2. 19.*

7. *Qui enim me confusus fuerit, & verba mea, & Filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria Patris*. „ Non sufficit mentalis fides, sed oris etiam con„ fessio exigitur. Nam quia duplex est homo, duplex fiat *Theophyl.* „ & sanctificatio. Sanctificatur quidem anima per fidem, „ corpus autem per confessionem. „ Quem igitur puduerit crucifixum confiteri Deum suum, illius & ipsum pudebit. Persecutionis tempore erubescere poterant Chri- *Beda.* stiani facultatibus spoliari, dignitatibus dejici, verberibus affligi. Pacis autem tempore, quia hæ nobis occasiones desunt, est aliud quo nobis ostendamur. Veremur sæpe a proximis despici, dedignamur injurias tolerare. Si contingat jurgium cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. Nonne hoc est de Christo & ejus Evangelio erubescere?

CAPUT IX.

Sensus Litteralis.

1. *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in Montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis*. Lucas post dies octo accidisse commemorat quæ sequuntur. Verum hæc non pugnant. Ille enim diem quo Dominus dixit: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem*, &c. & illum rursum quo Petrum, Jacobum, & Joannem secum assumpsit, ceteris connumerat: Marcus autem sex illos dumtaxat qui inter duos extremos intercesserunt. Ducit illos in montem excelsum, quod montis celsitudo quamdam cum majestatis illius celsitudine cognationem haberet. Transfiguratus est, non mutatione formæ naturalis, sed redundantia cœlestis claritatis ab animæ gloria in corpus. *Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Jesu*. Lex & Prophetæ cum Evangelio consentiunt, & ad Christi Jesu divinitatem & mysteria hominibus patefacienda conspirant: Vide quæ diximus ad cap. 17. S. Matthæi. *Victor Antioch.*

2. *Et verbum continuerunt apud se*: silentium a Christo indictum de Transfigurationis historia servaverunt: *conquirentes quid esset, cum a mortuis resurrexerit*. Ab invicem quærentes qui esset sensus verborum Jesu, & quomodo Regnum suum per Resurrectionem esset aditurus, cum nondum Elias venisset. *Et interrogabant eum* (Jesum) dicentes: *Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* Prius quam Messiæ Regnum adveniat. *Qui respondens, ait illis, Elias, cum venerit primo, restituet omnia*. Cum Elias in terras redierit ex loco in quem translatus est, Judæorum reliquias ad Christi agnitionem & adorationem convertet: prædicatione sua efficiet ut in me credant, ceu verum Messiam quem a tot sæculis exspectabant, sicque omnia in rectum statum & ordinem restituet, & *quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*. Prophetarum vaticinia de me edita Judæis explicabit, quæ Messiam multa passurum, & contemptum iri a patribus eorum prænunciarunt, & per passionem ac mortem ad gloriam Regni sui perventurum. Vel, cum Elia agent homines reprobi sicut mecum agunt & acturi sunt: Illum secundi mei adventus sanctum Prærursorem contemnent & vexabunt. Confer cum Apocalypsis 11. cap. ubi de Enoch, & Elia scriptum est: „ Et cum finierint testimo- *Apoc. 2, 8.* „ nium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet ad- *9. 10.* „ versum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et „ corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, „ quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & „ Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus „ & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per „ tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent „ poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt „ super illos, & jucundabuntur: & munera mittent in„ vicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos „ qui habitabant super terram. „

Sed dico vobis, Quia & Elias venit, Joannes Bapti- *Lucæ 1. 17.* sta, in spiritu & virtute Eliæ. Vide quæ diximus ad cap. 17. S. Matthæi.

3. *Et veniens ad Discipulos suos*, cum e monte descendisset, *vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes*, seu disceptantes *cum illis*, occasione pueri lunatici & a dæmone vexati, quem curare non potuerant. *Et confestim omnis populus*, præter spem suam *videns Jesum, stupefactus est, & expaverunt* præ reverentia & auctoritate ejus: vel forte quod vultus ejus ex Transfiguratione proxime facta solito augustior & clarior esset, ut Moysi ex monte descendenti contigit. *Et interrogavit eos*, Scribas scilicet: *Quid inter vos conquiritis?* Quid *Exod. 34.* altercamini cum Discipulis meis? Cur ipsos tam petulan- *29. 30.* ter lacessitis?

4. *Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum*: vexatum a Dæmone, qui ipsum mutum efficit: *Qui ubicumque eum apprehenderit*, juxta ignem, aquam, &c. *allidit illum*, dejicit & vexat: & spumat infelix puer, ut epilepticis accidit, *& stridet dentibus; & arescit*, deficit, contabescit. *Et dixi Discipulis tuis ut ejicerent illum, &*

non

non potuerunt. Qui respondens eis, cum patri pueri, tum Scribis qui Discipulis ipsius Jesu insultabant, *dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? Quamdiu vos patiar?* Quumdiu cum vestra pertinacia luctabor? Quamdiu vos tolerabo tam incredulos, tam ingratos? *Afferte*, adducite illum ad me. *Et attulerunt: & cum vidisset eum*, cum puer Jesum vidisset, *statim spiritus conturbavit illum*, horribilem in modum concussit, vexavit, præsentiam Debellatoris sui ac Judicis abhorrens: *& elisus in terram volutabatur spumans. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.* Ille quem nihil latet, interrogat patrem pueri, ut mali adeo inveterati gravitatem, & curationis difficultatem adstantes intelligant, ac de omnipotentia Dei convincantur. Interrogat, ut pater energumeni cordis sui vulnus, scilicet incredulitatem patefaciat: quæ causa fuerat simul cum infirma Discipulorum fide, ne puer a dœmonis vexatione liberaretur. *Sed si quid potes* (inquit) *adjuva nos misertus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes credere*, si me dœmonem ejicere, & filium tuum curare posse credis, ne dubites te impetraturum quod postulas. Siquidem *omnia possibilia sunt credenti.* Merito fidei nihil negat Deus. *Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Supple quod fidei meæ deest: Fidem perfice quam dedisti. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam*, miraculum maturavit, ut populares vitaret applausus. *Comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus: ego præcipio tibi: exi ab eo; & amplius ne introeas in eum.* Surdum & mutum spiritum ab effectu vocat: quia autem secundum Lunæ incrementa & decrementa puerum vexare magis solebat, aut vexationem remittere, (unde *Lunaticus* a Matthæo dicitur) atque ita exire & redire per intervalla videbatur, præcipit Jesus ut recedat a puero, nec umquam in eum redeat. *Et exclamans, & multum discerpens eum*, convulsionibus vehementissimis agitans & contundens, *exiit ab eo, & factus* est puer *sicut mortuus, ita ut multi dicerent Quia mortuus est.* Sic autem a dæmone mox recessuro vexari, elidi, & pene exanimem relinqui permisit Christus, qui spiritum immundum imperiali verbo statim expellere poterat, ut dœmonis odium & rabidum furorem in homines, simul & supremum suum in dœmones imperium ostenderet. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum & surrexit, perfecta sanitate ac viribus illi contactu suo restitutis. Vide quæ diximus ad caput 17. S. Matthæi.

5. *Et inde profecti*, scilicet ex loco ubi dœmonem ejecerat, ad radicem montis posito, in quo fuerat transfiguratus, *prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire* quo in loco diversabatur, cum occulte iter faciens Hierosolyma versus, quotidie locum mutaret. *Docebat autem Discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.* Discipulos suos mysterium mortis suæ jam imminentis docebat, seque Jerusalem velut obviam morti procedere, ut eum non invitum, sed sponte ac libere mori intelligerent: nec morte ejus offenderentur, quem tertia die resurrecturum certissime nossent. *At illi ignorabant verbum*: Non intelligebant quomodo moriturus esset antequam Regni sui possessionem adiret, quod proxime futurum ipsis toties dixerat; maxime cum paulo ante significasset, quosdam ex ipsis non ante morituros, quam ipsum in Regno suo vidissent. *Et timebant interrogare eum.*

6. *Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent*, Petri, apud quem diversabatur Christus, cum illa in Urbe erat: *interrogabat eos: Quid in via tractabatis?* Qua de re disceptabatis inter vos? *At illi tacebant*, præ pudore; *siquidem in via disputaverant quis eorum major esset* futurus in Regno cœlorum. *Et residens*; sedens, *vocavit duodecim* Apostolos, ut eos rem maxime necessariam doceret, eorumque ambitioni cauterium adhiberet. *Et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.* Si quis in Regno meo maximus esse cupit merito, honore, auctoritate, gloria, minimus ille sit ac omnium novissimus sensu suo & affectu. Hæc enim Regni mei conditio est, ut summus in illo principatus ministerium sit, & humilitas certissima sit rectissimaque ad gloriam via. *Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum*, ut simplicitatis & humilitatis exemplum ipsis ob oculos poneret: *quem cum complexus esset* in signum amoris, ut ostenderet quam sibi grata sit morum simplicitas & innocentia ab omni ambitione aliena: *ait illis: Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit*: Quisquis unum receperit ex his qui hujusmodi pueris morum innocentia & simplicitate similes sunt, propter me, in iis me recipit: *& quicunque* me susceperit, *non me suscipit* solum, *sed & eum, qui me misit*, Patrem Æternum: *Quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater . . . . Ego in Patre, & Pater in me est.*

Joan. 8. 6.

Joan. 14. 10

7. *Respondit Joannes dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.* Joannes ad loquendum aggressus, facti speciem Christo proponit, dubius an recte fecissent ipse & ejus Condiscipuli. Vidimus quemdam dæmonibus in nomine tuo imperantem ut ab obsessis hominum corporibus exirent, & eos revera ejicientem; qui non est ex nostro Collegio, cui non dedisti potestatem ejiciendi dæmonia, quemadmodum dedisti nobis. Et prohibuibus eum, ne id facere pergeret, facultate a te non accepta. Forte Christum fide sequebatur, non corpore: forte nec fide, nec corpore; nullam enim legem sibi Christus præscripserat quin secreto aut publice, præsentibus aut absentibus, Discipulis suis, aut a Schola sua alienis dona sua & gratias gratis datas conferre posset, quo magis nominis sui vis & auctoritas cognosceretur, & prædicatio dilataretur etiam per indignos. Jesus autem ait: *Nolite prohibere eum* deinceps. *Non est enim qui faciat virtutem*, miraculum, *in nomine meo, & possit cito male loqui de me*, tanto a me devinctus beneficio: imo cum re ipsa experiatur quanta sit nominis mei virtus & potestas, spes est eum cito in me crediturum, si forte nondum credit. *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.* Accedit, quod in eumdem vobiscum scopum collineet, nominis mei gloriam propagando; unde a vobis ut adversarius haberi non debet. Repugnare prima fronte videtur hæc Domini sententia alteri illi apud S. Matthæum. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit.* Sed re vera non pugnant. Hæc enim de dæmonibus intelligitur, & de illis qui dæmonum instar student a divinis homines abstrahere, & quæ Dei sunt dispergere: Hæc vero de hominibus qui ad Deum alios adducunt per miraculorum operationem. *Quid enim* (inquit Paulus) *dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur? & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* „ Christus igitur duplici illa sententia significat, in tantum non esse cum illo aliquem, „ in quantum est adversus illum; & in tantum adversus „ illum non esse, in quantum cum illo est. Sic iste qui „ in nomine Christi virtutes faciebat & in societate Discipulorum Christi non erat, in quantum operabatur „ virtutes in illius nomine, in tantum cum ipsis erat, „ & adversus eos non erat; in quantum vero eorum societati non adhærebat, in tantum cum ipsis non erat, „ & advetsus eos erat. Sed quia Apostoli hoc eum facere prohibuerant, in quo cum ipsis erat, dixit eis Dominus: *Nolite prohibere.* Illud enim prohibere debuerunt quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem Ecclesiæ suaderent, non illud in quo cum illis „ erat, nomen scilicet Magistri & Domini eorum in demoniorum expulsione commendans. Sicut Catholica „ Ecclesia facit, non improbans in Hereticis Sacramenta communia; in hoc enim nobiscum sunt, & adversus nos non sunt: sed improbat & prohibet divisionem „ ac separationem, vel aliquam adversam paci veritatique sententiam; in hoc enim adversus nos sunt, quia „ in hoc nobiscum non sunt, & nobiscum non colligunt, „ & ideo spargunt. "

Theophyl.

Matth. 12. 30.

Theophyl. Philipp. 1. 18.

S. Aug. lib. 4 de Consensu Evan. cap. 5

8. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Alio loco hoc a Christo dictum S. Matthæus refert: sed ea repetitum occasione quam S. Marcus hoc in capite commemorat, credibile est. Docuerat Evangelii negotium modis omnibus promovendum; addit, ut id confirmet, etiam minima beneficia a quovis homine, etiam non rectæ fidei, ei negotio impensa, mercedem suam a Deo habitura: & contra, non impune laturum qui vel minimum impedimentum ei negotio præstiterit; & alicui credentium obstaculo fuerit ne salutem consequatur, & a via salutis prava doctrina vel exemplo illum abstraxerit. *Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis, credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus*, lapis molaris, qui ab asino versatur, *& in mare mitteretur.*

Matth. 10. 14. 42.

S. Aug. lib. 4 de Consensu Evang. cap. 6. Theophyl.

9. *Et si scandalizaverit te manus tua; abscinde illam*, &c. Vide quæ diximus ad cap. 5. & 18. S. Matthæi.

Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis; in infernum, *ubi vermis eorum*, scilicet damnatorum, *non moritur*, ut vermes corporei, qui occisorum in bello cadavera depascunt. Spiritalis enim ille est, scilicet conscientia peccati miseram animam perpetuo arrodens, *& ignis*, miris, sed veris modis torquens, *non extinguitur*, furore Domini succensus. Confer cum Isaiæ 66. 24. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Ubi metaphora sumpta ex cladibus quæ in bello fieri solent, perpetuæ damnatorum pœnæ describuntur. Confer & cum Ecclesiastici 7. 19. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.*

10. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Alludit Christus ad Levitici locum, ubi scriptum est: *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies.* Ignem igitur inferni damnatorum corporibus instar salis futurum significat, ut illos tamquam devotas justitiæ suæ victimas conservet, æternumque cruciet. „ Nec tormentis modus „ ullus

Levit. 2. 13

Minucius Felix in Octavio.

„ ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit, „ & reficit: carpit, & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt: sicut ignes Æthnæ & „ Vesuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec „ erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis „ ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione „ nutritur. "

11. *Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis?* Salis mentione facta, aliam Christi sententiam obiter Marcus adjecit. Sale nihil utilius: sed si virtute sua destituatur, quodnam aliud ad ipsius conservationem adhiberi poterit condimentum? Ita si Doctores, Prædicatores, & Pastores, qui hominibus a doctrinæ morumque corruptione vindicandis verbo & exemplo destinati sunt, insulsi fuerint, idest, cœlesti sapientia destituti, & doctrina, affectibus operibusque corrupti: quod superet remedium ad corruptionem avertendam? *Habete in vobis sal*, sapientiam cœlestem, prudentiam spiritus, qua juxta præscriptum meum & doceatis, & vivatis: *pacem habete inter vos*, cujus sal etiam symbolum est: nec vestra concordia ambitione, æmulatione, contentionibus de primatu, ullo unquam tempore turbetur.

SENSUS MORALIS.

1. ET *post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis.* Post sex hujus mundi ætates, juge ac æternum Sabbatum celebrabitur in monte Domini, in loco sancto ejus, ubi Christus & omnes ejus Sancti, quos Deus elegit conformes fieri imagini Filii sui, transfigurabuntur in gloria. Hæc totius Christi perfecta transfiguratio est. *Unus* enim *homo caput & corpus, unus homo Christus & Ecclesia, vir perfectus, ille sponsus, illa sponsa.* Nobiscum est in terra divinitate, bonitate, unitate: nos cum illo sumus in cœlo fide, spe, charitate. In Christo passi sumus, & patitur ipse in nobis; in illo resurreximus, & ipse resurget in nobis. Ob mysticam illam Christi & membrorum ejus unitatem, nunc in persona propria, nunc in persona membrorum suorum loquitur apud Prophetas. Qui enim non dedignatus est assumere nos in se, nec dedignatus est transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris. Perfecta Christi transfiguratio fiet, cum *Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, cum *immutabimur, corruptibili* hoc corpore *induente incorruptionem, & mortali induente immortalitatem: cum rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ibi sancti *fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* Id splendor vestimentorum Christi in ejus Transfiguratione designat. *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia & candida nimis velut nix.* Vestimenta namque Domini recte Sancti ejus intelliguntur; teste Apostolo, qui ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quæ vestimenta, Christo secundum corpus suum mysticum adhuc in terris consistente, despecta, aliorumque similia videbantur; sed ipso montem petente novo candore refulgent, quia *nunc* quidem *filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Hæc vestimenta nunc abluuntur pœnitentiæ lachrymis, & satisfactoriis operibus, in Christi cruce extenduntur, christiana mortificatione præmuntur, a sordibus & maculis quas in terra contrahunt abstergunturs, mundantur a Christo cœlesti fullone, qui igne amoris sui & sanguine suo animas purificat. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Levi.* Ille est cui dicimus orantes cum Propheta pœnitente: *Amplius lava me ab injustitia mea: & a delicto meo munda me. Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Cum justos in Regnum suum recipiet, quo nihil intrat coinquinatum, tunc perfectus erit illorum candor, cum ad Ecclesiam primitivorum *gloriosam* in cœlis aggregabuntur, *non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ut sit sancta & immaculata.* In cœlesti beatitudine non per speculum & in enigmate, sed totus sine involucris, sine umbris revelabitur, & videbitur Deus sicuti est. *Nunc enim ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Ibi regnabit perfecta & numquam defectura charitas, quam Lex docuit & ordinavit. *Plenitudo Legis dilectio . . . Charitas numquam excidit*: ibi æternum erit *Gaudium de veritate*, quod est beata vita. *Inebriabuntur* sancti *ab ubertate domus* Dei, nec jam stillicidiis, sed *torrente voluptatis* suæ *potabit eos; quoniam apud* illum *est fons vitæ, et in lumine* ejus *videbunt lumen.* Ibi sancti in æternis mansionibus & tabernaculis pro meritorum diversitate dispositi Deum laudabunt, & in mentis excessu sempiterno dicent: *Domine, bonum est nos hic esse ... Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

S. August. in Psalm. 18. & alibi passim.

Ephes. 4. 13. 1. Cor. 15. 52. 54. 2. Thess. 4. 16. Mat. 13. 43. Galat. 3. 27.

1. Jo. 3. 1. 2.

Malachiæ 3. 2. Psalm. 50.

Ephes. 5. 27.

1. Cor. 13. 9. & seq. Rom. 13. 10 1. Cor. 13. 10. S. August. Psalm 35. 9.

Psalm. 83. 5

Abscónditi erunt in abscóndito faciei Dei, luce illa amicti, quam Deus inhabitat. *Et facta est nubes obumbrans eos.* In Dei sinum subeuntes, Filium ejus videbunt cum Spiritu Sancto, illum a Patre genitum, hunc ex Patre Filioque procedentem: vocemque illam Patris æternum audient: *Hic est Filius meus charissimus, audite illum.* Hæc Veritas subsistens, immutabilis, æterna, quam desiderasti, & feliciter invenisti: Hanc audi, hac fruere, hac beatus esto. *Et erunt omnes docibiles Dei.* Tunc Prophetiæ evacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur, Scripturæ consummabuntur, nullis Codicibus opus erit, siquidem Ecclesia, id est, tota prædestinatorum societas neminem videbit amplius nisi Jesum Christum in Deo, & Deum in Jesu Christo: *In quem desiderant Angeli prospicere, et in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, qui est caput omnis principatus & potestatis*, in quo *Repleti* sunt sancti *omni benedictione spirituali in cœlestibus*, & per cujus Sanguinem *introierunt in sancta æterna redemptione inventa*: qui nova cœlestisque Jerusalem templum & lumen est. *Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.* Quod si æterna beatitudo absque visione & amore Jesu Christi perfecta non est, dici absque hæresi non potest perfectam hujus viæ contemplationem & orationem a Jesu Christi consideratione & intuitu abstrahere debere, omnemque de illo cogitationem repellere; ac imperfectorum esse *Aspicere in auctorem Fidei nostræ, & consummatorem Jesum*, & illius mysteria meditari, qui vita nostra, salus nostra, & redemptio nostra est. Damnatus Quietistarum error est. *Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.* Jesum tantum hic intueamur, desideremus, diligamus; ut in monte sancto, illius, Patrisque & Spiritus Sancti visione, amore, & fruitione æterna beati simus. Ipse enim ait: „ Ego sum via, veritas & vita; *hoc est*, Per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem „ ille cui est æqualis agnoscitur, vinciente & tamquam „ adglutinante nos Spiritu Sancto, quo in summo atque „ incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur quam nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus „ temporalibus, quamvis pro salute nostra susceptis & „ gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervehi mereamur. "

Joan. 6.

1. Petri 1. 12.

Colos. 2. 9. 10. Ephes. 1 3. Hebr. 9. 12. Apoc. 21. 22. 23.

Hebr. 12. 2.

Jo. 14. 16. S. Aug. lib. 1 De Doctr. Christian. cap. 34.

2. *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum.* In hoc dœmoniaco a Domino curato salus omnium fidelium designata est, qui originalis peccati reatu adstricti veniunt in mundum, nec nisi unius Redemptoris Jesu Christi fide & gratia salvandi sunt. Per baptismum ejicitur a Christo spiritus immundus: sed heu! sæpius in hominem baptizatum redit, ubi janua cordis ejus per mortale peccatum ipsi patet. Plerumque ab infantia pene id contingit, malitia ætatem præveniente, bonæ etiam institutionis defectu, parentum negligentia, infidelitate, pravis exemplis. Sic filios suos diabolo offerunt & mancipant parentes parricidæ. *Et obtulerunt filios suos & filias dæmoniis.* Dæmon eorum quos possidet, obstruit aures, ne Dei verbum audire possint; ne divinis inspirationibus interiorem admoveant auditum: linguam ligat, ne peccata sua confiteri valeant. Illos conturbat variarum cupiditatum æstu. Ad terram allidit, in terrena impellit objecta novarum tentationum, & ipsarum cupiditatum, quas vehementius accendit, impetu. Spumat ira, stridet odio, tabescit invidia, in ignem libidinis & impudicitiæ; in aquas mendaces voluptatum peccator mittitur, quibus animæ robur dissolvitur; in aquas turbidas, quibus inquinatur, quibus immersa languet, arescit, deficit, aquis destituta quas dat Christus, quæ saliunt in vitam æternam. Unde in hoc statu dicere posset infelix homo, si miseriam suam cognosceret: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.* Verum id dicere non poterit homo a spiritu immundo possessus, nisi ad Jesum adducatur, ac dæmon ejus verbo & gratia expellatur ab anima quam tenet captivam. Ad hanc porro gratiam præparandus est peccator fide, oratione, jejunio. Difficilis est expulsio spiritus immundi ab iis quos possidet ab adolescentia, a juventute: si tamen ad Deum convertantur per fidem spe & charitate animatam, *omnia possibilia sunt credenti.* Sed & oratio fervens, & jejunium adjungenda sunt ut pravi habitus eradicentur, ut effrenes cupiditates domentur. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.* Jejunium autem generale est, non solum ab escis, sed a cunctis illecebris carnalibus abstinere, & ab omnibus vitiorum se continere passionibus. Oratio generalis non in verbis solum posita est, quibus divinam clementiam invocamus, sed in omni-

S. Petrus Chrys. serm. 51

Psalm. 142. 6. 7

Beda.

omnibus etiam operibus, quæ in Dei honorem & obsequium, fidei per charitatem operantis devotione agimus. Quo spectat illud Apostoli: *Semper gaudentes, sine intermissione orate.*

1. *Thssal.* 5. 17. Ne vero miremur quod Christo præsente diabolus magis conturbet puerum, magisque in ipsum sæviat: his enim furentis dæmonis motibus significatur, sæpe nos dum converti ad Dominum post peccata conamur, majoribus

Beda. noviscque antiqui hostis pulsari insidiis. Quæ illius astutia est, ut vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet injuriam. Hinc in sanctæ Ecclesiæ primordiis tot persecutionum inferebat certamina, quod imperio suo tot animas eripi doleret. Jussu tamen Domini ac judicis sui exire cogitur spiritus immundus. *Surde*, inquit, *& mute spiritus, ego tibi præcipio ut exeas ab eo, & amplius ne introeas in eum.* Quo Domini præcepto edocemur, illum veraciter a dominatione dæmonis liberari, qui ad peccata a quibus semel pœnitendo mundatus est, vitat male vivendo reverti. Plerumque vero cum diabolus de corde hominis expellitur, acrioribus illum tentationibus impugnat quam prius cum ejus animam quietus possidebat. *Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo.* Exeunte hoste, mortuus videtur homo, & revera mundo mortuus est, mortuus peccato, & vita ejus abscondita est cum Christo in Deo: mortuus est homo vetus, vivit novus. *Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est.* In novitate autem vitæ ambulat, quia Jesus manum ejus tenet, ipsumque erigit, & in viam mandatorum suorum deducit, in viam salutis dirigit. *Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum,*

S. Petrus Chrys. serm. 52. *& surrexit.* Fugato denique diabolo, patescunt clausa, vincula solvuntur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur, & solus diabolus deflet diuturna se possessione detrusum.

3. *Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.* Nulla major celsitudo, quam vanæ celsitudinis contemptus. Ecclesiasticis Honoribus ille solum dignus est, qui nec ipsos postulat, nec desiderat. Ille dignior, qui humilior. Ad unum humilititatis primatum Ecclesiasticis Viris aspirare licet. *Christus amputavit omnem æmulationem responso suo. Omnem causam & materiam mordacis invidiæ eruit & abscidit. Exaltationis apud nos non*

S. Cypr. Tract. de zelo & livore. *test esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus unde placeamus.* Sacerdoti non sufficit humilitas otiosa, utilem se præstare debet in domo Dei. Non satis est ut se omnium novissimum existimet, necesse est ut omnibus serviat, quantum in ipso est, ad eorum salutem promovendam. *Erit omnium novissimus, & omnium*

1. *Reg.* 9. 21 *minister.* Cum Samuel Regnum Sauli prænuntiaret, respondens Saul, ait: *Numquid non filius Jemini ego sum, de minima Tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de Tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* Non acquievit Samuel dictis Saulis Regnum deprecantis; quo enim aliquis ab honore & dignitate capessenda se magis excusat, eo dignior judicatur. At vero postquam regnare cœpit, quantum mutatus ab illo Saule est? *Saul in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit; per humilitatem Prælatus, per superbiam reprobatus.* Cœlestis sponsus ter sponsam vocat ad coro-

S. Greg. M. 1. p. Pastor. cap. 3. Cant. 4. 8. *Gilbertus Abbas ser.* 29. *in Cantica.* nam. *Veni de Libano, sponsa, veni de Libano, veni, coronaberis.* Cur ad primam sponsi vocem non accurrit? „ Mora hæc non est contumaciæ, sed cautelæ ... „ Et forsitan sponsæ mora festinationem nostram fugillat „ & arguit, qui nimis prompti & parum providi, vires „ nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores „ prælationis, in sollicitudinum molestias & materiam „ lapsus: nec expectantes vel semel vocari, ultro nobis „ ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, „ vel arte procurantes. " Sane honorem & dignitatem Episcopatus non esse appetendam, ab iis autem qui ad hanc promoti sunt dignitatem sedulum ministerium omnibus sibi subditis ovibus exhibendum, diserte ostendit S.

S. Isid. Pelusiota lib. 3. ad Palladium. Isidorus Pelusiota hanc Apostoli sententiam explicans: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* „ Non dixit Apostolus, Unusquisque Episcopatum desidе„ ret: non præcepit, non imperavit, non lege sanxit. „ Verum quoniam multos esse norat, qui dominandi cu„ piditate, velut ebrietate quadam correpti tenerentur; „ ac virtutem quidem minime expeterent, imperium au„ tem affectarent, atque Episcopatus labores & sudores „ ac pericula, curasque & vigilias minime perspicerent „ ... Ut periculosum eorum impetum reprimeret, eos„ que ne munus, quod plerorumque captum ac facultatem excederet, temere aggrederentur, moneret, his „ verbis usus est: Si quis Episcopatum desiderat, bonum „ opus desiderat. Opus est hæc res, non ludus atque „ animi oblectatio: cura, non luxus: munus referendis ra„ tionibus obnoxium, non imperium ab omni censura li„ berum atque immune: paterna procuratio, non tyran„ nica licentia; dispensatoria præfectura, non ejusmodi „ potestas quæ sub reddendarum rationum necessitatem „ minime cadat. Ego Episcopatus opus mirifice laudo, „ divinum enim est: ipsius autem amorem minime laudo, „ periculosus enim est. Non dico, Benefacit: neque enim „ ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo „ alere, verum pro viribus expellere oportet. Vide quemadmodum Apostolus eos, qui imperia ambiunt, ut „ harum palæstrarum expertes & imperitos, atque hono„ rem solum ob oculos sibi proponentes, metu terroreque „ afficiat. Si quis, *inquit*, Episcopatum desiderat, labo„ res intueatur, atque illud spectet ne ferendis illis par „ esse queat. Pericula conspiciat, non honorem solum „ animo perpendat. Mortes contempletur, non delicias. „ Insidias & curas conspiciat, non in voluptatem animi„ que remissionem oculos conjiciat, &c. "

4. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Christum non piguit uno loco eadem verba ter dicere: *Quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino?* Peccatum brevi tempore perpetratum pœna punitur æterna; nec tamen injustus est Deus. „ Nullius enim umquam justitia legis „ attendit, ut tanta mora quisque puniatur, quanta mora „ temporis, unde puniretur, admisit. Damnum enim, „ ignominia, exilium, servitus, cum plerumque sic infli„ guntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vi„ tæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe „ æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his „ plectitur, porrigitur in æternum: & tamen peccata, „ quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo „ tempore perpetrantur; nec quisquam exstitit, qui cen„ seret, tam cito nocentium finienda esse tormenta, „ quam cito factum est, vel homicidium, vel adulteri„ um, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non „ temporis longitudine, sed iniquitatis & impietatis ma„ gnitudine metiendum. Qui vero pro alieno grandi cri„ mine morte mulctatur, numquid mora qua occiditur, „ quæ perbrevis est, supplicium ejus Leges æstimant, & „ non quod eum in sempiternum auferunt de societate „ viventium? *Quod est autem* de ista Civitate mortali „ homines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illa „ immortali homines supplicio secundæ mortis auferre: „ Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in „ eam quisque revocetur occisus; sic nec illius, ut in „ vitam revocetur æternam secunda morte damnatus ... „ Sed pœna æterna ideo dura & injusta sensibus videtur „ humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sen„ suum deest ille sensus altissimæ purissimæque sapientiæ, „ quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima præva„ ricatione commissum sit. Quanto enim magis homo „ fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit „ Deum, & sanctus est malo dignus æterno, qui hoc in „ se peremit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est „ universa generis humani massa damnata: quoniam qui „ hoc primitus admisit, cum ea quæ in illo fuerat ra„ dicata, sua stirpe punitus est, ut nullus ab hoc justo „ debitoque supplicio, nisi misericordia & indebita gratia „ liberetur; atque ita dispertiatur genus humanum, ut „ in quibusdam demonstretur, quid valeat misericors gra„ tia; in ceteris, quid justa vindicta. Neque enim utrum„ que demonstraretur in omnibus: quia si omnes remane„ rent in pœnis justæ damnationis, in nullo appareret „ misericors gratia redimentis: rursum si omnes a tene„ bris transferrentur in lucem, in nullo appareret seve„ ritas ultionis. In qua propterea multo plures, quam „ in illa, sunt; ut sic ostendatur, quid omnibus debere„ tur. Quod si omnibus redderetur, justitiam vindicantis „ nemo juste reprehenderet: quia vero tam multi exinde „ liberantur, est unde agantur maximè gratiæ gratuito mune„ ri liberanti. " Quisquis proximum scandalizat, quisquis manum, pedem, oculum, quæ ipsi impedimento sunt ad æternam salutem, non abscindit, non eruit, non projicit a se, id est, occasiones peccati non deserit, officiis, actibus, negotiationibus, quæ sine peccato exerceri nequeunt, non renuntiat, in gehennam ignis mittetur, *ubi vermis* damnatorum *non moritur, & ignis non extinguitur.* Hæc verba ter a Salvatore nostro & Judice repetita, tres velut monitiones sunt, ut extremam, maximam, generalem, æternam excommunicationem vitemus, quæ reprobos a summo bono, quod Deus est, a Sanctorum societate, ab omnibus bonis, ab omni solatio & subsidio corporis & animæ in sempiternum separabit: & malis omnibus internis, externisque, gravissimis, per vermem & ignem designatis, æternumque duraturis addicet. Tam salutares monitiones audiamus: vermem illum contritione cordis, amore Dei pœnitente nunc conterere, ignem illum lachrymis extinguere licet. Post mortem *Tempus non erit amplius.*

S. Aug. lib. 21. de Civ. Dei c. 9. 11. & 12.

5. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Multiplicitatem, gravitatem, æternitatem pœnarum inferni consideremus. Descendamus in infernum viventes, ne descendamus morientes. Cruciari semper, & non posse mori: comburi semper, & non posse consumi: immolari semper, & numquam posse sanctificari, hæc sors æternarum justitiæ divinæ victimarum. *Omnis enim igne salietur.* Dei victimæ esse debemus, illique æternum immolari, aut igne inextinguibili justitiæ vindicis, aut igne æternæ charitatis. In hoc mundo victimæ Dei per cha-

rita-

ritatem & pœnitentiam simus, ne in altera vita ex numero infelicium illarum victimarum simus, quæ igne æterno salientur. *Ille veraciter victima Domini exiſtit, qui*
Beda. *ſuum corpus & animam a vitiis emundando, per amorem ſancti Spiritus Deo conſecrat. Nec ſolum victima talis ſale aſpergitur, ſed & igne conſumitur, quando non peccati tantum contagio pellitur, ſed ab electorum mente ipſa etiam vitæ præſentis, quæ in carne eſt, delectatio tollitur, & futuræ vitæ magis converſatio intenta mente ſuſpiratur.* An non hostia sacro igne salita erat, qui dicebat:
Philipp. 3. 20. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt? Unde etiam expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Qui enim spe certissima futuræ immortalitatis, quasi jam reformatum in similitudinem Dominicæ Resurrectionis corpus suæ fragilitatis intuebantur, quasi sacratæ igne spirituali victimæ vivebant, secundum illud Apostoli:
Rom. 12. 1. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.*

6. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* Habete in vobis cœlestem sapientiam, qua bona vestra opera ab omni corruptione vanæ laudis, ceteriſque pravis affectibus serventur. Sal mysticum habete, quo Mundi corruptionem vitetis. *Jacobi 3.* „ Quis sapiens & disciplinatus „ inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem „ suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: „ nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. „ Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed „ terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio; ibi inconstantia & omne opus pravum. Quæ „ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica „ est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis con„ sentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non „ judicans, sine simulatione. Fructus autem justitiæ in „ pace seminatur, facientibus pacem. „

CAPUT X.

Sensus Litteralis.

1. ET *inde exurgens* Jesus, scilicet ex domo Petri, quæ Capharnaumi erat, *venit in fines Judææ ultra Jordanem*, id est, per loca ultra Jordanem sita, sive, secundum littora Jordanis: & *conveniunt iterum turbæ ad eum, & ſicut conſueverat, iterum docebat illos. Et accedentes Phariſæi interrogabant eum. Si licet viro uxorem dimittere*, quavis ex causa, *tentantes eum. At ille reſpondens, dicit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?* Moysis auctoritatem pro divortiorum promiscuo jure afferebant. Christus urget ut ipsa Moysis verba recitent, quibus ipsos sancti Legislatoris menti, Legique repugnare doceat. *Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere. Quibus reſpondens Jeſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* Ad duritiam cordis, utque gravius malum impediretur, permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras; simulque præcepit, ut qui uxores suas repudiare vellent, id aliter non facerent quam scripto libello.

2. *Et in domo iterum Diſcipuli ejus de eodem*, id est, de eadem re sive quæstione *interrogaverunt eum*. Et ait illis: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, nisi ob fornicationem, *& aliam duxerit*; ipsa superstite, *adulterium committit ſuper eam*; isto facto quod in injuriam ejus committit, adulter est. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Si relicto viro, alteri adhærere & corporis sui potestatem specie matrimonii tradere
S. Basilius Epist. 1. ad Amphiloc. can. 9. ausa fuerit, & ipsa adultera est. Nam secundum Evangelii legem, vir & uxor pares sunt quoad pudicitiam conjugalem, fidem thori, ceteraque conjugii jura. „ *Domini* „ dictum secundum sententiæ consequentiam ex æquo & „ viris & mulieribus convenit, quod non liceat a matri„ monio discedere, præterquam propter fornicationem. „ Consuetudo autem (*inquit S. Basilius*) non ita habet, sed „ in mulieribus quidem multum accurate & diligenter ob„ servari invenimus, cum Apostolus quidem dicat, QUI „ adhæret meretrici, fit unum corpus. Consuetudo vero „ etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes, „ jubet a mulieribus retineri. Crimen hic attigit mulieris „ quæ dimisit, quamnam ob causam a conjugio discesſit. „ Si enim pulsata, & verbera non ferens, pati satius erat, „ quam a conjuge separari: sive jacturam in pecuniis non „ ferens, nec ipsa est justa excusatio. Sin autem quod „ ipse vivat in fornicatione, non habemus hanc obser„ vationem in Ecclesiastica constitutione, sed etiam infi„ delis viri jussa est mulier non separari, sed remanere „ propter incertitudinem eventus. Quid enim scis, mu„ lier, an virum sis servatura? Quare quæ relinquit, est „ adultera, si ad alium virum accesſit. „ Vide quæ diximus ad caput 10. S. Matthæi.

3. *Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos*, ut illis benediceret imponendo manus. *Diſcipuli autem comminabantur offerentibus.* Offerentes durioribus verbis repellebant. *Quos cum videret Jeſus, indigne tulit.* Id cum videret facientes Discipulos, displicere sibi significavit hanc illorum agendi rationem & morositatem. *Et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim Regnum Dei*, illorum scilicet qui parvulis morum innocentia & simplicitate similes sunt. *Amen dico vobis: Quiſquis non receperit Regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Quisquis non receperit Evangelium ea docilitate qua parvulus, qui est velut tabula rasa, cum simplicitate & modestia, non intrabit in Regnum Dei quod per Evangelium annuntiatur: *Et complexans eos*, in signum benevolentiæ, *imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* Vide quæ diximus ad cap. 19. S. Matthæi, ubi & quæ sequuntur explicuimus, de divite scilicet qui mandata Legis a juventute observaverat, & qui Christi consilium de rebus omnibus divendendis & pauperibus erogandis non est secutus: qua occasione divitum periculum Dominus exposuit.

4. *Et cœpit Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. Reſpondens Jeſus ait: Amen dico vobis: Nemo eſt qui reliquerit domum aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Centuplicem compensationem etiam in hoc sæculo promittit Christus his qui propter ipsum res omnes temporales dimiserint, & in ipsis etiam persecutionibus auxilium promittit, & in futuro vitam æternam. Numquid & in hoc sæculo uxores centum accipiet, qui unam propter Christum & Evangelium reliquerit? Id quidem sano sensu intelligi potest, quamvis irriserit Julianus Apostata. Uxoris enim jactura supplebitur restitutione omnium officiorum quæ ab uxore præstantur, excepto eo quod nisi ab uxore præstari non potest. „ Quid enim confert uxor domui viri? Omnino curat ut *Theophil. in hunc locum.* „ vir habeat quod edat, quibus induatur, & horum om„ nium curam adimit viro. Hæc itaque officia etiam „ Apostolis in hoc sæculo restituta videre licet. Quot „ mulieres fuere quibus cura erat de amictu & esu illo„ rum, & quæ ministrarunt eis qui nihil horum cura„ bant, sed solum sermonem & doctrinam? Similiter ma„ tres & patres multos habuerunt Apostoli, qui illos di„ ligerent: & Petrus qui unam domum reliquerat, po„ stea omnium Discipulorum suorum domos habebat. Et „ quod majus est, hæc omnia in persecutionibus possi„ dent sancti, id est, persecutionem passi & male affecti „ atque afflicti. Unde & qui ultimi in hoc sæculo vi„ dentur propter afflictiones & persecutiones, erunt pri„ mi propter spem in Deum. Sed & Pharisæi qui vi„ dentur primi, facti sunt postremi. Qui autem relictis „ omnibus secuti sunt Christum, facti sunt primi. „ *Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.*

5. *Erant autem in via aſcendentes Jeroſolymam, & præcedebat illos Jeſus*, alacriter ducis instar intrepidi se mortem non timere ostendens, sed expetere: *& ſtupebant* Discipuli: magnam illam animi fortitudinem certæ morti se offerentis admirabantur: *& ſequentes timebant*, proprio videlicet periculo. *Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei eventura: Quia ecce aſcendimus Jeroſolymam.* Postremum hoc iter agimus, de quo sæpe locutus sum vobis: *& Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum*, &c. Vide quæ diximus ad caput 20. S. Matthæi.

6. *Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes*, ore materno: *Magiſter, volumus*, optamus, obsecramus, *ut quodcumque petierimus, facias nobis*, concedas. *At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?* In vestri gratiam. *Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dextram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua*, &c. Hæc explicuimus ad caput 20. S. Matthæi.

7. *Et veniunt Jericho, & proficiſcente eo de Jericho, & Diſcipulis ejus, & plurima multitudine*, quæ illum sequebatur, Dei verbum ex ore ejus auditura, *Filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat juxta viam mendicans.* Duos cæcos a Christo juxta Jericho illuminatos S. Matthæus commemorat: unum utpote notiorem. S. Marcus nominat. Vide quæ diximus ad caput 20. S. Matthæi.

SENSUS MORALIS.

1. ET *accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere? tentantes eum. At ille reſpondens, dicit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?* Pharisæos imitantur Moralis corruptæ doctores, qui erroneas & scandalosas quæstiones in Ecclesia excitant & propugnant, ut Pastores plebemque tentent. Sed ad Scripturam & Traditionem sunt remittendi; quæ regulæ ac principia sunt ad quæ omnia dogmata sive fidem, sive mores spectantia examinari & secundum illa judicari debent. Non mores honestum, non consuetudo, etiam tolerata, sed Lex Dei, Evangelium, Apostoli, SS. Patres, sacri Canones in doctrina morum consulendi sunt; om-

omniaque ad originem revocanda. Hanc homines docendi & instituendi in eis quæ ad salutem pertinent, rationem Christus habuit, Apostoli secuti sunt: „ Qui enim ad
S. Irenæus lib. 2. c. 51. „ inventionem missi erant errantium Apostoli, & ad visionem eorum qui non videbant, & ad Medicinam „ languentium, utique non secundum præsentem opinionem, sed colloquebantur eis secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte faciunt, si cæcos jamjamque per præcipitia ferri incipientes, adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ „ quasi vere rectæ, & quasi bene perventuri sint. Quis, autem Medicus volens curare ægrotum, faciet secundum concupiscentias ægrotantis, & non secundum „ quod aptum est medicinæ? Quoniam autem Dominus „ Medicus venit eorum qui male habent ipse testificatur „ dicens: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus* . . . . Quomodo ergo qui male habent confirmabuntur? & quomodo peccatores pœnitentiam agent? „ Utrum perseverantes in iisdem ipsis? An e contrario „ magnam commutationem & transgressionem prioris „ conversationis accipientes, per quam ægrotationem „ non modicam, multa peccata sibimetipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per „ agnitionem vacuatur. Agnitionem vero faciebat Dominus Discipulis suis, per quam & curabat laborantes, „ & peccatores a peccato coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem interrogantium respondebat eis: „ sed secundum doctrinam salutarem, & sine hypocrisi; „ & sine personæ acceptione. „

2. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Indissolubilis conjunctio viri & uxoris; indissolubilis unio Verbi
Concil. Trid. S. August. & naturæ humanæ; Christi & Ecclesiæ; Dei & electorum in cœlis. Indissolubilis & unio Dei cum Anima justi, quantum ex parte Dei est, qui *hominem semel justificatum non deserit, nisi prius deseratur ab eo.* Et,
Osee 2. 19. 20. *Nisi tu ab illo feceris casum, ille a te non facit occasum.* Fœdus æternum cum anima Deus vult inire. *Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia, & judicio; & in misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide.* Sed peccata nostra nos a Deo dividunt. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

3. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Gravissimum crimen est violare fidem matrimonii, cujus Deus auctor est, Christus exemplar, Spiritus sanctus vinculum: quam fidem Matrimonii finis, liberorum educatio, pax familiæ, bonum Reipublicæ, necessario, religiose, inviolabiliter servari jubent. Adulteri infidelitate sua, impudicitia, & injustitia Christum & Ecclesiam singulariter inhonorant, Matrimonium violantes, quod unionis Chri-
Ephes. 5. 32 sti & Ecclesiæ Sacramentum est & imago. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* „ Nolite ergo viri mœchari post uxores vestras, „ quia non vultis ut mœchentur post vos uxores vestræ. „ Nolite ire vos, quo eas sequi non vultis. Sine causa „ vos excusare conamini, quando dicitis: Non est uxor „ aliena ad quam vado. Numquid vis dicatur tibi, Non „ est vir alienus ad quem vado? Absit ut dicat hoc il- „ la. Melius enim dolet te, quam imitatur te. „ *Illa*
S. August. serm. 9. de decem chordis c. 9 *enim casta & sancta femina, & vere Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed dolet propter charitatem; non ideo non vult ut facias, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit.* „ Nam si propterea non facit, ut tu non facias; si feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, si Christo „ illud debeat quod tu exigis, & ideo reddat, quia jubet ille; etsi fornicatur vir, castitatem femina illa „ Deo exhibet. Christus enim loquitur in cordibus bonarum feminarum, loquitur intus ubi non audit vir, „ quia nec dignus est, si talis est: loquitur ergo ille interius, & filiam suam consolatur hujusmodi verbis: De „ injuriis viri tui torqueris, quid tibi enim fecit? Dole, sed noli ipsum imitari ut male facias, sed ipse te „ imitetur in bono. Nam in eo quod male facit, noli „ eum putare caput tuum, sed me Deum tuum. Nam si „ & in eo quod male facit, caput est, & secuturum est „ corpus caput suum, eunt ambo per præceps. Ut autem non sequatur malum caput suum, teneat se ad „ caput Ecclesiæ Christum: huic debens castitatem suam, „ huic deferens honorem suum absens sit vir, præsens „ sit vir, non peccat illa: quia numquam est absens, „ cui debet ut non peccet . . . . Porro quam fœdum, „ quam turpe est, ut vir dicat, Non posse fieri, quod „ facit femina! Scelus est, ut vir dicat, non possum. „ Quod potest femina, vir non potest? Quid enim, illa „ carnem non portat? Prior a serpente decepta est. Castæ uxores vestræ ostendunt vobis, fieri posse quod „ non vultis facere. Sed forte dices, Ideo illam facilius facere posse, quia multa illi custodia est, Legis „ præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum „ publicarum; est etiam verecundiæ & pudoris illius „ magnum munimentum. Multæ custodiæ faciunt femi-

„ nam castiorem, virum castum faciat ipsa virilitas. „ Nam ideo mulieri major custodia, quia major infirmi- „ tas. „ *Illa erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior: Quia facile vincis, ideo tibi commissus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & mansuetudo morum, & verecundia major: & Deus super te, tantum Deus.* „ Invenis enim facile pa- „ res viros, quibus non timeas erubescere, quia faciunt „ illud multi. Et tanta est perversitas generis humani, „ ut aliquando metuendum sit ne castus erubescat inter „ impudicos. Si quis inter vos faciat homicidium, quod „ avertat Deus, pellere illum vultis de patria, & con- „ tinuo, si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, „ odistis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falsum „ testimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. „ Si quis concupiscat alienas res, raptor & injustus de- „ putatur. Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, „ blande accipitur; convertuntur vulnera in joca. Si „ quis autem exsistat qui dicat se castum, non facere „ adulterium, notum autem sit quod non faciat, eru- „ bescit accedere ad illos non sui similes, ne insultent, „ ne irrideant, ne dicant non esse virum. *Ad hoc delapsa est humana perversitas, ut vir habeatur victus a libidine, & vir non habeatur victor libidinis.* Trium- „ phantes exsultant, & non sunt viri: jacent prostra- „ ti, & viri sunt? Si spectares, ille tibi videretur for- „ tior, qui jaceret sub bestia, qaam qui perimeret be- „ stiam. „

4. *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eis; talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Non merum consilium, *Beda.* sed præceptum est. Regnum cœlorum non intrabit, quisquis Evangelicas Veritates, sive fidem, sive morum institutionem spectantes, non receperit ut parvulus, qui Christi verba non audierit & fecerit cum docilitate, simplicitate, & obedientia pueri. Ad Christianam infantiam redeundum est, si Christi amore, complexu, benedictione, Regno digni esse velimus. Quid vero est infantia Christiana? Status ab omni superbia, ambitione, impudicitia, ultionis libidine, cupiditate, omni denique malitia alienus. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti estote.*

5. *Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam* *1. Cor. 14.* *genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid* *20.* *faciam ut vitam æternam percipiam?* Flexis genibus cordis nostri Christum Jesum rogemus ut doceat nos facere suam Patrisque voluntatem, ut det nobis scientiam salutis, ut deducat nos in semitam mandatorum suorum: Id quippe solus præstare potest, qui *Via* est, *Veritas, & Vita*, solus bonitas infinita. Præcepta nosse, Dei donum est; sed magis reos facit & graviori damnationi obnoxios cognitio legis & mandatorum Dei, nisi infirmitatis nostræ conscii, ad Christum procurramus, & oratione supplici atque humili gratiam ejus imploremus, ad mandata legis implenda, ut oportet, necessariam. „ Deus per legem „ ostendit homini infirmitatem suam, ut ad ejus miseri- „ cordiam per fidem confugiens, sanaretur. De sapientia „ quippe ejus dictum est, quod *Legem & misericordiam* *S. August.* „ *in lingua portet*: Legem scilicet, qua reos faciat su- *lib. de spi-* „ perbos; misericordiam vero qua justificet humiliatos... *ritu &* „ Lex ergo data est ut gratia quæreretur: Gratia data *Littera* „ est, ut lex impleretur. „ *Mandatum bonum lex habet* *Pro verb.* „ *in littera demonstrante, non in adjuvante Spiritu*: Quod *3. 16. Sec.* „ mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, *70.* „ serviliter fit, non liberaliter; & ideo non fit. Non „ enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non „ surgit. Porro autem si adsit fides quæ per dilectionem „ operatur, incipit condelectari legi Dei secundum inte- „ riorem hominem; quæ delectatio non litteræ, sed Spi- „ ritus donum est. Hæc gratia in Testamento vetere velata latitabat, quæ in Christi Evangelio revelata est... „ Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic „ in cordibus hominum. Ibi ergo lex extrinsecus posita „ est, qua injusti terrerentur: hic intrinsecus data est „ qua justificarentur. *Nam* Plenitudo legis est charitas, „ quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum san- „ ctum qui datus est nobis. „ Felix qui suave divinæ legis jugum portavit ab adolescentia sua. Magnas gratias Deo agere debet, cui juventutem, ad malum per se proclivem, in observantia mandatorum Dei transire datum est. *Magister, hæc omnia observavi a juventute mea.* Dona tua Deus diligit in nobis, qui & ipsa augere misericorditer paratus est cooperantibus nobis. *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo: & veni, & sequere me.* Immolanda Deo cupiditas, malorum omnium radix. Divitiis bene utendum, ex his erogandæ pauperibus uberes eleemosynæ ad redimenda peccata: despiciendæ sunt opes, earum jactura æquanimiter ferenda, sponte etiam deserendæ sunt & abdicandæ, si impedimenta sint salutis æternæ. Periculum suum divites agnoscant, sta-

tum ſuum timeant. De negotio ſalutis nulli magis credendum quam ſalutis Auctori. *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Filioli, quam difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!* Qui enim multiplicandis divitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia quærere contemnunt. Sed inter pecunias habere, & pecunias amare, magnum diſcrimen eſt; multi enim habentes non amant, multi non habentes amant. Alii & habent & amant. Alii nec habere, nec amare ſe divitias ſæculi gaudent, quorum tutior ſtatus eſt, quia dicere cum Apoſtolo valent: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hinc Salomon ait: *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Laxatis ergo curis mutabilium rerum, bona ſtabilia & certa quæramus. *Supervolemus terrenis opibus noſtris. Nam in mellis copia non fruſtra pennas habet apicula; necat enim hærentem.*

Beda.

Proverb. 5.

S. Auguſtinus Ep. 15. alias 113.

Beda.

6. *Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri?* Quo pertinet iſta reſponſio, cum incomparabiliter major ſit turba pauperum, quæ, divitibus perditis, potuerit ſalvari? Niſi quia intellexerunt Apoſtoli, cunctos, qui divitias amant etiamſi adipiſci nequeant, in divitum numero deputari. Sunt enim pauperes cenſu, cupiditate vero & affectu divites. *Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: Omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.* Non quod divites cum ſuis cupiditatibus & ſuperbia admitti poſſint in Regnum cælorum, ſed quod poſſibile ſit Deo ut per verbum ejus, ſicut etiam factum eſſe, & interdum fieri videmus, a cupiditate temporalium ad charitatem æternorum, & a pernicioſa ſuperbia ad ſaluberrimam humilitatem convertantur.

7. *Et cœpit Petrus dicere ei: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Piſcatores, vocante Domino, quod naviculas & retia dimiſerunt, omnia ſe dimiſiſſe, & Dominum ſecutos eſſe, etiam commemorando lætati ſunt. *Et revera omnia contemnit, qui non ſolum quantum potuit, ſed etiam quantum voluit, habere contemnit.* „ Sed in eo quod cupiebatur, oculi Dei teſtes ſunt, in „ eo quod habebatur, & hominum. Neſcio autem quo „ modo, cum ſuperflua & terrena diliguntur, arctius „ adepta quam concupita conſtringunt. Aliud eſt enim „ nolle incorporare, quæ deſunt, aliud jam incorporata „ divellere. *Illi velut cibi repudiantur, illa velut membra præciduntur.* „ Porro non ſufficit divitias contemnere aut relinquere, quod & quidam Mundi ſapientes fecerunt ut liberius philoſopharentur: immo ſervare divitias, & iis Chriſtiane uti, non ſuperbe ſapere, libenter communicare ſeu erogare pauperibus, divites fieri operibus bonis, melius eſt & utilius ad ſalutem, quam omnes ex ſuperbia relinquere, & mundi faſtum calcare alio faſtu. *Utilius terrena opulentia tenetur humiliter quam ſuperbe relinquitur.* Sed Chriſtum præterea ſequi neceſſe eſt. Facilius enim facculus contemnitur quam voluntas. Multi divitias relinquentes, Dominum non ſequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus eſt. Qui enim ſe in Chriſtum credere profitetur, debet quomodo ille ambulavit & ipſe ambulare.

S. Auguſtinus Ep. 31. alias 34.

S. Auguſtinus ibid.

Beda.

8. *Reſpondens Jeſus ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios & agros, cum perſecutionibus & in ſæculo futuro vitam æternam.* Filius Dei loquitur, dogma fidei eſt, illum qui propter fidem, veritatem, juſtitiam, virtutem, ac perfectionem quam ab illo Deus exigit, parentes & bona temporalia relinquit, vel eorum jacturam patitur, centuplum in hac etiam vita accipere. Spiritalia enim bona, ſcilicet gratia, charitas, Deus ipſe, qui dives eſt, qui omnia propter ipſum & propter Evangelium reliquit, bonis omnibus & neceſſitudinibus temporalibus longe præſtant. *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.* Nonne gratis amatur, cui cetera poſtponuntur? Nonne habetur jam ab eo qui ſic ipſum amat? Nonne jam in hac vita merces illius eſt? Hæc eſt altitudo crucis, de qua Sanctus Auguſtinus: „ Si vis, „ *inquit*, habere crucis altitudinem: noſce quid audias, „ & ubi audias. Surſum cor. Quid eſt, Surſum cor? „ Ibi ſpera, ibi ama, inde pete virtutem, ibi expecta „ mercedem. Nam ſi bene operaris, & hilariter tribuis, „ videris habere latitudinem . . . Latitudo enim charitas eſt, quæ ſola bene operatur. Si in iiſdem bonis „ operibus uſque in finem perſeveraveris, videris habere „ longitudinem. Sed ſi omnia hæc non propter ſupernam „ mercedem facis, altitudinem non habebis; & illa „ jam nec latitudo erit, nec longitudo. Quid eſt enim „ habere altitudinem, niſi cogitare Deum, amare Deum, „ & gratis amare ipſum Deum adjutorem, ipſum ſpectatorem, ipſum coronatorem, ipſum præmii largitorem, poſtremo ipſum præmium deputare, non aliud ab „ ipſo quam ipſum expectare? Si amas, gratis ama: Si „ vere amas, ipſe ſit merces quem amas. „ Hoc eſt centuplum nunc in tempore hoc, & in ſæculo futuro vita æterna. In hujus centupli partem veniunt perſecutiones. *Cum perſecutionibus.* Hæc beata ſors Chriſtianorum in hoc ſæculo, & futuræ beatitudinis pignus. Nam *Chriſtianus, quia Chriſtianus, aliquid plus paſſurus eſt in hoc ſæculo.... Chriſtianorum eſt pati mala temporalia, & bona ſperare ſempiterna.* Præcedit Jeſus Jeroſolymam, *& propoſito ſibi gaudio* pergit ad *crucem, confuſione contempta.* Aſpiciamus igitur in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum: Illius veſtigia ſequamur: quid Deo ac Domino noſtro duce timeamus? *Et præcedebat illos Jeſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant.*

Psalm. 118.

S. Auguſtinus Serm. 155. alias 7. de Verb. Apoſt.

S. Auguſtinus ibid.

Beda.

S. Auguſtinus Serm. alias 46. cap. 5. & Serm. 296. alias de Diver. 106. c. 7.

Heb. 12. 2.

9. *Jeſus autem ait: Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Cæca eſt ambitio, neſcit quid cupiat, quid petat, quid agat, cum nec rationem conſulat, nec fidem. Ad veram celſitudinem per crucem, humilitatem & mortificationem pervenitur. Cruces aliæ ſunt interiores per potionem amaram calicis ſignificatæ; aliæ exteriores per baptiſmum deſignatæ. Per utraſque iter eſt ad gloriam. Illis quos delectat culmen honoris, prius via exercenda eſt laboris. Qui deſiderant regnare ſublimiter cum Chriſto, pati prius debent humiliter pro Chriſto: *Sedere ad dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* Non perſonæ paratum eſt, ſed vitæ. *Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum.* Si itaque tales eſtis qui conſequamini Regnum cœlorum, quod Pater meus triumphatoribus & victoribus præparavit, vos quoque illud accipietis. *Non eſt meum dare vobis.* Non eſt meum dare ſuperbis, & ambitioſis. Si ergo vultis ad illud pervenire, nolite eſſe quod eſtis. Aliis paratum eſt; & vos alii eſtote, & vobis paratum eſt. Quid eſt, Alii eſtote? Prius humiliamini, qui jam vultis exaltari.

Beda.

Rom. 2. 11.

10. *Jeſus autem vocans eos, ait illis: Scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & Principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt autem in vobis, ſed quicumque voluerit fieri major, erit veſter miniſter.* Aliter dominari debent ſubditis ſuis Chriſtiani, quam Ethnici Principes. Neque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adverſus ſe inſurgentes & cavere & reprimere potuerunt: „ Sed felices eos dicimus, ſi juſte imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & „ obſequia nimis humiliter inſultantium, non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt; ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum, Majeſtati „ ejus famulam faciunt; ſi Deum timent, diligunt, „ colunt; ſi plus amant illud Regnum, ubi non timent „ habere conſortes; ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt . . . . Si luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior; ſi malunt cupiditatibus pravis, „ quam quibuslibet gentibus imperare: & ſi hæc omnia „ faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales „ Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices interim „ ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id quod exſpectamus advenerit. „ Quod ſi ita ſe gerere debent Chriſtianarum Gentium Principes temporales, ſi ea moderatione regere debent ſubditos: quanta charitate & humilitate Chriſtianum populum regere debent Eccleſiæ Principes Epiſcopi, & Sacerdotes? Servire debent iis quibus præſunt, ſeque totos ſpiritualibus eorum utilitatibus devovere, non honorem quærere, aut commoda temporalia, ſed labores, unamque animarum ſalutem propter Dei gloriam. *Sit Rector* Eccleſiæ *bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus; ut & bonis in nullo ſe præferat, & cum pravorum culpa exigit poteſtatem protinus ſui prioratus agnoſcat.* Prælatos quidem timeri neceſſe eſt a ſubditis, ut humana ſaltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam tamen ex hoc quæſito timore ſuperbiunt, in quo non ſuam gloriam, ſed ſubditorum juſtitiam quærunt. „ Sed „ plerumque Rector eo ipſo quo ceteris præeminet, elatione cogitationis intumeſcit: & dum ad uſum cuncta ſubjacent, dum ad votum velociter juſſa complentur; dum omnes ſubditi, ſi qua bene geſta ſunt, laudibus efferunt, male geſtis autem nulla auctoritate „ contradicunt; dum plerumque laudant etiam quod reprobare debuerant, ſeductus ab his quæ infra ſuppetunt, „ ſuper ſe animus extollitur; & dum foris immenſo favore circumdatur, intus veritate vacuatur: atque oblitus ſui in voces ſe ſpargit alienas, talemque ſe credit, „ qualem ſe foris audit, non qualem intus diſcernere debuit. Subjectos deſpicit, eoſque æquales ſibi naturæ „ origine non agnoſcit; & quos ſorte poteſtatis exceſſerit, tranſcendiſſe ſe etiam vitæ meritis credit. Cunctis ſe æſtimat amplius ſapere, quibus ſe videt amplius poſſe. In quodam quippe ſe conſtituit culmine „ apud ſemetipſum, & qui æqua ceteris naturæ conditione „ conſtringitur, ex æquo reſpicere ceteros dedignatur: Sicque uſque ad ejus ſimilitudinem ducitur, de quo ſcriptum

S. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap. 24.

S. Gregor. M. 2. p. Paſtoralis Curæ c. 6.

„ ptum est: Omne sublime videt, & ipse est rex supe
Jab. 4. „ universos filios superbiæ. „ Qui singulare culmen appe-
Isaia 14. tens, & socialem Angelorum vitam despiciens, ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo.* Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. *Apostatæ quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus similis esse dedignatur..... Petrus auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens a bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit*, dicens: *Surge, ne feceris, & ego*
Act. 10. *ipse homo sum.* Sed cum Ananiæ & Saphiræ culpam re-
Act. 5. perit, mox quanta potentia super ceteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam Spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnovit. *Illic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis, jus aperuit potestatis.* Paulus bene agentibus fratribus Prælatum se esse nesciebat, cum di-
1. Cor. 2. ceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.* Atque illico adjunxit: *Fide enim statis.* Ac si id quod protulerat, aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis: æquales enim vobis sumus, in qua vos stare cognoscimus. Quasi
1. Thess. 2. Prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum.* Et rursum: *Nos autem*
2. Cor. 4. *servos per Jesum.* Sed cum culpam quæ corrigi debuisset, invenit, illico Magistrum se esse recoluit, dicens: „ Quid vultis? In virga veniam ad vos. Summus itaque „ locus bene regitur, cum is qui præest vitiis potius „ quam fratribus dominatur... Teneant Rectores exterius quod pro aliorum utilitate suscipiunt: ferveat interius quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud „ se esse humiles etiam subjecti deprehendant: quatenus „ & in auctoritate eorum quod formident videant, & de „ humilitate quod imitentur agnoscant. Studeant igitur „ sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius „ deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam re„ gere non possit, cui se libidini dominandi supponit. „ Hinc a Sapientia dicitur: *Ducem te constituerunt, noli*
Eccli. 32. *extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis:* Hinc etiam S. Petrus ait: *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis:* Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit: *Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum.... Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister*, &c.

Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret & daret animam suam redemptionem pro multis. Ambitio simia charitatis. Omnibus servit ambitiosus: omnibus servit Ecclesiæ fidelis & sanctus Prælatus. Ille servit omnibus, ut præsit ac dominetur: iste ministrat omnibus ut magis ac magis prosit. Illa cupiditatis, Ista charitatis servitus est. Illa diaboli, ista Christi imitatio, qui ad hoc in mundum venit, ut servis suis Dominus omnium ministraret, ac pro illis moreretur. Felices Pastores, si Pastorem summum animarum nostrarum Christum Jesum imitentur, ovibus suis in rebus æternæ salutis serviendo, & pro illis, si opus fuerit, moriendo.

11. *Cæcus sedebat juxta viam mendicans. Qui cum*
Apoc. 3. 17. *audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare & di-*
18. *cere: Jesu Fili David, miserere mei.* Cæci & egeni sumus. Miseri, si nec cæcitatem nostram, nec inopiam cognoscamus: nobisque dicat testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei: *Quia dicis: Quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Divinam vocem & consilium audiamus dicentis. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos ut vi-*
S. August. *deas.* Ad Jesum Dominum nostrum, qui cæcos illuminat,
Enarr. in & inopes ditat, clamemus; in una ejus misericordia con-
Psalm. 118. fidamus: ad illum clamemus toto corde, voce magna cha-
Serm. 29. ritatis: *Est* enim *clamor cordis, magna cogitationis intenalibi.* *tio: quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, ut non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur.... Fragrantia charitatis, clamor cordis.* Perseveranter oremus, nec eos audiamus, qui nos a Dei misericordia imploranda, ab invocando auxilio Jesu, ab oratione, ceterisque pietatis & pœnitentiæ operibus avocare conantur. *Comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David miserere mei.* Audiamus viros Dei, Pastores, verbi Dei Prædicatores, pios amicos, qui nos hortantur ad Jesum vocantem ut accedamus cum spe & fiducia. *Et vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior esto; surge, vocat te.* Occasiones peccati, & quæcumque nostræ conversionis impedimenta, veteris hominis exuvias procul a nobis projiciamus, cum fervore & gaudio accedamus ad Jesum. *Qui projecto vestimento suo exiliens venit ad eum!* Unum a Salvatore misericordissimo postulemus, ut oculos interioris nostri hominis illuminet. *Cæcus autem dixit ei: Raboni, ut videam.* Tantum beneficium fides impetrabit. *Jesus autem ait illi, Vade, fides tua te salvum fecit.* A Christo denique illuminati, Christum sequamur, in via mandatorum Dei ambulemus, illi uni placere studeamus, ut abundemus magis. *Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.*

CAPUT XI.

Sensus Litteralis.

1. *ET cum appropinquarent Jerosolymæ & Bethaniæ ad*
Montem Olivarum, mittit duos ex Discipulis suis. Cum ad eum tractum Montis Olivarum perveniissent, ubi *Matth. 21.*
se mutuo contingunt Bethania & Betphage, 15. stadiis *2. Luc. 19.*
seu duobus milliaribus distantem ab Hierosolymis, quinto *29. Joan.*
die ante ultimum Pascha quod Jesus celebravit, misit duos *11. 18.*
ex Discipulis suis. *Et ait illis: Ite in castellum quod con-* *Joan. 12. 11*
tra vos est: In vicum qui vobis ante oculos versatur: & *Matth. 21.*
statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, cum asina matre; *super quem nemo adhuc hominum sedit: Solvite illum, & adducite.* Animantia nondum humanis usibus mancipata, nullum passa jugum, ad sacros usus adhiberi solita, viri eruditi observant. 1. *Regum 6. 7. Nunc ergo arripite & facite plaustrum novum unum; & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. Tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro.*

Et si quis vobis dixerit, Quid facitis? dicite, Quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc. A vobis huc adduci sinet. *Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio,* duas inter vias: *& solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?* Quorsum pullum solvistis? *Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis. Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via, alii autem frondes cædebant de arboribus;* ramos frondentes, *& sternebant in via,* quasi Regem & Thriumphatorem solemni ritu excepturi. *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna:* Salus & gloria. *Benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit Regnum Patris nostri David,* jam diu exspectatum: *Hosanna in excelsis.* In summo cœlorum, unde Messias venit. Vide quæ diximus ad Caput 21. S. Matthæi.

2. *Et introivit Jerosolymam in Templum,* gloriam omnem triumphi sui relaturus ad Patrem: *& circumspectis omnibus,* ut abusus emendaret divini cultus puritati contrarios, *cum jam vespera esset hora,* serotinum tempus, *exiit in Bethaniam cum duodecim* Apostolis, ut ibi pernoctaret.

3. *Et alia die,* postero die, *cum exirent a Bethania esuriit; cumque vidisset a longe ficum habentem folia, ve-* *Cant. 2. 3.*
nit, si quid forte inveniret in ea, aliquem fructum Vernum enim tempus erat quo ficus profert grossos suos. Accessit, non ignorans nullum esse fructum in arbore, sed humano more se gerens; ut aliud significaret ad Discipulorum institutionem opportunum. *Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum;* non erat tempus anni quo ficus fructus ferret. *Et respondens dixit ei:* imprecatus est arbori, dicens: *Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Maledictionis sententia non arboris causa lata est, *Beda.*
sed significationis. Non minus enim culpa caret arbor si infrugifera sit verna aut æstiva, quam hyberna tempestate. Emblema ergo est pœnæ Judæis infligendæ ob spiritualem eorum sterilitatem & hypocrisim. Sicut enim parabolas loquitur Christus, ita operatur.

4. *Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in Templum, cœpit ejicere vendentes & ementes in Templo: & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* In atrio gentium campsores & mercatores sedebant, quasi in loco profano negotiationem exercentes. Templum autem secundum partes suas omnes sanctum esse Christus docuit; utpote veri Dei adorationi, & orationi, dicatum. *Et non sinebat ut quisquam transferret vas per Templum.* Prohibuit ne quisquam supellectilem ullam profanam, aut instrumentum profanis usibus serviens, seu ad quæstum faciendum pertinens per Templum transferret, quasi per viam compendiosiorem & commodiorem. *Et docebat dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Vide quæ diximus ad cap. 21. S. Matthæi.

5. *Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei,* fidem magnam in Deum. *Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tollere,* recede hinc *& mittere in mare; & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat,*

Dei virtute omnipotenti, ſi ad ejus gloriam & Eccleſiæ ædificationem opus fuerit, *fiet ei*. Quod poſtulaverit in fide nihil hæſitans, ſecundum voluntatem ejus operabitur Deus, qui voluntatem timentium ſe faciet, quantumvis hominibus impoſſibile videatur. Confer cum 21. capite S. Matthæi, & lege quæ in eum locum annotavimus.

6. *Et cum ſtabitis ad orandum*; cum vos ante Deum ſiſtetis oraturi; *dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem*: Si jus habetis conquerendi de aliquo propter injuriam vobis illatam, dimittite offenſam: *ut & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeritis ex animo, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra*. Nam ſine
1. *Joan.* 5. 15. charitate dimitti non poſſunt. *Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt ....*
1. *Joan.* 4. *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Vide quę diximus ad caput 6. S. Matthæi.

7. *Et veniunt rurſus Jeroſolymam*, ex Bethania quo pridie ſeceſſerant; *Et cum ambularet in Templo*, non otioſus utique, ſed docens; *accedunt ad eum ſummi Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores*. Doctores Legis, & Senatores: *& dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis?* Qua auctoritate publice doces, & ea reformas ac prohibes quæ in Templi atrio fieri conſueverant? Qua poteſtate ægrotos omnis generis curas, nullo dierum ac locorum habito diſcrimine? *Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam. Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi*. Aperta reſponſione inimicorum calumniam Dominus refutare poterat, ſed prudenter interrogat, ut ſuo vel ſilentio vel ſententia condemnentur. Hunc locum explicuimus ad caput 21. Matthæi. Se neſcire mentiti ſunt quod optime noverant, Baptiſmum Joannis de cælo fuiſſe, quia Joannes miſſus fuit a Deo ut prædicaret pœnitentiam, & populum baptizaret in nomine Meſſiæ, cujus erat Præcurſor; quamobrem merito repulſi a Chriſto, confuſique abſceſſerunt. Tunc impletum eſt quod
*Pſ.*131. 17. Deus per Prophetam in Pſalmis ait: *Paravi lucernam Chriſto meo*, Id eſt, Joannem, qui fuit *Lucerna ardens*
*Joan.*5.35. *& lucens*, & venit ut teſtimonium perhiberet quia Jeſus eſt Filius Dei. *Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.*

SENSUS MORALIS.

Joan. 10.9. *Beda.* 1. INvenietis *pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite*. Pullus iniugis & indomitus populi Gentilis typus fuit, qui ſine jugo, ſine lege, ſine Deo erat in hoc mundo, idolatriæ, aliorumque peccatorum vinculis alligatus. Miſſi ſunt Apoſtoli ut illum auctoritate Chriſti Domini ſolverent, & ad illum adducerent. *Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum*. Janua Chriſtus eſt, qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*. Paſcuis illis ſaluberrimis pullus iſte, id eſt, populus Gentilis carebat, cum adhuc extra hanc januam in bivio ligatus ſtabat non certam vitæ fideique viam tenens, ſed plures dubioſque ſectarum calles ſequens, in varios diſtractus errores, & ad ſimulacra muta vadens, pro ut ducebatur. Prædicatoribus ſanctis primum obſtiterunt errorum Magiſtri, ſed nomine Domini Jeſu audito, qui magis habet in poteſtate ſua hominum voluntates, quam ipſimet ſuas, credentium cœtum ad Deum adduci permiſerunt, quem in corde portarent. Ut vero ad Chriſtum Regem ad victorem ſuum, victimamque Catholicam Patris, cujus ſanguine ſunt redempti, geſtandum illos diſponerent, virtutum indumentis ipſos ornarunt. *Et imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum*. Pullo Dominum portante, *Multi veſtimenta ſua ſtraverunt in via*, quia ſancti Martyres propriæ ſe carnis amictu exeuntes, ſimplicioribus Dei famulis viam ſuo ſanguine paraverunt, ut inoffenſo greſſu mentis ad ſupernam Jeruſalem, quo Chriſtus præivit ac ducit, incederent. Veſtimenta ſua ſternit in via Chriſto triumphanti, qui bona omnia temporalia arbitratur ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciat; qui rerum omnium detrimentum pati paratus eſt, ne Deum offendat. Frondes cædit de arboribus, & ſternit in via Chriſto cordis ſui victori, qui ſpes omnes ſæculi inanes ducit, & Dei fruitioni poſtponit, cujus Regnum præ rebus omnibus deſiderat, in ſe per charitatem inchoatum, in gloria conſummandum. *Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit Regnum Patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.*

2. *Cumque vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit ſi quid forte inveniret in ea: & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet*. Ficulneam Dominus non
S. Iſidorus Peluſiota ſine cauſa maledictione devinxit, verum ut ingratis Judæis oſtenderet ſe eam vim habere, quæ inferendo quoque ſupplicio par eſſet. Quoniam enim eum in omnibus miraculis nullam cuiquam moleſtiam intuliſſe perſpexerant, idcirco eum prodeſſe tantum poſſe exiſtimabant, non vero improbos malo afficere. Quamobrem a ſubſtantia animæ experte, populum ingratum admonet. *Se ulciſci quidem ipſius ſcelera poſſe, ſed pro ſua bonitate nolle. Exaruit igitur arbor, ut hominibus terrorem incutiat*. Chriſtus eſurit ſalutem noſtram, juſtitiæ fructus in nobis quærit; ſi nullos inveniat in hora mortis noſtræ, arborem infructuoſam æterna maledictione feriet. Tunc tempus fructuum non erit; tunc impii erunt *ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur exaruit, de quo non implevit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit.... Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. *Epiſt.* 51. *lib.* 1. *ad Theopompum Tribunum*. *Pſ.* 128. 6. *Eccli.* 11. 3.

3. *Et cum introiſſet in Templum, cœpit ejicere vendentes & ementes in Templo*. Corda noſtra templa ſunt Dei, ad illius adorationem per baptiſmum conſecrata. Cavere igitur debemus ne aliquid profanum in ea inferatur; hinc eliminandæ avaritia, cupiditas, ambitio. Gratis colendus eſt Deus: Nihil aliud quærendum eſt in ejus cultu præter ipſum. Qui enim propter humanam gloriam, aut temporalia commoda Deum colit, mercator eſt, ut turpis lucri cupidus, non Chriſtianus Deum in ſpiritu & veritate adorans. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*. Dicendum cum Propheta: *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Quod ſacrificium? De quo Deus ait per eundem Prophetam: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Quare voluntarie? *Quia gratis amo quod laudo*. „ Laudo Deum, „ & in ipſa laude gaudeo: ipſius laude gaudeo, quo laudato non erubeſco. Non enim quemadmodum laudatur „ a ſtudioſis theatricarum nugarum vel auriga, vel venator, vel quilibet hiſtrio, & a laudatoribus ſuis invitantur alii laudatores, exhortantur pariter ut clament, „ & cum omnes clamaverint, plerumque illo victo omnes erubeſcunt. Non ita eſt Deus noſter: Laudetur „ voluntate, ametur charitate: gratuitum ſit quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? Ipſe propter ſe, non propter aliud: ſi enim laudas Deum ut „ det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. „ Erubeſceres ſi te uxor tua propter divitias amaret; & „ forte ſi tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. „ Cum ergo te a conjuge gratis amari velis, tu Deum propter „ aliud amabis? Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, ſed ſe ipſum ſervat qui fecit cœlum & terram. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Si propter „ aliud laudes Deum, ex neceſſitate laudas. Si adeſſet „ tibi quod amas, non laudares Deum. Laudas Deum „ verbi gratia, ut tibi det amplam pecuniam: ſi haberes „ aliunde, non a Deo, numquid laudares Deum? Si ergo „ propter pecuniam laudas Deum, non voluntarie ſacrificas „ Deo, ſed ex neceſſitate ſacrificas: quia præter illum neſcio quid aliud amas ... Ipſum gratis dilige: quin melius ab „ eo non invenis quod det, quam ſeipſum; aut ſi invenis melius, hoc pete. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Quare voluntarie? Quia gratis. Quid eſt gratis? *Et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt*: Ob nihil aliud, niſi quia „ bonum eſt. Numquid ait, Confitebor nomini tuo, Domine, „ quia das mihi fructuoſa prædia, quia das mihi aurum & „ argentum, quia das mihi latas divitias, amplam pecuniam, excellentiſſimam dignitatem? Non. Sed quid? *Quoniam bonum eſt*. Melius nihil invenio quam nomen tuum: „ *Ideo* Confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.“ *Pſ.* 53. *Pſ.* 59.

4. *Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per Templum*. Hic referendus eſt præclarus S. Baſilii locus. „ Verum neque nundinationes illæ, quæ in Martyriis „ celebrari ſolitæ ſunt, convenire nobis putandæ ſunt: „ Neque enim ullam aliam ob cauſam adeſſe decet Chriſtianos in Martyriis, aut iſtis contigua loca inviſere, quam orandi cauſa, & ut Sanctorum conſtantiæ „ admoniti, in qua illi ne pietatem amitterent, ad „ necem uſque fortiter perſeveraverunt, niſi quoque ad „ ſimilis fortitudinis æmulationem incitentur. Nimirum memoria tenendum illud, quam terrifica & formidabili ira olim exarſerit Dominus, qui cum ſemper „ & ubique manſuetus & humilis corde fuerit, in eos „ tamen ſolos flagellum intendit, cui circum Templum „ vendendis emendiſque mercibus operam dabant; quippe quaſi nundinatio illa orationis domum in latronum „ ſpeluncam converterit. *Et docebat, dicens eis*: Nonne ſcriptum eſt: *Quia domus mea domus orationis „ vocabitur omnibus?* “ (non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci apud Deum: nam idem eſt Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.) *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Domum Dei ſpeluncam latronum faciunt, qui non intrant per oſtium quod eſt Chriſtus, ſed abſque illius vocatione in Statum Eccleſiaſticum & Beneficia irrepunt; qui Canonicum Officium attente & devote non perſolvunt, qui ſacratiſſimam Reſidentiæ legem violare non verentur, qui plura Beneficia aut Penſiones coacervant contra ſacros Canones, cum unum ad honeſtam ſuſtentationem ſufficit; qui in *S. Baſil. M. in Regulis fuſius Diſputatis interrogat.* 40 *Rom.* 10. 12

in Templo deambulant & confabulantur : *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

5. *Dico vobis: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Oratio, omnipotentia supplex. Deus omnia promittit orationi, nihil excipit, quia *Spiritus* sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus; quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Dei voluntatem in omnibus & præ omnibus impleri Christiana postulat oratio: cum igitur Dei voluntas semper impleatur, oratio vere Christiana semper exauditur. Etsi non exaudiamur semper ad voluntatem, numquam non exaudimur ad utilitatem: semper exaudimur ad vitam æternam, si fideliter, humiliter, perseveranter oremus; si postulemus *In fide nihil hæsitantes*, pleniſſime persuasi *Quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere.* Si ergo non exaudimur orantes, id fidei nostræ defectui imputemus *Nam si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Unde & Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait*: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivum, ubi caput aquæ siccatur, adjunxit, atque ait*: Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? *Ergo ut oremus, credamus; & ut ipsa non deficiat fides qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio impetrat fidei firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait*: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. *Quid est in tentationem intrare, nisi a fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit; & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.*

Rom. 8. 26. 27. — Rom. 10. — Rom. 4. — S. Augustin. ser. 115. alias 36. de Verbis Dom. — Luc. 22.

6. *Et cum stabitis ad orandum; dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis; nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.* Remissio peccatorum soli conceditur charitati. Orare nos pro debitis & peccatis Christus docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam secuturam, sed legem adjunxit, certa nos conditione & sponsione constringens ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus. „ Excusatio „ tibi nulla in die judicii superest, cum secundum tuam „ sententiam judiceris: & quod feceris, hoc & ipse pa- „ tiaris. Pacificos enim & concordes atque unanimes esse „ in domo sua Deus præcipit: & quales nos fecit secun- „ da nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui „ filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, & qui- „ bus Spiritus unus est, unus sit & animus & sensus. „ Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, & ab Al- „ tari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pa- „ cificis precibus & Deus possit esse placatus. Sacrifi- „ cium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, „ & de unitate Patris, & filii, & Spiritus sancti plebs „ adunata. Neque enim in sacrificiis quæ Abel & Cain „ primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda in- „ tuebatur: ut ille placeret in munere, qui placebat in „ corde. Abel pacificus & justus dum Deo sacrificat in- „ nocenter; docuit & ceteros quando ad Altare munus „ offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici cor- „ de, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace: Merito „ ille dum in sacrificio talis est ipse, postmodum sacrifi- „ cium Deo factus est; ut martyrium primus ostendens, „ initiaret sanguinis sui gloria Dominicam Passionem, „ qui & justitiam Domini habuerat & pacem. Tales de- „ nique a Domino coronantur; tales in die judicii cum „ Domino vindicabuntur. Ceterum discordans & diffi- „ dens, & pacem cum fratribus non habens, secundum „ quod Beatus Apostolus & Scriptura Sancta testatur, „ nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dis- „ sensionis fraternæ poterit evadere, quia sicut scriptum „ est, *Qui fratrem suum odit, homicida est.* Non potest esse „ cum Christo, qui imitator Judæ maluit esse, quam „ Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo san- „ guinis potest ablui? Quale crimen est, quod Martyrio „ non potest expiari? " Qui non vult dimittere fratri, Deum non habebit propitium; Deum non habebit patrem, nec hæreditatem consequetur, quæ Deus ipse est: qui patrem non habebit, inimicum & judicem experietur. Qui ultionem de proximo suo vult repetere, iræ & ultionis divinæ pondus æternum sustinebit.

S. Cypr. Tract. de orat. Dom.

CAPUT XII.

Sensus Litteralis.

1. ET *cœpit illis in parabolis loqui.* Multas proposuit parabolas, quarum unam dumtaxat S. Marcus recenset. *Vineam plantavit homo*, plantavit, *& circumdedit sepem, & fodit lacum*, torcular, *& ædificavit turrim*, ad ejus custodiam ac defensionem, *& locavit eam agricolis, & peregre profectus est*, in regionem longinquam abiit. *Et misit ad agricolas in tempore*, qua tempestate colligi fructus solent, *servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ*, ut reditus reciperet. *Qui apprehensum eum cæciderunt*, verberaverunt, *& dimiserunt vacuum*, &c. Hanc parabolam, & quæ sequuntur de lapide reprobato ab ædificantibus, & facto in caput anguli, explicuimus ad cap. 21. S. Matthæi.

2. *Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo*, ut proposita quæstione ipsi insidiarentur, calumniandi occasione ex illius responsione arrepta. *Qui venientes* dicunt ei: *Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam*, nullam habes rationem personarum: *nec enim vides in faciem hominum*: externas qualitates extra causam & rem in docendo & judicando non spectas; *Sed in veritate viam Dei doces*, viam quæ ducit ad Deum. *Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?* Debemusne solvere, vel non debemus? *Qui sciens versutiam illorum*, simulatione & hypocrisim, *ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium* argenteum, *ut videam. At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Cæsari solvite quæ debetis tributa: Deo quæ debetis officia. Imperatori pecuniam ejus imagine signatam, Deo animam ejus imagine insignitam. Lege quæ diximus ad cap. 22. S. Matthæi; ubi & quæ sequuntur de quæstione a Sadducæis Christo proposita explicuimus, & de statu Resurrectionis, in quo homines erunt similes Angelis, & uxores non habebunt, nec mulieres viros; quia nulla in *angelificata carne* (sic loquitur Tertullianus) erit necessitas propagationis, ubi nullus erit defectus corruptionis.

3. *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Promisit Deus sanctis illis Patriarchis se mercedem eorum futurum & hæreditatem, & hac ratione se Deum illorum singulari ratione dixit, etiam postquam ex hoc mundo migrassent: non potest autem Deus ab iis qui non sunt amplius, possideri; nec mortuorum, sed viventium præmium, hæreditas & beatitudo est. *Fide demoratus est* Abraham *in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex & conditor Deus.* Sancti illi Patriarchæ *juxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.* Cum igitur fidelis sit Deus in promissionibus suis, & *impossibile* sit illum *mentiri*, ipsaque promissiones juramento confirmaverit, *volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui*, alteram vitam ab ista mortali esse necesse est, in qua hæredes promissionum Dei ipsas revera consequantur, & secundum animam, qua homines sunt; & secundum corpus, sine quo homines non sunt, quoque velut organo ad omnia opera bona sanctus usus est Spiritus. Hinc animam esse immortalem consequens est, corpusque resurrecturum, ut totus homo æterna hæreditate, hoc est ipso Deo fruatur.

Exodi 3. 6. — Hebr. 11.

4. *Et accessit unus de Scribis*, Doctoribus Legis, *qui audierat illos conquirentes*, conferentes, seu disputantes: *& videns quoniam bene illis respondit*, Jesus Sadducæis: *interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum*, maximum ac præcipuum. *Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel. Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Unius Dei cognitio & confessio, veræ Religionis fundamentum est. *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Unum porro Deum nosse non sufficit, nisi colatur & glorificetur ut Deus. *Non colitur* autem *nisi amando.* Hoc est primum mandatum. *Secundum autem simile est illi*, ad dilectionem & charitatem pariter pertinet, primo illi congruit, & ex eo consequitur. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est.* Non est aliud mandatum his duobus majus atque præstantius. Lege quæ diximus ad cap. 22. S. Matthæi.

S. Augustin. Epist. 129.

„ 5. Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixi- „ sti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum. Et „ ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex to- „ ta anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum „ tamquam se ipsum, majus est omnibus holocaustomatibus „ & sacrificiis. " Præstantius est, Deoque gratus omni genere sacrificiorum legalium, sive sint holocausta, sive pacifica, aut pro peccato; toto denique cultu ceremoniali excellentiora sunt hæc duo præcepta charitatis. *Jesus autem videns quod sapienter respondisset*; ac misericordiam atque charitatem Deo magis placere intelligeret quam sacrificia, dixit illi: *Nos es longe a Regno Dei.* Non longe abes a fide, gratia & veritate Evangelii. „ Ten-

S. Hilar. lib. 9. de Trinit. n. 25. 26

„ debat

„ debat felici cursu, etsi ignoranti, & prælata omnibus „ dilectione Dei, & charitate proximi suæ ipsius dilectio„ ni exçquata. Cum tamen ei ipsi proximi charitati amo„ rem Dei prætulisset, jam non holocaustomatum & sa„ crificiorum præscriptis continebatur. Non erat longe „ istud ab Evangelico sacramento .... Sed admonetur „ sua ipsis professione, cur sacramentum Legis ignoret, „ & Christum Dominum Filium Dei nesciat per nativi„ tatis naturam in fide unius Dei confitendum. Et quia „ per unius Domini secundum legem professionem, Dei „ Filio ut in unius Domini Sacramento maneret, non „ relinqui videbatur, Scribam admonet, quomodo Chri„ stum David filium esse diceret, cum David eum Do„ minum suum esset professus; nec natura sineret ut qui „ tanto Patriarchæ esset filius, esset & Dominus. Hoc „ ideo, ut se Scriba, secundum carnem & partum Ma„ riæ quæ ex David esset solum eum intelligens, Domi„ num potius, secundum spiritum, David meminisset, es„ se, quam filium; & id quod dictum est, *Audi Israel, Do„ minus Deus noster Deus unus est*, a Domini unius sacra„ mento Christum non separaret, cum tantus Patriarcha „ & Prophetes eum, qui ante luciferum ex utero Domi„ ni genitus fuisset, Dominum sibi profiteretur, non uti„ que immemor legis, neque ignorans Dominum alium „ non confitendum, sed eum qui naturalis sacramento na„ tivitatis ex incorporalis Dei utero substitisset, absque „ violatæ legis fide Dominum esse intelligendum; cum „ unus ex uno, per unius Domini naturam, haberet in „ se naturale quod Dominus est. " Sic explicat S. Hilarius quæstionis sequentis connexionem cum præcedentibus.

6. *Et respondens Jesus dicebat, docens in Templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto*, Spiritus sancto afflatus: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus.* Qua igitur ratione fieri potest ut ejusdem sit Dominus & filius? *Et multa turba*, magna pars plebis, *eum libenter audivit*, Pharisæis, Legisperitis, & Senatoribus ejus doctrinam contemptui habentibus.

7. *Et dicebat eis in doctrina sua*, inter docendum: *Cavete a Scribis*, a Legisperitorum superbia, fastu, hypocrisi, avaritia, *qui volunt in stolis ambulare*, affectant incedere cum veste talari, eleganti, magnifica, ad pompam & ostentationem; *& salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in cœnis: qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis:* quæstum facientes pietatis specie: *Hi accipient prolixius judicium*, graviorem damnationem. Vide quæ diximus ad cap. 23. S. Matthæi.

8. *Et sedens Jesus contra gazophylacium*, juxta arcam in quam mittebantur nummi Templo oblati, *aspiciebat quomodo turba*, populus, *jactaret æs in gazophylacium: & multi divites jactabant multa*, magnam pecuniam jactabant ad ostentationem. *Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta*, duos minutulos nummos æreos *quod est quadrans*, quarta pars solidi. *Et convocans Discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, Quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium*, si ejus animus, pietas & charitas spectentur, ex quibus oblationes & eleemosyna apud Deum æstimantur. *Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt*: ex eo quod illis redundabat, ex superfluo: *Hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum*. Nihil prorsus sibi reservavit: sed quod sibi ad diurnum victum necessarium erat, totum obtulit religiosa liberalitate.

Conf. cum Lucæ 21. Vers. 1. 2. 3. 4.

SENSUS MORALIS.

1. *Vineam pastinavit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est*, &c. Vinea Domini, tropologico sensu, Anima est. Hanc plantavit creando, & in corpus infundendo, ac sanctificando per baptismum quo nova in Christo creatura facta est. Sæpe circumdedit eam Mandatorum suorum: Fodit in ea lacum seu torcular, Sacramenta nempe & Sacrificium, ex quibus in eam fluit Christi sanguis. Turris est Ecclesia, ubi Anima a terra per orationem evecta, & ab hostibus suis tuta, invenit clypeos & omnem armaturam fortium ad victoriam de illis reportandam. Animæ nostræ Domini non sumus, sed coloni. Dominus ejus Deus est, cui fructus justitiæ & bonorum operum per ejus gratiam provenientes reddere debemus. Misit servum suum, sanctas scilicet inspirationes & pios motus, ut fructum seu proventum vineæ suæ exigeret: sed missus servus cæditur & vacuus dimittitur, cum sanctæ inspirationes rejiciuntur, cum bonæ cogitationes & pia desideria vitio nostro inutilia & vacua fiunt. Servum alterum mittit, videlicet Scripturas sacras, quarum lectionem negligimus, vel ore Pastorum & Concionatorum eas audire minime curamus, aut secundum illas vitam nostram instituere nolumus. Plures alios servos mittit, Sanctos, quorum exempla non imitamur. Mittit demum Filium charissimum in incarnatione, in Eucharistia, quæ extensio Incarnationis est, ut cor nostrum sibi vendicet, ut gratiarum suarum fructus exigat; sed nec illum veneramur, imo conculcamus; occidimus, quantum in nobis est, *rursus crucifigentes* & extra vineam ejicientes. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet in hora mortis & judicii, & perdet malos colonos: interimque donum gratiæ quod spernunt superbi, humilibus datur. Caveamus, Fratres, ne quis nostrum desit gratiæ Dei, ne Spiritui sancto nos ad bonum moventi & excitanti contumeliam faciamus, ne Filium Dei mortaliter peccando conculcemus & occidamus, moralem vitam qua in cordibus nostris per charitatem vivit, illi eripientes.

Beda.

2. *Reddite igitur quæ sunt, Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt, Dei Deo.* Parendum Regi propter Deum, solvenda ipsi tributa, ad ejus Imperium contra publicos hostes pugnandum: sed si quid contra Dei Legem vel Rex ipse juberet, Deo magis quam hominibus obedire oportet. Pro Regibus orandus est Deus, ut det illi *Vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum*. Sed Deo in primis obedire debemus, illum timere, colere, amare. „ Imperatorem necesse est suspiciamus, ut eum quem „ Dominus noster elegit. Et merito dixerim. Noster est „ magis Cæsar, a nostro Deo constitutus. Itaque & in „ eo plus ego illi operor in salutem, quod non solum ab „ eo postulo eam qui potest præstare; aut quod talis po„ stulo qui merear impetrare: sed etiam quod temperans „ Majestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commen„ do Deo, cui soli subjicio. Subjicio autem cui non adæ„ quo. Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia „ mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel „ quia nec ipse se Deum volet dici. Si homo sit, inte„ rest homini Deo cedere. Satis habet appellari Impe„ rator. Grande & hoc nomen est quod Deo traditur ... „ Esto religiosus in Deum, qui vis illum propitium Im„ peratori. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ „ sunt Deo, Deo*. Quemadmodum Cæsar exigit a nobis „ impressionem imaginis suę, sic & Deus; ut quemadmo„ dum illi redditur nummus, sic Deo reddatur anima „ lumine vultus ejus illustrata atque signata. *Unde Psal„ mista*: Signatum est (*inquit*) super nos lumen vultus „ tui, Domine. Hoc lumen est totum hominis, & ve„ rum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. „ Signatum autem dixit in nobis, tamquam denarius si„ gnatur Regis imagine. " Homo enim factus est ad imaginem & similitudinem Dei, quam peccando corrupit. *Bonum ergo ejus est verum atque æternum, si renascendo signetur*. Adeo in nobis imago divina per pecta gravia quæ committimus, detrita, obscurata & deformata est, ut dicere liceat: *Cujus est imago, & superscriptio?* Quemadmodum igitur: *portavimus imaginem terreni* hominis, *sic portemus imaginem cœlestis*.

Tertull. in Apologet.

Beda.

1. Cor. 15. 40.

3. *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Non est mortuorum Deus, sed viventium*. Lugendum quod plerique Christiani vivant, quasi alia vita futura non esset, operibus, sin minus verbis dicentes: „ Venite, & „ fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam „ in juventute celeriter. Coronemus nos rosis antequam „ marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat „ luxuria nostra ... Manducemus & bibamus, cras enim „ moriemur. " Deo vivamus, ut sint Deus noster & merces æterna: rebus omnibus creatis bene utamur, ut Deo nostro fruamur. Laboremus æternitati. Quid temporalibus & transitoriis rebus inhæremus, felicis æternitatis candidati.

Sap. 2. 1. Cor. 15. 32.

4. *Primum omnium mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. Manifeste nos docuit Dominus, neminem posse duobus dominis servire. Et hoc igitur loco docemur. „ Dilectionem non partiri in Deum & „ aurum, in Deum & uxorem, in Deum & liberos, „ in Deum & amicos, sed totam dilectionis vim Crea„ tori Deo consecrare. Deinde secundum Creatorem „ quæ unicuique conveniant impartiri, & parentibus, „ & uxori, & liberis, & fratribus, & amicis. Siqui„ dem pertinet ad dilectionem Dei hæc etiam præsta„ re. Qui enim diligit me, *inquit*, mandata mea ser„ vabit. „ Mandata vero Dei ista præcipiunt. Deum ex toto corde non diligit, imo vere non diligit, qui e„ jus beneficia magis quam ipsum diligit. „ Quemadmo„ dum si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, & illa „ acceptum annulum plus diligeret quam sponsum, qui „ illi fecit annulum, nonne in ipso dono sponsi adul„ tera anima deprehenderetur, quamvis hoc amaret „ quod dedit sponsus? Si diceret: Sufficit mihi annu„ lus iste, jam illius faciem nolo videre: qualis esset? „ Quis non detestatur hunc amentiam? Quis non adul„ terinum animum convinceret? Amas aurum pro vi„ ro, amas annulum pro sponso. Si hoc est in te ut „ ames annulum pro sponso tuo, & nolis videre spon„ sum tuum, ad hoc tibi arrham dedit, ut non te „ opi-

Theodoret. Interrog. 3. in Deut.

S. Aug. Tract. 2. in Epist. Joan.

S. Aug. Epist. 52. ad Maced. „ *opignoraret, sed averteret*. Ad hoc utique arrham dat „ sponsus, ut in arrha sua ipse ametur. Dedit tibi Deus „ omnia ista, ama illum qui fecit. Plus est quod tibi „ vult dare, id est, se ipsum qui ista fecit. Si autem „ amaveris hæc, quamvis Deus illa fecerit, & neglexeris Creatorem, & amaveris mundum, nonne amor „ tuus adulterinus deputabitur? *In dilectione Dei reperitur quicquid vere hominem ornare & nobilitare potest. „ Si ornet ac nobilitet virtus, in hac vita* Virtus non „ est, nisi diligere quod diligendum est. *Si ornet ac nobilitet sanitas*: Charitas est sanitas; tunc plena sanitas, quando plena Charitas. *Si ornet potestas*; quem „ regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus „ hæreat, plus eum diligendo quam se ipsum. *Si ornet „ sapientia*; Summa & vera sapientia est in præcepto illo „ primo, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, „ & ex tota anima tua: Ac per hoc sapientia est charitas Dei. *Si ornet ac nobilitet pulchritudo*: Anima nostra fœda est per iniquitatem, *amando Deum pulchra „ efficitur*. Qualis amor est, qui reddit pulchram amantem? Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo. „ Primum omnium mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Deo igitur obedientes, illud diligentissime præcaveamus, quod Deus nos super omnia præcavere voluit, ut ipsum ex toto corde diligamus. *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum*. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cetera. Sed quia te amare non possum, Domine Deus meus, nisi amorem tuum dederis mihi: *Totum cor meum flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi, nec quo respiciam ad me ipsum; sed totus in te effluem, totus in te ardeam, totus diligam te, tamquam inflammatus abs te.*

S. Aug. Tract. 9. in Epist. Joan. *lib. de Perfect. Instit. c. 3. lib. de vera Relig cap. 18. Ep. 12. c. 18.*

S. Augustin Tract. 9. in Epist. Joan.

Josue 33. 25. S. Aug. Serm. 5. de Verbis Dom S. Aug. in Psam. 137. num. 2.

5. *Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.* Vere proximum sicut nos ipsos diligimus, si immunitatem ab iisdem malis, a quibus immunes esse volumus, & bonorum eorumdem possessionem, præsertim vero fruitionem summi, immutabilis æterniq.e boni ipsi pariter optemus. *Mandatum novum do vobis* (inquit Christus) *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus: & quicquid aliud præcepit, faciemus: quoniam quicquid est aliud hic habemus. *Discernitur quippe ista dilectio ab illa dilectione qua se invicem diligunt homines* sicuti homines: nam ut discerneretur, adjunctum est, *Sicut dilexi vos*. „ Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut re„ gnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos in„ vicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus „ a ceteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia „ nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum „ diligunt, ipsi se diligunt: ideo ut se diligant, Deum „ diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: „ pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. Qui sancte & spiritualiter diligit proximos, eos „ amat aut quia justi sunt, aut ut justi fiant." Sic enim & se ipsum amare debet, aut quia justus est, aut justus ut sit. Sic enim diligit proximum tamquam se ipsum sine ullo periculo. Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quoniam ad hoc se diligit, ut sit injustus, ad hoc ergo ut sit malus, ac per hoc jam non se diligit: *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui* proximum hoc modo *non diligit, manet in morte*. Diligamus ergo, *non verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, nempe eleemosynarum largitione, hospitalitate, consilio, aliisque beneficentiæ & dilectionis officiis. Sine Dei proximique amore sincero & actuoso ne ipsa quidem sacramenta prosunt. *In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non est justus*, nocendo nemini, & cui potest benefaciendo, *non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum*. Igitur *Dilectio sola, discernit inter filios Dei, & filios diaboli.*

Beda in c. 13. Epist. ad Rom.

1. Joan. 3.

Beda.

6. *Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in cœnis: Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: Hi accipient prolixius judicium*. Doctores & directores hypocritæ velut pestes fugiendi. His autem characteribus agnoscuntur. 1. Externorum quorumdam operum vel signorum singularitate spectabiles videri volunt. 2. Hominum existimationem, laudem, & quicquid ad pietatis opinionem illis conciliandam conducere potest, ambiunt & affectant. 3. In omnibus quæ Religionem spectant, ceteris amant anteponi. 4. In publicis conventibus reliquis omnibus eminere. Humilitatem verbis tenus profiteri, ut altius ascendere compellantur. Contemplationem & prolixiores orationes simulare. Hac arte pecunias piarum mulierum emungere. Tales sunt nostris temporibus Quietistæ,

1. Tim. 3. „ Homines se ipsos amantes, incontinentes, protervi, „ tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus „ abnegantes. Et hos devita: ex his enim sunt qui pe„ netrant domos, & captivas ducunt mulierculas onera„ tas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis. Hi re„ sistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa „ fidem, sed ultra non proficient: insipientia enim eo„ rum manifesta erit omnibus. *Isti homines* existimant „ quæstum esse pietatem." Hos egregie describit piissimus Vitæ Spiritualis Magister *Joannes Taulerus*. Serm. 2. in Dominica 1. Quadragesimæ. „ Se, *inquit*, contem- *2. Tim. 6. 5.* „ platores vocant eosque cognoscere licebit ex naturali „ illa quiete, quam intra se otio dediti sentiunt. Hi se „ a peccatis immunes, Deo sine medio unitos, omnibus „ & divinis & humanis solutos legibus, & ad nulla de„ mum opera bona obligatos arbitrantur; hoc errore se„ ducti, quod putent otium illud cui vacant, pro sui no„ bilitate ac excellentia nullo pacto esse interturbandum „ impediendumque. Hinc enim repudiant subjectionem, „ nec quicquam omnino sursum vel deorsum operantur; „ ac velut instrumentum artificem præstolatur, nihil sine „ illo efficiens, ita & ipsi divinam exspectant operatio„ nem, nihil ipsi penitus agentes. Putant enim sua actio„ ne divinum opus fore præpediendum. Nihil itaque pe„ nitus in virtutibus sese exercent, sed otio vanissimo „ tradunt. Non gratias agere, non Deum laudare, ni„ hil habere, nihil cognoscere, nihil amare, nihil ora„ re, nihil desiderare volunt. Hæc omnia tamquam no„ xia postponunt. Quicquid enim orare possent, jam ha„ bere se putant: & ita paupertatem spiritus sibi arro„ gant, cum ab omni propria voluntate alieni sint, ut „ ipsis videtur, omnemque proprietatem & electionem ab„ dicarint, jam quod ad Ecclesiæ leges attinet, ea om„ nia non modo consecutos, sed & transcendisse se cre„ dunt, ob quæ cuncta Sanctæ Ecclesiæ præcepta, ri„ tus, consuetudines, ceremoniæ rationabiliter institutæ „ sunt. Ad hæc, persuasum habent, neminem, nec ip„ sum Deum quicquam sibi vel dare posse, vel auferre, „ eo quod exercitia omnia, cunctasque virtutes ad extre„ mum usque patiendo superarint, transcenderintque, ut „ ipsis videtur, atque ad meram sive puram quamdam „ facultatem seu otium pertigerint, sintque ab omni vir„ tute absoluti seu expediti. Huc autem, ut ita a vir„ tutibus aliquis expediatur seu efficiatur liber, atque ad „ illud vacuum pertingat otium, plus requiri laboris in„ quiunt, quam ad ipsas virtutes consequendas. Hac de „ causa tantam sibi libertatem usurpant, ut nulli pror„ sus obedire velint, neque Papæ, nec Episcopis, nec „ Pastoribus suis. Et quamvis interdum extrinsecus obe„ dire se simulent, intus tamen nulli omnino subjiciun„ tur, nec voluntate, nec actione. Ab omnibus sanctæ „ Ecclesiæ consuetudinibus ac legibus immunes & exem„ pti esse volunt, palam asserentes, quod quamdiu ali„ quis virtutibus assequendis navat operam, tamdiu ad„ huc imperfectus sit: quidque sit vera spiritus paupertas, „ & otium sive vacuitas ista, prorsus ignoret. Insuper „ credunt omnia tam Angelorum quam hominum meri„ ta se vicisse, nec deinceps ullum posse vel virtutis aug„ mentum capere, vel admittere peccatum, ea de cau„ sa quod absque voluntate vivant, ut ipsis videtur, spi„ ritumque suum quieti ac otio tradiderint, & in seipsis „ annihilati, unum cum Deo effecti sint. Proinde cun„ ctis naturæ desideriis absque peccato libere se satisfa„ cere posse stultissime credunt, utpote qui summam ade„ pti sint innocentiam, quibusque lex nulla posita sit. „ Breviter ergo ne spiritus otium, quies & libertas ul„ lum patiatur impedimentum, cunctis naturæ affectibus „ & concupiscentiis indulgent & obsequuntur. Nulla eis „ vel de jejuniis, vel de Festorum observatione, vel de „ aliquo præcepto cura est, nisi quatenus hac in parte „ hominum facies verentur, aut hominibus placere ap„ petunt. Nullam enim de re quacumque conscientiam „ habent. Assevetare non dubitem, latrones quosque & „ omnes in manifestis sceleribus vitam agentes, ejusmodi hominibus meliores esse."

Aliud Pseudocontemplantium genus Taulerus describit, „ qui pariter persuasum habent, se nulli virtutum „ actioni adstrictos, sed ab omni operatione expeditos „ & otiosos, Deique instrumentum esse, in quo ille quic„ quid velit operetur, solumque passivos esse, sive patien„ tes absque omni actione. Dicunt autem, ea opera quæ „ Deus cum ipsis perficit & operatur, multo excellentiora, magisque meritoria esse, quam cujuslibet alterius „ hominis opera, qui hæc per se ipsum agit, licet in „ gratia Dei: Seque Dei patientes nuncupant, eo quod „ Dei sustineant seu patiantur opera, quæ ipse (ut putant miseri) in eis operatur. Verum quamvis nihil „ ipsi intus agant, quamvis otium sectentur & quietem, „ mercede tamen frustrari nolunt. Attamen quicquid „ agant, nihil se peccare arbitrantur, cum Deus id per „ eos efficiat, ut ipsi dicunt, & quicquid ipse velit, id „ per eos fiat, nec prorsus aliud aliquid. Humilitatem „ quamdam præ se ferunt in conversatione & actibus „ suis, facileque adversa omnia tolerant ea de causa „ quod se Dei instrumentum esse arbitrentur, per quod „ ille pro gratissima sua voluntate operetur. Sunt igitur „ isti veris Dei amicis admodum similes in multis: sed „ in hoc nimium oberrant, quod omnia ea ad quæ intus

„ moven-

„ moventur sive bona sint, sive mala, a Spiritu Sancto „ procedere & fieri putant: Ceterum difficulter agnosci „ queunt, quod vitam suam & vitæ modum optime tue- „ ri, & glossis quibusdam ordinare sciant. Est tamen in „ quo agnosci poterunt, ipsorum videlicet propria volun- „ tas, puta quod mortem potius obirent, quam aliquid „ vel minimum eorum abnegarent, desererentve, quæ „ cum proprietate possident. " Hæc Taulerus.

7. *Amen dico vobis, Quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium*, &c. Moraliter Dominus instituit universos, ne quis a collatione ministerii paupertatis amore revocetur: nec sibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre quam paupe- *S. Amb. lib. de Viduis cap. 5.* res. „ Uberior est enim nummus e parvo; quia non quan- „ tum detur, sed quantum resideat, expenditur. Nemo „ plus tribuit, quam quæ nihil sibi reliquit .... Spectat „ vos Dominus semper, cum ad gazophylaciumaccedit, & „ de bonorum operum mercedibus stipem putatis egentibus „ conferendam. Quantum est igitur ut æra tua conferas, & „ Christi corpus acquiras? Noli ergo vacua reprodi in con- „ spectum Domini Dei tui, vacua misericordiæ, vacua „ fidei, vacua castitatis; non enim inanes Dominus, sed „ virtutibus opimas spectare Jesus & laudare consuevit. " *S. Cypri in. Tract. de Opere & eleemosynis.* Vidua ista plus omnibus misit. " Multum beata mulier „ & glorioſa, quæ etiam ante diem judicii meruit Judi- „ cis voce laudari. Pudeat divites sterilitatis atque infi- „ delitatis suæ: Vidua, & inops vidua in opere larga in- „ venitur. Cumque universa quæ dantur, pupillis & vi- „ duis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, „ ut sciamus quæ pœna sterilem divitem maneat, quan- „ do hoc documento operari etiam pauperes debeant. *Lucæ 21. 4.* Omnes hi „ Atque ut intelligamus hæc opera Deo dari, & eum ex abun- „ quisquis hæc faciat, Dominum promereri; Christus il- danti sibi „ lud Dei dona appellat, & in dona Dei viduam duos misérunt in „ quadrantes misisse significat, ut magis ac magis possit munera „ esse manifestum, quia qui miseretur pauperis, Deum Dei. „ fœnerat . . . Porro si Deus eleemosynis pauperum fœ- *3 Reg. 17.* „ neratur, & cum datur minimis, Christo datur, non „ est quod quis terrena cœlestibus præferat, nec divinis „ humana præponat. Sic Vidua illa tertio Regnorum li- „ bro, cum in siccitate & fame consumptis omnibus de „ modico farre & oleo quod superfuerat, feciſſet subci- „ nericum panem, quo assumpto moritura cum liberis es- „ set; supervenit Elias, & petiit sibi prius ad edendum „ dari; tunc quod superfuisset, inde illam cum filiis suis „ vesci; nec obtemperare illa dubitavit, aut Eliæ filios „ mater in fame & egestate præposuit. Fit simmo in „ conspectu Dei quod Deo placeat; prompte ac libenter „ quod petebatur, offertur: *nec de abundantia portio, „ sed de modico totum datur*, & esurientibus liberis al- „ ter prius pascitur, neque in penuria & fame cibus an- „ tequam misericordia cogitatur, ut dum in opere salu- „ tari carnaliter vita contemnitur, spiritualiter anima „ servetur. Elias itaque typum Christi gerens, & quod „ ille pro misericordia vicem singulis reddat, ostendens, „ respondit, & dixit: *Hæc dicit Dominus, Fidelia far- „ ris non deficiet, & capsaces olei non minuetur usque in „ diem quo dabit Dominus imbrem super terram*. Secun- „ dum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt vi- „ duæ & cumulata quæ præstitit, & operibus justis ac „ misericordiæ meritis augmenta & incrementa sumenti- „ bus, farris & olei vasa completa sunt. Nec filiis ab- „ stulit mater quod Eliæ dedit, sed magis contulit filiis „ quod benigne & pie fecit. Et illa nondum Christum „ sciebat, nondum præcepta ejus audierat, non cruce & „ passione ejus redempta, cibum & potum pro sanguine „ rependebat; ut ex hoc appareat, quantum in Ecclesia „ peccet, qui se & filios Christo anteponens, divitias „ suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigen- „ tium paupertate communicat " ... Sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium. „ Quale munus est, cujus editio Deo spe- *S. Cyprian. ibid.* „ ctante celebratur? Si in Gentilium munere grande & „ glorioſum videtur, Proconsules vel Imperatores habere „ præsentes, & apparatus ac sumptus apud munerarios „ major est, ut possint placere majoribus: quanto illu- „ strior muneris & maior est gloria Deum & Christum „ spectatores habere? Quanto isthic & apparatus uberior, „ & sumptus largior exhibendus est, ubi ad spectaculum „ conveniunt cœlorum virtutes, conveniunt Angeli om- „ nes; ubi muneratio non quadriga vel Consulatus peti- „ tur, sed vita æterna præstatur; nec captatur inanis & „ temporarius favor vulgi, sed perpetuum præmium Regni „ cœlestis accipitur? "

S. August. Serm. 47. de Verbis 6. 16. Vidua ista plus omnibus misit. „ Dicat pauper, Deus „ meus; dicat dives, Deus meus: minus ille habet, plus „ hic habet; sed argentum, non Deum. Ut perveniret „ ad Deum Zacchæus dives, dedit dimidium patrimonii „ sui: ut perveniret Petrus, retia & navem dimisit; ut „ perveniret vidua, duo minuta dedit; ut perve- „ niret pauperior, calicem aquæ frigidæ porrexit; ut „ perveniret penitus pauper & egenus; solam bonam „ voluntatem tribuit. Diversa dederunt, sed ad „ unum pervenerunt, quia non diversa amaverunt.

CAPUT XIII.

Sensus Litteralis.

1. *ET cum egrederetur de Templo, ait illi unus ex Discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ*. Cum inter se colloquerentur Discipuli de magnificentia structuræ donorumque Templi, unus ceterorum nomine Christum rogavit, ut lapides ac structuram consideraret. Confer cum Matth. 24. 1. Lucæ 21. 5. *Et cum sederet in Monte Olivarum contra Templum*, e regione Templi, *interrogaverunt eum seorsum Petrus & Jacobus, & Joannes & Andreas: Dic nobis quando ista fient; & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari*. Quando erunt proxime consummanda. *Et respondens Jesus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat*. Cavete a seductoribus: *Multi enim venient in nomine meo*, nomen meum usurpantes, dicentes, *Quia ego sum*, Christus Judæis promissus & exspectatus.

2. *Videte autem vosmetipsos*. Vobis ipsis prospicite & cavete. *Tradent enim vos*, ante Urbis Templique excidium, *in Conciliis, & in Synagogis vapulabitis, & ante Præsides & Reges stabitis propter me, in testimonium illis*, ut testimonium de Divinitate mea, & Evangelii veritate coram illis perhibeatis. Vide Commentarium nostrum in caput 24. S. Matthæi.

3. *Sed in illis diebus, post tribulationem illam*, post illos dies tribulationis, post calamitosa Ecclesiæ meæ tempora, & Antichristi persecutionem, *Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum*. Vide quæ diximus ad cap. 24. S. Matthæi.

4. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*. Nescit Filius, ut homo, quamvis enim diem illum nusquam ignoraverit Christus Jesus, illius tamen scientiam non habuit ratione humanitatis, sed divinitatis. Vel, nescivit ut Patris legatus & interpres, ut nobis revelaret. *Hoc nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc Discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham*: Nunc cognovi quod timeas Deum, *id est, Nunc feci ut cognoscéves; quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud utique dicturus erat Discipulis tempore opportuno, de quo futuro tamquam præterito loquens ait*: *S. Cyril. Alex. lib. 9. de Trinit. S. Aug. l. 1. de Trinitate c. 12. Gen. 22. 12.* „ Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim *Joan. 15.* „ nescit voluntatem Domini sui: Vos autem dixi amicos, *15.* „ quia omnia quæcumque audivi a Patre, nota vobis fe- „ ci: *Quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, „ quasi jam feciſſet locutus est. Ipsis enim ait:* Multa ha- „ beo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo, „ *inter quæ intelligitur* & De die & hora. *Nam* & „ *Apostolus*: Neque enim judicavi me, *inquit*, scire ali- *Joan. 16.* „ quid in vobis nisi Christum Jesum, & hunc crucifi- *12.* „ xum " *Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Christi* *1. Cor. 2. 2.* *Deitate non poterant. Quibus etiam paulo post dicit*, Non *1. Cor. 3.* potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. *Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. Et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos, quod* *1. Cor. 2.* *inter parvulos nesciebat. Ibi quippe ait*, Sapientiam loquimur inter perfectos. *Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur quod occultat, quo dicitur fossa cæca quæ occulta est. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur; quia utique hominibus loquuntur*. Vide S. Joannem Chrysostomum Homilia 78. in Matthæum.

5. *Videte*, attendite vobismetipsis, *vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit* judicii, seu generalis, seu privari uniuscujusque. *Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit ut vigilet*. Perinde se habet Filius hominis ac paterfamilias, qui peregre profectus, domum suam administrandam servis suis reliquit, certam functionem sive ministerium singulis demandans. *Et janitori* præsertim *præcepit* ut custodiæ domus invigilet, ne hostes intrent, ne fures omnia diripiant, ne domestici officio suo desint. *Vigilate ergo* (*nescitis enim quando Dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*) Nescitis quo tempore, vel qua vitæ præsentis ætate quæ nocti similis est (quia per fidei obscuritatem hoc in mundo ambulamus) ego qui dominus vester sum ac mundi, venturus sim ad judicium. *Ne cum venerit repente, inveniat dormientes*. Vigilate (inquam) ne subito adveniens, qua non recogitatis hora, vos imparatos inveniam. *Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate*. Non vestra tantum, sed omnium interest, vigilare, si salutem paternam consequi velint.

SENSUS MORALIS.

1. *VIdes has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruetur*. Templum Jerosolymitanum, Ecclesiæ figura, Ecclesia per Christum fundata, & per Apostolorum prædicationem in Gen-

Gentibus propagata, eversum est, Ecclesia æternum duratura, quæ ex lapidibus vivis in Christo ceu fundamento & lapide angulari superædificatis constructa est, non terrena, sed spiritalis domus. Lapides a summo & sapientissimo Architecto electos, & a Spiritu sancto per charitatem compaginatos nihil dissolvet, nihil destruet. Nihil enim illos separabit a Charitate Christi, in qua
1. Petri 1. fundati sunt. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* Hoc in Templo non carnales victimæ animantium, sed spiritales hostiæ adorationis, laudis, humilitatis, in ara cordis, igne fervidæ charitatis offeruntur Deo, qui in spiritu & veritate adoratur. *Offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Justi temporales, qui secundum prædestinationem lapides non sunt Templi illius æterni, in quo videbitur Deus Deorum in Sion, destruentur & dissolventur, quia deficient a charitate, & in finem usque non perseverabunt. Hi a Christo Templi Domino deseruntur, quem prius deseruerunt. Seducuntur a spiritu mendacii, a magistris erroris; sanam doctrinam non sustinent, sed a veritate auditum avertunt, atque ad fabulas convertuntur. Mundi vanitas, fallaces divitiæ, carnis ac voluptatum illecebræ, media sunt quibus diabolus ad illorum seductionem abutitur, qui Christum non sequuntur ut Viam, non audiunt ut Veritatem, non amant & servant intra se ut Vitam. *Multi venient in nomine meo, dicentes, Quia ego sum: & multos seducent.* Dissidiis, bellis, diversarum præliis cupiditatum, studiorumque conflictibus perturbantur, scinduntur. Cor illorum, velut terra instabilis movetur, concutitur timore inordinato malorum hujus vitæ. Famem patiuntur bonorum temporalium in quibus spes inanes collocant. *Exurget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & terremotus erunt per loca.* Tradit illos Deus in desideria cordis illorum: & hoc damnationis æternæ initium est, *Initium dolorum hæc.*

2. Interim electi persecutionem patiuntur propter Christum, cui verbis atque operibus testimonium perhibent: carnalibus hominibus plerumque sunt odio propter nomen Christi, propter professionem pietatis, ob doctrinæ veritatem ac vitæ sanctimoniam. De mundo enim non sunt: nam si essent de mundo, mundus quod suum esset, diligeret; sed quia vocati sunt de mundo, ejusque mores damnant conversatione sua; propterea illos odit mundus. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* A cognatis & domesticis sæpe tentantur, vexantur, affliguntur. Sæpe frater fratri, filio pater, filii parentibus in scandalum fiunt, & morte illos afficiunt, quantum in ipsis est; interficiunt animas quæ non moriuntur, cum illos a Deo avertere conantur. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos.* Verumtamen mundum cum suis erroribus, amoribus, & terroribus per Christi gratiam vincentes, & in justitia perseverantes, salutem æternam consequuntur. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

3. *Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem ubi non debet .... Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes.* Peccatum mortale abominatio desolationis est. Stat ubi non debet, in loco sancto, cum a Clericis & Monachis, aut etiam a Christianis quibuscumque, quorum nomen sanctum est, professio sancta, *Vocatis sanctis,* committitur. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus*
Threnor. *est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite*
Jerem. 4. *omnium platearum?* Impietas, sacrilegia, sacramentorum abusus, *abominatio desolationis .....* QUID *est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* (inquit Dominus per Prophetam.) Nos vero cum abominationem
Jerem. 11. 15. desolationis stare viderimus ubi non debet, hoc est, hæreses & flagitia regnare inter eos qui cœlestibus mysteriis videbantur esse consecrati, cum operantes iniquitatem, loquentes mendacium, viros sanguinum & dolosos,
Beda. quos abominabitur Dominus, pacem fidelium turbare perpenderimus, tunc quicumque in Judæa, hoc est, in confessione veræ fidei persistimus, non terrenis infirmisque actibus mancipari, sed tanto altius virtutum culmen debemus ascendere, quanto plures ampla & errabunda vitiorum itinera sequi videmus. *Tunc qui super tectum est,* hoc est, *qui excedens animo carnalia, tamquam in aura libera spiritaliter vivit, ne descendat ad infimos actus pristinæ conversationis, neque ea quæ reliquerat mundi carnisve desiderio repetat.* Domus namque nostra vel mundus hic, vel ipsa in qua degimus nostra intelligenda est
2. Cor. 8. caro, de qua dicit Apostolus: *Scimus quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus.* Et qui operatur in Ecclesia, ac sicut Paulus & Apollo plantat & rigat, non respiciat spem sæcularem, cui renunciavit, nec retinacula vitæ labentis, quibus se ut nudus Christus sequeretur, exuerat, resumere incautus præsumat.

4. *Orate vero ut hyeme non fiant.* Ne fides nostra & charitas in Christum, abundante iniquitate refrigescat,

Natal. Alex. In Evang.

neque otiosi in opere Dei torpeamus virtutum sabbato, sive cessatione ab actibus virtutum, quibus ad Dei fruitionem pervenitur, siquidem *Omnia agenda complectitur* S. Augusti. *virtus, omnia optanda felicitas.* lib. 4. de

5. *Sed in illis diebus, post tribulationem illam, Sol* Civit. Dei *contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum: &* c. 21. *stellæ cœli erunt decidentes, & virtutes quæ in cœlis sunt, movebuntur.* Impius, qui dum viveret, Christo non adhæsit, de Christo in hora mortis non cogitabit: *Sol contenebrabitur.* Qui ex fide non vixit, fidei lumine in extremis non irradiabitur ut ad Deum redeat: *Et luna non dabit splendorem suum.* Celestes illustrationes & inspirationes divinæ illi justo Dei judicio subtrahentur, qui ipsis tam frequenter abusus est. Deerit gratia ei, qui tam sæpe gratiæ defuit. Lumen ipsum naturale obscurabitur, cadet, deficiet. Moriens obliviscetur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. *Et stellæ cœli erunt decidentes.* Quantus erit tremor in judicii die, cum *Virtutes* ipsæ *quæ sunt in cœlis movebuntur?* De quibus Sanctus Job
Job. 26. 11. ait: *Columnæ cœli contremiscunt & pavent ad nutum ejus.* Quid facient tabulæ, quando trement columnæ? Quid virgula deserti patietur, cum cedrus paradisi concutietur? *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.* Quomodo impius, qui secundum duritiam suam & impœnitens cor thesaurizavit sibi iram in die iræ; Christi judicis sustinebit adventum? Qui venientem ad se, & intra se Filium Dei susciperе noluit, qui Incarnationis ejus beneficio abusus est, qui justificationis beneficio fuit ingratus, qui gratiam sanctificantem per lethalia peccata amisit, nec recuperare per pœnitentiam curavit, contra se venientem videbit, non jam salvatorem, sed judicem. Triplex Christi adventus, *Ad homines, in homines, contra homines.* S. Bern. Primus olim ad omnes in Incarnatione. Secundus, non ser. 3. de in omnes, in justificatione. Quot enim filii iræ manse- Adventu. runt, in infidelitate mortui, baptismo non regenerati? *Non fecit taliter omni nationi.* Tertius nec contra omnes, sed solum contra impios & reprobos. Primus in infirmitate, secundus in charitate & suavitate. *Dominus* enim *dat benignitatem & terra nostra dat fructum suum.* Tertius in gloria & multa virtute. *Quis mihi tribuat* (inquit S. Job) *ut in inferno protegas me; & abscondas*
Job. 14. 12. *me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Abscondere se non poterit impius a furore æterni judicis; furoris illius pondus æternum in inferis sustinebit; non pertransibit umquam indignatio Dei in reprobos, quia numquam desinent eorum peccata: *Numquam carebunt supplicio, quia numquam voluerunt*
S. Greg. M. *carere peccato.* Nusquam illorum recordabitur, sed continebit in ira sua sempiterna misericordias suas. *Tempus non erit amplius.* Non erit amplius tempus miserendi. Æternum dicent ad Deum desperantes: *Mutatus es mihi*
Job. 30. 21. *in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.*

6. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Post Resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die judicii, seu restitutionis regni Israel, respondit: *Non est vestrum scire tempora vel mo-*
S. Hieron. *menta quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, in c. 24. *Non est vestrum scire,* ostendit quod ipse sciat, sed non ex- Matth. pediat nosse Apostolis: *Ut semper incerti de adventu Judicis, sic quotidie vivant, quasi die alia judicandi sint.*

7. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Cor vestrum examinare antequam veniat qui scrutabitur Jerusalem in lucernis, cogitationes, desideria, verba, opera, intentiones vestras considerate; quicquid mali feciſtis, quicquid boni omiſistis: Recogitate omnes annos vestros in amaritudine animæ vestræ. *Videte,* cavete diligenter ne mors intret per fenestras, ne peccatum per sensus irrepat, ne inimicus intret per portas Jerusalem. Omni sollicitudine cor vestrum expurgate, & immaculatum servate. *Vigilate.* Sed quia nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam, protectionem Dei cœli, & misericordiam invocate. *Orate.* Sic ad judicium seu generale, seu particulare se comparare Christianus quisque debet. *Statutum est* enim *om-*Hebr. 9. 17. *nibus hominibus semel mori, post hæc autem judicium.* Mors certissima, incertum qua ætate, quo mortis genere, qua die, qua hora morituri simus. Semel mori, magnum oraculum; quando mori, magnum arcanum: male mori, magnum & irreparabile malum. *Mors peccatorum* Psal. 33. *pessima. Vigilate, nescitis enim quando tempus sit ..... Tunc* 22. S. Au- *autem unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies,* gust. Epist. *ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die.* Ideo 199. alias latet nos ille dies, ut a nobis observentur omnes dies. 80. Videamus itaque, ut sciamus quid nobis desit; vigilemus, ne intremus in tentationem; oremus semper, & non deficiamus, *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit* Tit. 2. 13. *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

CAPUT XIV.

Sensus Litteralis.

1. ERat autem *Pascha, & Azyma post biduum*. Post biduum a Sermone capitis præcedentis inchoatum, celebrandus erat dies festus Paschæ & Azymorum. Ipsa enim die qua Paschalis agnus immolabatur & comedebatur ad vesperam incipiebat Azymorum usus in cœna Paschali. *Et quærebant summi Sacerdotes, & scribæ, quomodo eum*, scilicet Jesum, *dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem*: *Non in die festo* id fieri oportet, *ne forte tumultus fieret in populo*. Ne populus in Jesum propensior, in ejus liberationem conspiraret.

2. *Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis Leprosi*, quem olim Jesus a lepra mundaverat ac sanaverat: *& recumberet*, ad mensam; *venit mulier*, Maria Lazari soror, quæ & Magdalene, *habens alabastrum unguenti*, vas aromaticum ex alabastrite lapide, *nardi spicati, pretiosi*, continens unguentum seu liquorem odoriferum ex spicis nardi sinceriſſimæ ac præstantissimæ confectum: *Et fracto alabastro*, fracto vasis orificio, ut unguentum non gutatim stillaret, sed ubertim flueret, *effudit super caput ejus*, scilicet Jesu.

3. *Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?* Pluralis numerus pro singulari usurpatur, ut alias in Scriptura. Unus enim Judas id indigne tulit. Vidæ quæ diximus ad cap. 26. S. Matthæi.

4. *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*, die 14. Lunæ ad vesperam, *dicunt ei Discipuli; Quo vis, eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?* Propriam enim domum non habebat Jerosolymis. *Et mittit duos ex Discipulis suis*. Petrum & Joannem; *&* Luc. 22. 18. *dicit eis: Ite in civitatem*, Jerusalem; *& occurret vobis homo*, quidam servus patrisfamilias, *lagenam aquæ bajulans*, hydriam fictilem aquæ plenam: *sequimini eum. Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea*, locus refectionis, *ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse demonstrabit cœnaculum grande*, cameram in altiori ædium parte, situ & magnitudine commodam, & instructam omni supellectile ad epulas necessaria: *& illic parate nobis* Paschale convivium.

5. *Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, Quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*. Unus ex vestro Collegio, Coapostolus vester, ejusdem mensæ mecum particeps, tradet me hostibus meis occidendum. Vide quæ diximus ad c. 26. S. Matthæi.

6. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens, fregit, & dedit eis*, scilicet duodecim Apostolis secum discumbentibus, ne Juda quidem excepto, *& ait: Sumite, Hoc est Corpus meum*. Quod vobis porrigo manducandum, est corpus meum. *Et accepto Calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes*, ut eis Dominus jusserat, idque ordine, ut credere par est, initio facto ab eo cui Dominus proxime accumbenti calicem præbuerat. *Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Ait illis, cum Calicem ipsis propinaret, non postquam biberunt (ut ostendit collatio Marci cum Matthæo). Anticipatione igitur usus est Marcus, hæc verba præmittens: *Et biberunt ex* Euthymius in Matth. *illo omnes*. Ilterologia vero est, seu narratio posterior ejus quod prius factum est, in his verbis: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Aptissime nominavit Christus Testamentum propter appropinquantem mortem. Condunt enim Testamentum qui moriuntur.

„ Itaque sicut Vetus Testamentum hostias & sanguinem
„ habebat: ita sane & Novum, corpus videlicet & san-
„ guinem Domini. Non dixit autem: Hæc sunt signa
„ Corporis & Sanguinis mei: sed, Hæc sunt Corpus
„ meum, & Sanguis meus. Oportet ergo non ad natu-
„ ram eorum quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem
„ eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assum-
„ ptam carnem deificavit (si ita loqui liceat) ita & hæc
„ ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus suum,
„ & in ipsum pretiosum sanguinem suum, & in gratiam
„ ipsorum. „ Quod autem ait, Sanguinem suum pro multis effusum iri, spectat eos qui per sanguinis ejus efficaciſſimam virtutem perventuri erant ad vitam æternam aut certe remissionem peccatorum accepturi: quamvis sufficiens esset pretium pro omnium redemptione sufficienter etiam Patri oblatum. Fides enim catholica docet, *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus;* 2. Cor. 5. 15. *ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*.

7. *Dederat autem Traditor ejus*, Judas Iscariotes, *signum eis*, Sacerdotibus scilicet, Scribis & Senatoribus dicens: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est tenete eum, & ducite caute*. Miserum Judam a fide defeciſſe S. Hieronymus existimat, nec Jesum Dei Filium jam credidiſſe, quem crediderat olim in ejus nomine miracula faciens, & ex ore ipso dæmonum audiens, illum esse Christum, Sanctum Dei, Filium Dei. *Eadem infidelitate qua Magistrum & Dominum tradidit, putabat signa quæ Salvatorem viderat facientem, non Majestate divina, sed magicis artibus facta*. Significat igitur similibusprælligiis ex eorum manibus elabi posse, ideo ait, *Et ducite caute*. Primum bonam conscientiam repulit cupiditate & avaritia sua, deinde circa fidem naufragium fecit, ut de quibusdam aliis ait S. Paulus; *Bonam conscientiam, quam* 2. Tim. 1. *quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. 19.

8. *Unus autem quidam de circumstantibus*; Quidam qui unus erat ex comitatu Jesu, scilicet Simon Petrus, *Qui animosiore constantia Domino cohærebat, & contra violen-* S. Leo ser. *torum impetus fervore sanctæ charitatis exarserat*, (inquit 1. de Pass S. Leo) *educens gladium, percussit servum summi Sacer-* Dom. *dotis*, ferocius instantem, *& amputavit illi auriculam*.

9. *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis*. Hunc adolescentem fuisse Jacobum fratrem Domini, ut S. Epiphanio venit in mentem, aut Joannem Evangelistam, quod sensit S. Gregorius M. prorsus improbabile est, cum neuter adolescens esset, S. Epiph. ac S. Marcus versu præcedente scripserit: *Tunc Discipu-* Hæres 78. *li ejus relinquentes eum, omnes fugerunt*. Nec etiam S. Greg. M. fuisse videtur e domo ubi Jesus cum Discipulis Pascha co- l. 14. Moral mederat; sola enim sindone amictus ex urbe non exiisset: cap. 23. sed verisimilius est fuisse ex villa proxima Getsemani, tumultuque excitatum e lecto profiliisse curiositate impulsum. Sindonem autem qua tectus erat, non fuisse vestem adversus frigus comparatam, aut pallium e lino vel byssо; sed linteum quo erat in lecto involutus, ex eo patet, quod rejecta sindone, qua tegebatur, nudus profugit a militibus & servis, qui ipsum lacessebant, Discipulum esse Jesu suspicati.

10. *Summi vero Sacerdotes, & omne Concilium, quærebant adversus Jesum, testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant*. Non erant congruentia, nec tam gravia ut votum Sacerdotum æquarent, quærentium testimonia ad pœnam capitis decernendam sufficientia.

11. *Rursum autem summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti?* Tu ne Christus es a Deo promissus, ipsiusque Dei Filius? *Jesus autem dixit illi: Ego sum*. Ego revera Filius sum Dei, cui Angeli & homines benedicunt, cujus nomen benedictum in æternum: *& videbitis Filium hominis*, me quem nunc ut reum interrogatis & judicatis, *sedentem a dextris virtutis Dei*, in majestate & potentia qua Deo Patri sum coæqualis, *& venientem cum nubibus cœli*. Nubibus lucidissimis velut throno insidentem. Ex hoc loco Christi divinitas contra Socinianos invicte probatur. Non enim adoptivum se Filium Dei Christus esse respondit, sed naturalem & æqualem Deo Patri: & ita intellexit summus Sacerdos, qui eum damnavit blasphemiæ. *Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?*

12. *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere*: Illum velut morte prædamnatum excipientes. Cum enim aliquis mortis reus judicatus erat, Judex ipsum dimittebat lictori qui faciem ejus velaret, Romano more. *I, lictor, colliga manus, caput obnubito*: Quin & Persico, unde Hester cap. 7. vers. 8. de Aman dicitur: *Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus*.

Cetera quæ hic non attingimus, exposita sunt ad caput 26. S. Matthæi.

SENSUS MORALIS.

1. ERat autem *Pascha & Azyma post biduum*: *& quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent*. Sacrilegi Sacerdotes, in quorum animis Religionis sensus; improbi Doctores, in quorum cordibus Veritatis amor extinctus est, utramque suis cupiditatibus, occasione data, immolare non dubitant. Non sacrorum dierum solemnitas, non sacramentorum sanctitas a criminibus avertit, quia epulantur *in fermento malitiæ & nequitiæ*, non *in azymis sinceritatis* 1. Cor. 5. 8. *& veritatis*. Et si palam cupiditates suas non explent, solo timore servili, non amore justitiæ a malis operibus cohibentur. *Dicebant autem, Non in die festo*, S. Leo *ne forte tumultus fieret in populo*. Tales erant Judæorum serm. 7. de Sacerdotes & Doctores, quærentes opportunitatem ca- Pass. Dom. piendi Jesum & occidendi, timentesque seditiones turbarum in præcipua Solemnitate fieri, non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet.

2. *Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis Leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ejus*. Pietas & charitas generosæ sunt & magnificæ, ubi de Dei honore & cultu agitur. Sumtibus non parcunt, profundunt opes, ut omnium bonorum suorum

Aucto-

Auctorem glorificent, ut grati animi vicem Christo rependant, qui sanguinem suum pro nobis effudit. Beati, quos amor Dei liberales & magnificos; miseri, quos amor sæculi, quos vanitas & voluptas prodigos faciunt. Hæc devotio Mariæ unguentum pretiosum super Christi corpus effundentis, fidem ac pietatem sanctæ Ecclesiæ designat,
Cant. 1.11. quæ in Amoris Cantico ait: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Id juxta litteram Mariæ manibus perfecit, & quotidie in omnibus membris suis spiritaliter implere non desinit, quæ toto orbe
2.*Cor.*2.14. diffusa in Domino gloriantur, & dicunt: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: qui Christi bonus odor sumus Deo.* Quæ cum potentiam divinæ virtutis ejus, quæ illi una cum Patre est, digna reverentia confitetur, laudat, & prædicat, caput illius unguento pretioso perfundit. Cum vero assumptæ Mysteria humanitatis æque digna reverentia suspicit, pedes Domini unguento nardi pistici perfundit, quia illam ejus naturam, qua terram contingere, hoc est, inter homines conversari dignatus est, pia prædicatione commendat, ac devotis veneratur obsequiis. Unguentum contritionis super pedes Jesu mulier peccatrix effudit: unguentum devotionis super ejus caput Maria jam Sancta & contemplatrix. Primum unguentum ex multis & variis peccatorum suorum speciebus intra pectus suum decoxit igne pœnitentis amoris, dicens cum Propheta: *Concaluit cor meum intra*
Psalm. 38. *me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Nec tamen
S. Bern. Deo vile est, quamvis ex vilibus speciebus confectum sit
serm. 10. *in* hoc unguentum, quia cor contritum & humiliatum Deus
Cantic. non despicit. Peccatricis manibus distillabatur, & extremis membris corporis, id est, pedibus fundebatur: & tamen non usque adeo contemptibile aut vile fuit, quin totam domum vis aromatum & suavitas repleret odoris. Quod si attendamus quanta in unius peccatoris conversione fragantia respergatur Ecclesia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam quivis pœnitens, si publice perfecteque pœniteat, profecto & de hoc pronuntiabimus; *Domus impleta est ex odore unguenti.* Denique & supernas beatorum mansiones attingit pœnitentiæ odor, ita ut (te-
Luc. 15. ste ipsa Veritate) *Gaudium sit inter Angelos Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Sed pretiosius devotionis unguentum est, quod sit de divinis beneficiis humano generi collatis, quæ cum fuerunt in vasculo pectoris, pistillo crebræ meditationis contusa atque contrita, deinde igne sancti desiderii decocta simul omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ, erit unctio longe pretiosior excellentiorque priore. *Sacrificium laudis honorificabit me*
Psalm. 49. (inquit Deus.) Non dubium autem quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio. Hoc unguentum Maria effudit super caput Jesu. Si enim in Christo caput ad Divinitatem referendum est, dicente Paulo, *Caput Chri-*
1. *Cor.* 2. *sti Deus*, procul dubio caput ungit qui gratias agit; quoniam Deum tangit, non hominem. Non quia non sit homo, qui Deus est, siquidem Deus & homo unus est Christus: sed quia omne bonum a Deo, non ab homine est, etiam ipsum quod per hominem ministratur. Profe-
Joan. 6. cto enim *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quid-*
Jerem. 17. *quam.* Propterea & *Maledictus, qui spem suam ponit in homine*: quoniam etsi spes nostra tota merito pendet ex homine Deo, non tamen quia homo, sed quia Deus est. Itaque illud pedibus, hoc capiti exhibetur; quoniam & humiliatio contriti cordis humilitati congruit carnis; & Majestatem decet glorificatio.

3. *Et mittit duos ex Discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum. Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse demonstrabit cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis.* Veri Paschatis, seu Sacrificii & Communionis Paschalis præparatio ad Apostolorum successores, & ad proprios Christianorum Pastores pertinet. Aquæ lagena in signum a Christo data, baptismi & pœnitentiæ symbolum est. Hac aqua purificatos esse oportet, qui Christianum Pascha celebrant. Manducari Pascha legitimum non potest extra Jerusalem civitatem sancti, extra Ecclesiam Catholicam. Paranda est Anima ad Christum excipiendum in sacra Communione. Cœnaculum seu camera superior esse debet, pars domus a terra remotior. *Quæ*
Coloss. 3. 1. *sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Cœnaculum grande, cor per charitatem dilatatum. Constringitur enim cupiditate, dilatatur charitate. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*
Psal. 118. CORDIS *dilatatio, justitiæ est delectatio. Hæc munus est*
32. *S. Aug.* *Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustiemur,*
serm. 10. *in* *sed dilectione & delectatione justitiæ dilatemur.* Denique
hunc Psal. Cœnaculum stratum, cor variis ornatum virtutibus esse debet, ut Pascha digne manducetur. Humilitate ornata sit Anima, ut Deum suscipiat qui in Incarnatione sua, in morte, in ipso Eucharistiæ Sacramento semetipsum pro nobis humiliavit & exinanivit. Christiana mortificatione, qua terrenas fastidiat voluptates, instructa sit, ut Chri-

stum pro sua, omniumque hominum salute crucifixum suscipiat. Paupertate spiritus conspicua sit, qua radix omnium malorum cupiditas exscinditur, ut Deum suscipiat, qui pro nobis egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia divites essemus.

4. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc est Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* In umbra illius legalis Paschæ non unus agnus occidebatur, sed plures. Singuli occidebantur per domos: nam unus sufficere non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ Passionis. Ergo in hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est: & „ Idem „ per singulas Ecclesiarum domos in Mysterio panis ac *S. Gaud.* „ vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes *Tract.* 2. *in* „ sanctificat consecratus. Hæc Agni caro, hic sanguis *Exod.* „ est .... Credas quia quod accipis, corpus est illius „ Panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ Vitis... Ne„ scit mendacium Veritas ... Pariter universa quemad„ modum tradita sunt credamus, non infringentes os „ ipsius illud solidissimum, *Hoc est Corpus meum, Hic* „ *est Sanguis meus.* Siquid autem superfuerit etiam nunc „ in uniuscujusque sensu, quod expositione ista non cepe„ rit, ardore fidei concremetur: Quoniam Deus noster „ ignis consumens est. „ Panem in suum Corpus Christus transmutat, ut nos in se ipsum transmutet, nosque secum unum efficiat corpus & unam carnem. Quis loquetur potentiam, magnificentiam, & bonitatem Domini? Christi sanguis ejus bonitate & amore fit in Eucharistiæ Sacramento lac filiorum, nexus & vinculum membrorum ipsius, fœderis æterni sigillum, redemptio pretiumque servorum & captivorum. At illis qui sacrilegum & perfidum Judam imitantur, fit venenum mortiferum, gladius separationis a Christi corpore, sigillum reprobationis, *S. Jo. Chrys.* causa æternæ captivitatis. Lac filiorum est. Videtis quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? *Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam: quin immo cum longe majori trahamus, tanquam infantes lactanei, Spiritus gratiam, & unus sit nobis dolor hac esca privari.* Nexus ac vinculum membrorum Christi est sacra Eucharistia. Qui ad illam accedit, non abhorreat a compage *S. Aug.* membrorum; *Non sit putre membrum, quod resecari me-* *Tract.* 26. *reatur: non sit distortum, de quo erubescatur; sit pul-* *in Joann.* *chrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo* *Josue* 24. *de Deo.* Eucharistia fœderis æterni sigillum est, hoc fœdus nusquam violemus. *Testes vos estis,* (ait Josue ad populum Israel) *quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei.* Responderuntque: *Testes. Nunc ergo,* ait, *auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.* Ita simus & nos affecti, cum ad sacram Communionem accedimus. Eucharistia redemptio est pretiumque captivorum: ea refectus noli te diaboli iterum servituti subjicere.

5. *Petrus autem ait illi; Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* Quid ais, Petre? Propheta dixit, *Quia oves dispergentur*, & Christus dictum confirmavit, & tu negas? Ideo Christus illum cadere permisit, ut & illius præsumptio & nostra superbia sanaretur. *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se* *Galat.* 6. *seducit.* Dicere debebat: Opem nobis feras ne scandali- *S. Jo. Chrys.* zemur: e contrario nimium sibi arrogans, ait: *Etsi om-* *Hom.* 83. *in* *nes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* Cum igitur *Matth.* Petrus Christi verbis non crederet, a rebus ipsis est eruditus. Duplex nempe ipsius crimen erat: primum, quod Christo prædicenti repugnavit, nimia de suis viribus fiducia; secundum quod ceteris seipsum proposuit: immo & tertium, quod sibi totum tribuit. „ Magnum profecto dog„ ma hinc discimus, quia Nullo modo voluntas homi„ sufficit, nisi auxilio superiore roboretur: Et quia ni„ hil lucrari poterimus, si voluntas nostra repugnat: „ quorum alterum Petrus, alterum Judas confirmat: Hic „ enim etsi præsidium Christi largum habuerit, tamen „ quia noluit attendere, nec quæ ab ipso erant confer„ re, nullam inde utilitatem consecutus est: Petrus ve„ ro, etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto „ auxilio, stare non potuit. Ne igitur totum Deo ita Non potuit „ tribuatis, ut oscitandum dormiendumque vobis pute- *id est* no„ tis: nec rursus si vigilatis, laboribus vestris rem to- *fuit.* „ tam effici arbitremini. Neque enim desides ac resupi„ nos jacere nos vult Deus, ac ideo nonnihil a nobis „ petit: nec arrogantia vult nos corrumpi: & ideo to„ tum nobis non commisit. Ita ex utraque parte incom„ modo remoto, quod utile est ad salutem, nobis reli„ quit. His rationibus Verticem quoque Apostolorum la„ bi permisit, humiliorem ipsum faciendo & ad majo„ rem charitatem erigendo. „

6. *Et assumit Petrum & Jacobum, & Joannem secum: & cœpit pavere, & tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic & vigila-*

vigilate. Tristitiæ pelago immersus est, uno intuitu considerans proditionem Judæ, negationem Petri, scandalum & dispersionem Apostolorum, populi Judaici reprobrationem, excidium Jerusalem; omnium hominum crimina, Christianorum præsertim sacrilegia, sanguinem ejus pretiosum conculcantium; justitiæ divinæ peccatis totius humani generis, quæ in se ipso portabat, imminentis severitatem; ipsorum peccatorum deformitatem ac gravita-
Job. 31. 23. tem. *Quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui*. Tristis sit anima nostra cum anima Jesu, sed tristis sit usque ad mortem peccati in no-
Ps. 68. 21. bis; ne Christus etiam nunc nobis dicat: *Et sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsivi, & non inveni*. Tristes quidem erant Apostoli de Christi morte, sed cum Christo tristes non erant. Contristabantur enim illi carnaliter de via mortali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda resurrectione: hinc erat illa tristitia. *De illis enim esse debuit, qui cæci*
S. August. Enarr. in Psalm. 68. serm. 2. *Medicum occiderunt, qui tamquam perniciose febrientes phrenetici, ei faciebant injuriam a quo illis fuerat salus allata. Ille volebat curare, illi sævire: hinc tristitia Medico*. Quære utrum invenerit huius tristitiæ comitem. Non enim ait, Sustinui qui contristaretur, & non fuit; sed, *qui simul contristaretur*, id est, ex ea re, qua ego, contristaretur, *& non inveni*. Ergo in tristitia quam
Luc. 23. 34. habebat Dominus de illis, pro quibus oravit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: nullum comitem invenit. *Consolantem me quæsivi, & non inveni*. Qui sunt consolantes? *Proficientes*. Ipsi enim nos consolantur, ipsi sunt solatio omnibus prædicatoribus veritatis. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Hoc ipsum quod non inveni consolantes, hoc ipsum quod non inveni qui simul mecum contristaretur, hoc fuit fel meum, hoc mihi amarum, hoc acetum fuit: *amarum propter mœrorem, acetum propter eorum vetustatem*.

7. *Et dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu*. Afflictiones & cruces a Deo impositas, sive exteriores, sive interiores, carne licet repugnante suscipere debemus; & nostram divinæ conformare ac plane subjicere voluntatem, dicentes: *Non quod ego volo, sed quod tu*. Liberationem quidem a malis temporalibus, a morbis corporis, a calamitatibus tam publicis, quam privatis, ab angustiis & desolationibus animi postulare a Deo possumus, sed conditionatæ esse debent his de rebus preces nostræ, si ita Deo placitum sit, cujus voluntas nobis carior esse debet quam nostra, si vere eum diligimus. Sed æternam beatitudinem, & omnia bona spiritualia ad eam perducentia & promoventia a Deo petere absolute debemus, scilicet gratiam, charitatem, ceteraque virtutes, perseverantiam, &c. quia *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio nostra*. In nostræ voluntatis cum divina conformitate posita est rectitudo cordis. Rectus est Deus, & ideo distortum cor illi non adquiescit. Divina voluntas regula est immutabilis, indeficiens, suprema: ad illam igitur conformanda est voluntas nostra ut recta sit, utque ex eorum numero simus, de quibus ait
Psalm. 72. Propheta: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt*
S. August. Enarrat. in Ps. 31. 2. *corde*. „ Filius Dei unicus portans infirmitatem tuam, „ & præfigurans in se passionem tuam, tamquam caput „ gestans personam etiam corporis sui, cum appropinquaret passioni, ex homine quem gerebat contristatus est, „ ut te lætificaret; contristatus est ut te consolaretur. „ Potuit enim sine tristitia esse Dominus iturus ad Pas„ sionem. Si potuit miles, non potuit Imperator? Quo„ modo potuit Miles? Attende Paulum exultantem ap-
2. Tim. 4. „ propinquantem passioni: *Ego autem*, inquit, *jam de„ libor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum cer„ tamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: „ in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam red„ det mihi Dominus in illa die justus Judex*. Videte „ quemadmodum exultat venturus ad Passionem. Ergo „ gaudet coronandus, contristatur coronaturus. Quid igi„ tur portabat? Infirmitatem quorumdam, qui veniente „ tribulatione vel morte contristantur. Sed vide quomo„ do eos ducit in directionem cordis. Ecce tu volebas „ vivere, non volebas tibi aliquid accidere; sed Deus a„ liud voluit, *Duæ voluntates sunt; sed voluntas tua „ corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei de„ torqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est „ illa: flet regula, ut quod pravum est, ad regulam „ corrigatur*. Vide quomodo hoc docet Dominus Jesus „ Christus. *Tristis est anima mea usque ad mortem*: „ &, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*, „ Ecce ostendit humanam voluntatem, sed vide rectum „ cor: *Verum non quod ego volo, sed quod tu*. Hoc er„ go fac, gaudeas in his quæ tibi accidunt: & si vene„ rit dies ille ultimus, gaude. Aut si subrepit humanæ „ cujusdam voluntatis fragilitas, cito dirigatur ad Deum:
S. August. Enarrat. in Ps. 48. „ ut sis ex eis quibus dicitur: *Gloriamini omnes recti „ corde*. Quam pauci illi sunt? Hæc est enim in ho„ minibus magna & usitata perversitas, quia cum debe„ ant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum vo„ lunt vivere secundum voluntatem suam: & cum ipsi „ nolunt corrigi, illum volunt depravari; rectum non „ arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt. "

8. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma*. Multi succumbunt tentationi, quia nec vigilant nec orant. Orandum ut vigilemus, vigilandum ut oremus: vigilandum simul & orandum ne in tentationem intremus. Si Petrus vigilasset & orasset, metu mortis & amore temporalis vitæ Dominum non negasset: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus: sed tamen, secundum Apostoli doctrinam, *Spiritu facta carnis mortificemus*.

9. *Dederat autem Traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum .... Et cum venisset, statim accedens ad eum ait: Ave Rabbi: & osculatus est eum*. Quisquis proximum prodit, Christum prodit. Quot traditores in mundo, quos avaritia vel alia cupiditas ad arcana proximi in ejus perniciem revelanda, ad fortunam ejus evertendam impellit? Quot fraudes, quot simulationes, quot infidelitates, amicitiæ velo obtecte? Ab ingratis domesticis, amicis, qui nos produnt, vel fiducia nostra quoquo modo abutuntur, hę patiendę sunt injurię sine amaritudine, sine murmuratione, adorando Christi Jesu bonitatem, & charitatem imitando, qui Traditori osculum non negavit.

10. *Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? ille autem tacebat, & nihil respondit*. Verbum ęternum silet, innocens & sanctus pro defensione sua os coram judice non aperit, opprimi se patitur ac damnari ut nos justificet. Nostram reparat innocentiam, non tuendo suam. Causam nostram agit ut advocatus & mediator apud Patrem, negligendo suam apud injustum judicem. Ducitur ut Agnus mansuetus ad occisionem, & non aperit os suum, ut Prophetia
Isai. 53. 6. impleatur: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*. Domini Jesu silentium honoremus, cum ab hominibus maledicimur, & conviciis afficimur. Ipsos ut flagella irę Dei intueamur, quomodo David intuebatur Semei sibi maledicentem Deo permittente, & ejus maledicta ac insultus ad ipsius Regis expiationem & exercitationem ordinante. *Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum*
1. Reg. 16. *Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*. Sed magis Christum intueamur, qui passus est pro nobis, & nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus:
1. Petri 2. 23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste*.

11. *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant*. Imago Dei invisibilis, splendor glorię, & figura substantię ejus, Christus Dei Filius, cęli terręque Dominus, atrocissimis injuriis inhonoratur & immanissime leditur. In quinque sensibus suis patitur, ut sensuum nostrorum expiet peccata & voluptates. Visus patitur, velata facie; auditus, horrendis blasphemiis; odoratus, fœtidis sputis; tactus alapis & colaphis; gustus, sanguine in os sacratissimum ex contusione & vulneribus faciei manante. Cum tam indigna propter nos passus sit Christus, pudeat nos sensuum voluptates sectari; pudeat Christianas mulieres oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & opus Dei & facturam ejus adulterare. " Manus Deo inferunt, *S. Cyprian. Tract. de*
„ quando id quod ille formavit, reformare & transfigu- *Disciplina*
„ rare contendunt; nescientes quia opus Dei est omne *& Habitu*
„ quod nascitur; diaboli quodcumque mutatur. Si quis *Virginum.*
„ pingendi artifex vultum alicujus & speciem & corpo„ ris qualitatem emulo colore signasset, & signato jam „ consummatoque simulacro manus alius inferret, ut jam „ formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis „ prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. „ Tu te existimas impune laturam tam improbe temeri„ tatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim im„ pudica circa homines & incesta fucis lenocinantibus „ non sis; corruptis violatisque quę Dei sunt, pejor ad„ ultera dederis ... Quod ornari te putas, quod putas „ comi, impugnatio est ista divini operis, prevaricatio „ est veritatis.

12. *Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi Sacerdotis: & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit*, Christus in Domo Caiphę alapis & colaphis visibiliter cesus est a ministris Satanę; Petrus in atrio Caiphę invisibiliter cesus est colaphis ab ipso Satana. Quod in suo corpore passus est Christus, hoc in anima sua patitur

a dia-

a diabolo peccator . „ Feciſti mihi, *Domine Jeſu*, de
„ corpore tuo ſpeculum animæ . Neſciebam contumelias
Job. 6. „ & terrores, & colaphizantem me inceſſanter Satanam
Iſai. 50. „ niſi viderem artem medicinæ tuæ ſimilia ſimilibus cu-
„ rantem , & appenderem in ſtatera hinc clamitatem
„ tuam, illinc iniquitatem meam . Dediſti corpus tuum
„ percutientibus, & genas tuas vellentibus; faciem tuam
„ non avertiſti a conſpuentibus in te, ut alapæ tuæ ala-
Drogo Oſtienſis Sermon. de Paſſion. Dom. „ pas meas removeant , & flagella flagellis expientur ,
„ & opprobria exprobrantium quæ ceciderunt ſuper te ,
„ auferant a me opprobrium ſempiternum. Hæc ſunt lin-
„ teamenta mundiſſima carnis tuæ , quibus vulnera mea
„ alligaſti, o Samaritane miſericors , ut imponeres me
„ ſuper jumentum tuum, & perduceres in ſtabulum, quo-
„ niam vere languores noſtros ipſe tuliſti, & dolores no-
„ ſtros ipſe portaſti, cujus livore ſanati ſumus . In domo
„ ergo Principis Sacerdotum velata facie colaphizatur
„ Chriſtus, quia in domo conſcientiæ cæcata mente co-
„ laphizatur Chriſtianus. Quod enim Chriſtus in publi-
„ co, ego patior in occulto ; quod ille foris a miniſtris
„ Caiphæ, ego intus a negotiis Satanæ: quia ſuper dor-
„ ſum meum fabricaverunt peccatores , faciem mihi ve-
„ laverunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorſum
„ incudem ſuam fecerunt: ſed adhuc intra domum con-
„ tineor, ubi puella moritur & ſuſcitatur . Nam & ibi-
„ dem Petrus negavit, dicens : *Neque ſcio , neque novi*
„ *quid dicas*. *Neſcio hominem iſtum*. Nonne tibi Petrus
„ in his verbis velatam habuiſſe faciem videtur ? Unde
„ tertio colaphizatus eſt, quia tertio negavit. Et Paulus
„ tertio rogavit Dominum ut auferret a ſe Angelum Sa-
„ tanæ qui eum colaphizabat . Uterque ergo Apoſtolus
„ colaphizatus eſt, uterque naufragium paſſus ; ille in-
„ tus , iſte foris . Voluiſſet quidem Satanas (ſi tamen
„ licuiſſet) tamdiu Petrum colaphizando cribrare ſicut
„ triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excuſiſ-
„ ſet, ſed Ego (*inquit Chriſtus*) rogavi pro te, ut non
„ deficiat fides tua. Unde reſpexit Chriſtus , & egreſſus
„ foras flevit amare. Tamdiu faciem habuit velatam Pe-
„ trus, donec reſpexit eum Chriſtus . Sed numquid non
„ etiam prius reſpiciebat? Etiam: ſed Petrus reſpicien-
„ tem ſe Chriſtum non reſpiciebat, quia velatam faciem
„ habebat. *Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat*
„ *ei Jeſus*: Recordatio Petri, reſpectus fuit Chriſti. Ergo
„ cum peccatorum flendo recordaris, a Chriſto videris ;
„ imo ſublato velamine Chriſtum vides. *Et egreſſus foras*.
„ Propterea negabat, quia intus eſſe nolebat; & tamen
„ quando negavit, foras egreſſus eſt . Unde foras ? De
„ domo Chriſti, de domo fidelium. At ubi de domo Cai-
„ phæ foras egreſſus eſt ; in domum Chriſti intromiſſus
„ eſt. Quot ſunt hodie qui dicunt, Nos ſumus de domo
„ Eccleſiæ, & ſunt de domo Caiphæ, hoc eſt hypocri-
S. Gregor. M. Hom. 21 „ ſis? Quod Petrus negando , hoc iſti faciunt affirman-
„ do: ſed niſi confitendo exeant foras & amare fleant ,
„ non intrant in Eccleſiam Chriſti. Amaritudo fletuum ,
„ velamen diluit oculorum. *Petri negatio magnæ pieta-*
„ *tis diſpenſatione a Deo permiſſa eſt*, Ut is qui futurus
„ erat Paſtor Eccleſiæ in ſua culpa diſceret qualiter aliis
„ miſereri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit ſibi , &
„ tunc præpoſuit ceteris, ut ex ſua infirmitate cognoſce-
„ ret, quam miſericorditer aliena infirma tolleraret . “

CAPUT XV.

Senſus Litteralis.

1. *ET confeſtim mane conſilium facientes ſummi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, & univerſo Concilio*: Pleno Senatu conſilium ineuntes, *vincientes Jeſum*, jam reum mortis ab ipſis proclamatum, *duxerunt* ad Tribunal ſæculare, *& tradiderunt Pilato* Judææ Præſidi a Cæſare conſtituto judicandum . *Et interrogavit eum Pilatus*: *Tu es Rex judæorum? At ille reſpondens, ait illi*: *Tu dicis*. Ego ſum. *Et accuſabant eum ſummi Sacerdotes in multis. Pilatus autem rurſum interrogavit eum*,
Joan. 18. & 19. *dicens*: *Non reſpondes quidquam? Vide in quantis te accuſant. Jeſus autem amplius nihil reſpondit, ita ut miraretur Pilatus*. Alia quidem Pilato dixit, ſcilicet, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſe ad hoc natum eſſe ut teſtimonium perhiberet veritati; nullam illum poteſtatem habiturum in ipſum Jeſum, niſi data illi eſſet deſu-
Infra Verſ. 10. per, &c. Sed nihil reſpondit Jeſus ad accuſationum capita: tum quia id minime neceſſe erat ad innocentiam ſuam Præſidi comprobandam . *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes*: tum quia evidentes erant calumniæ, nec ſufficiebant teſtimonia ad eum morte damnandum. Unde Præſes palam declaravit ſe nihil dignum morte in eo invenire: tum quia mortem , quam pro omnium hominum ſalute pati decreverat , vitare no-
S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam numero 97. luit, ſuaque defenſione a ſeipſo avertere . Hæc Præſidi cauſa fuit admirationis. *Accuſatur Dominus , & tacet , & bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret ſalutem? Salus omnium ſuam prodidit, ut acquirat omnium*.

2. *Per diem autem Feſtum*, in Feſto Paſchatis , quod monumentum erat liberationis Populi Iſrael ex Ægyptiaca ſervitute, *ſolebat dimittere illis unum ex vinctis , quemcumque petiſſent. Erat autem qui dicebatur Barabbas ,* *Joan. 18. 28* *qui cum ſeditioſis erat vinctus , qui in ſeditione fecerat homicidium. Et cum aſcendiſſet turba* in locum Prætorio vicinum, *cœpit rogare* ut gratiam alicui vinctorum faceret, *ſicut ſemper faciebat illis . Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum?* Regem veſtrum *? . . . . . Pontifices autem concitaverant turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis* . Populum commoverunt, ut peteret dimitti Barabbam, non Jeſum. Sic in Scripturis comparativa interdum uſurpantur in ſenſu negante, ut Pſalm. 117. 8. *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine* . Luc. 18. 14. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*. Jo. 3. 19. *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*.

3. *Pilatus autem volens populo ſatisfacere* , ad populi deſiderium ſe accommodans, *dimiſit illis Barabbam , & tradidit Jeſum flagellis cæſum ut crucifigeretur*. Ante flagellis cædi juſſit , quam morte damnaret, ut odia eorum in Chriſtum expleret . *Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorii , & convocant totam cohortem , & induunt eum purpura , & imponunt ei plectentes ſpineam coronam*. Et coronam de ſpinis plexam capiti ejus impoſuerunt, Regiæ ejus dignitati impudenter illudentes & inſultantes. Lege quæ diximus ad Caput 27. S. Matthæi.

4. *Et angariaverunt prætereuntem quempiam , Simonem Cyrenæum, venientem de villa , patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus* . Coegerant Simonem , quem nonnulli cum Simone qui cognominatus eſt Niger (*Act.* 13. 1.) perperam confundunt , rure venientem , Patrem Alexandri & Rufi, qui tunc in Eccleſia Chriſtiana celebres fuiſſe videntur, cum Evangelium ſcriberet S. Marcus : hunc (inquam) coegerunt ut tolleret crucem Jeſu ſub graviſſimo pœnalis ligni pondere fatiſcentis. Alexandri meminit S. Lucas *Act.* 19. 33. Rufi meminit S. Paulus *Rom.* 16. 13. Sed incertum eſt an illi ipſi ſint Simonis Cyrenæi filii .

5. *Erat autem hora tertia*, more Judæorum, mox tamen finienda, hora ſexta imminente (ut ex *Joannis* 19. 14. colligitur) & *crucifixerunt eum*.

6. *Et hora nona exclamavit Jeſus voce magna dicens* : *Eloi , Eloi , Lammaſabactani* . Vetera Exemplaria non omnia ita habuiſſe obſervat Vir Eruditus . Idem tamen ſignificat ac *Eli*, quod apud S. Matthæum habetur , ſolum pronuntiationis diſcrimen. *Eloi* Græca inflexione ſcriptum pro Hebraico *Elohim* , *Deus*.

7. *Jeſus autem emiſſa voce magna expiravit*: Quænam *Luc 23. 46.* vox illa fuerit, expreſſius commemorat S. Lucas: *Et clamans voce magna Jeſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expiravit*.

8. *Et cum jam ſero eſſet factum* , primæ diei Azymorum, qua paſſus eſt Chriſtus (*quia Paraſceve erat quod eſt ante Sabbatum*) (dies præparationis ſeu pervigilium Sabbati, quo præparabantur, & fiebant omnia opera quæ Lex vel conſuetudo Sabbato fieri non patiebantur .) *Ve-* *Luc. 23. 50.* *nit Joſeph ab Arimathæa nobilis Decurio, qui & ipſe erat* 51. *expectans Regnum Dei , Vir bonus , & juſtus* , Senator *Joan 19. 38.* Hieroſolymorum, qui non conſenſerat *conſilio & actibus* ceterorum in Jeſum , cujus *Diſcipulus* erat , licet *occultus , propter metum Judæorum*. Mortuo tamen Jeſu timorem depoſuit, *& audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus ejus*. Vide quæ dimus ad cap. 27. S. Matthæi .

SENSUS MORALIS.

1. *POntifices autem concitaverunt turbam , ut magis Barabbam dimitteret eis . Pilatus autem iterum reſpondens , ait illis : Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum*. Infideles & ingrati Judæi , qui tot Chriſti beneficiis crucem rependunt, ſed longe magis ingrati Chriſtiani, qui majoribus ab optimo Salvatore beneficiis affecti , illum rurſus criminibus ſuis crucifigunt. Nonne Barabbam præponunt Filio Dei, qui mundi errores ejus veritati; mundi amores ejus charitati; mundi terrores ejus promiſſis; voluntatem ſuam ejus mandatis; commoda ſua Religionis officiis anteponunt?

2. *Pilatus autem volens Populo ſatisfacere , dimiſit illis Barabbam , & tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur*. Quot crimina ſimul committit iniquus Judex ! Populo diſplicere & a gratia Cæſaris excidere magis timet quam jus omne naturale, humanumque violare . Seditioſum & homicidam abſolvit. Auctorem vitæ illi poſtponit, innocentem voluntati inimicorum ejus tradit, cru- *S. Hieron. in Matth.* deliter flagellari jubet. Flagellatum denique cruci addicit. *Traditus eſt itaque Jeſus militibus verberandus, & Pſalm. 31.* *illud ſacratiſſimum corpus, pectuſque Dei capax flagella ſe-* *Pſalm. 90.* *cuerunt . Hoc autem factum eſt ut quia ſcriptum erat* , Multa flagella peccatorum, *illo flagellato nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum juſtum: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* . Flagella Dei ne refugiamus , adverſus flagellantem ne murmuremus .

Dul-

Dulcia nobis sint flagella Patris, ne sit amara sententia Judicis. *Non tantum misericordia vocantis est, sed &*
S. Augustin. Enarrat. in Psalm. 83. Serm. 2. *verberantis & flagellantis. Quis est enim filius cui non dat disciplinam pater ejus? Dei disciplinam, dum non auferat misericordiam.* Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eo. *Cædat contumaceem, dum tamen reddat hæreditatem. Tu si promissa Patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredari.* Quem
Hebr. 12. 16 enim diligit Dominus corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit: *Peccator filius dedignatur flagellari, cum sine peccato videat unicum flagellatum?*

S. Ambr. lib. 10. in Lucam num. 104. & 105 3. *Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam.* Chlamydem coccineam induitur militibus, & purpuream tunicam: „ In altera designans marytyrum palmas, in altera Regiæ potestatis insignia; „ quod caro ejus fusum toto terrarum orbe sanguinem fu„ sceptura esset pro nobis, & passio regnum paritura de „ nobis. Corona quoque de spinis capiti ejus adnexa, „ quid aliud quam divini operis munus ostendit, quod de „ peccatoribus mundi, tamquam sæculi spinis triumphalis „ gloria Deo quæreretur? Nec flagella vacant, quia
Isai. 53. 3. & 4. „ flagellatus est ipse, ne nos flagellaremur. *Homo* enim *in „ plaga, & sciens ferre infirmitates*, a nobis qui Deum antea fugiebamus, flagella detorquens; tam pa„ as Dominus „ ut fugitivorum vinculis proprias manus, fugitivorum flagellis suum corpus offerret. Detestabili itaque mentis affe„ ctu, honoratum tamen Judæi ex tum produnt; nam etsi „ compungentes coronant, illudentes adorant: etsi corde „ non credunt, quem perimunt, confitentur. Illis de„ fuerunt boni operis affectus, Deo tamen suus non de„ fuit honor: qui salutatur ut Rex, coronatur ut vi„ ctor, quasi Deus & Dominus adoratur. Christum Re„ gem nostrum, superbiam, luxum, ambitionem homi„ num expiantem adoremus." Utinam Christianorum nemo ipsi & mysteriis ejus illuderet, idque in ipsa ejus Regia, in templo ejus cultui consecrato!

4. *Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, ut tolleret crucem ejus.* Cruces nobis Deo volente impositas, sive ab ipso, sive ab hominibus, sponte, patienter, tranquille feramus: Christum sequamur, qui traditus sævientium voluntati, ad irrisionem Regiæ Dignitatis, supplicii sui justus est esse gestator; ut impleretur quod Isaias Propheta præviderat, dicens:
Isai. 9. *Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cujus imperium super humerum ejus.* Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, „ erat quidem hoc apud impiorum oculos grande
S. Leo serm. 8. de Pass. Dom. c. 4. „ ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium; quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum „ virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, & invictæ patientiæ „ humeris, signum salutis adorandum Gentibus omnibus „ inferebat: tanquam & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret & diceret: *Qui* non „ accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus."

5. *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Bona Ecclesiastica vestimenta sunt Christi, cum sint patrimonia pauperum. A militibus dividuntur, cum inaniter effunduntur, vel avare servantur a Clericis, qui non sunt eorum domini, sed dispensatores dumtaxat. Hic autem *quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Clamant *pauperes*: *Nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod a vobis inaniter effunditur.*

S. Bern. 6. *Erat autem hora tertia; & crucifixerunt eum.* Crux victoriæ Christi instrumentum & trophæum: „ Exal*S. Leo serm. 10. in Pass. Domini.* „ tatus *enim* Christus Jesus in ligno, retorsit mortem in „ mortis auctorem, & omnes principatus, adversasque „ virtutes, per objectionem passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam „ sibi sæviendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse „ debiti, ubi nullum potuit vestigium invenire peccati. „ Evacuatum est igitur generale illud venditionis nostræ „ & lethale chirographum, & pactum captivitatis in jus „ transi Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pe„ desque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulne„ ribus, & sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit „ interfectio potestatum: sic suam Christo consummante „ victoriam, ut in ipso & cum ipso omnes, qui in eum
Drogo Ostiensis serm. de Pass. Dom. „ crederent, triumpharent. Quis adhuc crucem timeat? „ In cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipsa est „ arbor vitæ, quæ est in medio Paradisi. Ipsa est altitu„ do, latitudo, sublimitas & profundum: ipsa bonos col„ ligit & remunerat, malos disperdit & condemnat; ipsa „ est mœstorum consolatio, esurientium refectio, perfe„ ctorum gloriatio. Circuire possum, Domine, cœlum & „ terram, & mare & aridam, & nusquam te inveniam „ nisi tantum in cruce: ibi dormis, ibi pa„ scis, ibi *cubas in meridie*. Crux enim tua fides est, „ cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, alti„ tudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit „ quicumque te invenit, in hac cruce anima suspenditur „ a terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit; in „ hac cruce Domino suo adhærens dulciter decantat: „ *Susceptor meus es tu, gloria mea, & exaltans caput „ meum.* Nullus ergo te quærit, nullus invenit nisi cru*Psalm. 3. 4.* „ cifixus. *O gloriosa crux, radicare in me, ut ascendam „ in te.*"

7. *Et erat titulus causæ ejus inscriptus*, Rex Judæorum. Christi enim morte Regnum eius firmatum est. *Dominus regnavit a ligno* super Israel Dei: & morte sua Gentes accepit in hæreditatem. Amore suo regnet in nobis Jesus crucifixus, nihil ipsi repugnet in nobis. Ex *Luc. 19. 14.* eorum numero ne simus qui dicunt: *Nolumus hunc regnare super nos.*

8. *Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, & alium a sinistris ejus. Et impleta est Scriptura* *S. Aug. serm. 28. alias de Divers. 76.* *quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* Quod duo cum Jesu ab utroque latere crucifixi sunt; ostendit alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros; dextros, de quibus dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justi*Matth. 5. 10 *tiam.* Sinistros autem de quibus dicitur, *Et si tradidero* 1. Cor. 13 3. *corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Per crucem Christi pervenitur ad ejus Regnum: per crucem mundi & diaboli descenditur in infernum. *Nemo autem vestrum patiatur ut ho*1. Petri 4. *micida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appeti*15. *tor. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.*

9. *Similiter & summi Sacerdotes illudentes ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus.* Crux Chri1. Cor. 1. 21. sti, confusio sapientium mundi. Omnem namque sensum humanæ mentis excessit divini altitudo consilii: *Compla*S. Leo serm. de Pass. Dom. *cuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*; Ut *mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi.* Inconsequens enim & irrationabile videbatur recipere animo, quod Creatorem omnium naturarum in substantia veri hominis Virgo intemerata perperisset, quod æqualis Patri Filius Dei, qui impleret omnia, contineret universa, furentium manibus comprehendi, iniquorum judicio condemnari, & post dedecora illusionum, cruci se permisisset affigi. *Sed in iis omnibus simul sunt & humilitas hominis, & celsitudo Deitatis; nec misericordiæ ratio majestatem miserentis obscurat: quia de ineffabili potentia factum est, ut cum homo verus in Deo inviolabili, & Deus verus est in carne passibili conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem.* „ Cum Dominus crucifixi corporis elevatio„ ne sublimis, reconcilationem mundi exequeretur in qua*S. Leo serm 10. de Pass. Domini.* „ dam arce supplicii, Latronemque conversum ad para„ disi vocaret habitaculum, vos, Principes Judæorum, „ Legisque Doctores, nec conscientiæ impietate compun„ cti, nec affectu sceleris mitigati, fixuris clavorum ad„ debatis tela linguarum, dicentes: *Alios salvos fecit,* „ *seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est,* „ *descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed his vo„ cibus vestris stultis atque blasphemis reddunt omnia ele„ menta responsum, & unam in vos sententiam ferunt „ cœlum, terra, sol, syderaque, indignos vos suo mini„ sterio protestantes terribili motu, insolitoque defectu, „ tenebras mundo vestræ cæcitatis ostentant. Quod si ad „ arguendum vos, nec cœlestia nec inferna sufficiunt, „ & crucem Christi magis potuerunt petræ atque monu„ menta, quam corda vestra sentire, saltem quod in Tem„ plo actum est advertite. Velum cujus objectu intercludebantur Sancta Sanctorum, a summo usque ad immum „ diruptum est, & sacrum illud mysticumque secretum, „ quod solus summus Pontifex jussus fuerat intrare, re„ seratum est!, ut nihil jam esset discretionis, ubi ni„ hil resederat sanctitatis. Repudiatos itaque vos debui„ stis agnoscere, & omne jus Sacerdotii perdidisse, quia „ verum erat quod Veritas vobis dixerat: *Si crederetis* „ *Moysi, crederetis & mihi.* Merito ergo vos Testamen*Joan. 5. 45.* „ tum utrumque condemnat, & gratia vacuatos, & lege „ privatos, qui ideo resistitis novis, quia non credidistis „ antiquis."

10. *Et hora nona exclamavit Jesus voce magna dicens: Eloi, Eloi, Lammasabactani: quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Illius quærimoniæ anxietate, optime Jesu, indicas verba esse dile*Auctor lib. de Cardinal operibus Christi. serm. de Pass. Christi apud S. Cypr.* ctorum tuorum, quorum personam & causam assumpseras: in tantum ut per Moysen & per Apostolum sustinueris vocari peccatum & maledictum, pro similitudine pœnæ, non culpæ: quod pro eis voluisti intelligi, qui deseri a Deo propter peccata meruerant, quorum reconciliationis agebas causam. In qua allegator subtilis pro servis servilem non dedignaris accipere personam: & in tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, nec mori, dum illi vivant, & te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides; altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ majestatem evacuans, ut redeant dispersi, & respirent derelicti. *Hæc est causa quare derelictus sis, ut colligeret & revocaret inanitio tua eos qui fuerant derelicti, & qui sine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum,*

catum, reducti ad justitiam, conformes Christi, & Christi efficerentur & Dii. Unde scriptum est: *Ego dixi, Dii estis.* In nobis quærenda causa derelictionis, superbia, negligentia orandi, vigilantiæ defectus, &c.

11. Petri 4. 19.

11. *Jesus autem emissa voce magna expiravit.* Clamor peccatorum nostrorum Christo Jesu mortem infert; Clamor Christi morientis, mortemque suam Patri offerentis nos ab æterna morte liberat. Ad Deum cum Jesu & per Jesum Filium ejus Dominum nostrum clamemus, *Fideli Creatori commendantes animas nostras in benefactis.* Toto corde clamemus, ut exaudiri mereamur. *Flagrantia charitatis, clamor cordis est. Frigus charitatis, silentium cordis est.*

S. August. Enarr. in Psalm. 37.

12. *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* Auditus invenit, quod non visus; oculum species fefellit, auri veritas se infudit, oculus pronuntiabat infimum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum; auri Dei Filius, auri formolus innotuit. Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad unam exprirantis vocem sub tot infirmitatis judiciis Dominum majestatis agnovit: ideoque non despexit quod vidit, quia credidit quod non vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit, sed ex eo quod audivit, quia *Fides ex auditu.*

S. Bern. serm. 22. in Cænt.

Rom. 10.

13. *Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.* Vere dives Joseph, qui totam Domini personam compositam reportarit. Vere dives, qui duplicem Christi substantiam a Pilato accepit. Plane dives, qui inæstimabilem margaritam referre meruit. Quomodo enim non dives, qui mundi vitam & salutem nactus sit? Quomodo non dives, qui dono acceperit eum qui alit omnia, & omnibus dominatur? Vere dives es, o Joseph, si perfecte nosti quem tenes. An Orientem sepelis velut mortuum, qui orientis omnis Oriens existit, Jesum? Num tuis digitis, ut mortuo convenit, Jesu claudis oculos qui immaculato digito cæci aperuit oculum? Os ei concludis, qui muto os aperuit? Manus obvolvis ejus, qui extendit arefactas manus? Pedes colligas ejus, qui pedibus motu destitutis incessum reddidit? Unguenta cœlesti Unguento affundis, quod se ipsum effudit, & sanctimonia replevit? Divini Jesu corporis adhuc sanguine fluens latus audes abstergere, qui profluvio sanguinis laborantem sanavit? Num aquis abluis corpus hominis Dei qui omnes abluit? Quas vero faces accendens veræ luci, illuminanti omnem hominem? Quales illi cantabis funebres nænias, qui sine ullo silentio laudatur ab omni cœlesti exercitu? Num lachrymas pro eo fundis ut mortuo, qui lachrymatus mortuum quatriduanum resuscitavit? Beatas tuas manus, quibus portasti portantem omnia! Joseph & Nicodemus Cherubim anteceserunt, Deum Cherubim in se ipsis extollentes & gestantes. Anteceserunt senis alis præditos ministri Dei effecti, qui non alis, sed sindonibus Dominum contexerunt & honorarunt. Josephi ab Arimathæa pietatem imitemur, Christi corpus non jam mortuum, sed vivens & glorioſum in sacra Eucharistiæ Communione susceperi. Cum Christo moriamur peccato, mundo corde Christum susciplamus. Cor nostrum sit velut sepulcrum novum, recordatione & imitatione Passionis & mortis Christi. Sit excisum in petra, id est, in Christo fundatum & radicatum firma fide & charitate. Ejus ostium occlusum sit mundo & ejus amoribus, terrenis desideriis, cunctisque occasionibus peccati, per sacrum secessum & silentium. Sit Christus ipse verbo suo & gratia lapis vivus, qui viventis illius monumenti ostium claudat tentationibus diaboli & mundi. *Et advolvit lapidem ad ostium monumenti.*

S. Epiph. Hom. in Christi Jesu sepulturam.

CAPUT XVI.

Sensus Litteralis.

MIrum est quod de hujus capitis authentia quidam dubitaverint, quod in pluribus Codicibus non inveniretur, ut refert S. Hieronymus in Epistola ad Hedibiam, Quæstione 3. cum S. Irenæus Apostolorum proximus ætati illud ceu Canonicum agnoverit lib. 3. adversus Hæreses cap. 2. agnoverint & Patres ceteri; nec omissam a S. Marco Resurrectionis Christi historiam sit verisimile. In omnibus, qui nunc extant, Codicibus Græcis habetur, illudque habent Syrus, Arabs, Æthiops, Persa, & Latinus Interpretes.

1. *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Hic, *Emerunt*, usurpat S. Marcus pro, *emerant*, inclinante enim die Paraseeves comparaverant aromata ad ungendum corpus Jesus, ut statim atque Sabbatum transisset, hoc pietatis officio perfungerentur, ut colligitur ex S. Luca. „ Et dies erat Paraseeves (*in-*
„ *quit*) & Sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mu-
„ lieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt
„ monumentum, & quemadmodum positum erat corpus
„ ejus. Et revertentes paraverunt aromata & unguenta:
„ & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Una
„ autem Sabbati, valde diluculo, venerunt ad monumen-
„ tum, portantes, quæ paraverant, aromata. “

2. *Et valde mane una Sabbatorum*, prima die hebdomadæ, quæ deinceps Dominica apud Christianos appellata est, *veniunt ad monumentum orto jam sole.* Aoristus primus pro tempore præsenti hic, ut alibi sæpe usurpatur. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου *oriente jam sole*; cum primum solis lumen affulgere inciperet multis adhuc mixtum tenebris. Et *dicebant ad invicem*, in itinere, ignorantes appositam esse monumento custodiam: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et *respicientes* versus sepulchrum, viderunt *revolutum lapidem* ab Angelo; quod ipsis commode accidit; *Erat enim magnus valde.* Lapidisque moles & grave pondus ipsas tenebat sollicitas. Et introeuntes *in monumentum*, in speluncam in qua excisum erat sepulchrum, *viderunt juvenem*, Angelum juvenis specie, *sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expaveseere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum.* Vacuum videte sepulchrum & sudaria quibus corpus ejus involutum fuerat antequam tumulo conderetur. Ne igitur hic ultra moram faciatis: sed ite, *dicite Discipulis ejus, & Petro* imprimis Apostolici Collegii duci, *quia præcedet vos in Galilæam*, ibi eum videbitis redivivum, *sicut dixit vobis. At illæ exeuntes* e monumento (*invaserat enim eas tremor & pavor*) ex terræ motu, ex Angelica visione, ex eventus novitate & admirabilitate: *& nemini* eorum quod obvios forte habuerunt, *quidquam dixerunt: timebant enim* Judæos: sed cito Apostolis renuntiarunt quod viderant & audiverant.

3. *Surgens autem mane, prima Sabbati*, id est, hebdomadæ, *apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* Apparuit illi soli, sub hortulani specie, cum paululum recessisset a monumento, & a ceteris mulieribus, quæ ad sepulcrum remanserant. *Illa vadens* cito *nuntiavit his qui cum eo*, scilicet Jesu, *fuerant, lugentibus & flentibus* amissum Dominum & Magistrum. *Et illi audientes quia viveret* Jesus, & visus *esset ab ea, non crediderunt* ejus relationi.

4. *Post hæc autem duobus ex his*, qui fuerant cum Jesu, quorum unus erat Cleophas, *ambulantibus ostensus est in alia effigie*, ut ipsis quidem videbatur. *Oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoscerent* (inquit S. Lucas) *euntibus in villam*, cui nomen Emmaus. *Et illi euntes nuntiaverunt ceteris* Discipulis: *qui nec illis crediderunt.* Luc. 24.

5. *Novissime* post apparitiones memoratas, *recumbentibus illi undecim*, mensæ accumbentibus, ipsa Resurrectionis die *apparuit*. Quamvis abesset Thomas, dicuntur *undecim*. Hoc scilicet numero Apostolica societas tum nuncupabatur. *Et exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*; scilicet Mariæ Magdalenæ, ceterisque mulieribus, Petro & Joanni, & duobus illis Discipulis, quibus Emmauntem euntibus apparuit. Luc. 24. vers. 36. Joan. 20. 19. S. Aug. lib. 3 de consensu Evang. c. 25

6. *Et dixit eis*, non tunc, sed postea in Monte Galilææ, *Euntes in mundum universum*, non in solam Judæam, ut hactenus, sed quocumque volueritis & poteritis, qua late patet orbis terrarum, vos & successores vestri, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Omnibus hominibus, nullo discrimine sexus, nationis, conditionis, omnibus Gentibus; deinceps enim Edictum illud vos non obligabit, quo olim prohibueram ne *in viam Gentium* abiretis. Restringitur ab Evangelista creaturæ nomen ad homines, quo modo viventis vocabulum restringitur, cum Eva dicitur *Mater viventium*; & vox carnis, cum profitemur in Symbolo *carnis resurrectionem*. Confer cum Epist. ad Coloss. cap. 1. 23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles & immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est.* Mat. 28. 16. 17. 18 19

7. *Qui crediderit* Evangelio fide per dilectione operante, fide quæ sic appellatur, ex eo quod fiat id quod dicitur, fide quam innocentia morum, aut pœnitentia, & obedientia divinis mandatis comitantur; *& baptizatus fuerit, salvus erit*, vitam æternam consequetur, si in fide & observantia divinæ legis perseveret. *Qui vero non crediderit*, ut oportet, fidem suam Evangelicæ Legis observantia & sanctis operibus ostendens, condemnabitur Dei judicio, æternis suppliciis addicetur, gravioribus quam quibus Evangelium non est prædicatum. Non repetit alterum membrum, *& baptizatus non fuerit*, sed tantum, *qui non crediderit, condemnabitur*, innuens interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. *Quantum* namque *valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in sancto Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Matth. 10. Rom. 10. 10 S. Aug. lib 4 de Baptismo c. 22.

8. *Signa autem*, id est, miracula, charismata a Deo tamquam sigilla & testimonia veritatis, ejus missione, afflatu, auctoritate annunciatæ data, *eos qui crediderint*,

hæc

hæc sequentur. In nomine meo, id est invocato nomine meo; aut, virtute mea ac potentia *dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, alienis, peregrinis, quas ante non noverant, nec didicerant, *Serpentes tollent*. Venenata animalia auferent ex locis quibus infesta erant, quin etiam prehendent impune: sic Paulus viperam quæ manum ejus invaserat, illæsus in ignem excussit (Act. 28. 4.) 1. Cor. 12. 4. g. 6. & 7. *Et, si mortiferum quid biberint*, sive fortuito, sive coacti a persecutionibus, *non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Hæc autem promissio signorum & gratiarum (ut Theologi vocant) gratis datarum, non pertinet ad omnes & singulos Fideles, sed ad aliquos tantum, nunc plures, nunc pauciores, prout Christo visum fuerit ad fidem stabiliendam & propagandam. Credentibus autem indefinite hæc promittit, quia quæ aliquibus data sunt, ad omnium utilitatem data sunt. Neque etiam ad omnia tempora & loca hæc promissio pertinet, quasi semper & ubique fiant ab iis qui crediderint, sed quod non defutura sint Ecclesiæ hæc dona & signa, cum opus fuerit. Per Apostolos autem & Apostolicos Viros factum est ut non essent necessaria posteris. „ Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem S. August. lib. de Vera Relig. c. 25. „ diffusa atque fundata sit, nec miracula illa, *eadem & frequentia*, in nostra tempora durare *permissa sunt*, ne „ animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit: nec jam nobis dubium esse oportet iis esse credendum, qui cum ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. *Signa ista necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt*. S. Gregor. M. Hom. 29. in Evang. 1. Cor. 14. „ Ut enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis „ aquam infundimus, quosque ea in terra jam coaluisse „ videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc Paulus ait: Linguæ in signum sunt, non „ fidelibus, sed infidelibus. "

9. *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis*, de Regno Dei, quæcumque dicta voluit & oportuit, per quadraginta dies a Resurrectione gloriosa eis frequenter apparens, *assumptus est in cœlum*, ut homo, virtute propria Divinitatis suæ & Animæ beatæ, corpus glorificatum, prout vult moventis: *& sedet a dextris Dei*, ad paternæ gloriæ, majestatis, imperii consortium exaltatus, ut ipsi in omnibus æqualis. Quæ æqualitas per gloriosam ejus Resurrectionem & Ascensionem supra omnes cœlos Ephes. 1. nobis innotescit. Unde S. Paulus: „ Deus, (inquit) Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes „ vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus „ in sanctis & quæ sit supereminens magnitudo virtutis „ ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram „ suam in cœlestibus, supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne „ nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed „ etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus; „ & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ „ est corpus ipsius, & plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur. " Sedet a dextris Dei, ut æqualis S. Thom. 3. p. Qu. 58. Art. 2. Patri in gloria divinitatis, in possessione beatitudinis, in Regia & judiciaria potestate. Sessio autem quietem, æternamque glorioli status immobilitatem significat.

10. *Illi autem profecti* in mundum universum, sicut eis Jesus præceperat; non tamen statim post Ascensionem ejus, sed post Missionem Spiritus sancti die Pentecostes; *prædicaverunt Evangelium ubique*, non in Judæa tantum, sed in variis orbis terrarum plagis, quo eos ducebat Spiritus sanctus; *Domino cooperante*, intrinsecus per gratiam suam simul operante Jesu Christo cum Prædicatoribus & cum auditoribus qui Evangelio credebant: illis dans verbum virtute multa, & sapientiam cui non possent resistere adversarii eorum: his cor aperiendo, & fidem inspirando, quæ Dei donum est. *Et sermonem*, Evangelii prædicationem, legitimam Prædicatorum missionem, doctrinæ veritatem, extrinsecus *confirmante* & obsignante *sequentibus signis*. Miraculis, quæ sola Dei virtute S. August. lib. de Utilitate credendi c. 14. fieri possunt, qui falsitatem, errorem, mendacium approbare non potest, cum sit prima & summa Veritas, quæ nec fallere potest, nec falli. Christus igitur afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, *Miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fidei contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit Religionem*. Post Christi Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem in cœlos, descensumque Spiritus sancti, nomen Christi Jesu per Apostolorum prædicationem ubique propagatum est, & Gentes ad veri Dei notitiam per gratiam ejus adductæ, quæ antea verum Deum ignorabant universæ. „ Ante Resurrectio- S. Hieron. Epist. 3. de Morte Nepotiani. „ nem Christi notus tantum in Judæa Deus, in Israel „ magnum nomen ejus: & ipsi qui noverant eum, tamen „ ad inferos trahebantur. Ubi tunc totius orbis homines, ab India usque ad Britanniam, a rigida Septen- „ trionis plaga usque ad fervores Atlantici Oceani tam „ innumerabiles populi, & tantarum Gentium multitudines . . . Velut muscæ & culices conterebantur: ab- „ sque notitia enim sui Creatoris omnis homo pecus est. „ Nunc vero Passionem Christi & Resurrectionem ejus, „ cunctarum gentium & voces & litteræ sonant. "

SENSUS MORALIS.

1. *ET cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum*. Sanctarum Mulierum pietatem imitari debemus, ad monumentum Domini cum aromatibus proficisci, id est cum fragrantia charitatis, cum odore virtutum & bonorum operum, cum sanctis desideriis. Oratio & eleemosyna pretiosa sunt aromata, quorum odor Deo gratissimus est. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (inquit Propheta). *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo* (ait Apostolus). *Oblatio justi* (inquit Sapiens) *impinguat altare, & odor suavitatis est in conspectu Altissimi*. Qui carnem suam per castitatem, per mortificationem Christianam Deo consecrat, pretiosum unguentum ad Christi monumentum affert. *Sacrificia Deo gratia, conflictationes dico animæ, jejunia, & feras & aridas escas, & appendices huius officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque & viduitas, & modesta in occulto matrimonii dissimulatio, & una notitia ejus, de bonis carnis adolentur*. Cum aromatibus ad Christi Jesu monumentum veniunt mulieres Christianæ, si orent „ In habitu orna- 1. Tim. 2. 9. „ to, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non 10. „ in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste „ pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pie- „ tatem per opera bona. *Si maxime sollicitæ sint de cul-* 1. Petri 3. „ *tu & ornatu ejus*. Qui absconditus est cordis homo, 4. 5. „ in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est „ in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectę „ propriis viris. "

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Christus in sepulchro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quod fecerunt sanctæ mulieres. *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Numquid ut suscitarent? Et nos scimus quia suscitare nostrum non est, sed ungere nobis incumbit, ne fœteat qui hujusmodi est, ne sit ceteris odor mortis, ne pereffluat & penitus dissolvatur. *Emant proinde aromata sua tres mulieres mens, lingua, manus. Quærat igitur mens aromata sua, ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, & inter hæc discretionis spiritum non omittat. Linguæ* quoque *aromata tria sunt, Modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo*. Quia vero consequens est ut cujus vita despicitur, ejus etiam prædicatio contemnatur, oportet ut & *Manus habeat aromata sua, continentiam in carne, misericordiam in fratre, patientiam in pietate*. Unde Apostolus ait: *Sobrie, & juste, & pie vivamus*. Hæc enim tria sunt conversationi nostræ maxime necessaria, quoniam primum debemus nobis, secundum proximo, tertium Deo. Plura dabit S. Bernardus. S. Bernard serm. 1. pro Temp. Paschali.

2. *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam Sole*. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Amor nescit moras, cum officia exhibenda sunt dilecto. Sponsa cito de lecto surgit, ut quærat dilectum. Qui Christum vocantem continuo non sequuntur sed retro respiciunt, & terrenis affectibus nimis tribuunt, non sunt apti regno Dei. Igitur *valde mane* ad Christi monumentum conferre nos debemus, ejus nos obsequiis devovere, ipsi commori & cum ipso resurgere quantocyus, statim atque Sol justitiæ per gratiam suam nobis affulget. *Orto jam Sole*. Non differenda conversio, non adolescentia & juventus mundo, vanitati, voluptatibus devovenda, provectior & serior ætas Deo reservanda. Non imitandi Judæi, qui neglecta domo Dei, propria ædificia curabant, & ad Templum Dei excitandum nullo zelo movebantur, quam ob causam Deus illis sterilitatem immisit. *Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Aggæi 1. 2.

3. *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde*. Nullis difficultatibus exterretur amor, omnia impedimenta perrumpit charitas. Peccatori ante conversionem, aut initio conversionis difficile videtur revolvere lapidem pravæ consuetudinis, removere sæcularis conversationis impedimenta: *Quis*, inquit, *revolvet nobis lapidem?* Sed si in amore Dei crescat & confirmetur, si in ejus gratia confidat, videbit revolutum lapidem. Testis S. Cyprianus, id in se ipso expertus. „ Cum (*inquit*) in tenebris atque in no- S. Cypr. „ cte cæca jacerem, cumque in solo jactantis sæculi nu- Epist. 1. Ad „ tabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, Donatum. „ vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus; difficile „ prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, „ quod

„ quod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, „ ut quis renaſci denuo poſſet; utque in novam vitam „ lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat, „ exponeret; & corporea licet manente compage, homi- „ nem animo ac mente mutaret. Qui poſſibilis, ajebam, „ tanta converſio; ut repente ac perniciter exuatur, „ quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, „ vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit? Alta hæc „ & profunda penitus radice ſederunt. Quando parſimo- „ niam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus „ aſſuevit? Et qui pretioſa veſte conſpicuus in auro at- „ que in purpura fulſit, ad plebejum ſe ac ſimplicem cul- „ tum quando deponit? Faſcibus ille oblectatus & hono- „ ribus, privatus & inglorius eſſe non poteſt. Hic ſti- „ patus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi „ agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe cum ſolus eſt. „ Tenacius ſemper illecebris aſſuetum, neceſſe eſt, ut „ ſolebat, vinolentia invitet, inflet ſuperbia, iracundia „ inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, „ ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet ſæpe „ mecum: nam ut ipſe quamplurimis vitæ prioris errori- „ bus implicitus tenebar, quibus exui me poſſe non cre- „ derem, ſit vitiis adhærentibus obſecundans eram, & „ deſperatione meliorum malis meis veluti jam propriis „ ac vernaculis favebam. Sed poſtquam undæ genitalis „ auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus „ ac purum deſuper lumen infudit; poſtquam cælitus Spi- „ ritu hauſto in novum me hominem nativitas ſecunda „ reparavit; mirum in modum protinus confirmare ſe du- „ bia, patere clauſa, lucere tenebroſa: facultatem dare „ quod prius difficile videbatur; geri poſſe, quod impoſ- „ ſibile putabatur, ut eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe „ quod prius carnaliter delictis obnoxium viveret; Dei „ eſſe cœpiſſe quod jam Spiritus ſanctus animaret."

4. *Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum.* Crucifixus eſt, & ſurrexit. Paſſione & morte in cruce promeritus eſt
Luc. 24. gloriam reſurrectionis, vitam immortalem. „ Sic *enim*
*Philipp.*2.8 „ oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, „ CHRISTUS factus eſt pro nobis obediens uſque ad „ mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus „ exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper „ omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, „ cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lin- „ gua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in glo- „ ria eſt Dei Patris." Chriſto compati & commori de-
*Rom.*8. 17. bemus, ſi cum ipſo vivere, æternumque regnare velimus. *Cohæredes* ſumus Chriſti, per ejus gratiam qua filii Dei, & conſequenter hæredes facti ſumus: ſed audi conditio- nem: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur . . . Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & congregabimus.*

Surrexit, non eſt hic. Quid viventem inter mortuos quæritis? Aliorum ſepulchra mortuorum domus illorum ſunt uſque in diem reſurrectionis generalis. *Sepulchra*
*Pſal.*48.12. *eorum domus illorum in æternum.* Chriſti ſepulchrum ve- lut hoſpitium eſt, ubi triduo quieſcit, tertia die ad vi-
Pſal. 140. tam immortalem tranſiturus. *Singulariter ſum ego donec*
10. *Rom.* 6. *tranſeam.* Quidam a Prophetis, ab ipſo Chriſto, ab Apo- ſtolis, ab aliis Sanctis ſuſcitati ſunt iterum morituri, &
*Hebr.*7.25. in ſepulchrum rurſus inferendi: *Chriſtus reſurgens ex*
Luc. 1.31. *mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabi- tur . . . . Semper vivit ad interpellandum pro nobis . . . Et Regni ejus non erit finis.* Hujus gloriæ conſortium, hujus Regni una cum ipſo poſſeſſionem nobis promittit, ſi ſpiritaliter reſurgamus, ſi vere moriamur peccato, & vivamus Deo, ſi deinceps non moriamur, Deum deſeren- tes qui eſt vita noſtrarum animarum, ſi ad æterna bona ferventiſſimis deſideriis ſuſpiremus, & per bona opera noſtram ad illa vocationem certam facere ſatagamus. Ut futuram vitam nobis oſtenderet, ad eamque aſpiraremus & tenderemus, Chriſtus reſurrexit. „ Duæ etenim vitæ
S. Gregor. „ erant (*inquit S. Gregorius*) quarum unam novimus, al-
*M.Hom.*21. „ teram neſciebamus. Una quippe mortalis eſt, altera
in Evang. „ immortalis: una corruptionis, altera incorruptionis: „ una mortis, altera reſurrectionis. Sed venit Mediator „ Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſuſcepit unam, „ & oſtendit alteram: Unam pertulit moriendo, & oſten- „ dit alteram. Unam pertulit moriendo, & oſtendit al- „ teram reſurgendo. Si ergo nobis mortalem vitam ſcien- „ tibus, reſurrectionem promitteret carnis, & tamen „ hanc viſibiliter non exhiberet, quis ejus promiſſionibus „ crederet? Factus itaque homo apparuit in carne, mori „ dignatus eſt ex voluntate, reſurrexit ex poteſtate, & „ oſtendit exemplo quod nobis promiſit in præmio."

5. *Sed ite, dicite Diſcipulis ejus & Petro, quia præ- cedet vos in Galilæam.* Præit ſemper Jeſus illis qui ipſum crucifixum quærunt, præit gratia ſua illos confirmans & recreans, ac ſpe beatitudinis æternæ conſolatur, in qua ipſum videbunt glorioſum. Chriſti gloria aliis enarranda,
S. Gregor. ut ad ejus amorem accendantur. *Ite, dicite Diſcipulis ejus & Petro.* Petrus vocatur ex nomine, ne deſperaret ex negatione.

6. *At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaſerat enim eas tremor & pavor.* Pœnis & crucibus interiori- bus conſolationes cœleſtes pii promerentur. Mariæ Mag- dalenæ quæ juxta crucem Jeſu perſeveraverat magna conſtantia & fidelitate, quæ a ſepulchro Domini amore ejus ſuccenſa non recedebat, primo apparuit. Hæc eſt de qua ſeptem dæmonia ejecerat. Ubi abundaverat deli- ctum, ſuperabundavit & gratia. Apoſtolis *lugentibus & flentibus* Chriſti Reſurrectio nunciatur. In illis impletur illud Domini Jeſu promiſſum: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntun.* Statim non credunt, ut eorum incre- dulitas ſtabiliendæ fidei Reſurrectionis Jeſu ſerviat, eiſ- que poſtmodum ipſam prædicantibus facilius credatur.

7. *Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædi- cate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & ba- ptizatus fuerit, ſalvus erit.* Fortaſſe aliquis dixerit: Ego jam credidi, ſalvus ero. Verum dicit, ſi fidem bonis ope- ribus probat & ornat. Vere enim fidelis eſt, qui his quę verbis dicit, moribus non contradicit. „ In Chriſto Jeſu „ neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed „ fides quæ per charitatem operatur, (*inquit S. Pau-* „ *lus.*) Quid proderit, (*inquit S. Jacobus*) ſi fidem *Galat.* 5. 6. „ quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Num- *Jacobi* 2. „ quid poterit fides ſalvare eum? Si autem frater & ſo- „ ror nudi ſunt, & indigeant victu quotidiano, dicat „ autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini „ & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria „ ſunt corpori, quid proderit? Sic & fides, ſi non ha- „ beat opera, mortua eſt in ſemetipſa . . . . Tu credis „ quoniam unus eſt Deus: Bene facis; & dæmones cre- „ dunt, & contremiſcunt. Vis autem ſcire, o homo ina- „ nis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham „ pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens „ Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides „ cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides con- „ ſummata eſt? ... Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, „ ita & fides ſine operibus mortua eſt." Hinc de qui- buſdam falſis Fidelibus Paulus dicit: *Qui confitentur ſe* *Tit.* 1.16.1. *noſſe Deum, factis autem negant.* Hinc Joannes ait: *Qui* *Joan.* 2. 4. *dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, men- dax eſt.* Quod cum ita ſit, fidei noſtræ veritatem in vitæ noſtræ conſideratione debemus agnoſcere. „ Tunc enim *S. Gregor.* „ veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, *M.Hom.*29. „ operibus implemus. In die quippe baptiſmatis omnibus *in Evang.* „ nos antiqui hoſtis operibus atque omnibus pompis abre- „ nunciare promiſimus. Itaque unuſquiſque veſtrum ad „ conſiderationem ſuam mentis oculos reducat: & ſi ſer- „ vat poſt baptiſmum quod ante baptiſmum ſpopondit, „ certus jam quia fidelis eſt, gaudeat." Sed ecce quod promiſit, minime ſervavit: ſi ad exercenda prava opera, ad concupiſcendas mundi pompas dilapſus eſt, videamus ſi jam ſcit plangere quod erravit.

8. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* *Idem ibid.* *ſerpentes tollent*, &c. „ Sancta Eccleſia quotidie ſpirita- „ liter facit, quod tunc per Apoſtolos corporaliter facie- „ bat. Nam Sacerdotes ejus cum per exorciſmi gratiam „ manum credentibus imponunt, & habitare malignos „ ſpiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud fa- „ ciunt, niſi dæmonia ejiciunt? Et fideles quique qui „ jam vitæ veteris ſæcularia verba derelinquunt, ſancta „ autem myſteria inſonant, conditoris ſui laudes & po- „ tentiam, quantum prævalent, narrant, quid aliud fa- „ ciunt niſi novis linguis loquuntur? Qui dum bonis ſuis „ exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, „ ſerpentes tollunt. Et dum peſtiferas ſuaſiones audiunt, „ ſed tamen ad operationem pravam minime pertrahun- „ tur, mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis „ nocebit. Qui quoties proximos ſuos in bono opere infir- „ mari conſpiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, & „ exemplo ſuæ operationis illorum vitam roborant qui in „ propria actione titubant; quid aliud faciunt, niſi ſuper „ ægros manus imponunt, ut bene habeant? Quæ mira- „ cula tanto majora ſunt, quanto ſpiritalia: tanto ma- „ jora ſunt, quanto per hæc non corpora, ſed animæ „ ſuſcitantur. Hæc ſigna, Fratres chariſſimi, auctore „ Deo, ſi vultis, facitis. Corporalia illa miracula oſten- „ dunt aliquando ſanctitatem, non faciunt: hæc vero „ ſpiritalia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non „ oſtendunt, ſed faciunt. Illa habere & mali poſſunt: „ iſtis autem perfrui niſi boni non poſſunt. Unde de qu- „ buſdam Chriſtus ait: Multi mihi dicent in die illa: *Matt.* 7. „ Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, „ & in nomine tuo dęmonia ejecimus, & in nomine tuo vir- „ tutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; Quia non „ novi vos, diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem." Nolite ergo amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi communia: ſed hęc, quę modo diximus, *Charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occulta: & de quibus apud Dominum eo major fit retributio, quo apud homines minor eſt gloria.* Non multum abſimilis eſt *S. Bern.* S. Bernardi tropologia. Non difficile arbitror, inquit *ſerm.* 1. *de* noſſe quemadmodum intelligi ſigna poſſint præſentia, ut *Aſcenſione* ſint indubitata ſigna credulitatis, ac per hoc & ſa- *Dom.* lutis. „ Primum *enim* opus fidei per dilectionem ope-

„ rantis, cordis compunctio eſt, in qua ſine dubio ejici-
„ untur dæmonia, cum eradicantur e corde peccata.
„ Exinde qui in Chriſtum credunt, linguis loquuntur
„ novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec
„ de cetero vetuſta protoparentum lingua loquuntur,
„ declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes
„ in peccatis. Ubi vero compunctione cordis, & oris
„ confeſſione priora ſunt deleta peccata, ne recidi-
„ vam patiantur, & jam ſint poſteriora pejora priori-
„ bus, ſerpentes tollant neceſſe eſt, id eſt, ut ve-
„ nenatas ſuggeſtiones extinguant. Quid tamen agen-
„ dum, ſi qua forte radix pullulat, quæ tam velociter
„ nequeat extirpari, ſed ſtimulat animum concupiſcentia
„ carnis? Profecto *ſi mortiferum quid biberint non eis no-*
„ *cebit*: Quoniam juxta Salvatoris exemplum, cum gu-
„ ſtaverint, nolent bibere; id eſt, cum ſenſerint, nolent
„ conſentire. Sic enim non eis nocebit, (*quia nulla*
„ *damnatio eſt his qui ſunt in Chriſto Jeſu*) concupi-
„ ſcentiæ ſenſus abſque conſenſu. Quid tamen? Moleſta
„ certe & periculoſa eſt ſic corruptæ & infirmæ affectio-
„ nis lucta: Sed *Qui crediderint, ſuper ægros manus*
„ *imponent*, & *bene habebunt*: Id eſt, ægras affectiones
„ bonis operibus varient, & hoc remedio curabun-
„ tur.“

S. Aug. ſer. 263. alias de Tempore 174. & de Diverſis 90.

9. *Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet a dexteris Dei.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlum, aſcendat cum illo & cor noſtrum: „ Qui de celo deſcendit, non
„ nobis invidet cœlum, ſed quodammodo clamat, Mem-
„ bra mea eſtote, ſi aſcendere vultis in cœlum. In hoc
„ ipſi interim roboremur, in hoc votis omnibus æſtue-
„ mus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in
„ cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exua-
„ mus animi vetuſtatem. Facile corpus levabitur in alta
„ cœlorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccato-
„ rum . . .“ *Manipulus primitiarum noſtrarum Chriſtus oblatus eſt, ad dexteram Patris aſſumptus, & aſſiſtit nunc vultui Dei pro nobis*. „ Sedet autem habens in dextera

S. Bern. ſer. 1 1 de Aſcenſione Dom.

„ miſericordiam, in ſiniſtra judicium: & miſericordiam
„ multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera
„ aquam, in ſiniſtra ignem immobiliter tenens. Et qui-
„ dem corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe
„ ſecundum altitudinem cœli a terra: & miſericordia
„ hæc ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes
„ eum; ab æterno per prædeſtinationem, in æternum
„ per glorificationem. Similiter & in reprobis terribilis
„ eſt ſuper filios hominum, & utrinque ſtat fixa ſenten-
„ tia æternitatis, & in his qui ſalvi fiunt, & in his qui
„ pereunt.“ Aſcenſiones in corde noſtro diſponamus in valle lachrymarum, in loco quem Deus poſuit ut vitam æternam promereamur. Nihil ex nobis poſſumus, ſed *Benedictionem dabit Legislator*, ut eamus *de virtute in virtutem*, & videamus Deum Deorum in Sion. Deo ſerviamus in ſanctitate & juſtitia, in charitate & humilitate omnibus diebus noſtris: ut per humilitatem ad ſublimitatem gloriæ æternæ aſcendamus, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potius

Pſalm. 83. 7

quam aſcendit; quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. „ Chriſtus enim cum per naturam
„ divinitatis non haberet quo creſceret vel aſcenderet,
„ quia ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo cre-
„ ſceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne mo-
„ reremur in æternum. Propter quod Deus exaltavit il-
„ lum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet a dexteris Dei.“

Luc. 14.

Vade & tu fac ſimiliter. Neque enim aſcendere potes, niſi deſcenderis, quia ut æterna lege fixum eſt: *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur*. „ O perverſitas, o abuſio fi-
„ liorum Adam! quia cum aſcendere difficillimum ſit,
„ deſcendere autem facillimum, ipſi & leviter aſcendunt,
„ & difficilius deſcendunt, parati ad honores & celſitu-
„ dines graduum Eccleſiaſticorum ipſis etiam Angelis for-
„ midandos. Ad ſequendum autem te, Domine Jeſu, vix
„ inveniuntur qui vel trahi patiantur, qui velint duci
„ per viam mandatorum tuorum.“

Epheſ. 4. 10 Joan. 14. 2. Micheæ 2. 13. Pſal. 67. 19. Epheſ. 4

Aſſumptus eſt in cœlum. Chriſti in cœlum aſſumptio, gloriæ ejus, noſtræque ſalutis conſummatio eſt. *Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia*. Aſcendit, ut viam nobis pararet. *Vado*, inquit, *parare vobis locum*. Prophetæ vaticinium impletum eſt: *Aſcendit pandens iter ante eos*. Quia enim ipſe eſt caput noſtrum, oportet illuc ſequi membra, quo caput præceſſit. *Ut ubi ego ſum* (inquit) *& vos ſitis*. Quamobrem *Aſcendens in cœlum, captivam duxit captivitatem*. Juſtorum animas in limbo detentas antequam cœlum paſſione ac morte ſua reſeraſſet, captivitate ſolvit, in cœlumque triumphans reduxit, utpote per victoriam ſuam acquiſitas. Secundo ſicut Pontifex in Veteri Teſtamento intrabat in Sanctuarium, ut coram Deo ſtaret pro populo: ita & Chriſtus intravit in cœlum ad interpellandum pro nobis. Ipſa enim repræſentatio ſui ex natura humana, quam in cœlum intulit, eſt quædam interpellatio pro nobis: ut ex quo Deus humanam naturam ſic exaltavit in Chriſto, etiam eorum miſereatur pro quibus Filius Dei humanam naturam aſſumpſit. „ Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bo- *Hebr. 9. 11.*
„ norum, per amplius & perfectius Tabernaculum non *12. 24.*
„ manu factum, id eſt, non hujus creationis; neque per
„ ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium
„ ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redem- *Pſal. 67. 19.*
„ ptione inventa . . . . Non enim in manu facta ſancta
„ Jeſus introivit; exemplaria verorum; ſed in ipſum cœ-
„ lum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.“ Tertio *Epheſ. 4. 8.*
aſſumptus eſt, ut in cælorum ſede quaſi Deus & Dominus conſtitutus, exinde divina dona hominibus mitteret. *Aſcendens in altum, dedit dona hominibus*. Quarto aſſumptus eſt in cœlum, ad fidem noſtram augendam atque confirmandam, cujus objectum ea ſunt quæ non videntur. Unde ipſe Dominus Diſcipulis ſuis ait, quod Spiritus ſanctus adveniens *arguet mundum de juſtitia*, eorum ſcilicet qui credunt. Ipſa quippe fidelium compa- *Joan. 16. 10*
ratio, infidelium eſt vituperatio. Unde ſubdit: *Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me*. Beati enim qui *S. Aug. Tract. 65. in Evan. Jo.*
non vident & credunt. „ Erit itaque veſtra juſtitia qua
„ mundus arguetur, quia vado ad Patrem, & jam non vi-
„ debitis me; quoniam in eum quem non videbitis cre-
„ detis in me: & quando me videbitis, quod tunc ero,
„ non videbitis me quod ſum vobiſcum modo; non vide-
„ bitis humilem, ſed excelſum; non videbitis mortalem,
„ ſed ſempiternum; non videbitis judicandum, ſed ju-
„ dicaturum: & de hac fide veſtra, id eſt, juſtitia ve-
„ ſtra, arguet Spiritus ſanctus incredulum mun-
„ dum.“ Quinto, Dominus Jeſus aſſumptus eſt in Cœlum, ad ſpei noſtræ provectionem. Per hoc enim quod humanam naturam aſſumptam in cœlo collocavit, dedit nobis ſpem illuc perveniendi: quia *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ*. Unde ipſe Chriſtus ait: *Matth. 24.*
Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam *Joan. 14.*
& accipiam vos ad me ipſum: ut ubi ego ſum, & vos ſitis. Sexto, Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cœlum ad erigendum charitatis affectum in cœleſtia: *Quæ ſurſum ſunt quærite* (inquit Apoſtolus) *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. Nam *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Theſaurus autem noſter in cœlis eſt Chriſtus Jeſus. Et *Joan. 16.*
quia Spiritus ſanctus amor eſt nos in Cœleſtia rapiens, ideo Diſcipulis ſuis ait: „ Expedit vobis ut ego vadam:
„ Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi
„ autem abiero, mittam eum ad vos. *Quaſi diceret*: Ex- *Tract. 94. in*
„ pedit vobis ut hæc forma ſervi auferatur a vobis. Caro *Joan.*
„ quidem factum Verbum: Habito in vobis; ſed nolo me
„ carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſem-
„ per infantes eſſe cupiatis. Si alimenta tenera, quibus
„ vos alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis;
„ ſi carni carnaliter hæſeritis, capaces Spiritus non eri-
„ tis.“ Intellectu & affectu plane purgatis, ut ſicut bonum novimus, ſic & velimus, quod ſolum perfecta Religio eſt, utroque Chriſtum in cœlos aſcendentem proſequamur. Meminerimus Eliſæi, cui cum Elias dixiſſet, *4. Reg. 2.*
ut in diſceſſu vel aſcenſu ſuo poſtularet quod vellet, reſpondit: *Oro ut fiat ſpiritus tuus duplex in me*. At ille: *Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris quando tollar a te, erit quod petiſti*. Quis ſpiritus iſte duplex qui quæritur, niſi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris eſt qui illum habere mereatur, ut ſoli Deo vivens non noverit niſi Deum: nec cupiat niſi Deum. *Attamen*, inquit, *ſi videris quando tollar a te, erit quod petiſti*.

10. *Illi vero profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. *Pſal. 18. 5.*
Præceptum obedientia; obedientiam vero ſigna ſecuta ſunt. Profecti Apoſtoli prædicaverunt ubique ut Domini mandatum implerent, & ut Prophetia impleretur: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ipſis cooperatus eſt Dominus, ut promiſſa ſua impleret, utque compertum haberent, quia *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. Deus qui velle operatur in nobis ut incipiens, *1. Cor. 3. 7.*
volentibus cooperatur ut perficiens; ut compertum habeamus, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*, & *Totum Deo detur, qui voluntatem hominis & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. Sed & nos ipſi *S. Cyprian.*
Deo cooperemur neceſſe eſt, ne gratia Dei vacua ſit in nobis. Prædicemus ubique Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum, ipſum glorificemus, non verbis modo, ſed operibus & ſancta converſatione, & ad ejus amorem atque *S. Auguſt.*
obedientiam, quantum in nobis eſt, alios accendamus & adducamus.

Finis Expoſitionis ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

PRÆ-

PRÆFATIO

In Sanctum JESU-CHRISTI *Evangelium ſecundum Lucam.*

LUCAS patria Antiochenus, profeſſione Medicus, *Proſelitus* fuiſſe (*a*) traditur; ſive ex Paganiſmo ad Judæorum Religionem tranſierit, quæ communior eſt vocis iſtius ſignificatio; ſive ex Gentilibus converſus fuerit ad Chriſtum, quod veriſimilius colligitur ex Epiſtola ad (*b*) Coloſſenſes, ubi eum nominat S. Paulus ſeorſim ab iis *qui ſunt ex Circumciſione*. Ad Chriſti fidem adductus fuiſſe creditur a S. Paulo, cujus filium ſpiritualem illum nominat S. (*c*) Hieronymus. Ejuſdem Apoſtoli cognatum fuiſſe, quem ad Romanos (*d*) ſcribens, *Lucium* appellat, inflexa paululum nominis pronuntiatione, exiſtimavit Origenes. Ex numero 70. Diſcipulorum Chriſti non fuit, ut S. Epiphanio (*e*) viſum eſt; nec proinde unus ex duobus ipſa die Reſurrectionis ſuæ euntibus Emmaus Dominus apparuit, quod S. (*f*) Gregorius conjecit: ſed Apoſtolorum diſcipulus, præſertim S. Pauli, cujus peregrinationum comes & laborum Apoſtolicorum ſocius fuit, ut S. (*g*) Irenæus, (*h*) Tertullianus, (*i*) Euſebius, SS. (*k*) Hieronymus & (*l*) Auguſtinus teſtantur. Scripſit Evangelium poſt SS. Matthæum & Marcum, in Achaiæ Bæotiæque partibus, anno Chriſti circiter 53. quædam altius repetens quam priores Evangeliſtæ, & audita magis quam viſa deſcribens, ut ipſe in Procœmio confitetur. De illo hunc locum (*m*) Apoſtoli plurimi (*n*) Veterum intelligunt: *Miſimus cum illo* (Tito ſcilicet) *Fratrem cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias: non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram*. S. Paulum cum de ſuo loquitur Evangelio, (*Rom.* 2. 16. *&* c. 16. 25. *&* 1. *Theſſal.* 1. 5.) intelligere Evangelium S. Lucæ quidam exiſtimarunt; quod a S. Paulo dictatum, & a Luca ſcriptum Auctor Synopſis Scripturæ Sacræ S. Athanaſio attributæ ait. Quod quidem eo ſenſu explicandum eſt quo S. Irenæus Libro 3. cap. 1. ſcripſit: *Lucas ſectator Pauli Evangelium a Paulo prædicatum litteris mandavit*. Et (*o*) Tertullianus: *Lucas non Apoſtolus, ſed Apoſtolicus; non magiſter, ſed diſcipulus, utique magiſtro minor, certe tanto poſterior quanto poſterioris Apoſtoli ſectator, Pauli ſine dubio: ut & ſi ſub ipſius Pauli nomine Evangelium Marcion intuliſſet, non ſufficeret ad fidem ſingularitas, deſtituta patrocinio anteceſſorum: exigeretur enim id quoque Evangelium quod Paulus invenit, cui fidem dedit, cui mox ſuum congruere geſtiit .... Paulus illuminator Lucæ: ... Eadem auctoritas Eccleſiarum Apoſtolicarum, ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quæ proinde per illas & ſecundum illas habemus, Joannis dico & Matthæi; licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus. Nam & Lucæ Digeſtum Paulo adſcribere ſolent. Caput Magiſtrorum videri, quæ Diſcipuli promulgarunt*. Græce ſcripſit Evangelium S. Lucas, & ſtylo quidem elegantiori, quam Evangeliſtæ ceteri.

(a) *S. Hieron. in Cat. ſcript. Eccleſ. & in Epiſtol. ad Galat. p.* 226. (b) *Coloſſ.* 4. (c) *S. Hieron. in c.* 65. *Iſai.* (d) *Rom.* 16. 21. (e) *S. Epiph. Her.* 51. (f) *S. Gregor. lib.* 1. *Moral. c.* 1. (g) *S. Irenæus lib.* 1. *c.* 20. (h) *Tertull. lib.* 4. *contra Marcion. c.* 2. (i) *Euſeb. lib.* 3. *c.* 4. (k) *S. Hieron. in Catal. & prol. in Matt.* (l) *S. Auguſt. lib.* 1. *de conſenſu Evang. c.* 1. (m) 2. *Corin.* 8. 18. (n) *Orig. Hom.* 1. *in Luc. S. Chryſ. Hom.* 10. *in* 2. *Tim. & Hom.* 1. *in Act. S. Hieron. in Cat. ſcript. Eccleſ. Euſeb. lib.* 3. *Hiſt. c.* 4. (o) *Tertull. lib.* 4. *contra Marcion. c.* 2. *&* 5.

EXPOSITIO
LITTERALIS ET MORALIS
S. EVANGELII
SECUNDUM
LUCAM.

CAPUT PRIMUM.

Sensus Litteralis.

1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum.* Quatuor primi capitis istius versus rationem habent præfationis ab ipsomet sancto Evangelista conscriptæ, ut consilium suum exponeret, fidemque Historiæ a se conscribendæ conciliaret. Multi (inquit) huc usque conati sunt, non malo animo, quamquam privato consilio & humana industria, scribere historiam rerum quæ a Christo Jesu gestæ sunt, ad implendum Vaticinia Prophetarum, eo quo gestæ sunt ordine. His certe verbis, *Multi conati sunt*, nec Matthæum & Marcum perstringit, qui non solum conati sunt scribere Evangelium, sed feliciter id sunt executi; neque pseudoapostolos, quos eo tempore falsa, fabulosa, hæretica Evangelia jam scripsisse certum non est, & quos reprehendisset ac damnasset divinus Evangelista. Quosdam igitur Apostolorum discipulos indigitare videtur, qui a Magistris prædicantibus & docentibus audita in pugillares retulerant, ac deinde continuam rerum, quarum certa & explorata erat cognitio, narrationem ex collectaneis suis contexere & adornare aggressi erant, irrito nihilominus conatu, ut S. Ambrosius interpretatur. *Qui ordinare conatus est*, inquit, *suo labore conatus est, nec implevit. Sine conatu enim sunt donationes & gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium.* Non conati sunt SS. Evangelistæ; *sed divino Spiritu ubertatem dectorum, rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta complerunt.* Quod autem vertit Vulgatus Interpres, *narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum*, Græce πεπληροφορημένων verti etiam posse notat S. Ambrosius, *quæ in nobis redundant:* quod enim redundat, nulli deficit, & de completo nemo dubitat, cum fidem effectus adstruat, exitus prodat. Nonnulli verterunt, *Rerum quæ nobis abunde probatæ sunt*, quarum ita certa & explorata nobis veritas est, ut de illis ambigi non possit.

S. Ambros. lib. 1. in Luc. n. 3.

2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Multi conati sunt gestorum Christi historiam texere, Mysteriorum, sermonum, ac miraculorum ejus scribere narrationem, sicut nobis tradiderunt qui testes illorum fuerunt, Virgo præcipue Deipara, & Apostoli; hæc enim ab initio nativitatis & conceptionis Christi, & Præcursoris ejus Joannis plenam omnium fidem fecerat, Apostoli vero ab initio prædicationis ipsius, seu Sermonis Evangelici rerum omnium a Christo gestarum, & traditæ ab eo doctrinæ non modo testes fuerant, verum etiam ministri sermonis, id est, Prædicatores Evangelii a Domino Jesu electi & constituti. „ Quod Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, „ hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur. Cujus primi Prædicatores Apostoli fuerunt, „ qui Dominum ipsum & Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui non solum ea quæ ex ore ejus audita, vel ab illo sub oculis „ suis operata, dicta & facta meminerant; verum etiam „ quæ prius quam illi per discipulatum adhæserant, in „ ejus nativitate vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta, & digna memoria, sive ab ipso, sive a parentibus „ ejus, sive a quibuslibet aliis, certissimis indiciis & fidelissimis testimoniis requirere & cognoscere potuerunt, impositio sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare curaverunt.

S. Augusti. lib. 1. de Consens. Evang. c. 3.

Qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, id est, Verbi incarnati. Unde S. Joannes Epistola 1. scribit: „ Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod „ vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus „ nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifesta est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus „ vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. „

S. Ambros.

3. *Visum est & mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Visum est & mihi, Spiritu tamen sancto inspirante, quemadmodum Apostoli in Actis ajunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Non igitur consilio tantum humano, & propria voluntate atque electione S. Lucæ visum est Evangelium scribere, sed sicut placuit ei qui in ipso loquebatur Christus; qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur. Sicut ergo cum aliquis interrogatus cur voluerit esse Christianus, respondet, *Visum est mihi*, non negat Deo visum, a quo præparatur voluntas hominum: ita Sanctus Evangelista cum ait, *Visum est & mihi*, non negat Spiritus sancti afflantis inspirationem, revelationem, & impulsum. Sed nec piam diligentiam excludit in perveſtigandis rebus, & judicium in seligendis quæ scriptis commendaret. *Visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter*, id est, rebus omnibus quæ ad historiam & Vitam Christi Jesu pertinebant ab origine repetitis, & accurate perveſtigatis, ea scribere, quæ Spiritu sancto afflante & dirigente scribenda judicavi. Assecuto enim omnia, visum est non omnia scribere; quia quæ fecit Jesus si scribantur omnia, nec ipsum capere mundum posse arbitror (ait S. Joannes). Elegit igitur ex omnibus quæ judicavit apta, & sufficere officio dispensationis suæ: unde etiam plurima ab aliis scripta prætermisit, *Ut diversa in Evangelio gratia refulgeret, & propriis quibusdam singuli libri mysteriorum gestorumque miraculis eminerent;* ait S. Ambrosius. Scribere autem se testatur *ex ordine*, id est, sigillatim ac distincte, servatoque etiam quoad præcipua Historiæ capita ordine temporis quo res gestæ sunt; non quod in omnibus plane rebus ac verbis temporis ordinem accurate magis servaverit, quam ceteri: ut in Harmonia Evangelica reliqui ad Lucam accommodandi omnino censeantur: quod Neotericis quibusdam Commentatoribus visum est. *Theophilo* porro suum Evangelium Lucas inscribit, quo nomine etsi quemlibet hominem Deum diligentem, aut Deo dilectum ab illo designari Origenes, S. Epiphanius & S. Ambrosius existimaverint, certum tamen ac definitum hominem eo nomine significari communior est opinio, hoc imprimis argumen-

S. Ambros. ibid. n. 10.

Joan. 21. 25.

S. Augusti. lib. 4. de Cons. Evang. c. 8.

S. Ambros. lib. 1. in Luc. n. 11.

Orig. Hom. 1. in Luc. S. Epiph. Hæresi 52. S. Ambros. lib. 1. in Luc.

gumento nixa, quod *optimus* salutetur, *optime Theophile*, qui titulus nonnisi illustribus & primariæ dignitatis atque auctoritatis viris tribui consueverat, ut Festo & Felici in Actis Apostolorum. Confer cum Act. vers. 1.

4. *Ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem*. Ut rerum de quibus viva voce, sive ante sive post baptismum institutus es, veritatem, firmamque certitudinem recognoscas, hanc legendo Historiam. Quod tamen non in unius Theophili, sed in totius Ecclesiæ omniumque Christianorum utilitatem & salutem a sancto Evangelista susceptum & executioni mandatum est . . . Sic Evangelicæ Historiæ suæ præfatus Lucas, illius exordium ducit a Joannis Præcursoris Christi nativitate ad-
Malach. 3. 1. mirabili, in quo adimpletum Malachiæ vaticinium: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit vitam ante faciem meam. Et statim veniet ad Templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.*

5. *Fuit in diebus Herodis, Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron; & nomen ejus Elisabeth*. Quia Religionis instar est fidem de temporibus asserere, ut scite dixit Tertullianus, S. Evangelista tempus Nativitatis Joannis & Christi Domini accurate describit, ut fidem Historiæ conciliet, ac vaticinium celebret Jacob morientis,
Genes. 49. 10. & Judæ filio suo benedicentis, *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*, tunc temporis impletum esse significet. *Fuit in diebus Herodis* Magni, alienigenæ, utpote Idumæi, *Regis Judææ*, Terræ Israeliticæ a Judæis habitatæ. Hoc scilicet titulo ab Herode Tetrarcha Galilææ distinguitur Herodes Magnus, quem Romani subactis Judæis Regem præfecerunt, & per quem adulterata Regum sive Ducum e Judaico genere successio prærogativam supremæ dignitatis & potestatis amisit.

S. August. *Zacharias* sancti Præcursoris Pater summus Sacerdos non erat, quod S. Augustino visum, aliisque nonnullis; summus enim Sacerdos vices stationesque minime obser-
Luc. 3. 2. vabat, sed ipsi omni tempore sacris operari jus fuit. 2.
Act. 4. 6. Lucas summum Sacerdotem *Pontificem* vocare solet. 3. Summus Sacerdos adolebat incensum in Sancto Sanctorum,
1. *Paralip.* die solemni Expiationis (*Lev.* 16. 29. & 30.) Zacha-
23. 6. & c. rias vero in altari thymiamatis, quod erat extra velum,
24. 5. 6. 7. 8. qualibet hebdomadæ die. Erat igitur simplex Sacerdos *de*
2. *Paralip.* *vice Abia*, quæ inter familias & classes Sacerdotales
23. 8. *Joseph* octava erat. Cum scilicet Aaronidæ Sacerdotes in ma-
Antiqu. lib. gnum olim numerum excrevissent, & simul omnes sacro
7. c. 11. fungi non possent officio, ad vitandum confusionem ac dissensionem in ministerio Templi, distribuit eos David in viginti quatuor classes, quæ per vices suas & hebdomades in Templo ministrarent, jacta sorte. Octava porro ephemeria Abiæ & ejus familiæ contigit. De Sacerdotalibus istis classibus plura Scaliger in Canone Isagogico, ad Chronicon Eusebii, & in Appendice ad Librum de Emendatione Temporum, & Ligfoot in Horis Hebraicis.

Et uxor illius de filiabus Aaron. Uxores quidem nonnisi
Levit. 21. 13. Hebræis parentibus natas ducere Sacerdotibus licebat, *ut*
Joseph. *genus Sacerdotale purum semper impermixtumque maneret*
contra Appionem lib. 1. (inquit Josephus). Verum extra genus Aaronis & Leviticam Tribum uxorem ducere licebat non minoribus dumtaxat Sacerdotibus, sed ipsi Pontifici, (tametsi Philoni aliter visum.) Nam Joiada conjugem habuit Regis Jo-
Philo lib. 2. *de Monarchia*. rami filiam, Achaziæ sororem, ex Tribu Juda (4. *Reg.* 11.) & Barzillaius secundi ordinis Sacerdos uxorem duxit ex Tribu Galaa (*Esdræ* 2. 61.) Quod Scriptura sacra non reprehendit. Quod igitur Zachariam de filiabus Aaron uxorem duxisse narrat S. Lucas, non significat obsequium Legi hac in re præstitum, sed Joannis nobilitatem ex utroque parente commendat, ut observat S. Am-
S. Ambros. lib. 1. *in Luc. n.* 16. brosius: „ Non solum a parentibus, sed etiam a majori„ bus Sancti Joannis nobilitas propagatur, non sæculari „ potestate sublimis, sed religionis successione venerabi„ lis: ut non repente conceptam, sed a majoribus acce„ ptam, & ipso infusam jure naturæ fidem prædicare „ Dominici videretur adventus. "

6 *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Vera justitia sinceraque pietate & sanctimonia Deo, qui corda novit & probat, grati & accepti erant; non pietatis simulatione & extera specie hominibus imponentes, sed recti corde coram Deo; omnia ejus mandata, & imprimis maximum & primum charitatis mandatum observantes, omnesque Legis ceremonias & statuta, famæque integerrimæ, ut a nemine jure reprehendi possent. *Justificationes* porro passim in Scriptura vocantur mandata Dei, quod eorum accurata observatio cum fide conjuncta justum hominem faciat, ejusque justitiam magis ac magis augeat & demonstret. *Non enim auditores*
Rom. 2. 13. *Jacobi* 2. 24 *legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* . . . . Et, *Ex operibus justificatur homo, non ex fide tantum*. Ceterum inde colligi non potest Joannis parentes omnis prorsus expertes peccati etiam levioris vixisse, quod privilegium uni Virgini Deiparæ vindicat Ecclesiæ doctrina. Zacharias enim Sacerdos fuit: omnes autem tunc Sacerdotes necesse habebant ex Lege Dei primitus *pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populi*. *Levit.* 9. 7. SICUT *ergo nunc per orationis sacrificium convincimur non* *Hebr.* 7. 27. *esse sine peccato, quoniam jussi sumus dicere*, Dimitte no- *S. Aug. Ep.* bis debita nostra, *ita & tunc per sacrificia victimarum* 172. *alias* *animalium convincebantur Sacerdotes sine peccato non esse,* 95. *qui pro suis peccatis jubebantur offerre*. Sed quoquo modo se habeat ista quæstio, utrum homo in hac vita sine peccato esse possit per adjutorium gratiæ & Spiritus Dei, citra singulare privilegium, quod posse fieri S. Ambrosius sensit, in hunc sensum explicans quod de S. Joannis parentibus hic scriptum est: „ Nobis sufficit quod nullus in „ Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu ex- *Legatur & lib.* 2. *de* „ cellentiaque justitiæ, qui sibi audeat dicere non neces- *peccatorum* „ sariam precationem orationis dominicæ, *Dimitte nobis* *meritis cap.* „ *debita nostra*; & dicat se non habere peccatum, ne 13. *& lib.* „ se ipsum decipiat, & veritas in eo non sit, quamvis *de Perfe-* „ jam sine querela vivat. Non enim qualecumque etiam *ctione justi-* „ tentationis humanæ, sed grave peccatum est quod in *tiæ homi-* „ querelam venit. " Dicti sunt igitur Zacharias & Eli- *nis cap.* 17. sabeth *sine querela*, id est, sine crimine: nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen, quod est *peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum*, ut definit S. Augustinus. *S. Aug. Tr.* 41. *in Jo. n.* 9.

7. *Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis*. Duplicem orbitatis causam S. Evangelista commemorat, naturalem infœcunditatem Elisabethæ, illiusque & Zachariæ senectutem, ut magnitudo miraculi commendetur.

8. *Factum est autem cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini*. Cum in Templo ante Arcam sacris operaretur Zacharias secundum ordinem Classis suæ: id est familiæ Abia, & inter se sortiti essent hujus familiæ Sacerdotes quæ pars sacri ministerii cuique obtingeret; sorte consecutus est munus adolendi thymiamatis, quod Sacerdotum unus quotidie mane & vespere Deo offerebat. *Exod.* 30. 7. Itaque ut hoc munus obiret, ingressus est in interiorem 8. Templi partem, quæ *Sanctum*, sive Sanctuarium vocabatur, in quo erat Altare suffitus, velo diremptum a Sancto Sanctorum, ubi quondam fuerat Arca.

10. *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*. Plebs omnis, quam spontanea devotio adduxit, vel debitum pietatis & publici cultus officium (dies enim forte erat Sabbati) in atrio exteriore Templi orabat dum Sacerdos thymiama offerret, preces suas illius precibus adjungens. Quo forte alluditur Apocalypsis 8. 3. 4. „ Et „ alius Angelus venit, & stetit ante Altare, habens thu„ ribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut „ daret de orationibus Sanctorum omnium super altare „ aureum quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus „ incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli „ coram Deo. "

11. 12. *Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum*. Angelus Gabriel a Deo missus, Zachariæ thus adolenti subito & improviso apparuit, stans a dextris Altaris thymiamatis, fausto prorsus omine. *Veri* scilicet *Sacerdotis adventum, sacrificii universalis mysterium, cœlestis doni gaudium* nuntiaturus a Deo veniebat, ut ait Venerabilis Beda . . . Deus homo, & Virgo Mater, magna Mysteria paulo post perficienda, quæ *paraturam desiderabant ut credi possent* (ait Tertullianus): Incarnationi Filii Dei fidem conciliabant Angelorum in humana specie apparitiones tempore veteris Legis factæ: Virginis fœcunditati, mulierum sterilium & vetularum conceptiones. Gabrielis igitur apparitio Zachariæ facta ut Elisabetham ejus conjugem, sterilem licet ac vetulam, ipsi parituram filium nuntiaret, mentes hominum ad credendum Dei Incarnati & Virginis matris compleuda paulo post mysteria præparabat. Visu autem repentino turbatus Zacharias, & timore vehementi correptus est. Perturbari enim solemus, & nostro alienari affectu, quando præstringimur alicujus superioris potestatis occursu, ut scite S. Ambrosius observat: & ejusmodi apparitiones improvisas Angelorum similes affectus alias habuisse legimus. (*Judicum* 6. 22. *Daniel.* 10. 8.)

13. *Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua; & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem*. Se prospera nuntiare Angelus indicat verbis suavissimis Zachariam compellans, *Ne timeas, quoniam exaudita est* *S. Aug. lib.* 2. *Qu. Evang.* *Quæst.* 1. *oratio tua*. De precibus ob impetrandam prolem hic agi frustra quidam interpretes comminiscuntur. Non enim verisimile est ut cum pro populi peccatis, salute, redemptione ille offerret, siquidem populus eum expectabat offerentem, quod potuerit relictis publicis votis homo senex, uxorem habens anum, pro accipiendis filiis orare: præsertim quia nemo orat ut accipiat, quod se accepturum esse desperat: usque adeo autem ille jam se habiturum filios desperabat, ut hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur, *Exaudita est oratio tua*,

pro

pro populo intelligendum est: cujus populi quoniam salus & redemptio & peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nuntiatur Zachariæ filius nasciturus, quia Præcursor Christi destinabatur. *Et uxor tua pariet tibi filium.* Orationis tuæ exauditæ signum est quod uxor tua pariet tibi filium, qui Messiam indigitabit Agnum Dei qui tollit peccatum mundi. *Et vocabis nomen ejus Joannem*, Hebraice *Jochanan*, hoc est, *gratiosum*; tum quia Dei gratia, non vi naturæ in utroque parente effetæ nasciturus erat: tum quia dandæ mox per Messiam gratiæ nuntius & præco erat futurus. *Habent hoc merita Sanctorum ut a Deo nomen accipiant.* Sic Abraham, Jacob, Petrus, a Deo nomen accepere.

S. Ambros. 14. 15. *Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Gaudium non solum privatum & domesticum, sed publicum erit ex ejus nativitate, utpote publico bono nati. *Erit enim magnus coram Domino.* Hæc gaudendi causa præcipua, filii nasciturus eximia secundum Deum dignitas, & magnitudo singularis. Erit magnus virtute, donis, ministerio, ut Propheta, ut Præcursor & Baptista Domini. *Et vinum & siceram non bibet;* Omne quod inebriare potest, toto vitæ suæ tempore non bibet, ut verus Nazaræus Deo in perpetuum tempus consecratus. *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* In ipso matris utero adhuc existens sanctificabitur, donisque Spiritus sancti replebitur tanta copia, ut in alios foras redundet gratiæ illius plenitudo, scilicet in matrem, cui Domini evangelizavit adventum. Cum enim ad illam accessisset sancta Dei mater Maria, ait illa: *Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Nondum erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ, ait Sanctus Ambrosius. Alius est spiritus vitæ hujus, alius gratiæ: ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum: iste non temporibus, non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur. Jeremiæ Dominus ait, *Priusquam exires de vulva sanctificavi te.* De Joanne idem probat hic locus. *Et Spiritu Sancto*, gratia sanctificante, donisque eximiis, & speciatim Prophetiæ dono, *replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Hunc locum ita intellexere S. Cyprianus, Origenes, S. Ambrosius, aliique Patres.

Num. 6. 3. & Levit. 13. 9. Tertull. lib. de Jejuniis c. 9.

S. Ambros. lib. 1. in Luc. n. 33.

Joan. 1. 5.

S. Cypr. Epist. 76. Orig. Hom. 4. & 7. in Luc.

16. *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Multos ad Christum Jesum convertet, pœnitentiæ prædicatione & exemplis efficaciter suadens ut illi credant ac pareant. Non enim se ipsum, sed Christum prædicabat: *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*: Et discipulos suos ad Christum mittebat ut illi tamquam Magistro adhærerent, die quo dicebat: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Multos filiorum Israel convertet, non omnes. Omnes enim non crediderunt Joannis prædicationi, nec pœnitentiam egerunt, nec Christum quem prædicabat receperunt. *Omnis populus audiens, & publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.*

Matth. 3. 6.

Joan. 3. 30.

17. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Et ipse Joannes præcedet ante Christum Dominum ut præco ante Regem mox venturum; præcedet (inquam) in fervore, zelo, & potentia Eliæ Prophetæ, quem *potentia nemo vicit.* Sicut Elias Christi Judicis Præcursor & præco in secundo ejus adventu futurus est, sic Joannes Præcursor erit Christi Redemptoris in primo adventu jam iminente. Eo autem spectatura est ejus legatio, ut Judæos in varias sectas divisos, Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum, dogmatibus moribusque plurimum dissidentes, quin & Samaritanos pariter expectantes Messiam, in cognitione & adoratione Christi Jesu adunet, velut oves dispersas sub uno Pastore, sicque pacem inter patres & filios, opinionum, rituum ac morum dissimilitudine turbatam componat, *Et incredulos* atque immorigeros filios *ad prudentiam justorum*, id est, ad veram sapientiam, qua prediti sunt viri justi & pii, seu quæ ad veram justitiam adducit, convertet. Hic missionis ejus finis: *Parate Domino plebem perfectam*, ex fide scilicet viventem, spe bonorum æternorum Deo servientem, Regno cœlorum aptam.

Eccli. 4. 13.

Ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam, sive intelligentiam *justorum*, exponendo Legem spiritaliter, quam tunc Judæi carnaliter intelligebant. Efficiet igitur Joannes prædicatione sua, quod ante judicium ultimum facturus est Elias, ut etiam filii sic intelligant Legem, id est Judæi, quemadmodum patres eam intellexerunt, ist est Prophetæ, in quibus erat & ipse Moyses. Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum; & cor filiorum ad patres eorum, dum in id quod senserunt illi, consentient & isti, credendo in Christum Deum, ipsumque adorando ut Redemptorem Israel totiusque mundi.

S. August. lib. 20. de Civitate Dei c. 9.

Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. Quo argumento, quo signo id noscam, cum & ego, & uxor mea annos excesserimus procreandæ sobolis? De promissi divini veritate paululum dubitavit Zacharias rei magnitudine perculsus, nec attendens ad Abrahami exemplum, & ad visi cœlestis circumstantias. Cogitatio non absimilis mentem Abrahami subierat, cum Deus illi filium promisit. *Putas-ne?* (inquit) *centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Sed repentinam illam cogitationem firmitate fidei superaverat, nec Dei promissioni ullatenus diffidens, „ qui vivificat mortuos, „ & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt: „ *immo* contra spem in spem credidit, ut fieret pater „ multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic „ erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec con„ sideravit corpus suum emortuum, & emortuam vulvam „ Saræ: in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffi„ dentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: „ plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est „ & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam. „ Non ita se gessit Zacharias; nascentem incredulitatis & diffidentiæ motum non statim repressit, signum petiit, & ad suam uxorisque provectam ætatem oculos mentis intendens, ad potentiam Dei promittentis non attendit.

Genes. 17. 17.

Rom. 4. 19. 20. 21. 22.

19. 20. *Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Ego sum Gabriel, cujus nomen *virtutem Dei* significat, qui adsto in conspectu Dei cum aliis Spiritibus primariis ejus Ministris, ad ejus mandata capessenda & legationes obeundas: & qui a Rege sæculorum mitti soleo quoties miræ virtutis aliquid nuntiandum est; qui olim Danieli Christi adventum & mortem post septuaginta hebdomades futuram ad delenda hominum peccata patefeci, missus sum ad te ut Dei nomine hæc tibi fausta nuntiarem, de quibus immerito dubitas. Quamobrem in pœnam incredulitatis tuæ, simul & in signum divinæ promissionis implendæ, surdus eris & mutus usque in diem nativitatis pueri. Græcam vocem σιωπῶν, quam Vulgatus Interpres reddidit, *tacens*, Græci Commentatores & Viri plerique inter recentiores eruditi, exponunt, *eris surdus*; ne idem ab Angelo bis repetitum absque necessitate videatur. Idem est enim esse mutum & non posse loqui. Ceterum Zachariæ audiendi simul & loquendi facultatem ad tempus ademptam fuisse satis ex eo apparet quod infra *Vers.* 12. amici & cognati ejus ipsum nutibus dicuntur allocuti. *Innuebat patri ejus quem vellet vocari eum.* Ad quæ verba S. Ambrosius: *Zacharias* (inquit) *nutu interrogatur, quia incredulitas ei affatum eripuerat & auditum.*

Daniel 9. 1.

Euthym. Titus Bostrensis Theophyl.

S. Ambr. lib. 1. in Luc. n. 32.

21. *Et erat plebs exspectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in Templo.* Plebs quæ precandi causa convenerat, exspectabat donec peracto thymiamatis sacrificio egrederetur Sacerdos, ipsique solemni more benediceret. Unde ipso longiorem quam solebat moram faciente, cum ob Angeli sermonem, tum ob stuporem quo correptus ac detentus est, plebs tacita cogitabat quænam causa esse posset moræ diuturnioris.

Num. 6. 24.

22. *Egressus autem, non poterat loqui ad illos*, pœnam sentiens incredulitatis. Et videntes ipsum attonitum & nutibus loquentem, *cognoverunt quod visionem vidisset in Templo*, conjecerunt ipsi apparuisse Angelum. Vultus enim immutatio, intercluso spiritus, impedimentum vocis, visorum insolitorum signa sunt. *Et ipse erat innuens illis* quod sibi contigerat: *& permansit mutus*, secundum prædictionem Angeli.

23. *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.* Mutus licet, permansit in Templo, functiones suas exercens, donec impleta ministerii sui hebdomada in domum suam rediit. Sacerdotes enim Ministerii sui tempore in exedris Templi habitabant ab uxoribus separati, & a rei familiaris curis liberi, ut Deo expeditius vacarent.

S. Hier. l. 1. in Jovinian.

24. *Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Causa occultationis, pudor, quod vetula concepisset. Hunc autem affectum illi Deus indidit, ne quid de Joanne palam innotesceret, antequam certis testimoniis constaret de Christi conceptione, propter quem Joannes nascebatur. Interim Elisabeth Deum laudabat ob acceptum beneficium & benedictionem singularem, ablatumque sterilitatis opprobrium. Partus igitur sui erubescebat ætatem, & gaudebat tamen quod sterilitatis probro liberata esset benigno Dei miserentis intuitu. Probrosa apud Judæos sterilitas, tum quod alicujus & quidem gravis peccati pœna videretur: tum quod fœcunditas uteri singularis erat Dei benedictio Israelitis promissa: tum quia Deus Abrahæ numerosam prolem, & Christum ex ipsius genere nasciturum promiserat: ideo alienas a benedictione populi Dei mulieres steriles censc-

S. Ambros. lib. 1. in Luc. n. 43.

Genes. 20. 18. 1. Reg. 2. 6. Osee 9. 14. 15. Exod. 23. 26. Deuter. 7. 14. Gen. 22. 17. 18.

censebant, quæ ad ejus propagationem, futurique Messiæ generationem nihil conferrent. At quamvis carnalium Judæorum opinione sterilitas probrosa semper esset, non tamen apud Deum qui sanctas mulieres diu steriles olim esse voluit, Saram, Rebeccham, Rachelem, Annam Samuelis matrem, & matrem Samsonis. Res enim adversæ non minus quam prosperæ justorum respectu beneficia sunt, illæ erudientis, probantis, & purgantis; hæ vero consolantis Dei.

25. 26. *In mense autem sexto*, ab eo tempore quo conceperat Elisabeth, *missus est Angelus a Deo*; immediate, non per intermedios spiritus, sive superiorum ordinum Angelos, *in civitatem Galilææ*, inferioris, cui nomen *Nazareth*, in tribu Zabulon sitam, duabus leucis a Monte Thabor, trium dierum itinere ab Hierosolymis distantem; *ad Virginem desponsatam*, sed incognitam *viro*: de
Isaiæ 7. 14. N. 36. 89. qua scilicet vaticinatus erat Isaias Propheta, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Viro *nomen erat Joseph*. Hic autem *de domo* seu familia *David* oriundus erat, ex qua & Virgo quæ nusperat secundum legem. Confer quæ ad cap. 1. Sancti Matthæi dixi de Mariæ matris Christi desponsatione. Quod autem desponsata dicatur Joseph, non quasi promissa tantum esset, sed nondum nupta, confirmat Evangelista cap. 2. vers. 5. ubi eodem modo *desponsatam* vocat, cum jam esset prægnans & in mariti potestate. Desponsatam vero, de qua natus est, Virginem esse vo-
S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 1. luit Christus, ut ejus famæ consuleretur. *Maluit enim aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. Et nomen Virginis Maria*: quod SS. Patres *Dominam*, *illustratam*, *Myrrham maris*, *& stellam Maris* interpretantur. Hæc antonomastice *Virgo* semper a fidelibus appellata est; ut S. Epiphanius Hæresi 78. observat. „ Quis
S. Epiph. Or. de laudibus Deiparæ Virginis. „ umquam (*inquit*) aut in qua generatione sanctæ Ma-
„ riæ nomen ausus est appellare, qui non scisitanti sta-
„ tim vocabulum Virginis adjunxit? „

27. 28. *Et ingressus Angelus ad eam dixit*: *Ave, gratia plena*: *Dominus tecum*: *benedicta tu in mulieribus*. Ad eam accessit Angelus, cum sola in conclavi (ut credere par est) contemplationi vacaret. „ Sola in pene-
Bern. Hom. 2. in Ev. Missus est. „ tralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus
„ reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo
„ degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. „

Ave, gratia plena. Vox est salutantis & gratulantis. Ave, gratia plena, Deo acceptissima, eximie sancta per gratiam quæ major cogitari secundum hominis Dei gratiam non potest, ut Dei mater electa sis. *Dominus tecum*. Tibi Dominus singulari prorsus ratione favet, ad incomparabilem te provehens dignitatem. *Benedicta tu in mulieribus*, sive inter mulieres, ob Filii qui super omnia Deus est benedictus in sæcula futurum mox conceptum; ob fecunditatem cum virginitate perpetua conjunctam, ob partum doloris expertem.

29. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio*. Ob conspectum Angeli in peregrina specie virilis sexus apparentis, & insolitam, neminique mortalium antea auditam salutationem, verecundia & subito pavore turbata est, & cogita-
S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 8. bat quid sibi vellet ista salutatio. „ Et ideo cum vere-
„ cundia; quia pavebat: cum prudentia; quia benedi-
„ ctionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta
„ est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur,
„ quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecu-
„ ta est, ut gratiæ repleretur Auctore. „

30. *Et ait Angelus ei*: *Ne timeas*, *Maria*, *invenisti enim gratiam apud Deum*. Proprio nomine eam compellat Angelus; ut sibi notam indicet, ac de sua legatione certiorem faciat. *Invenisti gratiam apud Deum*: nulla tibi timendi ratio est, siquidem ad te missus sum a Deo, cui summopere places, & cujus gratia consecuta est quicquid est in te meritorum. Huic uni gratiæ debes supremam, ad quam electa es, Matris Dei dignitatem.

31. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Mox concipies ex propria tua substantia, ex purissimo sanguine, & paries filium, ut de te impleatur quod olim ab Isaia Propheta prædictum est: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. His verbis, *con-*
Isai. 7. 14. *cipies in utero*, refelluntur Hæretici, qui Christo corpus ex cœlesti vel siderea substantia, non ex materna carne formatum tribuerunt, & per uterum Virginis tamquam per canalem in mundum transisse dixerunt. Quem errorem & Prophetæ & Angeli verba refellunt. Quomodo enim Virgo Dei mater, nisi quia Christus Deus in utero
Tertull. l. de Carne Christi c. 21. Ibid. cap. 19. ejus fuit? Quomodo mater, si Christus nihil ex utero ejus accepit quod matrem eam faceret? „ Matris ute-
„ rum non appellat nisi filia uteri caro. Filia uteri por-
„ ro non est, si sibi nata est. *In utero conceptus est Fi-*
„ *lius, qui ex ea carnem accepit*. Sine causa eo se intu-
„ lit, unde nihil extulit. Sed non sine causa descendit
„ in vulvam: ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa
„ accepit, sine causa in illam descendit, maxime ejus
„ qualitatis caro futurus, quæ non erat vulvæ, id est,
„ spiritualis. „

Et vocabis nomen ejus Jesum. Præcipientis verba sunt: Ipsi nomen impone, *Jesus*; utpote qui salvum facturus *Matth. 1.* est populum suum a peccatis eorum. Isaias dixerat, *Emmanuel*, Angelus quasi interpretis vice fungens, *Jesum*, dixit. Eadem enim est utriusque nominis significatio. *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*; mundum autem redimere liberando genus humanum a peccatis suis nemo tantum homo poterat, sed Deus homo.

32. 33. *Hic erit magnus*, *& Filius Altissimi vocabitur*: *& dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*: *& regnabit in domo Jacob in æternum*; *& regni ejus non erit finis*. Hic erit absolute & omni modo magnus, quia Filius Dei unigenitus & consubstantialis non tantum erit, qualis est ab æterno, sed credetur, celebrabitur, coletur, *manifestatus in carne*, *declaratus in virtute*, *potens opere & sermone*. Dictum est quidem de Joanne ab Angelo, *Erit magnus*: sed ille quasi homo magnus, hic autem quasi Deus magnus: „ Magnus enim Dominus &
„ laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.
„ *Hic est* quem *Deus pater* constituit hæredem universo-
„ rum, per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor
„ gloriæ & figura substantiæ ejus, portansque omnia
„ verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens,
„ sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior
„ Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen
„ hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum,
„ Filius meus es tu, ego hodie genui te? „

1. Tim. 3. 16. Rom. 1. 4. Luc. 24. 19. Ps. 144. S. Ambros. l. 2. in Luc. n. 10. Hebr. 1. 2. 3. 4. 5.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus? Hunc eumdem qui sit Filius Altissimi & Davidis filium confitetur. Una igitur in Christo persona, unus filius; non alter Dei & hominis filius, ut impius Nestorius commentus est. Dabit illi Dominus ut vero Messiæ Davidi promisso, ejusque nepoti, solium seu Regnum, cujus temporale regnum Davidis typus fuit; Regnum non unius Judææ finibus coercendum, sed in universum terrarum orbem diffundendum, secundum Prophetarum oracula. Psal. 131. „ Propter David Servum tuum, non avertas
„ faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem
„ & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam
„ super sedem tuam. *Isaiæ* 9. 6. 7. Parvulus natus est
„ nobis, & filius datus est nobis, & factus est principa-
„ tus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Ad-
„ mirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæcu-
„ li, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, &
„ pacis non erit finis. Super solium David, & super Re-
„ gnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret,
„ in judicio & justitia, amodo & usque in sempiternum.
„ *Hinc Christus* Rex David *vocatur Jeremiæ* 30. 8. 9.
„ Non dominabuntur ei amplius alieni: sed servient Do-
„ mino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo
„ eis. *Ezechielis* 34. 22. 23. 24. Salvabo gregem meum,
„ & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus
„ & pecus. Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui
„ pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, &
„ ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis
„ in Deum: & servus meus David Princeps in medio
„ eorum. „

S. Irenæus Lib. 3. c. 8.

Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Eum qui natura Rex est, utpote verus Deus, Regem declarabit, secundum ipsius Davidis vaticinium: „ Ego
„ autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem *Psalm. 2.*
„ sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus di-
„ xit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
„ Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,
„ & possessionem tuam terminos terræ. „

Et regnabit in domo Jacob in æternum. Non uni dumtaxat aut alteri Tribui, sed duodecim Tribuum universitati, & Gentibus merito fidei in familiam Jacob adscitis, & velut oleastro in olivam insertis, toti denique Ecclesiæ veri Israelis domui Christus Rex dominabitur, non per annos tantum quadraginta, non relicto successoribus regno, non cladibus & longa duraque captivitate interrupto, sed *in æternum*. Confer cum *Isaiæ* 14. 1. „ Pro-
„ pe est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elonga-
„ buntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, & eliget
„ adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super hu-
„ mum suam: adjungetur advena ad eos, & adhære-
„ bit domui Jacob: & possidebit eos domus Israel super
„ terram Domini in servos & ancillas. *Isai.* 44. Et nunc
„ audi Jacob serve meus, & Israel quem elegi.... Effun-
„ dam Spiritum meum super semen tuum, & benedictio-
„ nem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter
„ herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. Iste
„ dicet: Domini ego sum: ille vocabit in nomine Jacob,
„ & hic scribet manu sua: & in nomine Israel assimi-
„ labitur. *Isaiæ* 49. 6. *Et dixit*: Parum est ut sis mihi
„ servus ad suscitandas tribus Jacob & fæces Israel con-
„ vertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis sa-
„ lus mea usque ad extremum terræ .... Reges vide-
„ bunt: & consurgent Principes, & adorabunt propter
„ Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui ele-
„ git te. „

Rom. 24. Ephes. 4. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Apoc. 7. 4. & seq.

Et re-

Et regni ejus non erit finis. Ne quiſquam *æternum* acciperet pro longo temporis intervallo, quo ſenſu interdum in Scripturis uſurpatur, addit Angelus; *Et regni ejus non erit finis.* Quo charactere Chriſti regnum ab humanis imperiis diſtinguitur, quæ omnia caduca eſſe & temporalia tum Hiſtoriæ docent, tum nobiliſſimorum Regnorum exempla (Daniel 7.) ubi de Chriſti Regno ſubdit idem Propheta Verſ. 27. „ Regnum autem & poteſtas & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, „ detur populo ſanctorum Altiſſimi, cujus regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſervient ei, „ & obedient. *Et verſ.* 13. 14. Et ecce cum nubibus „ cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & „ regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus quod non corrumpetur. „

S. Aug. lib. contra Priſcill. ad Oreſtum c. 7. & l. 22. de Civit. Dei c. 1.

Verbis Angeli contraria ne quis exiſtimet Apoſtoli verba: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Ibi enim *finem non conſumentem, ſed perficientem* ſignificat; ſicut cum dictum eſt; *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*, quo lex perficiatur, non quo aboleatur. Senſus ergo iſtorum verborum eſt; Cum perduxerit ſanctos ſuos, qui ſunt regnum ejus, ad contemplationem Patris, utique & ad ſuam, ſecundum id quod Deus eſt æqualis Patri. Non enim ſic tradit ut ipſe amittat: quia & *Pater dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*; nec utique amiſit ipſe.

1. Cor. 15. 24.

S. Auguſt. l. contra Origen. & Priſcil. c. 7.

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Vox iſta, *quomodo?* non dubitantis eſt ac diffidentis, ſed inquirentis & admirantis. *Non de effectu dubitavit, ſed qualitatem ipſius quæſivit effectus .... Incredibilis & inaudita generatio ante audiri debuit, ut crederetur. Virginem parere, divini eſt ſignum myſterii, non humani.* PROPTER *hoc*, inquit Iſaias, *ipſe Dominus dabit vobis ſignum: Ecce virgo concipiet & pariet filium....* Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum: ſed quomodo fieret, ante non legerat; *Non enim quemadmodum fieret vel tanto Prophetæ fuerat revelatum. Tanti namque mandati myſterium non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum.* De re certa erat, modum inquirebat, non curioſitatis, ſed piæ admirationis affectu. *Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco?* Et hactenus viro intacta ſum, & virum cognoſcere mihi non licet, cum perpetuæ virginitatis voto ſim adſtricta. Quomodo ergo concipere poſſum & parere? „ Beatæ Mariæ Virginitas (inquit Sanctus Auguſtinus) „ ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptas „ Chriſtus viro violaturo quam conſervaret ipſe præripuit, ſed prius quam conciperetur jam Deo dicatam „ de qua naſceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ „ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam non cognoſco?* Quod „ profecto non diceret, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores ante recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa „ jam voverat. Quamquam etiamſi hoc ſolum dixiſſet. „ *Quomodo fiet iſtud*, nec addidiſſet, *quoniam virum non cognoſco*, non quæſiſſet utique promiſſum ſibi filium „ quomodo femina paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet. Poterat & juberi virgo permanere, in qua Dei „ Filius formam ſervi congruenti miraculo acciperet: „ ſed exemplo ſanctis futura virginibus, ne putaretur „ ſola virgo eſſe debuiſſe, quæ prolem etiam ſine concubitu concipere meruiſſet, virginitatem Deo dicavit, „ cum adhuc quid eſſet conceptura neſciret, ut in terreno mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto „ fieret, non præcepto; amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi. Ita Chriſtus naſcendo de Virgine, quæ „ antequam ſciret quis de illa fuerat naſciturus, virgo „ ſtatuerat permanere, virginitatem ſanctam approbare „ maluit quam imperare. „

S. Ambroſ. lib. 1. in Luc. n. 14. 15. Iſaiæ 7. 14. S. Aug. l. 16. de civit. Dei c. 24. S. Gregor. Myſſ. Orat. in Nativ. Chri. S. Auguſt. lib. de ſancta Virgin. c. 4. Beda in hunc locum S. Bern. Hom. 4. in Ev. Miſſus eſt.

35. *Et reſpondens Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Quæris quomodo fieri poſſit ut ſalva virginitate concipias & parias? Scito id Spiritus ſancti deſuper in te novo & incomprehenſo modo venientis virtute & efficacia, viri generationem ſupplente, admirabiliter perficiendum. *Et virtus Altiſſimi*, Chriſtus *Dei virtus & ſapientia*, objecto corpore quaſi umbra quadam te obteget, ut ſplendorem illum inacceſſibilem ſeſe caſtiſſimis tuis viſceribus infundentem ferre poſſis. Quis (inquit S. Bernardus) excepta fortaſſis illa quæ hoc ſola in ſe fœliciſſime meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſeſe viſceribus infuderit, & ut illa inacceſſibilem ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula ejuſdem corporis, cui ſe animatæ contemperavit, reliquæ maſſæ umbraculum fecerit.

S. Chryſ. Hom. 49. in Geneſ. S. Greg. lib. 16. Moral. c. 12. & Hom. 33. in Evang. Beda & Theophyl. in hunc locum. S. Bern. Hom. 4. ſuper Miſſus eſt. *S. Hilar. l. 2. de Trinit. n. 26. S. Auguſt. Epiſt. 187. alias 57.*

Vel potius, *Virtus Altiſſimi*, ipſe Spiritus ſanctus, de cujus, non ſubſtantia, ſed potentia concipietur quem paritura es, Filius, te fœcundabit, te proteget ac juvabit ut ſine ulla contaminatione, ſine ullo æſtu libidinis, concipias & parias. Confer cum verbis Chriſti Lucæ 24. 29. *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et Act. 1. 8. *Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos*, & cum verbis ejuſdem Lucæ Act. 13. 38. *Jeſum a Nazareth: Quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute.* Spiritus ſanctus te virtute ſua teget ac fovebit, quemadmodum avis ova ſua fovet ut pulli gignantur & vitali calore excludantur.

Quæſt. 2. c. 9. S. Greg. lib. 33. Moral. cap. 3. Theophyl. in hunc locum. S. Athan. Epiſt. ad Epictetum. S. Greg. lib. 18. Moral. c. 27. p. 545. & 546. S. Bern. Hom. 4. ſuper Evang. Miſſus eſt.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Et propter admirabilem illam Spiritus ſancti operationem, ſancta illa proles ex ſubſtantia tua ſancto & ineffabili modo concepta, vocabitur, ſicut & vere erit, Filius Dei. „ Quamvis enim ipſe aliud ex Patre, „ aliud ex Virgine (*inquit S. Gregorius*) non tamen „ alius ex Patre, alius ex Virgine: ſed ipſe eſt æternus „ ex Patre, ipſe temporalis ex matre, ipſe qui fecit, „ ipſe factus eſt. Ipſe ante ſæcula de Patre ſine matre; „ ipſe in ſine ſæculorum de matre ſine Patre, ipſe conditoris templum, ipſe conditor templi; ipſe auctor operis, ipſe opus auctoris: manens unus ex utraque & „ in utraque natura, nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus. „

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum: Si diceret, ſancta caro vel ſanctus homo, vel ſanctus infans, quicquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinite *ſanctum*, quia quicquid illud ſit quod Virgo genuit, ſanctum proculdubio ac ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei. „ Quoniam non de homine, ſed de Spiritu ſancto concipies; non ſolum qui de ſinu Patris in uterum „ tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id quod de „ tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc jam vocabitur Filius „ Dei, quemadmodum & is qui a Patre eſt ante ſæcula „ genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius. Sic autem „ & quod natum eſt ex ipſo Patre erit tuus, & quod naſcetur „ ex te erit ejus; ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. „ Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit, jam non „ tamen cujuſque ſuus, ſed unus utriuſque erit Filius. „

S. Athan. l. de Incarnat. S. Cyrill. Alexand. Ep. 1. ad Reginas ante Concil. Epheſ. S. Aug. ſerm. 214. Edit. PP. Benedict. in traditione Symboli 3. n. 7. Concilium Francofordienſe can. 1. & Libellus Epiſcoporum Italiæ contra hæreſim Felicis & Elipandi. Act. 13. 33.

Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur abſolute, proprie, Filius Dei; non adoptione, ſed natura; tam vere, tam proprie Dei Filius, quam vere & proprie filius David, quam vere & proprie filius Mariæ Virginis vocatur & eſt, quia ejuſdem naturæ cum Deo, quia æterno Patri conſubſtantialis. *Filius Dei vocabitur*, non ratione tantum conceptionis admirabilis ex Spiritu ſancto, ut Sociniani commentantur, ſed ratione æternæ generationis ex Deo, & unionis hypoſtaticæ naturæ aſſumptæ cum perſona Verbi, ut Eccleſia credit & confitetur. Hoc igitur verbum, *Ideoque*, cauſam hic non exprimit cur Chriſtus ſit Filius Dei, ſed ſignum & argumentum; id eſt, conceptio de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, cauſa non eſt cur Jeſus Chriſtus ſit Filius Dei, ut impie contendunt Fauſtus Socinus, Volzogus, Epiſcopius, aliique Sociniani: ſed ineffabilis illa conceptio ſignum eſt, & argumentum convenientiæ probans quod Deus ſit verus: quia talis conceptio taliſque partus Deum decebat. Sicut reſurrectio Jeſu Chriſti ſignum eſt quod Filius Dei ſit, non cauſa: & invictum tamen argumentum ex divina convenientia Myſterii reſurrectionis ejus ad probandum quod verus, proprius ac naturalis Dei Filius ſit, Apoſtolus petit. *Reſuſcitans Jeſum, ſicut ſcriptum eſt, Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Divinam illam convenientiam conceptionis Filii Dei unigeniti ex Virgine Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus exponit Catecheſi 17. *Cum enim*, inquit, *Chriſtus Filius Dei unigenitus naſci deberet, virtus Altiſſimi obumbravit ipſi, & Spiritus ſanctus in illam veniens ſanctificavit eam: quo poſſet eum per quem ſunt omnia ſuſcipere.* Maldonatus vir ceteroquin eruditus hoc loco impegit, anſamque dedit Socinianis abutendi ſua interpretatione, quæ vel eo nomine rejicienda eſt quod nova ſit, & contra Regulam a ſacra Synodo Tridentina præſcriptam de Scripturæ ſacræ interpretatione non admittenda contra unanimem conſenſum Patrum, & contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia. Ex verbis ſuis judicetur Maldonatus: „ Alii „ omnes, *inquit*, quos viderim, ita interpretantur, „ quaſi de Chriſto ut Deo, aut certe ut homine in „ unam cum Deo perſonam aſſumpto, loquatur Angelus .... Quamobrem antiqui illi Auctores Neſtorii „ hæreſim duos in Chriſto filios, ſicut duas perſonas ſingentis, ex hoc loco refutarunt, ut Gregorius & Beda. Quamquam ego quidem alium arbitror eſſe ſenſum, ut non de Chriſto qua Deus, neque qua homo „ perſonæ conjunctus divinæ, ſed de ſola conceptione „ humanaque generatione hoc intelligatur, &c. „

Pſalm. 2. Maldonat. Comment. in Luc. cap. 1.

36. 37. *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis; quia non erit impoſſibile apud*

Deum

Deum omne verbum. En præsens ac domesticum exemplum quo docearis Deum nova & supra omnem naturæ ordinem agendi ratione effecturum ut Filium ejus concipias. Elisabeth cognata tua filium concepit jam anus; & tam compertum est ipsam esse prægnantem, cum mensis a conceptu ejus sextus numeretur, quam vulgo notum erat eam esse sterilem. Deus ergo qui duplici impedimento non obstante, senectutis scilicet ac sterilitatis, ipsam matrem fecit, te salva virginitate Matrem Filii sui efficiet. Nulla enim res Deo impossibilis est. Dixit & facta sunt: quæ promisit, potens est & facere. Non ait Angelus, Non erit impossibile apud Deum omne factum, sed omne verbum; quia quam facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt, tam facile, immo incomparabiliter facilius valet Deus opere implere quicquid illi verbo valent exprimere. Multum interest inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle, merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. Potuerunt prævidere & prædicere Prophetæ Virginem vel sterilem concepturam ac parituram, sed numquid facere ut conciperet & pareret? Deus autem qui dedit eis posse prævidere, quam facile potuit tunc quod voluit per illos prædicere, tam facile potuit nunc quando voluit, per se ipsum quod promisit implere. Siquidem *Apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum a verbo, quia virtus est; nec modus a facto, quia sapientia est.*

S. Bern. Hom. 4. super Missus *c. 7.*

Vocat autem Angelus Elisabeth cognatam Mariæ, tum sensu generali, quia Judæa erat, sicut Apostolus Israelitas omnes cognatos suos secundum carnem appellat: tum maxime quia genere materno erat ex tribu Juda & familia David, quamvis paterno genere esset ex tribu Levi & filiabus Aaron.

Rom. 9. 1. S. Ambr. lib. 3. in Luc. n. 5.

38. *Dicit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.* Maria verbis Angeli credens ait: *Ecce ancilla Domini.* Consentio ut in me humillima ancilla sua operetur quod decrevit ac promisit, qui jure suo facere de creatura sua, & in illa potest quicquid voluerit; quin etiam id vehementer opto, tanta licet gratia me indignam agnoscens. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Vide humilitatem, vide devotionem. „ Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata prosmisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi præro„ gativam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret quod „ juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humili„ tatem debuit etiam ipsa præferre. " Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Habes obsequium, vides votum.* Ecce ancilla Domini, *apparatus officii est*: Fiat mihi secundum verbum tuum, *Conceptus est voti.* Tunc obumbrante Virginem Altissimi virtute, Filii Dei conceptio in castissimo ejus utero peracta est, ipso momento quo discessit Angelus ab ea, peracta legatione.

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 16.

39. 40. *Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Paucis post diebus, quod in tanti contemplatione mysterii, & gratiarum actione insumpsit (un credere par est) exurgens Maria, Spiritus sancti impulsu festinanter profecta est in montanam Judææ regionem, quæ ab Emmaus seu Nicopoli paulatim ad montem usque oliveti consurgit, & ad Austrum Hierosolymorum versus Hebron extenditur: in civitatem Tribus Juda, quæ forte erat ipsa Hebron, urbs Sacerdotalis. Ipsam porro non curiositas, sed charitas impulit ad iter, ut Elisabethæ congratularetur, eique prægnanti officium exhiberet. Statim atque ab Angelo didicit Elisabetham concepisse, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Mariam quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana virgo cum festinatione, virgo officii memor, injuriæ immemor, affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo.

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 18.

41. *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Statim atque salutantis Mariæ verba audivit Elisabeth, præ gaudio subsiliit infans in utero ejus, ita ut Mariæ salutatio causa fuerit exultationis Joannis. Exultavit autem ille non motu modoque naturali, sed Spiritus sancti illustratione & motione, quo eum ab utero matris suæ repletum iri Gabriel Archangelus prædixerat, Christum, cujus Præcursor futurus erat, in utero Mariæ Virginis præsentem agnoscens, credens, adorans, & quasi demonstrare jam tunc incipiens. Non solum ergo sanctificatus est in utero Joannes, sed a Christo ex matris Virginis utero operante Propheta inauguratus. Mariæ autem salutatione quasi signo sensibili usus est Christus ad Spiritum sanctum Joannis communicandum: Joannis vero exultatione ad eumdem Spiritum in Ma-

Natal. Alex. In Evang.

riam refundendum. *Et repleta est Spiritus sancto Elisabeth.* Hanc quidem exultationem non de fide, vel religione, vel qualicumque rationali cognitione venisse, Sanctus Augustinus opinatus est; frequentioribus tamen Patrum suffragiis contraria vincit sententia, quæ Joannem in utero Christum agnovisse, rationis usu & Spiritu sancti illustratione raptim & transeuntis in modum donatum asserit. „ Ipse erat Christus, quem Joannes, cum adhuc in ventre „ matris suæ esset, & ille in vulva Mariæ, Dominum „ cognoscens, exultans salutabat: (*inquit S. Irenæus*) Eli„ sabeth Prophetam portans, jam Domini sui conscium „ infantem, & insuper Spiritu sancto adimpleta (*inquit „ Tertullianus*) Ut Maria locuta est verbum quod Filius Dei „ in ventre matris suggesserat, exultavit infans in gaudio, „ & tunc primum Præcursorem suum Prophetam fecit Je„ sus ... Sancta erat Anima beati Joannis, & adhuc in „ matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per „ experientiæ sensum sciebat quæ Israel ignorabat. Unde „ exilivit in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, „ ut sanctificaret servum suum antequam de matris utero „ procederet. Utinam mihi eveniat ut ab infidelibus stultus „ dicar qui talibus credidi! „ (*inquit Origenes.*)

S. Irenæus lib. 3. c. 18. Tertull. lib. de Carne Christi c. 21 Origenes Hom. 7. in Luc.

„ Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes priqr „ gratiam sensit: illa naturæ ordine audiit, iste exultavit „ ratione Mysterii: illa Mariæ, iste Domini sensit ad„ ventum... Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, „ pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus; „ duplicique miraculo prophetant matres Spiritu parvu„ lorum. Exultavit infans, repleta est mater. Non prius „ mater repleta, quam filius: sed cum filius esset repletus „ Spiritu sancto, replevit & matrem „ (ait S. Ambrosius.) In eadem sententia fuere SS. Cyrillus Hierosolymit. Joannes Chrysost. Hieronymus, Petrus Chrysol., Bernardus.

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 23.

Quod S. Augustinum spectat, exultationem Joannis plane inusitatam & novam fuisse fatetur, quia in utero, & ad ejus adventum quæ hominum Salvatorem fuerat paritura: ideoque hanc exultationem, & tamquam matri Domini redditam salutationem, sicut solent miracula fieri, factam esse *divinitus in infante, non humanitus ab infante*; communi tamen sententiæ non præjudicat. „ Quamquam (*inquit*) „ etiamsi usque adeo est in illo puero acceleratus usus „ rationis & voluntatis, ut intra viscera materna jam „ posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis par„ vulis ætas expectatur ut possint, etiam hoc in miraculis „ habendum divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum „ est exemplar naturæ ... Quocirca nec quod factum est „ in Joanne contemno, nec inde regulam quid sentien„ dum sit de parvulis figo: immo id in illo propterea „ mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio. "

SS. Cyrill. Hierosol. Catech. 3. Chrysost. Hom. de S. Joann. bapt. Hieron. adversus Lucifer. Petr. Chrysol. serm. 84. Bern. serm. in Nativ. S. Joannis nu. 10. S. Aug. Epist. 117. alias 57. ad Dardanum Quæst. 2. c. 7.

42. *Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui:* Prophetiæ Spiritu repleta Elisabeth, ipsa verba Angeli Mariam salutantis usurpat, ut ab eodem Deo motam appareat. *Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec umquam obliviscitur. Et Prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum.* Ideo autem Maria præ omnibus mulieribus benedicta est, quia fructus ventris Jesus Christus Deus est benedictus in sæcula: in quo Mariam singulari & excellenti modo, & nos omnes Pater æternus *Benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.*

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 24. Ephes. 1. 3

43. *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Dei ejusque Matris dignationem admiratur Elisabeth, Dei filium in utero Mariæ Virginis incarnatum agnoscit & confitetur. *Unde hoc mihi?* „ Unde mihi „ contigit tanta gratia, tantus honor, tanta felicitas? „ Non quasi ignorans dicit; scit enim esse Spiritus san„ cti gratiam & operationem ut Mater Prophetæ a Ma„ tre Domini ad profectum sui pignoris salutetur: sed „ quasi non humani hoc meriti, sed divinæ gratiæ mu„ nus esse cognoscat, dicit, *Unde hoc mihi?* Hoc est, „ Quantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei „ veniat ad me? Non cognosco meum. *Unde hoc mihi?* „ Qua justitia, quibus factis, pro quibus meritis? Mira„ culum sentio, cognosco Mysterium. "

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 25.

44. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Ut primum ad aures meas pervenit vox salutationis tuæ, infans quem in utero gesto præ gaudio vehementi subsiliit. Hoc signo cognovit Elisabeth, Spiritu sancto revelante, Mariam esse Matrem Domini, & in castissimis visceribus suis Filium Dei concepisse, cujus suus infans Præcursor erat futurus.

S. August. Epist. 137. alias 57. ad Dardan c. 7.

45. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi a Domino.* O te felicem, quæ credidisti rebus humanæ rationis comprehensionem excedentibus! o te beatam, siquidem perficientur quæ tibi ab Angelo, Dei nomine nuntiata & promissa sunt! Hæc Elisabethæ verba eam de præterito, præsenti, atque futuro per Prophetiæ spiritum vaticinatam fuisse demonstrant, quæ Mariam Virginem & promissionibus Angeli credidisse cognovit: & Matrem Domini nominans, quod

S. Gregor. Hom. 1. in Ezech.

Redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit; & cum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit.

46. *Et ait Maria*: *Magnificat anima mea Dominum*. Maria Virgo Spiritu sancto afflata, carmen istud propheticum edidit, quod primum Novi Testamenti Canticum est. Ex intimi, inquit, pectoris affectu, totis animi viribus Dei magnitudinem laudo, illi pro immenso, quod mihi contulit, beneficio immortales gratias ago.

47. *Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo*. Non in me ipsa, sed in Domino gloriabor, meumque Salvatorem summa cum exultatione laudabit anima mea, Uni enim illius misericordiæ & gratiæ, non meis meritis acceptum fero, quam consecuta sum dignitatem & felicitatem.

48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Quia parvitatem, sive humilem indignamque personam & vilem abjectamque conditionem ancillæ suæ propitius respexit, meque favore incomparabili prosecutus est: deinceps me beatam prædicabunt omnium ætatum & sæculorum fideles. *Euthymius & Theophyl. in hanc locum.*

49. 50. *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Mirabilia in me operatus est Omnipotens, cujus nomen sanctum est & adorandum, præstando ut Filium ejus unigenitum sancti Spiritus operatione conciperem, ut mater fierem ac virgo permanerem. Id non solum omnipotentiæ ejus miraculum, sed & misericordiæ infinitæ summum beneficium, quam in omnes ætates fideleisque divinæ suæ Majestatis servos per omnes ætates exercet, ut in Psalmis scriptum est: *Misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum*. Ps. 102. 17.

51. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. Exserto brachio potentiam suam ostendit. Humano modo loquitur, Magna Dei efficacia per digitum, major per manum, maxima per brachium in Scripturis indicatur. Cogitationes & Consilia hominum superborum Deus omnipotens dissipavit, ostenditque quam inania essent ac vana, Sennacherib, Holofernis, Antiochi, aliorum dejectione ac punitione, qui veram religionem, populumque Dei destruere & excidere moliti sunt. Confer hunc locum cum verbis Psal. 39, 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos*. Et Psalm. 33. 10. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum*. Exod. 15, 16. Job. 4. 9. Ps. 77. 15. & 89. 13. & 98. 1. Isaiæ 40. 10. & 62, 8.

52. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Reges ac Principes quorum potentiam populi verentur, superbiæ merito e solio deturbat, & in eorum locum humilis fortis, & modesti mitisque animi homines evehit, quod Saulis & Davidis exemplo comprobatum. Confer cum verbis Psalmi 112. 6. 7. 8. „ Quis sicut Dominus „ Deus noster qui in altis habitat; & humilia respicit in „ cœlo & in terra? Suscitans a terra inopem, & de stercore „ erigens pauperem. Ut collocet eum cum principibus, „ cum principibus populi sui. *Et Ecclesiastici* 10. Sedes „ Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mi„ tes pro eis.“ 1. Reg. 16. 2. Reg. 6. 21.

53. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*. Pauperes locupletare, esurientes bonis implere potest ac solet Deus, & eos qui divites erant a se dimittere vacuos & ad inopiam redigere. Confer cum Psal. 33. 11. *Divites egerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*: & cum verbis Annæ matris Samuelis 1. Reg. 2. 5. *Repleti prius pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt*. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum suum. Exod. 15. 13.

54. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ*. „ Israelitis servis suis subvenit, & sicut eos „ olim eduxit in Ægypto, ita nunc Filio suo ad eorum „ & totius generis humani redemptionem misso in mun„ dum, porrecta misericorditer manu eduxit e tenebris „ ignorantiæ, ex umbra mortis, ex peccati servitute, in „ quibus tot sæculis jacebat. Misericordiæ suæ recorda„ ri dicitur Deus figurata locutione, cum homines lon„ gis gravibusque malis oppressos insigni beneficio sublevat.“ Confer cum verbis Psal. 93. 3. *Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel*: & 2. Paralip. 6. 42. *Domine Deus, ne averteris faciem Christi tui: memento misericordiarum David servi tui*. Genes. c. 12. 13. c. 15. 3. c. 17. 19. c. 18. 18. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14.

55. *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*. Fœdus sempiternum cum Abraham, Isaac & Jacob pepigit Deus, perpetuam illis & eorum posteris misericordiam promisit, in eo positam quod Christus ex eorum semine nasciturus esset. Fœdus illud sacratissimum cum Davide renovavit. Anni bis mille pene effluxerant a tempore promissionis Abrahamo patri credentium factæ, cum Christus venit in mundum. Tunc ostendit se decrevisse revera Israelitas semper eximia quadam misericordia prosequi, & promissiones suas immutabiles ac irretractabiles esse; cum Messiam ex ipsis nasci, & cum ipsis conversari voluit, & illis ante cetéras nationes verbum salutis, multis magnisque miraculis confirmatum, nuntiari. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & verax*: nec *incredulitas* populorum *fidem Dei* umquam *evacuabit* ... *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*. Confer hunc locum cum Micheæ 7. 19. 20. „ Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates „ nostras, & projiciet in profundum maris omnia pecca„ ta nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abra„ ham: quæ juraisti Patribus nostris a diebus antiquis.“ Ps. 144. 13. Rom. 3. 3. 4. Luc. 11. 29. *S. Ambros. lib. 2. in Luc.*

56. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam*. Non solum officii causa tamdiu apud Elisabetham mansit, sed ut Joannes præsente Domino, quem olim demonstraturus erat, novis gratiæ proficeret incrementis. Mansit autem cum illa quasi mensibus tribus, ante partum ejus discedens, nono scilicet nondum expleto mense, quod Euthymius & Theophylactus ex Evangelista colligunt, Nativitatem & Circumcisionem Joannis post Mariæ discessum referente. Quamquam recentiores quidam respondeant Lucam hæc verba interjeciisse *& reversa est in domum suam*, ut historiam Visitationis Mariæ absolveret; neque Beatæ Virginis charitatem permisisse putent ut cognatam periculo proximam desereret. In re obscura silere malim, quam sententiam dicere. Quod nos ignorare Deus voluit, haud curiosius inquirendum est. Luc.

57. 58. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium*, a Deo promissum. *Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa*, magnam erga illam misericordiam exercuit, ingens ei beneficium præstitit ablato sterilitatis opprobrio, datoque filio efœta jam ætate: *& congratulabantur ei*. Gen. 17. 12.

59. 60. *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit*: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes*. Die octavo, qui Circumcisioni infantium masculorum Lege præstitutus erat, cognati & amici Zachariæ in domum ejus venerunt, ut huic ceremoniæ interessent, quam in ipsa domo celebratam ostendit puerperæ prælentia. Qui autem aderant, puero Zachariæ nomen paternum imponendum, honoris solatiique causa, suggerebant. Mater vero, docente Spiritu sancto, Joannem vocandum declaravit.

61. 62. *Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine*. Quamvis olim ab aliquo eventu nomina imponerentur infantibus; ea tamen ætate consuetum erat parentum vel cognatorum nominibus illos vocare. *Innuebant autem patri ejus, Quem vellet vocari eum*. Zachariam patrem ejus utpote surdum ac mutum nutibus & signis rogabant, ut ortam de filii nomine controversiam dirimeret, declarando quomodo illum vocari vellet.

63. *Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus*. Cum loqui non posset, codicillum seu tabellam postulans, scripsit in hæc verba: *Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi*. Qua de re Tertullianus: *Manibus suis* (inquit) *a corde dictat, & nomen filii sine ore pronuntiat: loquitur in stylo, auditur in cera manus omni sono clarior*. „ Hinc innotuit, Matri „ non nomen alicujus displicuisse degeneris, sed id sancto „ infusum Spiritu, quod ante Zachariæ fuerat prænun„ tiatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum fi„ lii nequivit uxori; sed per Prophetiam didicit Elisa„ beth, quod non didicerat a Marito. *Joannes est no„ men ejus*. Hoc nos ei nomen imponimus, qui jam a „ Deo nomen accepit. Habet vocabulum suum quod a„ gnovimus, non quod elegimus.“ *Tertull. lib. de Idolol. c. 13.* *S. Amb. lib. 2. in Luc. n. 31.*

64. *Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus*: Restitutus ei miraculo vocis usus, & lingua ejus *quam vinxerat incredulitas, fides solvit*: *Et loquebatur benedicens Deum*, id est, gratias agens, non ob privata tantum beneficia, scilicet ob divinas revelationes, redditam vocem, acceptum filium; sed ob publica longeque sublimiora, ob impleta scilicet promissa Patribus facta, ob Filii Dei incarnationem, & redemptionem Israel, totiusque mundi per Christum proxime futuram. *S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 32.*

65. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum*. Magnam religionem ac reverentiam omnium vicinorum animis tam admirabiles eventus ingenerabant: *& super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc*: id est, res omnes quæ in Joannis conceptu ortuque contigerant.

66. *Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Dei erat cum illo*. Et omnes qui audiverant vulgante fama, conservabant corde, cogitantes quid hæc signa portenderent. Quis, inquiebant, & quantus vir futurus est iste puer, cujus conceptus & ortus tantis miraculis factus est celeber? Hæc autem non fortuna vel casu, sed Dei singulari providentia & virtute gerebantur. *Etenim* (ait Evangelista) *Manus Dei erat cum illo*. Manus Dei, potentia Dei. Suam in Joanne potentiam tam insignibus miraculis Dominus declarabat.

67. *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto, & prophetavit dicens*, Prophetiæ lumine, quod Spiritus sancti donum est, illustratus ac impletus, in has voces erupit.

68. *Benedictus Dominus Deus Israel; quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ*. Laudetur & præ-

prædicetur tamquam omni gloria dignus, Dominus Deus Iſrael, omnium quidem Dominus, ſed Iſraelis præcipue ac piorum omnium a quibus colitur. Tunc temporis autem ſoli Iſraelitæ verum Deum colebant, ceteris Gentibus in tenebris Idololatriæ verſantibus. Unde verus Deus vocabatur *Deus Iſrael*, qua notione diſtinguebatur ab Idolis, a Diis gentium, de quibus ſcriptum eſt: *Omnes Dii gentium dæmonia*. Deus etiam Iſrael ſingulari ratione dicitur ob fœdus cum Abraham & ſemine ejus initum, & Moyſis tempore renovatum. Unde Iſrael *Populus Dei* ſemper eſt appellatus.

Quia viſitavit, non ut judex, ſed ut Salvator, non ut puniat, ſed ut beneficiis & gratiis cumulet; non per Prophetas, aut Angelos tantum, ſed per ſeipſum, carne indutus, homo factus, *Plebem ſuam*, longa infirmitate tabeſcentem, venditam ſub peccato, ſub jugo diaboli captivam, ut eam redimat, non vi, ut olim ex Ægypto; non cum bona hoſtium gratia, ut olim ex Babylone, ſed juſto & ſuperabundante pretio, ſanguine ſcilicet ſuo, pretio infinito, perſoluto Deo Patri. Redemptionem autem factam prædicat, non quod perfecta jam eſſet redemptio, quæ nonniſi morte ac reſurrectione Chriſti conſummanda erat, ſed quod inchoata eſſet adventu Redemptoris: & quod more Prophetarum res proxime futura quaſi præterita enuntietur propter certitudinem Prophetiæ. Dicitur autem veniſſe Chriſtus ad redemptionem plebis ſuæ Iſrael, quia licet redemptionem ſemetipſum dederit pro omnibus gentibus, primum tamen venit ut redimeret plebem ſuam Iſrael, ex qua naſci, & apud quam converſari, prædicare Evangelium ſuum, illudque innumeris miraculis confirmare dignatus eſt. Quamobrem *Non ſe miſſum*, ait, *niſi ad oves quæ perierant domus Iſrael*. Et Samaritanæ mulieri ait: *vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.*

Matth. 15. 14. Jo. 4. 22.

Act. 13. 26. 32.

Hinc S. Paulus: „ Viri fratres, filii generis Abraham, „ & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis hu„ jus miſſum eſt ... Et nos vobis annuntiamus eam quæ „ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc

Rom. 9. 4. „ Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum. *Et* „ *alibi*: Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & glo„ ria, & teſtamentum, & legislatio & obſequium, & „ promiſſa: quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſe„ cundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus

Act. 13. 46. „ in ſæcula. *Et rurſus*: Vobis oportebat primum loqui „ verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos „ vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad ger„ tes. Sic enim præcepit nobis Dominus. “

69. *Et erexit cornu ſalutis nobis in Domo David pueri ſui*. Cornu Hebraico loquendi more potentiam, alias etiam regnum ſignificat, (*Daniel* 7. 20. & *ſeq.* & *c.* 8. 21. & *Zachar.* 1. 18. 19.) Senſus igitur horum verborum eſt: Deus erexit nobis potentem Salvatorem in familia David ſervi ſui, cujus regnum ſpirituali modo in Jeruſalem renovabit.

1. Reg. 2. 10 Confer cum verbis Annæ Matris Samuelis: *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui*: & Pſam. 131. 17. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo.*

70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum ejus*. Sicut prædixit & promiſit per os ſanctorum ſuorum Prophetarum, qui ab antiquis temporibus fuerunt. Confer cum Lucæ 24. 27. ubi de apparitione Jeſu redivivi & glorioſi duobus Diſcipulis Emmauntem euntibus ſermonem faciens Evangeliſta noſter ait: *Et incipiens a Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.*

71. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos*. Potentem Salvatorem nobis dedit Deus, ut nos, quemadmodum promiſerat, ex inimicis noſtris liberaret, non carnalibus, ſed ſpiritualibus, quorum illi a quibus temporaliter oppreſſi olim ſumus & nunc opprimimur, typi ſunt.

72. 73. 74. 75. *Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti: juſjurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum daturum ſe nobis; ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, in ſanctitate & juſtitia coram*

Act. 15. 11. *ipſo omnibus diebus noſtris*. Potentem Salvatorem nobis ſuſcitans Deus miſericordiam ſuam Patribus noſtris per gratiam & fidem Chriſti ſalvatis, & eorum filiis per eamdem gratiam & fidem ſalvandis exhibuit: & ſe memorem eſſe demonſtravit fœderis ſancti cum Abraham initi, & jurejurando firmati, ut ex poteſtate inimicorum noſtrorum, peccati ſcilicet, mundi, carnis, diaboli per Chriſti gratiam & paſſionis ejus ac mortis virtutem liberati, Deo ſerviamus ſine timore, hoſtium ſalutis noſtræ debilitatis fractiſque viribus per cornu ſalutare, ſeu potentem illum, quem celebro, & fide in utero Virginis Matris intueor, Salvatorem. Per hunc (inquam) fiet ut Deo in ſanctitate & juſtitia, non Judaica, legali, & externa tantum, ſed ſpirituali, vera, ſincera, interiore ſerviamus; ipſum unum præ oculis habentes, idque perſeveranter, ad finem uſque vitæ noſtræ. Confer cum verbis S. Petri Act. 3. 22. & ſeq. „ Moyſes quidem dixit: Quo-

Deuter. 28. 16. „ niam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter „ de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audietis juxta

„ omnia quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem: „ Omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, ex„ terminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ a Samuel „ & deinceps qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos. Geneſ. 17. „ Vos eſtis filii Prophetarum, & teſtamenti quod diſpo„ ſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham: Et „ in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vo„ bis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum be„ nedicentem vobis: ut convertat ſe unuſquiſque a ne„ quitia ſua. “

76. 77. *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum*. Hucuſque de Chriſto, nunc de Joanne filio ſuo recens nato vaticinatur Zacharias, per elegantem apoſtrophem (qua figura & res non intelligentes, immo & inanimes interdum compellantur) converſa oratione. *Et tu puer* eris aliquando *Propheta Altiſſimi*, præibis enim ante Chriſtum *Dominum*, jam in carne præſentem, quam propter nos aſſumere dignatus eſt, ut pares vias ejus prædicando populo pœnitentiam, & ſcientiam ſalutis illi dando, cum illos docebis Jeſum Chriſtum ſeu Meſſiam a Deo promiſſum, ab illis exſpectatum, eſſe, verumque Salvatorem, & *Agnum Dei qui tollit peccata mundi*: ſic proderit illis ſcientia ſalutis ad *remiſſionem peccatorum eorum* virtute Sanguinis Chriſti conſequendam. In hunc ſenſum Apoſtolus ait; „ Gratias agentes Deo Patri, qui „ dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumi- Coloſſ. 1. 12. „ ne: Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tran- 13. „ ſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ: in quo habe„ mus redemptionem per Sanguinem ejus, remiſſionem „ peccatorum. “ Jo. 1. 29.

78. 79. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto*. Remiſſionem peccatorum ad intimam Dei miſericordiam refert, qua Chriſtus Sol juſtitiæ oriens ex alto, nempe ex ſinu Patris æterni, ad nos viſitandos venit: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent*: Ut illuminaret homines in ſummis ignorantiæ tenebris, & horrendo peccati ſtatu, quod mors eſt animæ, & mortis æternæ quaſi veſtibulum, jacentes. *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*. Ut affectus actuſque noſtros dirigat in viam veritatis & juſtitiæ, qua tenditur & pervenitur ad pacem æternæ beatitudinis. Confer cum Zachariæ 6. 12. „ Ecce vir Oriens „ nomen ejus. *Malach.* 4. 21. Orietur vobis timentibus „ nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus. „ *Iſaiæ* 9. 2. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit „ lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mor„ tis, Lux orta eſt eis. “

80. *Puer autem creſcebat* corpore & ætate; *& confortabatur Spiritu*, ſapientia & virtute proficiebat, Spiritu ſancto animum ejus roborante, & poſtquam a parentibus eſt educatus, ſeceſſit in deſerta, ibique auſteram vitam duxit, ut dignus pœnitentiæ prædicator, Chriſtique præco fieret, ſeque ad tantum miniſterium, ſub unius Dei oculis, procul ab hominum conſortio diſponeret, *uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*: id eſt, donec veniret tempus quo Spiritu ſancto impellente prodiret in publicum, ſuumque miniſterium palam obiret, pœnitentiam Iſraeli prædicans, & Chriſtum annuntians.

In deſertis nutritum & educatum a Matre, quæ vitandæ perſecutionis Herodianæ in infantes cauſa eo fugerat, Patrum nonnulli, quorum auctoritas reverenda, ſcripſere.

S. Paulin. Carm. 5.

S. Petr. Alex. cap. 13

S. Hier. Dial. adv. Luciſer. cap. 3. p. 138

S. Jo: Chryſoſt. Hom. 31. in Mat.

SENSUS MORALIS.

1. *QUoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum, ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*. Nihil iis quæ in Evangelio narrantur, credibilius; cum a diverſis ſcriptoribus, nullo patrocinio humano, nullo principum aut Magnatum favore fultis, nulla ingenii aut ſcientiæ ſæcularis claritate celebribus, nulla ſpe mercedis aut præmii temporalis, nulla cupiditate, nulla ambitione ductis, diverſis temporibus ac locis ſcripta ſint, cum Judæi Evangelio maxime reniterentur, e quibus tamen contrarium ſcribere nemo auſus eſt, atrociſſima perſecutione in Chriſtianum nomen graſſante. Quæ autem S. Evangeliſtæ ſcripſerunt, aut viderunt ipſi, aut ab oculatis teſtibus acceperunt: eorumque veritas innumeris confirmata miraculis, toto terrarum orbe prædicantibus Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris agnita & recepta eſt. *Teſtimonia tua*, Domine, *credibilia facta ſunt nimis*. Eoque majori digna ſunt fide, quo id *quod Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, redditum atque completum in Evangelio demonſtratur*.

Pſalm. 92. 5 S. Aug. l. 1. de Conſenſu Evangel. cap. 1.

Sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis. Et nos Jeſum, ſpiritalibus oculis videmus, auribus cordis audimus, cum Evangelio credimus. Sed videre & audire non ſufficit, niſi Apoſtolorum exemplo miniſtri ſimus Verbi, id eſt, Chriſto ſerviamus, quia *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur ... Eſtote ergo factores verbi, &*

Rom. 2. 13 Jacobi 1. 22

non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Gemina virtus est in homine perfecto, intentio & actio. Utramque virtutem Apostolis S. Lucas tribuit, *Qui ab initio viderunt & ministri fuerunt sermonis*. Intentio ad visionem, ministerium ad actionem pertinet. Finis intentionis, est actio: principium actionis intentio. Utriusque virtutis plenitudo quærenda est, ne aut inanis sit actio sine recta intentione, aut inanis intentio sine bono opere.

S. Ambr. lib. 1. in Luc.

2. *Visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile*. Theophilus, quem Deus diligit, & qui diligit Deum. Si Deum diligis, ad te scriptum est Evangelium: si ad te scriptum est, suscipe munus Evangelistæ; pignus amici in penetralibus animi diligenter asserva. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis*: frequenter inspice, lege, meditare, *Fides pignori prima debetur: fidem sequitur diligentia; ne commissa tibi pignora aut ærugo aut tinea consumat*.... Evangelium in animo tuo consumit tinea, si quod bene egeris, male credas. Tinea hæreticus est. Scindit vestimentum, qui separat a Deo Verbum, ut Socinus. Scindit vestimentum, qui res a Deo revelatas in Scriptura sacra, vel Traditione quæ prior Scriptura est, & ad discretionem canonicarum & verarum Scripturarum a falsis necessaria, & ab Ecclesia Catholica propositas dividit, quod vult credens, quod non vult rejiciens, ut Lutherus & Calvinus. *Qui enim in Evangelio quod vultis creditis, quod non vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis* (inquit S. Augustinus) Evangelium in animo tuo consumit ærugo, cum sæcularium sordibus cupiditatum animæ puritas infuscatur, hdes decoloratur. Ærugo mentis est rei cupiditas familiaris: ærugo mentis incuria est, ærugo mentis est ambitio dignitatum.

S. Ambr. n. 12.

1. Tim. 1, 14.

5. *Fuit in diebus Herodis, Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias... & uxor illius de filiabus Aaron*. S. Joannis nobilitatem non parentum divitiæ, non sæcularis potestas, sed illorum pietas commendat, avorumque Deo consecratorum longa series. Nobilitas inanis sine pietate. Primi nobiles, *filii Dei* appellati. Nostræ electionis non est ut nobiles nascamur. At ex Deo renati per baptismum, nobiles sumus, si volumus, siquidem *magna nobis & pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.... Ut filii Dei nominemur & simus*. Joannes Sacerdotali genere paterno & materno progenitus. Et Christiani omnes, licet conjugati, commune quoddam Sacerdotium habent. *Regale Sacerdotium, gens sancta*. Hinc Apocal. 1. de Jesu Christo dicitur: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; & fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Cor igitur nostrum Deo sit consecratum, animum a rebus temporalibus abstrahamus, castitatem colamus, legem Dei fideliter observemus, in oratione simus assidui, omnibus religionis officiis dediti, in sancto sacrificio ferventes. Offeramus *spirituales hostias Deo, acceptabiles per Jesum Christum*.

2. Petri 1. 4. 1. Joann. 3. 1.

1. Petri 2. 5.

1. Petri 1.

6. *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Non omnis qui justus est ante homines, pariter justus est apud Deum. Aliter enim vident homines, aliter Deus: homines faciem, Deus cor intuetur: & ideo fieri potest ut aliquis affectata bonitate, justus nobis videatur, tametsi justus coram Deo non sit, si justitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. Soli Deo notus est, *qui absconditus est cordis homo*. Perfecta igitur laus est in conspectu Dei *justum esse*. Solus ille justus qui ab eo probatur, qui falli non potest, & qui idem est arbiter mentis & facti. Vera autem justitia in observantia omnium mandatorum Dei per charitatem posita est. *Incedentes in omnibus mandatis*. In via mandatorum Dei semper incedere & proficere, numquam stare & quiescere debemus, quamdiu in hac via sumus. Justi vero non sumus, si in aliquibus tantum, non in omnibus Domini mandatis incedamus „Quicumque enim „ totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus „ est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, di„ xit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides „ autem, factus es transgressor legis." Sed & providendum est ad plenitudinem justitiæ, ne ulli demus juste de nobis conquerendi occasionem: *Providens bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Hoc est, *incedere sine querela*. Nulla enim querela, ubi & mentis bonitas concordat, & facti. Et plerumque justitia durior hominum querelam excitat (inquit S. Ambrosius.)

S. Ambr. lib. 1. in Luc. num. 17.

1. Petri 3. 4.

Jacobi 2. 10. 11.

Rom. 12. 17.

8. 9. 10. *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, forte exiit ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*. Sacerdotes Christi omnes functiones Ecclesiasticas obeant tamquam Deo præsente, cum reverentia & fervore charitatis, a sæcularibus negotiis, mundi vanitatibus, insaniis falsis, & voluptatibus alieni, in Templo assidui, non per vices, sed omnibus vitæ suæ diebus Deo ministrent, orationi vacent, Christi bonum odorem virtutum suarum fragrantia ubique diffundant, ordinem & consuetudinem, ritusque Ecclesiæ religiose servent, ne perturbato ordine pax Ecclesiæ turbetur. Puriores vero, devotiores, ferventiores se sistant coram Domino, cum ad ejus Altare accedunt, non incensum tumtaxat aut victimas legales oblaturi, sed corpus & Sanguinem Christi Jesu, cujus Sacrificii vetera illa typi erant. Sed & Laici fideles adsint hora incensi, divino interfint Sacrificio & officiis Ecclesiæ, preces suas Sacerdotum orationibus, intentionem suam eorum intentioni adjungant, Christum simul offerant Deo Patri victimam propitiationis pro suis peccatis; stent in ordine suo qua par est reverentia & humilitate, non intra cancellos Altaris, immo nec in Choro, sed extra, secundum sacros Canones & Ecclesiæ disciplinam. *Et omnis multitudo populi erat foris hora incensi*. Angelos ibi adesse, tempore incruenti Sacrificii venerabundos, certissimum est, illosque illuminati fideles cordis oculi intuentur. „ Angelus „ a *Zacharia* videtur in Templo, quia veri Sacerdotis „ jam nuntiabatur adventus, & Celeste Sacrificium pa„ rabatur, in quo Angeli ministrarent .... Apparuit „ Angelus, & nunc præsto est, sed non videtur, neque „ etiam in potestate nostra est videre, sed in potestate „ illius apparere. Tamen, etsi potestas non est videndi, „ est gratia promerendi ut videre possimus ... Non du„ bites adsistere Angelum, quando Christus immolatur."

S. Ambr. lib. 1. in Luc.

13. *Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*. Oraverant olim Zacharias & Elisabeth ut filium a Deo obtinerent, nec tamen exauditi videbantur. Verum Angelus certiorem facit Zachariam quod non solum præsens ejus oratio pro salute Israelis, sed & ea quam olim fuderat ad filium impetrandum exaudita sit. Non diffidat itaque Christianus, non turbetur, cum aliquid petit a Deo in oratione quod statim non impetrat. Multa enim negari videntur, quæ ut congruo dentur tempore differuntur. Sed & sæpe non exaudimur, quia petimus quod nobis non expedit. „ Deus „ meus, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte „ & non ad insipientiam mihi. *Idest*, Non exaudies ad „ temporalia, ut intelligam a te desideranda sempiter„ na. Non ergo relinquit Deus, & cum videtur relin„ quere, tollit quod male desiderasti, & docet quid de„ beas bene desiderare." Deus non exaudit ad voluntatem, sed ad sanitatem. Christianus fideliter Deo serviens multa deprecatur secundum sæculum, & non exauditur. Quis enim sanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ei ægrotare utile est. Petit alter filios, cui forte orbitas utilior est ad salutem. „ At ve„ ro cum petis ut det tibi vitam æternam Deus, secu„ rus esto, accipies, si modo non accipis. Exaudiris, „ & nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agi„ tur. In radice res est, nondum in fructu."

Psalm. 43. S. Aug. Enarr. in hunc Psal.

S. Aug. Enarr. in Psal. 59.

Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium. Deo gratias agant parentes non minus pro ortu, quam pro meritis filiorum: non enim mediocre munus est Dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Divinum munus fœcunditas est parentis. Agant itaque patres gratias quia generaverunt: filii quia generati sunt: matres quia conjugii præmiis honorantur. Filios educent in disciplina & timore Domini.

S. Ambr. lib. 1. in Luc. n. 30.

14. 15. *Et multi in nativitate ejus gaudebunt; & erit magnus coram Domino*. In Sanctorum natali gaudendum, *Sanctus enim non solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum*: sed gaudendum, non lætitia sæculari, sed gaudio spirituali, qui Spiritus sancti fructus est cum charitate conjunctus. Gaudendum in Domino, non cum mundo, non in comessationibus & compotationibus, non in ludis, non in spectaculis, sed in hymnis & canticis spiritualibus, quibus gratias agamus Deo qui Sanctos donis cœlestibus cumulavit; & misericordiæ ejus auxilium ad illorum imitationem per eorum merita & intercessionem rogemus. Parvi faciamus sæcularem magnitudinem, ut Christiani desideriis indignam. Magnitudinem animi, virtutis, pietatis, charitatis, humilitatis, castitatis, pœnitentiæ, assequi cum Dei gratia contendamus, ut magni simus coram Domino. Sic enim magnus S. Joannes, non quod fines alicujus propagaverit Imperii; non quod triumphos aliquos bellici certaminis præoptaverit; sed quod in deserto prædicans, delicias hominum, corporisque lasciviam magna animi virtute depresserit. Parvulus ergo in sæculo, magnus in spiritu. Hanc solam, quæ coram Domino vera est, magnitudinem Angeli annuntiant & commendant. Joannes magnus coram Domino pœnitentia, Spiritus sancti plenitudine, zelo pro gloria Dei & Filii ejus Jesu Christi, fidelitate & magnanimitate qua vitia reprehendit Herodis, Pharisæorum, Iudæorum omnium, ac indefessam dat operam ut Patriarcharum Spiritus in filiis revivisat, ut via Domini in omnium cordibus præparetur.

S. Ambrof.

S. Ambr. lib. 1. in Luc. num. 32.

18. *Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis*. Zacharias Sacerdotii Judæorum, Elisabeth Legis typus est, quæ Sacerdotum doctrinis exercita,

Ven. Beda in c. 1. S. Lucæ.

ercita, quasi auxilio virili fulta, Spiritales Deo filios gignere debebeat, sed quasi ob sterilitatis injuriam minime valebat. Quamvis enim multi & ante Legem, & in Lege perfectissimæ vitæ fuerint: tamen neminem ad perfectum adduxit Lex, quæ regnum cœlorum referare nisi Christo præcedente non potuit. *Zacharias & Elisabeth erant justi ambo ante Deum*: Ita bona est Lex, & mandatum sanctum, & justum, & bonum; ita etiam Sacerdotium legale pro dispensatione temporis illius sanctum, bonum, & justum est. Ambo processerant in diebus suis. Nam Legis quasi adolescentia vel juventus Mosaicis temporibus & deinceps efloruit: eam vero imminente Salvatoris adventu senectus incurvavit, quando & Sacerdotii ordo per ambitionem & contentiones Pontificum confusus, & ipsa Lex per Pharisæorum traditiones discissa, minus apta ad gignendum Deo filios effecta est. Senescente Lege, natus est Joannes; orta est gratia, sine qua homines in Christum credere, illumque suscipere non poterant, neque justitiam Legis implere. „ Lex data est ut gratia quæreretur: gratia data est ut Lex impleretur. Neque enim „ suo vitio non implebatur Lex, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. *Nam* Quod impossibile erat Legi, „ in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur „ in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed „ secundum Spiritum. "

S. Aug. lib. de spiritu & Littera c. 19. Rom. 8

20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Si ob veniale diffidentiæ peccatum Zachariam hominem justum, amicumque suum tam graviter castigat Deus, quam gravibus pœnis plectet eos qui gravia lethaliaque peccata committunt? *Si in viridi ligno* hæc fiunt, *in arido quid fiet?* Hinc cogites peccatum impunitum permanere non posse. Puniendum est aut a Deo vindicante, aut ab homine pœnitente. *Præveni illum: non vis ut ipse puniat, tu puni. Tu agnosce, ut ille ignoscat. Differt manum a peccatis tuis, tu noli differre.* Cum vero temporalibus flagellis peccata tua castigat, ne obmurmures: cum reverentia, humilitate & patientia suscipe flagellum Patris ideo corripientis & emendantis, quia diligentis; Divinam ejus manum adorando osculare, ora ut hic urat, hic secet, hic non parcat, ut in æternum parcat. Pater filios suos ob minimas culpas corripit & emendat, in illos exercet severitatem, quibus parat hæreditatem: extraneos vero & a familia sua penitus alienos negligit ac relinquit. Ne dicas, ergo, *Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Time ne ab ejus familia, ne ab electorum ejus grege alienus sis, qui te dimittit desideriis cordis tui, & in præsenti non punit, ut sine fine in futuro sæculo puniat. *Dominus vindicans vindicabit*, reprobos qui dies suos in bonis duxerunt, *congregans quasi gregem ad victimam, & sanctificans eos in die occisionis.* Hinc Scriptor sacer libri 2. Machabæorum, cap. 6. „ Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultionem adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies „ advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. " Immo consolatur & fovet, flagellorum tempus contrahens, ipsisque beneficia & gratias permiscens, cum pio & filiali animo tolerantur, ut hic in Zacharia factum videmus, qui post novem mensium surditatem & silentium erepto linguæ usu, seu loquendi facultate, ab Angelo Dei Legato impositum, simul filium cœlestibus donis insignem, auditum, linguæ usum, prophetiam a Deo accepit, & domestici publicique gaudii ob talis ac tanti filii ortum, degustavit suavitatem.

Luc. 23. 31.
S. August. Enarrat. in Psalm. 44.
Eccli. 5. 4.
Jerem. 12.

22. *Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.* Zacharias Populi Judaici typus, ex quo jam sene Christus natus est secundum carnem. Mutus erat tunc temporis, cum Prophetas amplius non haberet. *Lex* enim *& Prophetæ usque ad Joannem*: signis dumtaxat sacrificiorum, aliarumque figurarum de Christo loquebatur. „ Cessatio sacrorum, & silentium Prophetarum, taciturnitas Prophetæ, & taciturnitas Sacerdotis est. *ECCE, inquit Isaias*, dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem & a Juda „ Judicem & Prophetam, consiliarium & sapientem ... „ *VERBUM* in utero, Lex in silentio ... Ab Angelo jubetur tacite Zacharias, ab Angelo vox præmitur Judæorum. Non enim humanæ, sed divinæ hoc potestatis „ imperium est; ut non loquatur Deo, qui non credidit „ Christo. " Credamus ergo ut loquamur. Credat Judæus ut loqui possit. Loquamur in Spiritu mysteria, intelligamus rationem sacrificiorum veterum, ænigmata Prophetarum. *Mutus est qui non intelligit Legem, mutus est qui non intelligit divinarum seriem Scripturarum.*

S. Ambros. lib. 1. in Luc. n. 42.
Isai. 3. 1.

23. *Et factum est ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.* Visione licet Angelica, & filii promissione recreatus, surditate licet vocisque privatione a Deo afflictus, e templo non recessit, nec in domum suam rediit, ut doceamur nihil nos ab officio & Dei obsequio separare debere, non prosperitatem, non adversitatem, non rei familiaris respectum, &c. „ Quis nos separabit a „ charitate Christi? Tribulatio? an angustia? ... Certus „ sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque „ profundum, neque creatura alia poterit nos separare „ a charitate Dei. "

Rom. 8. 35 38. 39.

26. *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria.* Malus Angelus nostræ perditionis auctor fuit colloquendo cum Eva; Sanctus Angelus nostræ reparationis nuntius fuit, colloquendo cum Virgine Maria. Diabolus sua dumtaxat invidia impulsus, non mittente, sed tantum permittente Deo, Evam seduxit: sanctus Angelus a Deo missus, qui solus reparationis nostræ auctor esse potuit, hanc reparationem nunciavit. Angelum mitti decuit ad nuntiandam generis humani redemptionem, siquidem Angeli sunt *administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Angelum mitti decuit ad nuntiandum incarnationem Filii Dei, per quem Angelorum ruinæ restaurandæ essent. *Proposuit* Deus *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso.* Mitti decuit præ ceteris Gabrielem, cujus nomen significat fortitudinem Dei, ad illius Incarnationem nuntiandam qui principatus & potestates, rectores tenebrarum debellaturus erat, de quo scriptum est: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

Hebr. 1.
Ephes. 1. 10.
Venerab. Beda.
Psalm. 23

Missus est in Civitatem Galilææ. Ex ea scilicet Provincia nasci voluit Christus, in qua Judæi simul & Gentiles habitabant, quia populi utriusque Salvator futurus erat, & propter utriusque redemptionem veniebat. Civitati nomen Nazareth. Parvulam hanc & contemptam civitatem Christus conceptu suo nobilem fecit, & ab ea Nazarenus appellari voluit, de qua Nathanael dixit: *A Nazareth, potest aliquid boni esse?* In Judeæ Metropoli crucifigi, in exiguis & obscuris oppidulis concipi & nasci voluit, ut superbiam hominum confunderet humilitatis Magister. Humilitatem ama, ut Christum in anima tua concipias. In *Nazareth*, quod nomen *florem* significat, cum concipi conveniens fuit, qui sponsam alloquens ait: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Flos campi, non hortorum: quia flores hortorum humana industria & diligentia coluntur & nascuntur: flores autem camporum e terra oriuntur solo cœlo operante: sic Christus in Virginis utero solius Spiritus sancti virtute conceptus est. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Flos ille divinus est, de quo Prophetа: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.*

Isaiæ 9. 1
Joan. 1.
Cant. 2. 1.
Psalm. 84.
Isaia 11. 1.

Missus est ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Virgo hæc tam venerabilis ut salutetur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro. Si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat*: De ista dicitur: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Illa remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem nec virginitas Mariæ placuisset. *Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit: & ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.* Si virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. *Quod si & virgo, & humilis es; quisquis es, magnus es.* Missus est Angelus ad Virginem. „ Quia „ est semper Angelis cognata virginitas. In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis. „ Esse angelum felicitatis est; virginem esse, virtutis. "

S. Bernad Hom. 1. super Missus est.
Matth. 19.
Matth. 18.
S. Petr. Chrys. serm. 143.

Ad virginem desponsatam Joseph. Virgo desponsata est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata & innupta. *Concepta nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu.* Maria alii repleta ab alio repleta, scilicet a Spiritu sancto; quia *singulæ Ecclesiæ Spiritu quidem replentur & gratia; jungunturtamen ad spiritalis speciem Sacerdotis.*

S. Ambros. lib 1. in Luc. num. 7.

23. *Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena; Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* In Actibus Apostolorum legimus & Stephanum plenum gratia, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu sancto quomodo Maria. In Apostolis, in Stephano, ceterisque Sanctis fuit plenitudo sufficientiæ, ut vocationis suæ officia digne implerent. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti* (inquit Apostolus). In Maria Virgine fuit plenitudo excellentiæ, quam

S. Bern. Hom. 3. super Missus.
1. Cor. 3. 6.

quam ipsi Angelus gratulatur, quia Christo gratiæ auctori, de quo scriptum est, *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, propinquissima fuit. In Christo est plenitudo redundantiæ: quia caput est gratiam in omnia membra corporis mystici influens: *De cujus plenitudine omnes nos accepimus*.

Joan. 1. 5. Th. 3. p. q. 27. art. 5. 1. Joan. 16.

Ave gratia plena. In hac voce oblatio est muneris, non simplex salutationis officium. *Ave plena gratia*, hoc est, Accipe gratiam. „ Hæc est gratia que dedit cœlis „ gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, „ vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo salutem seculis redditura. Ave „ *gratia plena*; Quia singulis gratia se est largita per partes; „ Mariæ vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. „

S. Petr. Chrys. serm. 143.

Dominus tecum. Deus qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen est in rationalibus creaturis, quam in ceteris: & aliter in bonis quam in malis est per efficaciam. Ita sane est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed a bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Singulariter tamen est cum Maria, cum qua tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac de sua Virginisque substantia unus Christus fieret; *Qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius*.

S. Bern. Hom. 3. super Missus.

Dominus tecum. „ Pater tecum, qui Filium suum fecit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te „ mirabile sacramentum, miro modo & sibi referat genitale secretum & tibi servat virginale signaculum, „ Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum „ sanctificat uterum. „

Ibidem.

Dominus tecum, *Præcessit nuntium suum Deus*; jam erat in Virgine qui ad eam Angelum misit.

S. Petr. Chrys.

Ave gratia plena Dominus tecum. Cum homine justo necesse est ut novo modo sit Dominus per gratiam prævenientem, adjuvantem, operantem, cooperantem, efficaciter & insuperabiliter moventem, ad singulos actus bonos, ut divina impleat mandata, & ut in accepta gratia perseveret. Necesse est ut custodiat dona sua in nobis; quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*.

Ps. 126. 2.

Benedicta tu in mulieribus. Dei benedictio beneficentiam ejus & donorum collationem significat. Mundi Reges & Principes, etsi maximas dignitates ampliſſimaque munera subditis suis vel amicis conferre possint; illos tamen dignos istis muneribus sive honoribus efficere non possunt. Deus Beatæ Virgini dignitatem quodam modo infinitam conferre volens Matris Dei, illam tantæ dignitati fecit idoneam gratiarum copia, virtutum, & donorum plenitudine. Unde potiori jure benedicta quam Judith, quam Ozias Princeps populi his verbis laudavit:

Judith. 13. 23.

Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

Benedicta tu in mulieribus, quia concipies & paries Filium Dei, Messiam Israeli promissum, *Qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula*. Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem illam maledictionem evasisti, qua dictum est, *In tristitia paries filios*, & nihilominus illam qua dictum est, *Maledicta sterilis in Israel*: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Ne suspectam habeas fœcunditatem, quia non aufert integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescies virum, & gignes filium. Illius eris mater, cujus Deus est pater. Filius paternæ claritatis, erit corona tuæ castitatis; sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum paries, & de Deo concipies.

Genes. 3. Exod. 23. Deuter. 7.

Benedicta tu in mulieribus. Deus prævenit nos in benedictionibus dulcedinis. Si benedictionibus ejus & gratiis non cumulamur, culpa nostra est. Deus paratus est dare, os cordis aperiamus, & Spiritum attrahamus. *Dilata os tuum, & implebo illud* (inquit) *Et non audivit populus meus vocem meam*. Offer Deo cor mundum, cor terrenis affectibus, mundique amore vacuum, & illud benedictionibus suis Dominus implebit. Id typice ostendit Elisæus Propheta, Viduæ imperans ut omnia vasa vacua oleo impleret; cumque clauso ostio implevisset omnia, etiam ab omnibus vicinis commodata, dixit filio, *Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit*: *Non habeo, stetitque oleum*. Deus gratiæ suæ oleum in cor nostrum infundere non desinit, si terrenis affectibus vacuum fuerit; si clauso ostio bonam voluntatem, rectam intentionem, puras preces, cor immaculatum, corpus castum, sancta opera illi offeramus: quæ quidem omnia ipsius munera sunt. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Auferetur a nobis sterilitatis maledictio & opprobrium; Spiritus sancti virtute Christus formabitur in nobis: sine dolore pariemus fructus bonorum operum, cum delectatione & suavitate, quia ex charitate; cum e contra peccatorum animæ steriles sint in bono, & malum cum dolore pariant. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*.

Ps. 126. 2. Ps. 80. 11. 4. Reg. 4. Ps. 84. 13. Ps. 7. 15.

29. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio*. Angeli apparitione & nova salutationis formula, nusquam lecta nusquam antea comperta, Virgo castissima & prudentissima turbatur. *Trepidare virginum est, ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri* .... Discant mulieres propositum pudoris imitari, verborum vitare lasciviam, Maria etiam salutationem Angeli verebatur.

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 8.

Turbata est in sermone ejus. Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit & cogitavit, prudentiæ. *Cogitabat qualis esset ista salutatio*. Sciebat prudens Virgo sæpe Angelum satanæ transfigurare se in Angelum lucis: & quia humilis & simplex erat, nihil tale penitus a sancto Angelo sperabat: ideo turbata est in sermone ejus & cogitabat qualis esset ista salutatio. Beatæ Virginis modestiam imitemur, laudibus ne extollamur humanis, immo potius illis turbemur, vanæ gloriæ insidias metuentes. Imitemur & Beatæ Virginis prudentiam, ne credamus omni spiritui, sed probemus spiritus, si ex Deo sint: cum nos laudant homines & honore prosequuntur, indignitatem nostram, defectus nostros, vitia nostra taciti cogitemus & consideremus. *Et cogitabat qualis esset ista salutatio*. Virginis denique fortitudinem imitemur, ne cor nostrum quibuslibet eventis perturbetur; quod consequemur, si in Deo fixum firmumque sit.

S. Bern. Hom. 3. super Missus n. 9. 1. Joan.

30. 31. *Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Insolita salutatione, & benedictione quam tibi a Deo annuntio, ne turberis. In ejus enim gratia fundata est laus qua te exorno. *Invenisti gratiam apud Deum*: non qualemcumque gratiam, sed plenam, quæ scilicet *largo imbre totam funderet & infunderet creaturam*. „ Hæc cum dicit, & ipse „ Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam; stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui „ tota simul angusta est creatura. Hinc est, quod „ remoratur Angelus, hinc est quod virginem vocat de „ merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, & an sensum promoveat, vix longa trepidatione componit. „

S. Petr. Chrys. serm. 142.

Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum. „ Ut „ quid indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ „ invenisti gratiam apud Deum? Quam gratiam? Dei „ & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. „

Ecce concipies, & paries filium. In hoc posita est gratia illa singularis quam apud Deum invenisti; 1. Quod ab æterno electa fueris ut sis Dei Mater. 2. Quod in utero tuo Filius Dei mox concipiendus sit, ac de substantia tua carnem sumpturus. 3. Quod illum ipsum paritura sis, quem Deus pater ex sinu suo in splendoribus Sanctorum ab æterno genuit. 4. Quod illi nomen Jesus sis impositura, quem hominibus Salvatorem per te dabit. *Et vocabis nomen ejus Jesum*, nomen salutis & gratiæ. *Ipse enim*, ut ait alius Evangelista, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*.

Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum. Timeat peccator judicem vindicemque Deum. Non timeat justus, qui gratiam invenit apud Deum. Quid filio timendum, nisi ne patri displiceat, ne ab ejus gratia excidat? Ceteroqui bonæ conscientiæ fiducia lætus est. *Fugit impius nomine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit ... Dominus salus mea* (inquit Justus) *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Prov. 28. 1. Ps. 26. 1. 2.

Et vocabit nomen ejus Jesum. Vis ut Christus tibi sit Jesus, id est Salvator? Satage ut sis de populo ejus. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Multi se profitentur de populo ejus, quos tamen pro populo non agnoscit. Plerique sunt qui paulo religiosiores videntur, quibus aliquando dicet; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Novit Dominus qui sunt ejus, novit & quos elegerit a principio. *Quid me vocatis*, ait, *Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Fac quæ dicit Jesus, & computabit te in populo suo. Fac quæ jubet in Evangelio, in Lege & Prophetis, quæ jubet per Ministros suos qui in Ecclesia præsunt; disce ab ipso Jesu quia mitis est & humilis corde; & eris de beato populo ejus, quem elegit in hæreditatem sibi.

S. Bern. Hom. 3. super Missus. Matth. 15 8.

32. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Magnus ab æterno Deus, magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta erit in tempore. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*: de quo a minori Propheta prædictum est: *Ecce veniet Propheta magnus, & ipse renovabit Jerusalem*. Hic erit magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu Regum, adeo ut adorent eum omnes Reges terræ, omnes gentes serviant ei. Tam magnus erit, ut Filius Altissimi vocandus sit, ut revera erit, non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo. Filius

Luc. 7. 6.

Altis-

Altissimi, non adoptione, sed natura, ut nos adoptivos
S. Fulg. ad Donat. Dei filios per gratiam suam efficiat. *Filius Altissimi vocabitur*, etiam qua homo. Nam „ Jesus Christus, non „ sic est Dei Patris Filius, sicut nos sumus. Ille est e- „ nim proprius, nos redempti; ille natus, nos facti; il- „ le verus, nos adoptivi. Ille autem qui verus est filius, „ ipse etiam verus est Deus; non adoptione generatus,
Cassianus l. 2. de Incarn. c. 6. „ sed de Patre naturaliter natus. *Hinc Cassianus*: Domi- „ ni Salvatorisque nostri inde est origo, unde conceptus „ & cum de cen ente in Virginem totius divinitatis ple- „ nitudine natus sit, filius esse hominis non poterat, nisi „ prius Filius Dei fuisset. Et ideo missus ad annuntian- „ dam sacri ortus nativitatem Angelus Dei, cum sacra- „ mentum conceptionis ante dixisset, partui ipsi nomen „ imposuit, dicens, Ideo & quod nascetur ex te san- „ ctum vocabitur Filius Dei; hoc est, illius Filius nun- „ cupabitur, quo generante est generatus. Dei ergo Fi- „ lius Jesus Christus, quia & a divinitate genitus, & a „ divinitate conceptus.

Hic erit magnus. Magnificetur & a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est par-
Isal. 9. 6. vulus. *Parvulus* enim *natus est nobis*: & *filius datus est nobis*. Nobis natus est, non sibi, qui ante tempora multo nobilius natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis, qui cum magnum ha-
S. Bernar. Hom. 2. super Missus *n. 14.* berent, parvulum non requirebant. Nobis ergo datus, nobis natus, quia nobis necessarius, Utamur nostro in nostram utilitatem: de Salvatore salutem operemus. Studeamus effici sicut parvulus iste: discamus ab ipso humilitatem & cordis mansuetudinem; *Ne Magnus Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus*.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cœlestem; in qua non unius regionis populo, ut David, sed omnibus gentibus imperabit, Spiritus sancti unctione, & gratiæ suæ virtute omnipotentissima sibi eorum corda subjiciens. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*: non in illa domo Jacob exasperante, quæ impie illum abnegavit, & insipienter resonit ante
Rom. 9. faciem Pilati clamans: *Non habemus regem nisi Cæsarem*: non apud carnales, sed spirituales Israelitas. „ Non e- „ nim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque „ qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vo- „ cabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi fi- „ lii Dei, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in
S. Bernar. Hom. 4. super Missus. „ semine". Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inveniendi sunt, reputa in domo Jacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem & æternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in æternum. Quis ex nobis est, qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Jesus, & nunc quidem per gratiam & in æternum per gloriam? Christianus in hac vita fit naturæ divinæ particeps in Christo Jesu, & filiationis ejus consors per adoptionem Patris: in altera vita regni
Ps. 105. 4. ejus æterni consors erit. *Visita nos*, Domine, *in salutari tuo; ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua*. Veni interim, Domine Jesu, & aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut tu solus regnes in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex; luxuria dicit, Ego regnabo; ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in me ipso de me ipso, cujus potissimum esse videar. Ego autem, quantum valeo, resisto; renitor, quantum juvor; Dominum meum Jesum invoco; ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo dicens: Non habeo Regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo, Domine, disperge hostes tuos, meosque, in virtu-
Ps. 43. 5. te tua, ut in me regnes in perpetuum, quia *Tu es ipse rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob*.

33. *Et regni ejus non erit finis*. Qui ihoc in Symbolo canimus & profitemur, æternumque cum Christo Jesu nos regnaturos speramus, quid caducis, terrenis, perituris rebus inhæremus? Quid æternis temporalia præponimus?

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Maria virginitatis vexillifera & Magistra. Virgo fidelis, quam Deo voverat virginitatem tam constanti fide servare decreverat, ut Matris Dei incomparabilem dignitatem potius recusare parata esset, quam virginitatis detrimentum pati, & fidem Deo voti religione obstrictam violare, si Dei mater fieri & Virgo permanere non potuisset. Et nos in votis Deo
Psalm. 65. reddendis ejus exemplo fideles simus. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Commune votum quo Deo per ora patrinorum & fidejussorum nostrorum in baptismo promisimus nos mandata ejus servaturos; quo mundo, satanæ & pompis eius abrenuntiavimus, fideliter & accurate impleamus. Si quid nobis suggeratur officio nostro & voto contrarium, illud rejiciamus; cogitationes nostras, corda nostra convertamus ad Deum, & in illo figamus. Carnem suam puram custodiant Christiani, castitatem servent sive virginalem, sive conjugalem, sive vidualem, qui per baptisma facti sunt membra Christi, & templa Spiritus sancti. Spiritu Christi matres esse debent, & spiritu virgines, quotquot ad Dei possessionem aspirant. „ Sola *quidem* Maria spiritu & corpore mater *S. August.*
„ & virgo, & mater Christi, & virgo Christi: Ecclesia *l. de Sancta Virgin.*
„ vero in sanctis regnum Dei possessuris, & spiritu qui- „ dem tota mater Christi, est tota Virgo Christi; cor- „ pore autem non tota, sed in quibusdam virgo Christi, „ in quibusdam mater, sed non Christi. Et conjugatæ „ quippe fideles feminæ & Virgines Deo dicatæ, sanctis „ moribus & charitate de corde puro & conscientia bo- „ na, & fide non ficta, quia voluntatem Patris faciunt, „ Christi spiritualiter matres sunt".

35. *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Spiritus sanctus superveniet in te, qui poten- *S. Bernar.*
tia sua fœcundabit te: & illum modum quo de Spiritu *Hom 4. super* Missus.
sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & auctore.

Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, ipsa divinitate naturam humanam immediate *S. Petrus*
sanctificante, & perungente oleo exultationis præ con- *Chrysol. ogserm. 60.*
sortibus suis. „ Posteaquam Dei Filius sicut pluvia in „ vellus, toto divinitatis unguento nostram se fudit in „ carnem, ab unguento nuncupatus est Christus: & hu- „ jus nominis extitit solus auctor, qui sic Deo perfusus „ est & infusus, ut homo Deusque, esset unus Deus. „ Hoc ergo unguenti nomen effudit in nos, qui a Chri- „ sto dicimur Christiani, & impletum est illud quod can- „ tatur in Canticis Canticorum, Unguentum effusum no- „ men tuum."

Spiritus sanctus superveniet in te, &c. *Ideoque & quod* *S. Aug. Enchir. c. 30.*
nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Modus „ iste quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat „ nobis gratiam Dei qua homo nullis præcedentibus me- „ ritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, ver- „ bo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut „ idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis, & Fi- „ lius hominis qui Filius Dei; ac sic in naturæ huma- „ næ susceptione fieret quodammodo ista gratia illi ho- „ mini naturalis, quæ nullum peccatum possit admit- „ tere".

Nobis hæc incumbit obligatio ut sancti simus, quia Christiani, & de Spiritu sancto renati. Nam *Omni ho-* *S. Leo ser. 4. in Nativit. Dom.*
mini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis: eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & Virginem. Gratia regenerationis non solum Christiani cum Christo capite unum corpus efficiuntur, sed unus Christus, & unus Dei Filius. *Sicut enim corpus unum est*, (inquit Apostolus) *& membra multa habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus, ita & Christus*. Non ait; ita & Christus & corpus; sed *S. August. Enarr. in Psal. 142.*
corpus unum membra multa, ita & Christus „: Totum „ ergo Christus. Tenete hoc fixum, & omnino commen- „ date memoriæ, tamquam filii Ecclesiasticæ eruditionis „ & fidei catholicæ, ut cognoscatis Christum caput & „ corpus, eumdemque Christum Verbum Dei unigenitum, „ æqualem Patri: & inde videatis quanta gratia pertin- „ gatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, „ qui est cum Patre unus".

36. 37. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*, &c. Ad bona licet opera, ad opera meritoria vitæ æternæ sterilis per se natura sit; Dei tamen promissis credendum est, & in ejus gratia confidendum, quæ veterem hominem renovare, & naturæ liberique arbitrii vires effœtas, infirmas, steriles, vitrici virtute roborare & fœcundare potest; quod exemplis quotidianis demonstravit, ex quo propter nostram salutem incarnatus est sexta mundi ætate. Hoc primum religionis fideique Catholicæ fundamentum, quia voluntas Dei omnipotentissima principium est omnium gratiæ ac misericordiæ ipsius operationum. Gratiæ namque œconomia & efficacitas, confessione omnipotentiæ Dei in Symbolo exprimitur. Quamvis enim velle & nolle sit in hominis potestate, Deo tamen volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium, cum certa sit, immutabilis, & efficacissima Dei voluntas, qui „ Omnia quæ- „ cumque voluit fecit in cœlo & in terra ... Quod uti- *S. August. Enchirid. cap. 69.*
„ que non est verum, si aliqua voluit & non fecit; & „ quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret „ quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. „ Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ confessio- „ nis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem „ credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vo- „ catur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, nec „ voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis „ impeditur effectus." Hoc Angeli verba complectuntur: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*.

38. *Di-*

38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O insignis gratia! o felix obedientia, quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se Opificem corporavit! „ Sic Evæ inobedientiæ nodus solu-
„ tionem accepit per obedientiam Mariæ, quod enim
„ alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Ma-
„ ria solvit per fidem ... quemadmodum enim illa per
„ Angelicum sermonem seducta est ut effugeret Deum,
„ prævaricata verbum ejus: ita & hæc per Angelicum
„ sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obe-
„ diens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret
„ Deum, sic ista suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ vir-
„ go Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum
„ est morti genus humanum per Virginem, solvatur per
„ Virginem: æqua lance disposita virginalis inobedientia
„ per virginalem obedientiam ".

S. Irænеus hi secundum verbum tnum. l. 3. c. 33. *Idem l. 5. cap. 19.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris humilitas. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliter ergo respondit Virgo sanctissima, ut sedes gratiæ præpararetur. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non magnum est esse humilem in abjectione; *Magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.*

S. Bernar. Hom. 4. super Missus.

Fiat mihi secundum verbum tuum. His verbis affectus exprimitur desiderantis. Quidni & orantis? *Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat.* Vult autem a se requiri Deus quod pollicetur. Et ideo forte „ Multa quæ
„ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione de-
„ votio excitetur, sicque quod gratis daturus erat, devo-
„ ta oratio promereatur. Sic prius Dominus, qui omnes
„ vult salvos fieri, merito nobis extorquet a nobis; &
„ dum nos prævenit tribuendo quod retribuat, gratis a-
„ git ne gratis tribuat. Hoc utique prudens Virgo in-
„ tellexit, quando prævenienti se muneri gratuitæ pro-
„ missionis, junxit meritum suæ orationis ".

Dei super nos consiliis, providentiæ, voluntati, cum fide, humilitate, obedientia, propriique nostri sensus abdicatione subditi simus, sub visibilis Angeli, prudentis scilicet ac pii Directoris moderamine Domino dicentes: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Divinæ gratiæ fideliter consentiamus, & cum consenserimus, nihil nobis, ne ipsum quidem consensum, sed totum Deo tribuamus, qui voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, & quem exigit consensum efficit; quem postulat, ut jura servet humanæ libertatis, donat; ut supremum dominium & vim omnipotentissimam divinæ suæ voluntatis & gratiæ ostendat, suamque misericordiam commendet, consensum nostrum non expectantem, nec ab eo dependentem: Quia *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Rom. 9. 16.

39. 40. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, & intravit in domum Zachariæ & salutavit Elisabeth.* Maria Verbo incarnato fœta, Deo plena, pergit in montana Judææ cum festinatione, ut Spiritum sanctificationis per suum æternique Patris Filium abunde effundat in Joannem. Dei Matrem imitentur fideles omnes, qui Christum per fidem suis in cordibus conceperunt; imitentur Sacerdotes, qui Christum in animabus pariunt. Deo pleni, qui charitas est, charitatem ipsam, Spiritum Dei transfundere curent in proximos, peccatores quærant ut illis Spiritum afflent sanctitatis, ut eos ad Deum ducant, ut Dei amorem in illis accendant. Nullis difficultatibus a salute proximorum procuranda deterreantur; non tepide, non lente, sed ante zelo & cum festinatione in Dei opere procedant. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.*

S. Amb. l. 2. in Luc. Idem n. 21.

Exurgens Maria, &c. Discant Christianæ mulieres sedulitatem quam prægnantibus & infirmis debeant exhibere cognatis. Discant virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones: Maria in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus, non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat. Nec solum pudorem Mariæ, sed humilitatem discant Virgines. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem; nec solum venit, sed etiam prior salutavit; *Decet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit honorem deferre senioribus; sit magistra humiliatis, in qua est professio castitatis.* Est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem. Hæc eorum qui Christum annuntiant & portant norma sit.

41. *Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Gratiæ suæ primam communicationem per Mariam Virginem Matrem suam Christus operatus est. Tunc primum Mediatrix hominum a Deo per Christum & secundum Christum instituta, Mediatrix (inquam) apud Mediatorem, Mediatrix intercessionis apud Mediatorem redemptionis & propitiationis. Ad ipsam ergo confugiamus, ut ejus patrocinio repleamur Spiritu sancto & gaudio spirituali: *Quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, &c. sic Christus in Ecclesia & Ministris ejus invisibili modo residens, in Animabus sanctificationem earum operatur ministerio verbi cum fide auditi. „ Os Mariæ ministravit Filio Dei, qui in utero ejus erat. Vox Vir-
„ ginis vox erat incarnati in illa Dei, & idcirco etiam
„ Præcursorem in utero gracia prosecutus est, & Pro-
„ phetam fetit ".

S. Bernar. serm. in Nativ. B. V. Mariæ. Theoph. in Luc.

42. *Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ex abundantia cordis os loquitur: Anima Spiritu sancto repleta linguam movit ad Dei laudem. Deum in Maria incarnatum laudat Elisabeth. *Benedicta tu inter mulieres*, benedictione singulari & eximia. Nulla enim mulier sive in veteri, sive in Novo Testamento gratiam habuit uberiorem, virtutes copiosiores, & perfectiores, majora dona, ampliora privilegia quam Virgo Maria. Fons autem gratiarum & benedictionum ejus, fructus ventris ejus. *Dominus* enim *redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

S. Amb. l. 2. in Luc. num. 17.

43. *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Et unde hoc nobis ut Dominus noster veniat ad nos per Incarnationis suæ Mysterium, veniat in nos per Eucharistiæ Sacramentum, per gratiæ suæ beneficium? Nostram indignitatem agnoscamus: humilitate non solum speculativa, sed affectiva nos disponamus ad fructum Incarnationis ejus, & Eucharistiæ, quæ Incarnationis extensio est, capessendum. Sed & Beatæ Mariæ Virginis Matris misericordiæ, nos in nostris necessitatibus spiritualiter visitantis beneficentiam admirati, in laudes ipsius erumpamus, & gratias agamus benedicto fructui ventris ejus Christo Jesu, qui per illam ceu aquæductum de paradiso exeuntem, aquam vivam gratiæ suæ in nos derivat. Dicamus piæ humilitatis affectu: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis quoniam visitas eum? ... Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Psal. 8. 5.

44. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Joannes adhuc in utero Matris positus, Verbi Incarnati per Mariam loquentis auditor est. Nos vero ab eo tempore quo rationis usum attigimus, quoties Christum per gratiæ suæ, per Concionatorum ac Ministrorum suorum voces ad cor nostrum loquentem non audivimus? *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ps. 94. 8.

45. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Beatior quia fide Christum concepit, quam carne; quem & carne propterea concepit, quia Dei Verbo per Angelum nuntiato humiliter credidit. Et nos beati, si crediderimus „ Quæcum-
„ que enim crediderit anima, & concipit & generat Dei
„ Verbum, & opera ejus agnoscit .... Si secundum
„ carnem una mater est Christi; secundum fidem tamen
„ omnium fructus est Christus. Omnis enim anima acci-
„ pit Dei Verbum, si tamen immaculata & immunis a
„ vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat ".

S. Ambros. libr. 2. in Luc. n. 26.

46. 47. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Propriis laudibus non extollitur humilis anima; nullum in se meritum agnoscit: Dei dona in suum refundit Auctorem, totum Deo tribuit, nihil sibi, penitus infixam habens animo illam sancti Martyris & Episcopi Cypriani sententiam: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Ita suos avertit oculos ne videant vanitatem, Dominum in donis suis benedicens. *Magnificat anima mea Dominum.*
„ Sit in singulis Mariæ anima ut magnificet Deum: sit
„ in singulis spiritus Mariæ ut exultet in Deo. Magni-
„ ficatur autem Dominus, non quod humana voce ali-
„ quid Deo possit adjungi, sed quia magnificatur in no-
„ bis. Imago enim Dei Christus est; & ideo quid justum
„ fecerit anima aut religiosum, illam Imaginem Dei,
„ ad cujus est similitudinem creata, magnificat. Et ideo
„ dum magnificat eum, magnitudinis ejus quadam parti-
„ cipatione sublimior fit; ut illam imaginem splendido
„ bonorum colore factorum, & quadam æmulatione vir-
„ tutis in se videatur exprimere. Magnificat autem A-
„ nima Mariæ Dominum, & exultat spiritus ejus in Deo,
„ eo quod & anima & spiritu Patri Filioque devota, u-
„ num Deum ex quo omnia, & unum Dominum per quem
„ omnia, pio veneretur affectu ".

S. Amb. l. 2. in Luc. num. 27.

Magnificemus Dominum affectu, voce, opere, amando, laudando, propter ejus gloriam omnia bona opera quæ ipse in nobis operatur dans velle & perficere, agendo. Magnificet anima nostra Dominum qui ad imaginem suam illam creavit; qui in Adam miserabiliter deformatam mirabilius renovavit. *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* Nemo seipsum magnificet, sed Dominum; a quo omnia bona accepit. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ... Qui gloriatur, in Domino glorie-*

S. Bernar. sermon. in Cant. Magnificat. Ps. 125. 3. 2. Cor. 4. 7. & c. 1. 31.

glorietur. Qui se ipsum magnificavit Lucifer ; quantum in ipso fuit, Deum exhonoravit, ideo non se exaltavit, sed præcipitavit.

Magnificat anima mea Dominum, ejus reverita Majestatem: & *exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*, ejus gustans bonitatem & misericordiam. Ex toto corde, & ex tota voluntate Deum laudo, & de salute quam generi humano præparari nunc video, totis præcordiis exulto. Nunc enim video de me assumi, quod credo pro me debere offerri. Vel certe secundum verborum distinctionem, convenienter animam suam magnificare Dominum, & spiritum suum in Deo salutari suo exultare ait Virgo sanctissima. Sæpe namque in Scripturis per animam affectus quidam & teneritudo mentis designatur: & ideo dum se ex anima magnificare asserit, nequaquam timore servili, sed dilectionis affectu Deum se venerari ostendit: & cum spiritum suum in Deo salutari suo exultare declarat, non esse salvationem hanc significat, de qua caro gaudeat, sed æternam potius & in bonis invisibilibus præparatam, de qua spiritus exultat.

Hugo a S. Victore Tract. in Magnificat.

S. Bern.

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Non in me, sed in Deo meo exultavit spiritus meus, cognitione & amore ipsius fervendo, idque non per me, sed mediante & operante Jesu filio meo, & Salvatore singulariter meo. Omnium quidem & mei conditor est, sed mei solius in temporali generatione sua filius est, & me mediante omnium salus est, quia carnem & sanguinem ex me dignatur assumere, quæ pro salute omnium offerat Patri. Merito in ipso exulto, quia ab ipso est quod exulto: & quia ejus dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto.

A Matre sua discant Christiani in solo Deo & propter solum Deum de donis ejus exultare. Ut enim eos missos faciam qui in carnis voluptate exultant, qui *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*; sunt qui acceptis gratiæ donis abutuntur, & ea quæ propter salutem animæ data sunt, ad cupiditatis usum & gloriam sæculi convertunt: etsi isti a Deo habere videantur unde gaudent, nequaquam tamen in Deo gaudent: quia nec in Deo, nec propter Deum diligunt quod a Deo perceperunt. Qui autem gratia percepta ad amorem Dei convertunt quod ab ipso accipiunt; illi a Deo & in Deo exultant, datorem magis diligentes quam donum. In donis igitur Dei velut in fine quiescere non debemus, nec de ipsis propter ipsa, sed propter Deum & in Deo gaudere; illis non frui, sed uti ut ad Deum perveniamus: illa diligere ut arrhas sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini.

Hugo a S. Victore.

48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Beatam prædicaverat Elisabeth, meritum fidei ejus commendaverat. *Beata* (inquit) *quæ credidisti!* Maria vero in Dei misericordis intuitum suum omne meritum refundit suamque profitetur indignitatem. Non auderet vilis ancilla Domini oculos ad eum levare; nisi ipse prior ad ancillam suam misericordes oculos convertere dignatus esset. Plenitudine gratiarum donata, benedictionibus cumulata, ad incomparabilem Matris Dei evecta dignitatem, firmissima posuit humilitatis fundamenta, ubi tantæ magnitudinis ornamenta firmiter exciperet ac tuto servaret. Omnium enim Dei donorum, gratiarum, ac virtutum custos humilitas. Et tu, Christiane, *Quanto major es, humilia te in omnibus*, exemplo beatissimæ Virginis; quia Dominus *humilia respicit, & alta a longe cognoscit*.

Proverb. 2.

Eccl. 3. 20. Ps. 6.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Omnes electi, non homines solum, sed Angeli, per divinum uteri mei fructum benedicendi omni benedictione spirituali in Cœlestibus, ideo beatam me prædicabunt, quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.

49. 50. *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Quod futurum agnosco ut omnes generationes beatam me prædicent absit ut meis tribuam meritis: totum id Deo acceptum refero, qui magna & mirabilia in me operatus est: nec mirum, cum sit omnipotens; & sanctum sit nomen ejus. Propter nomen suum, non propter meum meritum tam magna mihi dona contulit. Nomen ejus bonitas ejus; nomen ejus sanctitas ejus; nomen ejus misericordia ejus, in me singulari & eximia ratione effusæ ac declaratæ. Adoremus in incarnati verbi Mysterio cum Maria Virgine Dei omnipotentiam, sanctitatem, misericordiam. Omnipotentiam, qua ima summis, hominem Deo in unitate personæ copulavit; ut Deus homo factus sit, ut homo fieret Deus: qua Virginem Filii sui Matrem sine detrimento virginitatis fecit: qua puellam infirmam per se & abjectam elegit, ut serpentis antiqui caput contereret, & fortem armatum debellaret. In eo manifestavit omnipotentiam suam, in quo pro nobis infirmus factus est: quia *quod infirmum est Dei fortius est hominibus*. Laudemus in hoc mysterio Dei sanctitatem, qui ex Virgine & Spiritu sancto corpus Filio suo aptavit, ut in assumpta carne *materiam* haberet *medicaminis*, non *vulnus prævaricationis*. In hoc Mysterio nominis Dei sanctitas singulariter eluxit, quia „ cum in omnibus matribus „ non fiat sine peccati sorde conceptio, *Maria Virgo* in„ de purgationem traxit, unde concepit. Quo enim pa-

S. Augustin. lib. 10. de Genes. ad Lit. c. 10.

„ terni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic „ origo non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam „ nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de Ma„ tre Domini natura, non culpa. Creata est forma servi „ sine conditione servili: quia novus homo sic contempe„ ratus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, „ & vitium excluderet vetustatis. „ Laudemus sanctum Dei nomen in hoc Mysterio, in quo sanctificata est humanitas a Verbo assumpta substantiva Dei sanctitate illam undique immeante, ut *Pontificem* haberemus *sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus*, qui *nobis factus est sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*. Sanctum est in se Dei nomen, & in nobis sanctificatur, dum ipsi in nomine ejus sanctificamur. Fides ejus, cognitio ejus, nomen ejus. Hoc nomen sanctum est, quia glorificatur a sanctis & benedicitur, a perversis blasphematur. *Et nomen Dei per vos blasphematur in gentibus*. Dei ergo, qui magna fecit, nomen sanctificatum est, quia dum Verbum in carne mirabiliter nascitur, gloria Dei per Verbum in hominibus declaratur. *Pater*, inquit, *manifestavi nomen tuum hominibus, & ideo te clarificavi super terram*. Dicamus ergo cum Maria Virgine Deum laudantes: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus*.

S. Leo ser. 21. in Natali Domini 2.

Hebr. 7. 26. 1. Cor. 1.

Rom. 2.

Joan. 17.

Laudemus denique & adoremus Dei misericordiam in Incarnati Verbi mysterio, quam in Mariam primum effudit eximia quadam singularique ratione, cum Salvatoris Matrem effecit, & consequenter in homines universos, quibus Filium suum propitiatorem & victimam dedit pro ipsorum salute sibi offerendam. *Ipse est* enim *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*. Incarnatio proprium bonitatis & misericordiæ opus, quo Pater Filium tradit ut servum redimat, quo Filius se naturæ humanæ intime communicat, & personali substantivaque unione conjungit, quo se ipsum ad miserias & infirmitates nostras inclinat, easque in se suscipit, ut nos sanet; quo carnem & sanguinem pro nobis assumit, ut in pretium nostræ redemptionis impendat: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus*. Misericordiæ porro Domini fructum illi soli percipiunt qui eum timent, non servili timore, sed timore casto & filiali. „ Non est personarum acce„ ptio apud Deum: Judæus & Græcus, Barbarus & Scy„ tha, servus & liber, masculus & femina, in omni „ gente & progenie, si *timet Deum, & operatur justi*„ *tiam, acceptus est illi*. A timore incipitur, ut ad „ amorem perveniatur. Non desperent adhuc timentes „ pro peccatis suis, quia misericordia illius super timen„ tes eum. Misericordia ejus remittit peccata timenti„ bus eum; remissio peccatorum nutrit amorem sitienti„ bus eum: qui autem diligunt eum, nomen ejus agno„ scunt. Amor ipse notitia est; sed quanto adhuc a no„ titia ejus distamus, tanto etiam minus amamus. Si au„ tem nondum illum perfecte amare possumus, quia nec „ perfecte novimus, vel cum amore timeamus. *Qui autem sine amore timet, non filius, sed servus est: & hic timor pœnam habet, non notitiam.* „

1. Joan. 2. 2

Psal. 119. 7.

Coloss. 1. 2.

S. Bern. in Cant. B. V.

51. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. In Verbi Incarnati Mysterio divina potentia maxime eluxit, penes quam solam erat jus & ars & virtus opificii sui redintegrandi. „ Nemo nisi artifex ope„ ris sui potens est: & figulo tantum in argillam suam „ jus est. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, di„ gnatus est ad nostra descendere, nosque suscipere in „ corpore suo, ut reficeret eadem arte, vel potestate qua „ fecerat. „ Rerum creatio tyrocinium dumtaxat (si ita loqui fas est) fuit omnipotentiæ Dei; at in Verbi Incarnatione absolutissimum sui documentum exhibuit, tota erupit; omnia supra naturam molita est: ibi in creatæ naturæ angustias; hic in se ipsam Deitas viam suam quodammodo est experta. „ Quod omnipotens natura potuerit descendere „ ad humilitatem humanitatis, id potestatem magis osten„ dit quam magna & quæ naturam superant miracula. „ Nam quod magnum quippiam & excelsum effectum sit „ a divina virtute, est quodammodo secundum naturam „ & consentaneum. Ad id autem quod est abjectum & „ humile descensus, est quædam insignis & redundans co„ pia potestatis, quæ minime impeditur in iis quæ sunt „ præter naturam. „ Cœlos terrasque condere, ornare, regere, hominem creare, opus est manuum Dei. *Opera manuum tuarum sunt cœli... Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me*. Mysterium vero Incarnationis, & per illud generis humani reparatio, opus est exerti brachii Dei. *Fecit potentiam in brachio suo*.

S. Paulinus Epist. 1. ad Amandum.

S. Greg. Nyss. orat. catechet.

Per primi parentis defectionem suo frustratus consilio videbatur Deus, omnique in homines, quos tot beneficiis sibi adstringere curaverat, & potestate & exspectatione excidisse; Diabolus ex adverso suam propagasse potentiam, divinam irritasse sententiam, nec hominis tantum, sed Dei se victorem extitisse gestiebat. Omnipotentiori ergo consilio auxilioque opus fuit ad victricem potestatem diaboli comprimendam, & ad salutem hominis inexpugnabili præsidio firmandam. „ Omnis dispositio salutis

S. Irenæus lib. 3. cap. 33. „ (*inquit S. Irenæus*) quæ circa hominem fuit, secun-
„ dum placitum fiebat Patris, ut non vinceretur Deus,
„ neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus a Deo
„ fuerat homo ut viveret, hic ammittens vitam læsus
„ a serpente qui depravaverat eum, jam non reverteretur
„ ad vitam, sed in totum projectus esset morti: victus
„ esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem
„ Dei. Sed quoniam Deus invictus & magnanimus est,
„ magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem ho-
„ minis... Per secundum autem hominem alligavit for-
„ tem, & diripuit ejus vasa, & evacuavit mortem, vi-
„ vificans eum hominem qui fuerat mortificatus. "

Hugo a Sancto Victore in Cant. B. Mariæ Virg. *Fecit potentiam in brachio suo.* Brachium ejus, Filius ejus est. Potentiam in brachio suo fecit: quia per id quod factum est in ipso, redemptum est quod factum est ab ipso. *Fecit potentiam*, fecit infirmitatem, & ipsa infirmitas potentia fuit; quia per illam victus est diabolus, & homo de ejus potestate ereptus. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Profundo consilio suo dispersit eos. Profundum erat consilium, ut pro homine Deus homo fieret, & pateretur innocens, ut redimeretur nocens. Tam altum enim consilium diabolus prævidere non poterat. Sed captus est hamo Leviathan, & potentia sapientiaque Dei dispersit superbum. Hoc *Mysterium* est *æternis temporibus tacitum*, hæc *Sapientia Dei in Mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit: Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Deus itaque *fecit potentiam in brachio suo, & dispersit superbos mente cordis sui:* quia per Incarnationem Filii sui & potenter dæmones devicit, & prudenter supplantavit.

Rom. 16. 25. 1. Cor. 2. 7. 8.

S. Bern. in Cant. B. Virg. Mariæ. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Ab initio mundi tam Angeli quam homines superbi dispersi sunt. Projectus est de cœlo draco magnus qui vocatur satanas, Lucifer & Angeli ejus. Qui in unitate veritatis stare noluerunt, in sua vanitate dispersi sunt. Sed & homines superbi qui turrim Babel ædificabant, dispersi sunt, unitate linguæ eorum divisa. Omnis superbus eo ipso quod superbit, dispersus est: Quid enim superbia nisi pulvis in altum sublatus, & in ventum dispersus? *Dispersit superbos mente cordis sui*: Quia ex omni genere superborum quosdam conterit ut in æternum pereant; & quosdam humiliat ut ad vitam redeant.

Hugo a S Victore. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Judæos qui gloriabantur se esse de genere Abraham, & de sua justitia præsumebant, & propterea justitiæ Dei non erant subjecti, abjecit, & per orbem in signum maledictionis dispersit. Per Filium suum scilicet in carne venientem ex operibus Legis neminem justificari posse docuit, sed per fidem quæ ex Deo est. Judæos (inquam) qui opera Legis contra Dei justitiam defendere conati sunt, & humilem Christi adventum superbe contempserunt, a gratia sua, in qua stare videbantur, abjecit; & Gentes peccata sua humiliter confitentes, Deique justitiam præferentes assumpsit.

Jonæ 3. 2. Reg. 6. 3. Reg. 12. 52. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Pravos Angelos e cœlo dejecit: humiles homines ad eorum sedes implendas elegit. Deposuit potentes de sede, quando pervenit sermo ad Regem Ninive, hoc est, usque ad Imperatores hujus sæculi, & descendit de solio suo indutus sacco & cinere, & humiliavit se ut iram Dei placaret. Deposuit Saul & exaltavit David. Deposuit & superbum Achab de sede: *Nonne*, inquit, *vidisti humiliatum Achab coram me?* Sed quia in humilitate non permansit, ideo non exaltavit humilem, sed superbum damnavit. Deponit etiam quotidie potentes hujus sæculi; alios quidem ad supplicium æternum, alios ad humilitatis regnum.

S. Bern.

Rom. 9. Rom. 11. Habet in manu sua stateram suam, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Cur autem hunc depositum damnat, & hunc repositum salvat, *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ* ipsius est: quia *incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Unum scire licet: *Si non humiliamur, non salvamur.*

53. *Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.* Eos qui in hac vita esuriunt & sitiunt justitiam, verbis bonis, id est, Spiritus sancti donis implet, eos in Regno suo ad mensam suam Angelorum pane, id est, sui ipsius æterna contemplatione & possessione satiaturus. Esurientes implentur, non fastidientes; pauperes saturantur, id est, qui se vero bono, Dei gratia indigere cognoscunt; divites, id est, qui superbi sunt & elati, & se præ aliis gratiarum donis abundare existimant, dimittuntur inanes. Sicut ergo humiles modeste de se sentiendo majorem gratiam merentur accipere: ita superbi de se præsumendo; ea quæ acceperant, justo Dei judicio amittunt. *Numquam ergo tibi plenus & dives videaris, ne inanis & vacuus dimittaris.* Dic semper Domino Deo tuo: *Egenus & pauper sum ego.* Alioqui dicet tibi Dominus: *Quia dicis: Quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus, & nudus.*

S. Bern.

Psalm. 69. Apocal. 3. 17. 54. 55. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula.* Suscepit Israel servum suum, de terra longinqua venientem, laboribus & ærumnis fatigatum, jam ad videndum faciem Patris suspirantem. Suscepit nutriendum, perficiendum, & usque ad faciem suam perducendum. Suscepit naturam, suscepit negotium ejus, suscepit Pater Filium suum, suscepit in Filio puerum suum, id est, totum corpus ejus, a primo justo usque ad novissimum. Suscepit hominem, sicut medicus ægrum, ut sanaret infirmum, ut redimeret captivum, ut justificaret impium, ut salvaret justum: *Recordatus misericordiæ suæ*, quam olim promiserat, diu distulerat, tandemque promissionum suarum memor exhibebat in plenitudine temporis mittens Filium suum *natum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Causa vero quare suscepit, sola misericordia ejus est, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. Humana hic merita conticescant.

S. Bern. Galat. 4. 4.

57. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, &c.* Elisabeth Ecclesiæ typus, quæ cum sterilis esset, pariendi virtutem aperto Christi latere in cruce accepit. Apertum est latus Christi morientis, & fluxerunt Sacramenta Ecclesiæ militantis. Multos deinceps filios per baptismum peperit. Hinc Angelorum gratulatio. Isaiæ 54. „ Lauda sterilis, quæ non paris: decanta laudem
„ & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ
„ magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Et
„ c. 60. 4. Leva in circuitu oculos tuos & vide: omnes
„ isti congregati sunt, venerunt tibi: Filii tui de longe
„ venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis,
„ & affluës; & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, &c. "

Cum anima prius sterilis, per gratiam Dei fœcundata, bona opera parit, ipsi justi omnes gratulari debent. Bonum namque unius membri alia membra suum per charitatem censere debent, ac de eo in commune lætari, quia uno corpore continentur, cujus caput Christus est; uno Spiritu vegetantur. *Si amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo. Tollam invidiam, & meum est quod habes. Livor separat, charitas jungit.* Bonorum operum editio, salutis fructus, animæ sterili datur ex mera Dei misericordia. *Audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.*

S. Au. Tr. 32. Joann.

Octavo die venerunt circumcidere puerum. Christiani quamvis justi sint, Pœnitentiæ tamen Sacramentum negligere non debent; spiritalem circumcisionem in se ipsis per quotidianam pœnitentiam, & mortificationem cupiditatum debent exercere. Quæ circumcisio perfecte non adimplebitur nisi die octavo, id est, in resurrectione, cum Deus gloriosam sibi Ecclesiam exhibebit, sine macula & ruga; nullumque amplius peccatum committetur, nulla cupiditas, nullus superfluus aut vitiosus affectus resecandus remanebit: & *Nomen Dei & Agni erit in frontibus eorum*, qui scripti sunt in libro vitæ.

Ephes. 5.

63. *Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.* Qui gratiæ Auctorem, misericordiæ victimam, Agnum Dei qui tollit peccatum mundi debebat indigitare, qui tempus Legis claudere & gratiæ tempus incipere; qui *Regnum Dei, & pœnitentiam prædicare* debebat, convenienter vocatus est Joannes, quod nomen gratiam & misericordiam significat. In Evangelico Prædicatore omnia gratiam spirare, omnia virtutem indicare debent. Non veteris hominis Adam illius terreni nomen & affectus præ se ferre debet; sed novi hominis, secundi Adam, de cœlo Cœlestis.

Apoc. 22

Mirati sunt universi nominis novitatem & mysterium, utriusque parentis in illius impositione consensum propheticum. Ante adventum Christi novum videbatur gratiæ nomen, *Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.* Nam *Lex per Moysen data est: Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, cujus Joannes præco missus est & testis.

Joan. 1. 17.

Mater contradicit & repugnat cognatis & vicinis suggerentibus ut filius patris sui nomine vocetur Zacharias, & ait: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes.* Sæculi prudentiam consulere, vocem carnalium hominum audire parentes non debent, cum de statu, conditione, seu professione filiis eligenda agitur; sed Dei vocatio consulenda, voluntas Dei exquirenda est. Non quod secundum naturam, aut familiæ utilitatem, sed quod secundum gratiam convenientius est, & ad salutem æternam conducibilius, præeligendum est, ac præponendum. Hac in re, sicut & in educatione sancta filiorum, pater & mater consentiant, ut Deum promereantur, & hominibus admirationem moveant. Eccli 25. 1. 2. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.*

64. *Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Dona Dei in ejus laudem convertenda sunt. Accepta gratia, bono opere edito, statim os aperiendum, lingua ad gratiarum actionem solvenda est. Zacharias typus peccatoris pœnitentis, cui gratia & misericordia Dei succurrit, auditumque interiorem restituit, & os aperit ad confessionem peccati. Ut primum autem gratia in ejus anima orta est, gratias Deo liberatori

suo

suo agat. *Et loquebatur benedicens Deum.* Zachariæ linguam fides solvit. *Credamus & nos, ut loquamur: ut lingua nostra quæ incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce solvatur: scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui: scribamus prænuntium Christi non in tabulis lapideis; sed in tabulis cordis carnalibus.* Gratiam loquamur, loquamur Christum: *Credidi propter quod locutus sum.*

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 32

Psal. 111. 1.

66. *Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes, Quis putas puer iste erit?* Quis Joannes? Quæstioni respondet Angelus. *Erit magnus coram Domino:* Respondet pater: Propheta: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Respondet Joannes: *Ego vox clamantis in deserto.* Respondet Christus: *Plus quam Propheta.* Angelus, Præcursor Domini sui. *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te.* Angeli responsio vitæ sanctimoniam, ex qua vera magnitudo apud Deum æstimatur, significat. Responsio Zachariæ, sapientiæ, divinique luminis in Joanne perfectionem. Responsio Joannis, ejus humilitatem probat. Responsio Christi, demonstrat celsitudinem Ministerii quod Joanni commissum est.

Matt. 11.

67. 68. *Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 33.

„ Vide (inquit S. Ambrosius) quam bonus Deus; & facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed „ etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat; „ hæc enim Dei gratia maxima quod eum qui negaverant, „ confitentur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius „ delictorum præmia divina desperet. „ *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

69. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ*, &c. Gratias agit Deo Zacharias ob publicum Incarnationis Christi, & redemptionis omnium hominum per ipsum beneficium. Benedictus *Dominus* omnium, jure possessionis; *Deus* omnium, jure creationis; *Deus Israel*, jure singularis protectionis & beneficentiæ. *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & creavit te?* Dominum timeamus, Deum honoremus, colamus, adoremus, Domini Deique nostri mandatis obediamus. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Benedictus quia visitavit plebem suam infirmam, redemit captivam, exaltavit abjectam, liberavit oppressam. „ Fidelis sermo „ & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit „ in mundum peccatores salvos facere, quorum primus „ ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, „ nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Si venit de cœlo „ magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est. „ DOMINE, quid est homo, quod memor es ejus, aut „ filius hominis quoniam visitas eum? „

Deut. 33. 2.

Malach. 1. 6.

S. August. Serm. 175. alias 9. de Verbis Apostoli.

2. Petr. 1. Non solum infirmos visitavit & curavit Christus Dominus cœlestis Medicus, sed captivos redemit, *non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine suo.* Fecit redemptionem copiosam plebi suæ; non Judæis tantum, sed omnibus gentibus, quas plebem suam fecit, cum antea non essent. *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit: In loco ubi dictum est eis: Non plebs mea non vos, ibi vocabantur filii Dei.* Sic redempti nostri non sumus, sed Christi qui nos redemit. Nos illi totos debemus. *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno.*

Osee 2. 24. Rom. 9. 25. 26.

1. Cor. 6. 20.

Benedictus Dominus, qui Christum Jesum potentem Salvatorem nobis dedit, *Mediatorem Dei & hominum*, qui *traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram*: & utroque passionis & resurrectionis suæ Mysterio firmam nobis salutem peperit. *Et erexit cornu salutis nobis.* Exaltatione porro sua in gloria, nos prius ob peccata abjectos exaltavit, in possessionem suam ac hæreditatem nos accipiens, regnum suum in præsenti nos faciens, ut cum illo in æternum regnemus. „ Ego „ autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem „ sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit „ ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula „ a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. „ At salutem extra demum David, id est, extra Ecclesiam Christi consequi non possumus. In hac enim *erexit cornu salutis nobis*, QUI *factus est ex semine David secundum carnem.*

Rom. 4. 25.

Ps. 2. 6. 7. 8. Act. 13. 33.

70. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus.* Quod veteribus typis seu figuris, & vaticiniis delineavit ac prænunciavit Deus de Messia, Salvatore ac Redemptore populi sui & omnium gentium, jam tandem exhibuit, *Fidelis in omnibus verbis suis.* Adimplevit quod ab initio sæculi promisit per os sanctorum, qui factis aut verbis de Christo prophetaverunt uno Spiritu, summaque consensione, & quasi uno ore: *Per os sanctorum qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.* Falsorum scilicet Prophetarum ora varia & diversa, quia mendacia; Prophetarum vero sanctorum unum os, quia per eos loquitur Dominus. Unde Isaiæ 30. 2. Judæos increpans quod a Prophetis sanctis consilium non exquisivissent: *Os mecum* (inquit) *non interrogastis.* Vetus omne Testamentum, Prophetia novi.

Rom. 1.

Natal. Alex. In Evang.

71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Christus Salvator nos ab inimicis nostris liberavit, a diabolo, morte, peccato; quos inter magis timendum peccatum est, cum diabolus sit extra nos, mors in carne, peccatum in anima & voluntate. „ Et vos cum „ mortuis essetis in delictis & præputio carnis vestræ, „ convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: „ delens quod adversus nos erat chirographum decreti, „ quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, „ affigens illud cruci: & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in „ semetipso. „ Gratias igitur agamus Deo Patri, *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum; & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Gratias agamus Filio, qui ad hoc venit in mundum, *ut dissolvat opera diaboli*, ut inimicam mortem novissime destruat, quam absorpsit in victoria per gloriosam resurrectionem suam; ut denique nos abluat a peccatis nostris in sanguine suo.

Coloss. 2. 13. 14.

Coloss. 1. 13. 14.

1. Joan. 3. 5

72. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Ex mera misericordia promissus est patribus Christus Redemptor, liberator, & mediator; ex mera misericordia datus est: ex mera denique misericordia incarnationis ejus & Redemptionis per ipsum factæ virtus nobis applicatur. „ Cum au„ tem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri „ Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed „ secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per la„ vacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti „ quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salva„ torem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes si„ mus secundum spem vitæ æternæ. MISERENDI nostri „ causam Deus nisi in sua bonitate non habuit: & mi„ rabilior est secunda hominum generatio, quam prima „ conditio; quia plus est in novissimis seculis reparasse „ Deum quod perierat, quam a principio fecisse quod „ non erat. Libertatem itaque innocentiæ naturalis, „ quam primorum parentum prævaricatione perdidimus, „ nulla per se sanctorum præcedentium merita recepe„ runt: quia lata in transgressores sententia, omnem pro„ geniem captivæ posteritatis obstrinxit, & nemo extitit „ exors a damnatione, quia nullus fuit liber a crimine. „ Sed redemptio Salvatoris destruens opus diaboli, & „ rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis suæ dispo„ suit sacramentum, ut usque ad consummationem qui„ dem mundi præfinita generationum plenitudo decurre„ ret, sed renovatio originis per justificationem indiffere„ tæ fidei ad omnia retro sæcula pertineret. Incarnatio „ quippe Verbi, & occisio ac resurrectio Christi, univer„ sorum fidelium salus facta est, & sanguis unius Justi, „ quem nobis Pater donavit, qui eum pro reconciliatio„ ne mundi credimus fusum, hoc contulit patribus, qui „ similiter credidere fundendum. „

Tit. 3. 4. 5.

S. Leo ser. 62. de Pass. Dom. 13.

73. *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Promissiones suas juramento firmare dignatus est Deus, per semetipsum jurans. Felices nos, quorum causa Deus jurat! Væ nobis, si nec Deo juranti credamus! Credidit Abraham Dei promissionibus quamvis post viginti centurias annorum adimplendis: & sunt adhuc qui non credant adimpletis, ac miraculorum auctoritate, tot sæculorum fide confirmatis, dicente Domino, *Cum exaltatus fuero, omnia trahum ad me.* Nihil legalium institutionum, nihil Propheticarum resedit figurarum, quod non totum in Christi sacramenta transierit. „ Nobiscum est signaculum circumcisionis, sanctificatio chris„ matum, consecratio sacerdotum. Nobiscum puritas sacri„ ficii, Baptismi veritas, honor templi, ut merito cessarint „ nuncii, postquam nunciata venerunt. Nec vacuatur reve„ rentia promissionum, quia plenitudo manifestata est gra„ tiarum. „ Verum quia sicut ait Apostolus, *Cæcitas ex parte Israel facta est: nec qui filii carnis, ii filii sunt promissionis*: ineffabilis misericordia Dei Israeliticum sibi populum in omnibus nationibus fecit, & saxeo illo Gentilium cordium rigore mollito, veros Abrahæ filios de lapidibus excitavit; ut conclusis omnibus sub peccato, qui carne nati sunt, spiritu renascantur: nec interfit quo patre sit quisque genitus cum per indiscretam unius fidei confessionem, & fons baptismatis faciat innocentes, & electio adoptionis confirmet hæredes. Sic *jus jurandum* adimpletur, *quod* Deus *juravit ad Abraham patrem nostrum*, omniumque credentium, *daturum se nobis.*

S. Leo. Rom. 11. 25. Rom. 9. 39

74. 75. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi: In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Hic incarnationis Filii Dei finis ac fructus est, ut ab inimicorum salutis nostræ jugo & tyrannide liberati, a servitute scilicet peccati & dæmonis, per gratiam Jesu Christi, Deo serviamus *sine timore*, qui *spiritus* est *servitutis*: sed in dilectione & charitate,

Psalm. 144

qui *spiritus* est *adoptionis filiorum*. Hæc enim *brevissima*
Rom. 8. 15. & *apertissima differentia duorum testamentorum, timor &*
S. Aug. lib. *amor: illud ad hominem veterem, hoc ad novum homi-*
contr. Adi- *nem pertinet*. Amore casto, non timore servili sit ut Deo
mant. c. 17. serviamus sanctitate vera, interiore, spirituali, mundo corde, puro corpore: *in sanctitate*: neminem in negotio circumvenientes, nemini facientes injuriam, non malum pro malo reddentes, sed diligentes sicut Christus dilexit nos; & unicuique quod suum est reddentes: *& justitia*; non quæstum specie pietatis quærentes, non gloriam ab hominibus desiderantes & captantes, sed recta sinceraque intentione, oculo simplici unius Dei intuitu, utque ipsi placeamus: *coram ipso*: non per vices, ad tempus, certisque diebus, vitam nostram Deum inter & mundum dividentes; sed perpetuo, sine intermissione, perseveranter: *Omnibus diebus nostris*. Hæc vitæ Christianæ officia paucis etiam verbis complectitur Apostolus. *Apparuit gratia*
Tit. 2. 11. *Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos,*
12. 13. *ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo*; sobrie scilicet respectu nostri; juste, respectu proximi; pie, respectu Dei: in bono usque ad finem vitæ nostræ perseverando: *Exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*.

76. 77. *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum*. Gratiæ Deo agendæ & ob publica, & ob privata beneficia, exemplo Zachariæ. *Et tu puer*, cujus ortum mihi dum sacris operarer in Templo nunciavit Angelus, qui miraculo conceptus, in matris utero sanctificatus, cum publico gaudio natus divino omine a gratia Joannes appellatus, *Propheta Altissimi vocaberis*, præsentem indigitans Salvatorem, quem priores Prophetæ, de quibus scriptum est, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, venturum prædixerunt. *Præibis enim ante faciem Domini*, Præcursor eris Christi, qui & *Dominus & Altissimus* est, ad parandum *vias ejus*. Viam scilicet misericordiæ, qua Deus venit ad nos; & viam pœnitentiæ qua imus ad Deum, Joannes paravit Baptismo suo, prædicatione Pœnitentiæ, Regni cœlorum annuntiatione, conversationis seu vitæ severioris austeritate. Ad hoc exemplar se conforment Concionatores Evangelici, & Directores seu Moderatores conscientiarum, quorum officium ac ministerium est vias Domini in Animabus parare.

2. Cor. 4. 5. Ministerii vero ipsorum, sicut & S. Joannis fructus est, 1. hominibus Christum prædicare, non se ipsos. *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum*. 2. Illos præparare ut scientiam salutis a Christo
S. August. accipiant, qui interioris hominis oculos solos illuminat.
contra Ep. Scientia enim salutis non ex hominibus est, sed ex Deo,
Fundamenti c. 36. per Jesum Christum Salvatorem nostrum. „ Per homi„ nem commemoratio aliqua signis verborum fieri potest; „ docet autem unus verus Magister, ipsa incorruptibilis „ Veritas, solus Magister interior. Qui etiam exterior fa„ ctus est, ut nos ab exterioribus ad interiora revocaret; „ & formam servi accipiens, ut ejus sublimitas surgenti„ bus innotesceret, jacentibus humilis apparere dignatus „ est (*ait S. Augustinus*). Si enim (*ut alibi scribit*)
Idem l. 11. „ natura nostra esset a nobis, profecto & nostram nos ge„ nuissemus sapientiam, nec eam doctrina, id est, aliun„ de discendo percipere curaremus; & noster amor a no„ bis profectus, & ad nos relatus, ad beate vivendum
de Civit. Dei c. 25. „ sufficeret; nec bono alio quo frueretur ullo, indigeret. „ Nunc vero quia natura nostra ut esset Deum habet Auctorem, proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus ha„ bere doctorem; ipsum etiam, ut beati simus, suavitatis „ intimæ largitorem.„ Scientia salutis haberi sine fide non potest, quam fundaturus Filius Dei carnem assumpsit, & homines docuit, eamdemque per gratiam suam eorum
S. August. mentibus instillat. „ Quia ipse mens, cui ratio & intelli„ gentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis &
cap. 2. e „ veteribus invalida est non solum ad inhærendum fruenjusdem libri. „ do, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen, „ donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantæ „ felicitatis capax: fide primum fuerat imbuenda atque „ purganda. In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, „ ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non ta„ men Deo consumpto, eamdem constituit atque fundavit „ fidem; ut ad Deum iter esset homini per hominem „ Deum. „ Ad scientiam igitur salutis a Christo recipiendam præparare Præcursor, Concionator, Director potest; scientiam salutis dare non potest. *Non doctor, neque Di*
2. Cor. 1. 24. *scipulus, sed gratia sola*. Id Christi beneficium, *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Scientiam illam salutis, heu quam pauci habent! Quam pauci ad eam a Christo obtinendam se præparant, Concionatores Evangelicos, & doctos pioque Directores frequenter & obedienter audiendo! Scientiam prudentiamque sæculi, carnalem, diabolicam multi habent; pauci sapientiam desursum descendentem a Patre luminum. Eccur? Quia scientiam salutis non habent nisi qui Christi sunt. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum*. Ejusdem est scientiam salutis, & remissionem peccatorum dare, Dei & Domini nostri Jesu Christi: Concionatores & Directores Ministri sunt dumtaxat Evangelii & reconciliationis. Remissionem peccatorum Joannes non dabat, sed ad eam per Christum recipiendam homines præparabat. „ Agebatur baptismus pœ„ nitentiæ, quasi candidatus remissionis & sanctificationis *Tertull. l.*
„ in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat bapti- *de Baptis-*
„ smum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futu- *mo c. 10.*
„ ram remissionem enunciatum est. Siquidem pœnitentia „ antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præ„ parare: Qui autem præparat, non idem ipse perficit, „ sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non „ esse cœlestia, sed Christi, dicendo: *QUI* de terra est, „ de terra loquitur: Qui de supernis venit, super omnes „ est. Item in sola se pœnitentia tingere, venturum „ mox qui tingeret in Spiritu & igne. „

78. 79. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Incarnatio, ceteraque Christi Mysteria: prima quæ mentibus nostris affulget fidei lux, & omnium gratiarum, quæ salutem nostram operantur, con- *Ephes. 2.*
catenatio, effectus sunt misericordiæ Dei, „ qui cum sit „ dives in misericordia, propter nimiam charitatem suam „ qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, con„ vivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati) & „ conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus: ut „ ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias „ gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia „ enim estis salvati per fidem, & hoc non ex nobis: Dei „ enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. “

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, &c. Sol justitiæ, oriens ex alto, Filius Dei nos visitavit assumpta carne, 1. Ut ignorantiæ, peccati, mortisque tenebras dispelleret. Ipse enim lux mundi est, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 2. Ut corda nostra & affectus ad Deum dirigeret, via nostra factus. *Ego sum via, veritas & vita*. Viam veritatis, viam justitiæ, viam rectam, viam novam, viam sanctorum, non solum nobis ostendens, sed *Joan. 1.*
in ea nos dirigens & ducens, ne aberremus; nos ad- *Joan. 14. 6.*
juvans & roborans, ne deficiamus. *Ad dirigendos pedes nostros*. Dicamus ergo cum Davide: *Exspectans exspe- Ps. 39. 1. 2.*
ctavi Dominum, & intendit mihi: Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. 3. Visitavit nos Dei Filius Incarnatione sua, ut pacem evangelicam nobis daret per Spiritum sanctum, & ad pacem æternæ beatitudinis nos perduceret; ad quam tendimus & quam prægustamus per gratiam ejus cor nostrum Deo subjicientem ad observantiam mandatorum ejus: & corpus animæ per mortificationem sanctam membrorum nostrorum. „ Qua- *S. Aug. En-*
„ tuor status hominis, ante legem, sub lege, in gratia, *chir. c. 118.*
„ & in pace. Primus est, cum in altissimis ignoran„ tiæ tenebris nulla resistente ratione secundum carnem „ vivitur. Secundus, cum per legem facta cognitione „ peccati, & divino Spiritu nondum adjuvante, secun„ dum legem volens vivere vincitur, & sciens peccat, „ peccatoque subditus servit: id agente scientia manda„ ti, ut peccatum operetur in homine omnem concu„ piscentiam, cumulo prævaricationis adjecto, atque „ ita quod scriptum est impleatur; *Lex subintravit ut*
„ *abundaret delictum*. Tertius, cum respiciente Deo, *Rom. 5. 20.*
„ & ad implenda quæ mandat adjuvante, spiritus ho„ minis, qui Dei Spiritu agitur, concupiscit adversus „ carnem fortiori robore charitatis; ut quamvis ad„ huc sit quod homini repugnet ex homine, nondum „ tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, ju„ steque vivat, in quantum non cedit malæ concupi„ scentiæ, vincente delectatione justitiæ. In hoc sta„ tu si pia perseverantia quisque proficiat, postrema pax „ restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, de„ inde in resurrectione etiam carnis implebitur. A pri„ mo & secundo statu Christus nos eduxit magisterio suo „ & adjutorio, doctrina Evangelica & gratia. Illumi„ nare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. „ *In tertio statu nos constituit*. Lex *enim* per Moysen *Joan. 1.*
„ data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta *Rom. 6.*
„ est. *Unde Apostolus*. Non sumus sub lege, sed sub *14. 22.*
„ gratia .... Nunc vero liberati a peccato, servi au„ tem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctifica„ tionem, finem vero vitam æternam. “ In vita autem æterna summa pax est & perpetua, quæ quartus est status, ad quem Christus nos dirigit & perducit. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, Heu! quam ingrati sunt homines Verbi incarnati visitationi & misericordiæ! quam rebelles lumini! *Dilexerunt magis tenebras quam lu- Joan. 3. 19.*
cem; exurgere a mortuis nolunt ut eos Christus illuminet: dirigentem in viam rectam sequi contemnunt: & *viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum*.

80. *Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu: & erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Psalm. 13.*
Israel:

Israel. Joannem imitetur Prædicator pœnitentiæ: hoc modo se disponat ad sacrum verbi ministerium obeundum. In pietate & charitate crescat, oratione & virtutum exercitationibus proficere satagat, donec vir factus in vita spirituali, evacuaverit quæ erant parvuli. *Puer autem crescebat*. Scripturæ sacræ, & SS. Patrum assidua lectione ac studio scientia ejus zelusque roborentur, ne conceptus inanes & steriles, & verborum exquisitorum fumos effundat, non panem frangat esurientibus animabus. Spiritum Dei, scientiam & veras regulas Christianæ vitæ ac salutis ex sacris Codicibus & sanctorum Doctorum operibus hauriat. *Et confortabatur Spiritu*. In sacro secessu, ac silentio maneat, ab hominum secundum sæculum viventium societate (Quantum fieri potest) & moribus alienus ac remotus, ante pœnitentiam agens quam prædicans. *Et erat in desertis*. Non se ingerat, non propria electione, aut præcipiti zelo prosiliat ad sacrum verbi ministerium, sed Dei vocationem, & Episcopi sui mandatum exspectet. *Usque ad diem ostensionis suæ ad Israel*. CARO infirma. *Confortanda est itaque spiritu*. Spiritus enim promptus est. *Multi confortantur carne: Athleta spiritu roborandus est, ut sapientiam carnis elidat. Unde*
Origenes Homil. 11. *recessit fugiens tumultum urbium, populi frequentiam: Erat in desertis, ubi familiarior Deus.*

CAPUT II.

Sensus Litteralis.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Paulo post Joannis nativitatem, Cæsar Augustus Edicto promulgato jussit ut census per totum orbem Romanum ageretur, tam capitum, quam facultatum uniuscujusque. Eo autem pertinebat universalis ille census, ut nosset Imperii vires, subditorum omnium, etiam feminarum ac puerorum nominibus & facultatibus in publicas tabulas relatis, quæ in Archivis Imperii asservabantur. Censum ter egit Octavianus Augustus. Primum ac tertium cum Collega, medium solus. Primum cum M. Agrippa; tertium cum Tiberio; medium qui hic commemoratur, solus. Hunc autem imperando censum divinæ providentiæ consilio ac decreto nesciens serviebat Augustus. Sic enim ab æterno Deus constituerat, ut Prophetiarum exitus & adimpletio de Christi Jesu nativitate in Bethleem Juda ex tabulis ipsis censualibus probari posset.

Sueton. in Octavian. cap. 27. S. Justinus Martyr. Apol. ad Anton. Pium p. 75. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 7. & 19.

2. *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*. Secundum Græcum Textum præpositio a redundat, quam Versiones Syriaca, Persica, Æthiopica, Arabica pariter omittunt. *Prima* hæc fuit totius Imperii Romani *descriptio* universalis; numquam enim antehac ita pacatum fuit ut census universalis peragi posset: vel *prima* quam Romani in Judæa egerint, ut S. Justinus Martyr in *Dial. adversus Tryphonem* interpretatur. Præfuit autem census negotio Cyrinus, seu Quirinus vir Consularis cum extraordinaria potestate ab Augusto missus, cui adjunctum Sentium Saturninum tunc Syriæ Præsidem publicæ census tabulæ a Tertulliano citatæ probant. Duplicem a Quirino Censum peractum Viri quidam Eruditi observant; primum sub Herode Magno, alterum Archelao relegato: illum pacifice peractum; istum seditionis occasionem fuisse Juda Gaulonita factæ, negantibus seditiosis tributum alienigenis, quales erant Romani, salva religione persolvi posse. Primum a Quirino extra ordinem delegato; alterum ab eodem Præside Syriæ peractum. Primi sanctum Lucam;
Joseph. lib. 18. Antiq. c. 1. alterius Josephum meminisse. *Hæc* itaque *descriptio prima facta est* a Quirino, qui postea Syriæ Præses fuit. Hoc autem sensu commonebantur Judæi, sceptrum a Juda defecisse, cum & Herodi alienigenæ, & Augusto Cæsari, & Quirino ad censum peragendum extra ordinem Syriæ Præfecto vel inviti subessent.

3. *Et ibant omnes ut profiterentur: singuli in suam civitatem*. Et omnes se conferebant in civitatem quæ familiæ illorum caput erat, & ad quam ratione originis pertinebant, ut nomina sua ac familias darent, & publice apud Acta denunciarent, simul ac facultates; atque ita suam Romano Imperio subjectionem profiterentur. Romani scilicet in singulis Provinciis morem censendi antiquitus ibi usurpatum servarunt: Judæorum autem mos erat ut census fieret per Tribus & familias.

4. 5. *Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. Joseph ex Nazareth Galilææ civitate, in qua habitabat, profectus est in Judæam, in Bethleem Davidis gentilem civitatem, eo quod ex domo & familia David esset oriundus: ut cum Maria uxore sua gravida, tametsi intacta, nomen daret. Joseph enim & Sponsa castissima ex eadem tribu, ex eademque Davidis Regis stirpe erant.

S. August. lib. 4. de Trinit. c. 5. 6. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies* naturales & legitimi, *ut pareret*: novem (inquam) menses & sex dies, ab octavo Kalendas Aprilis quo conceptus creditur Christus Jesus, ad octavum Kalendas Januarias quo natus, computati, *sicut a majoribus tradituum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas*.

7. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio*. Peperit Virgo, inviolato virginitatis signaculo, sine dolore, libera a maledictione Evæ; enixa est sine ope obstetricis *filium suum primogenitum*, & unigenitum, quem Evangelista primogenitum appellat, id est, nascendi ordine primum, ante quem nullum alium genuerat, quamvis nec alium postea genuerit Virgo perpetua. Et pannis sive fasciis eum involvit, ut recens natis infantibus fieri solet. *Et reclinavit eum in præsepio*. In spelunca Bethleemo vicina, sive in suburbio Bethleemi sita, ad quam Pastores agere pecora sua soliti essent, sanctissima Virgo filium suum peperit, & pannis involutum reclinavit in præsepio: quia nullam invenire poterat domum in qua hospitarentur, tum ob turbam hospitum, cum ob paupertatem odiosam, & partum imminentem.

S. Hieron. cont. Helvid. S. Justin. dial. cont. Tryph. p. 304. Orig. l. 1. contr. Celsum. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ. Euseb. lib. 7. Demon. Evang. c. 5. S. Epiph. Hær. 20.

8. 9. *Et Pastores erant in regione eadem*, ubi Turris Ader (id est, Gregis) *Vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*, sub dio excubantes ad curam gregis: *& ecce Angelus Domini stetit juxta illos*, illis vigilantibus cælitus apparuit: *& claritas Dei circumfulsit illos*: Splendor eximius circum illos cœlo fulsit, quo & noctis tenebræ dispellerentur, & divinitus missum nuntium intelligerent: *& timuerunt timore magno*: quæ hominum infirmitas est, ad subitas Angelorum apparitiones attonitorum.

Pastores in regionibus calidis hyeme pernoctare & stabulare in agris mos est: unde contra Natale Domini mense Decembri frustra hunc argumentum ducunt Scaliger & Grotius. Isai. 62. 11. Zach. 9. 9. Micheæ. 5. 2. Psal. 134. 11.

10. *Et dixit illis Angelus*: *Nolite timere*: *ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum*, seu gaudii magni objectum vobis annuncio, quod non ad vos tantum privatim, sed ad omnem populum Israel spectat: *Quod erit omni populo*.

11. *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David*. Vobis Israelitis natus est Salvator a Deo per Prophetas promissus, tamdiu desideratus & exspectatus, verus messias, Dominus & Deus vester, *in civitate David*, Bethleem, ut prædixit Michæas, & ut palam innotescat hunc esse ex genere Davidis, cui facta promissio est.

12. *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*. Hoc signum habete, quo Salvatorem Israeli promissum, & hac hora Bethleemi natum internoscetis: invenietis illum fasciis puerilibus involutum, & in præsepi jacentem. Angelum Pastoribus locum designasse credibile est, Sanctum Lucam vero omnia Angeli verba non retulisse, sed ea tantum in quibus aliquid esset mysterii; vel Pastores interno Spiritus sancti afflatu ductuque cognovisse locum in quo natus erat & positus Deus infans.

Num quid non est numerus militum ejus? Job. 25. 5. Anputas quia non possum rogare Patrem & exhibebit mihi modo plus quam duodecim Legiones Angelorum? Matt. 26. 53.

13. 14. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et subito magna sanctorum Angelorum multitudo se adjunxit Gabrieli tam faustum nuncium Pastoribus revelanti. Huic autem cœlestium spirituum multitudini militiæ nomen datur, ob ingentem numerum; ob præclaram Hierarchiarum & Ordinum dispositionem; ob potentiam & virtutem, qua ad nutum Dei summi Imperatoris, *Domini virtutum*, *Domini exercituum*, hostes visibiles vel invisibiles, dæmones scilicet debellant. Deum autem hunc in modum laudabant ob collatum humano generi Incarnationis & Nativitatis Christi Domini Salvatoris nostri beneficium: *Gloria in altissimis Deo*: Laus, honor, gratiarum actio Deo debetur: ejus itaque potentiam, sapientiam, bonitatem, cœlestes omnes Ordines concelebrent, quæ in hoc nati Salvatoris hominum mysterio maxime promicant: *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, hominibus quos Deus dilexit, & in quibus sibi ab æterno complacuit. *Pax* enim illa cœlestis, reconciliatio cum Deo, & salus per Incarnationem Filii Dei & secuta mysteria, quam Angeli hominibus exoptant, non ex meritis hominum, sed ex gratuita Dei benignitate & misericordia provenit. *Pax hominibus bonæ voluntatis*, a Deo secundum propositum bonæ voluntatis suæ vocatis & electis. Ad electos enim Incarnationis & sequentium mysteriorum fructus imprimis & præcipue derivatur. *Pax hominibus bonæ voluntatis*; qui bonam voluntatem habent, sinceris fidelibus, Deo gratis & probatis, quod totum est divinæ misericordiæ, divini erga homines amoris, gratiæque munus. Confer cum Apostoli verbis ad Ephesios c. 1. 3. 4. & seq. „ Benedictus Deus & pater „ Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus „ sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. „ Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis „ suæ; in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, „ secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in „ nobis, in omni sapientia & prudentia: ut notum fa-

„ ceret

„ ceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum be-
„ neplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatio-
„ ne plenitudinis temporum, instaurare omnia in Chri-
„ sto, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso : in
„ quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati se-
„ cundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum
„ consilium voluntatis suæ. "

15. *Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum*, statim atque peracta functione se receperunt in cœlum, unde missi a Deo fuerant, & ubi coram ejus adoranda Majestate perenniter adsistunt illum videntes, & amantes & laudantes : *Pastores loquebantur ad invicem*, his verbis se mutuo invitabant : *Transeamus usque Bethleem & videamus*, experimento probemus *hoc verbum quod factum est*, rem seu mysterium, *quod Dominus ostendit nobis*, per Angelos revelavit ac patefecit.

16. *Et venerunt festinantes*, ne increduli vel ingrati divino beneficio viderentur : *& invenerunt Mariam & Joseph, & Infantem positum in præsepio*, quemdmodum illis nuntiaverat Angelus.

1. Joan. 1. 17. *Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc*. Experimento comprobarunt quod illis Angelus dixerat: ut quod S. Joannes postea scripsit, dicere & illi possent Fidei lumine illustrati : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ : & Vita manifestata est, & vidimus & testamur*.

18. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt : & de his quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos*. Et omnes qui audierunt Pastores, narrantes quomodo sibi apparuissent Angeli, & quid de Puero nuntiassent, vehementer admirati sunt: *& de his*, id est, *de his* ; &c. Præpositio & deest in Textu Græco & in Syriaca Versione.

19. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*. Maria observabat & memoriæ mandabat res omnes in Christi nativitate gestas, & quæ a
Beda in hunc locum Pastoribus narrabantur de Angelis a se visis auditisque,
diligenter secum expendens, conferensque præsentia cum
S. Ambrof. lib. 2. in Luc. n. 54. præcedentibus, cum dictis Gabrielis, Elisabethæ, Zachariæ, rebusque circa se, circa Joannem & ejus parentes gestis, omnia tandem quæ secum sunt acta a Domino, comparans cum his quæ noverat a Prophetis scripta de Domino, summamque omnium consensionem animadvertens. Conferebat in corde, nihil in vulgus indicans & Jactans Virgo prudentissima & modestissima.

20. *Et reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos*. Reversi sunt ad custodiam gregis, glorificantes & laudantes Deum de omnibus quæ audierant, non solum ab Angelis, sed a Maria & Joseph ; & quæ oculis ipsi suis viderant, certiores facti experientia sua omnia congruere dictis Angeli.

21. *Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*. Impleto tempore quod ex Lege Circumcisioni erat præstitutum, cujus temporis dies ultimus erat a natali octavus, circumcisus est Puer, ut observandæ Legis daret exemplum, qui Legem solvere non venit, sed adimplere ; & qui ut de muliere nasci, sic fieri sub Lege dignatus est, Legis Auctor licet ac Dominus.

S. Epiph. Hæresi 30. n. 28. Circumcisionis Christi causas & rationes S. Epiphanius fusius exponit. „ Primum ut se carnem revera induisse
„ monstraret, propter Manichæum, ceterosque qui simi-
„ litudine quadam ac specie dumtaxat apparuisse docue-
„ runt. Deinde ut corpus divinitati consubstantiale non
„ esse demonstraret, ut Appollinaris existimat : nec e celo
„ delatum in terra, qui Valentini error fuit. Tum ut
„ cujus olim Circumcisionis auctor fuerat, eam ad ad-
„ ventum usque suum observatam fuisse merito compro-
„ baret, atque ut omnem Judæis excusationem eriperet.
„ Nisi enim circumcisus foret, hoc ad sui purgationem,
„ sive excusationem afferre potuissent : Nos Christum præ-
„ putio præditum probare nequivimus. Præterea vero eum
„ oportebat, qui Abrahamo circumcidendi sui mandatum
„ dederat ; ut ad veri & aspectum fugientis adumbran-
„ dam imaginem apparens illud signum & aspectabile
„ præ se ferret, ratum illud sua Circumcisione facere.
„ Circumcisionem denique sponte subiit, ut ea perfun-
„ ctus nihil jam esse necessariam ostenderet, sed aliam
„ longe illa præstantiorem, scilicet Circumcisionem cor-
„ dis. "

Cum autem in solemni Circumcisionis ritu nomina pueris imponerentur, *Vocatum est nomen ejus Jesus*, a Joseph & Maria, non casu aut humano consilio, sed divina jussione, illis, antequam conciperetur, ab Angelo significata. *Quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur*.

22. 23. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum*
Levitici 12. *vocabitur*. Postquam impleti sunt dies quibus Maria purganda videbatur, secundum Legem Moysi, cui tamen hac in parte subdita non erat, cum immunda non esset, tum quia non suscepto semine, sed ex Spiritu sancto Virgo conceperat, non hominem purum, originali peccato obnoxium quod ex concupiscentia traducitur ; sed hominem Deum, Sanctum Sanctorum, Filium Altissimi : tum quia sine corruptione, sine dolore, sine immunditiis partum mulierum vulgo consequentibus ; Purificationis autem Legem subiit Virgo purissima ad obedientiæ & humilitatis exemplum ; & ne scandalum paterentur qui conceptionis & partus ejus divinum Mysterium ignorabant. Simul autem duabus Legibus paruit, uni quæ erat de Purificatione puerperæ ; alteri quæ erat de præsentatione primogeniti in templo, ejusque redemptione. *Tulerunt illum* (puerum scilicet Jesum Parentes ejus, Maria & Joseph) *ut sisterent*, id est, offerrent *cum Domino*, tamquam debitum & sacrum : *sicut scriptum est in Lege Domini* : QUIA *omne masculinum adaperiens vulvam*, ist est, quod primum nascitur, *sanctum Domino vocabitur*, id est, dicatum atque consecratum : Nam primogenita mundorum animalium Deo immolabantur : primogenitum vero hominis redimebatur quinque siclis, eo quod Levitæ loco primogenitorum sacris Templi ministeriis mancipati essent. Legi primogenitorum Christus subditus non erat, tum quia Legis conditor & Dominus ; tum quia vulvam Matris non aperuit, sed clauso virginis utero egressus est. Virgo enim non solum ante partum & post partum, sed & in partu S. Maria permansit, quæ Ecclesiæ fides est, traditione Patrumque summo consensu firmata, scilicet S. Ambrosii in Epistola ad Siricium Papam contra Joviniani hæresim, & Lib. de Institutione Virginis cap. 7. S. Hieronymi in cap. 44. Ezechielis, S. Augustini Epistola 117. alias 3. ad Volusianum, Libro de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 82. Lib 1. contra Julianum cap. 2. in Enchiridio cap. 24. & alibi, S. Paulini Epist. 4. S. Gaudentii Brixiani Episcopi cap. 9. S. Leonis Sermone 1. & 2. de Nativitate Domini, S. Petri Chrysologi Sermone 142. de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis ; S. Ephrem in Oratione de margarita pretiosa ; S. Procli Constantinop. Episcopi Oratione 1. in Deiparam ; Theodoti Ancyrani Homil. in Natalem Domini ; Theodoreti Dialogo 11. S. Fulgentii Lib. 1. de veritate Prædestinationis, cap. 2. Auctoris Sermonum sub Eusebii Emisseni nomine editorum Sermone 2. de Nativitate Domini, Genadii Libro de Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 60. Hormisdæ Romani Pontificis Epist. 79. ad Justinum Imperatorem, Pelagii 1. in Confessione Fidei Epistolæ 16. ad Childebertum Regem subjecta ; S. Hildephonsi Toletani Episcopi Libro de Virginitate sanctæ Mariæ ; Venerabilis Bedæ in hunc locum ; S. Joannis Damasceni Libro 4. de Fide cap. 15. S. Anselmi Lib. de Sacramento Altaris cap. 3. Petri Damiani Opusculo 36. de Dei omnipotentia, cap. 10. S. Bernardi Sermone 33. in Cantica. Quod si qui Veterum Christum vulvam Matris aperuisse ajunt, & quidem solum, minus proprie locuti sunt, & ita sunt explicandi, ut de apertionis affectu, non de re ipsa, seu de apertione vera uteri & signaculi virginalis reseratione locuti intelligantur. Significare, inquam, voluerunt Christum ex clauso exisse utero quemadmodum si aperuisset ; atque matris fœcunditatem probasse : solum autem aperuisse matris uterum, quia solus clausum invenit, quod enim clausum non est, proprie non aperitur : nec alii infantes proprie aperiunt, cum corrupta jam matris virginitate apertum inveniant. Hic S. Isidori Pelusiotæ Epistola 23. libri primi sensus est. „ Quod in sacra, *inquit*,
„ scriptura dictum est, quod omne primogenitum aperiens
„ vulvam, sanctum est Domino ; non de omni primogeni-
„ to dicitur ; non hoc arbitrentur imperiti : sed de uno
„ illo qui cum partu ederetur, vulvam aperuit. Siquidem
„ vulvam omnem viri consortium & concubitus aperit.
„ Quæ vero Dominum nostrum Jesum Christum peperit,
„ ipse sine semine conceptus eam prodiens aperuit, &
„ rursus obsignatam reliquit. " Idem est sensus S. Amphilochii in Oratione de Occursu Christi, ubi subdit :
„ Quantum attinet ad virginalem naturam, nullo modo
„ patefactæ sunt virginales portæ. Si in Domini qui na-
„ tus est potentiam respicias, nihil ei clausum est, sed
„ aperta sunt omnia : nihil est quod obstet, nihil quod
„ negotium faciat : siquidem omnia Domino relata
„ sunt. " Sic denique intelligendus Sanctus Hieronymus Dialogo 2. adversus Pelagianos p. 431. postquam enim dixit, illud, *Omnis qui aperit vulvam, sanctus Domino vocabitur*, ad Christum pertinere, subdit : „ Omnes hæ-
„ retici erraverunt, non intelligentes Mysterium Nativi-
„ tatis ejus ; magisque ad specialem Nativitatem Salvato-
„ ris, quam ad omnium hominum referri potest hoc quod
„ dicitur : *Qui aperuit vulvam, sanctus vocabitur Do-*
„ *mino*. Solus enim Christus clausas portas vulvæ virgi-
„ nalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt.
„ Hæc est porta orientalis, per quam solus Pontifex in-
„ greditur & egreditur, & nihilominus semper clausa
„ est. "

Exod. 13. 21.

Ezechiel. 44. S. Aut. Quæst. 40. in Levit. S. Leo Epist. 16. alias 4. c. 2. Levit. 12. 6.

24. *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*.

rum. Profecti ſunt etiam in Jeruſalem ut in Templo Domini hoſtiam offerrent pro peccato, id eſt, immunditia legali, non filii (ut S. Auguſtinus & S. Leo putaverunt) ſed matris, in lege præſcriptam, ſcilicet *par turturum, aut duos pullos columbarum*, quæ pauperum erat oblatio, agnum offerre non valentium. Geminarum autem columbarum, aut turturum una offerenda erat in holocauſtum, ad gratiarum actionem pro felici partu; altera in ſacrificium pro peccato, id eſt, ad expiationem immunditiæ legalis; quæ tamen in Deipara Virgine nulla fuit, ut ſuperius diximus: Unde hac defuncta oblatione eſt *propter conſuetudinem legis, non propter neceſſitatem*, (ut S. Auguſtini verbis utar.)

25. 26. *Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus: exſpectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo: & reſponſum acceperat a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem niſi videret Chriſtum Domini*. Tunc temporis homo juſtus & Deum timens, cui nomen Simeon (quem Laicum fuiſſe probabilius cenſent Euthymius & Theophylactus, quam Sacerdotem Auctor Libri de communi eſſentia Patris & Filii apud S. Athanaſium, & Auctor libri de Vitis Prophetarum apud S. Epiphanium, cum Græculis recentioribus, atque Pictoribus, repugnante S. Lucæ ſilentio) Hieroſolymis erat. Hic adventum Meſſiæ exſpectabat, & ferventibus votis deſiderabat, ut finem acciperet peccatum, & adduceretur juſtitia ſempiterna: Is enim adventus Chriſti Domini finis, hæc vera Iſrael conſolatio: de qua Iſaiæ 49. 13. „ Laudate cœli, exulta terra, „ jubilate montes laudem: quia conſolatus eſt Dominus „ Populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur. Et „ c. 52. 9. Gaudete & laudate ſimul deſerta Jeruſalem: „ quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit „ Jeruſalem. Et c. 62. 13. Quomodo ſi cui mater blan„ ditur, ita ego conſolabor vos & in Jeruſalem conſola„ bimini. Et Jeremiæ 31. 11. 13. Redemit enim Dominus „ Jacob, & liberavit eum de manu potentioris ... conver„ tam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos." Hæc conſolatio Iſrael, quam Simeon vir pius ac religioſus exſpectabat, ſpiritualia Meſſiæ beneficia, plebiſque Iſrael, & totius humani generis a ſervitute peccati, dæmoniſque jugo per Chriſtum Dominum redemptio. *Et Spiritus ſanctus erat in eo*, non ſolum per gratiam ſanctificantem & charitatem quam in ejus corde diffuderat, ſed etiam per donum Prophetiæ. Et Spiritu ſancto revelante cognoverat, ſe non moriturum, *niſi videret*, non ſolum oculis fidei, ut juſti ac Prophetæ ceteri, ſed oculis corporis, *Chriſtum Domini*, Meſſiam promiſſum, a Domino ungendum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, id eſt, tota plenitudine Spiritus ſancti, ipſaque ſubſtantia Deitatis.

Vide Allatium Diatriba de Simeonibus.

27. 28. *Et venit in Spiritu in templum*: afflatu & impulſu Spiritus ſancti. *Et cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus*. Cum Maria Mater Jeſu, & Joſeph qui putabatur & jure conjugii erat ejus pater, illum inferrent in Templum, ut quod ex præſcripto Legis fieri ſolebat pro primogenitis, pro eo implerent, offerendo illum Domino ſolemni ritu: *accepit eum Simeon* ex manibus Virginis *in ulnas ſuas*, eumque ſumma devotione & charitate complexus, *benedixit Deum*, gratias agens quod promiſſa ſua impleviſſet: *& dixit*.

29. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace*. Domine, qui vitæ ac mortis ſupremum jus habes, qui me ſenem & maturum ævi hactenus in vita detinuiſti ut promiſſum erga me tuum impleres, nunc ſervum tuum dimittis, & hujus corporis vinculis ſolvis lætum ac voti compotem ad meliorem vitam, ad pacem æternam. Jam lætus morior, pace inter divinam Majeſtatem tuam & homines per Chriſtum tuum conciliata.

s. Cypr. lib. de mortalit. Origen. homil. 15. in Luc. S. Gregor. Nyſſ. & Chryſoſt. orat de Occurſu Domini.

30. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*: Chriſtum ſalutis Auctorem olim a te promiſſum, jam vero miſſum atque exhibitum.

31. 32. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum*. Quem ab æterno paratum, expoſuiſti ſub oculis non Judæorum tantum, ſed omnium populorum, ut in eum credentes ſalutem æternam conſequantur. *Lumen ad revelationem gentium*. Hunc (inquam) in mundo oriri feciſti, ut lumen revelandum gentibus in ſumma Dei ignorantia verſantibus: *& gloriam plebis tuæ Iſrael*: & ut ſingulare decus ac ornamentum Iſrael Populi tui, ex quo ſecundum carnem progenitus, cui promiſſus, a quo exſpectatus, apud quem victurus, prædicaturus, & Miracula editurus eſt. Confer cum Pſalmo 97. 2. 3. „ Notum fecit „ Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revela„ vit juſtitiam ſuam, Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, „ & veritatis ſuæ domui Iſrael. *Et Iſaiæ* 49. 6. Parum „ eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & „ fœces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem gen„ tium ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. *Ad „ Romanos* 9. 4. *Iſraelitæ*, quorum adoptio eſt filiorum, „ & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, „ & promiſſa: quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus, „ qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula. *Et ad „ Epheſios* 2. Memores eſtote vos gentes ... quia eratis in „ illo tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione „ Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem „ non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc au„ tem in Chriſto Jeſu vos qui aliquando eratis longe, „ facti eſtis prope in ſanguine Chriſti ... Et veniens evan„ gelizavit pacem vobis qui longe fuiſtis; & pacem iis „ qui prope." "Prius autem commemoratur revelatio Gentium quam Iſraelis gloria: quia cum plenitudo Gentium introierit, tunc omnis Iſrael ſalvus fiet.

V. Beda Rom. 11. 25. 26.

33. *Et erant pater ejus & mater*, Joſeph & Maria, *mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo*; a prima ejus conceptione; id eſt, quæ de illo dicta erant ab Angelo, ab Eliſabeth, Zacharia, Simeone. Omnia enim ſimul collata admirationem augebant. Joſeph Chriſti Patrem recte appellat Evangeliſta, quamvis ab eo non geniti, ſed ex Maria Virgine de Spiritu ſancto concepti, *Quia & virum Mariæ recte intelligimus ſine commixtione carnis ipſa copulatione conjugii; & ob hoc etiam Chriſti Patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus ſit, quam ſi eſſet aliunde adoptatus*.

Origenes hom. 10. S. *Aug. lib.* 2. *de conſenſu Evang.* 6. 1.

34. *Et benedixit illis Simeon*: Joſeph & Mariæ ſimul gratulatus eſt, ac beatos prædicavit qui talem filium haberent. Tum ad Mariam, quam a Spiritu ſancto edoctus matrem eſſe Chriſti ſine patre credebat, converſo ſermone: *Ecce*, inquit, *poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur*: Scito hunc infantem expoſitum eſſe a Deo, cui ſi placet gloriæ ſuæ conſulere, ut ſit multis ex populo Iſrael occaſio ruinæ, ſcilicet reprobis culpa ſua pereuntibus; multis vero cauſa & auctor reſurrectionis ſive ſalutis, ſcilicet electis: & veluti ſignum in quod omnes jaciant ſagittas contradictionis ſuæ, ejus doctrinam ſpernentes & impugnantes, miracula dæmoni tribuentes, calumniis, blaſphemiis, tormentis atrociſſimis opprimentes, morte turpiſſima condemnantes. Confer cum 1. Petri c. 2. verſ. 4. & ſeq. „ Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus qui„ dem reprobatum, a Deo autem electum, & honorifica„ tum: & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini ... „ Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion la„ pidem ſummum angularem electum, pretioſum: & qui „ crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor „ credentibus: non credentibus autem lapis quem repro„ baverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & „ lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt ver„ bo, nec credunt in quo & poſiti ſunt. *Et* 2. *ad Corinthios* „ 2 14. 15. Deo autem gratias .. qui odorem notitiæ ſuæ „ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor „ ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt & in iis qui pereunt: „ aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor „ vitæ in vitam. "Obſervandum poro quod Simeon Chriſtum paratum *ante faciem omnium populorum ſalutare*, & *lumen* abſolute dixit quia *divinum* * *propoſitum eſt ſalus & deificatio ſingulorum*: in ruinam autem & reſurrectionem multorum, quia nec omnes ſalvantur, nec omnes pereunt, Quod autem multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum, quod plures pereunt, pereuntium eſt meritum.

* Nomine autem *propoſiti*, generalem, conditionatam, inefficacem ſalutis omnium voluntatem intelligit: non ſpeciatem, abſolutam, & efficacem quam S. Paulus *electionem ſecundum propoſitum* vocat. S. *Greg. Nyſſ. a S. Thoma in Catena citatus. S. Auguſtin. Epiſt.* 149. *alias* 59. *Quæſt. ult. n.* 33. *Pſalm.* 58. 8. *Pſalm.* 50. 5. *Pſal.* 104. 15. Cave ne cum Origene homil. 17. & S. Chryſ. hom. de occurſu Dom. Auctore Quæſtionum Veteris & Novi Teſtam inter S. Aug. opera editarum, &c.

35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Et tuam, o benedicta Mater, animam vis acerbiſſimi doloris, quaſi gladius acutiſſimus penetrabit, cum Filium tuum in cruce confixum & perfoſſum videbis, tum ferro clavorum & crudelis lanceæ; tum gladiis linguarum blaſphemantium. Gladius igitur non alius hic intelligendus eſt, quam tribulationis, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu. Ipſe fuit gladius in ore perſecutorum, de quibus in Pſalmo dicitur: Et *gladius in ore eorum*. Ipſi enim erant *filii hominum, quorum dentes arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Nam & ferrum quod pertranſiit animam Joſeph, pro dura tribulatione poſitum mihi videtur. Aperte quippe dicitur: *Ferrum pertranſiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, ideſt, tamdiu fuit in dura tribulatione, donec fieret quod prædixit. Hinc enim magnus eſt habitus, & ab illa tribulatione liberatus.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Hæc verba ad præcedentem Verſum referuntur, non ad iſtam Prophetiæ partem, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; ſenſus igitur iſte eſt: *Poſitus eſt Chriſtus in ruinam & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur; ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Id eſt, ita fiet ut quod in multorum cordibus latuerit, manifeſtum fiat: ut cognoſcatur quo quiſque in Chriſtum fuerit animo, dum alii ipſi adhærebunt & in eum credent; alii illum deſerent vel oppugnabunt: aliorum malignitas & *inſidiæ*, ſcilicet *Judæorum*; aliorum *infirmitas*, ſcilicet *Diſcipulorum* per ejus paſſionem patebit.

dubitationem in Chriſti Paſſione interpretetur. *S. Aug. Epiſt.* 146. *Quæſt. ult.* 1. *Paralip.* 11.

36. 37. *Et erat Anna Prophetiſſa, filia Phanuel de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis; & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua*. Erat etiam tunc temporis Hieroſolymis mulier Prophetiæ dono inſignis, filia Phanuel de tribu Aſer; quæ quidem tribus cum novem aliis abducta erat in captivitatem, ſed tamen multi ex iis tribubus cum tribubus Juda & Benjamin permixti remanſerant religionis cauſa, cum primum regnum

ſub

ſub Roboamo diviſum eſt, & tribuum illarum fortunam deinceps ſecuti fuerant. Erat autem tribus Aſer in Galilæa. Inde ortum ducebat Anna, quæ de magno Propheta Chriſto Jeſu prophetavit, ut omnis ſexus, omnis ætas, omniſque profeſſio ipſum mundi redemptorem eſſe a Deo promiſſum teſtaretur. Hæc vero mulier provectæ admodum erat ætatis, & a prima ſua pubertate, id eſt, ab anno circiter duodecimo quo nuptui data fuerat, ſeptem annos vixerat cum viro, ac deinceps ad annum uſque octogeſimum quartum ætatis vidua manſerat, inſigni continentiæ laude, ut ſequenti Verſu Evangeliſta commemorat, additque eam eximiæ fuiſſe ſanctitatis, ut ejus teſtimonium omni eſſe exceptione majus oſtendat. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Templum aſſidue frequentabat, jejuniis & orationibus ſine intermiſſione Deum colens. *Anna* igitur *& ſtipendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, ut digna plane fuiſſe credatur, quæ Redemptorem omnium veniſſe nuntiaret.*

S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam, n. 62.

38. *Et hæc ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino.* Eodem temporis momento quo Chriſtus in Templo offerebatur, opportune veniens, eodem ſcilicet afflata Spiritu quo Sanctus Simeon, Chriſtum Dominum viciſſim laudabat, & gratias agebat pro communi beneficio: *& loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemptionem Iſrael*; omnibus præſentibus & occurrentibus, vel omnibus Hieroſolymitis, fidelibus, qui redemptionem Iſrael ſecundum Prophetarum vaticinia jam imminentem majori devotione ac fervore exſpectabant, declarabat Puerum Jeſum eſſe Meſſiam ac redemptorem a Deo promiſſum, ac omnium Dominum.

39. *Et ut perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth.* Ut perfecerunt omnia quæ de matris Purificatione, & pueri primogeniti oblatione ac redemptione Lex præſcribit, *reverſi ſunt in Galilæam*, non immediate, ſed interpoſita fuga in Ægyptum, quæ non ex Nazareth inita fuit, ſed vel ex Jeruſalem, vel ex Bethleem, vel ex itinere Bethleem verſus. Unde S. Matthæus narrat Joſeph ex Ægypto in Judæam, non vero in Galilæam redire cogitaſſe, quod argumento eſt ex Judæa, non ex Galilæa fugiſſe in Ægyptum. Galilæam autem nominat ibi S. Lucas, ut ad ſequentem tranſeat hiſtoriam, prætermiſſa fuga Chriſti in Ægyptum, de qua S. Matthæus.

Matth. 2. 22

40. *Puer autem creſcebat*, ſtatura & robore corporis, *& confortabatur*, ſpiritu: animi dotes, vis ingenii, judicii, memoriæ; quin & Spiritus ſancti dona paulatim in eo emicabant: verumtamen *plenus* erat *ſapientia*, ab initio, *& gratia Dei erat in illo*. Cum itaque gratia & ſapientia ſtabili & nullius incrementi capace plenus eſſet, ſola hominum opinione creſcebat ſapientia & corroborabatur ſpiritu, quatenus divina dona ſe in eo magis magiſque temporis progreſſu exerebant ac manifeſtabant, qui *Dei virtus & ſapientia eſt, & in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

41. *Et ibant parentes ejus*, Maria & Joſeph, *per omnes annos in Jeruſalem*, ad Templum Domini, *in die ſolemni Paſchæ*. Joſeph ter per annos ſingulos in Templum proculdubio veniebat, ſecundum præſcriptum Legis jubentis ut omnes maſculi ter in anno ſe coram Domino ſiſterent, ſcilicet in Paſchate, in Pentecoſte, & in ſolemnitate Tabernaculorum. Cum autem veniſſet in die ſolemni Paſchæ, eumque Maria Virgo ſanctiſſima conjux religionis cauſa pro more comitata eſſet, ea contigerunt quæ de Jeſu puero duodecenni mox narrantur.

Deuteron. 16. 16.

42. 43. *Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti: conſummatiſque diebus*, rite celebratis diebus Azymorum, *cum redirent in* Galilæam, *remanſit puer Jeſus in Jeruſalem*, non errore, non caſu, ſed divino conſilio: *& non cognoverunt parentes ejus.* Inſciis parentibus remanſit. „ Non otioſe ſuorum perhibetur immemor extiſſe parentum, ſed ut nos inſtruat, quia non ſolum „ antequam parentes ipſi, verum etiam antequam Abraham fieret, ipſe eſt, in civitate potius ac templo Dei, „ quaſi paterno jure reſidere delectatur. “

Venerab. Beda.

44. 45. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu*, cum familiaribus & amicis, quibuſcum iter quaſi turmatim faciebant; *venerunt iter diei*; ſecuri quod in communi hoſpitio ſub veſperam eum invenirent, iter diei confecerunt. Exſpectatione vero ſua fruſtrati, *requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non invenientes, regreſſi ſunt* die ſequenti *in Jeruſalem*, maxima ſollicitudine *requirentes eum.*

46. *Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum*: tertia die invenerunt, *in templo, ſedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos*, inſtar diſcipuli quæſtiones proponentem de iis quæ ab illis docentibus audiebat, ſive de Lege ac Prophetis, quaſi diſcere velle videretur quæ ad Religionem pertinebant. Sedebat autem non in eodem quo Doctores ordine ac ſubſellio, ſed inferius inter auditores, modeſtiæ in omnibus præbens exemplum, & decorum ſervans pro ratione ætatis.

47. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.* In admirationem rapiebantur quicumque illum audiebant tanta prudentia, tam intelligentis judicii vi dubia proponentem, & ad quæſtiones ipſi a Doctoribus propoſitas viciſſim reſpondentem.

48. *Et videntes*, parentes ejus, tam inſolitum eventum, *admirati ſunt*, non prudentiam & ſapientiam ejus quem æternam Sapientiam, & Dei Filium eſſe certiſſime noverant. *Et dixit mater ejus ad illum*: non publice, ut credere par eſt, ſed privatim, ne tali filio gloriari videretur: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Cur nobis inſciis remanſiſti, quos tui deſiderio non poſſe non angi probe noveras? *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Maria Chriſtum interrogat tanquam filii ſummo dolore amiſſi, & incredibili gaudio inventi, potiori jure mater, verumtamen Joſephum virum ſuum ſibi præponit ex reverentia & humilitate. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, quia tenerrimo affectu amantes.

49. *Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Non erat cur me tam anxie quæreretis, ſiquidem cogitare poteratis me in domo Patris mei, ſcilicet in Templo, quærendum; & in ejus negotiis, in ejus gloria procuranda verſari oportere; pro ratione miniſterii officique mei, quo ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati, ut doctrinam ſalutis hominibus tradam, ut glorificem Patrem meum cœleſtem, qui me miſit. Parentes igitur his verbis non reprehendit Jeſus, ſed docet nullum ipſis jus eſſe in ea quæ miniſterii ſui ſunt.

Orig. hom. 20. S. Epiphan. Hæreſ. 30 Theophyl.

50. *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.* Quamvis Jeſum Deum & Chriſtum eſſe certo ſcirent ac firmiter crederent: tunc temporis tamen plene non intellexerunt verbi illius ſenſum ac myſterium; id eſt, quænam eſſent illa quæ dicebat Patris ſui negotia, in quibus eum verſari oportebat, docendo primum homines, ac deinde pro illis moriendo. Tres partes miniſterii Chriſti, *Facere, docere, pati & mori.*

51. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Deſcendit cum eis, & ipſos in domum ſecutus eſt, illiſque adhæſit & paruit, ne ſe emancipaſſe videretur, & poſtea, ut Patris cœleſtis negotiis vacaret, parentum obedientiam neglexiſſe. Non neceſſitate porro, ſed dignatione terrenis parentibus ſubditus fuit. *Non infirmitatis, ſed pietatis erat iſta ſubjectio.*

S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam.

Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo: omnia dicta & facta Chriſti Virgo Mater ſingulari diligentia obſervabat, & memoria retinebat, etiamſi nondum omnium rationem intelligeret, eorumque meditatione paſcebat animum, fidemque ſuam alebat; Filii facta & dicta non muliebri loquacitate & jactantia divulgans, ſed ea ſcribens in tabulis cordis, ut ea cum Deus vellet, ad ejus gloriam, & Eccleſiæ utilitatem Diſcipulis ejus vulganda & prædicanda, ſive etiam ſcriptis mandanda narraret, ut S. Luc. narravit.

52. *Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Proficiebat ſapientiæ & gratiæ operibus, effectis, ſignis, quæ Scripturæ ſacræ uſu *Sapientia & Gratia* vocantur. (*Lucæ* 11. 31. *Jacobi* 3. 13. *Pſal.* 44. 3.)

Non profecit ſapientiæ & ſcientiæ habitu ac donis cum ab initio conceptionis fuerit *Plenus gratiæ & veritatis*, & in ipſo *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* ſint *abſconditi*. Proficiebat dumtaxat ſapientia ſeu ſcientia uſu acquiſita & experimentali, non infuſa; proficiebat exteriori ſapientiæ oſtenſione & gratiæ manifeſtatione ſecundum proportionem ætatis. Quemadmodum ſol ab ortu in meridiem progrediens claritate proficere dicitur, non quod illa in ſe creſcat, ſed in effectu tantum, quia majorem lucem apud nos ſenſim diffundit. Sic explicat S. Gregorius Nazianzenus, anathema dicens iis, qui Chriſtum aſſerunt ex operibus perfectum: „ Quod enim, *inquit*, initium habuit, aut proficit, aut perficitur, non „ eſt Deus: tametſi hæc idcirco de eo dicantur, quod „ paulatim ſeſe patefecerit. *Et alibi*: Ille, *inquit*, pro„ ficiebat ut ætate, ita ſapientia & gratia, non quod „ incrementum iſta caperent. Quid enim eo quod ab ini„ tio perfectum extitit, poſſet eſſe perfectius? Sed quod „ hæc paulatim aperirentur, ac ſeſe proderent. *Ita S.* „ *Cyrillus Alexand.* Credimus ex ipſo ventre uteroque „ Virginis, Emmanuelem ipſum, qui Deus erat, homi„ nem prodiiſſe, plenum omnino ſapientia & gratia, „ quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incremen„ tum caperet ille in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, „ qui cœleſtis gratiæ una cum Deo Patre largitor eſt? „ Quomodo igitur profeciſſe dictus eſt? Nimirum quod „ Deus Verbum cum incremento & ætate corporis ſui, „ divinorum bonorum ſignificationem commenſus fuerit. „ *Ita Theodoretus*: Merito, (*inquit*) cum ætatis in„ cremento conjunxit profectum ſapientiæ. Nam pro men„ ſura ætatis corporeæ, divina natura propriam revela„ bat ſapientiam. “ Ita S. Hieronymus in commentariis Jeremiæ, hæc verba explicans, *Femina circumdabit virum*, quæ de Chriſto interpretatur, *Qui juxta incrementa quidem ætatis, per vagitus & infantiam proficere videbitur*

Coloſſ. 2. 3. Joan. 1. S. Greg. Nazianz. orat. 1. ad Cledonium orat. 20. de Laudibus Baſilii. S. Cyrill. Alexand. lib. 3. cont. Neſtor. Theodoret. lib. 5. Hæret Fabul. c. 13. S. Hieron. in c. 31. Jerem.

bitur sapientia & ætate, sed perfectus vir, in ventre femineo solitis mensibus continebitur. Ubi perfectum virum nonnisi sapientia fuisse significat in qua nullum progressum habuit. Ita Titus Bostrensis: „ Implebatur (*inquit*) sapientia & gratia, non quod ejus accessionem
Titus Bost. in cap. 2. S. Lucæ „ ullam caperet: semper enim ex divinitate quod plenum & perfectum est, habebat: verum ideo quod Deus
Theophyl. in hunc locum. „ Verbum una cum corporis ætate, paulatim sapientiæ „ atque gratiæ ostensionem explicaret. *Ita Theophylactus*: Proficiebat sapientia, *&c.* Non quod sapiens proficiendo factus fuerit, sed quod paulatim sapientiam „ suam detexerit ... Emicatio sapientiæ ejus, profectus
S. Bern. hom. 2. in Evang. Missus est. „ ipsius est. *Ita S. Bernardus*: Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus quam natus; parvus quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive „ grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive „ jam perfectæ ætatis docens in templo, æque profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa quam in „ sui conceptione accepit in utero vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur, sed a principio „ perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilii & fortitudinis, „ spiritu scientiæ & pietatis; & spiritu timoris Domini. „ *Mox illud S. Lucæ de profectu Christi declarans, subdit*: Nam quod de sapientia & gratia hic dictum est, „ non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est; non quia videlicet aliquid ei „ novum accideret, quod ante non haberet, sed quod „ accidere videbatur, quando volebat ipse ut videretur. „ Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum „ vis, proficis: sed te nesciente, tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam, & quando volebat, & quibus volebat, sapiens apparebat; quando & „ quibus volebat, sapientior; quando & quibus volebat, „ sapientissimus; quamquam in se numquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud „ homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam „ nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire „ sciebat. "

S. Ambr. lib. de incarnat. De sapientiæ seu scientiæ experimentalis, non infusæ, multo minus beatificæ aut divinæ profectu intelligendus S. Ambrosius. „ Profectus est (*inquit*) ætatis, & „ profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum. „ Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si „ proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. „ Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia. „ Jesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis sensus „ proficiebat? Si humanus, ergo & ipse susceptus est. Si „ divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum est, „ non mutatur. " Quod autem hunc Isaiæ locum ibidem explicans, *Priusquam sciat puer patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ*, subdit: *Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam quod adhuc non didicit ignorat*: Id unum significat, Christum ita se gessisse ac si agnitionis expers esset; ac sapientia profecisse secundum ostensionem & aliorum hominum opinionem; ne si in puerili ætate perfectam sapientiam ostenderet, non ejusdem nobiscum naturæ, sed monstri similis videretur.

Proficiebat apud Deum & homines, id est, non simulate, non ficte, sed vere ac sincere, Deo hominibusque testibus, judicibus, approbatoribus.

SENSUS MORALIS.

S. Ambr. lib. 2. in Lucam n. 36. 37. & 38. 1. EXiit *Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, &c. Divinum ibi Mysterium declaratur, & divinæ dispensationi ac decretis nescius servit Cæsar Augustus. Dum enim professio sæcularis obtenditur, spiritalis impletur, non terrarum Regi dicendi, sed cœli. „ Professio ista fidei, census est animorum; „ abolito enim Synagogæ censu vetusto, novus census „ Ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed „ auferret: & spiritaliter in typo plebs sua jam Christo „ nomina conferebat. Non hic spatia terrarum, sed mentium animorumque censentur: nec describuntur limites, sed proferuntur: nec ætas ulla distinguitur, sed „ omnis adscribitur: nullus enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra uterum positi exultatione testantur. Nihil in hoc censu vereare „ terribile, nihil immite, nihil triste; sola unumquemque „ fides signat. Vis Christi audire censores? Jubentur „ censere sine virgis: nec terrore, sed gratia plebem quærere: recondere gladium, non possidere. Talibus censoribus adquisitus est orbis. Denique ut scias censum „ non Augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri ju-

Natal. Alex. In Evang.

„ betur. Quis poterat totius orbis professionem exigere, „ nisi qui totius orbis habebat imperium? Non enim *Psalm. 23.* „ Augusti, sed Domini est terra & plenitudo ejus, or- 2
„ bis terrarum, & universi qui habitant in eo... Hæc „ est professio prima, sed mentium; cui omnes profitentur, quia nullus excipitur; non præconis evocatione, „ sed Vatis, qui multo ante prædixit: Omnes gentes „ plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis; „ quoniam Deus magnus, terribilis, rex magnus super „ omnem terram. Denique ut scias censum esse justitiæ, *Psalm. 46.* „ veniunt ad eum Joseph & Maria, hoc est, justus & Vir- 2. 3.
„ go: ille qui Verbum servaret, ista quæ pareret. Ubi confitentur justus, & Virgo, nisi ubi nascitur Christus? *omnis* enim *spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne „ venisse, de Deo est*. Ubi autem secundum altiorem rationem nascitur Christus, nisi in corde tuo, & in pectore tuo? „ *PROPE* est *enim* Verbum in ore tuo, & in corde tuo. " *Joan. 4. 2.*

Exiit Edictum a Cæsare Augusto, &c. Orbe pacato nascitur Rex pacificus. Sub id tempus orbis describitur, quia *Rom. 10.* ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æ- *8. S. Greg. M. hom. 8.* ternitate. Ad hunc censum ut pertineamus, opera justi- *in Evang.* tiæ faciamus; ascendamus de Galilæa, quæ *transmigrationem* significat; a mundi vanitate & corruptione transeamus *in civitatem Juda*, id est, *confessionis & laudis*; devotionis nostræ tributum æterno Regi solvamus. A justitiæ semitis ne declinemus umquam, a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, ne excidamus; ne forte simus de numero reproborum, qui ad censum illum divinum non pertinent, ut ait Propheta: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* *Psalm. 68. 29.*

4. 5. *Ascendit autem & Joseph ... ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. Exemplo Salvato- *1. Petri 2.* ris nostri, qui describi voluit, antequam nasceretur, cum 15. Joseph & Maria, discamus *subjecti* esse *omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tamquam præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis: quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes ob mutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam*. Deus homini imperatori se subditum profitetur: & homo se a Christo & Deo Rege Regum independentem esse vellet, ac ejus Lege solutum. O superbiam & contumaciam puniendam!

6. 7. *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: & peperit Filium suum primogenitum; & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio*. Peperit Virgo Maria suum Denique Filium in *Bethleem*, quod nomen Domum *panis* significat. *Hic est* enim *panis vivus, qui de cœlo descendit*. Civitas in qua nasciturus erat, divino consilio *Beth-* *Joan. 6. S. Gregor. leem*, quasi domus panis appellata est. Nomen id habe- *hom. 8.* bat omen; quia futurum erat ut ille ibi in carne appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Non in parentum domo, sed in via nascitur, ut ostendat se per humanitatem assumptum quasi in alieno nasci. Alienum dico, non secundum potestatem, sed secundum naturam. Nam de potestate ejus scriptum est: *In propria venit*. In natura enim sua ante tempora genitus: in nostra ex tempore natus. Qui ergo æternus permanens, temporalis apparuit, alienum est quod descendit. In via natus est, quia venit ut nos errantes in patriam, quæ cœlum est, & in viam qua illuc pervenitur, reduceret. Natus in præsepio reclinatur, qui cœlos inclinavit, & ad nos descendit, ut fideles omnes, quasi sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab æternæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent. *Joann. 1.*

Pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio. *S. Ambr.* Hic lectulus, ille amictus Novi Salomonis. „ Ille par- *lib. 2. in* „ vulus, ille infantulus fuit; ut tu vir possis esse perfe- *Lucam n.* „ ctus: ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis *41.* „ absolutus: ille in præsepibus, ut tu in altaribus: ille in „ terris, ut tu in cœlis: ille alium locum in eo diver- „ sorio non habebat; ut tu plures haberes in cœlestibus „ sedibus mansiones. *Qui cum dives esset, propter vos* „ *egenus factus est, ut illius inopia divites essetis*. Meum *1. Cor. 8. 9.* „ ergo paupertas illa patrimonium est; & infirmitas Domini „ mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. „ Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachry- „ mæ illæ delicta laverunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus quod „ creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. "

Erubescat homo esse superbum, pro quo humilis factus est Deus.

8. *Et Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos*, &c. Non Sacerdotibus Jerusalem, non Pharisæis & Doctoribus, non nobilioribus, & ditioribus Judææ, sed simplicibus, & pauperibus, nativitatis Filii sui Mysterium Deus primum revelat. Hoc *ab-* *Luc. 10. 21.* *scondit a sapientibus & prudentibus, & revelavit par-* *1. Cor. 1. 27.* *vulis*. Hujus rei si quæras rationem, nullam invenies nisi *28. 29.* ejus beneplacitum, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia; & stulta mundi, ut confundat sapientes; & *Venerab.* ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt, ut ea *Beda in* quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in *hunc loc.* conspectu ejus. *Ita Pater* (inquit Christus) *quoniam* *Apoc. 3. 2.* *sic fuit placitum ante te*. Qui piscatores Apostolos fe-

cit, Pastores ortus sui primos Evangelistas esse voluit. Vigilantibus, & super greges suos excubantibus Angelus apparuit, & claritas Dei circum illos fulsit: Episcopis enim, & omnibus animarum Rectoribus cœlestis luminis claritatem Deus infundit, si vitæ innocentia, assidua mansione, & vigilantia pastorali super greges suos, ac ferventibus orationibus illam impetrare satagant. *Grex populus, nox sæculum, Pastores sunt Sacerdotes*; quibus dicitur: *Esto vigilans & confirma cetera quæ moritura erant*. Pastoribus primum nativitatem suam nuntiari voluit bonus Pastor, de quo scriptum est; „ Hæc dicit Do-
Ezechiel. 34. 11. & seq. „ minus Deus; Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum, in die „ quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic „ visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, „ in quibus dispersæ fuerint in die nubis & caliginis, & „ educam eas de populis, & congregabo eas de terris, „ & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terræ. In „ pascuis uberrimis pascam eas .... Salvabo gregem „ meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas Pastorem „ unum, qui pascat eas servum meum David: ipse pascet „ eas, & ipse erit eis in Pastorem."

10. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: nulla igitur vobis est timendi ratio. Abscedat timor, succedat
Joan. 5. amor, quia *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Gaudium suum habet mundus, sed vanum, breve, vitiosum; quod illum indignum facit gaudio magno, sancto, perpetuo quod affert Christi nativitas. Qui enim de illius nativitate mundus gaudeat, quem non cognovit? Gaudium erit omni populo fideli, populo Dei, populo acquisitionis, veris Israelitis, hæredibus & imitatoribus fidei Abraham. Gaudium est omnibus qui gaudii illius magni voluerint esse participes. His communis est lætitiæ ratio; quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam. Animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Gaude quisquis Christiano nomine pie & fideliter gloriaris. Tibi enim quondam abjecto, tibi extruso a Paradisi sedibus; tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem & cinerem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi, per Incarnationem Verbi potestas data est ut de longinquo ad tuum revertaris Auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium: ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei Spiritu renascaris, & obtineas per gratiam quod non habebas per naturam: ut si Dei Filium per Spiritum adoptionis agnoveris, Deum patrem audeas nuncupare. Gaudete in Domino, iterum dico, gaudete, quia „ Generatio Christi origo est populi Chri-
S. Leo serm. 1. in Nativ. Dom. & serm. 2. in eadem solemnit. „ stiani, & natalis capitis, natalis est corporis .... „ Universa summa fidelium fonte orta baptismatis, sicut
Idem serm. 6. „ cum Christo in Passione crucifixi, in Resurrectione resuscitati, in Ascensione ad dexteram Patris collocati, „ ita cum ipso sumus in hac Nativitate congeniti. Quisquis enim hominum in quacumque mundi parte credentium regeneratur in Christo intercisso tramite originalis vetustatis, transit in novum hominem renascendo, nec jam „ in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Salvatoris qui ideo filius hominis est factus ut nos filii Dei „ esse possimus. Nisi enim ille ad nos humilitate descenderet, nemo ad illum ullis suis meritis perveniret."

11. *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David*. Natus est in tempore per quem condita sunt tempora. *Natus* est *hodie* ex Virgine matre, qui ab æterno genitus est a Patre in splendoribus sanctorum. Natus est hodie in forma servi nobis consubstantialis, qui ab æterno genitus est in forma Dei Patri coæqualis. *Natus est vobis* hominibus; propter vos & propter vestram salutem de cœlis descendit, incarnatus est & homo factus, hodieque ex Virgine natus.
Hebr. 2. 16. 17. „ Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ „ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, „ ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut
Michææ 4. 8. & 9. „ repropitiaret delicta populi. *Natus est Rex magnus*, „ Filius David, *promissionum verus hæres*, in Civitate „ David. *Hodie impletum est Michææ vaticinium*: Et tu „ turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet; „ & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc „ quare mœrore contraheris? Numquid Rex non est tibi, „ aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor
Mich. 5. 2. „ sicut parturientem? ... Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit „ Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus „ æternitatis." Natus est vobis *Salvator*, cujus misericordia & bonitas infinita, apud quem copiosa & superabundans redemptio; qui non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine suo, vos & universum hominum genus redimat. Natus est vobis *Christus*, in quo Spiritus sancti plenitudo requiescit: non enim ipsi dedit Pater Spiritum ad mensuram. Natus est vobis *Dominus*, fortis & potens, cujus jugum suave est, & onus leve; cui servire regnare est. A Salvatore cujus summa bonitas, cujus infinita potentia est, & qui potentiam suam sub nostrarum infirmitatum involucro abscondit, ut suam erga nos bonitatem exerceat, quid non sperare debemus? *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio* *Rom. 8. 31.* *suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* *32.*

12. *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*. In præsepi jacet, *S. August. serm. 190. alias de Diversis 61.* sed mundum continet: ubera fugit, sed Angelos pascit: pannis involvitur, sed immortalitate nos vestit: lactatur, sed adoratur: locum in diversorio non invenit, sed templum sibi in credentium cordibus facit. Ut enim fieret fortis infirmitas, infirma facta est fortitudo. *Et hoc vobis signum*, &c. Ibi agnoscamus tantæ propter nos celsitudinis humilitatem. Inde accendamus charitatem, ut perveniamus ad ejus æternitatem.

Et hoc vobis signum, &c. In signum positi sunt panni *S. Bern. serm. 3. & 4. in Nativit. Dom.* tui, Domine Jesu, sed in signum cui a multis usque hodie contradicitur. Nonne luxus vestium, quo aut luxuria negotiatur, aut gloria insolescit, pannis Salvatoris contradicit? Nonne exquisita a divitibus hujus sæculi ædium & variæ pretiosæque supellectilis magnificentia contradicit judicio Salvatoris in stabulo & præsepi nascentis? Cur, putas, stabulum elegit, cujus est orbis terræ & plenitudo ejus? Plane ut reprobet gloriam, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant: ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi judi-
Isai. 7 cium arguitur, subvertitur, confutatur. Ipse est promissus per Isaiam parvulus, *sciens reprobare malum, & eligere bonum*. Bonum ergo humiliatio, abjectio, exinanitio; malum gloriæ, celsitudinis, & potentiæ sæcularis appetitus: bonum paupertas; malum divitiarum cupiditas: bonum afflictio & mortificatio corporis; malum voluptas: siquidem illa reprobat, hæc elegit Puer sapiens, Verbum infans. O homo, si nihil præter carnem vis audire, ecce Verbum caro factum est, illud audi vel in carne. Fuge voluptatem, ambitionem, avaritiam. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeste loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant.

13. 14. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Angelos Deum infantem adorantes ac laudantes imitemur. Venite, adoremus & procidamus ante Deum; ploremus coram Domino qui mirabiliter fecit nos, & mirabilius pro nobis nascendo & moriendo reparavit nos. Præsepe ejus, panni ejus, sicut & crux, *Judæis* quidem *scandalum, Gentibus autem stultitia*; fidelibus autem Christianis *virtus Dei* sunt *ad salutem*: Angelis objectum adorationis & laudis. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum*, &c. Et nos Angelorum, si meruerimus, candidati, cum ipsis voces nostras jungamus, & ad laudem Deo in perpetuum dicendam nos admitti supplices oremus. Illorum interea sequamur exemplum, ut quoties verbum salutis, doctrina & sermo pietatis nobis traditur, prædicatur, legitur; vel ipsi quæ pietatis sunt, in memoriam Deo prævenien- *Venerab. Beda in hunc locum. S. Gregor. M. lib. 20. moral. c. 7.* te & operante revocamus, *Deo statim laudes corde, ore, & opere reddamus*. Simul laudant Angeli, quia redemptioni nostræ voces suæ exultationis accommodant. Simul laudant, quia *dum nos concupiscunt recipi, suum numerum gaudent impleri*.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloria Dei, & hominis cum Deo reconciliatio, præcipuæ sunt Incarnationis & Nativitatis Christi rationes. Videbant Angeli opus curationis homi- *Origen. hom. 12. in Luc.* num, quod eis creditum fuerat, implere se non posse absque Deo Salvatore: & medicinam suam parem non esse curandis hominum vulneribus. Unde sicut si veniat peritissimus Medicus, & qui prius sanare nequiverant videntes sub Magistri manibus putredines cessare vulnerum, cicatrice obduci, redire sanitatem, non invideant, sed in laudem sapientis Medici erumpant, & Dei præsertim qui sibi ac ægrotis tantæ scientiæ hominem miserit; sic multitudo Angelorum de Christi adventu, de magni Medici ad ægrotos in terris jacentes, & nulla nisi ipsius arte & virtute sanari valentes, descensu Deum laudant, ejusque gloriam festivo jubilo prædicant. Laudant Angeli competenter, laudemus & nos obedienter. Sunt illi nuntii ejus, sumus & nos pecora ejus. Implevit in *S. August. serm. 94. alias de Tem. 25.* cœlo mensam ipsorum, implevit in terra præsepe nostrum. Plenitudo mensæ ipsorum est, *Quia in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*. Plenitudo præsepii nostri est, quia *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*. Ut enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. Illi laudant

viden-

videndo, nos credendo : illi fruendo, nos petendo : iili capiendo, nos quærendo : illi intrando, nos pulsando.

S. Greg. M. hom. 8. in Evang. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Prius quam Redemptor noster carne nasceretur, discordiam cum Angelis habuimus, a quorum claritate atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe distabamus ; „ Quia enim peccando extranei eramus a „ Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant An- „ geli cives Dei : sed quia nos cognovimus Regem no- „ strum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Quia e- „ nim cœli Rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmi- „ tatem illa jam Angelica celsitudo non despicit. " Hinc homines coram se procidere ante Christi adventum patiuntur, coram se prosterni postea refugiunt, & se hominum conservos profitentur : *Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum*. Curemus ergo ne qua immunditia polluat, qui in æterna præscientia & Dei cives & Angelis ejus æquales sumus.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quam adprecantur pacem Angeli, ea est Deo in gratiarum actionem pro dato nobis Filio suo Principe pacis offerenda : *S. Leoserm. 25. in Nat. Dom. 6.* Quia *Non aliter pie colitur, nisi id ei, quod ipse tribuit, offeratur*. Quid enim in thesauro dominicæ largitatis ad honorem dominici Natalis tam congruum possumus invenire quam pacem, quæ in Nativitate Domini primo est angelico prædicata concentu ? " Ipsa est enim quæ parit „ filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix unitatis, „ requies beatorum, & æternitatis habitaculum ; cujus „ hoc opus proprium & speciale beneficium est, ut jun- „ gat Deo, quos secernit de mundo. Unde Apostolus ad „ hoc bonum nos incitat, dicens : *Justificati ergo ex fide,* *Rom. 5. 1.* „ *pacem habeamus ad Deum*. Cujus sententiæ brevitate „ omnium fere mandatorum continetur effectus : quia ubi „ fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. „ Quid est autem pacem habere ad Deum, nisi velle quod „ jubet, & nolle quod prohibet ? Si enim humanæ ami- „ citiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, „ nec umquam diversitas morum ad firmam potest perve- „ nire concordiam : quomodo divinæ particeps erit pa- „ cis, cui ea placent, quæ Deo displicent & iis appe- „ tit delectari, quibus illum novit offendi ? Non est ille „ animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit ad- „ optiva nobilitas. Genus electum & regium regenera- „ tionis suæ respondeat dignitati. Diligat quod diligit „ Pater, & in nullo ab Authore suo dissentiat, ne ite- *Isai. 1. 4.* „ rum dicat Dominus : FILIOS genui & exaltavi, ipsi „ autem spreverunt me. Agnovit bos possessorem suum, „ & asinus præsepe domini sui : Israel autem me non „ cognovit, & populus meus non intellexit. "

S. Leo idib. c. 4. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hominibus bonæ voluntatis, quietem omnimodam Angeli non annuntiant, sed pacem. Totus enim mundus in maligno positus est, & insidiante diabolo & angelis ejus, hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad superna nitentem aut adversa terreant, aut secunda corrumpant : sed major est qui in nobis est, quam qui adversus nos est : & pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus : *Fiat voluntas tua*, nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus. „ Accu- „ santes enim nosmetipsos confessionibus nostris, & con- „ sensum animi carnis concupiscentiis denegantes, ini- „ micitias quidem adversum nos ejus, qui peccati auctor „ est, commovemus : sed inexpugnabilem cum Deo pa- „ cem, gratiæ ejus serviendo firmamus : ut Regi nostro „ non solum obedientia subjiciamur, sed etiam judicio „ copulemur. Quoniam si in eadem sententia sumus, si „ quod vult volumus, & quod improbat improbamus ; „ ipse jam pro nobis omnia bella conficiet, ipse qui de- „ dit velle, donabit & posse : ut simus cooperatores ope- „ rum ejus : & propheticum illud cum fidei exultatione *Psal. 26. 1.* „ dicamus : Dominus illuminatio mea & salus mea, „ quem timebo ? Dominus defensor vitæ meæ, a quo „ trepidabo ? "

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. NATALIS *S. Leo ib. c. 5.* *Domini natalis est pacis*. Ait enim Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum :* Quoniam sive Judæus sive *Ephes. 1. 14. 18.* Gentilis, *per ipsum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem* ; Qui ante passionis diem voluntaria dispositione *Joan. 14. 17.* præelectum, Discipulos suos hac præcipue doctrina sua informavit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Et ne sub nomine generali pacis suæ qualitas lateret : adjecit : *Non quemadmodum mundus dat, ego do vobis*. Habet enim mundus amicitias suas, & multos facit perverso amore concordes. Sunt etiam in vitiis pares animi, & similitudo desideriorum, æqualitatem gignit affectuum ... „ Pax autem spiritalium a supernis veniens & „ ad superna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos „ vult communione misceri, sed omnibus obstaculis resistere, „ & ad vera gaudia a pernicios delectationibus evolare. "

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Sine charitate, sine justitia, non est vera pax, *Non est pax impiis* : sed *Pax multa diligentibus legem tuam* (Domine.)

Isai. 57. *Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes : Et invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio*. Cum sancta suspiratione gratiæ suæ Deus ad aliquod bonum opus nos excitat, a pio affectu transeundum est ad opus. *Transeamus usque Bethleem*, &c. Sine mora gratiæ excitanti respondendum & affectus devotioni fervor in executione sancti operis jungendus est, nihil negligendum, ubi de promerendo Deo, de inveniendo Jesu agitur. *Et venerunt festinantes*. Nobis satis esse non debet bonum operari, sed & alios ad bonum hortari & accendere pro viribus debemus ; *Pastores loquebantur ad invicem*. Vides festinare Pastores ; nemo enim cum desidia Christum requirens invenit. Vides Pastores Angelo credidisse : & tu Patri, Filio, Spiritui sancto, Angelis, Prophetis & Apostolis crede. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. *Simplicitas quæritur, non ambitio desideratur*. Cum festinatione & fervore Bethleem veniamus, in domum Panis vivi, quæ est Ecclesia : ibi Christum ipsum, quem in præsepi invenerunt & adoraverunt Pastores, in Altari fidei oculis videbimus reipsa præsentem in Eucharistiæ sacramento, speciebus panis velatum & quasi involutum, vere Deum absconditum. *Si cum fide accesserimus, proculdubio videbimus illum in præsepi jacentem. Siquidem hæc mensa vicem explet præsepis*. Christo Domino ibi adsistamus ut Maria & Joseph ; pura mente, casto corpore, bonis operibus fœcundi ; justitia quæ communis est virtus, conspicui, simplicitate morum ornati, absque fuco, absque dolo, ut Pastores : fide viva, charitate fervida intueamur, adoremus, sumamus panem Domini, immo *Panem Dominum* : admiremur divitias bonitatis Christi Jesu, qui se nascens dedit nobis socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. Quæ a Pastoribus, a Concionatoribus verbi Dei audimus, quæ in piis libris legimus de Mysteriis Christi Jesu, conservemus & conferamus in corde, ut Maria Virgo sanctissima. *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*. Eorum meditatione pascamus animam, ut munda animalia ruminantes ; eorum virtutem & gratiam piis meditationibus percenseamus, colligamus. Deum denique post Communionem, post sacram Concionem, post sanctam meditationem glorificemus, laudemus, ipsique gratias agamus ob collata nobis beneficia. *Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos*.

Psal. 118. S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 53.

S. Joan. Chrysost. hom. 31. de S. Philogonio.

21. *Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus*. Christi Jesu obedientiam & humilitatem imitemur, qui *Factus* est *sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Notam ac remedium peccati suscipere non est dedignatus, qui *similitudinem carnis peccati* assumpsit, ut peccatores salvos faceret, Sanctus Sanctorum, Agnus sine macula, Pontifex impollutus & a peccatoribus segregatus, Dei Filius unigenitus. Nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic : non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium austerum pariter & verecundum sine ulla necessitate suscepit. Nos e contra inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi.

Galat. 4. 4.

Vocatum est nomen ejus Jesus, idest, Salvator. Statim atque Jesus vocatur, Salvatoris officium exercet, sanguinis sui pro nobis offerendo primitias. Illi soli salutis nomen accipiunt, illi soli vocantur salvandi & electi, qui sunt spiritualiter circumcisi, circumcisione non manufacta : quod quidem nomen, non solum ante conceptionem suam in utero, sed ab æterno in Dei præscientia & prædestinatione, secundum misericordiam ejus acceperunt.

S. Bern. ser. in Circum. Dom.

22. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem. ut sisterent eum Domino*, &c. Deipara Virgo primum templum est & altare, in quo se æterno Patri Christus obtulit, ipse Sacerdos & victima. „ Ingrediens mundum, dicit ; „ Hostiam & oblationem noluisti ; corpus autem aptasti „ mihi : holocautomata & pro peccato non tibi placue- „ runt : Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum „ est de me : Ut faciam Deus voluntatem tuam. " Sed & se offert summus Sacerdos, & offertur a parentibus, tempore a Lege præscripto. Redimitur Redemptor omnium : Sistitur in Templo Dominus Templi : subit legem supremus Legislator, ut Legi parere ab ipso discamus, & per ipsum nos spirituales hostias offerre Deo in odorem suavitatis, in Spiritu sancto quo uncti & consecrati sumus in baptismate : Offeramus igitur Christum cum Maria Virgine ; & ut digne offeramus, purificemus nos ipsos humili pœnitentia, offeramus castitatem mentis & corporis, & mansuetudinem cum amoris pœnitentis gemitibus : cujus oblationis typi fuere par turturum aut duo pulli columbarum pro Chri-

Hebr. 10. 5. & seq.

Natal. Alex. In Evang.

sto secundum Legem oblati .' Sive fortia quis opera , seu infirma ediderit, quæ masculi ac fœminæ vocabulis in Lege designantur , ut hæc legitime Domino valeant consecrari , ovem necesse est innocentiæ , & turturem pariter sive columbam compunctionis offerat .„ Quia enim „ volucres næ pro cantu gemitus habent, non immerito „ lachrymas humilium designant, quibus plurimum in ipsis „ etiam bonis operibus indigemus : Quia etsi bona esse „ quæ agimus noverimus, qua tamen districtione a Domino examinanda, qua a nobis perseverantia sint consummanda nescimus. Qui vero divitias virtutum non habendo, de quibus ad Corinthios Apostolus scribit, *Quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia* ; agnum vitæ innocuæ in actuum suorum grege non invenerit, duos saltem turtures, aut duos columbæ pullos offerat , hoc est , ad lachrymarum flagitanda suffragia confugiat. Et bene *unum pro peccato, & alterum in holocaustum* : Quia duo sunt genera compunctionis. Deum namque sitiens prius timore compungitur, post amore. Prius enim sese in lachrymis afficit , quia dum mala sua recolit , pro his perpeti æterna supplicia pertimescit . At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta , quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Qui ergo prius flendo , ne duceretur ad supplicium , turturem pro peccato offerebat , de altero facit holocaustum, cum postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a Regno. Columbam pro peccato offert , qui laborat in gemitu suo, lavat per singulas noctes lectum suum, hoc est, per singulas pulsantis culpæ tenebras opera sua bona , in quibus requiescere debeat , lachrymis abluere non cessat. Columbarum pullos in holocaustum ferunt, qui patriæ cœlestis absentiam deflentes a- junt : Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui, Sion ."

Venerab. Beda in hunc locum.

1. Cor. 1. 5.

Levit. 12

Psalm. 136. 1.

25.„ Et ecce homo erat in Jerusalem , cui nomen Simeon , & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israel , & Spiritus sanctus erat in eo : & responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini , & venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas , & benedixit Deum ." Vir justus & religiosus fide, spe & charitate Christo occurrit , eumque complectitur ; Spiritus sancti inspirationem & impulsum in omnibus operibus suis sequitur : *Qui enim Spiritu Dei aguntur , hi sunt filii Dei* . In illo Spiritus Dei habitat , spiritu vivit , spiritu ambulat , spiritu loquitur ; desideria carnis non perficit , sed mortificat : mundi hujus spiritum non habet , pravos mores non sequitur : non terrena bona concupiscit ; sed diem Domini , adventum Christi in gloria & majestate. Hæc enim veri Israel consolatio: Hæc *Dies Christianæ exultationis*, ut loquitur Tertullianus . *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (inquit justus) *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Deum timet justus, timore casto, non servili: timet ut filius, ne patrem offendat: timet ut sponsa , ne sponso displiceat. Felix Simeon , quia Christum videre meruit ; felicior quia credidit. Felices & nos si credamus fide per dilectionem operante. *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Cogita qualem fructum sanctus Senex perceperit ex visione & complexu Christi Salvatoris . Fimbriam vestimenti Jesu mulier tetigit , & sanata est . Si illa ad extremam partem vestimenti tantum emolumentum habuit , quid putandum est de Simeone , qui in suas ulnas accepit infantem & brachiis tenens lætabatur atque gaudebat , videns parvulum a se gestari , qui advinctos venerat resolvendos ? Non minorem fructum te percepturum speres , si cum pari fide , spe , charitate , humilitate ad Altare sanctum communicaturus accedas . *Ecce Christum vides , ipsum tangis , ipsum manducas* : ipse tibi concedit *non tantum videre , verum & tangere , & manducare , & intra te sumere . Igitur accedat nemo cum nausea , nemo resolutus , omnes accensi , omnes ferventes* . Ad templum adeas , sacrosancto Missæ sacrificio & divinis officiis adsis in Spiritu , justi Simeonis exemplo ; non curiositate , non cupiditate ductus , non ut hominibus placeas , non ut mori satisfacias ; sed ut Jesum fide & charitate complectaris , adores , æterno Patri offeras cum Sacerdote , propitiationis & salutis victimam ; ut Deum benedicas & laudes. *Et venit in Spiritu in Templum ... Et ipse accepit eum in ulnas suas , & benedixit Deum*. Christum in ulnas suas accipere nihil Simeoni profuisset , nisi ipsum corde gestasset .

Rom. 8. 14.

Lib. 2. de cultu Feminar. c. 7.

Psalm. 41.

Origenes Hom. 15. in Luc.

S. Chrysost.

29. *Nunc dimittis servum tuum , Domine , secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum* . Si quis jacturam fieri arbitratur cum ex hac vita disceditur , hic nondum in fide perfectus est , justus cupit corporeæ carcere molis ac fragilitatis exsolvi ,' cupit dissolvi & esse cum Christo : quod multo melius esse fide intelligit. Ejus est mortem timere , qui ad Christum nolit ire : ejus est ad Christum nolle ire , qui se non credat cum Christo incipere regnare . Non sic Simeon qui vere justus fuit , qui fide plena Dei præcepta servavit ; cui cum divinitus responsum fuisset , quod non ante moreretur quam Christum vidisset , & Christus infans in templum cum matre venisset ; agnovit in Spiritu natum esse jam Christum , de quo sibi fuerat ante prædictum , quo viso scivit se cito moriturum . Lætus itaque de morte jam proxima , & de vicina accersitione securus , accepit in manus Puerum , & benedicens Deum , exclamavit & dixit : *Nunc dimittis Servum tuum , Domine , secundum verbum tuum in pace* , &c. Probans scilicet atque contestans , „ Tunc esse servis Dei pacem , tunc liberam , tunc tran- „ quillam quietem , quando de istis mundi turbinibus ex- „ tracti , sedis & securitatis æternæ portum petimus , „ quando expuncta hac morte ad immortalitatem veni- „ mus ; illa est enim nostra pax , illa fida tranquillitas , „ illa stabilis & firma , & perpetua securitas . "

S. Cyprian. lib. de mortalit.

Nunc dimittis servum tuum , Domine , secundum verbum tuum in pace , &c. Christum videre vehementer optabat sanctus Senex & tamen ab illo tam cito separari consentiebat , illi secundum divinitatem , quam secundum carnem magis adhærens , per istam transiens ad illam ; & Spiritu sancti Magisterio edoctus , Christum jam secundum carnem non nosse , aut ei sensibiliter adhærere , quod Apostolus postea professus est : *Et si cognovimus secundum carnem Christum , nunc jam non novimus* . Hæc perfectionis regula , quam Verbo caro factum nos docuit, se *Viam* dicens , *veritatem & vitam* . Docuit ante Simeonem ad cor ejus loquens . „ Intelligamus & *nos* „ quam nulla res in via tenere nos debeat , quando nec „ ipse Dominus in quantum via nostra esse dignatus est, „ tenere nos voluerit , sed transire : ne rebus temporali- „ bus , quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & ge- „ stis , hæreamus infirmiter , sed per eas potius curamus „ alacriter , ut ad eum ipsum qui nostram naturam a „ temporalibus liberavit , & collocavit , ad dexteram Patris , provehi atque pervehi mereamur . "

2. Cor. 5. 16. Joan. 14. 6. S. Aug. lib. 1. de Doct. Christiana cap. 34.

31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum . Lumen ad revelationem Gentium , & gloriam plebis tuæ Israel* . Christus Jesus ad salutem omnium a Deo paratus & datus . Neque eos quos in cilicio & cinere pœnitentiam acturos ait , si apud illos miracula fecisset , injuste noluit salvos fieri , cum *possent salvi esse si vellent* ; „ non „ ex se ipsis , sed Deo voluntate eorum in bonum misse- „ ricorditer convertente , cui volenti salvum facere nul- „ lum humanum resistit arbitrium : quia velle & nolle sic „ in volentis vel nolentis est potestate , ut divinam vo- „ luntatem non impediat , nec superet potestatem . *Et* „ Quantælibet sint voluntates Angelorum vel hominum , „ vel bonorum vel malorum , vel illud quod Deus , vel „ aliud volentes quam Deus , Omnipotentis voluntas sem- „ per invicta est , quæ mala esse numquam potest ; quia „ etiam cum mala irrogat , justa est . Deus igitur omni- „ potens sive per misericordiam cujus vult misereatur , „ sive per judicium quem vult obduret , nec inique ali- „ quid facit ; nec nisi volens quidquam facit , & omnia „ quæcumque vult facit . " Salus igitur per Christum parata est ante faciem omnium populorum , quia ex omni gente , & ex omni hominum genere , sexu , professione , Deus per Christum salvat quos elegit in ipso ante mundi constitutionem ut essent sancti : & quia nemo fit salvus , nisi quem per Christum salvum fieri velit ; & ideo sit rogandus ut velit ; quia necesse est fieri si voluerit : quia denique Christus sanguinem suum pro omnibus fudit . „ Habuit ille sanguinem unde nos redimeret , & ad „ hoc accepit sanguinem , ut esset quem pro nobis redi- „ mendi effunderet . Sanguis Domini Dei tui , si vis , „ datus est pro te : si nolueris esse , non est datus pro „ te ... Sanguis Christi volenti est salus , nolenti suppli- „ cium . " Gentibus ac Judæis ortus est Christus , lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum . *Habitantibus in regione umbræ mortis , lux orta est eis* ; sed Judæi pro maxima parte *dilexerunt tenebras magis quam lucem* ; *ipsi fuerunt rebelles lumini* ; unde Gentes ad lucem Evangelii vocatæ sunt , & crediderunt in lucem , ut filii lucis essent . Christus igitur Israelitici populi gloria , ex quo natus est , apud quem vixit , prædicavit , miracula fecit : sed ejusdem populi dedecus est , & condemnatio , quia ab eo repulsus & crucifixus . Timeant Christiani , qui luce Evangelii abutuntur , & secundum eam non vivunt , mundi & peccati tenebras magis diligentes , ne idem ipsis contingat quod Judæis : ne ab ipsis auferatur regnum Dei , & detur genti facienti fructus ejus .

S. Aug. in Enchir. & alibi .

S. Augustin. serm. 344. Edit. P. P. Benedict.

Matth. 21. 43.

33. *Et erant pater ejus & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo* . Si Maria & Joseph discunt a Pastoribus & a Simeone , cur tu discere dedignaris a Sacerdotibus ? Si superioris ordinis & sanctitatis animas , amplioribusque Spiritus sancti donis cumulatas Deus non immediate docet omnia , sed interdum per alias inferioris longe sanctitatis & virtutis illuminat , ut Mariam & Joseph per Pastores , Zachariam , Simeonem : cur tu qui nullius es coram Deo meriti , a Pastoribus Ecclesiæ , & viris sapientia , scientia sanctorum , & pietate conspicuis , refugis audire & discere quæ Dei sunt ? Auditum interiorem admove ad ea quæ de Deo dicuntur . Fide attende

S. Chrys. hom. de Occursu Dom.

ad Dei opera, ad Christi Jesu Mysteria, & in eis novum semper aliquid miraberis, ut ejus magnitudinem, sanctitatem & misericordiam, bonitatis divitias, & adinventiones exquisitas amoris immensi quo nos dilexit. confiteaaris & laudes.

34. *Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur.* In resurrectionem multorum positus est, in hoc enim a Deo missus ut multi in ipsum credant, & qui crediderint, salvi fiant. *Ego*, inquit, *sum resurrectio & vita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Et alibi. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* In ruinam vero multorum positus, qui in illum non credentes, aut adventus ejus beneficio, ejusque Mysteriis & gratiis abusi, & sanguinem testamenti pollutum ducentes in quo sanctificati sunt, inde sibi ruinam & damnationem arcessent, unde vitam & salutem haurire debuerant. *Si non venissem* (inquit) *& locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hoc sensu a Propheta dictum est: „ Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur: " Quo testimonio usus est Apostolus, causam docens incredulitatis Judæorum. „ Gentes, *inquit*, „ quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero „ sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit. „ Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum „ est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram „ scandali: & omnis, qui credit in eum, non confunde„ tur. „ Domos autem Israel appellavit Propheta propter divisionem regni, & una designavit tum domum Ephraim, tum domum Judæ. „ Et hi enim & illi progenitorem habuerunt Jacob. Docet autem eos qui Domino crediderint, ipsum habere ducem, qui omnes viæ „ difficultates faciles reddet: incredulos vero tamquam „ in laqueo quodam, vel fovea, vel obice, secundum „ Aquilam; vel scandalo, secundum alios, manere in Je„ rusalem, ubi eos Romanum bellum prorsus atteret, & „ velut in laqueo comprehendet. Pro *impotentes erunt*, „ Symmachus dixit *offendent*, Aquila *scandalizabuntur*. Of„ fendentes enim ad Crucem Domini & ceciderunt, & „ contriti sunt, captique ab hostibus, tamquam intra rete „ quoddam comprehensi in civitate. Quanto graviores „ pœnas luent Christiani, qui vitam non ducunt fidei „ Christi congruentem, quam in baptismo sunt professi; „ & Christi Evangelio pravis moribus contradicunt? " *Et in signum cui contradicetur . . . . Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Si Christus in signum contradictionis positus est, ne conturbentur qui Christo sincere serviunt, si eis a mundo, id est, ab hominibus qui diligunt mundum, vel a fictis & falsis fratribus, quos in omni societate pati necesse est, quotidie contradicitur. *Non est discipulus major domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Non conturbentur Pastores animarum, & evangelici Prædicatores, si eis contradicitur ab impiis, a peccatoribus cupiditates suas præ Dei lege audientibus. *Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.*

35. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, &c. Beatæ Virginis animam vis doloris in Christi Passione pertransivit, ut plus quam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ passionis sensum excesserit compassionis affectus. Ut Christus corpore moreretur, fecit charitas, qua majorem nemo habuit: Ut Maria corde commoreretur, fecit & charitas, cui post illam similis non fuit. Cogita dolorem Agar cum Ismaele puero in deserto errantis, quæ pane & aqua deficientibus, abjectoque filio subter arborem dixit, *Non videbo morientem puerum*, contentaque voce clamavit & flevit. Cogita Sephoram Moysis uxorem ob filii sui circumcisionem, vulnusque acutissima petra infanti inflictum gementem, & Moysi dicentem, *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Cogita Noemi mortuo marito filiisque ad summam paupertatem redactam, dicentemque amicis mulieribus, *Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est amaram) quia amaritudine valde replevit me omnipotens.* Cogita Respha, quæ filiis suis a Gabaonitis in monte crucifixis, cilicium substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cœlo, non dimisit aves lacerare eos per diem neque per noctem. Cogita vocem in excelso auditam lamentationis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt: & Mariæ dolorem in Passione & morte filii tanto acerbiorem fuisse considera, quanto major erat vis charitatis qua suum Deique Filium diligebat mater sanctissima. Amissum uno funere sponsum parentem, Dominum & Filium a Matre quæ sine viri consortio concepit, quæ totam corporis substantiam sola Filio ministravit; quæ infinitam ejus excellentiam, bonitatem, sanctitatem, beneficentiam erga Judæos mortis ejus auctores optime novit, expende, & vide si est dolor similis Beatæ Virginis Mariæ dolori. Sic summa gaudia quæ partus tempore persensit, & quibus cumulata est videns honores Filio suo ab Angelis, a Pastoribus, a Magis, a sancto Sene volente Deo delatos, excepit prædictio & denunciatio doloris acerbissimi, quem in ejus Passione ac morte passura erat. Ita cum electis suis & amicis agit Deus, eorumque gaudia tribulationibus, amaritudinibus, lachrymisque miscet.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Gladius verbi Dei, quem Christus Jesus venit mittere in terram, pertransit animas electorum, easque a rerum terrenarum amore separat, amoremque proprium & cupiditates in illis interficit. „ Vivus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad „ divisionem animæ & spiritus, compagum quoque & „ medullarum & discretor cogitationum & intentionum „ cordis. " Sic probantur qui ex Deo sunt, sic revelantur ex multis cordibus cogitationes.

37. 38. *Et erat Anna Prophetissa . . . . Quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsa superveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.* „ Docet Anna quales deceat esse vi„ duas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ „ tamen adoream laudis invenit: non minus religionis „ officio, quam studio castitatis intenta. Vidua, inquit, „ octoginta & quatuor annorum, vidua quæ non discede„ ret de templo, vidua quæ jejuniis & obsecrationibus „ nocte ac die serviret. Vides qualis vidua prædicetur, „ unius viri uxor, ætatis quoque jam probata processu, „ vivida religioni & effœta jam corpore: *Cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio:* „ *Quæ dierum noctiumque temporibus indefessæ devotioni* „ *obsequio, cum corporis agnosceret senectutem, pietatis* „ *tamen nesciret ætatem.* Sic instituitur a juventute vi„ dua, sic prædicatur in senectute veterana: quæ viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate cor„ poris; sed virtutis magnanimitate servaverit. "

Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, &c. „ Anna univira vidua Ruth bis conjugata beatior „ fuit, quia & prophetissa Christi esse meruit: quam „ credendum est, etiamsi filios nullos habuit, quos qui„ dem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo Spiritu „ prævidisse Christum ex Virgine proxime venturum, quo „ potuit agnoscere & parvulum: unde merito etiam sine „ filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias re„ cusavit; quia noverat jam tempus esse, quo Christo „ non officio pariendi, sed studio continendi, nec con„ jugalibus fetandis visceribus, sed castificandis vidualibus „ moribus melius serviretur. "

Non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte. Sic in oratione & jejunio perseverans, Deum promerebatur. Hoc viduarum Christianarum exemplar, de quibus Apostolus: *Quæ autem vere vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.* „ Deliciæ igitur spirituales deliciis car„ nalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, „ psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi, & cor sursum, atque de his „ omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo omne „ datum optimum & omne donum perfectum descendit. „ Nam quando pro deliciis nuptarum, quas in carne vi„ rorum habunt, aliarum carnalium deliciarum tanquam „ in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ se„ quantur mala, cum breviter Apostolus dixerit, viven„ tem mortuam esse viduam, quæ in deliciis vivit? "

40. *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Crescere vult Christus in membris corporis sui mystici, incremento gratiæ & sanctitatis, donec occurramus omnes in virum perfectum. „ Veritatem *igitur* facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo „ totum corpus compactum & connexum per omnem junc„ turam subministrationis, secundum operationem in „ mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis „ facit in ædificationem sui in charitate. "

42. *Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consumatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Sanctis Animabus ad perfectionem tendentibus, interdum se Jesus abscondit, eisque sensibiles consolationes subtrahit, illarum ut fidem exerceat, piaque augeat desideria. *Revertere*, ait sponsa cœlestis dilecto suo. *Ideo* nempe *subtraxit se, quo avidius revocaretur; teneretur fortius.* Nec statim atque revocatur, ad ipsam revertitur. *In lectulo meo*,

Joann. 11 25. 26. — Joan. 10. 10. — Joan. 15. 22. — Isai. 8. 13. 14. 15. — Rom. 9. 30. 31. & seq. — Isai. 8. Theodoret. in cap. 8. Isaiæ. — Jerem. 31. 15. — Exodi 4. Ruth. 1. 2. Reg. 21. — S. Bernard. serm. in hæc verba Apoc. Signum magnum. — Genes. 21. — Hebr. 4. 12. — S. Ambros. lib. de Viduis cap. 4. — 1. Tim. 5. &c. — Ephes. 4. 15. & 16. — S. Aug. lib. de Bono Vidual. cap. 7. — Cant. 2. 5. Bern. serm. 74. in Cant. & serm. 75.

meo, inquit, *quæſivi per noctes quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni*. Cur vero non revertitur ad vocem & votum revocantis? *Ut deſiderium creſcat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium.*

44. 45. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in Templo*. Quæramus Jeſum ſine mora, fideliter, perſeveranter, in Jeruſalem, in Eccleſia. Tres ſunt cauſæ curr quærentes fruſtrari ſolent, 1. *Cum non in tempore quærunt*: 2. *Aut non ſicut oportet*: 3. *Aut non ubi oportet*. Nullibi melius quæritur quam in Templo, in domo orationis.

S. Ber. ibid.

S. Gregor. 3. P. Paſtor. cap. 26. & Beda in hunc locum

46. *Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*. In medio Doctorum ſedet Jeſus quaſi fons ſapientiæ; ſed quaſi exemplar humilitatis, audire prius & interrogare Doctores, quam inſtruere quærit indoctos. Ne etenim parvuli a ſenioribus erubeſcant diſcere, & ipſe ob ætatis humanæ congruentiam, hominibus auſcultare non erubeſcit Deus. Ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis ſuis doctoribus miniſtravit. Chriſtum Jeſum in Evangelio ſuo docentem humiliter audiamus, ſimus docibiles Dei. Sacram Scripturam cum pietate legamus, & quæ non intelligimus, oremus Deum ut intelligamus: Doctores interrogemus, audiamus Eccleſiam cui Spiritus ſanctus verum Scripturarum ſenſum revelavit. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant a te*. Noli contendere verbis, ſed audi primum cum docilitate & pietate; deinde interroga cum modeſtia, non ex curioſitate, ſed ex pio affectu diſcendi cor Dei in verbis Dei. *Audi tacens ſimul & quærens*. Et cum didiceris quod ignorabas, Chriſto gratias age, qui te intus docet. „ De univerſis *enim* quæ „ intelligimus non loquentem qui perſonat foris, ſed intus ipſi menti præſidentem conſulimus veritatem, verbis fortaſſe ut conſulamus admoniti. Ille autem qui „ conſulitur, docet, qui in interiore homine habitare „ dictus eſt Chriſtus, id eſt, incommutabilis Dei virtus „ atque æterna ſapientia: quam quidem omnis rationalis Anima conſulit, ſed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam ſive malam ſive bonam „ voluntatem poteſt. “

Eccli. 6. 35.

Eccli. 32. 9.

S. Auguſt. lib. de Magiſtro cap. 11.

47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus*. Prudentiam & reſponſa pueri Jeſu mirabantur, qui illum Deum eſſe & Dei ſapientiam ac virtutem ignorabant: ſed nobis major eſt admirandi ratio, quod annos triginta latere voluerit, ſapientiamque ſuam propter nos abſcondere. Vitam abſconditam Chriſti Jeſu adoremus, & humilitatis ejus imitatores facti, neſciri & latere magis amemus, quam in publicam lucem prodire; & hominum ſermonibus celebrari.

48. *Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*. Chriſtus amiſſus non invenitur ſine dolore & lachrymis. Amor doloris menſura eſt. Quo magis Deum amamus, cum dolore majori quærimus. „ Amor non poteſt „ eſſe ſine dolore. Nam & ille amat & non dolet, qui „ habet quod amat; qui autem amat, & nondum habet „ quod amat, neceſſe eſt ut in dolore gemat. Inde illud „ in perſona Eccleſiæ ſponſa Chriſti in Cantico Canticorum: Quoniam vulnerata charitate ego ſum. Vulneratam ſe dixit charitate: amabat enim quiddam, & nondum tenebat; dolebat quia nondum habebat. Ergo ſi „ dolebat, vulnerata erat: ſed hoc vulnus ad veram ſanitatem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt pervenire. “

S. Auguſtin Pſalm. 37.

Cant. 2. 5. & 5. 8.

49. *Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Verbo & exemplo docet nos Chriſtus, Dei cultui, amori, obſequio nihil eſſe præponendum; non humana negotia, non rei familiaris curam, non parentum ſocietatem, utilitatem, conſolationem. Unde alibi ait: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me*. Ipſe prius obſervare voluit, quod nobis obſervandum poſtea tradidit: *Qui amat patrem ſuum, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*. Hoc ſcilicet *Unum eſt neceſſarium*; hoc eſt, *omnis homo*, Deum diligere, & mandata ejus ſervare. Diſcant Eccleſiaſtici Viri ſæcularibus negotiis non ſe immiſcere, quia illos Chriſto conſecratos in ejus negotiis totos & ſemper verſari oportet, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*.

Joan. 4. 34.

Matth. 10. 37.

51. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Exempla pietatis agnoſce. Diſce quid parentibus debeas Chriſti Jeſu exemplo, reverentiam, nec ſolum parentibus ſecundum carnem, ſed Superioribus qui nobis ſunt inſtar patrum. Si Jeſus Filius Dei ſubjicitur Joſeph & Mariæ, ego non ſubjiciar Epiſcopo, qui mihi a Deo ordinatus eſt pater? Non ſubjiciar Presbytero, qui mihi dignatione Domini præpoſitus eſt? Intelligebat Joſeph quia major ſe erat Jeſus qui ſubjiciebatur ſibi, & ſciens Majorem eſſe ſubjectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo unuſquiſque, quod ſæpe melioribus præpoſitus ſit inferior, & nonnumquam accidat ut ille qui ſubjectus eſt, melior ſit eo qui ſibi videtur eſſe præpoſitus. Quod cum intellexerit dignitate ſublimior, non elevabitur ſuperbia ex eo quod major eſt; ſed ſciet ita ſibi meliorem eſſe ſubjectum, quomodo & Jeſus ſubjectus fuit Joſeph.

S. Ambr. in hunc locum Origenes hom. 20. in Luc.

Et erat ſubditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus; „ Deus (inquam) cui Angeli ſubditi ſunt, cui „ principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Ma- „ riæ: nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph propter „ Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſive Filii benigniſſimam dignationem, „ ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Utrinque ſupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo; & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio. Diſce homo „ obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare. „ Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te „ præponis Auctori? . . . Quoties hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo, & non „ ſapio ea quæ Dei ſunt. De ipſo namque dictum eſt: „ *Er erat ſubditus illis*. Si hominis imitari dedignaris „ exemplum, certe non erit tibi indignum ſequi Auctorem tuum. Si non potes forſitan ſequi eum quocumque „ ierit, dignare vel ſequi quo tibi condeſcendit. Si non „ potes ſublimem incedere ſemitam virginitatis, ſequere „ vel Deum per tutiſſimam viam humilitatis. “

S. Bern. hom. 1. in Evang. Miſſus eſt.

C A P U T III.

Senſus Litteralis.

1. 2. „ *Anno* autem quinto-decimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, „ Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, „ & Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, Zachariæ filium, in deſerto. “ Quia religionis inſtar eſt fidem de temporibus aſſerere, (ut ait alicubi Tertullianus) S. Lucas, ut fidem Hiſtoriæ Evangelicæ conciliet, epochas omnes accurate notat, & non modo Imperatoris, ſed Principum ſubalternorum & Magiſtratuum, nec non Sacerdotum qui Judæis præerant, cum Joannes Chriſti Præcurſor miniſterium ſuum obire cœpit. Is erat annus Imperii Tiberii Gæſaris, qui Auguſto ſucceſſit, decimus quintus. Regem præter Cæſarem Judæi non habebant, Judæa jam redacta in Provinciam, & Syriæ attributa. Judæam ſtricte ſumptam, prout a Galilæa diſtinguitur, poſt mortem Herodis, ex ejus teſtamento, & Cæſaris Auguſti beneficio, ethnarchiæ nomine obtinuerat Archelaus ejus filius: quo relegato Viennam Galliæ urbem, Pontius Pilatus Tiberii Imperatoris vice ac nomine hanc Provinciam procurabat ac moderabatur ut Præſes ſub Præfecto Syriæ, cum gladii poteſtate. Reliquæ terræ promiſſæ partes ſubalternis parebant Dominis ſeu Tetrarchis, ſub ſupremo Imperatoris dominio principalem quidem, ſed tamen præcariam exercentibus in ſua ditione poteſtatem. *Galilææ Tetrarcha* erat *Herodes* Antipas, Herodis magni filius, ad cujus Tetrarchiam Peræa etiam pertinebat. *Philippus* Herodis Magni filius alter, Antipæ frater, *Tetrarcha Iturææ*, quæ Batanæam & Auranitidem complectebatur, & *Trachonitidis*. Patrem Tetrarchiæ Zenodori Joſephus addit. Abilinæ, dictę ab urbe Abila in monte Libano ſita, quę pars principalior fuiſſe videtur poſſeſſionis Zenodori, *Teterarcha* erat, ſed Dynaſta *Lyſanias*, alterius forte Lyſanię nepos, cujus meminit Joſephus.

Lib. 15. Antiq. c. 13. & lib. 19. c. 4.

Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha. Pontificatu Maximo tunc fungebatur Caiphas, teſte Joſepho; ſed Annam Caiphę ſocerum, ſummę auctoritatis virum, patre Pontifice genitum, & ante Caipham Pontificatu Maximo functum S. Lucas adjunxit, & Sacerdotum Principem pariter nominavit; ſicut & Joſephus ſemel functos Pontificatu ſolet *Summos Pontifices* appellare. Nec improbabilis eſt eruditorum quorumdam Interpretum conjectura, eo tempore quo omnia venalia erant apud Romanos, Judęoſque, Pontifices contra Dei inſtitutionem crebro fuiſſe mutatos, & duos interdum fuiſſe, qui alternis annis ſummo Pontificatu fungerentur. Idque indicarę S. Joannem, ubi ait: *Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, &c.* & alio in loco: *Et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim ſocer Caiphæ qui erat Pontifex anni illius*.

Joann. 11. 49. & 18. 13

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto. Joannes Zacharię filius, qui in deſerto verſabatur, Pręcurſoris muneri ſe pręparans, miſſus eſt, & mandatum accepit a Deo prędicandi ac baptizandi. 3. *Et venit in omnem regionem Jordanis*, id eſt in regio-

regionem circa Jordanem ſitam, *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatum*. Confer cum Matth. 3. & Marci 1. *Iſai. 40. 3.*

4. *Sicut ſcriptum eſt in Libro Sermonum Iſaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus*: complanate vias per quas venturus eſt.

5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. De Judæorum reductione ex captivitate Babylonica auctore Cyro Perſarum Rege, ſecundum litteram intelligitur hæc Iſaiæ Prophetia, typice vero de Chriſto univerſum hominum genus a diaboli & peccati ſervitute liberaturo. Metaphorica autem locutio eſt a Regum conſuetudine derivata, qui quoties, cum exercitu præſertim iter faciunt, præmittuntur qui vias complanent, ſolident, æquent, & per devia compendium faciant, ne quid itineri obſtet, aut moram faciat. Sic venturo Chriſto viam per pœnitentiam, ceteraſque virtutes ac bona opera parandam Joannes monebat; ut nulla pravitate affectuum, nulla aſperitate morum, nulla fœditate vitiorum, nullo ſuperbiæ tumore, nulla puſilli animi abjectione ac deſperatione, nulla virtutum vacuitate offenderetur.

6. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*. Omnis homo corporeis oculis ſalutis Auctorem a Deo miſſum conſpiciet.

7. 8. 9. „ Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit „ vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos „ pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus „ Abraham. Dico enim vobis, Quia potens eſt Deus de „ lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Jam enim ſecuris „ ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non „ faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mitte„ tur. " Confer cum Matthæi cap. 3. ubi hæc interpretati ſumus.

10. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus?* Interrogabant eum quid facto eſſet opus, ut dignos pœnitentiæ fructus facerent, & vitarent excidium iramque venturam.

11. *Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat*. Commune omnibus dat præceptum, ut ex ſuperfluis ſuis, ſeu veſtimentis, ſeu cibis, pauperum inopiæ ſuccurrant; ne putent ablutionum & victimarum ceremoniis, aliiſque id genus ritibus ſe poſſe evadere iram divinam, ſed veris animi virtutibus, & præcipue *charitate*, quæ *operit multitudinem peccatorum*. Simile conſilium Nabuchodonoſor Regi dedit Daniel: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis*: Quicquid corpori noſtro tegendo ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, hoc una tunica; & quicquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc unius diei victus appellatur. *1. Petri 4. 9. Daniel. 4. 24. S. Hieron. Epiſt. ad Hedib. Q. 1.*

12. 13. *Venerunt autem & Publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis, faciatis*. Judæi Romanorum ſocii in exactione tributorum Cæſaris, vel publici redemptores, ad Joannem accedentes ut baptiſmo pœnitentiæ initiarentur, interrogarunt quid facto eſſet opus ad iram Dei fugiendam. Reſpondit divinus Præcurſor: Nihil amplius exigatis, quam quod vobis a Principe conſtitutum eſt. Publicorum redemptionem non prohibet, ſed exactiones illicitas, rapinam, injurias.

14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes, Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Judæi, qui vel Herodi Antipæ, vel Philippo Tetrarchis, vel Romanis militabant, in præſidiis præſertim, ubi ſalva religione tutius militiam profitebantur, Joannem pariter interrogabant quid agere deberent ad iram Dei fugiendam. Reſpondit ſanctus Præcurſor: *Neminem concutiatis*, id eſt, vi ac terrore pecuniam aut quid ſimile ne alicui extorqueatis: *Neque calumniam faciatis*, falſa crimina impingendo tanquam inſidiatoribus, aut fautoribus hoſtium, aut conſtitutorum ſubſidiorum fraudatoribus, &c. Solent milites interdum injuriis cauſas aliquas, quantumvis falſas atque abſurdas prætexere, ut Provinciales impune opprimant. *Et contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, obſoniis, ſeu annonæ præbitione, ſecundum Textum Græcum, quo nomine omnia præmia militibus publicitus conſtituta ſignificantur.

15. *Exiſtimante autem populo*, ſive *exſpectante* (ſecundum vim Græci Textus) id eſt, exſpectatione dubitationeque ſuſpenſo, *& cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus*. (Id enim ut ſuſpicarentur, ejus ſanctitas, admirabilis vitæ ratio, & officium baptizandi permovebat). Unde & Senatores Judæorum, Populi ſermonibus excitati, Legatos ad illum miſerant interrogaturos quis eſſet, ut narrat S. Evangeliſta Joannes.

16. 17. „ Reſpondit Joannes, dicens omnibus: Ego qui- *Joan. 1. 19.* „ dem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus „ non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: „ Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni: cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem com„ buret igni inextinguibili. " Confer cum Matthæi 3. noſtrumque ad illud caput commentarium vide. *Veniet fortior me*, incomparabiliter major dignitate, efficacia doctrinæ, ſanctitate, miraculis, baptiſmi virtute, divina omnipotentia, novæ Legis quam laturus eſt, regnique ſpiritualis duratione. Ille vos baptizabit & purgabit in Spiritu ſancto, qui *ignis* eſt, ſeu charitas, & quem ſub ignis ſpecie mittet: Non in aqua ſola, ut ego, ſed *in aqua & ſpiritu* vos baptizabit. Quid autem ventilabri, areæ, tritici, paleæ, horrei metaphora ſignificet, ad Matthæi cap. 3. expoſuimus. Eruditis quibuſdam Interpretibus videtur areæ nomine Judaicam Synagogam intelligi, de qua apud Iſaiam dicitur: *Tritura mea, & filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiavi vobis*. *Iſai. 21. 10.* Nomine ventilationis, excidium Urbis Jeruſalem ac Templi, gentiſque ruinam, ac diſperſionem, ſecundum illud Jeremiæ: *Et diſpergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci & diſperdidi populum meum, & tamen a viis ſuis non ſunt reverſi*. *Jerem. 15. 17.* Ita Verſum 17. S. Lucæ cohærere notant cum 7. & 9. de ira Genti illi ſuperventura, & de ſecuri ad radicem arborum poſita. Nomine tritici intelligunt electos, quos in Eccleſiam ſuam, deinde in cœlum, velut in horreum Chriſtus congregabit: nomine palearum reprobos, quos in ignem æternum mittet.

18. *Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo*. His verbis argumentum Prædicationis S. Joannis compendio ſe narraſſe Evangeliſta ſignificat.

19. *Herodes autem*, Antipas, Herodis magni filius, frater Philippi, *Tetrarcha, cum corriperetur ab illo*, ſcilicet a Joanne, *de Herodiade uxore fratris ſui* Philippi, quam ex vivente duxerat, repudiata uxore legitima Aretæ filia: cum (inquam) de adulterio & inceſtu publico, *& de omnibus malis quæ fecit*, a ſancto Præcurſore corriperetur *Herodes*: *adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcere*. Priora ſcelera novo hoc ſcelere cumulavit. Confer cum *Matthæi 14. verſ. 8. & ſeq. & Marci 6. v. 17. & ſeq.* Hæc eo quo geſta ſunt ordine temporis a S. Luca non commemorari, manifeſtum eſt.

Carcerem Herodianum, quo Joannes incluſus eſt, Evangeliſta noſter commemorat, ſicut Matthæus & Marcus: alia enim Joannis vincula non noverat, quæ modernus novæ Concordiæ Evangeliſtarum Auctor confinxit. Ea vero ſervato temporis ordine non commemorat, ut jam monui: & interdum ab Evangeliſtis res geſtas narrari non ſervato temporum ordine (quod & a profanæ Hiſtoriæ Scriptoribus fieri ſolitum eſt) S. Auguſtinus obſervat Lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 5. „ Cognoſcendum eſt (*inquit*) „ quod deinceps ad cetera talia valeat, ne ſimiliter mo„ veant animumque conturbent, ſic unumquemque Evan„ geliſtam contexere narrationem ſuam, ut tamquam ni„ hil prætermittentis ſeries digeſta videatur: tacitis enim „ quæ non vult dicere, ſic illa quæ vult dicere, illis quæ di„ cebat adjungit, ut ipſa continuo ſequi videantur: ſed cum „ alter ea dicit quæ alter tacuit diligenter ordo conſideratus „ indicat locum ubi ea potuerit, a quo prætermiſſa ſunt, „ tranſilire, ut ea quæ dicere intenderat ita ſuperioribus co„ pularet, tamquam ipſa nullis interpoſitis ſequerentur. "

21. *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis Populus*, „ id eſt, Judæi omnium ordinum viri: *& Jeſu baptizato, & orante*, non ex neceſſitate, ſed exempli cauſa, ut omnem juſtitiam impleret: *apertum eſt cœlum*, aereum ſcilicet, id eſt, nubes ſciſſæ ſunt ac diviſæ.

22. *Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum; & vox de cœlo facta eſt; Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Vide Matt. 3. 16. 17. Deſcendit autem Spiritus Sanctus in Jeſum, ſub ſigno ſenſibili, 1. propter ipſum, ut eo inauguratus & unctus, Sanctus, Sacerdos, Rex, & Propheta ſignificaretur, & in eo impletas eſſe Prophetias palam declararetur. Confer cum Iſaiæ 11. 1. & 2. „ Et egredietur virga de radice Jeſſe, & „ flos de radice ejus aſcendet. Et requieſcet ſuper eum „ Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiri„ tus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, „ & requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Domini. *Et „ cap. 61. 1.* Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit „ Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut „ mederer contritis corde, & prædicarem captivis indul„ gentiam, & clauſis apertionem. " 2. Propter Joannem deſcendit, ut eo indicio Chriſtum cognoſceret, quem antea ex vultu non noverat, & de illo teſtimonium perhibere poſſet, dicens: „ Quia vidi Spiritum deſcendentem, quaſi „ columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego ne„ ſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille „ mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem „ & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu „ ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic „ eſt Filius Dei. " 3. Ut myſterium Trinitatis quod in mundi creatione obſcurius fuerat revelatum, initio novi Mundi & novæ Legis manifeſtius patefieret.

23. *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*,

ginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat. Verbum illud, *incipiens*, ad annos ætatis minime refertur, quasi Christus trigesimum ætatis annum tunc ingrederetur, cum a Joanne baptizatus est, sed ad ministerium Christi qui tunc incipiebat palam prodire, & Messiam agere, ut notarunt S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Origenes, Beda, Euthymius, & alii; ac fere plerique omnes viri eruditi consentiunt. Quin & ipse Lucas *Act.* 1. 22. satis mentem suam aperit, ubi de vita publica & ministerio Jesu loquens, eodem verbo utitur: *Incipiens* (inquit) *a baptismate Joannis*. Quod vero spectat annum quasi trigesimum hic notatum, non determinatur præcise his verbis, *quasi annorum triginta*; quotum ageret annum ætatis Jesus, cum baptizatus est. Illa enim particula, *quasi*, aliquam semper permittit libertatem cum additur numeris, præsertim rotundis, alioqui frustra apponeretur. Sic cum apud Matthæum c 17. & apud Marcum cap. 9. legas, Christum *post dies sex*, ab instituto scilicet sermone, esse transfiguratum, Lucas tamen hac iterum usus particula, refert id factum esse post hæc verba, *quasi dies octo*. Unde non tam certum ætatis Christi Jesu annum hic præcise definire voluisse videtur S. Lucas, quam illam decadem a qua tum propius aberat Christus, indicare. Sane quam sit usitatum rotundo numero utentibus, aliquos annos omittere, nemo ambigit. Id autem præcipue ab Auctoribus sacris usurpatum S. Augustinus observat Quæst. 47. in Exodum: *Scriptura* (inquit) *solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa paulatim aut excedit, aut infra est, non computetur*. Hic itaque locus non cogit ut Jesum annos præcise triginta, & non paulo plures natum fuisse credamus, cum suum obire ministerium incœpit.

Julius Africanus Epist. ad Aristidem; apud Eusebium lib. 1. Hist. Eccles. c. 7. S. Hieron. in cap. 1. S. Matth. S. Aug. lib. 2. de consensu Evang. cap. 3. Et 2. Retract. c. 7. S. Ambr. l. 3. in Luc. &c.

Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, Joseph filium Jacob Matthæus, filium Heli appellat Lucas, quos ita conciliant Intetpretes, Julium Africanum, Eusebium, SS. Augustinum & Hieronymum secuti, ut alter secundum naturam, alter secundum Legem ei pater fuerit. Jacob scilicet & Heli fratres uterinos fuisse, illum filium naturalem Mathan ex Estha conjuge, istum filium naturalem Heli ex eadem. Cum autem Heli mortuus esset sine liberis viduam ejus uxorem duxisse Jacob ad suscitandum semen fratri suo; ex quo conjugio natus est Joseph filius naturalis Jacob & filius legalis Heli. Systemati suo fidem conciliat Africanus ex veteri Traditione, quam se accepisse scribit ab iis qui orti erant ex Jesu Christi Domini nostri cognatione. Adversus tam graves Auctores & tam antiquam Traditionem audiendi non videntur recentiores quidam Interpretes, qui naturalem successionem a Luca, legalem a Matthæo exhiberi putant, quia Lucas scribebat Gentibus, quibus minus nota erat legalis successio; Matthæus vero Hebræis, quibus magis accommodata erat genealogia legalis. Humanas enim rationes in scribenda Christi genealogia non attendisse sanctos Evangelistas, sed unum sancti Spiritus afflatum secutos, persuasum habere debent Christiani, & humiliter fateri se ignorare cur hunc vel illum scribendi ordinem SS. Evangelistæ secuti sint, cur hic legalium, ille naturalium parentum seriem exhibuerit. Sane hæc verba, *Jacob genuit Joseph*, naturalem; hæc vero, *Jesus ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi*, legalem successionem exprimunt, ut Julius Africanus observavit. *Neque enim* (inquit) *poterat disertius exprimi illa generandi ratio quæ est secundum Legem*. Ceterum omnes quos recenset S. Lucas, patres legales non sunt, sed secundum naturam plerique, ut David pater Nathan, quem ex Bersabee genuit, sicut & Salomonem; Jesse pater David, Booz pater Obed quem ex Ruth Moabitide genuit, idemque patet in sequentibus generationibus usque ad Adamum.

S. Irenæus lib. 3. c. 33.

24. 25. *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heli, qui fuit Nagge*. Cum S. Irenæus in Genealogia Domini secundum Lucam generationes dumtaxat septuaginta duas agnoscat, & nunc septuaginta sex numerentur; cum aliunde Julius Africanus nullum inter Joseph, Heli & Melchi, gradum intermedium recenseat, sed Joseph Heli, hunc Melchi fuisse filium scribat, sine ulla vel Matthat, vel Levi mentione; recentiores quidam audaciori conjectura putant duos illos Levi & Mathan in Textum S. Lucæ insertos esse a Librariis. Sed S. Hieronymus qui Novum Testamentum jussu Damasi Græcæ fidei reddidit, Matthat & Levi in S. Lucę textu agnovit & servavit: & S. Augustinus *septuaginta*

S. Aug. l. 2. de consensu Ev. c. 3. & 6

septem personas, secundum generationes quas Lucas secutus est, inveniri docet; &, *Lucam a Domino usque ad David quadraginta tres generationes enumerare*: Quod constare non posset, si Matthat & Levi expungerentur. Quamquam & S. Irenæi numerus constare potest, si verba ejus exclusive accipiantur, non connumeratis terminis duobus, Christo & Adamo, Joseph etiam prætermisso & parenthesi incluso, ut sic intelligenda sit genealogica S. Lucæ descriptio: *Jesus* (qui *putabatur filius Joseph*) erat filius Heli, *qui fuit Matthat, qui fuit Levi*, & expuncto *Kainan*, quem expungendum in Luca, ceu intrusum, doctiores ex Scriptura Veteris Testamenti probant. Videri potest Spanhemius Dubio Evangel. 24. cujus licet Heterodoxi non possum quin modestiam hoc loco commendem. „ Solis (*inquit*) hominum suffragiis nihil in Sacra „ Scriptura loco movendum. Et sane sine Moysis & Scriptoris Paralipomenon auctoritate nec Kainam excenturiandus fuisset. Religiose enim in religiosis versandum „ & summa reverentia adhibenda circa ea quæ Dei majestatem nobis repræsentant. "

26. 27. *Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ: qui fuit Semæi, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri*. An Salathiel & Zorobabel de quibus S. Lucas, diversi sint a Salathiele & Zorobabele, de quibus S. Matthæus, an iidem sint apud utrumque Evangelistam; & linea utraque Salomonis & Nathanis coaluerit sive per nuptias, sive aliqua alia ratione legali, in Salathiele vel Zorobabele: post Zorobabelem vero rursus decussetur, & S. Matthæus texat genealogiam Joseph ex Abiud filio Zorobabelis, S. Lucas ex Resa filio Zorobabelis altero, anceps quæstio, circa quam variæ sunt Interpretum sententiæ. Diversos Salathieles & Zorobabeles fuisse, nullum argumentum solide probat. In rebus autem tanti momenti suis nimium indulgendum non est conjecturis.

28. 29. 30. 31. „ Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui „ fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit „ Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Levi, qui „ fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, „ qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui „ fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David. " Stemma genealogicum Jesu Christi ex Davide pariter ducunt SS. Matth. & Lucas, sed per diversam lineam; Matthæus per Salomonem; Lucas per Nathan Salomonis ex eodem patre eademque matre fratrem.

32. 33. 34. 35. 36. „ Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui „ fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit „ Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui „ fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit „ Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, „ qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui „ fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech. " Sale ab Arphaxad immediate genitum, constat ex Hebræo fonte *Genes.* 10. *v.* 24. & 1. *Paral. c.* 1. *v.* 18. insitus itaque est *Kainan* aliena manu ex corrupta Versione Septuaginta Interpretum. Abest non solum ab Hebraico Textu, sed a Samaritano, & a Chaldaicis Paraphrasibus; a Vulgata Versione Geneseos & Paralipomenon, nec apud Josephum occurrit. Vide Dissertationem nostram quartam in Historiam Veteris Testamenti, secundæ Mundi Ætatis.

37. 38. *Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoc, qui fuit Jared, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*. S. Matthæus ab Abraham descendit ad Jesum Christum, S. Lucas a Christo Jesu ascendit ad Adamum: quia Matthæo propositum erat ostendere Christum esse filium Abrahami & Davidis antonomastice, adeoque verum Messiam, cum promissio Adamo in genere data, post ad semen Abrahæ & familiam Davidis fuerit restricta a Deo. Lucas vero Christi genealogiam ascendendo perduxit ad Adamum, ut doceret beneficia Messiæ non solum pertinere ad Abrahamum, & ejus posteros, sed ad ipsum etiam Adamum, cui prima promissio facta fuit. Secundo, id a Luca factum, ut suppleret quod prætermissum fuerat a Matthæo, & perfectam omnibus modis genealogiam Christi texeret, primique ac secundi Adami originem referret ad Deum, a quo ille per creationem temporariam, iste per generationem æternam, & missionem œconomicam in plenitudine temporis. „ De ipso Adam, qui juxta Apostolum figuram „ accepit Christi, quid pulchrius potuit convenire, quam „ sacrosancta generatio a Dei Filio inciperet, & usque „ ad Dei filium deduceretur: creatusque præcederet in „ figura, ut natus in veritate sequeretur: ad imaginem „ factus præiret, propter quem Dei imago descenderet? "

S. Amb. lib. 3. in Luc.

Non mirum autem quod ab Abraham plures secundum Lucam generationes sint usque ad Christum, pauciores secundum Matthæum, cum aliæ sint in utroque stemmate genealogico personæ. Potest enim fieri ut alii longævam transegerint vitam, alterius vero generationis viri immatura ætate decesserint; cum videamus complures senes cum suis nepotibus vivere, alios vero viros statim filiis obire susceptis.

Quamquam vero eruditis quibusdam viris visum sit Lucam Mariæ genealogiam, Matthæum Josephi texere; & *Heli* qui idem sit ac *Eliakin* seu *Joachim*, patrem fuisse naturalem Beatæ Virginis, civilem Josephi, utpote generi, ratione veri Matrimonii cum Maria contracti, & hac facta hypothesi facilior appareat utriusque Evangelistæ conciliatio, novæ tamen ex adverso difficultates occurrunt: nec videtur Lucas contra consuetudinem egisse Scripturarum genealogias feminarum numquam texentium ut viri alicujus genus ostendatur. Et hac in re, ut in ceteris, veteres sequi malim quam recentiores Auctores. „ Cur Joseph magis quam Mariæ generatio describatur „ (*inquit S. Ambrosius*) cum Maria generaverit Chri-

S. Ambros. lib. 3. in Luc.

„ stum,

„ ſum, & Joſeph a generatione Domini videatur alie-
„ nus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo nos in-
„ ſtrueret Scripturarum, quæ ſemper viri originem quæ-
„ rit.... Viri enim perſona quæritur, qui etiam in Se-
„ natu & reliquis Curiis civitatum generis aſſerit digni-
„ tatem... Noli mirari quod Joſeph origo deſcripta eſt.
„ Etenim ſecundum carnem natus, uſum debuit ſequi
„ carnis: & qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more
„ deſcribi; maxime cum in Joſeph origine etiam origo
„ ſit Mariæ. Nam cum vir juſtus fuerit Joſeph, utique
„ ex Tribu ſua & ex patria ſua (*ſeu familia*) accepit
„ uxorem: nec potuit juſtus facere contra id quod Lege
„ præſcriptum eſt. „ Uterque igitur Evangeliſta ſtemma genealogicum Joſeph exhibet, non Mariæ Virginis. Nec aliena a Chriſto cenſenda eſt origo Joſephi, cum natus ſit Chriſtus ex ea quam Joſephus duxerat uxorem ex eadem Tribu & familia David.

SENSUS MORALIS.

1. *ANno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris*, &c. *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto*. Quo tempore Chriſti Præcurſor miniſterii ſui obeundi mandatum a Deo acceperit, memorato Romanæ Reipublicæ Principe, & Judææ Regibus indicat Evangeliſta. Quia enim illum præcurrebat & prædicare veniebat Joannes, qui & ex Judæa quoſdam, *S. Greg. M. hom. 20.* & multo plures ex Gentibus redempturus erat, per Regem Gentium & Principes Judæorum Prædicationis ejus tempora deſignantur. Et in Prophetico quidem ſermone ſolis Judæis prædicato ſolum Judæorum Regnum deſcribitur his verbis: *Viſio Iſaiæ, in diebus Oziæ, Joathan, Origin. hom. Achaz, & Ezechiæ Regum Juda*. At in Evangelio quod *21. Iſaiæ 1.* univerſo mundo prædicandum erat, Tiberii Cæſaris Imperium, qui totius orbis Romani dominus erat, deſcribitur. „ Quia autem Gentilitas colligenda erat, & Judæa *S. Gregor.* „ pro culpa perfidiæ diſpergenda, ipſa quoque deſcriptio *M. ibid.* „ terreni Principatus oſtendit, quoniam & in Romana „ Republica unus præfuiſſe deſcribitur, & in Judææ Re-„ gno per quartam partem plurimi principabantur. „ *Luc. 11.* Voce etenim Redemptoris noſtri dicitur: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur*. Ad finem ergo regni Judæa pervenerat, quæ tot Regibus diviſa ſubjacebet. Nec ſolum ſub quibus Regibus, ſed & ſub quibus Sacerdotibus prædicare cœperit Joannes, notatur, quia illum prænunciabat, qui Rex ſimul erat & Sacerdos.

2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto*. Factum eſt verbum ut Sanctus Baptiſta Joannes pœnitentiam prædicaret. Joannes typus Legis, *S. Ambroſ.* eo quod *Lex peccatum denuntiare potuit, donare non po-* *lib. 2. in* *tuit*. Lex enim unumquemque qui viam gentium ſequeLuc. n. 68. batur, revocat ab errore, reſtringit a crimine; pœnitentiam ſuadet ut gratiam conſequatur. *Lex autem & Pro-* *Luc. 16.* *phetæ uſque ad Joannem*, Joannes vero prænuntius Chriſti. Ita *Lex Eccleſiæ prænuntia & gratiæ pœnitentia eſt*. Bene itaque S. Lucas compendio uſus eſt ut Joannem declararet Prophetam dicens: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem in deſerto*. Unum dixit, & omnia declaravit.

Joannem imitentur Sacerdotes & Doctores, e deſerto non exeant ad Miniſterium evangelicæ prædicationis, ad regimen Animarum, niſi a Deo vocati, jejuniis & oratione ad divinum opus præparati. Mundum non cognoſcant niſi in ordine ad Deum; ſolum Deum intueantur, cum ejus Evangelium ac doctrinam mundo annuntiant. Quid Concionatoribus Evangelicis, Animarum Rectoribus, & Chriſti Sacerdotibus cum mundo, id eſt, cum hominibus qui diligunt mundum, cum ſæcularibus ſocietatibus, & converſationibus, cum ludis, conviviis, deliciis? Verbum Dei audiant in Scripturis docens, ad cor interius loquens, ut eo pleni eructare poſſint exterius verbum bonum. *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem in deſerto*.

3. *Et venit in omnem regionem Jordanis pradicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Pœnitentia baptiſmus lachrymarum, *Laborioſus baptiſmus* a Patribus, & a Sacra Synodo Tridentina appellatur. Hunc baptiſmum in regione Jordanem circumjacente Joannes prædicavit, & plurimis ad eum venientibus dedit, ſed tamen baptiſmum ſuum in remiſſionem peccatorum dare non potuit. Remiſſio etenim peccatorum in ſolo nobis baptiſmo *S. Gregor.* Chriſti tribuitur. „ Quia *ergo Joannes* Baptiſmum quod *M. hom. 20.* „ peccata ſolveret, dare non poterat, prædicabat: ut „ ſicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo „ prædicationis, ita baptiſmum pœnitentiæ quo peccata „ ſolvuntur, præcurreret ſuo baptiſmate quo peccata ſol-„ vi non poſſunt: ut quia ejus ſermo præcurrebat præ-„ ſentiam Redemptoris, ipſum quoque ejus baptiſma „ præcedendo fieret umbra veritatis.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Inter omnia Chri-ſtianæ vitæ officia prædicanda maxime pœnitentia eſt. *Tertull. lib.* Hoc ſcilicet Chriſtianæ pietatis fundamentum. Hanc non *de Pœni-* diligit Mundus, ſed Deus imperat ut ejus ſaluti neceſſa-*tentiæ c. 2.* riam. „ Deus *ſcilicet* poſt tot & tanta delicta humanæ „ temeritatis a Principe generis Adam auſpicata, poſt „ condemnatum hominem cum ſæculi dote, poſt ejectum „ paradiſo, mortique ſubjectum: cum rurſus ad ſuam „ miſericordiam maturaviſſet: jam inde in ſemetipſa pœ-„ nitentiam dedicavit, reſciſſa ſententia irarum priſtina-„ rum, ignoſcere pactus operi & imagini ſuæ. Itaque & „ populum ſibi congregavit, & multis bonitatis ſuæ lar-„ gitionibus fovit; & ingratiſſimum toties expertus, ad „ pœnitentiam ſemper hortatus eſt, & prophetando uni-„ verſorum Prophetarum emiſit ora: mox gratiam polli-„ citus, qua in extremitatibus temporum per Spiritum „ ſuum univerſo orbi illuminaturus eſſet, præire inten-„ tionem pœnitentiæ juſſit, ut quos per gratiam voca-„ ret ad promiſſionem ſemini Abraham deſtinatam, per „ pœnitentiæ ſubſignationem ante componeret. Non tacet „ Joannes: Pœnitentiam initote, dicens; jam enim ſalus „ nationibus appropinquabit, Dominus ſcilicet afferens, „ ſecundum Dei promiſſum. Cui præminiſtrans, pœni-„ tentiam deſtinabat purgandis mentibus propoſitam: uti „ quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde ho-„ minis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens „ & radens & foras abjiciens, mundam pectoris domum „ ſuperventuro Spiritui ſancto paret, quo ſe ille cum „ cœleſtibus bonis libens inferat. Horum bonorum unus „ eſt titulus, ſalus hominis, criminum priſtinorum abo-„ litione præmiſſa. Hæc pœnitentiæ cauſa, hæc opera, „ negotium divinæ miſericordiæ curans, quod homini „ profecit, Deo ſervit. „

4. *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini*. Animo ſedebat in deſertum, affectu recedat de mundo neceſſe eſt, qui ſinceram vult agere pœnitentiam, fugiat de medio Babylonis. Spiritus enim ſæculi, & ſpiritus mundi, cupiditas & vanitas: ſpiritus pœnitentiæ charitas & humilitas. Quis in mundo pœnitentiæ locus, ubi quic-*S. Cypria-* quid eſt, *concupiſcentia carnis* eſt, *concupiſcentia oculo-* *nus Epiſt. 1.* *rum, & ſuperbia vitæ*; ubi *eſſe inter nocentes innoxium, criminis eſt*; ubi *malos quiſquis non imitatur, offendit*; ubi *conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt?*

5. *Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Puſillanimitas omnis ac deſperatio in ſpem divinæ gratiæ erigatur: omnis præſumptio propriæ ſapientiæ ac juſtitiæ, omniſque ſuperbia deprimatur: omnis pravitas & aſperitas vitæ in mores rectos, ſeu æternæ legi conſentaneos, tractabiles, manſuetos, per Incarnationem Chriſti, per Incarnati Verbi virtutem mutetur. Hæc mutatio dexteræ excelſi. Hoc opus Salvatoris, ad quem corda per fidem, ſpem, & charitatem erigere debemus. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.*

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Quid vallium nomine (inquit S. Gregorius) niſi humiles? Quid montium & collium, niſi ſuperbi ho-*S. Gregor.* mines deſignantur? In adventu ergo Redemptoris valles *M. hom. 20* impletę, montes vero & colles humiliati ſunt; quia juxta ejus vocem, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur*. Vallis etenim impleta creſcit, mons autem & collis humiliatus decreſcit: quia nimirum. „ In fide Mediatoris Dei & hominum „ hominis Chriſti Jeſu & Gentilitas plenitudinem gratiæ „ accepit, & Judæa per errorem perfidiæ hoc unde tu-„ mebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur, quia „ corda humilium ſacræ doctrinæ eloquio virtutum gra-„ tia replebuntur. *Unde ſcriptum eſt*: Qui emittis fontes „ in convallibus ... Et valles abundabunt frumento. *A* „ *montibus aqua dilabitur, quia* ſuperbas mentes verita-„ tis doctrina deſerit. *Fontes in convallibus ſurgunt*, „ *quia* mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. „ *Et erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. „ Prava directa fiunt, cum malorum curda per injuſtitiam „ detorta, ad juſtitiæ regulam diriguntur. Et aſpera in „ vias planas immutantur, cum immites atque iracundæ „ mentes per infuſionem ſupernæ gratiæ ad lenitatem „ manſuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis „ ab iracunda mente non recipitur, quaſi aſperitas itine-„ ris greſſum pergentis repellit. Sed cum mens iracunda „ per acceptam manſuetudinis gratiam, correptionis vel „ exhortationis verbum recipit, ibi planam viam Prædi-„ cator invenit, ubi prius præ aſperitate itineris pergere, id eſt, prædicationis greſſum ponere non valebat. "

8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, Quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Qui ſint digni pœnitentiæ fructus S. Gregorius M. *S. Gregor.* explicat. „ Quiſquis, *inquit*, illicita nulla commiſit, *M. hom. 20* „ huic jure conceditur ut licitis utatur, ſicque pieta-„ tis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea quæ mundi „ ſunt non relinquat. At ſi quis in fornicationis cul-„ pam, vel fortaſſe, quod eſt gravius, in adulterium „ lapſus eſt, tanto a ſe licita debet abſcindere, quanto „ ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fru-„ ctus boni operis eſſe debet ejus qui minus, & ejus qui „ amplius deliquit: aut ejus qui in nullis, & ejus q

„ in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis „ est lapsus. *Cum ergo dicitur*, Facite fructus dignos „ pœnitentiæ: *uniuscujusque conscientia convenitur*: Ut „ tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœ„ niteniam, quanto graviora sibi intulit damna per cul„ pam. „

S. Ambr. l. 2. in Luc. n. 5. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Ædificationem surgentis Ecclesiæ prænunciat Joannes, quæ non rupeis saxis, sed vivis lapidibus exstructa, in habitaculum Dei & fastigium templi conversatione nostrorum surrexit animorum. Etenim parabat Deus lapidea gentium idolis servientium corda emollire, & de lapidibus offensionis excitare cultores Religionis, qui per fidem Christi, veri essent Abrahæ filii: de quibus Apostolus: *Omnes vos unum estis in Christi Jesu. Si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes*: nec solum Abrahæ, sed Dei filii: *Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu*. De his qui olim lapides intensibiles erant per duritiam cordis, nunc per Christi gratiam admirabiliter mutatis ait S. Petrus: *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis*.

Galat. 3. *1. Petri 2.*

S. Ambros. lib. 2. in Luc. n. 76. 9. *Jam enim securis ad radicem arborum posita est*. Utinam fœcundarum earum arborum possimus imitari, meritisque crescentibus longævæ humilitatis radice fundati, sublimes ab humo, decori ad speciem, adultos fructuosorum operum vertices erigamus, ne Evangelica securis agricolæ trunci radicem sylvestris excidat. „ Ad radicem securis „ est posita, faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet „ pœnitentiæ. Adest Dominus qui fructum requirat, fœ„ cundos vivificet, steriles reprehendat. Anni tres sunt „ ex quo venit, & fructum in Judæis invenire non po„ tuit: utinam inveniat in nobis! Jussurus est succidi in„ fructuosos, ne terram occupent. Sed qui adhuc non he„ bet fructum, conetur ut afferat in futurum! „ Bonus ille cultor agri intervenit pro nobis in fœcundis, pro nobis infructuosis; ut detur spatium, patientia deferatur, ne forte & nos aliquem fructum ferre Deo possimus.

S. Ambros. ibid. 10. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat*. Misericordia commune omnibus officium ac præceptum est. *Misericordia* enim *plenitudo virtutum est*. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat: sed quod habet, cum paupere partiatur.

Qui habet duas tunicas, det non habenti. Exemplum in tunica ponit, „ quæ usui nostro magis necessaria est quam pallium. „ Ad fructum *enim* dignum pœnitentiæ „ pertinet, ut non solum exteriora quæque & minus ne„ cessaria, sed ipsa valde necessaria dividere cum proxi„ mis debeamus, scilicet vel escam qua carnaliter vivimus, „ vel tunicam qua vestimur. Quia enim in lege scriptum „ est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: minus pro„ ximum amare convincitur, qui non cum eo in necessi„ tate illius etiam quæ sibi sunt necessaria partitur. „ Superflua quippe divitum, necessaria pauperum.

S. Greg. M. hom. 20. in Evang.

12. 13. *Venerunt autem & Publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis*. Prædicator Evangelicus cavere debet ne publicam turbet tranquillitatem, & laqueum injiciat Animabus, invehendo in conditiones quasdam & functiones reipublicæ necessarias. Prudentiam Joannis imitetur, vitæ crimina ab ipso vitæ genere discernentis. Sine tributis & vectigalibus Respublica defendi non potest. Ideo tributa Regibus persolvi, jubet Christus. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Et Apostolus: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*. Sed injustæ exactiones divina lege prohibentur. Sicut enim publica potestas, ita & tributa, non ad usum hujus aut illius, sed ad bonum commune sunt constituta. Publica igitur onera cum publicis necessitatibus æquanda sunt: ita quidem ut liceat his qui Reipublicæ præsunt ex publicis obventionibus sedulose pro dignitatis ratione sustentare: non item modum exigendi petere a suo & aulicorum luxu ac libidine; aut ex publicanorum malis artibus & adinventionibus. Regibus igitur plus exigere nefas quam lex Dei permittit, cujus est in omnes Principes summum Imperium: Publicanis plus exigere nefas, quam a publica Potestate constitutum est: *Nihil amplius quam quod vobis constitutum est, faciatis*. Moderata & justa sancti Præcursoris responsio, ut & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat, vectigal effectum. Non enim dixit, Nihil exigatis: sed Nihil amplius exigatis. Unde intelligimus quod apud Deum non tam exactio, quam exactio iniqua damnetur. Igitur *Quod Cæsar præcipit, ferendum est; quod Imperator indicit, tolerandum est: sed fit intollerabile, dum illud præda exactionis accumulat*.

Luc. 20. 26. *Rom. 13. 7.*

Antiquus Auctor sermonis inter Augustinianos olim de Verbis Domini 19. nunc in Appendice 82. forte S. Maxim. Taurin.

Qui tributa, vectigalia, publica onera redimunt, aut Regis vel Reipublicæ nomine exigunt, aut imponunt, quæ Cæsaris sunt, reddant Cæsari, quæ Dei, Deo. Cæsari tributa, Deo timorem: timorem cum dico, avaritiam prohibeo. Misereantur conservorum, ut & ipsi misericordiam a Deo consequantur. Sciant Dominum eadem mensura qua mensi fuerint, remensurum. „ Satis super„ que grave est liberis hominibus servitute præmi, tan„ tumque inter eos qui ex eadem terræ massa coagmen„ tati sunt, interesse, ut alii imperent, alii Imperio te„ neantur: alii tributa constituant, alii tributi causa de„ scribantur: alii injuriam inferre, maloque afficere im„ pune possint; alii ne quid patiantur, laborent ac preci„ bus contendant: eaque circa unam & eamdem imagi„ nem, circa unam & eamdem dignitatis præstantiam „ contingere, circa ejusdem vitæ hæredes, & pro qui„ bus Christus æque mortuus est. Satis, inquam, hæc li„ beris hominibus molesta sunt: ne quid huic jugo pon„ deris addatur, ne quid pœnæ illi, qua primum nostrum „ peccatum mulctatum est, acerbitatis accedat. „

S. Gregor. Nazianz. orat. 9. ad Julianum tributorum exæquatorem.

14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris*. Si Christiana Disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis, *Neminem concutiatis*, &c. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. „ Proinde qui doctrinam „ Christi adversam dicunt esse Reipublicæ, dent exerci„ tum talem quales doctrina Christi esse milites jussit, „ dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, „ tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, „ tales Reges, tales judices, tales denique debitorum „ ipsius fisci redditores & exactores, quales esse præcepit „ doctrina Christiana, & audeant eam dicere adversam „ esse reipublicæ; immo vero non dubitent eam confiteri „ magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicæ. „ Quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quan„ doque morituri, ut domentur in pace victuri? hoc re„ prehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi „ cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque im„ placabilis animus, feritas rebellandi, libido dominan„ di, & si qua similia hæc sunt quæ in bellis jure culpan„ tur; quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adversus „ violentiam resistentium, sive Deo, sive aliquo legitimo „ imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, „ cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi „ eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire ju„ ste ordo ipse constringit. Alioquin Joannes, cum ad „ eum baptizandi milites venirent, dicentes, *Et nos „ quid faciemus?* responderet eis, Arma abjicite, mili„ tiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, „ prosternite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando „ facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & „ non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ de„ fensores; respondit eis, *Neminem concusseritis, nulli „ calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*. „ Sed quia Manichæi Joannem aperte blasphemare con„ sueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant hoc „ stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dicit „ debere sufficere militi. *Reddite* (inquit) *Cæsari quæ „ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt*. Et, *Ad hoc enim „ hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario „ militi stipendia præbeantur*. „ Qui leguntur milites ut adversus publicos hostes Rempublicam defendant, Animarum suarum hostibus ne succumbant. Qui cives, provinciales, & paganos ab hostili violentia tueri debent; illis ne violentiam inferant aut calumniam. Qui publicas injurias ulciscuntur, ne injuria afficiant Creatorem suum ac Redemptorem. Qui excubias agunt in præsidiis, & castris, sollicite vigilent & orent ne a diabolo intercipiantur & captivi ducantur, caveant ne graventur corda sua a crapula & ebrietate, Animam suam a peccato diligenter custodiant, divinam gratiam assiduis precibus jugiter implorent, quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*.

S. Aug. Epist. 138. alias 5. ad Marcellin. n. 2.

Matth. 22. 21.

16. *Ego quidem aqua baptizo vos.... Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Cum ex duabus naturis constet homo, anima & corpore, visibile per visibile elementum; invisibile per invisibile mysterium consecratur. „ Aqua „ enim corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundan„ tur. Aliud agimus, aliud invocamus; licet etiam in „ ipso fonte sanctificatio divinitatis aspiret.... & ideo „ aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. „ Illud Joannes administrabat: istud confert Christus illius nomine, auctoritate, virtute, invisibili manu, operatione. Spiritu peccatores baptizantur, animæ abluuntur & mundantur, peccata omnia remittuntur, Christiani ex omni gente Deo consecrantur. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Baptismum nostrum jugiter in memoriam revocemus, ob collatum nobis a Christo tantum beneficium gratias agamus omnibus diebus vitæ nostræ. Christi membra effecti, filii Dei, Christi cohæredes, vitam ducamus Christiano dignam nomine. Frumentum esse studeamus, mundo & pravis cupiditatibus moriamur ut

S. Ambros. lib. 1. in Luc. num. 79.

S. Aug. l. 22. contr. Faust. c. 74.

fructum

Joan. 12. 24. fructum afferamus; Quia *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si triticum simus, in horreum cœleste nos inferet Christus; si palea simus, id est, si bonis operibus vacui, in ignem projiciemur qui non extinguetur; in ignem qui paleas semper comburet, numquam consumet. Hic per verbum & gratiam Christi frumenta invisibiliter discernantur a paleis. Non enim seipsos discernunt fideles ab infidelibus, peccatores a justis, electi a reprobis, siquidem totum a Deo acceperunt per Jesum Christum Dominum nostrum. Ille in nobis incipit bonum opus & perficit: ille dat velle & perficere, sine

1. *Cor.* 4. 7. quo nihil possumus. *Quis te discernit* (inquit Apostolus) *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Sed in extremo judicio ultima discretio & separatio frumentorum a paleis fiet. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* „ Ventilabri

S. Ambr. ibid. n. 82. „ indicio (inquit Sanctus Ambrosius) discriminandorum „ Dominus declaratur jus habere meritorum; eo quod „ dum frumenta in area ventilantur, plena a vacuis, ab „ inanibus fructuosa veluti quodam auræ spirantis exami- „ ne separantur. Per hanc igitur comparationpm osten- „ ditur quod Dominus judicii die solidæ merita fructusque „ virtutis ab inanis jactantiæ, exiliumque factorum infru- „ ctuosa levitate discernat: perfectioris meriti viros loca- „ turus in mansione cœlesti. Ipse enim perfectior fructus „ est, qui meruerit ejus esse conformis, qui sicut granum „ tritici cecidit, ut plurimos fructus afferret in nobis, „ invisus paleis, inanibus meritis non amicus.

S. *Amb. ibid. n.* 83. & 91. 21. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante, apertum est cœlum.* Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutæ per carnem Christi immaculatam, baptismatis jus haberent. Et ideo qui ad Christi lavacrum venerit, peccata deponit. O divinum humilitatis exemplum! Sub Joannis manu caput inclinat verus Dei Filius; Sanctus Sanctorum, Auctor gratiæ, cum peccatoribus in Jordanem descendit, baptisma pœnitentiæ non refugit. „ Si pro nobis Christus lavit, immo nos in corpore suo „ lavit; quanto magis nos nostra delicta lavare debeamus! „ Quo magis opere, quo magis mysterio Deus quam hoc „ probatur, quando per totum mundum, qua generis hu- „ mani conditio diffunditur, uno momento in uno corpore „ Deus fraudem vetusti erroris abolevit, gratiam regni „ cœlestis effudit? Unus enim mersit, sed elevavit om- „ nes: unus descendit, ut ascenderemus omnes: unus om- „ nium peccata suscepit, ut in illo omnium peccata mo- „ rerentur. Purificate igitur vos, quia purificavit se ille „ pro nobis, qui purificatione non eguit." Christi hum-

Venerab. Beda in hunc locum. litatem imitemur, cum illo descendamus, ut cum illo pariter ascendamus. Ejus exemplo vacemus orationi, quia

Luc. 18. 1. etsi peccata dimissa sunt in baptismo, nondum tamen concupiscentia & infirmitas carnis sublata est, novorum radix & fomes peccatorum. Mare Rubrum transivimus, necatos gratulamur Ægyptios; sed in deserto mundanæ conversationis hostes alii occurrunt, Christi gratia, nostroque labore vincendi. Ideo *Oportet semper orare*, donec ad promissam vitæ æternæ patriam, ad terram viventium perveniamus, & *numquam deficere*.

23. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*, &c. Triginta annorum tempus exspectat temporis conditor, ut suum palam obeat ministerium. Annos triginta delitescit. Vitam ejus absconditam & silentium honoremus, humilitatem imitemur. Ad publicas Ecclesiastici ministerii functiones, ad prædicationem & regimen Animarum nemo prosiliat, sed in latebris, in sacro secessu Deo probatus, non solum tempus legitimum & maturam ætatem exspectet, sed Dei voluntatem exquirat, sibi per Ecclesiæ Præsides, & sapientes ac sanctos conscientiarum Moderatores significandam.

CAPUT IV.

Sensus Litteralis.

1. 2. JESUS *autem plenus Spiritu sancto*, qui super eum requieverat, & se in omnibus ejus actionibus magis quam antea demonstrabat, ita ut non solum ejus descensu sub visibili specie Filius Dei declaratus, non solum ejus donis cumulatus, sed tota divinitatis ejus plenitudine inunctus probaretur, *regressus est a Jordane* ubi fuerat baptizatus, & *agebatur a Spiritu in desertum*. Non suasione tantum, & suggestione, sed efficaci ejusdem Sancti Spiritus impulsu ducebatur in desertum Judææ: *diebus quadraginta* ibi mansit, & *tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis*: toto illo temporis intervallo nihil penitus manducavit: & *consummatis illis diebus esurit*.

3. *Dixit autem illi diabolus*: Si *Filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat*. Solo verbo ac imperio quem-

Deuteron. 8. 3. vis circum jacentium lapidum in panem converte.

4. *Et respondit ad illum Jesus*: *Scriptum est, Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*: *Nat. Alex. in Evang.* id est, eo omni cui Deus alendi virtutem indiderit, sive Dei virtute, sine qua nec alimenta corporea prodessent, sustentatur.

5. 6. *Et duxit*, sive sustulit *illum diabolus in montem excelsum*, id permittente Christo; & *ostendit illi omnia regna orbis terræ* in momento temporis. *Et ait illi* spiritus mendax: *Tibi dabo potestatem hanc universam*, totum illud qua late patet imperium; & *gloriam illorum* regnorum; *quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*. Sic loquitur diabolus, quasi Deus curam suam a rebus humanis avertisset, cœloque contentus, summum illi in res terrenas imperium reliquisset: quæ opinio hinc atheismi, hinc idololatriæ fons est. Dissimulat Malignus, quod intelligit ac experi-

Daniel. 4. mento novit, *Quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud*: & per eum Reges regnant, & Domini est terra & plenitudo ejus: „ & Potestas ejus potestas æterna & regnum ejus in ge- „ nerationem & generationem. Et omnes habitatores ter- „ ræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntа- „ tem enim suam fecit tam in virtutibus cœli quam in „ habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, „ & dicat ei, quare fecisti?"

7. 8. 9. 10. 11. 12. *Tu ergo si adoraveris coram me* pro- *Deuteron.* 6. stratus, *erunt tua omnia*, me donante. *Et respondens Jesus dixit illi*: *Scriptum est*: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. In Deuteronomio scriptum est, *timebis*: sed timor Dei, quo nomine summa reverentia significatur, omnia hominis erga Deum officia complectitur.

Et duxit illum in Jerusalem, per aera sustulit, & *statuit eum super pinnam Templi*, in summo Templi fastigio; & *dixit illi*: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*: *scriptum est enim*: *quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te*; & *quia in manibus tollent te*, super brachia te gestabunt seu sustentabunt ambulantem, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. *Et respondens Jesus ait illi*: *Scriptum est*: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. *Deuteron.* 16. Confer cum Matthæi 4. & Marci 1.

13. *Et consummata omni tentatione*, omni tentatione visibili & invisibili, omnis tentationis genere, quo pro tunc aggredi permissum est Jesum, *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*, diabolus *recessit ab illo usque ad tempus*, a Deo constitutum, scilicet usque ad tempus Passionis, quo ipsum per se & per ministros aperte oppugnaturus erat. Luc 22. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, & Joannis 14. 30. *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. *Hebr.* 4. 15.

14. *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus*, afflatu & impulsu Spiritus sancti, non humano ductus affectu, *in Galilæam*, unde venerat prius in Judæam ut baptizaretur a Joanne: & *fama exiit per universam regionem de illo*.

15. *Et ipse docebat in Synagogis eorum*, ut Propheta jam miraculis celeber, & *magnificabatur ab omnibus*: apud omnes in magna æstimatione & honore erat.

16. *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus*, seu educatus, & *intravit secundum consuetudinem suam*, prout mos ejus erat a sui manifestatione & ab initio Ministerii sui; & *surrexit legere*, ut legeret aliquem Scripturæ locum, quem postea populo exponeret.

17. 18. 19. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ*, jus- *Isai* 61. 1. su Archisynagogi. *Et ut revelavit librum invenit* divino consilio, proprioque delectu, *locum ubi scriptum erat*: *Spiritus Domini super me* requievit, *propter quod unxit me*: quia super me requievit invisibiliter a primo con- *Joan.* 3. 34. ceptionis meæ instanti, non ad mensuram mihi datus, sed plene in me effusus, cum gratiæ, virtutum, donorumque infinita copia, ideo me inauguravit & consecravit ad munus prædicationis. *Evangelizare pauperibus misit me*. Misit me ut evangelium annuntiarem pauperibus spiritu, iis qui se viles & miseros agnoscunt, ac veris opibus destitutos, propria justitia vacuos, misericordia & gratia Dei in omnibus egentes. *Sanare contritos corde*: ut sanem fractos animo, desperabundos ob gravia peccatorum suorum vulnera, vulneribus peccatorum suorum contusos & contritos. *Prædicare captivis remissionem*. Ut annuntiem & afferam captivis liberationem a servitute peccati & diaboli, longe eccellentiorem ac magis optandam ea libertate quam Judæi carnales expectant, sperantes sub Messia Rege se jugum Romanorum, & cujuscumque alienigenarum Principatus excussuros. *Et cæcis visum*: ut sedentes in ignorantiæ & peccatorum tenebris Evangelica doctrina illuminem. Dei cognitione, fidei luce illustrem. *Dimittere confractos in remissionem*: Ut eos qui in summis horrendæ ac durissimæ captivitatis angustiis versantur, libertate donatos dimittam. Quod ad majorem explicationem a Christo vel ab Evangelista additum est, ad alium Isaiæ locum alludentibus, & ad Psalmi 146. vers. 3. *Prædicare annum Domini acceptum*. Veri Jubilæi annum, tempus quo divina bonitas gratiam suam in homines uberrime profundet, antiqui Jubilæi anno typice significatum, qui bucinæ sonitu per præconem publicum solebat indici; & quo libertate donabantur qui servi facti erant, condonabantur debita, in pristinas possessiones restituebantur qui ex iis fuerant ejecti. Non ad annum primum tem-

Levit. 25. 10. *S. Epiph. Hæres.* 51. Annus autem Domini acceptabilis tem-

Dimittere eos qui confracti sunt liberos. *Isai.* 50. 6. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. *Psalm.* 146. 3.

pus hoc in quo vocantur ab eo qui credunt ei, & acceptabiles fiunt Deo: hoc est omne ab adventu ejus tempus, usque ad consummationem, in quo ut fructus eos qui salvantur, acquirit. *S. Irenæus lib. 2. c. 3. 38. Theodoret. in c. 61 Isaiæ.*

dumtaxat prædicationis Christi hæc verba referenda sunt cum S. Epiphanio, sed ad totum tempus Legis gratiæ, a Christi adventu usque ad sæculi finem intercedens, ut S. Irenæus explicat. *Et diem retributionis*, sive ultionis de inimicis generis humani, diabolo scilicet & angelis ejus ejiciendis foras, & palam debellandis, & exspoliandis. Hæc postrema verba in codicibus Græcis & Syriaca Versione desunt, sed in Hebræo fonte Isaiæ legunt tur. S. Irenæus *diem retributionis* intelligit diem ultimi judicii, in qua retribuet Dominus unicuique secundum opera ejus. Refellit autem Valentinianos, qui Christum uno tantum anno prædicasse & mense duodecimo passum asserebant, illo Isaiæ loco abusi.

Hunc Isaiæ locum in quo clarissima de Christo Prophetia continebatur, Christus evoluto libro, qui tunc in Synagoga legebatur, & quem ipsi tradiderat minister, selegit ut missionem suam ac legationem probaret. Et hæc quidem de Christo prophetice, & ad litteram etiam longe excellentius quam de Isaia dicta erant. Sicut enim liberatio ex captivitate Babylonica & imago & pignus fuit liberationis animarum per Messiam; ita annuntiatio ejus ab Isaia facta typus fuit annuntiationis per Christum faciendæ, qui tanti beneficii non modo prædicator, sed auctor fuit. „ Non solum enim remissionem peccatorum „ nobis largitus est, & a diaboli tyrannide nos exemit, „ divinumque lumen demonstravit: sed futuram quoque „ vitam promisit, & justum judicium interminatus est. „ Annum enim Domini acceptabilem, priorem ejus ad„ ventum appellari arbitror: diem vero retributionis, „ diem judicii (inquit Theodoretus.)

20. *Et cum plicuisset librum, reddidit Ministro* Synagogæ, a quo acceperat, *& sedit*, munus Doctoris suo sibi jure vindicans. *Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes*, seu defixi, *in eum*.

21. *Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris*. Hæc Scriptura, hoc Prophetæ oraculum, quod modo me legente audivistis, hodie coram vobis impletur. Quibus verbis se Messiam esse palam profitetur ac declarat.

22. *Et omnes testimonium illi dabant* sapientiæ & doctrinæ, & *mirabantur in verbis gratiæ*. Alludit a Vers. 2. Psal. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*, &c. *Quæ procedebant de ore ipsius*: stupefacti ob gratiam, vim & efficaciam sermonum ejus, *dicebant*: *Nonne hic est filius Joseph*, pauperis fabri concivis nostri?

23. *Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum*. Tritum proverbium: Tuos prius cura quam alienos; in tuam primum patriam, quæ multis tibi cara debet esse nominibus, beneficentiam exerce. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*. Admiranda illa opera quæ te patrasse audivimus apud Capharnaitas, fac in gratiam concivium tuorum. Miracula postulabant Nazareni non ut crederent, sed partim ex ambitione, se digniores existimantes beneficiis Christi, eaque jure sibi deberi putantes: partim ex incredulitate, quia se in dubium revocare significabant miracula quæ alibi a Christo patrata celebra- *Matt. 13. 58.* bantur, nisi similia in patria sua faceret. Unde S. Matthæus: *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*.

24. *Ait autem: Amen dico vobis, Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua*. Nemo Propheta popularibus & concivibus suis gratus est. Quasi dicat, Vobis imputate, quod hic non edam miracula, quia me contemnitis; tantum abest ut mihi credatis. Vide ad Matthæi 13. 57. Quod autem superbia sua & incredulitate se indignos miraculis & beneficiis divinis Nazareni præstarent, cum alioqui Dei bonitas ad benefaciendum non solum Judæis, verum etiam Gentibus, proclivis sit, probat duobus exemplis ex Scriptura Sacra petitis: primum est Viduæ Sareptanæ: alterum Naamani Syri. Illius fidei, venerationis erga Eliam Prophetam, & charitatis: Istius pariter fidei in Deum Israelis, reverentiæ & obedientiæ qua Elisæum Prophetam prosecutus est, miracula concessa sunt, quæ ceteris apud quos sancti illi Prophetæ versabantur & prædicabant, ob incredulitatem negata sunt.

3. Reg. 17. 18. vers. 1. Jacobi 5. 17. 25. 26. 25. 26. *In veritate dico vobis, Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel*, egestate & fame extrema laborantes, quando clausum est cœlum, pluviam non dans, *annis tribus & mensibus sex; cum facta esset fames magna in omni terra*: adeo ut fames per universam terram grassaretur: & tamen *ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sarepta Sidoniæ*, urbem regionis ac ditionis Sidoniorum, cujus incolæ gentiles erant, *ad mulierem viduam*. Summam porro temporibus in veteri Testamento non expressam, ex traditione vel ex propria scientia Christus addidit.

4. Reg. 5. 27. *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta*, id est, tempore Elisæi: *& nemo ex illis mundatus est*, a pollutione lepræ, *nisi Naaman Syrus*.

28. *Et repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes*. Quod scilicet illos miraculis indignos tacita ipsisque odiosa comparatione argueret, qua alienigenis, quin etiam crediturus postponebantur.

29. *Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum*. Populari seditione & impetu Jesum non solum extra Synagogam, sed extra civitatem ejecerunt ut hostem, & quasi reum mortis traxerunt.

30. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat*. Seu divina virtute factus turbæ furenti inconspicuus, sive mutatis subito eorum voluntatibus, sive mentibus obstupefactis, sine vi, sine fuga per medium illorum ambulans, elapsus est.

31. *Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbathis*. Marcion mus ille Ponticus, Evangelii & Apostoli corrosor, omissis omnibus quæ apud S. Lucam ad hunc usque locum legimus, sic Evangelium istud auspicabatur: *Anno quintodecimo Principatus Tiberiani, Deus descendit in Civitatem Galilææ Capharnaum*: subtexens deinde illud quod Nazarethæ factum mox recensuimus, ceteris quæ præcesserunt deletis. *Tertull. lib. cont. Marcion c. 7. S. Epiph. Hæres 42.*

32. *Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius*. Rationem modumque docendi ipsius qui potestatem & auctoritatem divinam præ se ferret, vehementer admirabantur.

33. 34. 35. 36. *Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi, Jesu Nazarene? Veniisti perdere nos? Scio te quis sis? Sanctus Dei. Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo*. Et cum *projecisset illum*, quem vexabat hominem, *dæmonium in medium*, seu in terram coram omni populo prostravisset, *exiit ab illo, nihilque illum nocuit*. Illæsum reliquit. *Et factus est pavor in omnibus*, adstantibus, *& colloquebantur ad invicem, dicentes: Quid est hoc verbum*, quid hoc rei est, *quia in potestate & virtute imperat spiritibus immundis, & exeunt*, ad ejus imperium, sine mora? *Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis*. Nomen ejus celebre factum est in omni circumquaque regione. Lege Commentarium nostrum in *c. 1. S. Marci*, ubi hac exposuimus. *Marci 1. 23. & seq.*

38. 39. *Surgens autem Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis*, Petri: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam*, propius ad illam accedens, *imperavit febri, & dimisit illam* febris. *Et continuo surgens, ministrabat illis*, Jesu scilicet ac Discipulis ejus. Confer cum *Matthæi 8. 14. & Marci 1. 30.* nostrosque in hæc loca vide commentarios. *Matth. 8. 14. Marci 1. 30.*

40. 41. *Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus* afflictos, *ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia a multis clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. Vide Commentarium nostrum in c. 8. S. Matth. & in c. 1. S. Marci. *Marci 1. 34.*

42. *Facta autem die egressus, ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum: & detinebant illum, ne discederet ab eis*: apud se retinere conabantur, commodorum temporalium causa quæ ex ejus miraculis percipiebant.

43. 44. *Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia in hoc missus sum*, a Deo Patre meo. Hic præcipuus missionis meæ scopus, non ut miracula faciam, quæ ad missionis tantum meæ, doctrinæque confirmationem, velut sigilla adhibeo. *Et erat prædicans in Sinagogis Galilææ*.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *JEsus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane; & agebatur a spiritu in deserto diebus quadraginta & tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis*. Merito Dominus noster Jesus Christus jejunio suo nos atque deserto adversus voluptatum informat illecebras, & tentari se a Diabolo Dominus omnium patitur; ut in illo omnes vincere disceremus. Tria autem a Domino ad salutem nostram principaliter ordinata Sanctus Evangelista describit: *Tria sunt enim quæ ad usum proficiunt salutis humanæ, sacramentum, desertum, jejunium*. Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit: *Nemo autem ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ab omnibus ablutus maculis delictorum, gratiæ cœlestis munere consecretur*. Quisquis igitur per sacramenta mundatus est, & Spiritu Dei sanctificatus, mundum affectu saltem relinquat, ne thesaurus, quem portat in vase fictili, corrumpatur & amittatur. Spiritus Dei amorem sacri secessus inspirat, in quo Deus ad cor loquitur; & sacer secessus Dei Spiritum in homine conservat. *Scimus quoniam ex Deo sumus; & mundus totus in maligno positus est*. „ Sæpe nautæ, maxime in tempestate, fu- „ giunt terram; & tamen cum eam fugiunt navigantes, „ ipsa potius fugere videtur a navigantibus. Et tu si „ fugias mundum hunc, & ipse te effugiet: si præte- „ reas terram hanc, & ipsa te præteribit. Et tu in ma- „ ri hoc navigas, & in hoc sæculo fluctuas: fuge ter- „ ram; saxa habet, lapides habet. Fuge sæculi ma- „ re, & naufragium non timebis. Et si frequenter „ arbo- *S. Ambr. lib. 4. in Luc. nu. 4. 2. Tim. 2. 5. 1. Joan. 5. 19. S. Ambros. in Psalm. 36. & lib. 4. in Luc. n. 157.*

„ arborum vertices spirantium verberent flabra ventorum; „ solidatis tamen radicibus nullus occasus est: at in mari „ furentibus ventis, etsi non omnium naufragium, omnium tamen periculum est. Ita enim adversis flatibus „ nequitiæ spiritalis, nullus in arena, vel in solo tutus „ est, & naves Tharsis vehementi sæpe spiritu conteruntur. „

Et consummatis illis diebus esuriit. Omnibus omnia factus est Jesus, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus. „ In carcere cum paupere est, cum „ Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana „ sitit: in deserto esurit: ut cibus primi hominis, quem „ prævaricatione gustaverat, jejunio Domini solveretur. „ Nostro periculo Adam scientiæ boni & mali famem „ solvit, nostro emolumento famem ille suscepit. „ Primus Adam gula victus est in paradiso voluptatis; secundus Adam abstinentia & jejunio quadragenario vicit in deserto, in loco horroris & vastæ solitudinis. Arma nostra sunt jejunia. Jejunio præterita peccata expiantur, tentationes præsentes divino hoc scuto repelluntur, futuræ caventur, omnes eliduntur. Christus innocens carnem suam sanctam quadragenario jejunio mortificat, homo peccator carnem suam spiritui Deoque rebellem castigare & domare refugit: imo saginat eam ad peccatum, quasi ad hoc conditus sit ut secundum carnem vivat.

S. Ambros. lib. 4. in Luc. n. 6.

3. 4. *Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant: & respondit ad illum Jesus: Scriptum est, Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*, &c. Tria docemur esse præcipua tela diaboli, quibus ad convulnerandam mentem hominis consuevit armari: gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium. *Inde* autem *cupit, unde jam vicit. Et ideo inde incipio in Christo vincere, unde in Adam victus sum.* Discamus igitur cavere gulam, cavere luxuriam, quia telum est diaboli. Laqueus tenditur, cum opiparum convivium præparatur, lautæ epulæ, quæ constantiam sæpe mentis inclinant. Sumamus igitur scutum fidei, loricam abstinentiæ: sed vide arma Christi, quibus tibi, non sibi vicit. Nam qui majestate sua lapides in panem posse converti naturæ alterius transfusione monstravit, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio, nec declarandæ virtutis contemplatione faciendum. Caveamus igitur vaferrimi hostis insidias, qui sæpe falsa boni imagine, falsa pietatis specie nos decipit, ea suggerens quæ ad Dei gloriam tendere videantur, & in Angelum lucis se transfigurans nostram ut sibi conciliet fiduciam. Quibus armis tentationes vincantur, Christus docet. 1. Verbo Dei. 2. Ejus humili adoratione & religiosæ servitutis illi soli debitæ officio. 3. Viarum extraordinariarum, quæ in vita Christiana & spirituali frequentibus illusionibus obnoxiæ sunt, declinatione. Christus enim Jesus non utitur potestate quasi Deus, sed quasi homo commune sibi arcessit auxilium; ut divinæ pabulo lectionis intentus, famem corporis negligat, alimentum verbi cœlestis acquirit. Huic intentus Moyses panem non desideravit: huic intentus Elias famem prolixioris non sensit jejunii. *Non enim potest qui Verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cum substantiam panis cœlestis accipiat.*

S. Ambros. lib. 4. in Luc. n. 17. 18.

S. Ambros. lib. 4. in Luc. n. 19.

7. *Tu ergo si adoraveris coram me, erunt omnia tua.* Dæmonem superbi utriusque sexus imitantur, qui potentiam suam, generis claritatem, pulchritudinem, auctoritatem, aliasve dotes jactant, ut se ab aliis quasi adorari impetrent. Nabuchodonosoros, Amanem, aliosque cogita diabolicæ superbiæ imitatores: fortior hæc quam libidinis tentatio. Herodes enim dimidiam dumtaxat regni sui partem stulta promissione obtulit impudicæ saltatrici: superbi vero & ambitiosi plerique ita comparati sunt ut adoratoribus suis omnia promitterent, ut diabolus. Quid de superbis illis mulieribus dicam, quæ formæ illecebris abusæ, varia cultus & luxus lenocinia, varias artes adhibent, ut plurimos sibi adoratores devinciant? Monstra sunt ipso diabolo magis timenda, qui studium placendi per decorem invitatorem libidinis illis inspirat, qui omnem cultus muliebris habitusque luxum subministrat, quo luxuria negotiatur aut gloria insolescit. Favores omnes, ac voluptates adoratoribus suis & impudicis amatoribus pollicentur. *Tu ergo si adoraveris coram me, erunt omnia tua.* Periculosissimæ tentationis tela Christi clypeo repellat vir Christianus: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Verbi Dei lectio & meditatio armamentarium est contra tentationes omnes. „ Quisquis in„ tus verbo Dei pascitur, non quærit in ista eremo volu„ ptatem. Qui uni Deo tantum subjectus est, non quærit „ in monte, id est, in terrena elatione jactantiam. Quisquis „ æterno spectaculo incommutabili veritati adhæresit, „ non per fastigium hujus corporis, id est, per hos ocu„ los præcipitatur, ut temporalia & inferiora cognoscat „ (inquit S. Augustinus Lib. De vera Religione.)

Daniel. 3. Judith. 3. 13. Esther 3

8. *Et duxit illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam Templi*, &c. Heu quam multi in summum Templi fastigium, ad Ecclesiasticas Dignitates a diabolo ducuntur, ut lapsu graviore ruant! Non Dei vocatione, sed diabolica ambitione provehuntur. Quos Deus vocat, & in sacris Ordinibus ac Dignitatibus sive Ministeriis Ecclesiasticis constituit, hos gratia sua conservat, sustentat & protegit, ne cadant. Quos vero diabolus ducit & evehit, qui ambitione, superbia, cupiditate, otiosæ vitæ amore feruntur, hos certa manet ruina. Qui enim præcipites non ruerent, quibus nullæ sunt vires nisi ex præsumptione, nulla vigilantia nisi ex cæcitate, nullum auxilium nisi ex propria infirmitate?

S. Ambros. lib. 4. in Luc. n. 19.

13. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Prope omnium criminum fontes hæc tria genera demonstrantur esse vitiorum (inquit S. Ambrosius) carnis delectatio, vana gloria, ambitio. Neque enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset; nisi in his tribus esset omnium materia delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cavenda, *Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum; quia causæ tentationum causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ.* His exhaustis tentationibus, diabolus, cui mille nocendi artes, etsi invidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Sed recedit usque ad tempus, gravius postmodum impugnaturus. Semper ergo vigilandum est. Semper ad nova certamina sustinenda munire nos Christianorum virtutum præsidio debemus. Non unum telum diabolus habet, ut tentatio sancti viri Job demonstravit; frequentat spicula, ut aut præmio vincat, aut tædio. „ Primo cupiditate „ vulnerat, secundo pietate, tertio sanitate; mentis „ enim pariter & corporis pugnat ulceribus. Diversitas „ quoque ipsa tentationum pro diversitate certantium „ est. Avaritiæ damno dives urgetur, pater dispendio „ filiorum, homo doloribus, corpus ulceribus. Quanta „ hæc tela! unde Dominus noluit habere quod perde„ ret, & ideo pauper huc venit, ne diabolus haberet „ quod auferret. *Venit* (inquit) *Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Noluit etiam paucorum „ esse pater, ut esset omnium. Frustra autem corporis „ tentaretur ulceribus, qui contemneret omnes corporis „ Passiones. Fortitudine fidei opus est in his Christianæ „ militiæ præliis. Non enim contra carnem & sangui„ nem, sed contra insidias spiritales nobis est certa„ men. Vides magnificentiam Christiani viri, qui certat „ cum rectoribus mundi; & licet constitutus in terris, „ adversus spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus, „ animi virtute decernit. Non enim de terrenis contendimus, ut dimicemus in terra: sed spiritalibus propo„ sitis præmiis, de regno Dei & Christi hæreditate, „ necesse est spiritalia prius impedimenta superentur. „ Corona proposita est, subeunda certamina sunt. Nemo „ potest, nisi vicerit, coronari: nemo potest vincere, „ nisi ante certaverit. Ipsius quoque coronæ major est „ fructus, ubi major est labor. *Arcta* enim *& angusta „ est via, quæ ducit ad vitam.... Lata vero & spatiosa, quæ ducit ad mortem.* Et ideo tentationem time„ re non debemus; est enim causa victoriæ, materia „ triumphorum. „

S. Ambros. ib. n. 37.

17. 18. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum*, &c. Christus plenitudine Spiritus sancti ad sacerdotium æternum consecratus, & velut unguento perfusus, de quo scriptum est: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Oleum lætitiæ dixit Spiritum sanctum, ne creaturam putares. „ Olei enim hujusmodi natura „ est, ut nequaquam naturæ alterius humido misceatur. „ Lætitia quoque non corpus ungit, sed intima cordis „ illuminat. Et bene oleum lætitiæ dicitur quo unctus „ est Christus. Neque enim usitatum fuit ei oleum & „ commune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut „ æstus levatur: cum fomentum vulnerum suorum salus „ mundana non quæreret, nec refectionem corporis fati„ gati virtus sempiterna deposceret. Nec mirum si habet „ oleum lætitiæ, qui fecit exultare morituros, tristitia „ mundum exuit, mœstæ fœtorem mortis abolevit. Er„ go unguentum Christi est Spiritus. „ Ab hoc unguento Jesus nuncupatus est Christus, qui sic Deo perfusus est & infusus, ut homo Deusque esset unus Deus. Ad hoc autem unctus est Spiritu sancto, ut illum in nos effunderet, ac per ejus gratiæ medicinalis, illuminatricis, liberatris ineffabilem efficaciam Animarum nostrarum vulnera sanaret, nos a morte ad vitam, a servitute in perfectam libertatem, e tenebris ad lucem, a summa miseria ad supremam æternamque felicitatem revocaret, nosque interim divitiis spiritualibus repleret. *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem.* Hoc quo unctus est Spiritus sancti unguento & substantiva atque increata sanctitate membra sua perfundens Christus, non solum nos Christianos effecit, gentem sanctam, regale Sacerdotium, sed Christos. *Non solum caput nostrum unctum est, sed & corpus ejus nos ipsi*

Joan. 14. 30.

Psal. 44. S. Ambros. l. 1. de Spiritu sancto c. 9.

(inquit

S. Aug. in Psal. 26. (inquit S. Augustinus) *Concorporans nos sibi, faciens nos membra sua; ut in illo & nos Christi essemus.... Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur, & omnes in illo & Christi & Christus, quia quodam modo totus Christus caput & corpus.* Tantis Christi Domini beneficiis ne simus ingrati: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, quos annuntiavit Christus; dies iræ & furoris Domini sequetur, dies ultionis & judicii, in quo adstabimus omnes ante tribunal Christi, ut referat unusquisque retributionem vel beatitudinis vel pœnæ æternæ secundum operum suorum merita. Ad terribilem illum diem nos præparemus, audientes Christi vocem nobis prædicantis *Annum Domini acceptum, & diem retributionis*. Mentes & corda in ipsum defiganus. *Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum*. Deo gratias agamus perennes, qui nos ad Christianam Religionem vocavit, quam solam esse veram cognoscimus ex prophetiarum adimpletione in Christo & in Ecclesia, & ex Miraculis quibus Evangelii prædicatio obsignata & confirmata est. *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.*

25. 26. *In veritate dico vobis, Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel*, &c. *& ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Vidua censu pauper, fide dives; corporalis panis egens, sed invisibilis cibi verbi Dei, quo anima vivit, magis avida; alienigena, omni solatio temporali destituta, ceteris præfertur, & Prophetæ hospitio, solatioque recreatur, ut farina & oleo multiplicatis sustentetur ipsa & filii ejus trium annorum & sex mensium spatio, quibus fames magna fuit in omni terra. Vidua hæc Ecclesiæ typus, de qua scriptum est; *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & exclama, quæ non parturis; quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Ad hanc, cum fames esset verbi divini in omni terra, missus est Christus, qui aridam terram rore cœlesti Evangelii Gratiæque suæ rigavit, & clausum cœlum reseravit. Hydriam farinæ & vas olei non defectura spopondit: *perpetuitatem* nempe *sacramentorum* promisit *cœlestium, & non defuturam spiritualis exultationis gratiam; munimenta vitæ fideifignacula, dona virtutum*, largitus est. *Descendit* Verbum divinum, *sicut pluvia in vellus*, ut paulo post exsiccato vellere, terram irroraret universam: *Et sicut stillicidia stillantia super terram*. Nam primo intra Judæam divini cœpit ros sermonis humescere (*Notus* enim *in Judæa Deus*) cum arida fidei totius orbis universa terra maneret. Sed ubi Joseph greges Deum negare cœperunt, & ausu vario immanium delictorum contrahere divinitatis offensam, tunc per omnes terras fuso imbris rore cœlestis, populus Judæorum æstu perfidiæ suæ cœpit arescere, cum Ecclesiam sanctam ex omnibus terrarum partibus congregatam propheticæ nubes, & salutaris imber Apostolicus irrigarent. Viduæ igitur Sareptanæ, ad quam, Viduis Israelitibus prætermissis, Elias a Deo missus est, exemplo ostenditur ac typo. „Quod ad instaurandam Ecclesiam Dei Filius „ humani corporis sacramenta susceperit, abdicato popu„ lo Judæorum, quibus consiliarius & Propheta, beneficio„ rumque adempta sunt miracula dominicorum: eo quod „ civico quodam invidiæ nævo in Dei Filium credere no„ luerunt."

3. Reg. 17. Isaiæ 54. 1. S. Ambros. lib. de Viduis c. 3. Judic. 6.

Psalm 71. 6.

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ &c. *& ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Saretta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Heroicum in Sareptana illa muliere charitatis exemplum non solum mirentur, sed imitentur Christiani. Mulier erat alienigena, vidua, omni destituta subsidio, cui alendorum cura incumbebat liberorum; pugillus tantum farinæ reliquus erat, quo deficiente mors expectatur; nihil tamen horum illam aberoganda Prophetæ eleemosyna prohibuit, retardavit, quamvis ille peregrinus esset, ipsi ignotus, & religione ab ipsa separatus. Cum igitur neque paupertate, neque alendorum sollicitudine filiorum, neque gravi fame, neque tanta egestate, neque mortis imminentis metu fuerit ab hospitalitatis & beneficentiæ officio impedita, quæ Christianis divitibus erit excusatio? Sed dicet fortasse quispiam: Adducito mihi Prophetam, & eadem benevolentia illum suscipiam. Non solum Prophetam, sed ipsum Prophetarum Dominum tibi adducam, communem Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum: ipse enim ait: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*. Si viduæ illius charitatem imiteris, si eleemosynam pauperibus, non dico ex necessario tuo, sed saltem ex superfluo erogaveris, parem, imo longe majorem benedictionem consequeris. Non hydria farinæ, neque lecythus olei, indeficientes ad breve tempus, sed vita æterna mercedis loco tibi reddetur, Dei misericordia, esca spiritualis. „ Si enim Elias exiguæ farinæ annonam „ consecutus, quod mulierem majorem sui quam filiorum „ rationem habuisse perspexit, aream in viduæ domo, „ torcularque instruxit, ac ex inexhaustis vasis vicem red„ didit, alens quæ se aluisset vicaria hospitalitatis mer„ cede, cogita quantam Eliæ Dominus gratiam sit ini„ turus, si una cum filiis hæredem ac curatorem ipsum „ reliqueris."

S. Joannes Chrys. Hom. in Eliam & Viduam Tom. 5. Ducæi.

Idem in Catena Græcor. Patrum.

27. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta; & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Cur non curabat fratres, non curabat cives, non sanabat Propheta consortes; cum sanaret alienos, sanaret eos qui observantiam Legis, & Religionis consortium non habebant: „ *nisi quia* Voluntatis est medicina, non gentis: „ & divinum munus votis eligitur, non naturæ juri de„ fertur? Disce, Christiane, rogare quod cupias impe„ trare: fastidiosos viros cœlestium profectus munerum „ non sequuntur.. Nemo sanatus ostenditur, nisi qui re„ ligioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus „ divina beneficia, sed observantibus deferuntur."

S. Ambr lib. 4. in Luc. n. 49.

Naaman Gentilis Populi typus alter; ejus ad Eliseum Prophetam accessus, figura vocationis Gentium; lepræ mundatio cum Jordane corpus abluit, figura remissionis peccatorum per baptismatis gratiam salutaris. Per mundationem Naaman Syri a lepra, significata est emundatio nationum in Christo lumine earum, quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrebant, idololatria, blasphemia, homicidio, adulterio, stupro, falso testimonio, fraude. Quopropter septies quasi per singulos titulos in Jordane lavit..... Quia *unius lavacri vis & plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita & lavacrum*. A puella juniore ex captivis monitus Naaman, esse in terra Israel, qui posset eum a lepræ contagione mundare, ad Regem Israel venerat, a quo missus ad Eliseum mandatum acceperat ut septies in Jordane mergeretur. Tunc ille secum tractare cepit meliores aquas habere se in patria, in quibus sæpe se mersisset, nec tamen a lepra esset mundatus; eaque revocatus cogitatione ac diffidentia, non obediebat mandatis Prophetæ: sed admonitione & persuasionibus servorum adquievit, ac mersit. Mundatusque statim intellexit, *Non aquarum esse quod unusquisque mundatur, sed gratiæ*. Illa porro ex captivis junior puella, typus est Ecclesiæ Domini ex gentibus congregatæ, & antea depressę captivitate peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat; cujus consilio vanus ille Populus Nationum verbum audivit Propheticum, de quo ante diu dubitavit; postea tamen ubi credidit exequendum, ablutus est ab omni contagione vitiorum. *Et ille quidem dubitavit antequam sanaretur; tu jam sanatus es, & ideo dubitare non debes*. Ille Syrus septies mersit in Lege: tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris: confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum, mundo mortuus es, & Deo resurrexisti; & quasi in illo mundi consepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternam. Gratias age Domino Prophetarum Christo Jesu Salvatori nostro, ad quem missus es, & a quo mundatus es a lepra peccati per aquam Baptismatis. Beneficii magnitudinem cogita: non enim omnes leprosi ab ipso mundati sunt, non omnes baptismate purgati, longe plures in infidelitate & peccato relicti, occulto, sed tamen justo Dei judicio pereunt. Gratuitam in te Dei misericordiam agnosce: *Non fecit taliter omni Nationi*. Cum Naaman Syro dicas: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino soli.*

Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 9.

S. Ambrosf. lib. de Mysteriis sive de Initiandis cap. 3. & 4.

4. Reg. 5.

29. *Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem*, &c. In Evangelio completum est quod per Prophetam de se prenuntiavit Dominus; *Retribuebant mihi mala pro bonis*. Nam cum Christus beneficia in Judæos diffunderet, illi injurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui ejecerunt de suis finibus Salvatorem. Dominus enim nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Inhumanum, ingratum, sacrilegum Nazarenorum facinus exsecramini, qui Christum e civitate sua ejecerunt, & duxerunt in supercilium montis ut precipitarent eum: sed longe magis detestanda Christianorum ingratitudo, qui per fidem cognoscentes illum esse Filium Dei, longeque majoribus ab illo affecti beneficiis, e cordibus suis illum per mortale peccatum ejiciunt.

Psalm. 34. 12. S. Ambrosf. lib. 4. in Luc.

30. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat*. Hinc intellige, non ex necessitate, sed libere passum Dominum Jesum, nec captum a Judęis, sed a se ipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Hic seditiosæ & ingratæ turbæ se subduxit, quia *Malebat adhuc Judæos sanare quam perdere; ut inefficaci furoris exitu desinerent velle, quod implere non possent*. Vides igitur (ait S. Ambrosius) & hic divinitatis esse quod operatus est; & illic voluntatis esse quod captus est. Nam quemadmodum a paucis teneri potuit, qui a populo non tenetur? *Sed noluit sacrilegium esse multorum; ut in auctores culpæ crucis invidiam retorqueret; atque a paucis quidem affigeretur, sed pro toto orbe moreretur*. O incomparabilem Salvatoris amantissimi bonitatem!

S. Ambrosf. lib. 4. in Luc. n. 36.

31. *Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum*, &c. Impudici, adulteri, fornicatores, molles, Dęmonium immundum habent, a quo illorum Animę miserum in modum possidentur. Christi verbis & mandatis torqueri se putant, Concionatorum & Pastorum, piorumque hominum admonitiones & increpationes impantientissime

ferunt

ferunt; sanctas inspirationes, quibus a voluptatibus carnis revocantur, rejiciunt: cum putant, quod falsa illorum pax turbetur, quod ad pœnitentiam ante tempus senectutis invitentur, quod separatio ab occasionibus proximis peccati illis imperetur. Etsi Christum ore confitentur, ut dæmones, factis tamen negant ejus puritatem & sanctimoniam renuentes imitari, & membra ejus facientes membra meretricis, quæ summa est Dei injuria. *Sine, quid nobis & tibi Jesu Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te quis ſis: Sanctus Dei.* Cum impudici homines Christianis mulieribus adulantur, blandisque sermonibus, laudibus, verbis amatoriis illarum insidiantur castitati, silentium illis protinus imponant, Christi potestatem & virtutem invocent, ut immundum ab illis dæmonum expellat, supplices orent ne sibi noceat. *Obmutesce & exi*, Qui de impudicitia tentantur, Christo Jesu adhæreant, ejus gratiam invocent, cujus virtute pravi concupiscentiæ motus refrænantur. *In potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt.*

38. *Surgens autem de Synagoga, introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea.* Cum aliquis in Christiana familia febribus corporis vexatur, vota Deo nuncupantur, novemdiales devotiones in Memoriis Sanctorum pro ejus valetudine fiunt: cum animi febribus, quæ pravæ cupiditates & vitia sunt, tenetur, cum mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente, salus ejus negligitur, supernus Medicus non quæritur, non invocatur, Sanctorum preces apud divinam Majestatem non adhibentur. Et tamen longe vehementior, longe periculosior est animæ quam corporis febris. Huic nemo homo mederi potest, sed nec Angelus. Filium Dei descendere oportuit ut febribus humani cordis mederetur. *Et stans super illam, imperavit febri.* Corda in rerum terrenarum amore defixa ad se sursum evexit; infirmi animi motus per gratiam suam medicinalem ordinatos, suæque Legi subjectos, in obsequium suum convertit, eorum immutatis objectis, ut membra quæ olim serviebant iniquitati, justitiæ cum alacritate servirent. *Et continuo surgens ministrabat illis.* Nemo putet obsequium se præstare Deo, cum aliqua opera ex se bona facit in statu & in affectu peccati; a febre peccati curari necesse est, ut opera nostra grata sint Deo. *Imperavit febri, & dimisit illam: & continue surgens ministrabat illis.*

Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & inquitati ad inquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom. 6.*

40. *Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, curabat eos.* Omnes quibus erant infirmi corporaliter, ducebant illos ad Jesum: modo pauci sunt qui suos spiritualiter infirmos ad eum ducant: immo pravis plerumque consiliis & exemplis ab eo abducunt, prohibentes ne pœnitentiam agant, ne mundo renuncient, ne Deo se devoveant. „ Noli prohibere bene- „ facere eum qui potest (*inquit Sapiens*). Velle debemus „ ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum quod vel „ eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum „ finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ qui „ aliquem diligit histrionem, & tamquam magno vel e- „ tiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit „ qui eum diligant secum, non propter illos, sed propter „ eum quem pariter diligunt; & quanto est in ejus amo- „ re fervention, tanto agit quibus potest modis ut a plu- „ ribus diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere; „ & quem frigidiorem videt, excitat eum quantum po- „ test laudibus illius; si autem contravenientem inveneri, odit in illo vehementer odium dilecti sui; & qui- „ bus modis valet, instat ut auferat: Quid nos in socie- „ tate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui, bea- „ te vivere est; & a quo habent omnes qui eum diligunt „ & quod sunt, & quod eum diligunt, de quo nihil me- „ tuimus ne cuiquam possit cognitus displicere; & qui se „ vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt „ æternum præmium conferatur, hoc est, ipse quem di- „ ligunt? Infirmi sunt quicumque illum non amant." Animæ enim sanitas, charitas est. Ab ea qui deficit, languescit. Infirmos itaque nostros secundum animam, domesticos, familiares, cognatos, amicos, omnes ducamus ad Jesum, ut sanentur. Medicus est potentia in sanandis omnis generis languoribus; sapientia in cognoscendis, clementia ac bonitate in suscipiendis infirmis nulli comparandus. *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, curabat eos.*

42. *Facta autem die egressus, ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis.* Piam turbarum illarum sollicitudinem imitemur: Christum Jesum fi- *Sap. 1. Eccli 2. 6. & 9. Cant. 3.* de quæramus: *Sentite de Domino in bonitate & in simplicitate cordis quærite illum.* Ad eum spe tendamus & veniamus: *Dirige viam tuam, & spera in illum . . . . Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Ipsum teneamus charitate, ne unquam a nobis discedat. *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.*

CAPUT V.

Sensus Litteralis.

1. & 2. *Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth, & vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem descenderant, & lavabant retia.* Quadam die, cum Jesus staret ad littus Lacus Genesaretici, sive Maris Tiberiadis, aut Galilææ, ut alias in historia Evangelica appellatur, & a turbis magno concursu ad audiendum verbum Dei confluentibus premeretur, vidit naves duas ad stagni littus quiescentes; Piscatores autem quidam descenderant, & lavabant retia; alii resarciebant, alii qui remanserant in navibus, experiebantur num aliquid capere possent, mittentes retia in Mare, ut constat ex hujus loci collatione cum *Matthæi c. 4. vers.* 18. & 21. & *Marci 4. vers.* 19. & 16. eandem historiam narrantibus, cujus plures circumstantias hic S. Lucas commemorat. Vide quæ ad Matthæi c. 4. diximus.

3. *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis* Petri, ne a turba opprimeretur; *rogavit eum a terra reducere pusillum*, navim paululum e littore subducere; *& sedens docebat de navicula turbas.*

4. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum*, navigium tuum provehe in altum Mare, sive in profundiorem stagni locum: *& laxate retia vestra in capturam.* Retia jacite ad piscandum.

5. 6. *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor: per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* Solo tuo verbo ac imperio fretus, cum cetera omnia spei nostræ adversentur, rete cum fiducia jaciam. *Et cum hoc fecissent, concluserunt* uno jactu retis *piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum.*

7. *Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos.* Signo eos vocarunt, quia longius aberant, quam ut vox eo pervenire posset. *Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas* piscibus captis, *ita ut pene mergerentur* præ onere.

8. 9. *Quod cum vidisset Simon Petrus*, divina virtute id fieri intelligens, suamque tenuitatem agnoscens, *procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Indignus sum consortii tui honore & gratia, & ut in navicula mea maneas. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant*; id est ob prodigialem piscationem.

10. *Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi*, qui erant socii *Simonis* in piscatione, stupor occupaverat. *Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere*, bono animo esto: hujus piscationis miraculum omen est piscationis alterius, quam brevi exercebis: *ex hoc jam eris homines capiens*, ad vitam (Hæc enim vis est verbi Græci ζωγρῶν qui hucusque cepisti pisces ad mortem. Non tibi autem capies, sed Deo.)

11. *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.* Relictis omnibus, navi, retibus, piscibus, sociis, familia, se illi ut discipulos & comites perpetuos adjunxerunt.

12. 13. 14. *Et factum est, cum esset in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jesum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: volo, Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret; sed, Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.* In agro Capharnaum miraculum istud a Christo editum est, Christus tunc temporis in civitate degebat, ex eaque egressus, obvium habuit hominem lepra obsitum, & ab hominum societate propterea separatum, urbeque pulsum: qui prostratus adorationis causa, oravit eum magna fide dicens: *Domine, si vis potes me mundare*: Non tantum mundum pronuntiare, ut Levitici Sacerdotes. Idque sola voluntate potes. Confer cum *Matthæi* 8. & nostrum Commentarium lege. *Marci 2.*

15. 16. *Perambulabat autem magis sermo de illo*: fama illius magis ac magis diffundebatur, celebrius evadebat nomen ejus: *& conveniebant turbæ multæ ut audirent* docentem, *& curarentur* ejus virtute *ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat*; non quod infirmus esset, orationeque & secessu indigeret, sed ut exemplum præberet.

17. *Et factum est in una dierum*, quadam die, *& ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & Legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum illos.* Cum ipse Jesus sedens doceret, & Pharisæi Legisque Doctores qui ex omnibus oppidis & pagis Galilææ & Judææ, & Jerosolymis venerant, illum audituri & observaturi, juxta illum sederent, virtus Domini ad sanandum infirmos, non illi data ad tem-

pus,

pus, ut Prophetis, ſed congenita, eo tempore ſe exerebat.

18. 19. 20. *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat Paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum. Quorum fidem, ut vidit, dixit, Homo, remittuntur tibi peccata tua*, quæ morbi cauſæ. Confer cum *Matthæi* 2. & *Marci*, noſtrumque videſis Commentarium.

26. *Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et impleti ſunt timore*, ſeu Dei reverentia, *dicentes; Quia vidimus mirabilia hodie*. Rem admirandam. Populus merito judicabat, non tam quod ægro ſanitas eſſet a Chriſto reddita (quod contigerat ſæpius) quam quod eo miraculo probaſſet Jeſus ſibi jus eſſe ac poteſtatem condonandi peccata, in cujus rei fidem Paralyticum curaverat.

27. 28. *Et poſt hæc exiit, & vidit Publicanum nomine Levi*, qui & Matthæus, *ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus*, opibus, quæſtuoſo vivendi genere, & quod ex rationibus ipſi debebatur, familiaribus, ſociis, amicis, *ſurgens ſecutus eſt eum*, confeſtim & abſque mora. Confer cum *S. Matthæi c.* 9. noſtrumque Commentarium in eum locum lege. Confer & cum 2. c. S. Marci.

33. 34. *At illi dixerunt ad eum; Quare Diſcipuli Joannis* jejunant *frequenter & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt? Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?* ad jejunandum compellere. *Venient autem dies cum ablatus fuerit ab illis Sponſus, tunc jejunabunt in illis diebus*. Confer c. 9. S. Matthæi, & c. 2. S. Marci, noſtroſque lege in utrumque Commentarios.

SENSUS MORALIS.

1. FActum *eſt autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*, &c. Magnus ad audiendum Chriſtum Judaici populi concurſus, fructus exiguus. Chriſtianorum plurimi Dei verbum audiunt, Sacramenta frequentant, pauci convertuntur. Pia deſideria, & tranſitoriæ devotionis affectus ad ſalutem non ſufficiunt ſine bonis operibus ac perſeverantia in eis.

3. *Aſcendens autem in unam navim, quæ erat ſimonis, rogavit eum a terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas*. Navis Petri, Eccleſia Catholica Romana, cui niſi Eccleſiæ ceteræ communione jungatur, ſchiſmaticæ ſunt. Hanc fidei puritas, doctrinæque, morum integritas a terra dimovet, cœlo conS. *Auguſt.* jungit. In ea ſola Chriſtus reſidet: hæc *Schola unitatis*, in qua poſuit *Cathedram veritatis*. In ea docet, hanc ſanctificat, regit, tuetur, Miniſtris ſuis in ea cooperatur ad conſummationem uſque ſæculi. Vult autem ſuperiores 1. *Petri* 5. Miniſtros non typho ſuperbiæ inferioribus imperare, ſed 3. humili charitate ſervire: *Non dominantes in cleris, ſed formam fieri gregis ex animo*: Nimia cum ſæcularibus hominibus familiaritate ſeſe contemptui & oblocutionibus turbarum non exponere, ſed vita ſanctiore, & a Laicorum moribus ſejuncta conciliare ſibi auctoritatem & reS. *Auguſtin. lib.* 2. verentiam populorum. *Rogavit eum a terra reducere* *Quæſt.* *puſillum*. Denique ſignificat temperate utendum verbo ad *Evang.* turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec ſic a ter*Quæſt.* 21. renis in profundiora Sacramentorum recedatur, ut ea penitus non intelligant.

4. *Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam*. Prædicationis Evangelicæ retia ſine Chriſti auctoritate, vocatione, ejuſque ac Vicariorum ipſius miſſione minime laxanda ſunt. *Rom.* 10. *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* Ut vero cum 14. hominibus converſari, & illis loqui ac prædicare ceſſavit Chriſtus, id eſt, poſt ejus Paſſionem, Reſurrectionem, & glorioſam Aſcenſionem, Eccleſia apud omnes Nationes diffuſa eſt, & in altum mare quaſi provecta per Apoſtolos & eorum Succeſſores, quibus in perſona Petri dictum S. *Auguſtin.* eſt: *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam*. Petrus enim ob ſuum in Miniſterio Eccleſiaſtico Primatum, perſonam Eccleſiæ gerebat. Una hæc navis eſt, quæ Chriſtum Jeſum vehit ad remotiſſimas orbis novi gentes. Huic uni, non Schiſmaticis Sectis, credita eſt gratia convertendi populos ad Chriſtum.

5. *Et reſpondens Simon, dixit: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete*. Animarum converſioni fruſtra Prædicator Evangelicus adlaborat, niſi Dominus gratiæ ſuæ benedictione labores ejus præveniat & proſequatur. Non enim eloquentiæ ſuæ aut doctrinæ viribus, ſed uni divinæ gratiæ auxilio, quæ Doctorem & diſcipulum in benedictionibus dulcedinis prævenit, conſidere debet. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Piſcatio duplex, noctis, & diei. Prima infructuoſa & inanis, ſine lumine, ſine miſſione, ſine Chriſti verbo, abſque benedictione, in navi a qua abeſt. Hæc Hæreticorum & Schiſmaticorum prædicatio eſt, qui verbum Dei adulterant, qui Chriſti mandatum ex ore legitimorum Paſtorum, qui Apoſtolis per continuam Ordinationum ſeriem in Eccleſiæ regimine ſucceſſerunt, non expectant. Altera fructuoſa & felix eſt, quæ fit in lumine fidei, affulgente Sole juſtitiæ, in Chriſti verbo, ab Eccleſiæ Catholicæ Miniſtris, qui ſunt filii diei, non noctis, neque tenebrarum; in veritatis manifeſtatione, cum divinæ protectionis certiſſima fiducia, quam Chriſtus in verbis ſuis fidelis, Eccleſiæ ſuæ non defuturam promiſit, uſque ad conſummationem ſæculi. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. *Matth.* 28. 20.

6. *Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum*. Ne ſcandalizentur infirmi, cum Eccleſiæ rete rumpi vident. Hæc enim calamitas multitudinem ſequitur. Rete Eccleſiæ rumpunt Hæretici, cum verbum Dei, fideique puritatem corrumpunt: Schiſmatici, cum Eccleſiæ ſcindunt unitatem: mali Miniſtri, cum ejus auctoritatem contemnunt, nec Prælatis ſubeſſe & parere, & ordinem Hierarchicum ſancitamque Sacris Canonibus, Sedis Apoſtolicæ Decretis, & Epiſcoporum Statutis ac Mandatis diſciplinam ſervare nolunt: pravi Chriſtiani, cum clavium Apoſtolicarum ſpernunt poteſtatem, vel ſanctiatem Eccleſiæ indignis moribus contaminant & inhonorant.

„ Quod retia rumpebantur piſcium copia (*inquit S.* *S. Auguſt.*
„ *Auguſtinus*) & naviculæ impletæ ſunt, ita ut mer- *lib.* 2.
„ gerentur, ſignificat hominum carnalium multitudinem *Quæſt.*
„ tantam futuram in Eccleſia, ut cum diſruptione pacis, *Evang.*
„ exeuntibus inde hæreſibus & ſchiſmatibus tanta rema- *Quæſt.* 2.
„ neret & tanta eſſet futura illi amiſſio fidei & bono„ rum morum, ut Chriſto dicere videatur talis Eccleſia,
„ *Exi a me, quia homo peccator ſum:* tamquam turbis
„ carnalium repleta, & eorum moribus pene ſubmerſa,
„ regimen ſpiritualium, in quibus maxime Chriſti per„ ſona eminet, a ſe repellat quodammodo. Non enim
„ hoc voce linguæ dicunt homine bonis Miniſtris Dei, ut
„ eos a ſe repellant: ſed voce morum & actuum ſuo„ rum ſuadent a ſe recedi, ne per bonos regantur: &
„ eo vehementius quo deferunt eis honorem, & tamen
„ factis ſuis a ſe recedere admonent: ut honorificentiam
„ eorum ſignificaverit Petrus, cadens ad pedes Domini;
„ mores autem in eo quod dixit, *Exi a me, Domine,*
„ *quia homo peccator ſum*. Quod tamen quia non fecit
„ Dominus; non enim receſſit ab eis, ſed eos ſubductis
„ navibus ad littus perduxit: ſignificat in bonis & ſpi„ ritualibus viris non eſſe oportere hanc voluntatem,
„ ut peccatis turbarum commoti, quo quaſi ſecurius
„ tranquilliuſque vivant, Munus Eccleſiaſticum deſe„ rant.“

8. *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine*. Paſtor & Prædicator humilis vix concipere poteſt quomodo illius miniſterio Deus uti velit in Eccleſiæ regimine, in diſpenſatione Sacramentorum, in prædicatione verbi Dei, in converſione animarum: Quamvis probe noverit gloriam gratiæ ejus eo magis eluceſcere, quo infirmiora & viliora ſunt inſtrumenta, quibus uti dignatur. *Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine*. Chriſtum honorant, qui ad illum per frequentem communionem accedunt cum fiducia: honorant pariter, qui rariusaccedunt ex humilitate, indignitatem ſuam cum ſumma. Dei Majeſtate & infinita ſanctitate comparantes. Sed magis honorant, qui corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta ad ſacram Mrnſam frequenter accedentes, piam fiduciam, ſanctumque fervorem cum humilitate conjungunt, procidentes ad genua Jeſu, & dicentes: *Exi a me, quia homo pecator ſum, Domine*.

9. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant.., Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens*. Obſtupeſcit ac timet fidelis Dei Miniſter, cum per eum Chriſtus magni quidpiam ſacro Miniſterio & Animarum converſione ac regimine operatur. Hinc Dei potentiam, bonitatem ac miſericordiam admiratur & celebrat: hinc hominum laudes applauſuſque timet, ſuperbiamque ſuis laboribus & operibus inſidiantem. *Ne cum* 1. *Cor.* 9. *aliis prædicaverim* (inquit Apoſtolus) *ipſe reprobus ef-* 27. *ficiar*. Sed timorem ejus ſedat Chriſtus; & illius animum piu fiducia confirmat, cum unam ejus gloriam quærit, cum ſtudiis omnibus & toto fervore charitatis enititur ut homines illi capiat, & ad ejus cognitionem, amorem, obedientiam adducat: cum tandem relictis omnibus, illum ſequitur & illi adhæret.

12. *Et ecce vir plenus lepra, & videns Jeſum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens*: Domine, *ſi vis potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo*. Lepra, peccati præcipue carnalis figura eſt. Impudicus, vir plenus lepra, quæ corpus pariter animamque fœdat, membra interioris hominis conſumit, illos qui cum ipſo familiariter converſantur, periculoſa contagione inficit, a civitate Sanctorum infirmum excludit. Morbi tamen tam fœdi, tam horrendi, tam periculoſi non deſperanda curatio eſt, ſi infirmus Jeſum reſpiciens oculis fidei,

ſuam

suam indignitatem agnoscat, in faciem coram cœlesti Medico procidat, humiliter ipsum deprecetur, de illius summa potestate minime dubitans, in infinita bonitate confidens, ab ejus misericordissima voluntate sanitatis beneficium exspectet, de profundis clamans ad Dominum, & in eum sperans, quia apud ipsum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, qui vult omnes salvos fieri, neminem perire. *Domine, si vis, potes me mundare.* Peccatorem contritum & humiliatum Christus non despicit, gratiæ suæ manum super illum extendit, illum ad Sacerdotes mittit ut peccata confiteatur. Illorum ministerio, Christi vero voluntate, & potestate in Sacramento pœnitentiæ mundatur. *Vade, ostende te Sacerdoti.* Satisfactio salutaris subjungenda, munus offerendum quo divina justitia placetur, peccatum expietur, ac in futurum caveatur. *Et offer pro emundatione tua.* Sic lepra peccati in oculis Domini confestim disparebit. *Et confestim lepra discessit ab eo.*

16. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.* Sacerdotibus suis & Evangelii Ministris exemplum præbuit Christus, ut interdum in sacram solitudinem secedant, undique orationi & Christianarum veritatum meditationi vacent: se purgare studeant a sordibus & imperfectionibus, quas in hominum societate contraxerunt, ut suum Ministerium sanctius exerceant; impleri Deo & ejus veritatibus, non sterili dumtaxat speculatione, sed pro affectu, intimoque gustu, ut illas in populorum salutem abundantius profundant. Prius conchæ fiant, quam canales: cum Deo colloquantur, ipsumque audiant in secessu, ut de illo & pro illo fructuosius ad populum loquantur in promptu. Contra vanam gloriam, quæ ex hominum applausu, & talentorum excellentia sæpe nascitur, & bonis operibus insidiatur, oratione se muniant ac humilitate.

18. *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat Paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.* Falsis amicis plenus est mundus, qui nos in pravis cupiditatibus & animi morbis adulatione sua, iniquis consiliis, officiis & exemplis fovent: pauci sunt qui salutem animæ nobis procurare satagant. Id tamen est veræ amicitiæ officium. Christiana amicitia charitas est, qua propter Deum amicus diligitur, eique verum ac summum bonum expetitur & pro viribus procuratur, scilicet bonum salutis & beatitudinis æternæ, quod est omnis appetitionis finis. Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere (inquit S. Augustinus.) Verus amicus amicum ab occasionibus proximis peccati, a via perditionis revocat, ad Christum trahit, in domum ejus infert, quæ est Ecclesia, admonitionibus suis, rectis consiliis, orationibus, bonis exemplis ponit ante Jesum. Multa licet ac pene insuperabilia impedimenta ejus conversioni obesse videantur, omnia tentat charitas ut eum cum lecto pravæ consuetudinis in quo tranquille, sed lethaliter quiescit, omnipotenti Medico sistat, ejusque misericordiam pro infirmo eo infeliciore, quo suam infirmitatem non sentit, obtineat. Piorum amicorum precibus sæpe annuit Jesus. *Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.*

Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat Paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Anima per diuturnam illecebræ carnalis inertiam velut paralytica, Ecclesiæ Ministris, bonis Pastoribus ac Doctoribus, qui eam sublevent, & Christo offerant, eique spem sanationis suggerant, opem intercessionis tribuant, committenda est. Quatuor viros Paralyticum portantes Sanctus Marcus commemorat. Quatuor scilicet virtutum cardinalium subsidio ad Deum fertur anima, de quibus in æternæ Sapientiæ laude dicitur: *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & justitiam & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ad Deum fertur peccator timore, fide, spe, charitate. His ponitur anima in medio ante Jesum.

Venerab. Beda in hunc locum.

Sap. 8. 7.

Et non invenientes qua parte illum inferrent præturba, ascenderunt supra tectum per tegulas. Et summiserunt illum cum lecto in medium ante Jesum. Sæpe anima ad Deum respiscens, supernæque gratiæ remedio cupiens innovari, consuetudinis impedimento retardatur. Sæpe inter ipsas orationis secretæ delicias, & suave cum Domino colloquium, turba cogitationum interveniens, mentis aciem intercludit, ne Christus videatur. Inter hæc quid agendum? Cor sursum levandum est, in tectum domus in qua Christus docet, ascendendum: *Scriptura Sacra*, Lex Domini diu noctuque meditanda est. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

Psalm. 18.

26. *Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum.* Veræ conversionis hæc signa sunt. 1. Dei mandatis fideliter & prompte obedire. 2. Pravas cupiditates & peccati reliquias pro viribus destruere; quicquid nos ad peccatum pellexit, removere & abolere. 3. In interiori secessu, immo & exteriori, quantum fas est vivere, & vitare societates quæ ad peccatum inducere possunt. „ Sanus qui languebat, lectum reportat domum, *Beda.* „ cum anima peccatorum remissione accepta, ad inter„ nam sui custodiam cum ipso se corpore refert, ne post „ veniam quid unde iterum juste feriatur, admittat. “ 4. Deo gratias agere, omniaque opera nostra ad ejus gloriam referre.

27. *Et post hæc exiit, & vidit Publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* Respexit Deus ab æterno Levi publicanum oculis misericordiæ suæ, eumque gratis elegit ut esset sanctus, Apostolus, & Evangelista Jesu Christi Filii sui. *Vidit*, non casu, sed secundum consilium & propositum voluntatis suæ. Vocavit illum sedentem ad telonium, negotiis animæ saluti periculosis implicatum, avaritiæ laqueis irretitum: *& ait illi, Sequere me.* Justificavit, obedientiæ gratiam ipsi tribuens. *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.* Cœlestis convivii, id est, æternæ gloriæ pignus illi tribuit, cum ejus convivio assidere dignatus est. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.*

Et relictis omnibus surgens, &c. Qui vere conversus ad Deum est, 1. E peccato surgit sine mora, omnibus peccandi occasionibus relictis. 2. Christum sequitur, bona *Vide Be-* opera faciendo, *secutus est eum:* sequi enim, imitari est: *dam.* ideoque ut pauperem Christum non tam gressu quam affectu consectari posset Levi, reliquit priora, qui rapere solebat aliena, perfectamque nobis abrenunciationis sæculi formam tribuens, non solum lucra reliquit vectigalium, sed & periculum contempsit a sæculi Principibus imminens; quia vectigalium rationes imperfectas atque incompositas relinquebat. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut in nullo prorsus hujus vitæ respectum vel cogitationem sibimet reservaverit. 3. Peccator vere conversus grati animi significatione misericordiam beneficentissimi Salvatoris persequitur. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* 4. Se Christi discipulum palam profitetur, & alios ad ipsius comitatum invitat & adducit. *Et erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.*

31. 32. *Non egent, qui sani sunt, Medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Morbus animæ, peccatum est; sanitas, justitia; Medicus, Christus Jesus; remedium, Pœnitentia. Sanitas animæ per gratiam Christi cognoscitur, desideratur, quæritur: per eam Pœnitentiæ salubris medicina diligitur, recipitur, operatur. Qui Pœnitentiæ remedium respuunt, aut phrenetici sunt, qui se infirmos non putant; aut desperati, qui sanari posse non existimant: aut stulti, qui sanitatem non curant; aut temerarii, qui remedio sibi opus esse non censent: aut delicati supra modum & effœminati, qui remedii amaritudinem fere nolunt; aut imprudentes, qui peritioribus Medicis curam salutis suæ committere renuunt.

33. *At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt?* Hi sunt hypocritarum characteres, 1. Alios contemnere. 2. Propria opera ostentare & commendare. 3. Externa Legis opera pluris facere quam interiorem sanctitatem. 4. Se iis assimilare quorum nomen est ob famam virtutis celebrius. 5. Aliis obloqui & insultare, eorumque virtutibus ac meritis detrahere. Contra qui vere sunt humiles, 1. bene & honorifice de aliis sentiunt. 2. Propria opera abscondunt. 3. Interiorem sanctimoniam pluris faciunt quam externa Legis opera, tametsi hæc minime negligant. 4. Sese infra omnes deprimunt: in aliis commendant quicquid vel speciem habet virtutis: culpas & defectus aliorum excusant, vel pia compassione tolerant, vel denique fraterna charitate corripiunt.

34. 35. *Numquid potestis filios Sponsi, dum cum illis est Sponsus, facere jejunare? Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis Sponsus, tunc jejunabunt.* Christus Jesus amicos suos a Pœnitentiæ laboribus non dispensat, sed per Spiritus sancti gratiam præparat. Corda primum renovat, diffusa in illis charitate, unde jejuniis & obsecrationibus assidue vacent, & mortificationem ejus in corporibus suis portent. Nunc tempus est adimplendi ea quæ desunt Passionum Christi in carne nostra mortali, siquidem cœlestis Sponsi visibili præsentia destituti sumus, & ad eam in cœlis consequendam suspiramus & contendimus, ubi sedet ad dexteram Patris, & regnat in æternum. Cum ipso nos regnaturos in gloria speramus, si tamen compatimur, & cœlorum regno vim faciamus per pœnitentiam, & austerioris vitæ exercitationes. Pœnitentiæ ergo Ministri dispensare pro arbitrio pœnitentes non possunt a jejuniis, orationibus & mortificationibus carnis; sed Evangelicas & Ecclesiasticas Regulas sequi tenentur. Verumtamen pœnitentiæ remedia generibus & qualitatibus morborum, viribusque ægrotantium accommodare & attemperare debent; & aliter cum imperfectis & incipientibus, aliter eum proficientibus

vel perfectis agere, ne similes illis sint qui commissuram panni novi assuunt vestimento veteri, aut mittunt
S. Greg. M. novum vinum in utres veteres; quod sine dispendio non fit. *Ars artium, regimen animarum.*

CAPUT VI.

Sensus Litteralis.

1. 2. FActum *est autem in Sabbato secundo-primo cum transiret per sata, vellebant Discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis?* Sabbatum secundo-primum erat illud quod proxime contingebat Festum Pentecostes. Sabbatum namque quod proxime Festum Paschatis contingebat, vel in quod ipsa Paschæ solemnitas incidebat, vocabatur *Magnus dies Sabbati*, seu primum Sabbatum. Sabbata quæ proxime contingebant Festa Pentecostes, & Tabernaculorum apud Judæos secunda Pascha proxime solemnia, dicebantur etiam Magna sive prima Sabbati simili ratione. Legimus enim apud Josephum Lib. 2. de bello Judaico cap. 37. Sabbatum quod incidebat in Festum Tabernaculorum, vocari *Sabbatum maxime honoratum*. Atque ita cum tria essent Sabbata prima, id est, maxima, distinctionis causa Sabbatum Paschale quod ordine temporis prius est, dictum est πρωτόπρωτον, *primorum-primum*: Sabbatum Pentecostes,
Joan. 29. 32. δευτερόπρωτον, *primorum-secundum*: Sabbatum Festi Tabernaculorum: τριτόπρωτον, *primorum-tertium*.

3. 4. 5. *Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cum esuriisset ipse, & qui cum illo erant: Quomodo intravit in domum Dei*, in Templum: *& panes propositionis*, id est, ibi in mensa expositos & Domino consecratos, *sumpsit & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant quos non licet manducare nisi tantum Sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam Sabbati.*

1. Reg. 21. Hæc ad Christum Jesum non pertinere, neque ipsum nomine Filii hominis significari, Crellius & Volzogen, Sociniani, eodemque spiritu afflatus Grotius impie negant, & eo nomine quemlibet hominem, seu genus humanum indicari contendunt contra manifestum Evanlii sensum & antiquam perpetuamque Traditionem ab Apostolis ad nos propagatam & in Ecclesia conservatam. „ Non alterum Filium hominis novit Evangelium „ nisi hunc qui ex Maria, qui & passus est (*inquit „ S. Irenæus*). De Filio hominis, (*inquit Tertullia-*
S. Irenæus Lib. 3. c. 18. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 10. 12. & 14. „ *nus*) duplex est nostra præscriptio, neque mentiri posse Christum ut se Filium hominis pronuntiaret, si non vere erat: neque Filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine, vel patre, vel matre; utque ita discutiendum cujus hominis filius accipi debeat, Patris, an matris. Si ex Deo Patre est, utique non ex homine. Si non & ex homine, superest ut ex homine sit matre. Si ex homine, jam apparet quia ex Virgine, *Et infra: Christus* Dominus Sabbati dictus, quia Sabbatum ut rem suam tuebatur. Quod etiam si destruxisset, meritо, qua Dominus magis ille qui instituit. *Et rursus*: Evangelium nomen Christianorum, utique a Christo deductum, odio futurum contestatur propter Filium hominis, quod est Christus. " S. Hilarium, S. Joannem Chrysostomum, ceterosque Patres hic subjungere minime necesse est, cum veritas evidentissima sit; & soli olim Prodici hæretici asseclæ qui Gnosticorum nomen sibi sumebant, nomen *Domini Sabbati* usurparent, illud Christo detrahentes, ut refert S. Clemens Alexandrinus Libro 3. Stromatum, pag. 438.

6. 7. 8. 9. 10. 11. *Factum est autem & in alio Sabbato ut intraret in Synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida.* Erat ibi homo, cujus manus dextera erat arida. *Observabant autem Scribæ & Pharisei, si in Sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum*: quasi violati Sabbati reum, si curaret; quasi immisericordem vel impotentem, si non curaret. *Ipse vero sciebat cogitationes eorum*: quod veræ divinitatis argumentum est. Corda enim scrutari, & cogitationes intelligere, Dei proprium est. *Et ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium*, ne ullum adstantium lateat infirmitas tua, & miraculum in tui gratiam nunc a me patrandum. *Et surgens stetit*, ut jusserat Jesus. *Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos si licet Sabbato bene facere, an male; animam salvum facere, an perdere?* Vitam homini servare, an eripere? *Et circumspectis omnibus*, ipso oculorum nutu illis invidiam & pronum ad calumnias animum exprobrans, *dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus ejus*, sana facta est sicut altera. *Ipsi autem repleti sunt insipientia*, furore perciti: *& colloquebantur ad invicem quidnam facerent Jesu?* Quid contra Jesum agerent. Confer cum Matthæi 12.

12. 13. 14. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* De Ecclesia sua sollicitus, cui mox electurus erat Pastores, & doctrinæ suæ summam expositurus, totam noctem duxit in oratione ad Deum, ut tanti momenti negotium illi commendaret. *Et cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*, quasi missos, sive legatos, qui operum ejus, doctrinæ ac resurrectionis testes essent, & Ecclesias per totum orbem fundarent. Confer cum *Matthæi* 10. & *Marci* 3. Summus autem est inter Matthæum & Lucam consensus, quamvis eundem non servent narrationis ordinem. Sermonem enim Domini in Monte vocationi Apostolorum ille præmittit, iste postponit.

17. 18. 19. *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri*, in planitie, *& turba Discipulorum ejus*, eorum qui ipsum assidue sectabantur, ex quibus Apostolos elegerat: *& multitudo copiosa plebis ab omni Judæa & Jerusalem, & maritima, & Tyri & Sidonis*: & ora maritima, in qua sunt Tyrus & Sidon: *Qui venerant ut audirent eum* docentem, *& sanarentur* ejus omnipotenti virtute *a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.* Dæmones enim ex eorum corporibus ejiciebat. *Et omnis turba quærebat eum tangere; vel fimbriam vestimentorum ejus attingere, quia virtus* illi ingenita ratione divinæ naturæ *de illo exibat*, se exerebat, *& sanabat omnes.*

20. 21. 22. *Et ipse elevatis oculis in Discipulos suos, dicebat*; ad eos præsertim sermonem suum dirigens: *Beati pauperes*, spiritu, qui divitias mei causa contemnitis, tenui sorte vestra contenti; *quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis*, qui famem toleratis, non quavis de causa, sed quia summo divinæ justitiæ in vobis aliisque propagandæ desiderio tenemini, qui propterea injuste damnati bona vestra perdidistis, qui bona vestra recuperare non potestis, nec jus vestrum obtinere, quia justi estis & pii. Beati (inquam) estis qui hanc esuriem patimini propter regnum cœlorum, *Quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*: Luctus brevis æterno gaudio munerabitur. *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis*: cum vos ex suo consortio & civili & sacro, tamquam abominandos ejecerint, & nomen vestrum tamquam sceleratorum expunxerint ex Populo Dei. Beatitudines Evangelicas plenius refert S. Matthæus, cap. 5. contractius hic describit S. Lucas. Nostrum in Matthæum Commentarium lege.

23. *Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Cum hæc patiemini, vehementer exultare debetis, certa spe mercedis quæ vobis in cœlo parata est; *secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.* Talem fuisse Prophetarum, qui ad Judæos missi sunt, sortem cogitate; similem coronam vobis post hujus vitæ stadium paratam esse confidentes, interim gaudete.

24. 25. 26. *Verumtamen væ vobis divitibus*, qui in terrenis opibus fiduciam, amorem, felicitatem vestram collocatis, *quia habetis consolationem vestram*, non veram, sed vestram, quam exoptatis, in qua conquiescitis: non alia vobis exspectanda felicitas est. *Væ vobis, qui saturati estis*, qui splendide epulamini, qui crapulæ indulgetis, *quia esurietis*, in futuro sæculo, omnis veri boni æternam egestatem patientes. *Væ vobis qui ridetis nunc*, qui omnes gaudii carnalis occasiones captatis in hac vita, in qua mille causæ lugendi: *Quia lugebitis & flebitis*, in perpetuum, in tenebras exteriores amandati, ubi erit fletus & stridor dentium. *Væ cum benedixerint vobis homines*, cum vobis homines sæculo dediti applauserint: *Secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum*, id est, Judæorum hujus temporis Majores, Dogmata quippe sua & vaticinia Pseudophetæ Procerum & Populi cupiditatibus accommodabant, loquentes placentia.

27. 28. 29. *Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Diligite homines, non errores; personas inimicorum, non vitia: immo inimicitiam & odium in eis pro viribus destruite, benefaciendo. *Benefacite*, eorum necessitatibus, cum ope vestra indigent, succurrite. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. *Benedicite maledicentibus vobis.* Apprecamini bona his qui famæ vestræ clam detrahunt, vel aperte vobis insultant & convitiis vos impetunt: *& orate* Deum *pro calumniantibus vos*, seu falsa crimina vobis imponentibus. *Et qui te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram: & ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Ita sis animo præparatus, ut potius alteram maxillam præbeas, & tunica etiam spoliari sinas, quam ut ulciscaris injuriam: maleficia quælibet ab inimicis illata, sive in persona, sive in rebus, sustine potius quam ut violes charitatem. Vide commentarium nostrum in *Matthæi* 5.

30. *Omni autem petenti te tribue*, sive amico, sive inimi-

inimico; sive concivi, sive extraneo, pro modo illius indigentiæ, tuarumque facultatum: & *qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Si quis quod tuum est, aut tibi debetur, usurpet, injusteque retineat, noli adversus eum litigando jus tuum rigide urgere cum charitatis detrimento.

S. Ambros. lib. 5. in Luc. n. 74.

31. *Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*. Ne videatur Dominus Legem dissolvere, in beneficiis vicem servat, quam negligit in injuriis. Cum enim duo sint Legis naturalis universalia præcepta, negativum unum, affirmativum alterum: negativum, quod imperfectius est, in Lege veteri ponitur, Tobiæ 4. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*. Affirmativum, quod majoris est perfectionis, adeoque novæ Legi convenit, hic positum est.

32. *Et si diligis eos*, tantum, *qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?* Quam potestis ex hoc facto gratiam, seu mercedem a Deo exspectare? *Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si beneficeritis his solummodo, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia, siquidem & peccatores hoc faciunt?* Confer cum *Matthæi* 5. 46. & 47.

34. *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere* mutui beneficii vicem, *quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur*, seu mutuum dant, *ut recipiant æqualia*. Id est, parem mutui vicem, si forte indiguerint, seu fœnus sorti congruum, aut ipsam sortem, seu tantundem quantum datum est.

35. 36. *Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes:* Nullum fœnus, nullum par aut simile beneficium ex mutuo sperantes, immo ne ipsam quidem sortem. Mutuum date solo charitatis impulsu, non spe proprii cujusvis commodi ab eo, cujus necessitati succurritis, recipiendi: immo liberaliter date, quamvis spem recuperandæ sortis nullam vel exiguam habeatis, *& erit merces vestra multa*, a Deo; *& eritis filii Altissimi*, ejus benignitatem ac beneficentiam imitando, *quia ipse benignus est super* five erga *ingratos & malos.*

Deut. 32. 6.

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nomine Patris Deum indigitat veteris novique Testamenti Scriptura. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Nomen hoc Deo maxime conveniens, de quo Tertullianus: *Tam pater nemo, tam pius nemo.*

37. 38. *Nolite judicare* temere, vitæ alienæ censores maligni ne sitis, *& non judicabimini. Nolite condemnare* alios, *& non condemnabimini. Dimittete*, condonate injurias, *& dimittemini*, & vobis Deus peccata condonabit. *Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum*. Hæc metaphora, qua merces æterna secundum mensuram & proportionem charitatis a Deo conferenda significatur ab eorum consuetudine petita est, qui res aridas metiuntur, ut triticum; solent enim ea quæ metiuntur comprimere, deinde modium succutere, postremo cumulare, ita ut aliquid redundet. *Dabunt in sinum vestrum*. Præmium incomparabiliter majus operibus vestris, benignitate vestra & charitate in sinum vestrum a Deo effundetur, Deus ipse æternum fruendus. Phrasis Hebræa est, ex more Orientalium petita, qui vestes laxas & sinuosas gerebant, ut commodum illis esset sinu excipere quæ in copia dabantur. *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*. Quales erga proximum fueritis, talem & vos Deum experiemini judicem, rigidum & severum, si inhumani; benignum & clementem, si benigni & clementes fueritis. Confer cum *Matthæi cap.* 7. 1.

39. *Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* Pharisæos perstringit duces cæcos, quibus præceptoribus Judæi utebantur: quorum institutionem ac mores si sequi pergant, eosque imitari, cum illis in præcipitium ruent. Confer cum *Matthæi* 15. 14.

40. *Non est Discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister ejus*. Majorem discipulo quam in magistro perfectionem nemo expectat. Quare tu, Pharisæe, qui te ducem, ac præceptorem præbes fratri cæco, imperito, vitioso, cæcus pariter ac vitiosus, illum doctiorem ac meliorem non reddes. Confer cum *Matthæi* 10. 24. & *Joannis* 13. 16.

41. 42. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Qui leviora delicta in proximo tuo observas & acriter reprehendis, graviora autem in te ipso non consideras? Alios corripere vis, superbe censor, & te ipsum negligis? *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Cæcus es, qui trabem in oculo tuo non vides, id est, gravius peccatum; arrogans, qui alios reprehendere præsumis levioribus delictis obnoxios. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui*. Hypocrita, quem simulatio sanctitatis,

Nat. Alex. In Evang.

non dilectio justitiæ, ad alienæ vitæ censuram impellit, ejice primum trabem de oculo tuo, ut oculus tuus purgatus proximi oculum sine perturbatione pravoque affectu videre possit, ac illum corripere valeas in spiritu lenitatis & charitatis. Confer cum *Matthæi* 7. 3.

43. 44. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum*. Arbor bona, voluntas bona; arbor mala, voluntas mala. Arbor in radice celatur, in ramis declaratur, in pomo magis enitescit; sic voluntas bona vel mala ex bonis vel malis operibus. *Unaquæque enim arbor de fructu cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubro vindemiant uvam*. Confer cum Matthæi 7. 18.

45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*: & *malus homo de malo thesauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur*. Sicut ex thesauro ea sola depromi possunt quæ recondebat; sic ex corde casto & recto casti rectique sermones; ex corde pravo sermones pravi, & mala opera proferuntur.

46. *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Frustra me Dominum vocatis, si præcepta mea non servatis.

47. 48. 49. „ Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos; ostendam vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, *qui profunde fodit*, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere, *concutere*: fundata enim erat super petram. Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, & continuo cecidit, & facta est ruina illius magna." Firmum ædificii fundamentum nisi ponatur, procellis & fluctibus irruentibus resistere non potest; sed concutitur & diruitur: ita nisi doctrina Evangelii, studiumque pietatis alto corde recondantur, & ad praxim redigantur, totum ædificium spiritale concutietur procellis tentationum, & adversitatum, penitusque corruet. Confer cum *Matthæi* 7. 21.

SENSUS MORALIS.

2. QUid *facitis quod non licet in sabbatis?* Comessationibus & ebrietati indulgere Christianis quovis tempore vetitum est: sed Dominicis Festisque diebus multo magis vetitum, quibus Animæ suæ sanctificationi maxime incumbere debent, in Deo quiescere, Dei charitatem imitari, qui sex creationis diebus omnia propter hominem produxit, & septimæ diei quietem ad ipsius hominis utilitatem ordinavit: Apostolorum exemplo, spicæ divinarum Scripturarum colligendæ, & pia meditatione confricandæ, ut in iis latentia Mysteria, sensusque eruantur, ad animam esurientem reficiendam: non lautiores epulæ, sed simplices cibi & facile parabiles corpori quærendi; bona opera his maxime diebus exercenda, manus ad pauperum inopiam sublevandam extendendæ. *Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam*. Puræ manus ad Deum tota die levandæ & expandendæ, ut remissio peccatorum, & divinæ gratiæ adjutorium impetretur. In cœlum suspicientes Christiani *manibus expansis, quia innocentes; capite nudo, quia non erubescimus; sine monitore, quia de pectore oramus* &c. Legenda Sanctorum Acta, virtutesque sectandæ. *Nec hoc legisti quod fecit David cum esurisset ipse, & qui cum illo erant*. Ecclesia frequentanda, sumendum de manibus Sacerdotum Christi corpus, cujus typi erant panes propositionis: domestici ad sacram communionem verbis & exemplis frequenter inducendi: curandum ut in hunc finem mundi sint, præsertim a mulieribus. *Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant*, &c. Benedictionibus spiritalibus illi soli cumulantur, qui voluntatem suam Dominicis Festisque diebus non faciunt, & in viis suis pravis non ambulant, sed in viis mandatorum Dei, & faciunt voluntatem ejus quæ est eorum sanctificatio. *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaberis sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui*. (Ait Dominus per Prophetam.) Quem locum explicans S. Hieronymus: „ Lege (inquit) „ præceptum est, ne in Sabbatis opus servile faciamus, „ ne accendamus ignem, ut in uno sedeamus loco; ut „ illa tantum faciamus opera, quæ ad animæ salutem „ pertinent. Quod si juxta litteram accipiamus, penitus „ impleri non potest. Quis enim potest hoc facere, ut

Tertull. Apologet. c. 30.

Isai. 58. 13. 14.

„ tota die ac nocte sedens in Sabbato, de uno loco non
„ recedat, immo ne leviter quidem se commoveat, quod si
„ fecerit, transgressor Legis sit? Ex uno igitur mandato,
„ quod juxta litteram impossibile est, & cetera cogimur
Joan. 8. „ spiritualiter intelligere, *Ne faciamus servile opus, &*
Jere m. 17. „ *perdamus animæ libertatem*. QUI *enim facit peccatum,*
Psal. 37. „ *servus est peccati*. Ne onus portemus in Sabbato, quod
„ portat ille qui dicit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt*
„ *caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*.
„ Ne iniquitas, quæ sedet super talentum plumbi, in nobis
Zachar. 5. „ habeat potestatem: ne nos voluptas corporis & libido
„ succendat... Qui sic quiescit in Sabbato, & lavat inter
„ innocentes manus suas, nec movet pedes ut suas faciat
„ voluntates, iste celebrat Sabbata Domini delicata. Qui
Hebr. 4. „ *sabbatismus* repromittitur nobis in cœlestibus, & glo-
„ ria præparatur, dum non facimus vias nostras in Sab-
„ bato, nec invenitur voluntas nostra ut loquamur ser-
„ monem: quo scilicet nec opere, nec sermone pecce-
„ mus. Alioquin si hæc tantum prohibentur in Sabbato,
„ ergo in aliis sex diebus libertas nobis tribuitur delin-
„ quendi." Quod si stultum est credere, *superst ut Sab-*
batum, quod interpretatur requies, omni tempore sancti-
ficandum sit a fidelibus, dum non carnis, sed animæ fa-
ciunt voluntates.

12. 13. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*. Non omnis qui orat, ascendit in montem, (est enim oratio quæ peccatum facit) sed qui bene orat, a
S. Ambr. lib. 5. in Luc. num. 41. terrenis ad superiora progrediens, verticem curiæ sublimis
ascendit. „ At ille non ascendit in montem, qui de sæculi
„ divitiis aut de honore sollicitus est: non ascendit in
„ montem, qui fundi jus optat alieni. Ascendit ille qui
„ Deum quærit, ascendit ille qui cursus sui dominica ad-
Isai. 40. „ jumenta deposcit. Omnes magni, omnes sublimes mon-
„ tem ascendunt, non enim cuicumque Propheta dicit:
„ *Ascende in montem excelsum, qui evangelizas Sion*. Non
„ vestigiis multis corporalibus, sed factis sublimioribus in
„ hunc montem ascendas. Sequere Christum, ut ipse esse-
„ mons possis. *Montes* enim *in circuitu ejus*. Quære in
Psal. 114. „ Evangelio, invenies solos cum Domino montem ascen-
„ disse Discipulos."

Et erat pernoctans in oratione Dei. Christus ad functiones Sacerdotii sui, & ad bona opera se præparans vigiliis, se-
S. Ambros. ibid. n. 43. cessu, oratione, nobis præbet exemplum. „ Orat Domi-
„ nus, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret. Nam
„ etsi omnia posuerit Pater in potestate Filii, Filius tamen
„ ut hominis formam impleret, obsecrandum Patrem pu-
„ tat esse pro nobis, quia advocatus est noster... Obe-
„ dientiæ Magister ad præcepta virtutis suo nos informat
„ exemplo. *Advocatum habemus apud Patrem*. Si advoca-
„ tus est, debet pro meis intercedere peccatis. *Et erat per-*
„ *noctans in oratione Dei*. Species tibi datur, forma præ-
„ scribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salu-
„ te tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione
2. Joan. 1. 2. „ pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod pie-
„ tatis officium adoriri, quando Christus missurus Apostolos
„ oravit prius, & solus oravit?" In electione Episcopo-
rum; secundi ordinis Sacerdotum, aliorumque Ecclesiæ Mi-
Hebr. 5. nistrorum, Dei voluntas exploranda & consulenda in oratio-
ne est, ut ii eligantur & consecrentur, quos ipse elegerit,
vocaverit, miserit. *Neque* enim *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*.

20. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*. „ Quatuor benedictionibus Evangelicis, pro numero vir-
„ tutum cardinalium, Sanctus Lucas octo complexus est,
„ quas S. Matthæus recensuit. *Beati pauperes spiritu*.
S. Ambros. ibid. n. 64. 65. 66. 67. *Psalm.* 3. „ Habes temperantiam, quæ a peccato abstinet, sæcu-
„ lum calcat, illecebrosa non quærit. *Beati qui esuriunt*
„ *& sitiunt:* Qui enim esurit, esurienti compatitur, com-
„ patiendo largitur, largiendo fit justus; quia *Justitia*
„ *ejus manet in sæculum sæculi*. Unde in Matthæo sitim
„ & famem intelligimus spiritalem, qua cibus justitiæ
„ desideratur aut potus, quia virtus quasi materia quæ-
„ dam virtutum est, ut justus æqualem se inferioribus
„ præstet, dolum excludat, veritatem requirat. *Beati qui*
„ *nunc fletis, quia ridebitis*. Habes prudentiam, cujus est
„ flere occidua, & ea quæ æterna sunt quærere: lugere
„ sæcularia, quæ seipsa compugnent: Deum pacis inqui-
„ rere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes:
„ & qui ea quæ non sunt destruat, ut quæ sunt, possit
„ adipisci: *Beati eritis cum vos oderint homines*. Habes
„ fortitudinem, sed eam quæ non odium mereatur ex
„ crimine; sed persecutionem patiatur ex fide; sic enim
„ ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum
„ negligas, divinam sequaris."

24. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*. Non quoscumque divites divina hæc maledictio fe-
Psal. 48. 7. rit, sed *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur*, qui terrenis opibus abu-
tuntur, qui Deo gratiam non referunt de bonis quæ ac-
ceperunt; divites avaros, qui censum ad communem usum datum ad sublevandam pauperum inopiam non impen-
dunt; quibus dominantur divitiarum cupiditas & amor cum charitate Dei pugnans. *Non census igitur, sed af-* *S. Ambros.*
fectus in crimine est. Timeant ergo divites, qui cor *ibid. n.* 69.
suum a terrenis opibus non abstrahunt, qui terrenis bo-
nis utuntur ut cupiditatibus suis satisfaciant, ut volu-
ptates confectentur, ut præsentis vitæ sæculique deliciis
tranquille fruantur, & Christi crucem ac mortificatio-
nem rejiciant ac vitent. Væ illis, quia habent consola-
tionem suam, temporalem scilicet ac inanem. *Dormie-* *Psal.* 75. 6.
runt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri di-
vitiarum in manibus suis. Et quamquam tota ætate cu-
stodiæ miserabilis sollicitas avara mens tendat excubias,
quo nulla pœna gravior est, successorum profutura com-
pendiis anxio timore servare; tamen quoniam avaritiæ
studia & desideria congerendi, inani quadam voluptate pascuntur: qui consolationem vitæ præsentis habue-
runt, remunerationem perpetuam perdiderunt. Igitur *Psalm.* 61.
Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Nam *Qui con-* 11. *Pro-*
fidit in divitiis suis, corruet. Divites avari, superbi, *verb.* 2. 18.
ingrati, in pauperes inhumani, timete. *Agite nunc di-* *Jacobi ult.*
vites, plorate, ululantes in miseriis vestris quæ adve-
nient vobis.

25. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis! Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*. Vita
præsens tempus est famis, abstinentiæ, jejunii, non sa-
turitatis: tempus est fletus & lachrymarum, non risus
& gaudii: tempus est interimendi crimina, mortificandi
cupiditates, corpus spiritui subjiciendi: tempus lugendi
propria alienaque peccata, & exilium a patria cœlesti.
Dives ille purpuratus saturabatur epulans quotidie splen-
dide, sed dirum *væ* sustinebat esuriens, quando de La-
zari, quem despexerat, digito guttam aquæ quærebat.
„ Væ qui opulenti estis in Sion.... Qui dormitis in *Amos* 6. 1.
„ lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui co- 4. 5. 6.
„ meditis agnum de grege, & vitulos de medio ar-
„ menti: Qui canitis ad vocem psalterii..... Bi-
„ bentes vinum in phialis, & optimo unguento deli-
„ buti: & nihil patiebantur super contritione Joseph." Verum, ait Dominus, extrema gaudii vestri luctus æ-
ternus occupabit: „ Ecce servi mei comedent, & vos *Isai.* 65. 13.
„ esurietis: Ecce servi mei bibent, & vos sitietis: Ec- 14.
„ ce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ec-
„ ce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, &
„ vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritio-
„ ne spiritus ululabitis." Non cibo solum & potu, sed *Psalm.* 33.
universim omni bono egeritis. *Divites egueruut & esu-* 31.
rierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni
bono.

26. *Væ cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum*. Quatuor vi-
tia in mundo regnantia terribilibus maledictionibus ferit
Christus. 1. Cupiditatem lucri terreni: *Væ vobis divitibus!* 2. Curam immoderatam corporis proprii: *Væ vobis*
qui saturati estis! 3. Abundantiam inanis lætitiæ & sæ-
cularis gaudii: *Væ vobis qui nunc ridetis!* 4. Amicitiam
favoremque mundi: *Væ cum benedixerint vobis homines*,
non tantum boni, sed & mali, vobis adulando, vosque
laudando. Væ vobis si laudes eorum & applausus aucu-
pemini, dissimulando veritatem, loquendo eis placentia,
cupiditatibus eorum favendo, ut olim Pseudoprophetæ,
de quibus scriptum est: *Stupor & mirabilia facta sunt*
in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdo-
tes applaudebant manibus suis; & populus meus dilexit
talia, quid igitur fiet in novissimo ejus? Hanc maledictio-
nem timeant Sacerdotes & Ministri Domini, Doctores,
& conscientiarum Moderatores: & cum S. Paulo dicant:
Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, *Galat.* 1. 9.
anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An 10.
quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem,
Christi servus non essem.

27. *Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos vestros*, &c. Inimicos diligere corde, verbo, & opere, novæ Legis
perfectio, Christi præceptum, Christiani proprius cha-
racter est. *Amicos diligere, omnium est: inimicos, solorum* *Tertull.*
Christianorum. Benefacite his qui oderunt vos. „ Quo- *lib. Ad*
niam autem homo constat ex animo & corpore: quod *Scapulam.*
„ quidem ad animum attinet, inimicos diligemus castigan- *S. Basilius*
„ do, admonendo, & omnibus modis ad sanitatem revo- *in Regulis*
„ cando: quod vero ad corpus attinet, beneficiis ipsos sub- *breviori-*
„ levando, cum aliqua re egeant ad vitam necessaria." *bus inter-*
Quod autem id fieri possit, Dominus ostendit, ac docuit, *rog.* 128.
qui charitatem Patris & suam, servata usque ad mortem *Rom.* 5. 8.
obedientia declaravit, idque pro inimicis, non pro amicis.
„ Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quo- *Ephes.* 5. 1.
„ niam cum adhuc inimici essemus secundum tempus, Chri- 2.
„ stus pro nobis mortuus est... Estote ergo imitatores Dei,
„ sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut &
„ Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis
„ oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis."
Benedicite maledicentibus vobis; benedicite, & nolite maledicere, *& orate pro calumniantibus vos*, Christum
crucifixum, Stephanum protomartyrem pro inimicis orantes
imitati, necnon patientiam & mansuetudinem Davidis
Semei maledictis & conviciis ne verbulum quidem acer- *Petri* 5.
bius respondentis. *Et qui percutit in maxillam, præbe* c. 2. 21.

illi

illi & alteram. Sic Christus *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste*. Sic agendo, ab homine quidem victus videris, sed diabolum vicisti, iram superasti, immo vincis inimicum. Sic enim indignantis impetus frangitur, ira sedatur, homo peccator ad pœnitentiam invitatur. Perfectio igitur Evangelicæ Legis non in hoc solo posita est, ut ab inimico percussus non repercutiat; sed ut ad novas & graviores injurias perferendas paratus sit, ut procuret salutem fratris. „ Quod ad misericor-
Beda in hunc locum. „ diam pertinere hi maxime sentiunt, qui eis, quos mul-
„ tum diligunt, tamquam filiis vel quibusdam dilectissi-
„ mis suis, ægrotantibus serviunt, vel parvulis, vel phre-
„ neticis, a quibus multa sæpe patiuntur. Et si eorum
„ salus id exigat, præbent se etiam, ut plura patian-
„ tur, donec vel ætatis, vel morbi infirmitas transeat.
„ Quos ergo Dominus Medicus animarum curandis pro-
„ ximis instruebat, quid eos aliud docere posset, nisi ut
„ eorum, quorum saluti consulere vellent, imbecillitates
„ æquo animo tolerarent? "

35. *Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperante: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos*. Finis Legis charitas, quam sæpe Christus inculcat. Non affectu solum, sed effectu diligendus proximus. Mutuum dandum absque usurarum exactio-
Deuter. 15. 8. ne, maxime pauperibus. *Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris*. Hoc Legis præceptum, sed ultra progreditur Evangelii perfectio. Jubet Christus, ut cum mutuum damus, id faciamus nihil ex mutuo seu ratione mutui, non exigentes modo, sed sperantes; immo ut mutuum demus pauperi, etsi nulla spes sit recipiendæ sortis: jubet ut sors pauperi, qui solvendo
S. Ambr. lib. de Tob. c. 16. non est, misericorditer remittatur. „ Date mutuum iis
„ a quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturo-
„ ros. Nullum hic damnum est, sed compendium. Mi-
„ nimum datis, multum recipietis: in terra datis, & id
„ vobis solvetur in cœlo: fœnus amittitis, mercedem
„ magnam habebitis: fœneratores esse desinitis, filii eri-
„ tis Altissimi: eritis misericordes, qui vos Patris æter-
„ ni probetis hæredes. Sed fœneratorum vos delectat &
„ usurarum vocabulum. Id quoque non invideo. Docebo
„ quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas
Proverb. 19 17. „ quæratis usuras. Dicit Salomon: *Fœnerat Domino qui misereturpauperi, secundum datum autem ejus retribuet ei* . . . . Putatis quod hominem subtraham vobis
„ debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum
„ demonstro qui fraudare non possit. , . . . Ille scribit
„ quicquid egenus acceperit: Evangelium ejus cautio est:
„ ille promittit pro omnibus indigentibus: ille dicit fi-
„ dem, quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus
„ sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo de-
„ bitore, statim numeratis pecuniam: pauper est vobis
„ Dominus cœli & conditor mundi hujus; & adhuc de-
„ liberatis quem quæratis fidejussorem. "

Mutuum date, nihil inde sperantes. In veteri Lege usuram prohibuit Deus: in nova sortem ipsam remitti jubet
Tertull. lib. 4. contr. Marc. cap. 17. pauperi reddere non valenti. „ Prius igitur fuit, ut fru-
„ ctum fœnoris eradicaret, quo facilius assuefaceret ho-
„ minem ipsi quoque fœnori, si forte, perdendo, cujus
„ fructum didicisset amittere. Hanc enim dicimus ope-
„ ram Legis fuisse procurantis Evangelio. Quorumdam
„ tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christia-
„ næ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis ad-
„ huc benignitatis informabat. *Quidam Christianæ illius*
„ *disciplinæ radii promicant Ecclesiastici* 29. 10. & *seq.*
„ Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed frau-
„ dari gratis timuerunt. Verumtamen super humilem ani-
„ mo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum.
„ Propter mandatum assume pauperem: & propter ino-
„ piam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam
„ propter fratrem & amicum tuum: & non absondas
„ illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum
„ in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quam
„ aurum. "

36. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Homo innocens magnitudinis & potestatis Dei gerebat imaginem, accepto in creaturas inferiores imperio. Homo lapsus, & similis jumentis insipientibus per peccatum factus, cui nasci culpa, vivere pœna, mori necessitas, propriæ miseriæ semper & ubique portat imaginem. Homo reparatus, qui misericordiæ Dei opus est,
S. August. divinam illam perfectionem debet imitari. *Estote misericordes* &c. *Summa Religionis, imitari quem colas*. Deum colimus summe misericordem, non solum erga bonos, sed etiam erga malos & ingratos benignum & beneficum. Filii ejus sumus per gratiam adoptionis: illius itaque misericordiam debemus imitari. 1. Non judicando temere de proximo, in partem benigniorem opera ejus interpretando, si dubium sit quo fine fiant; neminem nobis ipsis non præponendo coram Deo. *Nolite judicare, & non judicabimini*. 2. Misericordiam in proximum exercere debemus, non condemnando cum acerbitate eos ipsos quorum peccata manifesta sunt, non exaggerando eorum culpas, non vulgando, sed minuendo, excusando, celando, quantum veritas & justitia patiuntur. *Nolite condemnare, & non condemnabimini*. 3. Misericordiam in proximum exercere debemus, injurias nobis illatas ipsi remittendo: Quod quidem medium omnino necessarium est ad remissionem peccatorum nostrorum obtinendam, *Dimittite, & dimittemini*. Quod proximo dimittimus, leve est; quæ nobis a Deo remittuntur injuriæ, gravissimæ sunt, infinitæ sunt. Nonne rationi fideique renuntiasse videtur, qui commutationem sibi tam opportunam respuit? 4. Misericordiam in proximum exercere debemus dando indigentibus. Dare non cunctetur charitas, quod se reddituram promittit Veritas. *Date, & dabitur vobis*. Tanta Dei bonitas est, ut cum imperare jure suo possit ut indigenti proximo subveniamus, ad id officii nos invitare dignetur promissione mercedis amplissimæ, pretiosissimæ, infinitæ, æternæ, quæ non alia quam ipse est. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Gloriam suam cum nostra utilitate & suprema felicitate conjunxit.

39. *Dicebat autem illis & similitudinem. Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* Quis ignarum Medicum? Quis imperitum in rebus suis gerendis Procuratorem eligat? Salutem suam non diligit, qui conscientiam suam cæco Directori committit. Ignorantia divinæ legis nec Pastores, nec oves, nec Directores, nec eos qui ab ipsis diriguntur absolvit, ambo in foveam cadunt. Esto, nesciant esse peccata quæ faciunt, scire tamen tenentur, & absolute possunt. Volentes igitur peccant, tametsi ignorantes. „ Quia voluit fe-
S. Aug. lib. 1. Retract. c. 15. „ cit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens pecca-
„ tum esse quod fecit: ita nec peccatum sine voluntate
„ esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate pecca-
„ ti, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim fa-
„ ctum est quod fieri non debuit, " Et cæci ducis, & cæci qui ducitur, ignorantia, & peccatum est, & causa peccati, & pœna peccati, quia Deus justo judicio pluit super peccatores laqueos: & *Lege infatigabili spargit pœ-*
S. Aug. alibi. *nales cæcitates super illicitas cupiditates*.

Cæcus est 1. Qui suam prius quam alienam vitam non discutit. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?* 2. Qui seipsum prius quam alterum non redarguit: *Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* 3. Qui se prius quam alium non emendat: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui*.

43. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructus bonos*. Ex fructibus de arbore judicare licet: ex vita & operibus de Directore. Opera manifeste mala, verba seductionis, doctrina & opiniones Ecclesiæ Fidei & sanctiori morum Disciplinæ contrariæ, trabem in oculo esse indicant, nec tutum esse talem sequi ducem. Contra vero, bonos Pastores & Directores probat doctrinæ sanitas & integritas morum. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Fru-
Galat. 5. ctus cordis carnalis sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, dissensiones, iræ, invidiæ, ebrietates, comessationes, &c. Fructus cordis spiritualis sunt charitas, pax, patientia, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas, &c. Boni fructus non sunt præclari sermones, aut insignia quædam & per se laudabilia opera, sed totum corpus (ut ita loquar) operum, totius vitæ tenor, quæ bonum Christi odorem circumquaque diffundit: & Spiritum ejus demonstrat. A Deo assiduis precibus petenda est prudentia spiritus, attentio, vigilantia, fidelitas, puritas cordis ad cognoscendum homines Dei, & discernendum spiritus, utrum ex Deo sint. Cum revelatur hypocrysis, cum cupiditas foras prodit, cum ad peccatum provocat, aut in peccato fovet Director, cum per viam latam ducit, illi credere, illum sequi, cæcam illi obedientiam exhibere, illusio est, cæcitas est.

CAPUT VII.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. 5. *Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis*, cum superiorem sermonem ad populum absolvisset, *intravit Capharnaum* . . . . *Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus*, proximus morti: *qui illi erat pretiosus*, imprimis charus. *Et cum audisset de Jesu*, quod in urbem advenisset, & miracula plurima ederet, *misit ad eum Seniores Judæorum*, Magistratus, aut Præpositos Synagogæ, *rogans eum ut veniret* in ædes suas, *& salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes*, quod postulat beneficium. *Diligit enim gentem nostram*, ob cultum unius veri Dei, cujus nos populum & adoratores esse novit: *& Synagogam*, suis sumptibus, *ædificavit nobis*.

6. 7. 8. 9. 10. *Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari*, ne te fatiges; *non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. Proter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te*: ne quidem me dignum existimavi qui coram te me sisterem, & ipse tibi supplicarem, sed patronos & intercessores adhibui: *Sed dic verbo, & sanabitur puer meus*. Solo verbo & imperio servum meum sanare potes. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alii, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit*. Licet enim homo sim majoribus Potestatibus subjectus, Militibus tamen, qui mihi subditi sunt, & servo meo jubeo; & illi ad nutum mihi protinus obediunt; quanto magis tibi, qui Deus es, parebit morbus ut fugiat, sanitas perfecta ut statim succedat? *Quo audito, Jesus miratus est: & conversus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, Nec in Israel tantam fidem inveni*. Vere non inveni tantam fidem, etiam in Israel, ita illuminatam, ita humilem, ita actuosam & efficacem. Confer cum *Matthæi* 8. ubi hæc uberius exposita.

11. *Et factum est deinceps, die sequenti, ibat in civitatem, quæ vocatur Naim*: sitam in Tribu Issachar, in finibus Tribus Zabulon, quam torrens Cisson alluit ad Aquilonem, in secundo milliario montis Thabor ad Meridiem, non procul a Nazareth & Endor: *& ibant cum eo Discipuli ejus, & turba copiosa*.

Jerem.6.26 Zachariæ 12. 10. 12. 13. *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur*, ad sepulchrum (nam Judæorum sepulchra extra urbes erant) *filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat*, cui nulla amplius spes prolis. Quæ quidem circumstantiæ ad luctus magnitudinem significandam pertinent. Tritum apud Hebræos proverbium: *Luctus sicut in morte primogeniti. Et turba civitatis multa cum illa*, quæ funus prosequebatur. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam*, illi pio compatiens affectu, *dixit illi: Noli flere*.

14. 15. *Et accessit*, ultro, non rogatus: *& tetigit loculum*, seu lectum in quo mortuus efferebatur. *Hi autem qui portabant* feretrum, *steterunt: Et ait: Adolescens, tibi dico, Surge*. Non orat, sed imperat, se mortis & vitæ supremum Dominum ostendens. *Et resedit*, statim subrecto corpore sedit in feretro, *qui erat mortuus, & cœpit loqui*, se redivivum evidentibus indiciis ostendens. *Et dedit illum matri suæ*, quæ lugebat amissum, ut illum in viduitate solaretur & adjuvaret.

16. 17. *Accepit autem omnes*, huic miraculo præsentes, *timor* reverentiæ erga Deum, *dicentes*, quo affecti dicebant: *Quia Propheta magnus*, ille a Deo promissus, potens opere & sermone Messias, *surrexit in nobis*, internos apparuit: *& quia Deus visitavit plebem suam!* Redemptorem dando tamdiu desideratum & exspectatum. *Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem*. Hujus miraculi fama in Judæam universam, finitimasque regiones propagata est.

18. 19. 20. *Et nuntiaverunt Joanni*, qui ab Herode detinebatur in carcere (alia enim Joannis vincula, quibus a Synedrio jussus sit alligari Hierosolymis, frustra quidam comminiscuntur). Nuntiaverunt (ait Evangelista noster) Joanni Baptistæ *Discipuli ejus de omnibus his*, quæ de Jesu & admirandis ejus operibus audiverant. *Et convocavit duos de Discipulis suis Joannes* (illis nempe aditus ad præceptorem ab Herode non negatus, qui Joannem reverebatur) *& misit ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Minime dubitabat quin Jesus esset Messias a Deo promissus, verusque Deus: non enim ignorabat, quem ex matris utero in utero Virginis cognoverat: non ignorabat, super quem Spiritum sanctum descendentem in specie columbæ viderat in baptismo, & vocem Patris audiverat dicentem: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Non ignorabat: quem indigitaverat Agnum Dei tollentem peccata mundi: de quo prædicaverat Judæis: *Qui post me venit, prior me est: ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*: &c. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*: Hanc igitur interrogationem in ore Discipulorum suorum posuit, ut a Christo erudirentur, ac ipsiusmet testimonio & miraculis discerent, Messiam esse a Deo promissum Israeli, præter quem alius non erat exspectandus. *Cum autem venissent ad eum viri*, missi a Joanne, *dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?*

Isai. 35. 5. & 6. 61. 21. 22. 23. *In ipsa autem hora multos curavit a languoribus & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum*. Miraculis ostendens quis esset. *Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*: ut revocari in dubium jure non possit, Prophetarum vaticinia de Messia venturo in me fuisse completa. *Et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me*, qui scandali & lapsus occasionem ex me, id est, ex tenui conditione mea, ex paupertate, ex imminentibus vexationibus, ex acerbitate & ignominia mortis, non sumpserit. Confer cum *Matth. cap.* 11. ubi hæc uberius exposita.

24. 25. 26. 27. 28. *Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne*, id est, in Joannis commendationem, *dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam?* hominem levem & inconstantem? *Sed quid existis videre, hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis*, qui vestibus pretiosis & magnificis induti sunt, & in deliciis vivunt, *in domibus Regum sunt:* non in deserto quærendi. *Sed quid existis videre, Prophetam? Utique dico vobis, & plus quam Prophetam:* antiquis omnibus Prophetis præstantiorem. *Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Non iisdem omnino verbis, eodem tamen sensu Malachiæ vaticinium citarunt Christus Dominus & Evangelista noster. *Dico enim, Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est; qui autem*, (ut existimatis) *minor est in regno Dei, major est illo*. Ego, quem vos parvifacitis, & minorem Joanne putatis, major sum Joanne, ut ipsemet palam testatus est Regnum Dei annuntians. Confer cum *Matthæi* 11. *Malach.* 3. 1.

29. 30. *Et omnis populus audiens, & Publicani justificaverunt Deum*, Dei consilium justum esse prædicarunt, summamque ejus bonitatem ac misericordiam grato animo collaudarunt, *baptizati baptismo Joannis*, in pœnitentiæ indicium, cujus præco missus erat Joannes, *Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo*. Propositum Dei, quo clementer decreverat Judæos per Joannem ad pœnitentiam excitare, certa fide facta priores culpas se misericorditer condonaturum, admirati sunt rudes & vitæ minus probatæ homines, promiscuum vulgus & publicani: contra vero aspernati sunt in semetipsis Pharisæi, qui ceteris doctiores & sanctiores videbantur, freti ritibus & factis quibusdam speciosis. Hæc esse Christi verba, non Evangelistæ probabilius est.

31. 32. 33. 34. 35. *Ait autem Dominus. Cui ergo similes dicam homines generationis hujus*, istius temporis, *& cui similes sunt?* Hæc verba, *Ait autem Dominus*, in multis veteribus Codicibus Græcis, Latinisque non habentur, nec ea legerunt S. Ambrosius, Theophylactus, Syrus & Arabs Interpretes. *Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis lætiora, & non saltastis: lamentavimus*, lugubria cecinimus & quasi lamentati sumus, *& non ploraslis. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum*; cibo vulgari & communi non utens, austeritate vitæ, velut lugubri cantu, gentem hanc ad pœnitentiam excitaturus; *& dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis*, ego ipse, *manducans & bibens*, cibo communi usus, omnibus se accommodans, ut facili conversatione & comitate sua, quasi lætione tibiarum cantu, ad cœlestis patriæ amorem omnes alliceret: *& dicitis: Ecce homo devorator & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum*. Nec Joanni viro austero, nec mihi credidistis, sed & illum, & me calumniis atrocissimis impetivistis. *Et justificata est Sapientia ab omnibus filiis suis*. Et sapientissimum Dei consilium, quo Joannem præconem pœnitentiæ miserat primum, victu multo severiore quam esset Pharisæorum qui vitæ austeritate gloriabantur, deinde Jesum facili conversatione & comitate sese hominibus accommodantem, approbatum est & laudatum ab omnibus qui per gratiam facti sunt filii Sapientiæ, quibus Increata & Incarnata Sapientia Jesus Christus *dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Confer cum Matthæi 11. ubi hæc uberius exposita. *1. Joan. 1.*

36. *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis*, Simon, *ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit*, mensæ accubuit, in lecto stratus pro more regionis. *Marc.14.3.*

37. 38. „ Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Pha„ risæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retro se„ cus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & „ capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, „ & unguento ungebat. “ Mulier *quæ erat in civitate*, sive Naim, sive potius Jerusalem, quæ antonomastice civitas dicta, cujus veluti suburbium erat Bethania, ubi erat Mariæ sororis Lazari & Marthæ domus. *Peccatrix*, vitæ parum pudicæ: famosa quæ omnibus erat scandalo ob luxum & amatores multos, moresque meretricios. Unde Veterum plurimi ipsam ex illis fœminis fuisse censent, de quibus Jesus ait Principibus Sacerdotum & Senioribus Populi: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*, ipsamque *meretricem* appellare non dubitant. Inter alios S. Joannes Chrysostomus Homilia 61. in Joannem, S. Hieronymus Præfatione in Osee Prophetam, & Commentario in cap. 26. Sancti Matthæi: Sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam; Sanctus Augustinus in Psalmum 125. Sanctus Gregorius M. Homilia 33. Venerabilis

Beda

Beda Lib. 3. in Lucam cap. 1. &c. Peccatricem ergo ea solum ratione ab Evangelista nostro nuncupatam, quod non satis accurata esset ac religiosa in servanda Lege Sabbati, & quod capillos suos diebus Sabbati intorqueret atque componeret, ac *Magdalenam* appellatam a voce *Magdela*, vel *Megaddela*, quæ plicatricem mulibrium capillorum significat, recens figmentum est ex Libris Talmudicis derivatum. Quænam fuerit mulier illa peccatrix, an eadem cum Maria Magdalena, & cum Maria Lazari sorore, an ab utraque, vel ab alterutra diversa, quæstio est eruditorum virorum Dissertationibus vexata. Græcos Patres pene omnes Peccatricem mulierem de qua hic Evangelista noster, a Maria Lazari sorore distinguere: Latinos Patres contrariam plerumque propugnare sententiam, & Mariam Lazari sororem cum Peccatrice confundere: neutram opinionem Scripturæ Sacræ palam aperteque repugnare: eidem tamen magis esse consonam Latinorum Patrum sententiam, olim ostendi Dissertatione 17. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 1. Nec ab ea me dimovent assertione Dissertationes a Viris ingenio doctrinaque clarissimis eo de argumento nuper editæ. Horum enim argumenta me occupasse ac diluisse confido.

1. *Cor.* 11. 16. In his porro *Si quis contentiosus videtur esse, nos hanc consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. Cur ergo (inquies) hæc Peccatrix ab Evangelista nostro proprio nomine non vocatur Maria Lazari soror, vel Maria Magdalena? Respondeo, ibi nomen ejus poni, ubi sola laus ejus prædicatur, hic subticeri, ubi prioris vitæ fit mentio; quomodo & proprium notiusque Matthæi nomen reticent SS. Marcus & Lucas, ubi de Publicani vocatione agitur.

Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Sic vocari non ex præsenti statu, sed ex vita anteacta, probabile est, ut ad Galatas 2. 15. *Nos natura Judæi, non ex gentibus peccatores*. Vel peccatricem vocari opinione vulgi, cui nondum nota erat illius conversio; cum tamen antea & a dæmoniis ipsam corporaliter vexantibus, & a peccatis liberata fuisset a Christo Jesu. Sic verbum, *erat*, accepit Syrus Interpres: *Ipse si esset Propheta, nosset quænam sit, & qualis rumor ipsius: siquidem peccatrix est mulier quæ tetigit ipsum*: Hęc *ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi*, opportunitatem captans, quamvis non invitata, intravit in domum, domino, domesticisque ob nobilitatem ac viciniam nota; afferens *alabastrum unguenti*, seu vasculum ex alabastrite plenum unguento pretioso. Et manens retro juxta pedes ejus, prę pudore & sensu indignitatis suę, lachrymis pedes ejus rigavit; peccata deflens sua eorumque remissionem a Christo his vocibus quovis sermone eloquentioribus petens. Et capillis capitis sui tergebat, ut eos Christi obsequio consecraret, quibus ad laqueos profanis amatoribus struendos abusa fuerat. *Et osculabatur pedes ejus*, in casti amoris argumentum. *Et unguento ungebat*, ex more Orientalium, non caput tantum, quod fieri honoratis hominibus solebat, sed ipsos etiam pedes, ne quid ad summam animi demissionem testandam deesset.

39. *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum* ad convivium, *ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est*. Sciret cujus vitę ac famę, nec ab ea se tangi permitteret. Pharisęorum enim hoc erat scitum, flagitiosorum hominum contactu, non minus quam leprosorum se contaminari, quod falsum erat. Et ut vera fuisset pharisaica illa traditio, ad emendatos non debebat extendi. Errabat igitur Simon, non in eo solum capite, sed & in eo quod Jesum Prophetam non esse judicaret ex eo quod nosse non videretur quę & qualis esset mulier. Quasi vero Prophetę omnia noverint, non ea tantum quę placet Deo illis revelare, ut probat exemplum Elisęi 4. *Reg.* 4. 17. Ideo Jesus, cui interiores Pharisęi cogitationes erant perspectę & exploratę, temerarium ejus judicium emendat.

S. Petrus Chrysol. serm. 94.

40. 41. 42. 43. *Simon, habeo tibi aliquid dicere: at ille ait: Magister dic*. Loquendi veniam comiter petit ab hospite, ejusdem captat attentionem, ut illi salutaris sit instructio & correctio: tum proposita parabola ostendit sibi notum esse quæ & qualis esset fœmina, quis & qualis Pharisæus, non in exteriori tantum conversatione, sed & in intimis cordis penetralibus. Ita se non modo Prophetam, sed Deum esse & divino consilio permississe demonstravit, ut ad eum mulier peccatrix accederet, illumque tangeret ad pietatis officia.

Duo debitores erant cuidam fœneratori, seu creditori (inquit Jesus,) *unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta*; ille plus decuplo quam iste. *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque*: debitum utrique liberaliter remisit: *Quis ergo eum plus diligit?* Secundum Textum Græcum; *Quis ergo eum plus diliget?* Christus, secundum Vulgatam lectionem de dilectione prę via remissioni debiti, & cujus intuitu majus debitum condonaverit misericors creditor, interrogasse videtur: secundum Textum Græcum, de dilectione debiti remissionem consequente, & ad gratiarum agendarum officium pertinente; ut magis diligere debeat creditorem, cui magis debitum gratis condonatum est. *Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is* plus diligit, *cui plus donavit*. Rationi consentaneum responsum Christus summa æternaque Ratio approbat. *Recte* (inquit) *judicasti*.

Hujus Parabolæ finis est ostendere Pharisæo, Mulierem illam, quam despiciebat ceu peccatricem, & cujus contactu Christum contaminari judicabat, ipso Simone longe sanctiorem esse, siquidem plus Christum Deum & hominem diligebat, cui ardentioris amoris signa exhibuit. Fœnerator seu creditor in illa Parabola Deus est, sive Christus Jesus: duo debitores ob peccata, Simon & Mulier. Plus illa debebat, quia magis peccatrix: Huic ergo majus debitum condonabat Deus, ac proinde magis diligebat Deum; quin & ardentius erat inposterum dilectura ob beneficium remissionis peccatorum, ex quo dilectio quæ donante Deo, qui prior dilexit nos, præcesserat, augetur, ut aucta perfici mereatur.

44. 45. 46. 47. *Et conversus ad mulierem*, quæ retro ad pedes ejus erat provoluta, *dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis* abluendis *non dedisti*, ut hospitibus peregre advenientibus fieri solet: *Hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis suis terfsit*, in signum amoris pœnitentis, & periculum animæ suæ ex peccatis imminens lugentis, ut olim Esther Regina, de qua scriptum est: „ Confugit ad „ Dominum, pavens periculum quod imminebat. Cum- „ que deposuisset vestes regias, fletus & luctus apta in- „ dumenta suscepit, & pro unguentis variis cinere im- „ plevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: om- „ niaque loca in quibus antea lætari consueverat, crini- „ um laceratione complevit. Et deprecabatur Dominum „ Deum Israel. “ Pergit Christus: *Osculum mihi non dedisti*: Ne uno quidem oris osculo me venientem excepisti: *Hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos*. *Oleo*, etiam communi, *caput meum non unxisti*, quod perfunctoriæ fuisset amicitiæ officium: *Hæc autem unguento* (pretioso) *unxit pedes meos*. Convivis oleum affundi solitum, Psalmi 23. verba probant. *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Causam remissionis peccatorum Christus indicat: Charitas enim est quæ cooperit multitudinem peccatorum. Dilectioni Dei peccata condonantur: sine vero Dei amore non remitterentur. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Mensura remissionis peccatorum, dilectio Dei est. Multa dimittuntur ei qui magis diligit: minus ei dimittitur, qui minus diligit: nihil ergo dimittitur ei qui non incipit saltem diligere Deum, ut omnis justitiæ fontem, ut loquitur sacra Synodus Tridentina. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Ille minus diligit, qui se minus peccatorem, immo justum existimans, nec Christi gratia sibi opus esse confidens, ut qui Legis operibus sit justificatus, ut præsumebat Pharisæus ille, modica aut prope nulla dilectionis signa Christo exhibet. „ Dictum est hoc propter Pharisæum illum, qui „ vel nulla vel pauca se putabat habere peccata. Non „ enim Dominum invitaret, nisi aliquantum diligeret. „ Sed quam parum erat? Non osculum dedit, non saltem „ aquam ad pedes, & si non lachrymas: non illo obse- „ quio prosecutus est, quo illa mulier, quæ noverat quid „ sanaretur, & a quo sanaretur. O Pharisæe, ideo pa- „ rum diligis, quia parum tibi dimitti suspicaris: non „ quia parum dimittitur; sed quia parum putas esse quod „ dimittitur. “

Esther 24.

Psalm. 23. 5 Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est. *S. Augustin.*

48. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata*. Hæc verba summa cum potestate dicta, quorum sensus est: Per me tibi condonantur, qui cum hac potestate in mundum veni.

49. *Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Quis aut quantus hic est, qui jus dimittendi peccata, quod Dei proprium est, sibi arrogat? Et discumbentes, & mulier illa noverant hominem non posse peccata dimittere. Cum ergo omnes hoc nossent, illa quæ credidit eum dimittere posse peccata, plus quam hominem esse intellexit.

S. Augustin. serm. 99.

50. *Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit*. Hujus fidem opponit incredulitati convivarum. Fides tua, qua credidisti me tibi posse remittere peccata; fides per dilectionem operans, fides pœnitentiam operata, te salvam fecit a peccatis tuis. Hunc locum sic explicat Tertullianus libro 4. adversus Marcionem, cap. 18. ex hujus historiæ serie probans Dominicæ carnis veritatem. „ Illius autem peccatricis fœminæ argumentum (*inquit*) „ eo pertinebat, ut cum pedes Domini osculis figeret, „ lachrymis inundaret, crinibus detergeret, unguento „ perfunderet, solidi corporis veritatem, non phantasma „ inane tractaverit. Et ut peccatricis pœnitentia, secun- „ dum Creatorem meruerit, veniam præponere solitum „ sacrificio. Sed etsi pœnitentiæ stimulus ex fide accide- „ rat, per pœnitentiam ex fide justificatam, ab eo au- „ diit, Fides tua te salvam fecit, qui per Abacuc pro- „ nuntiaret: Justus ex fide sua vivet. “ Abi securus de „ remissione peccatorum; tranquillo animo esto: *Vade* „ *in pace*. “

SENSUS MORALIS.

v. 3. *Centurionis cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum Seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus.* Dominis pretiosa sit servorum vita temporalis, pretiosior animæ salus. Curam illorum gerant in infirmitate; illis provideant ut patres; non propter sua commoda eos diligant, sicut diligunt equos & canes, sed propter Christum communem Dominum: illorum conversioni consulant & sanctificationi, pro illis Christo supplicent, Sanctorum & in terris viventium, & cum illo regnantium precibus ipsos commendent: illos denique tractent ut *carissimos in Domino fratres*. Sapientem audiant, immo Spiritum sanctum per os ejus dicentem: *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua . . . . . Ne defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.*

S. Paulus Ep. ad Philemonem, Eccli. 7. 23.

6. *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Christum in cor nostrum invitet oratio plena fide, humilitate, fiducia. Nemo Christi gratia dignus est, nisi qui se indignum sincere existimat, qui gratiæ ejus omnipotentissimam virtutem agnoscit & confitetur ad sanandum animas a morbis cupiditatum noxiarum. Christum in domo corporis nostri per Communionem Sacramentalem recipere nihil prodest; contra, obest plurimum, nisi per communionem spiritualem, per fidem charitate formatam recipiatur etiam in corde.

12. *Cum appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*, &c. Adolescens ille defunctus, peccatoris typus est, nondum tumulo pravi habitus & perversæ consuetudinis sepulti. Illi interdum misericorditer occurrit Christus, loculum quo mortua effertur Anima, id est corpus, gravibus morbis, aut aliis calamitatibus tangit, ut impetum cupiditatum & carnalium voluptatum sistat, quibus in abyssum damnationis effertur. Sed frustra corpus tangeret, nisi loqueretur ad cor, & imperiali atque efficacissima voce gratiæ suæ spiritaliter mortuum suscitaret. *Adolescens, tibi dico, surge.* Tribus mortuis, quos Christum suscitasse in Evangelio legimus, tria peccatorum genera figurata sunt, quos hodieque suscitat Christus. Filia enim Principis Synagogæ intus erat in domo, nondum erat elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Filius Viduæ nostræ jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulchro, parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Lazarus jam erat sepultus, immo fœtebat quatriduanus in monumento. Sunt ergo qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliqua concupiscentia. Dicit enim Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Nondum accessit corpore, consensit corde: mortuum intus habet, nondum extulit. Et ut fit, aliquando audito verbo Dei tanquam Domino dicente, *Surge*: condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit in cogitationis secreto. Facta est ita resurrectio animæ mortuæ intus inter latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes. Alii post consensum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid illi desperati sunt? Nonne & illi juveni dictum est, *Tibi dico, Surge*? Nonne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo & qui jam fecerit, si forte commonitus & commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur. Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non sinat eos videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum, irascuntur cum reprehenduntur; hi consuetudine maligna pressi, tamquam sepulti sunt. Quo quisque modo mortuus sit, celeriter a peccato resurgat. Sive adhuc peccatum in corde conceptum est, & non processit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio, surgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam quod cogitavit admisit; nec sic desperetur. Non surrexit mortuus intus, surgat elatus. Pœniteat facti, de proximo reviviscat: non est in profundum sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed forte iam urgetur consuetudinis pondere, nec ipse desperet: profundus mortuus est, sed altus est Christus. Novit clamando terrena onera rumpere, novit intrinsecus per seipsum vivificare; solvendum Discipulis tradere.

S. Aug. ser. 93. alias 44 de Verbis Domini.

Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Vidua hæc adolescentis mater, typus est Ecclesiæ, quæ Sponsi sui præsentia visibili destituta in terris, quodammodo vidua est. Luget non unum filium, sed plurimos spiritaliter mortuos per peccatum; unumquemque plangit quasi filium unigenitum; ita singulos amat, ita chara illi est singulorum salus. Nihil per seipsum potest mortuus, pro illo flet Ecclesia; piæ matris lachrymis cor Jesu movetur, illum suscitat verbo suo; surgit mortuus, loquitur per confessionem, dat vitæ signa, redditur Matri. „ Etsi grave peccatum est quod pœni-

S. Ambr. lib. 5. in Luc. n. 92.

„ tentiæ tuæ lachrymis ipse lavare non possis, fleat pro „ te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro uni„ cis filiis vidua mater intervenit; compatitur enim quo„ dam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethali„ bus vitiis ad mortem cernit urgeri. " Viscera sumus de visceribus ejus . . . Doleat igitur pia mater, turba multa compatiatur bonæ parenti. Jam resurges a funere, jam liberaberis a sepulchro: stabunt illi ministri tui funeris, incipies vitalia loqui, timebunt omnes; unius enim exemplo plurimi corrigentur. Laudabunt etiam Deum, qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulserit.

16. *Accepit autem omnes timor, & magnificaverunt Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.* Conversio peccatorum, Incarnationis Filii Dei fructus & argumentum est. Has conversiones fideles admirantur, carnales homines non solum irridents, sed timent. *Accepit autem omnes timor.* Timent (inquam) ne gratia & misericordia Dei illos a sæculi voluptatibus & pravarum cupiditatum objectis avellat.

19. *Et convocavit duos de Discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Pastores, Doctores, Concionatores, Moderatores conscientiæ, discipulos suos ad Jesum mittere & ducere, non sibi ipsis illigare & devincire debent. Tunc Animarum salus recta procuratur, cum Dei & Jesu Christi verbo, inspirationibus, voci fidei, documentis, miraculis, exemplis attentæ redduntur. Scientia Joannis & Discipulorum ejus in eo posita erat ut venturum Redemptorem exspectarent. Exspectabant authorem fidei Christum, nos eundem in secundo adventu exspectamus fidei ac justitiæ consummatorem & remuneratorem.

22. *Euntes renunciate Joanni quæ audistis & vidistis*, &c. Missionem suam, quæ extraordinaria est, Christus Jesus miraculis confirmat, quæ non modo in corporibus, sed & in animabus operatur. 1. Mentes illuminat, *Cæci vident*, 2. Voluntates dirigit: *Claudi ambulant*. 3. Peccatorum maculas emundat: *Leprosi mundantur*. 4. Cordis aures aperit ut gratiæ vocem audiant: *Surdi audiunt*. 5. Peccatoribus maxime induratis animæ vitam restituit: *Mortui resurgunt*. 6. Pauperibus, humilibus, mansuetis, divitias fidei, & Evangelicarum veritatum intelligentiam communicat: *Pauperes evangelizantur*.

24. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Ut quis in deserto, in solitudine, in Monasterio Deo fidelis sit, nec arundini vento agitatæ similis, necesse est ut sancti Præcursoris exemplo, 1. Gratiæ vocationem sequatur. 2. Ut Dei verbo nutriatur, ac rerum cœlestium meditationibus pascatur. 3. Gratiæ Christi unice innitatur, in eaque confidat. 4. Vitam pœnitentem agat, & a luxu deliciisque sæculi penitus alienam. 5. Nullam cum hominibus secundum carnem & pravos sæculi mores viventibus foveat societatem. 6. Christum exspectet venturum in gloria, ejusque adventum exspectans, omnium præsentis sæculi consolationum privationem patienter sustineat. 7. Ex sacro secessu non exeat nisi Christi impulsu, & propter ejus negotia & gloriam procurandam. 8. Nihil a mundo exspectet præter persecutiones, exemplo Joannis aliorumque Sanctorum. Vita Religiosa tutior. In Monasteriis Deo consecrati vivunt purius, cadunt rarius, resurgunt frequentius, moriuntur securius.

26. *Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, & plus quam Prophetam*, &c. Pastor animarum & conscientiarum Moderator S. Joanni Baptistæ similis esse debet. 1. Lumine divino sit illustratus, Dei verbo plenus, in viis Dei eruditus, Evangelicis documentis, & Ecclesiasticæ disciplinæ regulis instructus: *Prophetam*. 2. Luci jungat ardorem, fide viva & per dilectionem operante conspicuus sit, Christum Jesum non procul videat, sed quasi digito demonstret, ejusque imaginem omnibus vitæ suæ operibus exprimat, ut S. Joannes: *& plus quam Prophetam*. 3. Legitime vocatus & missus sit a Deo per potestatem Ecclesiæ a Christu traditam & ab Apostolis continua successione derivatam. *Ecce ego mitto*. 4. Angelus sit innocentia vitæ, castitate morum; in cœlum ascendat oratione & cœlestium bonorum amore, in terris versetur humilitate, charitate, zelo in procurandis Ecclesiæ utilitatibus & salute animarum: *Angelum meum*. Una illius cura sit, unum negotium, viam Jesu Christi in animabus parare, illas docere verbo veritatis, purgare Pœnitentiæ operibus & sacramento, probare an sincere in viis Dei ambulent, antequam ad Communionem corporis Christi admittantur. *Qui præparabit viam tuam ante te.*

39. „ Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut „ cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit „ alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes ejus, „ lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis „ sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento „ ungebat. " Mulierem quæ non peccatrix solum sed totius civitatis facta fuerat ipsa peccatum, Christus pœnitentem recipit in gratiam, ut nemini peccatori de salute desperandum ostendat, modo veram agat pœnitentiam, cujus imaginem in hujus conversione Peccatricis Evangelista

liſta noſter deſcribit. 1. Peccator cognoſcere debet per fidem, Chriſtum Salvatorem noſtrum nos ad pœnitentiam invitare, expectare, & ad peccata remittenda & delenda veniſſe. *Ut cognovit quod Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi.* 2. Per orationem & pia deſideria quærendus eſt. 3. Sine mora quærendus, ne ſalutis opportunitas amittatur. *Ut cognovit.* 4. Fide viva ad Jeſum accedendum eſt. 5. Cordis motibus & affectibus Deo ſupplicandum. 6. Cum verecundia & humilitate accedendum, *Stans retro ſecus.* De culpa, non de pœnitentia erubeſcendum eſt coram hominibus. Imitanda mulier peccatrix, quæ non invitata irruit convivio ubi ſuus Medicus recumbebat, & quæſivit pia impudentia ſanitatem. Quæ frontoſa fuerat ad perditionem, frontoſior facta eſt ad ſalutem. 7. Ad pedes Domini procumbendum. Locus hic peccatori vere pœnitenti opportunus, ut qui male ambulavit, veſtigia recta quærat, & in illo compleatur quod a Rege Propheta dictum eſt: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* 8. Nulla prætermittenda occaſio eſt deflendi peccata, & Chriſti pedes lacrymis rigandi, ut laborioſo pœnitentiæ baptiſmate omnia vitæ præcedentis delicta abſtergantur. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Pœnitentiæ lacrymæ incipere debent non finiri, quia tota vita Chriſtiani perpetua pœnitentia eſſe debet. *En mutatur ordo rerum: pluviam terræ cœlum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cœlum: immo ſuper cœlos, & uſque ad ipſum Dominum imber humanorum proſtlit lachrymarum:* ut juxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: *Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divinæ indignationis ſententiam .... In peccatricis caput purgandis criminibus reſluebat unda, ut ſuo fonte mulier in novum baptiſma ſuorum diluaret illuviem peccatorum.*

Pſalm. 36.

S. Petrus Chryſolog. ſerm. 93.

Omnia quibus ad Deum offendendum abuſus eſt peccator, ſive animi ſive corporis, ſive fortunæ bona, ad ſatisfaciendum Deo convertere debet. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem* (ait Apoſtolus) *ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Hoc mulier peccatrix in converſione ſua præſtitit. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Oculis terrena concupiverat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam capillis pedes Domini tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculata, os in Redemptoris ſui veſtigiis figebat. „ Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta: convertit ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, „ quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. “ Capillis capitis ſui tergebat, ut juxta Pſalmiſtam, verticem capilli quo perambulaverat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſervitute. *Et oſculabatur pedes ejus.* Præceſſerant intervenientes lacrymæ, ut oſcula devota ſequerentur, quia *Lachrymæ ſatisfactionis ſunt documenta: oſcula ſunt reconciliationis indicia.* 10. Pedes Domini ungendi; miſericordiæ unguentum in pauperes effundendum. Superflua egenis impendenda. Capilli ſuperflua corporis: ex iis quæ abundant, ſuccurrendum indigentibus. *Superflua divitum, neceſſaria pauperum. Tali ſuperflua ſunt, ſed Domini pedibus neceſſaria ſunt.*

Rom. 6. 19.

S. Gregor. M. Hom. 33. in Evang.

S. Petrus Chryſolog.

S. Auguſt.

Peccatricis hujus pœnitentiam imitemur: ad pedes Jeſu procumbamus; nondum enim poſſumus ad caput venire; quia *peccator ad pedes, juſtus ad caput.* Sicut torrentem lachrymas fundamus die ac nocte, & non taceat pupilla oculi noſtri. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulneri longa & diligens medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit.* VEN TE *adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit eos.* „ Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, „ qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui „ epulis affluentibus paſtus, & ſagina largiore diſtentus, „ cruditates ſuas poſtridie ructat, nec cibos & potus „ ſuos cum pauperum neceſſitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem ſuam deflet? „ An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum pretioſæ veſtis induere; nec indumentum Chriſti, quod „ perdidit, cogitare? accipere pretioſa ornamenta, & „ monilia elaborata, nec divini & cœleſtis ornatus damna deflere? Tu licet ornamenta peregrina & veſtes „ ſericas induas, nuda es. Auro te licet & margaritis, „ gemmiſque condecores, ſine Chriſti decore deformis „ es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine. Et quæ nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lachrymis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres. Facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam „ miſera perdidiſti, ſpiritualiter mortua ſupervivere hic „ tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, „ & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non „ te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? “

Idem lib. de Lapſis.

Unguento pedes Chriſti Jeſu unganus, *Chriſti bonus odor ſimus Deo*, bonorum operum exemplis proximos ædificantes, quos pravis exemplis offendimus. Offeramus Deo ſpiritales hoſtias in odorem ſuavitatis. 2. Cor. 2.

„ Capillis pedes Chriſti tergamus, pauperum miſeriam „ ſublevantes. Rigat namque lachrymis Redemptoris pedes, ſed capillis ſuis non tergit, qui utcumque proximorum dolori compatitur, ſed tamen eis ex his quæ „ ſibi ſuperfluunt, non miſeretur. Plorat, & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, ſed non miniſtrando quæ deſunt, vim doloris minime abſcindit. Si „ frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidia- Jacob. 2. 25.
„ no, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, „ calefacimini, & ſaturamini; non dederitis autem eis „ quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Sic & fides, „ ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. “ Pedes Jeſu oſculemur, pedes ejus, miſericordia & juſtitia: *Omnes viæ Domini miſericordia & veritas.* Timore juſtitiam, amore miſericordiam oſculemur & complectamur. *Oſculum mutui amoris indicium eſt, oſculum pignis eſt charitatis.* S. Ambroſ. lib. 6. in Luc.

40. *Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Superbus peccatoribus invidet, in Deum irreligioſus, in peccatores immiſericors eſt. Mulier peccatrix irrupit in domum, quo non erat invitata: ſed vulnera habebat, & illuc venerat ubi Medicus recumbebat. *Ille autem qui invitaverat Medicum, ſanus ſibi videbatur, propterea non curabatur.* S. Auguſt. in Pſal. 125.

41. „ Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus „ debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. „ Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque. „ Quis ergo eum plus diligit? Reſpondens Simon dixit: „ Æſtimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei: Re„ cte judicaſti. “ Væ illi qui Deum non amat etiam poſt plurima & ingentia beneficia, & multorum condonationem peccatorum! Quanto plus Deo debent Judæi quam Pagani; Chriſtiani quam Judæi; Catholici quam Hæretici; Eccleſiaſtici Religioſique Viri aut Deo conſecratæ Virgines, omneſque de mundi corruptione vocati & ſegregati, quam ſæculares homines ac fœminæ? Debita quibus apud Deum gravamur, & ad pœnas dandas tenemur, peccata ſunt. Multum in eo genere debet, qui de ſua juſtitia præſumens, ſeque aliis peccatoribus ſuperbe comparans, ſe minus debere arbitratur. Multum ſemper debet homo divinæ miſericordiæ, ſive remittenti peccata, ſive prævenienti, & ab iis ſervanti. Hic multa commiſit, & multorum debitor factus eſt: ille gubernante Deo pauca commiſit. Cui deputat ille quod dimiſit, huic & iſte deputat quod non commiſit. Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: „ Regebam te mihi, „ ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, „ ſuaſor defuit, ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & „ tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit „ ſuaſor; non defuit locus, non defuit tempus: ut non „ conſentires ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus cui „ debes & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti: mihi debes & tu quod „ non feciſti. Nullum eſt enim peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit „ Rector a quo factus eſt homo. “ S. Auguſt. ſerm. 99. alias 23. ex Hom. 50.

46. *Oleo caput meum non unxiſti: Hæc autem unguento unxit pedes meos.* Caput Domini, divinitatem allegorice ſignificat, *Caput Chriſti Deus*: pedes, myſterium Incarnationis deſignant. Utrumque viva fide credendum ut juſtificemur. Judæi, quorum perſonam gerebat Phariſæus, Chriſti caput non unxerunt, quia Jeſum eſſe Deum non crediderunt. Peccatrix, quæ Gentilium ad Chriſtum converſorum typus fuit, pedes ejus unxit, quia Incarnationis ejus Myſterium credidit, & Divinitatis plenitudinem in eo corporaliter habitantem: Unde poſtea unxit & caput, ut ait Sanctus Ambroſius. *Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* „ Oſculum dilectionis eſt ſignum. Judaicus „ populus oſculum Domino non dedit, quia ex charita„ te eum amare noluit, cui ex timore ſervivit. Vocata „ autem Gentilitas Redemptoris ſui veſtigia oſculari „ non ceſſat, quia in ejus amore continuo ſuſpirat. Un„ de hæc Sponſæ vox: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* „ Oſculum Sponſi deſiderat, quæ ad ejus obſequium ſe „ per amorem parat ... Quis eſt populus iſte qui amplius debet, niſi nos, quibus amplius creditum eſt? Illis „ credita ſunt eloquia Dei, nobis creditur partus Virginis. „ Creditus eſt Emmanuel nobiſcum Deus, credita Do„ mini crux, mors, reſurrectio. Et ſi Chriſtus pro omni„ bus paſſus eſt, pro nobis tamen ſpecialiter paſſus eſt; „ quia pro Eccleſia paſſus eſt. Itaque non eſt dubium „ quod plus debeat, qui plus accepit. Et ſecundum

S. Ambr. lib. 6. in Luc. n. 25. 26.

Natal. Alex. In Evang.

„ hominem plus fortaſſe offendit, qui plus debuerit : ſed „ per miſericordiam Domini cauſa mutatur, ut amplius „ diligat qui amplius debuit : ſi tamen gratiam conſe„ quatur. *Gratiam enim & qui reddit habet* ; *& qui „ habet in eo ipſo quod habet, ſolvit ; nam & reddendo habetur, & habendo redditur*. Et ideo quoniam „ nihil eſt quod digne Deo referre poſſimus : (Quid e„ nim referamus pro ſuſceptæ carnis injuria ? Quid pro „ verberibus, quid pro cruce, obitu, ſepultura ?) *Væ „ mihi ſi non dilexero !* Audeo dicere : Non reddidit „ Petrus, & ideo plus dilexit. Non reddidit Paulus ? „ Reddidit quidem mortem pro morte, ſed alia non red„ didit, quia multa debebat. Audi ipſum dicentem quia „ non reddidit : *Quis prior dedit illi, & retribuetur „ ei ?* Reddamus licet crucem pro cruce, funus pro fu„ nere, numquid reddimus quod ex ipſo, & per ipſum, „ & in ipſo habemus omnia ? *Reddamus ergo amorem „ pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro „ ſanguinis pretio ; plus enim diligit, cui donatur am„ plius.*“

S. Petr. Chryſ. ſerm 94.

47. *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Miſericordiæ divinæ & remiſſionis peccatorum menſura, Dei dilectio eſt. Abſque ſincero Dei amore, nulla remiſſio. *Cœleſtis debitor totum debitum charitate compenſat, & ad incrementum totius fœnoris amoris ſoluti exigit & requirit uſuram. Plectendus debitor, qui dilectione ſola ſuam negligit redimere cautionem*. Vis ſcire, homo, quid Deo debeas ? Quod factus es, Dei creditum eſt : quod es rationis capax, Dei fœnus eſt ; quod diſcretionem boni malive poſſides, accepiſti ; & quod vivendi normam acceperis per chirographum legis ſtipulanti Deo ſpopondiſſe te non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum inſtar ſuis demergis, & quadrupedum more vivens qua præditus es ratione privaris, & divinæ legis ſubſtantiam diſſipas, mundana voluptate captivus, factus es glorioſi fœnoris debitor luctuoſus : cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur uſura. Sed licet in hac re ceciderís, licet fueris in iſta devolutus, vide ne deſperes : homo, remanſit tibi unde piiſſimo ſatisfacias creditori. „ Abſolvi vis ? Ama. Charitas „ cooperiet multitudinem peccatorum... Ama ergo homo „ Deum, & ama totus, ut poſſis omnia ſine labore vince„ re peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus eſt, a„ more ſolo de cunctis criminibus reportare victoriam. „ *Quid eſt autem quod ſubjunxit Chriſtus* ? Cui minus di„ mittitur, minus diligit ? *Ergo ad peccandum ſatis eſt „ ut major charitas compareatur ? Abſit*. Charitas de „ præceptis ſubvenit, non liberat de futuris : charitas ne„ ſcit peccare cum diligit ; non eſt charitas ſi delinquit : „ charitas Dei cuſtos eſt ſanctitatis.“

S. Greg. Hom. 33. in Evang.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quid dilectionem credimus, niſi ignem ? & quid culpam, niſi rubiginem ? Ait ergo Jeſus : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, ac ſi aperte diceret : *Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valde per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo conſumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.*

S. Ambr. lib. 6. in Luc. n. 22.

Dilexit multum. Eccleſia ſpeciem accipit peccatricis, ſicut Chriſtus formam peccatoris accepit. *Et ideo nemo tantum poteſt diligere, quantum illa quæ in pluribus diligit*. Nec Petrus ipſe qui dixit ; *Domine tu noſti quia amo te* ; quia Eccleſia dilexit in Petro. Nec Paulus ipſe, quia Paulus quoque ejus eſt portio. Et tu plurimum dilige, ut & tibi plurimum remittatur.

48. *Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata*. Idem vere penitentibus dicit Chriſtus, cum illos per Eccleſiæ ſuæ Miniſtros abſolvit, quibus poteſtatem dedit remittendi peccata. Hæreticorum vox eſt, *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit ?* Daturus erat Dominus hominibus Spiritum ſanctum, & ab ipſo Spiritu ſancto fidelibus ſuis dimitti peccata, non meritis hominum, volebat intelligi. Quod ut evidentius oſtenderet, poſt Reſurrectionem ſuam ait : „ Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis pec„ cata, remittuntur eis, *&c. hoc eſt*, Spiritus dimittit, „ non vos. Spiritus autem Deus eſt. Deus ergo dimittit, „ non vos. Sed ad Spiritum quid eſtis vos ? *Neſcitis quia „ Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis ?* „ Deus ergo habitat in templo ſancto ſuo, hoc eſt, in ſan„ ctis ſuis fidelibus, in Eccleſia ſua : per eos dimittit pec„ cata, quia viva templa ſunt. Sed qui dimittit per homi„ nem, poteſt dimittere & præter hominem. Neque enim „ minus idoneus eſt per ſe dare, qui poteſt per alium dare.“

Joan. 20. 22. S. Aug. ſer. 99. alias 23. ex Hom. 50. 1 Cor. 5. 16.

CAPUT VIII.

Senſus Litteralis.

S. Hieronym. Comment. in c. 27. S. Matth.

1. 2. 3. ET *factum eſt deinceps, & ipſe* JESUS *iter faciebat per civitates & caſtella, prædicans & evangelizans regnum Dei : & duodecim* Apoſtoli *cum illo* erant *Et mulieres aliquæ* ipſum comitabantur, pro more gentis antiquo (conſuetudinis enim Judaicæ fuit, ut mulieres de bonis ſuis victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent) *quæ erant curatæ* & liberatæ *a ſpiritibus malignis*, illas corporaliter poſſidentibus & vexantibus, *& infirmitatibus* corporis : *Maria quæ vocatur Magdalene*, ſic dicta aut a voce Syriaca *Magdaletha*, id eſt, *Magnifica, florida, creſcens*, aut a verbo Hebraico *Gadal*, unde *Magedal* ; vel *Magdala*, id eſt, *Excelſa, Turrita*. Hanc ipſam eſſe cenſeo peccatricem, de qua ſuperiori capite Evangeliſta noſter : *de qua ſeptem dæmonia exierant*, quibus Deus in peccatorum pœnam eam corporaliter vexandam tradiderat, a quibus per Jeſum liberata pœnitentiam egit, a peccatis abſoluta eſt, illumque in grati animi ſignificationem ſecuta eſt e Bethania in Galilæam, per civitates & caſtella prædicantem, & inde in Bethaniam regreſſa eſt, & cum Lazaro & Martha fratre ſororeque ſua vixit, verbum Domini jugiter audiens, de qua S. Joannes c. 11. 2. ait : *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis : cujus frater erat Lazarus*. Quæ *Ante ſex dies* Paſchæ, quod ultimum fuit prædicationis Chriſti, *accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis*, ut refert S. Joannes c. 12. & partem *ſuper caput ipſius recumbentis effudit*, ut S. Matthæus c. 16. commemorat : cujus denique defenſionem contra murmurationem Judæ proditoris Jeſus ſuſcepit, dicens : *Quod habuit hæc fecit : prævenit ungere corpus meum in ſepulturam* (Marci 14. 8.) Quia ſcilicet ungere non potuit Jeſum poſt mortem, qui reſurrectione ſua religioſum illius officium prævenit (*Marci 16. 3. 2.*) & illi primo redivivus & glorioſus apparuit, ut refert ibid. S. Marcus Verſ. 9. *Surgens autem mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia* : Quam proprio nomine vocans, *Maria*, Reſurrectionem ſuam Diſcipulis nuntiare juſſit, cum ad pedes ejus ſeſe inclinanti, ut eos pro more oſcularetur, dixit : *Noli me tangere : nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, &c. (Joan. 20.) Illam quidem corporaliter a dæmonibus non poſſeſſam & vexatam Interpretes quidam S. Gregorio M. præeunte exiſtimant, per malignos ſpiritus vitia intelligentes, quæ Judæi dæmonia vocant, ut in Tractatu Talmudico Joma ; *Malus affectus eſt ſatan* ; in Gittim, *Ebrietas eſt dæmonium* ; ſed hæc minus probabilis opinio. Inter has mulieres, quæ Chriſtum civitates & caſtella Galileæ peragrantem, & Evangelium ſuum prædicantem ſequebantur, *erat & Joanna uxor Chuſæ Procuratoris Herodis*, id eſt, Herodis Tetrarchæ domui & facultatibus Præfecti. An vidua eſſet, an permittente marito a pietate & fide Chriſti non alieno Chriſtum ſequeretur, incertum : *& Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Quem locum Tertullianus lib. 4. *Adverſus Marcionem*, c. 19. ſic illuſtrat : „ Quod divites Chriſto mulieres adhærebant, quæ & de fa„ cultatibus ſuis miniſtrabant ei, inter quas & uxor Regis „ Procuratoris, de Prophetia eſt. Has enim vocabat per „ Iſaiam : Mulieres divites exſurgite, & audite vocem „ meam, ut diſcipulas primo, dehinc ut operarias & mi„ niſtras oſtenderet. Filię in ſpe audite ſermones meos. „ Dies anni mementote cum labore in ſpe. Cum labore „ enim quo ſequebantur, & ob ſpem miniſtrabant.“ *Iſai. 32. 9*

4. 5. 6. 7. 8. *Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum* magna frequentia auditores, doctrinæ ejus admirabili efficacia, & miraculorum fama excitati, *dixit per ſimilitudinem* ; hanc parabolam propoſuit pro concione, ut ad populi captum ſermonem ſuum accommodaret. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum : & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt* a tranſeuntibus, *& volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecedit ſupra petram*, in terram petroſam : *& natum aruit*, cum germinare cœpiſſet, ſtatim exaruit, *quia non habebat humorem*, ſive radicem. Humor enim radice hauritur : radix profundam terram poſtulat. *Et aliud cecidit inter ſpinas*, pars alia ſeminis cecidit in terram ſpinarum feracem ; *& ſimul exortæ ſpinæ* cum bono ſemine, *ſuffocaverunt illud* jam in culmos aſſurgens. *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat*. NON enim *audiebant ultro* (inquit Tertullianus) *qui aures habebant, ſed oſtendebat aures cordis neceſſarias*.

Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 19.

9. 10. *Interrogabant autem eum Diſcipuli ejus, quæ eſſet hæc parabola ?* quis eſſet parabolæ ſenſus ? *Quibus ipſe dixit : Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*, arcana doctrinæ evangelicæ quam expono ; *ceteris autem in parabolis ; ut videntes non videant, & audientes non intelligant*. Ceteris autem, quibus non eſt datum a Deo ut Evangelio credant, in parabolis proponuntur, ad quarum finem cum animum non advertant, videntes ſimilitudinem ſenſibilem, non vident latentem ſenſum : & auribus corporis audientes, non intelligunt quid ſignificent parabolæ, ob cæcitatem ſuam ac pertinaciam, ut prædixerat Iſaias.

Iſai. 6. 9. Rom. 11. 8. 9. 10.

11. 12. 13. 14. 15. *Eſt autem hæc parabola*. Hic eſt ſenſus & ſignificatio parabolę quam mox proponebam. *Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam*, qui deſignantur portione ſeminis ſecus viam cadentis, *hi ſunt qui audiunt : deinde venit diabolus*, tamquam avis rapax, *& tollit verbum de corde eorum*, oblivionem & incuriam inducendo, *ne credentes ſalvi fiant. Nam qui ſupra petram* ; qui deſignantur parte ſeminis in terram petroſam cadentis, hi ſunt,

hi sunt, *qui cum audierint* Evangelii prædicationem, *cum gaudio suscipiunt verbum*; *& hi radices non habent*, similes sunt segeti quæ radices non habet; *quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt* a fide aut vera pietate. *Quod autem in spinas cecidit*; qui designantur semine inter spinas cadente, *hi sunt qui audierunt, & a sollicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum*. Cum in iis divinum semen proficere & maturescere videatur, negotium sæcularium curis, divitiarum amore, & voluptatum carnalium illecebris suffocatur, & sterilem exitum habet. *Quod autem in bonam terram*; qui denique semine in bonam fertilemque terram cadente designantur, *hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt, in patientia*, inter adversa spe bonorum æternorum constantes & perseverantes. Confer cum *Matthæi* cap. 13. ubi hanc parabolam exposuimus.

16. 17. „ Nemo autem lucernam accendens, operit eam „ vase, *seu modio*, aut subtus lectum ponit: sed supra can- „ delabrum ponit, ut intrantes domum videant lumen: Non „ est enim occultum, quod non manifestetur, nec abscondi- „ tum quod non cognoscatur; & in palam veniat." Nihil occultum est quod non manifestari debeat, & palam cognosci. Confer cum *Matthæi* 5. 15. *& Marci* 4. 21.

18. *Videte ergo quomodo audiatis*, quo affectu, & quo fructu sermones meos audiatis, vos per quos doctrina mea mundo prædicanda est: *Qui enim habet dabitur illi*; *& qui- cumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo*. QUID *dabitur*? (inquit Tertullianus) *Adjectio fidei, vel salus ipsa. Quid auferetur? Utique quod dabitur.* Confer cum *Matth.* 13. 12.

Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 19.

19. 20. 21. „ Venerunt autem ad illum mater, & fratres „ ejus; *consobrini*; & non poterant adire eum præ turba: „ & nuntiatum est illi: mater tua, & fratres tui stant foris, „ volentes te videre, *seu alloqui*. Qui respondens, dixit ad „ eos, *qui id nuntiabant:* Mater mea & fratres mei hi „ sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt." Hoc abutebatur loco Marcionitæ, ut Christum vere natum non fuisse, veram carnem non habuisse probarent; contra quos Tertullianus: „ Venimus ad constantissimum argumentum om- „ nium qui Domini nativitatem in controversiam deferunt. „ Ipse, inquiunt, contestatur se non esse natum, dicendo, „ Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? Ita semper hære- „ tici aut nudas aut simplices voces conjecturis quo volunt „ rapiunt; aut rursus conditionales & rationales, simplici- „ tatis conditione dissolvunt, ut in hoc loco. Nos contra- „ rio dicimus, primo non potuisse illi annuntiari, quod ma- „ ter & fratres ejus foris starent quærentes videre eum, si „ nulla illi mater, & fratres nulli fuissent, quos utique no- „ rat qui annuntiaret, vel retro notos, vel tunc ibidem „ compertos, dum eum videre desiderant, vel dum ipsi „ nuntium mandant. Ad hanc primum propositionem no- „ stram solet ex diverso responderi. Quid enim si tentandi „ gratia nuntiatum est ei? Sed hoc Scriptura non dicit, „ quæ quanto significare solet ex tentatione quid factum: „ Ecce Legis Doctor assurrexit tentans eum: & de tributi „ consultatione. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentan- „ tes eum; tanto ubi non facit tentationis mentionem, „ non admittit tentationis interpretationem..... At „ vere mater & fratres ejus foris stabant. Superest & dispi- „ cere sensum non simpliciter pronuntiantis. Quæ mihi „ mater aut fratres? quasi ad generis & nativitatis nega- „ tionem, sed & ex causæ necessitate & conditione ratio- „ nali. Tam proximas enim personas foris stare extraneis „ intus defixis ad sermones ejus, amplius & avocare eum „ a solemni opere quærentes, merito indignatus est. Non „ tam abnegavit, quam abdicavit. Atque adeo cum præ- „ misisset, Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? subjun- „ gens, Nisi quia audiunt verba mea & faciunt ea? transtu- „ lit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro „ fide judicaret. Nemo autem transfert quid nisi ab eo „ qui habet id quod transfert. Si ergo matrem & fratres „ eos fecit qui non erant, quomodo negavit eos qui erant? „ meritorum scilicet conditione, non ex primorum ne- „ gatione, in semetipso docens, Qui patrem aut matrem, „ aut fratres præponeret verbo Dei, non esse dignum „ discipulum. Ceterum ex hoc magis matrem & fratres „ confitebatur, quod illos nolebat agnoscere, quod alios „ adoptabat, confirmabat quos ex offensa negabat, quibus „ non ut veriores substituit, sed ut digniores. Denique „ nihil magnum si fidem sanguini præposuit, quem non „ habebat. Confer cum Matthæi cap. 12. 46. & nostris in „ eum locum Commentariis."

Ibidem.

Matt. 19. 3. *Matth.* 22. 35.

22. 23. 24. 25. *Factum est autem in una dierum*, quadam die, *& ipse* JESUS *ascendit in naviculam, & Discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum*, lacum Genesareth. *Et ascenderunt*, solverunt e littore. *Et navigantibus illis obdormivit* JESUS, *& descendit procella venti in stagnum*, ventus procellosus commovit lacum, *& complebantur*; adeo ut eorum navicula fluctibus impleretur, *& periclitabantur*; periculum erat ne mergerentur. *Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit.* Dormiebat Jesus, & cor ejus vigilabat. Vento & fluctibus imperavit minacibus verbis, ut se maris & ventorum Dominum esse ostenderet, de quo scriptum est: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas*. Eo porro imperante, sedata est tempestas: *& facta est tranquillitas. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra?* Quam modica! *Qui timentes, mirati sunt ad invicem dicentes*, cum Discipuli, tum homines alii qui erant in navi, reverentia & stupore correpti, quasi Deo præsente, dixerunt: „ Quis putas hic est, *qualis & quan- „ tus? Deus certe*: quia & ventis & mari imperat, & „ obediunt ei. *AGNORANT* substantiæ Auctorem suum, „ quæ famulis quoque ejus obedire consueverant (*inquit „ Tertullian. lib. 4. contra Marcionem cap. 20.*). Inspice „ Exodum, Marcion, aspice Mari Rubro vastiori super „ omnia stagna Judææ, virgam Moysi imperantem, ut fun- „ ditus proscissum, & pari utrimque stupore discriminis „ fixum, sicco populum pede, intestino itinere transmitteret, „ rursusque sub ejusdem virgæ nutu redeunte natura, Ægy- „ ptium exercitum undarum concordia obrueret: in quod „ opus & Austri serviverunt. Lege & sortes familiæ diri- „ mendæ, in transitum ejus Jordanis machæram fuisse, cu- „ jus impetum atque decursum plane & Jesus docuerat Pro- „ phetis transmeantibus stare. Quid ad hæc? Si tuus Chri- „ stus est, non erit potentior famulis Creatoris. Sed his „ solis exemplis usus essem, si non etiam prædicatio marinæ „ istius expeditionis Christum antecessisset. Nam cum „ transfretat, Psalmus expungitur: Dominus, inquit, su- „ per aquas multas: cum undas freti discutit, Abacuc adim- „ pletur: Dispargens, inquit, aquas itinere: cum ad mi- „ nas ejus eliditur mare, Naum quoque absolvitur. Com- „ minans, inquit, Mari, & arefaciens illud, utique cum „ ventis quibus inquietabatur." Confer cum Matthæi 8. 23. & nostris ad eum locum Commentariis.

Psal. 28. 3. *Habac* 3. 10. *Naum* 1. 4.

26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. „ Et „ navigaverunt, *JESUS & Discipuli ejus*, ad regionem Ge- „ rasenorum (*seu Gadarenorum, secundum Græcum Tex- „ tum*) quæ est contra Galilæam, *in opposita ripa Galilææ, „ cujus incolæ præcipui Gentiles erant*. Et cum egressus esset „ *JESUS* ad terram, *cum e navi descendisset* occurrit illi „ vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus mul- „ tis, *qui a longo tempore possidebatur & vexabatur a dæmo- „ne*; & vestimento non induebatur, neque in domo mane- „ bat, sed in monumentis. Is ut vivit Jesum, procidit ante „ illum, & exclamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi „ est, Jesu Fili Dei Altissimi? *Quid mihi molestus es?* Ob- „ secro te ne me torqueas, *ante judicii tempus*. Præcipiebat „ enim spiritui immundo ut exiret ab homine; multis enim „ temporibus arripiebat illum, *frequenter illum invadebat „ & vexabat*. Et vinciebatur catenis & compedibus custo- „ ditus; & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta: „ *Licet catenis & compedibus vinctus custodiretur, a dæmo- „ nio tamen ruptis vinculis agebatur cum impetu, instar fu- „ rentis equi in deserta*. Interrogavit autem illum Jesus, di- „ cens, Quod tibi nomen est? At ille dixit; Legio, quia in- „ traverant dæmonia multa in eum, *in infelicem illum homi- „ nem*. Et rogabant illum, *JESUM scilicet, cujus divinam „ potestatem erant experti*, ne imperaret illis ut in abyssum „ irent; *ne illos imperio suo detruderet in tartara*. Erat au- „ tem ibi grex porcorum multorum, pascentium in monte, „ & rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi, & per- „ misit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intra- „ verunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in sta- „ gnum, & suffocatus est, *aquis*. Quod ut viderunt factum „ qui pascebant *gregem*, fugerunt, & nuntiaverunt in ci- „ vitatem *Gergesam vel Gadaram*, & in villas, *circumja- „ centes*. Exierunt autem, *incolæ*, videre quod factum est: „ & venerunt ad Jesum, & invenerunt hominem sedentem, „ a quo septem dæmonia exierant, vestitum, ac sana men- „ te ad pedes ejus, *illius sermones audientem*, & timue- „ runt, *facti admirabilitate stupefacti*. Nuntiaverunt autem „ illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione, „ *quomodo liberatus a legione dæmonum ipsum possidentium „ & vexantium*. Et rogaverunt illum omnis multitudo re- „ gionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis, quia magno ti- „ more tenebantur, *ne JESUS damna aliqua temporalia illis „ inferret, qui porcos a dæmonibus submergi permiserat*. Ipse „ autem ascendens navim reversus est. *Ascendit navim ut „ Capharnaum reverteretur*. Et rogabat illum vir, a quo „ dæmonia exierant, ut cum eo esset, *sive ut eum sequere- „ tur*. Et dimisit eum Jesus, dicens: Redi in domum tuam, „ & narra quanta tibi fecit Deus, *quanta in tui gratiam „ Deus operatus est*. Et abiit per universam civitatem, præ- „ dicans quanta illi fecisset Jesus." Liberatori suo fideliter paruit, ejusque divinam potentiam, & beneficentiam, quas fuerat expertus, grato animi prædicavit, non familiaribus dumtaxat, cognatis, amicis, aut vicinis suis, sed universæ civitati. Confer cum *Matthæi cap.* 8. & Marci 5. nostros- que lege Commentarios.

40. 41. 42. *Factum est autem cum rediisset Jesus* Capharnaum, *excepit illum turba; erant enim expectantes eum*. Gratanter eum susceperunt, cujus magno desiderio tenebantur. *Et ecce venit vir cui nomen Jairus, & ipse Princeps Synagogæ erat: & ipse cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus; quia unica filia*

erat ei fere annorum duodecim, ideoque charior, quia jam grandior, ætate florens, nuptiis matura; & *hæc moriebatur*, morti vicina erat. *Et contigit dum iret, a turbis comprimebatur*, dum quisque loquentem audire, observare, aut ejus benignitatem ac virtutem beneficentissimam in variorum curatione morborum experiri desideraret.

43. 44. 45. 46. 47. 48. *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis*, sanguinis profluvio laborans, *ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem substantiam suam*, omnes facultates, *nec ab ullo potuit curari*; Morbus erat pertinax & incurabilis: *accessit retro*, præ pudore, ob legalem immunditiam, & *tetigit fimbriam vestimenti ejus*, vel hoc uno contactu se recepturam sanitatem confidens: *confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Et ait Jesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant*, Discipuli Jesu: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt*, elidunt, & *dicis: Quis me tetigit? Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse. Videns autem mulier, quia non latuit*, videns se latere non potuisse, *tremens*, & pudore suffusa quod mundum immunda tangere ausa esset, *venit*, & *procidit ante pedes ejus*, & *ob quam causam tetigerit eum indicavit coram omni populo*, & *quemadmodum confestim sanata sit*. Indignitatem suam simul & virtutem omnipotentis Medici coram omni populo confessa est ac prædicavit, exponens quam ob causam Jesum tangere ausa esset, & quomodo statim a morbo incurabili fuisset perfecte sanata, nulla debilitate manente. *At ille dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit*, Fidei tuæ data sanitas, quæ tamen fides tibi prius data fuerat a Deo: *Vade in pace*. Hunc locum illustrat Tertullianus libro 4. contra Marcionem, cap. 20. „ Cur quasi ignorans loquebatur *Christus*? Ut confessionem certe pro„ vocaret, ut timorem probaret. Sic & Adam aliquan„ do quæsierat quasi ignorans, Adam ubi es? *Fidem por„ ro mulieris remuneravit miraculo*. Fides hæc fuit pri„ mo, quia Deum suum confidebat misericordiam malle „ quam sacrificium: quæ eum Deum certa erat operari „ in Christo: qua sic eum tetigit, non ut hominem „ sanctum, nec ut Prophetam, quem contaminabilem „ pro humana substantia sciret; sed ut ipsum Deum, „ quem nulla spurcitia pollui posse præsumserat. Itaque „ non temere interpretata est sibi Legem, ea contami„ nari significantem, quæ essent contaminabilia, non „ Deum quem in Christo confidebat. Sed & illud reco„ gitavit, ordinarium & solemnem menstrui vel partualis „ sanguinis fluxum in Lege taxari, qui veniat ex officio „ naturæ, non ex vitio valetudinis. Illa autem ex vitio „ valetudinis redundabat, cui non modum temporis, sed „ divinæ misericordiæ necessarium sciebat. Atque ita po„ test videri Legem non irrupisse, sed distinxisse. Hæc „ erit fides, quæ contulerat etiam intellectum. Nisi cre„ dideritis, inquit, non intelligentis. Hanc fidem probans „ Christus ejus feminæ, quæ solum credebat Creatorem, „ ejus fidei se Deum respondet, quam probavit. Nec il„ lud omittam, quod dum tangitur vestimentum ejus, „ utique corpori, non phantasmati, inditum corpus quo„ que demonstrabatur.... Si enim non erat veritas cor„ poris, phantasma utique contaminari, qua res vacua, „ non posset. " *Confer cum* Matth. 9. *nostrisque in eum locum Commentariis*.

49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. *Adhuc illo loquente, venit quidam ad Principem Synagogæ*, ex domesticis ejus, dicens ei: *Quia mortua est filia tua, noli vexare illum*, noli molestus esse Magistro, nec illum urgere ut in ædes tuas veniat. *Jesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere*, bono animo esto, *crede tantum*, & *salva erit*. Crede me tibi subvenire posse, & vivet. *Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum*, & *Jacobum*, & *Joannem*, & *patrem* & *matrem puellæ. Flebant autem omnes*, & *plangebant illam. At ille dixit, Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit*. Mors ejus quasi somnis est, a quo brevi excitabitur. *Et deridebant eum* domestici, *scientes quod mortua esset*, nec eum intelligentes. *Ipse autem tenens manum ejus, clamavit dicens: Puella, surge. Et reversus est spiritus ejus*, imperiali verbo obediens puellæ anima, in corpus ejus reversa est: & *surrexit continuo*; & *jussit illi dari manducare*. Illi cibum dari jussit Jesus, quo non solum vitæ, sed & optimæ valetudini restitutam demonstraret. *Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat*, modestiæ & humilitatis præbens exemplum. Confer cum *Matthæi* 9. nostrosque in eum locum lege Commentarios.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *ITer faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ a spiritibus malignis & infirmitatibus*, &c. Hæc Missionum Evangelicarum forma. Ipsis cooperari possunt divites & piæ mu-
1. Cor. 8. lieres, & meriti Operariorum Evangelicorum participes fieri, necessaria subsidia ipsis ministrando ex facultatibus suis. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* (inquit Apostolus) *ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Hæc subsidia Christus a piis mulieribus recepit, ut paupertatis Evangelicæ præberet exemplum; ut a suis creaturis recipiendo necessaria corpori, seipsum humiliaret; ut Patris sui providentiæ secundum naturam assumptam se subditum profiteretur; ut charitati & grato animo earum quas curaverat, locum daret; ne denique oneri esset illis quibus regnum Dei prædicabat. Christi exemplum Apostoli ceteri sunt imitati. Paulus manibus suis laborare maluit, quam ea potestate uti, vivendi scilicet ex Evangelio. *Non usi sumus*, inquit, *hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi* . . . Mulieres Christum prædicantem sequebantur: omnis enim sexus Christum sequi potest, apud quem non est discretio maris & feminæ. Anima sexum non habet. Regno Dei non minus aptæ sunt mulieres quam viri, modo retro non respiciant, ut uxor Loth, modo verbum Dei audiant, & faciant; modo ministræ sint caritatis, sicut Apostoli & Evangelici Prædicatores ministri sunt veritatis.

Jesum continuo sequi debent, illique semper adhærere, qui curati sunt ab infirmitatibus suis, & a malignis spiritibus liberati: ejus enim perenni egent adjutorio, ut restituta illis Animæ sanitas conservetur, & vires ad resistendum dæmoni submininistrentur. „ Sicut enim oculus *S. August. lib. de Natura & Gratia c. 26.*
„ corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis „ adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfe„ ctissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus „ adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus „ non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet „ etiam ne peccemus. "

5. *Exiit qui seminat seminare semen suum*, &c. Verbum Dei semen est; Dei voluntas est ut fructum pariat; cordis humani vitium est quod in eo sine fructu maneat. 1. Quia verbum Dei negligit aut conculcat, pravis cupiditatibus ambulans juxta viam sæculi, superbia elatus, & gloriæ sæcularis amore, quasi volucrum ore divinum semen diripi sinens. Qui diligit mundum, Dei verbum non amat; qui non amat, non custodit. 2. Quia cor ejus durum est, pœnitentiæ lachrymis non emollitum, & humore salutifero destitutum, quo veritatis amor nutritur, & sancta desideria in segetem bonorum operum erumpunt. Quid est cor durum? Si non expavisti, tuum hoc est. „ Solum est cor durum, quod semetipsum non ex- *S. Bern. lib. de Consider. c. 1.*
„ horret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Inter„ roga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem unquam „ adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab „ eo juxta Prophetam cor lapideum, & dedit cor car„ neum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec „ compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mo„ vetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. In„ gratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia „ sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad peri„ cula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: „ præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futu„ ra non providens. Ipsum est cui præteritorum, præter „ solas injurias, nihil omnino non præterit, præsentium „ nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscen„ dum prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta „ horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec „ Deum timet, nec hominem reveretur. " 3. Divini verbi fructum impedit cupiditas seu divitiarum & voluptatum amor. Spinæ illæ semen cœleste suffocant, nisi cito evellantur. Cupiditas venenum charitatis. Cor optimum, in quo verbi divini semen fructum refert, atque ad maturitatem pervenit, illud est in quo charitas dominatur, & cupiditate fortior est. Verbum Dei audit & excipit cor bonum & optimum: non solum audit, sed retinet: non solum retinet, sed fructum affert, Deo qui seminavit incrementum dante. *Quod autem in bonam terram; hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*. Ad fructum ferendum cœlo dignum, patientia seu perseverantia necessaria est. 1. In oratione. 2. In omni opere bono *1. Thessal. 5. 17.* usque in finem. 3. In probationibus, in rebus quibuslibet *Eccli. 4. 33.* adversis, in persecutionibus. Semper orandum Christia- *Rom. 2. 7.* no. *Sine intermissione orate*. Semper certandum: *Usque ad mortem certa pro justitia*. Semper laborandum & in bonis operibus proficiendum. *Deus enim reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*.

16. *Nemo lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum, ut intrantes videant lumen*. Mandatum lucerna est, & lex lux. Nomine lecti quies prosperitatis temporalis designatur. Veritatem occultare, vel dissimulare numquam debent Pastores, Doctores, Prædicatores, sive de fidei dogmatibus, sive de Christiana morum disciplina agatur; nec rerum adversarum timor, nec amor prosperarum, illos deterrere debet quo minus eam publice, clare, constanterque doceant, profiteantur, defendant. Sint ipsi candelabra fidei, & scien- *Proverb. 6.*

tiæ

tiæ sublimitate, morum innocentia & conversationis sanctitate, ut Ecclesiam ædificent, & ejus membris lucem præferant.

17. *Non est enim occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur.* Dies Domini omnia cordium arcana manifesta faciet. Homines simulatæ sanctitatis imagine falli possunt in hac vita mortali, sed Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; sinistras omnes intentiones Dei lumen revelabit, Dei veritas judicabit, justitia condemnabit, æternumque puniet hypocritas.

18. *Videte ergo quomodo audiatis*, utrum cum debitis dispositionibus accedatis ad audiendum Dei verbum, cum fide, docilitate, cum ipsius verbi amore, cum rerum æternarum desiderio, seu fame & siti justitiæ; videte ne ex humana curiositate audiatis; ne cum negligentia, attendite ne sine fructu: videte quem & quantum fructum retuleritis ex tot quas audistis concionibus. Cogitate quam accuratam a vobis rationem exiget Christus de verbo illius conculcato, neglecto, suffocato. Considerate quam gravibus pœnis verbi sui & gratiarum abusum plectet justus Judex. *Qui enim habet, dabitur illi*: habenti meritum, dabitur præmium; habenti gratiam & perseverantiam, dabitur æterna gloria: ei autem qui habere se existimat de propriis viribus præsumens, qui naturalibus talentis, aut supernaturalibus etiam donis abusus est, inutilia erunt omnia. Lux in tenebras æternas illi convertetur. *Et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab eo.*

23. *Navigantibus illis obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur*, &c. Mundus iste stagnum est, turbinibus & procellis tentationum agitatum, quod nobis transfretandum est ut ad vitam æternam perveniamus. Corruptio sæculi, velut aqua, per tensus, quasi per rimas sensim in cor nostrum se insinuat, & completur, & periclitatur. Nobis dormire videtur Christus, cum fides nostra, & vigilantia per negligentiam & desidiam veluti dormit. Excitandus est fidei actibus, orationis fervore, gratiæ ejus auxilium implorandum, ut ejus omnipotenti virtute redeat tranquillitas. Si enim nos nobismetipsis relinquat, & gratiæ suæ nobis semper indebitæ adjutorium vel ad momentum subtrahat, actum est, *perimus*.

27. *Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis*, &c. Dæmoniacus ille, typus est impudicorum. 1. Servi sunt peccati & dæmonis, duriori quidem, magis pudenda, & quæ difficillius excuti possit, servitute. Majoris enim adOsee 5. 4. fæsionis est crimen illud. *Habebat dæmonium jam temporibus multis.* NON *dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum.* 2. Luxuria omnibus gratiæ donis omnique pudore hominem exuit: *& vestimento non induebatur.* 3. Illum in domo conscientiæ suæ manere non sinit, sed errare facit & vagari post objecta concupiscentiæ suæ: cor autem ejus quod templum esse debet Spiritus sancti, in sepulchrum fœtore & mortuorum ossibus plenum convertit: *Neque in domo manebat, sed in monumentis.* 4. Impudicus nullum cum Jesu Christo Virginis filio & Virginum sponso, castitatis amatore & præceptore vult habere commercium; ab ipso velut ab hoste abhorret, metuit ne a carnalibus voluptatibus illum per gratiam suam abstrahat, liberationem suam ceu tormentum formidat: *Quid mihi & tibi est, Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.* 5. Leges omnes violare pro nihilo ducit, monitiones omnes contemnit, ad increpationes & minas obdurescit: ferreæ voluntatis suæ, pravæque consuetudinis vinculis ligatus, divinæ legis vincula confregit, a Deo fugit, a dæmone agitur in deserta, in loca invia, inaquosa, in regionem peccati & umbræ mortis, velut equus indomitus: *Et vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta.* 6. Luxuria plurimorum aliorum vitiorum comitatu stipata est. Sensus omnes corporis, facultates omnes animi a dæmonibus obsessas habet impudicus. Oculis spectacula, & speciosas formas libidinem irritantes ille proponit; iste cantionibus amatoriis aures pasci curat; hic obscœnis phantasmatibus imaginationem implet; unus delicata fercula subministrat & vina exquisita, ut libidinem accendat; linguam movet alter ad verba adulationis, ad amatoria colloquia, quibus castitas tentatur & expugnatur: alius prava desideria excitat in corde, alter luxum inspirat; alius prodigalitatem, ut imbre saltem aureo flectatur & vincatur Danae: *Interrogavit illum Jesus: Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio, quia intraverant dæmonia multa in eum.* 7. Abyssum pœnarum timet impudicus, abyssum peccatorum non timet. Non peccare metuit, sed ardere; timet ut diabolus; Deum injustum esse vellet, ut impune peccare, & in peccato perseverare posset. *Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum rent.* 8. Nova identidem objecta venatur impudicus ut libidinem suam expleat; obscœnitatibus omnibus, quas nec nominare licet, corpus suum animamque contaminat. *Erat ibi grex porcorum: & rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi.* Justo Dei judicio traditur illum Deus in desideria cordis sui, quibus agitur in præceps, & cum peccati sui conscius in æternum perit: *Et impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* 9. Impudici conversio, gratiæ miraculum. Verę conversionis in eo signa sunt, 1. Mens sana: mentis enim compotes non sunt impudici, amentes sunt, brutis similes. 2. Pudor, & indumenta virtutum. 3. Amor divini verbi. 4. Desiderium sequendi Jesum. 5. Secessus. 6. Amotio scandali. 7. Divinæ misericordiæ laus & gratia pro liberatione sua. „ Et invenerunt hominem sedentem, a „ quo dæmonia exierant, vestitum ac sana mente, ad „ pedes ejus, & timuerunt . . . Et rogabat illum vir a „ quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem „ eum Jesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra „ quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. "

29. *Præcipiebat spiritui immundo ut exiret ab homine.* Spiritales hostes spiritalibus armis debellaturum Christum Prophetæ prædixerunt. „ Cum invenis in uno homine *Tertull lib. 4. contra Marcion. c. 20.*
„ multitudinem dæmonum, legionem se professam, utique spiritalem; disce & Christum expugnatorem spiritalium hostium, spiritaliter armatum, & spiritaliter „ bellicosum intelligendum; atque ita ipsum esse, qui „ cum legione quoque dæmonum erat dimicaturus; ut „ de hoc bello Psalmus possit videri pronuntiasse: Do- *Psalm. 23.*
„ minus validus, Dominus potens in bello. Nam cum 8.
„ ultimo hoste morte præliatus, per trophæum Crucis „ triumphavit. Cujus autem Dei Filium Jesum legio testata est? Sine dubio cujus tormenta & abyssum noverant & timebant. "

43. *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim*, &c. Concupiscentia per hunc morbum figurata morbus est pudendus, inveteratus, continuus, ex originali peccato ortus, quem neque Lex, nec Philosophia, nec liberi arbitrii vires sanare possunt, sed sola gratia medicinalis Jesu Christi. Ad ipsum ergo accedamus cum pudore & humilitate, cum spe & fiducia in bonitate & misericordia Salvatoris: sanctam humanitatem ejus viva fide tangamus, ut mulier fimbriam vestimenti ejus, & sanabimur a morbis desideriorum noxiorum: procidamus ad pedes ejus, infirmitatem nostram simul & indignitatem confiteamur, ut concupiscentia hic sanari cœpta, & debilitata, & tandem per charitatem consummatam perfecte curata & ablata, plena pace in vita immortali fruamur. Plena enim pax, plenæ justitiæ fructus est. *Tunc erit plena justitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis charitas: tunc plena charitas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem . . . .* Infirmi semper sumus in hac mortali vita, quantumvis justi, & ideo clamamus: *Libera nos a malo*, quod non perficitur, quamdiu corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sed hoc agitur gratia per fidem, ut aliquando dicatur: Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus vero *S. Aug. lib. de Perfectione justitiæ.* *1. Cor. 15. 55*
peccati lex. Quoniam *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem, quæ plena & perfecta tunc erit, cum videbimus facie ad faciem.* Infirmi sumus, quamdiu peregrinamur in corpore mortis hujus, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus. *De quo corpore mortis hujus non omnis liberatur, qui finit hanc vitam; sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum susceperit, bonis operibus egerit. Aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ hujus ultimus cogit; aliud est autem liberari de corpore mortis hujus, quod sola Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum sanctis & fidelibus eius impertit.*

52. *Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.* Flenda magis mors animæ, quam corporis. Lachrymas in propinquorum nostrorum morte fides eliciat, non carnalis affectus. Lachrymæ fundantur intuitu peccati, per quod mors intravit in mundum. Nolite flere, nolite contristari, sicut Gentiles qui spem non habent. Gaudendum est Christianis intuitu mortis, quæ ipsis finis est peccati & concupiscentiæ, si in Domino moriantur, si in gratia & charitate hinc transeant. Christianis qui pie vixerunt, mors revera somnus est, transitus ad vitam melliorem, immortalem, æternam, omni ex parte beatam. „ Quomodo mors mala (*Inquit S. Ambrosius*) si aut se- *Lib. de Bono*
„ cundum Gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum *Mortis cap.*
„ lucrum Christus est, cum quo esse multo melius? Quo- 4.
„ modo igitur mors nobis malum, si nullus post mortem „ sensus est? Ubi enim nullus sensus, nullus utique injuriæ dolor, quia dolor sensus est. Aut quia est post „ mortem sensus, est etiam vita post mortem, & superstes mortis est anima, quæ sensu utitur, & vita fungitur. Cum autem manet post mortem vita atque anima, manet bonum nec morte amittitur, sed augetur: „ nec ullo impedimento mortis retardatur anima: sed „ operatur magis, quia operatur quæ sua sunt, sine ulla „ societate corporis, quod animæ majori oneri quam usui „ est.

„ est. Quid igitur mali est animæ, quæ puritatem suam „ custodierit, & virtutum disciplinam servaverit? Aut „ si non servaverit, non mors malum, sed vita; quia vita „ non fuit. Quæ est enim vita vitiis peccatisque obsita? „ Quid igitur accusamus mortem, quæ aut vitæ pretium „ luit, aut abolet ejus dolorem atque cruciatum? Ita„ que mors aut suæ quietis bono utitur, aut malo alie„ no laborat. Nunc illud specta: si vita oneri, mors ab„ solutioni: si vita supplicio, mors remedio: aut si judi„ cium post mortem, etiam vita post mortem. Vita igi„ tur hic non est bona, aut si hic vita bona, quomodo „ mors illic non est bona, cum ibi nullus superfit terri„ bilis judicii metus? Sed ipsa hic vita bona si est, qui„ bus rebus bona est? Virtute utique & bonis moribus. „ Non ergo secundum animæ & corporis copulam bona „ est: sed quia per virtutem quod malum est suum repel„ lit; quod autem bonum est mortis, adipiscitur; ut quod „ animæ est, magis quam id quod contubernii & con„ junctionis operetur. Quod si vita bona, quæ animæ se „ a corpore separantis est speculum, & si anima bona, „ quæ se elevat atque abducit a corporis contubernio; „ & mors utique est bonum, quæ animam a societate „ carnis hujus absolvit & liberat. Omnifariam igitur mors „ est bonum, & quia compugnantia dividit, ne se invi„ cem impugnent; & quia portus quidam est eorum qui „ magno vitæ istius jactati salo, fide quietis stationem „ requirunt; & quia deteriorem statum non efficit: sed „ qualem in singulis invenerit, talem judicio futuro re„ servat, & quiete ipsa fovet, & præsentium invidiæ „ subducit, & futurorum exspectationi componit. Acce„ dit eo, quod frustra homines mortem timent quasi fi„ nem naturæ. Nam si recolamus quod Deus mortem non „ fecerit: sed postquam homo lapsus in flagitium est præ„ varicationis & fraudis, sententia eum comprehende„ rit, ut in terram suam terra remearet, inveniemus „ mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diutur„ nior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Do„ minus subintrare mortem, ut culpa cessaret. Sed ne „ iterum naturæ finis esset in morte, data est resurre„ ctio mortuorum; ut per mortem culpa deficeret, per „ resurrectionem autem perpetuaretur natura. Ideoque „ mors hæc transitus universorum est. Opus est ut con„ stanter transeas. Transitus autem a corruptione ad in„ corruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a per„ turbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te „ mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. „ Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutum „ suscitatio? “

S. Cypr. lib. de Mortalitate.

„ *Nolite flere.* „ Fratres nostri non sunt lugendi, acces„ sitione dominica de sæculo liberati, cum sciamus eos „ non amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut „ proficiscentes, ut navigantes solent; desiderari eos de„ bere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras ve„ stes; quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint: „ occasionem dandam non esse Gentilibus, ut nos meri„ to ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum „ dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem „ quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris „ testimonio non probemus. Spei nostræ ac fidei præva„ ricatores sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse „ quæ dicimus. *Nihil prodest vobis proferre virtutem, „ factis destruere veritatem.* Improbat denique Apostolus „ Paulus, & objurgat, & culpat, si qui contristentur „ in excessu suorum: *Nolumus*, inquit, *ignorare vos fra-* 1. *Thess.* 4. „ *tres de dormientibus, ut non contristemini sicut & ce„ teri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus „ mortuus est & resurrexit: sic & Deus eos qui dormie„ runt in Jesu, adducet cum illo.* Eos contristari dicit „ in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem „ spe vivimus, & in Deum credimus, & Christum pas„ sum esse pro nobis & resurrexisse confidimus, in Christo „ manentes, & per ipsum atque in ipso resurgentes, „ quid aut ipsi recedere istinc de sæculo nolumus, & no„ stros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? “

S. Bernard. Epist. 105.

Non est mortua puella, sed dormit. „ Justus mortem „ etsi non cavet, tamen non pavet. Moritur quidem, „ sed secure: quippe cujus mors ut præsentis est exitus „ vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si peccato „ moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est præ„ currat, ut sequatur illa secura. In hac vita quamdiu „ durat, compara tibi illam quæ semper durat. Dum vi„ vis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis „ Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit mors sac„ cum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? „ Bona mors justi propter requiem, melior propter no„ vitatem, optima propter securitatem. Econtra: Mors „ peccatorum pessima. Mala siquidem est in mundi amis„ sione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis „ igniscque duplici contritione. “

CAPUT IX.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. Convocatis *autem duodecim Apostolis*, simul, ut qui in Apostolatu fratres essent & Collegæ, *dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia*, in omne genus dæmonum, ad eos coercendos, & expellendos; *& ut languores curarent*: & virtutem curandi morbos quantumvis inveteratos, & secundum vires naturæ & artis incurabiles. *Et misit illos prædicare regnum Dei*, Evangelium quod viam Regni cœlestis ostendit, illudque pœnitentibus & mandata Dei servantibus promittit: *& sanare infirmos*, ut miraculis Evangelicæ prædicationis veritatem confirmarent. *Et ait ad illos*; *Nihil tuleritis in via*, nihil rerum temporalium, quæ cursus & ministerii Apostolici impedimenta essent, non adjumenta: *Neque virgam*, causa defensionis; *neque peram*, ut cibos in crastinum cum sollicitudine reservetis, *neque panem*, quem quotidie petentibus Pater vester cœlestis subministrabit; *neque pecuniam*, ut victum vel indumenta ematis; *neque duas tunicas habeatis*, id est vestimenta superflua. *Et in quamcumque domum intraveritis*, hospitii causa, *ibi manete*, ne leviter mutetis hospitium, *& inde ne exeatis*, quamdiu in urbe vel oppido manendum vobis erit ministerii vestri obeundi ratione. *Et quicumque non receperint vos*; si nemo in eo loco ad quem diverteritis, vos recipere, sermonesque vestros audire voluerit, *exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos*; in testimonium contra illos, quia noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis. *Egressi autem*, secundum Christi Jesu mandatum, *circuibant*, *per castella*, *evangelizantes*, prædicantes Evangelium, *& curantes ubique* infirmos. Confer cum *Matthæi* 10. & *Marci* 3.

7. 8. 9. *Audivit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo*, scilicet a Jesu, admirabilia opera, *& hæsitabat*, inter populares de illo opiniones suspenso & ancipiti animo; quamvis in illorum sententiam propendere magis videretur, qui Joannem a mortuis redivivum esse suspicabantur; hæsitabat (inquam) *eo quod diceretur a quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia Propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi*, jussu meo decollatus est Joannes: *Quis est autem ille de quo ego talia audio*, tam stupenda, tam insolita opera; & de quo populus tam varie, sed tam magnifice sentit? An ipse Joannes est? *Et quærebat videre eum*, curiositatis impulsu, ut ex vultu aliisque indiciis agnosceret an Joannes esset. Confer cum *Matthæi* 14. & *Marci* 6.

10. 11. *Et reversi Apostoli*, post octo fere dies, ad Jesum, ut rationem illi redderent ministerii ac prædicationis suæ, *narraverunt illi quæcumque fecerunt. Et assumptis illis secessit in locum desertum, qui est Bethsaidæ*: duxit illos solos in locum incultum & remotum; qui erat in dominio municipum Bethsaidensium. *Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum, & excepit eos* solida benignitate & charitate; *& loquebatur illis de regno Dei*; *& eos qui cura indigebant, sanabat*; spiritualibus & corporalibus eorum necessitatibus consulens; mentes illuminans, curans corpora; Præceptor & Medicus. In eo quippe completum est celebre illud vaticinium; *Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit de interitionibus eorum.* *Psal.* 106. 20.

12. 13. 14. 15. 16. 17. *Dies autem cœperat declinare, & accedentes duodecim* Apostoli, *dixerunt illi*: *Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque, quæ circa sunt*, in pagos circumjacentes, *divertant*, recipiant se in diversoria, *& inveniat escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos*: *Vos date illis manducare*, cibos illis apponite. *At illi dixerunt*: *Non sunt nobis plusquam quinque panes, & duo pisces*, quod ad eorum refectionem non sufficit: *Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas*; quod nobis impossibile est ob inopiam. *Erant autem fere viri quinque millia*, exceptis mulieribus & parvulis, ut S. Matthæus scribit. *Ait autem ad Discipulos suos*: *Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.* Curate ut discumbant super gramen certis ordinibus dispositi, ita ut singulæ convivarum turmæ quinquagenos ut minimum complectantur. In partes enim discubuisse per centenos & quinquagenos S. Matthæus observat. *Et ita fecerunt, & discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit Discipulis suis, ut ponerent ante turbam*, per ordines dispositam & discumbentem. *Et manducaverunt omnes* ex panibus & piscibus Christi benedictione & omnipotenti virtute multiplicatis, *& saturati sunt*. Omnium & singulorum impleta fames, & amor compressus edendi. *Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.* Confer cum *Matthæi* 14. *Marci* 6. & *Joannis* 6.

18. 19.

18. 19. 20. 21. 22. *Et factum est, cum solus esset orans*, cum seorsim oraret Jesus in secessu, *erant cum illo & Discipuli ejus, & interrogavit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ?* Interrogavit eos, non in loco orationis, sed inde egressus, cum in agros Cæsareæ Philippi cum illis iter faceret. Interrogavit autem, non ignorans quod ab illis quæreba, sed ut eorum fidem exploraret, ac divinitatis suæ confessionem ab eis eliceret. *At illi respondentes & dixerunt: Joannem Baptistam* quidam te esse existimant qui revixerit: *alii autem Eliam*, quem iterum venturum credunt ad præparandas Christi vias: *alii vero quia unus Propheta de prioribus surrexit*: alii te unum saltem ex antiquis & insignioribus Prophetis redivivum esse censent. *Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus*, pro omnibus, *dixit: Christum Dei*, Messiam a Deo unctum plenitudine divinitatis in te corporaliter inhabitantis, Patribus nostris promissum, a Prophetis prædictum, tot sæculis exspectatum, verum Dei Filium. *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent*, scilicet ipsum esse Christum, antequam a mortuis resurrexisset: (suam autem divinitatem palam prædicari nolebat antequam pateretur, quia si Judæi cum Dominum gloriæ esse cognovissent, non crucifixissent) *dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari a Senioribus, & Principibus Sacerdotum & Scribis, & tertia die resurgere*. His autem Mysteriis adimpletis opportunum erit tempus omnibus prædicandi me *Christum Dei* esse. Confer cum *Matthæi* 16.

23. 24. 25. 26. *Dicebat autem ad omnes*, qui verbum ejus audiebant, non ad solos Apostolos; *si quis vult post me venire*, discipulus meus esse, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*: nec vitæ commoda, nec vitam ipsam curet, sed paratus sit ad omnes calamitates, res adversas, persecutiones, causa fidei ac pietatis perferendas, quavis occasione data, ceu qui ad crucem portandam compelluntur, cui sunt mox affigendi. Quod in illis cogit necessitas, hoc discipulis meis imperet charitas. Verbum illud, *quotidie*, tametsi in Complutensi Editione, & in nonnullis Codicibus antiquis non legatur, nec in aliis Evangelistis, retinendum tamen est ut Christi verbum, cum Vulgato Interprete Latino, Syro, Arabe, Persa, Æthiope. *Qui enim voluerit animam suam*, id est, vitam *salvam facere*, in præsenti, *perdet illam*, in futuro sæculo. *Nam qui perdiderit animam suam*, seu vitam, & vitæ commoda, *propter me, salvam faciet illam*: in cælo salvam habebit, meliore & æterna vita donabitur. *Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones*, qui pudore, sive opprobriorum metu a mandatorum meorum observantia, & fidei pietatisque constanti professione fuerit deterritus, *hunc Filius hominis erubescet in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum*: hunc ego agnoscere ut meum refugiam, cum venero vivos & mortuos judicaturus, & unicuique secundum opera ejus redditurus. Confer cum *Matthæi* 10. & *Marci* 8.

27. *Dico autem vobis vere: Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei*; Regnum Dei hic vocat specimen gloriæ suæ, regnique imaginem, in Transfiguratione sua, de qua S. Petrus scribit: *Speculatores facti illius magnitudinis*. 2. *Petri* 1. 16.

28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret*, Octo pene diebus post hunc sermonem elapsis, Jesus cum selectis tribus illis Apostolis, qui rerum gerendarum testes, & Mysterii conscii essent, in Montem oraturus ascendit. Agnosco formam loci. *Nam & pristinum populum apud montem & visione & voce sua Creator initiarat. Oportebat in eo suggestu consignari novum Testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat, sub eodem etiam ambitu nubis* (inquit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22.)

Et facta est dum oraret, species vultus ejus altera. Mutatus est vultus ejus, splendore cœlesti coruscans: *& vestitus ejus albus & refulgens* apparuit. *Et ecce duo viri loquebantur cum illio; erant autem Moyses & Elias, visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*. Agebant de ejus passione & morte proxime complenda Hierosolymis. *Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno: & evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros*, Moysen nempe & Eliam, *qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo*, hi felicis æternitatis candidati, *ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse*, hic manere melius est, quam tam cito discedere: *Et faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ*, ut commode hic manere possitis; *nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta est nubes* lucida, *& obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem*, subito pavore sunt correpti, cum se nube circumdatos viderunt. Hic Græci Textus sensus est, necnon Arabicæ & Æthiopicæ Versionis. Vulgatus vero Interpres Latinus videtur hunc locum sic accepisse, ut timuerint Apostoli Moyse & Elia in nubem intrantibus. Sic etiam intellexit Syrus: *Et timuerunt cum vidissent Moysen & Eliam ingressos nubem*. Sic intellexit Persa: *Cumque ivderent, timuerunt; Moyses autem & Elias in nubem nigressi sunt*. Pergit Evangelista noster: *Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox*, dum ex nube erumperet, *inventus est Jesus solus*: ne alium designasse Deus crederetur; *& ipsis tacuerunt*, jubente Jesu; *& nemini dixerunt in illis diebus*, quandiu scilicet mortalem cum illis vitam egit, *quidquam ex his quæ viderant*. Hunc locum Tertullianus urget contra Marcionem, qui Christum Jesum Creatoris filium esse negabat, & Prophetis ac Legi contrarium asserebat. „ Et hoc, *inquit*, vel maxime eru- *Tertull. lib.*
„ bescere debuisti, quod illum cum Moyse & Elia in se- *4. contra*
„ cessu montis conspici pateris, quorum destructor ad- *Marcion. c.*
„ venerat. Hoc scilicet intelligi voluit vox illa de cœlo: *20.*
„ *Hic est Filius meus dilectus, hunc audite*: Id est, non
„ Moysen jam & Eliam. Ergo sufficiebat vox sola sine
„ ostentatione Moysi & Eliæ. Definiendo enim quem au-
„ dirent, quoscumque alios vetuisset audiri. Aut numquid
„ Isaiam & Jeremiam, ceterosque quos non ostendit, per-
„ misit audiri, si vetuit quos ostendit? Nunc etsi præ-
„ sentia illorum fuit necessaria, non utique in colloquio
„ ostenderentur, quod familiaritatis indicium est; nec
„ in consortio claritatis, quod dignationis & gratiæ
„ exemplum est: sed in sordibus aliquibus, quod destru-
„ ctionis argumentum est, immo in tenebris Creatoris,
„ quibus discutiendis erat missus: longe etiam discreti a
„ claritate Christi, qui voces & litteras ipsas eorum ab
„ Evangelio suo erat separaturus... Sed quid tam Chri-
„ stus Creatoris, quam secum ostendere Prædicatores
„ suos: cum illis videri, quibus in revelationibus erat
„ visus: cum illis loqui qui eum fuerant locuti: cum il-
„ lis gloriam suam communicare, a quibus Dominus glo-
„ riæ nuncupabatur: cum principalibus suis, quorum al-
„ ter populi informator aliquando, alter reformator quan-
„ doque; alter initiator Veteris Testamenti, alter con-
„ summator Novi? Confer cum *Matthæi* 17. & *Marci* 9. "

37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de Monte*, ubi transfiguratus fuerat, *occurrit illis turba*, quæ illos descendentes a longe conspexerat. *Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum*, ejusque miserere, *quia unicus est mihi*; & ideo vexatio ejus mihi molestior est, quia persona mihi carior. *Et ecce spiritus* malus seu dæmonium *apprehendit*, arripit *eum, & subito clamat*, vi doloris horrendum ejulatum exprimente, *& elidit*, seu prosternit, *& dissipat eum cum spuma*, spumantis membra jactat, *& vix discedit dilanians eum*. Et vix ab eo discedit dæmonium, postquam ipsum adegit ad caput ceteraque membra atterenda & dilanianda convulsionum horrendarum motibus. *Et rogavi Discipulos tuos ut ejicerent illum*, spiritum illum malum, *& non potuerunt. Respondens autem Jesus, dixit*, patrem pueri ob fidei imbecillitatem, Judæos præsentes ob incredulitatem & perversitatem increpans, qua se miraculis novis indignos præbebant, cum jam editis ab illo non adducerentur ad fidem: *O generatio infidelis & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos?* Se Filium Creatoris hac increpatione demonstrat: illis enim incredulitatem hoc modo non exprobraret, *si non olim apud illos in Lege, in Prophetis, in virtutibus & beneficiis diversatus, incredulos semper fuisset expertus*, (ait Tertullianus) Converso vero ad patrem pueri sermone, ait Jesus: *Adduc huc filium tuum. Et cum accederet* puer infelix, *elisit illum dæmonium, & dissipavit* Prostratum horrendis convulsionibus agitavit. *Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus*. Confer cum *Matthæi* 17. & *Marci* 9. *Lib. 4. contra Marcion. c. 23.*

44. 45. *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei*, cujus omnipotentiam hoc miraculum demonstrabat. *Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat*, cum Discipuli ejus, & populus pariter mirarentur divina ejus opera, *dixit ad Discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos*: Ad id quod vobis jam dicturus sum attendite, nec auribus solum audite, sed corde retinete: *Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum*. Ego, cujus potestatem omnes admirantur, tradar in manus hominum impiorum, qui me omni injuriarum genere, ac morte demum turpissima afficient. *At illi ignorabant verbum illud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud*, ut non caperent; *& timebant eum interrogare de hoc verbo*.

46. 47. 48. *Intravit autem cogitatio in eos*, animos eorum subiit cogitatio, quæ in contentionem etiam erupit, cum revertentur Capharnaum, *quis eorum major esset* futurus in regno Christi. *At Jesus videns cogitationes cordis illorum*, quod divinitatis ipsius invictum argumentum est, *apprehendit puerum*, obvium puerum advocavit, & complexus est, *& statuit illum secus se*, juxta se posuit: *& ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit*: Qui susceperit huic parvulo similes, ab omni ambitione alienos, simplices, humiles, mansue-

tos,

tos; propter me, hic me recipit, id ſcilicet officium mihi præſtitum reputo: *& quicumque me receperit, recipit eum qui me miſit*, Deum ſcilicet Patrem meum: *Nam qui minor eſt inter vos omnes*, qui humilior; qui ſe omnibus inferiorem exiſtimat, & infra omnes demittit, *hic major eſt*, in regno cœlorum. Confer cum *Matthæi* 18. & *Marci* 9.

49. 50. *Reſpondens autem Joannes, dixit*: interpellavit eum Joannes dicens: *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo*, virtute nominis tui *ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur* te *nobiſcum*, non eſt e diſcipulorum tuorum numero. *Et ait ad illum Jeſus*: *Nolite prohibere* illum: *Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt*. Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani, (inquit Sanctus Auguſtinus Lib. Quæſt. 83. quæſt. 79.) Magi per privatos contractus, boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ. Nec mirum eſt quod hæc ſigna valent cum ab eis adhibentur, quando etiam cum uſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille de quo Diſcipuli Domino nuntiaverunt quod in nomine ejus ejiceret dæmonia, quamvis cum eis non ſequeretur.

51. 52. 53. 54. 55. 56. *Factum eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis ejus*, cum immineret tempus quo e mundo per mortem migraturus, & in cœlum per glorioſam Aſcenſionem recipiendus erat, *& ipſe faciem ſuam firmavit ut iret in Jeruſalem*: firmiter ſibi propoſuit ire Jeroſolymam, ubi pati & mori debebat, idque ſibi ſtatutum ac definitum eſſe toto exteriori habitu ac geſtu præ ſe tulit. *Et miſit nuntios ante conſpectum ſuum*, aliquos ex Diſcipulis, qui adventum ejus nuntiarent: *& euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi* diverſorium. Civitas hæc Samaria mihi intelligenda videretur, niſi Græcus Textus haberet, εἰ κώμην, id eſt, in vicum Samaritanorum. *Et non receperunt eum*, negaverunt illi hoſpitium, *quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem*, præ ſe ferebat ſpeciem euntis Jeroſolymam; illuc ipſum cum Diſcipulis proficiſci adorationis cauſa, imminente Paſchate, manifeſtum erat. Ideo illi hoſpitium negarunt. In Monte enim Samariæ, non in Templo Hieroſolymitano adorandum eſſe Deum, illique offerenda ſacrificia Samaritani cenſebant: & hoc præcipuum erat controverſiæ caput Samaritanos inter & Judæos. Quamobrem Judæos turmatim euntes Hieroſolymam religionis ergo, excipere hoſpitio nolebant, ut colligitur ex Joſepho. *Cum vidiſſent ergo Diſcipuli ejus Jacobus & Joannes*, Magiſtrum ſuum a Samaritanis repelli, *dixerunt*: *Domine, vis dicamus*, jubeamus auctoritate & virtute nominis tui, *ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Quemadmodum olim e cœlo deſcendere juſſus eſt ab Elia Propheta, ut duos quinquagenarii agminis Duces cum eorum Militibus conſumeret. *Et converſus* JESUS, *increpavit illos dicens*: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis*; ad quem ſpiritum pertineatis, & a me vocati ſitis, nempe ad ſpiritum Evangelii; charitatis, non ultionis. Vel, neſcitis quo agamini ſpiritu: Non enim zelo juſtitiæ, ut Elias, non divina motione; ſed privato affectu, iræ & ultionis impulſu, cogitatis de igne in Samaritanos excitando. *Filius hominis non venit animas*, homines, *perdere, ſed ſalvare. Et abierunt in aliud caſtellum*.

Joſeph. lib. 20. Antiquit. c. 5. & lib. de bello Judaico c. 20.

Hunc locum S. Lucæ egregie tractat S. Hieronymus Epiſtola 51. ad Algaſiam, Quæſtione 5. *Feſtinus Dominus pergere Jeruſalem*, (inquit) *ut complerentur dies aſſumptionis ejus, & Paſcha celebraret, de quo dixerat*: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha comedere vobiſcum antequam patiar, *& biberet calicem de quo ait*: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? *omnemque doctrinam ſuam patibulo roboraret, juxta illud quod ſcriptum eſt*: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum; *obfirmavit faciem ſuam ut iret in Jeruſalem. Obfirmatione enim & fortitudine opus eſt ad paſſionem ſponte properanti*. Et miſit nuntios ante faciem ſuam: cumque ingreſſi eſſent vicum Samariæ, ut præpararent illi, non ſuſceperunt illum, quia facies ejus erat vadens in Jeruſalem. „ Hoſtili inter ſe Samaritani atque Judæi diſcor- „ dant odio: & cum omnes oderint Gentes, proprio con- „ tra ſe furore bacchantur, dum utrique de Legis poſ- „ ſeſſione contendunt, & in tantum ſe mutuo perſequ- „ untur, ut poſtquam Judæi de Babylonia ſunt reverſi, „ ædificationem Templi Samaritani ſemper impedirent. „ Cumque vellent & ipſi cum eis ædificare Templum, „ reſponderunt Judæi: *Non licet nobis & vobis ædifi-* „ *care Domum Domini*. Denique pro ſumma injuria Phari- „ ſæi exprobrabant Domino: *Nonne dæmonium habes*, „ *& Samaritanus es?* Et in Parabola de Jeruſalem de- „ ſcendentis Jericho, Samaritanus pro ſigno atque mira- „ culo, quod malus benefecerit: & ad puteum Samari- „ tanæ ſcriptum eſt: *Non enim coutuntur Samaritani Ju-* „ *dæis*. Videntes ergo Samaritæ Dominum Jeruſalem „ pergere, id eſt ad hoſtes ſuos, quod audierant a Di- „ ſcipulis ejus, qui ad parandum hoſpitium venerant, „ Judæum eſſe cognoſcunt, & quaſi Judæum atque alie- „ num, & eum qui ad inimicos pergeret, ſuſcipere no- „ luerunt. Quamquam & alia nobis ſubjiciatur intelli- „ gentia, quod voluntatis Domini fuerit non ſuſcipi a „ Samaritis, quia feſtinabat ire in Jeruſalem, ibique pa- „ ti & ſanguinem fundere; ne occupatus ſuſceptione Sa- „ maritica, & doctrina gentis illius, Paſſionis differret „ diem ad quam venerat ſuſtinendam. Unde dicit & in „ alio loco: *Non veni niſi ad oves perditas domus Iſra-* „ *el*. Et Apoſtolis præcepit: *Civitates Samaritanorum* Mat. 15. 10. „ *non intrabitis*: volens tollere omnem occaſionem per- „ ſecutionis Judaicæ, ne poſtea dicerent, Crucifiximus „ eum, quia ſe inimicis noſtris & hoſtibus junxerat. Fa- „ cies igitur ejus erat pergentis Jeruſalem: & idcirco „ juxta aliam intelligentiam, non receperunt eum Sama- „ ritæ, quia feſtinabat ingredi Jeruſalem. Ut autem „ eum non reciperent, fuit Dominicæ voluntatis. Deni- „ que Apoſtoli in Lege verſati, in qua tantum juſtitiam *Levit.* 24. „ noverant, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, ulciſci *Deuter.* 19. „ nituntur injuriam, & imitari Eliam, ad cujus vocem „ duos Pentecontarchos militum ignis abſumpſerat: dicunt- „ que ad Dominum: *Vis dicimus ut ignis deſcendat de* „ *cœlo, & conſumat eos?* Pulchre, *vis*, inquiunt, *dici-* „ *mus?* Nam & Elias dixerat: *Si homo Dei ſum, ignis* „ *de cœlo deſcendat ſuper vos*. Ergo ut Apoſtolorum ſer- „ mo efficientiam habeat, voluntatis eſt Domini. Niſi „ enim ille juſſerit, fruſtra dicunt Apoſtoli, *Ut ignis de-* „ *ſcendat ſuper eos:* & quodammodo verbis aliis hoc lo- „ quuntur: Si ad ſervi Eliæ injuriam ignis deſcendit de „ cœlo, & non Samaritas, ſed Judæos conſumpſit incen- „ dium: quantò magis ad contemptum Filii Dei, in im- „ pios Samaritas debet flamma ſævire? E regione Domi- „ nus, qui non ad judicandum venerat, ſed ad ſalvan- „ dum; non in poteſtate, ſed in humilitate; non in Pa- „ tris gloria, ſed in hominis vilitate, increpat eos quod „ non meminerint doctrinæ ſuæ, & bonitatis Evangeli- „ cæ, in qua dixerat: *QUI* te percuſſerit in maxillam, „ præbe ei & alteram. Et *DILIGITE* inimicos veſtros. “

Eumdem locum paucis contra Marcionem Tertullianus urget: „ Repræſentat Creator ignium plagam Elia po- „ ſtulante . . . Agnoſco judicis ſeveritatem; e contrario „ Chriſti lenitatem increpantis eamdem animadverſionem „ deſtinantes Diſcipulos ſuper illum viculum Samarita- „ norum. Agnoſcat & Hæreticus ab eodem ſeveriſſimo „ judice promitti hanc Chriſti lenitatem. *NON* conten- *Iſai.* 42. „ det, inquit, nec vox ejus in platea audietur. Arun- „ dinem quaſſatam non comminuet, & linum fumigans „ non extinguet. Talis utique multo magis homines non „ erat crematurus. Nam & tunc ad Eliam: *NON* in 3. *Reg.* 19. „ igne (inquit) Dominus, ſed in ſpiritu miti. “

57. 58. 59. 60. 61. 62. *Factum eſt autem ambulantibus illis in via*, quodam tempore, Jeſu cum diſcipulis iter agente, *dixit quidam*, Legiſperitus, *ad illum: Sequar te quocumque iteris. Dixit illi Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Ego vero non habeo proprium certumque domicilium aut cubile ubi caput reclinem; ſummam paupertatem profiteor: fruſtra igitur quæſtus & temporalium commodorum cauſa me ſequi optas. *Ait autem ad alterum: Sequere me: ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & ſepelire Patrem meum*; cum Patre meo manere, illiuſque curam gerere, donec vixerit; & cum ei juſta perſolvero, tunc te ſequar. *Dixitque ei Jeſus: Sine ut mortui*, viri ſæculi, qui viventes mortui ſunt, *ſepeliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei*. Miniſterio enim Evangelico, & Chriſtianæ pietati, omnis poſtponendus eſt carnalis affectus. *Et ait alter: Sequar te, Domine, ſed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi ſunt*, de rebus meis diſponere, domeſticis ſaltem meis valedicere. De perſonis enim potius quam de rebus id intelligendum vis verbi Græci, Verſioneſque Syriaca & Arabica docent: *Ait ad illum Jeſus: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Similitudo eſt ab agricultura ſumpta. Sicut enim arator debet non ſolum manum admovere ſtivæ, ſed & oculos in anteriora intentos habere, alioquin vel opus arandi intermittit, vel infructuoſe laborat, ſulcos ducens nec rectos, nec profundos: ſic qui Miniſterio Evangelico, aut Chriſtianæ pietatis profeſſioni ſe devovet, obliviſci debet quæ retro ſunt, & ad anteriora intendere, memor uxoris Loth, quæ Sodomam verſus oculos convertens, non impune tulit, ſed in ſtatuam ſalis converſa eſt. Ex hoc loco probat Tertullianus contra Marcionem, Chriſtum omnino conſentire Creatori. „ At enim *Lib. 4. cont. Marcion. c.* „ humaniſſimus Deus, cur recuſat eum, qui ſe tam in- 23. „ dividuum illi comitem offert? Si quia ſuperbe ex hypo- „ criſi dixerat, *Sequar te quocumque ieris*; ergo aut „ ſuperbiam aut hypocriſim recuſandam judicando, judi- „ cem geſſit. Et utique damnavit quem recuſavit, non „ conſecuturum ſcilicet ſalutem. Nam ſicut ad ſalutem „ vocat, quem non recuſat, vel etiam quem ultro vocat; „ ità in perditionem damnat quem recuſat. Illi autem „ cauſato patris ſepulturam, cum reſpondet, *Sine, mor-* „ *tui ſepeliant mortuos ſuos. Tu autem vade, & an-* „ *nuntia*

1. Eſdræ 4.

Joann. 8. *Luc.* 10.

Philipp. 3. 14.

3. Reg. 19.

Levit. 20. „ *nuntia regnum Dei*, utramque legem Creatoris mani-
„ festè confirmavit, & de Sacerdotio in Levitico prohi-
„ bentem Sacerdotes supremis etiam parentum interesse;
„ *Super omnem*, inquit, *animam defunctam Sacerdos non*
Num. 6. „ *introibit, & super parentem suum non contaminabitur*:
„ Et de devotione in Arithmis: nam & illic qui se
„ Deo voverit, inter cetera jubet, ne super ullam ani-
„ mam introeat defunctam, ne super patris quidem aut
„ matris, aut fratris. Puto autem & devotioni & Sa-
„ cerdotio destinabat, quem prædicando regno Dei im-
„ buerat. Aut si non ita est, satis impius pronuntian-
„ dus, qui nulla ratione Legis intercedente sepulturas
„ parentum despici a filiis imperabat. Cum vero & ter-
„ tium illum prius suis valedicere petentem, prohibet
„ retro respectare, sectam Creatoris exequitur: Hoc &
„ ille noluerat fecisse quos ex Sodomis liberarat. " Confer cum *Matth.* 8.

SENSUS MORALIS.

1. 2. 3. 4. 5. *Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei . . . Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, &c.* Functiones Apostolicas, & Evangelicum Ministerium exercere nemo debet, 1. Sine Dei vocatione vel ordinaria, vel extraordinaria. 2. Sine Hierarchica potestate. 3. Sine Missione. 4. Sine instructione & doctrina. Missio extraordinaria Miraculis probatur. Operarii Evangelici in id unum intenti sint: 1. Ut prædicent regnum Dei, pœnitentiam, quæ regni cœlestis clavis est. 2. Ut omnes animarum languores & infirmitates verbo Dei, Ecclesiasticæ Disciplinæ saluberrimis medicamentis, Sacramentorum Christi opportuna & fideli dispensatione curent. 3. Ut omnia dæmonia ejiciant, omne vitiorum genus exterminent, omnia scandala eliminent, pravis omnibus consuetudinibus, occasionibus universis, quibus ad peccatum proxime pelliciuntur & trahuntur homines, bellum indicant. 4. Ut sacrum ministerium non exerceant quæstus gratia, ab omni cupiditate & ambitione alieni sint; ab omni rerum terrenarum sollicitudine liberi, ut exemplo non minus quam verbo prædicent. *Nihil tuleritis in via, &c.* Rerum etiam corpori necessariarum sollicitudinem abjiciant, qui a superfluorum amore & cupiditate abstrahere debent auditores. Arcta est via, exoneremus nos: angusta est porta, humiliemus nos: & aliis exemplum sese exonerandi & humiliandi præbeamus, ut expeditius currant in via salutis. Sequi enim non possumus onerati Eum qui exultavit ut gigas ad currendam viam. 5. Ne per domos circumcurrent operarii Evangelici, ditiorum mensas quærentes, & omnia vitæ commoda, sed vitæ austeritate, & paupertatis amore sese diligendos pauperibus, venerandos divitibus exhibeant. 6. A publicis peccatoribus, qui sanam doctrinam non recipiunt, qui scandalo sunt Ecclesiæ, qui Pastores persequuntur; nec pœnitentiam agere volunt, nihil recipiant Operarii Evangelici, ad eorum domos non divertant; cum ipsis non manducent, nisi scandalum amoverint. *Etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.* Vitent præsertim hæreticos & impios, si Catholicæ fidei prædicationem & institutionem pertinaciter respuant, si res divinas contemnant & irrideant, si nulla spes probabilis sit conversionis illorum. „ Nam sicut corporeas
S. Ambros. lib. 6. in Luc. n. 68. „ infirmitates Populi fidelis suscipere in se debet Evan-
„ gelii Prædicator, & tamquam propriis inania gesta
„ pulveri comparanda allevare atque abolere vestigiis,
„ juxta quod scriptum est: *Quis infirmatur & ergo non*
„ *infirmor?* Ita si qua est Ecclesia, *vel familia seu per-*
„ *sona*, quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis
„ fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit
1. Cor. 11. 29. „ aspergere, deserenda est. Quod Apostolus quoque evi-
„ denter asseruit, dicens: Hæreticum hominem post unam
„ & secundam correptionem devita. " 7. Qui prædicatio-
Tit. 3. 10. nis talentum a Christo acceperunt, majores civitates, insigniores Ecclesias, nobiliora auditoria quærere non debent ut nomen sibi faciant, sed oppida & pagos etiam circumire, ut pauperibus Dei verbum annuncient, apud quos fructum refert ampliorem. *Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubique.*

16. 17. *Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & dabat discipulis suis, ut ponerent ante turbas, & manducaverunt omnes, & saturati sunt, &c.* Summi Pastores, scilicet Episcopi, oves sibi commissas magna benignitate & charitate excipere debent, facilem omnibus aditum præbere, qui ipsos quærunt, eorum consilium, solatium, auxilium, in spiritalibus & temporalibus necessitatibus imploraturi, absque personarum acceptione: *Et excepit eos.* 2. Omnes ad amorem Dei, virtutumque ceterarum officia adhortari, ad spem & desiderium cœlestium bonorum, ad rerum terrenarum contemptum accendere: *Et loquebatur illis de regno Dei.* 3. Illorum Animabus curandis omnem operam adhibere: *Et eos qui cura indigebant, sanabat.* 4. Verbi cœlestis alimoniam per se illis ministrare. *Vos date illis manducare.* 5. Scripturas Sacras & SS. Patrum opera accipere, legere, meditari: *Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus.* 6. In rerum cœlestium, divinarumque contemplatione sæpe versari: *Respexit in cœlum.* 7. Oratione assidua & sanctis operibus, Dei benedictionem in populum suo regimini commissum advocare: *Et benedixit illis.* 8. Doctrinæ Christianæ, verbi divini panem frangere turbis per convivia discumbentibus, singulas Diœcesis suæ Parochias canonica Visitatione lustrare, ubique prædicare, & ad captum Christianæ plebis accommodare sermonem: *Et fregit.* 9. Quod per se ipsum facere non possunt, per sanctos & eruditos Sacerdotes & Missionarios exequi: *Et distribuit Discipulis suis ut apponerent turbæ.* 10. Ordinem & Disciplinam Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum servare; ut Corpus Christi non ægris, sed sanis distribuatur, & iis qui Christum sequi amant, & esuriunt justitiam in hujus vitæ deserto. *Nemo enim Cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus.* 11. Pauperes pascant & reficiant corporalibus etiam alimentis. Ecclesiasticos enim reditus ideo possident Episcopi, Abbates, Priores, Canonici, Parochiarum Rectores, ut pauperes alant. Bonorum Ecclesiasticorum dispensatores sunt, non domini. *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Bona Ecclesiæ sunt *oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Ex illis ergo cum frugalem victum & vestimentum acceperint Pastores, & Beneficiati quilibet, quod reliquum est pauperibus dispensent. *Vos date illis manducare.* Sed forte major est pauperum numerus, quam ut subvenire omnibus possit pius Pastor: *Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.* Animum non despondeat, faciat quod potest, Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. In divina providentia confidat, divites hortetur me communionis & beneficentiæ obliviscantur, quibus hostiis promerentur Deum, pauperes ut Deo fideliter serviant, & regnum ejus imprimis quærant, & certi quod inquirentes eum, illiusque mandata servantes non deficient omni bono. *S. Ambros. lib. 6. in Luc. numer. 70.* *Julianus Pomerius Concilia.*

Verum etsi justis quandoque cibus corporalis deficiat; nemini tamen deficit cibus spiritualis, nisi ejus vitio. Miseretur Dominus ne quis deficiat in via. „ Si quis
S. Ambros. lib. 6. in Luc. n. 74. 75. 76. 77. „ ergo defecerit, non per Dominum Jesum, sed per se
„ deficit: nec habes quod adscribas Domino qui vincit
„ cum judicatur. Quid enim dicas ei qui in te contulit
„ omnia firmamenta virtutis? Nonne ipse te genuit,
„ nonne ipse te pavit? Cibus ejus virtus est, cibus ejus
„ fortitudo est: sed si tu negligentia tua virtutem quam
„ acceperas perdidisti, non alimentorum cœlestium, sed
„ tuæ mentis tibi præsidia defuerunt. Denique Domi-
3. Reg. 19. 8. „ nus sicuti super justos, & injustos pluit: ita etiam
„ injustos pascit & justos. Nonne in escæ virtute, cum
„ jam deficeret in via sanctus Elias, quadraginta ambulavit diebus & quadraginta noctibus, & illam escam
„ Angelus dedit? Si autem te paverit Jesus, & accepta escam servaveris, ambulabis non quadraginta
„ diebus & quadraginta noctibus, (sed audeo dicere
„ Scripturæ fretus exemplis) quadraginta annis: & e-
„ gredieris ab Ægyptiis finibus, donec pervenias in ter-
„ ram fluentem lac & mel, quam juravit Dominus da-
„ turum se Patribus nostris. Hujus terræ tibi virtus requirenda est, quam possidet mitis. Non istam terram
„ dico quæ arida est, sed illam quæ Christi confirma-
„ tur alimentis, quæ sub imperio constituta Regis æ-
„ terni, Sanctorum incolatibus frequentatur. Dividit
„ ergo escas Dominus Jesus. Et ille quidem vult dare
„ omnibus, negat nemini, dispensator est enim om-
„ nium: sed cum ille panes frangat: & det discipulis,
„ si tu manus non extendas tuas, ut accipias tibi es-
„ cas, deficies in via: nec poteris in eum culpam
„ tuam referre, qui miseretur & dividit; sed his divi-
„ dit qui cum eo etiam in deserto permanent, qui pri-
„ mo, & secundo & tertio die non recedunt. Sic enim *Matth.* 15.
„ habes alibi: *Misereor hujus turbæ; quia triduum est* 31.
„ *jam quod perseverant mecum.* Quanta dignatio, quan-
„ ta ab eo hominibus inspiratur humanitas! non vult
„ jejunos dimittere, non vult, ne deficiant in via. No-
„ li ergo deficere a disciplina Domini, neque fatigeris
„ cum ab eo increparis. Non fatigeris nunc, ne postea
„ fatigeris. Quid enim respondebis ei, aut quomodo te
„ excusabis, si escæ virtutem quam ministrat, amiseris?
„ Non potes dicere quia escam non dedit, quia dat
„ omnibus. Non potes dicere quia bonum te noluit fa-
„ cere, ante quem posuit bonum & malum, ut non ex
„ necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium . . . .
„ Consideremus ergo quia stabimus ante tribunal Chri-
„ sti, & si opus nostrum arserit, non habebimus quod
„ excusare possimus. Dicet etenim quod jam per Pro-
„ phetam locutus est: *Populus meus quid feci tibi, aut*
„ *in quo molestus fui tibi responde mihi*: Dicet & ei qui *Mich.* 6. 3.
„ in via defecerit: Qua ratione defeciisti in via? Nonne
„ panes fregi? nonne benedixi? nonne jussi dari? Sed
„ cur tu accipere noluisti? "

18. 19. *Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt* S. Ambros. lib. 6. in Luc. n. 93. & 94. *& dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam... Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.* Turbarum errores de Christo ostendunt fidem esse donum Dei, pro quo gratias illi agere debemus omnibus diebus vitæ nostræ. „ Cur autem Jesum Eliam opinabantur? Forte quia Elias raptus ad „ cœlum est. Sed non Elias est Christus: ille rapitur, „ iste regreditur: ille, inquam, rapitur; iste rapinam non „ arbitratus est esse se æqualem Deo: ille petitis ignibus „ vindicatur, hic persecutores suos maluit sanare, quam „ perdere. Cur autem Jeremiam putabant? Fortasse quia „ sanctificatus in vulva est. Sed non hic Jeremias: ille „ sanctificatur, iste sanctificat: illius sanctificatio cœpit „ ex corpore, hic Sanctus ex Sancto. Cur etiam Joannem „ populus putabat; nisi forte quia in Matris utero positus, Domini præsentiam sentiebat? Sed non hic est „ Joannes: ille adorabat in utero, hic adorabatur: ille „ baptizabat in aqua, Christus in Spiritu: ille pœnitentiam suadebat, hic peccata donabat. Et ideo Petrus „ non exspectavit populi sententiam, sed suam promisit „ dicens, *Christum Dei*: qui & semper est, nec cœpit „ ut esset, & esse non deficit. In uno hoc nomine & „ Divinitatis & Incarnationis expressio, & fides Passionis est.“

S. Ambros. ibid. n. 101. 194. 197. 21. 22. *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati*, &c. Multis ex causis jubet tacere discipulos. 1. Ut fallat Principem mundi. 2. Ut declinet jactantiam, doceat humilitatem. 3. Ne rudes & imperfecti adhuc Discipuli maximæ prædicationis molibus opprimantur. Non statim prædicandus est Gentibus Christus Dei Filius, sed primum ipsis prædicandus est unus Deus, mundi & omnium quæ in eo sunt conditor, gubernator & Dominus, in quo vivimus & sumus & movemur, cujus & genus sumus; ut non solum propter munera lucis & vitæ, verum etiam propter cognationem quamdam generis diligendus a nobis sit. Deinde opinionem illam, quæ est de idolis, destruamus; ut non possit auri argentique vel ligni materia vim in se habere divinam. Cum unum Deum esse persuaseris, tunc indicio ejus adstrues per Christum nobis salutem daram; incipiens ab illis quæ gessit in corpore, & ea divina describens, ut plusquam homo fuisse videatur, victam unius virtute mortem, mortuumque ab inferis suscitatum; paulatim enim fides crescit, ut cum supra homines fuisse videatur, Deus esse credatur. Hunc prædicationis ordinem servavit Paulus apud Athenienses. Ceterum, Christus prædicandus est catechumenis, & quidem crucifixus, nec ab baptismum admittendi sunt sine fide expressa Incarnationis & Passionis Christi, &c. ut docet ibidem S. Ambrosius: quod Operariis Evangelicis ad Sinas, Japonios, aliosque Gentiles missis observandum omnino, nisi se ab Apostolica doctrina alienos haberi velint. Hic ergo *prohibentur*, Apostoli Jesum *evangelizare Dei Filium, ut evangelizarent postea crucifixum.* Quia oportet Filium hominis multa pati, &c. *Hæc est fidei gloria, si vere intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi utilis est, & vere utilis*, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum: scio quia præterit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumit hunc mundum, quasi fœtidum vito, quasi luem caveo, quasi nociturum relinquo.* Galat. 6. 41.

23. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* In omnibus Christi membris implere necesse est Passionis ejus Mysterium. Cum ipso crucifigi oportet, qui cum ipso resurgere; cum illo mori, qui cum ipso vivere æternum volunt. Veteris hominis actibus renunciandum, cum pravis cupiditatibus pugnandum est, caro crucifigenda cum vitiis & concupiscentiis per continuam pœnitentiam. Christi mandatum est, non merum consilium; non perfectos dumtaxat, sed omnes omnino Christianos spectat, sine dispensatione; omnes vitæ dies sine exceptione. *Dicebat ad omnes ..... quotidie.* Qui quotidie sunt in deliciis, viventes mortui sunt, a Christo alieni sunt. Caro regenerati, corpus est crucifixi.

24. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Omnes beati esse, & in æternum vivere cupiunt: sed alii vitam æternam & beatam cruce & mortificationibus hujus vitæ quasi momentaneis redimunt: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Alii transitoriam & quasi momentaneam felicitatem numquam finiendis cruciatibus & æterna morte sibi procurant. An illi se ipsos vere amare censendi sunt? „ Nescio quo inexplicabili „ modo, quisquis se ipsum, non Deum amat, non se „ amat & quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se „ amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur uti„ que amando se. Non ergo se amat, qui ne vivat se „ amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non se „ diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, „ ut cum diligat de quo vivit.“ 2. Cor. 4. 17. S. Augusti. Tract. 125. in Joann.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam &c. „ Certe Filius hominis hanc sententiam emi„ sit. Perspice igitur & tu cum Rege Babylonio fornacem ejus ardentem, & invenies illic tamquam Filium „ hominis (nondum enim vere erat, nondum scilicet natus ex homine) jam tunc istos exitus constituentem. „ Salvas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo „ perdere conspiraverant; Chaldæorum vero perdidit, „ quas illi per idololatriam salvas facere maluerant. „ Quæ est ista nova doctrina, cujus vetera documenta „ sunt? Quamquam & prædicationes martyriorum tam „ futurorum, quam a Deo mercedem relaturorum de„ currerunt. *Vide*, inquit Isaias, *Quomodo perit justus, & nemo excipit corde, & viri justi auferuntur, & nemo „ considerat.* Quando magis hoc fit quam in persecutio„ ne Sanctorum ejus? Utique non simplex, nec de natu„ ræ lege communis, sed illa insignis & pro fide militaris; in qua qui animam suam propter Deum perdit, „ servat illam; ut & hic tamen judicem adcognoscas, „ qui malum animæ lucrum perditione ejus, malum ani„ mæ detrimentum salute ejus est remuneraturus.“ Tertull. lib. 4. cont Marcion. cap. 21. Isai. 57. 1.

26. *Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* „ Id Dominus noster Jesus Christus merito pronuntiavit, „ Minoratus a Patre modico citra Angelos: Vermis, & „ non homo; ignominia hominis, & nullificamen popu„ li, quatenus ita voluit ut livore ejus sanaremus, ut de„ decore ejus salus nostra constaret. Et merito se pro suo „ homine depositi, pro imagine & similitudine sua, non „ aliena: Ut quoniam homo non erubuerat lapidem & „ lignum adorare, eadem constantia non confusus de „ Christo, pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret „ per impudentiam fidei.“

27. 28. *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum & Joannem, & ascendit in montem ut oraret.* Semper Dominus sicut ad præmia erigit futura virtutum; atque utilem sæcularium rerum docet esse contemptum: ita etiam infirmitatem mentis humanæ præsentium remuneratione sustentat. Arduum quippe est crucem tollere, & animam periculis, morti corpus offerre: negare quod sis, cum velis esse: quod non sis, raroque quamvis excelsa virtus, futuris præsentia commutat. *Difficile quippe videtur hominibus, ut spem periculis emant: damnoque præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis.* Ideo Christus, ne quis desperatione frangatur aut tædio, quoniam vitæ dulcis illecebra constantem quoque mulcet affectum, continuos vivendi successus fidelibus pollicetur. Non habes igitur quod quæraris, non habes quod excuses: „ Arbiter „ omnium dedit & virtuti præmium, & infirmitati re„ medium; ut præsentibus sustineatur infirmitas, virtus „ futuris. Si fortis es, contemne mortem: si imbecillis „ es fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitam „ sequatur. Vita tua Christus est, ipsa est vita quæ mori „ nescit.“ Itaque si volumus mortem non timere, stemus ubi Christus est; ut & de nobis dicat: *Vere sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem.* Non satis est stare, nisi ubi Christus est, stetur; soli enim non queunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo. Tertull. ibidem.

29. *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera*, &c. Ut Christi Mysteria recte cognoscantur, in montem cum illo ascendendum est, a terrenis rebus assurgendum, in secessu ferventer orandum est; gratiæ ipsius beneficium est, ut cum illo ascendat cor nostrum in montem sanctum, ut ibi orando mutetur homo interior & veluti transfiguretur, ut exerius etiam in mortificatione sensuum, in simplicitate & modestia, in conversationis candore, in morum innocentia, transfigurationis spiritualis vestigia appareant: *Et vestitus ejus albus & refulgens.* In oratione & Filii Dei majestatem, & excessum amoris ejus, quo mortem crucis pro nobis subire non dubitavit, oculis fidei considerantes, & cum illo intrantes in nubem, transformamur in eamdem imaginem, tamquam a Domini Spiritu & Christum crucifixum velut fasciculum myrrhæ in sinu nostro gerentes, ad ejusdem contemplationem in gloria ascendimus, ut incomparabili suavitate perfusi, & corde corporeque nostro in Deum vivum exultantibus, dicamus cum Petro: *Præceptor, bonum est nos hic esse.* Dei vocem de nube, de fidei umbra lucem obscuritati admixtam habente, in oratione audimus, dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Audite, non Moysem jam & Eliam, sed Filium meum dilectum, novæ Legis, Gratiæque auctorem, revelatorem ac Doctorem veritatis; immo Veritatem ipsam; fidei vestræ consummatorem. Multis modis vobis loquentem in Evangelio suo, per Ecclesiam suam, per servos suos Novi Testamenti Ministros, Pastores vestros; vita sua, morte, mysteriis omnibus, arcanis inspirationibus vobis loquentem. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Illum unum intueamur in exemplar nostrum, ut Legislatorem nostrum, ut Sacerdotem S. Ambros. lib. 7. in Luc. n. 1.

nostrum,

noſtrum, ut Magiſtrum noſtrum, omnium Prophetarum illuminatorem, omnium Prophetiarum complementum. *Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus.* „ Revelemus igitur nos faciem noſtram, ut revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem reformemur. Aſcendamus in montem, deprecemur Dei Verbum, ut in ſpecie & pulchritudine ſua nobis appareat, & confortetur & proſpere procedat, & regnet. Et hæc enim myſteria ſunt, & altius referuntur; etenim pro tua poſſibilitate aut minuitur tibi Verbum, aut creſcit, ac niſi altioris prudentiæ cacumen aſcendas, non tibi apparet Sapientia, non tibi apparet Myſteriorum cognitio, non tibi apparet quanta ſit gloria, quanta ſit ſpecies in Dei Verbo: ſed Dei Verbum quaſi quodam apparet in corpore, non habens ſuam ſpeciem neque decorem . . . . . Sed ſi dum hominem eſſe conſideras, de Virgine credas generatum, & paulatim aſpiret fides, quod de Spiritu Dei natus ſit, incipis montem aſcendere. Si in cruce poſitum triumphantem de morte videas, non peremptum: ſi videas quod terra tremuit, ſol refugit, tenebræ offuſæ ſunt oculis perfidorum, monumenta aperta ſunt, mortui ſurrexerunt, ut eſſet indicio quia Gentilis populus qui mortuus erat Deo, tamquam reſeratis ſui corporis tumulis, inviſo cruce lumine reſurrexit: ſi hoc videas Myſterium, in excelſum aſcendiſti montem, alteram Verbi gloriam cernis." *S. Amb. lib. 7. in Luc. n. 12.*

38. 39. *Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubito clamat, & elidit, & diſſipat eum, cum ſpuma, & vix diſcedit, dilanians eum.* Puer iſte arreptitius, typus eſt peccatoris ab adoleſcentia mortali peccato & diaboli ſervituti addicti. 1. Spiritus malus apprehendit eum peccati ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis.* 2. Subito clamat, ardens peccati deſiderium, libidinem vehementem in corde & corpore illius accendens, & ad opera mala, ad peccata publica, quæ ſcandalum Eccleſiæ creant, inſtigans. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* 3. Elidit illum, & in nova peccata identidem præcipitem agit, ut terræ magis ac magis adhæreat. *Peccatum* enim *quod pœnitentia non diluit, mox ſuo pondere in aliud trahit.* 4. Diſſipat eum, pravarum cogitationum varietate. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* 4. Spumas libidinum in eo excitat per crapulam & ebrietatem. Venter enim eſcis repletus & vino æſtuans, facile ſpumat in libidine. 5. Vix ab eo diſcedit, dilanians eum, peccati conſuetudine & pravis habitibus legi mentis repugnantibus. *Oſee 4. 19. Geneſ. 18. 20. S. Gregor. M. Job 17. 11. Prov. 21. 6.* *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Ut ſanetur peccator ſic a dæmone arreptus, neceſſe eſt: 1. Ut Dei miſericordiam imploret clamore magno, clamore cordis, deſiderio vehementi, fide magna, fervente oratione. *Exclamavit dicens, Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, & quia unicus eſt mihi.* Reſpice in animam meam, quæ mihi unica eſt, oculis miſericordiæ tuæ. *Reſpice in me & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meum; & dimitte univerſa delicta mea.* 2. Accedat ad Jeſum per pœnitentiam, accedat affectu cordis contriti & humilitati: *Adduc huc filium tuum.* 3. Mirum non videatur ſi dæmonium elidat & diſſipet accedentem: quia ſæpe converſi ad Deum poſt peccata, majoribus noviſque antiqui hoſtis pulſantur inſidiis, agentis videlicet ut vel odium virtutis incutiat, vel expulſionis ſuæ vindicet injuriam. *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* 4. Dæmonem increpat Jeſus per os pii conſcientiæ Moderatoris, & omnipotenti gratiæ ſuæ virtute ejicit ex anima peccatoris, quem ſanum & juſtificatum reddit Patri ſpirituali, pane vivo, ſe ipſo ſcilicet nutriendum, & verbo ſuo educandum: *Et increpavit Jeſus ſpiritum immundum, & ſanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.* *Vener. Beda in hunc locum. Eccli. 2. 1.*

44. *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei; omnibuſque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad Diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos: Filius enim hominis futurum eſt ut tradatur in manus hominum.* Magnitudo Dei non ſolum in miraculis admiranda, ſed & in paſſione Filii ſui. Quod dæmonia ſpiritu ſuo ejecerit, admirabile certe opus; quod carne paſſus ſit, longe admirabilius. Illud potentiæ, iſtud amoris erga homines miraculum. Dæmonia ex hominibus nonnullis, quos corporaliter vexabant, ejecit tempore miniſterii ſui: dæmonia ex cordibus omnium electorum ſuorum paſſione ac morte ſua expulit. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Verus Chriſtianus paſſionem Chriſti non ſolum memoria recogitare ac meditari debet, ſed ejus vulnera corde impreſſa gerere: *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos.* Chriſto compati, & *Joan. 12. 31.*

Natal. Alex. In Evang.

commori debet Crucifixi filius, in cruce genitus, ad imaginem & ſimilitudinem ejus reformandus. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu.* Hoc Myſterium non capit animalis & carnalis homo. Timet quippe ne in Chriſti Jeſu paſſione obligationem inveniat cum illo patiendi, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendi: *At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos ut non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.* *Philipp. 2. 5.*

48. *Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit . . . Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.* Ambitioſis cogitationibus in mentes Diſcipulorum a diabolo immiſſis medetur Magiſter cœleſtis, ipſis ſuadendo ut puero, quem ob eorum oculos juxta ſe ſtatuit, mores ſuos conforment, ut inſtar innocentiæ pueriles ſimplicitatem ſine arrogantia, charitatem ſine invidia, devotionem ſine iracundia conſervent. Unde ſubjungit: *Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me ſuſcipit.* Ut formam virtutis, quam natura duce puer obſervat, ipſi pro nomine Chriſti, ejus gratia præveniente & adjuvante ſequantur. *Qui minor eſt*, inquit, *inter vos omnes*, humilitate, *hic major eſt* dignitate. Id carnales homines non capiunt: Veritas tamen fidei eſt, doctrinæ Chriſti principium. Gradus ad veram celſitudinem humilitas, ſimplicitas, manſuetudo, innocentia, & infantia Chriſtiana, qua ſine regnum cœlorum conſequi non poſſumus. In diaboli mundique victoria Chriſti magnitudo eluxit; hanc vero victoriam humilitate reportavit. *Tota victoria Salvatoris, quæ & diabolum ſuperavit, & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta.* Non alio modo vincemus, non alio modo exaltabimur. *Venerab. Beda in hunc locum. S. Leo ſer. 36.*

51. *Factum eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit ut iret in Jeruſalem.* Obfirmare animum ſuum fide & oratione adverſus imminentes tentationes & calamitates debet vir Chriſtianus. Metus mortis eos frangere non poteſt, qui illam intuentur ut viam in cœleſtem Jeruſalem. Dies mortis eorum, dies eſt aſſumptionis ad Deum. *Chriſtiani hominum genus morti expeditum.* „ Mori timeat, ſed qui ex aqua „ & Spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: „ mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſe„ tur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac „ morte tranſibit: mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori „ timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus „ ejus & gemitus interim differatur . . . Si in Chriſtum cre„ dimus, fidem verbis & promiſſis ejus habeamus, & non „ morituri in æternum, ad Chriſtum, cum quo & victuri „ & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. „ Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſ„ gredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc „ contigerit exire: Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & „ temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus." *Tertull. S. Cypr. lib. de Mortalitate.*

53. *Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Non mirum quod cives Samariæ qui a vera pietate defecerunt, veræ pietatis profeſſores Jeruſalem euntes, in domum Domini properantes ad confitendum nomen ejus, ad eum adorandum in ſpiritu & veritate, refugiant & rejiciant. Qui Deum quærunt illique uni placere volunt, Mundo placere non poſſunt. „ Si mun„ dus vos odit (*inquit Chriſtus*) ſcitote quia me prio„ rem vobis odio habuit: ſi de mundo fuiſſetis, mundus „ quod ſuum erat diligeret; quia vero de mundo non „ eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos „ mundus. Mementote ſermonis mei: Non eſt major ſervus Domino ſuo." *Joan. 15. 18. 19. 20.*

54. 55. *Cum vidiſſent autem Diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et converſus increpavit illos dicens: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* Cavendum Eccleſiæ Miniſtris ne in eorum animos zelus amarus irrepat, & ne ſpecie Ordinis Hierarchici tuendi, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ fovendæ, ultionem exerceant. Chriſti manſuetudinem & charitatem imitentur: adverſus vitia, non contra homines iraſcantur: ignem excitent conſumentem peccata, & peccatores ſanctificantem, quem Chriſtus venit mittere in terras, & ardere vult in omnium animis, & ignem divini amoris, non ignem zeli præcipitis & amari, homines ſæpe perdentem, in quos exercetur, & qui exercent. Quod Diſcipulos increpavit Jeſus, quia ignem in Samaritanos, qui illum non receperant, volebant e cœlo evocare, oſtendit nobis non ſemper in eos qui peccaverint vindicandum; quia „ Nonnumquam am„ plius prodeſt clementia tibi ad patientiam, Japſo „ ad correctionem. Denique Samaritani citius credide„ runt, a quibus hoc loco ignis arcetur. Simul diſce quia „ recipi noluit ab his quos ſciebat non ſimplici mente „ converſos; nam ſi voluiſſet, ex indevotis devotos feciſſet ... „ Diſcipuli recipi intra Samariam geſtiebant: ſed Deus „ quos dignatur vocat, & quos vult religioſos facit." „ Non eſt autem commotus Dominus adverſus Samaritas illum inhumane repellentes, ut oſtenderet quia non habet ultionis ſtudium perfecta virtus: nec ulla eſt iracundia, ubi plenitudo eſt charitatis. „ Dilectio ſummum fidei ſacra- *S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. n. 27.*

Tertull. lib. de Patientia - 1. *Cor.* 13. 4. 5.

„ mentum, Christiani nominis thesaurus; quam Apostolus „ totis viribus Spiritus sancti commendat, cujus nisi pa- „ tientiæ disciplinis eruditur? CHARITAS patiens est, „ benigna est, charitas non æmulatur, non agit perpe- „ ram, non quærit quæ sunt, non irritatur, non cogitat „ malum... Omnia suffert, omnia sustinet." Quamobrem

S. Greg. M. Hom. 17. in Evang. si zelus rectitudinis quandoque exigit ut Rector animarum erga subditos sæviat, *furor ipse de amore sit, non de crudelitate: quatenus & jura disciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quos foris quasi insequendo castigat.*

57. *Ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Humana præsumptio Christum quocumque ierit, se posse sequi gloriatur: Christiana humilitas nihil boni cogitare, loqui, operari propriis viribus se posse confitetur; non posse sequi nisi vocantem, prævenientem, trahentem, gressus suos in via Mandatorum Dei & in beneplacito ejus dirigentem. Eam gratiam nullis suis meritis consequi se posse agnoscit: per misericordiam Dei, & gratiam Domini nostri Jesu Christi omnia se posse confidit, Christum sequi pauperem, humilem, crucifixum, in prosperis & adversis, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, in vita & in morte. Omnia se posse confidit in eo tantum qui se confortat; nec eum qui se offert, recipi; nec eos omnes qui se non offerunt repudiari: quia *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Rom. 9.

S. Ambros. lib. 7. *in Luc. n.* 34. 41.

59. *Ait autem ad alterum: Sequere me; Ille autem ait: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos*, &c. Amor proprius interdum speciem pietatis obtendit, ne Christo vocanti fideliter ac prompto animo pareamus. Pietatis officium prohibere putandus non est pietatis Magister, sed ab eo tantum prohibetur Discipulo paterni funeris cura, „ Ut intelligas humana post- „ habenda divinis. Bonum studium, sed majus impedi- „ mentum; nam qui partitur studium, deriyat affectum: „ & qui dividit curam, differt profectum. Ergo prius „ obeunda quæ maxima sunt; nam & Apostoli, ne occu- „ parent studium dispensandi, Ministros pauperibus ordi- „ narunt: & ipsis, cum a Domino mitterentur, neminem „ in via salutare præscriptum est: non quod benevolen- „ tiæ displiceret officium, sed quod persequendæ devotio- „ nis intentio plus placeret... Non ergo paterni funeris „ sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinæ „ religionis pietas antefertur: illud consortibus relinqui- „ tur, hoc mandatur electis." "Sæcularia sæcularibus Ecclesiastici Religiosique Viri relinquant; ne pietatis specie se negotiis sæcularibus implicantes, a Ministerio suo & Clericalis aut Religiosæ Vitæ officiis avocentur, & gratiæ suæ fideliter respondere prohibeantur, unique Deo militare ac placere, cui se singulari consecratione devoverunt.

62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Qui ad regnum Dei, ad Ecclesiasticum Ministerium, ad Christianam perfectionem vocatus, ad ea quæ post tergum sunt respicit, humanam gloriam, opes, dignitates, sæculi voluptates, non est aptus regno Dei. In Pythagoricorum præceptis erat: *Qui ad Templum veneris, ne gressum converte*: Quod Simplicius ad Epictetum sic interpretatur: *Qui sese ad Deum contulerit, eum in dubio hærere, aut humana curare non decet.* Melius S. Paulus, ut divino Spiritu afflatus: *Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. *Vocat te Oriens, & tu attendis Occidentem.*

Philipp. 3. 13. 14. *Vide S. August. de Verbis Dom.*

CAPUT X.

Sensus Litteralis.

1. 2. *Post hæc autem designavit Dominus*, ad Evangelium suum prædicandum, e numero credentium in eum, *& alios Septuaginta duos*, Discipulos. Græci vulgo Codices & Syriaca Versio, multique veterum Patrum, rotundo numero Septuaginta numerant. Apostolis in Ecclesiæ Hierarchia successerunt Episcopi, Septuaginta duobus Discipulis secundi ordinis Sacerdotes, curam Animarum sub Episcopis gerentes. *Et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus.* Binos & binos misit ante se, tum ad mutuam opem, tum ad testimonii firmitatem; ut populum sanationum beneficiis delinirent, & Evangelii prædicatione ad Christum excipiendum præpararent. *Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Unde mirum vobis esse non debet, quod Operariorum Evangelicorum numerum electione vestra auxerim. *Rogate ergo Dominum Messis*, Deum, *ut mittat operarios in messem suam*, ut novos Prædicatores mittat, ad finem usque sæculi in Ecclesia sua laboraturos. Nemo enim in messe absque Domini missione & gratia laborare potest. Confer cum *Matthæi* 9. 37. 38. nostrisque in hos Versus Commentariis.

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Ite ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, inermes, mansuetos, ut nemini nocere, omnibus prodesse, vestro etiam periculo studeatis. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Temporalium rerum sollicitudini, quæ Ministerii Evangelici impedimentum est, renuntiate: *& neminem per viam salutaveritis:* ne longius protracta salutationis officia moram festinantibus afferant. Sic Elisæus mittens Giezi servum suum cum baculo ut puerum suscitaret: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Vide Tertullianum lib. 4. Contra Marcionem, cap. 24. *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis*, vir pace dignus, quæ veræ justitiæ comes & Spiritus sancti fructus est; dignus (inquam) non suis meritis, sed æterna & gratuita Dei miserentis electione; *requiescet super eum pax vestra*, vestræ præcationis effectum consequetur: *sin autem, ad vos revertetur.* Vestræ charitatis fructum & præmium referetis. *In eadem autem domo manete*, in qua primum fueritis benevole excepti, *edentes & bibentes quæ apud illos sunt*, cibis vulgaribus quę ab illis vobis apponuntur, contenti, nec lautiora convivia quærentes: *Dignus est enim operarius mercede sua*, sive cibo suo. Cibus quem vobis apponunt, non est gratuitus, sed debitus. Si spiritalia illis seminatis, non magnum est si temporalia eorum metatis. *Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, manducate quæ apponuntur vobis.* Pharisaicas de ciborum delectu traditiones ne anxie observetis: omnibus utimini cibis permissis, communi frugalique apparatu. *Et curate infirmos qui in illa sunt*, eo quod vobis confero sanationum dono; *& dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.* Brevi accedet ad vos Messias olim patribus nostris promissus, & nobis a Deo datus. *In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem qui adhæsit nobis*, a pedibus nostris, *de civitate vestra, excergimus* sive excutimus *in vos*, ut sit contra vos in testimonium in die judicii. *Tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.* Vobis tamen significamus adveniisse tempus Messiæ: nec per nos stetisse quin jam in illum credaretis, & credendo ad regnum Dei perveniretis. *Dico vobis, quia Sodomis in die illa* judicii novissimi *remissius erit quam isti civitati.* Civitas hæc graviores pœnas dabit quam Sodoma. Confer cum *Matthæi* 10.

4. Reg. 4. 29.

1. Cor. 8.

13. 14. 15. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis*, si apud Tyrios & Sidonios facta fuissent miracula, quæ apud vos edita sunt a me, Discipulisque meis, *olim in cilicio & cinere* sedentes pœniterent: *Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in judicio quam vobis.* Acerbiora quam illos vos manent supplicia, utpote magis obduratos & magis ingratos bonitati & gratiæ Dei. *Et tu, Capharnum, usque ad cœlum exaltata*, tua magnitudine, pulchritudine, divitiis tam elata, tam celebris, *usque ad infernum demergeris*, everteris ob incredulitatem tuam, civesque tui demergentur in infernum. Nec mirum esse debet si urbes incredulæ tam graves ob spretum & repudiatum Evangelium, cujus Prædicatores instituo, daturæ sint pœnas: *Qui* enim *vos audit*, o dilecti Discipuli, *me audit*; *& qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Confer cum *Matthæi* 11.

Isai. 14. 12. 13. 14. 15.

17. 18. 19. 20. *Reversi sunt autem septuaginta duo* Discipuli ad Jesum *cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*: cum illis auctoritate tua & invocatione nominis tui jubemus ut ex hominum quos vexant, corporibus egrediantur, protinus parere coguntur. *Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Nihil mihi novi aut inexpectati refertis. Intuebar enim Satanæ regnum & imperium in homines mira celeritate eversum iri, & dissolutis operibus suis, falsisque religionibus quibus illos involverat, tam cito casurum, quam cito e cœlo cecidit superbia sua. Quod in casu regni Babylonici adumbratum est. „ Quo- „ modo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? „ corruisti in terram qui vulnerabas gentes? Qui dice- „ bas in corde tuo: In cœlum conscendam, supra astra „ Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamen- „ ti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem „ nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infer- „ mum detraheris in profundum laci."

Pergit Christus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Serpentum & scorpionum nomine dæmoniorum omne genus hic intelligitur, ut Psal. 91. 13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: Omnem potestatem diaboli, omnem ejus exercitum calcabitis & virtute nominis

minis mei conteretis: & *nihil vobis nocebit*. Promissionem probavit eventus. Unde Tertullianus: „ Nobis fides
Tertull. Scorpiaci c. 1. „ præsidium, si non & ipsa percutitur diffidentia signandi statim & adjurandi, & urgendi bestiæ calcem: hoc „ denique modo etiam Ethnicis sæpe subvenimus, donati „ a Deo ea potestate quam Apostolus dedicavit, cum „ morsum viperæ sprevit . . . . At tu, fides si vigilat, „ ibidem scorpio pro solea anathema inlidito, et relin- „ quito in suo sopore morientem. Verumtamen in hoc „ nolite *præcipue vel nimium* gaudere, quia spiritus mali „ vobis subjiciuntur: " Quod etsi magnum, non tamen maximum donum est, utpote ad aliorum utilitatem, non ad vestram sanctificationem vobis concessum; nec eos, quibus confertur, Deo gratos, justos, sanctos & electos efficiens: *Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, in libro vitæ: quod sperare & confidere potestis ex æterno & immutabili Dei miserentis & eligentis proposito.

21. 22. *In ipsa hora exultavit* Jesus *Spiritu sancto* illum movente & impellente, *et dixit; Confiteor tibi Pater Domine cœli et terræ*, gratias ago, *quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus*, ab hominibus qui prudentes & sapientes sunt secundum suam & aliorum sæculo servientium opinionem; *et revelasti ea parvulis*, Discipulis meis, viris simplicibus & humilibus. *Etiam, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*. Ita certe, hoc laude dignissimum est, siquidem sapientissimo consilio & proposito voluntatis tuæ id decrevisti, & istos præ aliis elegisti, quibus regni tui Mysteria revelares. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Sermonem ad Discipulos convertit. Omnium Mysteriorum cognitionem, totamque scientiæ suæ plenitudinem mihi Deus Pater meus communicavit. *Et nemo scit quis sit filius, nisi Pater: et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Non hoc humana ratio, aut innata hominibus Dei notio, sed sola revelatio, sola fides docere potuit. *Edocuit Dominus, quoniam Deum scire nemo possit, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum*. Confer cum Mat-
S. Irenæus lib. 4. c. 4. thæi 11. 15.

23. 24. *Et conversus ad Discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident* & credunt, *quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et Reges voluerunt videre quæ vos videtis*, Christum scilicet omnium Prophetarum exspectationem ac desiderium, & *non viderunt: et audire quæ auditis*: illius nempe coram loquentis doctrinam, & sermones, *et non audierunt*. Confer cum *Matthæi* 13. nostrumque in Versus istos lege Commentarium.

25. 26. 27. 28. *Et ecce quidam Legisperitus*, quem alium fuisse ab eo cujus interrogationem S. Matthæus cap.
S. August. lib. 2. de consensu Evang. c. 73. 22. 35. commemorat, probabilius S. Augustino visum est; *surrexit* e subsellio forte Synagogæ, in quo honoris causa sedebat, *tentans illum*, experiri volens an aliquid Legi, aut Magistrorum interpretationibus contrarium Jesus responderet; & *dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Quid me facere oportet, ut quam prædicas & promittis, vitam æternam consequar? *At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Quodnam primum & maximum mandatum? Quæ totius legis summa? Quomodo legis eo loco qui nunc oculis tuis obversatur? *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & *ex tota anima tua*, & *ex omnibus viribus tuis*, & *ex omni mente tua*; & *proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi* JESUS: *Recte respondisti*: Verba Legis recte protulisti: *hoc fac, et vives*. Superest ut opere impleas quod legis, & vitam consequeris æternam.

29. *Ille autem volens justificare seipsum*, volens ostendere se justitiam legis & apprime nosse, & accurate implere, *dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?* Maximum & primum dilectionis Dei mandatum se implevisse existimabat superbus Doctor, diligenter observando Legis ceremonias, & externa opera, secundum interpreta-
S. Hieron. in c. 20. S. Matth. & Epist. 27. tiones Magistrorum. Quia vero dubitari poterat quam late pateret nomen proximi, ea de re Christi sententiam rogat, ut si responderet Dominus ex recepta Legisperitorum opinione, proximum esse quemlibet Israelitam, non alium, illud quoque præceptum, adeoque totam Legem se impleviſse gloriaretur.

30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. *Suscipiens autem Jesus*, loquendi vices, dixit: *Homo quidam* natione Judæus, *descendebat ab Jerusalem in Jericho*, quæ via erat latrociniis infamis, ubi collis *Adomim* dictus a viatorum cruore ibi effuso; & *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum*, & *plagis impositis abierunt, semivivo relicto*, in statu tam deplorando, ut certissime periturus esset, si nemo succurreret. *Accidit autem ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præteriit*, ex adverso, nullo misericordiæ sensu commotus, *similiter* & *Levites, cum esset secus locum*, cum appropinquasset ad locum, ubi jacebat infelix ille homo, & *videret eum, pertransiit*, de sublevanda ejus miseria minime curans. *Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit secus eum*, & ad eum propius accessit, & *videns eum*, gene-
re licet ac religione alienus, *misericordia motus est: & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum*: Oleo & vino, quæ viatici loco ferebat, in ejus vulnera infusus, ea ut abstergeret, ac dolorem interim leniret, fasciis ea constrinxit; & *imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum*, in diversorium, *curam ejus egit. Et altera die*, sequenti die abiturus, *protulit duos denarios*, & *dedit stabulario*, hospitii domino, & *ait: Curam illius habe*, donec sanus fuerit; & *quodcumque supererogaveris*, sive ad alimenta, sive ad medicamenta, *ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* Quis erga illum implevit proximi officium? An Sacerdos; an Levites, qui viso illo præterierunt; An Samaritanus qui illi succurrit? At ille dixit: *Qui fecit misericordiam in illum*, nempe Samaritanus. Admirabili prudentia usus est Christus, ut Legisperitum fateri cogeret contra pravam, sed tamen vulgatam Judæorum opinionem, omnem hominem quamvis religione alienum, esse alteri homini proximum, illique omnia dilectionis officia esse impendenda secundum Legem Dei; nec audiendos qui solos Israelitas nomine proximi intelligerent. Hic illius seu historiæ seu parabolæ finis. *Et ait illi* Jesus: *Vade*, & *tu fac similiter*. Agedum, Samaritanum illum imitare, & quod ille præstitit Judæo, tu Judæus ne dubites præstare etiam extraneo; imo si res ita ferat, etiam Samaritano. Id nisi præstiteris, te proximum diligere, & Legem implere ne existimes. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis.

38. 39. 40. 41. 42. *Factum est autem, dum irent* Jesus & Discipuli ejus Hierosolymam; & *ipse intravit in quoddam castellum*, seu oppidulum, Bethaniam scilicet: & *mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam*. Christum excepisse Martha dicitur, quamvis
Joann. 11. 21. Lazarus & Maria simul in eadem domo cum illa habitarent, sive quod illa major natu esset, sive quod rei familiaris procuratione & administratione quasi materfamilias haberetur. *Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini*, more discipulorum, quiete, diligenter, assidue, *audiebat verbum illius*, huic uni rei incumbens. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium*, sollicita in variis Ministeriis, rerumque Christo & discipulis ejus excipiendis, & reficiendis necessariarum præparatione. *Quæ stetit & ait*, quæ coram Domino se sistens, ait: *Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet*, ut mecum partem laboris subeat. *Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es*, & *turbaris erga plurima*, variis curis distraheris, & huc illuc inquieta discursas: *porro unum est necessarium*. Una tamen res est ad salutem necessaria, cui omnia hominum studia, curæ omnes incumbere & intendere debent. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Maria meliorem ac præstantiorem functionem elegit, studium scilicet audiendi doctrinam salutis, & res divinas contemplandi; quæ futuræ beatitudinis prægustatio est, in altera vita perficienda, non auferenda.

SENSUS MORALIS.

1. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septua-* *S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. cap. 14.*
ginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, &c. Mystica est illa Discipulorum combinatio. *Quod binos mittit, sacramentum est charitatis* (ait S. Augustinus) sunt enim duo charitatis præcepta, dilectio Dei & proximi; nec minus quam inter duos exerceri charitas potest. Regnum itaque quod in mundo instituere venit Dominus, totum in charitate fundatum esse ostendit, cum binos & binos ante faciem suam Discipulos mittit.

3. 4. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta*, & *neminem per viam salutaveritis*. Absque missione & vocatione divina, nullus sperandus est Evangelicæ Prædicationis, Ecclesiasticique Ministerii fructus. Orandus igitur Dominus est, precibus, gemitibus, jejuniis exorandus, ut dignos, quos solus ipse facit, Ministros & operarios in messem suam mittat; agnos in medium luporum, ut lupos ipsos ab innata feritate convertant patientia, mansuetudine, caritate, bonorum operum exemplo, non minus quam verbi ministerio. In una autem Dei providentia, qui se Ministris Evangelii sui regnum Dei pure ac fideliter prædicantibus & quærentibus, subventurum promisit, non in mediis humanis, non in prudentiæ humanæ politicis artibus confidere debent Evangelici Operarii & Missionarii. Hanc enim formam in Apostolis ac septuaginta duobus Discipulis Christus illis tradidit, *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamen-* *Venerab. Beda.*
ta, & *neminem per viam salutaveritis*. Tanta Prædicatori debet in Deo esse fiducia, ut præsentis vitæ sumptus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat: ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna . . . Qui prædicationis officium suscipit, dignum non est ut onus sæculariu m

rium negotiorum portet, ne dum ejus collum deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat.

10. 11. *In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos*, &c. Væ illis qui doctrinam salutis, qui cœlestia documenta, qui Evangelicam Veritatem non amant, non audiunt, non recipiunt. Auferetur ab illis verbum Dei, auferetur ab illis Sacerdos & Propheta, prædicator & Pastor illis deerunt in tempore necessitatis & angustiæ. Eo major hæc pœna, quo minus peccatores solis rebus sensibilibus deditos movet ac terret. Timeamus ne veritates Evangelicæ quæ nobis ut media salutis æternæ prædicantur, in testimonium contra nos convertantur coram Deo propter duritiam nostram & cor impœnitens. Caveamus ne Christi & Prædicatorum ejus, Pastorumque nostrorum vocem audientes, obduremus corda nostra. Ob contemptum, repudiatum, neglectum verbum veritatis, gravius damnabuntur ac punientur Christiani quam Judæi, immo quam Sodomitæ: non enim in Angelos dumtaxat irruunt ut isti, non in Christum passibilem adhuc & mortalem sæviunt ut illi, sed Christum Jesum jam glorioſum, immortalem, ad dexteram Patris sedentem oppugnant, Spiritui ejus sancto resistunt, Sanguinem ejus conculcant, Mysteria ejus irrita ducunt, præcepta illius violare non metuunt. *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam*
Rom. 11. *illi civitati . . . . Tyro & Sidoni remissius erit in judicio quam vobis.* Si Gentibus infidelibus tantæ gratiæ factæ essent, quantæ vobis collatæ sunt, in cilicio & cinere pœnitentiam forte egissent. Cur illis factæ non sint, vobis autem collatæ? *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Impœnitentiam tamen vestram eo gravius puniendam scitote, quo majores gratiæ fuerunt, quibus fideliter respondere noluistis. Et quo magis vos extuleritis per superbiam, & ambitionem, eo profundius vos in infernum demergendos ne dubitetis. Major elatio graviori casui, præcipitio ac ruinæ obnoxia est. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Potentes potenter tormenta patientur. *Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.* Quam grave sit autem eorum peccatum, qui non obediunt Evangelio, qui veritati contradicunt, qui Prædicatores Evangelicos & Pastores animarum suarum in Christi nomine ipsos docentes, pro eo legatione fungentes, ejus auctoritate ipsos regentes non audiunt, sed spernunt, ex eo compertum est, quod in Christum ipsum hæc injuria, contemptusque redundet. Eadem enim increata æternaque Veritas in Patre est per essentiam, in Filio per generationem æternam, eadem in Christo incarnata, eadem Apostolis per Spiritum sanctum inspirata & tradita, eadem ad Episcopos Apostolorum successores per traditionem Apostolicam continua successione derivata. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

17. 18. *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis. Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo.* Cavendum ne de bonis Dei superbiamus, ne nobis ipsis propter hæc dona placeamus, ne ab aliis propterea magnifieri & laudari gaudeamus. Superbiam enim & vana in seipsis complacentia Angelos de cœlo dejecit. Sua, inquam, potestate delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; & habentes elationis fastum pro excelsissima æternitate, vanitatis astutiam pro certissima veritate, studia partium pro individua charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt. *Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo.* Timeant homines superbi, siquidem *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

S. *Augustin. lib.* 10. *de Civitate Dei cap.* 1. 2 *Petri* 2. 4.

20. *Veruntamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* De sola Dei in nos misericordia gaudendum, non de donis quæ bonis & malis communia esse possunt. Quid enim prodesset nobis potestas expellendi dæmones in Christi nomine ex aliorum corporibus, si animis nostris per pravas cupiditates & vitia dominentur? Vidit Dominus quod Discipulos suos tentaret superbia ex potentia miraculorum, & ille qui Medicus venerat sanare tumores nostros, & ferre infirmitates nostras, continuo ait: *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt: sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Non omnes Christiani boni dæmones ejiciunt; omnium tamen nomina scripta sunt in cœlo; non secundum prædestinationem æternam, sed secundum præsentem justitiam, & piam Christianæ spei fiduciam. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant, sed ex eo quod cum ceteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere Apostolos, unde gaudes & tu . . . Nullus fidelis habet spem; si non enim ejus non est scriptum in cœlo. Omnium fidelium qui eligunt Christum, qui ambulant viam ejus humiliter, quam ipse docuit humilis, nomina scripta sunt in cœlo. Cujusvis contemptibilis in Ecclesia, qui credit in Christum, & diligit Christum, & amat pacem Christi, nomen scriptum est in cœlo; cujuslibet quem contemnis. Et quid simile ipsi & Apostolis, qui tanta miracula fecerunt? Et tamen Apostoli reprimuntur ex eo quod de bono proprio gaudebant, & jubenter gaudere unde gaudet & ille contemptibilis. Non in nobis ergo, sed in Domino gaudeamus, non de magnitudine donorum, ex quibus rationes reddendæ crescunt; sed de Dei erga nos charitate, nostraque in ipsum mutua dilectione; de qua licet præsumere non debeamus, pie tamen confidere possumus, si non reprehendit nos cor nostrum, si mandata Dei custodimus, si Christi vestigia sequimur, si terrena bona, mundique gloriam bonis æternis & Dei gloriæ postponimus. *Domine non est exaltatum cor meum,* Psal. 130. *neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me; si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* Humiliare se debet anima ne Deo displiceat, & meditari quod dictum a Sapiente est Spiritu sancto inspirante: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Eccli. 3. Hoc sacrificio Deus colendus. *Humilitas cordis sacrificium est.* 20. S. Augustin. Quamdiu hic vivimus, perfecti esse non possumus, sed ad perfectionem tendere continuo debemus per viam humilitatis, quæ sanctorum hic militantium perfectio est. *Ipsa est perfectio nostra humilitas.*

21. *In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: etiam Pater, quoniam sic placuit ante te:* Adoranda Dei erga electos ejus consilia, propter quos omnia Incarnati Filii sui Mysteria ab æterno decrevit, in tempore implevit. Hos elegit secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus; ut essent hæredes regni; elegit immeritos & creavit in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit ut in illis ambularent: non elegit intuitu meritorum, quia ejus gratia est omne meritum; & dum merita coronat, sua dona coronat in nobis. Nulla est præelectionis eorum ratio, nisi beneplacitum æterni Patris: *Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te.* His ita revelantur salutis nostræ Mysteria, ut ea cognitio in iis inanis & infructuosa non sit, sed bonorum operum fructus pariat, & saltutem operetur. Plurima sciunt prudentes & sapientes sæculi, speculativam forte Mysteriorum Religionis nostræ cognitionem excellenter habent, de Deo, rebusque divinis præclare differunt; sed scientiam sanctorum, scientiam salutis non habent, quia nec Dei magnitudinem, nec rerum terrenarum vanitatem, nec hominis vilitatem, indignitatem, nihilum; nec bonitatem & amorem infinitum Christi in homines, quo tanta pro eorum salute & gessit, & docuit, & pertulit; nec horrendam peccati deformitatem satis norunt. Sapientes sunt in oculis suis, sed revera cæci; acuti ad vana, hebetes ad æterna; oculos habent, quibus non vident; aures quibus non audiunt salutis Mysteria, æternæ vitæ verba, Auctorem & consummatorem fidei, Mediatorem & viam salutis, victimam reconciliationis nostræ, principium omnis gratiæ, omnisque boni quod cogitamus, loquimur, & operamur, Jesum, in quo benedixit nos Pater omni benedictione spirituali in cœlestibus. Hæc solis humilibus revelantur. „ Abscondisti hæc S. Augustin. „ a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Epist. 118. „ *Hinc scite S. Augustinus ait*: Via ad capessendam & alias 56. „ obtinendam veritatem prima humilitas, secunda humi„ litas, tertia humilitas. Non quo alia non sint præcep„ ta: sed nisi humilitas omnia quæcumque bona facien„ tes & præcesserit, & comitetur, & consecuta fue„ rit, & proposita quam intueamur, & appositа cui ad„ hæreamus, & imposita quæ reprimamur, jam nobis „ de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de „ manu superbia. “

26. *In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Lex Dei, Evangelium, vitæ nostræ regula est, a Spiritu sancto dictata; hanc legere, hanc discere, hanc meditari, secundum hanc vivere debemus, non secundum opiniones hominum, vel secundum mores sæculi. Viam aliam quærere, errare est. Secundum Dei legem judicabimur in novissimo die. Tunc a nobis quæret justus Judex: *In Lege quid scriptum est?* Quid in Evangelio legisti? Cur præcepta mea non impleveristi adeo facilia, adeo salutaria; quorum observatoribus premium æternæ beatæque vitæ promissum est? *Sermo quem locutus sum, ille judicabit* Joan. 12. *eum in novissimo die* 48.

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.* Hæc Christianæ summa Religionis, Deo tamquam ultimo fini prædominante amore conjungi, subdi ac servire, eumque supremo honore colere, quod non fit S. Augustin. nisi amando. *Hoc* enim *colitur quod diligitur: unde* in Psalm. *quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur,* 77.

plus

S. *Augustin. in Psalm.* 130.

plus omnibus diligendus est ut colatur. Ex toto corde diligendus Deus zelotes, quem minus amat, qui cum ipso aliquid amat, quod propter illum non amat. Non autem segnis & iners esse potest amor Dei. Amor operatur magna, si est; si autem non operatur, amor non est. *Dilectio vacare non potest*. Quid enim de quoquam homine etiam male operatur, nisi amor? *Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem*. Flagitia, adulteria, homicidia, sacinora, luxurias omnes, nonne amor operatur? *Purga ergo amorem tuum; aquam fluentem in cloacam converte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad Artificem mundi*. Non vobis dicitur, Nihil ametis, absit. Pigri, mortui, detestandi mihi eritis, si nihil ametis. Amate, sed quid ametis videte. Amor Dei, amor proximi charitas dicitur. Amor mundi, amor hujus sæculi cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, charitas excitur.

Idem Præfat. in Psalm. 31.

Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo. Ne mundum ametis, ut eum qui fecit mundum libere ametis.

S. Augustin. Præfat. in Psalm. 121

„ Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat. Quo nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando? Quod antequam possit gemit in terra, si jam inest ei volandi desiderium, *& dicit*: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? "Quo autem volabit? De mediis scandalis, ubi gemebat etiam ille cujus hæc vox est, a commixtione malorum hominum, a paleis quibus grana commixta sunt, volare vult, ubi non patiatur conjunctionem & societatem iniqui alicujus: sed vivat in sancta societate Angelorum, civium in æterna Jerusalem.

S. Augustin. apud Venerab. Bedam in cap. 13. *Epist. ad Rom.*

Et proximum tuum sicut te ipsum. Qui sancte & spiritaliter diligit proximum, aut eum amat quia justus est, aut ut justus fiat. Sic enim & seipsum amare debet, aut quia justus est, aut justus ut sit. Sic diligit proximum tamquam seipsum sine ullo periculo: Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quoniam ad hoc se diligit ut sit injustus, ad hoc ergo ut sit malus, ac per hoc jam non se diligit: *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*. Nemo autem proximos diligere potest, aut quia justi sint, aut ut justi fiant, nisi Deum etiam diligat tamquam omnis justitiæ fontem. Namquemadmodum nemo alterum diligere potest, aut quia Musicus est, aut ut Musicus sit, nisi Musicam præcipue diligat: ita impossibile est ut proximus ametur, vel quia justus est, vel ut sit justus, nisi æterna justitia, quæ Deus est, præcipue diligatur.

S. Augustin. Epist. 137. *alias* 3. *c.* 5.

Diliges Dominum Deum tuum, &c. Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum, duobus his præceptis sunt ullo modo comparandæ? Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur & custoditur optime civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sinceriſſime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.

28. *Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, & vives*. Fac, Domine, ut faciam, sine quo nihil facere possum. Præbe vires efficacissimas infirmæ & languenti voluntati. „ Da mihi te, Deus meus, redde te mihi, te enim

S. Aug. lib. 13. *Confes. c.* 8.

„ amo, & si parum est, amem validius. Non possum metiri quantum desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc solum „ scio, quia male mihi est præter te, non solum extra „ me, sed & in me ipso, & omnis copia quæ Deus meus „ non est, egestas est. " Fac ut vivam immortaliter diligendo te, & proximum propter te, qui mortuus sum diligendo mundum, meque ipsum amando plusquam te. Nam *Qui non diligit, manet in morte*.

29. *Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?* Quam late pateret nomen proximi, non erat Veteris Testamenti tradere. „ In-

S. Augustin. lib. de Diversis Q. octoginta tribus Q. 53.

„ choatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut Magistro perfectio servaretur: cum tamen idem Deus & „ pædagogum parvulis dederit, Legem illam scilicet per „ famulum suum: & Magistrum grandioribus, id est, „ Evangelium per Unicum suum. "

Origenes Hom. 34. *in Lucam. S. Aug. lib.* 2. *Q. Evang. Q.* 19. *&*

30. *Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones*, &c. *Homo quidam* intelligitur Adam, & totum in eo genus humanum. *Jerusalem*, civitas pacis illa cœlestis, a cujus beatitudine lapsus est. *Jericho*, mortalitatem nostram. *Latrones*, diabolum & angelos ejus designant, qui hominem spoliaverunt immortalitate: *& plagis impositis*, peccata suadendo, reliquerunt *semivivum*: quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum vivus est homo; ex parte qua peccatis contabescit & premitur, mortuus est, & ideo semivivus dicitur. *Sacerdos* autem & *Levita*, qui viso eo præterierunt, Sacerdotium & ministerium veteris Testamenti significant, quæ non poterant prodesse ad salutem. *Samaritanus* Custos interpretatur, & ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Alligatio vulnerum, est cohibitio peccatorum. *Oleum*, consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. *Vinum*, exhortatio ad operandum ferventissimo spiritu. *Jumentum* ejus est caro, in qua ad nos venire dignatus est. Imponi jumento, est in ipsam Incarnationem Christi credere. *Stabulum* est Ecclesia, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. *Altera dies* est post Resurrectionem Domini. *Duo denarii*, sunt vel duo præcepta charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad evangelizandum ceteris; vel duo Testamenta, quæ imaginem in se habent æterni Regis expressam, quorum pretio vulnera nostra curantur. Redempti enim sumus pretioso sanguine, ut ultimæ mortis ulcera vitaremus. Hos ergo duos denarios accipit *stabularius*, Apostolus, Pastor, ut curam habeat hominis vulnerati. Huic Christus mercedem promittit se redditurum, cum revertetur, in die scilicet Judicii. Ergo quoniam nemo magis proximus quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi dominum, diligamus eum quasi proximum; nihil enim tam proximum quam caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator est Christi: diligamus eum qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur. „ Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia; quia misericordia secundum naturam. Nihil enim tam secundum naturam, quam sanare consortem naturæ. "

ferm. 171 *alias* 37. *de Verbis Domini cap.* 2. 3.

S. Ambr. lib. 7. *in Luc n.* 73. *& seq.*

36. 37. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter*. Ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget; vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut etiam ille a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? Quando usque ad inimicos etiam porrectum est eodem Domino dicente, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*.

S. Augustin. lib. 1. *de Doctrina Christ. c.* 30.

41. 42. 43. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Repetitio nominis, indicium est dilectionis, aut forte movendæ intentionis, ut audiret attentius, bis vocata est; Martha, Martha, audi. Sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, unum illud supernum, unum ubi Pater & Filius, & Spiritus Sanctus sunt unum. Ad hoc unum non nos perducit, nisi multi habeamus cor unum. Bona sunt Mysteria circa pauperes, & maxime circa Sanctos servitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Bona sunt, exhortamur ad hæc: melius est tamen quod elegit Maria. Illud enim habet ex necessitate occupationem: istud ex charitate suavitatem. Vult homo occurrere quando ministrat; & aliquando non potest: quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus. Nam si Martha ad illa sufficeret, adjutorium Sororis non poscceret. Multa sunt, diversa sunt, quia carnalia sunt, quia temporalia sunt: etsi bona sunt, transitoria sunt. Marthæ autem quid ait Dominus? *Maria meliorem partem elegit*. Non tu malam, sed illa meliorem. Audi unde meliorem: *Quæ non auferetur ab ea*. A TE *auferetur aliquando onus necessitatis; æterna est dulcedo veritatis*. Non auferetur ab ea quod elegit. *Non aufertur, sed tamen augetur. In hac autem vita augetur, in alia vita perficietur, numquam auferetur*. Ceterum tu Martha, in bono ministerio benedicta, pro isto labore tuo mercedem quæris, quietem. Modo occupata es circa multum ministerium, pascere vis mortalia corpora, licet Sanctorum: Numquid cum veneris ad illam patriam, invenies peregrinum, quem suscipias hospitio? Invenies esurientem, cui panem frangas? Sitientem, cui potum porrigas? Ægrum quem visites? Litigantem quem concordes? Mortuum quem sepelias? Omnia ista ibi non erunt: sed quid ibi erit? Quod Maria elegit: ibi pascemur, non pascemus.

S. Augustin. in ferm. 102. *alias* 26. *de Verbis Dom.*

Hoc ibi erit plenum atque perfectum, quod hic elegit Maria: de illa mensa opulenta, de Verbo Domini micas colligebat. Nam vultis nosse quid ibi erit? Dominus ipse dicit de servis suis: *Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & transibit, & ministrabit illis*. Recumbere quid est, nisi vacare? Recumbere quid est, nisi requiescere? Quid est, *Transibit, & ministrabit illis?* Prius transit, & sic ministrat. Sed ubi? In Illo convivio supera?

1. *Cor.* 9. 21

Luc. 12. 34 *Mat.* 8. 11.

Joan. 13. 1. perno de quo dicit: *Amen dico vobis, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum. Ibi Dominus pascit, sed prius hinc transit.* . . Venit Dominus, fecit divina, passus est humana. Numquid adhuc conspuitur? Numquid adhuc flagellatur? Numquid adhuc spinis coronatur? Numquid adhuc crucifigitur? Numquid adhuc lancea vulneratur? Transivit. Unde Evangelium ait: *Cum venisset hora ut Jesus transiret de hoc mundo ad Patrem*: Ille transivit ut pascat; nos sequamur, ut pascamur.

Joan. 1. 1. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum; intenta Maria quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam epulabatur. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum*: Ecce quod Maria audiebat. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: Ecce cui Martha ministrabat. Ergo *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hoc enim elegit, quod semper manebit. Circa unum se voluit occupari. Jam tenebat. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Sedebat ad pedes Capitis nostri. *Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis: denatat de tumoribus collis.* Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. *Sollicita es, & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium.* Jam hoc sibi Maria elegit, *Transit labor multitudinis, & remanet charitas unitatis.* Ergo quod elegit, non auferetur ab ea. A te autem, quod elegisti, auferetur; sed bono tuo, ut quod melius est detur. Auferetur a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est.

S. Aug. ibid *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima . . . Maria optimam partem elegit.* In his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ, duæ vitæ figuratæ sunt, præsens & futura, laboriosa & quieta, ærumnosa & beata, temporalis & æterna. In Martha erat imago præsentium, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, hoc sumus: quod agebat Maria, hoc speramus. Hoc agamus bene, ut illud habeamus plene.

S. Ambros. lib. 7. in Luc num. 85. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Studeamus igitur & nos habere, quod nemo nobis possit auferre, non ut perfunctoria; sed ut diligens audientia & religiosa mentis intentio verbo Dei deferatur, solent enim etiam ipsius semina verbi cœlestis auferri, si secus viam sint seminata. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ; hoc enim majus, hoc perfectius opus.

S. Aug. lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. „ Unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *OTIUM* sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas. "

Unum est necessarium. Varias inter vitæ hujus occupationes & curas quibus turbatur, plurima inter negotia quibus detinetur, de uno illo necessario, quod est æterna salus, frequentius cogitet Christianus homo. Laboret ut Martha, sed propter Christum; omnia sui status officia religiose impleat; omnia opera sua pia intentione & charitate ferventi sanctificet, Christo serviendo, & ad Dei gloriam totam actionum suarum & officiorum seriem referendo: Christum suscipiat, eique necessaria ministret in pauperibus. *Quod* enim (inquit) *uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſtis.* Verum cor identidem sursum erigat ad Deum. Curet, quantum potest, ut a sæcularibus curis, sollicitudinibus, & turbulentis negotiis expeditus & liber, colligat se intra se, ad cor redeat; de Deo cogitet, Deo vacet, Deum adoret. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Hoc unum; & maxime necessarium negotium. Non sollicitudo temporalium, non varietas negotiorum, non multiplicitas curarum sæcularium nobis dominetur; non cor nostrum ita impleat, ita occupet ac distrahat, ut ab æternorum bonorum cogitatione & desiderio nos avertat. Provideamus Dominum in conspectu nostro semper, gemamus & suspiremus ad cœlestem patriam, ubi unum negotium nostrum erit Deum videre, amare, & laudare in æternum.

CAPUT XI.

Sensus Litteralis.

1. *ET factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ejus ad eum*: Accidit aliquando, ut cum oraret Jesus in quodam loco, postquam orandi finem fecit, unus ex Discipulis ejus, illius exemplo ad orandum impulsus, diceret ei, suo & condiscipulorum nomine: *Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes Discipulos suos.* Doce nos optimum orandi modum, solemnem aliquam orandi formulam nobis præscribe, quemadmodum Joannes Discipulis suis præscripsit.

2. 3. 4. *Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum.* Agnoscatur, prædicetur ac laudetur ab omnibus hominibus, sicut ab Angelis laudatur, nominis tui sanctitas. *Adveniat regnum tuum*; regnum gratiæ, & gloriæ, quo in electorum tuorum corpore Christo Capiti adunato, tibique plane subjecto, æternum regnabis. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panem necessitatis nostræ da nobis in singulos dies. *Et dimitte nobis peccata nostra.* Ne punias peccata nostra, sed ea nobis misericorditer parce, culpam dele, pœnam condona; *siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Nam & nos, ex tuo præcepto, injurias nobis illatas condonamus, spe veniæ sub hac conditione per Filium tuum nobis promissæ. *Peccatum* notione Linguæ Syræ, qua loquebatur Christus, peculiari, *debitum*, & peccatores dicuntur *debitores*, ut eruditi Interpretes ante nos observarunt. *Et ne nos inducas in tentationem.* Ne nos vinci permittas a tentatione, aut tentari supra quam possumus, sed a periculis tentationum nos eripe, & da vires, gratiæ tuæ auxilium potentissimum, efficacissimum & maxime necessarium tribue, ut tentationi resistere, & insidias satanæ vincere possimus. Confer cum *Matthæi* 6. ubi eadem orationis formula plenius habetur, duabusque petitionibus auctior, quæ tamen in aliis continentur, ut S. Augustinus observat. „ Apud Evangelistam Matthæum „ (*inquit*) septem petitiones continere Dominica vide- S. Augst. „ tur Oratio, quarum tribus æterna poscuntur, reliquis Enchir. c. „ quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna conse- 115. & 116 „ quenda sunt necessaria. Nam quod dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat Regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra* (quod non absurde quidam intellexerunt in spiritu & corpore) omnino „ sine fine retinenda sunt; & hic inchoata quantumcumque proficimus, augentur in nobis; perfecta vero, quod „ in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. " *Quod vero dicimus*, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, „ Quis non videat ad „ præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque „ vita futura, ubi nos semper speramus futuros, & nos „ minis Dei sanctificatio, & regnum ejus, & voluntas „ ejus in nostro spiritu & corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est, quia hic est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est; sive spiritaliter, sive carnaliter, „ sive utroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum; hic tentationes quæ nos ad peccandum vel alliciunt vel impellunt; hic denique malum unde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est. Evangelista vero Lucas in „ Oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est: nec ab isto utique discrepavit, sed „ quomodo istæ septem sint intelligendæ, ipsa sua brevitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in „ spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem „ duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi. Deinde tres „ alias adjungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille in „ ultimo posuit, *Sed libera nos a malo*; iste non posuit, „ ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione „ dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *Sed libera*; „ non ait, Et libera, tanquam unam petitionem esse demonstrans. (Noli hoc, sed hoc) ut sciat unusquisque „ in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem. " *Quæ igitur in Græco S. Lucæ Textu hic supplentur Petitiones duæ, ex S. Matthæo additæ sunt & intrusæ.*

Hunc Evangelistæ nostri locum Tertullianus urget contra Marcionem, ut alium Deum a Creatore non orari ex Christi instituto demonstret. „ Sed quia, *inquit*, & Tertull. lib. 4. contra „ Joannes novum aliquem orationis ordinem induxerat, Marcion. c. „ ideo hoc & a Christo postulandum Discipulus ejus non 27. „ immerito præsumpserat, ut & illi de proprio Magistri sui instituto, non alium, sed aliter Deum orarent. „ Proinde nec Christus ante orationis notitiam discipulo „ contulisset, quam Dei ipsius. Ita & ipse in eum docuit orationem, quem Discipulus usque adhuc noverat. „ Denique sensus orationis quem Deum sapiant recognosce. Cui dicam, Pater? Ei qui me omnino non feci? „ A quo originem non traho? An ei qui me faciendo „ & instruendo generavit? A quo Spiritum sanctum postulem? A quo nec mundialis spiritus præstatur? An a „ quo fiunt etiam Angeli spiritus? Cujus & in primordio Spiritus super aquas ferebatur. Ejus regnum optabo venire, quem numquam regem gloriæ audivi? An „ in cujus manu etiam corda sunt regum? Quis dabit „ mihi panem quotidianum; qui nec milium mihi condit, „ an qui etiam de cœlo panem Angelorum quotidianum „ populo suo præstitit? Quis mihi delicta dimittet? Qui

„ qui

„ ea non judicando non retinet? An qui si non dimiserit, re-
„ tinebit ut judicet? Quis non sinet nos deduci in tentatio-
„ nem? Quem poterit tentator non timere, an qui a primordio
„ tentatorem Angelum prædamnavit? Hoc ordine qui alii
„ Deo supplicat, & non Creatori, non orat illum, sed infa-
„ mat. "

5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et ait illis: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes?* Exemplo familiari & sensibili, ab eo quod cuique accidere potest petito, Discipulos ad orandum humiliter, ferventer & perseveranter, Christus excitat. Si quis vestrum haberet amicum, & illum adiret intempesta nocte, hora nequaquam opportuna, & diceret illi: Amice, da mihi mutuo tres panes: *Quoniam amicus meus venit de via ad me*; imbre aut nocte impulsus in domum meam divertit eumque excipere debeo, & reficere defessum ac esurientem; *& non habeo quod ponam ante illum*, nec emere sera nocte licet. *Et ille de intus respondens*, de interiore conclavi, seu cubiculo, dicat: *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est*, quod aperire non possum sine incommodo, forte nec sine periculo: *nam pueri mei*, filii mei, *mecum sunt in cubili* & quiescunt: *non possum surgere, & dare tibi* panes. *Et si ille perseveraverit pulsans; dico vobis, etsi dabit illi surgens*, etsi non surgeret ad dandum illi, *eo quod amicus ejus sit: propter improbitatem tamen ejus surget*, propter assiduam & importunam ejus postulationem, *& dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite* a Deo, *& dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Instate orationi, & in ea perseverate, & vos impetraturos confidite quod oratis. Si enim importunus flagitator tantum obtinet ab homine amico, quid non a Deo Patre optimo supplex ill assiduus precator obtinebit? „ Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit, „ & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petat pa-
„ nem, numquid lapidem dabit illi *loco panis?* Aut piscem, *aut*
„ *si piscem petierit*, numquid pro pisce serpentem dabit illi?
„ Aut si perierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? "
Piscem cum serpente, ovum cum scorpione confert, propter similitudinem. Nam ut de anguilla taceam, quæ est angui simillima, omnis piscis repit in aquis, ut ita loquar, quomodo serpens in terra. Et scorpionis corpus est ovo simile, maxime si sit album, quale habet scorpionum prima species apud Nicandrum, Ælianum, Avicennam, & alios. Nec mole ab ovo scorpiones plurimum distant in Judæa, ut probat Bochartus. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data*, res bonas, *dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo*, Pater vester cœlestis *dabit Spiritum bonum petentibus se?* Dona Spiritus sancti, ad quæ impetranda præcipue directa est dominica oratio. Confer cum *Matthæi* 7. 8. *& seq.*

Bochart. Hierozoici lib. 4. c. 29. p. 641.

14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Et erat* JESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*, hominem mutum fecerat. *Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Non ejicit dæmonia nisi auxilio Beelzebub illorum Principis. *Et alii tentantes signum de cœlo quærebant ab eo*, ut exploratum haberent eum Dei virtute, non ope Satanæ dæmones ejicere. *Ipse autem* JESUS *ut vidit cogitationes eorum*, quod divinitatis ejus argumentum erat, *dixit eis: Omne regnum in se ipsum divisum*, adversus se ipsum divisum *desolabitur*, destruetur: *& domus supra domum cadet*, & omnis domus adversus se divisa, seu diffidens, corruet. *Si autem & Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Nonne discordia intestina dilabetur? *Quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.* Videte ergo quam absurdum sit quod dicitis me auxilio Beelzebub ejicere dæmonia, quasi ipse adversus se ipsum pugnet. *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri*, qui Exorcistas agunt, *in quo ejiciunt?* An ope Beelzebub? Id certe non putatis. *Ideo ipsi judices vestris erunt*, vosque blasphemiæ convincent, qui divina opera Principi dæmoniorum tribuere non veremini. *Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, perfecto pervenit in vos regnum Dei.* Si divina potentia, si Spiritu Dei ejicio dæmonia, certissimum argumentum est Messiæ tempus adveniisse, illumque jam apud vos agere, qui diaboli opera destructurus & regnum eversurus est. Sicut enim digitus Dei in Moyse operans mirabilia, magnalia, terribilia, signum erat proximæ liberationis Populi Israel ex Ægypto: ita nunc digitus Dei per me dæmones ejiciens, aliaque edens miracula, signum est liberationis humani generis a diaboli peccatique servitute. Confer cum *Matthæi* 12. 24. *& seq.* & *Marci* 3. 22. *& seq.*

Act. 19. 13. Josephus lib. 8. Antiq. c. 1.

Exod. 8 19.

21. 22. 23. *Cum fortis armatus custodit atrium suum*, palatium suum, domum suam, *in pace sunt omnia quæ possidet*, omnia bona ejus in tuto sunt, his tranquille fruitur. *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus*, id est, supellectilem omnem, *distribuet.* Fortiorem se dæmone significat Christus, & in mundum se venisse ut vires ejus frangat & imperium evertat, utque expoliet principatus & potestates, palam triumphans illos in semetipso. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.* Confer cum *Matthæi* 12.

24. 25. 26. *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulans per loca inaquosa*, arida, inculta, deserta, *quærens requiem*, quærens locum ubi habitet & quiescat, *& non inveniens*, quia unica ejus quies est hominibus nocere, & eos evertere, *dicit revertar in domum meam unde exivi* invitus & coactus. *Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam*, præparatam ad eum excipiendum. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se*, dæmones innumeros se nocentiores; *& ingressi habitant ibi*, in domo scilicet sive homine a quo fuerant expulsi: *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Postremus hominis illius status pejor est priore.

27. 28. *Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & felicia ubera quæ suxisti.* O beatam, quæ te peperit, lactavitque Matrem! *At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ex hoc loco contra Marcionem probat Tertullianus Christum vere natum ex muliere, vere matrem habuisse. *Rursus proinde felicitatem ab utero & uberibus matri suæ transtulit in Discipulos; a qua non transtulisset, si eam non haberet.*

Lib. 4. contra Marcion. c. 26.

29. 30. 31. 32. *Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est.* Pharisæi isti & Scribæ, homines perversi: signum quærit novum de cœlo, *& signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Nam sicut fuit Jonas signum* sive ostentum *Ninivitis*, quo agnoverunt Deum ad Ninivem subvertendam, extremasque pœnas illis inferendas paratum esse, nisi pœnitentiam agerent; *ita erit & Filius hominis generationi isti*: Sic ego signum ero genti huic peccatrici. *Regina Austri surget in judicio cum viris*, seu adversus viros *generationis hujus, & condemnabit illos, quia venit a finibus terræ audire Sapientiam Salomonis & ecce plusquam Salomon hic*, ego scilicet qui vos alloquor. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; & ecce plusquam Jonas hic.* Confer cum *Matthæi* 12. & nostros in hunc locum lege Commentarios.

3. Reg. 10. v. 2. Paralip. 9. 2. Jonæ 3. 5.

33. 34. 35. 36. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Quamobrem etsi non plerique sapientia mea, prædicatione, miraculis moveantur, neque convertantur, sapientiam tamen meam, & doctrinam salutis abscondere non debeo, nec a prædicatione regni Dei cessare. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Omnium affectionum operumque tuorum quasi lucerna est oculus mentis tuæ. *Si oculus tuus fuerit simplex*, purus, nullis pravis affectibus excæcatus, *totum corpus tuum lucidum erit*: omnia opera tua lucida erunt & recta: *si autem nequam fuerit* oculus mentis tuæ, *etiam corpus tuum tenebrosum erit*: omnia opera, quibus velut membris constat vita tua, tenebrosa erunt, veræ sapientiæ luce destituta. *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint*, ne mens tua, judiciumque obtenebretur illicitarum cupiditatum nubilo, quibus fiet ut de rebus divinis, de rebus ad salutem animæ tuæ pertinentibus non recte judices, quia prout unusquisque affectus est, sic judicat. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Si ergo affectiones tuæ omnes, omniaque opera, illustrentur, regantur, imperentur ab oculo sive corde simplici, puro, ac recto, quod nulla ex parte obnubilent tenebræ cupiditatum carnis, totum quod in te est interius exteriusque lucidum erit; omnes tuæ facultates, actiones omnes lucidæ & rectæ erunt; totus vitæ tuæ tenor lucidus erit, sicut corpus quod lucernæ fulgore illustratur. Confer cum *Matth.* 5. 15. *&* 6. 22.

37. 38. 39. 40. *Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se*: & ingressus in domum invitantis, *recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere*, sive cogitare, *quare non baptizatus esset ante prandium?* Cur manus more Judaico non abluisset, totas mersando, vel aqua perfundendo cum brachii parte cubito tenus? *Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis & catini mundatis*: cum exterioribus ablutionibus adeo scrupulosa religione seu potius superstitione studetis, similes estis illi qui exteriorem calicis aut catini superficiem mundaret, & sordes ex interiori abstergere non curaret: corpus diligenter abluitis, animum purgare negligitis: *Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod de intus est fecit?* Nonne Deus qui condidit corpus, creavit & animum? Ac proinde animi cura non minor gerenda est quam corporis, imo major, utpote nobilioris, & Deum propius attingentis.

41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Verumtamen ex iis quæ habetis, pro modo facultatum vestrarum, date eleemosynam, & sordes omnes ab animis vestris abstergentur, purgatisque & sanctificatis animis, nihil vobis erit immundum.

42. 43. 44. *Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutham, & omne olus*, qui decimas persolvitis, & persolvendas esse docetis ex herbis nullius pretii, ut mentha, rutha, & omni olerum genere, quorum decimatio Lege Domini præscripta non est: *& præteritis judicium, & charitatem Dei*: & prætermittitis æquitatis naturalis officia, & Dei mandata, imprimisque præcepta charitatis, in quibus summa divinæ Legis est. *Hæc autem*

Maimonides Tract. de Decimis c. 2.

Natal. Alex. In Evang.

oportuit facere, quæ Lege Dei præſcripta ſunt, & *illa non omittere*, nimirum ſpontaneas oblationes decimarum, quas in moribus habetis. *Væ vobis Phariſæis, quia diligitis*, & ambitioſe affectatis *primas cathedras in Synagogis*, & *ſalutationes in foro*: publice ſalutari amatis, honoris & reverentiæ cauſa. *Væ vobis, quia eſtis ut monumenta quæ non apparent*, & *homines ambulantes ſupra neſciunt*. Similes eſtis ſepulchris, nullo ſigno diſtinctis, ſuper quibus homines incaute ambulantes legalem contrahunt immunditiam: animum vitiis ſcatentem & fœtidum habetis, quamvis ſpeciem pietatis hominum oculis exhibeatis, hypocritæ.

45. *Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis*. Decretis ac obſervantiis fœderati erant Phariſæi & Legiſperiti. Phariſæi Legiſperitorum decreta & traditiones accuratiſſime obſervabant: Legiſperiti Phariſæorum ſanctimoniam magnis laudibus efferebant. Hinc quod iſtis injurioſum videbatur, illi quoque ſibi contumelioſum cenſebant; maxime cum plerique Legiſperiti Phariſæi eſſent.

46. *At ille*, JESUS, *ait. Et vobis Legiſperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt*, ſtatutorum veſtrorum graviſſimis oneribus opprimitis homines: & *ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas*: & ne digitum quidem admovere velletis ad ſublevandos homines ſub earum ſarcinarum pondere.

47. 48. 49. 50. 51. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem veſtri occiderunt illos. Profecto teſtificamini* operibus veſtris *quod conſentitis operibus patrum veſtrorum*, & eorum facinora reipſa approbatis: *Quoniam ipſi quidem eos occiderunt: vos autem ædificatis eorum ſepulchra*, ſpecie quidem pietatis, animo tamen non abſimili, & in ſanctorum perſecutionem ac cædem æque propenſo. Prophetæ magno ſcilicet, quem Moyſes apud vos ſurrecturum prædixit, Prophetarum illuminatori & fini mihi, qui vobis loquor, inſidias ſtruitis, & mortem inferre meditamini. *Propterea & Sapientia Dei dixit*, id eſt, ego qui ſum Sapientia Patris, dico: *Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos*, & *ex illis occident*, & *perſequentur: ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt a conſtitutione Mundi, a generatione iſta:* ut a gente iſta pœnæ repetantur ob effuſionem ſanguinis omnium Prophetarum ab orbe condito; *a ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter Altare & Ædem*; inter altare holocauſtorum ſitum in medio atrii Sacerdotum, & inter ipſam ædem ſacram Templi, illud ſcilicet ædificium quod Sanctum & Sancta Sanctorum complectitur. *Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione*. Profecto gens iſta pœnas dabit ob ſanguinem Juſtorum ab ea effuſum. Confer cum *Matthæi* 23.

52. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis*, & *eos qui introibant, prohibuiſtis*. Subſtuliſtis, & vobis arrogaſtis clavem ſcientiæ, poteſtatem interpretandi Legem & Prophetas, cujus in poſſeſſionem mitti clave data cum pugillaribus, ſolemnis mos eſt: *ipſi non introiſtis* in Prophetiarum ſenſum, non illum attigiſtis, cæcitate veſtra præpediti; non intellexiſtis, quod ex Prophetarum oraculis perſpicuum eſt, Meſſiæ tempus adveniſſe, meque Chriſtum eſſe a Deo promiſſum: & eos qui ad introeundum, id eſt ad credendum in me parati videbantur, prohibuiſtis, avocantes eos a ſermonibus meis audiendis, ex quibus me verum eſſe Meſſiam intelligere potuiſſent. Confer cum *Matthæi* 23.

53. 54. *Cum autem hæc ad illos diceret, cæperunt Phariſæi & Legiſperiti graviter inſiſtere*, illum multis quæſtionibus captioſe propoſitis urgere, & *os ejus opprimere de multis*, & inſtare ut ad multa reſponderet, *inſidiantes ei*, & *quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum*. Reſponſa ejus inſidioſe aucupabantur, ſi quid forte ex ore ejus elicerent, quod in malam partem verti poſſet, & argui vel accuſari quaſi contrarium Dei honori, Legi, Seniorum ſcitis, vel Cæſaris juribus.

SENSUS MORALIS.

Tertull. lib. de Oratione.

1. DIxit *unus ex Diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare*. Docuerat & Joannes diſcipulos ſuos adorare, ſed omnia Joannis Chriſto præſtruebantur, donec ipſo aucto, ſicut idem Joannes prænunciabat illum augeri oportere, ſe vero diminui, totum præminiſtri opus cum ipſo ſpiritu tranſiret ad Dominum. Ideo nec exſtat in quæ verba Joannes docuerit adorare, quod terrena cœleſtibus ceſſerint. „ Deus ſolus docere potuit, ut ſe vel„ let orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & „ de Spiritu ipſius jam tunc cum ex ore divino ferretur, „ animata, ſuo privilegio aſcendit in cœlum, commen„ dans Patri quæ Filius docuit. "

Tertull. ibid.

2. *Cum oratis, dicite: Pater, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum*, &c. Hæc oratio quantum ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem pene ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, ut revera in oratione *Breviarium totius Evangelii* comprehendatur . . . „ Compendiis paucorum verborum „ quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, „ Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, exempla, „ præcepta? Quot ſimul expunguntur officia? Dei ho„ nor in Patre, fidei teſtimonium in nomine, oblatio „ obſequii in voluntate, commemoratio ſpei in regno, „ petitio vitæ in pane, exomologeſis debitorum in de„ precatione, ſollicitudo tentationum in poſtulatione tu„ telæ. "

Pater ſanctificetur nomen tuum. Ordo petitionum ordinem indicat deſideriorum; ordo vero deſideriorum, ordinem charitatis, qua Deus colitur. Non timore ſervili, ſed filiali dilectione Deus colendus, adorandusque in ſpiritu & veritate. Propter ſeipſum expetendus, quærendus ac diligendus eſt. Illo uno fruendum, id eſt, amore illi inhærendum propter ſeipſum. Primum ergo cordis noſtri deſiderium debet eſſe Dei gloria, ſanctificatio Nominis ejus & regnum gratiæ ejus. *Sanctificetur nomen tuum*. Deſiderium alterum ferri debet in adventum regni Dei per gloriam ejus, quæ perfectio erit divinæ adoptionis, plenitudo cognitionis Dei & Chriſti Jeſu, conſummatio charitatis, electorum omnium ceu membrorum unio ſempiterna Chriſto capiti, Sabbatiſmus æternus populi Dei. *Adveniat regnum tuum*. Tertium deſiderium eſt ſanctificationis noſtræ, & quotidiani gratiæ ejus adjutorii ad illam maxime neceſſarii. Panis noſter quotidianus, Dei gratia eſt; patrimonium, gloria . . . Illa neceſſaria eſt ne deficiamus in via: illam petere in oratione debemus, donec ad patriam pervenerimus, in qua pane cœleſti ipſo Deo ſatiabimur. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Quartum deſiderium eſt remiſſionis peccatorum noſtrorum per miſericordiam Dei. Viatori quippe non ſolum neceſſarius eſt cibus quo ſuſtentetur, ſed & impedimenta removeri oportet, quibus ejus iter prohiberi vel retardari poteſt, ſolvenda debita, finiendæ lites, conciliandi inimici. Quæ omnia tibi facilia ſunt, Chriſtiane, ſi charitatem habeas per Spiritum ſanctum in corde diffuſam. Si vero non habes, banc a Deo poſtula, qui recte petentibus dare paratus eſt. *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis*. Quintum deſiderium eſt perſeverantiæ in amore Dei ſuper omnia. Quid autem eſt petere ne tentationi ſuccumbamus, quam donum perſeverantiæ petere? Peregrinamur in hoc mundo, theſaurum gratiæ portantes in vaſis fictilibus, inter medios hoſtes, a dextris & a ſiniſtris inſidiantes ut pretioſum illum theſaurum nobis eripiant. Sollicite ergo vigilandum & orandum eſt ne eorum inſidiis capiamur; ne inſultibus ſuccumbamus. *Et ne nos inducas in tentationem*. Hæc primaria & fundamentalia Chriſtiani hominis deſideria, cetera accidentia ſunt. *Præmiſſa legitima & ordinaria oratione, quaſi fundamento, accidentium ejus eſt deſideriorum, jus eſt ſuperſtruendi extrinſecus petitiones*.

Tertull. lib. 4. de Orat.

5. 8. „ Et ait ad illos: Quis veſtrum habebit ami„ cum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, „ Amice, commoda mihi tres panes? . . . Et ſi ille per„ ſeveraverit pulſans, dico vobis, etſi non dabit illi ſur„ gens eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem „ tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſ„ ſarios. Et ergo dico vobis; Petite, & dabitur vobis; „ quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis. " Quis nobis magis amicus Deo, qui nobis Pilium ſuum unigenitum dedit? Quis magis amicus Chriſto, qui pro nobis Corpus ſuum tradidit? Patet ſemper janua miſericordiæ ejus. Nullum intempeſtivum tempus eſt ipſum adeundi & orandi. Paratus eſt, non ad commodandum tantum, ſed ad donandum, non tres panes materiales, ſed ſeipſum panem vitæ æternæ. Nullum intempeſtivum tempus eſt accedendi cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Ab hoc media nocte David panes petiit, & accepit: petiit quando dicebat: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*; ideo meruit hos panes quos appoſuit nobis edendos. Petiit, cum dicit, *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*; neque enim timuit ne excitaret dormientem, quem ſcit ſemper vigilantem. Nuſquam illi moleſti ſumus orando, numquam importuni: immo optat maxime ut orantes ab illo cœleſtia dona petamus, donec obtinuerimus; placet ut perſeverantia noſtra in oratione vim illi inferamus. *Hæc vis Deo grata eſt*. Sine intermiſſione igitur oremus; in oratione perſeveremus. „ Dominus no„ ſter Jeſus Chriſtus inter nos petitor, cum Patre da„ tor, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, „ niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia: Plus „ vult ille dare, quam nos accipere: plus vult ille mi„ ſereri, quam nos a miſeria liberari . . . Pulſa, dare „ vult. Et quod dare vult, differt, ut amplius delideres „ dilatum, ne vileſcat cito datum. Cum autem perve„ neris ad tres panes, hoc eſt, ad cibum & intelligen„ tiam Trinitatis, habes & unde vivas, & unde pa„ ſcas . . . Cibus & Panis æternus, & Pater, & Filius, „ & Spiritus ſanctus. Diſce & doce; vive & paſce. Deus „ qui tibi dat, nihil melius quam ſe tibi dat. Avare, „ quid

S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. n. 87.

Pſal. 118. 62. Iſai. c. 7.

Tertull. lib. de Orat. S. Aug. ſer. 105. alias 29. de Verbis Dom.

„ quid aliud quærebas? Aut ſi aliud petas, quid tibi „ ſufficit, cui Deus non ſufficit?“

Amice, commoda mihi tres panes. Amicum cum uxo-
S. Bern. ſerm. de tribus Panibus in Rogat. re & mancipio adveniſſe cogita, ut ſuum cuique panem apponere velit amicus. „ Ego quidem amicum venientem „ ad me non alium intelligo quam me ipſum. Nemo quip- „ pe charior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergo „ de via venit amicus, cum tranſitoria deſerens, ad cor „ redeo. Deinde tunc vere ſibi quiſque amicus eſt, cum „ de via redit, quoniam qui diligit iniquitatem, odit „ animam ſuam. A die itaque converſionis meæ de via „ venit mihi amicus. Venit de regione longinqua, ubi „ paſcere porcos, & ipſorum ſiliquas inſatiabiliter eſuri- „ re ſolebat. Venit fame laborans; ego mendicus, & in „ domo mea non eſt panis. Feſtina, inquit, diſcurre, „ ſuſcita amicum tuum illum magnum, quo majorem di- „ lectionem nemo habet, ſed neque ſubſtantiam ampliо- „ rem. Quære, pete, pulſa; quia omnis qui petit acci- „ pit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. „ Clama & dic: *Amice, commoda mihi tres panes.* Qui „ ſunt iſti panes? Panis *veritatis*, Panis *charitatis*, Pa- „ nis *fortitudinis*. His tribus egere me fateor, veniente „ ad me amico de via, cum uxore & mancipio. Deficit „ quippe ratio mea præ ignorantia veritatis, languet vo- „ luntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia „ fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda „ ſunt; & voluntas minus diligit intellecta; & ad hæc „ etiam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut „ non quæcumque volumus, hæc faciamus. *Aruit cor* „ *meum*, etiam & corpus meum, *quia oblitus ſum come-* „ *dere panem meum*. Neque enim paterer hunc defectum, „ ſi jugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione verita- „ tis, voluntas in deſiderio charitatis, caro in operatio- „ ne virtutis. Commoda ergo mihi, amice, Deus meus, „ Salvator meus, qui mihi inimico tuo amicus fieri di- „ gnatus es, *Commoda mihi tres panes*, ut intelligam, „ ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. *Sic* enim *vi-* „ *vitur*, & *in talibus vita ſpiritus mei*, dicente Scri- „ ptura: *Quoniam vita in voluntate ejus.*“

Pſal. 29. 11. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem, numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum, numquid porriget illi ſcorpionem?* Opus eſt ut habeamus charitatem, fidem, ſpem, ut nobis dulce ſit quod a Deo datur. Et hæc ipſa
S. Auguſt. ſerm. 105. dona Dei ſunt, fides, ſpes, charitas. Nunc manent tria
2. Cor. 13. 13. hæc, fides, ſpes, charitas, *major autem horum eſt cha-* *ritas*. Panis, qui piſce & ovo major eſt, ſymbolum eſt charitatis. Propterea pani lapidem oppoſuit, quia duritia contraria eſt charitati. Hæc autem cordis duritia, non eſt a Deo, ſed ab hominis malitia. Piſcis ſymbolum eſt fidei. Ut enim piſcis inter fluctus vivit: ita inter fluctus tempeſtateſque hujus ſæculi vivit pia fides; ſævit mundus & integra eſt. Tantum contrarium fidei ſerpentem anti- quum obſerva, de quo ait Apoſtolus: *Timeo autem ne ſicut*
2. Cor. 11. 2. & 3. heſ. 3. 17. *ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſen-* *ſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto*; id eſt, quæ eſt in fide Chriſti. *Habitare*, inquit, *Chri-* *ſtum per fidem in cordibus veſtris*. Diabolus ergo non cor- rumpat fidem, non devoret piſcem. Pius Pater piſcem petentibus, fidei rogantibus incrementum, ſerpentem non immittet, nec illum nocere ſinet orantibus. Ovum ſym- bolum eſt ſpei, de qua ſcribit Apoſtolus: *Spe enim ſalvi facti ſumus: Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam*
Rom. 8. 24. & 25. *quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod videmus ſpe-* *ramus, per patientiam exſpectamus*. Quod enim videt quis, quid ſperat? Ovum eſt, pullus nondum eſt. Et teſtudine tectum eſt, non videtur, quia operitur, cum patientia exſpectetur, ferveſcat, ut excludatur & vivat pullus. In- tende, extendere in anteriora, obliviſcere præterita. *Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non* *videntur, æterna*. Noli retro reſpicere. Ovo tuo ſcor-
2. Cor. 4. 13. pium time. Vide quia de cauda percutit, quam retro ha- bet. Non ergo ſcorpius perimat ovum tuum, mundus iſte ſpem tuam veneno contrario. Quanta tibi loquitur mundus, quanta poſt dorſum ſtrepit, ut retro reſpicias, id eſt, ut in rebus præſentibus ſpem tuam ponas; & ab eo quod promiſit Chriſtus, ſed nondum dedit, avertas ani- mum tuum, & velis requieſcere in mundo pereunte? Ovum petenti non porriget ſcorpium pius Pater, ſed ipſe retro reſpiciens, te ſcorpioni, id eſt, mundo percu- tiendum offers.

13. *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare* *filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit Spi-* *ritum bonum petentibus ſe?* Spiritus bonus, divini amoris ſpiritus eſt, quem Deus jubet ut ab illo petamus. Solum hoc donum Deo dignum eſt, & illis quibus Filium ſuum dedit. Nihil frequentius, nihil ferventius petere debemus. Sed heu, nihil infrequentius, nihil frigidius petitur. Vo- ta nuncupant Chriſtiani, Miſſas celebrari curant, novem- dialia precum offerunt, pias peregrinationes ſuſcipiunt ob valetudinem recuperandam, ob evincendam litem, ob temporalium bonorum conſervationem vel adeptionem, ob proſperum negotii cujuſvis exitum: quotuſquiſque eſt qui Spiritum bonum a Deo petat?

Natal. Alex. In Evang.

14. 15. *Et erat ejiciens dæmonium; & illud erat mu-* *tum . . . Quidam autem ex iis dixerunt: In Beelzebub* *Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Quorumdam linguam ligat dæmon, illoſque mutos efficit, ut eos ſub imperio ſuo, & miſerabili ſervitute retineat, impediens ſcilicet ne peccata confiteantur Sacerdoti, quod neceſſarium eſt ad excutiendum Satanæ jugum, & ad Dei miſericor- diam obtinendam; vel ne confiteantur integre. Ligat autem eorum linguam humani timoris, & pudoris mali vinculis, ut remedium timeant, qui morbum peccati non timent: ut erubeſcant ulcus peccati oſtendere Medico ad curationem, qui non erubeſcunt ante Deum ob ipſius pec- cati fœditatem. Confeſſionem fugiunt ut publicationem ſui, *pudoris magis memores quam ſalutis; velut illi qui* *in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione* *conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia* *ſua pereunt*. Ut hujuſmodi muti loquantur, ut peccata *Tertull. lib. de Pœnitent.* ſua integre, ſincere, contrito corde confiteantur, eji- ciendus eſt dæmon ex eorum animo, quod ſola gratia Dei per Jeſum Chriſtum operari poteſt. Solus Chriſtus in Spiritu Dei ejicere poteſt dæmonem ex corde peccato- ris, inſpirando illi amorem pœnitentem, auferendo ar- ma in quibus dæmon confidebat, ſcilicet amorem vo- luptatum, cupiditatem divitiarum, & ſuperbiam vitæ ſeu honorum, & gloriæ ſæcularis deſiderium ac ambitio- nem. Franguntur vires dæmonis, arma ejus auferun- tur, cum vincitur ac deſtruitur cupiditas fortiori robore charitatis.

Aliorum linguam ſolvit dæmon ut male loquendo re- gnum ejus firment ac propagent blaſphemiis in Deum, calumniis & detractionibus in Dei ſervos. *Quidam au-* *tem ex eis dixerunt: in Beelzebub Principe dæmoniorum* *ejicit dæmonia*: Nonne eorum linguam ſolvit, movetque dæmon, qui Sacerdotes quoſdam velut Eccleſiæ inimicos infamant, quos in aſſerenda & propugnanda doctrinæ ejus veritate, in ſanctiore morum diſciplina tuenda & firmanda, in ejiciendis errorum & peccati dæmoniis oc- cupatos conſpiciunt ac ſuſpiciunt omnes quibus ſimplex eſt oculus, nullaque invidiæ nebula obtenebratus. Verum qui calumnias hoc modo patiuntur, ſorte ſua ſe felices putent, Deo nihilominus & Eccleſiæ ſervire non deſi- nant: meminerint ſermonis Domini: *Non eſt diſcipulus* *ſupra Magiſtrum. Si Patrem-familias Beelzebub vocave-* *Matth. 10. 24.* *runt, quanto magis domeſticos ejus?*

22. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace* *ſunt omnia quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens* *vicerit eum, univerſa arma ejus auferet*, &c. Chriſtus Je- ſus forti armato infinite fortior, illum tamen non poteſtate ſola, ſed juſtitia debellavit. Homini quaſi jure dominabatur diabolus, qui ſe ejus imperio volens ſubdiderat: unde ut juſte vinceretur, de homine vincendus fuit. Ideo Filius Dei homo factus eſt, ut diabolum debellaret. „ Superbia hoſtis anti- „ qui non immerito ſibi in omnes homines jus tyrranicum „ vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a „ mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis *S. Leo ſer. 2. in Nat. Dom.* „ illexerat. Non itaque juſte amitteret originalem deditі- „ tii generis ſervitutem, niſi de eo quem ſubegerat vin- „ ceretur.“ Habebat ergo diabolus juſtam quodammodo in homines poteſtatem, non tamen juſtam illos captivos detinendi & excarnificandi voluntatem. Unde non diabolus qui invaſit, non homo qui meruit, ſed juſtus Dominus qui expoſuit. „ Non enim a poteſtate, ſed a voluntate juſtus „ injuſtuſve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in „ hominem jus, etſi non jure acquiſitum, ſed nequiter uſur- *S. Bern. Epiſt. 260.* „ patum, juſte tamen permiſſum. Sic itaque homo juſte „ tamen captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, „ nec in diabolo illa eſſet juſtitia, ſed in Deo. Quam- „ obrem incarnatus Dei Filius diabolum non ſola poten- „ tia, ſed & juſtitia maxime debellavit, homineſque ab „ ejus tyrannide eripuit. Præclare differentem ea de re „ S. Auguſtinum audiamus. Non autem diabolus poten- „ tia Dei, *inquit*, ſed juſtitia ſuperandus fuit. Nam *S. Auguſt. lib. 13. de Trin. c. 13.* „ quid Omnipotente potentius, aut cujus creaturæ poteſtas „ poteſtati Creatoris comparari poteſt? Sed cum diabolus „ vitio perverſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & „ deſertor oppugnatorque juſtitiæ; ſic enim & homi- „ nes eum tanto magis imitantur, quanto magis negle- „ cta vel etiam perola juſtitia, potentiæ ſtudent, ejuſ- „ que vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupi- „ ditate; placuit Deo, ut propter eruendum hominem „ de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed juſti- „ tia vinceretur: atque ita & homines imitantes Chri- „ ſtum, juſtitia quærerent diabolum vincere, non po- „ tentia. Non quod potentia quaſi mali aliquid fugien- „ da ſit, ſed ordo ſervandus eſt, quo prior eſt juſtitia. „ Nam quanta potentia poteſt eſſe mortalium? Teneant „ ergo mortales juſtitiam, potentia immortalibus dabi- „ tur.“

26. *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Dæmon ex hominis animo expulſus, revertendi voluntа- tem non deponit. Novit unde cor minus munitum ſit, *S. Aug. ſer. 32. alias 20. de Di- verſis.* unde facilius poſſit impugnari: *Januas* obſervat per quas intret, *cupiditatis, & timoris*. Si qui juſtificatus eſt, mi- nus vigilet, de ſua victoria ſecurus, ſi bonis operibus &

assidua ferventique oratione suam cum Deo reconciliationem non confirmet; si velut in propria justitia, & fulgido virtutum ornatu sibi complaceat, ac in se, non in Domino glorietur, in talem animam velut *scopis mundatam & ornatam* cum gaudio redit. *Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Si enim Judæi ex Ægypti servitute liberati, & Dei Populus per fœdus Legis effecti, cui factæ sunt promissiones, & ex quo Christus secundum carnem, in pejorem longe statum inciderunt, rejecto Christo, mortique tradito; sine Templo, sine sacrificiis & Sacerdotibus, extorres e patria, vagi, servi, omnibus invisi: quanto deterior status est Christiani, qui a divina adoptione excidit, amissa Baptismi gratia, Christi sanguine conculcato, Spiritu sancto rejecto, & spiritu immundo in locum ejus introducto? „ Irritam quis faciens Legem „ Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus „ moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem te„ stamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & „ Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? ... Horendum est „ incidere in manus Dei viventis. " Frequenti in eadem vel nova crimina relapsu fit ut homo sibi dimissus, sibique donatus induretur, induratus in finali impœnitentia moriatur. *Nec seipso quippe homo divina voluntate contempta, nisi perniciose uti potest. Se quippe amans, donatus est sibi.* Hinc Deus per Prophetam ait: *Populus meus non audivit vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

Heb. 10. 28.

S. Aug. lib. 15. *de Civit. Dei, cap.* 2.

Psalm. 82.

27. 28. *Quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Quid aliud his verbis docet nos Christus, nisi carnali cognationi genus nostrum spiritale præponere: nec inde beatos esse homines, si justis & sanctis carnis propinquitate junguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohæresc unt? *Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Denique fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.*

S. Aug. lib. de sancta Virginitate c. 3.

33. 34. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit &c. Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Duo sunt ad vitam recte instituendam necessaria, lucerna fidei, & bonæ intentionis oculus. Fides lucerna est, in caliginoso quidem loco lucens, sed tamen interiorem hominem illuminans, ne in via offendat. Hanc accendit Deus in cordibus nostris, non solum ut luceat, sed ut ardeat per charitatem. Lumen porro fidei abscondi non debet a nobis, sed foras erumpere, & per opera bona quasi super candelabrum poni, ut qui ingrediuntur, lumen videant, & impleatur quod præcipit Christus: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Bona autem omni ex parte non sunt opera, nisi recta intentione fides dirigatur. *Bonum* scilicet *opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Pura & recta intentio, Christianæ vitæ oculus est. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* „ Quid per oculum exprimitur (inquit „ S. Gregorius Magnus) nisi opus suum præveniens cor„ dis intentio? Quæ priusquam se actione exerceat, hoc „ jam quod appetit contemplatur? Et quid appellatione „ corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intention„ nem suam quasi intuentem oculum sequitur? Lucer„ na itaque corporis est oculus: quia per bonæ intentio„ nis radium, merita illustrantur actionis. *Et si oculus „ tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit:* „ Quia si recte intendimus per simplicitatem cogitatio„ nis, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse „ videatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum cor„ pus tuum tenebrosum erit*: quia cum perversa intention„ tione quidve rectum agitur, etsi splendere coram ho„ minibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis „ obscuratur. Unde & recte subjungitur: *Vide ergo ne „ lumen quod in te est, tenebræ sint.* Quia si hoc quod „ bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus; quanta ipsa mala sunt, quæ mala esse etiam cum „ agimus non ignoramus? Etsi ibi nil cernimus, ubi qua„ si discretionis lumen tenemus: qua cæcitate in illa of„ fendimus, quæ sine discretione perpetramus? Vigilanti „ igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pen„ sanda est, ut nil temporale in his quæ agit appetat, „ totam se in soliditate æternitatis figat; ne si extra „ fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra de„ hiscente solvatur. Unde Job 38. dicitur: *Super quo „ bases illius solidatæ sunt?* Bases quippe uniuscujusque „ sunt animæ intentiones suæ. Nam sicut fabrica colum„ nis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita no„ stra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione „ subsistunt. Et quia scriptum est: *Fundamentum aliud „ nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod „ est Christus Jesus*; tunc bases in fundamento sunt, „ cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Incas„ sum vero alta super se bases ædificia erigunt, si non „ ipsæ in fundamento solidatæ consistunt: quia quam„ libet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cor„ dium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & „ vitæ veræ præmia non requirunt: tantoque graviora „ ruinæ super se damna ædificant, quanto altiora ædifi„ cia extra fundamentum portant: quia cum æternæ „ vitæ præmia non intendunt, quo plus se quasi in vir„ tutibus erigunt, eo in gloriæ inanis foveam profun„ dius cadunt."

S. Aug.

S. Greg. lib. 28. *Mor. cap.* 6.

1. *Cor.* 3.

36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum.* Si universitas operum tuorum omni ex parte lucida fuerit, ut scilicet bona sit operatio, & recta puraque operantis intentio, nullaque pars tenebrarum alterutram obnubiler, id est, nulla peccata quibus obscuratur oculus hominis interioris, nempe vel tumor superbiæ, vel lutum luxuriæ, vel pulvis avaritiæ, de quibus Apostolus ait, *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*: omnis vitæ tuæ tenor lucidus erit, & te splendidum fulgidumque reddet, tum in præsenti vita, splendore gratiæ: *Justorum* enim *semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem*: tum in futuræ splendore gloriæ: *Tunc* enim *fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum.*

Rom. 13.

Proverb. 4. 8.

Matt. 24. 43.

39. *Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis & catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.* Christus ad prandium invitatus, non pepercit ei cujus ad mensam recumbebat. Quinimo *Magis objurgando pepercit, ut correcto in judicio parceret.* Hinc discant Sacerdotes & Concionatores non esse parasitos, non adulari ut ad epulas invitentur, veritatem non dissimulare, publicos peccatores coram omnibus arguere; privatos privatim docere & corripere: missionis suæ finem hunc esse meminisse, *Ut destruatur corpus peccati.*

S. Aug. serm. 106. *alias* 30. *de Verbis Dom.*

Summa stultitia est, externa dumtaxat pietatis officia, morum gravitatem, modestiam in ornatu, frugalitatem in mensa præ se ferre; conscientiæ vero munditiem, animæ sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, negligere. Quid proderant Pharisæis superstitiosæ ante prandium lotiones, cum sordidas & immundas animas haberent? *Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate?* Et quid prodesset Christianis Baptismus ipse sine interiori sanctificatione, & fides quæ cor mundat, sine conscientiæ bonæ interrogatione? *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera* Dei. Quam stultum est pietatis speciem & larvam præ se ferre ut hominibus placeas, a quibus æterna felicitas tua non pendet; pietatis veritatem non sectari ut placeas Deo, qui te solus beatum sui fruitione facere potest? Curam gerere corporis, non animæ, secundum quam ad imaginem Dei creatus es, & cujus dumtaxat sanctitate, puritate, pulchritudine ex gratia, charitate, ceterisque virtutibus comparata, ejus oculis placere potes! *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod de intus est, fecit?*

1. *Petr.* 3.

41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Eleemosyna scilicet animo pœnitente erogata peccata expiat, & pro illis satisfacit: *Misericordia & veritate redimitur iniquitas* (inquit Salomon) *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum* (ait Daniel Regi Nabuchodonosor) *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam* (ait Tobias.) *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis* (ait Siracides.) *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eleemosyna genus quoddam baptismatis est. Nam *sicut Lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua & jugis operatio Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur... Misericors docet ac monet misericordiam fieri; & quia servare quærit quos magno pretio redemit, post Baptismi gratiam sordidatos docet denuo posse purgari. Agnoscamus itaque, fratres charissimi, divinæ indulgentiæ munus salubre, & emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus.*

Proverb. 16. 6. *Daniel.* 4. 24 *Tobiæ* 4. 11. 12. *Eccli* 3. 33. & *c.* 29. 15. *S. Cypr. Tract. de Opere & Eleemos.*

CAPUT XII.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. MUltis autem turbis circumdantibus JESUM *ita ut se invicem conculcarent, cœpit di-*

ere

cere ad Discipulos suos: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis: Cavete a Pharisæis, eorum vitate commercium, ne mores eorum noxios imitemini, qui virtutis & sanctitatis simulatione populum devinciunt, ut in errorem inducant. *Nihil autem opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur*. Perversi Pharisæorum mores non semper latebunt; sed detracta larva sanctitatis, eorum vitia dies Domini revelabit. Vel, Evangelium, quod nunc opertum est, & a cujus fide populum avocant, quantum possunt Pharisæi & Legisperiti, prædicatione vestra orbi revelabitur universo. *Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis*. Quæ clam & secreto dixistis metu Pharisæorum, Legisperitorum, Senatorum, palam & aperte dicentur, ut omnes audire possint; cum Spiritus sanctus, quem mittam vobis, dederit vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.

4. 5. *Dico autem vobis amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus*, qui mortem corpori possunt inferre, & qui publica potestate ad piorum persecutionem abutuntur, *& post hæc non habent amplius quid faciant*, cum animæ nocere non possint, quæ in Dei manu est: *Ostendam autem vobis quem timeatis*. Quem timere merito debeatis: *Timete eum, qui postquam occiderit* corpus, *habet potestatem mittere* animam superstitem *in gehennam*, æternis suppliciis, si rea fuerit, cruciandam. *Ita dico vobis, Hunc timete*. Hic vobis præcipue timendus est: homines autem qui vitam corporis vobis eripere possunt, ne ita timeatis, ut metu malorum quæ vobis inferre possunt, ab officio vestro, & obedientia Deo debita vel minimum unquam recedatis. Confer cum *Matthæi* 10. 28.

6. 7. *Nonne quinque passeres væneunt dipondio*, id est, duobus assariis, sive duobus assibus minutis, *& unus ex illis non est in oblivione coram Deo?* & tamen cum apud homines sint ita viles ut multi simul tam exiguo pretio vendantur, singulos tamen novit Deus; & singulorum providam curam gerit. *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. Sed vestri Deus longe majorem curam gerit, quam passerum, vobis amore singulari prospicit, ut pater amantissimus & providentissimus, adeo ut capillorum capitis vestri numerum noverit, quemadmodum homines possessionum suarum. Novit a fortiori Deus & disponit omnia quæ vobis eveniunt. *Nolite ergo timere*. Quæ enim vobis inferentur ab hominibus mala, vobis non nocebunt, sed proderunt plurimum ad probationem virtutis, ad salutem & gloriam. *Multis passeribus pluris estis vos*. Deus vos pluris facit quam infinitos passeres, & quæ ad vestram utilitatem pertinent, providentia & dilectione singulari procurat.

8. 9. *Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*. Qui hominum timore postposito meam fidem corde & ore palam & aperte confessus fuerit, seque meum esse discipulum verbis & operibus declaraverit, & ego illum esse meum fatebor, & tanquam meum recipiam & remunerabo coram Angelis Dei in supremo judicio. Secundum Græcum Textum, *Quicumque confessus fuerit in me*; quam lectionem Tertullianus in Scorpiaco, & S. Chrysostomus homil. 35. in Matthæum sequuntur. Sed revera idem sensus est, quamvis τὸ *in me*, sensum singularem exprimere Chrysostomus censeat, neminem scilicet confiteri posse Christum, nisi per gratiam ipsius. Verum Sanctus Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum, cap. 16. eodem modo legit hunc locum, quo nos in Vulgata nostra. *Qui autem negaverit me coram hominibus; negabitur coram Angelis Dei*. Qui metu damnorum temporalium vel tormentorum se meum discipulum esse negaverit ore vel opere, coram hominibus; hunc etiam negabo meum esse, hunc repellam a me, & rejiciam in ultimo judicio, inter hædos, maledictos, flammis æternis damnatum. Confer cum *Matthæi* 10. 32.

Tertullian. Scorpiaci c. 9. sic interpret. Qui Christi est, in Christo sit necesse est: si in Christo est Christum utique confitetur, cum se Christianum confitetur.

10. *Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur*. Illis qui convicium in me dicunt quatenus homo sum, meque non cognoscentes, opera humanitatis meæ calumniantur, me seductorem propter novitatem doctrinæ, potatorem vini propter vitam communem, filium fabri propter paupertatem appellant, facilius convitium illud & blasphemia remittetur: utpote qui ex ignorantia peccent. Qui autem opera divinitatis meæ considerantes, qualia sunt, dæmonia ejicere, morbos curare, & adhuc non credentes illa calumniantur, dæmonisque operationi adscribunt, quæ nonnisi Spiritus sancti virtute possunt effici, hoc peccatum illis difficilius remittetur, utpote ex malitia & pertinacia blasphemantibus, & claudentibus sibi viam per quam pervenitur ad veniam. Confer cum *Matth.* 12. 22. nostrumque in hanc Domini sententiam Commentarium lege.

11. 12. *Cum autem inducent vos in Synagogas*, cum in Conventus Judæorum *& ad Magistratus, & Potestates* trahemini propter confessionem nominis mei, & Evangelii prædicationem, *Nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis*; Nolite anxie cogitare de rebus aut verbis, quæ respondere debeatis; & qua ratione propugnare debeatis Evangelii doctrinam, quam pernicioſæ novitatis nomine accusant & impugnant. *Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere*. Hunc locum contra Marcionem Tertullianus profert, ut Christum Jesum non alio quam Creatoris nomine locutum & operatum fuisse probet. „ Perductos (*inquit*) ad Potestates, prohibet ad interrogationem „ cogitare de responsione: Sanctus enim (*inquit*) Spi„ ritus docebit vos ipsa hora quid eloqui debeatis. Si ejus„ modi documentum Creatoris est, ejus erit & præce„ ptum, cujus præcesserit exemplum. Balaam Prophetes in „ Arithmis accersitus a Rege Balac ad maledicendum „ Israelem, cum quo prœlium inibat, simul Spiritu im„ plebatur, non ad quam venerat maledictionem, sed „ quam illi ipsa hora Spiritus sanctus suggerebat, bene„ dictionem pronuntiabat, ante professus apud nuntios „ regios, mox etiam apud ipsum, id se pronuntiaturum „ quod Deus ori ejus indidisset." *Tertull. lib. 4. contr. Marc. cap. 28. Numer. 22. & 24.*

13. 14. *Ait autem ei quidam de turba*, ipsum interpellans ut judicem vel arbitrum: *Magister, dic*, jube *fratri meo*, ea qua polles auctoritate, *ut dividat mecum hæreditatem*, ne plus justa parte detineat, sed jure mihi debitam portionem mihi det. *At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Respondet ad mentem interpellantis, qui non tam illum rogabat, quam hanc velut officii ejus functionem expostulabat, de terrenis bonis, quam spiritualibus & æternis magis sollicitus: Quis mihi munus illud tribuit vel demandavit judicandi lites de rebus terrenis exortas, vel familiæ erciscundæ, seu dividendarum hæreditatum? Quasi dicat. Non hic missionis meæ finis, ea potestate uti nolo, neque id munus exercere, quod regni spiritalis Legislatorem, & cœlestis doctrinæ Magistrum non decet. *Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat: nec Judex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque judicium, arbitriumque meritorum. Non ergo quod petas, sed a quo postules intuendum est: nec coram majoribus intento animo putes minoribus obstrependum. Unde non immerito refutatur hic frater, qui Dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare.*" *S. Amb. lib. 7. in Lucam. 121.*

15. *Dixitque ad illos*, nempe ad Discipulos suos, & ad ceteros omnes qui tunc adstabant: *Videte, & cavete ab omni avaritia*: Considerate præsens factum: fratrum scilicet discordiam propter hæreditatem, & cavete ab omni cupiditate & studio immodico bonorum temporalium; non solum ab ea qua retinetur alienum, sed etiam ab ea qua plus nimio quæritur quod suum est: *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet*. Non constat vita hominis ex opum abundantia, nec ideo quisquam diutius vivit, quia ditior est.

16. 17. 18. 19. 20. 21. *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens*: Hanc doctrinam proposita parabola ill's explicuit, ut melius caperent, & firmius retinerent. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Ditior factus, simulque avarior, anxie cogitabat ubi novos fructus reponeret, quia veteribus plena erant horrea. Et dixit, *Hoc faciam: Destruam horrea mea*, quæ minus capacia sunt, *& majora faciam*, & ædificabo ampliora: *& illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi*, uberes agrorum meorum fructus proxime colligendos, *& bona mea*: scilicet fructus veteres in veteribus horreis reconditos. *Et dicam animæ meæ*, mihi ipsi: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos*. Seipsum alloquitur: Hæc autem compellatio familiaris est Hebræis, & vehementiam affectus indicat, quo homo seipsum excitat ad actum aliquem eliciendum. *Requiesce, comede, bibe, epulare*. Requiesce jam deposita sollicitudine, bonis partis fruere, indulge voluptati, jam gaude securus, nihilque sensibus tuis nega, quo possint oblectari. Dixit autem illi Deus, *Stulte*, qui confidis in multitudine divitiarum tuarum, *hac nocte animam tuam repetunt a te*: Hac ipsa nocte, qua hæc animo tuo versas, repetetur a te anima tua, quæ non tui, sed alieni juris est; reposcetur vita tua, quam ut depositum accepisti, non ut censum. Jam mors est in januis. *Quæ autem parasti*, & tanta cupiditate collegisti in annos plurimos, *cujus erunt?* Cui cedent? Non tibi, qui nihil tecum ex hoc mundo auferes præter opera tua, secundum quæ a Deo judicandus es: sed aliis, a quibus forte maxime abhorres. *Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives*. Sic illi eveniet qui solis divitiis temporalibus acquirendis & accumulandis est occupatus, & non laborat ut veras divitias sibi pariat, ut dives fiat operibus bonis, quibus Deum promeremur; ut thesauros habeat in cœlo repositos. *Psalm. 42. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? & Psalm. 102 Benedic anima mea Domino*

22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Dixitque ad Discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini*. Quia nimia sollicitudo necessariorum facile animum ad avaritiam inclinat, ideo dico vobis ut ab omni sollicitudine etiam necessariorum caveatis. *Anima plus est*

quam

quam esca, & *corpus plus quam vestimentum*. Deus qui sine sollicitudine vestra dedit vobis corpus & animam, quæ majora sunt, dabit in eo confidentibus minora, scilicet escam & vestimentum. *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum*, & *Deus pascit illos*, victum illis providet: *Quanto magis vos pluris estis illis?* Quanto magis vobis necessaria submini strabit, cui potior cura de vobis est? Si deformes aves, & inconditæ vocis, & infausti ominis, tamen alere non dedignatur Deus; quanto magis alimenta tribuet hominibus a quibus colitur & invocatur? Scriptores Hebræi & Arabes fabulantur pullos corvorum albos in lucem prodire, quos cum ita sui dissimiles vident parentes, illos deserunt: illi autem ora aperiunt, & Deus muscas, similesque bestiolas illis immittit, quæ in ora eorum ingressæ, cibi ipsis sunt, donec nigrescant; & tum demum parentes in nidum regressi alunt eos: ideo (inquiunt) in illis avibus potissimum elucet Dei providentia. Hanc fabulam, quam Patres etiam nonnulli suis Commentariis inseruerunt, egregie refellit Bochartus lib. 2. Hierozoici, c. 11. *Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* Minus est cubiti unius ad staturam corporis adjectio, quam vitæ ipsius conservatio. Si ergo primum non est in vestra positum potestate, multo minus alterum. Vitæ vestræ conservatio & propagatio in Dei manu est, qui æterna curantibus non patietur deesse temporalia. Quid igitur solliciti estis de his quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt, cum Deus illa servis suis provide & amanter submini stret? & si desint ordinaria subsidia, mediis extraordinariis illis subveniat? *Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum quod hodie est in agro*, herbam quæ hodie in agro floresçit, & *cras* arefacta *in clibanum mittitur*, Deus sic vestit, *quanto magis vos pusillæ fidei?* Quanto majorem vestimenti vestri curam geret, pusillæ fidei homines? *Et vos nolite quærere* cum anxietate *quid manducetis aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli*: Ne animo suspendamini, & inquieti sitis, ne hujusmodi curis distrahamini. *In sublime tolli*, prorsus nihil aliud dicit quam distractionem, & mentis instabilem versionem, nunc hoc, nunc illud cogitantis, & ab hoc in illud salientis, & semper sublimius quiddam imaginantis secum. Hanc igitur sollicitudinem, hoc est, ita in sublime tolli, quia a Deo abducit, prohibet Dominus. *Hæc enim omnia gentes mundi*, id est, huic mundo addictæ, nec alium curantes, *quærunt* cum sollicitudine. *Pater autem vester*, Deus quem agnoscitis pro patre, *scit quoniam his indigetis*. In eum ergo cogitationes, curasque vestras jactate, & ipse vos enutriet, nec dabit in æternum fluctuationem justis. *Verumtamen quærite primum regnum Dei*, & *justitiam ejus*, & *hæc omnia adjicientur vobis*. Confer cum *Matthæi* 6.

S. Chrys. serm. de Elia. Olympiodorus in Jobum. S. Greg. lib. 30. in Job. S. Isidorus lib. 12. Origenum c. 7. Cassiodorus in Psal. 146. Auctor Comment. in Psal. inter Opera S. Hieron. in eumdem Psal. Syriaca Versio. Theophyl. in hunc locum.

32. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Discipulos ac fideles suos alloquitur, quos gregem vocat, ut Deum non communi tantum modo, sed peculiari suum esse pastorem meminerint, pusillum autem gregem, id est, contemptum, ignobilem, pauperem, temporalibus præsidiis destitutum. *Nolite timere*, ne vitæ necessaria vobis desint. Deus enim pater vester ultro & pro benignitate sua mere gratuita, & amore erga vos singulari, constituit dare vobis regnum cœleste & æternum: quanto magis ergo dabit vobis temporalia subsidia?

33. 34. *Vendite quæ possidetis*, & *date eleemosynam*. Hoc animo estote, ut si res postulet, omnes possessiones vestras vendatis, & venditionis pretium pauperibus erogetis, ut Christum lucrifaciatis. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt*, crumenas e quibus pecunia perdi non potest, *thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat; neque tinea corrumpit*. Divitias non perituras, scilicet bonorum operum merita in cœlis congregate, quem thesaurum nec fur subtripit, nec tinea corrumpit. *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*. Confer cum *Matthæi* 6. 20.

35. 36. 37. 38. 39. 40. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Qui dominum exspectant, & ad ministerium obeundum parati sunt, alte cincti esse debent, ne impedimento sit vestium onus & prolixitas, cum vestes sunt oblongæ, quales erant apud Orientales: & si nox est, lumina debent habere parata, ne quid in mora sit, cum domus advenerit. *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis*, a nuptiali convivio, quod nocte celebrabatur: *ut cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, & ad illum excipiendum paratos. Ita & vos felices, si Christus vos vigilantes invenerit, & bonis operibus deditos, fidei lucerna præeunte, cum ad januam pulsaverit hora mortis vestræ.

Amen dico vobis, quod præcinget se in morem ministri, & *faciet illos discumbere* ad mensam suam, & *transiens*, mensam circumiens, *ministrabit illis*. Illos summo honore afficiet, novas & inexpertas delicias manifestæ contemplationis suæ, sub convivii symbolo significatas, illis submini strabit in cœlo. *Et si venerit in secunda vigilia*, intempesta nocte, & *si in tertia vigilia venerit*, post mediam noctem (quæ in tres aut quatuor vigilias olim dividebatur) & *ita invenerit*, vigilantes & paratos ad illum excipiendum, *beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater-familias qua hora fur veniret, vigilaret utique*, & *non sineret perfodi domum suam* a furibus nocturnis, & *vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*: Ego ipse veniam ad judicium sicut fur nocturnus. Semper ergo vigilate, ne improvisus veniam. Confer cum *Matthæi* 24. 43. & 44.

41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. *Ait autem Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* An nos tantum spectat, qui te sequimur, an omnes qui salvi fieri volunt? *Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens*, fidelis & prudens œconomus, *quem constituit Dominus supra familiam suam*, supra famulitium suum, *ut det illis in tempore tritici mensuram*; quæ singulis in diem destinata est? *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem*. Pastores Ecclesiæ proprie spectat hæc parabola Beatus ille, quem Dominus invenerit prudenter & fideliter munus suum obeuntem. *Vere dico vobis, Quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum*. Magno & excellenti præmio illum munerabit, fruitione sui, æterna beatitudine, quæ status est omnium bonorum aggregatione perfectus. *Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire*, & interim ejus absentia fretus, *cœperit percutere servos & ancillas*, & *edere*, & *bibere*, & *inebriari, veniet dominus servi illius in die qua non sperat*, & *hora qua nescit*, & *dividet eum*, e numero servorum suorum fidelium segregabit; *partemque ejus cum infidelibus ponet*, & damnabit illum ac puniet ut servos infideles. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui*, & *non præparavit*, & paratum se non exhibuit ad eam exequendam, & *non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis*, gravius plectetur. *Qui autem non cognovit*, & *fecit digna plagis*, qui peccavit ex ignorantia non affectata, *vapulabit paucis*, levius punietur. *Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*. Pro acceptorum proportione rationem a Deo exigendam Christus significat. Cui multa dona collata sunt a Deo, major ab eo ratio exigetur: & cui plura commendata sunt, plurium ratio ab eo reposcetur. Prior sententiæ pars spectat dona in usus proprios & ad propriam cujusque sanctificationem a Deo collata: posterior, dona collata in usus alienos, sive ad aliorum utilitatem, qui ejus institutioni, curæ, gubernationi sunt commissi.

49. *Ignem veni mittere in terram*; & *quid volo nisi ut accendatur?* Ignem charitatis in terram missurus veni, per Spiritum sanctum in cordibus hominum diffundendum, quo illustrentur, purgentur, inflammentur: & quid opto vehementius quam ut ardeat? Vel, ignem persecutionis, quæ Evangelii prædicationem sequetur, non ex ejus natura, sed ex hominum malitia, quia cum doctrina Evangelii eversura sit idololatriam & scelera omnia, inde commovebuntur homines terreni adversus cœlestem illam doctrinam, & ejus Prædicatores. *Et quid volo nisi ut accendatur?* Id est, Utinam jam ardeat ignis ille exploraturus & purgaturus Christi gregem! „ Ipse melius in- „ terpretabitur ignis illius qualitatem, adjiciens: Putatis „ veniisse me pacem mittere in terram? Non, dico vo- „ bis, sed separationem . . . Igitur & ignem eversionis „ intendit, qui pacem negavit. Quale prælium, tale & „ incendium, qualis machæra, talis & flamma. " (inquit Tertullianus.)

Tertull. lib. 4. Adversus Marcion. cap. 29

50. *Baptismo autem habeo baptizari*, & *quomodo coarctor donec perficiatur?* Prius quam ignis ille toto orbe accendatur, passionem & mortem subire me oportet, in qua meo ipse sanguine perfundar, ut morientis Jacob vaticinium illud in me impleatur: *Lavabit in vino stolam suam*, & *in sanguine uvæ pallium suum*. Angor autem vehementer præ desiderio baptismum illum perficiendi, & mortem subeundi. Anxius sum propter moram passionis & mortis, quam pro generis humani redemptione subire decrevi. Hujus enim vehementi desiderio teneor, ut homines redimam, & in redemptorum cordibus divinum illum charitatis ignem accendam, quo consummatur iniquitas.

51. 52. 53. *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem: Erant enim ex hoc quinque in domo una* seu familia *divisi, tres in duos*, seu contra duos, & *duo in tres dividentur*, dissidebunt, quia prout hi aut illi Evangelicam Fidem & vitam profitebuntur vel rejicient, contraria scindentur in studia, partes in contrarias abibunt. *Pater in filium* insurget religionis causa, & *filius in patrem suum: mater in filiam*,

liam, & filia in matrem, & socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Confer cum *Matthæi* 10. 34.

Terræ promissionis mare erat ad Occidentem, ideo nubes ab occasu orta signum erat illis pluviæ.

54. 55. 56. 57. *Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit*, statim prævidetis pluviam futuram: *& ita fit: & cum Austrum flantem, dicitis, Quia æstus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Ex signis quibusdam sensibilibus in cœlo aut in terra apparentibus observatis & cognoscitis quale futurum sit tempus, an pluviosum, an siccum & calidum: & tamen hoc tempus adventus Messiæ tot ac tantis signis a Prophetis prænunciatum ac demonstratum, non cognoscitis & probatis; nec observatis signa illa esse in me, ac meo ad vos adventu impleta? *Quid autem & a vobis ipsis non judicatis quod justum est?* Cur ex rebus quæ apud vos geruntur, non judicatis? Non estis tam imprudentes ut in judicio cor.endere velitis cum eo qui certam habet actionem nulla exceptione elidendam, nulla tergiversatione frustrandam. Quod si talem creditorem opportuno tempore placandum vobis censetis, antequam in jus vocemini, ne postea deterius vobis contingat sententia judicis, quid cunctamini cum Deo transigere dum licet, dum bonas conditiones per me vobis clementer offert? Hunc sensum confirmat sequens Versus. Confer cum *Matthæi* 16. 2.

58. 59. *Cum autem vadis cum adversario tuo ad Principem*, seu Magistratum, sive cum ab eo in judicium vocaris, *in via da operam liberari ab illo*; compone cum eo negotium, *ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori*, seu lictori, *& exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, Non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas*, novissimum obolum: donec totum debitum restitueris. Ita nisi conscientiam tuam cum Deo componere per pœnitentiam cures, quandiu in hoc sæculo quasi in via ambulas, severissimum in te judicium exercebitur: dæmonibus justitiæ Dei ministris traderis, & detruderis in carcerem tartareum, unde numquam exeas, quia numquam solves debitum infinitum, quo illius justitiæ obstringeris. Confer cum *Matthæi* 5. 25.

SENSUS MORALIS.

Ven. Beda in hunc locum.

1. *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Hypocrisis apposite fermento comparatur; nam sicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit, universamque mox conspersionem suo sapore commaculat; ita simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit. Cavenda itaque hypocrisis, non solum ne hypocritas imitemur sub larva pietatis & justitiæ crimina occultantes; sed ne ab ipsis decipiamur, & in errorem inducamur vel contra fidem, vel contra Christianam morum disciplinam. De hoc fermento vitando monet etiam

2. Cor. 5. 8. Apostolus: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Frustra autem hominibus illudere specie sanctitatis conantur hypocritæ: illorum occulta crimina, cogitationes ipsæ, & intentiones cordis supremum judicem Deum non latent, & in ultimo judicio palam revelabuntur. *Laus impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* In fine perdetur, qui in principio florere videbatur. Momentaneum gaudium est hypocritarum in hac vita de mundi gloriola, de inani fama probitatis & sanctitatis quam aucupantur; æternus luctus, & cruciatus erit in altera vita ob hy-

Job. 20. 5.

1. Cor. 4. 5. pocrisim, ceteraque vitia. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Laus hominum quam ambiunt, vana est, brevis est; laus Dei & merces, quam amittunt, æterna. Illuminabit enim Deus abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo. *Nihil autem opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.*

4. 5. *Dico autem vobis amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis*, &c. Timenda est, non mors corporis, quod tandem post breve tempus moriturum est, sed mors animæ, quæ ad vitam æternam creata est. Quam stultum est vitam animæ propter vitam corporis conservandam amittere, cum e contra vita corporis propter animæ salutem exponenda sit. Inimicus homo, tyrannus quem times, sub cujus comminationibus expalleseis, non potest occidere animam tuam: usque ad corpus sævit, tu noli sævire in animam tuam. „ Ab illo occidi non potest, a te potest; non

S. Aug. serm. 161. alias 18. de Verbis Apostoli. Sap. 1. 11.

„ lancea, sed lingua. Inimicus qui te percutit, finit „ hanc vitam: os autem quod mentitur, occidit animam. „ Ex his ergo quæ in hoc tempore homines timent, „ conjiciunt quæ timere debeant. Timet enim carcerem, „ & non timet gehennam? Timet quæstionarios tortores, & non timet infernales angelos? Timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni? „ Timet ad modicum mori, & non timet in æternum „ mori? . . . Vita corporis anima est, vita animæ Deus „ est . . . Sæviat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam: „ anima tua non excludat a se vitam suam. Si recte „ plangis, & putas te miserabiliter dicere potenti inimico tuo, Noli ferire, parce sanguini meo: non tibi „ dicit Deus: *Miserere animæ tuæ placens Deo?* Cum „ occiditur corpus, migrat anima: ubi erit? Si non efflavit vitam suam, id est, Deum suum, in illo erit „ quem non perdidit, in illo erit quem non a se excludit. Si autem obtemperas infirmitati animæ tuæ, dicenti tibi: Ferit inimicus, & dimitto te: non times „ Deum dicentem tibi: Peccas, & dimitto te? De timore vano timorem utilem capiamus. Timor vanus est „ omnium hominum timentium amittere temporalia, „ quandoque migraturorum, & migrare trepidantium, „ volentium semper differre quod non possunt auferre ... „ Hinc increpandi, hinc objurgandi, hinc plangendi homines timentes mori, & nihil aliud agentes nisi serius mori . . . Habes quid agas ut numquam moriaris. „ Si times mortem, ama vitam: Vita tua Deus est, vita „ tua Christus est, vita tua Spiritus sanctus est. Non „ illi places male agendo. Templum ruinosum non inhabitat, templum sordidum non ingreditur. Sed geme „ ad illum, ut mundet sibi locum; geme ad illum ut „ ædificet templum sibi: quod tu destruxisti, ipse construat; quod tu exterminasti, ipse reformet; quod tu „ dejecisti, ipse erigat . . . . Et cum timorem correxeris, & utiliter timere cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia, & ideo adulter non „ fueris, nondum laudandus es: non quidem ita dolendus ut ante, sed tamen nondum laudandus. *Quid enim „ magnum est, timere pœnam? Magnum est, sed amare „ justitiam.*“

Ne terreamini ab his qui occidunt corpus . . . Ostendam autem vobis quem timeatis, &c. Cum Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, absit ut dicam, Male times. Plane time, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, Si non te videret Deus quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Inspice te ipsum. Si faceres, ergo pœnam times; castitatem nondum amas, charitatem nondum habes: „ Serviliter times, formido est mali, nondum dilectio „ boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, „ ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, „ & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. „ Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; „ littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat „ tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas: intrat in cor tuum, & quantum illa „ intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, „ ne faceres: charitas id agit ut nolis facere, etiamsi „ impune possis admittere.“ Intrat charitas, pellit timorem. Non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum cassum, permanentem in sæculum sæculi. *Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere: timor castus est, quo times Deo displicere.* Considerate, & ipsos humanos interrogate affectus. Timet servus offendere dominum suum, ne jubeat eum verberari, jubeat in compedes mitti, jubeat carcere includi, jubeat eum pistrino conteri. Hæc timens servus non peccat: sed quando senserit absentes oculos domini tui, nec habuerit testem a quo possit convinci, facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non justitiam diligebat. „ Vir autem bonus, vir justus, „ homo liber, delectatur ipsa justitia, & si possit sine „ teste peccare, testem reformidat & Deum: & si possit audire Deum dicentem sibi, Video te, cum peccas, „ non te damnabo, sed displices mihi: ille nolens displicere oculis Patris, non formidolosi Judicis, timet, „ non ne damnetur, non ne puniatur, sed ne offendat „ gaudium paternum, ne displiceat oculis amantis: Si „ enim amat ipse, & amantem sui Dominum sentit, „ non facit quod displicet amanti se.“ Lubricos & inhonestos amatores attendite: Si quis amore feminæ lascivus & nequam vestit se aliter quam illi placet, aut ornat se aliter quam illi placet: illa dixerit, Nolo habeas talem byrrhum; non habet: si per hyemem illi dicat, In lacerna te amo; eligit tremere, quam displicere. Numquid illa cui displicet, damnatura est? Numquid in carcerem missura? Numquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, Non te videbo: hoc solum ibi contremiscitur, Faciem meam non videbis. „ Si hoc impudica dicit, & terret: Deus dicit & „ non terret? Sane plurimum, sed si amamus. Si autem non amamus, non inde terremur ut servi, de „ igne, de gehenna, de atrociissimis tartareis minis, „ de exaggeratissimis diaboli Angelis, ejusque suppliciis. „ Vel inde terreamur. Si illud minus amamus, vel illa „ timeamus.“

S. Aug. ibid. c. 8. 9. 10.

7. *Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Providentia Dei, consolatio justorum est. Solliciti-

licitudinis, anxietatis, & humani timoris radix, defectus eſt fidei & fiduciæ in divina providentia noſtro bono invigilante. Nec Dei ſapientia falli, nec omnipotentia vinci, nec paternus amor ſeipſum negare poteſt: quid timeamus, quid diffidamus? *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem juſto*. Solus Deus ſcit quanti valeamus, quia ſolus ſcit quanti nos amet: inde enim tantum æſtimandi, unde ab illo amati. Homo *divini ingenii cura* (inquit Tertullianus.) Studium igitur Deo placendi ſit una hominis cura. Vigilat jugiter Deus ut homini benefaciat; vigilet jugiter homo ut Deo ſerviat, illique gratias agat. Redamare illum non pigeat ſe amantem, & ſe ipſum in præmium amoris illius promittentem. *Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos*.

Pſal. 54. 23

8. *Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*. Quantum præmium confitentis? *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*. Quanta pœna negantis? Cujus enim eſſe poteſt, niſi diaboli, qui a Chriſto rejicitur, & negatur? Chriſtus porro confitendus corde, ore & opere. *Corde* enim *creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Sed væ illis qui *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, ad omne opus bonum reprobi*. Ad vitam cum ſanguine profundendam paratus eſſe debet omnis homo Chriſtianus, potius quam Chriſti fidei renunciet, vel ejus mandata tranſgrediatur; quanto magis ad cetera bona temporalia amittenda, ne Chriſti jacturam faciat? „ Quis „ nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio? an an„ guſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an per„ ſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter „ te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves „ occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum „ qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, „ neque vita, neque angeli, neque principatus, neque „ virtutes, neque inſtantia, neque fortitudo, neque al„ titudo, neque profundum, neque creatura alia poterit „ nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. “

Rom. 10. 10. Ad Tit. 1. 16.

Rom. 8. 35. & ſeq.

13. *Ait autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*. Bonorum temporalium cupiditas occaſio eſt diſſenſionum, litium, ſcandalorum: ſacratiores neceſſitudines dirimit. Chriſtiano indignum terrenis bonis inhærere. *Ex ſubſtantia familiari fratres ſumus* (inquiebat Tertullianus, Ethnicos alloquens) *quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus*. Chriſtianus pro rebus terrenis litigare non debet, cum prudentis & probi arbitri, vel arbitrorum judicio controverſia quæ illi cum proximo intercedit, componi poteſt: periculo amittendi charitatem exponere ſe litigando non debet: ſi litigare cogatur alterius improbitate compulſus, ita comparatus ſit ut res temporales amittere malit, quam violare fraternam charitatem. *Servum Dei non oportet litigare* (inquit Apoſtolus), Putari poſſet judicium habere adverſus alterum non eſſe peccatum, ſed tantummodo id extra Eccleſiam velle judicari, niſi ſecutus adjungeret: *Jam quidem omnino delictum eſt inter vos quod judicia habetis*. Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, ut diceret, Juſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam velit a ſe judicum ſententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit atque ait: *Quare non magis injuriam patimini?* Sic locum Apoſtoli S. Auguſtinus interpretatur. Et alibi: „ Sunt alii (*inquit*) qui rebus „ infirmitati conceſſis inhærent aliquantum dilectione. „ Non rapit villam alienam, ſed ſic amat ſuam, ut ſi „ perdiderit, conturbetur. Non tollit aliena, ſed repetit „ ſua, & habet cum fratre ſuo judicium. Talibus enim „ dicitur, Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, „ quia judicia habetis vobiſcum. Verum ipſa judicia in „ Eccleſia jubet agi, non ad forum trahi, tamen delicta „ eſſe dicit. Contendit enim Chriſtianus pro rebus ter„ renis amplius quam decet eum cui promiſſum eſt re„ gnum cœlorum. Non totum cor ſurſum levat, ſed „ aliquam partem ejus trahit in terra. “

2. Tim. 2. 1. Cor. 6. 7.

S. Auguſt. Enchrid. c. 78. Videſis & S. Jo: Chryſoſt. Hom. 16. in 1. ad Cor. 1. Cor. 6. 7. S. Aug. in Pſalm. 80.

Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. Non ei dixit Dominus, Veniat frater tuus. Sed nec miſit ut adeſſet, aut cum adfuiſſet, interpellari dixit, Proba quod dicebas. *Petebat dimidiam hæreditatem, petebat in terra dimidiam: in cœlo Dominus offerebat totam. Plus Dominus dabat, quem ille poſtulabat*.

S. Aug. ſerm. 107. alias de Tempore 196. & de Diverſis 28. Pſal. 41. 6.

14. „ Et ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit ju„ dicem aut diviſorem ſuper vos? *Homo*, qui enim pro „ me no habes iſtam hæreditatem, quid es niſi homo? „ Volebat illum facere aliquid pluſquam eſt homo. Quid „ plus illum volebat facere, cui volebat avaritiam tol„ lere? *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*. Ecce „ quod eum volebat facere, inter Deos numerare, qui „ avaritiam non habet. “

15. *Dixitque ad illos: Videte & cavete ab omni avaritia*. Forte tu avarum & cupidum diceres, ſi quæreret aliena: ego autem dico, *Cupide & avare non appetas nec tua*. Hoc eſt, *ab omni*. Non leviter habendum eſt, quando Dominus noſter, Redemptor noſter, qui mortuus eſt pro nobis, qui ſanguinem ſuum pretium dedit ut redimeret nos; Advocatus noſter, Judex noſter dicit, *Cavete*. Novit ille quantum mali ſit: nos non novimus, illi credamus. *Cavete ab omni avaritia*. Meum ſervo (inquis) non alienum tollo. *Cavete* &c. „ Non ſolum ava„ rus eſt qui rapit aliena: ſed & ille avarus eſt qui cu„ pide ſervat ſua. Sed ſi ſic culpatur qui cupide ſervat „ ſua, quomodo damnatur qui rapit aliena? *Cavete ab* „ *omni avaritia; quia non in abundantia cujuſquam vita* „ *ejus eſt, ex his quæ poſſidet*. Multa qui recondit, quan„ tum inde tollit ut vivat? Cum tulerit inde, & quo„ dam modo cogitatione ſeparaverit quod ſufficiat unde „ vivat, videat cetera cui remaneant: ne forte cum ſer„ vas unde vivas, colligas unde moriaris. Ecce Chriſtus, „ ecce Veritas, ecce ſeveritas. *Cavete*, dicit Veritas: „ *Cavete*, dicit ſeveritas. Si non amas veritatem, time „ ſeveritatem. *Non in abundantia cujuſquam vita ejus* „ *eſt ex his quæ poſſidet*. Crede illi, non te fallit. Con„ tra tu dicis, immo in abundantia hominis eſt vita ejus „ ex his quæ habet. Ille non te fallit: tu te fallis. “

16. *Dixit autem ſimilitudinem ad illos: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* „ Quis non miſereatur ſic miſerecuris „ obſeſſi? Ipſa fertilitate miſer erat ac trepidus. Miſe„ rabilis præſentibus & paratis bonis, miſerabilior ob ea „ quæ adhuc exſpectabat. Num enim proventus ei fert „ terra? Gemitus ei producit. Num fructuum copiam col„ ligit? Imo curas, dolores, & graves anxietates. Pe„ ræque enim ac egeſtate preſſi, miſer affligitur & eju„ lat. Nonne enim ejuſmodi vocem edit, cujuſmodi ſolet „ emittere qui anguſtia preſſus mendicat? Quid faciam? „ Quod ceteros lætitia perfundere ſolet, id angit & „ excruciat avarum. Ex his enim omnibus quibus affluit, „ nihil decerpit gaudii: quin ipſæ potius undique affluen„ tes divitiæ ejus pungunt & lancinant animum, ne ad „ externos forte vel tranſcurſim aſpiciens, in egenos co„ gatur nonnihil conferre ſubſidii. *Quid faciam?* (in„ quit) Parata tibi erat reſponſio (dives avare) hoc „ inire conſilium debebas; Eſurientium animas explebo, „ aperiam horrea, & omnes indigos vocabo: imitabor „ Joſeph præconio exhibitæ hominibus benignitatis ce„ lebrem: vocem emittam magnificam; Quicumque „ panibus indigetis, venite ad me, participes fu„ turi gratiæ a Deo mihi collatæ. “ At longe a tam ſano conſilio dives avarus: *Deſtruam* (inquit) *horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea*. Quantas ſollicitudines pariunt divitiæ? Contra vero mentis tranquillitatem & pacem parit Chriſtiana mediocritas, vel Evangelica paupertas. Quam imprudenter bona vocantur, quorum ipſa copia hominem quieſcere non ſinit; quæ ſine labore ſervari non poſſunt, nec ſine dolore ab iis, qui illis adhærent, amittuntur? immo illis in ſupplicia vertuntur amittendi metu? Vera bona ſunt, quæ Deus paravit & promiſit diligentibus ſe; bona cœleſtia, quæ ſanctis deſideriis multiplicantur, quæ animo reconduntur, illumque tanto amplius dilatant, quanto magis augentur; quæ facile ſervantur, modo ſemper amentur. Nova ſemper conſilia init divitum hujus ſæculi cupiditas, terram invertunt, colligunt, erigunt homines terreni, & bona vocant quæ momento perire, ipſiſque eripi poſſunt; de bonis æternis non cogitant, non curant.

S. Baſil. hom. de avaritia in illum S. Lucæ locum: Deſtruam horrea mea.

Deſtruam horrea mea, & majora faciam. Iniquitatis horrea procul dubio digna ſunt quæ diruantur. Everte miſer tuis ipſe manibus quod male ædificaſti. Solve horrea, unde nullus unquam ſolatium ac levamen conſecutus eſt. A fundamentis excidito avaritiæ cuſtodem, educ & diſperde pauperibus abſconditas in malum domini ſui divitias. *Deſtruam horrea mea, & majora faciam*. Ubi vero & iſta frumento adimpleveris, quid amplius cogitabis? An rurſus deſtrues & ædificabis? Habes, ſi vis apotechas, domos pauperum; theſauriza tibi theſauros in cœlo, quos fur depredari non poteſt, nec tinea vel ærugo corrumpere. Ne dixeris, Erogabo pauperibus, cum nova horrea complevero. Vitam tibi inſipienter polliceris, non ut ſis in pauperes liberalior, ſed ut inſtantem mendicum a te propulſes, atque ab eroganda eleemoſyna te excuſes. Quid prohibet quominus nunc liberaliter eroges? Nonne inops adeſt? Nonne plena ſunt horrea? Nonne merces a Domino parata? Nonne mandatum manifeſtum? Spiritum ſanctum audi per os Salomonis dicentem: *Ne dicas, Vade & revertere, cras tibi dabo, cum ſtatim poſſis dare*. Neſcis enim quod ſuperventura ſit dies. Qualia præcepta contemnis? Quantam te Deo beneficentiſſimo gratiam habere, quam hilarem datorem ac munificum in egenos eſſe oportebat, quod non ipſe pro foribus alienis cogeris obſtreperus eſſe & querulus, ſed tuas alii occupant? Nunc autem triſtis es & petentibus difficilis: occurſum pauperum vitas, ne forte aliquid vel modicum erogare cogaris. Non habeo (inquis) non dabo: nam & pauper ego quoque ſum: Pauper es profecto & omnium egens bonorum: pauper, (inquam) charitate

S. Basil. ibid.

Proverb. 3. 28.

ritate, pauper benignitate in indignos, pauper fide erga Deum, pauper æterna ſpe. Quamobrem frumenti quodcumque poſſides, fratres tuos fac participes. Cras forte marceſcet. Hodie egenti da. Avaritiæ genus peſſimum eſt, nolle ne ea quidem quæ facile corrumpuntur, inopi dare. Verum, ais: Cui facio injuriam, ſi mea retineo, conſervoque? quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta? „ Perin-
S. Baſil. ibid. „ de facis ac ſi quis in theatro locum ſpectandi mox ut
„ antevertit aliis arripere, ceteros arceat ab ingreſſu, ſuo
„ unius uſui id vindicans, quod ad communem omnium
„ uſum propoſitum eſt. Tales divites exiſtunt. Communia
„ namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occu-
„ pando. Nam ſi tantum quiſque uſurparet, quantum ad
„ propriæ neceſſitatis ſolatium ſufficit, ſuperfluumque tri-
„ bueret egentibus, nemo dives, nemo pauper eſſet. Un-
„ de tibi hæc bona? Si a caſu dixeris, impius es, eum
„ non agnoſcens qui te condidit, neque ei qui dedit, re-
„ pendens gratiam. Quod ſi ex Deo te illa habere fate-
„ ris, dic mihi quamobrem hæc ſortitus es? Non enim
„ juſtus eſt Deus, qui ea quæ ſunt ad victum inæquáliter
„ nobis diviſerit. Cur tu dives es, ille pauper? Non ob
„ aliam certe cauſam, niſi ut tu benignitatis ac fidelis
„ adminiſtrationis mercedem accipias, ille vero patien-
„ tiæ præmiis honoretur. Tu vero inſatiabilis avaritiæ
„ lacertis omnia circumplexus, & tot homines illis pri-
„ vans, neminem te lædere putas. Quis eſt avarus? Il-
„ le qui neceſſariis non eſt contentus. Quis peculator?
„ Ille qui ad ſe unum transfert quæ ſingulorum ſunt.
„ Tu ergo non avarus? non tu peculator, cum ea quæ
„ ad diſpenſandum recepiſti, tibi propria facis? Eſu-
„ rientis eſt panis, quem retines: nudi veſtis, quam in
„ arca cuſtodis; egentis argentum, quod terræ infoſſum
„ poſſides. "

19. 20. *Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* O dementiam! Si porcinam habuiſſes animam, quid aliud ipſi enunciare potuiſſes? *Dixit autem illi Deus:*
S. Baſil. ibid. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Superat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ. Stulte, qui tibi ſapiens videris, Anima cui dixiſti, *Habes multa bona*, hodie a te repetitur, &
S. Aug. ſer. 107. nullum habet bonum. *Contemnat hæc bona, & ſit ipſa bona, ut quando repetitur, exeat ſecura. Quid enim iniquius eſt homine, qui multa bona habere vult, & bonus ipſe eſſe non vult?*

21. *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Dives avarus divitias non ſuis aut pauperum neceſſitatibus ſublevandis congregat, ſed ut illis velut ultimo ſuo fine fruatur, ut illarum poſſeſſione delectetur, ut illas Dei vice diligat; ut illas poſſideat quaſi ſuas; non ut diſpenſet quaſi bona Dei ſui, quorum eſt œconomus conſtitutus. Maledicti divites, qui divitiarum ſuarum uſum ad Deum & ad ſalutem æternam non referunt, qui illas ſecundum voluntatem legemque Dei non diſpenſant, qui
1. Tim. 6. 18. non ſtudent *divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Qui ſuperflua bonorum ſuorum per manus pauperum in cœlum non trajicit, ſummæ Veritatis judicio ſtultus eſt.

22. *Dixitque ad Diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.* A rerum temporalium ſollicitudine facilis in avaritiam lapſus eſt. Vitanda igitur ſollicitudo, ut avaritia omnis caveatur. In Dei providentia confidendum. Creator noſter eſt, Pater noſter, Dominus noſter: nos opus ejus, populus ejus, & oves paſcuæ ejus. Dedit nobis corpus, vitam, & omnia. Potens eſt, benignus, beneficus: quid timemus ne in iis quæ corpori ſuſtentando, & conſervandæ vitæ neceſſaria ſunt, nobis deficiat ejus providentia, quæ nec viliſſimis animalibus deeſt? In noſtra induſtria, in hominum amicitia & promiſſis confidimus: in Dei optimi, potentiſſimi, beneficentiſſimi providentia & promiſſis confidere dubitamus? Diffidentia & ſollicitudo animum ſuſpendens, vitium eſt Infidelium: Fiducia in Deo, virtus eſt Chriſtianorum, *Hæc omnia gentes mundi quærunt: Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Inſipiens eſt qui primum quærit quod minoris momenti eſt, quod vilius, quod homini cum animantibus commune eſt; illud vero negligit quod excellentius, quod magis neceſſarium, quod hominis proprium ſummumque bonum.
S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. n. 130 *Indecorum eſt homines curare de cibo, qui militant regno. Novit Rex quemadmodum familiam ſuam paſcat, alat, veſtiat.* „ Chriſtianus de vita, de regno, de im-
„ mortalitate certus, depaſtus & veſtitus non debet ne-
„ ceſſitate pulſari, cum videat Deum hodie nato, &
„ perituro in craſtinum germini tantam veſtitus gloriam
S. Petr. Chryſ. ſerm. 163. „ contuliſſe: ſed ſicut ariditati iſta, ſicut clibani depu-
„ tantur incendio, ita mortis, ita gehennæ ignibus de-
„ ſtinantur, qui præſentia ſibi a Deo præſtari dubitant,
„ cum futura ſibi jam ſentiunt contributa. "

32. *Nolite timere, puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Pro magnitudine certaminis præmii proponitur magnitudo. Hinc eſt quod Diſcipulis ſuis Chriſtus Regnum ceu præmium proponit ac promittit, ut in certamine non cedant periculis, non timori: pericula deſpicit qui tendit ad regnum: victoriæ cupidus neſcit timere. *Nolite timere, puſillus grex.* Puſillus grex mundo, magnus Deo. Puſillus, quia quos elegit ad gloriam, ad ovium innocentiam & manſuetudinem Chriſtianam inſtituit. Puſillus grex, qui non de magno minuitur, ſed creſcit de puſillo. *Puſillus grex:* naſcentis Eccleſiæ ſic deſignat infantiam, quam ad Regni ſui venire inſulas incrementis cœleſtibus mox promittit. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Vos ad regnum prædeſtinavit ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, ſecundum divitias gratiæ ſuæ, ut eſſetis ſancti & immaculati in conſpectu ejus; non quia ſancti eratis, non veſtrorum intuitu meritorum; quia per gratiam & miſericordiam ejus donatur vobis omne meritum. *Nolite timere, puſillus grex.* Vox eſt boni Paſtoris, qui animam ſuam pro ovibus poſuit, illis ut cœleſte Regnum procuraret. „ Tibi *ergo* Rex *Chriſtus*, tibi Sacerdos, tibi Pa-
„ ſtor, tibi ſacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum
„ factus eſt, qui fecerat totum. Et qui ſibi numquam,
„ tibi toties immutatur, propter te varias monſtratur in
„ formas, qui manet unica ſuæ Majeſtatis in forma. Et
„ quid plura? Dat ſe tibi Deus homo, ut ferre potes,
„ quia ut eſt non potes ſuſtinere. "
S. Petr. Chryſ. ſerm. 23. *Nolite timere, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Promiſſionem Regni ſine timore ſervus non audit: qui enim libertate indignus eſt, capere non poteſt qua ratione vocari poſſit ad Regnum. *Dominus erga ſervorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promiſſi regni proſternat auditus. Regnum velle ſervum, crimen eſt; adire, periculum; temeritas, non timere.*

33. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, &c.* Non poteſt dominari omnibus, niſi is qui propriis non tenetur. De-
Idem ſer. 22. & 23. jectæ mentis eſt, qui familiaris rei meminit cum vocatur ad Regnum: jacens animus plebejus nummulum theſauris regalibus anteponit: pauper ſenſus parvis incubans perdit magna, & inhians temporalibus, deſerit ſempiterna. Abjicere debet habitum ſervitutis qui ſe Regem credit divinitus conſecratum. Eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, ut adſcitus ad Regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, propinquis, civibus indigentibus eroget, ne ſit mendicus animo, qui ſenſu dives factus eſt & honore. Tali ergo providentia Dominus, conſilio tali vilia & caduca jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cœleſti regno Deum noſtrum & omnia in ipſo volumus poſſidere.

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. „ Cibus
S. Leo ſer 8. „ egeni, regni cœleſtis eſt pretium: & largitor tem-
„ poralium hæres efficitur æternorum. Unde autem exi-
„ gua iſta impendia tanta æſtimari taxatione meruerunt? Niſi quia pondera operum charitatis lance penſantur, & cum amatur ab homine quod Deus diligit,
„ merito in ejus aſcenditur Regnum, in cujus tranſitur
„ affectum. "

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Quamvis laudabile ſit intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multique magnifice facultates ſuas de-
Idem ſer. 9. dignentur occulere, & in copia affluentes vilem atque ſordentem horreant parcitatem: non eſt tamen talium aut felix abundantia, aut probanda frugalitas; ſi ipſis tantum propriæ opes ſerviant, ſi eorum bonis nulli juvantur pauperes, nulli foventur infirmi; ſi de magnarum abundantia facultatum non captivus redemptionem, non peregrinus ſolatium, non exul ſentit auxilium. „ Hujuſmodi divites
„ egentiores ſunt omnibus egenis. Perdunt enim illos re-
„ ditus quos poſſunt habere perpetuos: & dum brevi nec
„ ſemper libero incubant uſui, nullo juſtitiæ cibo, nulla
„ miſericordiæ ſuavitate paſcuntur; foris ſplendidi, intus
„ obſcuri; abundantes temporalium, inopes æternorum:
„ Quia ipſi animas ſuas fame afficiunt, & nuditate de-
„ honeſtant, qui de iis, quæ terrenis horreis commen-
„ darunt, nihil theſauris cœleſtibus intulerunt. "

Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis. „ Pater iſte ditare vult filios,
S. Petr. Chryſ. ſer. 25. „ non nudare. Novo modo, immo cœleſti modo, qui
„ hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando;
„ dum amittit, acquirit. *Facite vobis ſacculos qui non*
„ *veteraſcunt.* Qui theſaurizantes temporaliter arguebat,
„ ad totum cupiditatis fomitem jubet ſacculos ſine fine
„ perquiri. Chriſte, quo te pertrahit amor tuorum?
„ Ut avarum lucrifacias, facis eum quod deſiderat;
„ non quod oportet audire: ſacculos imperas; æternos
„ theſauros, qui non deficiant, vis parari, ut avarus
„ dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat,
„ aut a virtute capiatur. Vere Pater es, qui cum tuis
„ quibuſcumque parvulis ſic agis. Namque & nos in-
„ terdum noſtris parvulis petentibus noxia ingerimus ſa-
„ lutaria ſub ſpecie noxiorum; ſallentes inſipientiam,
„ non decipientes affectum. *Facite vobis ſacculos qui*
„ *non veteraſcunt, theſauros non deficientes in cœlo.*
„ Sacculus cur paratur? Quid ibi clauſtra, ubi ipſa

„ custos est innocentia? Quid signaculum, ubi fraudis su-
„ spicio non habetur? Si & in cœlo sacculis opus est,
„ cura non amittitur, sed mutatur. Domine, tu vidisti
„ quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit
„ avaris; & ideo imputribiles in cœlis sacculos vis parari,
„ ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sac-
„ culos suos. Avare, fac tibi sacculos, & fac jubente Deo,
„ quia votis tuis annuit divina Majestas. Sed fac tibi sac-
„ culos erogando, quia quicquid pauper acceperit, Pater
„ cœlestis suscipit. Et ubi recondit? In cœlo. Et ne forte
„ perdidisse te doleas vel usuram, centuplum in cœlesti
„ fœnore recipies, quicquid in cœlos paupere transmiseris
„ perferente. Usura mundi centum ad unum: Deus unum
„ accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt
„ habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti?
„ Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obliga-
„ tione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus ca-
„ vet; & debitor non tenetur? Sed dicis, Esto quod de-
„ beat, quo exigente restituet? Se ipso, quia non potest
„ ille mentiri; idem ipse est & executor & debitor. Non
„ erit in reddendo durus qui profusus est in largiendo.
„ Crede homo Deo quod tibi Deus dedit: majora red-
„ dere vult, cum vult debere largitor. "

35. 36. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Cautos nos facit Christus, & vult esse expeditos ad expectanda novissima: ut post novissima quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies quæ non habet finem. Erunt tunc securi, qui modo non sunt securi: & iterum tunc timebunt, qui modo timere nolunt. „ Ad hanc exspectatio-
„ nem, & propter hanc spem Christiani facti sumus. Ab
„ amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum spe-
„ remus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab
„ omnibus illicitis concupiscentiis, hoc est, lumbos accin-
„ ctos habere debemus, & fervere & lucere in operibus bo-
„ nis, hoc est, lucernas ardentes in manibus habere. *Unde*
„ *alibi Dominus ait*: Nemo accendit lucernam, & ponit
„ eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omni-
„ bus qui in domo sunt... Sic luceat lux vestra coram
„ hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent
„ Patrem vestrum qui in cœlis est. " Quid est lumbos accinctos habere? *Declina a malo*. Quid est, lucernas ardentes in manibus habere? *Et fac bonum*. Quid est quod adjunxit Christus, *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis*: nisi quod in illo Psalmo sequitur, *Inquire pacem, & persequere eam*? Hæc tria, hoc est, abstinentia a malo, & operatio boni, & spes præmii æterni, commemorata sunt in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est, quia docebat eos Paulus *de continentia, de justitia, & spe vitæ æternæ*. Ad continentiam pertinet, *Sint lumbi vestri præcincti*. Ad justitiam pertinet, *Et lucernæ ardentes in manibus vestris*. Ad exspectationem Domini, quæ est spes vitæ æternæ, pertinet, *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis*. Prius declina a malo, deinde fac bonum: prius accinge lumbos tuos, & tunc accende lucernam: & cum hoc feceris, securus exspecta Dominum, venienti dicturus: *Feci quod jussisti, redde quod promisisti*. Vestes oblongas & diffluentes accingebant servi, ut expediti essent ad ministrandum; viatores, ut expediti essent ad iter agendum; milites, ut essent expediti ad pugnandum. Christianus servus est Dei, miles Christi, viator in mundo, ideo illi merito dicitur:

Sint lumbi vestri præcincti. In lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur; in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. „ Con-
„ stringenda est ergo caro continentiæ cingulo, ne effusa
„ vitiis, ac toto peccatorum gravata pondere, supernis
„ & cœlestibus insistere non possit incessibus. *Huc spectat*
„ *quod ait Apostolus*: Mortificate membra vestra quæ sunt
„ super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem,
„ concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simu-
„ lacrorum servitus. "

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum. „ Duo sunt quæ jubentur, & lumbos re-
„ stringere, & lucernas tenere: ut & munditia sit
„ castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione.
„ Redemptori enim nostro unum sine altero placere ne-
„ quaquam potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ in-
„ quinamenta non deserit; aut is qui castitate præemi-
„ net, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas
„ ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est
„ aliquod sine castitate. Sed si utrumque agitur restat ut
„ quisquis ille est spe ad supernam patriam tendat, &
„ nequaquam se a vitiis pro mundi hujus honestate con-
„ tineat. Quia etsi quædam bona aliquando pro hone-
„ state inchoat, in ejus tamen intentione non debet per-
„ manere, nec per bona opera præsentis mundi gloriam
„ quærere; sed totam spem in Redemptoris sui adven-
„ tum constituat. "

Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Christianus non solum ad Dei voluntatem faciendam paratus semper esse debet ut servus vigil & fidelis; non solum fidei lampadem lectione & meditatione verbi Dei semper lucentem, amore Dei & proximi semper ardentem, oleo bonorum operum semper plenam habere; verum etiam Dominum semper exspectare, qui a nuptiis revertetur, cum electarum animarum, quas sibi desponsavit, completo numero, veniet ad judicium, & earum felicitatem resurrectione corporum consummabit; vel cum ex præsenti sæculo justorum animas eripiet, ac in fide & justitia sibi jam desponsatas, in sempiternum sibi copulabit in gloria. „ Venit Dominus
„ cum ad judicium properat: pulsat vero cum jam per
„ ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui
„ confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus,
„ Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de
„ corpore trepidat, & videre eum, quem se contempsis-
„ se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe
„ & operatione securus est, pulsanti confestim aperiat:
„ quia lætus judicem sustinet: & cum tempus propinquæ
„ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit. "
Vigilemus igitur in vitæ Christianæ officiis, & attendamus ne graventur corda nostra in crapula & ebrietate, in voluptatibus carnis, in curis & deliciis hujus sæculi. Observemus omnes dies, imo omnia momenta; quia nescimus quando veniat ultimus dies, ultimumque vitæ nostræ momentum, ex quo pendet æternitas.

37. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. „ Vigilat, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos
„ apertos tenet: Vigilat, qui servat operando quod credit:
„ Vigilat, qui a se torporis & negligentiæ tenebras re-
„ pellit. " Hinc Apostolus ait: *Evigilate justi, & nolite peccare*: & *Hora est jam nos de somno surgere*. Deo in mundo vivamus, ut ad mensam ejus in regno sedentes, in ipso & de ipso vivamus. *Amen dico vobis, quod præcinget se*, id est ad retributionem præparabit; *& faciet illos discumbere*, id est, æterna quiete renovari. Discumbere quippe nostrum, in regno quiescere est. Unde alibi Dominus ait: *Venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob*.

38. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi*. „ Prima vigilia, primævum tempus est, idest pueritia;
„ secunda, adolescentia vel juventus; tertia, senectus.
„ Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel
„ secundam: ut qui converti a pravitatibus suis in pueri-
„ tia neglexit, ad vias vitæ saltem in tempore juventutis
„ evigilet: & qui evigilare in secunda vigilia noluit,
„ tertiæ vigiliæ remedia non amittat: ut qui in juventute
„ ad vias vitæ non evigilat, saltem in senectute resipi-
„ scat... Non est quid homo excusationis inveniat. Deus
„ despicitur, & exspectat; contemni se videt, & revo-
„ cat; injuriam de contemptu suo suscipit, & tamen
„ quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Sed
„ nemo hanc ejus longanimitatem negligat: quia tanto
„ districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longio-
„ rem patientiam ante judicium prærogavit. Ignoras
„ (*inquit S. Paulus*) quoniam benignitas Dei ad pœ-
„ nitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam
„ tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die
„ iræ & revelationis justi judicii Dei. "

42. *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* &c. Pastores vigilare præ ceteris debent, fideles esse, in opus ministerii ad mortem usque incumbere; dona Domini sibi ipsis non tribuere, nec ad quæstum, aut gloriam propriam convertere, sed ad ipsius Domini gloriam, ad familiæ ejus, id est, Ecclesiæ utilitatem & animarum salutem, prudenter, in tempore, ad mensuram omnibus & singulis curæ suæ commendatis dispensare. Ad laborem ipsos excitet, & ne deficiant in laboribus, sustentet promissa merces. Quæ vero merces? Omnia bona Dei, Deus ipse summum bonum. *Vere dico vobis, Quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum*.

45. 46. „ Quod si dixerit servus ille in corde suo:
„ Moram facit Dominus meus: & cæperit percutere ser-
„ vos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:
„ veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, &
„ hora qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum
„ infidelibus ponet. " Improbi Pastores qui superbe & violenter in Clero dominantur, & dignitate sua aut beneficio abutuntur ut laute vivant, ut otio ac voluptati serviant, divini judicii severitatem experientur; mortem præmaturam, subitam, vel improvisam: *Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit*: æternam a Deo separationem; *& dividet eum*: tormenta sine fine cum diabolo & reprobis: *partemque ejus cum infidelibus ponet*.

47. 48. „ Ille autem servus, qui cognovit voluntatem
„ domini sui, & non præparavit, & non fecit secun-
„ dum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non
„ cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. "

Tanto

S. Aug. ser. 108. alias 39. de Verbis Domini.

Psalm. 33. 15.

Act. 22. 25.

S. Petr. Chrys. serm. 24.

S. Greg. M. Tom. 13. in Evang.

S. Greg. ibid.

Rom. 2. 4.

1. Cor. 15. 34.

Rom. 13. 11.

Matth. 8.

Tanto magis reus homo est, graviorique pœnæ obnoxius, quanto majorem Dei, Legisque illius ac mandatorum cognitionem habet. „ Cum etiam ignorantes Dominum „ nulla exceptio tueatur a pœna (*inquit Tertullianus*) *Tertull. l. de Pœnitent. c. 5.* „ Quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœ- „ lestibus bonis incomprehensibilem ignorari non licet, quan- „ to cognitum despici periculosum est? „ Despicit porro, qui bonorum & malorum intellectum ab illo consecutus, „ quod intelligit fugiendum, quod jam fugit resumens, in- „ tellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit. „ Qui autem non cognovit voluntatem Domini, legem ejus, mandata ejus, officiaque sua, quæ nosse poterat ac debebat, nihilominus reus est, cum ejus mandata transgreditur, æternæque pœnæ obnoxius, quamvis mitiori. Ostendit itaque Dominus gravius peccare hominem scientem *S. Augustin. lib. de Gratia & libero Arbitr. cap. 3.* quam nescientem. „ Nec tamen ideo confugiendum est ad „ ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusa- „ tionem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Vo- „ luntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, *Noluit* „ *intelligere ut bene ageret*. Sed & illa ignorantia quæ non *Psalm. 35.* „ est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam „ simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiter- „ no igne non ardeat, si propterea non credidit, quia „ non audit omnino quod crederet, sed fortasse ut mi- *Psal. 78. 6. 2. Thessal. 1. 8.* „ tius ardeat. Non enim sine causa dictum est: EFFUN- „ DE iram tuam in gentes quæ te non noverunt. *Et* „ *quod ait Apostolus:* In revelatione Domini Jesu de cœ- „ lo, cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis „ vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obe- „ diunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœ- „ nas dabunt in interitu æternas a facie Domini. „

CAPUT XIII.

Sensus Litteralis.

1. *Aderant autem quidam ipso tempore*, quo Christus populum docebat, nuntiantes illi ceu rem novam, quæ tum forte Hierosolymis acciderat, *de Galilæis*, Judæ Gaulonitæ seu Galilæi Sectatoribus, *quorum sanguinem* *Act. 5. 37. Joseph lib 18. Antiq. cap. 1. & lib. 20. c. 3. Item lib. 1. de Bello Judaico c. 17. & lib. 7. cap. 28.* *Pilatus miscuerat cum sacrificiis eorumdem*; quod scilicet seditiosam doctrinam prædicti Judæ secuti, qui tributum Cæsari non solvendum, nec alium Dominum præter Deum agnoscendum vulgaverat, quo tempore Quirinus Judæam descripsit, ideoque male perierat, res novas contra Romanum Imperium, & obsequium Cæsaris moliebantur, cum tempore Paschatis Hierosolymam ad offerendum sacrificium veniebant.

2. *Et respondens dixit illis* (JESUS,) *Putatis quod hi Galilæi*, quos occidi jussit Pilatus, *præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?* Existimatis ipsos flagitiosiores fuisse ceteris illius Nationis & sectæ hominibus, quasi graviorum & plurium semper sint rei peccatorum, quos Deus magnis calamitatibus opprimi sinit, aut mala morte plectit? *Non, dico vobis*: Non ita se res habet. Sæpe enim ex magna malorum turba Deus paucos seligit, quorum pœnam ceterorum admonitionem & exemplum esse velit, sicut in legionum decumatione ab Imperatoribus exercitus fieri solet. *Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, sive in præsenti sæculo, calamitatibus & pœnis vobis imminentibus oppressi, sive in futuro, sive in utroque.

Isaiæ 8. 6. Joan. 9. 7. S. Hieron. in c. 8. Isai. 4. 5. *Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe*, ad fontem Siloe, unde aquæ ductus in Urbem ferebatur, ad quem fontem magnus erat hominum concursus, vel ut se purificarent, vel ut sanationem languorum suorum, post motum & turbationem aquæ ab Angelo, exspectarent. *Putatis quia & ipsi* decem & octo homines, qui turris illius ruinis nuper sunt oppressi, *debitores fuerint*, rei hujusmodi pœnæ & mortis, *præter omnes homines habitantes in Jerusalem?* præ omnibus incolis Jerusalem? *Non dico vobis*; non ita est, „ *sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

S. Ambr. l. 7. in Luc. n. 160. & seq. 2. Petri. Chrys. ser. 106. 6. 7. *Dicebat autem, & hanc similitudinem*, seu Parabolam: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit*. Pater ille familias, Deus est; vinea, Judaicus populus; ficus Hierosolymitani cives, ad spirituales fructus proferendos per Prophetas & Sacerdotes excolti. Confer cum Isaiæ 5. 7. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est: & vir Juda germen ejus delectabile: & expectavit ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor*. Venit Dominus quærens fructum justitiæ, pietatis, bonorum operum, & non invenit, sed inania tantum legalium ceremoniarum folia. Quærebat autem Dominus, non quia fructum ficulneæ deesse nesciret, sed ut ostenderet in figura quia fructum jam Synagoga habere deberet. (inquit Sanctus Ambrosius.)

8. *Dixit autem ad cultorem vineæ*, Christum Dominum, qui doctrina & miraculis Judæos velut vineam suam electam excoluit: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Ficus frugiferæ ultra tertium annum fructus non differunt: jam vero plures sunt anni, ex quo venio quærens fructum in Synagoga, & jam tertius est annus quo frustra ipsam excolis, Fili mi, (tertius enim tum agebatur annus prædicationis Christi) *Succide ergo illam*, & eradica, ut quid etiam terram occupat, & otiosam inutilemque reddit, quæ si fertilem arborem gestasset, usum sui præbuisset?

9. *At ille*, cultor scilicet vineæ, *respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*, ut extremam curam, & omnia opportuna adhibeam ad fertilitatem ei procurandam (quod anno ultimo prædicationis Christi, & Passionis ejus, per ipsummet; sequentibus autem per Apostolos factum est) *& si quidem fecerit fructum*, bene est: *sin autem; in futurum*, cum tibi placuerit, *succides eam*. Non dixit: Si fecerint fructum, permanebunt ut erant: sed, Si fecerint fructum, suspensa sententia est, ut subaudiatur, transferes eos in Ecclesiam Gentium & in alteram vineam transplantabis. Venit Dominus tertio, & non invenit in eis fructum. Dedit primum Legem per Moysen: secundo locutus est per Prophetas: tertio ipse descendit, Et post passionem datis ad pœnitentiam quadraginta quatuor annis, quia non fecerunt fructum, quarto subversi sunt. *S. Hieron in cap. 4. Habacuc ad illum Versum.* Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis.

10. 11. 12. 13. *Erat autem* (JESUS) *docens in Synagoga eorum Sabbatis*, quibus Judæi frequentes conveniebant in Synagogas, ut Legem edocerentur, & precarentur. *Et ecce mulier quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo*, quæ ab annis octodecim patiebatur morbum a spiritu malo immissum, *& erat inclinata*, capite in pectus contracto, corpore in terram curvato, præ frequentibus convulsionibus, *nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se*, ultro, non rogatus, propensissima ad benefaciendum & sucurrendum miseris voluntate; *& ait illi; Mulier, dimissa es ab infirmitate tua*, soluta & liberata a vinculis infirmitatis, quibus te Satanas tenebat alligatam. *Et imposuit illi manus*. Oratorio sermone, contactuque vivifico perfectam illi sanitatem restituit. *Et confestim erecta est, & glorificabat Deum*. Dei gloriam, potentiam, misericordiam prædicabat, Christo gratias agens. *Ader. l. de Morbis Evangelicis.*

14. *Respondens autem Archisynagogus, indignans quia Sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, & curamini, & non die Sabbati*. Princeps quidam Synagogæ, religionis zelique speciem invidiæ, qua in Christum urebatur, prætexens, ipsumque Jesum per latus petens, ait turbæ in Synagoga congregatæ: Sex dies sunt operibus & labori manuum destinati; illis diebus venite, & præbete vos curandos, & non Sabbato, quod quiete & cessatione ab omni opere sanctificandum est.

15. 16. *Respondens autem ad illum Dominus*, aliosque ipsi similes una coarguens, *dixit: hypocritæ*, qui aliud sermone ostentatis, scilicet zelum Legis; aliud corde premitis, scilicet invidiam ob operum meorum admirabilitatem, *unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, & ducit adaquare?* Nonne unusquisque vestrum Sabbato solvit bovem suum aut asinum a præsepio cui alligati sunt, & adaquatum ducit, *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo illo die Sabbato?* quanto magis licitum est, imo religiosum ac pium, homini subvenire die Sabbati, & præsertim iis qui ex genere Abrahæ censentur, cum quo & posteris ejus Deus fœdus iniit? Cum ergo Satanas hanc Abrahæ filiam per annos octodecim insanabilis morbi vinculo detineret alligatam, an Sabbati religionem violavi, cum vinculum illud verbo & impositione manus solvi? Num servile hoc opus censendum est?

17. *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo*. Adversarii ejus pudore suffundebantur, populus gaudebat quod tam admirabilia, tamque glorioſa opera ederet.

18. 19. 20. 21. „ Dicebat ergo: Cui simile est regnum „ cœlorum, & cui simile æstimabo illud? Simile est gra- „ no sinapis, quod acceptum homo misit in horreum suum „ & crevit, & factum est in arborem magnam, & vo- „ lucres cœli requieverunt in ramis ejus. Et iterum di- „ xit: Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fer- „ mento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata „ tria, donec fermentaretur totum. „ Confer cum Matthæi 13. ubi utramque illam Parabolam exposuimus.

22. *Et ibat per civitates & castella, docens, & iter faciens in Jerusalem*; ut Festum aliquod secundum Legem celebraret, quod quale fuerit, Interpretes non conveniunt. Neque enim certum & exploratum habetur ex Evangelica Historia, quo tempore hæc gesta & dicta sint a Christo Domino.

23. 24. *Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Circa hanc quæstionem varia erant Magistrorum placita. R. *Resh. Lachisch*, ait: *Qui dereliquit statutum unum non observatum, judicabitur in gehenna*. Contra vero R. *Jochanan* ait: *Ne sic judices de Israele: nam etiamsi non didicerit nisi statutum unum, evadet gehennam*. Ex adverso *Ligfoot in Horis Hebraicis.*

R. Rabba dicit: *Duo tantum introierunt in terram Chanaan de ſexaginta myriadibus: ſic etiam erit in diebus Meſſiæ.* Chriſtus curioſæ quæſtioni reſpondendum non duxit, nihil enim intereſt ad ſalutem ſcire quot ſalventur, ſed quales eſſe oporteat, & qualem viam inire debeant, qui ſalutem æternam conſequi volunt. Id docet eo loci Chriſtus. *Ipſe autem dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam; quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Omnibus ſtudiis & viribus enitimini, ut per arctam illam vivendi rationem, quæ ſecundum Deum & virtutem eſt, quæ ardua eſt & difficilis, in Dei regnum intretis. Metaphora eſt ſumpta a domo, cujus janua anguſta eſt, quam non ſubit, niſi qui vires contendit. Multi quærent intrare in regnum cœlorum, inefficacibus deſideriis id optabunt: quotuſquiſque enim eſt, qui beatus eſſe non optet? *Sed non poterunt*, quia gratiæ Dei deerunt, ad viam illam arduam illos invitanti, nec tanti illis erit vita æterna, ut propter ipſam hujus ævi commodis carere velint.

25. 26. 27. 28. *Cum autem introierit Pater-familias & clauſerit oſtium*: cum elapſum fuerit tempus poſt quod in domum ſuam cœleſtem nullum amplius admittere Dominus decrevit, fruſtra exſpectatis quos invitaverat, *incipietis foris ſtare, & pulſabitis oſtium*, ſtabitis foras, fruſtra contendentes intrare, & inutiliter *dicentes: Domine, aperi nobis; & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis.* Pro ignotis vos habeo *Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.* Tecum familiariter viximus, cibum tecum ſumpſimus; te audivimus apud nos docentem, diſcipulique tui fuimus. *Et dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis: Diſcedite a me omnes operarii iniquitatis.* Hæc verba, *operarii iniquitatis*, habitum dumtaxat ac ſtudium ſeu conſuetudinem totius vitæ, non unum aut alterum actum ſignificare, Volzogenius Socinianus commentator, & Grotius falſo, temere, erronee aſſerunt; ut propter ſolum peccati habitum & conſuetudinem, non propter unum aut alterum crimen ſeu voluntate, ſeu opere perpetratum, hominem a regno cœlorum excludi, & in tenebras exteriores ejici, id eſt, in infernum detrudi innuant, ſecundum Socinianæ Moralis principia. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cum videritis Abraham & Iſaac & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras.* Cœleſti & æterna domo, regnoque excluſi, & tenebroſo carcere, ſuppliciiſque ſempiternis damnati, flebitis & ſtridebitis dentibus; cum præſertim videritis Abraham, Iſaac, Jacob, & omnes Prophetas, ex quorum genere vos eſſe gloriamini, in regno cœleſti felicem in æternum vitam agentes.

29. 30. *Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Auſtro*, a quatuor mundi plagis homines, *& accumbent in Regno Dei*; cujus vos ſolos hæredes fore ob generis prærogativam, & Legem a Deo acceptam, præſumebatis. *Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi.* Gentiles qui nunc a Deo alieniſſimi, & hoſpites teſtamentorum vobis videntur, & quos tanquam ultimos omnium mortalium contemnitis, erunt primi in regno cœlorum: vos autem qui nunc primi eſtis Dei cognitione, patrum genere, promiſſionum jure, regni cœlorum exſpectatione; omnium noviſſimi eritis, a Regno cœlorum in perpetuum excluſi.

31. *In ipſa die*, qua ſuperiorem Chriſtus habuit concionem, *acceſſerunt quidam Phariſæorum*, benevolentiam erga ipſum ſimulantes, & *dicentes illi. Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*; idque Herodis ipſius inſtinctu Phariſæos illos feciſſe Chriſti reſponſum oſtendit, ad Herodem, a quo miſſi erant, directum. Herodes ſcilicet politicis artibus & vafritie inſignis, Jeſum interficere veritus, ne populum offenderet, injecto tamen metu illum finibus Tetrarchiæ ſuæ arcere voluit, quia Joannis innocentiæ teſtimonium magna auctoritate & libertate paſſim perhibebat. Ideo Phariſæos miſit, qui Chriſto metum incuterent mortis ab illo imminentis, ſuaderentque ut ſeceſſu & fuga ſaluti ſuæ conſuleret.

32. *Et ait illis; Ite, dicite Vulpi illi* (ſic Herodem vocat propter inſignem aſtutiam cum timiditate conjunctam) *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & ſequenti die conſummor.* Herodi renunciate, me terrore mortis non commoveri, nec impediri poſſe quominus opus, quod dedit mihi Pater, perficiam. Dæmonia ergo ejicere, & infirmos curare pergam, & nunc & in poſterum, quamdiu mihi libuerit, & brevi moriar. Mortem ſuam *conſummationem* vocat, quia per eam opus redemptionis noſtræ perfecit. Confer cum Hebr. 2. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.*

Videſis S. Aug. in Pſ. 63. ad illum Verſ. Tradentur in manus gladii partes vulpium erunt: *& ſerm. 2. in Pſ. 83. n. 7.*

33. *Verumtamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare*, libere operari, & munus peragere meum ſine metu Herodis, & cujuſcumque alterius, hic hærere, vel alio migrare, cum voluero. Trepidare vulpis eſt, non Leonis de Tribu Juda. Non eſt metuendum ne mihi mors in Galilæa, vel in Perea inferatur, *quia non capit*, non contingit, non expedit *Prophetam perire* ſeu morte affici *extra Jeruſalem*, ubi Synedrium magnum eſt, a quo Prophetæ judicantur. Unde in Tractatu *Sanhedrim*, c. 1. habetur: *Non judicant Tribum, nec Pſeudoprophetam, nec ſummum Pontificem, niſi Hieroſolymis, & judicio Septuaginta unius.* Fuere quidem Prophetæ nonnulli extra Jeruſalem occiſi, ſed pauci præ iis qui ea in Urbe trucidati erant. *Ligfoot in Horis Hebraicis.*

34. 35. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te*; id eſt, quæ occidere & lapidare ſoles, &c. reprehenſionis vitiorum ac ſcelerum tuorum impatiens, *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Urbs veſtra excidetur, omniſque regio vicina ſic vaſtabitur ut remaneat deſerto ſimilis. *Dico autem* vobis: *Quia non videbitis me donec veniat cum dicatis*: Non videbitis me Hieroſolymis uſque ad diem illum, quo Urbem ingrediar ſedens ſuper aſinam, ut impleantur Vaticinia Prophetarum, & mihi velut Regi & Triumphatori cum palmis ſeu ramis olivarum occurrentes & acclamantes dicetis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Confer cum Matthæi 23. 37. 38. & 39. *Vide Joſeph. lib. 7. de Bello Jud. c. 1.*

SENSUS MORALIS.

2. *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt? Non, dico vobis.* Humanorum judiciorum temeritatem Chriſtus Dominus compeſcit. Plerumque enim judicant homines, graviorum peccatorum reos eſſe, qui a Deo magis in hoc mundo affliguntur, vel ſubitis calamitatibus opprimuntur. Ita judicabant amici Job: *Utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex eſſet lex ejus, & intelligeres quod multo minora exigeris ab eo, quam meretur iniquitas tua.* Sic judicabant barbari Inſulæ Melitenſis incolæ, cum viperam S. Pauli manum invaſiſſe viderunt. *Utique* (inquiebant) *homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Sic judicabant, qui Galilæorum illorum caſum nuntiabant, quorum ſanguinem Pilatus cum ſacrificiis illorum miſcuerat, flagitioſiores fuiſſe ceteris Galilæis: judicabant plerique de turba quæ Chriſtum audiebat, tum hos Galilæos, tum decem & octo homines, qui repentina Turris Siloe ruina nuper fuerant oppreſſi, præ ceteris omnibus conterraneis vel concivibus ſuis peccatores fuiſſe & Deo invitos. Rem porro non ita ſe habere Chriſtus declarat, ut doceat non eſſe temere judicandum de iis qui a Deo affliguntur & temporaliter puniuntur. Quamvis enim in futuro ſæculo pro menſura peccatorum puniat reprobos; in præſenti tamen ſæpe peccatores caſtigat ut erudiat, ut emendet, ut ad pœnitentiam adducat, ut ſalvet; interdum ut paucorum exemplo terreat ceteros, & vel timore pœnarum a peccato cohibeat: ſæpe juſtos, ut probet, ut purificet; ſæpe reprobos temporali proſperitate frui ſinit, graviores in futuro ſæculo pœnas daturos. „ Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga „ Dei ſuper illos... Ducunt in bonis dies ſuos, & in punc„ to ad inferna deſcendunt... Quia in diem perditionis „ ſervatur malus, & in diem furoris adducetur. *Hinc* „ *David*: Mei autem (*inquit*) pene moti ſunt pedes, „ pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, „ pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus mor„ ti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore „ hominum non ſunt, & cum hominibus non flagella„ buntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, &c. *Et alter Pro*„ *pheta*: Juſtus quidem es, Domine, ſi diſputem tecum: „ verumtamen juſta loquar ad te. Quare via impiorum „ proſperatur, bene eſt omnibus qui prævaricantur & „ inique agunt? Plantaſti eos & radicem miſerunt; pro„ ficiunt & faciunt fructum... Congrega eos quaſi gre„ gem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.„ Temeraria igitur judicia quiſque caveat, cor ſuum, actuſque ſcrutetur & recogitet, primum peccatorum ſe coram Deo reputet, graviores ſe divinæ juſtitiæ pœnas debere humiliter agnoſcat, placare illam ſatagat pœnitentiæ gemitibus & operibus. *Væ* enim *etiam laudabili hominum vitæ, ſi remota miſericordia diſcutiat eam Deus.* *Job. 25. 5. 6.* *Job. 21.* *Pſalm. 72.* *Jerem. 12.* *S. Auguſt.*

3. *Sed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Impunitum a Deo relinqui peccatum non poteſt, cum juſtus ſit: aut a Deo puniatur neceſſe eſt, aut ab homine pœnitente, contrito, & ſibimetipſi irato, quod Deum graviter offenderit. Pœnitentiam agere peccatoribus, non conſilii tantum res eſt, ſed præcepti omnes omnino ſpectantis. Omnes qui pœnitentiam non egerint, poſtquam in mortale peccatum lapſi ſunt, certa manet damnatio. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis; etſi non eodem mortis genere quo Galilæi illi homines vel Judæi, eo certe quod omnium maxime timendum, de quo ſcriptum eſt: *Mors peccatorum peſſima.* Mala ſiquidem eſt in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque duplici *Act. 28. 4.* *Pſal. 23. 22* *S. Bern. Epiſt. 105.*

con-

S. Aug. lib. 13. de Civit Dei c. 11. contritione. Hæc ſecunda mors, quæ non fit ſeparatione animæ & corporis, ſed in æternam pœnam potius utriuſque complexu. Hæc malorum omnium maximum. *Numquam* enim *erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipſa ſine morte.* Hoc malum ſola pœnitentia declinari poteſt. *Tertull. lib. de Pœnitent* *Si de Exomologeſi retrectas* (ait Tertullianus) *gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.*

6. *Arborem ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.* *S. Aug. ſem. 110. alias 31. de Verb. Dom.* „ Arbor ficulnea, moraliter genus humanum eſt. Triennium, tria ſunt tempora: unum ante Legem, alterum ſub Lege, tertium ſub Gratia. Eos appellat Chriſtus „ in hac arbore, qui per omne tempus fructum dare noluerunt: & propter hoc imminebat ſecuris radicibus „ arboris infructuoſæ. Intercedit colonus, *differtur ſupplicium, ut adhibeatur auxilium.* Qui intercedit colonus, eſt omnis ſanctus; qui intra Eccleſiam orat pro „ eis qui ſunt extra Eccleſiam. Et quid orat? *Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum; ſin autem, in futurum ſuccides eam*: quando „ ſcilicet venies judicare vivos & mortuos. Interim tempore iſto ſub gratia, parce peccatoribus, parce infidelibus, parce ſterilibus, parce infructuoſis. *Uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* Quid eſt circumfodere, niſi humilitatem & pœnitentiam docere? „ Foſſa enim humilis terra eſt. Stercora ſimiliter in bono „ intellige. Sordes ſunt, ſed fructum dant. *Sordes cultoris, dolores ſunt peccatoris.* Qui agunt pœnitentiam, „ in ſordibus agunt: ſi tamen intelligant, & veraciter „ agant. Eja arbor infructuoſa, non derideas, quia parcitur tibi: dilata eſt ſecuris, noli eſſe ſecura: veniet „ ad judicium Dominus, & amputaberis. “

Arborem ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Per baptiſmum Chriſto inſiti, & in vinea ejus, ſcilicet Eccleſia Catholica plantati, fructum quem a nobis exſpectat, in tempore ſuo dare debemus. Tempus fructuum, id eſt, bonorum operum, totus vitæ noſtræ curſus eſt. Chriſtianus catholicus, qui fidem habet, charitatem vero & bona opera non habet, ficus ſterilis eſt. Jam multos annos fructum Myſteriorum ſuorum, verbi ſui, Sacramentorum, gratiarum ſuarum, flagellorum, infirmitatum, calamitatum, quibus nos veluti ablaqueat & ſtercorat, a nobis exſpectat Dominus. Patientia Dei quouſque abutimur? Ut quid locum in Eccleſia occupamus? Inutiles certe in ea ſumus, immo aliis nocemus degeneri converſatione & pravis exemplis. Timeamus ergo ſecurim jam ad radicem poſitam. *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* *S. Petr. Chryſ. ſerm. 1. 6.* „ Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, „ exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, affi„ cit tædio poſſidentem; excidere iſtam lucrum eſt, com„ modum non habere, ſic homo qui naturæ donum, „ munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſen„ ſus, judicium mentis, artis induſtriam, culturæ bo„ num, per ſteriles atque inopes actus evertit, occupat, „ mergit, Auctori fructum, cultori gratiam negat: ſi„ cut arbor e terra, ſic iſte e vita meretur excidi. Et „ ſicut infœcunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit „ mortiferam ſubjectis vitibus umbram, inimica non ſibi „ ſoli, ſed etiam palmitibus ſit fœcundis: ita homo de„ ſes & ignavus, ſi præſit populis, non ſibi ſoli ſit no„ xius; ſed multis, dum ſequentes ſe ſuo vitiat & per„ dit exemplo. *Succide ergo illam, ut quid etiam terram* *S. Ambr. lib 7. in Luc. n. 131.* „ *occupat?* Quod de Judæis dictum, omnibus, & nobis „ maxime cavendum eſt, ne fœcundum Eccleſiæ locum „ vacui meritis occupemus; qui quaſi malogranata bene„ dicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, „ fructus conjunctionis, fructus mutuæ charitatis & amo„ ris, ſub uno utero Eccleſiæ matris incluſi; ne aura „ noceat, ne grando decutiat, ne æſtus cupiditatis exu„ rar, ne humoris imber elidat. “

7. *Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum; ſin autem, in futurum ſuccides illam.* Cum Dominus ad Synagogam fructum quæſiturus veniſſet per Legem, per Prophetas, per ſe ipſum, adhuc Evangelici temporis annum conceſſit, *annum placabilem Domino*, de quo Iſaias. Toto illo tempore, quod ad ultimum uſque adventum Chriſti currit, operarii Evangelici ficum infructuoſam colunt, circa illam fodiunt, illamque ſtercorant. *Iſai. 61. 1.* *S. Gregor. M. Hom. 31 in Evang.* „ Quid eſt circa ficulneam fodere, niſi infructuoſas mentes increpare? Omnis quippe foſſa in imo eſt: „ & nimirum increpatio dum mentem ſibi demonſtrat, „ humiliat. Quoties ergo aliquem de peccato ſuo corripimus, toties ex culturæ debito circa infructuoſam arborem fodimus. Quoties ad ejus memoriam vitia ante„ acta revocamus, quaſi infructuoſæ arbori cophinum ſtercoris verſamus, ut ad compunctionis gratiam quaſi de „ fœtore pingueſcat. Cum *enim* ſe per pœnitentiam ad „ lamenta mens excitat, & ad bonæ operationis gratiam reformat, quaſi per tactum ſtercoris redit ad fœ„ cunditatem operis radix cordis. Plangit quod feciſſe ſe „ meminit, diſplicet ſibi qualem ſe fuiſſe recolit, intentionem contra ſe dirigit, atque ad meliora animum „ accendit. Ex fœtore ergo ad fructum reviviſcit arbor, „ quia de conſideratione peccati ad bona opera ſe reſuſcitat animus. “

10. 11. 12. 13. *Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Quam cum vidiſſet Jeſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manum, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.* „ Quam clemens Dominus, „ quam pius in utroque, cum aut miſeretur, aut vindicat! In Synagogæ typo arborem excidi jubet, in typo „ Eccleſiæ feminam ſalvat. Mulier (inquam) infirma, „ Eccleſiæ figura eſt, quæ cum menſuram Legis & reſurrectionis impleverit, in illa quiete perpetua in ſublime erecta faſtigium, inclinationem noſtræ infirmitatis „ ſentire non poterit. “ *S. Amb. lib. 7. in Luc.* 173. & 175

Ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, &c. Curva erat, ſurſum reſpicere non poterat; quia *Surſum cor*, ſine cauſa audiebat. „ Qui curvus eſt, terram intuetur, terrena ſe„ licitate lætatur, iſtam ſolam putat eſſe vitam beatam, „ ubi beatus eſſe poſſit, aliam non credit. Quicumque „ tam curvus eſt, erigatur. Si per ſe ipſum non poteſt, „ invocet Deum. Numquid enim & mulier illa per ſe „ ipſam erecta eſt? Væ illi eſſet, ſi manum ille non porexiſſet. “ *S. Auguſt. ſer. 110. alias 31. de Verbis Domini.*

Et erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. „ In corpore corruptibili anima conſtituta terrena qua„ dam contagione conſtringitur, & tali onere quodam„ modo depreſſa curvatur, ut in imo multa, quam in „ ſummo unum facilius concupiſcat & cogitet. Nam hoc „ etiam ſancta Scriptura ita dicit: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sed ideo venit Salvator „ noſter, qui mulierem illam in Evangelio per decem & „ octo annos curvam, quæ fortaſſe hoc ſignificabat, verbo ſalutis erexit, ut anima Chriſtiana non fruſtra audiat, *Surſum cor*: nec fruſtra reſpondeat, *ſe habere ad* „ *Dominum.* “ *Idem Epiſt. 131. alias 156.* *Sap. 9. 15.*

Et erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. „ Omnis peccator terrena cogitans, cœleſtia non requirens, ſurſum reſpicere non valet: quia dum deſideria „ inferiora ſequitur, a mentis ſuæ rectitudine curvatur, „ & hoc ſemper videt, quod ſine ceſſatione cogitat. Ad „ corda veſtra redite, fratres chariſſimi, quid horis omnibus in cogitationibus veſtris volvatis, aſpicite. Alius „ de honoribus, alius de pecuniis, alius de prædiorum „ ambitu cogitat. Hæc cuncta in imo ſunt, & quando „ mens talibus implicatur, ab ſtatus ſui rectitudine flectitur. Et quia ad cœleſte deſiderium non aſſurgit, quaſi „ mulier inclinata ſurſum reſpicere nequaquam poteſt. “ *S. Gregor. Hom. 31. in Evang.*

Hanc cum vidiſſet Jeſus, vocavit ad ſe, &c. „ Vocavit, & erexit: illuminavit, & adiuvit. Vocat, ſed „ non erigit, quando per ejus gratiam illuminamur, ſed „ exigentibus noſtris meritis, *ſeu peccatis*, adjuvari non „ poſſumus. Plerumque enim videmus quæ agenda ſunt, „ ſed opere non implemus. Nitimur, & infirmamur. „ Mentis judicium rectitudinem conſpicit, ſed ad hanc „ operis fortitudo ſuccumbit: quia nimirum jam de pœna „ peccati eſt, ut ex dono quidem poſſit bonum conſpici, „ ſed tamen ab eo quod aſpicitur contingat per meritum „ repelli. Uſitata enim culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem. Conatur, & „ labitur: quia ubi ſponte diu perſtitit, ibi & cum noluerit, coacta cadit. Bene de hac noſtra incurvatione „ ex typo humani generis per Pſalmiſtam dicitur: *Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem.* Unde „ curvatus eſt? Quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris; ſi fueris elatus, curvaberis: non enim deerit „ Deo pondus unde te curvet. Illud erit pondus, faſcis „ peccatorum tuorum: hoc replicabitur in caput tuum, „ & curvaberis. Quid eſt autem curvari? Non ſe poſſe „ erigere. Talem invenit Dominus mulierem per decem „ & octo annos curvam: non ſe poterat erigere. Tales „ ſunt qui in terra cor habent. De his alius Propheta, „ malignos ſpiritus in typo hoſtium populi Dei deſignans, „ ait: *Qui dixerunt animæ tuæ, Incurvare, ut tranſeamus.* Recta quippe ſtat anima, cum ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni ſpiritus cum hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per „ eam tranſire non poſſunt. Tranſire namque eorum, eſt „ immunda illi deſideria ſpargere. Dicunt ergo, *Incurvare, ut tranſeamus*: quia ſi ipſa ſe ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perverſitas nulla„ tenus convaleſcit. Nos ergo viam malignis in nobis „ ſpiritibus damus, cum ad temporalia appetenda curvamur. Gibboſos a Sacerdotio Lex vetus repellebat, „ quia *Quiſquis ſolis terrenis intentus eſt, membrum ſummi Sacerdotis non eſt*: nec in eorum numero dignus „ eſt cenſeri, de quibus ait Apoſtolorum Princeps: *Vos* *S. Auguſt. in hunc Pſ. n. 10.* *Iſai. 51. 23.* *S. Gregor. Hom. 31. in Evang.* *Levit. 21.*

„ *au-*

1. Petri 2. 9. Ven. Beda. „ *autem genus electum : regale Sacerdotium , gens* „ *ſancta* . “

Hanc cum vidiſſet Jeſus , vocavit ad ſe , &c. „ Vidit, „ prædeſtinando per gratiam ; vocavit , illuſtrando per do- „ ctrinam ; impoſuit manus , ſpiritalibus donis adjuvando ; Rom. 8. 30. „ erexit , ad glorificandum Deum in operibus bonis uſ- „ que in finem firmam provehendo . Quos *enim* prædeſti- „ navit , hos & vocavit ; & quos vocavit , hos & juſti- „ ficavit ; quos autem juſtificavit , illos & glorificavit . “

Et impoſuit illi manus . Ab iis quos Chriſtus miſericordia ſua reſpexit , & per gratiam ſuam vocavit , & tetigit , diabolum expellit Eccleſia per impoſitionem manuum Sacerdotalium , & Abſolutionis Sacramentalis verba . Sic ab inviſibilibus vinculis ſolvuntur , quos alligavit Satanas .

14. *Reſpondens autem Archiſynagogus , indignans quia Sabbato curaſſet Jeſus , dicebat turbæ : Sex dies ſunt in quibus oportet operari , in his ergo venite , & curamini , & non in die ſabbati* . Fallitur Archiſynagogus . Magiſter in Iſrael ignorat opera tantum ſervilia & mercena- Ven. Beda. ria , non opera charitatis , non opera Dei ſabbatis prohiberi . Religionis enim & charitatis operibus in Deo requieſcitur , quæ maxime quies ſabbato præcipitur . *Lex in ſabbato non hominem curare , ſed onera ferre , hoc eſt , peccatis gravari prohibuit* . Dominicis maxime Feſtiſque diebus animam noſtram curare debemus ; vinculorum , quibus a diabolo ſumus alligati , ſolutionem ; ſpiritualium noſtrarum infirmitatum ſanationem quærere in Eccleſiæ Sacramentis , & auditione verbi Dei ; mentes ad cœleſtia erigere per orationem ; Deum glorificare , illique pro acceptis beneficiis gratias agere .

23. 24. *Ait autem illi quidam : Domine : ſi pauci ſunt* S. Aug. ſer. 111. alias 32. de Verbis Domini Mat. 8. 12. *qui ſalvantur ? Ipſe autem dixit ad illos : Contendite intrare per anguſtam portam* . „ Pauci ſunt qui ſalvantur in „ comparatione multorum perituruorum . Nam ipſi pauci „ magnam maſſam facturi ſunt . Cum venerit ventilator „ ferens ventillabrum in manu ſua , mundabit aream „ ſuam , frumenta recondet in horreum : paleas autem „ comburet igni inextinguibili . Tanta maſſa proceſſura „ eſt de hac area , ut impleat horreum cœli . Non enim „ contrarius ſibi eſſet Dominus Chriſtus , qui dixit : *Pau-* „ *ci ſunt qui intrant per anguſtam portam , multi per* „ *latam viam pereunt* : & qui alio loco dixit : *Multi ab* Apoc. 7. 9. „ *Oriente & Occidente venient* . Non ergo alii pauci , „ alii multi : ſed ipſi pauci , qui multi : pauci in compa- „ ratione perditorum , multi in ſocietate Angelorum . „ Audite Apocalypſim : Poſt hæc vidi turbam magnam , „ quam dinumerare nemo poterat , ex omnibus gentibus , „ & tribubus , & populis , & linguis , ſtantes ante thro- „ num , & in conſpectu Agni , amicti ſtolis albis , & pal- „ mæ in manibus eorum . “ Hæc eſt maſſa ſanctorum . Ut cum ipſis partem aliquam & ſocietatem habeamus in vita immortali & æterna , eniti & contendere debemus ut intremus per anguſtam portam . Nec enim ignavi & deſides , qui viribus omnibus eniti nolunt in cauſa ſalutis , nec per anguſtam portam ingredi , & arduam Evangelii viam ſequi ; nec qui de propriis viribus vel Dei gratia in finem uſque præſumunt , ſalutem æternam conſequentur . Deo ejuſque miſericordiæ & gratiæ tempus agendi ſemper adeſt , nec moribus illi fit mora , nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis : verumtamen contemplandum eſt ne quis noſtrum deſit gratiæ Dei ; tempore accepto , diebus ſalutis utendum , cum janua patet , cum adhuc nos invitat & patienter exſpectat Dominus ; ne tempus veniat cum clamabimus , & non exaudiemur , ſicut ſceleſtus ille Antiochus , qui Dei vindice manu attritus illum rogabat , *a quo non erat miſericordiam conſecuturus* . Juſto Dei judicio fit , ut qui recte vivere cum poſſet noluit , amittat poſſe cum voluerit . Juſtum eſt ut qui Chriſtum ceu præceptorem ſuum agnoſcere , ut exemplar ſuum imitari noluerunt , ab eo ut ignoti rejiciantur . *Neſcio vos unde ſitis* . Fruſtra dicent qui ſecundum Evangelii regulam non vixerunt , qui per arctam viam non ſunt ingreſſi , ſe Sacramenta frequentaſſe , ſe verbum Dei audiviſſe , Chriſtianam fidem fuiſſe profeſſos . *Manducavimus coram te & bibimus , & in plateis noſtris docuiſti* . Nihil illis proderunt verbi Dei auditio , Chriſtianæ fidei profeſſio , Corporis & Sanguinis Chriſti participatio , qui Evangelicam Legem vel quoad unum caput violaverint , qui opera fide Chriſtiana digna non fecerint , & ad mortem uſque in juſtitia & charitate non perſeveraverint . *Et dicet vobis , Neſcio vos unde ſitis : diſcedite a me omnes operarii iniquitatis* .

32. *Ite , dicite Vulpi illi , Ecce ejicio dæmonia , & ſanitates perficio hodie & cras , & tertia die conſummor : Verumtamen oportet me hodie & cras , & ſequenti die ambulare* . Vulpinas diaboli fraudes ſemper obſervare , ab iiſque ſumma vigilantia cavere debemus , ne blanditiis & illecebris voluptatum & rerum temporalium , vel incommodorum & mortis etiam terrore ab officio noſtro dimoveri umquam poſſimus . Operi Dei ſemper incumbendum ad conſummationem uſque vitæ noſtræ , bona opera continuo exercenda , ac ſi tres dumtaxat vitæ dies nobis ſuppereſſent ; in via Dei ſemper ambulandum & progrediendum eſt , & ad cœleſtem Jeruſalem tendendum , ubi conſummabitur charitas , quia nulla erit cupiditas .

CAPUT XIV.

Senſus Litteralis .

1. 2. ET *factum eſt , cum intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem , & ipſi obſervabant eum* . Intravit Jeſus die Sabbati in domum cujuſdam e primariis Phariſæis , ut cibum ſumeret . Phariſæi autem qui eidem convivio intererant , obſervabant num forte aliquid facturus eſſet alienum a ritibus ad ſabbati religionem pertinentibus , quos Legiſperitorum auctoritas & uſus introduxerat . *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum* . Stans ſpe recuperandæ ſanitatis a potentiſſimo & beneficentiſſimo Salvatore .

3. 4. 5. 6. *Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos & Phariſæos , dicens : Si licet ſabbato curare* : Legiſperitis & Phariſæis ſimul recumbentibus quæſtionem juris controverſi propoſuit , illos interrogans , utrum ſabbato morbos curare liceret ? *At illi tacuerunt* , non approbatione veritatis , ſed metu confuſionis , falſam , quam propugnabant , ſententiam diſſimulantes , ne palam a Chriſto refellerentur . Sentiebant enim non licere , niſi mortis periculum ex curationis dilatione immineret . *Ipſe vero apprehenſum ſanavit eum* , manu apprehendens , ſolo contactu ſanavit , *ac dimiſit* . *Et reſpondens ad illos* , rurſus eos compellans , *dixit : Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet , & non continuo extrahet illum die ſabbati ?* Argumentum eſt a minori ad majus , quaſi diceret : Si tantam geritis curam pecudis , ne ſubmergatur ; quanto major cura gerenda eſt hominis hydropici , ne aqua ſuffocetur ? *Et non poterant ad hæc reſpondere* . Tanta vis erat veritatis a Chriſto cum auctoritate expoſitæ , ut eos ſilere cogeret .

7. 8. 9. 10. 11. *Dicebat autem & ad invitatos parabolam , intendens quomodo primos accubitus eligerent , dicens ad illos* . Ad animum convivarum attendens , qui primas ſedes eligere & ambire ſoliti erant , propoſita parabola ſpiritalem in illis hydropiſim , ſcilicet ſuperbiæ tumorem , ſanare aggreſſus eſt . *Cum invitatus fueris ad nuptias* , ſive ad convivium nuptiale , *non diſcumbas in primo loco , ne forte honoratior te* , tibique merito præponendus , *ſit invitatus ab illo* , a quo vocatus es , *& veniens is qui te & illum vocavit , dicat tibi : Da huic locum* debitum , quem contra ordinem & decorum occupas , *& tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere* , & tunc pudore ſuffuſus , in noviſſimum locum deſcendere compellaris . *Sed cum vocatus fueris , vade , recumbe in noviſſimo loco* , quam potes humillimum locum elige : *ut cum venerit qui te invitavit* , ordinem ſpectans convivarum , *dicat tibi : Amice , aſcende ſuperius* ; loco honoratiori ſedeas . Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus : *Quia omnis qui ſe exaltat , humiliabitur : & qui ſe humiliat , exaltabitur* . Commune erat adagium , cujus veritas in omni actionum genere , etiam civilium , comperta . Confer cum Proverbiorum 25. 6. & 7. ubi Spiritus ſanctus per Salomonem ait : *Ne glorioſus appareas coram Rege , & in loco Magnorum non ſteteris . Melius eſt enim ut dicatur tibi : Aſcende huc : quam ut humilieris coram Principe* .

12. 13. 14. *Dicebat autem & ei qui ſe invitaverat* ; alterum in illius animo hydropem , ſcilicet avaritiam ſanare volens : *Cum facis prandium aut cœnam , noli* ſolum *vocare amicos tuos , neque fratres tuos , neque cognatos , neque vicinos divites : ne forte te & ipſi reinvitent , & fiat tibi retributio* . Ne (inquam) ipſos invites ſpe vicis recipiendæ : ſic enim mercedem beneficentiæ tuæ in hoc ſæculo recipiens , præmium in futuro ſæculo ſperare non poteris . *Sed cum facis convivium , voca pauperes , debiles , claudos & cæcos* , omnes qui opis indigent , *& beatus eris quia non habent rettibuere tibi* , non habent unde tibi vicem rependant : *retribuetur enim tibi* longe excellentior fructuoſiorque merces , juge convivium in regno Dei , *in reſurrectione juſtorum* . Non prohibet Chriſtus honeſta inter divites convivia , in teſtimonium amicitiæ , in fomentum & firmamentum concordiæ , in grati animi ſignificationem , ad gaudii etiam , quod ſecundum Deum eſt , demonſtrationem , ſed ne retributionis & mutuæ ad convivium vocationis intuitu , vel amicitiæ carnalis affectu , vel aliis de cauſis ſeu divinæ legi contrariis , ſeu indifferentibus , adornentur convivia : & opera miſericordiæ non ſolum negligenda non eſſe , ſed imprimis exercenda & præferenda docet , ut quæ ſine ſpe humanæ vicis & temporalis retributionis , Dei cauſa & amore præſtantur . Benefacere ſine ſpe humanæ retributionis non ſolum vitæ Chriſtianæ , ſed civilis honeſtatis officium eſt , Ethnicis ipſis Philoſophis lumine naturali cognitum . „ In collocando beneficio (*inquit Cicero*) hoc Cicero lib. „ maxime officii eſt , ut quiſque maxime opis indigeat , de officiis . „ ita ei maxime opitulari . Quod contra fit apleriſque : „ a quo enim plurimum ſperant , etiamſi ille his non eget , Plinius lib. „ tamen ei potiſſimum inſerviunt . *Et Plinius* : Volo 9. Epiſt. 30.

„ (in-

„ (*inquit*) eum qui sit vere liberalis, tribuere amicis, „ sed amicis dico pauperibus: non ut isti qui iis potissi„ mum donant, qui donare maxime possunt. "

15. *Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in Regno Dei*: id est, qui ad cæleste illud æternumque convivium admittetur, ubi justi inebriabuntur abubertate domus Dei, & torrente voluptatis potabuntur. Ex hujus hominis exclamatione occasionem sumpsit Jesus explicandi proposita parabola, cur Judæorum plurimi a fœlici illa forte excludendi essent.

16. 17. *At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.* Homo quidam typice Deum; servus, Christum Dominum designat; cœna, beatitudinem æternam, quæ post finem vitæ mortalis, tamquam diei, electis exhibenda est; multi vocati, Judæorum populum. *Et misit servum suum.* Sic unigenitum Filium Dei ob susceptam servi formam Scriptura vocat, de quo illud Isaiæ oraculum intelligendum est: „ Et nunc dicit
Isai.49.5.6. „ Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut redu„ cam Jacob ad eum, & Israel non congregabitur: & „ glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus fa„ ctus est fortitudo mea. Et dixit, Parum est ut sis mihi „ servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel con„ vertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis sa„ lus mea usque ad extremum terræ " Hunc itaque servum suum, in quo complacuit sibi anima ejus, *servum*
Isai. 42. 1. suum *David*, ex Davidis scilicet genere & familia natum,
Ezech. 34. *Orientem* appellatum, misit Deus *hora cœnæ dicere invi-*
23. 24. *tatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Judæi
Zachar. 3. per Legem & Prophetas invitati, a Christo Jesu novis-
8. sime vocantur statuto tempore ad cæleste convivium, diciturque eis ut veniant per fidem & Evangelii susceptionem.

18. 19. 20. *Et cœperunt simul omnes*, ad unum quasi ex compacto, *excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire*, e civitate, *& videre illam*, ut videam & disponam illam: *rogo te habe me excusatum.* Et alter dixit: *Juga* seu paria *bonum emi quinque, & eo probare illa*, an apta sint aratro: *rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi: & ideo non possum venire.* Illam relinquere non possum. Significat hæc pars parabolæ, Judæorum Magistratus, Legisperitos, Pharisæos, olim per Prophetas, postea per Joannem, novissime per Christum Jesum ad pœnitentiam & ad cæleste regnum vocatos, propter amorem sæculi ejus vocationi parere recusasse.

21. 22. 23. 24. *Et reversus servus nunciavit hæc Domino suo. Tunc iratus pater-familias, dixit servo suo: Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Cum primores Judæorum Christi salutaria monita despexissent, secundum Patris decretum ac mandatum cito, ante passionem scilicet suam, Judæam percurrens, plebejos, idiotas, piscatores, publicanos, quin & fœminas vitæ antea dissolutæ, ad cæleste convivium invitavit, plurimique vocanti paruerunt, & in domum Dei, id est, Ecclesiam sunt admissi. Et ait servus: *Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.* Nondum ex solo Israele numerus electorum, immo nec crediturorum Evangelio impletus est. Et ait Dominus servo: *Exi in vias & sepes*, extra civitatem, extra Judæam, ad Gentes errantes ac palabundas, & quasi sepibus interpositis a veri Dei cognitione, ac fœdere secluſas, *& compelle intrare*, virtute Spiritus sancti, miraculorum auctoritate, gratiæ invictissime tametsi suavissime trahentis & moventis efficacia, *ut impleatur domus mea*: ut, quod vehementer opto, numerus electorum impleatur. *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum*, qui tam honorifice, tam amanter vocati venire recusarunt, *gustabit cœnam meam*; ad cœleste
Tertull.lib. (inquam) convivium nemo illorum admittetur.
4. Adversſ. Hanc parabolam egregie Tertullianus edisserit adversus
Marcion. Marcionem. „ Cœnæ paratura, *inquit*, vitæ æternæ sa-
cap. 32. „ turitatem figurat. Dico primo extraneos & nullius ju„ ris affines invitari ad cœnam non solere; certe faci„ lius solere domesticos & familiares. Ergo Creatoris est „ invitasse, ad quem pertinebant qui invitabantur, & per „ Adam qua homines, & per Patres qua Judaici, non „ ejus ad quem neque natura pertinebant, neque prærogativa. Dehinc si is mittit ad convivas qui cœnam paravit; sic quoque Creatoris est cœna, qui misit ad con„ vivas admonendos, ante jam vocatos per Patres, ad„ monendos autem per Prophetas: non qui neminem mi„ serit ad monendum, nec qui nihil prius egerit ad vo„ candum, sed ipse descenderit subito: tantum quod in „ notescens, jam invitans; tantum quod invitans, jam „ in convivium cogens; eadem faciens horam cœnandi „ & ad cœnam invitandi. Excusant se invitati. Si ab „ alio Deo, merito, quia subito invitati, Si non merito, „ ergo nec subito. Si autem non subito invitati, ergo a „ Creatore, a quo olim. Cujus denique declinaverant
Exod.32.1. „ vocationem tunc primo dicentes ad Aaronem: Fac no-
Jerem.5.21 „ bis Deos qui præeant nobis: *atque exinde*, Aure au„ dientes & non audientes, *vocationem scilicet Dei; qui*
„ *pertinentissime ad hanc parobolam per Jeremiam*, Au„ dite, *inquit*, vocem meam & ero vobis in Dominum, „ & vos mihi in populum, & ibitis in omnibus viis meis „ quascumque mandavero vobis. *Ecce invitatio Dei.* Et „ non audierunt (*inquit*) neque adverterunt iram suam. *Jerem.7.23*
„ *Ecce recusatio populi.* Sed abierunt in iis quæ concu- *24. 25. 26.*
„ pierunt corde suo malo. Agrum emi, & boves mer„ catus sum, uxorem duxi. " *Et adhuc ingerit*: Et emisi ad vos omnes famulos meos Prophetas. *Hic erit Spiritus sanctus admonitor convivarum die & ante lucem.* Et non audit populus meus, & non intendit auribus suis, & obduravit collum suum. „ Hoc ut Patri-familias renun„ ciatum est, motus tunc (bene quod & motus; negat „ enim Maricon moveri Deum suum, ita & hoc meus „ est) mandat de plateis & vicis civitatis facere suble„ ctionem. Videamus an eo sensu rursus per Jeremiam: *Jerem.2.31*
„ *Numquid solitudo factus sum domui Israelis? aut terra*
„ *in incultum derelicta? Id est*, Numquid non habeo quos
„ adlegam aut unde adlegam? *Quoniam dixit populus*
„ *meus, Non venimus ad te.* Itaque misit ad alios vo„ candos ex eadem adhuc civitate. Dehinc loco abun„ dante, præcepit etiam de viis & sepibus colligi; id „ est, nos jam de extraneis gentibus: illa scilicet æmula„ tione, qua in Deuteronomio: Avertam faciem meam *Deuteron.*
„ ab eis, & monstrabo quid illis in novissimis, *id est, ali-* *32. 20. 21.*
„ *os possessuros locum eorum*: Quoniam genitura per„ versa est, filii in quibus fides non est. Illi obæmulati „ sunt me in non Deo, & provocaverunt me in iram in „ idolis suis: & ego obæmulabor eos in non natione, „ in natione insipienti provocabo eos in iram; in nobis „ scilicet, quorum spem Judæi gerunt, de qua illos gu„ staturos negat Dominus; derelicta Sione tamquam spe„ cula in vinea & in cucumerario casula, posteaquam & „ novissimam in Christum invitationem recusavit . . . . „ Interea qui cœnæ istius vocationem in celeste convi„ vium interpretaris spiritalis saturitatis & jucunditatis, „ memento & terrenas promissiones vini & olei & fru„ menti, & ipsius civitatis, æque in spiritalia figurari „ a Creatore. "

Brevius S. Augustinus parabolæ istius sensum aperit lib. 2. Quæstionum Evangelicarum, Quæstione 30. „ Quod de „ civitate (*inquit*) adducit invitatos ad Cœnam, de „ ipsa gente Judæorum qui crediderunt significat debiles „ peccatis; non habentes superbiam quasi justitiæ, quæ „ mendax primates eorum a gratia prohibebat. Quod „ autem de sepibus & viis alios adduci jussit, cum ad„ huc locus esset, gentes significat, propter diversas vias „ sectarum, & spinas peccatorum. "

25. 26. 27. *Ibant autem turbæ multæ cum eo.* Ingens hominum multitudo Jesum sequebatur, quorum varie affecti erant animi: *& conversus ad illos: Si quis venit ad me*, seque meam sectari velle doctrinam ac disciplinam profitetur, *& non odit* comparative, id est, si præ me diligat, si mihi meorumque observationi mandatorum præponat *patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam*, id est, vitam suam, *non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me*; qui molesta quæque, persecutiones, tormenta, crucem ipsam pro Evangelio meo ac Disciplina perpeti non est paratus, *non potest meus esse Discipulus.* Confer cum Matthæi 10. 37. & 38. Duabus autem similitudinibus declarat Jesus, quam serio explorare debeat animi sui dispositionem & affectum, qui Christianam professionem aggreditur, utrum scilicet ad incommoda & pericula quæ illam comitari solent, offensas propinquorum, bonorum jacturam, vitæ discrimina, mortem ipsam patiendam sit paratus, potius quam deserat fidem & justitiam.

28. 29. 30. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens* ad mensam vel abacum, *computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* si habeat omnia quæ ad operis consummationem sunt necessaria, *Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere* quod aggressus est, *omnes qui vident* ædificii initia *incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* O virum imprudentem!

31. 32. 33. *Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat*, id est, maturo consilio perpendit, *si possit cum decem millibus occurrere ei*, cum illo prælio confligere, *qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui illo*, cui bellum indixit, *adhuc longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt*; id est, Legatos de pace *mittit. Sic ergo omnis ex vobis, qui*, animi præparatione, & affectu, *non renunciat omnibus quæ possidet*, nec paratus est amittere omnia bona temporalia, necessitudines omnes carnales postponere, vitam ipsam devovere, si salva fide & pietate retineri nequeant, *non potest meus esse discipulus*; non potest officium implere Christiani, tantoque indignus nomine est.

34. 35. *Bonum est sal: si autem sal evanuerit, in quo condietur?* Si virtutem suam amiserit, a quo illi restituetur condiendi vis & efficacia? *Neque in terram, neque*

in ster-

in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mittitur. Nec per ſe fructus profert, neque alteri ad fructum prodeſt. Nam res ſale conſperſæ ſterileſcunt; & urbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas legimus, ne aliquod ex eis germen oriretur. *Qui habet aures audiendi, audiat*, intelligat nihil quidem melius eſſe ac præſtantius quam Fidem & Diſciplinam Chriſtianam profiteri: Verum ſi Chriſtianus amore mundi captus perdat ſaporem gratiæ & ſapientiæ Dei qua imbutus fuerat, & vitam ab Evangelio alienam duxerit, nec ſibi, nec aliis prodeſſe poterit, ſed foras projicietur in gehennam.

SENSUS MORALIS.

1. *CUM intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi obſervabant eum*. Phariſæorum domos ingredi, eorumque fieri conviva dignatur Jeſus, ut præſentibus verbo & miraculis proſit. Converſationis ejus inter homines regula, caritas eſt & beneficentia erga homines. Divino illi Exemplari conformare ſe debent Sacerdotes & Rectores animarum; cum ſæcularibus converſari, eorum conviviis intereſſe non debent, niſi compellat neceſſitas, urgeat caritas, ut eos doceant, Chriſto lucrifaciant, auctoritate ſua, gravitate, modeſtia, temperantia illos ædificent. Meminerint Eccleſiaſticos Viros a ſæcularibus obſervari; ſibi ipſis ergo attendant, illudque Apoſtoli monitum animo tenus gerant impreſſum: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*.

2.Cor. 6. 2. 2. 4. *Et ecce homo quidam hydropicus ante illum . . . Ipſe vero apprehenſum ſanavit eum ac dimiſit*. Phariſæorum metu ſanitatem a Chriſto poſtulare non audebat Hydropicus propter Sabbatum, ſed ſolum ante oculos ejus ſtabat, ut Medici Optimi Maximi miſericordia intuitu miſeriæ illius ad illi ſuccurrendum excitaretur. Prævenit enim Miſericordia preces miſerorum, illiſque etiam non rogata ſubvenire ſolet. Ille porro Hydropicus divitis avari typus eſt. *Sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius ſitit; ſic iſte quanto eſt copioſior divitiis, quibus non bene utitur, tanto ardentius talia concupiſcit*. Unde avaro hæc Sancti Job verba recte accommodantur: *Tenebitur planta illius laqueo: & exardeſcat contra eum ſitis*. „ Impio quippe ſitire (inquit S. Gregorius M.) eſt hujus mundi bona concupiſcere. „ Unde Redemptor noſter ante Phariſæi domum hydropicum curat, & cum contra avaritiam diſputaret, „ ſcriptum eſt: *Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant illum*. Quid eſt ergo „ quod ante Phariſæi domum hydropicus curatur, niſi „ quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius biberit, & amplius ſitit, omnis avarus ex potu „ ſitim multiplicat: quia cum ea quæ appetit adeptus „ fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim „ adipiſcendo plus appetit, huic ſitis ex potu creſcit. „ Salvatoris manu, gratia efficaciſſima & robuſtiſſima omnipotentis Medici tangatur & apprehendatur dives avarus neceſſe eſt, ut ab eo tollatur *radix omnium malorum cupiditas*; ut amor nummi extinguatur tantum creſcens, quantum ipſa pecunia creſcit, ut bene uti diſcat divitiis, & lubenter pauperibus erogare; ut denique liber dimittatur a captivitate & ſervitute idolorum. *Avaritia* enim 1.Theſſal.3 *eſt ſimulacrorum ſervitus* (ait Apoſtolus). *Ipſe vero apprehenſum ſanavit eum ac dimiſit*.

Beda in hunc locum 5. *Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die ſabbati?* Phariſæorum errorem & malignitatem ſapientia convincit Jeſus, caritate emendat; victis non inſultat, ſed benigne docet, propoſitam a ſe quæſtionem competenti ſolvit exemplo, ut convincantur ſe violare ſabbatum *opere cupiditatis*, qui Dominum ſabbati arguere non verebantur quod eum violaret *opere caritatis*.

S. Baſilius in Regulis fuſius diſput. c. 21. 8. 10. *Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco . . . Sed cum vocatus fueris, recumbe in noviſſimo loco*, &c. Primum locum ſibi indebitum optare, quærere, uſurpare, ambitio eſt: ſibi debitum aut tributum ratione dignitatis, antiquitatis, conſuetudinis, amare, vanitas; pertinaciter recuſare, occulta plerumque ſuperbia. „ Ex præcepto Domini æque ad omnes pertinet „ noviſſimum locum occupare. Verumtamen pugnax ni„ mis ea de re damnanda contentio eſt: nempe ut quæ „ modeſtiæ inimica ordinem tollat, & perturbationem „ ac tumultum inducat. Quin etiam ſi in eo pervicaces „ ſimus, neque ſit qui alteri cedat, ſimile quiddam eve„ niet plane, ac ſi de principe loco pugnaremus. Quamobrem cognito quid nos facere decens ſit, loci aſſignationem arbitrio permittamus illius apud quem ſu„ mus, ſicut Dominus videtur admonuiſſe, quando dixit „ pertinere ad patrem-familias hujuſmodi locorum diſtributionem. Hoc enim modo & inter nos viciſſim ſupportabimus in caritate, honeſte omnia & ſecundum ordinem faciente; & demonſtrabimus, omiſſa vehementi „ atque obſtinata illa contentione, neutiquam nos oſten„ tationis, aut captandæ cauſa gloriæ popularis humi„ litatem conſectari. Quin cedendo potius, parendoque „ ad veram humilitatem pervenimus: quandoquidem ma„ jus ſuperbiæ ſignum eſt nimis præfracte contendere, „ quam principem locum in ſubſelliis tenere, quandocum„ que id facere juſſi, obtemperamus. “

Geneſ. 13. *Recumbe in noviſſimo loco*. Abrahami modeſtiam & humilitatem imitemur, qui ceſſit nepoti ſuo Loth, juniori ſenex, magnis gratiis a Deo cumulatus, omnibuſque virtutibus egregius homini nulla in re eximio. Non igitur iis tantum qui nobis ſuperiores ſunt, vel æquales, ſed iis qui minores videntur, ac deteriores exiſtimantur, cedamus, eoſque honore præveniamus. Quod ſi recte ſapiamus, nullos nobis inferiores coram Deo, ſed omnes ſuperiores arbitrabimur. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* (ait Apoſtolus) *ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*. Neque ſolum nobis id incumbit officii, qui innumeris peccatis obruti ſumus: ſed & ſi quis plurimorum ſibi conſcius eſt meritorum, niſi ſe omnium extremum putaverit, nullum commodum ex tantis meritis & virtutibus reportabit. Hæc enim vera humilitas & modeſtia eſt, cum quis occaſionem habens ut extollatur, ſe ipſum deprimit & humiliat. His enim gradibus ad verum conſcendet immortalis gloriæ faſtigium, ſecundum promiſſionem Domini. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Igitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*. Prophetam audi dicentem: *Humiliatus ſum uſquequaque, Domine, vivifica me ſecundum verbum tuum*. Quibus verbis ſignificat, ita ſe a Domino poſſe vivificari, ſi de ſuis ipſe virtutibus humiliter ſentiat. *Ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius*. Veniens Dominus, quem humilem invenerit, amici nomine beatificans, ſuperius aſcendere præcipiet. *Quicumque enim humiliaverit ſe ſicut parvulus, hic eſt major in Regno cœlorum*.

Philip. 2. 3. *S. Jo: Chryſoſt. Hom.* 33. *in Geneſ Eccli.* 3. 20. *Pſal.* 118. 107. *Vener. Beda in c.* 14. *S. Lucæ*

Proverb. 20. 21. *Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus*. Ne nunc quærere incipias, quod tibi ſervatur in fine. *Hæreditas enim ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit*. Veruntamen in hac etiam vita qui recumbit in noviſſimo loco, qui vere humilis eſt, Domino veniente exaltatur, quia quotidie Dominus Jeſus ſuas Nuptias intrat, quotidie mores, ſedes, habitus convivantium dijudicat, & ſuperbos deſpiciens, humilibus ſæpe tanta ſui Spiritus præſtat munera, ut eos merito ſimul diſcumbentium, hoc eſt, in fide quieſcentium cœtus unanimi admiratione glorificet, ſtupenſique in Auctoris ſui laudem proſiliat, dicens: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. *Pſalm.* 138. 17.

Recumbe in noviſſimo loco. „ Non eſt periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque te putes mi„ norem quam ſis, hoc eſt, quam te veritas habeat. Eſt „ autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel „ modice plus vero te extollas; ſi vel uni in tua cogi„ tatione te præferas, quem forte parem tibi Veritas „ indicat, aut etiam ſuperiorem. Quemadmodum enim ſi „ per oſtium tranſeas, cujus ſuperlimitare nimis depreſ„ ſum ſit, non nocet quantumcumque te inclinaveris; „ nocet autem ſi vel tranſverſi digiti ſpatio plus quam „ oſtii patitur menſura, te erexeris, ita ut impigas, & „ capite quaſſato collidaris: ſic in anima non eſt plane „ timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem ni„ miumque pavenda vel minima temere præſumpta ere„ ctio. Quamobrem *Noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni*. Quid ſcis „ enim ſi unus ille quem forte omnium viliſſimum at„ que miſerrimum reputas, cujus vitam ſceleratiſſimam „ ac ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum „ putas ſpernendum, non modo præ te, qui forte jam „ ſobrie, juſte, & pie vivere te confidis, ſed etiam „ præ ceteris omnibus ſceleratis tamquam omnium ſce„ leratiſſimum: quid ſcis, inquam, ſi melior te & illis „ mutatione dexteræ Excelſi in ſe quidem futurus ſit, „ in Deo vero jam ſit? Et propterea non mediocrem, „ non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter noviſſimos locum eligere nos voluit: ſed *Recumbe*, inquit, „ *in noviſſimo loco:* ut ſolus videlicet omnium noviſſimus „ ſedeas, teque nemini non dico præponas, ſed nec com„ parare præſumas. “

S. Bern. ſer. 37. *in Cantica*.

11. *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*, detrudetur in profundum inferni, ſicut rex ille ſuperborum Lucifer: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus*. Sic humiliabuntur omnes, qui ſua ſorte, & loco in quo Deus eos conſtituit, non contenti, locum ſuperiorem deſiderant, & aſſequi ſtudiis omnibus nituntur. Tranſit honor hujus ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio, nec abſidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ &c. adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperint accuſare conſcientiæ, & conſcientiarum arbiter judicare. *Quæ hic honorant, ibi onerant; quæ hic relevant, ibi gravant*. Quantus erit ſuperborum pudor, quanta confuſio, quanta humiliatio, cum illos irride-

Iſai. 14. 13 *Pſal.* 36. 35 *S. Auguſtin Epiſt.* 23. *n. lias* 203. *Pſalm.* 51. 9

irridebunt justi in extremo judicio dicentes; *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævalvit in vanitate sua.*

Et quicumque se humiliat, exaltabitur. „ Tanto enim „ quisque Deo propinquior est, quanto humilior. In rebus „ visibilibus, ut excelsa quisque contingat, in excelsum „ erigitur: Deus autem cum sit omnium excellentissi- *S. Aug. ser. 351. alias 50. inter Hom. 50. Psal. 137. 7.* „ mus, non elatione, sed humilitate contingitur. Unde „ Propheta ait: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.* Illa respicit, „ ut attollat; ista cognoscit, ut dejiciat. Non ergo se „ arbitretur ab oculis Dei abscondi superbia: Deus enim „ excelsa cognoscit. Nec se rursus Deo conjunctam putet; excelsa enim a longe cognoscit. Quisquis itaque „ pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare „ non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum; „ aliud est levare se contra Deum. Qui ante illum se „ projicit, ab illo erigitur: qui adversus illum se eri- „ git, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magni- „ tudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tume- *Psal. 83. 2.* „ scit, intus tabescit. *Qui* eligit abjectus esse in domo „ Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum; „ eligit illum Deus ut inhabitet in atriis ejus, & nihil „ sibi assumentem ille in sedem beatitatis assumit. Unde *Ibid.* „ in Psalmo suavissime & verissime canitur: *Beatus vir „ cujus est assumptio abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* „ Hoc est, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Sicut enim „ ascensus exaltationem indicat; ita vallis humilitatem „ & convallis plorationes.“

Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & quicumque se humiliat, exaltabitur. Qua ratione id fiat etiam in hac vita, egregie S. Augustin. exponit. *Pia humilitas facit subditum superiori; nihil est autem superius Deo; & ideo exaltat humilitas quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, & cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius,* & fit quod scriptum est: *Dejecisti eos dum allevarentur.* „ Non enim ait, cum elati fuissent, ut prius „ extollerentur, & postea dejicerentur; sed cum extol- *Psal. 72. 18.* „ lerentur, tunc dejecti sunt. *Ipsum quippe extolli, jam „ dejici est.* Quapropter quod nunc in civitate Dei, & „ civitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maxime com- „ mendatur humilitas, & in ejus Rege, qui est Christus, „ maxime prædicatur, contrariumque huic virtuti elatio- „ nis vitium, in ejus adversario qui est diabolus, maxime „ dominari sacris litteris edocetur; profecto ista magna „ est differentia, qua civitas utraque discernitur; una sci- „ licet societas piorum hominum, altera impiorum, sin- „ gula quæque cum angelis ad se pertinentibus, in quibus „ præcessit hac amor Dei, hac amor sui. Ad civitatem „ igitur Dei nemo pertinet, nisi qui se humiliat.“ *S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei cap. 13.*

12. „ Dicebat autem & ei qui se invitaverat: Cum facis „ prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque „ fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites... „ Sed voca pauperes debiles, claudos & cœcos. Et beatus „ eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim „ tibi in resurrectione justorum.“ Instruere convivia, & ad illa amicos, fratres, cognatos, vicinos invitare, cupiditatis, & voluptatis, vanitatis, aut carnalis amicitiæ instinctu, peccatum est: fovendæ caritatis & Christianæ amicitiæ causa eos vocare, laudabile est. Caritas porro non quærit quæ sua sunt, benefica & liberalis est, sine intuitu retributionis & commodi temporalis. Ad convivia caritatis vocantur qui non possunt retribuere, pauperes invitantur, mittuntur partes iis qui non præparaverunt. Ex hoc Christi monito natæ sunt agapæ seu convivia primorum Christianorum, quibus divites Christiani pauperes fraterne excipiebant; quem morem corruptum, cum seorsim divites epularentur, castigat S. Paulus *1. ad Corinthios* 11. 20. 21. 22. De his conviviis Tertullianus Apologetici cap. 39. „ Cœ- „ na nostra de nomine rationem sui ostendit. Id voca- „ tur quod dilectio penes Græcos. Quantiscumque sum- „ ptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sum- „ ptum. Siquidem inopes quosque refrigerio in isto ju- „ vamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam, „ famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter „ contumelias saginandi, sed qua penes Deum major est „ contemplatio mediocrium.“

Voca pauperes debiles, &c. Sic hospitalitas exercetur in Sacris Litteris adeo commendata: *Nam hospitalem remuneraturis esse, effectus avaritiæ est.* *S. Ambr. lib. 7. in Luc. n. 195.*

Noli vocare amicos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, sed voca pauperes: in his enim & amicos, & fratres, & cognatos, immo Deum ipsum reperies, illumque habebis debitorem. Promissorum suorum nobis chirographum fecit. Non mutuo accipiendo, sed promittendo, se nobis debitorem fecit. Non possumus ei dicere, Redde quod accepisti; quod enim pauperibus damus, Domino offerimus de ejus donis ac datis: sed dicere possumus: *Redde quod promisisti,* siquidem cautionem nobis reliquit in Evangelio, dicens: *Retribuetur enim tibi in resurrectione Justorum.* *S. August.*

16. 17. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Deus qui bonorum nostrorum non eget, qui seipso beatus est, nos invitat ad delicias gloriæ suæ, ad participationem lætitiæ suæ, ad ubertatem domus suæ, ad æternam sui fruitionem, nos invitat vilissimos homines, miserrimos peccatores. „ Judæos vocavit olim per Prophetas suos. „ Sæpe missi sunt, sæpe vocaverunt, ut ad horam cœ- „ næ venirent. Illi autem invitantes acceperunt, cœnam „ repudiaverunt. Prophetas legerunt, & Christum occi- „ derunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam „ nescientes præparaverunt. Parata jam cœna, immo- „ lato Christo, post resurrectionem Christi commendata, „ quam sciunt fideles, cœna Domini, ejusque manibus „ & ore firmata, missi sunt Apostoli, ad quos missi fue- „ rant ante Prophetæ.“ Venite ad Cœnam, *quia jam parata sunt omnia.* Omnia quæ ad nostram salutem pertinent Christus Jesus consummavit: sumptus fecit convivii, sanguinem suum dedit, gratiam nobis meruit & gloriam; ascendit in cœlum, ut pararet nobis locum. Toto igitur fidei, spei, & caritatis fervore ad cœlestem illam cœnam properemus.

18. 19. 20. *Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi.* In villa empta dominatio notatur; ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere, dominari delectat. Vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est major potestas, illi subdamur, ut tuti esse valeamus. *Villam emi, rogo te, habe me excusatum.* Inventa superbia venire noluit. *S. Aug. ser. 12. alias 33. de Verbis Domini.*

Villam emi. Quid per villam, nisi terrena sustantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam. Divites ergo qui toti circa bona temporalia occupantur, ad cæleste convivium per divini verbi prædicatores, per Dei gratiam corda illorum pulsantem invitati, se excusant. *Rogo te,* inquiunt, *habe me excusatum.* Humilitas sonat in voce, superbia in actione. Nam dum illis dicimus, Ad Deum convertimini, superbe ne sapiatis, in divitiis ne confidatis, ex illis benefacite pauperibus, facile tribuite, inanibus sumptibus parcite, studete divites fieri operibus bonis, thesauros non deficientes, non perituros, in cœlo congregate, animo saltem renuntiate omni us quæ possidetis; nonne illos ad dominicam cœnam vocamus? Cum vero respondent, converti non possum, vivere debeo ut vivunt divites in hoc sæculo, non possum renuntiare divitiis, eleemosynas erogare prohibent sumptus in villarum emptione, in novis ædificiis, in varia supellectili, in curribus & equis, in vestium pompa, in conviviorum apparatu, in filiorum & filiarum educatione & collocatione faciendi: verumtamen ora pro me, quia peccator sum; dum (inquam) ita respondent, nonne rogant & excusant? Nonne humilitatem præ se ferunt in voce, & superbiam exercent in actione? *S. Greg. M. Hom. 36. in Evangel.*

Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Quinque juga boum, sensus carnis hujus; quia per istos terrena requiruntur. „ Boves enim terram versant. Sunt autem homines re- „ moti a fide, terrenis dediti, carnalibus occupati: no- „ lunt credere aliquid nisi ad quod sui corporis sensu „ quinquepartito perveniunt. Per corporales igitur sen- „ sus, quia interna comprehendere nesciunt, sed sola „ exteriora cognoscunt, recte curiositas designatur. Quæ „ dum alienam vitam quærit discutere, semper sua inti- „ ma nesciens, studet exteriora cogitare. Grave nam- „ que est curiositatis vitium, quæ dum cujuslibet men- „ tem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, „ semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens, se „ nesciat; & curiosi animus quanto peritus fuerit alie- „ ni meriti, tanto fiat ignarus sui. Propter hoc ait: „ *Eo probare illa:* quia aliquando probatio ad curiositatem pertinere solet.“ *S. Aug. & Greg. ibidem.*

Et alius dixit: uxorem duxi, & ideo non possum venire. Uxoris nomine voluptas carnis hic intelligitur, quæ multos impedit ne ad cæleste convivium perveniant. Sunt homines qui dicunt, Non est homini bene, nisi cui adsunt carnis deliciæ, dicentes: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Qui hoc dicit, uxorem duxit, carnem amplexatur, carnis voluptatibus jucundatur, a cœna excusatur: observet ne fame interiore moriatur. *Tempus breve est, reliquum est ut & qui habent uxores sint tamquam non habentes, & qui emunt tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.* In matrimonio quæratur prolis fœcunditas, non carnalis voluptas. Qui ad cœnam Domini venire vultis, *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* Non dixit Apostolus: Nolite habere, sed, *Nolite diligere.* Habuisti, possedisti, dilexisti. *Amor rerum terrenarum, viscum est spiritalium pennarum.* Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas sicut columbæ? Quando volabis ubi vere requiescas? Quando hic ubi male hæsisti, per- *1. Cor. 19. 32.* *1. Cor. 7. 29.* *1. Joan. 2. 15. S. Aug.* *Psalm. 54.*

perverse requiescere voluisti. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ad triplex istud concupiscentiæ genus pertinent excusationes invitatorum ad cœnam mysticam. Concupiscentia carnis, *Uxorem duxi*. Concupiscentia oculorum, *Quinque juga bovum emi*. Ideo autem a parte totum per solos oculos commemorati sunt isti sensus, quia oculorum est in quinque sensibus principatus. Superbia vitæ, *Villam emi*.

21. *Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo. Tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas* 1. Cor. 1. *& vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc.* Quia venire superbi renuunt, pauperes eliguntur. Nam *Infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia*. Pauperes & debiles dicuntur, qui judicio suo apud semetipsos infirmi sunt. S. Greg. M. Hom. 36. in Evang. „ Nam pauperes „ & quasi fortes sunt, qui & positi in paupertate superbiunt. Cæci vero sunt, qui nullum ingenii lumen habent. Claudi sunt, qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, profecto liquet, quia sicut illi peccatores fuerunt qui vocati venire noluerunt: ita hi quoque peccatores sunt, qui invitantur, & veniunt, red *peccatores superbi respuuntur, ut peccatores humiles eligantur. Hos elegit Deus, quos despicit mundus*. Pauperes, & debiles, cæci & claudi vocantur, & veniunt: quia infirmi quique atque in hoc mundo despecti plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent ubi delectentur . . . Veniant mendici, quia ille invitat, qui *propter nos pauper factus* S. Aug. ser. 112. 2. Cor. 8. 9. Psalm. 16. 5. *est cum dives esset, ut illius paupertate* mendici, *ditaremur*. Veniant debiles, quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus*. Veniant claudi qui ei dicant: *Dirige gressus meos in semitis tuis*. Veniant cæci qui dicant: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte*. Tales venerunt ad horam, illis prius invitatis sua excusatione reprobatis. "

22. 23. *Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in* S. Gregor. Hom. 25. in Evang. *vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* „ Alii vocantur, & venire contemnunt; alii vocantur & veniunt; alii compelluntur ut intrent. Vocantur & venire contemnunt, qui donum quidem intellectus accipiunt, sed eumdem intellectum operibus non sequuntur. Vocantur & veniunt, qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt. Sic vocantur, ut etiam compellantur, qui mundi adversitate ad Deum ducuntur. Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti injuriis concidunt, aut percussi gravibus damnis affliguntur, & in mundi dolore vident, quia nihil considere de ejus voluptate debuerunt; seque ipsos in suis desideriis reprehendentes ad Deum corda convertunt. De his Dominus per Prophetam dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam macera-* Osee 2. 2. 6. *ria, & semitas suas non inveniet: & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inveniet eos, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi tunc erat, magis quam nunc*. Postquam enim peccatrix anima vias suas spinis septas, mundi delectationes amaritudinibus permixtas, desideria sua duris obicibus & difficultatibus vidit impedita, relictis amatoribus suis ad amorem viri prioris redit. „ Quia plerumque „ postquam in hoc mundo obtinere non possumus quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus: tunc placere incipit qui displicebat, & is cujus nobis amara fuerant præcepta, repente dulcescit in memoria; & peccatrix anima quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis conjux. „ Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid nisi compelluntur ut intrent? "

24. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. Vocat nos Deus per se, vocat per Angelos, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per Pastores, vocat plerumque per miracula, vocat per flagella, vocat aliquando per mundi S. Greg. M. hujus prospera, vocat aliquando per adversa. *Nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluerit intrare non valeat*.

28. 31. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, &c. Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius co-* S. Aug. lib. 2. Quæst. Evang. Quæst. 31. *gitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? &c.* „ Sumptus ad turrim „ ædificandam, vires ad discipulatum Christi obtinendum; „ & decem millia præliaturi cum rege qui habebat vi„ ginti millia, simplicitatem Christiani dimicaturi cum „ duplicitate diaboli; hoc est, cum dolis & fallaciis „ ejus, in affectu constituit renuntiantis omnibus quæ „ sunt ejus. Ita enim concludit: *Sic ergo omnis ex vobis* „ *qui non renunciat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus* „ *esse discipulus*. Inter quæ omnia etiam ipsa temporalis vita intelligatur necesse est, quam oportet sic possidere ad tempus, ut non te impediat ab æterna, qui „ eam fuerit minatus auferre. Sicut autem de turri non „ perfecta per opprobrium deterruit dicentium; *Quia hic* „ *homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*: sic „ in rege cum quo dimicandum est, ipsam pacem accusavit, cum ait: *Adhuc illo longe agente legationem* „ *mittens, rogat ea quæ pacis sunt*: Significans etiam „ minas imminentium a diabolo tentationum non sustinere homines qui non renuntiant omnibus quæ possident, & pacem cum eo facere consentiendo illi ad „ committenda peccata. Turrem quippe ædificare, & „ contra Regem illum dimicare, esse discipulum Christi „ est: habere autem sumptus ad perficiendam turrim, „ & habere fortia decem millia contra viginti millia regis, renuntiare est omnibus quæ sunt ejus. "

Ut Christianæ vitæ turrim super fidei fundamentum ædificemus & erigamus, cujus culmen ad cœlum pertingat, computandi sunt sumptus necessarii; in oratione, omnibusque operibus bonis perseverandum, Christus sequendus & imitandus; vita nostra ad Evangelii leges ac regulas exigenda, crux quotidie ferenda est; contra diabolum, mundum, carnem & cupiditates sine intermissione pugnandum est; pax cum his hostibus numquam ineunda; omnibus renuntiandum propter Christum. Omnia relinquere ut Christum sequamur, consilium perfectionis est, & apostolica virtus: renuntiare omnibus, præceptum est, resque ad salutem omnino necessaria. Omnibus renuntiat, qui nulli rei temporali corde adhæret, qui ad omnia relinquenda & amittenda animo paratus est, si Deus jusserit, si Christianæ vitæ officiis impedimento sint; qui hujus mundi rebus utitur ut *viatico itineris*, non ut *illecebra* S. Ambros. *mansionis*. Id non minus necessarium ut boni Christiani simus, quam pecuniæ vis ad turrim perficiendam, & copiæ ad bellum feliciter gerendum.

34. *Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? &c.* Si Christianus pravis moribus fuerit, si a Christianæ Legis observantia, quam in baptismo vovit, deficiens, cupiditatibus suis servierit, corruptionem sæculi secutus fuerit, vitam duxerit Christiano nomine & professione indignam, Deo magis displicet quam Paganus; salis instar evanidi, ac penitus inutilis, terraque & sterquilinio pejoris, contemnitur a Christo, a facie ejus projicietur, conculcabitur: quia propter illum nomen Christi blasphematur in gentes.

CAPUT XV.

Sensus Litteralis.

1. 2. ERant *autem appropinquantes ei publicani & pec-* Tertull. *catores* publici, ut *audirent illum* vitæ melioris lib. de Pudicit. S. præcepta tradentem, pœnitentiam, regnumque cœlorum Hier. Epist. prædicantem: *& murmurabant Pharisæi & Scribæ* sem- 146. ad per ad calumniam parati, *dicentes: Quia hic peccatores* Damasum. *recipit, & manducat cum illis*. Peccatores ad colloquium & familiaritatem admittit, & cum illis cibum sumit, quos velut immundos vitare deberet, si vir sanctus esset ac Propheta, Legisque Mosaicæ studiosus observator: Publicanos autem illos Judæos fuisse, non Gentiles, contra Tertullianum probat S. Hieronymus.

3. 4. 5. 6. 7. *Et ait ad illos Parabolam istam, dicens.* Jesus illorum calumniæ propositis tribus Parabolis sive similitudinibus sequentibus respondet. *Quis ex vobis homo* est, *qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto* pascentes, *& vadit ad illam* quærendam, *quæ perierat*, seu quæ amissa erat aberrando ab ovili, *donec inveniat eam: & cum invenerit eam*, tardigradam & teneram oviculam *imponit in humeros suos gaudens* quod illam recuperaverit: *& veniens domum, convocat amicos & vicinos*, gaudiumque suum cum illis communicat, *dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat?* Id est, quam amiseram. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo* inter Angelos, *super uno peccatore pœnitentiam agente*, ob unum peccatorem serio pœnitentem, vereque ad Deum conversum, *quam super nonaginta novem justis*, quam ob ingentem justorum numerum, *qui non indigent pœnitentia*; etiamsi tantus esset numerus hominum qui a Deo ejusque lege non recesserunt.

8. 9. 10. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam*, tametsi modici valoris, *nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat: & cum invenerit, convocat amicas & vicinas*, ut lætitiæ suæ participes efficiat, *dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Cum vel unus peccator sinceram pœnitentiam agit. Tantum igitur abest ut peccatores qui spem faciunt emendationis, aversari debeamus; quin potius de illorum conversione gaudere decet,

Drachma quarta pars sicli sacri octi circiter asses monetæ Gallicæ valebat.

decet, ad eamque procurandam illorum colloquium, & convictum non refugere, ut Dei misericordem affectum imitemur. Similitudines sumptæ sunt ab eo quod hominibus evenire solet, quibus cariores fiunt res deperditæ, cum recuperantur, majorique inde gaudio afficiuntur, quam ex reliquorum possessione bonorum, tametsi majoris illa sint pretii.

11. 12. 13. *Ait autem* Jesus, tertiam proponens Parabolam, quæ in eumdem scopum collineat; divinæ scilicet benignitatis & misericordiæ erga peccatores resipiscentes ostensionem & commendationem: *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis*, minus sapiens, mente inconstantior, paterni imperii jugum impatienter ferens, & ad malesanam aspirans libertatem, dixit, inquam, patri: *Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Da mihi ratam meam partem bonorum tuorum, quæ ad me reditura est in partitione hæreditatis. *Et divisit illis substantiam*. Facultates suas inter illos partitus est. *Et non post multos dies, congregatis omnibus* quæ a patre acceperat, *adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam*, a paterna domo longe dissitam, *& ibi dissipavit substantiam suam*, bona sua dilapidavit, *vivendo luxuriose*. Per seniorem filium significari populum Judaicum, per juniorem Gentes, S. Augustinus, aliique e Veteribus sentiunt: alii convenientius & ad litteram, per priorem justos, per alterum peccatores.

S. August. lib. 2. Quæst. Evang. Quæst. 52.

S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 3. S. Pacianus Epist. 2. 1. S. Hier. Ep. 146.

14. 15. 16. *Et postquam omnia consummasset* seu consumpsisset, *facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere*, ad extremam redactus est egestatem, ita ut victus ipsi deficeret, ingravescente annona. *Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius*, operam illi suam ad qualecumque ministerium offerens: *& misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*, quo nullum erat vilius servitium. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant*, de cibis vilissimis, de fructibus siliquiferarum arborum, quales sunt glandes & castaneæ, quibus rusticanos pauperes vesci non novum, ut testis est Horatius: *Vivit siliquis, & pane secundo*: & Persius: *Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta*: sed tam vilis cibus in summa annonæ difficultate juveni ganeoni dispensabatur ad mensuram, *& nemo illi dabat*, ad saturitatem.

Ubi tamen Judæos etiam & Gentiles in typo duorum filiorum mystico sensu apposite exponit.

17. 18. 19. *In se autem reversus*, ad sanam mentem rediens, pristinæque pœnitens insipientiæ, intemperantiæ, & luxuriæ, *dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Quam multi in domo patris mei servi sunt mercede conducti, quibus suppetit cibus ad satietatem; ego autem hic ad vilissimam ac miserrimam servitutem redactus, fame pereo, minus pastus quam porci. *Surgam & ibo ad Patrem meum*, veniam exoraturus, *& dicam ei: Pater, peccavi in cœlum*, in Deum, cœli Dominum, in Deum cujus cœlum sedes est, *& coram te*: & in te: *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, degeneri conversatione, luxuria, patrimonii dilapidatione factus sum indignus filii nomine ac juribus: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*. Habe me in domo tua quasi mercenarium.

20. 21. *Et surgens venit ad patrem suum*. Itineri se accinxit ut ad patrem rediret. *Cum autem adhuc longe esset* a paterna domo, *vidit illum pater ipsius*, & misericordia motus est, *& accurrens*, benigne præveniens eum, *cecidit super collum ejus*, tenero complexus est affectu, *& osculatus est eum*, in signum reconciliationis. *Dixitque ei filius*, prout corde conceperat: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus*.

22. 23. 24. *Dixit autem pater ad servos suos*, immemor injuriarum, memor clementiæ, paternæque bonitatis, quam unam consuluit hac in occasione: *Cito proferte stolam primam*, id est, pristinam, quam ante gesserat, & decoxerat, vestem honoris, & filiis peculiarem, qua discernebantur a servis, *& induite illum, & date annulum in manum ejus*, notam ingenuitatis & dignitatis; *& calceamenta in pedes ejus*, quibus adversus offendicula muniatur: *& adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*: Lautius & hilarius solito convivium parate: *Quia hic filius meus mortuus erat* mihi, *& revixit*, ipsum recuperavi; *perierat & inventus est*: perditus erat, & mihi restitutus est.

25. 26. 27. 28. *Erat autem filius ejus senior in agro; & cum veniret, & appropinquaret domui paternæ, audivit symphoniam & chorum*, concentum, & choros saltantium. *Et vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent*, id est, quid significarent. Senior filius justorum, sed tamen imperfectorum typus est: filius junior ad Patrem reversus, figura peccatorum pœnitentium. *Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum*, in signum lætitiæ, *quia salvum illum recepit*. *Indignatus est autem*, non de fratris reditu & reconciliatione, sed de insolito convivii hanc ob causam apparatu, & de gaudii demonstratione tam solemni; *& nolebat introire* in triclinium aut aulam convivii, ut communis lætitiæ particeps esset. *Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum*, ut ad convivium introiret, & cum tota familia collætaretur.

Natal. Alex. In Evang.

29. 30. *At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi* sive transgressus sum, *& numquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic* prædilectus, *qui devoravit substantiam suam cum meretricibus*, qui bona sibi a te data, patrimonium suum per luxuriam obligurivit, *venit*, sive rediit cogente miseria & extrema egestate, *occidisti illi*, id est, propter illum, *vitulum saginatum*.

31. 32. *At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*. Nihil circa te novi accidit, quod extraordinariæ solemnisque lætitiæ causa fuerit; mensæ quotidie assides meæ; omnibus bonis meis communiter mecum uti potes: *epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est*.

SENSUS MORALIS.

1. *Erant autem appropinquantes ei Publicani, & Peccatores, ut audirent illum*. Christus Jesus trahit ad se peccatores ut verbum ejus audiant, qui primus est ad conversionem gradus. Prima gratiæ medicinalis Salvatoris operatio est ut infirmi quærant Medicum; ut cæci accedant ad lucem; ignari ad veritatem; miseri ad misericordiam appropinquent. Nemo appropinquare potest nisi adducatur; nemo venire, nisi trahatur.

S. Prosper Carm. de Ingratis p. 2. in fine.

Hæc ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter per iter ferimur: sine lumine lumen
Nemo videt; vitam sine vita inquirere, mors est.

Ad Christum Jesum per fidem, per orationem, per amorem, per verbi ejus meditationem appropinquemus, illique adhæreamus, si salvi esse volumus. *Erant appropinquantes publicani & peccatores, ut audirent illum.*

2. *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes; Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* „ Murmurabant Pharisæi, non minus invidi quam superbi; maliciam de dominica bonitate capiebant: de pietate Dei „ impii reddebantur; fiebant de Christi miseratione crudeles; sumebant de cœlesti curatione languorem, & „ pœnitentium veniam vertebant in Judicis reatum. Peccatores recipit: sed peccatores esse non finit, quos recipit. Peccator Deum non violat appropinquans: Deus „ peccatorem sanctificat, cum appropinquat. Christus „ peccata non recipit, cum recipit peccatorem. Attendere debebant Pharisæi, non quales venerant, sed quales redibant peccatores. Paulus missus est ab illis persecutor, rediit prædicator. "

S. Petrus Chrysologus serm. 168.

Et murmurabant Pharisæi, &c. „ Vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem: quamvis „ & justi soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ; aliud, quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantes: „ desperant, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per „ disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per „ caritatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt; meliores existimant eos quo„ que quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos. At contra hi qui de falsa justitia superbire solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmitatibus „ misericordia condescendunt: & quo se peccatores esse „ non credunt, eo deterius peccatores fiunt. De quorum „ numero Pharisæi extiterunt, qui dijudicantes Dominum „ quod peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem „ misericordiæ reprehendebant. Sed quia ægri erant, „ ita ut se ægros esse nescirent; quatenus quod erant „ agnoscerent, cœlestis eos Medicus blandis fomentis „ curat, benignum paradigma objicit, & in eorum cor„ de vulnerum tumorem premit. "

S. Greg. M. Hom. 34. in Evang.

4. 5. 6. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam: & cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens? &c.* Lætantur cœli, & qui illic Angeli, pœnitentia hominis. " Heus tu peccator, „ bono animo sis: videbis ubi de tuo reditu gaudeatur. „ Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis „ volunt? Quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium invitat, nonne „ restituti peccatores exemplum est? Errat & una Pastori ovicula, sed grex una carior non erat: una illa „ conquiritur, una pro omnibus desideratur, & tandem „ invenitur, & humeris Pastoris ipsius refertur: multum „ enim errando laboraverat. " Tanta vis istius Parabolæ antiquis Ecclesiæ Pastoribus visa est ad excitandum in animis fidelium teneræ pietatis affectum, ut eo fine in sacris Calicibus boni Pastoris amissam ovem humeris reportantis imaginem insculpi & exprimi curaverint, teste Tertulliano, Libro *De Pudicitia*.

Tertull. lib. de Pœnit. c. 8.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.

S. Petr. Chrys. ser. 268. „ Homo habens oves centum, Christus est. Pastor bo-
„ nus, Pastor pius, qui in una ove, hoc est, in Adam,
„ posuerat totum gregem generis humani, hanc inter
„ amœna paradisi, hanc in regione vitalis Pascuæ col-
„ locaverat: sed illa vocem Pastoris oblita, dum lupinis
„ ululatibus credidit, & caulas perdidit salutares, &
„ tota lethalibus sauciata est vulneribus. Hanc ergo
„ Christus veniens quærere in mundum, in utero Vir-
„ ginis invenit. Venit suæ nativitatis in carne, & in
„ crucem levans, humeris suæ imposuit Passionis, & gau-
„ dens toto Resurrectionis gaudio, per Ascensum ad
„ cœlestem tulit mansionem. *Et vocavit amicos, &*
„ *vicinos*; hoc est, Angelos, dicens illis: *Congratula-*
„ *mini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.*
„ Congratulantur & congaudent Christo Angeli de ovis
„ dominicæ reditu, nec indignantur sibi præsidere in
„ solio Majestatis, quia de cœlestibus invidia cum dia-
„ bolo fuerat fugata, nec poterat per Agnum qui pec-
„ cata mundi tulerat, in superna amplius invidiæ pe-
„ netrare peccatum. Christus nos quæsivit in terra, nos
„ illum quæramus in cœlis. Ille nos portavit ad suæ di-
„ vinitatis gloriam, nos illum nostro portemus in cor-
1. Cor. 6. 20. „ pore. *Glorificate* (inquit Apostolus) *& portate Deum*
„ *in corpore vestro*. Ille Deum in corpore suo portat, qui
„ nullum portat in suæ carnis operatione peccatum. „

Anima peccatoris ovis est perdita, drachma est amissa. Nec ad gregem redire suis viribus potest ovis errans, nisi a bono Pastore quæratur & portetur; nec drachma, seu anima illius imagine insignita, & peccato perdita, illi restitui, nisi diligenter quæratur in domo. *Erravi sicut*
Psal. 118. 176. S. August. serm. 32. in hunc Psal. *ovis quæ periit, quære servum tuum, Domine.* „ Ovis
„ perdita quæratur, ovis perdita vivificetur, propter
„ quam Pastor ejus nonaginta novem dimisit in monti-
„ bus, & eam quærens Judaicis laceratus est vepribus.
„ Sed adhuc quæritur, adhuc quæratur, ex parte inven-
„ ta adhuc quæratur. Ex ea namque parte qua dicit Pro-
„ pheta, *Mandata tua non sum oblitus*: inventa est;
„ sed per eos qui mandata Dei eligunt, colligunt, di-
„ ligunt adhuc quæritur, & per sui Pastoris sanguinem
„ fusum atque dispersum, in omnibus gentibus inve-
„ nitur. „

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c. Boni Pastoris officia erga peccatores in hac Parabola designantur. Ipsos quærere debet pia sollicitudine, ac perseverante diligentia: *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* 2. Illorum infirmitates portare, illisque compati prudenti commiseratione & benignitate; ita tamen ut secundum Legem Dei benignitas illius dirigatur. 3. Nullis parcere debet laboribus ut illos ad Deum revocet. *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* 4. Suam erga illos caritatem gaudii de illorum conversione concepti significationibus demonstrare; gaudium illud ad Christum referre, cujus gratiæ opus est animæ peccatricis conversio, quam *Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola efficit*; nec sibi ipsi plaudere, in se ipso gloriari, aut vano gaudio affici, sed Christo Domino summo Animarum Pastori gratias agere; aliosque ad Deum propterea collaudandum excitare in domo ejus, id est in Ecclesia, cujus lacrymis, gemitibus & precibus conversio peccatorum a Deo donatur. *Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.*

Aut quæ mulier habens drachmas decem, &c. Perditionis animarum causa triplex. 1. Ignorantia Legis Dei, & officiorum suorum; fideique defectus & imbecillitas. 2. Moralis Christianæ corruptio, morumque depravatio. 3. Negligentia Pastorum. Tria ergo præstanda sunt ad conversionem animarum. 1. Accendenda lucerna fidei verbi Dei prædicatione, & piorum lectione librorum. *Nonne accendit lucernam?* 2. Everrenda domus seu Ecclesia; & a pernicios corruptæ Moralis opinionibus, quas privati quidam doctores invexerunt, & a pravis moribus & scandalis purganda: *& everrit domum?* 3. Pastores pii, eruditi, & gloriæ Dei zelo flagrantes Ecclesiis præficiendi sunt, qui ad conversionem & sanctificationem animarum curis & laboribus indefessis incumbant:
S. Gregor. Nyss. lib. de Virgin. c. 12. *& quærit diligenter donec inveniat eam.* Sed & nos ipsi demus operam cum gratia Dei; ut ejus imago terrenorum affectuum & peccatorum simo ac sordibus in nobis obscurata & obruta reformetur; eam ob rem accendamus lucernam fidei in cordibus nostris; conscientiam nostram everramus ab operibus mortis; quæramus tandem quæ drachma quæ virtus nobis desit; quia nihil prosunt reliquæ si vel una deficiat. „ Induite vos ergo si-
Coloss. 3. 12. 13. 14. „ cut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ,
„ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam:
„ supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis
„ adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus
„ donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc,
„ caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. "
Hæc drachma est sedulo requirenda, si forte amissa sit; eaque inventa vicinę seu contubernales animæ facultates congratulari debent ac in Domino gaudere, omniaque in Dei gloriam operari. *Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.*

10. *Ita dico vobis gaudium erit in cœlo super uno pec-* S. Gregor. M. Hom. 34. in Evang. *catore pœnitentiam agente.* „ Gaudium majus in cœlo
„ est de conversis peccatoribus, quam de justis stantibus,
„ quia plerumque cautiores, humiliores, & ferventiores
„ resurgunt: & quotidiano experimento novimus quod
„ plerumque hi qui nullis se peccatorum molibus oppres-
„ sos sciunt, stant quidem in via justitiæ, sed tamen ad
„ cœlestem patriam anxie non anhelant; tantoque sibi in
„ rebus licitis usum præbent, quanto se nulla illicita
„ perpetrasse meminerunt. Et plerumque pigri remanent
„ ad exercenda bona præcipua, quia valde securi sunt
„ quod nulla commiserint mala graviora. At contra
„ nonnumquam hi qui se aliqua illicita egisse memine-
„ runt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in
„ amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent,
„ cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia
„ mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis con-
„ tumeliis lętantur, flagranti desiderio ad cœlestem pa-
„ triam anhelant: & quia se errasse a Deo considerant,
„ damna præcedentia lucris sequentibus compensant.
„ Majus ergo de peccatore converso, quam de stante
„ justo gaudium fit in cœlo, quia & Dux in prælio plus
„ eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem
„ fortiter premit, quam illum qui numquam terga præ-
„ buit, & numquam aliquid fortiter gessit. Sic agrico-
„ la illam amplius terram amat, quę post spinas, ube-
„ res fruges profert, quam eam quę numquam spinas
„ habuit, & numquam fertilem messem producit. „

11. 12. *Homo quidam habuit duos filios: & dixit* S. Ambr. lib. de interpellatione Job. c. 7. *adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.* Sub adolescentis typo significatur insipientia peccatoris. Ea scilicet ætas magis ad vitium lubrica esse consuevit. „ Habet enim pueritia innocentiam, senectus
„ prudentiam, ipsa vicina adolescentiæ juventus bonæ exi-
„ stimationis intuitum, & verecundiam delinquendi: ado-
„ lescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio
„ calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. „
Unde David totius temporis ejus veniam sibi a Domino postulavit, dicens: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris, Domine*; quia tunc maxime calor corporis fervet, & æstu sanguinis vaporantis igne-scit. Quæ major hominis insipientia, quam divinæ dominationis imperio, obedientię jugo eximi velle, sui juris esse, suo arbitratu vivere, a se ipso regi? Vę peccatori, si superbum illud cordis ejus desiderium exaudiens, illum sibi ipsi relinquat Deus, ac dimittat propriæ voluntati! Quid est voluntas hominis, quam levis, quam improvida, quam inconstans, nisi a suprema, sapientissima, & immutabili Dei voluntate regatur? Cum ejus directionem & moderamen excussit, perdita est, quamvis sana, & robusta; quid nunc eveniet si ab ejus imperio se subtrahat, cum infirma est, cęca, languens, invalida? Petiit peccator, ut sibi pars substantię quę eum tangeret, daretur a Patre „ Tamquam anima potestate sua delectata, S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. Quæst. 13. „ id quod illi est vivere, intelligere, meminisse, inge-
„ nio alacri excellere, omnia ista divina sunt munera,
„ quę in potestatem accipiens per liberum arbitrium, quia
„ divisit pater liberis substantiam, minor filius in regio-
„ nem longinquam profectus est, male utendo naturalibus
„ bonis, eo ipso quod Patrem deseruit cupiditate fruendi
„ creatura, relicto ipso Creatore. „ Substantia Dei est S. Hieron. Epist. 19. omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, loquimur. Hęc Deus universis æqualiter & in commune largitus est. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Iste est dexter oculus, qui a scandalis observandus est, hęc lucerna corporis, hoc talentum quod non est in sudario colligendum, id est delicate otioseque tractandum, nec in terra defodiendum, terrenis scilicet cogitationibus obscurandum. Substantiæ ergo seu bonorum nomine, quę Deus homini dedit, intelliguntur, omnia dona & talenta, sive naturę, sive gratiæ, quorum usus libero illius arbitrio commissus est, ut virtutus & meritum locum haberent.

13. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Primus peccatoris gradus ad malorum cumulum, recessus a Deo est. Infinita distantia est inter amorem Dei & amorem sui: momento tamen temporis ab uno ad alterum pertranśitur. Statim atque regnare cessat in corde caritas, necesse est ut regnet cupiditas, & totum operum corpus corrumpat. Qui se ipsum perverse amat, spiritales animę suę divitias penitus dissipat. Donorum Dei custos caritas est. Donorum ejus maximum. Spiritalia bona solus ille conservare potest, qui de- S. Aug. l. 2. Quæst. Evang. Quæst. 33. „ dit. „ Non multos post dies peregre profectus est in re-
„ gionem longinquam, &c. *Quia* Non multo post insti-
„ tutionem humani generis placuit animæ per liberum
„ arbi-

„ arbitrium ferre secum quamquam velut potentiam na-
„ turæ suæ, & deserere eum a quo condita est, præsi-
„ dens viribus suis; quas vires tanto consumit citius, quan-
„ to eum deserit a quo datæ sunt. Itaque hanc vitam pro-
„ digam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis
„ exterioribus; intus inanescentem, cum ea quisque se-
„ quitur quæ ab illa procedunt, & relinquit eum qui sibi
„ est interior. Regio itaque longinqua, oblivio Dei est.
S. Hieron. „ *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. Lu-
„ xuria est inimica Deo, inimica virtutibus; perdit om-
„ nem substantiam patris, & ad præsens voluptate deli-
„ niens, futuram non sinit cogitare paupertatem. „

14. 15. *Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit,*
S. Ambr. lib. 7. in Luc. n. 2. 15 *& adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* Famem patitur peccator qui a Deo recessit, ejusque bona dilapidavit. Famem non epularum, sed bonorum operum; quæ sunt miserabiliora jejunia. *Etenim qui recedit a verbo Dei, esurit: quia Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Qui recedit a fonte, sitit; qui recedit a thesauro, eget; qui recedit a sapientia, hebetatur; qui recedit a virtute, dissolvitur. Merito ergo ille egere cœpit, qui thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, divitiarumque cœlestium altitudinem dereliquit. Egere ergo ideo cœpit, & famem pati, quia nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem patitur, qui alimentis cœlestibus nescit impleri.* Quanta inanitas in mente, cui deest panis veritatis! Quanta fames in corde, cui deest cibus caritatis!

S. Hieron. *Et adhæsit uni civium regionis illius*, Principi hujus mundi, rectori tenebrarum harum, diabolo, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Porcus animal immundum est, quod cœno & sordibus delectatur. *Talis est dæmonum multitudo, quæ per idola manufacta, cruore pecudum & victimis pascitur; & novissime saginatiore quadam hostia, ipsius hominis morte saturatur. Misit ergo eum in possessionem suam, id est, fecit eum suum esse famulum, ut pasceret porcos, immolans ei animam suam. Qui Deo servire noluit, fit mancipium diaboli.* Nulla durior, tædior, miserabilior servitus, peccati, carnalium cupiditatum, dæmonis servitute.

16. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Peccator bonis spiritualibus privatus, famem suam pascit inanibus & fœdis terrenorum bonorum & carnalium voluptatum desideriis, in his cupiditatem suam alere cupit; sed famem non explet, magis inflammatur cupiditas. Voluptates sæculi, sunt porcorum cibus, in luto se volutantium & in terram semper pronorum. „ Dæmonum cibus est
S. Hieronym. Epist. 146. „ ebrietas, luxuria, fornicatio, & universa vitia. Hæc
„ blanda sunt, & lasciva, & sensus voluptate demul-
„ cent, statimque ut apparuerint, ad usum sui provo-
„ cant. Quibus ideo luxuriosus adolescens non poterat
„ saturari, quia semper voluptas famem sibi habet, &
„ transacta non satiat: & satanas, cum aliquem sua arte
„ deceperit, & proprium ei imposuerit jugum, ultra ad
„ abundantiam vitiorum non procurat, sciens esse jam
„ mortuum. *In miseriis illis diaboli mancipiis oraculum*
Ezech. 16. „ *illud Propheticum impletur*: Omnibus meretricibus
„ dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis
„ amatoribus tuis, & mercedes non accepisti. „

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis. Siliquæ porcorum, libri obscœni, fabulosæ Romantiorum (ut vulgo loquimur) historiæ, amorem profanum excitantes & alentes, amatoria concœdorum carmina; quæ sæcularium & carnalium mentes suavitate sua delectant, & pectoris interna devinciunt: verum ubi cum summo studio fuerint perlecta, nihil aliud nisi inanem sonum, & sermonum strepitum suis lectoribus & auditoribus tribuunt, nullam saturitatem veritatis, nullam justitiæ refectionem tribuentes.

17. *In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Primus ad peccatoris conversionem gradus est extremæ suæ miseriæ consideratio, & comparatio infelicissimi status sui cum felici statu justorum, qui Deo servientes, gratiæ suavitate abunde reficiuntur. Ut huic salutiferæ considerationi vacare incipiat peccator, ad se revertatur necesse est, tamquam expergiscens ab ebrietate aut gravi somno. Ad se revertitur, qui a se longe recesserat, cum a Deo recessit. Revertitur quandoque adversitate urgente, & vexatione (ut ita loquar) dante intellectum, qui prosperitate inflante, exul cordis sui factus erat. Revertitur ut miseriam status sui cognoscat, divinæ gratiæ luce præveniente. Quando peccamus, extra nos sumus; desipimus, extra mentem nostram & cor nostrum ferimur; cum autem resipiscimus, in nos ipsos revertimur. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Discrimen est inter servos, mercenarios, & filios in domo Dei. Servi pœnæ timore a peccato abstinent. Mercenarii spe mercedis peragunt opera a Deo injuncta, legi ejus ac mandatis obediunt. Filii ex amore filiali Deo serviunt, nihil magis timent quam ne patrem offendant, ne patri displiceant; nihil magis optant quam ut patris gratia, amore, præsentia & societate fruantur. Mercenarii justi sunt & misericordes, non ob ipsam justitiam, & ipsum misericordiæ bonum, sed ut a Deo terrenæ felicitatis, vel etiam æternæ, quatenus aliquid præter Deum esse intelligitur, bonum consequantur. Qui autem sic affecti sunt, ipe compelluntur ad obsequium præceptorum, ne eorum prævaricatione, quę jussa sunt, careant concupitis. Qui autem perfecta charitate diligit, ut filius, non ideo imperata custodit, quia aut timore pœnarum, aut præmii aviditate compellitur; sed quia hoc ipsum quod a Deo jubetur, est optimum. Servos, qui solo pœnæ timore non peccant, cum revera sint inimici justitiæ, Deus amplecti refugit, ac famelicos & inanes spirituallium bonorum dimittit, quæ non desiderant, cum non ament. Mercenariis vero, quamquam non pleno integroque desiderio, omnino tamen pietati & divinorum mandatorum observantiæ animum adjungentibus, mercedem Deus tribuit, ac spiritalem cibum dat in tempore; verbi sui, sacramentorum suorum alimentis, gratiæ suæ suavitate illos sustentat. *Quanti mercenarii in domo patris mei panibus abundant, ego autem hic fame pereo!* O quantis meipsum bonis privavi! O quantis meipsum malis implicui! Cur e paterna domo discessi, jugum excutiens quasi juvenculus indomitus? Cur Dei donis abusus sum? cur gratias & virtutes amisi, dissipavi? Cur me dæmonis addixi servituti, tam duræ, tam turpi, tam mortiferæ? Spiritualis alimoniæ extremam patior inopiam. Experientia didici, humanam mentem ad imaginem Dei conditam nullis bonis temporalibus, nulla terrena voluptate, sed uno Deo impleri & satiari posse. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies. Et ecce ades; & liberas a miserabilibus erroribus, & constituis nos in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ibi ego feram.*
S. August. lib. 6. Confess. cap. 16.

18. 19. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Secundus conversionis gradus est, propositum renuntiandi peccatis, illaque & occasiones illorum sincere & absque mora deserendi; bona & non ficta voluntas ad Deum redeundi, paternæ illius bonitatis & misericordiæ intuitu, quo in spem veniæ peccator erigitur. *Surgam*, qui peccatorum pondere gravatus & oppressus jaceo: surgam, quia loquentem ad cor meum audio: *Surge qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Revertar bene, unde male discessi, redibo ab patrem meum, conditorem, dominum, curatorem & provisorem; revertar ad illum qui solet exspectare & prævenire peccatores. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Qua spe? Qua fiducia? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filii: ille quod patris est non amisit. *Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse qui intervenit & exorat affectus. Urgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam.*
S. Petr. Chrys. serm. 2.

Tertius conversionis gradus est, odium & detestatio peccati ex amore Dei concepta, qua peccator illi ut patri summe bono se displicuisse dolet, ac peccatum humiliter confiteri proponit. *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Amoris nomine Deum appellat, quia veræ pœnitentiæ fundamentum, Dei amor est. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei* (ait S. Augustinus.) Humiliat se pœnitens tamquam divina gratia & misericordia indignum. Per Spiritum adoptionis jus habemus vocandi Deum patrem nostrum: sed eo jure excidimus, cum Spiritum sanctum a nobis recedere compulimus per mortale peccatum. *Jam non sum dignus vocari filius tuus.* Indignitatis propriæ confessio, humiliationis peccatori debitæ acceptio est. Hanc amat, quisquis divinæ justitiæ ordinem amat: divinæ autem justitiæ ordinem diligit, quisquis Deum ipsum diligit. Hinc pœnitentiæ laboribus humiliter se subjicit peccator sincere conversus: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Peregre profectus est, & in regionem longinquam fugit; sed accusatores suos, & testes suos, divini Patris oculos, non refugit. In se itaque reversus agnoscit quod David pœnitens: *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades*, &c. Videt per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere: non cœlum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem, Deo posse velare peccata. Sentit quantum sit sceleris in Dei peccare conspectu: *Peccavi*, inquit, *in cœlum, & coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus.* Eo magis gratiæ donis sum indignus, quo donis ipsis naturæ sum abusus. Eo magis sum indignus in gratiam tuam recipi, quod primam gratiam in baptismo acceptam amisi. *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, ut tota die, id est, quandiu vitam mihi commodaveris, opus tuum agam, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies mea; nec umquam negare

Psalm. 138. 7. 8.

valeam tibi debitam tot titulis ſervitutem. *Qui* ſcilicet *penes extraneum ſervam ſenſerat libertatem, penes patrem credit ſibi futuram libertatem ſervitutem.*

S. Petrus Chryſol. *Non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut unum ex mercenariis tuis.* Operabor & ego in vinea tua; putabo & ego Spiritus falce interiores meæ vitis rationalis ſuperfluos palmites, crimina, cupiditates, carnalia deſideria reſecabo. Excolam dulcem caritatis botrum; mandatis tuis ſepiam animam meam, ne eam humi hærentem ſerpens deprædetur. *Fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Humeris meis crucis tuæ aratrum impone, colam ſulcum animæ meæ, effodiam vomere, exſcindamque ſpinas ferentia & noxia Maligni germina, ſuperſeminabo cœleſtia ſemina. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

20. *Et ſurgens venit ad patrem ſuum.* E peccato ſurgere, & ad Deum redire toto corde ſuo non tardat vere pœnitens. Converſionis propoſito ſtatim opus adjungit. Eo majore fiducia venit, quo majori dolore de Patris offenſa compunctus eſt. Deum fide quærens per dilectionem operante, ſibi mox invenit eſſe præſentem. *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & occurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Sic Deus prævenit peccatorem. Venit ad pœnitentiam, nondum pervenit ad gratiam. Venit ad Patrem, & adhuc longe eſt. Videt illum venientem *qui in altis habitat, & humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit.* Videt illum Pater a longe, ut & ipſe Patrem poſſit attendere, fugata obſcuritate quæ circumfuſa fuerat de reatu; de qua Propheta ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem ... Iniquitates meæ gravatæ ſunt ſuper me: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Lumen illud peccator non recuperaret, niſi Deus illum miſericorditer reſpiceret ac præveniret. Videt illum Deus, quia ſe diligere incipientem diligit. Ante oculos enim haberi nonniſi qui diliguntur dici ſolent. *Et miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus,* ut erigeret jacentem, *ut amoris onere onus tolleret peccatorum,* ut leve & ſuave Evangelii jugum ejus cervici imponeret. *Venite ad me,* inquit, *omnes qui laboratis & onerati eſtis. Tollite jugum meum ſuper vos: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Videtis quia *filius juvatur iſtius Patris onere, non gravatur.*

S. Petr. Chryſol. ſerm. 3. Pſalm. 112 5. Pſalm. 39. 13. Pſ. 37. 5.

S. Aug. lib. 2 Q. Evang. Q. 33. S. Petr. Chryſ Mat. 11. 27. S. Auguſt.

Et oſculatus eſt eum. Oſculum, ſymbolum reconciliationis, pignus veniæ. *Conſolari verbo gratiæ Dei ad ſpem indulgentiæ peccatorum, hoc eſt poſt longa itinera remeantem mereri a Patre oſculum caritatis.*

21. *Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Certant in animo pœnitentis humilitas & fiducia, verecundia & amor. Filii nomine & privilegiis indignum ſe fatetur, & tamen Deum patrem confidenter appellat, qui *Miſit Spiritum Filii ſui* in cor ejus *clamantem, Abba* (*Pater*). Quam miſericors, quam pius, qui nec offenſus patris nomen dedignatur audire! *Pater peccavi in cœlum & coram te.* „ Hæc eſt prima confeſſio apud Auctorem naturæ, „ præſulem miſericordiæ, arbitrum culpæ. Sed etſi Deus „ novit omnia, vocem tamen tuæ confeſſionis exſpectat. „ *Ore* enim *confeſſio fit ad ſalutem*: Quia allevat pondus „ erroris quiſquis ipſe ſe onerat; & accuſationis exclu„ dit invidiam, qui acculatorem prævenit confitendo. *Ju„ ſtus* enim *in primordio ſermonis accuſator eſt ſui.* Fru„ ſtra autem velis occultare quem nihil fallat: & ſine „ periculo prodas, quod ſcias eſſe jam cognitum. Con„ fitere magis, ut interveniat pro te Chriſtus, quem ad„ vocatum habemus apud Patrem; roget pro te Eccle„ ſia, illachrymet populus. Nec vereare ne non impe„ tres. *Advocatus ſpondet veniam, patronus promittit gra„ tiam, reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur „ aſſertor. Crede, quia Veritas eſt; acquieſce, quia Vir„ tus eſt.* Habet cauſam ut pro te interveniat, ne pro „ te gratis mortuus ſit. Habet & cauſam ignoſcendi Pa„ ter, quia quod vult Filius, vult & Pater. “

S. Amb. lib. 7. in Luc. n. 225. Rom. 10. 10. Prov 27. 18.

Jam non ſum dignus vocari filius tuus. „ Hoc vult „ fieri per gratiam, quo ſe indignum eſſe per merita „ confitetur. Non addit quod in illa reditus ſui ac pœ„ nitentiæ meditatione dixerat, *Fac me ſicut unum de „ mercenariis tuis.* Cum enim panem non haberet, vel „ mercenarius eſſe cupiebat: quod poſt oſculum patris „ generoſiſſime jam dedignatur. “

S. Aug lib. 2 Q. Evang.

22. *Dixit autem pater ad ſervos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus.* Quo magis ſe deprimit peccator, omnibuſque Dei donis ſe agnoſcit indignum, eo majoribus gratiis a Deo cumulatur. Chriſto Jeſu, ejuſque juſtitia, meritis, virtutibus induitur ejus nuditas, Spiritum promiſſionis ſanctum accipit, quo velut annulo ſignatur novum fœdus reconciliationis: accipit annulum in manus, ad opera juſtitiæ jam paratus: novis auxiliis munitur, per calceamenta ſignificatis, ut ambulet ſine offenſione in via mandatorum Dei; ut conculcet leonem & draconem; ut dæmonem & tentationes ejus vincat.

Certant peccatoris humilitas & Dei clementia. Ait peccator, *Non ſum dignus vocari filius tuus.* „ Ne me „ tamen abigas ab aula tua, Domine, ne me inventum „ hoſtis errantem velut captivum abducat: neque me pro„ pe tremendam & myſticam Menſam tuam ſiſtas: non „ enim audeo apertis oculis intueri Sancta Sanctorum. „ Sine me cum Catechumenis intra Eccleſiæ fores conſiſtere, ut contemplatus quæ in ea perficiuntur Myſteria, rurſus eorum participem fieri ſenſim concupiſcam: „ ut divinis laticibus perfuſus, turpium animæ veſtium „ ſordes abſtergam; ut cum tuas margaritas * a piis vi„ ris abripi videro, manus & ipſe dignas quæ tale mu„ nus accipiant, habere deſiderem. Peccatorem pœniten„ tem ita affectum videns Deus, jubet ſervis, ſcilicet „ Sacerdotibus, ut ſtolam primam proferant, primam „ ſcilicet baptiſmatis dignitatem, reparatam juſtitiam Ab„ ſolutionis beneficio; & dent annulum, divitiarum in„ dicem, theſauri cuſtodem, ſignaculum Spiritus: & cal„ ceamenta in pedes ejus: hoc eſt, ut ſermonibus Evan„ gelicis ejus animæ veſtigium omni ex parte adſtrin„ gant, ne ſerpens ejus inſidiatus calcaneo, in priorem „ illum peccati errorem pertrahat. “ Dari jubet calcea„ menta in pedes ejus, ut *calceatus pedes in præparationem Evangelii pacis*, ſanctæ vitæ exemplo Eccleſiam ædificet, Chriſtumque prædicet, non verborum, ſed operum elo„ quentia. „ Stola ſpiritale indumentum, & veſtimentum „ eſt nuptiale. Annulus quid eſt aliud, niſi ſinceræ fidei „ ſignaculum, & expreſſio veritatis? Calceamentum, E„ vangelii præparatio eſt, ad cæleſtium curſum dirigens „ præparatos, ut non in carne ambulemus, ſed in ſpi„ ritu. “

S. Jo: Chryſ. Hom. de Filio Prodigo. * Sic Euchariſtiam vocat. *Ephes. 6. 15* *S. Ambr. lib 7. in Luc. n. 231.*

23. 24. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt. Et cœperunt epulari.* Peccator reconciliatus, ſacrificii Chriſti fit particeps, carne ejus nutritur, cujus communio ſigillum eſt reconciliationis; guſtat donum cæleſte, guſtat & videt quam ſuavis eſt Dominus, & beatus vir qui ſperat in eo. Ex hinc vitam agit hominis inventi, hominis novi, hominis a morte peccati redivivi. Nec mundo vivit amplius, in quo perditus eſt; nec peccato, quod ipſi mortem attulit; nec ſibi ipſi, qui nec ſeipſum invenire perditum, nec mortuum reſuſcitare valuit; ſed Deo, qui *Sic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam*: Chriſto, qui a ſummo cœlo egreſſus eſt, & exultavit ut gigas ad currendam viam, ut illi occurreret; qui carne aſſumpta ſuper collum ejus cecidit, eumque complexus & oſculatus eſt; qui mortuus eſt ut illum ſuſcitaret; qui Corpus & Sanguinem ſuum in Euchariſtiæ ſacramento ſiſtit & abſcondit, ut illum nutriat.

Joan. 3. 1. 16

Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite. „ Vitu„ lus ſaginatus, Chriſti Jeſu Domini noſtri typus pro pec„ catis noſtris immolati. Adducite, immolate vitulum, „ qui peccati jugum non ſuſtinuit, virginem & ex Vir„ gine natum, qui ſequitur eos qui illum ſequuntur, non „ ex neceſſitate, ſed ſponte; qui non utitur robore ſuo, „ neque cornibus, ſed prompte cervicem inclinat iis qui „ mactare ipſum volunt. Occidite eum qui ſponte occi„ ditur, qui ſanctificat immolantes; qui myſtice occiſus „ jam non moritur; qui comeditur ab iis qui ipſum no„ runt, & numquam conſumitur, qui comedentes beatos „ efficit. *Et manducemus, & epulemur*, &c. No„ ſtis ſpirituales delicias qui eas deguſtatis, (*ait S. Jo„ annes Chryſoſtomus*) & recordamini tremendorum My„ ſteriorum, ac Miniſtrorum ſacri officii, (*nempe Dia„ conorum*) imitantium Angelorum alas tenuibus ſuis li„ neis velis quæ ſiniſtris humeris inſident, & qui in Ec„ cleſia diſcurrunt, clamantque: *NE QUI EX CATHE„ CUMENIS* ne quis eorum qui non edunt, nullus ex „ exploratoribus; ne quis eorum, qui non poſſunt aue„ ri vitulum qui comeditur; neve quis eorum qui ſpecta„ re non poſſunt cæleſtem ſanguinem, qui effunditur in „ remiſſionem peccatorum; ne quis indignus hoſtia vi„ vente; ne quis non initiatus; ne quis eorum qui non „ poſſunt impollutis labiis tremenda Myſteria attingere. „ Deinde ſubjunguntur voces Angelorum collaudantium „ de cælis, & dicentium: Sanctus Pater, qui voluit ma„ ctari vitulum ſaginatum, qui peccatum non novit. San„ ctus Filius ſimul & vitulus qui ſemper occiditur ſpon„ te, & ſemper vivit: Sanctus Paracletus Spiritus San„ ctus, qui ſacrificium perficit. “

S. Joan. Chryſ. Hom in Parab. de Filio Prodigo.

Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. „ Occiditur vitulus ſaginatus, „ ut carnem Domini ſpiritali opimam virtute per grati„ am ſacramenti Myſteriorum conſortio reſtitutus epule„ tur. Nemo enim niſi qui timuerit Deum (quod eſt ini„ tium ſapientiæ) niſi ſignaculum ſpirituale vel cuſtodie„ rit, vel receperit, niſi Dominum prædicaverit, Sacra„ mentis debet intereſſe cæleſtibus. “ *Manducemus, & epulemur.* Epulantem patrem inducit, ut oſtenderet quoniam *Paternus cibus eſt ſalus noſtra, & paternum gaudium noſtrorum redemptio peccatorum eſt.*

S. Amb. lib. 7. in Luc. n. 132. 133.

Cito

Cito proferte ſtolam primam, &c. „ Stola prima, eſt
S.Aug.lib.2 „ dignitas quam perdidit Adam. Servi qui eam profe-
Q. Evang. „ runt, reconciliationis Prædicatores. Annulus in manu,
Q.33.n.5. „ pignus Spiritus ſancti propter gratiæ partitionem, quę
„ digito bene ſignificatur. Calceamenta in pedes, præ-
„ paratio evangelizandi *ad non tangenda terrena*: Vitu-
„ lus ſaginatus ipſe idem Dominus, ſed ſecundum car-
„ nem ſatiatus opprobriis. Quod autem imperat ut ad-
„ ducant eum, quid aliud niſi ut prædicent eum, & an-
„ nuntiando venire faciant in exhauſta fame viſcera filii
„ eſurientis? Nam etiam ut occidant eum jubet, hoc
„ eſt, ut mortem ejus inſinuent: tunc enim cuique occi-
„ ditur, cum credit occiſum. *Et epulemur* (inquit)
„ *quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perie-*
„ *rat, & inventus eſt*. Iſtæ epulæ atque feſtivitas nunc
„ celebrantur, per orbem terrarum Eccleſia dilatata at-
„ que diffuſa. *Vitulus enim ille in corpore & Sanguine*
„ *Dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum*. "
Manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mor-
Tertull.lib. *tuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt*. „ Pro-
de Pœnit.c. „ digum filium revocat, & poſt inopiam pœnitentem li-
8. „ bens ſuſcipit, immolat vitulum præopimum, convivio
„ gaudium ſuum exornant. Quidni? Filium enim invene-
„ rat, quem amiſerat; cariorem ſenſerat, quem lucrife-
„ cerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus ſcili-
„ cet. Tam pater nemo; tam pius nemo. Is ergo te fi-
„ lium ſuum, & ſi acceptum ab eo prodigeris, etſi mun-
„ dus redieris, recipiet, quia rediſti: magiſque de re-
„ greſſu tuo, quam de alterius ſobrietate lætabitur. Sed
„ ſi pœniteat ex animo, ſi famem tuam cum ſaturitate
„ mercenariorum paternorum compares, ſi porcos im-
„ mundum relinquas pecus, ſi Patrem repetas vel offen-
„ ſum: Deliqui, dicens, nec dignus ego jam vocari tuus.
„ Tantum relevat confeſſio delictorum; quantum diſſimu-
„ latio exagerat. "

„ 25. 26. 27. 28. 29. 30. Erat autem filius ejus ſenior
„ in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui,
„ audivit ſymphoniam et chorum: et vocavit unum de
„ ſervis, et interrogavit quid hæc eſſent. Iſque dixit
„ illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum
„ ſaginatum, quia ſalvum illum recepit. Indignatus eſt
„ autem, et nolebat introire: Pater ergo illius egreſſus,
„ cœpit rogare illum. " Qui vere juſti ſunt, Deo gra-
tias agere, & congratulari ac congaudere debent, non ſolum de reditu & converſione peccatorum, ſed de gra-
tiis, favoribus, & conſolationum ſpiritualium abundan-
tia, quibus ſæpe pœnitentes cumulat præ juſtis, qui ſem-
per in ejus obſequio perſeverarunt. Nemo ſibi plus quam
alteri a Deo deberi exiſtimet; immo nihil ſibi: & cum
Lib. 2. Q. diu ſervierit, & omnia fecerit, dicat adhuc: *Servi inu-*
Evang. Q. *tiles ſumus*. In ea civitate, in eo regno, in ea familia,
33.num.10. in eo corpore ſe eſſe meminerint, ubi unius bona ſunt
omnium & ſingulorum per caritatem. *Ut enim cupiditas*
nihil ſine anguſtia, ita nihil cum anguſtia caritas tenet.
Patrem colere, illi ſervire, & in omnibus obſequi tan-
tum pergamus, de illius hereditate ſecuri, ſi perſevera-
verimus in ejus obedientia. *Fili tu ſemper mecum es, et*
omnia mea tua ſunt. Cum beatitudinem æternam, quæ
Deus eſt, obtinuerimus, *noſtra erunt ad videndum ſupe-*
riora, noſtra erunt ad convivendum æqualia, noſtra erunt
ad dominandum inferiora. Caveamus ne invidia in corda
S. Petr. noſtra ſurrepat. „ Invidia malum vetuſtum, prima labes,
Chriſ.ſerm. „ antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſa funeris.
2. de Filio „ Hæc in principio Angelum dejecit de cœlo. Hæc de
Prodigo. „ paradiſo hominem principem noſtræ generationis ex-
„ cluſit. Ipſa hunc ſeniorem fratrem paterna ſecluſit e
„ domo. Hæc Abrahæ progeniem, populum ſanctitatis,
„ ad Auctoris ſui cædem, ad mortem ſui Salvatoris ar-
„ mavit. Invidia inteſtinus hoſtis non carnis quatit mu-
„ ros, non elidit ſepta membrorum, ſed in ipſam cordis
„ arietat arcem, & antequam viſcera ſentiant, ipſam do-
„ minam corporis animam prædo capit, & adducit in-
„ cluſam. Si ergo volumus cœleſtem mereri gloriam, ſi
„ æterni Patris inhabitare domum, invidiam totis ar-
„ morum cœleſtium viribus comprimamus: quia ſicut nos
„ Deo jungit charitas, a Deo invidia ſic ſejungit. "

Erat autem filius ejus ſenior in agro, &c. Allegorico
ſenſu, duo filii, duo ſunt populi, ſenior & major Judai-
Exod.4.22. cus, de quo Dominus ait: *Filius meus primogenitus Iſra-*
el: junior, Gentilis, qui religione ac moribus longius re-
ceſſit a Deo, & cum meretricibus ſubſtantiam ſuam diſ-
ſipavit, quo nomine ſuperſtitiones intelliguntur: relicto
ſcilicet uno connubio legitimo veri Dei, cum turba dæ-
moniorum cupiditate turpiſſima fornicatus eſt. Tandem fame
veritatis ſtimulante, in ſe reverſus eſt & pœnitentiam
S.Aug. lib. egit vocante & occurrente Deo per Evangelii prædica-
2.Q.Evang tionem. Redeuntem ſuſcepit cœleſtis Pater, fide & ju-
Q.33. Vide ſtitia donata, gratiaque Spiritus ſancti in eum effuſa.
& S.Hieron Euchariſtiæ Sacramento, Chriſti, tamquam vituli ſagina-
Epiſt. 146. ti, carne refectus eſt. Feſtivo gaudio totus orbis reſo-
nuit ob vocationem & converſionem gentium, quia *Qui*
erant longe, facti ſunt prope in ſanguine Chriſti. Interea
ſenior filius, populus Iſrael ſecundum carnem, qui non
eſt in domo, ſed in agro, id eſt, in ipſa hæreditaria
opulentia Legis & Prophetarum, terrena potius operatur,
& pro terrena hereditate Deo ſervit, audiens illam Ec-
cleſiæ gentium lætitiam, & Spiritu ſancto plenos Apo-
ſtolos ſeu Viros Apoſtolicos vocibus conſonis Evangelium
prædicare: audiens etiam concorditer converſantium cor
unum & animam unam in Dei laudes conſpirantem; vo-
cat unum de ſervis, & interrogat quæ illa ſint; legit
aliquem Prophetarum, & quærit cur iſta feſta in Eccle-
ſia celebrentur. Reſpondet ei ſervus Patris, Propheta:
Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſagina-
tum, quia ſalvum illum recepit. Sed indignatur etiam
nunc Judæus, & adhuc non vult introire in Eccleſiam;
ſibi præpoſitas gentes queritur; paterni gaudii, & con-
vivii dedignatur eſſe participem. Cum ergo plenitudo
gentium intraverit, egredietur opportuno tempore Pater
ejus, ut & jam omnis Iſrael ſalvus fiat, cui ex parte
cæcitas facta eſt velut abſentia in agro, donec plenitu-
do filii minoris longe in idololatria gentium conſtituti re-
dux ad manducandum vitulum intraret. Erit enim quan-
doque aperta vocatio Judæorum in ſalutem Evangelii.
Quam manifeſtationem Evangelii tamquam egreſſum pa-
tris appellat ad rogandum majorem filium.

CAPUT XVI.

Senſus Litteralis.

1. 2. *Dicebat autem* JESUS *& ad Diſcipulos ſuos* hanc parabolam, cum tres præcedentes ad Phariſæos & Scribas contra ſe murmurantes direxiſſet: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum*, ſive œconomum, cui totius rei familiaris, omniumque bonorum ſuorum adminiſtrationem ac diſpenſationem crediderat; *& hic diffamatus eſt*, delatus ſive accuſatus *apud illum quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocavit illum*, non leviter credens quod fama loquebatur, *& ait illi: Quid hoc audio de te?* Quid eſt quod de te audio? *Redde rationem villicationis tuæ*, ſeu adminiſtrationis: *jam enim non poteris villicare*. Non patiar te deinceps adminiſtrare bona mea, niſi tempore, quod præſtituo, rationes reddideris.

3. 4. *Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam, quia dominus aufert*, ſive auferre decrevit *a me villicationem? Fodere non valeo*, cum labori manuum aſſuefactus non ſim, neque duris operibus pares ſint vires corporis mei: *mendicare erubeſco*, quia in hunc uſque diem honoratus vixi. Deficiam proculdubio in rationibus reddendis, & a munere meo amovebor: in his anguſtiis unde mihi victum comparabo? *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos ſuas*. Debitores domini mei beneficiis mihi devinciam, ut cum amotus fuero a munere meo, recipiant me in domos ſuas, victumque mihi alternis liberaliter ſubminiſtrent.

5. 6. 7. *Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados*, ſeu batos *olei*. (Quiſque cadus viginti-ſeptem circiter pintas Pariſienſes continebat.) *Dixitque illi: Accipe cautionem tuam*, ſchedulam ſeu chirographum, *& ſede cito, & ſcribe quinquaginta*. Scribe aliam, qua fatearis te debere quinquaginta. *Deinde alii dixit: Quantum debes domino meo? Qui ait: Centum coros tritici*. (Corus menſura erat quaſi ſextarium continens.) Ait illi: *Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta*. His combuſtis aut laceratis, ne quis te ad ſolvendum cogere poſſit, ſcribe alias, quibus te fatearis octoginta cororum debitorem. Sic uni quinquaginta cados olei, alteri viginti coros tritici remiſit: & ſimiliter egit cum reliquis proportione ſervata, ut parabola ſubintelligitur.

8. *Et laudavit dominus*, ſeu herus, homo ille dives, *villicum iniquitatis*, injuſtum & infidelem œconomum, *quia prudenter feciſſet*: Non facti improbitatem, & fraudem, ſed ſolertiam & induſtriam infidi œconomi, quamvis læſus laudavit: quod ſcilicet ea ſolertia & induſtria, quam hujus ſæculi homines prudentiam vocant, rebus ſuis in futurum proſpexiſſet: *Quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*. Homines huic ſæculo dediti, ejuſque legibus ac moribus ſervientes, ſagaciores ſunt, magiſque induſtrii in rebus ſuis gerendis, in genere ſuo, in iis quæ ad hujus mundi commoda ſibi procuranda ſpectant, quam homines vitæ melioris cognitione illuſtrati in veris, ſpiritualibus, æterniſque bonis ſibi procurandis. Prudentiores dixit, non abſolute, nec vere ac reipſa, ſed prudentia carnis, prudentia falſa, prudentiores in rebus caducis & temporariis; *in generatione ſua*.

9. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, de divitiis injuſtis, quas ſcilicet ſoli iniqui divitias reputant, veras & ſolidas divitias negligentes: Facite vobis amicos de divitiis hujus mundi, quæ cœleſtibus comparatæ, falſæ ſunt & adulterinæ: conciliate vobis amicos ex divitiis, quæ pleriſque ſunt iniquitatis inſtrumenta, fomenta avaritiæ, ſatellites voluptatis, iritamenta malorum: *ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Ut cum vita vos defecerit, & ratio admini-

Eadem vocabula in linguis Hebraica, Syriaca & Arabica *Juſtitiam & veritatem* eadem pariter

mendacium & iniquitatem significant. Interdum etiam ἀδικίαν, Hellenistæ ad significandam *falsitatem* ulurpant ut aliquot exemplis exVersione 70. Viri Eruditi probant.

administrationis vestræ Deo reddenda fuerit, sit qui vos recipiat in cœlestes mansiones; Christus scilicet, qui sibi factas eleemosynas reputat, quæ pauperibus erogantur: vel ut vos in cœlum precibus suis introducant justi & sancti pauperes, quorum necessitatibus sublevandis terrena bona impendistis.

10. 11. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est; & qui in modico iniquus est*, ut plurimum *& in majori iniquus est. Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?* Si in falsis divitiis administrandis & dispensandis fideles non fuistis, sed iis abusi estis ad luxum, aut avare servastis, contra mentem ac mandatum Domini, pauperibus non erogantes: quis veras & cælestes divitias vobis credet? *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Si fideles non fuistis in dispensatione bonorum quæ a vobis aliena sunt, quæ extra vos sunt, quæ ad animum vestrum non pertinent; quæ vobis invitis eripi possunt, & ad alios transire; quis dabit vobis spiritalia & cœlestia bona, quæ animum attingunt, & totum hominem beatum efficiunt, spe in hoc sæculo, reipsa in futuro? Quis dabit vobis bona consentanea, intima, æterna? Quis dabit opes divinæ gratiæ, dona Spiritus sancti, quæ invitis eripi non possunt, quæ fidelibus servis numquam auferuntur a Domino? Quis dabit vobis mercedem vestram, thesaurum non deficientem in cœlis? Divitiæ temporales res sunt parvi pretii, modici valoris, æternorum comparatione bonorum. Qui ergo in iis dispensandis infidelis est, in usu spiritualium donorum multo magis infidelis erit. Quemadmodum ergo probant homines servos suos, & quos in rebus minoris pretii ac momenti fideles invenerint, iis majoris momenti bona vel negotia credunt & committunt: contra vero iis quos infideles compererint in minimis, majora non credunt: ita Deus infidelibus temporalium suorum bonorum dispensatoribus spiritalia & cœlestia bona non donat.

Lactant.

13. *Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ*, id est, divitiis. Serviunt Mammonæ, quibus præcipuum circa divitias studium est, quod studium radix est illiberalitatis & immisericordiæ. Confer cum *Matthæi* 6. 24.

14. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum*, gestu quodam narium adhibito contemptum significantes: quæ vis est verbi Græci ἐξεμυκτήριζον. Sic vertiginosis nihil stare videtur. Sic palato corruptis nihil recte sapit. Sic *Amara sunt vitiosis & male viventibus præcepta justitiæ.*

15. *Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus*; justi videri justitia legali & externa studetis & affectatis: *Deus autem novit corda vestra*, in quibus nihil est veræ sanctimoniæ & justitiæ: *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Quod secundum opinionem ac judicium hominum sublime & eximium est, quale est esse divitem, honoratum, magnam sanctimoniæ speciem præseferre, Deo est horrori & abominationi, si absit vera animi probitas, si avaritia, superbia, hypocrisis regnent in corde.

16. *Lex & prophetæ usque ad Joannem* durarunt, Messiamque venturum prænuntiarunt, ac rudimenta quædam pietatis aperte proposuerunt, reliqua sub generalibus terminis & figurarum mysticis involucris occultantes, & temporalia bona veri Dei cultoribus promittentes. *Ex eo regnum Dei evangelizatur*: Ab eo tempore, scilicet a diebus Joannis Baptistæ, regnum Dei prædicatur; *& omnis in illud vim facit.* Infinita hominum multitudo in illud intrare nititur, sibique vim facit ut illud adeat. Quamobrem terrenorum bonorum contemptu, & profusa in pauperes distributione, aliisque veræ justitiæ operibus ad illud enitendum est. Confer cum *Matthæi* 11. 12.

17. *Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem*, minimam litterulam, *cadere*. Suis præceptis non aboleri legem docet, sed impleri. Evangelica enim perfectio finis est Legis. Lex velut pædagogus manuduxit ad divitiarum contemptum, quarum quidem usum, non amorem permisit. Lex terrenæ felicitatis & bonorum temporalium promissione bona cœlestia & æternam felicitatem adumbravit, in spemque illorum veros Israelitas, Abrahæ filios secundum spiritum excitavit. Præceptis igitur Evangelicis præcepta Legis perficiuntur & implentur; regni cœlorum promissione legis promissiones consummantur. Confer cum *Matthæi* 5. 18.

18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit*, superstite marito, *mœchatur*. Confer cum *Matthæi* 5. 32. *& Marci* 10. 11. Divortium justis de causis Lex probavit: aliam uxorem ducere, illa vivente cui datus fuerat repudii libellus, non probavit, sed toleravit, cum a carnalibus & duri cordis hominibus aliud impetrari non posset. Christus divortium permisit in causa fornicationis; uxorem aliam ducere prohibuit priori superstite; matrimonii jus ad primam originem revocans, quo Adamus & Eva, vir & uxor, indissolubili fœdere sunt conjuncti. „ Manet „ matrimonium, quod non rite diremptum est. Manente „ matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditio- *Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 34.*
„ naliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum pro-
„ hibuit, & quod non prohibuit in totum, permisit asi-
„ as ubi causa cessat ob quam prohibuit. Et jam non
„ contrarium Moysi docet, cujus præceptum alicubi con-
„ servat; nondum dico confirmat. " Joannis autem, cujus proxime meminerat, & Herodis occasione hanc a Christo prolatam fuisse sententiam, qui & suam uxorem Arethæ Regis filiam dimiserat, & Philippi fratris sui uxorem contra Legem duxerat, existimavit Tertullianus,
„ Facta igitur mentione Joannis Dominus, & utique suc-
„ cessus exitus ejus, illicitorum matrimoniorum & ad-
„ ulterii figuras jaculatus est in Herodem: adulterum
„ pronuntians etiam qui dimissam a viro duxerit: quo
„ magis impietatem Herodis oneraret, qui non minus
„ morte quam repudio dimissam a viro duxerat, & hoc
„ fratre habente ex illa filiam, & vel eo nomine illici-
„ te; ex libidinis, non ex Legis instinctu, ac propterea
„ Prophetam quoque adsertorem Legis occiderat. "

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso*, vestibus pretiosis & mollibus: *& epulabatur quotidie splendide*; genio & deliciis non per intervalla, sed quotidie indulgens, cui ad epularum splendidum & exquisitum apparatum nihil deerat. Ad argumentum unde sermonem incœperat Christus regreditur, de usu scilicet divitiarum: & exemplo, exituque dissimili duorum hominum, unius divitis, alterius pauperis, divitias ad regnum cœlorum capessendum obesse magis, quas ad pauperum sublevandas necessitates non eroget: contra vero plurimum juvare paupertatem, si quis illam æquo animo patiatur.

20. 21. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus*, in via publica, sub dio, prope januam divitis, in ipsius conspectu, ut ignorantiam causari nullatenus posset, *ulceribus plenus*, cujus totum corpus ulcus videbatur: *cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat.* His verbis duo significantur, & divitis inhumanitas, qui de penu tam locuplete, de mensa tot ferculis instructa nihil pauperi miserit, ne frustulum quidem panis, & eximia Lazari patientia, cui summa votorum fuerit tantum accipere ad vitam ægre sustentandam, quantum canibus projici solet: *sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*, sanie & sanguine quasi projecti cadaveris illecti. Hæc ne sit historia an parabola, non constat, Interpretibus in varias sententias divisis. Veterum tamen præcipui historiam esse sentiunt; tum quod in parabolis personarum nomina exprimi non soleant, hic autem *Lazarus* proprio nomine designetur: *Ut quid illic Lazari nomen*, inquit Tertullianus, *si non in veritate res est?* Tum quod nullam parabolam ex rebus quæ in altera vita fiunt, sed ex rebus, quæ sensibus sunt obviæ, Christus sumserit. Quod autem divitis nomen Christus non expresserit, divina ejus moderatione factum volunt, ne illi infamiam, sibi invidiam conflaret. S. Joannes Chrysostomus in Homil. de Divite & Lazaro, & Cyrillus Alexand. in Catena Græcorum Patrum, ex qua ejus testimonium profert S. Thomas, & Theophilactus parabolam vocant. Auctor Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos inter opera S. Justini, nec historiam, nec parabolam esse censet (Quæst. 6.) sed hypothyposim. Ita vocant Eloquentiæ Magistri figuram orationis, qua res vera coloribus verisimilibus depingitur, & oculis veluti subjicitur. Eorum qui parabolam esse volunt, opinionem juvat vetustissimus Codex Græcus quo Beza utebatur, & aliud manuscriptum Exemplar, in quibus sic legitur: *Dixit autem & aliam parabolam: Homo quidam erat dives*, &c. Hanc præfationem Robertus Stephanus ex vetustissimo exemplari ab amicis in Italia collato, ad marginem hujus loci etiam adjecit in Græca, quam adornavit, Novi Testamenti Editione. Quod Lazari nomen spectat, mendico cuilibet hominum ope destituto apprime convenit. Significat enim *Adjutorium Dei.*

S. Irenæus lib. 4. c. 4. Tertull. lib. de Anima c. 7. S. Ambr. lib. 8. in Luc. n. 13.

22. *Factum est autem ut moreretur Mendicus, et portaretur*, ejus anima cui totius nomen per synecdochen tribuitur, *ab Angelis in sinum Abrahæ*, id est, in locum quietis & salutis, in quem Abraham credentium pater post hujus vitæ procellas receptus est. Phrasis illa Hebraica sumpta est vel a puerulis, qui parentibus sunt charissimi, quos illi in sinu sive gremio fovent, in quo etiam suaviter interdum quiescunt & dormiunt: vel ab antiquo more convivorum, in quibus dilectissimi & honoratissimi solebant recumbere in sinu ejus qui convivii princeps esset. Unde Christus piorum fœlicitatem sub convivii figura describens ait: *Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in Regno cœlorum.* His ergo verbis, *et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, summus Lazari significatur honos, qui in illa quietis & felicitatis justorum regione Abrahæ proximus esset, cujus eximiam fidem, & invictam in malis perferendis constantiam fuerat imitatus. *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno*; in locum tormentorum oculis nostris subtractum detrusus est, ubi *subterraneus ignis arcani*

Synop. Critic.

Matth. 11.

Tertull. in Apolog. S. Aug. lib. 20. de civit. Dei cap. 16.

cani ad pœnam thesaurus, qui *non absumit quod exuvit : sed dum erogat reparat*, & in æternum cruciabit impios. De hujusmodi tamen ignis natura, qualitatibus, & loco, non est operosius disputandum. „ Quis ignis „ (*inquit S. Augustinus*) cujusmodi, & in qua mundi „ vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror „ neminem, nisi forte, cui divinus Spiritus ostendit. "

23. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus.* Oculi, & eorum elevatio, Abraham conspectus, clamor, lingua, & ejus refrigeratio, hic metaphorice intelligenda. Christus scilicet futuræ vitæ statum accommodate ad captum hominum describens, animabus tribuit a corpore solutis quod hominibus in hac mortali vita convenit, & evenire solet; sicut Deo membra & actus corporei metaphorice adscribuntur. *Elevans oculos suos*, considerationem suam ad ea quæ supra se erant, dirigens, *cum esset in tormentis*, quæ multiplicis sunt generis in inferno damnatorum, *vidit Abraham a longe*, in loco scilicet quietis, a quo ipse longe remotus erat; *& Lazarum in sinu ejus*, felicitatis illius consortem. Miror quod alieni a Romanæ Ecclesiæ communione Interpretes, nostrorum de limbo Patrum sententiam fugillent, cum S. Augustinus antiqui & novi Testamenti Sanctos comparans, scripserit : „ Si non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret, profecto deinceps boni fideles, effuso illo pretio jam redempti, prorsus inferos nesciunt, donec etiam receptis corporibus bona recipiant quæ merentur. "

S. Aug. lib. 20. de Civit. Dei cap. 15.

24. *Et ipse clamans, dixit : Pater Abraham*; Patrem vocat, quia eo generis auctore gloriari solebant Judæi, ex quibus fuerat Dives ille epulo : *Miserere mei, & mitte Lazarum*, quem tecum in beata illa regione video placide quiescentem, quantum mutatum ab illo, qui ad januam meam jacebat, cujus nulla commiseratione tactus fui, cui nec micas panis de mensa mea cadentes mittere sum dignatus : mitte, precor, *ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Sensus est, Divitem qui olim Lazarum contempserat, nunc libenter illi supplicaturum, si aliquod vel minimum tantorum cruciatuum levamentum impetrare posset. *Crucior in hac flamma*. „ Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore „ spiritus, sicut ardebat apud inferos ille Dives (inquit „ S. Augustinus) nisi convenienter responderi cernerem, „ talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, „ & Lazarum vidit; qualis lingua cui humorem exiguum „ desideravit infundi, qualis digitus Lazari de quo id „ sibi fieri postulavit : ubi tamen erant sine corporibus „ animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma qua exarsit, & illa guttula quam poposcit; quales etiam sunt „ visa dormientium sive in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. Nam „ & ipse homo cum spiritu, non corpore, fit in talibus „ vitiis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, „ ut discernere omnino non possit. At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, „ corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, ut & hominum & dæmonum; solida hominum, „ aeria dæmonum; aut tantum hominum corpora, cum „ spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus, „ hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam, „ corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, „ sicut Veritas dixit. "

S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. 10.

25. 26. *Et dixit illi Abraham : Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur*, solatio, quiete, certa beatitudinis exspectatione magnis interim gaudiis sustentata fruitur, *Tu vero cruciaris*. Textus Græcus habet : ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου *Recepisti bona tua* : id est, bona tibi a Deo destinata : *Bona tua* : non tam vere quam opinione tua bona : illa quæ tu vera, immo summa bona duxisti; quibus usus es non ut tibi creditis sub certa lege ac modo, sed ut plane propriis; in quibus denique fiduciam tuam posuisti. *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Sic bonorum malorumque vices a Deo sunt constitutæ, ut quibus hic optime est, iis plerumque in altera vita pessime sit. *Et in his omnibus*, præterea, *inter nos & vos magnum chaos firmatum est*, abyssus magna, *immensa distantia sublimitatis ac profunditatis* (ut loquitur Tertullianus.) *Ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare* : Ut impossibile sit sortis nostræ mutationem fieri : & nos ex loco quietis & beatitudinis ad locum tormentorum descendere ut vobis opem feramus; aut vos ex inferis emergere & ad superas sedes ascendere. Omne inter nos & vos commercium magna voragine intercluſum est.

27 28. *Et ait* Dives : *Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum*, nempe Lazarum, *in domum patris mei : habeo enim quinque fratres, ut testetur illis*, ut eos commonefaciat ut certus & oculatus testis eorum quæ hic aguntur, *ne & ipsi* meum exemplum secuti *veniant in hunc locum tormentorum*.

29. *Et ait illi : Habent Moysen & prophetas*, id est, scripta Mosis & Prophetarum : quæ per omne Sabbatum in Synagogis leguntur, & de vita recte instituenda, bonorumque & malorum finibus satis superque illos docent, illis credant, & obediant.

30. At *ille dixit : Non, Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*. Non audient illos; sed si aliquem audiant a mortuis redivivum, credent ejus verbis, & mores perditos emendabunt. Privato sui amore, magis quam fratrum, pro illis rogat Dives, metuens ne ex eorum consortio, quos ad similem morum dissolutionem & immisericordiam exemplo suo provocaverat, tormenta sua augerentur.

S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 33.

31. Ait autem illi : *Si Moysen & prophetas non audiunt*, si illis non credunt, quorum sacrosancta auctoritas est, utpote qui Spiritu sancto inspirante locuti sunt; *neque si quis ex mortuis resurrexerit*, eosque commonefaciat de bonorum & malorum sorte in altera vita, *credent*; tantum abest ut mores in melius sint emendaturi. Quod Abraham dicit : *Habent Moysen & prophetas*, non istos Evangelio præposuit; sed quia Evangelium, sicut dicit Apostolus, testimonium habet a Lege & prophetis, illis credendo posse eos significat ad Evangelium pervenire. Sicut alio loco ipse Dominus dicit, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi : ille enim de me scripsit*. Denique ad hoc pertinet quod dicit : *Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Quia eum prænuntiaverunt Moyses & prophetæ qui surrexit a mortuis, hoc ipsum etiam de illo quod resurrecturus esset a mortuis, quibus non credendo utique nec Christo volunt credere. Multo minus ergo cuilibet possunt credere qui a mortuis resurrexerit, quando ei non credunt, cujus resurrectionem Moyses & Prophetæ prædicaverunt, quibus credere nolunt.

S. Aug. lib. 2. Quæst. Evangel. Quæst. 38. n. 4. Rom. 3. 21.

Joan. 5. 46. Luc. 16. 31.

SENSUS MORALIS.

1. 2. HOMO *quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, & ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare*. Dei villici & œconomi sumus. Nostra non sunt talenta, nostra non sunt bona, quæ nostræ fidei credidit, ut illis ad salutem nostram & sanctificationem, quæ voluntas ejus est, uteremur. Solus ille vere dives est, cujus est aurum, argentum, orbis terræ, & plenitudo ejus, a quo acceperunt, quicumque bona aliqua habent, cujuscumque sint generis, animi, corporis, fortunæ, naturæ, gratiæ. Qui bonis illis non utuntur secundum ejus voluntatem, & legem ab eo præscriptam, dissipant bona domini sui. De illorum usu rationem exiget accuratam in hora mortis nostræ : *Redde rationem villicationis tuæ*. Nunc orandum, nunc laborandum est, ut talentis, bonis, divitiis nobis creditis recte utamur; quia tunc tempus non erit amplius orandi, & laborandi : *Venit enim nox in qua nemo operari potest*. Bonis omnibus in perpetuum privati, a domo Domini exterres, æternam patiemur egestatem, ad impotentiam recte agendi & orandi redacti. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco*. Curam Animæ nostræ geramus, illi confidamus in futurum. Bona Domini nostri in nostram utilitatem arte innoxia & sancta convertamus; pauperes, qui ejus sunt amici, nobis conciliemus. Ipsorum est præcipue regnum cœlorum, patrimonium illorum est & hæreditas : intercessione sua apud Dominum efficient, ut ad illius possessionem & nos admittamur, si illorum inopiam sublevemus. Prudentiam infidelis œconomi imitemur. Utamur lumine fidei nostræ in negotio & periculo æternitatis & salutis nostræ, sicut ille suæ rationis lumine usus est in negotio temporali : prudentia Spiritus utamur, sicut ille usus est prudentia carnis, prudentia sæculi. Vera prudentia est, sic temporalibus uti bonis, ut consequamur æterna : vera prudentia est divitiis uti ceu mediis & instrumentis ad salutem. *Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis*. In hac Parabola non omnia debemus ad imitandum sumere. „ Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus : aut eos a quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tamquam debitores Dei „ & Domini nostri fas est intelligi; cum justi & sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicaverint : de quibus etiam dicit, quod si „ quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam : „ sed etiam e contrario ducuntur iltæ similitudines, ut „ intelligamus si laudari potuit ille a Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo, qui „ secundum ejus præceptum illa opera faciunt. *Redde rationem villicationis tuæ*. Rationem petit Dominus, „ non

S. August. lib. 2. Quæst. Evangel. Quæst. 34.

„ non ut exigat, sed relaxet: petit ut petatur: petit hic,
„ ne petat ibi: petit in sæculo, ne petat in judicio: pe-
„ tit cito, ne pœnarum tempus satisfactionis tempus ex-
„ cludat. *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim*
S. Petr. Chrys. ser. 125. „ *non poteris villicare*. Venit finis vitæ, tempus mortis,
„ jam te apparitio superna constringit, jam judicium vo-
„ cat. Festina ergo, ne satisfactionis tempus perdas,
„ qui tempus operis perdidisti. *Redde rationem*. Hoc est,
„ compone rationem, compone tua, ne reddas mea....
„ *Ait intra se, Quid faciam?* Semper homo bona facere
„ tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. *Ait*
„ *intra se*. Quærit intra se consilium, qui foris, unde
„ sibi jam succurreret, non habebat. *Fodere non valeo*.
„ Non vires isti, sed tempora defecerant ad laborem.
„ *Mendicare erubesco*. Confusionem futuri judicii perti-
„ mescit, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœ-
„ narum, & ubi *reus plus de conscientia, quam de ge-*
„ *hennæ erubescit incendio*. MENDICARE ERUBE-
„ SCO. Et quis non erubescit in cœlestibus mendicare?
„ Miser, quem temporalitas habuit divitem, mendicum
„ sempiternitas possidebit: & habebit hunc nudum tar-
„ tarus, quem locupletum suscipere cœlum potuit. "

S. Ambr. lib. 7. in Luc. n. 245. 9. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de Mammo-*
na iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æter-
na tabernacula. Divitiæ plerumque sunt vel fructus, vel
semina iniquitatis & injustitiæ; per eleemosynam fiunt
fructus caritatis, & semina æternæ gloriæ. De illis ini-
mici fiunt, cum avara manu reconduntur & retinentur
vel in sumptus inanes, illegitimos, vitiosos effunduntur:
De illis fiunt amici, qui nos in æterna tabernacula re-
cipiant, cum liberali manu in pauperes erogantur. *Fa-*
cite vobis amicos de Mammona iniquitatis. „ Largien-
„ do pauperibus, Angelorum nobis, ceterorumque San-
„ ctorum gratiam comparemus. *Non Domini* sumus, *sed*
„ *potius alienarum villici facultatum*. Pulchre autem
„ iniquum Mammona dixit; quia variis divitiarum alle-
„ cebris nostros avaritia tentat affectus, ut velimus ser-
„ vire divitiis. "

S. Aug. ser. 111. alias 35. de verbis Domini. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum*
defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. „ Qui
„ sunt qui habebunt tabernacula æterna, nisi Sancti Dei?
„ Et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula
„ æterna, nisi qui eorum indigentiæ serviunt, & quod
„ eis opus est, hilariter subministrant? Recordemur in
„ novissimo judicio Dominum esse dicturum eis qui sta-
„ bunt ad dexteram ejus: *Esurivi, & dedistis mihi man-*
„ *ducare*, &c. Et cum illi quærerent quando ei obse-
„ quia ista præbuissent, respondit, *Quando uni ex mini-*
„ *mi meis fecistis mihi fecistis*. Isti minimi sunt, qui re-
„ cipiunt in tabernacula æterna... Illi sunt, qui omnia
„ sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quicquid ha-
„ buerunt pauperibus distribuerunt, ut Deo sine sæculari
„ compede expediti servirent, & ab oneribus mundi li-
„ beratos, velut pennatos sursum humeros tollerent.
„ *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*. Hoc qui-
„ dam male intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid
„ inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod
„ præceptum est... Nolo sic intelligatis. De justis labo-
„ ribus facite eleemosynas: ex eo quod recte habetis, da-
„ te. Non enim corrupturi estis judicem Christum, ut
„ non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim
„ deprædareris aliquem invalidum tu validior & poten-
„ tior, & veniret tecum ad judicem hominem quemlibet
„ in hac terra, si tu de præda & spoliatione illa inopis
„ dares aliquid judici ut pro te judicaret, judex ille vel
„ tibi placeret? Nempe pro te judicavit, & tamen tanta
„ vis est justitiæ, ut & tibi displiceat. Noli tibi talem
„ pingere Deum, noli collocare in templo cordis tui ta-
„ le idolum... Nolite eleemosynas facere de fœnore &
„ usuris... Zacchæum imitemini, qui, si quem de-
„ fraudasset, reddebat quadruplum. "

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. „ Mam-
Luc. 19. S. Aug. ibid. „ mona iniquitatis divitiæ sunt sæculi omnes, undecum-
„ que congregentur. Pecunia est, quam nomine divitiarum
„ appellat iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ
„ sunt. Talibus Job nudus abundabat, quando Deo cor
„ plenum habebat, & laudes Deo perditis omnibus rebus
„ tamquam gemmas pretiosissimas proferebat. Istæ autem
„ ab iniquitate appellantur divitiæ. Habes illas, non re-
„ prehendo: hæreditas venit, pater tuus dives fuit, &
„ dimisit tibi. Honeste acquisisti: de justis laboribus ple-
„ nam domum habes, non reprehendo. Tamen etiam sic
„ noli illas dicere divitias. Nam si dicis illas divitias,
„ amabis illas; & si amaveris illas, peribis cum illis.
„ *Perde, ne pereas: dona, ut acquiras: semina, ut me-*
„ *tas*. Has divitias noli appellare, quia veræ non sunt,
„ paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus.
„ Quales divitiæ sunt, propter quas latronem times? Si
„ veræ divitiæ essent, securitatem tibi darent. Ergo
„ illæ sunt veræ divitiæ, quas cum habuerimus, perdere
„ non possumus. Ab illis temporalia bona dicuntur divi-
„ tiæ, *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera*
„ *eorum dextera iniquitatis*, &c. *Beatum dixerunt popu-*
„ *lum cui hæc sunt*: sed, *Beatus populus cujus Dominus*
„ *Deus ejus*. Dicis quod beatum te facit fundus tuus. Qua- *Psal. 143.*
„ re? Quia inde vivis. Attende unde vivas. Ille est unde vi-
„ vis, cui dicis: *Apud te est fons vitæ*. O Domine Deus no- *Psalm. 35.*
„ ster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Cum tenue- 10.
„ rimus te, nec te perdemus, nec nos peribimus. "

10. 11. 12. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fi-*
delis est: & qui in modico iniquus est, & in majori ini-
quus est. Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis:
quod vestrum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles *S. Gauden-*
non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis? Divitiæ bo- *tius sermo-*
na sunt modica & contemptibilia, falsa, aliena, secun- *ne de Villi-*
dum verba Christi, qui veritas est. Christiani sumus pro- *co iniqui-*
pter vitam æternam. Sola bona cœlestia & æterna magna *tatis.*
sunt, vera, nostra. „ Dominus Jesus salutarium mandato-
„ rum verus Magister discipulos suos vel tunc Apostolos,
„ vel nunc universos credentes invitare volens ad elee-
„ mosynas fideliter exercendas, similitudinem proposuit
„ villici, ut exemplo hujus personæ nihil nostrum in hoc
„ sæculo esse signaret, sed dispensationem nobis credi-
„ tam facultatum Domini nostri, vel ad utendum ex eis
„ sufficienter cum gratiarum actione; vel ad distribuen-
„ dum conservis, prout cuique opus est: nec licere no-
„ bis passim facultatibus abuti commissis, aut expensas
„ usurpare superfluas, cum sit erogationis ratio Domino
„ venienti reddenda. "

Si in iniquo Mammona fideles non fuistis, quod verum *S. Gaud.*
est quis credet vobis? „ Quis ei qui terrenas facultates, *ibid.*
„ iniquitatis plerumque materiam suggerentes, dispensare
„ fideliter nescit, committendas putet esse veras cœle-
„ stium rerum divitias; quibus fidelis distributor ac justus
„ rite meritoque perfruitur? Nam *Gloria & divitiæ in*
„ *domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.* *Psal. 3.3.*
„ Subdit Christus Dominus: *Et si in alieno fideles non*
„ *fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Profecto
„ enim quicquid in hoc sæculo est, alienum nobis est,
„ qui retributionem futuram sperantes, velut hospites &
„ peregrini in hoc mundo conversari jubemur, ut unus-
„ quisque nostrum securus Domino audeat confiteri: *Ad-*
„ *vena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes pa-* *Psal. 38. 13.*
„ *tres mei*. Propria vero credentibus & æterna possessio
„ est illa cœlestis, ubi esse cor & thesaurum nostrum no-
„ vimus, ubi jam toto affectu mentis per fidem nobis
„ habitare præsumimus. Quoniam *Conversatio nostra in* *Philip. 3.*
„ *cœlis est*. Nostrum est igitur cœlorum regnum, si pol- 20.
„ licenti Domino in humilitate cordis & spiritus man-
„ suetudine serviamus. *Beati* enim *pauperes spiritu, quo-*
„ *niam ipsorum est regnum cœlorum*. Quod utique regnum
„ non potest adipisci omnis qui in alieno hujus sæculi
„ patrimonio temporarie sibi credito idoneus ac fidelis
„ dispensator non fuerit.... *Non potestis Deo servire*
„ *& mammonæ*. Dei enim Christi servos atque discipu-
„ los imperare oportet pecuniæ, non servire: ne dum
„ cupiditati ejus obedimus, a caritate servitutis ejus do-
„ minante pecunia separemur. Dispergendæ ergo sunt
„ pecuniæ indigentibus secundum præceptum Creatoris
„ omnium Dei: quoniam neque nostræ sunt, neque illas
„ sine iniquitate ac sui pernicie avarus quisquam deti-
„ net. Gravis pecuniarum sarcina est, quæ tenacium
„ sui mentes avaritiæ pondere ad terram deprimit, nec
„ emergere ad superna, cœlumque suspicere, ubi vita
„ nostra est, omnino permittit... Quoniam vero arcta
„ & angusta via est quæ ducit ad vitam, oneratos divi-
„ tiarum terrestrium fascibus ingredi per illam non ca-
„ pit. Expeditos quærit ac tenues, omnique continen-
„ tia castigatos, & (ut ita dixerim) filo gracili simi-
„ les: qui etiam per foramen illius mysticæ acus facile
„ transeant, spirituales effecti. "

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. „ Mul- *S. Joan.*
„ ta est enim eleemosynæ vis, sunt pauperes vestrorum *Chrys. Hom.*
„ animorum medici, benefici, patroni, ac defensores. *in Crucem,*
„ Non enim quantum accipis, tantum tribuis. Das pecu- *& quomo-*
„ niam, & cœlorum regnum accipis. Solvis paupertatem, *do Joseph.*
„ ac tibi Dominum placabilem reddis. Vides haud pa- *fuerit fi-*
„ rem esse retributionem. Hæc in terra, illa in cœlo. *gura Chri-*
„ Hæc pereunt, illa manent. Hæc intereunt, illa omni *sti.*
„ superiora labe existunt. Id causæ etiam cur majores
„ nostri præ sacrarum ædium foribus pauperum stationem
„ collocarunt, ut vel segnissimum alienissimumque ab hu-
„ manitate pauperum aspectus eleemosynæ admoneret...
„ Quemadmodum enim in templorum atriis ac vestibulis
„ fontes haberi mos olim erat, præsertim in Oriente,
„ ut Deo preces oblaturi manus abluerent, & mundas
„ illas in preces extenderent: sic pauperes fontium loco
„ pro foribus majores statuerunt ut sicut aqua manus ab-
„ luebant, sic eleemosynis animæ sordes abstergerent,
„ sicque preces funderent. Neque enim aqua sic macu-
„ las corporis detergit, ac eleemosynæ vis animæ sor-
„ des emundat "

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. „ Damna- *S. Pauli-*
„ tur in Lege qui pecuniam suam dederit ad usuram, *nus Epist.*
„ & munera super innocentes acceperit: ecce Evange- 12. *ad Se-*
„ lii gratia ostendit nobis quomodo eadem crimina ad *verum.*
„ innocentiam sanctitatemque commutentur; nec pœ-
„ næ, sed præmii retributio consequatur, si tantum

„ in

„ in præcepta divina salutaris cupiditate fidei convertamur. Da ad usuram pecunias tuas, sed Christo, & „ salutaris usura est. Item in sæculo corrupti muneribus „ reorum judices condemnantur: sed quisquis homo præventus in aliquo peccato, diffidens innocentiæ tuæ, „ affers pretium salutis tuæ judici nostro, ne verearis quasi „ corruptionis injuriam justitiæ Dei facere. Accipit a „ te Christus libens salutis tuæ pretium; quia mavult misericordiam, quam sacrificium .... *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Vicissitudine quadam copiæ & inopiæ humanum genus temperatur, ut „ intelligamus consilium communis Auctoris, quo divitem pauperi, & pauperem diviti præparavit; ut abundans egenti substantia alimoniæ sit, & opulento inops „ materia justitiæ, *ut fiat æqualitas:* & in illo sæculo 2. Cor. 8. 14. „ repensanda illis egestate præsenti opibus æternis, redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra isthic abundantia ad illorum indigentiam commodaverit. Seminemus ergo illis carnalia, ut metamus ab „ illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, ut „ tunc de cælestibus anima reficiatur. Spes præsens ædificet rem futuram. Faciamus isthic tecta, quæ nos illic tegant. Pascatur isthic pauper, ubi me divite eget; „ ut me illic pascat, ubi me egente saturabitur. „

S. Paulinus de Gazophylacio sive de beneficentia in pauperes. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* „ Fœneremur Domino de bonis Domini: „ Nihil enim sine ejus munere possidemus, sine cujus „ nutu nec ipsi sumus. Et nos præcipue quid nostrum putemus, qui majori & speciali debito non sumus nostri? & non solum quia facti a Deo, sed & „ empti sumus sanguine Domini; quo pretio & viles & „ venales esse desistimus, quia vilior servitute libertas „ liberum esse justitiæ. Talis enim liber servus peccati, „ & captivus est mortis. Sua igitur Domino dona referamus: demus illi qui in omni paupere accipit..... „ Bonorum nostrorum non eget, qui omnia dedit: sed „ immensa ejus justitia pariter & bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi munera invicem fieri, ut sibi „ materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus est: „ & tibi faciat meritum quod digne recipias quod justum est. Deus qui, quantum in ipso est, vult omnem „ hominem salvum fieri, quia in omni homine opus „ suum diligit, impense largiturus est de suis opibus, si „ tu tibi ipse non sis invidus & avarus de iis quæ Deus „ tua fecit, non ut causa tibi ad mortem, sed ut pretium ad vitam forent. O abundantia bonitatis Dei! „ Vult fœnerari ex iis quæ ipse largitus est, cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram. Propera igitur tam uberem „ tibi adstringere debitorem, ut & amicum te ex servo „ vocet, & in tuis terrestribus nummis te expertus fidelem, de suis cœlestibus thesaurus divitem faciat. „ Ne trepides, ne cunctaris, ne parcas. Esto violentus Deo, rape regna cœlorum. Qui vetat aliena contingi, sua gaudet invadi: & qui damnat avaritiæ „ rapacitatem, laudat fidei rapinam... Potuerat Dominus omnipotens æque universos divites facere, ut „ nemo indigeret altero: sed infinitæ bonitatis consilio „ sic paravit misericors & miserator Dominus, ut tuam „ in illis mentem probet. Fecit miserum, ut agnosceret „ misericordem. Fecit inopem, ut exerceret opulentum. „ Materia divitiarum tibi est fraterna paupertas, si intelligas super egenum & pauperem; nec tibi tantum „ habeas quod accepisti; quia ideo & illius partem tibi „ in hoc sæculo contulit Deus, ut tibi deberet quicquid „ de suis donis tuo voluntario affectu indigentibus obtulisses, ac te vicissim in æterna die de illius parte diceret. Per ipsos enim nunc accipit Christus, & tunc „ pro ipsis rependet. „

S. Asterius Amaseæ Episcopus Homil. in Parabolam de Œconomo iniquo. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* „ Dei sunt quæcumque possidemus. Horum nobis usus dumtaxat permissus est, dispensatio „ credita. Recordare, si forte accidit, ut aliquando „ per æstivum tempus iter agens, viridem arborem conspiceres, patulam illam & altam, lataque aptam umbra, ut vel domus impleret vicem. Hujus tu delectatus amenitate subisti umbram, subque ea, quamdiu „ licuit, commoratus es. Quia vero iterum abire oportebat, cogitante te ut discederes, alius quispiam viator „ accessit: ac tu quidem sarcinam sustulisti; ille deposuit, „ tuaque omnia statim excepit, stratum, ramorum umbram, aquam præterfluentem; cœpitque ille recubare, „ tu tuum prosequi iter. Delectatus est & ille, tuumque „ reliquit tectum: eademque ipsa arbor una die decem „ forte hospitum ad breve tempus diversorium fuit; ac „ quæ omnibus usu patuit, unius erat veri domini. Haud „ aliter vitæ hujus facultates, ac bona, cum multos delectent ac pascant, dominio tamen ad solum attinent „ Deum, qui immortalem possidet vitam. Vidisti quoque „ commune diversorium, quo contigit agentem iter divertere. Mutata inde accepisti, cum nihil intulisses, lectum, mensam, poculum, discos, aliaque omnis generis vasa. Ubi autem necdum iis quantum satis videba-

Nat. Alex. In Evang.

„ tur usus esses, supervenit alius anhelabundus ac pulverulentus, urgens te, atque a diversorio exire compellens, alienaque ceu propria repetens. Talis est omnino vita nostra, ac si quid dictis transitorium magis ac „ caducum est... Ne sensuum quidem nostrorum sumus „ Domini, sed œconomi, cum secundum legem Domini „ iis uti debeamus. Quicquid enim legibus ac præceptis „ adstringitur, servum plane ac obnoxium legislatori esse „ noscitur. Quod si ne ipsæ quidem corporis nostri partes ac membra libera suique juris existunt, sed Domini voluntate ad functiones suas diriguntur; quid his „ dicemus, qui sibi persuadent, auri se, argenti, agrorum, ceterarumque rerum, nullis obnoxiam rationibus „ obtinere possessionem? *Nihil, o homo, tuum est. Servus es, tuaque omnia Domini sunt. Servus enim „ non habet peculium liberum*. Secundum Domini legem ac mandata opes tuas, immo opes ejus dispensa, „ da esurienti, tege nudum, cura male affectum, ne „ egenum ac in triviis projectum neglexeris. „

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est, &c. „ Hoc speciatim de Prælatis Ecclesiæ dictum S. „ Bruno Signinus Episcopus interpretatur. Majora igitur „ Ecclesiæ negotia, inquit, eis committenda, & credenda non sunt, qui in vita privata fideles non extiterunt, „ & de illo modico quod habebant, pietatis & miseri- „ cordiæ opera non fecerunt. At vero illos in prioratu „ fore fideles dubitare non debemus, quos de modico „ quod possident, libenter aliis subvenire videmus. Sic „ enim Apostolus præcepit Episcopos non cupidos esse, „ nec turpis lucri sectatores. Valde igitur considerandum est in electione Præpositorum, quales in „ modico fuerint, & quid pietatis & misericordiæ habuerint: quoniam qui in modico fideles non sunt, in „ magnis quoque fideles non sunt. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?* Si de divitiis, quæ fugitivæ, & fallaces, „ & transitoriæ sunt, misericordiam non fecistis, quis „ Ecclesiæ regimen, quod verum & sanctum est, & sine „ dolo dispensari debet, vobis credere & committere audeat? „ Noverint Ecclesiastici Viri, se bonorum Ecclesiasticorum multo minus esse dominos; œconomos & dispensatores dumtaxat se esse meminerint. Bona enim Ecclesiæ sunt *oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum* (ut sacri Canones loquuntur).

S. Bruno Signinus in hunc locum.

14. *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari; & deridebant illum*. Veritas cupiditatem impugnans ab hominibus sæculo deditis plerumque contemnitur & irridetur. Veritatem amant lucentem, oderunt eam redarguentem. Sed Deus non irridetur. In eorum qui verbum suum contempserunt interitu ipse quoque ridebit, illosque subsannabit. Dei verbis minus afficiuntur avari; cum enim animos eorum terrenos reddat cupiditas, fidem, cujus objectum sunt bona cœlestia & invisibilia, in illis pene extinguit.

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide*. Divitiarum amor, luxus, lautiores epulæ, misericordiæ erga pauperes defectus, ad divitum damnationem sufficiunt. Vita enim Christiana quæ mortificationis & pœnitentiæ vita est, cum molli, delicata, & voluptaria vivendi ratione non convenit. Quæ conventio crucis cum deliciis; paupertatis & humilitatis Christi cum fastu & luxu divitiarum; amoris hujus vitæ, carnalis quietis, mundi, cum pugna adversus cupiditates, cum studio salutis, cum desiderio bonorum æternorum? Non nominatur dives, tantum habet commune naturæ nomen homo, proprium autem nequitiæ suæ crudelitatem.

Homo quidam erat dives. „ Homo corporis specie, „ animi sensu bellua: dives possessionibus, sed & dives cri- „ minibus; dives auro, sed egenus in Christo; cui multa „ vestis erat, sed animam nudam habebat. Purpurea illi „ vestis erat, sed a Dei regno ejectus erat. Epulabatur „ & delectabatur, non ut justi in Domino, sed in omnibus sensuum illecebris.

S. Joan. Chrys. de Lazaro & Divite.

20. 21. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*. „ Habuisset fortasse „ aliquam excusationem dives, si Lazarus pauper & „ ulcerosus ante ejus januam non jacuisset, si remotus „ fuisset, si ejus inopia non esset oculis importuna. „ Rursum si longe esset dives ab oculis ulcerosi pauperis, minorem toleraret in animo tentationem pau- „ per. Sed dum egenum & ulceratum ante januam divitis & deliciis affluentis posuit, in una eademque „ re & ex visione pauperis non miserenti diviti cumulum „ damnationis intulit, & rursum ex visione divitis tentatum quotidie pauperem probavit. Quantas namque „ hunc egenum tentationes creditis in sua cogitatione toleravisse, cum ipse egeret pane, & non haberet „ etiam corporis salutem; atque ante se divitem cerneret „ salutem & delicias habere cum voluptate? Se dolore & „ frigore affici, illum gaudere conspiceret, & byssо &

S. Gregor. M. Hom. 40. in Evang.

„ purpura veſtiri? ſe deprimi vulneribus, illum difluere „ acceptis rebus; ſe egere, illum nolle largiri? Quantus „ tus in corde pauperis tumultus tentationis fuit? Certe ad pœnam ſufficeret paupertas, etiamſi ſanus fuiſſet: ſuffeciſſet ægritudo, etiam ſubſidium adeſſet: ſed „ ut probaretur amplius pauper, ſimul hunc & paupertas & ægritudo tabefecit: atque inſuper videbat procedentem divitem obſequentibus cuneis circumfulciri, „ & ſe in infirmitate & inopia a nullo viſitari. „ *Ex una ergo re omnipotens Deus duo judicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante januam divitis jacere permiſit, ut & dives impius damnationis ſibi augeret ultionem, & tentatus pauper creſceret ad remunerationem. Conſpiciebat ille quotidie cui non miſereretur: videbat iſte de quo probaretur. Duo inferius corda, ſed unius deſuper inſpector, qui & hunc tentando exercebat ad gloriam: & illum tolerando exſpectabat ad pœnam.*

Homo quidam erat dives, &c. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*, &c. Dives iſte purpuratus & ſplendidus non accuſatur quod avarus fuerit, quod res alienas rapuerit, quod adulter fuerit, non quia crimen aliud commiſerit; ſola in illo condemnatur ſuperbia, immiſericordia, vita mollis & voluptaria.

S. Jo: Chryſoſt. Hom. 1. de Divite & Lazaro.

Dives ille in hac vita miſer, Lazarus felix. Nam juſtis & ea quæ in futuro ſunt ſæculo, & ea quæ hic ſunt, multam præbent voluptatem; improbi vero Divites tum illic puniuntur, tum hic diſcruciantur exſpectatione futuri ſupplicii; malæ conſcientiæ carnificina, in qua gravis peccatorum tumultus, jugis metus, tempeſtas, turbatio, cogitationum interior accuſatio; prava apud probos omnes & æquos rerum æſtimatores opinio. Juſti autem, etiamſi hic innumera perpetiantur acerba, bona tamen ſpes alit illos & conſolatur, habentque voluptatem firmam, ſtabilem, & immobilem; & poſt hæc innumera illos manent bona, quemadmodum & Lazaro accidit... Non ideo miſer Lazarus, quia ulceribus plenus in corpore; ſed ideo miſer dives, quia ulceribus plenus in animo, nullam illorum curam gerebat. Ulcera Lazari lingebant canes: Divitis peccata lingebant dœmones: & quemadmodum hic fame cibi, ita ille fame omnis virtutis tabeſcebat. Ex animi bonis ac malis quiſque felix æſtimandus aut miſer. Beatior itaque juſtus pauper, æger, derelictus; quam improbus dives, byſſo & purpura indutus, numeroſo ſtipatus famulitio, ſplendidis epulis quotidie recreatus... Divites, ne putetis divitias aliquid eſſe magni, ſi deſit virtus. Pauperes, ne judicetis paupertatem eſſe malum. Lazarum attendite veritatis utriuſque doctorem. Etenim ſi hic in paupertate non eſt indignatus, quam veniam merentur qui id faciunt in divitiis? Si fame, tantiſque malis oppreſſus gratias egit, quid excuſationis afferent, qui rebus affluentibus nolunt ad eamdem pervenire virtutem? Rurſus pauperes qui indigne moleſteque ferunt egeſtatem, quam impetrabunt veniam, cum hic in fame, penuria, ſolitudine, & adverſa valetudine vitam aſſidue trahens juxta ædes divitis, & ab omnibus neglectus, deſpectus, derelictus, tam admirabilem patientiam exhibuerit ſpectaculum dignum Deo, Angelis, & hominibus... Ab hoc diſcamus non pro beatis habere divites, neque pro miſeris habere pauperes. Immo ne dives quidem ille eſt qui multis opibus abundat, ſed qui multis non eget. Nec is pauper eſt qui multa poſſidet, ſed qui multa concupiſcit. Nam mentis affectu, non facultatum modo, paupertas & opulentia æſtimandæ ſunt. Quemadmodum igitur eum qui perpetuo ſitit, non dixerimus recte valere, etiamſi copia rerum affluat, etiamſi juxta fluvios ac fontes accumbat: ſic homines qui nullum ponunt modum cupiditati, ſanos & vere divites ne exiſtimetis.

S. Chryſ. Orat. 2. de Lazaro.

22. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Divites non magis mors reveretur, quam pauperes: æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres; omnes æquat, omnes in pulverem redigit. Pompam funeris inſpice, aliquam adhuc conditionum animadvertes differentiam: tumulos aperi & ſcrutare cineres, vermes, ſœtorem, putredinem utrobique videbis: cinerem divitis, a cinere pauperis diſcernere non valebis. At juſti pauperis, & mali divitis ſors longe diverſa. Lazarus in ſinum Abrahæ, in locum quietis & ſempiternæ felicitatis ab Angelis vehitur: en quo ducit via anguſta per quam inceſſit. Dives a Dæmonibus in inferno ſepellitur: en quo ducit via ſpatioſa per quam ambulavit; en quo ducit vita mollis & voluptaria; en quo ducit amor divitiarum, ſuperbia, luxus, immiſericordia erga pauperes; en quo ducit deſtituta virtutibus proſperitas. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. VÆ qui opulenti eſtis in Sion... Ingredientes pompatice domum Iſrael.... Qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem Pſalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.*

Job 21. 13. *Amos* 6.

Morte Lazari, & divitis mutatæ ſunt utriuſque vices: innotuit omnibus uter fuerit vere dives, uter egenus & pauper; quodque Lazarus opulentiſſimus, Dives epulo pauperrimus fuerit. Quemadmodum enim actores in ſcena, Regum ac Ducum perſonas, item Medicorum ac Rhetorum, Sophiſtarum, ac Militum aſſumentes ingrediuntur, cum ipſi nihil horum ſint: ſic ſane & in præſenti vita paupertas ac divitiæ nihil aliud ſunt quam perſonæ. Sicut igitur in theatro ſedens, ſi quem videris ex iis qui inferius ludunt, perſonam gerentem Regis, non judicas eum beatum, neque Regem eſſe credis, imo nec ipſe optaveris eſſe talis; nec ipſum magnifacis ob veſtem pretioſam, ſed ob conditionis permanentis vilitatem deſpicis: ſic in hoc mundo velut in theatro ſedens, & quaſi in ſcena ludentes ſpectans, ubi videris complures divites, ne putes vere divites eſſe, ſed divitum perſonis obtectos cogita. Pauperior omnibus plerumque eſt, qui divitias terrenas habet, in malum ſuum ſcilicet congregatas, nec afferentes ſatietatem, ſed inflammantes cupiditatem. Detrahe illi perſonam, conſcientiam conſidera, ſcrutare animum, graviſſimam illic invenies virtutis inopiam, omniumque hominum abjectiſſimum & indigniſſimum reperies. Detrahetur autem divitibus perſona ſeu larva qua in hac vita induti ſunt, coram Dei tribunali, & apparebunt quales ſunt in animo, egeni, miſeri, ſpurci, fœtidi, nudi, horribiles. *Quia dicis, quod dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus... Eſt quaſi dives, cum nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit. Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ.*

S. Chryſ. ibid.

Apocal. 3. 17. *Proverb.* 13. 7.

23. *Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus.* Infernus carcer eſt, mortis ſecundæ locus, centrum tormentorum. Quicquid in omni ſuppliciorum genere acerbum eſt aut cogitari poteſt, Dei juſtitia in infernum congeſſit ad pœnam reproborum. Ibi oculos aperire & attollere coguntur, quos in terra & rebus terrenis defixos ſemper habuerunt, dum in hoc mundo viverent. Felicem juſtorum ſortem agnoſcunt, ad incrementum ſupplicii, cumulumque deſperationis. Sic dives epulo quo acerbius excrucietur, cernit Lazarum in ſinu Abrahæ ſuaviter quieſcentem. „ Quemadmodum enim „ Deus Adamo e Paradiſo ejecto, ex adverſo Paradiſi ſedes aſſignavit, quo creber ejuſdem conſpectus conceptum „ dolorem ſubinde inſtauraret, eaque ratione bonorum e „ quibus exciderat jacturam magis ſentiret: ita Lazarum, „ ad cruciatuum illius augmentum, divitis hujus aſpectui objecit. *Vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus.* Fruſtra reſpicit Lazarum ſurſum, qui ante deorſum Lazarum videre deſpexit. De talibus ait „ Propheta, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* „ Longe illi erat Abraham, cui non fuerat proximus „ pauper. Vidit Abraham divitiarum conſortem, ſed inhumanitatis exortem. Abraham dives, ſed plus humanitate quam cenſu: Dives epulo inhumanitate inſignior „ quam divitiis. Abraham ſibi peregrinus, civis hoſpitum fuit: Dives epulo palatia poſſidens tectum pauperi negavit. Abraham ſervos ſuſcipiens, Dominum recipere meruit: Dives epulo ſingulari pauperi negans „ micas, ſtillam refrigerii perdidit. „

Titus Boſtrorum Epiſcopus in hunc locum. S. Petr. Chryſol. ſerm. 66. Pſ. 16. 11.

24. *Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma....* SUPERBUS *temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille perveniebat ad micam: ille vero non perveniebat ad guttam.* Mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno. *Si ſic moriuntur ſuperbi rerum ſuarum conſervatores, & nihil inde pauperibus largientes; quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas?* Mitte Lazarum ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *Quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune: ſed lingua plus ardet, quæ miſericordia ut fieret, jubere neglexerit. In lingua majus ſentit incendium, quæ maledixit pauperi, miſericordiæ contradixit. Lingua in tormentis prima eſt, quæ derogando pauperi, pauperis blaſphemavit Auctorem.* Similia tormenta divitibus ſuperbis & immiſericordibus in futuro ſæculo parata ſunt, ut raptoribus rerum alienarum. *ſiquidem & hoc rapina eſt, non impartiri de tuis facultatibus.* Hinc Dominus Judæos increpans per Prophetam, ait: *Produxit terra proventum ſuum, & non intuliſtis decimas, ſed rapina pauperis eſt in domibus veſtris.* Quoniam, inquit, oblationes ſolitas non dediſtis, rapuiſtis ea quæ ſunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans divitibus quod res pauperum poſſident, etiamſi paterna hæreditate obvenerint; etiamſi undecumque aliunde collegerint pecunias. Et alibi ait: *Fili, eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſvertas a paupere.* Sive, ut habet alia Verſio, *Ne ſpolies vitam pauperis*: „ Qui autem ſpoliat, aliena tollit. Et ſpoliatio vere dicitur,

S. Aug. ſerm. 102. alias 24. de Verbis Dom. S. Petr. Chryſ. S. Jo: Chryſoſt. Orat. 2. de Lazaro. Malach. 3. 10. ſecundum Verſionem Græcam.

„ citur, cum aliena accepta detinemus. Discant igitur „ divites, qui eleemosynam pro facultatum suarum ratione non faciunt, quod supplicio afficientur non secus ac „ qui aliena rapuerunt. Pecuniæ enim Domini sunt, undecumque eas collegerimus: & illis plura possidere „ concessit non ut in luxum, ludos, splendidas epulas „ omnemque molitiem effundant, sed ut egentibus distribuant. Quemadmodum enim receptor quispiam qui regias pecunias accepit, si neglexerit iis, quibus jussus „ est, distribuere, & in proprias delicias consumpserit, „ damnatur peculatus, & gravissimas dat pœnas: ita divites receptores sunt Dominicarum pecuniarum, quas „ distribuere jnbentur conservis egentibus.„ Quamobrem si quid amplius, quam postulat necessitas sua & suorum, necessitas (inquam) vitæ statusque, in proprios ac domesticos sumptus expenderint, gravissimas in futuro sæculo pœnas dabunt. *Non enim sunt ipsorum quæ possident*, (superflua) *sed conservorum. Parcamus igitur iis tamquam alienis, ut fiant nostra. Quomodo autem illis parcemus tamquam alienis? Si illas non in usus supervacuos insumpserimus, sed pauperibus erogave-*

S. Chrys. Orat. 3. de Lazaro. *rimus.*

25. *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Vix aliquis ita desperate malus est, ut bonum aliquod opus non faciat; ideo & reprobis mercedem aliquam temporalem Deus rependit. Nemo ita perfecte justus est ut non peccet: ideo & bonos temporalibus pœnis Deus expiat. Utrumque declarat Pater credentium his verbis Divitem compellans: *Recepisti bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala:* id est, si quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hanc in mundo recepisti, deliciis affluens & divitiis. Et si quid hic mali fecit, id expiavit fame, inopia, ulceribus. „ Ambo nudi ad Dei tribu„ nal perveniistis, ille peccatis, tu justitia. Quamobrem „ hic æterno solatio, tu sempiternis suppliciis cruciaris. „ Cum igitur aliquem videris improbam vitam agentem, nec acerbi quidquam & adversi in hoc mundo „ patientem, ne beatum illum putes, sed desle potius „ & deplora, velut tristia omnia & acerba in futuro „ sæculo perpessurum, quæ sors divitis epulonis fuit. „ Rursus ubi videris aliquem virtutis studiosum, innumeris in hac vita affligi molestiis, felicem existima, ut „ qui & hic omnia peccata sua diluerit, & illic mul-

Lactantius lib. 6. „ tam habeat paratam mercedem, quemadmodum eve„ nit Lazaro. „ *Hæ sunt scilicet viæ, quas Deus humanæ vitæ assignavit, in quibus singulis & bona ostendit & mala, sed ordine præpostero atque converso. In una enim monstravit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui est ordo melior: in altera temporalia prius bona cum æternis malis, qui est ordo deterior: ut quicumque præsentia mala cum justitia delegerit, majora & certiora consequatur bona quam fuerunt illa quæ sprevit: quisquis autem præsentia bona præposuerit justitiæ, in majora & longiora incidat mala quam fuerunt illa quæ fugit.*

S. August. serm. 41. alias 11. ex editis a Sirmondo. *Recordare quia recepisti bona in vita tua.* „ Hæc „ ergo vita quam vides, non est tua. Percepisti bona „ tua. Hæc ergo quæ de longinquo suspiras desiderans, „ non sunt tua. Percepisti bona tua in vita tua: Hæc „ enim bona tua existimasti: alia non credidisti, non speraste: percepisti illa in vita tua. Illam enim solam vitam tuam putasti, quando post mortem nihil futurum „ speraste, nihil triste timuisti. Percepisti ergo bona „ tua in vita tua: Lazarus autem mala. Non dixit, *sua*, „ sed *mala*, quæ homines putant, quæ homines timent, „ quæ homines pro magno devitant. Bona sua non percepit, nec tamen perdidit. Sicut autem non additum est, *sua*; sic nec hoc additum est, *in vita sua*. „ Alia enim erat vita ipsius, quam sperabat in sinu Abrahæ. Nam hic mortuus erat, hic non vivebat: illa „ morte mortuus erat, quam dicit Apostolus, *Mortui „ enim estis, & vita vestra abscondita est cum Chri-*

Coloss. 3. 3. „ *sto in Deo.* Pauper mala temporalia ferebat: Deus „ autem bona ejus differebat, non auferebat. Quid ergo, Dives, apud inferos desideras, quod cum divitiis „ fruereris, non speraste? Nonne tu es ille, qui pauperis contemptor Moysen Prophetam irridebas? Noluisti „ ergo fidem possidere cum proximo in paupertate ejus, „ modo frueris bonis ejus? Irrisisti eum, quando audisti,

Eccl. 22. 28 „ *Fidem posside cum proximo in paupertate ipsius, ut „ & bonis ejus perfruaris.* Modo vides longe bona „ ejus, & non cum eo possides. Ventura enim erant illa „ bona, ventura invisibiliter. Quando enim non videbantur, credenda erant, ne quando videntur, remaneret „ tibi, dolere posse, & non posse tenere. „

S. Petr. Chrys. ser. 66. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala &c.* „ Pauper dives vulnere, censu nudus, exutus corpore, vestitus pœnis, animam „ quam solam non tegebant vulnera, Deo in hostiam jugiter offerebat. Hinc est quod recepit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis „ immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerii fontem, pro fame cœlestis mensæ delicias „ sempiternas; & quem divitis angulus non cepit, sinus „ divinæ consolationis includit. Tu dives, fulgens quondam purpura, nunc tegere fimo; pro coccino vestire „ flammis, pro molli discubitu sustine tormentorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopia „ compensa; ebrietates siti digere: pro odoribus aspergere fetore. Ista enim tibi despiciendo pauperem ta„ liter tu mutasti. „

26. *Et in his omnibus, inter nos & vos magnum chaos firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Duplex damnatorum pœna. 1. Pœna damni, seu beatitudinis æternæ, quæ Deus est, privatio. *Cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe & Lazarum in sinu ejus.* 2. Pœna sensus, ignis supplicium; *Crucior in hac flamma.* Utraque æterna & sine fine. Nullum cœlum inter infernumque commercium. Nulla inter Sanctos & reprobos post mortem societas. Permanens & inamissibilis illorum beatitudo, ex qua se numquam excidere posse certissime sciunt: æterna istorum pœna, ex qua se nunquam evadere posse noverunt. A Christi corpore æternum separati, a Sanctorum societate æternum exclusi: tormentorum loco æternum alligati: in stagno ignis & sulphuris sine fine cruciandi. Nulla spes redemptionis. *Magnum chaos inter nos & vos firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* „ Sanctorum scilicet ani„ mæ, quamvis misericordes, tunc tamen Dei justitiæ „ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla „ ad reprobos compassione moveantur. Ipsæ quippe Judici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere „ non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia „ tantum illos tunc a se videbunt extraneos, quantum „ & ab eo, quem diligunt, Auctore suo conspiciunt repulsos. Nec injusti ergo ad beatorum sortem transeunt, „ quia damnatione perpetua constringuntur: nec justi ad „ reprobos transire possunt, quia electi jam per justitiam „ Judicis, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. „

S. Gregor. M. Hom. 40. in Evang.

27. *Et ait: Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Perversus & inordinatus amor quo reprobi consanguineos suos vel alios dilexerunt, in eis permanet ut magis torqueantur. Pars damnationis est ac tormenti æterna illorum exprobrationes pati, quos male dilexerunt, & quos malis exemplis suppliciorum suorum confortes fecerunt. Dives qui consanguineis suis divitias reliquit, instrumenta vitiorum, & vitæ mollis ac voluptariæ, durique & immisericordis erga pauperes animi præbuit exempla, gravius inde punitur in inferis. Incrementum illud pœnarum suarum ut avertat Dives epulo, Abrahamo supplicat ut mittat Lazarum ad fratres suos commonefaciendum, ne & ipsi in hunc locum tormentorum veniant. Verum nulla desideria, nullæ preces in inferis exaudiuntur, quia sola charitas impetrat quod postulatur. *Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, &c.* „ Impuden„ ter præsumit aliis impetrare pœnitentiam, qui sibi tam „ crudeliter ad veniam nihil providit. Putas quod quin„ que fratribus tuis sufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus suis, toto clamans corpore nihil „ profecit? "

S. Petr. Chrys. ser. 122.

29. *Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* 30. *At ille dixit: Non, Pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* 31. *Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Vidit Dives sibi negatam misericordiam, quia ipsam negaverat. Vidit quod verum esse, *Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam.* „ Et qui noluit suo tempore „ pauperis misereri, fratrum suorum sero miserius est, „ Ille qui cum fratribus suis solebat irridere Prophetas, „ & (ut verisimile est) de Prophetis monentibus bona, „ prohibentibus mala, terrentibus de tormentis futuris, „ & futura præmia promittentibus dicere solebat, Quæ „ vita post mortem; quæ memoria putredinis; qui sensus „ cineris? Omnes illuc feruntur, sepeliuntur; quis inde „ reversus auditus est? Recolens hæc verba sua; propterea volebat Lazarum redire ad fratres suos, ut jam „ non dicerent, Quis inde reversus est? Et ad hoc apte „ digneque responsum est. (Videtur enim fuisse Judæus, „ & propterea dixisse, *Pater Abraham.*) Si *Moysen & „ Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, credent.* Impletum est in Judæis, quia Moysen „ & Prophetas non audierunt, nec Christo resurgenti „ crediderunt. Nonne hoc illis ante prædixerat? *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* "

S. Augustin. ser. 41. alias 11. ex editis a Sirmondo. *Jac. 2. 13.*

Joan. 5. 46.

Si Moysen & Prophetas non audiunt, &c. „ Major „ Scripturarum fides, quam redeuntis defuncti. Omnis „ enim mortuus servus est: quæ vero Scripturæ loquun„ tur, verba sunt Domini. Proinde etiamsi mortuus, re„ vivi-

S. Chrys. Orat. 4. de Lazaro.

„ viviscat, etiamsi Angelus e cœlo descendat, maxime „ & præ omnibus credendum est Scripturis. Nam an„ gelorum, hominumque mortuorum pariter ac viven„ tium Dominus illas condidit. Præterea, illos qui de„ siderant ut mortui illuc redeant, fidem eorum quæ in „ altero sæculo aguntur facturi, supervacanea quærere, „ etiam ab hujus mundi tribunalibus demonstratur. Ge„ henna non videtur incredulis: credentibus enim per„ spicua est, & manifesta. Tribunalia videntur, quoti„ dieque audivimus quod ille supplicio affectus est, illius „ proscripta bona, alius operatur in fodinis, alius vivus „ combustus est, alius alio supplicii genere periit: & ta„ men hæc cum audiunt mali, facinorosi, malefici, non „ emendantur. Multi frequenter in criminibus depre„ hensi, postea quam pœnam effugerunt, perfossoque „ carcere elapsi sunt, eadem rursus, & multo graviora „ crimina perpetrant. Ne igitur quæramus audire a „ mortuis, quæ multo clarius quotidie nos sacræ litteræ „ docent. Nam si novisset Deus, quod mortui excitati „ viventibus essent ad salutem profuturi, id nequaquam „ omisisset, qui cuncta nobis utilia procurat. Ad hæc „ si assidue erant excitandi mortui, nobisque renuntiatu„ ri, quæ in altera vita geruntur, hoc ipsum progressu „ temporis fuisset contemptum: perversa etiam dogmata „ facile diabolus invexisset. Potuisset enim frequenter „ ostendere phantasmata & inania simulacra, aut subor„ nare, qui mortem ac sepulturam simularent, ac se „ rursus ostenderent quasi a mortuis excitatos, ac per „ illos quæcumque vellet persuadere delusis hominibus: „ quemadmodum Pseudoprophetas, Pseudoapostolos, Pseu„ dochristos excitavit, ut homines in errorem pertraheret. Sed Deus præclusit illi viam ad has insidias, no„ strique misertus, non permisit ut mortui propterea re„ surgerent, ut quæ in altera vita aguntur hominibus „ nuntiarent: docens nos ut Scripturis potius credamus, quam ceteris omnibus testimoniis. Deus nam„ que res multo clariores, illustrioresque quam ipsa fo„ret resurrectio mortuorum, nobis commonstravit: or„ bem convertit universum, errorem abegit, veritatem „ induxit, per homines piscatores & viles hæc omnia „ peregit. Moysen & Prophetas habemus; Christum, „ quod majus est, & Apostolos, audiamus illos. „ Scripturas legamus ut Epistolam omnipotentis Dei ad nos missam, summa cum veneratione, fide, obedientia. Secundum illas sentiamus, secundum illas vivamus. In omnibus dubiis, angustiis, languoribusque nostris, ad Scripturarum divinum lumen oculos mentis convertamus, adoranda verba Scripturarum meditemur, ut *per consolationem Scripturarum spem habeamus*. Qui Scripturæ non credit, Christi & Apostolorum miracula referenti, & credendi ac recte vivendi regulam continenti; nec miraculis crederet. Filius Dei de cælis descendit ut Evangelium suum, ut pœnitentiam, ut Regnum cælorum nobis prædicaret: mortuus est, & ab inferis, quo descenderat, reversus, resurrexit, ut suam prædicationem confirmaret. Frustra quis sibi persuadeat illos qui pœnitentiam non agunt Christo prædicante, & prædicationem suam tam invictis argumentis, & signis confirmante, pœnitentiam acturos, si vel Angelus de cælo, vel mortuus e tumulo prodiret, ejus necessitatem incredulis annuntiaturus.

Rom. 15. 4.

Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Divinarum Scripturarum lectioni assidue vacare Christiani homines debent. „ Neque vero quisquam vanas illas & „ absurdas excusationes prætexat: Ego forensibus causis „ affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, „ uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, sæ„ cularis homo sum; non est meum legere Scriptu„ ras, sed eorum qui mundo valedixerunt, qui solitu„ dinem petierunt, qui continentiam profitentur. Quid „ ais? Non est tui negotii Scripturas evolvere, quo„ niam innumeris curis distraheris? Imo tuum magis est „ quam illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum „ egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis „ jactati. Nam Monachi quidem a foro forensibusque „ negotiis liberi, quippe in deserto fixere tuguriola, ne„ que cum quoquam habent commercium, velut in por„ tu tuti tranquille Deo serviunt. Nos contra velut „ in medio mari fluctuantes, innumerisque peccatis ob„ stricti, opus habemus perpetuo jugique Scripturarum „ solatio. Illi procul a conflictu sedentes, multa vulne„ ra non accipiunt: tibi vero quia perpetuo stas in acie, „ quia frequentes accipis plagas, magis opus est reme„ diis, ut quem & uxor provocat, & filius contristat, „ atque ad iram commovet, & cui insidiatur hostis, & „ invidet amicus, & vicinus infectatur, & commilito sup„ plantat, & paupertas est molesta, & domestico:um „ amissio luctum affert, & prosperitas inflat, & adver„ sitas contrahit: variæ iracundiæ, variæ curarum, va„ riæ perturbationis, variæ mœroris, variæ jactantiæ, „ variæ tumoris occasiones nos undequaque circumvallant, „ innumeraque ex omni parte tela volitant; unde neces„ se est indesinenter a Scripturis arma sumere ... Carnis „ concupiscentiæ acrius insurgunt adversus eos qui in ho„ minum vivunt frequentia, quos & decora facies, & „ corporis nitor capit per oculos, & verbum obscœnum „ per aures ingressum demulcet, ipsorumque sæpe turbat „ rationem, & arte modulata cantiuncula constantiam ani„ mi labefacit. Opus igitur habemus divinis remediis, „ quo & acceptis vulneribus medeamur, & ea quæ infli„ gi possunt prohibeamus, eminus venientia diaboli spi„ cula extinguentes, depellentesque per assiduam Scriptu„ rarum lectionem. Neque enim fieri potest ut quisquam „ salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione „ spirituali. Immo præclare nobiscum agitur, etiamsi „ perpetuo hujus medicamenti participes, aliquando fa„ latem consequi possimus. Quod si quotidie vulneremur, „ medelam vero nullam adipiscamur, quæ fuerit spes sa„ lutis? Nonne vides opifices omnia artis instrumenta ha„ bere parata & integra, quamvis compellat fames, af„ fligat inopia, omnia sustinere potius, quam illa ven„ dant; potius mutuum accipere ad usuram, quam illa „ oppignerent. Norunt enim quod illis divenditis vel op„ pigneratis ars ipsis inutilis futura sit; illis autem ma„ nentibus, contractum æs alienum dissolvere aliquando „ possint, artem exercentes suam. Hoc sane animo simus „ oportet: quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt „ malleus, incus, forceps: sic & nobis instrumenta sunt „ Apostolorum ac Prophetarum libri: *Omnisque Scriptu„ ra divinitus inspirata, est utilis ad docendum, ad* 2. Tim. 3. 16. „ *arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in ju„ stitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bo„ num instructus*. Et quemadmodum opifices per artis „ instrumenta suæ, quidquid faciendum susceperunt, perfi„ ciunt: sic & nos per sacros libros animam nostram quodam„ modo fabricamus, depravatam corrigimus, inveteratam „ renovamus. Et artifices quidem formam rebus corporeis „ addunt, sed vasorum materiam arte sua immutare non „ possunt: Tu vero ligneum vas acceptum aureum redde„ re potes Scripturarum lectione: *Vas*, inquam, *in ho„ norem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus* 2. Tim. 2. 21. „ *bonum paratum*. Sacros igitur libros penes se habeat „ legat, meditetur, quisquis salutis suæ studiosus est. „ Quemadmodum enim arma regalia ædibus, ubi reposita „ sunt, multam præbent custodiam ac munimen, dum „ latrones & scelerati eas aggredi, perfodere, di„ ripere non audent: sic ubicumque fuerint libri spiri„ tuales, illinc arcetur vis omnis diabolica, multaque in„ habitantibus accedit consolatio: quandoquidem ipse sa„ crorum librorum aspectus segniores nos redit ad pec„ candum. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter „ quam in sacris adytis rebus divinis initiata Anima re„ purgatur, meliorque reddetur, Deo cum ipsa per Scri„ pturam suam colloquente. „

„ Inanis autem est eorum excusatio, qui divinæ „ Scripturæ lectionem negligunt, quod eam se non „ intelligere prætexant. Quis enim historias, mira„ cula, morumque præcepta non intelligit? Non in„ telligis? (inquis) Quomodo intelligere posses, qui „ ne leviter quidem inspicere ac legere curas? Sume „ librum in manus, lege historiam omnem, & quæ „ perspicua sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt „ frequenter percurre. Quod si lectionis assiduitate sen„ sum eorum quæ scripta sunt assequi non valeas, „ accede ad sapientiorem, vade ad doctorem .... Ma„ gna adversus peccatum munitio est Scripturarum le„ ctio: magnum præcipitium Scripturarum ignoratio: „ magna salutis perditio, nihil scire ex divinis le„ gibus: ea res & hæreses peperit, & vitam „ corruptam invexit, & sursum deorsum miscuit omnia. „ Nam fieri non potest ut quis sine fructu discedat, „ qui assidue, attento, fideli, pioque animo Scriptu„ ras Sacras perlegit. Ne testamentum Patris, ne Dei „ verba, ne cibum animæ, ne vulnerum pharmaca ino„ strorum, ne armamentarium in quo gladii & clypei „ adversus salutis nostræ hostes pugnaturis necessarii in„ veniuntur, negligamus. Hæc enim propter nos scripta „ sunt.

S. Joan. Chrys. Orat. 3. de Lazaro.

CAPUT XVII.

Sensus Litteralis.

1. 2. ET ait JESUS *ad Discipulos suos: Impossibile est ut non veniant scandala*, spectata hominum propensione ad malum, & Dei providentia, qui melius convenientiusque judicavit ex hæresibus quæ sanam fidei doctrinam adulterant, ex schismatibus quæ unitatem scindunt, ex criminibus quæ mores corrumpunt, bona elicere, quam scandala omnipotentiæ suæ vi penitus impedire. *Væ autem illi per quem veniunt*, qui scilicet aliis causa est offensionis. *Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus*, collo ejus alligetur, *ut projiciatur in mare* (quod supplicii genus pecu-

peculiare fuisse videtur Palæstinis) *quam ut scandalizet unum de pusillis istis*: id est, quam ut alicui causam vel occasionem det prava doctrina aut malis exemplis, a fide vel divinæ legis observantia deficiendi. Confer cum *Matthæi* 18. 7. & *Marci* 9. 41.

3. 4. *Attendite vobis*. Cavete ne alicui offensionis & spiritalis ruinæ causa sitis, etiam iis a quibus injuria estis affecti: *Si peccaverit in te frater tuus*, quivis homo, quem habere debes ut fratrem, jure naturæ matris unius, *increpa illum*, corripe, argue; fortior quidem, ut vitium expugnes, sed in spiritu lenitatis, ut fraternam cures ægritudinem: & *si pœnitentiam egerit*, si culpam agnoscat, & veniam petat, dimitte illi. *Et si septies in die*, id est, sæpius, frequentissime *peccaverit in te*, & *septies in die* de illata dolens injuria *conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me: dimitte illi*. Confer cum *Matthæi* 18. 15. & 21. cum *Levitici* 19. 17. 18. ubi legimus: „ Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed; publice „ argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæ„ res ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. „ *Et Ecclesiastici* 19. 15. 16. 17. 18. Corripe amicum, „ ne forte non intellexerit, & dicat, Non feci: aut si „ fecerit, non iterum addat facere. Corripe proximum, „ ne forte non dixerit; & si dixerit, ne forte iteret. „ Corripe amicum, sæpe enim fit commissio. Et non „ omni verbo credas. Est qui labitur lingua, sed non ex „ animo . . . Corripe proximum, antequam commineris. „ Et da locum timori Altissimi. "

5. *Et dixerunt Apostoli Domino*: *Adauge nobis fidem*: Non esse donum Dei humiliter agnoscentes. Explicatione ergo indiget quod scripsit S. Augustinus, cum Presbyter adhuc esset, in Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos: „ Nostrum est enim credere & vel„ le, illius autem dare credentibus & volentibus facul„ tatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem „ caritas diffunditur in cordibus nostris. *Id enim* verum „ est quidem, sed eadem regula, & utrumque ipsius est, „ quia ipse præparat voluntatem: & utrumque nostrum, „ quia non fit nisi volentibus nobis " (ut ipsemet Augustinus explicat.)

R Aug. lib. 1 Retract. c. 23.

6. Dixit autem Dominus: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, id est, quæ minima videatur, sed tamen firmam & caritate ferventem, *dicetis huic arbori moro*: erit in vestra potestate dicere huic arbori: *Eradicare*, & *transplantare in mare*: & *obediet vobis*. Confer cum *Matthæi* 17. 19.

7. 8. 9. 10. *Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem*, aratorem, aut pastorem ovium, *qui regresso de agro dicat illi*: qui dicat illi, postquam de agro reversus est: *Statim transi, recumbe*: Accede, & mecum sede ad mensam. *Et non dicat ei*: *Para quod cœnem*, para mihi cœnam, & *præcinge te*, & *ministra mihi donec manducem & bibam*: stes præcinctus (qui mos erat ministrantium servorum in regionibus ubi vestes oblongæ ferebantur) donec mihi cœnanti ministraveris: & *post hæc tu manducabis & bibes? Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?* An illi devinctum se putat herus, & gratias agit pro ministerio? *Non puto*. Non solum enim quicquid a domino præscribitur servus agere tenetur, sed omnes operas suas domini sui commodis devovere. *Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis* a Deo, ne illum vobis putetis debitorem. Vobis enim nihil debet ratione operum vestrorum, quæ ipsi debentur omnia ut supremo Domino; quamvis ratione promissionum suarum & ex mera misericordia, vobis æternæ mercedis debitor sit: sed *dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*. Præcepta hic non opponuntur consiliis, sed fusiori significatione sumitur præcepti nomen pro omni actu virtutis, pro omni opere Deo grato, etiam quod sponte fit ut nostrum in Deum amorem testemur. Et præceptis enim, & consiliis accurate præstitis, adhuc servos inutiles nos existimare ac profiteri debemus.

11. 12. 13. 14. *Et factum est, dum iret in Jerusalem*, postremo, *transibat per mediam Samariam & Galilæam*. Id est, per ipla confinia Galilææ Orientalis, & Samaritanæ regionis, non recta per Samariam, quod alioqui brevissimum erat iter. *Et cum ingrederetur quoddam castellum*: id est, cum jam proxime ingressurus esset, *occurrerunt ei decem viri leprosi* (Extra oppida enim degebant, procul ab aliorum hominum societate, qui hoc morbo laborabant) *qui steterunt a longe*, ut Lex jubebat, ne alios morbi contagione inficerent. *Et levaverunt vocem dicentes*: *Jesu præceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit*: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Id est alicui Sacerdotum, ad quos spectabat lepræ judicium. *Et factum est, dum irent* Hierosolymam, concepta recuperandæ valetudinis fiducia, *mundati sunt*. „ Solemnia Le„ gis in curatione decem leprosorum prævenit, quos tan„ tummodo ire jussos ut ostenderent se Sacerdotibus, in „ itinere purgavit, sine tactu jam & sine verbo, tacita „ potestate, & sola voluntate; quasi necesse sit semel re„ mediatore languorum & vitiorum annuntiato Christo, „ & de effectibus probato, de qualitatibus curationum „ retractari: aut Creatorem in Christo ad Legem provo„ cari; si quid aliter quam Lege distinxit, ipse perfe„ cit: cum aliter utique Dominus per semetipsum opere„ tur, sive per Filium: aliter per Prophetas famulos suos; „ maxime documenta virtutis & potestatis; quæ ut cla„ riora & validiora, qua propria, distare a vicariis fas „ est . . . . . Igitur quoniam ipse erat authenticus „ Pontifex Dei Patris, inspexit illos secundum Legis ar„ canum, significantis Christum esse verum disceptatorem „ & elimatorem humanarum macularum. Sed & quod „ in manifesto fuit Legis, præcepit: Ite, ostendite vos „ Sacerdotibus. Cur, si illos ante erat emundaturus? „ An quasi Legis illusor, ut in itinere curatis ostenderet „ nihil esse Legem cum ipsis Sacerdotibus? Et utique vi„ derit, si cui tam opiniosus videbitur Christus; immo „ digniora sunt interpretanda & fidei justiora: Ideo illos „ remediatos, qui secundum Legem jussit abire ad Sacer„ dotes, obaudierant: neque enim credibile est emeruis„ se medicinam a destructore Legis observatores Legis. „ Sed cur pristino Leproso nihil tale præcepit? . . . . . „ Disce causas. In Samariæ regionibus res agebatur, „ unde erat & unus interim ex Leprosis. Samaria au„ tem desciverat ab Israele, habens schisma illud ex de„ cem Tribubus, quas avulsas per Achiam Prophetam „ collocaverat apud Samariam Jeroboam. Sed & alias „ semper sibi placentes erant Samaritani de montibus & „ puteis patrum . . . Itaque qui & per Amos, *Væ* di„ xerit eis *qui confident in monte Samariæ*; jam & ip„ sam restituere dignatus, de industria jubet ostendere se „ Sacerdotibus, utique qui non erant nisi ubi & Tem„ plum, subjiciens Samaritam Judæo, quoniam ex Judæ„ is salus Israelitæ & Samaritano. Tota enim promissio Tri„ bui Judæ Christus fuit: ut scirent Hierosolymis esse „ & Sacerdotes & Templum & matricem religionis, & „ fontem, non puteum salutis. Et ideo, ut vidit agno„ visse illos Legem Hierosolymis expungendam, ex fide „ jam justificandos sine Legis ordine remediavit. Unde „ & unum illum solutum ex decem, memorem divinæ „ gratiæ Samaritem miratus, non mandat offerre munus „ ex Lege; quia jam satis obtulerat, gloriam Deo red„ dens, hoc & Domino volente interpretari Legem. Et „ tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando „ nec Israelites alium Deum usque adhuc didicisset? Cui „ alii, quam cui omnes remediati retro a Christo? Ideo „ *Fides tua te salvum fecit*, audit: quia intellexerat ve„ ram se Deo oblationem, gratiarum scilicet actionem, „ apud verum Templum & verum Pontificem ejus Chri„ stum facere debere. " *Ita hunc locum explicat Tertullianus*.

Joan. 4. 4. Josephus l. 20. Antiq. c. 5. & in Vita sua. Levit. 13. 46. Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 35.

15. 16. 17. 18. 19. *Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est*, ac pristinæ sanitati restitutus; *regressus est, cum magna voce magnificans Deum*, ejusque potestatem in Christo agnovit, prædicavit, adoravit: & *cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens*; & *hic erat Samaritanus*. *Respondens autem Jesus*, loqui incipiens, *dixit*: *Nonne decem mundati sunt*, & *novem* alii *ubi sunt? Non est inventus qui rediret, nisi hic alienigena*. Nemo ex illis decem ad me reversus est, ut gratias pro accepto beneficio ageret, nisi hic Samaritanus alienus a genere Israel. Et ait illi: *Surge, vade, quia Fides tua te salvum fecit*.

20. 21. *Interrogatus autem a Pharisæis*: *Quando veniet regnum Dei*, quando complebuntur quæ nobis promissa sunt de Messia super nos regnaturo? *Respondens eis dixit*: *Non venit regnum Dei cum observatione*, cum splendore mundano divitiarum, cum terrena potestate, cum regio satellitio, cum militaribus copiis & triumphali apparatu, ut carnalium hominum oculis observari possit. *Neque dicent*: *Ecce hic, aut ecce illic*. Non erit quod dicatur, In illo monte, aut in isto deserto est. *Ecce enim regnum Dei intra vos est*. In medio vestri est Messias quem exspectatis, ejusque dominatio, utpote spiritualis, in animos hominum per fidem & caritatem exercenda est.

22. 23. 24. *Et ait ad discipulos suos*: *Venient dies* persecutionum & tristitiæ, *quando desideretis videre unum diem Filii hominis*, vel una die frui præsentia mea visibili, quemadmodum nunc fruimini, & *non videbitis*. *Et dicent vobis*: *Ecce hic*, & *ecce illic* est Christus: multi enim surgent pseudochristi. *Nolite ire, neque illos sectemini*. Totam Judæorum Gentem in Discipulis suis Christum hic compellasse perspicuum est. *Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget*: *ita erit Filius hominis in die sua*. Sicut fulgur ab una cœli parte in alteram, ab Oriente in Occidentem coruscat, sic ergo subito veniam ad judicium. Alium enim Christi adventum frustra Judæi exspectant. Diem autem suum vocat diem adventûs sui ad judicium, quia cum gloria & majestate veniet ut electos suos remuneret, ultionemque de hostibus suis sumat, æternis illos suppliciis addicens. Quia vero Hierosolymorum excidium ultimi judicii typus fuit, hic etiam a Christo prænunciatum intelligi potest. Confer cum *Matthæi* 24. *vers.* 23. 24. 25. 26. & 27.

25. *Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac*. Antequam adveniat ille dies, oportet me multa pati, & reprobari a populo iſto, ut impleatur quod per Prophetam prædictum eſt: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: a Domino factum eſt iſtud*. *Pſal. 117. 22.*

26. 27. 28. 30. 31. *Et ſicut factum eſt in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis. Edebant, & bibebant; uxores ducebant, & dabantur virgines ad nuptias, uſque ad diem qua intravit Noe in Arcam: & venit diluvium* iſtius temporis hominibus improviſum & inexſpectatum, *& perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt* Sodomæ & Gomorrhæ *in diebus Lot*; ita fiet hominibus tempore ſecundi adventus Chriſti: *Edebant, & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant*: toti erant terrenis curis occupati, toti in voluptates immerſi, de Deo minime cogitantes, ejuſque judicia non reformidantes: *Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo*. Deus ignem ſulphureum in urbes abominandas immiſit, *& omnes perdidit. Secundum hæc erit*, id eſt, eadem fient, *quo die Filius hominis revelabitur*. In gloria ſua conſpicuus videbitur. *In illa hora qui fuerit in tecto, & vaſa ejus*, inſtrumenta & ſupellex *in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro ſimiliter* fuerit, *non redeat retro*, in domum, ut aliquid tollat, ſed fugiat ſine mora imminens exitium. Hieroſolymitanum excidium magis ſpectat hæc hypotypoſis, quam generale judicium: quamquam & ad illud ſecundum ſenſum moralem referatur. Confer cum *Matthæi* 24. 37. 38. 39. 17. & 18.

Theophyl. in hunc locum

23. 33. *Memores eſtote uxoris Lot*, cogitate quid illi acciderit: ſolummodo reſpexit retro, & periit. *Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere*, id eſt, ſemetipſum ab imminentibus periculis eximere, vitamque conſervare ſuam, deſerendo fidem, aut Chriſtianæ profeſſionis officia, *perdet illam*, ſeipſum perdet: *& quicumque perdiderit illam*; quicumque vitam ſuam certo periculo expoſuerit pro Deo, *vivificabit eam*: veram æternamque vitam ſibi procurabit. Confer cum *Matthæi* 10. 39.

34. 35. *Dico vobis, In illa nocte*, tempore ſcilicet adventus Chriſti ad judicium, quod ſanctis dies erit lætiſſima; reprobis vero nox horrenda, æternæ noctis initium: tempore illo calamitoſo, *unus aſſumetur*, e periculo educetur velut apprehenſa manu, *& alter relinquetur*, communi exitio *involvendus*. *Duæ erunt molentes in unum, una aſſumetur, & altera relinquetur: duo in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur*. Confer cum *Matth.* 24. 40. & 41.

36. 37. *Reſpondentes dixerunt illi* Diſcipuli, *Ubi, Domine?* Quo aſſumentur? Qui dixit illis: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. In aera ad me venientem in nubibus electi mei ex omnibus mundi partibus, ex omnibus locis & gentibus aſſumentur & congregabuntur, ſicut aquilæ ad cadaver, æternæ felicitatis pabulum in me, & per me habituri.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala: væ autem illi per quem veniunt, &c.* Væ illi qui fratribus, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, occaſionem ruinæ præbet prava doctrina, pravis conſiliis, pravis exemplis. Væ illi qui propriis gravatus peccatis, alienorum inſuper fit particeps reuſque peccatorum. Huic ſatius eſſet gravi ſupplicio vitam finire temporalem corporis, quam perpetuam Animæ mortem ſibi aliiſque inferre publico peccato & ſcandalo, quod ſpiritale homicidium eſt. *Puſilli* ſunt & infirmi qui ſcandalizantur levi de cauſa: verumtamen illorum infirmitati conſulendum fraterna caritate, quantum poſſibile eſt, & ab iis abſtinendum actionibus, aut verbis, quæ illis forent offendicula. Si tamen de veritate, aut de opere virtutis ſcandalum ſumitur, melius eſt ut permittatur ſcandalum naſci, quam ut veritas relinquatur. Non enim puſillorum ſeu infirmorum, ſed Phariſæorum, ſive inimicorum veritatis & juſtitiæ ſcandalum iſtud eſt; nec datur fratribus occaſio ruinæ, ſed illi ſoli ſibimetipſis ruinæ cauſæ ſunt, illa in perniciem ſuam vertentes, quæ ad eorum converſionem, vel ſpiritalem profectum & ædificationem deſtinata erant & ordinata. Chriſtianus quilibet regnum peccati cum in ſe tum in aliis deſtruere debet, ut bonus Miles Chriſti. Væ illi, qui regnum peccati, prava doctrina, conſiliis, auctoritate, exemplis ſtabiliens & propagans diabolo militat. *Ven. Beda.*

3. *Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Parum eſt caritati nullam offenſionis occaſionem præbere fratribus, ipſorum etiam ſaluti cooperari debet correptione fraterna. Quin etiam injuriæ nobis ab ipſis illatæ condonandæ ſunt. Ignoſcendum eſt fratri, ut tibi ignoſcatur. *Induite vos, ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos*. Ea conditione Deus nobis peccata dimittit, ut proximis, quod adverſum nos peccaverunt, dimittamus. Ea conditio in Oratione Dominica expreſſa eſt. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Qui mentitur in precibus, beneficio caret: qui mentitur in precibus & perdit cauſam, & invenit pœnam. Qui tibi dictavit preces, Advocatus eſt tuus; ſi mentiris, teſtis eſt: ſi non te corrigis, judex erit tuus. Ergo & dic, & fac. Quia ſi non dicis, contra jus petendo non impetras. Si autem dicis, & non facis, etiam mendacii reus eris. Vis accipere? da: Vis ut dimittatur tibi? dimitte. Ne inimicitias in corde noſtro retineamus. Plus enim inimicitiæ retentæ vitiant cor noſtrum. Ut ergo proximus utiliter corripiatur & pro ipſo & pro nobis, cum benignitate corripiatur; nobis ipſis attendamus, ne qua ſubrepat amaritudo, ne qua verborum acerbitas, qua vulnus exacerbaretur. *Attendite vobis*. Cum humilitate & lenitate corripite. „ Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo de- „ licto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in *Galat. 6. 1. 2* „ ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu ten- *3.* „ teris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebi- „ tis Legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid „ eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. " Nullum caritati & miſericordiæ erga fratres modum ponamus: ſiquidem quotidie in multis Deum offendentes, indigems ut nullum ſuæ erga nos miſericordiæ ponat modum. Dei erga nos bonitas, benignitas, potentia, noſtræ erga fratres bonitatis, benignitatis, & patientiæ lex & menſura eſſe debet. *Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi*.

Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, &c. Attendite, ut neque difficilis venia, nec remiſſa ſit indulgentia; ne quem vel auſtera percellat invectio, vel conniventia invitet ad culpam. Plus enim proficiet amica correptio, quam acculatio turbulenta: illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Unde Apoſtolus ait: *Nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem*. *S. Ambroſ. lib. 8. in Luc n. 21.* *2. Theſſal. 3 15.*

5. *Et dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem*. Fides fundit orationem, fuſa oratio impetrat fidei firmitatem. Tunc maxime neceſſaria fides, cum dimittendæ injuriæ, fallaque ultionis voluptas ſacrificanda eſt caritati. *Domine, adauge nobis fidem*. Fides eſt donum Dei. Hanc ille ſolus augere poteſt, qui dedit. Hinc Apoſtoli Domino dixerunt: *Adauge nobis fidem*: ut quæ jam accepta per initium fuerat, quaſi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. *Domine, adauge nobis fidem*; non ut arbores eradicemus, non ut montes transferamus, ſed ut pravas cupiditates eradicemus, arbores malas, quæ malos fructus faciunt; eaſque in mari pretioſi ſanguinis tui ſubmergamus. *S. Gregor. M. lib. 2. Moral. cap 14.*

10. *Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*. Cum toti ſimus Dei, jure creationis, jure redemptionis, illi debemus quicquid boni agere poſſumus. Deinde nihil boni operari, imo ne cogitare quidem poſſumus ex nobis; ſed pia deſideria, recta conſilia, & juſta omnia opera a Deo ſunt. In nobis ſine nobis bonam voluntatem operatur ut incipiens; idemque volentibus cooperatur ut perficiens. Præterea, nemo eſt cui non plurima peccata ſint condonata. Igitur nemo tantum præſtare poteſt, quin plus pro indulgentiæ beneficio debeat. Accedit quod in multis quotidie offendimus omnes, in ipſiſque operibus bonis multi defectus ſubrepunt. Unde quotidie opus habemus divina miſeratione. Nullum ergo præmium a Deo mereremur, ſi nobiſcum ſummo jure agere voluiſſet. Quod autem mereamur vitam æternam bonis operibus, totum eſt miſericordiæ, qua Deus nos evexit ad dignitatem filiorum ſuorum. Quamobrem *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit* (inquit S. Cyprianus,) *Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Hinc Salvianus: „ Non offerat totum pro debito, ſi debere ſe to- „ tum non putat pro reatu. Totum ergo peccator aliquis *Rom. 11. 35* „ oblaturus eſt? Imo nihil, ſi non cum fide: imo nihil, *Salvian.* „ ſi non cum ambitu (*id eſt, ſupplici devotione*) imo *lib. 1. ad* „ nihil, ſi non cum prece: imo nihil, ſi non hoc ani- *Eccleſ. Ca-* „ mo, ut hoc ipſum inter præcipua Dei beneficia repu- *thol.* „ tet quod animum offerendi dedit. "

Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus. Quis Chriſtianorum omnia, quæ præcepta ſunt, facit? Non ergo ſervi dumtaxat inutiles, ſed ſervi iniqui ſumus, digni qui multis vapulemus.

12. *Cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem Leproſi, qui ſteterunt a longe*. Lepra peccati nos a Deo longe removet. A Chriſti corpore ſeparatur, quicumque in mortale peccatum labitur. Putre membrum eſt Chriſto capiti non conjunctum, nec ejus vita vivens. Ad illum accedere incipit, ſi ſe indignum agnoſcat qui accedat, ſi ſtet a longe, & divinam miſericordiam humili oratione imploret. Magna voce, deſiderio & caritate, ac ferventi ardore ad Deum clamandum eſt per Jeſum Chriſtum Magiſtrum & Salvatorem noſtrum, qui duplicem lepram, ignorantiæ ſcilicet ac cupiditatis, gratiæ ſuæ luce

& cari-

& caritatis infusione sanet. *Et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.* Ad Sacerdotes ac Pastores, Pœnitentiæ & reconciliationis Ministros subinde se conferat peccator, secundum Christi præceptum: eis lepram suam ostendat, peccata confiteatur, qui scientiam habeant discernendi inter pollutum & mundum, nec admittant ad Sancta nisi perfecte mundatos, & in quibus nulla mali vestigia prioris, nullus peccati mortalis affectus, nulla ad proximas occasiones peccandi adhæsio remaneat. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Accepta denique reconciliationis gratia caveat peccator, ne ingrati animi vitio se reddat divinis beneficiis indignum. Liberatori suo gratias agat, & ad pedes ejus prostratus illum adoret atque glorificet, ut ille Evangelii Samaritanus, & dicat: *Fortitudinem meam ad te custodiam,* Psal. 91. 10. *quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

17. 18. *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* „ Decem Leprosi omne genus humanum Theoph. in hunc locum. „ designant lepra peccati infectum, & extra cœlestem „ Jerusalem propter immunditiam constitutum, & procul „ a Deo stans. Et hoc ipsum procul stare, speciem habet supplicandi. Misericordi enim & volenti omnibus „ benefacere, magna occasio est ad miserendum, nullum videre participem suæ bonitatis. Propter hoc enim „ inclinavit se, ut sanaret eos qui tam male habebant. „ Quamvis autem omnem naturam sanaverit lepra infectam, pro omnibus & incarnatus & mortuus: attamen „ Judæi, quamvis a Domino mundati fuissent a lepra „ peccati, ingrati fuerunt, & non aversi sunt a via vanitatis suæ, ita ut darent gloriam ei qui salvos eos „ fecerat, hoc est, ut crederent ei, quod cum Deus esset, extremam passionem tulerit. *Hæc enim est gloria „ Dei, caro & Crux.* Hi igitur incarnatum & crucifixum Dominum gloriæ non sunt confessi. Alienus autem populus Gentilium agnovit eum qui mundaverat, „ & glorificavit eum credendo quod tam misericors & „ potens sit Dominus, ut & propter nos vilissima tulerit, quod est misericordiæ; & cum pertulerit, nihil „ inde incommodi in suam naturam acceperit; quod potentiæ est. "

20. *Ecce regnum Dei intra vos est.* „ Volenti semper „ adest regnum Dei. Regnum enim Dei est Angelorum „ more vivere. Tunc enim vere dicitur regnare Deus, „ quando nihil mundanum Animabus nostris versatur, Theoph. in hunc locum. „ sed omnino aliter vivitur quam mundus solet. Hanc „ autem vitam intra nos habemus, hoc est, quando vo„ luerimus. Non enim longo tempore, neque longa peregrinatione est opus, sed prope nos est & fides, & „ post fidem divina vita. Hinc Apostolus ait: *Prope est* „ *verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum* Rom. 10. 8. „ *fidei quod prædicamus.* Credere enim, & secundum „ fidem ambulare, sicut dignum est vocatione, intra „ nos est. "

26. 28. *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis . . . Similiter sicut factum est in diebus Loth,* &c. Deploranda cæcitas & socordia hominum, qui naturalibus & civilibus actionibus toto vitæ tempore sunt occupati, & terrenis curis penitus immersi; de futuro sæculo, de æternitate, de regno Dei non cogitantes; de bonis operibus, quibus ad illud pervenitur, non curantes; quasi ad edendum & bibendum, ad emendum & vendendum, ad plantandum & ædificandum, ad congerendas opes, ad rem domesticam amplificandam, tantum creati essent. Inter hæc morte intercipiuntur, judicio divino sistuntur imparati, & in stagnum ignis & sulphuris detruduntur, æternum cruciandi, quia pœnitentiam non egerunt. Timete imminentem interitum & damnationem; neque vos evasuros præsumatis, quia tam nefaria forte non committitis peccata ac homines qui temporibus Noe vivebant, vel Sodomæ & Gomorrhæ cives. Nam & vulgaria delicta, quæ levia vel nulla homines plerumque existimant, eos plerumque in damnationem præcipites trahunt. „ Væ peccatis hominum, qui sola „ inusitata inhorrescimus (*inquit S. Augustin.*) usitata ve- S. Augustin. locus hic a Vener. Beda citatus. „ ro pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, „ quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se „ faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe „ tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque uti„ nam, o Domine, non omnia quæ non potuerimus pro„ hibere, faciamus!" Ad pœnitentiam igitur velut ad Arcam mysticam confugiamus: eam amplectamur ut naufragi alicujus tabulæ fidem; hæc nos peccatorum fluctibus Tertull. lib. de Pœnit. mersos prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Angelo, extra Sodomam nos trahenti, id est, gratiæ Dei pareamus. Deseramus cito peccandi occasiones, societates malas, ne iræ & terribili judicio Dei maneamus expositi: *Secundum hæc erit, qua die Filius hominis* Theophyl. in hunc locum. *revelabitur.* In foribus est; improvisus adveniet. Statutum est omnibus hominibus semel mori. Post hæc autem judicium. Nescimus quando venturus est Filius hominis. Igitur *qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat*

Natal. Alex. In Evang.

retro. Qui in summis est virtutibus, ne descendat propter temporale aliquod, & excidat a suo fastigio: sed resistat malitiæ, & non demulceatur. Et is qui in agro, similiter non revertatur ad ea quæ post se. Nam eum qui in agro est, hoc est mundo, & operatur virtutem, non oportet reverti ad ea quæ post se, sed urgeri ad anteriora. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. 9. 62

32. *Memores estote uxoris Loth.* Time verbum Domini dicentis: *Mementote uxoris Loth.* Et ipsa in via jam liberata de Sodomis, retro respexit; ubi respexit, ibi remansit: facta est statua salis, ut condiat te. Exemplo enim tibi data est, ut cor habens, non remaneas fatuus in via. Attende manentem, & transi: attende respicientem retro, & tu in anteriora extentus esto, sicut Paulus. Quid est, non respicere retro? *Quæ retro oblitus,* inquit. Ideo sequeris vocatus ad supernam palmam, de qua postea glorieris. Quia idem Apostolus dicit: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* S. Augustin. Enar. in Psal. 69. Philipp. 3. 13. 2. Tim. 4. 8.

Mementote uxoris Loth. „ Omnes spectat istud Domini „ Jesu monitum. Maritata mulier voluit facere adulte„ rium, de loco suo quo pervenerat retro respexit. Vi- S. Augustin. „ dua quæ jam sic permanere voverat, voluit nubere, Enar. in „ hoc voluit quod licuit ei quæ nupsit; sed illi non li- Psal. 75. „ cuit, quia de loco suo retro respexit. Virgo est casti„ monialis, jam dicata Deo; habebat & cetera quæ vere „ ornant ipsam virginitatem, & sine quibus illa virginitas turpis est. Quid si enim sit corpore integra, & „ mente corrupta? Quid est quod dixi? Quid si nullus „ tetigerit corpus, sed si forte ebriosa sit, superba sit, „ litigiosa sit, linguosa sit? Hæc omnia damnat Deus. „ Si antequam voviſſet nupsisset, non damnaretur: elegit „ aliquid melius, superavit quod ei licebat, superbit, & „ illicita tanta committit. Hoc dico, Nubere licet ante„ quam voveat, superbire numquam licet. O tu virgo Dei „ nubere noluisti, quod licet: extollis te, quod non li„ cet. Melior virgo humilis, quam maritata humilis; „ sed melior maritata humilis, quam virgo superba. Quæ „ autem respexit ad nuptias, non quia voluit nubere, „ damnatur; sed quia jam anteceſſerat, & fit uxor Loth „ respiciendo retrorsum. Non sitis pigri qui potestis, „ quibus aspirat Deus apprehendere gradus meliores: „ quia non ista ideo loquimur ut non voveatis; sed ut „ voveatis & reddatis: *Vovete & reddite Domino Deo* Psal. 74. „ *nostro.* Quia audisti, *reddite*, non vis vovere? Ergo „ vovere volebas, & non reddere? Immo utrumque fac. „ Unum sit ex professione tua, aliud ex adjutorio Dei „ perficietur. Aspice eum qui te ducit, & non respicies „ retro unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat; „ unde te educit, post te est. Ama ducentem, & non „ te damnat retro respicientem. "

CAPUT XVIII.

Sensus Litteralis.

1. *Dicebat autem JESUS Parabolam ad illos,* ad Discipulos & eos qui illum sequebantur: *Quoniam oportet semper orare & non deficere.* Quæ quidem Parabola eo spectabat, ut assidue & perseveranter orandum esse doceret, nec desponendum esse animum prætædio, aut impetrandi desperatione, aut ob rei petitæ dilationem.

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat & hominem non verebatur:* & timore Dei, & hominum pudore vacuus, cui nec conscientiæ cura, nec famæ. *Vidua autem quædam erat* deserta & contempta *in civitate illa, & veniebat* crebro *ad eum dicens: Vindica me,* id est, defende me *de adversario meo:* ab improbo homine qui me opprimit, eripe me pro ratione officii tui jus dicendo. *Et nolebat* illam ab injuria tueri *per multum tempus. Post hæc autem* cum sæpius illum adiret gemens vidua, *dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor,* id est, etsi neminem verear; *tamen, quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam,* injuriam, quam ipsi infert adversarius, propulsabo, jus illi dicam: *ne in novissimo veniens sugillet me.* Ne omni tempore veniens, aures meas queruiis vocibus, importunis clamoribus, & forte maledictis obtundat. Ait autem Dominus: *Audite quid Judex iniquitatis dicit.* Non conferuntur hoc loco paria, sed minus cum majore. Si ab improbo Judice id obtinetur, quanto magis a Deo? *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Deus tam misericors, tam benignus non arcebit injuriam ab electis suis quos diligit, quorum preces ipsi molestæ non sunt, quamvis die ac nocte ad illum clament, sed gratæ? Semper ne eorum liberationem differet? *Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.* Brevi, opportuno tempore secundum providentiæ & justitiæ suæ legem illos a persecutionibus & malis omnibus eripiet. *Verumtamen Filius hominis veniens* ad faciendam vindictam in Nationibus, ad liberandum electos suos, *putas, inveniet fidem in terra?* Id est, Theophyl. in hunc locum.

in hominibus? Fidem hic intelligit cum pia fiducia & caritate conjunctam, quæ ad perſeveranter orandum excitat. Hac interrogationis figura raros dicit tunc inveniendos fideles. In tantum enim invaleſcet filius iniquitatis, ut etiam, ſi poſſibile eſſet, ſeduceret electos. In raris enim ſolet hujuſmodi interrogandi figura uti, ſicut & cum dicit: *Quis putas fidelis & prudens ſervus?* Atque hoc loco idem ſignificans quod pauci numero erunt, qui erga Deum & inter ſe fidem ſervabunt, hac interrogatione uſus eſt. Merito autem ſermoni de oratione ſermonem de fide connexuit, quoniam omnis orationis fundamentum ac baſis eſt fides. Niſi enim crediderit homo quod hoc quod petit, accepturus ſit in ſuam utilitatem, vana eſt oratio quam facit. Et propterea Dominus de oratione docens, etiam fidei meminit, declarans interim paucorum fore tunc orare, quandoquidem fides in paucis invenietur; fides (inquam) caritate formata & animata. *Quoniam* enim *abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum.*

Matth. 24. 12. 9. 10. 11. 12. *Dixit autem* & hanc Parabolam *ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam juſti*, plus æquo ſibi placentes, & fiduciam ponentes in ſanctimonia & virtutibus, quibus ſe præditos falſo exiſtimabant, & *aſpernabantur ceteros*, tamquam homines nullius pretii. Conſequens enim eſt ut aliena deprimat, qui ſua miratur. *Duo homines aſcenderunt in Templum*, (quod in monte ſitum erat) *ut orarent; unus Phariſæus*, & *alter Publicanus. Phariſæus ſtans* in atrio Iſraelitarum, *hæc apud ſe orabat*, ſic intra ſe ipſum loquens Deus compellabat: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum*, id eſt, ſicut omnes præter me, *raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus*, id eſt, nec etiam ut iſte publicanus, profeſſione peccator. *Jejuno bis in Sabbato*, Jejunare conſuevi bis qualibet hebdomada. Hebdomada ſcilicet a ſabbato incipiens & in ſabbatum deſinens a præcipuo die nomen ſumebat. Unde prima dies hebdomadæ *Una ſabbati* vocabatur, Hebraico loquendi more. Dies illi jejunii apud Judæos Lege præſcripti non erant, ſed ſponte ſuſcepti & obſervati, nempe dies ſecundus & quintus, ſeu dies Lunæ & Jovis: quod Moyſen die quinto montem conſcendiſſe, & ſecundo deſcendiſſe, Traditiones Judaicæ ferrent. *Jejuno bis in ſabbato.* Ab adulterio adeo ſum alienus, ut carnis petulantiam ſingulis hebdomadibus bidui jejunio compeſcam. *Decimas do omnium quæ poſſideo.* Tam longe abſum a rapina, ut ſolvam decimas non ſolum frugum & fructuum terræ, ſed & minorum olerum, potius commodis meis aliquid detrahens, quam ut quidquam faciam contra traditiones & inſtituta majorum. Hujus Phariſæi juſtitiam longe ſuperabat Zachæus, qui dimidium bonorum ſuorum pauperibus dabat. Nam in minutis illis aliquid extra Legem præſtare facillimum eſt, in quo tamen Phariſæi ſummam ſingularis cujuſdam ſanctimoniæ ponebant.

Theophyl. Maimonides in Tract. Taanih. Gloſſa ad Tranſlatum Talmudis Bava Kama.

13. *Et Publicanus a longe ſtans*, in atrio ſcilicet exteriori, quod patebat Gentibus, procul ab Altari, vel in ipſo Templi veſtibulo, quaſi indignum ſe reputans qui propius accederet, *nolebat nec oculos ad cœlum levare*: peccatorum ſuorum memor, non modo manus non audebat ad cœlum tollere, ne falſa jactatione iram Dei provocaret, ſed ne oculos quidem. *Sed percutiebat pectus ſuum*, qui ſeſe accuſantium geſtus eſt, *dicens*: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Hujus precationis ſenſus ex toto Pſalmo 51. ſumptus eſt.

14. *Dico vobis, Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Hic in domum ſuam rediit a peccatis abſolutus, & gratia donatus a Deo, & non ille: *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*: & *qui ſe humiliat, exaltabitur.* Sententia eſt Chriſto Jeſu familiaris. Confer cum *Matthæi* 23. 12. & *Luc.* 14. 11. Hanc Parabolam contra Marcionem Tertullianus contorquet Libro 4. cap. 36. „ Cum „ (*inquit*) Templum Creatoris inducit, & duos adoran„ tes diverſa mente deſcribit, Phariſæum in ſuperbia, „ Publicanum in humilitate; ideoque alterum reproba„ tum, alterum juſtificatum deſcendiſſe, utique docendo „ qua diſciplina ſit orandum, eum & hic orandum con„ ſtituit, a quo relaturi eſſent eam orandi diſciplinam, „ ſive reprobatricem ſuperbiæ, ſive juſtificatricem humi„ litatis. Alterius Dei nec templum, nec oratores, nec „ judicium invenio penes Chriſtum, niſi creatoris. Illum „ jubet adorare in humilitate, ut allevatorem humilium; „ non in ſuperbia, ut deſtructorem ſuperborum. *Ejuſdem* „ *Parabolæ finem breviter exponit Libro* de Oratione, „ *cap.* 13. At qui cum modeſtia & humilitate adorantes „ magis commendabimus Deo preces noſtras, ne ipſis „ quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate ac „ prope elatis; ne vultu quidem in audaciam erecto. „ Nam ille Publicanus qui non tantum prece, ſed & „ vultu humiliatus atque dejectus orabat, juſtificatior „ Phariſæo procaciſſimo diſceſſit.“

15. 16. 17. *Afferebant autem* quidam *ad illum* & *infantes, ut eos tangeret*, id eſt, ut impoſitione manuum eis benediceret: *quod cum viderent Diſcipuli, increpabant illos*, verbiſque durioribus arcebant, quod turmatim ad Jeſum accederent, eumque pene obruerent. *Jeſus autem convocans illos*, ſigno facto infantium ductoribus ſeu geſtatoribus, *dixit: Sinite pueros venire ad me*, & *nolite vetare eos, talium eſt enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quicumque non receperit regnum Dei ſicut puer*: qui non receperit Evangelium ea ſimplicitate, docilitate, morum innocentia, quam præ ſe fert puerilis ætas, *non intrabit in illud.* Confer cum *Matthæi* 19. 13. 14. 15. & *Marci* 10. Ex hoc loco S. Auguſtinus probat Baptiſmum Chriſti parvulis eſſe neceſſarium. *Cui tangendi offeruntur*, inquit, *niſi Medico? Cui? Salvatori. Si Salvatori, utique ſalvandi. Cui? niſi illi qui venit quærere* & *ſalvare quod perierat. Ubi iſti perierant? Quantum ad ipſos proprie attinet, innocentes video, reatum quæro. Unde? Apoſtolum audio*: Per unum, *inquit*, hominem peccatum intravit in mundum; & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſivit, in quo omnes peccaverunt. „ Veniant ergo parvuli, veniant, audia„ tur Dominus, *Sinite parvulos venire ad me*. Veniant „ parvuli, languidi ad Medicum veniant, perditi ad „ Redemptorem veniant, nemo prohibeat. In ramo ad„ huc nihil commiſerunt, ſed in radice perierunt. Be„ nedicat Dominus puſillos cum magnis: tangat Medi„ cus & puſillos & magnos. Cauſam parvulorum com„ mendamus majoribus. Loquimini pro tacentibus, ora„ te pro flentibus. Si non fruſtra eſtis majores, eſtote „ tutores: tuemini eos qui adhuc cauſam ſuam agere „ non poſſunt. Communis fuit perditio, ſit communis „ inventio: ſimul perieramus, ſimul inveniamur in Chri„ ſto. Diſpar eſt meritum, ſed communis eſt gratia. „ Nihil habent mali, niſi quod de fonte traxerunt: ni„ hil mali habent niſi quod de origine traxerunt. Non „ eos impediant a ſalute, qui ad id quod traxerunt „ multa addiderunt.“

S. Auguſt. ſerm. 115. *alias* 36. *de Verbis Domini.*

Rom. 5. 12.

18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Et interrogavit eum quidam Princeps*, id eſt, vir primariæ nobilitatis, *dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus. Mandata noſti? Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices: Honora Patrem tuum* & *matrem. Qui ait: Hæc omnia cuſtodivi a juventute mea. Quo audito, Jeſus ait ei: Adhuc unum tibi deeſt*, ut perfectus ſis: *Omnia quæcumque habes vende*, & *da pauperibus*: Hoc tibi ſaluberrimum do conſilium, ut ab avaritiæ vinculis omnino liber, nullum habeas impedimentum, quod ab æternæ vitæ conſecutione te retardet. Divitiarum autem abjectione & erogatione pauperibus faciendate detrimentum aliquod ſubire ne exiſtimes: quinimo magnum tibi lucrum accedet. *Et habebis theſaurum in cœlo.* Porro negotiatio eſt aliquid amittere ut majora lucreris. Et hoc impedimento rejecto, hac depoſita ſarcina, *veni*, & *ſequere me. His ille auditis, contriſtatus eſt: quia dives erat valde*, & divitiarum amore irretitus, illis renuntiare facile non poterat. *Non eſt* enim *in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas.* Tantum dolor cruciat amittentem, quantum amor tenuerat poſſidentem. *Videns autem Jeſus illum triſtem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent*, & ſpem in illis ac fiduciam ponunt, *in regnum Dei intrabunt? Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſalvus fieri?* Quis ergo ſalutem conſequi poteſt, cum nemo ſit qui divitias non amet? *Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.* Quamvis humanas vires ſuperet renuntiare divitiis, & illas pauperibus diſtribuere; Dei tamen auxilio bonam voluntatem inſpirantis & adjuvantis id perfici poteſt. Confer cum *Matthæi* 19. & *Marci* 10. Hunc locum adverſus Marcionem vertit Tertullianus Libro 4. cap. 36. „ Reſcidit-ne Chriſtus priora „ præcepta non occidendi, non adulterandi, non furan„ di, non falſum teſtandi, diligendi patrem & matrem? „ An & illa ſervavit, & quod deerat adjecit? Quan„ quam & hoc præceptum largitionis in egenos ubique „ diffuſum ſit in Lege & Prophetis, uti glorioſiſſimus „ ille obſervator præceptorum, pecuniam multo cario„ rem habiturus traduceretur. Salvum eſt igitur & hoc „ in Evangelio, Non veni diſſolvere Legem & Prophe„ tas, ſed adimplere. Simul & cetera dubitatione libe„ ravit, manifeſtando unius eſſe & Dei nomen & opti„ mi, & vitam æternam, & theſaurum in cœlo, & „ ſemetipſum; cujus præcepta ſupplendo & conſervavit „ & auxit: ſecundum Michæam quoque hoc loco reco„ gnoſcendus, dicentem: Si annuntiavit tibi homo quid „ bonum? Aut quid a te Dominus exquirit, quam face„ re judicium, diligere miſericordiam, & paratum eſſe „ ſequi Dominum Deum tuum? Et homo enim Chri„ ſtus annuntians quid ſit bonum, ſcientiam Legis; *Præ„ cepta*, inquit, *ſcis?* Facere judicium; *Vende*, inquit „ *quæ habes*; diligere miſericordiam: *Et da*, inquit, „ egenis; paratum eſſe ire cum Deo; *Et veni*, inquit, „ *ſequere me.*“

S. Auguſt.

Mich. 6.

28. 29. 30. *Ait autem Petrus*, omnium Apoſtolorum nomine loquens: *Ecce nos dimiſimus omnia*, & *ſecuti*

secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis: Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, id est, propter Evangelium, & *non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam*. Confer cum *Matthæi* 19. & *Marci* 10.

31. 32. 33. 34. „ Assumpsit autem Jesus duodecim *Apo-* „ *stolos seorsim*, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosoly- „ mam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per „ Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim a Gentibus, „ & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & post- „ quam flagellaverint, occident eum, & tertia die resur- „ get. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum „ istud absconditum ab eis, " id est, res ista erat eis abscondita; sermo illis obscurus videbatur, & *non intelligebant quæ dicebantur*. Obvium nempe verborum sensum repudiantes, altiorem sensum illis subesse suspicabantur, quem Dominus ipsis opportuno tempore revelaret. Aut certe non capiebant quomodo ea congruerent cum Vaticiniis Prophetarum de Messia, receptisque de ejus regno opinionibus. Confer cum *Matthæi* 20. 17. & *Marci* 10. 32. & seq.

35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. *Factum est autem*, *cum* JESUS *appropinquaret Jericho*, cum huic urbi proximus esset, *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem*, quæ Jesum sequebatur, *interrogabat quid hoc esset*: unde tantæ multitudinis concursus & motus? *Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu fili David, miserere mei*. Noverat scilicet illum potentem sermone & virtute cæcis plurimis visum restituisse; quin & intus illuminato fidei oculo Messiam esse credebat Israelitis a Deo promissum, & ex familia David oriturum. *Et qui præibant, increpabant eum ut taceret*, ne molestus esset Jesu: *Ipse vero multo magis clamabat, Fili David miserere mei*. Contendebat vocem, ut oculos Christi in se converteret, ejusque miserationem excitaret. *Stans autem Jesus*, paulisper sistens gradum, *jussit illum adduci ad se. Qui cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam?* Non ut ignorans, sed ne ille præsentibus alia petere videatur, ipse alia dare, & dum ille petit pecuniam, ipse, ut ostentator, cæcitatem sanaret. Nam fortassis insipienter talia fingere posset invidia. Propterea cum interrogasset, & comperisset eum recipiendi visus valde cupidum, dat quod petit. *At ille dixit: Domine ut videam. Et Jesus dixit: Respice, fides tua te salvum fecit*. Credidisti quod ego sum Christus, meque tibi visum reddere posse, ideo vides, ut confidisti. *Vox a vero lumine progressa, lumen cæco facta est*. Ille ipse qui dixit, *Fiat lux, & facta est lux*, qui lucem locutus est, & creavit, dixit cæco, *Respice*; & *confestim vidit & sequebatur illum* cæcus illuminatus, *magnificans Deum*, Dei magnitudinem prædicans illique gloriam reddens in Christo Jesu, & cum ipso, & per ipsum salutis suæ Auctorem. *Et omnis plebs ut vidit*, tantum miraculum, *dedit laudem Deo*. Confer cum *Matthæi* 20. 29. & seq. & *Marci* 10. 46. & seq. Hunc locum adversus Marcionitas Tertullianus contorquet. „ Ne, *inquit*, „ Jesum filium David negaretis manifestissime confirmavit „ cæci prædicationem, & ipsa remuneratione medicinæ, „ & testimonio fidei. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit*. Quid vis cæcum credidisse? Ab alio Deo descendisse Jesum ad dejectionem Creatoris? ad destructionem Legis & Prophetarum? Non illum esse, qui ex radice „ Jesse, & ex fructu lumborum David destinabatur, cæ- „ corum quoque remunerator? Sed nondum puto ejusmodi tunc cæci erant, qualis Marcion, ut hæc fuerit „ cæci illius fides, qua crediderit in voce, *Jesu fili David*. Qui hoc se & cognovit, & ab omnibus cognosci voluit, fidem hominis etsi melius oculatam, & „ etsi veri luminis compotem, exteriori quoque visione „ donavit, ut & nos regulam simulque mercedem fidei „ disceremus. Qui vult videre Jesum, David filium credat per Virginis censum. Qui non ita credet, *non* „ audiet ab illo; *Fides tua te salvum fecit*. Atque ita „ cæcus remanebit. "

Theophyl.

Tertull. lib. 4. cont. Marcion. cap. 36.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *Dicebat autem parabolam ad illos, Quoniam oportet semper orare, & non deficere*, &c. „ Cum „ multiloquium prohibuerit Christus, mirum videri potest „ cur nos sic orare adhortatus sit, qui novit quid nobis „ necessarium sit prius quam petamus ab eo, ut diceret, „ *Oportet semper orare, & non deficere*; Viduæ cujusdam proposito exemplo, quæ de suo adversario cupiens „ vindicari, judicem iniquum sæpe interpellando flexit „ ad audiendum, non justitia vel misericordia permotum, „ sed tædio superatum: ut hinc admoneremur, quam „ certius nos exaudiat misericors & justus Dominus Deus „ sine intermissione orantes, quoniam illa nec ab ini- „ quo & impio judice potuit assidua interpellatione „ contemni: & quam libens atque placatus bona desideria impleat eorum, a quibus aliena peccata novit „ ignosci, si quo cupiebat illa pervenit, quæ voluit vin- „ dicari. "

S. Augustin. Epist. 130. *alias* 121. *cap.* 8.

5. *Vidua autem quædam erat in civitate illa* &c. Quam præ ceteris viduæ debeant vacare orationibus satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum. Quid autem in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio & desolatio? „ Quapropter si se omnis ani- „ ma intelligat in hoc sæculo destitutam atque desola- „ tam, quamdiu peregrinatur a Domino, profecto quam- „ dam viduitatem suam Deo defensori assidua & impen- „ sissima prædicatione commendat. Ora ergo ut vidua „ Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus preca- „ ris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. „ Nondum enim veras futuri sæculi divitias habes, ubi „ nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes, „ numerosamque familiam, sicut desolata ora: incertæ „ sunt enim omnia temporalia, etiam usque in finem vi- „ tæ hujus in nostram consolationem mansura. Tu au- „ tem si ea quæ sursum sunt quæris & sapis, æterna & „ certa desideras, quæ quamdiu nondum habes, etiam „ salvis omnibus atque obsequentibus tuis, tamquam de- „ solatam deputare te debes. "

S. Augustin. ibid. cap. 1.

Oportet semper orare, & non deficere. Continua & perseverans esse debet Christiani hominis oratio. Orare semper oportet eum qui divinæ opis semper eget. Resistere semper oportet orationis clypeo eum qui semper ab inimico expugnatur. Desiderium tuum, oratio tua: si semper desideras, semper oras. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Et Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus*. Numquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus? Si sic dicimus nos orare, hoc semper non possumus. Sed est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium. „ Quicquid aliud agas, si desideras „ illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis „ intermittere orare, noli intermittere desiderare. Con- „ tinuum desiderium tuum, continua vox tua est. Ta- „ cebis, si amare desiteris. Qui tacuerunt, de quibus „ dictum est: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet* „ *caritas multorum*. Frigus caritatis, silentium cordis „ est: flagrantia caritatis, clamor cordis est. Si semper „ manet caritas, semper clamas; si semper clamas, sem- „ per desideras; si desideras, requiem recordaris. *Igitur* „ semper orare, & numquam deficere, *quid est aliud quam* „ beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui „ eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? „ Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, & ora- „ mus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, „ quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis „ horis ad orandi negotium mentem revocamus, verbis „ orationis nos ipsos admonentes id quod desideramus, „ intendere, ne quod tepescere cœperat omnino frige- „ scat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflamme- „ tur. "

Pſal. 9. 17. *Pſalm.* 37 10.

S. August. Enarrat. in Pſalm. 37. *n.* 14.

Matth. 24. 12.

S. August. Epist. 130. *c.* 9.

6. 7. *Audite quid Judex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum*. Pars electorum in hac vita, gemitus est & oratio. Clamant ad Deum die ac nocte, fervente & perseverante oratione. Cito illos exaudit Deus, tametsi interim differat eorum a malis præsentibus liberationem. Animum igitur non despondeamus orantes. Etsi enim non exaudimur ad voluntatem, exaudiemur ad salutem, si oremus sicut oportet. Molestiæ scilicet, tribulationesque temporales plerumque prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces uberiorque servatur; vel ad quæcumque flagellanda & abolenda peccata; tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari. Sic Apostolus ab Angelo satanæ, a stimulo carnis ut liberaretur, Dominum rogans, statim non est exauditus, quia illi non expediebat, sed audivit: *sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur*. „ In his ergo „ tribulationibus, quæ possunt & prodesse & nocere, „ quid oremus sicut oportet nescimus: & tamen quia „ dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infir- „ mitatis sunt, universali humana voluntate, ut a nobis „ hæc auferantur, oramus. Sed hoc devotionis debemus „ Domino Deo nostro, ut si ea non abstulerit, non ideo „ nos ab eo negligi existimemus, sed potius patientia „ malorum bona speremus ampliora: sic enim virtus in „ infirmitate perficitur. Nonnullis quippe impatientibus „ Dominus Deus quod petebat concessit iratus, sicut con- „ tra Apostolo negavit propitius. Nam legimus Israelitæ „ quid & quomodo rogaverint & acceperint; sed expleta „ concupiscentia, impatientia est graviter castigata. De- „ dit & Regem petentibus secundum cor eorum, sicut „ scriptum est, non secundum cor suum. Dedit etiam „ quod diabolus postulavit, ut probandus ejus famulus „ tentaretur. Exaudit rogantes & immundos spiritus, „ ut in multos sues legio dæmonum mitteretur. Hæc „ scri-

2. *Cor.* 12 17.

Num. 11. 15.

„ scripta sunt, ne forte se quisque magnipendat, si fuerit „ exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod non im- „ petrare plus prosit; aut se abjiciat, & de divina erga „ se miseratione desperet, si non exaudiatur, cum forte „ aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel a „ prosperitate corruptus penitus evertatur. In talibus er- „ go quid oremus, sicut oportet, nescimus. Unde si ali- „ quid contra quam oramus, acciderit, patienter feren- „ do, & in omnibus gratias agendo, hoc potius opor- „ tuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, mi- „ nime dubitare debemus. " *Quisquis autem illam unam petit a Domino, & hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet ne forte obsit cum acceperit, sine qua nihil prodest quicquid aliud orando sicut oportet acceperit. Ipsa est enim una vera & sola beata vita, ut contemplemur Domini delectationem in æternum, immortales atque incorruptibiles corpore & Spiritu. Propter hanc unam cetera requiruntur, & non indecenter petuntur. Istam quisquis habuerit, omnia quæ vult habebit, nec aliquid ibi velle habere poterit, quod non decebit. Ibi quippe est fons vitæ, quem sitire nunc oportet in oratione.*

8. *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Præcepto de perseverantia orationis, mentionem fidei Christus subjungit, quia fides orationis fundamentum est. *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Ergo ut oremus, credamus; & ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.*

S. August. ser. 115. alias 26. de Verbis Dom. c. 1.

9. 10. & seq. *Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in Templum ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus*, &c. Oratio, ut dixi, ex fidei fonte derivatur. *Fides* autem *non est superborum, sed humilium.* Ideo hanc parabolam subjunxit Dominus, ut orationem humilem esse oportere doceret. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum ... velut etiam hic Publicanus.* Non hæc gratiarum actio est, sed ostentatio. Gratiarum actio humilis sit necesse est, dona Dei ad illius gloriam unice referat, non ad suam; alioquin Pharisaica, non Christiana gratiarum actio est. Timeat Christianus ab *altitudine diei*, ab ipsarum splendore virtutum. Vereatur ne umbram tantum virtutis habeat, & externam pietatis speciem, non spiritum, qui caritatis est & humilitatis. Ne se cum sceleratis comparet, sed cum sanctis, quorum comparatione se maximum peccatorem semper agnoscet ac reputabit. Ceteros non contemnet umquam, sed se coram Deo meliores aut secundum præsentem justitiam, aut secundum prædestinationem æternam æstimabit. Quid rogaverit Deum Pharisæus, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare; noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est Deum non rogare, sed se laudare; insuper & roganti insultare ... Non quia dicebat, *Non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri*, neque quia jejunabat bis in sabbato: neque quia decimas dabat, non erat peccator. Quod si sine ullis peccatis esset, *ipsa superbia grande crimen* erat. Quis tandem sine peccato? Quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis? Habebat ergo ille peccata; sed perversus, & nesciens quo venisset, *erat tamquam in statione Medici curandus, & sana membra ostendebat, vulnera tegebat....* Quisquis merita sua jactat, qualiacumque illa sint, similis est Pharisæo, qui quod a Deo se dicebat accepisse, superbe tamen jactabat. Cum dicebat, *Gratias tibi ago*, fatebatur se a Deo accepisse quod habebat. *Unde ergo superbus? Non quia de bonis suis Deo gratias agebat, sed quia super alterum se de ipsis bonis extollebat.*

S. August. ser. 115. alias 26. de Verbis Dom. Et Enarrat. in Psal. 31.

13. *Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Publicanus de longinquo stabat, & Deo tamen ipse propinquabat. Cordis conscientia removebat, pietas applicabat. De longinquo stabat, sed Dominus eum de propinquo attendebat. *Excelsus* enim *Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.* Non solum de longinquo stabat Publicanus, sed nec oculos ad cœlum levare audebat. Ut aspiceretur, non aspiciebat: premebat conscientia, spes sublevabat. *Percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Pœnas de se ipso exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. *Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit?* Tunsio pectoris, obtritio cordis, *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.* Se attendebat Publicanus pœnitens ut primo sibi displiceret, & sic Deo placeret. Ipse sibi judex erat, ut Christus intercederet; ipse puniebat, ut ille liberaret; ipse accusabat, ut ille defenderet. Adeo defendit eum, ut pro ipso dixerit sententiam.

Psal. 137.

Psalm. 33. 19.

16. *Dico vobis: Discedit hic justificatus in domum suam ab illo: Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Audisti sententiam, cave causam malam: *audisti sententiam, cave superbiam.* Miseriam tuam agnosce, ut Dei misericordiam impetres. Peccata tua agnosce, ut tibi Deus ignoscat. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi.* Quod te coram Deo fateris, apud homines esse non refugias, omnium minimum, omnium postremum. Nihil tibi tribue, nisi jus agendæ pœnitentiæ, cum Tertulliano dicens: *Peccator omnium notarum cum sim, nulli rei nisi pœnitentiæ natus.* Humilia te in omnibus, ut preces tuæ Deo gratæ sint: quia *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.*

Tertull. lib. de Pœnit.

17. *Quicumque non accepit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Docet humilitatem opere suo Dominus. Non enim amandat, sed suaviter amplexatur infantes. Docet autem & per sermonem, quod regnum cœlorum est eorum qui similiter affecti sunt ut pueri. Puer non inflatur, nec aliquem contemnit: innocens est, simplex, neque in prosperis extollitur, neque in tristibus dejicitur. Unde qui vivit in omni humilitate, simplicitate, & innocentia, ille Deo acceptus est; & qui accipit regnum Dei sicut puer, hoc est absque dolo, & curiositate, sed fideliter. Non dixit autem, Horum est regnum; sed talium: *Non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam ..... Non igitur puerilia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur.*

Theophil.

S. Ambr. lib. 8. in Luc. n. 57.

18. *Et interrogavit eum quidam Princeps, dicens, Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* &c. Director quærendus & eligendus est pius & eruditus, qui viam cæli nos doceat. Persuasum imprimis esse nobis debet, nos vitam æternam consequi non posse nihil agendo, & in molli otio torpendo. *Quid faciens?* 2. Viribus opus est bonæ voluntatis ad ambulandum in via salutis. Bonam porro voluntatem solus Deus, qui summe bonus est, dare potest. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Non solum necesse est nosse quæ agenda sunt, sed magnis & totis viribus voluntatis opus est, ut quæ agenda sunt facere valeamus. Has autem vires sola gratia Christi efficacissima donat, sine qua nihil possumus. Sine ipsa Mandata Dei non implentur ut oportet, nempe ex caritate. Quis ergo dicere potest, *Hæc omnia custodivi a juventute mea?* Deus cor interrogat, non manum.

22. *Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest:* &c. Duo necessaria sunt ad salutem. 1. Legem omnibus communem implere. 2. Fidelem esse gratiæ Dei in iis quæ ab unoquoque nostrum singulatim postulat. Omnia bona sua dare pauperibus, & Christum pauperem sequi, consilium perfectionis est. Præparatio vero ad id exequendum, si Deus a nobis exigat, præceptum est, cum ejus voluntas sit rebus omnibus præponenda. *Omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus*, &c. „ Post- „ quam adolescens omnia mandata servasse dixit a ju- „ ventute, præscripsit ei Dominus paupertatem *caput* „ *omnium virtutum*. Vide legem Christiana vita dignam. „ *Omnia quæcumque habes, vende.* Nam *si quid reliques,* „ *illius servus es.* Et distribue *non divitibus cognatis, sed pauperibus.* Habet autem & distribuendi verbum emphasim quamdam, *ut cum dijudicatione, & non fortuito dispergantur bona.* Quoniam autem cum „ paupertate & alias habere virtutes Christianum oportet, propterea dicit, *Et veni, sequere me*: hoc est, „ & in omnibus aliis esto discipulus meus, & semper „ sequere, non hodie quidem, cras autem non. Ut autem avaro promisit cœlestem thesaurum, non attendit „ ille. Servus enim erat pecuniarum: ideo ut audivit, „ abiit tristis, eo quod possessionis privatio esset ei dicta, propter quam ipse vitam æternam desiderabat, „ ut perpetuo divitiis frui posset. "

Theophil. in hunc locum.

Adhuc unum tibi deest. Metuendum est ne quod initio fuit obex perfectionis, postmodum impedimentum fiat salutis; & ne gratia neglecta subtrahatur.

24. *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!* Non dicit quod impossibile sit tales salvari, sed difficile. *Tenaciores* enim *visco adhærent pecuniæ, & difficile abstrahitur qui talibus est comprehensus.* Ubi enim multæ divitiæ, ibi ut plurimum cupiditas dominatur: in regnum autem caritatis ingredi cupiditas non potest. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* „ Cum igitur prius impossi- „ bile sit, innuit magis impossibile esse salvari divitem. „ Ita sane, vere impossibile est salvari eum qui dives est. „ Nec dicas quod salvatus sit dives quispiam qui sua dederit: „ Non enim dives salvatus est, sed quia pauper factus est, „ vel divitiarum suarum fidelis dispensator. Dives est, qui „ sibi reservat divitias: dispensator, cui concreditæ sunt „ propter alios. Addit Theophylactus, impossibile esse di- „ vitem salvari, pecunias autem habentem, difficile. Hoc „ est, Qui habetur & tenetur a pecuniis, ac servit eis, non „ salvabitur: Qui vero pecunias habet, *sive* dominus illarum est, & non habetur ab eis, difficile salvabitur pro- „ pter humanam infirmitatem. Quippe quandiu pecunias „ habemus, molitur diabolus nos supplantare, ne regula dispensationis recte utamur & difficile est effugere „ ejus laqueos, & propterea bona est paupertas, & quasi „ tentatione superior. "

35. *Et cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat*

sedebat secus viam, mendicans, &c. Nos ipsos agnoscamus in hac imagine. Cæci sumus, ignorantes, miseri, pauperes per peccatum effecti. Quid est visus corporis, quo privati sunt cæci, nisi fons tentationum, laqueorum, peccatorum? Et tamen cæcitatem corporalem magnum malum reputamus. *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video* (inquiebat Tobias) & privationem oculorum cordis parvipendimus, qua fit ut nos ipsos non cognoscamus, ut respectu summæ veritatis, bonorum æternorum, rerum denique ad salutem nostram spectantium cæci simus. Occurrit nobis in via Jesus, qui aperit oculos cæcorum, transit propter salutem nostram: ad eum clamemus magna voce, ferventi oratione, fide viva: nihil nos prohibeat quo minus ipsius misericordiam imploremus. *Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei*. Oratio fidei humilis, fervens, perseverans, Deum nobis propitium reddet; oculos Jesu, qui lux vera est, ad nos convertet, gratiæ lumen ab illius bonitate impetrabit. *Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam*. Oculos habemus, & non videmus, nec videre digni sumus lucem tuam & veritatem tuam, Domine; dicas, obsecramus, Animæ nostræ, *Respice* & continuo videbit, quia Deus illius es tu, solus dignus illius adoratione, amore, servitute: cetera vero omnia vanitas & afflictio spiritus. Da non solum oculos ut te cognoscamus, sed pedes ut te sequamur; linguam, qua te laudemus; cor, quo te super omnia diligamus. *Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum*. Christum Jesum sequi, est illum imitari, & vitam agere illo dignam, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. Non verbis solum, sed magis operibus magnificandus a nobis est & glorificandus. Non solum autem Deum glorificare debemus, sed & aliis auctores esse ut illum glorificent & verbis, & factis, *Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo*.

Vener. Beda. Videt, *inquit*, & sequitur qui bonum quod intelligit operatur. Videt sed non sequitur qui bonum quidem intelligit sed operari contemnit.

CAPUT XIX.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. ET *ingressus JESUS perambulabat Jericho*, id est, per mediam urbem pertransibat. *Et ecce vir nomine Zacchæus*, erat in ipsa urbe: *& hic Princeps erat publicanorum*, præfectus, caput, & director societatis quæ vectigalia Jericho redemerat, seu primarius quæstor: *& ipse dives*, ut vulgo id hominum genus, divitiis magna ex parte male & injuste quæsitis. *Et quærebat videre Jesum quis esset*, hoc est, fama & celebritate nominis sibi notum vultu nosse cupiebat: *& non poterat præ turba* Dominum circumstante; *quia statura pusillus erat. Et præcurrens*, id est, cum præcucurrisset ad locum quo transiturus erat Jesus, *ascendit in arborem sycomorum* (quæ aliis ficus silvestris, aliis ficus Ægyptia, aliis sycaminus) *ut videret eum; quia inde erat transiturus*. Hæc enim arbor magnæ proceritatis, ex qua Jesum transeuntem facile intueri posset.

Dioscorides Leo in Africæ descriptione lib. 9 Celsus lib. 3. de re Medica c. 18. S. Aug. ser. 174. alias 3 de Verbis Apost. Tertull. lib. 4. adversj. Marc. cap. 37. S. Cyprianus Epist. 63. S. Ambr. lib 1. Offic. cap. 30.

5. 6. 7. *Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus*, id est, oculos sursum attollens, *vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Oportet ut hodie hospitio me recipias. Ignotum proprio nomine compellat, ut se Dei Filium ostendat. Zachæi noverat affectum, qui lubenter illum invitasset, nisi conscientia peccatorum obstitisset. *Et festinans descendit* ex arbore, *& excepit illum* in domum suam *gaudens*, qui jam in corde suo habitabat per fidem, quam donaverat. *Et cum viderent omnes* Judæi, & Pharisæi in primis, *murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem*, id est, flagitiosæ professionis & mali nominis *divertisset*: sive ad hominem ethnicum, ut nonnulli veterum Patrum interpretantur.

Exod. 22. 1. L. Hoc. Edicto, de Publicanis.

8. *Stans autem Zachæus*, coram Christo se sistens ut discipulus coram Magistro, ac novæ melioriseque vitæ rationem publice professurus, *dixit ad Dominum; Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Jam paratus sum mediam bonorum meorum partem dare pauperibus, eamque ad hunc usum deputo: & si quid delationibus, fraude, vel malis artibus cuiquam extorsi, paratus sum reddere quadruplum, Mosaicæ scilicet Legis imitatione, ac Romano etiam jure, quo cautum fuerat ut si quid per vim extorsissent publicani, in quadruplum tenerentur.

9. 10. *Ait Jesus ad eum*: necnon ad Discipulos, populumque adstantem: *Quia hodie salus domui huic facta est*, huic familiæ & imprimis patri-familias, *eo quod & ipse sit filius Abrahæ*, tum genere, tum fide, ac proinde promissionum hæres. Ejus ergo salus mihi negligenda non fuit, qui sum missus ad oves quæ perierant domus Israel. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Zachæum Judæum fuisse hinc colligunt Interpretes eruditi. 1. Quia nomen pure Hebræum est, ut apparet ex 2. *Esdræ* 9. & 7. 14. 2. Quod Jesum non reprehendunt murmurantes quod apud hominem incircumcisum epuletur, sed quod apud peccatorem, id est, Judæum quidem, sed viventem præter Legem. 3. Quod de quadruplo dicit, ad Mosaicam Legem respicit. Nec obstat quod Princeps publicanorum dicitur. Nam Judæis non interdicebatur publica conducere, præsertim si qui Romani civitate donati essent. Nam Josephus Judæos quosdam in Judæa Equites Romanos fuisse docet. Ab Equitibus autem conduci vectigalia solebant. Sed & Matthæus Publicanus fuit. Quod si quis Zachæum Gentilem fuisse putet, quod multi Patres existimarunt, *filium Abrahæ* vocari dicendum est, quia fidei & obedientiæ ejus imitatione inter veros Israelitas adscitus est, ut impleretur quod S. Joannes initio Prædicationis suæ prædixerat: *Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*.

Joseph. lib. 8 de bello Judaico.

11. *Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem: & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur*. Spem conceperant Apostoli perfectam Mysteriorum intelligentiam nondum assecuti, futurum ut Christus hoc itinere Hierololymam versus, prius quam pateretur, sicut prædixerat, iniret possessionem regni temporalis, sibi gloriosam, populo salutarem. Nondum enim apertus illis erat sensus ut intelligerent Scripturas. Christus igitur proposita parabola significat regnum suum temporale non esse, *Redemptionem Israel* alio sensu intelligendam; Judæos illum ut Regem non agnituros, ideo ab illis auferenda esse dona spiritalia, quibus abusi fuerant, & ad Gentes transferenda.

12. 13. 14. 15. *Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum*, ut Regni possessionem adiret, *& reverti*, ea mente ut Regno potitus ad suos reverteretur, quorum etiam Rex erat optimo jure. *Vocatis autem decem servis suis*, antequam *itineri se committeret, dedit eis decem mnas*, certam pecuniæ summam, æqualibus portionibus; *& ait ad illos: Negotiamini dum venio*. Collocate pecuniam, & quæstum ex ea facite, donec revertar. „ Cives autem ejus oderant „ eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: „ Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut re„ diret *ad suos*, accepto regno, & jussit vocari servos, „ quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque ne„ gotiatus esset, *id est, negotiando lucratus esset*. “

Mna Hebræa æquabat valorem 31. numorum scutatorum & dimidii circiter scutati monetæ Gallicæ.

16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit*, seu tibi peperit. *Et ait illi: Euge, bone serve, quia in modico*, quod tibi commiseram, *fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates*; reges decem civitates vice mea. *Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas*, id est, quinque mnas ad sortem negotiando adjecit. *Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit dicens; Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in Judario*, metuens ne quis illam mihi surriperet, aut mutuo datam non redderet. *Timui enim te, quia homo austerus es; tollis* enim, ut vulgo dicitur, *quod non posuisti*, exigis quod non dedisti, *& metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam*, ex verbis tuis te reum pronuntio. *Sciebas*, inquis, *quod homo austerus sum*, seu severus, & quare *non dedisti pecuniam meam ad mensuram* fœneratorum, *ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* ut mihi fructificaret. *Et adstantibus dixit: Auferte ab illo mnam*, in pœnam ignaviæ & malæ administrationis, *& date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo*. Æquum est ut habenti multum, ac proinde sedulo & laborioso amplius detur. Confer cum parabola talentorum, *Matthæi* 25. 14. & seq.

27. *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se*, qui dominationem meam contumaciter respuerunt, *adducite huc*, dicit Rex Ministris suis, *& interficite ante me*. Extremo supplicio perduelles plectantur in conspectu meo, ut mihi constet de vindicta.

Quod spectat parabolæ sensum, hunc S. Augustinus edisserit libro 2. *Quæstionum Evangelicarum*, Quæst. 46. „ Homo nobilis ipse Dominus noster Jesus Christus in„ telligitur. Regio longinqua, Ecclesia Gentium usque „ ad fines terræ. Reverti tamen se dicit: Abiit enim „ ut plenitudo Gentium intraret; reverteretur ut omnis „ Israel salvus fiat. Per decem mnas, Legem significat „ propter Decalogum. Decem autem servos, quibus sub „ illa positis gratia prædicata est. Sic enim intelligen„ dum est eis datas mnas ad usum, cum intellexerunt „ eam ipsam Legem remoto velamine ad Evangelium „ pertinere. Cives ejus qui post eum miserunt legatio„ nem, dicentes se nolle ut regnet sibi, Judæi sunt, qui „ etiam post resurrectionem ejus miserunt persecutores „ Apostolis, & prædicationem Evangelii respuerunt. Re„ diit autem accepto regno, quia in manifestissima & „ eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis „ apparuit, cum diceret: *Regnum meum non est de hoc* „ *mundo*. Quod autem servi reddentes rationem ex eo „ quod acceperant laudantur qui lucrati sunt, significat „ eos bonam reddere rationem, qui bene usi sunt eo quod

„ acce-

„ acceperunt, ad augendas divitias Domini per eos qui „ credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo ſi„ gnificati ſunt qui mnam ſuam in ſudario ſervavit. Sunt „ enim homines hac ſibi perverſitate blandientes ut di„ cant, Sufficit ut de ſe unuſquiſque rationem reddat, „ quid opus eſt aliis prædicare aut miniſtrare, ut etiam „ de ipſis reddere rationem quiſque cogatur, cum apud „ Dominum etiam illi ſint inexcuſabiles, quibus Lex data „ non eſt, neque audito Evangelio dormierunt, quia per „ creaturam poterant cognoſcere Creatorem, cujus invi„ ſibilia a conſtitutione mundi per ea quæ facta ſunt, „ intellecta conſpiciuntur? Hoc eſt enim quaſi metere „ ubi non ſeminavit, id eſt, etiam impietatis reos tene„ re, quibus verbum Legis aut Evangelii non miniſtra„ tum eſt. Hoc autem veluti periculum judicii devitan„ tes, pigro languore a verbi miniſtratione conquieſcunt, „ & hoc eſt quaſi in ſudario ligare quod acceperunt. „ Menſam quo danda erat pecunia, profeſſionem ipſam „ religionis accipimus, quæ tamquam publice proponi„ tur ad uſum neceſſarium ſaluti. Quod autem unus eo„ rum qui bene uſi ſunt decem acquiſivit, & alter quin„ que, ſignificat eos eſſe acquiſitos in gregem Dei, a „ quibus ipſa Lex per gratiam intellecta eſt: ſive quia „ Decalogo continetur, ſive quia ille per quem lata eſt, „ libros quinque conſcripſit: ad hoc pertinent & decem „ & quinque civitates quibus eos præponit . . . Quod „ autem ab illo qui uti noluit auferetur quod acceperat, „ & ei datur qui decem habebat, ſignificatur & illum poſſe „ amittere munus Dei, qui habens non habet, id eſt, „ non utitur; & in eo augeri qui habet, hoc eſt bene „ utitur. " Inimicos ergo ſuos quos jubet coram ſe interfici, ſignificat impietatem Judæorum, qui ad eum converti noluerunt.

28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. Et his dictis, præcedebat, *ducis in morem ante turbam gradiebatur*, aſcendens Jeroſolymam, „ Et factum eſt, cum ap„ propinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam, *Id eſt*, „ *cum circa ea loca eſſet*, ad Montem Oliveti, miſit duos „ Diſcipulos ſuos, dicens: Ite in caſtellum quod contra „ vos eſt: in quod introeuntes invenietis pullum aſinæ al„ ligatum, cui, *ſive ſuper quem* nemo umquam hominum „ ſedit: ſolvite illum, & adducite. Et ſi quis vos inter„ rogaverit: Quare ſolvitis? Sic dicetis ei: Quia Do„ minus *omnium* operam ejus deſiderat; *ſive*, *eo opus ha„ bet*. Abierunt autem qui miſſi erant, *id eſt*, *quos mi„ ſerat Jeſus*: & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem „ pullum. Solventibus autem illis pullum, dixerunt do„ mini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum? At illi dixe„ runt: Quia Dominus eum neceſſarium habet. Et du„ xerunt illum ad Jeſum, & jactantes, *id eſt*, *injicientes* „ *& extendentes* veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſue„ runt Jeſum. Eunte autem illo ſubſternebant veſtimenta „ ſua in via, in ſignum ſubjectionis. " Id apud Iſraelitas olim factum ſacra teſtatur Hiſtoria. Sic cum Jehu
4.Reg.9.13 Rex conſtitutus eſt, *Unuſquiſque tollens pallium ſuum*, *poſuerunt ſub pedibus ejus*. Idem uſu receptum apud Gentes, Plutarchus teſtis eſt in Vita Catonis Minoris. *Provincia*, inquit, *abeuntem non votis & præconiis*, *ſed lacrymis & inſatiabili amplexu milites proſequebantur*, *ſternentes veſtes per ea loca quibus ipſe pedibus iturus erat*.

Et cum appropinquaret jam JESUS *ad deſcenſum* ſeu clivum *Montis Oliveti*, *cœperunt omnes turbæ diſcipulorum*, omnes diſcipuli turbæ populi permixti, *gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus*, *quas viderant*, *virtutibus*, ſeu miraculis, *dicentes*: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*, Meſſias a Deo promiſſus & tamdiu expectatus: *Pax in cœlo*, *& gloria in excelſis*. Vetus diſſidium hominum cum Deo diremptum eſt. Propterea Deo gratiæ agantur, ejuſque gloria celebretur. Confer cum *Matthæi* 21. 1. & *Marci* 11. 1.

39. 40. *Et quidam Phariſæorum de turbis*, id eſt, plebi permixti, *dixerunt ad illum*: *Magiſter*, *increpa diſcipulos tuos*, impone illis ſilentium, ne adulationibus deleſtari videare. *Quibus ipſe ait*: *Dico vobis*, *quia ſi hi tacuerint*, *lapides clamabunt*. Potius eveniet ut lapides clament, quam ut Regnum meum non prædicetur, & celebretur; cum ita ſit a Deo conſtitutum, nec decretum ejus irritum fieri poſſit.

41. 42. 43. 44. *Et ut appropinquavit Jeroſolymis*, *videns civitatem*, *flevit ſuper illam*, *dicens*: *Quia ſi cognoviſſes & tu*, *& quidem in hac die tua*, *quæ ad pacem tibi*, *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*. O te felicem, ſi intelligeres vel in hac die qua ad te poſtremum venio, quæ pacem tibi procurare poterant ac felicitatem. Nunc autem ea ignoras, quaſi longe remota eſſent ab oculis tuis, me Salvatorem Deumque tuum, apud te præſentem non agnoſcens, immo & morti quam primum tradere parata. Hæc autem ignorantia tua tam craſſa, tam affectata, cauſa erit exitii tui. *Quia venient dies in te*, *& circumdabunt te inimici tui vallo*, *& circumdabunt te*, *& coanguſtabunt te undique*. Veniet enim tempus cum obſideberis, & caſtris ante mœnia tua poſitis, te circumdabant, & arctiſſime prement hoſtes tui, Romani ſcilicet Exercitus; *& ad terram proſternent te*, omnes munitiones tuas, Templum, arces, ædes funditus evertent & ſolo æquabunt, *& filios tuos qui in te ſunt*, habitatores tuos occident, & ad terram allident: *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*. Sic te vaſtabunt, ut non relinquant lapidem lapidi cohærentem: *eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Cauſa autem excidii tui erit, quod non cognoveris tempus quo te Deus viſitavit miſſo Chriſto, id eſt, me ipſo, & quod oblatam ſalutem neglexeris.

Vide Joſeph. lib. 7. de Bello Juda. ico c. 18.

45. 46. 47. 48. *Et ingreſſus in Templum*, *cœpit ejicere vendentes in illo & ementes*, *dicens illis*: *Scriptum eſt*: *Quia domus mea domus orationis eſt*: *vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Confer cum *Matthæi* 21. 12. & *Marci* 11. 15. *Et erat docens quotidie in Templo*. *Principes autem Sacerdotum*, *& Scribæ*, *& Principes plebis*, id eſt, primarii ex plebe, *quærebant illum perdere*. Quærebant opportunitatem ipſum e medio tollendi; *& non inveniebant quid facerent illi*, & modum non inveniebant quo ſuam in illum conjurationem exequerentur: *Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum*. Quaſi extra ſe raptus erat præ admiratione, divina ejus docendi ratione, & dicendi ſuavitate captus. *Iſaiæ* 56: *Jerem.* 7.

SENSUS MORALIS.

1. 2. 3. 4. *ET ecce vir nomine Zachæus*, *& hic Princeps erat Publicanorum*, *& ipſe dives*. *Et quærebat videre Jeſum quis eſſet*, *& non poterat præ turba*, *quia ſtatura puſillus erat*. *Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum*, &c. Deſiderium cognoſcendi ſpiritualia & inviſibilia bona, in homine terrenis opibus abundante magna & ſingularis gratia eſt; primum ſemen ſalutis in animo illius, eſt deſiderium cognoſcendi Salvatorem. Sed deſiderium iſtud fructuoſum eſſe non poteſt, niſi Dei gratia qui illud ſeminavit ſive inſpiravit. Duo ſunt quæ hujuſmodi hominum converſionem impediunt, turbarum & negotiorum ſæcularium tumultus, humanique cordis anguſtia reſpectu rerum ſpiritualium & ad ſalutem pertinentium. *Et non poterat videre præ turba*, *quia ſtatura puſillus erat*. E turba ſecedant neceſſe eſt, & gratiæ divinæ auxilio aſcendant in crucem divites, publicani, milites, aulici, & quicumque ſecularibus negotiis ſunt impliciti, ut Chriſtum Jeſum cognoſcant & ſequantur. „ Agnoſce Chriſtum, gratia plenus eſt. Hoc tibi vult „ fundere, quo plenus eſt: hoc tibi dicit, Quære dona „ mea, obliviſcere merita tua; ſi ego quærerem merita „ tua, non venires ad dona mea. Noli te extollere, pu„ ſillus eſto, Zachæus eſto . . . . . Sed dicturus es, Si „ Zachæus fuero, præ turba non potero videre Jeſum. „ Noli eſſe triſtis, aſcende lignum, ubi pro te pependit „ Jeſus, & videbis Jeſum. Conſidera Zachæum volentem „ in turba videre Jeſum, & non valentem. Humilis „ enim erat, turba ſuperba erat: & ipſa turba ad vi„ dendum Dominum ſe ipſam impediebat . . . Turba di„ cit humilibus, humilitatis viam gradientibus, injurias „ ſuas Deo dimittentibus, vindictam de inimicis non re„ quirentibus inſultans: Indefenſe, ignave, qui te non „ potes vindicare! Turba impedit, ne videatur Jeſus, „ qui pendens ait: *Pater*, *ignoſce illis*, *quia neſciunt* „ *quid faciunt*. Hunc ergo volens videre Zachæus, in „ quo figurabatur perſona humilium, non attendit tur„ bam impedientem; ſed aſcendit ſycomorum, quaſi fatui „ promi lignum. *Nos enim*, inquit Apoſtolus, *prædica„ mus Chriſtum crucifixum*, *Judæis quidem ſcandalum*: „ aſcende ſycomorum: *Gentibus autem ſtultitiam*. Deni„ que de cruce Chriſti nobis inſultant ſapientes hujus „ mundi, & dicunt, Quale cor habetis, qui Deum coli„ tis crucifixum? Quale cor habemus? Non utique ve„ ſtrum. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*. „ Ideo vos Jeſum videre non poteſtis, quia ſycomorum „ aſcendere erubeſcitis. Apprehendat Zachæus ſycomo„ rum, *aſcendat humilis crucem*. Parum eſt aſcendat; „ *ne de cruce Chriſti erubeſcat*, *in fronte illam figat*, „ *ubi ſedes pudoris eſt*. Irrides ſycomorum: & ipſa me „ fecit videre Jeſum. Irrides ſycomorum, quia homo es: „ *Stultum autem Dei ſapientius eſt hominibus*. "

S. Aug. ſerm 174. alias 8. de Verbis Apoſtol. c. 3.

Luc.23.34.

1.Cor.1.23.

1.Cor.3.19.

1.Cor.1.25.

5. *Suſpiciens Jeſus vidit illum*; *& dixit ad eum*: *Zachæe feſtinans deſcende*: *quia hodie in domo tua oportet me manere*. Vidit Dominus Zachæum. " Viſus eſt, & „ vidit: ſed niſi viſus eſſet, non videret. Quos enim „ prædeſtinavit, illos & vocavit . . . Ut videremus, viſi „ ſumus; ut diligeremus, dilecti ſumus. Deus meus, „ Miſericordia ejus præveniet me. "

Pſal.58.11.

6. 7. *Et feſtinans deſcendit*, *& excepit illum gaudens*. Vocationi gratiæ prompto, ſimplici & alacri animo obediendum eſt. Illius bonum ſumme æſtimandum, fideliter illi reſpondendum; bonæ voluntatis ſinceritas operibus comprobanda. Qui pauperes recipit, Chriſtum Jeſum recipit ut Zachæus. Carnalium hominum murmur minime curandum eſt iis qui Jeſum ſequi volunt. *Et cum viderent omnes*, *murmurabant*, &c. *Stans autem Zachæus*, *dixit ad Dominum*: *Ecce dimidium bonorum meorum*, *Domine*, *do pauperibus*: *& ſi quid aliquem defraudavi*, *reddo*

reddo quadruplum. Restitutio & eleemosyna, necessariæ sunt ad salutem. Satisfaciendum est hominibus accurata restitutione; Deo satisfaciendum eleemosynarum largitione, peccatis & facultatibus proportionata. Restituendum in primis quod proximo, seu vi, seu fraude ablatum est. *S. Aug. Epist. 153. alias 54.* *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Facta autem restitutione, peccata eleemosynis redimenda sunt, si supersunt facultates. *S. Ambr. lib. 8. in Luc* *Alterum enim non sat est: nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat; quia non spolia, sed dona quæruntur.* Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. *Ideo mihi dimidium teneo, non quod habeam, sed unde reddam. Vere ecce quod est suscipere Jesum, in cor Ephes. 3. 17 suscipere. Ibi enim erat Christus, in Zachæo erat, & de illo sibi dicebat, quod ex ore ejus audiebat.* Sic enim Apostolus dicit: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*

S. Aug. ibid. c. 5. 9. *Ait Jesus ad eum, Quia hodie salus domui huic facta est*, &c. Turba Jesum reprehendit quod in domum peccatoris intrasset: *Hoc erat reprehendere quod in domum ægroti intravit Medicus.* „ Quia ergo velut peccator Zachæus irrisus est, irrisus est autem ab insanis sanatus, „ Dominus respondit irridentibus, *Hodie salus huic domui facta est*. Ecce quare intravi. Utique si Salvator „ non intrasset, salus in illa domo facta non esset . . . „ Voca & tu Jesum, noli tibi sanus videri. Cum spe „ ægrotat, qui Medicum suscipit: desperate ægrotat, „ qui per insaniam Medicum cædit. Qualis ergo ejus in„ sania, qui Medicum occidit? Quanta vero bonitas & „ potentia Medici, qui de sanguine suo insano interfe„ ctori suo medicamentum fecit? Venit enim Filius ho„ minis quærere & salvum facere quod perierat. Simus „ ergo inter illos quos sanat. "

12. 13. 14. 15. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti*, &c. Christus Jesus Dominus noster secundum divinam naturam ex Deo Patre natus, secundum humanam naturam ex regia progenie David, post gloriosam Resurrectionem suam admirabili Ascensione sua rediit in cœlum, secundum quod Discipulis suis prædixerat: *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Status gloriæ, potentiæ, & immortalitatis, cum statu infirmitatis, humilitatis, & mortalitatis, comparatus, vere regio longinqua est. Regni possessionem inivit, regni æterni, regni cujus non erit finis. Redibit statuto tempore, vivos & mortuos judicaturus. Interim mnas seu talenta dedit non solum Ecclesiæ suæ Pastoribus & Ministris, sed Christianis singulis, varia dona contulit recte collocanda, & in ejus gloriam impendenda. *Negotiamini dum venio.* Omnia bona corporis & animæ, naturæ, & gratiæ mnæ sunt, talenta Dei, munera, quorum nobis administratio commissa, & creditus usus est ad ejus gloriam, ad salutem nostram, ad proximorum ædificationem. De talentorum usu, profectu, incremento rationem ab omnibus & singulis exiget Christus Rex noster cum in universali, tum in particulari judicio. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Væ illis qui donis Dei abusi fuerint, qui mnas seu talenta vel amiserint per superbiam & vanam gloriam, vel inutilia reliquerint per acediam, inertiam, otium, negligentiam, mollis & voluptariæ vitæ amorem. Væ illis qui servi peccati, mundi, carnis, dæmonis esse malunt, quam Christi subditi. Væ illis qui secundum mores corruptos mundi & carnalium hominum opiniones viventes, Christi Jesu imperium excutere se velle declarant, & sin minus verbis, operibus certe dicunt, Se ejus dominationem respuere. *Nolumus hunc regnare super nos.*

16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit*, &c. Ante Christi tribunal cum fiducia comparebit fidelis servus, qui nihil sibi, sed totum Deo tribuerit, nec propriæ industriæ, sed Dei gratiæ rectum usum accepti talenti tribuerit. *Domine, mna tua decem mnas acquisivit.* Principium boni usus gratiæ, ipsa gratia est. Sine gratia Christi nihil possumus. *Sine me, inquit, nihil potestis facere.* Cum gratia Christi omnia possumus. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Instrumenta sumus infirma, quæ Deus ad omnia opera supernaturalia applicat, quæ operatur in nobis. Dicamus ergo cum Apostolo: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Hoc humilitatis Christianæ, adeoque virtutis omnis solidum fundamentum est, veræque sanctitatis cha- 2. Cor. 4. 7. racter. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sicut autem bonum usum talentorum, & donorum Dei, totum gratiæ ejus acceptum referunt fideles servi; eaque pars est boni usus & profectus incrementique talentorum: ita dona sua laudat & coronat in eis Dominus, cum eorum fidelitatem laudat & remunerat. *Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Sola hæc laus utilis & vera est, quæ dabitur a Deo, qui nec falli potest, nec corrumpi. Quæ laboris & remunerationis, quæ meriti & præmii proportio? Labor modicus est & brevis, præmium infinitum & æternum. „ Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve 2. Cor. 4. 17. „ tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æter„ num gloriæ pondus operatur in nobis. *Et*, Non sunt Rom 8. 18. „ condignæ passiones hujus temporis ad futuram glori- *S. Aug.* „ am, quæ revelabitur in nobis. *Si vos terret labor, ad* Enarr. in „ *præmium attendite.* Si vis sustinere laborem, attende Psal. 36. „ mercedem. Cum autem attenderis quid sis accepturus, serm. 2. 16. „ omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstima„ bis pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari „ pro tantillo labore, &c. "

30. *Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario*, &c. Non solum a malo declinandum est, sed faciendum bonum. Non solum reus est qui Dei donis abutitur, sed qui ea secundum Dei mandatum non collocat, non impendit ad ejus gloriam, ad sui sanctificationem, ad Ecclesiæ utilitatem. Otium crimen est servis ad laborem vocatis. Deo optimo Maximo serviendum non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Misericors est, sperate in illum; justus est, timete, ne gratias & dona quibus abutimini, aut quibus fideliter respondere negligitis, justo judicio auferat a vobis. *Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.* In caritate crescite, ne si in vobis languescat, tandem, Deo permittente, extinguatur. Christo Regi vestro obedite, Legem ejus, & officia status vestri religiose implete, ne æterna morte ut inimici ejus damnemini. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*

41. 42. 43. 44. *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Sic Jesus flet super animam peccatricem, quæ ruinæ suæ ac perditionis ipsa causa est. Fleamus & nos ipsi ut Christiani, ut pœnitentes. Odium peccati, amor Dei, perditio animæ nostræ, quam sanguinis sui pretio redemit Christus, fontes lacrymarum ex cordibus nostris eliciant. Cognoscamus quæ nobis pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum, pacem & felicitatem æternam procurare possunt. Cognoscamus tempus quo nos Deus visitat sive per beneficia, sive per flagella: pœnitentiam agamus, cum adest miserendi tempus, quia veniet dies judicii & ultionis. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem*, quia cæcus esse mavis, quam in Evangelii luce ambulare, *hæc abscondita sunt ab oculis tuis.* Hierosolymorum obsidio, expugnatio, vastatio, desolatio, typus est animæ rebellis a Deo derelictæ. Quia misericordiam Dei contempsit, Christumque peccatis suis iterum crucifixit, justitiam ejus experietur. *Qui enim in- S. Aug. justè ordinat se in peccatis, justè ordinatur in pœnis.* Epist. 140. alias 120. c. 2.

CAPUT XX.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *ET factum est in una dierum* hebdomadis ipsius qua passus est Jesus, *docente illo populum & evangelizante, convenerunt Principes Sacerdotum, & Scribæ*, seu Legisperiti, *cum Senioribus*, id est, primoribus populi, Senatoribus; quibus hominum generibus constabat Synedrium: *& ajunt dicentes ad illum*: his illum verbis compellarunt: *Dic nobis in qua potestate hæc facis*, & vendentes ementesque ejicis e Templo? Quo jure, qua auctoritate: *aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem?* Ad nos enim qui Præpositi Synagogæ sumus, veros a falsis Prophetis discernere pertinet. *Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum*: unum a vobis quæro, *respondete mihi: Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Qua auctoritate baptizabat Joannes, divina, an humana? *At illi cogitabant intra se, dicentes*: sic apud se ratiocinabantur: *Quia si dixerimus; De cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos; certi sunt enim Joannem Prophetam esse.* Qui Jesum in sermone capere tam sæpe nitebantur, quæstione ab illo proposita ita coarctati sunt, ut nullum illis pateret effugium nisi in ignorantiæ professione. *Et responderunt se nescire unde esset.* Ignorantiam prætexunt Magistri in Israel. Lapidari timent a plebe Principes Synagogæ, Seniores plebis. Metuunt ne in se recidat seditiosa immodestia & violentia, cui illam assuefecerant: nam cum inimicos suos publicis judiciis opprimere & e medio tollere non possent, in eos plebem concitare solebant; quod vocabant *judicium zeli*, ut observat Grotius. *Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Siquidem simulatis vos nescire quod scitis, aut pro officii vestri ratione scire debetis, ne confiteamini, quam odistis, veritatem: neque ego vobis dicam quod scio, quia indigni estis qui audiatis. Confer cum *Matth.* 21. 23. & *Marci* 11. 27. & *seq.*

9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Cœpit autem dicere ad plebem Parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit*

cavit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus. Itinere susceptо, diu extra patriam suam versatus est. *Et in tempore*, fructuum, *misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi: qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum servum mittere*: post hæc & alium servum misit: *Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.* Nullum illi fructum dederunt, quem vineæ Domino offerret. *Et addidit tertium mittere*: misit & tertium: *qui & illum vulnerantes ejecerunt. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur*, id est reverebuntur. Dixit, *forsitan*, non ut ignorans futurum quod pejus eum affecturi essent quam Prophetas: sed illud dicit quod fieri debebat: Christum enim revereri debebant. At illi usque adeo non sunt reveriti, ut etiam occiderint. Hic autem loquendi modus Scripturis familiaris est, ut cum dicitur, *Si forte audiant*. Neque enim sic loquitur Deus quasi futurum ignoret, sed ne quidam præscientiam Dei necessariam inobedientiæ causam esse dicant, idcirco ejusmodi verborum figura utitur. *Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se dicentes*, inita simul conjuratione: *Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.* Sublato hærede, vineam possidebimus. *Et ejectum illum extra vineam occiderunt.* Extra Jerusalem Christum Jesum occiderunt Judæi. Vel, extra Populum, qui nomine vineæ intelligitur, illum occiderunt, quia mortis ei fuerunt auctores, non sua ipsi manu, sed tradiderunt illum Pilato & Gentibus; dixerunt enim, *Non licet nobis interficere quemquam.* Unde Militum manibus occisus est. *Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito*, Principes Sacerdotum, legisperiti, & Senatores, intelligentes quo tenderet parabola, & quod de ipsis dicta esset, *dixerunt illi: Absit.* Malum istud omen Deus avertat, ut filium Domini vineæ, id est, Messiam occidamus. Jesum enim Christum esse, sive Messiam, credere nolebant.

Theophyl. in c. 20. S. Lucæ.

17. 18. *Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Si Christum occidere non decrevistis, cur de vobis scriptum est insigne illud Vaticinium? *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.* „ Lapidem seipsum nominat Christus, ædi- „ ficantes autem doctores ipsos, quemadmodum & Eze- „ chiel dicit: *Ædificantes parietem, & linientes absque* „ *temperatura*, hoc est, qui ad gratiam loquuntur, & „ cooperiunt delicta populi, & veluti in superficie vitia „ populi liniunt velut parietem quemdam. Quomodo au- „ tem reprobaverunt lapidem illum? Quia dicebant, non „ est ex Deo. Duas autem Judæorum perditiones hic „ designat: Unam animarum, in quam incidebant scan- „ dalizati: *Omnis enim qui ceciderit super lapidem istum,* „ *confringetur*. Alterum captivitatis, quam contemptus „ & rejectus ille lapis eis attulerit: *super quem autem* „ *ceciderit, comminuet illum*. Sic igitur comminuti sunt „ Judæi, & sicut paleæ dispersi sunt ab una area Judææ „ in totum Mundum. Prius autem ceciderunt super la- „ pidem, hoc est, scandalizati sunt, deinde lapis ceci- „ dit super eos, & ultus est illos. Præcedit enim pec- „ catum meum, deinde sequitur justa Dei vindicta. "

Theoph

19. *Et quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus illa hora.* Jesum ipsa hora apprehendere; sed ipsos cohibuit populi metus ne illi vim inferrent: ideo autem manus in Christum injicere meditabantur, quia hac parabola se notari ac perstringi animadverterunt. *Cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc*, id est, quod de ipsis loqueretur. Confer cum *Matthæi* 21. 23. & *Marci* 12. 1.

20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Et observantes*, quærentes opportunitatem ipsum perdendi, *miserunt insidiatores*, homines fraudolenter subornatos, *qui se justos simularent*, qui religionis & justitiæ zelum simulabant, seu probitatis speciem præ se ferebant, *ut caperent eum in sermone*, ut arrepta ex ipsius verbis occasione calumniam ipsi struerent, *ut traderent illum Principatui & potestati Præsidis.* „ Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, „ scimus, quia recte dicis & doces, & non accipis per- „ sonam, *nullam rationem habes personarum*; sed viam Dei „ in veritate doces: Licet nobis *qui Dei populus sumus*, „ *secundum Legem Moysi*, tributum dare Cæsari, an „ non? Considerans autem dolum & *malitiam* illorum, „ dixit ad eos: Quid me tentatis? Ostendite mihi dena- „ rium. Cujus habet imaginem & inscriptionem? Res- „ pondentes dixerunt ei: Cæsaris, Et ait illis: Reddite „ ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, „ Deo. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere co- „ ram plebe: & mirati in responso ejus, *sapientiam res-* „ *ponsi ejus admirati*, tacuerunt. " Confer cum *Matthæi* 22. 15. & *Marci* 12. 13.

27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo.* Uxorem fratris sui defuncti ducat, & ex ea suscipiat filium, qui in nomen defuncti transeat, ejusque filius & hæres nuncupetur. *Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.* Septem illi fratres eandem uxorem alter post alterius mortem acceperunt, & nulla ex ea suscepta prole obierunt. *Novissime omnium mortua est & mulier. In resurrectione ego, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.* Hac cavillatione fidem resurrectionis futuræ oppugnabant. *Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi*, homines qui in hoc sæculo vitam agunt mortalem, *nubunt*, & filiæ eorum *traduntur ad nuptias. Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo*, vita futuri sæculi, *& resurrectione* beata *ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores*: *neque enim ultra mori poterunt*: in immortalibus autem substantiis locum non habet generatio, quæ finis est nuptiarum. *Æquales enim Angelis sunt*, immortalitate, castitate, numero completo, ad cujus proinde complementum propagatione non sit opus: *Et filii sunt Dei*, adoptione consummata, in vitam immortalem, etiam secundum corpus, solius Dei virtute regenerati: *cum sint filii resurrectionis.* Omnes quidem resurgemus, sed *non omnes immutabimur*, (ait Apostolus.) Resurgent & reprobi, sed non resurgent in consilio Justorum; non erunt *filii resurrectionis*, qui ab operibus mortuis ante finem mortalis hujus vitæ non resurrexerunt. Resurgent non ad vitam, sed ad mortem æternam, quæ *secunda mors* in Scriptura Sacra vocatur. *Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem.* Quid sit autem secunda mors, explicat rursus S. Joannes loquens de reprobis: *Pars illorum*, inquit, *erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.*

Apoc. 20. 6. & cap. 2. 8.

37. 38. *Quia vero resurgant mortui*, quod futura sit resurrectio mortuorum, & *Moyses ostendit secus rubum*, Dei apparitionem in rubo ardente sibi factam commemorans: *Sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. Deus autem non est mortuorum, sed viventium.* Vivunt igitur Patriarchæ. Animæ ergo cum corporibus non intereunt: & corpora sua aliquando resumpturæ sunt Dei virtute, ut Dei promissionibus, & consummata beatitudine, Patriarchæ, ceterique electi pariter fruantur. *Omnes enim vivunt ei.* Vivunt quoad Dei potentiam & decretum, qui mortuos meliori vitæ reddere constituit & potest. Confer cum *Matthæi* 22. 13. & *Marci* 12. 18. Nisi Patriarchæ vixissent apud Deum in spe resurrectionis, non dixisset, *Ego sum*, sed, *Ego eram*. De rebus enim perditis & corruptis dicere solemus, Ego eram dominus hujus & ejus rei. Nunc autem quia dicit, *Ego sum*, ostendit quod sit viventium Dominus & Deus, & non omnino corruptorum, etiamsi mortui sint (ait Theophylactus.)

39. 40. *Respondentes autem quidam Sacribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti*: egregie confutasti Sadducæos. *Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.* Alias quæstiones illi deinceps proponere non ausi sunt Sadducæi.

41. 42. 43. 44. *Dixit autem ad illos*, ad Pharisæos scilicet ac Legisperitos: „ Quomodo dicunt Christum, fi- *Psalm. 109* „ lium esse David? & ipse David dicit in Libro Psal- „ morum: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris „ meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo- „ rum. David ergo Dominum illum vocat, & quomodo „ filius ejus est? " Non dubitabant Pharisæi quin ad Messiam Psalmus ille 109. spectaret; quin Messiam Dominum suum David appellaret; quin Messias filius Davidis secundum carnem futurus esset. Altiorem ergo de se opinionem indere volebat Jesus, scilicet se non tantum esse filium David, sed & Deum ac Dominum ejus. Confer cum *Matthæi* 22. 44. & *Marci* 12. 36.

45. 46. 47. *Audiente autem omni Populo dixit Discipulis suis: Attendite a Scribis*, cavete a Legis Doctoribus, *qui volunt ambulare in stolis*, qui togas ad talos usque demissas induti, gravitatem ostentant, & *amant salutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis* & publicis conventibus, *& primos discubitus*, honoratiorem locum *in conviviis*: *qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem*: prolixiorum precum specie munera elicium a viduis, & earum facultates emungunt. *Hi* propterea *accipient damnationem majorem*, gravius a Deo punientur.

SENSUS MORALIS.

1. *Dic nobis in qua potestate hæc facis? Aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem?* Prophetarum vaticinia, Joannis testimonium, Christi miracula, illum a Deo missum demonstrabant. Christi ergo exemplo tueri se non possunt Hæretici, ac excusare, quo minus suæ

missio-

missionis documenta proferant: siquidem nec a Prophetis prædicti sunt novi illi apostoli ac reformatores, nec miracula ediderunt ut Christus; & Ecclesiæ illos interrogantis auctoritatem superbe contemnunt, contumaciter rejiciunt, quod non fecit Christus. Illis ergo merito dicitur: *Qui estis? Quando? & unde venistis?*

Tertull. de Præscript. Hæret.

5. 6. 7. 8. *At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cœlo: dicet, Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos . . . Et responderunt se nescire unde esset.* Deo invisi sunt, damnationique obnoxii Ecclesiæ Ministri, qui veritatis confessionem & prædicationem ex commodis suis suspendunt; illam docent, prædicant, defendunt, cum ex ejus prædicatione, confessione, defensione, gloriam, honores & temporalem aliquam utilitatem consequi possunt: illam silentio premunt, dissimulant, malis artibus abscondunt, & in injustitia detinent, cum ea se redargui, convinci, damnari animadvertunt vel persentiscunt. Veritatem in animo suo despexit, inhonoravit, prodidit, qui solo hominum timore illam non impugnat. A Deo igitur cordium scrutatore judicabitur ut proditæ veritatis reus. Qui obedire nolunt veritati, nec illi testimonium perhibere, ignorantiæ, errori, mendacio, justo Dei judicio traduntur. *Et responderunt se nescire unde esset.* Simplicitas & humilitas indoctæ plebis oculos aperiunt sæpius ut lucentem videant veritatem: superbia & invidia claudunt oculos doctiorum & sapientum secundum propriam, mundique opinionem, ne veritatem agnoscant & confiteantur. Sic populus certus erat, *Joannem Prophetam esse*: Principes vero Sacerdotum, Scribæ, & Senatores, *responderunt se nescire unde* baptismus ejus *esset*.

9. 10. 11. *Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis . . . Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.* Donorum suorum usum, fructum mysteriorum, sanguinisque sui ab illis exigit Christus, quibus eorum dispensationem credidit, vocando illos ad sacrum Ministerium. Tempus semper est colendi vineam Domini; tempus semper est fructus illi dandi. Hos exigit verbo suo, Pastorum & Concionatorum adhortationibus & monitis, Sanctorum exemplis, gratiæ suæ piis inspirationibus. Has inanes qui dimittit, Spiritum sanctum contumelia afficit, Christum e vinea ejicit, Dei Filium occidit.

13. 14. 15. *Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur.* Deus misit Filium suum in Incarnatione: mittit quotidie ad sacrum Altare, ubi a Pastoribus immolatur & offertur: illum oculis fidei videntes Sacerdotes & Pastores, non revereantur solum & adorent, sed imitentur; se pro Ecclesia & animarum salute devoveant, quietem suam, immo vitam, si opus sit, immolent, ut Ecclesiæ filios acquirant; reddant Domino optatum vineæ suæ fructum: omnia sua, seque ipsos impendant, & superimpendant pro animabus Christi sanguine redemptis . . . Christum in animabus occidunt Sacerdotes & Pastores avari, ambitiosi, voluptatum amatores, otiosi, desides, qui negligentia sua aut pravis exemplis ad vitam fidei & gratiæ in illis extinguendam cooperantur. Christum in pauperibus occidunt, qui Ecclesiæ bona, reditusque suorum beneficiorum ad illorum sublevandam inopiam non dispensant, cum ex illis delibarunt, quod victui suo & vestitui necessarium est: sed pauperum patrimonium sibi vindicant quasi domini, & quasi hæreditate possiderent; avaritia crudeli recondentes & servantes; aut prodiga manu in luxum, in ludos, in convivia, in sumptus superfluos effundentes. *Cogitaverunt intra se dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas. Et ejectum illum extra vineam occiderunt.* Veniet, veniet tandem Dominus vineæ, & quis sustinebit adventum ejus, quis stabit ad videndum illum? Ministros infideles, Pastores mercenarios, injustos, violentos, patrimonii pauperum sacrilegos raptores perdet, æternisque pœnis addicet. *Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis.* Pro Ecclesia orandum, pro ejus Pastoribus ac Ministris, pro nobis ipsis, qui & vineæ Domini coloni sumus, ut ejus aspirante, præveniente, adjuvante & cooperante gratia, fructus bonorum operum, caritatis, salutis, fructus æternitate dignos feramus, illique offeramus. *Deus virtutum convertere: respice de Cœlo, & vide, & visita vineam istam: & perfice eam quam plantavit dextera tua.*

Psal. 79. 15. 16.

25. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Et Principibus, & Deo jura sua reddenda. Illis honor, obedientia, tributa, vectigalia: huic supremus cultus & adoratio, amor super omnia, totius Legis observantia, sacrificium, decimæ, oblationes, animus & homo integer ejus imagine signatus. *Imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in numm. est; & imaginem Dei Deo, quæ in homine est; ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.*

Tertull. lib. de Idol. cap. 15. Theoph. in hunc locum.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Non dixit, *Date*; sed, *Reddite*: debitum igitur est.

„ Custodit te Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam „ pacatam facit: debes itaque ei pro his tributum, præ„ sertim cum & ipsum quem profers nummum ab illo „ habes. Igitur numisma Regis iterum illi redde: inte„ rim autem tibi lucraris, quod per ipsum quæ vitæ de„ bita sunt præstantur. Sic denique & quæ Dei sunt, „ Deo sunt reddenda. Dedit tibi mentem, illam redde „ ei juxta mentem operans. Dedit tibi rationem, redde „ ei illam, ne fias brutis insipientibus similis, sed facias „ omnia ut rationalis. Dedit tibi animam & corpus, „ omnia redde ei, & imaginem suam restitue ei per fi- *1. Cor. 15. 49.* „ dem, spem, & caritatem incedens. *Sicut portavimus* „ *imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.*“

35. *Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores.* Futuro sæculo digni habebuntur, qui præsens sæculum & omnia bona transitoria contempserint, ut annos æternos & invisibilia æternaque bona Christiana spe consectarentur. Ad felicem illum statum beatæ resurrectionis tendamus bonæ vitæ meritis. Castitatem servemus, unusquisque secundum suum statum, propriumque donum, ut aliquando *pares* simus *Angelis Dei*: moriamur penitus peccato & mundo, cupiditates nostras mortificemus; ut sorteni Sanctorum assequamur, beatam immortalitatem: *Neque enim ultra mori poterunt.* Exspoliemus veterem hominem cum actibus suis, ut filii Dei vivamus, ut illius hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam in cœlis consequamur, in novam vitam geniti, in qua nihil reliquum erit ex veteris Adami vita, nulla necessitas, nulla cupiditas, nulla infirmitas, nulla perturbatio; sed perfecta secundum corpus & animam sanitas, immortalitas, felix non peccandi necessitas, æterna pax & ex summi boni fruitione nusquam amittenda certissima securitas. *Et filii sunt Dei, cum filii sint resurrectionis.*

Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 63.

37. *Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit*, &c. Resurget igitur caro, *& quidem ipsa, & quidem integra.* „ In depositо est ubicumque apud Deum, per „ fidelissimum sequestrem Dei & hominum, Jesum Chri„ stum, qui & homini Deum, & hominem Deo red„ det, carni spiritum, & spiritui carnem. Utrumque „ jam in semetipso fœderavit, sponsam sponso, & spon„ sum sponsæ comparavit. Nam etsi animam quis con„ tenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam „ caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur „ a sponso. Habet instrumentum, habet cultum, ha„ bet mancipium suum carnem; ut collactanea comita„ bitur. Sed caro est sponsa, quæ & in Christo Jesu „ Spiritum sponsum per sanguinem pacta est. Hujus in„ teritum quem putas, secessum scias esse. Quam Deus „ manibus suis ad imaginem Dei struxit; quam de suo „ adflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit; „ quam incolatui, fructui, dominatui totius suæ opera„ tionis præposuit, quam Sacramentis suis disciplinis„ que vestivit: cujus munditias amat, cujus castigatio„ nes probat, cujus passiones sibi adpreciat; hæccine „ non resurget toties Dei?“

CAPUT XXI.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. RESPICIENS autem, JESUS, *vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites.* Gazophylacium, arca erat in Templo collocata, in qua bene clausa unum tantum foramen superne relictum erat, excipiendis muneribus quæ Templo offerebantur. *Vidit autem & quamdam Viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, & dixit: Vere dico vobis, Quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit*, si ejus animus & affectus spectetur. *Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei*: Ex eo quod sibi redundabat, sive supererat, munera Deo contulerunt: *Hæc autem ex eo, quod deest illi*, ex penuria sua, *omnem victum suum quem habuit, misit*: totum quod illi ad vitam sustentandam opus erat. Confer cum *Marci* 12. 41.

4. Reg. 12. 10. Joseph. lib. 5. Antiquit. c. 8.

5. 6. 7. 8. *Et quibusdam dicentibus de Templo*, præ admiratione, *quod bonis*, id est, præclaris *lapidibus* constructum, *& donis* magnificis ac pretiosis *ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Veniet tempus, quo tam magnificum ædificium ita destruetur, ut nec lapis lapidi cohæreat. *Interrogaverunt autem illum dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient?* Quo signo cognoscetur illa proxime futura? *Qui dixit: Videte ne seducamini: Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum*: & dicent, Ego sum Christus; *& tempus appropinquavit*, quo hujusmodi seductores nomen meum usurpantes orientur: *Nolite ergo ire post eos.* Cavete ne illis credatis.

9. 10. 11. *Cum autem audieritis prælia, & seditiones* excitari, *nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed non statim finis.* Hæc quidem certissime contingent, sed nondum adest tempus Templi & Urbis excidio divinitus præfinitum. *Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum.*

gnum. Et terræ motus magni erunt per loca, in locis nonnullis, *& peſtilentiæ*, *& fames*, *terroreſque de cœlo*, terriculamenta, ſeu extraordinariæ aeris impreſſiones *& ſigna magna* iræ Dei & vindictæ imminentis *erunt* in cœlo conſpicua. Romphæa ſcilicet Urbi imminens de cœlo apparuit; flamma in Templo viſa, fores Templi ſponte apertæ, currus & armatæ phalanges conſpectæ in nubibus, vox in Templo audita, *Migremus*, cum exeuntium ſono; fanaticus homo nomen Jeſu ferens, per
Lib. 6. c. 31. annos quatuor clamans; *Væ, væ Hieroſolymis; Væ, væ Urbi & Populo & Templo*, ut Joſephus commemorat in Libris *De bello Judaico*.

12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Sed ante hæc omnia, injicient vobis manus ſuas, & perſequentur* vos, *tradentes in Synagogas & cuſtodias, trahentes ad Reges & Præſides, propter nomen meum*; propter confeſſionem nominis mei, quod me Chriſtum eſſe confeſſi fueritis. *Contingent autem vobis in teſtimonium*. Hæ perſecutiones vobis contingent ut teſtimonium perhibeatis veritati. *Ponite ergo in cordibus veſtris*, memori mente conditum tenete, *non præmeditari* anxie & ſollicite, *quemadmodum reſpondeatis: Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*. Vobis dabo facultatem loquendi; ſuggeramque vobis ſermonem ſapientem, cui veſtri & veritatis hoſtes nihil opponere poterunt quod veri ſpeciem habeat. Id impletum in Stephano, de quo ſcriptum eſt: *Et non poterant reſiſtere ſa-*
Act. 6. 10. *pientiæ, & Spiritui, qui loquebatur*. Hunc locum tra-
lib. 5. contra Marcion c. 39. ctans Tertullianus præclare dixit: *Quid enim ſapientius & incontradicibilius confeſſione ſimplici, & exerta in Martyris nomine cum Deo invaleſcentis?*

Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum: & capillus de capite veſtro non peribit. Nihil damni ſentietis: etſi enim aliquid patiamini ad tempus, & vitam ipſam temporalem amittatis, ſecuri eſtote majus inde lucrum acceſſurum, gloriam ſcilicet ſempiternam. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Per patientiam ſalvos facietis voſmetipſos. In patientia & ſpe erit fortitudo veſtra. Hæc arma quibus nominis mei hoſtes vincetis.

20. 21. 22. 23. 24. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſo-*
Iſai. 22. *latio*, ſive excidium *ejus. Tunc qui in Judæa ſunt, ju-*
Daniel. 9. *giant ad montes*, in loca tuta: *& qui in medio ejus*, ſci-
Joſeph. lib. 4. de bello Judaico cap. 3. & lib. 6. c. 1. Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap 5. Joſeph. lib. 7. de Bello c. 17. licet Judææ, *diſcedant*; *& qui in regionibus* vicinis, *non intrent in eam*, ne concluſi pereant gladio, vel igne, vel fame. *Quia dies ultionis* divinæ *hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt* a Prophetis de Templi & Urbis excidio. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, quia onere gravatæ fugere non poterunt: *Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic*. Malis graviſſimis regio iſta opprimetur, & ira Dei in hunc populum ſæviet. *Et cadent in ore gladii*, id eſt, acie gladii peribunt: & qui reliqui fuerint, *captivi ducentur in omnes gentes. Et Jeruſalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora Nationum*. Jeruſalem tenebitur a Gentibus jure victoriæ, donec tempora dominio gentium in Populum Judaicum a Deo conſtituta, ſeu ultima tempora quartæ Monarchiæ a Daniele præſcripta impleantur, & judicii generalis tempus adveniat.
Rom. 11. 25. Vel, *donec plenitudo gentium intret* in Eccleſiam, *& ſic omnis Iſrael ſalvus fiat*. Confer cum *Matth.* 24. 25. & *Marci* 13. 14.

25. 26. 27. 28. *Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis; & in terris preſſura Gentium*, extrema anxietas & conſternatio Gentium, *præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione* calamitatum, *quæ ſupervenient univerſo orbi*. Secundum Chriſti adventum hæc ſigna ſpectant. Ad illum ſcilicet tranſit poſtquam de Templi & Urbis excidio dixit, ut alteri Diſcipulorum quæſtioni reſponderet, ut ex *Matthæi* 24. 3. compertum eſt. *Nam virtutes cœlorum movebuntur:* omnis ornatus & diſpoſitio cæli perturbabitur: *Eſt tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra*. Bono eſtote animo, proxime enim complebitur redemptio corporis veſtri, plena illa & conſummata liberatio a ſervitute corruptionis, a perſecutionibus, a malis omnibus. „ Scimus enim quod omnis
Rom. 8. 22. 20. 24. „ creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. Non ſo-
„ lum autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus ha-
„ bentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filio-
„ rum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri.
„ Spe enim ſalvi facti ſumus. “

29. 30. 31. 32. 33. *Et dixit illis ſimilitudinem; Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei*; ſive regni Dei perfectio, quo ſubjectis hoſtibus pacifice & tranquille regnaturus ſum ſuper corpus electorum meorum tunc in cælis collectum & adunatum. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, quæ vobis futura denuntio. *Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt*. Quæcumque promiſi, juſſi, vel prædixi, certiſſime complebuntur. Confer cum *Matthæi* 24. 29. *& ſeq.* & *Marci* 13.

34. 35. 36. *Attendite autem vobis*, cavete *ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*, quibus obtunditur animus, & impeditur ne divina cogitet, Deique judicium metuat: *& ſuperveniat in vos repentina dies illa*; ne repente vobis ſuperveniat terribilis judicii dies. Metaphora eſt a navibus onere prægravatis, ac proinde ſidentibus. *Tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*. Ex improviſo ſuperveniet omnibus qui ſic in terra habitant, ut eorum animus in res terrenas defixus ſit, & in illis quieſcat. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini*, id eſt, efficiamini, *fugere iſta omnia quæ futura ſunt*, ſeductiones Pſeudoprophetarum, iram Dei, æterna impiorum ſuplicia: *& ſtare* cum fiducia *ante Filium hominis*: ante tribunal meum. Magna eſt hujus verbi emphaſis, *Ut digni habeamini*: ſignificat enim omnia deberi gratiæ Dei.

37. 38. *Erat autem diebus* ſive per dies *docens in Templo: noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti*, in oratione pernoctans. *Et omnis populus manicabat ad eum in Templo audire eum*. Diluculo conveniebat in Templum, ut illum audiret.

SENSUS MORALIS.

1. 2. 3. 4. *Reſpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium divites*, &c. Nunc etiam manum & cor divitis & pauperis Chriſtus Jeſus reſpicit. Ab ipſo uno videri ament & quærant divites, qui ad Templorum ornatum, ad incrementum divini cultus, vel ad pauperum ſuſtentationem donaria & eleemoſynas conferunt. Alioquin mercedem inviſibilem & æternam caritatis non recipient, quia receperunt mercedem inanem vanitatis. *Receperunt mercedem ſuam*. Pauper qui ex neceſſario ſuo demit aliquid ut Deo & aliis pauperioribus offerat, ſpectaculum eſt Chriſti Jeſu oculis dignius, quam dives qui ex ſuperfluo ſuo abundantius erogat. Bona opera non ideo magna ſunt coram Deo, quod a divitibus, magnatibus & potentibus fiant, ſed quod animo vere Chriſtiano, animo paupere; ab avaritia & cupiditate bonorum temporalium, ab amore ſæculi purgato; qui viduæ inſtar cæleſtis Sponſi mortem luget, illiuſque deſiderio ingemiſcit: qui totum quod eſt, quod operatur, quod poſſidet, ſua, ſeque ipſum in primis offert Deo, & tamen ſe pene nihil offerre exiſtimat. *Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo*. De magnitudine muneris judicat æquiſſimus æſtimator & munificentiſſimus remunerator Deus non ex ipſo munere quod offertur, ſed ex animo offerentis. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus. Ad Cain vero & ad munera illius non reſpexit*. Applauſus & laudes quæ magna divitum dona ſequuntur, vana gloria & complacentia quæ illa ſæpe comitatur; imperfecta religio, & modica fides offerentium, ſæpe illorum pretium apud Deum minuit. Contra pauper, fide, caritate & humilitate dives magna ſemper munera Deo offert, quantumvis modica hominibus videantur, quia pretium, magnitudinem, excellentiam ex religione offerentis accipiunt. *Et dixit: Vere dico vobis quia vidua hæc pauper, plus quam omnes miſit*. Dives qui multum offert, multum ſibi ſervat; pauper qui totum erogat, ſolam in Deo fiduciam retinet. Oblatio & eleemoſyna ex ſuperfluo Deo grata, & ad ſalutem neceſſaria homini eſt: oblatio & eleemoſyna ex neceſſario, longe gratior: vitæ enim propriæ ſacrificium eſt. Hic eſt gratiæ triumphus, quæ animam Chriſtianam ſupra metum paupertatis evehit fide divinæ providentiæ, religionis amore. *Omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi omnem victum ſuum quem habuit, miſit*.

6. *Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*. Quæ oculis carnis magnifica, quæ humanæ curioſitati admirabilia ſunt, nec æſtimatione Chriſti, nec membrorum ejus admiratione digna habentur. Qui alios habent oculos quam corporis, ſcilicet illuminatos fide divina oculos mentis, aliam pulchritudinem conſiderant & ſuſpiciunt quam lapidum, ædificiorum, omniumque rerum creatarum. Cogitant enimvero illas brevi perituras: ſolam Dei pulchritudinem indeficientem eſſe & æternam. *Tu autem Domine, in æternum permanebis, ſolium tuum in generationem & generationem*. Quæcumque pulchra ſunt in operibus naturæ vel artis non teneant animam meam; teneat eam Deus, qui fecit hæc, bona quidem valde; ſed ipſe eſt bonum meum, non hæc. Quæcumque in mundo pulchra ſunt, ab illa pulchritudine veniunt quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die ac nocte. „ Sero te amavi, Pul-
„ chritudo tam antiqua & tam nova, ſero te amavi. Et
„ ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam; & in
„ &

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi per ſingulos dies, Ubi eſt Deus tuus? *Pſal. 41. 3. Geneſ. 4.*

Lament. Jeremiæ 5. 19.

S. Auguſt. in Confeſſ.

„ & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam. „ Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant „ longe a te, quæ si in te non essent, non essent. "

8. *Videte ne seducamini*, &c. Seducuntur, qui cæcos aut corruptos conscientiæ suæ Moderatores eligunt; qui secundum Christi Jesu doctrinam & Evangelium illos non instituunt, sed secundum opiniones hominum, quas probabiles vocant, secundum mores sæculi, secundum prudentiam carnis. Cavendi seductores, qui specie singularis perfectionis, passivæ orationis, & mysticæ quietis, simplices animas ab actibus virtutum, a piorum librorum, & maxime a Novi Testamenti lectione, a frequentatione Sacramentorum, a vitæ pœnitentis exercitiis & Christiana mortificatione, a meditatione mysteriorum Christi, ab ejus cruce avertunt: qui naturæ corruptæ cupiditatibus & propensionibus blandiuntur; qui cum spiritu cœperint, sæpe carne consummantur, homines cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, crucis Christi inimici, Mulieres præsertim dirigere dicam, an perdere amantes? longaque & secreta colloquia cum ipsis miscentes. *Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes. Quia ego sum: & tempus appropinquavit: Nolite ergo ire post eos.* Sed heu! seduci amat maxima pars hominum in rebus animæ salutem & morum institutionem spectantibus; nuncque completur illud
2. Tim. 4. 3. Apostoli oraculum: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Sed & a vobismetipsis cavete, quia principium seductionis in vobis ipsis est, in concupiscentiis, in amore proprio. *Timeo autem, ne sicut Serpens Hevam seduxit in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Pseudo apostolos cavete, operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi: „ Et non mirum; ipse enim Satanas se transfi-
„ gurat in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si
„ ministri ejus tranfigurentur velut ministri justitiæ: quo-
„ rum finis erit secundum opera ipsorum. "

9. *Cum audieritis prælia & seditiones, nolite terreri*, &c. Bella, seditiones, & aliæ calamitates hic a Christo prænunciatæ, flagella Dei sunt. His utitur Deus ultionum ad puniendum Reges & populos in divinam suam Majestatem perduelles; intestinamque carnis adversus spiritum in utrisque pugnam. Solus Deus omnipotens & bonus ex tantis malis bonum elicere potest. Ejus misericordiæ serviunt in electis, ejus vero justitiæ in majori numero reproborum. His terreri malis non debet Christianus. His terrentur improbi, qui non diligunt adventum Christi, quibus hæc mala graviorum præsagia sunt æternorumque tormentorum. His justi non terrentur, quibus media sunt purgationis interioris & sanctificationis, ut cum fiducia compareant ante tribunal Christi; necnon præsagia proximæ liberationis, & regni Salvatoris.

12. *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas; & persequentur, tradentes in Synagogas & custodias, trahentes ad Reges & Præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium.* Persecutio utilis est, quæ fidem probat, patientiam exercet, ab amore Mundi Christianos avellit, Christo arctius conjungit, cor examinat & purgat, veritatem Confessorum gloriosis testimoniis, Martyrum sanguine confirmat, spem excitat, caritatem magis accendit. „ Quis ergo non omnibus viribus
S. Cypr. de exhor. Martyrum. „ elaboraret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus
„ Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut post tor-
„ menta & supplicia terrena præmia divina percipiat?
„ Si militibus sæcularibus gloriosum est, ut hoste devi-
„ cto redeant in patriam triumphantes: quanto potior &
„ major est gloria, victo diabolo ad patriam triumphan-
„ tem redire, & unde Adam peccator ejectus est, illuc
„ prostrato eo qui ante dejecerat, trophæa victricia re-
„ portare? Offerre Deo acceptissimum munus, incorru-
„ ptam fidem, & virtutem mentis incolumem, laudem
„ devotionis illustrem? Comitari eum, cum venire cœ-
„ perit, vindictam de inimicis recepturus? Lateri ejus
„ assistere, cum sederit judicaturus? Cohæredem Chri-
„ sti fieri, Angelis adæquari; cum Patriarchis, cum Apo-
„ stolis, cum Prophetis cælestis regni possessione lætari?
„ Has cogitationes quæ persecutio potest vincere? Quæ
„ possunt tormenta superare? Durat fortis & stabilis re-
„ ligiosis meditationibus fundata mens: & adversus om-
„ nes diaboli terrores & minas mundi animus immobilis
„ perstat; quem futurorum fides certa & solida corrobo-
„ rat. Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed
„ patet cælum; minatur Antichristus, sed Christus tue-
„ tur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso
„ mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita
„ temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. "

S. Cypr. de bono Patientiæ. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Christiana patientia pretium salutis est. Per eam peccatores justitiam inveniunt, pœnitentes recipiunt, justi conservant, pro ea certant ad mortem usque Martyres, præmio illius fruuntur Sancti; seque ipsos possident, Deum possidentes. „ Patientia est quæ nos Deo commendat &
„ servat, ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam fre-
„ nat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplina regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet; tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuam charitatem: facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites: docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter provehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. " Amemus & imitemur patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse dependit. Offeramus *patientiam spiritus, patientiam carnis*, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus. *Si tanta suffert Anima ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat?* &c.

Tertull. lib. de Patientia.

S. Aug. lib de Patientia cap. 7.

25. *Et erunt signa in sole, & luna, & stellis*, &c. Misericordia Dei hæc signa præmittit, ut ejus iram per pœnitentiam fugiamus, Divini judicii timorem fides in nobis excitet. Omnibus communis erit judicii metus, paucis utilis. Solo malorum temporalium timore arescere homines possunt, converti non possunt. Timor malorum invisibilium & æternorum, quem fides excitat, spes comitatur, caritas sanctificat & perficit, *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, ad salutem utilis est. *Observabo me ab iniquitate mea, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli a me.*

Undique Deus terret, quia non vult invenire quos damnet. *inquit S. Aug. Ser. 19. alias ex editis a Sirmondo Ps. 17. 24.*

28. *His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra*, &c. Securi sint boni, Judicem ipsorum nullus adversarius corrumpit, aut circumvenit, nullus testis illudit. Sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. Non talis judicat, cui aliquid abscondatur. Numquid enim Deus judicans quæsiturus est testes, per quos discat quis sis? Unde potest falli quis sis, qui noverat quis esses futurus? Te interrogat, non alium de te. „ Dominus interrogat justum & impium. Interrogat
S. Aug. Serm. 47. de Ovibus c. 6. „ autem te, non ut discat a te, sed ut confundat. Ha-
„ bentes ergo judicem talem, quem nemo contra nos
„ fallit, nemo pro nobis; sic agamus, ut ejus judicium
„ venturum non timeamus, sed exspectemus & desidere-
„ mus. Numquid enim frumenta timent ne mittantur in
„ horreum? Immo optant vehementer & desiderant.
„ Numquid oves timent ne ponantur ad dexteram? Immo
„ nihil eis tam tardum est, quam donec fiat. " Hi vero ex animo & tota sinceritate dicunt, cum orant, VENIAT, REGNUM TUUM. Mali vero hominis in his verbis & cor trepidat, & lingua titubat. Quomodo enim dicis, *Veniat regnum tuum?* Ecce veniat: qualem te inveniet? Sic ergo age ut securus ores. Sic vive ut diligas adventum ejus.

29. *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas*, &c. Iniqui videntur florere ad tempus, & justi laborare; sed quare? Quia nox est adhuc. Quid est, nox est? Non apparent merita justorum, & quasi nominatur felicitas impiorum. Tam diu videtur herba lætior quam arbor, quam diu hyems est. Herba enim per hyemem viget, arbor per hiemem quasi arida est: cum Sol exierit ferventior tempore æstatis, arbor quæ per hyemem arida videbatur, expletur foliis, profert fructus; herba autem arescit: videbis honorem arboris, herba arida est; sic & modo justi laborant antequam veniat æstas. *Est vita in radice, nondum apparet in ramis. Radix autem nostra caritas est.* Et quid ait Apostolus? „ Ut supra de-
S. Aug. Enarr. in Ps. 48. serm 2. n. 3. „ beamus habere radicem, ut vita sit Pastor noster,
„ quia habitatio nostra non debet recedere de cœlo,
„ quia in hac terra debemus sicut mortui ambulare:
„ ut supra viventes, infra mortui simus, non ut supra
„ mortui infra vivamus. " Quia ergo non debet recedere vita nostra & cor nostrum desuper, quid ait Apostolus? *Mortui enim estis.* Et ne timeres, *Vita vestra abscondita est*, ait, *cum Christo in Deo.* Ecce ubi Coloss. 3. 3. est radix nostra. Quando autem apparebit honor noster, tamquam in foliis & fructibus, sequitur & dicit, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.*

34. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa.* Lugendum est quod maxima pars hominum voluptatibus carnis & sensuum ita sit irretita, vel sæculi negotiis ita implicata, ut de æternitate, de Dei judicio, de morte minime cogitent. Cum repentina mors & improvisa tam multis superveniat, securi vivunt: terribilibus Dei minis in sacra Scriptura intonantibus non excitantur. Sedent, immo jacent in terra quieti, non sapientes, non desiderantes,

non cogitantes quæ sunt in cœlo, sed quæ super terram. Ideo *tamquam laqueus* incautas aves, illos intercipiet mortis judiciique dies. *Amor rerum terrenarum, spiritualium viscus pennarum.* Vigilandum igitur, orandum est omni tempore, siquidem incerti sumus qua hora ad tribunal Christi vocandi sumus. Qui Deum & ejus voluntatem semper desiderat, qui justitiam in hac peregrinatione semper esurit & sitit, semper orat. Vigilandum Christianis, ne officiis suis desint; orandum, ut gratiam impetrent qua fideliter illa impleant. „ Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis: *ait Christus Dominus.* „ Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet (*ait Apostolus*): cum enim dixerint: Pax & securitas; tunc „ repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. Vos autem, fratres, non „ estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii „ diei: non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non „ dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii „ simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui „ ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei, & charitatis, „ & galeam spem salutis."

S. Aug.

1. Thessal. 5.

CAPUT XXII.

Sensus Litteralis.

1. 2. *Appropinquabat autem dies festus Azymorum*, dies ille solemnis, quo Judæi panibus azymis vesci incipiebant, secundum Legem; qui dies Pascha vocatur ab Agni Paschalis immolatione: *& quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ* seu Legisperiti, *quomodo Jesum interficerent*, an dolo, an vi manifesta, & quo tempore: *timebant vero plebem*: ideo palam violentas manus in illum injicere non audebant.

3. 4. 5. 6. *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominatur Iscariotes, unum de duodecim.* Intravit non in corpus Judæ, sed in animum, pravis suggestionibus consentientem. *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas, &c.* (ut dicitur Joannis 13.) *Et abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum & Magistratibus*, seu Præfectis excubiarum Templi, *quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit.* Mutuo se obligavit, & coram illis palam professus est, se Jesum traditurum. *Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis*, id est, clam populo, qui solebat eum sequi, vel sine tumultu.

7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Venit autem dies Azymorum* primus & solemnis, *in qua necesse erat occidi Pascha*, Agnum Paschalem immolari. *Et misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha*, sine mora Paschale convivium instruite, *ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem*, cum primum civitatem ingrediemini, *occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans*, vas fictile aqua plenum; *sequimini eum in domum, in quam intrat*, seu intrabit; *& dicetis patri-familias domus: Dicit tibi Magister, Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum*, instructum mensis & lectulis, omnique supellectili ad apparatum convivii necessaria, *& ibi parate* quod nobis necesse est ad Paschalem Cœnam. *Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis* Jesus, servum, domum, patrem-familias, cœnaculum stratum, *& paraverunt Pascha*, secundum ejus mandatum,

14. 15. 16. *Et cum facta esset hora*, cum cœnandi tempus esset, quippe multa jam nocte, *discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ardentissime desiderarvi hanc ultimam cœnam Paschalem vobiscum peragere, in qua singularia & eximia amoris mei vobis exhibiturus sum argumenta, & magna mysteria traditurus, antequam patiar. *Dico enim vobis, Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Pascha non celebrabo vobiscum, donec impleatur in regno Dei, id est, in regno cœlorum, quod illa victima & cœna legali ac typica significatur, scilicet liberatio perfecta a peccato & a morte stipendio peccati, quam adumbrabat liberatio ex Ægyptiaca servitute, cujus quidem liberationis monumentum erat Pascha. Vel, donec manducem vobiscum post resurrectionem meam, typicis sacrificiis per mortem meam impletis. Vel, donec illud manducem vobiscum in Ecclesia, quæ Dei regnum est, in mystica Eucharistiæ mensa, convivium ipse pariter & conviva, & Pascha vestrum, ut Apostolus ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Unde Origenes lib. 8. Contra Celsum: „ Quisquis, inquit, „ cogitat Pascha nostrum immolatum esse Christum, celebrandumque hoc Festum edendo carnem Verbi, nunquam non Pascha facit, quod interpretatur ac si dicas TRANSITORIA, transiens semper ratione, „ omnique cogitatione atque actione ad Deum, a negotiis „ sæcularibus, & ad civitatem ejus festinans." 1. Cor. 5. 7. p. 392. Edit. Cantabrig.

Theophyl. in hunc locum.

17. 18. *Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.* Calix iste communis est, quo ex more cœnæ in orbem bibebatur, patre-familias proxime sibi discumbentibus poculum porrigente, aliis vero de manu in manum sibi mutuo tradentibus. Calix vero de quo Vers. 20. calix mysticus est, in quo Christus Sanguinis sui Mysterium consecravit. *Dico enim vobis, Quod non bibam de generatione vitis*, id est de fructu vitis, seu vino, *donec regnum Dei veniat.* Postremum scilicet illud convivium est, quod vobiscum facio ante mortem meam, qua sum a Patre clarificandus, & potestatem omnem in cœlo & terra accepturus.

Theophyl.

19. 20. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum*, illud ipsum *quod pro vobis datur*, quod pro vestris peccatis immolatur, verum proinde corpus, a Dei Verbo ex Virgine assumptum, *vivificum.* Veritas enim non mentitur, *Hoc*, quod me facere videtis, in hujus institutione Mysterii, *facite in meam commemorationem*, ad perennem mortis meæ memoriam sacrum hunc ritum & sacrificium celebrate. *Similiter & calicem* accepit, *postquam cœnavit*, post cœnam legalem, *dicens: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hic calix, quem manibus teneo, instrumentum authenticum est, quo Novum fœdus seu Testamentum sancitur & obsignatur per sanguinem meum in ipso calice contentum: Qui sanguis pro vobis fundetur in cruce. Secundum vim Græci Textu, *Qui pro vobis funditur*, quæ vox non solum idem significat ac *effundetur*, rem scilicet mox futuram designans ut præsentem: sed mysticam sanguinis Christi effusionem in calice Eucharistico: quemadmodum Agni Paschalis sanguis ad pedem Altaris effundebatur. Sicut ergo vero sanguine animalium vetus Testamentum sancitum est, dicente Moyse: *Hic est sanguis fœderis*: ita vero sanguine Christi, non figura vacua sanguinis ejus Novum Testamentum est obsignatum, ut umbra in veritatem, figura in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur. Nec vero typus sanguinis, id est vinum, sed sanguis ipse pretiosus Christi effusus est in remissionem peccatorum. „ Dicendo autem, *Quod pro vobis datur, & „ effunditur*, non pro solis Apostolis significat corpus e„ jus esse datum, & sanguinem ejus effusum, sed pro „ humano genere. Vetus enim Pascha perficiebatur ob „ liberationem ex Ægyptiaca servitute, & sanguis agni „ effundebatur ob servata primogenita. Novum autem Pa„ scha propter remissionem peccatorum, & conservationem „ cogitationum sanctificatarum & consecratarum Deo." S. Cyrill. Alexand. Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. & can. 2. Tertull. Adversus Marcion. lib. 4. c. 40. Testamentum constituens sanguine suo obsignatum. Exod. 24. 8. Theophyl. in hunc locum.

21. 22. 23. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Unus ex vobis simul mecum discumbentibus, qua manu jam cibum sumet, eadem mox hostibus me tradet. *Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit*: Secundum quod æterno Dei consilio constitutum est, ad passionem & mortem vadit: *Væ autem homini illi per quem tradetur*; cujus proditionem Deus præscivit tantum ac permisit, non effecit; quamvis eam ordinaverit ac direxerit ad finem redemptionis nostræ per passionem & mortem Christi, & ad gloriam suam. Traditoris vero supplicium non solum præscivit, sed decrevit. „ Non *enim* casus ruentium, nec malig„ tatem iniquorum, neque cupiditates peccantium præde„ stinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit: sed „ plane prædestinavit judicium suum, quo unicuique re„ tributurus est prout gessit, sive bonum, sive malum: „ quod judicium omnino futurum non esset, si homines „ Dei voluntate peccarent." Confer cum *Act.* 2. 23. ubi S. Petrus de Jesu pro concione loquens Israelitis ait: „ Hunc „ definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus „ iniquorum affigentes interemistis. Et cap. 4. 27. 28. „ Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum „ puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pon„ tius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere „ quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri." S. Prosper. in Respons. ad Object. Vincent.

Et ipsi Apostoli *cœperunt quærere inter se, Quis esset ex eis, qui hoc facturus esset*, Dominum scilicet traditurus.

24. 25. 26. 27. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*, sive quis censendus esset maximus. Verisimile non videtur erudito Interpreti Apostolos tam luctuolo tempore vacasse ambitiolo certamini. Istam igitur contentionem non tunc, sed olim inter illos factam, a S. Luca hic referri putat: quia Christus memor quod olim inter se de primatu disceptassent, abiturus, ut dilectionis, ita & humilitatis præcepta illis tradidit. *Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum*, seu potius earum, durumque in subditos imperium exercent: *& qui potestatem habent super eos benefici vocantur*, Beneficorum nomen, aliosque titulos honorificos affectant. *Vos autem non sic* agere debetis: *sed qui major est in vobis, fiat sicut minor*, seu junior, secundum vim Græci Textus, *& qui præcessor est*, seu ordine, Grotius in hunc locum.

dine, gradu, dignitate, auctoritate superior, fiat *sicut ministrator*, se velut omnium ministrum gerat. *Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem* Dominus, Magister, ac Deus vester *in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Confer cum *Matthæi* 20. 25. & *Marci* 10. 42. & seq.

28. 29. 30. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; id est, in rebus adversis me non deseruistis. *Et ego*, in præmium fidelitatis & constantiæ vestræ, *dispono*, præparo seu polliceor *vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum*; non terrenum & temporale, sed cœleste; *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*: ut mensæ meæ consortes sitis, id est, primos honores in regno meo habeatis: & ineffabilibus deliciis mecum perfruamini & torrente voluptatis potemini: *& sedeatis super thronos*, potestatis meæ participes, *judicantes duodecim Tribus Israel*. Confer cum *Matth.* 19. 28.

31. 32. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*. Satanas vestræ omnium salutis adversarius, sibi a Deo permitti petiit ut vos tentationibus suis agitaret, ventilaret, vexaret, fidemque vobis excuteret, sicut triticum in cribro sursum atque deorsum vertitur, & concutitur. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ut penitus non extinguatur, non intereat, quamquam grave ac lethale vulnus acceptura sit cum me negabis. *Et tu aliquando conversus* ad pœnitentiam, & efficacissima gratiæ meæ virtute in fide confirmatus, vicissim *confirma fratres tuos*, Christianos omnes, ipsosque Condiscipulos, ne in fide deficiant; pro ipsis ora, sicut ego pro te oravi, illisque firmissimæ & constantissimæ fidei, exemplo præluceas. *Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*. Ne gloriarentur Apostoli, & suis viribus tribuerent quod soli pene inter tot millia Judæorum dicerentur in tentationibus permansisse cum Domino, ostendit eos, si non juvantis se Domini essent opitulatione protecti, eadem procella cum ceteris potuisse conteri. De Petro dici potest, quod de lapsis qui fidem in persecutione exterius negaverant, S. Cyprianus ad Antonianum scribit: *Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos persecutione funesta sauciatos videmus: Qui si in totum mortui essent, numquam de eisdem postmodum & Confessores & Martyres fierent. Sed quoniam est in illis quod pœnitentia sequente revalescat, ad fidem & ad virtutem de pœnitentia robur armatur*. In Petri negantis Christum animo mansit semen fidei, quod pœnitentia sequente revalesceret, ut etiam commentatur post Sanctum Ambrosium Enarratione in Psalm. 43. n. 40. Theophylactus. *Rogavi ut non deficiat fides tua*: Quamvis enim brevi tempore concutiendus sis, *habes tamen recondita semina fidei, ut etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivat, & non deficiat fides sua*.

Vener. Beda in hunc locum.

Litteralem istius loci sensum S. Augustinus explicat, & ad Petri perseverantiam in fide, gratiæque specialis & efficacissimæ necessitatem ut perseveraret, pertinere docet. „ Si ad liberum arbitrium hominis (*inquit*) „ quod non secundum gratiam, sed contra eam defendis, „ pertinere dicis ut perseveret in bono quisque, vel non „ perseveret, non donante Deo si perseveret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra „ verba dicentis: *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua?* An audebis dicere, etiam rogante Christo ne „ deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si eam Petrus „ deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset: Quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam „ quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri si ea quæ „ fidelis erat voluntas ipsa deficeret; & permansuram, „ si eadem voluntas maneret; sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam „ voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, „ non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, „ sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. “

S. August. de Corrept. & Grat. c. 8.

Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, &c. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen „ Specialis a Domino Petri cura „ suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, „ ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. “

S. Leo serm. 3. in Anniv. Assumpt. suæ cap. 3.

Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, fides quam confessus es, quam prædicaturus es, quam ore meo laudavi, ob quam Ecclesiæ meæ gubernacula tibi commissi: rogavi (inquam) pro te, ut non deficias in Ecclesia, & in Sede tua. „ Soliditas enim illius fidei, „ quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est. „ Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; „ ita permanet quod in Petro Christus instituit ..... In „ universa Ecclesia, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, „ quotidie Petrus dicit: & omnis lingua quæ confitetur „ Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo inserit cælo, & portæ inferi „ adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica „ umquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. “

S. Leo serm. 2. cap. 2. 3.

In hunc sensum S. Bernardus Epistola 190. seu Tractatu de Erroribus Petri Abailardi, ad Innocentium II. Pontificem Maximum scribit: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ fidem contingunt. Dignum namque arbitror ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est*: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? *Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur*: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Posteriora illa verba sic explicat Theophylactus: *Quia te habeo ut Principem Discipulorum, postquam negato me fueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es & firmamentum*. Non solum autem Apostolos, sed omnes, qui ad consummationem usque sæculi futuri sunt, fideles Petrus confirmavit pœnitentiæ suæ exemplo, ne post peccatum desperent de venia.

33. 34. *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me*. Donec ter negaveris, dicens quod non noveris me. „ Multa caritas animosum reddidit Petrum „ ut polliceretur quæ tunc sibi erant impossibilia (inquit „ Theophylactus). Dominus autem ubi videt eum viribus „ suis nimis confidentem temeraria loqui (oportebat „ enim audita veritate, quæ ei dicebat quod tentandus „ esset, non reluctari, non superbe sapere, sed timere,) „ manifestat ei tentationis speciem, nempe negationem. „

35. 36. *Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum*, seu crumenam pecunia refertam, *tollat*, seu ferat sacculum illud sive crumenam; *similiter & peram* instructam cibo: *& qui non habet* crumenam, cui pecunia deest, *vendat tunicam suam, & emat gladium*. Prohibuerat olim Christus Discipulis, ne peram, aut sacculum, & calceamenta in itinere ferrent; prohibet inferius Petro ne gladio utatur ad vim repellendam. Sibi ipsi contrarius non est; sed nunc longe alia tempora, longe aliam ipsorum sortem futuram significat: illis & penuriam rerum omnium, & gravissima pericula imminere: adeo ut si quis præsidiis humanis uti voluisset, crumenam & peram velut difficillimo itinere sibi comparare debuisset; quin & gladium vendita tunica, si aliunde non posset. Nam per loca latrociniis infesta cum gladio iri solet. Hæc igitur per emphasim dicta, ut observat Euthymius. Discipulos, quibus jusserat, ut si quis in maxilla dextera illos percuteret, aliam ipsi offerrent, gladiis armari non præcipit patientiæ Magister, sed hac figura sermonis significat *imminentes insidias Judæorum*. Denique si quæ contrarietas in his Domini dictis prima fronte videretur, cum S. Augustino respondendum esset: *Nulla inconstantia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diversitate, præcepta vel consilia, vel permissa mutari*.

Euthymius in hunc locum & Theophyl.

Matth. 6.

S. Chrys. Hom. singulari in illa verba Apostoli. Salutate Priscillam & Aquilam.

37. 38. *Dico enim vobis: Quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me*. Præter alia multa Vaticinia Prophetarum jam in me impleta vel implenda, illud etiam quod ab Isaia prædictum est, in me impleri oportet. *Et cum iniquis deputatus est*. More sceleratorum tractabitur, damnabitur, crucifigetur. *Etenim ea, quæ sunt de me* prædicta, *finem habent*, id est, jam perficientur & consummabuntur: *At illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est*. Hac de re satis. Christi mentem assecuti non erant Apostoli, quamobrem sermonem eorum abrumpit humano more. Quando enim cum aliquo colloquimur, & videmus eum non intellexisse quæ diximus, quandoque dicimus, *Bene*, non approbando responsum, sed progrediendo ad alia, ne illum conturbemus: maxime si tunc minime necesse sit ut sermonem nostrum plane intelligat, & alias ipsi perspicuum fore non dubitemus, quod ænigmaticis forte verbis significare voluimus. Sicut ergo cum dixit, *Solvite templum, hoc*, &c. non explicuit Discipulis horum verborum sensum, sed eventu rerum, & Spiritus sancti imprimis lumine revelandum in aliud tempus distulit; ita & quod dixerat: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*; horum verborum intelligentiam illis non negans, sed differens.

S. Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 77. Isai. 53. 12. Theophyl. in hunc locum.

39. 40.

39. 40. 41. 42. *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Olivarum*, quo ſedere ſolebat orationis cauſa: *ſecuti ſunt autem illum & Diſcipuli. Et cum perveniſſet ad locum* illum, *dixit illis: Orate ne intretis in tentationem*, id eſt, ne tentationi cedatis. *Et ipſe avulſus eſt ab eis*, paululum abſceſſit, *quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me*, vel, Si velles transferre, ſecundum vim Græci Textus. *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

43. 44. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum*, animos illi addens, ſolatiumque afferens propoſita gloriæ magnitudine, mortiſque fructu, generis humani ſalute: Filius enim Dei humanæ naturæ & ejus affectionibus voluntate Patris ac ſua permiſſus, in illis mortis imminentis anguſtiis conſolationem angelicam admiſit, qui paulo minor Angelis propter nos fieri dignatus eſt. *Et factus in agonia*, in extrema anxietate & angore animi conſtitutus, *prolixius* & intenſius *orabat. Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ* ſeu grumi *ſanguinis decurrentis in terram.* Sudor fuit inſtar ſanguinis, ſive mixtus ſanguini, quod fieri poſſe per naturam vim intus patientem, ac proinde per poros ejicientem una cum aqua ſanguinem, præſertim ubi corpus rarum eſt ac delicatum, & ſanguis ſubtilis, Medici obſervant. Serpentium meminit Diodorus Siculus, qui morſu ſuo angores graviſſimos efficiunt, & profluxum ſudoris inſtar ſanguinis.

Diodorus Siculus lib. 17.

Hiſtoriam de Chriſti ſudore ſanguineo, & Angeli conſolatione, quidam olim ex S. Lucæ textu temere ſuſtulerunt, quod Ariani ad detrahendam Chriſto Jeſu divinitatem illa abuterentur, ut S. Hieronymus refert lib. 2. *Contra Pelagianos*. In Græcis & Latinis Codicibus compluribus ſuo tempore deſideratam, S. Hilarius teſtatur lib. 10. *De Trinitate*. Nunc vero nulli extant Codices Græci vel Latini in quibus hæ deſint hiſtoriæ, quas Syriaca & aliæ Verſiones Orientales etiam complectuntur. Privata ergo quorumdam ſuperſtitione hæc deleta fuiſſe certum eſt, tam inſignia humanæ infirmitatis argumenta Chriſto tribuere metuentium, ne ipſius Divinitati derogare viderentur.

45. 46. 47. 48. *Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad Diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba*, quæ ſe Romanis Militibus adjunxerat, *& qui vocabatur Judas, unus de duodecim* Apoſtolis, *antecedebat eos, & appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum. Jeſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis?* Me tradis oſculo, pacis ſigno, diſcipulus Magiſtrum, ſervus Dominum?

49. 50. 51. *Videntes autem hi qui circa ipſum erant.* Apoſtoli, *quod futurum erat*, quod ſcilicet mox Jeſus capiendus eſſet, *dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?* Percutiemuſne gladio ut vim repellamus? *Et percuſſit unus ex illis*, ſcilicet Petrus, natura ſervidior, non exſpectato Domini reſponſo, *ſervum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc.* Nolite ultra progredi in vi repellenda, hic conſiſtite. *Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eam*, patientiam ſuam ac manſuetudinem miraculo demonſtrans, non minus quam potentiam, qua hoſtes opprimere potuiſſet, niſi capi & pati ad conſummandam humani generis ſalutem decreviſſet.

52. 53. *Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, Principes Sacerdotum & Magiſtratus* ſeu Præfectos excubiarum *Templi, & Seniores*, ſive Senatores: *Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus*, ut me comprehenderetis. Quid iſta cohorte, iſtis armis, iſta vi opus erat? *cum quotidie vobiſcum fuerim in Templo*, palam docens, *non extendiſtis manus in me. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Hoc tempus eſt quo vobis, & tenebrarum Principi, cujus eſtis miniſtri, poteſtas conceditur in me ſæviendi, ut Prophetarum vaticinia impleantur.

54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis Sacerdotum*, Caiphæ: *Petrus vero ſequebatur a longe. Accenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis*, ſcilicet militibus, *erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidiſſet ancilla quædam* Principis Sacerdotum *ſedentem, ad lumen*, id eſt, ad ignem, *& eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat*, cum Jeſu Nazareno. *At ille negavit eum, dicens: Mulier non novi illum. Et poſt puſillum*, paulo poſt, *alius videns eum dixit: Et tu de illis es*, ſcilicet ex Diſcipulis ejus. *Petrus vero ait: O homo, non ſum* ex ipſis. *Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam* id *affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat, nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum*, cum oculis corporis, tum maxime oculis miſericordiæ ſuæ. *Et recordatus eſt Petrus verbi Domini ſicut dixerat*: Recordatus eſt verbi iſtius, quod illi Dominus, cordium ſcrutator, præſciuſque futuri dixerat: *Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis: & egreſſus foras* Petrus, *flevit amare.*

63. 64 65. *Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes*, pugnis & palmis. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum dicentes*: Prophetiza, *Quis eſt, qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.*

66 67. 68. 69. *Et ut factus eſt dies*, primo ſtatim diluculo, *convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: Si autem & interrogavero*, ſi qua argumenta proponam, quibus me Chriſtum eſſe convincam, *non reſpondebitis mihi, neque dimittetis*, ſive abſolvetis a vinculis & morte. *Ex hoc autem erit Filius hominis*, ego ipſe, *ſedens a dextris virtutis Dei*, ut judex veſter, omniumque hominum vivorum & mortuorum.

70. 71. *Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum.* Id eſt; Sum, quem me eſſe dicitis. *At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus de ore ejus*, manifeſtam blaſphemiam. Jeſum interrogant Principes Sacerdotum, Legiſperiti, & Senatores, ſit-ne *Filius Dei*: reſpondet: *Ego ſum*. Eo ſenſu ſe Filium Dei eſſe affirmat, quo illi interrogabant. Non quærebant autem an gratia & adoptione Dei filius eſſet, ſed an natura, an verus, unigenitus, & conſubſtantialis Dei Filius eſſet. Quo ſolo ſenſu affirmare ſe Dei Filium criminationis de blaſphemia prebere poterat occaſionem. Sileant ergo Sociniani.

SENSUS MORALIS.

1. *INtravit autem Satanas in Judam.* Sicut qui divinę gratiæ inſpirationibus & motionibus obtemperant, tandem accipiunt Spiritum inhabitantem, quo filii Dei fiunt; ita qui diaboli ſuggeſtionibus libere conſentiunt, tandem Deo eos penitus deſerente mancipia diaboli fiunt, ac tunc in ipſos ingredi ſatanas dicitur. Ad infelicem illum ſtatum per gradus pervenitur. Sic Judas primum avaritia tentatus, furto ſe addixit, pecuniam pauperibus deſtinatam ſacrilege ſubripiens. 2. Videri voluit eorum defenſor quos ipſe ſpoliabat, inſignis hypocrita. 3. A Magiſtro admonitus, de malitia nihil remiſit. *Joan. 12. 6.* 4. Suggeſſit illi Satanas, ut Chriſtum prodeundo lucrum ſibi pararet: cui ſuggeſtioni poſtquam conſenſit jam intraſſe in eum ſatanas dicitur; nempe ut quod animo propoſuerat, id pacto firmaret: iterumque intraſſe in eum, penitus ſcilicet narratur, poſt ſacrilegam Euchariſtiæ Communionem, & obdurationem animi ad divinos Chriſti in ſuprema Cœna ſermones, ut quod pacto firmaverat, reipſa impleret. Avaritia & cupiditas bonorum temporalium cor Virorum Eccleſiaſticorum aperit diabolo, quemadmodum aperuit illi cor Judæ. „ Qui avaritiæ *Joann. 13. 27.*
„ tentationi ſuccumbit, clavem cordis ſui diabolo tradit.
„ *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem,*
„ *& in laqueum diaboli....* Multi hodie Judæ ſcelus,
„ quo Dominum ac Magiſtrum, Deumque ſuum pecunia *Vener. Be-*
„ vendidit, velut immane ac nefarium exhorrent, nec *da in hunc*
„ tamen cavent. Nam cum pro muneribus falſum con- *locum.*
„ tra quemlibet teſtimonium dicunt, profecto quia veri-
„ tatem pro pecunia negant, Dominum vendunt. Ipſe
„ enim dixit: *Ego ſum veritas.* Cum ſocietatem fra-
„ ternitatis aliqua diſcordiæ peſte commaculant, Domi-
„ num produnt, quia *Deus caritas eſt.* Qui etiamſi nul-
„ lam pecuniam dent, Dominum argenteis vendunt, quia
„ Principis ſæculi imaginem, id eſt, exempla hoſtis an-
„ tiqui, neglecta Conditoris, ad quam creati ſunt, ima-
„ gine, ſumunt. Nam ſicut Joannes Baptiſta, qui non
„ pro Chriſti confeſſione, ſed pro defenſione veritatis
„ occubuit, ideo tamen pro Chriſto, quia pro veritate
„ Martyrium ſuſcepit: ita e contrario, qui caritatis &
„ veritatis jura ſpernit, Chriſtum qui eſt Veritas & Ca-
„ ritas, prodit: maxime cum non infirmitate vel igno-
„ rantia ſubrepente, ſed in ſimilitudinem Judæ quærit
„ opportunitatem, ut arbitris abſentibus, veritatem men-
„ dacio, virtutem crimine mutet. „

* 8. *Et miſit Petrum & Johannem dicens: Euntes, parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Comedamus & nos hoc Paſcha ſpiritualiter in azymis ſinceritatis & veritatis, omne fermentum malitiæ ex cordibus noſtris eliminantes. „ Et intelligamus dies Azymorum omnem
„ quæ in ſpirituali lumine eſt converſationem, quæ nul- *Theophyl.*
„ lam vetuſtatem Primæ in Adam inobedientiæ habeat; *in hunc*
„ in qua converſatione ſi fuerimus, impinguandi ſu- *locum.*
„ mus Myſteriis Chriſti. Præparabunt itaque hæc Sa-
„ cramenta Petrus & Joannes, activa & contemplativa
„ vita, fervor zeli, & manſuetudo pacifica. Oportet
„ enim fideles eſſe bonum operando, & zelo ferventes
„ adverſus malitiam, & manſuetos erga male operantes.
„ Odio enim habenda malitia, non is qui male agit,
„ cujus habenda eſt cura. Infirmus enim eſt. Quod ſi

„ habue-

„ habuerimus Petrum & Joannem adornantes cœnam, „ vitam bonam, & vera dogmata, occurret nobis homo „ lagenam aquæ portans. Renovabitur in nobis homo „ interior secundum imaginem Conditoris per gratiam „ Spiritus sancti. Aqua enim Spiritus sancti gratiam, „ vas figulinum quod facile confringitur, cor humanum „ significat. Humilitas enim & contritio cordis dispositio „ est ad gratiam. *Humilibus dat gratiam* Dominus. Cœ„ naculum stratum, est Anima nostra, ad quam venit „ Jesus ut amoris sui Mysteria in nobis perficiat, & uni„ tatem cum Patre, seipso, & Spiritu sancto in nobis „ operetur. Ita autem venit ad nos & suam in nobis ex„ promit efficaciam optimus Dominus, ut nos amantis„ sime præveniat, cœnaculumque cordis nostri sternat „ ipse, & adornet, nec exspectet ut veniamus ad eum. "

Verumtamen & nos ipsos disponere per gratiam & cum gratia illius debemus ad comedendum Pascha Christianum, ad Corpus Christi digne manducandum. Digne autem manducare non possumus, nisi discipuli simus Christi, ab illoque didicerimus diligere justitiam & odisse iniquitatem; nisi ex Ægypto & Pharaonis servitute liberati fuerimus; nisi carni & operibus ejus, nisi mundo, diabolo, peccato renuntiaverimus. Judæi legale Pascha manducare non potuerunt in Babylone captivi: nec nos Christum Pascha nostrum in Sacrosancta Eucharistiæ Communione digne recipere & manducare possumus, si servi peccati simus, vel in proximis peccati occasionibus versemur; *Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* Ad hoc Pascha, ad sacram Corporis & Sanguinis Christi Communionem, ferventissimo caritatis desiderio nos præparare debemus, ut Christi Jesu Salvatoris nostri respondeamus amori, seipsum nobis intime communicare & unire volentis, nosque sibi commiscere, & unum cum ipso efficere corpus, ardentissime desiderantis. *Et ait* illis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Hinc Eucharistia ab antiquis *Desiderata* vocabatur: & cum recens baptizati e sacro fonte ad Altare *Psalm. 41.* ducerentur; Eucharistiam percepturi, Psalmus ille recitari vel cani ex Ecclesiæ instituto solebat: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Animo cœlestes simus, nostra conversatio sit in cœlis, siquidem manducamus panem vivum qui de cœlo descendit. Cœlestem æternamque communionem desideremus, & ad eam sanctis operibus tendamus: quod desiderium Eucharistica Communio in nobis operabitur, si digne manducaverimus Corpus Christi. Hinc enim mysteriorum & Spiritus Christi Jesu imperfecta ratione participes sumus: in regno Dei plene & perfecte participes erimus, cum replebimur Divinitatis ejus sempiterna fruitione, quam pretioli Corporis & Sanguinis ejus temporalis perceptio præfigurat. *Dico enim vobis, Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Eucharistiæ sacrosanctum sacrificium digne offert, Christi corpus & sanguinem per communionem Sanctissimi Sacramenti digne recipit & manducat, qui grato animo sacrificium ejusdem corporis & sanguinis in cruce pro nobis oblatum recolit; & vitæ Christianæ operibus demonstrat se mortuum esse peccato, mundo, & sibimetipsi. *Hoc facite in meam commemorationem.* Christi sanguis in cruce, in sancto Altari, in cordibus nostris effusus, novum fœdus Deum & nos inter arctioribus nexibus adstringat & obsignet. *Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Cor nostrum altare sit, in quo Christum offeramus Patri; non crux, in qua illum iterum crucifigamus. Cum ad mysticam Mensam accedimus, probemus nosmetipsos, & consideremus an manus nostræ & opera sint manus & opera hominis vere Christiani & discipuli Jesu, non proditoris. Christi traditor est, qui post fidem ipsi in baptismo oppigneratam, cum ejus inimicis, mundo, diabolo, & peccato societatem init. *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.*

24. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Superbiæ & ambitionis vulnus quis merito non timeat, a quo ante Christi mortem & Spiritus sancti descensum nec ipsi tuti fuerunt Apostoli, viri *S. Amb. lib.* ex infima sorte, pauperes, ac rudes? Caveamus igitur *10. in Luc.* ne in perditionem aliqua inter nos de prælatione possit *n. 50. 51.* esse contentio. Si enim contendebant Apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Una datur omnibus forma sententiæ, ut non de prælatione jactantia sit, sed de humilitate contentio; eoque se Dominus proponit imitandum. Egebamus omnium, ipse nullorum; & tamen præbuit se humilitatis auctorem, cum Discipulis ministraret. Quod utique non faciebat studio utilitatis, sed exercitatione virtutis. Ille major & celsior inter Ecclesiæ Pastores & Ministros, qui humilior, qui præesse non amat & clero dominari, sed prodesse Ecclesiæ & ejus membris, laboriosa, indefessa, & nusquam otiosa caritate, exemplo Christi, Animarum supremi Domini ac Pastoris. *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

28. 29. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tribulationibus meis.* Fidelitatem & perseverantiam Discipulorum ac servorum suorum Dominus laudat, quam in illis per gratiam suam operatur. Nostra vult esse merita, quæ sunt ipsius dona. Vere fideles sumus, si nec prospera, nec adversa nos ab ejus caritate separent. Animos nostros in adversis erigat ac roboret spes regni cœlestis, a Christo parati eis qui in fide, caritate, humilitate, patientia, inter adversa quæque usque ad mortem perseverant. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Sicut Pater mihi regnum addixit acquirendum per humilitatem, labores, passiones, crucem & mortem; & ego vobis dispono & addico gloriam æternam, deliciasque incomparabiles & ineffabiles, simili ratione acquirendas, similibusque conditionibus possidendas. Unde Apostolus ait: *Scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Et, *Si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Nihil etiam *1. Cor. 1. 7. 2* efficacius est ad deterrendum Christianos ab ambitione, *Tim. 2. 11.* quam magnificentia promissionum Christi. Res enim plane *12.* indigna est iis, quibus æterna gloria in cælo reposita est, vanam & fallacem gloriam in terris quærere.

31. 32. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Christianos omnes tentare ac dejicere expetit Satanas: nobis igitur adversus ejus insidias continuo vigilandum: orandus continuo Deus, ne nos tentari sinat ultra quam resistere possumus, sed ut faciat cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, muniti scuto fidei, & omnia nequissimi adversarii tela ignea extinguere divino igne fervidæ caritatis. Christi gratia suppliciter & humiliter imploranda est, quæ sola nobis firmitatem ac soliditatem frumenti tribuere potest; sine qua leves paleæ essemus, tentationum ventis non solum agitatæ, sed abreptæ & excussiæ, paleæ inutiles, & ad comburendum colligendæ. Orandum in Christo, per Christum, & cum Christo, ut non deficiat fides nostra. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Fideles simus Deo & in prosperis rebus, & in adversis. Inde enim *S. August.* periculosæ tentationes oriuntur, quibus nos cribrat Sa- *lib. 2. de ser.* tanas sicut triticum. Sed *Nemo frangitur adversarum re-* *Dom. in* *rum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.* *Monte c. 9.* Perseverantiam in fide & in omni opere bono, usque in finem, a Deo sine intermissione petamus, siquidem ex nobis nihil possumus; & deficiemus in via, nisi quotidiano gratiæ Christi adjutorio sustentemur & adjuvemur. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* QUID *ei rogavit* (inquit S. Augustinus) *nisi perseverantiam usque in* *Idem lib.* *finem? Quæ profecto si ab homine homini esset, a Deo po-* *de Corrept.* *scenda non esset.* *& Gratia* *c. 6.*

Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. In Petro & per ministerium Petri, confirmatur fides Christianorum omnium, quorum est Pastor omnium Pastorum, quorum est caput totius Ecclesiæ, cujus erat figura, & cujus gerebat personam. Hanc fidem confirmavit 1. *Per Apostolatum* 2. *Per Martyrium.* 3. *Per Epistolas suas.*

33. *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Eo infirmiores sumus, quo *S. Aug. serm* nos existimamus fortiores. Cum enim de viribus nostris *210. alias* præsumimus, jam a Deo in quo & ex quo est omnis for- *74. de Di-* titudo nostra, deserti sumus. *Unusquisque se tentatione* *versis n. 6.* *tamquam interrogatus agnoscit, sicut Petrus quas vires* *S. August.* *haberet fides ejus utique nesciebat, quando dixit Domino:* *Enarrat. in* Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. *Psal. 36.* *Dominus autem qui noverat eum, prædixit ubi deficeret,* *ser. 1.* *prænuntians illi infirmitatem ejus, tamquam tecta vena* *cordis ejus. Proinde Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.*

40. & 41. *Orate ne intretis in tentationem.* Exspectanda non est tentatio ut oremus, sed orandum ne in tentationem incidamus. Christus orans in Monte Olivarum ante passionem suam, orandi exemplum formamque nobis tradit. Orationis Christianæ conditiones in Oratione Capitis nostri attendamus. 1. Secessum, animique a terrenis affectibus avulsionem. *Et ipse avulsus est ab eis.* 2. Humiliationem interiorem & exteriorem coram Deo. *Et positis genibus orabat.* 3. Fiduciam filialem in Deum: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me.* 4. Voluntatis humanæ cum divina voluntate conformationem. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* 5. Consolationum externarum, quas in rebus adversis nobis Deus submini- strat per Sacerdotes, aliosque viros religiosos & pios, humilem, & cum actione gratiarum acceptionem. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.* 6. Generosum certamen contra affectus omnes ac motus qui Dei voluntati in nobis repugnant, intensioremque fervorem orationis, cum tentatio vel angor ingravescit. *Et factus in agonia, prolixius orabat.* 7. Colluctationem adversus peccatum usque ad sanguinem, & ad mortem usque. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram . . .* NONDUM *enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* *Hebr. 12. 4.*

52. *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Nullum sacrificium Deo acceptius est sacrificio propriæ voluntatis, sine quo cetera bonorum operum sacrificia illi non placent.

Recti

Recti corde sunt, qui hoc volunt quod Deus vult. Parcit peccatoribus, tu vis ut jam perdat peccatores. „ Distorti cordis es, & pravæ voluntatis, quando aliud vult „ Deus. Converte cor tuum, & dirige ad Deum: quia *S. Aug. Enarr. in Ps. 93. n. 18 & 19.* „ & Dominus infirmis compassus est. Vidit in corpore „ suo, id est, in Ecclesia sua infirmos, qui primo voluntatem suam sequi tentarent; sed cum viderent voluntatem Dei aliam esse, dirigerent se & cor suum ad „ suscipiendam & sequendam voluntatem Dei. Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed „ tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas Dei sic est „ quomodo regula: ecce, puta, torsisti regulam, unde „ habes corrigi? Illa autem integra manet: regula est „ enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quo te convertas, & corrigas pravitatem tuam. „ Quid autem volunt homines? Parum est, quia voluntatem suam tortuosam habent: etiam volunt voluntatem „ Dei tortam facere secundum cor suum, ut hoc faciat „ Deus quod ipsi volunt, cum ipsi hoc debeant facere „ quod Deus vult. Quomodo autem complexus est Dominus ex duabus voluntatibus unam factam in homine „ quem portabat? Præfigurans in corpore suo, id est in „ Ecclesia sua futuros quosdam, qui voluntatem suam vellent facere, sed sequerentur postea Dei: quia infirmos „ quosdam ostendit, quod ad ipsum pertineant, & eos „ præfiguravit in se. *Nam ideo & toto corpore sanguinem sudavit quia in corpore suo, id est, in Ecclesia „ Jua, Martyrum sanguinem ostendit. Toto corpore sanguis exibat: Ita Ecclesia ejus habet Martyres, per totum corpus ejus fusus est sanguis.* ET FACTUS EST „ SUDOR EJUS SICUT GUTTÆ SANGUINIS. Quosdam ergo infirmos in se præfigurans, vel in corpore „ suo, ex persona infirmorum compatiens illis, ait: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me.* Ostendit hominis voluntatem: si in ipsa voluntate permaneret, jam „ pravum cor videretur ostendere. Sed si compassus est „ tibi, & te liberat in se; imitare quod sequitur, dicens: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Si „ cœperit tibi subrepere voluntas humana: O si occidat „ Deus inimicum istum meum, ut non me persequatur! „ O si posset fieri ut non ab illo paterer tanta! Jam si „ perseveraveris, & hoc tibi placuerit, & vides quia non „ hoc vult Deus, pravus corde es.“

Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, &c. Sanguineum sudorem ex Christi venis elicit vis doloris pro peccatis nostris & totius mundi. Lachrymas saltem ex oculis nostris eliciat sincerus & vehemens pro peccatis nostris dolor, eliciat vis amoris pœnitentis. Sudor ordinarius, primi Adami pœna est: *In sudore vultus tui vescēris pane tuo.* Sudor sanguineus, secundi Adami, pœnitentiam in semetipso dedicantis, satisfactio & meritum est. Serpentes quosdam angores gravissimos, & profluxum sudoris instar sanguinis efficere, ex Diodoro Siculo supra retulimus. Ictui serpentis antiqui sanguineus ille sudor adscribendus. Mors peccati, venenum serpentis Christum attingere & vulnerare non potuit: sed vulneraverat Adamum, & totum in illo humanum genus. Christus vero fidejussor factus pro nobis, pœnis peccatorum nostrorum in se suscepit, attritus est propter iniquitates nostras, vulneratus est propter peccata nostra & sanguineum sudorem horrore peccati emisit. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis.* Demus operam ne sit inanis & sine fructu nostro sudor Christi sanguineus: & ne de anima nostra dicatur: *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus.*

56. *Petrus vero sequebatur a longe*, &c. „ Sequebatur *Ezech. 24. 12. S. Ambr. lib. 10. in Luc. n. 72. 74. 75.* „ a longe, qui mox erat negaturus; neque enim negare „ potuisset, si Christo proximus adhæsisset. Negavit, „ quia de se præsumpsit. *Tecum paratus sum*, inquit, „ *& in carcerem & in mortem ire.* Devotionem consideravit, non respexit conditionem. Multatus, quia „ dixit se animam ponere, quod non humanæ infirmitatis, sed divinæ est potestatis . . . Ubi negat Petrus? „ Non in monte, non in templo, non in sua domo: sed „ in Prætorio Judæorum, in domo Principis Sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non est: ibi negat, ubi „ Christus captus, ubi Jesus ligatus est. Quid nisi erraret, quem intromisit ostiaria, interrogavit ostiaria, & „ ostiaria Judæorum? Male Eva induxit Adam; male „ Petrum introduxit fœmina. Sed ille in Paradiso labitur, ubi non venialis culpa: hic in Prætorio Judæorum, ubi difficilis innocentia.“ Huius lapsus exemplo admonemur impiorum consortium & colloquia, proximasque peccandi occasiones fugere, nobis ipsis attendere, timere ne fragilitas nostra sibi ipsi relinquatur, ne gratia ad tentationem vincendam necessaria, in pœnam præcedentium infidelitatum, in pœnam superbiæ, negligentiæ, torporis, occulto sed tamen justo Dei judicio nobis subtrahatur.

CAPUT XXIII.

Sensus Litteralis.

1. 2. *ET surgens omnis multitudo eorum*, qui concilio adversus Jesum interfuerant, Pontificum, Legisperitorum, Senatorum, *duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare dicentes: Hunc invenimus subvertentem*, id est, depravantem & inducentem in errores, *gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari*, Romanorum Imperatori, ut Judas ille seditionis publicæ in Galilæa signifer, *& dicentem se Christum Regem esse*, se Messiam esse Patribus nostris promissum, & a nobis exspectatum, qui regnaturus est in populo Israel, excusso exteræ dominationis jugo.

3. 4. 5. 6. 7. *Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait: Tu dicis:* Rex sum ego, non terrestris tamen regni, sed cœlestis. Regnum meum non est de hoc mundo. *Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine*, nullum crimen morte puniendum. Ipse hominis habitus a regni affectati suspicione longe abest. *At illi invalescebant*, pervicacius instabant, *dicentes: Commovet populum*, novam spargens doctrinam, quod prohibere tui muneris est, cum adversetur publicæ tranquillitati. *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset: & ut cognovit quod de Herodis potestate esset*, id est, e regione Herodis jurisdictioni subdita (Herodes enim Tetrarcha erat Galilææ, ubi Christus est educatus) *remisit eum ad Herodem*, tum ut ab ejus causæ judicio se extricaret, tum ut Herodi gratificaretur, *qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus*, ob celebrationem Paschatis, cum Judaicam Religionem exterius profiteretur. *Joan. 16. 33.*

8. 9. 10. 11. 12. *Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo* laude & admiratione digna, *& sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Miraculum aliquod illum editurum sperabat coram se, idque vehementer optabat, ut oculos & animum re nova pascēret: quasi Dei omnipotentia humanæ curiositati inservire debeat. *Interrogabat autem eum* Herodes *multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat*, certe noscens illum sibi non crediturum, cujus nempe animus adversus veritatem obduratus erat. *Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ, constanter*, id est, pertinaci contentione, *accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo*, sive cum ministris suis, indignum sua celsitudine ratus, si metuere videretur hominem neque armis, neque opibus, neque regnandi artibus instructum: *& illusit indutum veste alba*: illusit ei ut homini fatuo, qui ne verbum quidem ad sui defensionem respondere posset: ac veste alba seu splendidiore per ludibrium indutum, quasi candidatum immaginarii Imperii, *remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem*: sive odium ex æmulatione quæ Reges inter & Romanos Præsides frequens erat, ortum esset; sive ob Galilæos a Pilato neci datos, & usurpatam Herodis ipsius jurisdictionem.

13. 14. 15. 16. *Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus* sive Senatoribus, *& plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum* a Romani Imperii reverentia; *& ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam*, sive nullum crimen *invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes* ullum tale crimen in eo invenit: *nam remisi vos ad illum*, qui res Jesu melius nosse poterat, cum Jesus in ejus ditione præcipue conversatus sit: *& ecce nihil dignum morte actum est ei.* Nihil ab Herode in illum præjudicatum est, quo dignus morte notaretur. *Emendatum ergo illum dimittam?* Castigatum, seu flagris cæsum. Propositum erat Pilato hanc pœnam Jesu irrogare, ut quoquo modo Judæorum animos mitigaret, illumque morti eximeret. Nimirum Legibus Romanis arbitraria erat pœna, *Si quis novas & usu vel ratione incognitas Religiones induceret, ex quibus animi hominum moverentur* (ut loquitur Paulus Jurisconsultus.) Hoc crimen, quam Majestatis, videbatur Pilato magis in Jesum congruere: ut solent qui aliud quam jus intuentur, quærere aliquid quod obtendant iniuriæ.

17. 18. 19. 20. 21. 22. *Necesse autem habebat*, ex consuetudine, *dimittere eis*, in festo Paschatis, *unum* reum: *exclamavit autem simul universa turba, dicens, Tolle hunc* e medio, capitali supplicio illum addicito, *& dimitte nobis Barabbam: qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste?* Non faciam: rem enim iniquam postulatis. *Nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam.* Confer cum *Matthæi* 27. & *Marci* 15. 14. *& seq.*

23. 24. 25. *At illi instabant vocibus magis, postulantes ut crucifigeretur*, ut quod jure non poterant, clamoribus obtinerent, *& invalescebant*, id est prævaluerunt, *voces eorum. Et adjudicavit fieri petitionem eorum*. Decrevit ut fieret quod illi petebant, nimirum ut Jesus crucifigeretur. *Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant*, cujus liberationem urgebant. *Jesum vero tradidit voluntati eorum*, ut crucifigeretur. Confer cum *Matthæi* 27. 23. & *Marci* 15. 14. *& seq.*

26. 27. 28. 29. 30. 31. *Et cum ducerent eum* ad Calvariæ montem, qui locus patibularis erat, *apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Jesum*, id est, a tergo ipsius sub eodem onere præeuntis. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*. Hierosolymitanæ mulieres, non mea sed vestra, & civium vestrorum causa flete, quibus mala gravissima ob mortem meam imminent. *Quoniam ecce venient dies* extremæ calamitatis, obsidionis, & excidii Urbi vestræ, *in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt*: Quia duplex est dolor matrum, videre filios miseriæ participes: *Tunc incipient dicere Montibus: Cadite super nos: & collibus: Operite nos*. Locutiones istæ proverbiales a Christo usurpatæ sunt ad eventuum singularium significationem, quo magis ex his divina ipsius præscientia appareret. Nam & matrum ea fuit miseria tempore Hierosolymitanæ obsidionis, ut suos ipsæ filios præ fame comederent, & plurimi se in specus abdiderunt, ubi tamen a Romanis militibus inventi, misere contrucidati sunt. *Quia si in virido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si ego justus pœnas do tam acerbas, quid non patientur mortis meæ, aliorumque criminum rei? Et hæc locutio proverbialis erat. Nam Hebræi viros bonos lignum viride, malos lignum aridum vocant. Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet*, &c. *Non sic impii, non sic*. Et Ezech. 20. 47. *Excindam & viride lignum & aridum*, id est, *Justum & impium*, ut ipse interpretatur cap. 21. 3. Sensus igitur est: Si talia faciunt Romani in me ligno humido, feraci, semper virente, & semper vitali propter Deitatem, & per fructus doctrinæ meæ alente omnes, quid non facient in vobis, populo arido, ligno sterili ab omni vivifica justitia, & nullum fructum afferente?

Isai. 2. 19. *Osee* 10. 8. *Joseph. lib.* 6. *de Bello Judaico cap.* 46.

Theoph. in hunc locum.

33. 34. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*, duo homines facinorosi, *ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris*, ut medius inter illos pendens Jesus, ipsis latronibus facinorosior videretur. Supplicium crucis dirum, servile, infame, Judæis inusitatum, ut probat Casaubonus Exercit. 16. in Baronium.

Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Si necessaria esset attentio mentis ad actionis pravitatem, ut peccatum imputetur, non peccassent Christi crucifixores, qui vere ignorabant quid facerent, adeoque nulla fuisset causa cur Christus Patrem orasset ut mortis suæ peccatum illis remitteret. Error itaque de peccato quod Philosophicum vocant recentiores Moralis Evangelicæ corruptores, a Christo in cruce pendente damnatus est. *Dividentes vero vestimenta ejus*, milites Romani, qui crucifixerant eum, *miserunt sortes*: Pallium diviserunt, sortem super tunicam miserunt. Confer cum *Joannis* 19. 23. 24.

35. 36. 37. *Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus*. Si verus est Messias, de quo Deus apud Isaiam ait: *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*. (cap. 42. vers. 1.) Non plebs tantum, sed & ipsi Senatores in cruce pendenti crudeliter insultabant. *Illudebant autem ei, & Milites accedentes, & acetum offerentes ei*, qui potus erat vulgaris illorum, ut ex Spartiano, aliisque Scriptoribus antiquis colligitur. Nec insolitum fuisse Judæis potum illum, colligitur ex verbis Booz ad Ruth: *Concede panem, & intinge bucellam tuam in aceto*. Quibus autem verbis milites Christo illuderent, refert etiam Evangelista: *Et dicentes: Si tu es Rex Judæorum*, Messias ille potens & virtutibus celeber, *salvum te fac* ab imminente morte.

Ruth. 2. *vers.* 14.

38. *Erat autem & superscriptio*, seu inscriptio *scripta super eum*, super caput ejus, in superiore crucis parte, *litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Judæorum*. Linguas tituli alio ordine recensent Sanctus Joannes, scilicet Hebræam, Græcam, & Latinam. Quænam lingua primum locum teneret, incertum. Confer cum *Matth.* 27. 37. *Marci* 15. 26. & *Joannis* 19. 19.

39. 40. 41. 42. 43. *Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos*: teipsum & nos a morte imminente libera, & e cruce solve. *Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* Tu non magis Deum times, quam ceteri, contumeliis afficiens Jesum crucifixum, cum simili pœnæ subjaceas, Deique judicio mox sistendus sis. *Et nos quidem juste* punimur; *nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit*, nihil umquam fecit quod reprehensionem mereretur, nedum hanc mortem crucis. Fama sanctitatis & miraculorum Jesu ad omnium aures pervenerat. Non mirum itaque quod Latronem non lateret; sed & singulari mentis illustratione a Spiritu sancto cognovit non tantum esse hominem justum, sed Deum mundique Redemptorem cognovit, credidit, & confessus est. *Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum*. Cum regni, non alieni, sed tui, possessionem adiveris. *Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso*. Non aliquando, ut verecunde petis; sed *hodie*, statim a morte; non solum tui memor ero, sed *mecum eris*, tanquam socius consolationis, qui socius es passionis & imitator patientiæ; fidei tuæ, spei, caritatis, pœnitentiæ præmium hodie percipies *in Paradiso*, id est, in loco voluptatis & quietis perpetuæ Justorum. Sicut homo quidem in cruce Jesus, ut Deus autem ubique, & illic & in paradiso, implens omnia, & nusquam absens. *Theophyl.*

44. 45. *Erat autem hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam. Et obscuratus est Sol, & velum Templi scissum est medium*. Confer cum *Matthæi* 27. 45. & 51.

46. *Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, exspiravit*. Vox magna index fuit illum non necessitate aut infirmitate mori, sed voluntate; index fuit vehementissimi illius affectus, summæque erga Patrem fiduciæ. *In manus tuas*, tibi, tutelæ, curæque tuæ *commendo spiritum meum*, Animam meam apud te depono, quam a te accepi, moxque sum resumpturus. Confer cum *Matthæi* 27. 50. *Psal.* 30. 6.

47. 48. 49. *Videns autem Centurio quod factum fuerat*, Solis deliquium extra naturæ ordinem, tremorem terræ, hominem velut suo arbitrio expirantem, *glorificavit Deum*, Dei potentiam agnovit & confessus est, *dicens: Vere hic homo justus erat*, id est, innocens, verax, ac proinde Filius Dei, quem se esse dixit. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud*, qui ad spectandum crucis supplicium convenerant, *percutientes pectora sua*, in signum compunctionis & pœnitentiæ, *revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus*, discipuli, consanguinei, amici, *a longe*, procul a cruce, *& mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes*. Confer cum *Matth.* 27. 55. & 56. & *Joann.* 19. 25. Tunc impletum est illud Vaticinium: *Et qui juxta me erant, de longe steterunt*, &c. *Psal.* 37. 12.

50. 51. 52. 53. *Et ecce vir nomine Joseph, qui erat Decurio*, id est, Consul sive Senator Urbis, *vir bonus & justus, hic non consenserat consilio & actibus eorum*, id est, Principum Sacerdotum, & Synedrii: *ab Arimathea civitate Judæa* oriundus, *qui expectabat & ipse regnum Dei*, seu Messiæ adventum, ut pii omnes Israelitæ. *Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Et depositum* de cruce *involvit sindone, & posuit eum in monumento excisо* in rupe, *in quo nondum quisquam positus fuerat*

54. 55. 56. *Et dies erat Parasceves*, id est, præparationis, *& Sabbatum illucescebat*, id est, imminebat nox, qua post occasum solis incipiebat Sabbatum more Judaico. *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus*, ubi & quo modo atque situ sepultum, observarunt. *Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt*, sive quieverunt, *secundum mandatum* Legis, nec aliquid egerunt quoad aromatum & unguentorum apparatum, nisi elapso Sabbato.

SENSUS MORALIS.

2. 3. 4. 5. *Coeperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, &c. Christus Jesus blasphemiæ adversus Deum, proditionis erga Principem, seditionis in populo excitatæ accusatus, eorum qui calumniam patiuntur consolatio est. Quis innocentia sua contra hujusmodi accusationes tutus esse potest, siquidem illis appetitus est Sanctus Sanctorum? „ Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt ar- *Psal.* 63. „ cum, rem amaram, ut sagittent in occultis immacula- „ tum. Subito sagittabunt eum, & non timebunt, firma- „ verunt sibi sermonem nequam. Narraverunt ut absconderent laqueos, dixerunt: Quis videbit eos? „ Pacificam Christi Jesu doctrinam quasi seditiosam criminantur Judaici Sacerdotes, Legisperiti, & Senatores, quia falsas illorum Traditiones impugnabat, illorumque detegebat hypocrisim, & populum a vita corruptissima in rectam

viam revocabat. Sic Evangelicæ Doctrinæ corruptores, cum a piis eruditisque Theologis accusantur, ac refelluntur, cum ab Episcopis damnantur; accusatores suos ut publicæ tranquillitatis perturbatores, ut seditiosos, ut Novatorum partiarios, apud Potestates accusant, & calumniis opprimere nituntur. *Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Sic olim impius Rex Achab Eliam accusavit quod Israel con-
3. *Reg.* 18. turbaret, quia Israelitas a falsorum Deorum cultu revoca-
17. 18. bat. *Tune es ille qui conturbas Israel? Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.*

11. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba.* A mundo & hominibus carnalibus contemni, & irrideri, sors piorum est. Qui secundum Evangelium vivunt, ab hominibus secundum sæculi genium ac mores viventibus spernuntur, irridentur, plerumque stultitiæ elogio notantur, maxime in Aulis Principum, ubi rara pietas; ubi plus curiositatis, quam fidei. Qui pietatis causa spernuntur & illuduntur, Christi ab Herode & Aulicis ejus illusi modestiam, humilitatem, patientiam imitentur: silentio illum glorificent. *At ipse nihil illi respondebat.* Feliciores se existiment, cum propter Christum fugillantur ut stulti, quam si summam sapientiæ laudem apud homines mundo ser-
1. *Cor.* 3. 18. vientes consequerentur. Et qui pios ut homines insi-
19. pientes, debilis ingenii, pusilli animi contemnunt, ipsi Dei judicio stultissimi sunt. Nemo se seducat; *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.*

24. *Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.* Pilatus innocentiam Jesu agnoscebat, illum dimittere volebat; illum tamen Cæsaris timore, & inimicorum ipsius Jesu clamoribus victus, Barabbæ postposuit, Latroni Salvatorem, seditioso pacificum, homicidæ Auctorem vitæ: & flagellandum, illudendum, crucifigendum tradidit voluntati eorum. Sic urgentibus tentationibus, quæ nos ad peccatum incitant, & tumultuariis vocibus clamant ut Christus in cordibus nostris rursum crucifigatur, forte volumus dimittere Jesum, ipsum offendere nolumus, nullam invenimus causam cur debeat iterum in nobis crucifigi; sed clamores cupiditatum nostrarum vincunt tandem imperfectam boni voluntatem, seu velleitatem; timore vel cupiditate ad consensum inflexi, Mundum, diabolum, amorem nostrum proprium Christo, ejusque legi, veritati præponimus. *Jesum vero tradidit voluntati eorum.*

26. *Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* „ Crux super humeros Chri-
S. Ambros. lib. 10. *in* „ sti Jesu imponitur ut trophæum, quod Christus in ho-
Luc. n. 107. „ mine, & homo portat in Christo . . . . Bonus ordo „ nostri profectus est, ut prius crucis suæ trophæum „ ipse erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum. „ Non Judæus est qui crucem portat, sed alienigena, „ atque peregrinus; nec præcedit, sed sequitur, juxta „ quod scriptum est: *Qui vult venire post me, tollat „ crucem suam, & sequatur me.*“

Et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. „ Crucem
Theoph. in „ nostram feramus omnes post Jesum: ferant Prælati, fe-
c. 33. *S.* „ rant & subditi; Doctores pariter & populus. Crux est
Luc. „ mortificatio affectionum, ita ut moveri nequeant & ope-
„ rari. Nam qui crucifigitur, clavis affigitur, & operari „ non potest. Unde Doctor secundum Christum debet prior „ ipse crucem tollere, & carnes suas timore Dei confi- „ gere, deinde eam auditoribus imponere. Impletur au- „ tem & hoc loco Isaiæ Vaticinium; *Cujus principatus*
Isai. 9. „ *super humerum ejus.* Principatus enim Domini, & re- „ gnum, crux est. *Humiliavit semetipsum* (ait Aposto- „ lus) *factus obediens usque ad mortem, mortem autem „ crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum* . . . Non „ aliter regnat in nobis Jesus nisi per afflictionem, atque
Pilipp. 2. „ ita qui in deliciis vivunt, inimici sunt Christi. Ille au- „ tem potest fieri subditus Christi, & tollere crucem „ suam, qui virtutem exercet; qui venit a villa, relin- „ quens mundum, & quæ sunt in mundo, & ad Jeru- „ salem illam supernam & liberam tendit.“

34. *Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Novus Sacerdos in novo crucis Altari
Hebr. 9. 7. sacrificium offert *pro ignorantiis Populi.* Sic impletum est illud Isaiæ: *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Hujus orationis fructus fuit Judæorum plurimorum conversio. *Videbat quosdam suos*
Isaiæ 53. *inter multos alienos; illis jam petebat veniam, a quibus*
S. Augustl. adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod ab
Tract. 31. *ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur.* Pro illis
in Joann. veniam oravit, ut nemo de sui peccati dimissione desperet. Viderunt Christum suo scelere morientem, & credi-
num. 9. derunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. *Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt.*

Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Attendamus, & faciamus secundum exemplar quod nobis in monte monstratum est. „ Quem petit? Pro quibus petit? *S. Augustl.*
„ Quis petit? Ubi petit? Patrem Filius, pro impiis cruci- *Enarr. in*
„ fixus, inter ipsas injurias non verborum, sed mortis illa- *Psalm.* 85.
„ tæ pendens in Cruce: tamquam ad hoc extentas manus *Vers.* 15.
„ habuerit, ut sic pro illis oraret, ut dirigeretur oratio ejus *n.* 20.
„ tamquam incensum in conspectu Patris, & elevatio ma-
„ nuum ejus sacrificium vespertinum. *Vere* Dominus misera-
„ tor & misericors, longanimis, & multæ misericordiæ,
„ & verax.“ Moritur ut martyr suæ Divinitatis & Charitatis; utrumque illud Fidei & Moralis Evangelicæ fundamentum in Cruce confirmat: Divinitatem hac voce, *Pater*; Charitatem istis; *Dimitte illis.* „ Christi pro te morien-
„ tis Charitatem imitare. Langues, anhelas, ægritudine
„ sauciaris, non potes tibi tollere odium. Spera in Deum,
„ Medicus est, pro te pependit in ligno, & nondum est
„ vindicatus. Quid vis vindicari? Ideo enim odisti ut vin-
„ diceris. Vide pendentem Dominum tuum, & tibi de
„ ligno tamquam de tribunali præcipientem. Vide pen- *Idem ser.*
„ dentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamen- 49. *alias*
„ tum facientem. Vindicari vis? Vide pendentem, audi *de Temp.*
„ precantem: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid* 237. *n.* 9.
„ *faciunt.* Sed potuit hoc facere, dicis mihi: ego non & 12.
„ possum. Ego enim homo sum, ille Deus. *Deus ergo*
„ *ut quid homo, si non corrigitur homo?*“

Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. „ Isti
„ qui sanos se putabant, multo periculosius & desperatius *S. Aug. ser.*
„ ægrotabant; & ipsa ægritudine qua mentes perdide- 125. *alias*
„ rant, etiam Medicum cædebant. Parum est, cædebant: 9. *de Verbis Apostol.*
„ dicam totum; non solum cædebant, sed etiam occide- *n.* 2. & 3.
„ bant. Ille autem etiam cum occideretur, Medicus erat;
„ vapulabat & curabat; patiebatur phreneticum, nec
„ deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis
„ percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irrideba-
„ tur, insultabatur ei, postremo audiebatur, damnaba-
„ tur, ligno suspendebatur, undique circumferebatur;
„ & Medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce &
„ Medicum.“ *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illi *perdita mente sæviebant, & Medici sanguinem sæviendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.* „ Non enim frustra
„ dixit, *Pater, dimitte illis*: Orat Christianus, & exau-
„ ditur; orat Christus, & non exauditur? Nam qui exau-
„ dit cum Patre, quia Deus est, quomodo non exaudi-
„ tur homo, quod pro nobis factus est? Prorsus exaudi-
„ tus est. Ibi erant, ibi sæviebant; de his erant qui
„ reprehendebant eum, & dicebant, *Ecce cum publica-*
„ *nis & peccatoribus manducat.* Erant in ipso populo,
„ quo ipse Medicus occidebatur, & *in ejus sanguine*
„ *etiam ipsis antidotum parabatur.*“

39. 40. 41. 42. 43. *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.* Deum blasphemando pati, sine fide, sine spe, sine caritate pati & mori, extrema in hoc mundo pœna peccati est, & peccatum ad mortem, pro quo non oravit Christus; caracter denique reproborum est. Beatus est qui in hac vita castigatur & punitur a Deo, si crucem suam humiliter accipiat, patienter ferat, amore pœnitente pœnas suas consecret, Deo benedicat. *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut* 1. *Petri* 4.
maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christia- 15. 19.
nus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine . . . Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. Primus fructus fidei & pœnitentiæ in peccatore suorum peccatorum pœnas dante, est timor judiciorum Dei, cor ejus utiliter concutientis. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Secundus est pœnarum suarum cum pœnis Jesu Christi comparatio, & justitiæ Dei erga seipsum agnitio ac humilis adoratio. *Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: Hic vero nihil mali gessit.* Tertius est, Christi Jesu humiliationibus, ignominiis, passione & morte non offendi. Quartus, humilis oratio. Quintus, nihil aliud petere quam ut Jesus memor sit nostri, nos habeat in corde; solam ab illo misericordiam postulare, omnibus honoribus, ac favoribus in regno ejus se indignum censere ac profiteri. *Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sextus, corrigere peccantes, innocentiam oppressam tueri. Hoc animo patientibus & morientibus incredibile solatium per spem vivam Deus infundit, & Christus Jesus in pœnarum tolerantia sibi per caritatem conjunctos, ad gloriæ suæ consortium vocat. *Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.*

Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. *S. Aug. l.* 1.
Nemo fit membrum Christi nisi aut baptismate in Christo, *de Anima*
aut morte pro Christo. Unde & Latro ille, non ante cru- & *ejus*
cem Domini sectator, *sed in cruce confessor, inter Marty-* *origine c.* 9.
res computatur, qui suo sanguine baptizantur, quod ple- *n.* 11.
risque non baptizatis fervente persecutione provenit.
„ Tanto namque pondere appensum est, tantumque va-
„ luit apud eum qui hæc movit appendere, quod confes-
„ sus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro
„ Domino crucifixus. Tunc enim fides ejus de ligno flo-
„ ruit, quando Discipulorum marcuit; nisi cujus mortis
„ terrore

„ terrore marcuerat, ejus resurrectione revirescceret. Il-
„ li enim desperaverunt de moriente, ille speravit in
„ commoriente: Refugerunt illi auctorem vitæ, rogavit
„ ille consortem pœnæ. Doluerunt illi tamquam homi-
„ nis mortem, credidit ille regnaturum esse post mor-
„ tem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honoravit il-
„ le socium Crucis. Inventa est in eo mensura Marty-
„ ris, qui tunc in Christum credidit, quando defece-
„ runt qui futuri erant Martyres. Et hoc quidem ocu-
„ lis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tamquam
„ martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem contu-
„ lit, sed etiam nostrum quis non consideret quanta fi-
„ de, quanta spe, quanta caritate mortem pro Chri-
„ sto vivente suscipere potuit, qui vitam in moriente
„ quæsivit? Huc accedit, quia non incredibiliter di-
„ citur, Latronem qui tunc credidit, juxta Dominum
„ crucifixum, aqua illa quæ de vulnere lateris ejus
„ emicuit, tamquam sacratissimo baptismo fuisse perfu-
„ sum.“

S. August. Enarrat. in Psalm. 39. n. 15.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Qualis ille Latro inventus est, pendens in cruce cum Domino, agnoscens in cruce Dominum. „ Alii „ non cognoverunt miracula facientem, agnovit ille in „ ligno pendentem. Erat ille confixus omnibus mem- „ bris, manus clavis inhærebant, pedes tranfixi erant, „ totum corpus adjungebatur ligno; totum corpus non „ vacabat ceteris membris, lingua vacabat & cor: cor- „ de credidit, ore confessus est.“ Memento mei (*inquit*) Domine, cum veneris in regnum tuum. *Salutem suam longe futuram sperabat, & post longum tempus accipere contentus erat: in longum sperabat, dies non est dilatus. Ille dixit*, Memento mei, cum veneris in regnum tuum: *ille respondit:* Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso. *Paradisus habet ligna felicia: Hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno sa-*

S. Ambros. lib. 10. in Luc. n. 121.

lutis . . . Uberior est gratia quam precatio; *semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur.* Hodie mecum eris in Paradiso. *Vita est enim esse cum Christo; ideo ubi Christus, ibi vita, ibi regnum.*

Domine, memento mei, &c. In corde fidelium tres manere virtutes, fidem, spem, caritatem, Apostolus testatur; quas subita repletus grata & accepit Latro, & servavit in cruce. “ Fidem namque habuit, qui regna-

1. Cor. 13. S. Gregor. M. lib. 18. Moral. c. 23.

„ turum Dominum credidit, quem secum pariter mo- „ rientem vidit. Spem habuit, qui regni ejus aditum „ postulavit. Caritatem quoque in morte sua vivaciter „ tenuit, qui fratrem & collatronem pro simili scelere „ morientem, & de iniquitate sua redarguit, & ei vi- „ tam quam non cognoverat, prædicavit. Ille qui talis „ ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce rece- „ dit ex gratia.“ Latro in hora mortis convertitur, nemo desperet: Unus tantum convertitur, nemo præsu- mat, nemo pœnitentiam differat.

Hodie mecum eris in Paradiso. Se gratiam meritis non dare, hoc exemplo confirmat Dominus. *Pro nihilo salvos facies illos*, ait Propheta, id est, gratis data gratia tua. „ Quid ille Latro attulerat ad Crucem? „ De fauce ad judicium, de judicio in lignum, de li- „ gno in Paradisum. Credidit propter quod locutus est. „ Sed & ipsam fidem quis donavit, nisi qui juxta pe- „ pendit?“

Psalm. 55. S. August. Enarrat. in Psal. 12. Idem Tract. 31. in Joan. n. 11.

Hodie mecum eris in Paradiso. Ipsa Crux tribunal fuit. In medio enim Judice constituto, unus Latro qui credidit, liberatur; alter qui insultavit, damnatus est. „ Jam significabat quod futurus est de vivis & mor- „ tuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram; „ similis ille Latro futuris ad sinistram, similis alter „ futuris ad dexteram, judicabatur, & judicium mina- „ batur.“

46. *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* „ Et hæc dicens ex-

Arnold. Bonæval- lis Abbas Tract. de 7. Verbis Dom.

„ piravit. *Inclinans caput, quasi gratias agens*, pote- „ state emisit animam (*ait Arnoldus Abbas*) consum- „ mans omnem legalium rationem hostiarum, & ulti- „ mam ænigmatibus antiquis manum imponens. Sese „ itaque totum obtulit Patri, & consummata est illius „ holocausti plenitudo, expensis in illud Ministerium „ carne simul & spiritu: quia & pro carne & pro spi- „ ritu hominis agebatur, & totus homo totum Chri- „ stum habuit sanatorem, dum & caro in medelam car- „ nis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ „ obtinendam spiritus ille descendit ad inferos, & a- „ scendit ad superos: ibi confringens ferreos vectes, „ hic portas aperiens æternales.“

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Hæc Christiane moriendi forma, ut animam nostram immortalem esse credentes, eam quasi depositum quoddam fidelis Creatoris curæ, custodiæ, defensioni contra malignos spiritus commendemus.

Natal. Alex. In Evang.

CAPUT XXIV.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. UNa *autem sabbati*, prima die hebdomadæ, quæ apud nos Dominica dicitur, *valde diluculo*, summo mane, primo diluculi puncto, *venerunt ad monumentum* piæ mulieres, quæ Jesum a Galilæa secutæ fuerant, *portantes quæ paraverant* ipsa nocte *aromata*, ad ungendum corpus Jesu; & *invenerunt lapidem revolutum a monumento. Et ingressæ* intra septum, ipsumque sepulchrum propius inspicientes, *non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de isto*, dum eam ob rem perplexæ essent, *ecce duo viri*, Angeli duo in specie virorum, *steterunt secus illas*, subito & insperato eis apparuerunt, *in veste fulgenti*, gloriæ illorum indice. *Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram*, timoris, verecundiæ, & venerationis sensu, tum quod cœlestem fulgorem imbecilles earum oculi ferre non possent, *dixerunt ad illas* Angeli: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Auctor vitæ solus inter mortuos liber, non poterat in sepulchro diutius detineri. *Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset*, ab Hierosolymitanorum Judæorum persecutione tutus, *dicens*, quod divina præscientia noverat: *Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus*, scilicet Domini Jesu Christi. *Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim* Apostolis primum, *& ceteris omnibus* Discipulis Jesu.

10. 11. 12. *Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc*; quæ hoc nuntium ad Apostolos retulere. *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista.* Hæc mera somnia, nugæ, ac fabulæ, visa sunt Apostolis: *& non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum*, comite Joanne; *& procumbens*, id est, prono capite, & propenso collo diligenter introspiciens, *vidit linteamina*, quibus involutum fuerat corpus Jesu, *sola posita*, sine corpore, *& abiit*, rediit in domum, *secum mirans quod factum fuerat.* Stupendum eventum tacite admiratus. Confer cum *Matthæi* 28. *Marci* 16. & *Joannis* 20.

13. 14. 15. 16. *Et ecce duo ex illis*, Discipulis Jesu, *ibant ipsa die in Castellum*, in pagum seu villam, *quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem*, stadiis sexaginta distantem, id est, septem milliaribus Italicis cum dimidio, sive duabus leucis Gallicis cum dimidia, *nomine Emmaus*. Pago nomen Emmaus. *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant*. Col. loquebantur in itinere de passione & morte Christi, & de his quæ mulieres, Petrusque & Joannes nuntiaverant. *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent*, id est, simul his de rebus conferrent, *& ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Vi divina impediebantur ne propius considerarent ea ex quibus cognosci Jesus poterat, non effigie mutatus, * sed alio dumtaxat habitu illis apparens, scilicet peregrini; idque multis de causis: nempe 1. ut ambiguam suam de illo sententiam revelarent, ut ulcus detegerent, ac pharmacum susciperent. 2. Ut dulcior eis post multam moram esset ejus agnitio. 3. Ut doceret ex Moyse & Prophetis. 4. Ut magis crederent corpus Domini non ultra esse tale ut simpliciter ab omnibus videri posset, quamvis illud ipsum quod passum est, surrexerit: & conversationem ejus post resurrectionem longe aliam esse, & non communem: non qualis est mortalium, sed divinorum. Propterea tenebantur oculi eorum ne illum agnoscerent: a quibus enim volebat, videbatur.

* *S Augustlib. 3. de Consensu Evang. c. 25. Theophyl. in hunc locum.*

17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Qua de re in itinere disseritis, vultu adeo tristi & tetrico? *Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Tu solus ex his qui habitant in agro Jerosolymitano, ignoras quæ in Urbe acta sunt his diebus? Vel, Tu-ne solus omnium hic ut peregrinus vivis & hospes, id est, ita ignarus rerum Jerosolymitanarum, ut ea quæ nota sunt omnibus, etiam advenis, ignores? *Quibus ille dixit: Quæ?* Quænam illa sunt? *Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo, & omni populo*: Qui fuit Propheta non qualiscumque, sed inter ipsos Prophetas eminens docendi modo & factis, cui testimonium a Deo datum est per miracula, & ab omni populo per fidem ejus sermonibus datam, & per innocentiæ & beneficentiæ ipsius prædicationem: *Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Pontifices, & Senatores nostri ipsum tradiderunt Pilato, & injustam mortis sententiam ab illo extorserunt, effeceruntque

ut crucifigeretur. *Nos autem sperabimus quia ipse esset redempturus Israel*. Hunc esse verum Messiam arbitrabamur, qui liberaturus esset Israelem ab externæ dominationis jugo, & regnum David in florentissimum sanctissimumque statum restituturus (nam rationem liberationis a tyrannide diaboli & peccati servitute tunc temporis nondum intelligebant) *& nunc super omnia tertia dies est hodie quod hæc facta sunt*. Verumtamen dies tertius agitur ex quo hæc facta sunt, ex quo nempe damnatus & crucifixus fuit, si forte inde aliquid boni exspectari possit. *Sed & mulieres quædam ex nostris*, nostri cœtus, *terruerunt nos*, non obstupefecerunt & attonitos reddiderunt: *Quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt* ad nos, *dicentes, Se etiam visionem Angelorum vidisse*, sibi apparuisse Angelos, *qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris*, Petrus & Joannes, *ad monumentum*; *& ita invenerunt sicut mulieres dixerunt*, ita se rem habere comprobarunt, sicut mulieres retulerant: *Ipsum vero* Jesum *non invenerunt*.

25. 26. 27. *Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* O homines sensu & intelligentia destituti, quorum cor tardius est ad credendum non solum sermonibus Jesu Magistri vestri, sed & Prophetarum vaticiniis, quorum veritatem probavit eventus! *Nonne hæc oportuit pati Christum*, secundum Prophetarum oracula, & Dei decretum ipsis revelatum, *& ita intrare in gloriam suam*? per passionem scilicet ac mortem. *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum* (ait Apostolus) *Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*. Christus enim finis Legis & Prophetarum; veteris Legis sacrificia, typi erant sacrificii a Christo in cruce oblati; in Libris Moysis, in Psalmis, in Prophetis, in omnibus Scripturarum veteris testamenti libris, aliqua sunt ad Christum typice, & prophetice, aut mystice pertinentia.

Hebr. 2. 9. Vide Euseb. in libris Demonstrationis Evangelicæ.

28. 29. 30. 31. *Et appropinquaverunt castello*, seu pago *quo ibant*, nempe Emmaus, *& ipse se finxit longius ire*. Ita se composuit, quasi longius iturus esset, passusque aliquot forte progressus est, ut se abire velle significaret, nisi instanter manere rogaretur. Nihil ergo falsi, nihil simulationis in illa Christi actione fuit. Adde ex S. Augustino, non omne quod fingimus, mendacium esse, sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc esse mendacium. „ Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam „ significationem, non est mendacium, sed aliqua figura „ veritatis. Alioquin omnia quæ a sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta „ sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas talibus dictis.... „ Quid ergo significat, quod se ire longius Dominus finxit, cum comitaretur Discipulis, exponens eis sacras „ Scripturas, utrum ipse esset ignorantibus? Quid putamus, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem pervenire posse homines intimavit? Ut cum „ longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes cœlos, tamen ita cum eis sit, qui hæc exhibent servis „ ejus, ut cum dicere cœperint, Domine, quando te „ vidimus hospitem & adduximus: tamquam eum scili„ cet qui longe abscesserat: respondeat ille: Cum uni „ ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ex hoc igitur „ loco nihil extundere possunt mendacii & æquivocationum ac restrictionum mentalium patroni, quod damnato illorum errori faveat."

S. Augustin. Lib. 2. Quæst. Evang. Quæst. 51.

Matth. 25. 58.

Et coegerunt illum, constanti prece, *dicentes: Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies*. Jam sol ad occasum vergit: *& intravit cum illis* in diversorium. *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit*, id est, gratias egit Deo, *ac fregit, & porrigebat illis*, ut patrem-familias se gerens, sicut solebat dum cum Discipulis suis mortalis versaretur. Panem illum communem fuisse, non Eucharisticum, probabilius est, quamvis Eucharistiæ typus fuerit, ut panes in deserto miraculo multiplicati, quos simili ritu Christus in cœlum respiciens *benedixit*, seu *gratias egit*, fregit, & *distribuit*. (*Matth.* 14. & 15. *Marci* 6. & 8. *Lucæ* 9. & *Joannis* 6.) Certe Eucharistiam sub solis panis, non vini symbolis a Christo consecratam, & absque verbis solemnibus, *Hoc est corpus meum*, nemo prodibit. Præterea, Christus in ipsa panis distributione a duobus Discipulis agnitus, statim disparuit, & statim e mensa surgentes regressi sunt in Jerusalem ad undecim Apostolos. Unde incertum est an panem illum comederint. Ad Eucharisticam ergo communionem locus ille non pertinet, nisi typice. *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum*, solo voluntatis suæ arbitrio inconspicuum se præbens.

32. 33. 34. 35. *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Nisi mens nostra caligine quadam tecta fuisset, potueramus eum, antequam nobiscum accumberet, agnoscere ex docendi modo, & ex divina efficacia animos incendente, qualem sentire quondam ipso docente solebamus. *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim* Apostolos, *& eos qui cum illis erant* congregati, *dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni* Petro, Apostolorum primo. Nuntium de resurrectione Domini esse indubitatum ajebant, utpote cui non mulieres solæ, sed ipse Petrus testimonium perhiberet. *Et ipsi* Discipuli Emmauntini *narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis*, in mensa, dum panem frangeret, non antequam discumberent.

36. 37. 38. 39. 40. *Dum autem hæc loquuntur*, dum hæc narrent duo illi Discipuli undecim Apostolis, ceteriisque cum eis congregatis, *stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis; Pax vobis: ego sum, nolite timere*. Postrema illa verba, *Ego sum*, &c. absunt a Codice Græco; illa tamen agnoscunt Vulgatus Interpres Latinus, necnon Syrus & Arabs. Scribarum incuria elapsa non dubito, cum a S. Hieronymo, qui Novum Testamentum Græcæ fidei jussu S. Damasi reddidit, in divina Bibliotheca legantur. *Conturbati vero & conterriti, existimabant se spiritum videre*, quod subito & insperato, clausisque foribus illis visus esset. *Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes* variæ, dubiæ, ac perplexæ *ascendunt in corda vestra*? id est, corda vestra subeunt & occupant. *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*, carnem & ossa, quæ tangi & palpari possint, sicut manus & pedes vobis contrectandas offero. Videte manus & pedes vulnerum cicatricibus insignitos, manibus probate an oculi vestri fallantur. Confer cum *Marci* 16. 44. & *Joannis* 20. 19.

41. 42. 43. *Adhuc autem illis non credentibus*, firma fide, *& mirantibus præ gaudio* vehementi, quod eorum judicium obscurabat; quia rebus adversis, summaque tristitia oppressi, vix rebus credere lætis possumus; *dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur*? Tribus argumentis redivivi corporis sui veritatem Christus Apostolis probavit, judicio visus accurato, judicio tactus, & cibi sumptione. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis*, victum tenuem & pauperem, quo vitam sustentabant. *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis*, ut eum vere comedisse oblatum cibum minime dubitarent. Unde Apostoli ajunt, Petro omnium nomine loquente: *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*. Comedit autem Christus post gloriosam Resurrectionem suam, non necessitate, sed potestate. „ Quomodo contrarium est (*inquit S. Augustinus*) & Christum post Resurrectionem cibatum, & in „ resurrectione quæ promittitur, ciborum indigentiam „ non futuram; cum & Angelos legamus ejusdem modi „ escas eodemque modo sumpsisse, non ficto & inani phan„ tasmate, sed manifestissima veritate; nec tamen neces„ tate, sed potestate? Aliter enim absorbet terra aquam „ sitiens, aliter solis radius candens: illa indigentia, „ iste potentia. Futuræ ergo resurrectionis corpus, im„ perfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit: „ imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit."

Act. 10. 41.

S. Augustin. Epist. 102. Alias 29. Quæst. 1

44. *Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me*. Duobus argumentis Resurrectionem suam Christus iterum confirmat, altero ex prædicatione sua, altero ex Prophetarum oraculis petito. Res quas videtis impletas, scilicet passio, mors, & resurrectio mea tertia die, ita contigerunt sicut prædixi vobis, cum adhuc in carne mortali vobiscum conversarer: cum dicerem, Oportere impleri quæ de me scripta sunt in Lege, Prophetis, & Libris hagiographis (in quibus Hebræi Psalmos imprimis numerabant) siquidem præscientia Dei falli non potest.

45. 46. 47. 48. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*; id est, mentem illorum divino suo lumine illustravit, & Scripturarum intelligentia donavit; quod singulare Dei donum est. *Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die*, ut Dei decreto definitum, typisque veteribus ac Prophetarum vaticiniis prænunciatum est: *& prædicari in nomine ejus*, id est, vices ejus obeundo, ejus mandato & auctoritate, *Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus* Prædicatoribus ejus & Legatis Evangelii prædicationem *ab Jerosolyma*, ut scriptum est Isaiæ 11. 23. *Quoniam de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*. Non solis sensuum testimoniis, sed firmissimis Scripturarum sacrarum documentis resurrectionis suæ veritatem Christus firmavit, ne quid fallaciter cum carnalibus Discipulorum sensibus egisse putaretur. *Dubitantes Discipulos suos* (inquit S. Augustinus) *quamvis conspecto & contrectato ejus corpore, majore documento Scripturarum voluit confirmare, quam quod seipsum visibi-*

S. Aug. lib. De Unitate Ecclesiæ, cap. 10.

visibilem atque palpabilem mortalium sensibus admovebat.

Vos autem testes estis horum, vitæ scilicet ac prædicationis doctrinæque meæ, miraculorum, passionis, mortis, resurrectionis, a Deo præordinati & electi. Sive, *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Act. 1. 8. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos*: Brevi mittam donum Spiritus sancti, vobis a me promissum Patris mei nomine, ut eo roborati mihi testimonium perhibere firmius atque constantius possitis. *Vos autem sedete, quoadusque induamini virtute ex alto.* Manete interim Jerosolymis quieti, & exspectate donec Spiritus sanctus e cælo in vos illabatur, vosque divino robore confirmet ad quælibet pericula adeunda, ad quælibet mala toleranda in prædicatione Evangelii.

50. 51. 52. 53. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*: eduxit eos extra Jerusalem, ad eam Bethaniæ partem, quæ erat in Monte Oliveti, in quo Monte sæpe preces & lacrymas ad Patrem fuderat Christus Jesus: ut qui locus submissionis ejus & humiliationis testis fuerat, idem esset & gloriæ. *Et elevatis manibus suis*, id est, super eorum capita protensis, *benedixit eis*, solemni ritu bene illis precatus est: & omni benedictione spirituali ipsos intus cumulavit. *Et factum est dum benediceret illis*, simul atque ritum illum valedicens implevit, *recessit ab eis*, corpore ab illis disjunctus est, *& ferebatur in cælum*, paulatim via recta ascendit propria virtute. *Et ipsi* Discipuli *adorantes*, cum eum corpore in terram prostrato adorassent ut Regem gloriæ, mundique Dominum, *regressi sunt in Jerusalem* secundum ejus mandatum, *cum gaudio magno*, quia rationem admirabilem qua procurata erat generis humani redemptio jam intelligebant, & divinum illud promissam mittendi Spiritus sancti mox implendum certissime credebant, & firmissime sperabant. *Et erant semper in Templo*, quotidie, statis orationis horis, *laudantes & benedicentes Deum*, AMEN. Forte & cœnaculum in quo ab Ascensione usque ad Pentecosten delituerant Apostoli & Discipuli, erat in Templo; in illudque recepti sunt ab aliquo Sacerdotum aut Levitarum in Christum credentium, qualis erat Barnabas. Confer cum *Actuum* 1.

SENSUS MORALIS.

1. 2. 3. 4. UNa autem Sabbati, *valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata*. Quoties aliquid propter Deum & Christum Jesum agendum est, disponere nos debemus ad illud, qualecumque sit, bonum opus & Christianæ pietatis officium; 2. Illud exequi diligenter ac ferventer debemus. *Valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverunt aromata.* Animam porro fidelem, & in Deo confidentem difficultates, labores, impedimenta a Mundo & hominibus Mundi amatoribus opposita, non deterrent a Christi obsequio, quia ejus gratiæ auxilio tollenda sperat. *Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.* Afflictiones quidem, siccitates, amaritudines interiores sæpe experitur Anima fidelis & Deum diligens, sanctoque ardore quærens in Christianæ pietatis & vitæ spiritualis exercitiis, omni solatio sensibili destituta Jesum quem quærebat, non invenit: *Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.* Verumtamen tædio, mœstitiæ, timori, desolationi succedit consolatio Deo providente, qui sibi fideliter servientes non deserit. *Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, &c.

5. 6. 7. 8. *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Qui veterem hominem cum actibus ejus in se ipso mortificat & crucifigit, Christum a mortuis redivivum invenit in morte peccati, in ejus occasionibus proximis: ex iis emergere necesse est, & pœnitentiam agere, ut novæ Jesu Christi vitæ simus participes. Non est hic, sed surrexit. Per piam meditationem revocanda sunt in memoriam verba ejus, & sacrosancta Mysteria, ut fides nostra firmetur, spes excitetur, caritas augeatur & nutriatur. „ Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in „ Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis „ tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi; „ & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum „ ejus.“

13. & seq. *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.* Ex abundantia cordis os loquitur. Qui Deum diligunt, de Deo, rebusque sanctis differunt in via ista qua ad patriam cælestem pergimus. Qui mundum diligunt, de mundo ejusque rebus confabulantur. *Qui de terra est, de terra loquitur.* Illis qui de Christo Jesu colloquuntur & pios sermones miscent, ipse intimius præsentem se exhibet, gratiam conferens uberiorem. *Et factum est, dum fabularentur, & Jesum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.* Contigit sæpe ut se abscondat piis animabus, illumque vere diligentibus, ut illarum fidem exerceat. Cum illo ambulant, & ignorant; illum in se inhabitantem habent, nec id intelligunt. *Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Duobus illis Discipulis non quidem plene credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit; sed eis speciem quam recognoscerent, non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. „ Ipsi nam- *S. Gregor.*
„ que apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant: *M. Hom. 23*
„ eis autem Dominus foris & præsens aderat, & quis *in Evang.*
„ esset, non ostendebat. De se ergo loquentibus præ-
„ sentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis
„ suæ speciem abscondit.“

17. *Et ait ad eos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Est tristitia carnis quæ mortem operatur; est tristitia secundum Deum, quæ vitam operatur & salutem. Tristitia de Christi Jesu passione & morte, cujus per peccata nostra causæ sumus, adeo ut vere nobis dici possit, *Auctorem vitæ interfeciſtis*, salutaris est, quia ex amore pœnitente, ex caritate saltem inchoata & imperfecta procedit. Christi Jesu passioni & morti compatiendum, quia *Si compatimur, & conglorificabimur.*

18. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Quot Chri- *Rom. 8. 17.*
stiani in Ecclesia ita peregrini sunt & hospites, ut Christum Jesum & ejus Mysteria, præcepta, promissa vix cognoscant post tot sæculorum seriem, tot vaticinia, tot prædicationes, tot miracula! Sic peregrinum esse in Jerusalem, crimen est. Verum alia quadam ratione peregrinum esse, virtus est, & Christiani hominis officium. Existimare & gerere nos debemus sicut peregrinos in hoc mundo; ut ex iis simus *qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*; ut nec mundum, nec rem prorsus ullam *1. Cor. 7. 31.*
quæ est in mundo diligamus mansoria dilectione, ut loquitur S. Augustinus. „ Omnium divinarum Scripturarum
„ plenitudo & finis est dilectio rei qua fruendum est, *S. Aug. lib.*
„ scilicet Dei, & rei quæ nobiscum ea re frui potest, *1. de Doctr.*
„ scilicet proximi. Hoc ergo ut nossemus atque posse- *Christ. c. 35*
„ mus, facta est tota pro salute nostra per divinam pro-
„ videntiam dispensatio temporalis, qua debemus uti,
„ non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatio-
„ ne, sed transitoria potius, tamquam viæ, tamquam
„ vehiculorum vel aliorum quorumlibet instrumentorum,
„ ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur,
„ diligamus.“ Sic Abraham credentium Pater, ceteri- *Hebr. 11. 9.*
que Patriarchæ, se peregrinos & hospites super terram *10. 13. 14.*
existimarunt, & vitam suam peregrinationem appella- *15. 16.*
runt. Abraham „ Fide demoratus est in Terra repromis-
„ sionis tamquam in aliena, in casulis habitando, cum
„ Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.
„ Expectabat enim fundamenta habentem civitatem,
„ cujus artifex & conditor Deus . . . Juxta fidem de-
„ functi sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus,
„ sed a longe eas aspicientes & salutantes, & confiten-
„ tes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui
„ enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.
„ Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, ha-
„ bebant utique tempus revertendi: nunc autem melio-
„ rem appetunt, id est, cælestem. Ideo Deus non con-
„ funditur vocari Deus eorum: paravit enim illis civi-
„ tatem. *Eodem spiritu David Rex ait, Deum orans:*
„ Advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes *Ps. 38. 13.*
„ patres mei. Sic affecti esse debent Christiani. “ *Cha-*
rissimi, obsecro vos tamquam advenas & peregrinos ab- 1. Petr. 2.
stinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adver-
sus animam. Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa Patria, quo redire festinamus. *Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam: si dulcis est patria, amara est* *S. Aug.*
peregrinatio: si amara peregrinatio, tota die tribulatio. *Enarr. in*
Quando non est tribulatio? quando in Patria delectatio. *Ps. 85. num.*
„ Delectationes in dextera tua usque in finem. *Ibi visio* *11.*
„ *sine defectu, amor sine fastidio.* Sed sint copiæ, redun-
„ det affluentia hujus sæculi, detur securitas quod non
„ pereant. Dicat Deus desuper, Æternus in his eris,
„ æterna tecum erunt ista, sed meam faciem non vide-
„ bis. Nemo carnem consulat, spiritum consulite; res-
„ pondeat vobis cor vestrum; respondeat spes, fides,
„ caritas quæ in vobis esse cœpit. Ergo ne si accipere-
„ mus securitatem nos in affluentia bonorum sæcularium
„ semper futuros, & diceret nobis Deus, Faciem meam
„ non videbitis, gauderemus in illis bonis? Eligeret for-
„ te aliquis gaudere & dicere, Abundant mihi ista,
„ bene mihi est, nihil amplius quæro. *Nondum cœpit*
„ *esse amator Dei, nondum cœpit suspirare tamquam pe-*
„ *regrinus.* Absit, absit. Recedant omnia seductoria,
„ recedant blandimenta falsa, recedant ea quæ nobis
„ quotidie dicunt, *Ubi est Deus tuus?* Effundamus super
„ nos animam nostram, confiteamur in lacrymis, ge-
„ mamus in confessionibus, in miseriis suspiremus.“
Quicquid nobis adest præter Deum nostrum, non est dul-
ce. Nolumus omnia quæ dedit, si non dat seipsum qui
omnia dedit. *Ps. 41. 11.*

26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare*
in glo-

in gloriam suam? Pati etiam opertet Christianum, & ita intrare in gloriam. Hæc via salutis est, a Christo monstrata & calcata. Hæc via capitis nostri, hæc via membrorum; hæc Ecclesiæ, omniumque electorum via. Tota clavis cæli, Christi crux & sanguis. Fruſtra viam faciliorem, commodiorem, naturæque corruptæ desideriis magis accommodatam quis quæreret. Qui naturæ blanditur, illam magis corrumpit, Deoque indignam reddit. Sanctificari & salvari nisi per Pœnitentiam & Crucem
Act. 14. 21. non potest. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Christi promissis non credis? Quid tibi promisit Christus, nisi quod ostendit in se? Quid ostendit in se? Mortuus est & resurrexit, ascendit in cælum. Vis sequi? Imitare passionem, exspecta pro-
S. Aug. in Ps. 96. n. 16. 17. missionem. *Quare amas habere quod Christus, si times pati quod Christus*?

29. 30. 31. „ Et coegerunt illum, dicentes: Mane „ nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam „ dies . . . Et factum est, dum recumberet cum eis, „ accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat „ illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. „ *Hæc hospitalitatis merces*. Tene hospitem, si vis agno„ scere Salvatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit „ hospitalitas. " An nescitis quia si quem Christianum susceperitis, ipsum suscipitis? Nonne ipse dicit: *Hospes fui, & suscepistis me*? Et quando ei dicitur, *Domine*
S. Aug. Serm. 235. 236. Alias de Tempore 140. & de diverſ. 88. *quando te vidimus hospitem*? Respondet: *Cum uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. „ Cum ergo Chri„ stianus Christianum suscipit, serviunt membra membris, „ & gaudet caput, & sibi imputat datum, quod mem„ bro ejus fuerit erogatum. Hic ergo pascatur Christus „ esuriens, accipiat potum sitiens, vestiatur nudus, su„ scipiatur peregrinus, visitetur ægrotus. Hoc habet ne„ cessitas itineris. " Sic in ista peregrinatione vivendum est, ubi eget Christus. *Eget in suis, plenus est in se: sed qui eget in suis, & plenus est in se, egentes adducit ad se*.

Et cognoverunt eum, &c. Christum in fractione panis cognoscunt, quem in Scripturæ sacræ expositione non cognoverant. „ Audiendo ergo præcepta Dei illuminati
S. Gregor. M. Hom. 23 Rom. 2. „ non sunt, faciendo illuminati sunt. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis ju„ stificabuntur*. Quisquis ergo vult audita intelligere, „ festinet ea quæ jam audire potuit opere implere. Ecce „ Dominus non est cognitus dum loqueretur, & digna„ tus est cognosci dum pascitur. Hospitalitatem ergo di-
Hebr. 13. „ ligite, caritatis opera amate. " *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis*.

Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. In fractione panis Christus Dominus cognoscitur: Eucharistia enim est *Panis vitæ & intellectus*; oculos aperit, ut Christum, ejusque Mysteria magis ac magis cognoscamus: hinc *Cœna lucis* ab antiquo Patre vocatur. „ Hu„ jus typus fuit mel quod degustavit Jonathas debellatis „ Philistæis. *Illuminati sunt* (inquit) *oculi mei, eo quod*
1. Reg. 14. 29. S. Aug. Serm. 235. Alias de Temp. 140. & Serm. 234. Alias de diverſis 87. „ *gustaverim paululum de melle isto*. Ubi voluit Domi„ nus agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem „ frangimus, & Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, „ nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in „ carne, & tamen manducaturi eramus ejus carnem. „ Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christia„ nus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causa ingre„ deris, quisquis verbum Dei cum timore & spe audis, „ consoletur te fractio Panis . . . Dominus præsentavit „ se ipsum in fractione panis. Discite ubi Dominum quæ„ ratis, discite ubi habeatis, *discite ubi agnoscatis, „ quando manducatis*. Norunt enim Fideles aliquid quod „ melius intelligunt in ista lectione, quam illi qui non „ noverunt. " *Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi. Ibi illi agnoverunt, exultaverunt, ad alios perrexerunt, jam scientes invenerunt, narrantes quod viderant, in Evangelio addiderunt*.

32. *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas*? Verbum Dei ignis est, qui piorum auditorum animos in ejus amorem accendit. Ardete igne ca-
S. Aug. Serm. 234. Alias de diverſis 87 ritatis, ut a dæmonibus discernamini, qui credunt, & contremiscunt. „ Ardor iste sursum vos rapit, sursum „ tollit, in cælum levat. Quicquid molestiarum passi fue„ ritis in terra, quantumcumque Christianum cor deor„ sum humiliatum premat inimicus; summa petit ardor „ dilectionis. Si faculam teneas ardentem, rectam capi„ te sursum teneas; flammæ crinis surgit in cælum: de„ prime faculam, flamma in cælum it: fac faculam ca„ pite deorsum, numquid & flammam deponis in terram? „ Quacumque ardens vergit, flamma aliam viam nescit, „ cælum petit. Spiritu ferventes accendimini igne ca„ ritatis; fervere facite vos laudibus Dei, & moribus „ optimis. Alter calidus, alter frigidus: calidus frigi„ dum accendat: & qui parum ardet, optet augmen„ tum, oret adjumentum. Dominus paratus est dare, „ nos pansis cordibus optemus accipere. "

36. *Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere*. Sistit se Jesus in medio eorum, qui de illo, ejusque Mysteriis loquuntur cum pietatis affectu. Adest in medio ovium bonus Pastor, ut illas consoletur, in fide confirmet, in spem erigat, caritatem accendat & augeat. Oremus ut stet in medio cordis nostri, nobisque pacem illam afferat, quam mundus dare non potest, pacem veram, quæ fructus est caritatis; pacem æternam, quæ merces est caritatis. *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam*. Ut quæramus pacem, præcipitur no- Ps. 45. 15.
bis: ut autem sequamur eam, promittitur nobis. Pacem habeamus cum Deo, cum nobis ipsis, cum proximo. *Ob-* 1. Cor. 5.
secramus pro Christo, reconciliamini Deo, & pacem cum illo habebitis, numquam finiendam, si in ejus obedientia perseverare velitis. Pacem cum vobis ipsis habete. Omnia in vobis ordinata sint: corpus animæ; sensus & appetitus rationi; anima & ratio Deo subjiciantur. Hæc Rom. 12. 18
vera pax est. Quid enim aliud pax est quam *Tranquillitas ordinis*? Pacem cum proximo servate. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, ut Deus pacis & dilectionis sit semper vobiscum. *Domus terrena cohabitatores multos non capit; possessio pacis cum multis habitatoribus crescit*. Pacem si amemus, habemus. „ Laudandi sunt qui amant pacem: qui autem „ oderunt, melius interim docendo ac tacendo pacandi, „ quam vituperando provocandi. Verus pacis amator, „ inimicorum ejus amator est. Quemadmodum enim si „ lucem istam amares, cæcis non irascereris, sed eos „ doleres; quale enim bonum tu caperes, nosses, & ideo „ quanto bono illi fraudarentur conspiciens, misericor„ dia tibi digni viderentur; & si opes haberes, si ar„ tem, si medicamentum, potius ad eos sanandos curre„ res, quam damnandos: ita si pacis amator es, quis„ quis es, miserere eum qui non amat quod amas, qui „ non habet quod habes. Talis quippe est res quam di„ ligis, ut non invideas compossessori tuo. *Habet tecum* Idem,
„ *pacem, & tibi non angustat possessionem*. Quid agit pax Enarr. in
„ in hujus adhuc regionis incertis, in ista peregrinatio- Psal. 147.
„ ne mortalitatis nostræ; cum adhuc nemo est alteri n. 16.
„ conspicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? „ De incertis non judicat, incognita non confirmat: „ proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad „ male suspicandum. Non se multum dolet errare, cum „ credit etiam de malo: perniciose autem, cum male „ sentit forte de bono. Nescio qualis sit: quid perdo, „ si credo quia bonus est? Si incertum est, licet ut ca„ veas, ne forte verum sit; non tamen damnes, tam„ quam verum sit. Hoc pax jubet. "

39. *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. „ De sepulchro Dominus S. Auguſt. Serm. 116. Alias 4. ex editis a Parisien- sibus.
„ Jesus surrexit, sanatis vulneribus, servatis cicatrici„ bus. *Hoc* enim *Discipulis suis expedire judicavit ut ci„ catrices ejus servarentur, unde cordis vulnera sanaren„ tur*. Quæ vulnera? Infidelitatis. Apparuit enim ocu„ lis eorum veram exhibens carnem: & putaverunt se „ spiritum videre. Non leve vulnus hoc cordis est . . . „ Pereat dubitatio, sequatur digna laudatio " . . . . . Agnoscant Discipuli verum corpus, quod agnovit ipsis prædicantibus mundus. Christi resurrectione fides futuræ nostræ resurrectionis in nobis confirmetur. Non est incredibilis resurrectio membrorum, posita & probata resurrectione capitis. Cicatrices in corpore suo glorioso Christus servavit, & Discipulis ostendit, ut meminerimus carnem nostram pœnitentiæ clavis crucifigendam, si ad gloriam beatæ resurrectionis pervenire volumus.

45. 46. 47. *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est; & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*. Scripturarum sacrarum intelligentiam privato cujusque spiritui asserere, illusio Hæreticorum est, siquidem eam sancti Apostoli nonnisi post Christi Domini Resurrectionem singulari illius dono consecuti sunt. Fructus pietatis est, humilitatis, orationis, paupertatis spiritus, & fidei captivantis mentem in obsequium Christi. Christi gratiam humili & ferventi oratione petamus, ut voluntatem Dei in ejus verbis discere possimus; ut Scripturas sacras intelligere, amare, meditari, & secundum illas vitam nostram instituere valeamus, pugnando contra cupiditatem, exercendo caritatem. Finis enim Scripturarum est: *Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. SCRIPTURA *non damnat nisi cupiditatem, non præcipit* S. Auguſt.
nisi caritatem, atque ita informat mores hominum. Veni Domine, clausa sunt corda; aperi & intra.

Et dixit eis: Quoniam sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die. „ Viderunt hoc Apostoli, Christum viderunt patientem, viderunt pendentem, „ videbant post Resurrectionem viventem. Quid ergo non „ videbant? Corpus, id est Ecclesiam. Illum videbant, „ illam non videbant. Sponsum videbant, sponsa adhuc „ latebat. Promittit & ipsam. *Sic scriptum est, & sic „ oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia „ die*. S. Auguſt. Serm. 116. alias 4. ex additis a Parisienſ. Lege & Enarrat. in Pſalm. 147. n. 20.

„ *die*. Hoc sponsus est: quid de sponsa? *Et prædicari in*
„ *nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per*
„ *omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem*. Hoc non-
„ dum videbant Discipuli: Ecclesiam per omnes gentes.
„ Caput videbant, & de corpore capiti credebant. Per
„ hoc quod videbant, quod non videbant credebant. Si-
„ miles illis sumus & nos: videmus aliquid quod ipsi non
„ videbant, & non videmus aliquid quod ipsi videbant.
„ Quid nos videmus quod ipsi non videbant? Ecclesiam
„ per omnes gentes. Quid non videmus quod ipsi vide-
„ bant? Christum in carne constitutum. Quomodo illi
„ caput videbant, & de corpore credebant: sic nos cor-
„ pus videmus, de capite credamus. Invicem nos adju-
„ vent visa nostra. Adjuvit eos visus Christus, ut futu-
„ ram Ecclesiam crederent: adjuvat nos visa Ecclesia,
„ ut Christum resurrexisse credamus. Impleta est fides
„ illorum, impletur & nostra: impleta est illorum de
„ capite, impletur nostra de corpore. Totus Christus &
„ illis & nobis innotuit: sed totus ab eis non est visus,
„ nec a nobis totus est visus. Ab eis caput est visum,
„ corpus creditum: a nobis corpus visum, caput credi-
„ tum. Nulli tamen deest Christus: in omnibus plenus
„ est, & adhuc ei restat corpus. "

49. *Et ego mittam vobis promissum Patris mei in vos*, Spiritum sanctum, quem & olim Pater meus per Prophetas, & nuper ipse ore proprio promisi me missurum, ut vos doceat omnem veritatem; vos in Evangelii prædicatione & Ecclesiæ fundatione ac regimine dirigat; vos in periculis quibusque pro nomine meo adeundis, ac in rebus adversis quibuscumque pro nomine meo perferendis confirmet, roboret, consoletur. Illud vero donum non vobis solis, quos Evangelii mei Prædicatores elegi, sed omni Ecclesiæ meæ mittam brevi, ut promisi. Promissum illud suum die Pentecostes implevit Dominus, sine quo nec credere possemus Filium Dei mortuum esse, & a mortuis resurrexisse; nec remissionem peccatorum in nomine ejus sperare; nec crucem & pœnitentiam diligere, amplecti, ferre; illamque ferendo, Christum sequi. Spiritum sanctum porro ut recipiamus, a mundi tumultibus, a periculosis societatibus, ab occasionibus peccati, a vanitate, a voluptatibus sæculi se edendum est, sæculi moribus renuntiandum; in Mystica Jerusalem, in Ecclesiæ unitate manendum est; in oratione & bonis operibus perseverandum. *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto . . . Et erant semper in Templo laudantes & benedicentes Deum.*

50. 51. 52. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis* benedixit eis ut Caput, ut Pater, ut Sacerdos, omni benedictione spirituali illos cumulavit, expansis super illos manibus in protectionem. *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis*, ut illos sibi arctius & sanctius uniret. „ Fixi enim erant in homine,
„ & Deum cogitare non poterant. Tunc enim cogita-
„ rent Deum, si ab illis, & ab eorum oculis homo au-
„ ferretur, ut amputata familiaritate quæ cum carne
„ erat facta, discerent vel absente carne divinitatem co-
„ gitare. Hinc alias dixerat: *Expedit vobis ut ego va-*
„ *dam*, &c. quasi diceret: *Tollo me a vobis exterius*,
„ *& me ipso impleo vos interius*. Numquid enim secun-
„ dum carnem, & cum carne intrat in cor Christus?
„ Secundum divinitatem possidet cor; secundum carnem
„ per oculos loquitur ad cor & admonet foras, habitans
„ intus, ut interius nos convertamur, & vivificemur ex
„ ipso, & formemur ex ipso; quia forma est omnium
„ infabrificata. *Et ferebatur in cœlum*, ut locum nobis
„ pararet. Ascendit in cœlum Christus Jesus Dominus
„ noster: ascendat cum illo & cor nostrum. Caput no-
„ strum est, & nos corpus ejus. Cum ascendit in cœ-
„ lum, nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descen-
„ dit, non nobis invidet cœlum: sed quodam modo cla-
„ mat: Membra mea estote, si ascendere vultis in cœ-
„ lum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc vo-
„ tis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod
„ computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortali-
„ tatis, nunc exuamus animi vetustatem. " *Facile corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum.*

S. Aug. Serm. 264.

S. Aug. Serm. 263. Alias de Temp. 174. de Diversis 90. n. 2.

53. *Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno*. Et nos cum sanctis Apostolis animo conjuncti, & de Christi gloria exultantes, illum ad dexteram Patris sedentem adoremus, *Qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis*. AMEN. *Fiat, fiat.*

Hebr. 7. 25.

Finis Expositionis sancti Evangelii secundum Lucam.

PRÆ-

PRÆFATIO

In Sanctum JESU-CHRISTI *Evangelium ſecundum Johannem.*



OHANNES, patria Galilæus, Zebedæi, & Salomæ filius, Jacobi Majoris frater inter Apoſtolos ætate junior, ad Apoſtolatum a Chriſto Jeſu cum fratre vocatus, eum relicta navicula, retibus, & patre ſecutus eſt. Inter Apoſtolos Chriſto magis dilectus fuit, virginitatis merito. Unde illi Chriſtus in cruce Matrem Virginem virgini commendavit. Arcanorum Chriſti Jeſu conſcius fuit cum Petro & Jacobo: illique uni in ſinu ſuo diſcumbenti in ultima Cœna, proditorem indicavit Dominus. Illud S. Johannis Apoſtoli Privilegium: *Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus: & qui recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* De quo S. Gregorius Nyſſenus ſcribit: *Verbi amavit ubera, qui ſupra pectus Domini in Cœna recubuit & veluti quamdam ſpongiam, cor ſuum appoſuit, fonti vitæ: & ex ineffabili quadam traditione repletus Chriſti myſteriis, nobis quoque exhibet mammillam a Verbo impletam, noſque implet bonis, quæ ei a fonte ſunt indita, magna voce prædicans quod ſemper eſt Verbum.* Perſecutionem in Chriſtianos movente Domitiano Imperatore, Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exivit quam intraverat. Ab eodem in Pathmos Inſulam relegatus, ubi ſcripſit Apocalypſim infinita futurorum Myſteria continentem. Interfecto autem Domitiano, & Actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu reſciſſis, ſub Nerva Imperatore rediit Epheſum, ibique maximam partem Eccleſiarum Aſiæ fundavit & rexit. Evangelium ſcripſit Epheſi, ex Pathmo redux, noviſſimus omnium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis & Eccleſiis, & a Spiritu ſancto impulſus, adverſus Cerinthum, alioſque Hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui Chriſtum Jeſum ante Mariam non fuiſſe, impie aſſerebant. Unde divinam ejus generationem expoſuit. Sed & alia cauſa illum ad ſcribendum movit, ut ſuppleret nimirum quod aliorum Evangeliſtarum Hiſtoriæ deerat. Cum enim tres alios unius tantum anni, quo paſſus eſt Chriſtus, poſt carcerem Johannis, hiſtoriam texuiſſe animadverteret, anno illo prætermiſſo, cujus Acta a tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, & Johannis carcerem præcedentis, geſta narravit. Et ſeriem quidem ipſam generationis Chriſti ſecundum carnem, utpote a Matthæo & Luca prius traditam, Johannes merito prætermiſit. *Ab ipſa vero ejus Divinitate ſumpſit initium, quippe quæ ipſi a Spiritu ſancto tamquam præſtantiori fuiſſet reſervata.* Scite Origenes ſcribit, *Primitias Scripturarum omnium Evangelium eſſe; Evangeliorum vero primitias, Evangelium a Johanne traditum; cujus ſenſum percipere nemo poteſt, niſi qui ſupra pectus Jeſu recubuerit, vel acceperit a Jeſu Mariam, quæ etiam ipſius mater fiat.*

Johann.13. 23. 25. & cap.21. 20.

S. Gregor. Nyſſ. Hom. 1. in Cant.

Tertull. lib.de Præſcript.c.36. S.Hier.lib. 1.contr.Jovinian. c. 14. Idem Lib.de Viris Illuſt. S. Irenæus lib.3.cap.1.

Euſeb. lib. 3.Hiſtor.c. 24. Clemens Alex. apud Euſeb lib.6. c. 14.

Orig.Præf. in Johann. Edit. Græco-latin.D. Huetii.

Evangelium ſuum Græce ſcripſit S. Johannes, cujus autographum in Eccleſia Epheſina conſervatum adhuc fuiſſe ſæculo VII. Chronicon Alexandrinum teſtatur. In Hebræam linguam ante quartum ſæculum translatum, & Tiberiade in Judæorum ſecretioribus Bibliothecis reconditum, teſtis eſt S. Epiphanius. Evangelium S. Johannis non modo emendate quod ad Græcum ſermonem attinet, verum etiam cum ſumma elegantia tum in verbis, tum in argumentationibus, & in tota orationis compoſitione ſcriptum eſſe, S. Dionyſius Alexandrinus obſervat apud Euſebium Libro VII. Hiſtoriæ, cap. XXV. Johannis Evangelium Eccleſia Catholica ſemper recepit; ſoli Alogi Hæretici rejecerunt, & Cerintho abſurde adſcripſerunt. Initium Evangelii ſecundum Johannem, quidam Platonicus aureis litteris conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat, ut ex Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo refert S. Auguſtinus. Illud Platonicus alter, Amelius nomine, qui ſub finem Sæculi III. floruit, celebrat, Johannem Barbari nomine indigitans. *Atque hoc plane Verbum erat,* (inquit) *per quod, ſempiternum cum eſſet, exiſtebant omnia quæ fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur: quod ipſum videlicet Barbarus etiam ille, apud Deum in principii gradu ac dignitate conſtitutum, immo & Deum ſimul eſſe pronuntiat: per quod facta ſimpliciter omnia ſint, in quo quicquid factum eſt, & vivens, & vita, & aliquid pro ſua quodque natura fuerit: idem porro in corpora delabi tradit, & carne indutum, humanam ſpeciem præ ſe ferre, ſic tamen ut ſuæ interea naturæ majeſtatem oſtendat: adeoque ſolutum ubi jam fuerit, Dei locum denuo capeſſere, ac Deum prorſus eumdem eſſe, qui erat, priuſquam in corpus, atque in carnem hominemque deſcenderet.*

S. Epiph. Her.50.c.3 Idem Hæreſi 51. c.3.

Apud Euſeb.Lib.11. Præpar. Evang.cap 19.

EX-

EXPOSITIO
LITTERALIS ET MORALIS
S. EVANGELII
SECUNDUM
JOHANNEM.

CAPUT PRIMUM.

Sensus Litteralis.

1. 2. IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Cum primum rerum universitas creari cœpit, ante omnia, ab æterno erat *Verbum*, per quod perfecta est creatio initio temporis, & redemptio in plenitudine temporis: erat cum Deo; sive, subsistebat apud Deum Patrem, ut persona distincta: & Verbum illud erat Deus, vere & natura, Patri consubstantialis. *In principio erat Verbum.* Conticescat Arius dicens: *Erat quando non erat.* His enim verbis, *In principio erat*, transcenduntur tempora, significatur æternitas. Unde Deus de se ipso ait: *Ab initio ego ipse.* Ne autem verbum exterius & transiens, vel interius quidem, sed minime subsistens fingeretur, subjungit Evangelista, *Et Verbum erat apud Deum.* Obmutescat Sabellius. Nisi enim esset persona distincta a Patre, cum ipso, seu apud ipsum ab æterno subsistere non vere diceretur. Confer cum *Proverbiorum* 8. 22. Verbum autem illud est Deus de Deo, non accidens, ut conceptus nostri; non volubile, ut hominum cogitationes, sed unius naturæ cum Deo, utpote coæternum. Sileant Sociniani. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hoc Verbum ab æterno erat in sinu Patris, illi coexistens. De initio prædicationis Evangelicæ, non de principio temporis & mundi, hunc S. Johannis locum tam absurde quam impie Sociniani interpretantur, quasi nihil aliud significare voluerit S. Evangelista, quam Christum extitisse cum Johannes Baptista docere cœpit. Ineptum namque est metaphoricum sensum comminisci ac detortum, ubi obvius & naturalis planus ac perspicuus est. Sensus autem naturalis & obvius horum verborum, *In principio*, ad initium Evangelicæ prædicationis pertinere, nullibi in Scriptura reperies. Nec aliquem appellari Dei Verbum, quod Dei voluntati hominibus patefaciendæ sit destinatus; aut fuisse apud Deum, quod soli Deo notus esset. Sane tunc temporis Deo cognitus erat Johannes Baptista, & ejus voluntati patefaciendæ destinatus, nec tamen de eo dicitur, *Erat in principio, erat apud Deum, & Deus erat*; immo negatur, *Non erat ille lux.* Verbum autem erat apud Deum, & Deus erat ab æterno, & antequam mundus crearetur: siquidem omnium creator est, ut Versu 3. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Præterea si Jesus ob eximias dotes & munera dumtaxat, non natura Deus esset, ut volunt Sociniani, cur illum Deum appellasset Evangelista antequam divina illa munera iniret? Cur hominem factum Deum non dixisset potius & prius, quam Deum factum hominem, seu Verbum carnem factum? 3. Jesum Christum initio Evangelii fuisse, Socinianorum sensu falsum esset; si locum haberet illorum interpretatio. Angeli enim ad Zachariam & ad Mariam legatio est initium Evangelii: tunc autem nondum erat conceptus Jesus in utero Virginis

Isaiæ 43. 13.

Nat. Alex. In Evang.

Matris: nec eo tempore voluntatem Dei annuntiabat, ut vel metaphorice Verbum dici posset. Sed nec Deus ratione ministerii, quod nondum obibat, dici potuisset, ut jam observabam; nec ratione destinationis aut electionis ad illud. Nam & Moyses, & Prophetæ, hoc sensu Deus appellari potuissent, quia Dei ministri erant & Legati. Denique hæc locutio *In principio*, aut *Ab initio*, cum legitur in Scripturis sine determinatione, significat absolute principum temporis, Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos . . . Ab initio autem non fuit sic.* Johan. 8. *Diabolus homicida erat ab initio.* 1. Johan. 11. *Cognovistis eum qui ab initio est.* Socinianæ igitur hujus loci interpretationes detortæ sunt, absonæ, sacrilegæ.

In principio erat Verbum. Cum nos docturus esset S. Evangelista hoc Verbum esse unigenitum Dei Filium, ne passibilem quispiam naturam suspicaretur, Verbi appellatione omnem abstulit suspicionem. *In principio erat Verbum*, nihil aliud quam quod semper sit, significat. Ecce veram Philosophiam & divina dogmata (inquit Sanctus Johannes Chrysostomus) non qualia Gentilium, qui tempora & Deos hos antiquiores, alios juniores posuerunt: sed nihil tale in nostra Religione. Nam si Deus est, nihil eo superius: si omnium Conditor, primus: si Dominus & Princeps omnium, omnia post ipsum, & creaturæ, & sæcula. Cum de terra Moyses loqueretur, non dixit: In principio erat terra, sed, *In principio* creavit Deus terram. Quidini igitur eodem modo Evangelium exorsus esset Johannes, dicens, In principio creavit Deus Verbum, si Verbum creatum esset? Hoc autem Verbum substantia quædam est in persona ex ipso Patre sine Passione proveniens. Quemadmodum autem istud, *In principio erat Verbum*, æternitatem significat, ita istud, *Hoc erat in principio apud Deum*, coæternitatem nobis ostendit. Numquam enim solus & sine Verbo Pater fuit, sed semper Deus apud Deum erat, & in persona quidem propria. Hoc Verbum antiqui Rationem, Sermonem, Sophiam sive Sapientiam Dei appellarunt. Unde Tertullianus: „ Ante omnia (*inquit*) Deus erat „ solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus „ autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ce„ terum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, „ quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. „ Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius, & ita „ ab ipso omnia: quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Gre„ ci Λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appel„ lamus "

In principio erat Verbum, id est in Patre, qui principium illius est sine principio, per ineffabilem generationis modum. In hoc principio quod est in omnia, & super omnia, erat Verbum, non cum omnibus sub pedibus ejus, sed extra omnia in ipso naturaliter, ceu fructus coæternus, in ipsa Patris substantia semper manens & ex ipsa semper effulgens, velut ex Sole splendor, aut tamquam ab igne innatus ei calor. Unde ad illum ait Pater apud Psalmistam: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te*

S. Johan. Chrysost. Hom. 1. 2. & 3. in Johan.

Lib. adv. Praxeam cap. 5.

S. Cyrill. Alexandri.

Ps. 109. S. Aug. Tract. 1. in Johan. num. 13.

3. *Omnia per ipsum facta sunt*, visibilia & invisibilia *& sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Nulla est ex rebus creatis, quæ per Verbum condita non fuerit, Patri cooperans, & æqualis cum illo potentiæ. Hæc adjecit S. Evangelista, ne quis existimaret Spiritum sanctum a Filio factum; aut Deum esse peccati auctorem. Nam *peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*. Et idolum non per Verbum factum est: habet quidem formam quamdam humanam, sed ipse homo per Verbum factus est; nam forma hominis in Idolo non per Verbum facta est: & scriptum est, *Scimus quia nihil est idolum*. Ergo ista non sunt facta per Verbum: sed quæcumque naturaliter facta sunt, quæcumque sunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, & quæ moventur in universa natura rerum, omnis omnino creatura . . . Nulla forma, nulla compages, nulla qualiscumque substantia, quæ potest habere pondus, numerum, mensuram, nisi per illud Verbum est, & ab illo Verbo Creatore, cui dictum est, *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti*. Confer cum Apostolo 1. Corinth. 8. 6. *Nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Colossens. 1. 16. 6. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia*. Hebr. 1. 2. *Novissime diebus istis locutus est nobis Deus in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*, id est, orbem universum, & quæcumque sunt in eo, creaturas. Et cap. 11. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei*. Creatio autem proprium Dei solius opus est. Id sibi uni vendicat Isaiæ 44. ℣. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram & nullus mecum*. Perperam igitur ad solam creationem spiritalem, seu restaurationem generis humani per Evangelium, hæc verba restringunt Socciniani, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Nullam enim exceptionem S. Johannes affert, immo suspicionem omnem exceptionis amovet, dicens: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est . . . Ipsius* quidem *sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, sed hic sensus alterum non excludit: immo ejusdem erat homines restaurare, qui creaverat. Hæc igitur verba, *Omnia per ipsum facta sunt*, scripta sunt a S. Evangelista contra Cerinthum, Nicolaitas, &c. qui rerum visibilium creationem nescio cui fictitiæ virtuti a summo Deo distinctæ tribuebant. Hunc igitur errorem destruere volens S. Evangelista & *Regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, visibilia & invisibilia: significans quoque quoniam per Verbum per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his qui in conditione sunt, præstitit hominibus: sic inchoavit in ea quæ est secundum Evangelium doctrina*:

„ In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,
„ & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt,
„ *In omnibus ergo est & hæc quæ secundum nos est con-*
„ *ditio*. " Omnia per ipsum facta sunt, non ut per ministrum, per organum, per instrumentum, ut ajebant Ariani; sed per efficacissimum, omnipotens, & coæternum Patris Verbum, quo Deus Pater *dixit, & facta sunt*. Ista igitur præpositio *Per*, significat tantum potestatem universa creandi, sicut & divinam essentiam, Filio a Patre communicatam, & quidem ab æterno. *Omnia per ipsum facta sunt. Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia, ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia*.

4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*. In ipso Verbo vita erat tamquam in fonte, ex quo vita Angelorum & hominum derivatur. Ipsum Verbum vita erat essentialis & æterna, ut de se ipso ait: *Ego sum via, veritas & vita*. Et *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Et *Hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est*. His verbis, *In ipso vita erat*, destruit S. Johannes Gnosticorum figmenta, qui aliam Dei emanationem *Verbum*, aliam *Vitam*, in Æonum suorum insano systemate distinguebant. Non dissimulandum, duas præcipuas fuisse legendi hujusce textus rationes apud antiquos; alteram quæ hæc verba, *In ipso vita erat*, cum superioribus jungeret, ita claudens sententiam superiorem: *Et sine ipso factum est nihil*. Et puncto interposito sic alteram inciperet: *Quod factum est in ipso vita erat*, &c. Ita SS. Cyrillus Alexand., Augustinus, Venerabilis Beda, &c. Alteram, quæ hæc verba, *Quod factum est*, jungeret cum illis, *Et sine ipso factum est nihil*, ita ut ad eamdem sententiam pertineant, post quam interpunctione posita quartus Versus incipiat: *In ipso vita erat*, &c. Ita S. Johannes Chrysostomus, Alexandrini atque Ægyptii, teste S. Ambrosio in Psalmum 36. n. 35. S. Hieronymus in Isaiæ cap. 44. Nonnus, Theophylactus. Euthymius. Neutram Catholico sensui officere S. Ambrosius agnoscit lib. 3. de Fide, cap. 6. Quamquam Enarratione in Psalmum 36. priorem lectionem sequatur. Nec defuere qui sensum perducerent usque ad illa verba, *quod factum est in ipso*, hisque interpunctione distinctis, aliam sic inciperent sententiam: *Vita erat, & vita erat lux hominum*. Ita legerunt SS. Gregorius Nyssenus, lib. 1. contra Eunomium, & Epiphanius in Ancorato n. 75. ubi priorem lectionem acerbe notat quasi Spiritui Sancto injuriosam. Tertiam vero hanc lectionem velut mendosam S. Augustinus merito rejicit Libro 5. de Genesi ad litteram, cap. 14. Quicquid autem factum est per Verbum, rer omnes creatas, in illo vitam esse, quamvis pleræque in se ipsis inanimæ sint, eo sensu explicat, quo artefacta vivere dicimus in mente artificis. „ Attendite arcam, *Inquit*, in arte, & arcam in opere. „ Arca in opere
„ non est vita, arca in arte vita est: quia vivit animus
„ artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur.
„ Sic ergo quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia,
„ secundum artem continet omnia antequam fabricet o-
„ mnia: hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo
„ vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Ter-
„ ram vides, est in arte terra: cœlum vides, est in arte
„ cœlum: solem & lunam vides, sunt & ista in arte:
„ sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. "

Pergit S. Evangelista, *Et vita erat lux hominum*. Deus Verbum, quod in se ipso vita erat, & vitæ æternæ Auctor hominibus est, lux etiam est, non corporeorum oculorum, sed mentium, lux est hominum, non pecorum, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Hinc de se ipso ait Christus: *Ego sum lux mundi, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Vita sine luce tristis est. Verbum & Vita est, & Lux.

5. *Et Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Lux illa, scilicet, æterna Sapientia & Veritas, lucet hominibus ignorantiæ & peccati tenebris obsitis, & magna pars hominum peccatorum eam non percepit infidelitatis & pravarum cupiditatum tenebris obsistentibus ac præpedientibus. „ Quod notum est Dei, ma-
„ nifestum est illis, (*inquit Apostolus*) Deus enim illis
„ manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mun-
„ di, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur,
„ sempiterna quoque ejus virtus & divinitas ita ut sint
„ inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non si-
„ cut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed
„ evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est
„ insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes,
„ stulti facti sunt. "

6. 7. 8. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes*. Christi & Præcursoris discrimen simplicibus ac perspicuis verbis denuntiat. Extitit merus homo, tametsi eximiis Spiritus sancti donis ornatus, missus a Deo immediate, atque evidenter, cujus missionem ortus admirandus, vaticinia Prophetica, doctrina, prædicatio, baptismus, vitæ innocentia & austeritas comprobabant: cui nomen *Johannes* divinitus impositum. Hujus testimonio dictis suis fidem conciliat S. Evangelista. Hunc enim, cujus erat Præcursor a Deo destinatus ac missus, Christum Jesum, Deum verum ac Dominum omnium esse secundum naturam, testatus est, clamans: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*. Cum de Verbo Deo loquitur, non ait, *Fuit Verbum*, sed, *In principio erat Verbum*, æternitatem ejus significans, & opinionem quod creatus sit, ex animo prorsus evellens: cum vero de Johanne Baptista loquitur, ait: *Fuit homo*, quibus verbis & temporaliter illum incœpisse, & verum hominem, non Angelum natura significat, tametsi officio & ministerio Angelus fuerit, de quo nempe dictum est: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. A Deo missum addit Evangelista, ostendens firmissimum ejus esse testimonium. Nec enim is qui ad prædicandum a Deo missus erat, aliud protulit, quam quod ei mandatum erat. Itaque verax est testis, qui sit a Deo edoctus.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Missus est tamquam idoneus omnino testis, ut testimonium præberet Jesum esse Christum a Deo promissum, Dei Filium, eximiam illam veramque lucem, quæ Patrem æternum, ejusque voluntatem hominibus patefacit; *Splendorem gloriæ, & imaginem substantiæ Patris*, qui *lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*. Testimonium autem præbuit lumini, id est Christo, qui cum hominis testimonio non indigeret, eo tamen uti voluit propter salutem nostram, ut ipsemet ait: *Vos misistis ad Johannem; & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis*. Johannem ergo Deus perhibere voluit testimonium Jesu Christo Filio suo, *Ut omnes crederent per illum*, scilicet per Johannem, id est, ejus ministerio ac prædicatione ad credendum in Christum præpararentur. Missus est quidem, testimonium perhibuit ut omnes crederent: non tamen omnes crediderunt, qui illius testimonium & prædicationem audivere; quæ incredulorum perversitas fuit, de quibus Propheticum

illud

2. Cor. 8. 4.
Sap. 11. 21.
Ephes. 2.
S. Irenæus Lib. 3. c. 11.
S. Augustin. Tract. 1. in Johan.
S. Augustin. Tract. 1. in Johan.
S. Augustin.
Joan. 8. 12.
Rom. 1. 19 & seq.
Isai. 40. S. Cyrill. Alexand.
Marci 1.
Heb. 1. 3. 1. Johan. 1. 5. Johan. 5. 33. 34.
S. Cyrill. Alexand.

illud usurpandum est: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Ezech. 3. 7.

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Johannes non erat Lux illa increata & immensa, sed lucis præco ac testis; non Sol, sed Solis justitiæ Præcursor; *Lucerna* quidem *ardens, & lucens*, sed a primigenia illa & vera luce accensa.

9. 10. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ille solus vera lux erat, qui omnem hominem nascentem illuminat, omnes & singulos luce rationis & intelligentiæ; ex omni hominum genere aliquos luce fidei & gratiæ: ita ut ex his omnibus qui sic illuminantur ad salutem, nemo nisi per illum illuminetur, scilicet per Deum Verbum. „ Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ideo dictum est, quia* Nullus hominum illuminatur, nisi illo „ lumine veritatis, quod Deus est: ne quisquam putaret „ ab eo se illuminari a quo audit ut discat: non dico, si „ quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei „ contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis, verumtamen Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, „ sed qui incrementum dat Deus. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum; sed ut sentiat & „ cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus „ mens ejus aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut Sol iste a cæcis, quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic ab stultitiæ „ tenebris non comprehenditur. *Illuminat omnem hominem*: Non quia nullus est hominum qui non illuminetur, *luce Fidei*, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. " Minime vero dissimulandum est, participium Græcum ἐρχόμενον referri posse ad τὸ φαῦς & sic reddi Versiculum illum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum*, id est, quando oritur mundo. Hoc sensu infra cap. III. 19. dicitur: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Et cap. XII. 46. *Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Id a S. August. observatum.

S. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 25. — 1. Cor. 3. 7. — S. August. Enchiridii cap. 103.

In mundo erat: Verbum jam inde ab initio præsens divinitate & potestate, tandemque novo modo præsens assumpta humanitate per Incarnationis Mysterium: *& mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Carnales homines Creatorem suum non cognoverunt, non coluerunt, non illi debitam reverentiam & obedientiam exhibuerunt.

Lib. 1. de Peccatorum meritis, c. 25.

11. 12. 13. *In propria venit*, in mundum a se conditum, quasi in domum suam, *& sui* domestici, nempe homines ab illo conditi, *eum non receperunt*, ut Dominum ac redemptorem suum, a Deo Patre missum. Cum vero præcipue missus esset ad Judæos velut ad populum Dei peculiarem, illum rejecerunt ingrati. *Pars Domini Populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus* (ait Moyses). *Non fui missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (ait Christus Dominus.) Qui cum gratiam repudiassent, ad gentes translata est. Ita mundus quidem per pœnitentiam ac fidem illuminatur, cum primum Christum ignoraret: sed Judæorum Populus mansit in tenebris, e quibus educi noluit. Ideo Salvator ait: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Legantur S. Johannes Chrysost. Homil. VIII. in Johannem, S. August. Tract. II. in Johannem num. 12. & S. Cyrillus Alexand.

Deuter. 32. 9. — Johann. 9. 39.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. His autem qui eum receperunt, credendo Jesum esse Christum, Dei filium, generis humani Salvatorem, dedit eis hoc jus, hanc dignitatem, hoc privilegium, ut nominentur & sint filii Dei, sive Judæi sint, sive Gentiles. Non enim est distinctio Judæi & Græci, nec gentium aut personarum exceptio apud Deum, qui ex mera gratia, non ex operibus, ne quis glorietur, ex omni gente in filios adoptat, secundum beneplacitum voluntatis suæ, eisque jus ad hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam in cœlis tribuit. *Qui non ex sanguinibus*, id est, ex viri & feminæ commercio: *neque ex voluntate carnis*, id est, ex concupiscentia & libidine: *neque ex voluntate viri*; neque adoptione aut institutione hominum; jus illud ad cœlestem hæreditatem consecuti sunt: *sed ex Deo nati sunt.* Quod nec carnalis ex Judaica gente generatio, nec legales adoptiones præstare possunt; quod nec circumcisio, nec justitia Legis conferre; id fides in Christum per dilectionem operans, & regeneratio per Spiritum sanctum præstat, ut filii Dei nominemur, & simus. Confer cum Jacobi I. 18. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Et cum Johann. 3. 5. & 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.*

14. *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Deus Verbum, ab æterno subsistens, factus est homo, non desinens esse quod erat, sed incipiens esse quod non erat; non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: sicut *Verbum* mentis nostræ, *cum fit vox, non mutatur in vocem; sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.* Interdum anima, interdum caro in Scripturis totum hominem significat. Hic carnis potius quam hominis nomen usurpavit S. Evangelista, ut veritatem humanæ Christi naturæ significaret expressius, distinctionemque naturarum in una Dei hominisque persona inconfuse unitarum, & subsistentium, utque Dei dilectionem magis commendaret, qui semetipsum ita humiliavit, ut viliorem etiam & imbecilliorem hominis partem assumeret, nobisque fieret in omnibus similis & consubstantialis. Hebr. II. „ Quia ergo pueri communicaverunt „ carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: „ ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & liberaret eos, qui timore „ mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ „ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, „ ut repropitiaret delicta Populi. " Non autem ait S. Evangelista Verbum ad carnem venisse, sed carnem factum esse, ne habitudine sicut in Prophetas, aut Sanctos alios ipsum venisse suspiceris, sed revera carnem factum esse, id est hominem. Quocirca etiam Deus est secundum naturam in carne, & cum carne, quippe qui propriam illam sibi habeat, & in ipsa atque cum ipsa adoretur, ut ab Isaia prædictum est: „ Viri sublimes ad te transibunt, & „ tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent; „ & te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum in te „ est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus „ absconditus, Deus Israel Salvator. "

S. August. Serm. 187. Alias de Temp. 27. — Isai. 45. 14. 15.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, inter nos commoratus est, nobis convixit, nobiscum est conversatus toto dispensationis suæ tempore. Sic inter nos mansit, ut a sinu Patris, id est a secreto, quo cum illo & in illo est, non recesserit. Sic in nobis habitavit, ut ubique sit totum. „ Quid mirabilius quam id quod accidit in vocibus nostris, verbisque sonantibus, in re scilicet raptim transitoria? Cum enim loquimur, ne secundæ quidem syllabæ locus est, nisi prima sonare desiterit, & tamen si unus adsit auditor, totum audit quod dicimus; & si duo adsint, tantumdem ambo audiunt, quod & singulis totum est: & si audiat multitudo silens, non inter se particulatim comminuunt sonos tamquam cibos, sed omne quod sonat, & omnibus totum est, & singulis totum. Itane jam non illud est potius incredibile, si verbum hominis transiens quod exhibet auribus, Verbum Dei permanens non exhiberet rebus, ut quemadmodum hoc simul auditur a singulis etiam totum, ita illud simul ubique sit totum? Non itaque metuendum est corpusculum infantiæ, ne in illo tantas Deus angustias passus esse videatur. Neque enim mole, sed virtute magnus est Deus . . . Ipsa magnitudo virtutis ejus, quæ nullas in angusto sentit angustias, uterum virginalem non adventitio, sed indigena puerperio fœcundavit; ipsa sibi animam rationalem, & per eamdem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit; nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, divinitatis ei largiter tribuens . . . . Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. „ *In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* "

S. August. Epist. 137. Alias 3.

Et vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Splendorem divinæ majestatis in eo corporaliter inhabitantis, & in ejus Mysteriis, Transfiguratione, Passione, Resurrectione, Ascensu ad cœlum, doctrina, & miraculis coruscantem; gloriam (inquam) dignam Unigenito Dei. Particula *quasi* non solam similitudinem, sed & veritatem significat, ut multis Scripturæ Sacræ exemplis probari potest. Num. II. 1. *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore.* 2. Esdræ 7. 3. *Ipse quasi vir verax & timens Deum plus ceteris videbatur.* Osee 4. 4. *Populus tuus sicut hi qui contradicunt Sacerdoti.* Matth. 14. 5. *Quia sicut Prophetam eum habebant.* Igitur particula Græca ὡς, Latina *quasi*, ipsum fuisse vere Unigenitum Dei affirmat, vel proportionem designat inter personam Unigeniti Filii Dei, & gloriam illi convenientem. Addit S. Evangelista: *Plenum gratiæ & veritatis.* Quæ verba cum superioribus illis cohærent: *& habitavit in nobis*; ita ut illa, *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre*, velut parenthesi clausa intelligantur. Plenitudo gratiæ & veritatis, proprii sunt Verbi Incarnati characteres. Mosaicæ Legi Gratia & Veritas ab Apostolo passim opponitur: Gratia, quia Lex *occasio* erat *peccati*, *& ministratio mortis*: Veritas, quia Lex figuras rerum a Christo præstandarum & umbras futurorum bonorum continebat. Christus plenus gratiæ, qui Spiritum sanctum, ejusque dona sine mensura accepit. Plenus gratiæ gratum facientis, &

Rom. 7. 11. — 2. Cor. 3. 7.

gratis datæ; plenus gratiæ, quam in nos effudit abunde. Plenus gratiæ, qua nos a maledicto Legis liberavit, nosque Deo per mortem suam reconciliavit; plenus veritatis, quam nos docuit ut Magister; & qua Legis cæremonias implevit. Plenus gratiæ & veritatis, quia complementum est promissionum omnium, quæ originem suam ex gratia seu misericordia Dei habuerant, & veritas omnium figurarum. Confer cum Rom. 15. 8. „ Dico „ enim Christum Jesum ministrum fuisse Circumcisionis „ propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones „ Patrum. *Et Colos.* 2. 16. 17. Nemo vos judicet in ci„ bo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, „ aut Sabbatorum: quæ sunt umbræ futurorum, corpus „ autem Christi. *Et Hebr.* 9. 24. 25. 26. Non enim in „ manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, „ sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro „ nobis. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab „ origine mundi: nunc autem semel in consummatione „ sæculorum, ad destinationem peccati, per hostiam „ suam apparuit. "

15. *Johannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est; quia prior me erat.* Ille cui testimonium perhibuit Johannes, erat verbum caro factum, & *clamavit* palam, libere, alta & clara voce prædicavit, dicens: Hic est de quo dixi, antequam illum vidissem, & baptizassem: *Qui post me venturus est* ad prædicandum Evangelium regni cœlestis, *ante me factus est*, jure mihi antepositus est, quia prior me erat æternitate, præstantior dignitate. Quid mirum quod S. Præcursor Christum ante se genitum dicat, cum de se ipso Christus pronunciaverit: *Antequam Abraham fieret ego sum?* Hæc est causa prælationis (inquit S. Ambrosius) ut merito antelatus videatur, qui proprii Patris sempiterna virtus est. *Post me venit qui ante me factus est*; hoc est supra meritum meum factus, supra meam gratiam, tempore carnis posterior, divinitatis honore venerabilis. *Post me* enim *venit*, temporis est: *prior me erat*, æternitatis: *ante me factus est*, honoris, quia etiam Incarnationis Mysterium supra humanam est gratiam.

S. August. Tract. 5. in Johann.

S. Ambr. Lib. 3. de Fide, cap. 10. n. 67. & 68.

16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex plenitudine gratiæ & veritatis, Christo inexistente (inquit S. Evangelista) omnes nos qui in ipsum credimus, gratiam fidei, remissionis peccatorum, justitiæ, dona Spiritus sancti accepimus pro mensura donationis ejus, qui plenitudinem illam habuit ut eam ceu caput in membra sua effunderet. „ Ipse *enim* est caput corporis Ecclesiæ, qui „ est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omni„ bus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem „ plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia „ in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ „ in terris, sive quæ in cœlis sunt. " Gratiam autem ab illo accepimus non qualemcumque, sed cumulatam; gratiam super gratiam. Vel, gratiam loco gratiæ, id est gratiam gratiæ quasi succenturiatam & jugiter succedentem, subinde novam, seu gratiam vitæ æternæ pro gratia fidei & justitiæ, præmium pro bonis operibus, in quibus *creati sumus in Christo Jesu*. Nam pro merito accipis vitam æternam? Pro gratia. „ Si enim fides gratia „ est, & vita æterna quasi merces est fidei: videtur quidem „ Deus vitam æternam tamquam debitam reddere: (cui „ debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem.) Sed „ quia ipsa fides gratia est; & vita æterna gratia est pro „ gratia. " Vel denique, Gratia Novi Testamenti data est pro gratia Testamenti Veteris. Et illud enim gratia fuit, seu gratuitum Dei beneficium. Hæc postrema expositio a SS. Johanne Chrysostomo & Cyrillo Alexandrino traditur. Sed & S. Augustinus *gratiam pro gratia*, idest, *pro Testamenti Veteris promissionibus*, *Testamenti Novi promissiones* nos accepisse alias commentatur.

Coloss. 1. 18. 19

S. August. Tract. 1. in Johann.

S. Johann. Chrysost. Hom. 13. in Johann.

S. August. Psalm. 81.

17. *Quia Lex per Moysen data est, Gratia & Veritas per Christum facta est.* Lex data est per Moysen, tamquam per Mediatorem & Ministrum; Gratia vero qua Lex impleretur, & Veritas per ceremonias Legis, per vetera sacrificia, terrenaque promissa adumbrata, per Jesum Christum revelata & exhibita est. In præceptis scilicet atque Sacramentis Veteris Testamenti *aliud fuisse* intelligendum est, „ quod per gratiam Novi Testamenti faciendo donaretur implendum, aliud quod per veritatem patefactam removendo demonstraretur impletum: cum Dei „ & proximi dilectione susciperetur Legis perficiendæ „ præceptio; Circumcisione autem, atque aliorum illius „ temporis Sacramentorum cessatione ostenderetur Legis „ perfoluta promissio. Præceptum quippe reos faciebat „ ad desiderandam salutem, promissum autem figuras celebrabat ad exspectandum Salvatorem: ut per adven„ tum Novi Testamenti illos liberaret gratia donata, „ illas auferret veritas reddita. Ipsa enim Lex quæ per „ Moysen data est, Gratia & Veritas per Jesum Chri„ stum facta est: Gratia scilicet, ut data indulgentia „ peccatorum, quod præceptum erat ex Dei dono cu„ stodiretur; Veritas autem, ut ablata observatione umbrarum, quod promissum erat ex Dei fide præsentaretur. "

S. Aug. lib. 22. contr. Faustum, cap. 6.

18. *Deum nemo vidit umquam, unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Deum nemo homo carne mortali circumdatus vidit umquam sicuti est, sive secundum essentiam: quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Job, Jacob, Moyses, Elias, Isaias, imagines quasdam & species creatas viderunt, in quibus eis apparere voluit, non ipsam Dei naturam. Deum nemo vidit umquam oculis corporis, vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre: aliud est totum videndo comprehendere. Nemo Deum umquam viribus suis vidit. Nemo cum Deo ita familiaris fuit, ut ejus consilia perviderit ac penetraret. *Quis* enim *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Non Moyses, non aliquis Prophetarum: unde non mirum si summorum mysteriorum veritatem nobi plene ac perspicue aperire non potuerint ac declarare. Id nimirum unigeniti Filii proprium est, qui cum sit ejusdem cum Patre naturæ, omnium ejus consiliorum conscius est. „ Enarrat „ ergo Filius ab initio Patrem, quippe qui ab initio est „ cum Patre, qui & visiones propheticas, & divisiones „ charismatum, & ministeria sua, & Patris glorificationem consequenter & composite ostenderit humano ge„ neri ad utilitatem. " Quibus igitur Dei Mysteria revelata sunt, *omnia per Verbum ejus discunt*.

S. Augu. Epist. 147 alias 112.

S. Ambr. lib. 1. in Luc.

S. Irenæus lib. 4. c. 37

19. 20. *Et hoc est testimonium Johannis* de Christo, *quando miserunt Judæi* Synedrii magni Proceres *ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum*, nempe ad ipsum Johannem: *ut interrogarent eum: Tu quis es?* ut quærerent ab eo quis esset, & quo jure prædicaret ac baptisma conferret? An esset Christus? *Et confessus est, & non negavit, & confessus est: Quia non sum ego Christus.* Magna constantia & asseveratione respondit, Se non esse Christum.

21. 22. 23. *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu*, in terras demissus ex eo in quem raptus est loco? *Et dixit: Non sum:* eo nimirum sensu quo ab ipsis interrogabatur. Etsi enim in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat. Ideo autem interrogarunt an esset Elias, quia notum illis erat Eliam adventus Christi Præcursorem fore, ex Malach. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sed secundum Christi adventum cum primo, & verum Eliam cum secessus ejus, austeritatis & zeli imitatore confundebant. *Propheta es tu? Et respondit: Non.* Tunc ille Propheta es eximius, quem Deus olim promisit Moysi, dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi?* Talem Prophetam se esse negat Johannes. Unde nec Zachariæ patri contradicit, qui Spiritu sancto afflatus, de illo dixerat: *Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis:* nec Christo, qui eum *Prophetam, & plus quam Prophetam vocavit*. Dixerunt ergo ei Judæorum Legati: *Quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso?* Qualem te geris? *Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Is sum de quo Isaias scribit: Vox clamantis in deserto, rectam facite viam Domini, &c. Confer cum *Matthæi* 3. 3. *Marci* 1. 3. *Luc.* 3. 4.

Deuteron 18. 18.

Isai. 40. 3.

24. 25. 26. 27. *Et qui missi fuerant* Sacerdotes & Levitæ, *erant ex Pharisæis*, quod non absque causa S. Evangelista observavit. Pharisæi quippe censebant nullum a se ritum, qui aut a Deo præceptus, aut a majoribus esset traditus, omitti: quare nec baptismum ad suos ritus addendum fuisse arbitrabantur, nisi a Christo, aut forte a Propheta magno. *Et interrogaverunt eum & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Cur baptizandi auctoritatem tam solemni ritu usurpas? Cur baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum initias ad te venientes? Non intelligebant Judæi, Christi Præcursori a Deo misso jus fuisse baptizandi populos, ut eos ad Christum recipiendum præpararet. „ Nulli enim Prophetarum, nulli prorsus homi„ num in Scripturis divinis legimus concessum esse, ba„ ptizare in aqua pœnitentiæ in remissionem peccato„ rum, quod Johanni concessum est: qua mirabili gratia „ suspendens in se corda Populorum, viam præpararet in „ eis illi quem se tanto prædicaret esse majorem. Sed „ Dominus Jesus Christus tali baptismo mundat Eccle„ siam, quo accepto nullum alterum requiratur: Johan„ nes autem tali baptismo prætingebat, quo accepto „ esset baptisma etiam Dominicum necessarium; non ut „ illud repetatur, sed ut illis qui baptismum Johannis „ acceperant, etiam Christi baptismus, cui viam præ„ parabat ille, traderetur. " *Quapropter* Respondit eis Johannes dicens: Ego baptizo in aqua mera, non in Spiritu sancto, baptismo præparatorio per pœnitentiam; non baptismo regenerationis; baptizo non meo nomine, sed Messiæ venturi. *Medius autem vestrum stetit, ille*, palam vobiscum conversatur, *quem vos nescitis*: cujus dignitatem & excellentiam ignoratis. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est*: Post me venit, qui mihi antepositus est, utpote me major & poten-

S. Aug. lib. 5. de Bapt. contr. Donat. c. 9. n. 11.

potentior; venit (inquam) post me prædicaturus, baptismumque perfectiorem instituturus: *cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, id est, ut ei infima exhibeam famulorum ministeria. Confer cum *Matthæi* 3.

S. Jo Chrys. Hom. 16. in Johan.

28. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Johannes baptizans.* Quamvis hæc lectio antiqua sit, *in Bethania*, ut ex sanctis Cyrillo Alexandr. Johanne Chrysostomo, Græcisque, Syriacis, ac Latinis Exemplaribus apparet: monet tamen Chrysost. emendatiora legere, *Bethabara*. Bethania enim neque trans Jordanem est, neque in deserto Judææ, sed vicina Jerosolymis. Sed neque ad aquas sita est, ut commoda ibi baptizandi opportunitas haberetur. Bethabara autem, quæ idem sonat ac *Domus transitus*, erat locus ad trajectum Jordanis, sed in citeriore Jordanis ripa respectu Jerosolymæ, in Tribu Ephraim. Ibi Joannes primum baptizabat. Nam post id tempus baptizavit in Salim, in deserto scilicet, ut alii Evangelistæ loquuntur. Sensum autem occultiorem forte subesse loco *Bethabara*, observat eruditus Interpres: Ut ubi Dei Populus ex deserto veniens in Terram promissam trajecit, ibidem editum sit Johannis testimonium, quasi trajectum faciens ex Lege in Regnum cœleste.

Orig. Tom. 8 in Johann. Edit. D. Huetii.

Legit Origenes: *Hæc in Bethabara facta sunt*: eamque lectionem vindicat in Commentario. „ Quod in omnibus „ fere exemplaribus ponatur, *Hæc in Bethania facta sunt*, „ non ignoramus (*inquit*) & videtur hoc etiam antea „ factum fuisse: unde apud Heracleonem etiam Bethania legimus. Sed persuasi sumus non Bethania, sed „ Bethabara legere, cum ad loca perveniissemus, ut Jesu, „ Discipulorumque ejus, ac Prophetarum vestigia inspiceremus. Bethania namque, ut ipse ait Evangelista, „ patria Lazari, & Mariæ, & Marthæ quindecim stadiis a Hierosolymis distat, qua Jordanes fluvius, lato „ computo, abest stadiis circiter octoginta supra centum: „ sed neque locus est circa Jordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem ostendi circa tumulos Jordanis Bethabara, ubi Historiæ dicunt „ Johannem baptizasse, estque nominis interpretatio consequens baptismatis præparantis Domino populum in„ structum. " Est enim, si interpreteris, DOMUS INSTRUCTIONIS.

29. *Altera die*, seu die sequenti, *vidit Johannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Hic est Agnus ille eximius & singularis, Deo gratissimus, quippe sine labe aut macula, innocens, obediens, mansuetus, cujus typi erant Agnus Paschalis, agnus jugis sacrificii, qui quotidie mane & vespere offerebatur, aliæque victimæ legales. Hæc victima piacularis, omnium hominum peccata portans expiandi gratia, & per mortem suam ac sanguinem abluendi & remittendi. Hic est, de quo a Propheta scriptum est;

Isai. 53.

Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet . . . Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum, oblatus est quia ipse voluit. Non Judæorum tantum, sed totius mundi tulit peccatum Christus Jesus, siquidem pro omnibus mortuus est. *Peccata*

1. Petri 2. 22. 1. Petri 18.

nostra tulit in corpore suo super lignum; & *redempti* sumus *pretioso sanguine Agni immaculati & incontaminati.*

30. *Hic est de quo dixi: Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat.* In eum corda vestra convertite, illum audite, sequimini, præceptis ejus ac monitis obtemperate. Me enim infinito antecedit intervallo, dignitate, origine, æternitate.

31. *Et ego nesciebam eum* ex facie, antequam ad baptizandum missus essem: ne testimonium hocce meum familiaritati aut gratiæ datum vobis videatur: *Sed ut manifestetur in Israel, propterea veni in aqua baptizans:* id est, Propterea veni aqua baptizans, ut omnibus ad baptismum meum recipiendum confluentibus, & Jesu inter cæteros veniente & baptizato, manifestum fieret Israeli ipsum esse Christum, Patris Æterni voce, Spiritus sancti descensu, meaque demonstratione.

32. 33. *Et testimonium perhibuit Johannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo*, id est, specie columbæ: *& mansit super eum*, in illo requievit, nemini post hac majori dandus, imo nec cuiquam nisi per ipsum. *Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Id est, qui baptizaturus est ut Sanctificationis Auctor, & Spiritus sancti largitor, quem in baptismate a se instituendo, & auctoritate sua administrando, in homines effundet ad remissionem peccatorum, & animarum renovationem. Confer cum *Mat-*

Isai. 11. 2.

th. 3. 13. 14.

34. *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*, unigenitus, Deus de Deo, homo factus, verus Messias, de quo ab Isaia prædictum est: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c.*

35. 36. 37. *Altera die*, seu postridie *stabat Johannes* muneri suo intentus, *& ex Discipulis ejus duo; & respiciens Jesum ambulantem, dicit*, eum digito demonstrans: *Ecce Agnus Dei.* Non ait: Ecce Messias, Ecce Rex Israel, ut doceret Christo mortem prius esse tolerandam ad expianda totius mundi peccata, quam regnum ineundum. *Et audierunt eum duo Discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum*: Non ut illi dehinc perpetuo adhærerent, sed ut familiaritatem cum illo inirent, illumque plenius nossent, quem Johannes tantis præconiis efferebat.

38. 39. 40. *Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis?* Prior eos alloquitur, ut benignitate sua illis fiduciam & animos addat, haud dubie verecundis. *Qui dixerunt ei: Rabbi (quod interpretatur, Magister) ubi habitas?* ut te postridie invisamus, & tecum colloqui possimus. *Dicit eis: Venite, & videte.* Ad hospitium suum eos invitat ea ipsa hora quæ ne minus opportuna esset Jesu metuebant; *Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo*, ibique pernoctarunt, quia jam serum erat. *Hora autem erat quasi decima* ab ortu Solis. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Johanne*, testimonium quod Jesu perhibuit, *& secuti fuerant eum.* Quis alter? Ne quæramus curiosius, quod ignotum nobis esse Deus voluit.

41. 42. *Invenit hic primum fratrem suum Simonem*, quem ambo quærebant, *& dicit ei: invenimus Messiam*, Judæis promissum, & jam exspectatum. Cum Petrus ex eis esset qui exspectabant consolationem & redemptionem Israel, nullus ei nuncius lætior accidere potuit. *Invenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus.* Hæc nominis interpretatio non Andreæ, sed Evangelistæ est, qui Græce scripsit. *Et adducit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona:* Quem antea non viderat, & ex nomine & ex genere vocat, ut se Deum esse demonstret, cui nota sunt omnia. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus.* Cephas Syriacum nomen, non appellativum, sed proprium, cum sua significatione in sermonem Græcum translatum. Nomen ejus mutat Christus, jam eum sibi pro sua potestate ut suum vindicans, & Petrum vocans a petra, utpote super quem fundaturus erat suam Ecclesiam.

S. Cyrill. Alexand.

43. 44. 45. 46. *In crastinum voluit Jesus exire* e Judæa *in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jesus: Sequere me. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ & Petri.* Bethsaida, oppidum Galilææ, Andreæ & Petri patria. *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in Lege & Prophetis, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth.* Messiam de quo scripserunt Moyses, & Prophetæ, invenimus: & hic est Jesus filius Joseph, ortu Nazarenus. Filium Joseph vocat ex vulgi opinione, quia Virginis Filium esse necdum noverant. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth* oppido tam ignobili, tam obscuro, *potest aliquid boni esse?* tantumne bonum expectari potest, maxime cum Messias ex Bethlem Juda expectetur? *Dicit ei Philippus: Veni, & vide* Experire ipse, certiora enim indicia ex ejus sermone accipies.

Gen. 49. 10. Deuteron. 18. 18. Isai. 40. 10. & 45. 8. Jerem. 23. 5 Ezech. 34. 23. & 37. 24. Daniel. 9. 24. 25. &c.

47. 48. 49. *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Vere dignus Abraham, Isaac, & Jacob filius ob morum integritatem, simplicitatem, ac sinceritatem. *Dicit ei Nathanael: Unde me nosti?* Cur me ignotum laudas? *Respondit Jesus, & dicit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te*, tametsi nemine conscio te vocaverit. *Respondit ei Nathanael*, certus quod absentia ei velut præsentia perspecta essent, quin etiam cordium cogitationes & affectus; quod Dei proprium: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Messias ab Israelitis expectatus, verus Dei Filius.

50. 51. *Respondit Jesus & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis*, me Filium Dei, & Messiam esse a Deo promissum: *Majus his videbis.* Majora fidei tuæ habiturus es argumenta, augustiora miracula, quibus non Israelis tantum, sed Angelorum etiam Rex cognoscar. *Et dicit ei: Amen amen dico vobis, Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.* Angelos jussa mea obeuntes, mihi ministrantes in Passione, Resurrectione, Ascensu in cœlum. Ad Mysticam scalam forte Christus alludit, per quam ascendentes & descendentes Angelos Jacob vidit.

SENSUS MORALIS.

1. IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* „ Refer animum ad „ Verbum. Si potes habere verbum in corde tuo, tam„ quam consilium, natum in mente tua, ut mens tua „ pariat consilium, & insit consilium, quasi proles men„ tis tuæ, quasi filius cordis tui. Prius enim cor gene„ rat consilium, ut aliquam fabricam construas, aliquid „ amplum in terra moliaris; jam natum est consilium, „ & opus nondum completum est: vides tu quid facturus „ es, sed alius non miratur, nisi cum feceris & construxeris molem, & fabricam illam ad exculptionem per„ fectionemque perduxeris. Attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur consilium fabricantis: stupent quod vident, & amant quod non vident: Quis

S. Aug. Tract. 1. in Joan.

„ est

„ est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna ali-
„ qua fabrica laudatur humanum consilium; Vis videre
„ quale consilium Dei est Dominus Jesus Christus, id est,
„ Verbum Dei? Attende fabricam istam mundi: vide quæ
„ facta sunt per Verbum, & tunc cognosces quale sit Ver-
„ bum ... Si non potes cogitare quid sit, differ ut cre-
„ scas. Ille cibus est, accipe lac ut nutriaris, ut sis va-
„ lidus ad capiendum cibum. " Crede, ut aliquando vi-
deas, adora, gratias age; quod hic ratione penetrare & explicare non vales, admiratione & laudibus prosequere; æterno Patri in Filio ejus inseparabiliter unitus esto; cogitationes tuæ, consilia tua, affectus tui sint non solum apud Deum, sed propter Deum.

3. 4. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Universæ creaturæ Verbo æterno esse suum debent ut principio suo per omnipotentiam quæ illi cum Patre communis est: debent & essendi modum, ordinem, pulchritudinem, proportionem ut ideæ, arti, & sapientiæ divinæ. Ad divinum illud omnis creatæ perfectionis exemplar nos conformemus, per creaturas ad ipsum ascendamus; illi uni, non ejus operibus adhæreamus. Vita æterna in illo est. Ipsum est vita nostra, Lux mentium
1 *Johan.* 5. 12. 13. nostrarum, beatitudo nostra ..... *Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet ... Vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Extra illum tenebræ, mors & miseria æterna.

5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Homines per peccatum lapsi in tenebras ignorantiæ & cupiditatis, tametsi naturali lumine quod increatæ lucis participatio est, donati sint; increatam illam lucem, Verbum æternum, vel ignorant, vel non glorificant, nec gratias illi agunt; nec rationis ductum sequuntur in operatione boni & fuga mali. Caveamus ne simus adhuc tenebræ, non autem lux in Domino, & filii lucis. Ambulemus in luce; ne nos tenebræ comprehendant. „ Qui autem istam lucem non capiunt, non ideo
S. Aug. Tract. in Jo. „ cogitent quasi absentem esse lucem, qui eam videre
„ non possunt: *Ipsi enim propter peccata tenebræ sunt.*
„ Quemadmodum ergo cæco præsens est sol, sed ipse soli
„ absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis im-
„ pius, cæcus est corde. *Præsens est sapientia, sed cum*
„ *cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa*
„ *illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Quid
„ ergo faciat iste? *Mundet unde possit videri Deus.* Quo-
„ modo si propterea videre non posset, quia sordidos &
„ saucios oculos haberet, irruente pulvere, pituita vel
„ fumo, diceret illi Medicus: Purga de oculo tuo quic-
„ quid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuo-
„ rum. Pulvis, peccata; fumus, peccata & iniquitates
„ sunt: tolle inde ista omnia, & videbis sapientiam quę
„ præsens est: quia Deus ipsa est sapientia; & dictum
Matth. 5. 8. „ est: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum vide-*
„ *bunt.* "

6. 7. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johan-*
S. Jo. Chrys. Hom. 5. in Johan. *nes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ne mireris quod Christus a Johanne, Dominus a servo testimonium acceperit, qui ad eum venit, & ab eo cum Judæis baptizari voluit, ut nobis humilitatis exemplum præberet. Sic a Johanne testimonium accipere voluit, non quod eo indigeret, sed propter salutem nostram, ut se hominum imbecillitate accommodaret. Hinc ipse Jesus ait: *Alius*
Jo. 5. 32. 33. *est qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. Vos misistis ad Johannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, ut vos salvi sitis.* Quasi dicat: „ Deus ego sum, & Dei uni-
„ genitus Filius, & quamvis nemo hoc profiteretur, ni-
„ hil propterea natura mea fit minor, nihil deterior:
„ sed cum mortalium salus mihi curæ esset, in hanc de-
„ scendi humilitatem, ut hominis testimonio me subjice-
„ rem. Nam propter Judæorum imbecillitatem, hoc pacto
„ melius faciliusque fides in eum extendi propagarique
„ poterat. Sicut igitur carnem induit, ne si nudam Di-
„ vinitatem exhiberet, omnes perderet: ita virum qui se
„ annuntiaret misit, ut cum familiarem vocem populi
„ audirent, facilius ad credendum adducerentur. Non
„ enim suæ dumtaxat dignitati, sed auditorum usu fa-
„ cilitatique consuluit. " Magna Dei erga nos miseri-
cordia est, cum sanctos Prædicatores, Pastores, conscientiarum Moderatores ad nos mittit, qui ad salutem recipiendam nos disponant: sed huic Dei misericordiæ respondere & cooperari fideliter debemus; in Christum Jesum credere fide per dilectionem operante; & vitæ puritate, conversationisque testimonium illi perhibere, ut alii nostro exemplo illum colant & diligant.

Rogabit quispiam: Siquidem Johannes venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, *ut omnes crederent per illum*, quidni omnes ei crediderunt? Respondet Sanctus Cyrillus, „ Non id Johannis culpa, sed
„ Judæorum, ad quos missus est, incredulitate & per-
„ versitate contigisse. Etenim quod ad Præconis scopum,
„ & supernæ missionis rationem attinet, nemini do-
„ ctrina defuit vel fides: sed cum varia sint auditorum in-
„ genia, & unusquisque potestatem habeat suæ voluntatis,
„ a recta ratione quidam aberrarunt, fide repudiata. "
Idcirco Propheticum illud de iis usurpandum est: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde ... Qui audit, audiat: & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.* *Ezech.* 3. 7. & 27.

8. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Cum nonnulli Johannem Baptistam Christum esse suspicarentur, admirabilis ejus vitæ, eximiarumque virtutum splendore præstricti, ipsique Synedrii Proceres misissent ad eum legatos, qui rogarent utrum esset Christus: ideo S. Evangelista, ut errorem evelleret, simulque ostenderet quantæ auctoritatis esset ille qui a Deo in testimonium missus erat, subjungit: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Unam autem lucem esse his verbis clare ostendit, quod sane verum est. Etenim quamvis lux Sancti dicantur; & Johannes Baptista lucerna appelletur, non ignoramus tamen eos gratiam ac donum luminis accepisse. „ Neque enim lux propria est
„ lucernæ, neque Sanctis illuminatio, sed veritatis illu-
„ minatione splendentes & conspicui facti sunt, & lu-
„ minaria sunt in mundo, vitæ sermonem retinentes.
„ Vita autem cujus in se dicuntur habere sermonem,
„ quænam alia esse potest, quam Unigenitus ipse, qui
„ de se ait: *Ego sum vita?* Igitur una quidem est vera
„ lux, illuminans; non illuminata: unius autem parti-
„ cipatione quicquid lux dicitur, lux per imitationem
„ illius censebitur. "

9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Filius Dei vera lux est, summa, substantialis, originalisque ratio, quæ omnem hominem illuminat; cum nec recte cogitare, nec bene ratiocinari, nec verum a falso discernere, nisi illius auxilio possimus. Veram illum lucem adoremus; oremus ut tenebras nostras illuminet: *Deus meus, illumina tenebras meas* .... Si omnem hominem, & ipsum Johannem illuminat. *Ipse ergo illuminabat, a quo se demonstrari volebat.* „ Veniebat ad mentes infirmas, ad corda saucia,
„ ad aciem animæ lippientis. Ad hoc venerat. Et unde
„ posset anima videre quod perfecte est? Quomodo plerum-
„ que fit, ut in aliquo corpore radiato cognoscatur or-
„ tus esse sol, quem oculis videre non possumus. Quia &
„ qui saucios habent oculos, idonei sunt videre parietem
„ illuminatum & illustratum a sole, vel montem, vel
„ arborem, aut aliquid hujusmodi: & in alio illustrato
„ demonstratur illis ortus ille, cui videndo adhuc mi-
„ nus idoneam aciem gerunt. Sic ergo illi omnes ad quos
„ Christus venerat, minus idonei erant eum videre: ra-
„ diavit Johannem, & per illum confitentem se radia-
„ tum ac illuminatum esse, non qui radiaret & illumina-
„ ret, cognitus est ille qui illuminat, cognitus est qui
„ implet. *Qui illuminat omnem hominem venientem in*
„ *hunc mundum.* "

10. 11. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Amor mundi impedit ne mundi Creator cognoscatur & ametur; cum ideo conditus sit homo, ut ad Dei cognitionem & amorem duceretur & accenderetur. Cæli, sidera, Angeli Creatorem suum cognoverunt, quem & dæmonia confitentur. Sed qui non cognoverunt? *Qui amando mundum, dicti sunt mundus.* Ipsi enim corde habitant in mundo. Nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed corde in Cœlo habitant, ut Apostolus dicit: *Nostra conversatio in Cœlis est.* *S. Aug. ibid.* *Philipp.* 3. 20.

In propria venit, & sui eum non receperunt. „ Qui sui?
„ Homines quos fecit: Judæi quos primitus fecit super
„ omnes gentes esse: quia aliæ gentes idola adorabant,
„ & dæmonibus serviebant; ille autem populus natus
„ erat de semine Abrahæ: & ipsi maxime sui, quia &
„ per carnem quam susciperе dignatus est, Cognati. "
Et sui eum non receperunt, cum ad eos præsertim venis-
set. De hoc ingrati animi vitio non solus Johannes, sed Prophetæ quoque & Apostolus conqueruntur. Et Prophetę quidem e persona Christi clamaverunt: „ Populus quem non
„ cognovi servivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi: Fi-
„ lii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt a semitis suis.
„ *Et iterum*: Quibus non est narratum de eo, viderunt; &
„ qui non audierunt, contemplati sunt ... Quæsierunt me qui
„ ante non interrogabant, invenerunt me, qui non quæ-
„ sierunt me. *Paulus autem ad Romanos*: Quid ergo? Quod
„ quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem
„ consecuta est. *Et iterum*: Quid ergo dicemus? Quod
„ gentes, quę non sectabantur justitiam, apprehenderunt
„ justitiam: justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero se-
„ ctando legem justitiæ, in legem justitiæ non perve-
„ nit. " Et sane plurima admiratione dignum est, quo pacto qui in Prophetarum libris instituti, Moysem & reliquos deinceps Prophetas plurima de Christi locutos adventu singulis sabbatis audiverant; præterea Christum signa & miracula quotidie facientem, & secum dumtaxat versatum viderant, neque sinentem adhuc discipulos ut in gentes dispergerentur, & in
S. Cyrillus Lib. 1. in Jo. cap. 7. Matth. 5. Vos estis lux mundi. *Psalm.* 131. Paravi lucernam Christo meo. *Johan.* 5. Erat lucerna ardens & lucens.
S. Aug. Tract. 2. in Johan.
Psalm. 17.
Isai. 52. 15. & cap. 65. 1. *Rom.* 11. 7. *Rom.* 9. 30. 31. *S. Jo. Chrys. Hom.* 8. *in Johan.*

civitas

civitates Samaritanorum ingrederentur; neque ipsum eas ingressum, sed ubique asserentem missum se ad oves quæ perierant de domo Israel: tum cum signa viderent, Prophetas frequenter audirent, quotidie ab ipso admonerentur, tam surdi penitus & cæci perstiterunt, ut nihil eos ad Christi fidem possit adducere. Gentiles autem idolis servientes & in omne flagitiorum genus demersi, Evangelio obediverunt. Quæ causa obdurationis Judæorum? Superbia. *Ignorantes* enim *justitiam Dei, & quærentes propriam justitiam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Superbiam igitur caveamus, ne suam a nobis gratiam Deus subtrahat, quam dat humilibus. Gratias agamus Deo, qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, & per donum fidei illuxit in cordibus nostris, ut eum reciperemus. Judæi Christum Jesum repulerunt, quia illum non noverant. Væ nobis, si illum repudiemus quem cognoscimus, quem recepimus, a quo gratiis & donis innumeris cumulati sumus, cujus Corpore & Sanguine pasti sumus. Christum recipit, qui mandatis ejus obedit, qui secundum ejus Evangelium vivit. Caveamus, ne qui Christi sumus per Sacramenta, eum vitæ pravitate repellamus. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

Rom. 10.

12. 13. „ Quotquot autem receperunt eum, dedit eis „ potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine „ ejus: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. „ *Magna benevolentia, magna misericordia!* Unicus natus est, & noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet ad illum magis, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus: Unicum eumdem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. " Ille enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum: Quos sibi fratres facere volebat, ipse solvit, & fecit cohæredes. Sic enim dicit Apostolus: *Si autem filius, & hæres per Deum.* Et iterum: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* „ Non timuit ille habere „ cohæredes; quia hæreditas ejus non fit angusta, si „ multi possederint. Illi ipsi certe illo possidente fiunt „ hæreditas ipsius, & ipse vicissim fit hæreditas ipsorum. „ Audi quomodo fiant hæreditas ipsius: *Dominus dixit „ ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ille quomodo fit hæreditas eorum? *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Et nos illum possideamus, & ipse nos possideat sicut Dominus; nos illum possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut lucem. "

S. Aug. Tract. 2. n. *Joan. n.* 13.

Gal. 4. 7. *Rom.* 8. 17.

Psal. 2. 7. *Ps.* 15. 5.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Per aquam & Spiritum sanctum ex Deo nati, & filii Dei facti sumus. Dignitatem suam Christianus agnoscat. Hæc vera nobilitas, Dei filium nominari & esse. Ne ab illa excidamus, ne degeneres simus, ne secundum carnem & sanguinem vivamus. Dei voluntate & amore facti sumus divinæ consortes naturæ, regnique cœlestis hæredes: Voluntatem igitur & amorem Dei eligamus ut regulam Morum nostrorum: ad hanc omnes cogitationes, omnia consilia, omnia opera nostra dirigamus: non ad voluntatem carnis, non ad voluntatem viri, id est, ad cupiditatem, ad amorem humanum & carnalem.

14. *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Verbi Dei exinanitionem capere æque impossibile est ac magnitudinem. *Deus* factus est homo; *Filius æterni patris*, filius hominis; *Verbum*, infans; *Vita*, mortalis; *Lux*, in tenebris, id est, in medio hominum peccatorum. *Ut homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus.* „ Christus enim „ Deus & Christus natus ex hominibus. Noli ergo mirari quia efficeris filius Dei per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum ejus. Prius ipsum Verbum nasci voluit ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi: Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideo cum dixisset S. Evangelista, *Ex Deo nati sunt*: quasi ne miraremur & exhorreremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur quia homines ex Deo nati sunt, quasi securum te faciens, ait: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Incarnationis Christi consilium oppugnat, qui terrenis ac sensibilibus bonis adhæret, qui mundanam celsitudinem consectatur; cum propterea Verbum caro sit factum, ut nos ab iis avocaret ac abstraheret. Ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri, & possemus videre majestatem ejus per ejus „ humilitatem. Ideo *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Sanavit oculos nostros: *Et vidimus gloriam ejus.* GLORIAM *ejus nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur.* Unde non poteramus videre? Irruerat homini quasi pulvis in oculum, irruerat terra, sauciaverat oculum, videre non poterat lucem: oculus iste sauciatus inungitur: terra sauciatus erat, & terra illuc mittitur ut sanetur. Omnia enim collyria & medicamenta, nihil sunt nisi de terra. De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris: ergo *Caro te cæcaverat, caro te sanat.* Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus. *Verbum caro factum est*: Medicus iste tibi fecit collyrium. Et quoniam *sic venit ut de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem*: ideo factum est in te, ut quoniam *Verbum caro factum est*, tu possis dicere, *Et vidimus gloriam ejus.* " Qualem gloriam? Qualis factus est Filius hominis? Illa humilitas ipsius est, non gloria. Sed quo perducta est acies hominis curata per carnem? *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

16. *Et de plenitudine ejus omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia.* Quanto magis Christo unimur, tanto abundantius de duplici ejus plenitudine accipimus. Omnis enim boni principium est ut Deus; ut vero caput Christianorum & electorum, principium est omnis sanctitatis & gratiæ. Accepimus de plenitudine ejus primo gratiam, & rursum accepimus gratiam pro gratia. „ Quam „ gratiam primo accepimus? Fidem. In fide ambulantes, „ in gratia ambulamus. Unde enim hoc meruimus? Quibus nostris præcedentibus meritis? Non se quisque compalpet, redeat in conscientiam suam, quærat latebras cogitationum suarum, redeat ad seriem factorum suorum: non attendat quid sit, si jam aliquid est; sed quid fuerit, ut esset aliquid; inveniet non se fuisse dignum nisi supplicio. Si ergo supplicio dignus fuisti, & venit ille qui non peccata puniret, sed peccata donaret, gratia tibi data est, non merces reddita. Unde vocatur gratia? quia gratia gratis datur: non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimitterentur. Quid meruit? *Interroget justitiam, invenit pœnam: interroget misericordiam, invenit gratiam* ... Sed hoc & promiserat Deus per Prophetas: itaque cum venit dare quod promiserat; non solum gratiam dedit, sed & veritatem. Quomodo exhibita est veritas? Quia factum est quod promissum est. Quid est ergo, *Gratiam pro gratia?* Vitam æternam pro merito fidei. Fide promeremur Deum; & qui non eramus quibus peccata dimitterentur, ex eo quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? Gratis data. Quid est gratis data? Donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata. Si vere debebatur, bonus fuisti: si autem, ut verum est, malus fuisti, credisti autem in eum qui justificat impium, cogita quid per Legem tibi imminere debebat, & quid per gratiam consecutus sis. Consecutus autem istam gratiam fidei eris justus ex fide: Justus enim ex fide vivit: & promereberis Deum vivendo ex fide: cum promeruerit Deum vivendo ex fide, accipies præmium immortalitatem & vitam æternam. Et illa gratia est. Nam „ pro quo merito accipis vitam æternam? Pro gratia. " *Sed enim fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei: videtur quidem Deus vitam æternam tamquam debitam reddere (cui debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem.) Sed quia ipsa fides gratia est; & vita æterna gratia est pro gratia . . . . . Dona sua coronat, non merita tua.* Ergo *omnes de plenitudine ejus accepimus*: de plenitudine misericordiæ ejus, de abundantia bonitatis ejus. „ Quid? Remissionem peccatorum, „ ut justificaremur ex fide. Et insuper quid? *Et gratiam „ pro gratia*: id est, pro hac gratia in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam. Quid tamen nisi „ gratiam? Nam si dixero, quia & hoc debetur, „ aliquid mihi affigno, quasi cui debeatur. " *Coronat autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ: sed si in ea gratia quam primam accepimus, perseveranter ambulemus.*

S. Aug. Tract. 3. in Jo. n. 8. 9. 10

De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia. „ Quam? Pro qua? Pro veteri novam. Quemadmodum enim duplex erat justitia: *Secundum justitiam, „ quæ in lege est*, ait Apostolus, *factus irreprehensibilis.* „ Et duplex fides: *Ex fide in fidem.* Et adoptio duplex: *„ quorum adoptio est.* Et duplex gloria: *Si enim quod „ evacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in „ gloria.* Et lex duplex: *Lex spiritus vitæ liberavit me.* „ Et duplex servitus: *Quorum servitus*: & iterum: *Serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Et testamentum duplex: *Consummabo super domum Israel & super domum Juda testamentum novum, „ non secundum testamentum quod feci patribus eorum.* „ Et duplex sanctificatio, & duplex baptisma, & duplex „ sacrificium, & templum, & circumcisio duplex; ita

Philip. 3. 2. *Cor.* 3. *Rom.* 7. 6 *Jerem.* 31. 32. *Hebr.* 8. 9.

„ &

„ & duplex gratia . Sed illa quidem quasi figura sunt ,
„ hæc quasi veritas . . . Quænam inter hanc & illam
„ adoptionem differentia est ? Illa verbo honorabatur ,
S. Joan. „ hæc re ipsa. De illa ait Propheta : *Ego dixi , dii estis ,*
Chrys. Hom „ *& filii Excelsi omnes* : de hac dicitur : *Ex Deo nati*
3. in Joan. „ *sunt* : Quanam ratione ? *Per lavacrum regenerationis*
„ *& renovationis Spiritus sancti* . Et illi quidem postquam
„ filii appellati sunt , adhuc spiritum servitutis habebant :
„ erant enim servi , etsi hac appellatione honorabantur :
„ Nos liberi tunc facti , non nomine , sed re honorem
Rom. 8. accepimus . *Non enim* (inquit Apostolus) *accepistis spi-*
„ *ritum servitutis iterum in timore , sed accepistis Spiri-*
„ *tum adoptionis filiorum Dei , in quo clamamus , Abba*
Galat. 4. „ (*Pater*) . . . Illi cum idola non colebant , neque for-
„ nicabantur , neque adulterium committebant , vocaban-
„ tur sancti : nos vero non in hujusmodi abstinentia , sed
„ in majorum acquisitione & possessione facti sumus sancti .
„ *Ut sancta sit corpore & spiritu . . . . Pacem sequimini*
„ *& sanctimoniam , sine qua nemo videbit Deum* . Et ,
1. Cor. 7. „ *Perficientes sanctificationem in timore Dei* . Christiano-
Hebr. 12. „ rum igitur sanctitas intrinsecus radicem habet a Spi-
„ ritus Sancti adventu , & in vita longe perfectiore po-
„ sita est quam Judaica . . . Gratia Judæi salutem con-
„ sequebantur . Nam qui non propriis meritis a Deo ele-
„ cti sunt , eos perspicuum est propter gratiam hujusmo-
„ di honorem consecutos : Nos autem omnes salvi quoque
„ facti sumus gratia , sed non eodem modo , neque iisdem
„ de rebus , sed longe majoribus & excellioribus . Non
„ enim nobis hæc dumtaxat gratia data est , venia scili-
„ cet peccatorum , quam cum illis communicamus ; Om-
„ nes enim peccaverunt : sed justitia , sanctificatio , ado-
„ ptio , Spiritus sancti gratia longe clarior , longe ube-
„ rior : ad hæc & alia major , hoc est , a Spiritu & re-
„ conciliatione fiducia . Hujus gratiæ causa Deo chari
„ facti sumus , non amplius ut servi , sed ut filii & ami-
„ ci . Sic *Accepimus gratiam pro gratia* . . . Non solum
„ Lex , sed ipsa creatio hominis ex nihilo gratia quæ-
„ dam fuit , utpote nullis præcedentibus meritis data .
„ Deinde , quod a Deo conditi & facienda & vitanda
„ didicerimus , & horum a natura legem acceperimus ,
„ & conscientiæ judicium incorruptum nobis ab opifice
„ Deo tributum sit . Gratia præterea fuit , ut hanc le-
„ gem quodammodo obliteratam & corruptam , per Le-
„ gem scriptam recuperaremus . Consentaneum namque
„ erat , ut qui datum semel a Deo præceptum adulteras-
„ sent & corrupissent , pœnam luerent : verum mitius no-
„ biscum actum est . Iterum emendandi medicina adhibi-
„ ta , non debita quidem , sed a misericordia & gratia
„ proveniens . Nam quod gratiæ sit & misericordiæ ,
„ David confirmat , dicens : *Faciens misericordias Domi-*
„ *nus . . . Notas fecit vias suas Moysi , filiis Israel vo-*
„ *luntates suas* . Misericordiæ igitur & gratiæ fuit le-
„ gem accipere : sed majoris gratiæ fuit accipere quæ
„ nobis a Christo collata sunt beneficia . “

Rom. 5. „ 17. *Quia Lex per Moysen data est , Gratia & ve-*
„ *ritas per Jesum Christum facta est* . I x subintravit , ut
„ abundaret delictum (inquit Apostolus) . Hoc prode-
„ rat superbis ut abundaret delictum : multum enim sibi
S. August. „ dabant , & quasi viribus suis multum assignabant ; &
Tract. 3. in „ non poterant implere justitiam , nisi adjuvaret ille qui
Jo. n. 11. 14. „ jusserat . Superbiam illorum volens domare Deus , de-
„ dit Legem , tamquam dicens : Ecce implete , ne pute-
„ tis deesse jubentem . Non deest qui jubeat , sed deest
„ qui impleat . Unde non implet ? Quia natus cum tra-
„ duce peccati & mortis . . . Sed non te in æternum
„ tenebit vinculum peccati : quia mortem tuam æternam
„ occidit mors temporalis Domini tui . Ipsa est gratia ,
„ ipsa est & veritas : quia promissa & exhibita . Non erat
„ ista in veteri Testamento , quia Lex minabatur , non
„ opitulabatur ; jubebat , non sanabat ; languorem osten-
„ debat , non auferebat : sed illi præparabat Medico ven-
„ turo cum gratia & veritate ; tamquam ad aliquem quem
„ curare vult Medicus , mittat primo servum suum ut
„ ligatum illum inveniat . Sanus non erat , sanari nole-
„ bat , & ne sanaretur , sanum se esse jactabat : missa
„ Lex est , ligavit eum , invenit se reum , jam clamat
„ de ligatura . Venit Dominus , curat amaris aliquantum
„ & acribus medicamentis : *dicit enim ægroto* , Ferto ;
„ *dicit* , Tolera ; *dicit* , Noli diligere mundum , habeto
„ patientiam ; curet te ignis continentiæ , ferrum perse-
„ cutionum tolerent vulnera tua . Expavescebas , quam-
„ vis ligatus : liber ille & non ligatus bibit quod tibi
„ dabat : prior passus est ut te consolaretur , *tamquam*
„ *dicens :* Quod times pati pro te , prior patiar pro te .
„ Hæc est gratia , & magna gratia . Quis illam digne
„ collaudet ? “

S. Augst. ibid. n. 16. *Lex per Moysen data est , Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est* . „ Per servum Lex data est , *reos je-*
„ *cit* : per Imperatorem indulgentia data est , *reos libe-*
„ *ravit* . Lex per Moysen data est . Non sibi aliquid am-
„ plius servus assignet , quam quod per illum factum est .
„ Electus ad magnum ministerium tamquam fidelis in
„ domo , sed tamen servus , *agere secundum Legem po-*
„ *test* ; *solvere a reatu Legis non potest* . “

19. *Et hoc est testimonium Johannis , quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum , ut interrogarent eum , Tu quis es ?* Quid Christo respondebimus , cum nos interrogabit , *Tu quis es ?* Christianus ? Religiosus ? Sacerdos ? Qualem mores & opera demonstrant ? Nonne potius paganum , sæcularem , laicum ? Terribilem interrogationem ipsi præveniamus . Nobis sincere respondeat cor nostrum . Amorem proprium ne audiamus : adulator est , seductor est . Aliis ne credamus , quos sæpe fallimus simulatione virtutum , & vicissim nos fallunt adulatoriis sermonibus . Cum ab hominibus laudamur , imitemur Johannem , laudes indebitas sincere , modeste , veridice repudiemus . Demus operam ut Deus potius laudetur , a quo habet homo quicquid in eo jure laudatur . Deo ita adhæreamus , ut si non merito laudamur , corrigamus eos quos possumus ; ne arbitretur aut in nobis esse quod non est ; aut nostrum esse quod Dei est ; aut ea laudent , quæ quamvis non desint nobis , aut etiam supersint , nequaquam tamen sunt laudabilia , velut sunt bona omnia , quæ vel cum pecoribus habemus communia , vel cum impiis hominibus . Si autem merito laudamur propter Deum , gratulemur eis quibus placet verum bonum ; non tamen quia placemus hominibus , sed si coram Deo tales sumus , quales nos esse credunt , & non tribuitur nobis , sed Deo , cujus dona sunt omnia , quæ vere meritoque laudantur . Sic laudes repudiemus , ut veritatem non offendamus : quia *Laus humilitatis in parte non est ponenda falsitatis* : Johannem considerate , Johannem audite . Tanta erat ejus excellentia ut posset credi Christus : & in eo probata est humilitas ejus , quia dixit se non esse , cum posset credi esse . Imitemur humilitatem Præconis , & intelligamus celsitudinem Judicis . *Medius vestrum stetit , quem vos nescitis* . Nec mirum : Lumen est , vos tenebræ . Ego in aqua tantum , ille in Spiritu sancto baptizat . Post me venturus est : sed prior me est , *cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti* . Quantum se abjecit ? Et ideo multum elevatus est : quoniam qui se humiliat , exaltabitur . „ Si
„ diceret , Ille venit post me , qui ante me factus est ,
„ cujus tantummodo corrigiam calceamenti dignus sum
„ solvere , multum se humiliasset . Quando autem nec ad
„ hoc dignum se dicit , vere plenus Spiritu sancto erat ,
„ qui sic servus Dominum agnovit , & ex servo amicus
„ fieri meruit . “

S. Cyrill. Alex. Lib. 2. in Jo. p. 114.

S. Augst. Tract. 4. in Johann.

29. *Altera die vidit Johannes Jesum venientem ad se , & ait : Ecce Agnus Dei , ecce qui tollit peccatum mundi .* Ecce Agnus , non Paschatis legalis & typici , sed veri . *Pascha nostrum immolatus est Christus* . Ecce catholicum Patris Sacerdotem simul & victimam : singulariter ille est Agnus Dei , quia *singulariter hujus Agni sanguine solo homines redimi potuerunt* . „ Hic Agnus est immacula-
„ tus , pro omnibus ad occisionem ducendus , ut mundi
„ peccatum amoveat , ut orbis exterminatorem evertat ,
„ ut mortem pro omnibus obeundo mortem aboleat , ut
„ solvat hominum maledictionem , ut cesset tandem il-
„ lud , *Terra es , & in terram reverteris* ; ut sit ille se-
„ cundus Adam , non e terra , sed e cœlo , omnisque
„ boni principium naturæ humanæ existat , solutio inve-
„ cti interitus , æternæ vitæ conciliator , causa refor-
„ mationis ad Deum , pietatis & justitiæ principium , via
„ denique ad Regnum cœlorum . Unus enim mortuus est
„ Agnus pro omnibus ; omnem hominum gregem servans
„ Deo ac Patri : unus pro omnibus , ut omnes Deo su-
„ bjiciat ; unus pro omnibus , ut omnes lucrifaciat : ut
„ omnes denique non jam sibi vivant , sed ei qui pro ipsis
„ mortuus est & resurrexit . Nam cum in multis pecca-
„ tis essemus , atque idcirco morti & corruptioni obno-
„ xii , dedit Filium suum Pater redemptionem pro no-
„ bis , unum pro omnibus , quoniam omnia sunt in ipso ,
„ & omnibus melior est . Unus pro omnibus mortuus est ,
„ ut omnes vivamus in ipso . Cum enim occisum pro om-
„ nibus Agnum mors absorpserit , simul etiam in ipso
„ & cum ipso cunctos evomuit . Omnes enim eramus in
„ Christo , qui propter nos & pro nobis mortuus est , at-
„ que resurrexit . Abolito vero peccato , quomodo fieri
„ poterat ut mors etiam , quæ ex ipso est , propter ip-
„ sum non abolita sit ? Mortua radice quomodo germen
„ servabitur ? Mortuo peccato , quæ moriendi nobis cau-
„ sa erit ? Quare de occisione Agni Dei solemni exul-
„ tatione dicamus : *Ubi est mors victoria tua ? Ubi sti-*
„ *mulus tuus , inferne ?* Omnis enim iniquitas oppilabit
„ os suum , nec poterit amplius accusare præ infirmitate
„ peccantes . Deus *enim* est qui justificat . . . . Christus
„ nos redemit de maledicto Legis , factus pro nobis ma-
„ ledictum . . . ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret
„ in Christo Jesu , ut pollicitationem Spiritus accipiamus
„ per fidem . “

Rom. 8. Galat. 3. 13. 14.

32. *Et testimonium perhibuit Johannes , dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo , & mansit super eum* . Morum innocentia , puritas , simplicitas , mansuetudo , caritas , bonorum operum fæcunditas , agni & columbæ symbolis , quorum primo Christus , altero Spiritus sanctus designari voluit , Christianis commendantur . Spiritum sanctum in baptismo „ aliisque sa-

cramen-

cramentis accipimus; sed heu, in paucis manet; a pluribus illum contristantibus, illi resistentibus, contumeliamque illi facientibus, discedit. *Vidi Spiritum descendentem, & manentem super eum.*

S. Cyrill. Alex. Lib. 2. in Johan. p. 123.

„ Cum homo factum sit Dei Verbum, Spiritum a Patre accepit ut unus e nobis, non sibi specialiter aliquid accipiens (Erat enim ipse largitor Spiritus) sed „ ut acceptum naturæ nostræ conservaret, ut homo; & „ rursus radicaret in nobis gratiam quæ recesserat, is „ qui peccatum non novit. Hanc ob causam S. Præcursor addidit: *Vidi Spiritum descendentem de cœlo, & mansit super eum.*" Avolavit enim ex nobis propter peccatum: *Factus est autem velut unus ex nobis qui peccatum non novit, ut assuesceret Spiritus manere in nobis, cum discedendi aut subducendi se causam in ipso non haberet. Igitur nobis per seipsum Spiritum accipit, & naturæ vetus bonum renovat.*

S. Augustin. Tract. 6. in Johann.

33. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* „ Petrus baptizet, „ hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat. Nam si „ pro diversitate meritorum baptisma sanctum est; quia „ diversa sunt merita, diversa erunt baptismata, & „ tanto quisque aliquid melius putatur accipere, quanto a meliore videtur accepisse. Sancti in Ecclesia, „ boni de quibus Apostolus ait: *Novit Dominus qui sunt*

2. Tim. 2. 19.

„ *ejus*, diversarum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent, sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis „ meliores. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratia, „ justo, sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, unum tamen & par & æquale „ est quod acceperunt, nisi quia *Hic est qui baptizat*, „ Christus Jesus?" Ideo baptisma collatum ab improbis Ministris, quin etiam ab Hæreticis & Schismaticis ratum & bonum est: sed attendant infelices fratres nostri qui ab Ecclesia separati sunt, nec ad ejus unitatem & communionem redire curant, nihil illis prodesse baptisma, nisi veniant ad columbam. Baptismum habes, caritatem non habes. Ostende quomodo habeat caritatem, qui dividis unitatem. Ego (inquit Calvinianus vel Lutheranus) habeo baptismum. Habes, sed *baptismus ille sine caritate nihil tibi prodest: quia sine caritate tu nihil es.* „ Nam baptismus ille, etiam in illo qui nihil est, non „ est nihil; immo magnum aliquid est, propter illum de „ quo dictum est, *Hic est qui baptizat.* Sed ne putares „ illud quod magnum est, tibi aliquid prodesse posse si non „ fueris in unitate, super baptizatum columba descendit, tamquam dicens: Si baptismum habes, esto in „ columba, ne non tibi prosit quod habes. Veni ad columbam, non ut incipias habere quod non habebas, sed „ ut prodesse tibi incipiat quod habebas. Foris enim habebas baptismum ad perniciem: intus si habueris, incipit prodesse ad salutem. Veni, columba te vocat, „ gemendo te vocat. *Fratres nostros nondum Ecclesiæ conjunctos, vos qui intus estis, & ad columbam pertinetis*, gemendo vocate, non rixando: vocate orando, „ vocate invitando, vocate jejunando, de caritate intelligant quia doletis illos. Non dubito quia si videant „ dolorem vestrum, confundentur, & revivisscent .... „ Omnia clamant adversus illos, omnes paginæ divinæ, „ omnis Prophetia, totum Evangelium, omnes Apostolicæ Litteræ, omnis gemitus columbæ: & nondum evigilant, nondum expergiscuntur. Sed si columba sumus, „ gemamus, toleremus, speremus. Aderit misericordia „ Dei ut efferveat ignis Spiritus sancti in simplicitate „ vestra, & venient. Non est desperandum, orate, prædicate, diligite, prorsus potens est Dominus."

34. *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Oportebat ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. *Adoptati filii, ministri*

S. Augustin. Tract 7. in Johann. n. 4.

sunt Unici; Unicus habet potestatem, adoptati ministerium. Licet baptizet minister non pertinens ad numerum filiorum, quia male vivit & male agit, quid nos consolatur? HIC EST QUI BAPTIZAT.

35. 36. 37. *Altera die iterum stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.* Johannes Discipulos ad sequendum Jesum disponens, illum Agnum Dei rursus indigitat, & tollere peccatum mundi confirmat, sicut apud Prophetam ait: *Ego sum, ego sum ipse, qui doleo omnes iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Non frustra vero eadem de Salvatore repetit, S. Præcursor. Officium quippe doctoris est res nondum perceptas

Isai. 43. 25.

discipulorum mentibus inculcare, ad eorum utilitatem. Unde Sanctus Paulus ait: *Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Tam salutifera autem repetitione, & iterata demonstratione JESU ut victimæ pro omnium hominum expiatione a Deo de-

Philipp. 3. 1. S. Cyrill. Alex. L. 2. in Johan.

stinatæ, *Ecce Agnus Dei*, &c. tantum Discipulis protulit Sanctus Johannes, ut illis persuaserit sequi Christum, & ejus disciplinæ sese jam tum adjungere. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Je-*

sum. Adorandam hanc victimam sequamur, ut ejus membra; sequamur Agnum quocumque ierit, stolas nostras in ejus sanguine lavemus, ejus patientiam & mansuetudinem imitemur; simus & ipsi victimæ Deo devotæ tota die propter illum mortificatæ.

38. 39. & seq. *Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis?* Sequentes interrogat Dominus, ut discas Legem quidem Christum monstrare, sed necessarium esse ut misericordiæ suæ oculos ad nos convertat, ut gratia sua nos præveniat Christus, ut illum sequamur. Jam ad ipsos invisibiliter conversus erat, jam ad sui comitatum intus traxerat ut eum sequerentur, antequam sequentes tam amanter interrogaret. *Convertimini ad me* (inquit) *& ego convertar ad vos*: sed nos ita orare docet: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur. Converte nos Deus salutaris noster.* Loquentem ad cor nostrum audiamus; agnoscamus ut Magistrum, a quo viam salutis discamus, ut illo præeunte ambulemus in ea: *Qui dixerunt ei: Rabbi, ubi habitas?* Sapientis consilium tibi propone ant: *Si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Dicit eis: *Venite, & videte: Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi a Domino? Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum quo veniat ille, & doceat nos, colloquatur nobis.

Eccli. 6. 36.

S. August. Tract. 7. in Joan. n. 9.

S. Cyrill. Alex. lib 2. in Johann. p. 130.

Dicit eis: Venite, & videte. Domum suam non indicat, quamvis rogaretur, sed potius ut ad eam statim se conferant jubet. Primum quidem ut ea re ad exemplum proposita doceret in quærendis bonis malam esse dilationem: *In rebus enim utilibus damnosa est omnis cunctatio.* „ Deinde ignorantibus adhuc sanctam Salva„ toris nostri domum, id est Ecclesiam, ad salutem non „ sufficere si didicerint ubinam illa sit, nisi ad ipsam „ per fidem venerint, & quæ mystice in ea peragun„ tur perspexerint."

41. 42. 43. & seq. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant a Johanne, & secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Invenimus Messiam, & adduxit eum ad Jesum.* Christum sequi, & illum audire non sufficit: ad illum alii adducendi sunt, consanguinei imprimis & amici. Sic Andreas fratrem suum Simonem, sic Philippus Nathanaelem adduxit ad Jesum. Qui talentum acceperant, ejus statim quæstum uberiorem Domino offerunt. In ipso tyrocinii sui exordio fructificant Andreas & Philippus, & veritatis prædicatores efficiuntur, cujus vix fuerant auditores. Vera & Christiana amicitia in eo maxime posita est ut amici mutuo se juvent ad salutem, ut alter alterum adducat ad Jesum. Sed heu! fratres & amici plerumque sibi mutuo obsunt ac nocent in iis quæ animæ salutem spectant; alter sæpe alterum abducit a Jesu! alter alterum ad peccatum pravis consiliis & exemplis trahit!

47. *Vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Neminem eorum quos ad Apostolatum vocavit, ita commendavit Dominus Jesus. Id nec Andreæ, nec Petro, nec Philippo dictum, quod de Nathanaele dictum est: cur ergo illum in Apostolorum numerum non adlegit? Quæstionem solvit S. Augustinus. Nathanael eruditus erat, & peritus Legis, propterea noluit Jesus illum inter Apostolos suos adscribere, quia idiotas elegit unde confunderet mundum. *Videte vocationem vestram*, inquit Apostolus, *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina ejus meruit eligi. *Dominus noster Jesus Christus volens superborum frangere cervices, non quæsivit per Oratorem Piscatorem: sed de Piscatore lucratus est Imperatorem.* Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus, quia infirma mundi elegit Deus ut confunderet fortia. Erat ergo iste magnus & sine dolo; hoc solo non electus, ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse.

S. Augustin. Tract. 7. in Johan. n. 17. 1. Cor. 26.

49. *Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Christus Jesus *Magister* noster est; cum docilitate illum audiamus ut ejus discipuli: *Filius Dei* unicus est, illum cum religione colamus & diligamus, ut veri Christiani: *Rex Israel* est; illi serviamus & obediamus ut subditi.

CAPUT II.

Sensus Litteralis.

Maimonides Tract. de Connubiis c. 10. num. 12.

1. ET *die tertia* a profectione in Galilæam, vel die tertia ex quo sponsus sponsam duxerat, *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, nuptiale convivium, quod

per ſeptem aut tres ut minimum dies agebatur more Judæorum, factum eſt ſeu continuatum in Cana urbe Galilææ, diſtincta a Cana Sidoniorum, & a Cana Samariæ in tribu Ephraim: *& erat Mater Jeſu ibi*, jure propinquitatis, ut credere par eſt, invitata. Quis harum nuptiarum ſponſus fuerit, incertum.

2. *Vocatus eſt autem & Jeſus, & Diſcipuli ejus ad nuptias.* „ Cum nuptiæ celebrarentur, caſte nimirum & honeſte, Jeſus una cum Diſcipulis ſuis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac præterea generationis humanæ principium ſanctificaret. Conveniebat enim ut qui naturam ipſam hominis renovaturus ac totam in meliorem ſtatum revocaturus erat, non ſolum iis qui jam nati erant benedictionem impertiretur, ſed & iis quoque qui poſtea naſcituri eſſent gratiam præſtrueret, & eorum ortum ſanctum efficeret. Præſentia denique ſua nuptias cohoneſtavit, ipſe cum ſit gaudium & lætitia univerſorum, ut veterem partus triſtitiam depelleret. *Vetera tranſierunt*, ut Paulus ait, *& facta ſunt omnia nova*. “ *S. Cyrill. Alex. Lib. 2. in Jo. p. 134.*

3. *Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.* Deficit vinum, tu illud procura, etenim omnia potes: inopiæ & verecundiæ cognatorum ſuccurre.

4. *Et dicit ei Jeſus: Quid mihi & tibi eſt, Mulier? Nondum venit hora mea.* Quid mihi tecum? Hæc res nihil ad te: mea eſt, non tua. Scio quæ legationis meæ ſunt ac miniſterii, & quo tempore agenda. *Nondum venit hora mea.* Tempus autem edendi miraculi erat, ubi plane omnibus conſtaret nullum ſupereſſe vinum, ne aqua vino admixta crederetur. *Nondum venit hora mea.* „ Miraculum exigebat mater, at ille tamquam non agnoſcit viſcera humana, operaturus facta divina, tamquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuiſti, ſcilicet divinitatem meam: ſed quia genuiſti infirmitatem meam, tunc te cognoſcam, cum ipſa infirmitas pendebit in cruce. Hoc eſt enim, *Nondum venit hora mea.* Tunc enim cognovit, qui utique ſemper noverat. Et antequam de illa natus eſſet, prædeſtinatione noverat Matrem; & antequam ipſe Deus crearet, de qua ipſe homo crearetur, noverat matrem; ſed ad quamdam horam in Myſterio non agnoſcit; & ad quamdam horam quæ nondum venerat, in Myſterio rurſus agnoſcit. Tunc enim agnovit, quando illud quod peperit moriebatur, Matrem Diſcipulo commendans. “ *S. Chryſ. Hom. 21. in Jo.* *S. Auguſt. Tract. 8. in Jo. n. 9.*

5. *Dicit Mater ejus Miniſtris*, de Filii pietate confidens, certaque hæc verba non ad ſui reprehenſionem, ſed ad eruditionem pertinere: *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ*, ſeu urnæ *ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum*, deſtinatæ purificationibus quæ in uſu erant apud Judæos, ut ſemper parata eſſet aqua ad ablutiones legales: *capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.* Certum menſuræ genus. Metreta erat quadraginta duarum circiter pintarum Pariſinarum. Metreta enim ſtatuitur æqualis duodecim congiis Romanis, congius Romanus pondere Pariſienſi erat centum undecim unciarum cum tribus quadraginta unciæ. Sic metreta erat 1340. unciarum Pariſinarum. Cum ergo pinta Pariſina pendeat triginta duabus unciis, metretes aquæ erat circiter 42. pintarum. Igitur hydriæ binarum metretarum, continebant ſingulæ octoginta quatuor pintas; quæ erant trium metretarum, continebant centum viginti ſex pintas. Sic explicant qui de menſuris Hebræorum egerunt. Quod autem dicitur, *ſecundum purificationem Judæorum*, oſtendit in his urnis lapideis numquam fuiſſe vinum. Nam cum Palæſtina inopia aquæ laboret (rari enim illic fontes ſcaturiunt) hydriæ illæ aqua ſemper plenæ ſervabantur, ne ſi quando immundi fierent, longius flumina petenda eſſent, ſed prope purgarentur. *S. Chryſ. Hom. 21. in Jo.*

7. 8. *Dicit eis Jeſus*, miniſtris ſcilicet: *Implete hydrias aqua.* Crebris enim lotionibus erant exhauſtæ, *& impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc* in minoribus & portatilibus vaſis: in pocula infundite; *& ferte Architriclino*, magiſtro & curatori convivii, qui vinum præguſtaret, conviviſque porrigeret: *& tulerunt.*

9. 10. *Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam (& non ſciebat unde eſſet* vinum illud ex aqua factum, *miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam) vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei*: accedens compellat his verbis: *Omnis homo*, qui convivia celebrat, *primum bonum vinum ponit*, ſeu offert convivis: *& cum inebriati fuerint*, cum ſitim expleverint, *tunc id* apponit *quod deterius eſt*, quod minus generoſum. *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc*, uſque in hanc horam. Sic exiſtimabat ille, donec conſentiente miniſtrorum teſtimonio, qui hydrias aqua impleverant, & vinum inde hauſerant, patefactum miraculum eſt.

11. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ*: primum iſtud miraculorum ſuorum fecit Jeſus in Cana: *& manifeſtavit gloriam ſuam*, divinitatem ſuam. Aquam enim in vinum convertens, utriuſque creaturæ ſe Dominum oſtendit: *& crediderunt in eum Diſcipuli ejus.* Firmius crediderunt, qui jam ante credebant. Miraculo fides eorum aucta & confirmata eſt.

12. *Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe & Mater ejus, & fratres ejus, & Diſcipuli ejus, & ibi manſerunt non multis diebus.* Cauſa profectionis Jeſu Capharnaum ſtatim poſt nuptias Cananiticas, non fuit carcer Johannis Baptiſtæ: nondum enim in carcerem tunc temporis conjectus erat Johannes: nec a baptiſmo Chriſti uſque ad proximum Paſcha illa omnia fieri potuerunt, quæ in Hiſtoria Evangelica narrantur. Poſt Paſcha igitur quod miniſterii ſui primum fuit, Jeſus in civitatem Nazareth rediit; cumque ibi audiſſet quod Johannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam; & relicta civitate Nazareth, venit in Capharnaum; nec paucis tantum diebus ibi manſit, ubi prima vice, nempe poſt nuptias Cananæas, ſed ibi habitavit. Confer cum *Matthæi* 4. 12. & 13.

13. 14. 15. 16. *Et prope erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam*, tum ad feſtum celebrandum ex præſcripto Legis, tum ut publice prædicationem ſuam in Metropoli gentis, ſummoque populi confluxu auſpicaretur. *Et invenit in Templo vendentes boves & oves & columbas*, ad ſacrificia *numularios ſedentes*, qui fœnerandis permutandiſve pecuniis quæſtum faciebant. *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes*, mercatores & trapezitas, *ejecit de Templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei*, id eſt, cultui Patris mei dicatam, *domum negotiationis*. Ita ſe a reliquis Prophetis diſtinguit, qui Deum vocant *Deum ſuum*, nuſquam vero *patrem ſuum*, & ſe Meſſiam eſſe probat, ac in proprio loco verſari, ut filii ſolent in fundis paternis. Bis autem profanatores ejecit e Templo, circa initium, & circa finem miniſterii ſui, ut in quo incœperat, in eo ſe deſinere oſtenderet, in divini ſcilicet cultus reſtauratione & Sacrorum emendatione. Poſteriorem hiſtoriam alii Evangeliſtæ tradiderunt; priorem S. Johannes. *Exodi 23. 14. 17. Deut. 16. 16. Non ait* Domum Patris noſtri, *ſed* Patris mei, *ſe ab iis qui natura non ſunt filii Dei, ſed per gratiam diſtinguens* ut S. Cyrillus obſervat. *Matth. 21. 12. Marc 11. 15. Chryſ. Hom. 22. in Johan. Pſalm. 68. 10.*

17. *Recordati ſunt vero Diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Quod ſub Davidis perſona de Meſſia dictum conſtabat. Zelus, id eſt, juſta indignatio ob profanationem Templi tui, macie me confecit.

18. *Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Quo miraculo probas tibi jus eſſe tollendi & prohibendi commercia quæ a Synedrio & Sacerdotibus in Templo tolerantur? Sic pro imperio agere vel publicæ poteſtatis eſt, vel divinæ. Privatus cum ſis, id agere non potes niſi Dei auctoritate & miſſione. Signum igitur edas, quo miſſio tua & auctoritas demonſtretur. Nonne vero ſi probo fuiſſent animo, in ipſo hoc facto magnum agnoviſſent miraculum, quod homo unus nullis inſtructus humanis viribus, tantam turbam vendentium & ementium, & quidem fultorum auctoritate Sacerdotali, imperio ſuo cedere coegiſſet, ſola turpis facti conſcientia, & divinæ iræ ſenſu per tenue flagellum ex funiculis factum ſignificato permotos? Id enim divinæ majeſtatis, auctoritatis, ac potentiæ evidens argumentum.

19. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Templum hoc ſolvetis, ſeu deſtruetis, & poſt triduum illud reſtaurabo.

20. *Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Non de primo, ſed de ſecundo Templo loquuntur, a Zorobabele exſtructo. Quamvis enim intra decennium abſolutum ſit opus, ſi tempora computes quibus ædificarunt; largius tamen computabant Judæi tempora ædificationis ſub Perſarum Regibus, comprehenſis etiam annis quibus interruptum opus fuerat, ut majorem Jeſu invidiam facerent. De ſtructura Templi ab Herode hic loqui Judæos, improbabile commentum eſt; ſiquidem Herodes novum Templum non ædificavit, ſed auxit tantummodo & ornavit. Unde ſemper Judæi *Templum ſecundum* vocarunt a Zorobabele ad excidium Titi. Templi tertii nomen nullibi reperies. A primo anno Cyri Regis, qui libertatem dedit volentibus Judæis reverti in patriam, uſque ad ſextum Darii quo Templi opus omne completum eſt, anni quadraginta ſex interfluxerunt. *S. Chryſ. h. 23. in Johan. S. Hieron. in cap. 9. Daniel. Theophyl.*

21. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Chriſtum Jeſum, qui veritas eſt, æquivocationibus & mentalibus reſtrictionibus uſum fuiſſe impie aſſerunt, & ex hoc loco colligunt Moralis Evangelicæ corruptores. Obſcure locutus eſt Chriſtus, non ambigue & æquivoce, qui homines falleret. Si aliter intellexerunt Judæi quam Chriſtus, cæcitas ipſorum & malignitas erroris cauſa fuit, non amphibologia aut æquivocatio verborum Jeſu. „ Quamobrem vere de illis ſcriptum eſt: *Obſcurentur oculi „ eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva*: „ ut deorſum quodammodo curvati, & in ſolas res „ terrenas proni, ſublimia Chriſtianæ pietatis dogmata „ intue- *Pſalm. 68. S. Cyrill. Alex.*

„ intueri nullatenus poſſint : non invidente Deo, homi-
„ num amante, ſed juſto ſupplicio eorum crimina pu-
„ niente. " Ceterum corpus ſuum vere Templum dixit
Coloſſ. 2. 9. Jeſus, in quo Deus reipſa inhabitat, ut ait Apoſtolus : *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Quod ergo dixit Jeſus Judæis, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, de Templo corporis ſui præcipue dicebat, ad ſuæ reſurrectionis, poſt mortis triduum futuræ, miraculum illos rejiciens : verumtamen & de Templo materiali ex quo negotiatores & trapezitas ſeu numularios ejecerat, id etiam intelligebat & intelligi permittebat. Qui enim ſex dumtaxat diebus hoc univerſum ineffabili virtute fabricatus eſt, & qui quod tantummodo vult poteſt, quidni Templum Hieroſolymitanum tribus diebus poſt ejus deſtructionem excitare ſolo verbo potuerit ?

22. *Cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt Diſcipuli ejus quia hoc dicebat*. Horum Chriſti verborum poſt ejus glorioſam Reſurrectionem memores, genuinum eorum ſenſum, non eventu ſolum, ſed & divina illuſtratione intellexerunt. *Et crediderunt Scripturæ & ſermoni quem dixit Jeſus*, Propheticorum vaticiniorum, & prædictionum ejus de morte ac reſurrectione ſua complementum certa jam experientia cognoſcentes.

23. *Cum autem eſſet Jeroſolymis in Paſcha, in die feſto*, cum Feſtos dies Paſchatis in Urbe ſancta ageret, prædicationem ſuam ibi incipiens ſolemni tempore, in maxima populi frequentia, eamque miraculis confirmans, *multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna quæ faciebat*. Illum eſſe verum Meſſiam a Deo miſſum crediderunt.

24. 25. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes*. Non iis fidebat, non ſe eorum fidei committebat quotidiano convictu, eo quod plures eorum fidem habere vere pietatis amore deſtitutam, fidem temporariam, certo cognoſceret. Vel, Non credebat ſemetipſum iis, quorum maxima pars non ſolum illi non credebat, ſed malevolo in illum jam erat animo : non ſecure cum iis agebat, perſpectum habens quid in eorum animis lateret. *Et quia opus ei non erat ut quis*
3. *Reg.* 8. 39. *teſtimonium perhiberet de homine* : non erat opus ut quivis homo ſemetipſum vel alium dictis aut factis proderet : *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine* : quid in
Pſalm. 32. 39. intimo cordis cujuſque lateret ; quod ſolius Dei proprium eſt.

SENSUS MORALIS.

1. 2. Nuptiæ *factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi*. Qui nubere volunt, Dei Matrem invocent, virtutes ejus imitentur, caſtitatem, modeſtiam, humilitatem. A nuptiis procul ſint immodeſtia, impudicitia, intemperantia, luxus, ſuperbia, ut felix fauſtumque ſit matrimonium. Ad nuptias invitetur Chriſtus Jeſus, Spiritus ejus per orationem attrahatur a ſponſo & ſponſa, eorumque parentibus : ſecundum ejus præcepta & doctrinam, ſecundum Eccleſiæ diſciplinam Matrimonia contrahantur : ſecundum ejus Evangelium in eo ſtatu vivatur. Non ambitio, non voluptas, non avaritia ad ſponſum vel ſponſam filiabus aut filiis ſuis eligendum parentes moveant, aut ipſos contrahentes : alioquin a nuptiis ſuis Jeſum excludunt, tantum abeſt ut illum invitent. *Vocatus eſt autem & Jeſus & Diſcipuli ejus ad nuptias*. Ita ſe gerant in omnibus conjuges ut diſcipulos Chriſti decet, in celebratione nuptiarum, in mutuo convictu, in rei familiaris adminiſtratione, in matrimonii uſu, in educatione filiorum. Jeſum in omnibus præſentem habeant. Meminerint verborum Raphaelis Archangeli ad Tobiam Juniorem. „ Hi qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum
Tob. 6. „ a ſe & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacant, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus ; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea... Tertia autem nocte accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequa-
Tob. 8. „ ris. " Meminerint verborum Tobiæ ad Saram conjugem ſuam : *Filii Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut gentes quæ ignorant Deum*. Qui invitantur ad nuptias, Deum benedicant ; novis nuptis bene precentur, nuptiali convivio interſint *cum timore Domini*. Parentes filias ſuas moneant, cum nuptui tradunt, *Honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſas irreprehenſibiles exhibere*. Meminerint divini mandati ab Apoſtolo ſignificati : „ Mu-
Tob. 9. „ lieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino : quoniam
Tob. 10. „ vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccle-
Epheſ. 5. „ ſiæ : ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto „ & in Eccleſia. Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque „ uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat : uxor autem timeat

Natal. Alex. In Evang.

„ virum ſuum... Filios veſtros educate in diſciplina & „ correptione Domini. " In omnibus conjugalis ſtatus *Epheſ.* 6. tribulationibus & neceſſitatibus Deiparæ Virginis patrocinium apud Deum potentiſſimum imploretur. Gratiam efficaciſſimam & ſuaviſſimam ad vincendas difficultates & tentationes devotis ſibi conjugibus pia Mater impetrabit. *Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum : Vinum non habent*. Sed ea conditione patrocinium ejus ſperare licet, ſi Dei mandata impleantur. *Dicit Mater ejus Miniſtris : Quodcumque dixerit vobis, facite*.

Primum miraculorum ſuorum Beatæ Virginis Matris ſuæ interceſſioni tribuit Chriſtus Jeſus. Tanti momenti judicavit piam in Mariæ precibus fiduciam Eccleſiæ ſuæ, Chriſtianiſque omnibus commendare. Ad illam confugiamus, non ut aquæ in vinum mutationem, ſed ut converſionem cordis noſtri impetremus : non ut bona temporalia, quæ fluxa ſunt & inſipida ſicut aqua ; ſed ut bona ſpiritualia, gratiam, caritatem, fructum vitis veræ, ſanguinis & meritorum Chriſti applicationem ; vinum germinans virgines, bonorumque operum fœcunditatem tribuens a Deo obtineamus.

Vocatus eſt autem & Jeſus & Diſcipuli ejus ad nu- *Oſee* 2. 20. *ptias*. In hunc mundum venit Dei Filius, myſticas nuptias celebraturus. Naturam humanam in Incarnatione, Eccleſiam ſibi conjunxit in Cruce, *in fide, in juſtitia, & in ſempiternum*. Si ſponſam hic non habet Chriſtus, cur ait Apoſtolus : *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto* ? Quid eſt quod timet ne virginitas ſponſæ Chriſti per aſtutiam diaboli corrumpatur ? *Timeo*, inquit, *ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit, aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate quæ eſt in Chriſto*. Igitur *Habet hic ſponſam quam redemit ſanguine ſuo, & cui pignus dedit Spiritum ſanctum*. „ Eruit „ eam de mancipatu diaboli : mortus eſt propter delicta „ ejus, reſurrexit propter juſtificationem ejus. Qui of-
2. *Cor.* 11. 2. „ feret tanta ſponſæ ſuæ ? Offerant homines quælibet „ ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pre-„ tioſos, equos, mancipia, fundos, prædia : numquid „ aliquis offeret ſanguinem ſuum ? Si enim ſanguinem „ ſuum ſponſæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Do-
S. Auguſt. „ minus autem ſecurus moriens, dedit ſanguinem ſuum *Tract.* 8. *in* „ pro ea quam reſurgens haberet, quam ſibi jam con-*Johan. n.* 4. „ junxerat in utero Virginis. Verbum enim ſponſus, & „ ſponſa caro humana ; & utrumque unus Filius Dei, „ & idem filius hominis ; ubi factus eſt caput Eccleſiæ, „ ille uterus virginis Mariæ thalamus ejus, inde pro-„ ceſſit tamquam ſponſus de thalamo ſuo, ſicut Scriptu-„ ra prædixit : Et ipſe tamquam ſponſus procedens de „ thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam : „ *de thalamo proceſſit velut ſponſus, & invitatus* venit *Pſal.* 18. 6. „ ad nuptias. "

3. 4. *Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum : Vinum non habent. Et dicit ei Jeſus : Quid mihi & tibi eſt, mulier* ? In Eccleſiæ rebus & ſacro miniſterio nihil carni & ſanguini tribuendum. Ideo Matri ſanctiſſimæ duris verbis & reprehenſionis ſpeciem habentibus Chriſtus Jeſus reſpondet, ut parentes doceat non debere filiis dominari in iis quæ illorum vocationem, aut Eccleſiaſticas functiones ſpectant : ſed filios unam Dei voluntatem, officium ſuum, Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, animarum ſalutem ſpectare ; ad Dei Verbum & Eccleſiæ ſacratiſſimas regulas dumtaxat attendere, ſuamque omnem agendi rationem conformare.

Quid mihi & tibi eſt mulier ? Fiduciam impetrandi non abjicit piiſſima & humillima Virgo, quamvis repulſam paſſa videatur ; miniſtros ad Filium ducit, qui protinus Matris implet voluntatem, ut illi honorem exhibeat. Ejus exemplum in noſtris orationibus imitemur, cum fiducia & humilitate Deum orantes.

„ *Vinum non habent*. In Cana Galilææ, in regione „ Gentium nuptiæ celebrantur. Judæorum enim Synago-*S. Cyrill.* „ ga Sponſum cœleſtem repulit, ſed ab Eccleſia Gen-*Alexand.* „ tium lubenti animo ſuſceptus eſt. Non venit Jeſus ad *lib.* 2. *in* „ nuptias non concupitus : multis enim Sanctorum votis *Johan. p.* „ ac deſideriis eſt invocatus, ceterum vinum defecit con-337. & „ vivas. Nihil enim Lex perfecit : non ſufficiebat ad 338. „ perfectam lætitiam ſcriptum Moſaicum : ſed neque ipſa „ inſitæ naturaliſque ſobrietatis ratio ſaluti afferendæ „ par erat. Quare nobis vere quoque dici poteſt, *Vinum* „ *non habent* : ſed munificentiſſimus Deus noſter non „ deſpicit bonorum penuria laborantem naturam. Vinum „ nobis priori multo præſtantius obtulit. *Littera enim* „ *occidit, Spiritus autem vivificat*. Lex bonorum perfe-„ ctionem non habet, ſed Evangelica doctrina pleniſſi-„ mam benedictionem invehit. Architriclinus vinum illud „ miratur : Antiſtites ſcilicet quibus credita eſt domus „ noſtri Salvatoris, ejus doctrinam præ lege ſuſpiciunt... *S. Auguſt.* „ Illarum ergo, quæ in Cana celebratæ ſunt, nuptiarum *Tract.* 9. *in* „ ſponſus typus erat Chriſti, cui dictum eſt : *Bonum vi-Johan. n.* „ *num ſervaſti uſque adhuc*. Bonum enim vinum Chriſtus 2. & 3. „ ſervavit uſque adhuc, id eſt, *Evangelium ſuum*... „ Lege libros omnes Propheticos, non intellecto Chri-„ ſto, quid tam inſipidum invenies ? *Intellige ibi Chri-* „ *ſtum, non ſolum ſapit quod legis, ſed etiam ine-*

„ *briat: mutans mentem a corpore, ut præterita obli-*
„ *scens, in ea quæ ante sunt extendaris,* “

Philip. 3. 13. „ *Hydriæ sex*, quas aqua jussit impleri Christus, sex „ mundi significant ætates, quibus non defuit prophetica. Illa ergo tempora sex, quasi articulis distributa „ atque distincta, quasi vasa essent inania, nisi a Christo „ implerentur. Impletæ sunt prophetiæ, plenæ sunt hydriæ: sed ut aqua in vinum convertatur, in illa tota „ prophetia Christus intelligatur. “

11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* Miraculorum finis est manifestatio gloriæ Dei, fideique confirmatio. Primo isto miraculo fides omnipotentiæ Christi, tamquam Evangelii fundamentum stabilitur. Aquæ in vinum conversio fidem conversionis substantiarum panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiæ præstruit.

„ *Hoc fecit initium signorum Jesus*: Miraculum illud „ non est mirum iis qui Deum id fecisse noverunt. Ipse *S. August. Tract. 8. in Johann. n.* 1. & 3. „ enim facit vinum in nuptiis Cana, in sex illis Hydriis, „ quas aqua impleri præcepit, qui omni anno facit hoc „ in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini: sic & quod „ nubes fundunt, in vinum convertitur ejusdem opere Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit, „ assiduitate amisit admirationem. Nam & consideratio„ nem majorem invenit, quam id quod factum est in hydriis aquæ. Quis est enim qui considerat opera Dei, „ quibus regitur & administratur totus hic mundus, & „ non obstupescit, obruiturque miraculis? Si consideret „ vim unius grani cujuslibet seminis, magna quædam „ res est, horror est consideranti. Sed quia homines in „ aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, „ in qua darent laudem quotidie Creatori: tamquam „ servavit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, ut „ tamquam dormientes homines ad se colendum mirabilibus excitaret. Mortuus resurrexit, mirati sunt homines: tot quotidie nascuntur, & nemo miratur. Si „ consideremus prudentius, majoris miraculi est esse qui „ non erat, quam revivisere qui erat. Idem tamen „ Deus Pater Domini nostri Jesu Christi per Verbum „ suum facit omnia hæc, & regit qui creavit. Priora „ miracula fecit per Verbum suum Deum apud se: posteriora miracula fecit per Verbum suum incarnatum, „ & propter nos hominem factum. Sicut miramur quæ „ facta sunt per hominem Jesum, miremur quæ facta „ sunt per Deum Jesum. Per Deum Jesum facta sunt „ cœlum & terra, mare & omnis ornatus cœli, opulentia terræ, fœcunditas maris, omnia hæc quæ oculis adjacent, per Jesum Deum facta sunt. Et videmus „ hæc, & si est in nobis Spiritus ipsius, sic nobis placent ut artifex laudetur: non ut ad opera conversi ab „ artifice avertamur, & faciem quodammodo ponentes „ ad ea quæ fecit, dorsum ponamus ad eum qui fecit. „ Cum ergo tanta videamus facta per Deum Jesum, „ quid miramur aquam in vinum conversam per hominem Jesum? Neque enim sic factus est homo, ut perderet quod Deus erat. Ipse ergo fecit hoc, qui illa „ omnia. Non itaque miremur quia Deus fecit; sed „ amemus quia inter nos fecit, & propter nostram reparationem fecit. “

14. *Et invenit in Templo vendentes boves & oves, & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, &c.* Longe gravioris criminis rei sunt Templorum nostrorum profanatores, in quibus Dei majestas singulari modo residet, veraque victima Christus Jesus pro nobis quotidie immolatur. Longe gravius Deum offendunt confabulationes inutiles, profanæ, criminolæ; corporis habitus immodestus, scandalosæ nuditates, aspectus impudici, occursus ex condicto in Templo Dei, vel negotiorum causa, vel peccati, quam animalia sacrificiis destinata, eorumque venditio & emptio. Deo insultat, qui in ejus Templo nova peccata committit, ubi vetera lachrymis, orationibus, incruento Sacrificio expianda sunt. *Quid* *Jere m.* 11. 15. *est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es?*

16. *Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Quicquid religioni, adorationi, Dei cultui, Animarum sanctificationi contrarium est, e Templis Christianis eliminandum. Qui verbum Dei, Sacramentorum administrationem, Sacrificium, Dei laudes & orationes vendunt, solo gloriæ humanæ & bonorum retributionis & commodorum temporalium intuitu sacrum ministerium exercentes, profani sunt, negotiatores sacrilegi e vero Templo ejiciendi. „ Qui sunt qui oves vendunt & co- *S. August. Tract.* 10. *in Johann. num.* 6. „ lumbas? Ipsi sunt qui sua quærunt in Ecclesia, non „ quæ Jesu Christi. Venale habent totum, qui nolunt „ redimi: emi nolunt, & vendere volunt. Bonum est „ enim eis ut redimantur sanguine Christi, ut perveniant ad pacem Christi. Quid enim prodest acquirere „ in hoc sæculo quodlibet temporale & transitorium, „ sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris & gutturis, „ sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus „ & ventus? Nonne omnia transeunt, currunt? Et væ „ his quæ hæserint transeuntibus, quia simul transeunt! „ Nonne omnia fluvius præceps currens in mare? Et „ væ qui ceciderit, quia in mare trahetur. *Ergo* tenere „ debemus omnes affectus a talibus concupiscentiis. Qui *Act.* 8. 18. „ talia quærunt, vendunt. Nam & Simon Magus ideo „ volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat „ Spiritum sanctum: & putabat Apostolos mercatores „ esse, quales Dominus de Templo flagello ejecit. De „ illis erat qui columbas vendunt. Etenim in colomba „ aparuit Spiritus Sanctus .... *Columba non est venalis: gratis datur, quia gratia vocatur.* “

17. *Recordati sunt vero Discipuli ejus quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* „ Unusquisque Chri- *S. August. Tract.* 11. *in Johann. n.* 9. „ stianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia „ quæ forte ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit „ emendari, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. Ergo zelus domus Dei comedat te: „ non enim magis est domus tua, quam domus ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter „ requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid „ perversum fiat satagis: in domo Dei ubi salus proposita est & requies sine fine, debes pati quantum in te „ est, si quid forte perversum videris? Vides fratrem „ currere ad theatrum? Prohibe, mone, contristare, si „ zelus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari „ velle? prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos „ potes, quibus potes blandire: noli tamen quiescere. „ Amicus est? admoneatur leniter. Uxor est? severissime „ refrænetur. Ancilla est? etiam verberibus compescatur. „ Fac quicquid potes pro persona quam portas: & perficis, Zelus domus tuæ comedit me. Si autem fueris „ frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi „ sufficiens, & dicens in corde tuo, Quid mihi est curare „ aliena peccata? Sufficit mihi anima mea; ipsam integram „ servem Deo. Eia, non tibi venit in mentem servus ille „ qui abscondit talentum, & noluit erogare? Numquid „ enim accusatus est quia perdidit, & non quia sine lu- *Matth.* 25. „ cro servavit? ... Nostis quid agatis unusquisque in 25. „ domo sua cum amico, cum inquilino, cum cliente suo, „ cum majore, cum minore: quomodo dat Deus aditum, „ quomodo aperit januam verbo suo, nolite quiescere lucrari Christo; quia lucrati estis a Christo. “

19. 21. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud ... Ille autem dicebat de templo corporis sui.* *S. Ambros. in Psal.* 47. *num.* 16. Vere templum Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. „ Vere templum Dei caro „ illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed „ pro delicto mundi totius fuit ipsa sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo divinitatis habitabat, quoniam ipse „ Christus est plenitudo. *In illo Templo suscepimus misericordiam tuam, Deus!* hoc est, *Verbum quod caro factum „ est, & habitavit in nobis.* Sicut enim redemptio Christi, ita & misericordia. Quæ autem major misericor„ dia, quam quod pro nostris flagitiis se præbuit immolandum; ut sanguine suo mundum lavaret, cujus pec„ catum nullo alio modo potuisset aboleri? “

24. 25. *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis,* *S. August. Tract.* 11. *in Johann. num.* 2. *eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* PLUS *noverat artifex quid esset in opere suo, quam ipsum opus quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat.* Nonne hoc probamus de Petro, quia non noverat quid in ipso esset, quando dixit, *Tecum usque ad mortem?* Audi quia Dominus noverat quid esset in homine: Tu mecum usque ad mortem? *Amen autem dico tibi: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Homo ergo nesciebat quid esset in se, sed Creator hominis noverat quid esset in homine.*

CAPUT III.

Sensus Litteralis.

1. 2. ERat *autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum.* Ex iis qui crediderunt in Christum Hierosolymis, videntes signa quæ faciebat, erat homo quidam professione Pharisæus, Nicodemus nomine, vir inter Judæos primarius; magni quippe Consilii, quod Sanhedrim vocabant, Senator. Quæ a S. Evangelista commemorantur, ut admirabilior videatur Nicodemi conversio; Pharisæi enim propter sanctitatis arctioris observantiæ opinionem; viri Principes & Senatores Judæorum propter nobilitatem & dignitatem; Doctores Legis propter doctrinam in superbiam elati, maxima in Christum invidia laborabant, & ab Evangelii suscipienda veritate magis erant alieni. Unde cum

Rha-

Phariſæi miniſtros miſiſſent ad comprehendendum Jeſum, illique ejus prædicatione in admirationem rapti iniqua mandata non impleviſſent, dixerunt eis ipſi Phariſæi:
Jo. 7. 47. *Numquid & vos ſeducti eſtis? Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti ſunt.* Qua occaſione defenſionem Jeſu ſuſcepit Nicodemus. *Hic venit ad Jeſum nocte*: propter metum Judæorum, & quia pudebat ipſum palam ad Chriſtum accedere. „ Promptus erat ejus ad
S. Cyril. Alex. Lib. 2. in Jo. p. 145 „ fidem animus, inquit Sanctus Cyrillus, ſed pudore non „ bono victus, & gloriæ humanæ ſtudio, libere loqui non „ audet, ſed ancipiti ſententia diſtrahitur, ac in propoſito claudicat, partim conſcientiæ ſtimulis ad credendum ob miraculorum magnitudinem adactus; partim „ ægre ferens principatu illo, quem in ſua gente habebat, „ excidere. Exiſtimans autem ſe poſſe dignitatem illam „ apud ſuos ſervare, & Chriſto clam adhærere, venit ad „ Jeſum, noctis tenebris conſilium celans, & ancipitem „ animum clandeſtino illo adventu prodens. “ Sic de Euclide Megarenſi narratur, eum cum Edicto in Megarenſes lato Athenas venire prohiberetur, noctu veniſſe ad Socratem, ut ejus colloquio & conſiliis frueretur.

De Veritate miraculorum Jeſu, & quod Magicis præſtigiis tribui non poſſint, vide Origenem lib. 2. contra Celſum. S. Aug. Lib. 1. de conſenſu Evang. c. 11. Huetium Demonſt. Evang. Propoſ. 9. c. 39.

Et dixit ei: Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti Magiſter. Mihi & omnibus recte ſentientibus perſuaſum eſt, te a Deo immediate & extra ordinem miſſum eſſe Magiſtrum & Doctorem veritatis & juſtitiæ. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, efficacia ſua ipſi præſens. Tua illa miracula nec virtute naturali, nec magicis artibus fieri poſſunt, ſcilicet cæcorum illuminatio, reſurrectio mortuorum, omnis generis infirmitatum curatio perfecta ſolo verbo, vel contactu, ſine mora: ſola igitur Dei virtute, quæ per te operatur, fieri poſſunt. Quamobrem tuam doctrinam veram eſſe profiteor, quam Deus auctoritatis ſuæ ſigillo palam approbat & veram eſſe declarat. His verbis Nicodemus perfectam ſe pietatem obtinere poſſe putat, ſibique ſatis fore exiſtimat ad ſalutem, ſi ea tantum miretur quæ admiratione digna ſunt. Ceterum nihil aliud præter hæc quærit. Dum autem ipſum Magiſtrum ait a Deo veniſſe, & cum ipſo Deum operari, nondum novit eum eſſe Deum ſecundum naturam, neque rationem Incarnationis intelligit, ſed eum adhuc tanquam merum hominem adit, (tametſi ut Prophetam a Deo miſſum,) & tenuiter admodum de illo ſentit, ut obſervat S. Cyril. Alexand.

3. *Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Rem certiſſimam & veriſſimam tibi dico: Niſi homo iterum naſcatur, non poteſt regnum Dei poſſidere. Non ſatis eſt vita anteacta, non ſatis eſt ea credere quæ profiteris; ſed iterum naſci oportet, ſi quis vult promiſſo Meſſiæ adhærere, Eccleſiæ ipſius membrum eſſe, æternam ſalutem conſequi. Non ergo ſufficit tibi ſermo ad juſtitiam, neque nudis verbis pietatem conſequeris. *Non enim quicumque mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.* Voluntas autem Patris eſt, ut homo ſancti Spiritus efficiatur particeps; & qui de terra eſt, regeneratus ad inſolitam & novam vitam, cœli quoque civis nominetur. Igitur majus aliquid judaiſmo ad ſalutem æternam conſequendam requiri, Chriſtus Legis Doctorem Nicodemum docet: ſed & præmium fore majus regeneratorum, ſcilicet Regnum cœleſte.

Matth. 7. S. Cyril. Alexand. Lib. 2. in Jo. p. 146.

4. *Dicit ad eum Nicodemus*, animalis adhuc homo, non percipiens quæ ſunt Spiritus Dei: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex*, id eſt, poſtquam conſenuit, ut me conſenuiſſe vides? *Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Spiritalia carnaliter intelligebat. Sincere tamen interrogat Jeſum, & myſterium ab ipſo diſcere cupit, ſuam agnoſcere incipiens ignorantiam. Legem naturæ noſtræ non excedens, res divinas ei admetitur, cumque doctrinæ ſublimitatem invenerit a qua ſe extricare nequeat, deorſum fertur ac ruit. „ Quemadmodum enim quæ vehementiori jactu la-
S. Cyril. Alexad. Lib. 2. in Jo. p. 246. „ pidibus alliduntur, repercuſſa reſiliunt: ſic etiam indo„ cta mens, ſi res offendat quarum vim ſuſtinere nequeat, „ illico refugit, & ſua mediocritate contenta, præſtan„ tiorem & altiorem intelligentiam rejicit. Quod cum „ illi Principi Judæorum contigerit, ſpiritalem generatio„ nem non capit.

5. *Reſpondit Jeſus*, infirmitati Nicodemi condeſcendens, & clarioribus verbis explicans quod mox dixerat, ut magiſter optimus: *Amen, amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Niſi quis ex aqua velut ſymbolo ſenſibili, & Spiritu ſancto velut principio ſupra naturam agente, & ſanctificandi vim aquis tribuente ablutus fuerit a ſordibus peccatorum, & in novum hominem regeneratus fuerit, atque in ſtatu filiorum Dei conſtitutus,
S. Bern. Epiſt. 77. ſeu tract. ad Hugonem de S. Victore. non poteſt hæreditatem regni Dei conſequi, quod vita æterna eſt. *Niſi* abſolutam baptiſmi neceſſitatem ſignificat, adeo ut ſine illo reipſa ſuſcepto, vel fide ac voto, nemo ſalvari poſſit. Confer cum Epiſt. ad Titum 3. cap. verſ. 5. *Secundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.* Niſi quis, ſive infans, ſive adultus, renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ab illa generalitate nemo excipitur. „ Sicut generatio carnis peccati
S. Auguſt. Lib. 2. de Peccatorum Meritis, & Remiſſ. cap. 27 „ per unum Adam in condemnationem trahit omnes qui „ eo modo generantur; ſic regeneratio Spiritus gratiæ „ per unum Jeſum Chriſtum ad juſtificationem vitæ æter„ næ ducit omnes qui eo modo prædeſtinati regenerantur. Sacramentum autem Baptiſmi profecto Sacramen„ tum regenerationis eſt. Quocirca ſicut homo qui non „ vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, re„ ſurgere non poteſt: ita qui natus non fuerit, renaſci „ non poteſt. Ex quo conficitur, neminem in ſuo parente „ renaſci potuiſſe non natum. Oportet autem ut ſi natus „ fuerit, renaſcatur; quia Niſi quis natus fuerit denuo, „ non poteſt videre regnum Dei. Oportet igitur ut Sacramento regenerationis, ne ſine illo male de hac vita „ exeat, etiam parvulus imbuatur, quod non fit niſi in „ remiſſionem peccatorum. “

6. 7. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* Qui carnali generatione naſcitur, eſſe tantum habet naturale, & humanum: qui vero naſcitur ex Spiritu, accipit eſſe ſpirituale, novæ generationis principio ſimile, ut jam non ſecundum carnem vivat, ſed ſecundum ſpiritum: denique fit homo ſpiritualis affectu: *Qui* enim *adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Igitur *non mireris quod dixi tibi: Oportet vos* 1. Cor. 6. 7. *naſci denuo.* Id ne impoſſibile & abſurdum tibi videatur, quia ſpiritualis illa nativitas in oculos non incurrit: Myſterium eſt, fidei objectum eſt.

8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat, ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.* Ventus libero & vago impetu nunc huc, nunc illuc impellitur. Vento autem voluntas tribuitur per proſopopeiam, ut apud S. Paulum Lex, peccatum, mors introducuntur perſonam fingendo. *Et vocem ejus audis*, id eſt ſonum: ſed ejus originem & exitum non vides: *neſcis unde veniat, aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.* Id eſt, ſic agitur cum eo. Hominis renati per Spiritum ſanctum actiones conſpiciuntur admirabiles, origo ipſa latet, ſub oculos non cadit. Horum operum principium, ſcilicet gratia, caritas, dona Spiritus ſancti, quibus homo conſors factus eſt naturæ divinæ, latet ipſe Spiritus ſanctus perſonaliter in ejus animo inhabitans. Latet etiam finis in quem tendit homo ex Spiritu ſancto renatus: finis, inquam, ille inconſpicuus eſt, & alterius ſæculi, ſcilicet vita æterna. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt* 1. Cor. 2. 6. *illum.*

Hanc ſententiam, *Spiritus ubi vult ſpirat*, &c. de Spiritu ſancto, qui quos vult afflat, movet, ſanctificat, & dona ſua dividit ſingulis prout vult, non ignobiles Commentatores explicant: quæ explicatio magnis fulcitur nominibus, Sanctorum ſcilicet Ambroſii & Auguſtini. Alii
S. Amb. Lib 3. de Spiritu ſancto c. 11. S. Aug. Tract. 12. in Johann. tamen quorum auctoritas non minus veneranda eſt, hæc verba de vento intelligunt, a quo ſenſibile ſumpſerit exemplum Chriſtus, ut Nicodemum doceret, non debere rejici ut incredibilia & abſurda quæcumque ſenſibus non comprehenduntur. Exemplo hic uſum eſſe Chriſtum, verba hæc oſtendunt: *Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.* Exemplum autem ab eo cujus cauſa affertur, diſtinctum eſſe oportet. Præterea, hæc verba Verſus 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis*, exemplum iſtud e re corporea ſumptum & ad rem ſpiritualem intelligendam adhibitum ſpectare videntur. Quæ enim de Spiritu ſancto, de baptiſmo, de ſpiritali regeneratione, Jeſus Nicodemo dixit, terrena dici non poſſunt. Hæc explicatio antiquos
S. Chryſoſt. Hom. 25. in Jo. S. Cyr. lib. 2. in Jo. p. 148. etiam, doctos & ſanctos Auctores habet, Chryſoſtomum præſertim & Cyrillum Alexandr. „ Hic igitur totius ſen„ tentiæ ſenſus eſt: Si hujus ſpiritus, quem auditus ſen„ ſu percipis, & tactus impetum intelligis, ne viam qui„ dem noſti: quonam pacto divini Spiritus operationem „ perſcrutaberis? Præterea, ubi vult ſpirat, ad Paracleti „ potentiam oſtendendam dixit. Nam ſi ventum nemo co„ hibet, quin quo vult feratur, quanto magis Spiritus „ operationem nullæ naturæ leges, nulli corporeæ gene„ rationis fines, nulla alia hujuſmodi vis poterunt cohi„ bere? Quod autem de vento loquatur, inde perſpicu„ um eſt, cum ait: *Et vocem ejus audis.* Non enim in„ fideli & Spiritus operationem neſcienti dixiſſet: *Et vo„ cem ejus audis.* Senſus igitur eſt, quod quemadmodum „ ventus non videtur, ſentitur tamen: ita ſpiritalis gene„ ratio corporeis oculis non comprehenditur. “ Hæc S. Chryſoſtomus.

9. 10. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo poſſunt hæc fieri?* Ut homo ſic renaſcatur ex Spiritu ſancto, idque fiat nobis inſciis? *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Tu-ne qui Doctorem agis, ignoras quæ de renovatione interiori hominis per aquam & Spiritum ſanctum temporibus Meſſiæ
Tract. Tal. mud. Ievamoth Maimonides Iſſure Biah cap. 24. R. Iſrael Lib. De Anima. a Prophetis prædicta ſunt? Ezechiel. 36. 25. 26. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris . . . . . Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri.* Neſcis

ſcis quod apud vos vulgo dicitur, *Proſelytum fieri ſicut parvulum recens natum?*

11. *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod videmus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accepiſtis?* Non ideo verum non eſt quod dixi de regeneratione ex aqua & Spiritu ſancto, quia non intelligis. Crede ſaltem meo teſtimonio, ſiquidem me a Deo miſſum Magiſtrum, Deumque in me habitare agnoſcis & fateris. Comperta & explorata loquor. De doctrina Patris cœleſtis agitur, cujus omnia arcana novi: Teſtimonium meum ac judicium verum eſt, *Quia ſolus non ſum: ſed ego & qui miſit me, Pater. Et in Lege veſtra ſcriptum eſt, Quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Mirum eſt ergo vos Phariſæos ita incredulos eſſe, ut teſtimonium noſtrum non admittatis. Jo. 8. 16. 17. 18.

12. 13. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Si mihi myſteria humano more, & ſimilitudine ſumpta a rebus terrenis, quas quotidie experimur, exponenti, non creditis: quomodo ſi illa vobis nude & remotis figuris expoſuero, quę ſublimiora ſunt, mihi fidem adhibebitis? *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.* Verumtamen nemo homo aſcendit in cœlum, ut ibi cœleſtia divinaque Myſteria videret, niſi ego, qui de cœlo ita deſcendi humanam naturam aſſumens, ut tamen in cœlo manſerim ſemperque ſim ut Deus. Cur ergo mihi cœleſtia enarranti non creditis? His verbis & Chriſti Jeſu divinitas, & perſonæ in eo unitas; & naturarum duarum in eo diſtinctio, atque inconfuſa conjunctio aſſeritur ac probatur. S. Cyrill. lib 2. in Jo. p. 250.

14. 15. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Fidei neceſſitatem ad vitam æternam conſequendam confirmat Chriſtus, quia in crucem exaltandus eſt, ut morte ſua homines ad Fidem adducat. Ne autem incredibilis videatur Paſſio & mors Filii Dei, Mundique redemptio per myſterium crucis ejus, utitur figura ex Scripturis deſumpta, qua Nicodemus quaſi manu duci poſſit ad credendum myſterium per eam adumbratum. Sicut Moyſes Dei juſſu olim figuram ænei ſerpentis in deſerto exaltavit, de palo ſuſpendens, ut qui ab ignitis ſerpentibus læſi erant Iſraelitæ, illius figuræ intuitu ſanarentur: ita me decreto Patris in crucem agi oportet, ut quicumque in me crediderit fide per dilectionem operante, non pereat morſu & veneno ſerpentis antiqui, id eſt, peccato; ſed ab eo ſanatus, vitam æternam per me conſequatur. Conferi cum Galat. 3. 13. & 14. „ Chriſtus nos redemit de „ maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; quia „ ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: „ ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto „ Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. „ Et Rom. 8. 3. & 4. Deus Filium ſuum mittens in ſimili„ tudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum „ in carne, ut juſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non „ ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. “ Num. 21.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*: Mortem quam in cruce paſſurus ſum, nec fato, nec infirmitati meæ, multo minus peccato meo tribuas, cum ſim innocens, impollutus, a peccatoribus ſegregatus, Sanctus Sanctorum: cauſa cur in cruce moriar hæc una eſt, immenſus Dei erga homines amor. *Sic Deus* omnium Dominus, nulli debitor, ſibi ſufficiens, nullius indigus, *dilexit*, & quidem prior, *Mundum*, id eſt, non Judæos tantum, quibuſcum fœdus iniverat, ſed omne omnino genus humanum peccatis obrutum; *ut Filium ſuum unigenitum*, non adoptivum, *daret*, gratis, nullis hominum meritis provocatus: *Ut omnis*, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, *qui credit in eum* fide ſincera, viva, & per bona opera ſe prodente, *non pereat, ſed habeat vitam æternam*, pretio ſanguinis ejus redemptus. 1. Jo. 4. 10. 1. Jo. 5. 19.

17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Se Dei Filium unigenitum eſſe Chriſtus confirmat: ſeque miſſum a Patre docet, non ut pœnas ejus nomine exigeret ab hominibus, ſive Judæis, ſive Gentilibus; ſed ut omnes nationes ſalvet, ſive ex omni gente quotquot in illum crediderint, & Dei mandata ſervaverint.

18. *Qui credit in eum*, ut oportet, *non judicatur*, ſive non condemnatur, immo communi exitio eripitur: *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*: ſuæ incredulitatis merito condemnatus: *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Rejicit medium ad ſalutem prorſus neceſſarium, ſcilicet Fidem in Filium unigenitum Dei, quem Pater dedit propitiationem pro totius mundi peccatis.

19. 20. *Hoc eſt autem judicium*, hæc eſt cauſa condemnationis; *quia lux venit in mundum*, ego ipſe lux vera omne hominum genus illuminans: *& dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*: errores ſuos veritati ſeſe manifeſtanti prætulerunt; *erant enim eorum mala opera*, & in iis manere malebant, quam lucem veritatis illa redarguentem recipere. *Omnis enim qui male agit, odit lucem*, quæ malæ conſcientiæ gravis eſt, & *non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*, ne appareat vitæ ſuæ turpitudo. Confer cum Epheſ. 5. 11. 12. & 13. *Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur.*

21. *Qui autem facit veritatem*, qui ſincere agit, qui recto corde eſt, ac moribus integer; qui facit quod ſibi a lege æterna, quæ ſumma veritas eſt, præſcribitur, *venit ad lucem*, lubenter amplectitur doctrinam veritatis, per quam velut per cenſorium lumen opera ſua examinat, & ſecundum Deum eſſe facta cognoſcit, ſive legi ac voluntati ejus conſentanea.

22. 23. 24. *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam*, id eſt, in territorium Judææ, in agrum Hieroſolymitanum (colloquium enim cum Nicodemo in Urbe habuerat) *& illic demorabatur cum eis, & baptizabat* eorum opera ac miniſterio, ut explicat inferius noſter Evangeliſta. *Semper* enim *is dicitur facere, cui præminiſtratur* (inquit Tertullianus) *Erat autem & Johannes baptizans in Ænnon, juxta Salim*, in vicinia Jordanis, *quoniam aquæ multæ erant ibi, & veniebant ad eum* Judæi, & baptizabantur ejus baptiſmo: *Nondum enim miſſus fuerat Johannes in Carcerem*; præter quem alium fruſtra commentus eſt Vir eruditus. Quod enim quærit, qua ratione fieri poſſit ut ille Johannes, qui de Jeſu iſta protulerit Diſcipulis ſuis, antequam alligaretur ab Herode, potuerit ejus vinculis alligatus mittere eoſdem diſcipulos ad eumdem Jeſum, qui ſciſcitarentur ab eo an ipſe eſſet Chriſtus: explicare facillimum eſt. Poſt tot enim Johannis de Jeſu teſtimonia, nondum credebant ipſius Johannis Diſcipuli Jeſum eſſe Meſſiam a Deo promiſſum, immo pro Magiſtro ſuo æmulati, nonnihil livoris & mordacitatis adverſus illum habebant; & ſibi perſuadebant Johannem modeſtiæ cauſa tantis laudibus Chriſtum extuliſſe, ſibique antepoſuiſſe. Unde hanc legationem ea occaſione miſſam commemorat S. Lucas, quod Diſcipuli Johannis illi narraſſent Miracula Jeſu, quorum fama per univerſam Judæam, & omnem circumquaque regionem pervagabatur. Ut itaque illorum infirmitati & ignorantiæ conſuleret Johannes, duos ex ipſis miſit ad Jeſum, interrogaturos, *Tu es qui venturus es? an alium exſpectamus?* Ut operum ejus ac ſermonum admirabilitate permoti, in illum crederent. Novitium ergo de duplici carcere Johannis commentum apage. Jo. 4. 2. Tertull. Lib. de Baptiſmo. P. Lamy Lib. 8. Concordia c. 9. Luc. 7. 18.

25. 26. *Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Johannis cum Judæis, de purificatione.* Quoſdam Johannis diſcipulos inter ac Judæos, ſeu potius Judæum quemdam (ut legunt S. Johannes Chryſoſtomus, Nonnus, & Theophylactus, quam lectionem confirmant Verſiones Syriaca & Perſica) contentio excitata eſt, uter baptiſmus præſtantior eſſet, Jeſu, an Johannis. *Facta eſt quæſtio de baptiſmate* (inquit Theophylactus) *adverſus Judæum quemdam contendentibus diſcipulis Johannis. Nam Judæus quidem præferebat baptiſma Diſcipulorum Chriſti: Diſcipuli autem Johannis baptiſma ſui Magiſtri. Cum ergo de purificatione, hoc eſt baptiſmo quæſitum eſſet, accedunt ad ſuum Magiſtrum*, &c. S. Cyrillus Alexandr. qui eodem modo legit in Codd. Græcis, ac Vulgatus noſter Interpres, quæſtionem motam putat inter diſcipulos Johannis & Phariſæos, quod illi Magiſtri ſui baptiſma ſuſpicientes, & legales purificationes impugnantes, jam Phariſeis virtute & eruditione ſuperiores viderentur. Unde Phariſæi ut illos laceſſerent, ac Johannis baptiſma interim deprimerent, baptiſmum Chriſti ſimulate laudabant, objicientes, tunc paucos admodum ad Johannem, multos vero gregatim ad Chriſtum confluere. Hac nimirum ſimulatione ſe victoriam reportaturos ſperabant, & legalibus luſtrationibus potiores partes datum iri. *Et venerunt ad Johannem*, ejus diſcipuli, & *dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem*, quem baptizaſti in trajectu Jordanis, *cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat*, munus tuum uſurpat, adeo ut id nobis ad extenuationem auctoritatis tuæ objiciatur: *& omnes veniunt ad eum*. Plures quam ad te, quaſi novitatis ſtudio. Quid facto opus?

27. 28. Reſpondit Johannes, & dixit: *Non poteſt homo accipere*, id eſt, ſibi arrogare *quidquam* auctoritatis, poteſtatis, officii, *niſi fuerit ei datum de cœlo*, id eſt a Deo. Ne ergo miremini quod Jeſus baptizet, omneſque ad eum veniant: Hoc illi a Deo datum, hoc illi jure debitum. *Ipſi vos mihi Teſtimonium perhibetis, quod dixerim*: *Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum*, Jeſum ſcilicet, quem Chriſtum eſſe dixi, ut Præcurſor & præco.

29. 30. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Sponſus ille eſt, cui deſtinata eſt ſponſa. Jeſus ſponſus eſt, qui Eccleſiam ſibi copulaturus venit, ejus caput & dominus, quam ſe dignam facit, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. *Amicus autem ſponſi ſtat*, ei miniſtraturus,

& *audit eum*, paratus ad excipienda ejus mandata, & *gaudio gaudet propter vocem sponsi*, gaudio incredibili afficitur, cum vocem ejus audit jam cum sponsa colloquentis. Cum ergo sim amicus Jesu, quæ gloria mea magna est, *gaudium meum impletum est*, qui populum Judaicum tamquam paranymphus & pronubus illi tradidi. Illi principem in nuptiis locum me cedere par est, de illius honore gaudere; tantum abest ut invideam. *Illum oportet crescere* fama & numero discipulorum, *me autem minui*.

31. 32. 33. *Qui de sursum venit* in mundum Jesus Christus, *super omnes est*, super me & super omnes alios est, etiam Prophetas, utpote natura Deus. *Qui est de terra*, quoad originem, *de terra est*, merus homo est, suamque referens originem, *terrena* tantum & humilia propria virtute ac facultate *loquitur*: *qui de cœlo venit*, Jesus, ex Deo natus, Deus & homo, *super omnes est*, nemine excepto. *Et quod vidit & audivit, hoc testatur*. Cœlestia mysteria quæ in sinu Patris ab æterno intuetur, hominibus enarrat, ut testis fidelis & verax: & *testimonium ejus nemo accepit*. Id est, pauci credunt ejus testimonio. Et utinam omnes crederent! *Qui* autem *accepit ejus testimonium*, *signavit quia Deus verax est*. Qui illi credit, fide sua velut appositio sigillo declarat Deum esse veracem tum in promissis suis, quæ implevit mittendo Filium suum in mundum; cum in omnibus verbis quæ locutus est per Prophetas & quæ loquitur in Filio suo, per quem revelat cœlestia Mysteria. Metaphora sumpta est a more Judæorum, apud quos testes suum testimonium in tabulis describebant, obsignabantque una cum judicibus, ut fidem faceret in judicio.

S. Cyrill. Alexandr. lib. 2. in Jo. c. 4.

34. 35. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*, nihil nisi divina docet: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* Christo Filio suo, ut dedit Prophetis & sanctis hominibus. *Pater diligit Filium* suum unicum Jesum: & *omnia dedit in manu ejus*, nihil eum celat, arbitrio ejus ac potestati omnia permittit. „ Habet Filius quicquid „ Patris proprium est, non per participationem, tametsi „ Pater dedisse dicitur. Sed ita omnia sua dat Filio Pater, quemadmodum etiam homo genito ex se Filio tribuere censetur quicquid proprium est naturæ humanæ, „ aut sicut ignis calori ex se actu procedenti ea quæ naturæ suæ propria sunt tribuere dicitur Pater diligit „ Filium. Cujus dilectionis argumentum est, quod rerum „ omnium potestas ei data est. Unde Salvator ipse dicebat: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo . . . Data „ est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. " Accepit autem ut homo, & secundum formam servi, quæ ab æterno habet Deus. Unde alias ait: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius* Matth. 28. *quam mundus fieret*. Itaque cum dicitur accipere ut homo Jo. 17. 5. Filius, quæ habebat ut Deus, non offendamur, sed rationem dispensationis quæ nostri causa & pro nobis facta est, animo potius perpendamus. Sic enim invulnerabilem & illibatam mentem nostram servabimus.

36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Qui credit Jesum esse Filium Dei, omniumque hominum redemptorem ac mediatorem, & quæcumque Ecclesiæ suæ revelavit, ac per eam proposuit hominibus credenda, ejusque mandata fideliter servat, jus habet ad vitam. *Qui autem incredulus est Filio*, qui Christo Jesu Dei Filio non credit nec obtemperat, *non videbit vitam*, id est, vita æterna non fruetur: *sed ira Dei manet super eum*. Quæ Ephes. 2. 3. ira Dei? De qua dicit Apostolus: *Eramus natura filii iræ, sicut & ceteri*.

SENSUS MORALIS.

1. 2. ERat *homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine... Hic venit ad Jesum nocte*, &c. Plurimi sunt in Ecclesia Nicodemo similes, fidem habentes in Christum, sed claudicantem; affectum bonum, sed imperfectum; qui terrena commoda & gloriam hominum pluris faciunt, quam Christum publice vita & operibus profiteri: qui *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam Dei*: Qui Jo. 12. simul vellent & Christo, & mundo placere, duobus Dominis servire, nullum Christi causa dispendium pati. Quasi noctu ad Jesum veniunt, qui de pietatis professione erubescunt, ne ab hominibus sæculo deditis contemnantur & irrideantur.

3. 4. *Scimus quia a Deo venisti Magister: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Christi Jesu miracula ipsum esse Dei Filium, & a Deo missum Doctorem justitiæ mundique Redemptorem probant; cum in veritatum istarum confirmationem edita Isai. 55. 4. 5 sint, quemadmodum prædixerant Prophetæ: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Hoc argumento Justinus Martyr utitur in Dialogo cum Tryphone, ad probandum Christum esse verum Messiam, quia nullus Propheta simul fecit omnia quæ Christus: hic unum, S. Amb. lib. 5. in Luc. n. 100. 101. ille aliud miraculum fecerunt; simul vero tot ac tanta qualia de Christo ab ipsis prædicta sunt, nemo prorsus: *Miracula ante Evangelium rara*. „ Receperit Tobias ocu- „ los, unus est in exemplo; & tamen Angeli fuit illa „ medicina, non hominis. Elias mortuum suscitaverit; „ ille tamen rogavit & flevit: hic jussit. Elisæus lepro- „ sum mundari fecerit; non tamen illic valuit præcepti „ auctoritas, sed figura Mysterii. Non defecerit ad „ escam viduæ esurientis, propheticis se multiplicans farina præceptis; unam tamen viduam farina illa, vel „ potius Sacramenti species præfigurata servavit. " Hinc ipse Christus ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo* Jo. 15. 22. *alius fecit, peccatum non haberent*. Hæc autem miracula divina virtute facta, demonstrat Origenes libro 2. contra Celsum. „ Quod si non sunt probanda miracula (*in-* Origen. Lib 2. contr. Celsum. „ *quit*) prius quam discernantur, a quo recte patrentur „ an secus, ne vel omnia damnemus, vel omnia miremur tamquam divina: an non perspicuum est e Moysis „ Jesuque miraculis, quibus gentes integræ ad Religionem pertractæ sunt, non sine divina virtute facta ab „ illis quæ Scripturis sunt prodita. Numquam enim malis artibus & imposituris constituta fuisset integræ gentis Respublica, contemptricis simulacrorum omnium, „ & superscensis creaturis omnibus contendentis ad Deum „ principem & auctorem hujus universi carentem principio . . . Si effectus miraculorum a Moyse editorum, „ videlicet integra Israelitarum gens his auspiciis oriunda, satis declarat Deum operatum per Moysis ministerium, quanto magis de Jesu hoc persuadetur, cujus „ longe majus opus extat quam Moysis? Ille enim gentiles suos, Abrahæ posteritatem, continua successione „ observantem Circumcisionis, aliorumque Rituum, & „ morum Actoris sui æmulam, promptos & obsequentes „ nactus ex Ægypto eduxit propositis iis divinis Legibus: Hic autem majus quiddam aggressus, antiquatis „ institutis pristinis, moribusque patriis, in quibus Gentes educatæ fuerant, superinduxit novam Reipublicæ „ formam ex Præceptis Evangelicis. Et quemadmodum „ ut Moysi crederetur a senatu populoque Judæorum, „ signis opus erat & prodigiis quæ a Scripturis habentur: „ ita quid mirum si Jesu fuit opus miraculis ad constituendam fidem apud populum assuetum talia postulare? „ Quæ collata ad Judaica, possent eos avertere a Judaïs & humanis traditionibus, persuadereque novum „ hunc Doctorem *JESUM*, *tanta potentia præditum*, Prophetis esse majorem. Quidini? cum illorum oraculis S. Aug. Lib. 1. de Consensu Evang. c. 11. „ ipse prædictus sit venturus Christus & servator humani „ generis. " Attendant, qui magicis artibus Jesum tanta potuisse, & nomen suum ad populos in se convertendos arte ipsa consecrasse delirant, utrum potuerit magicis artibus tantos Prophetas divino Spiritu, antequam in terra nasceretur, implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt, qualia jam præterita in Evangelio legimus, & qualia in orbe terrarum præsentia nunc videmus: *Neque enim si magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus magus erat antequam natus: cui prophetando venturo gens una deputata est, cujus Reipublicæ tota administratio prophetia esset illius Regis venturi, & civitatem cœlestem ex omnibus gentibus condituri?* Constituta & per universum orbem fundata Ecclesia, non jam opus est miraculis. Necessaria fuerunt prius quam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. *Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit* . . Christi miracula ut fidem facerent, S. Augustl. Lib. 22. De Civit. Dei, c. 17. innotuerunt; & per fidem, quam fecerunt, multo clarius innotescunt. Leguntur quippe in populis, ut credantur; nec in populis tamen nisi credita legerentur. Gratias agamus Christo Domino, quod tot ac tantis miraculis fidem nostrm firmaverit, Ecclesiam suam fundaverit, ad eam nos vocaverit; illumque adorantes dicamus: Nemo hæc signa facere poterat, nisi Deus. Te adoro, Domine Jesu, ut Doctorem Veritatis & justitiæ, promissum in Scripturis sanctis, a prophetis prænunciatum. Justitiç & veritatis amorem cordi meo infunde, & per justitiæ opera me ad æternæ Veritatis, id est Tui ipsius cum Patre & Spiritu sancto beatificam visionem & fruitionem perducere dignare.

5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. " In aqua tamquam S. Johan. Chrysost. Hom. 24. in Johan. „ in sepulcro caput immergentibus vetus homo sepelitur „ & submergitur, deinde nobis emergentibus novus resurgit inde. Ut facile nobis est immergi, & emersos „ respirare: ita Deo veterem spoliare hominem, & novum induere. Præterea ter istud fit, ut hinc Patris & „ Filii & Spiritus sancti virtutem hæc omnia implere intelligas. Baptismus vere nova nativitas. Alienus est „ Cathecumenus a fideli, non habet idem principium, „ non eamdem civitatem, non eumdem parentem, non „ victum, non vestitum, non mensam, non domum, nihil commune. Etenim terrena Cathecumeni, cœlestia „ fidelis sunt. Huic Christus Rex est, illi autem peccatum & diabolus. Huic cibus Christus est, illi quod „ corrumpitur. Et rursus huic vestis tinearum opera, „ illi autem Angelorum Dominus. Huic terra, illi cœlum patria. Itaque cum nihil sit inter nos commune, „ quæ cum illis nobis cognatio? Sed eamdem matrem „ habemus, eodem partu nati sumus. Nihil hoc ad ve-

rissimæ

„ rissimæ cognationis comparationem. Studeamus super-
„ næ civitatis cives fieri quousque ab ea peregrina-
„ mur. "

S. Cyril. Alex. Lib. 2 in Jo. p. 147. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. „ Cum homo ex corpore & anima intelligente sit
„ compositus, gemino illo opus est ad regenerationem
„ remedio. Spiritu namque sanctificatur hominis spiritus,
„ aqua vero sanctificata corpus. Quemadmodum enim in-
„ fusa lebetibus aqua, si amoveatur igni vehementi, vim
„ ejus concipit: ita Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad
„ divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur,
„ omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat.

S. August. Tract. 11. in Jo. n. 6. & Tract. 12. n. 5. „ Duplex est nativitas: non noverat Nicodemus nisi
„ unam ex Adam & Eva; ex Deo & Ecclesia nondum nove-
„ rat: non noverat nisi eos parentes qui generant ad mortem,
„ nondum noverat eos parentes qui generant ad vitam:
„ non noverat nisi eos parentes qui generant successuros,
„ nondum noverat eos qui semper viventes generant per-
„ mansuros. Cum ergo sint duæ nativitates, ille unam
„ intelligebat. Una est de terra, alia de cœlo: una est
„ de carne, alia de Spiritu: una est de mortalitate, alia
„ de æternitate: una est de masculo & femina, alia de
„ Deo & Ecclesia. Nec illa potest repeti, nec ista . . .
„ Ex aqua & Spiritu oportet ut renascatur homo pro-
„ pter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris ho-
„ minis temporalem nascitur, nascatur ex visceri-
„ bus matris carnalis: si propter hæreditatem patris
„ Dei sempiternam, nascatur ex visceribus Ecclesiæ. "
Generat per uxorem filium pater moriturus successurum: generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros. In Christo renati per baptismum, nativitati pristinæ ex Adamo renuntiemus; deponamus veterem hominem cum actibus suis, carnis renuntiemus operibus. Novum hominem induti, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, sponsiones & votum in baptismo factum renovemus, & secundum illud vivamus.

Tertullianus Lib. de Baptismo. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. „ Omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramen-
„ tum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. *Su-*
„ *pervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis supe-*
„ *rest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ,*
„ *vim sanctificandi combibunt.* Quamquam ad simplicem
„ actum competat similitudo, ut quoniam vice sordium
„ delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut
„ non in carne comparent, quia nemo super cutem por-
„ tat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis: ita
„ ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti.
„ Spiritus *enim* dominatur, caro famulatur: tamen utrum-
„ que inter se communicant reatum, spiritus ob imperium,
„ caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis
„ per angeli interventum, & spiritus in aquis corporaliter
„ diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mundatur . . .
„ Exemto reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo
„ Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei
„ fuerat. Imago in effigie, similitudo in æternitate cen-
„ setur. Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de
„ afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. "
Baptismus dat nobis jus ad regnum Dei, modo ut filii Dei, & membra Christi Jesu vivamus, ejusque Spiritu agamus. Spiritualis nativitas ad vitam spiritualem agendam nos obligat; ut *licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovetur de die in diem.* Etenim *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Spiritaliter ergo nascimur, & in *Spiritu nascimur verbo & sacramento.* Adest Spiritus ut nascamur: Spiritus invisibiliter adest unde nasceris, quia & tu invisibiliter nasceris.

S. August. Tract. 12. in Johan. 8. *Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Nemo videt Spiritum: & quomodo audimus vocem Spiritus? *Sonat Psalmus, vox est Spiritus: sonat Evangelium, vox est Spiritus. Sonat sermo divinus, vox est Spiritus.* Si nascaris de Spiritu, hoc eris, ut ille qui non est adhuc natus de Spiritu, non sciat de te unde venias, & quo eas. Principia scilicet, effectus, & finis spiritualis regenerationis nec sensibus percipi, nec ratione humana comprehendi, sed solo fidei lumine cognosci possunt.

Spiritus ubi vult spirat, &c. *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Qui de Spiritu natus est, Spiritui quodam modo similis est. 1. *Spiritus ubi vult spirat*, liber est in suis operationibus, quod vult facit, nullo retardatur impedimento, nulla premitur servitute; dona sua dividit singulis prout vult. *Sic est omnis qui natus est de Spiritu*, liberatus a peccati servitute liber est justitiæ. Legem implet cum suavi facilitate, quia cum amore; tentationes superat, peccata vitat, diabolum vincit; quod bonum vult, operatur Dei gratia præveniente & adjuvante, in libertatem filiorum Dei per Spiritum sanctum evectus, a caritate Dei numquam invitus separatur. Sic
2. Cor. 3. 17. est omnis qui natus est de Spiritu, quia *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Spiritus sanctus oculis corporis videri non potest, nec humana ratione cognosci, vox tamen ejus auditur. Loquitur enim per sanctos Dei homines quos inspirat, locutus est per Apostolos, loquitur per sanctos Doctores, Prædicatores, & Directores, qui *sermones Dei* ex Scripturis sacris & Apostolica Traditione depromptos loquuntur. *Sic est omnis qui natus est de Spiritu.* Quæ latent interius invisibilia sunt, nempe gratia, caritas, dona Spiritus sancti: opera tamen admirabilia & divina, quæ inde procedunt, hominum sensibus pervia sunt. Vox eorum auditur, sed quod intus est, non videtur. 3. Nemo scit *unde veniat aut quo vadat* Spiritus, quantumcumque vocem ejus audiat, viæ ejus investigabiles, consilia ejus incomprehensibilia. *Sic est omnis qui natus est de Spiritu.* Opera ejus manifesta sunt: cogitationes ejus, desideria, fines, intentiones ejus latent eos qui Dei Spiritum non habent. Sic Apostoli pleni Spiritu sancto, Judæis musto pleni videbantur: quia licet in eis audirent verba & voces Spiritus, consilia tamen, intentiones, & fines eorum non percipiebant, nescientes unde venirent, aut quo tenderent. Sic justi insipientium oculis visi sunt stulti, scelerati, sine honore; cum essent prudentissimi, innocentissimi, filii Dei; visi sunt mori, cum essent in pace. *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt.* Denique etsi filii Dei sint, qui ex *1. Cor. 3.* Spiritu sancto renati sunt, nondum tamen apparet quid erunt. *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* *1. Jo. 3.*

Tertull. lib. de Baptismo, c. 2. 9. *Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* „ Nihil adeo est quod tam obduret mentes
„ hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ
„ in actu videtur, & magnificentia quæ in effectu re-
„ promittitur, ut hic quoque quoniam tanta simplicita-
„ te, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique
„ sine sumptu, homo in aqua demissus, & inter pauca
„ verba tinctus non multo vel nihilo mundior resurgit,
„ eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Proh
„ misera incredulitas, quæ denegat Deo proprietates
„ suas; simplicitatem & potestatem! Quid ergo? Nonne
„ mirandum & lavacro dilui mortem? Atqui eo magis
„ credendum, si quia mirandum est, idcirco non credi-
„ tur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super
„ omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed
„ quia credimus. Ceterum incredulitas miratur, non
„ credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica
„ quasi impossibilia. Et sit plane ut putas, satis ad
„ utrumque divina pronuntiatio præcurrit. Stulta mundi
„ elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus; & præ-
„ difficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si
„ Deus & sapiens & potens, quod etiam prætereuntes
„ eum non negant, merito in adversariis sapientiæ po-
„ tentiæque, id est, in stultitia & impossibilitate mate-
„ rias operationis suæ instituit: quoniam virtus omnis
„ ex his causam accipit, a quibus provocatur. "

S. Aug. Tract. 12. in Jo. n. 6. 10. 11. *Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras.* Num putandum est Dominum Nicodemo insultare voluisse? Nequaquam. Noverat Dominus quid agebat, volebat illum nasci ex Spiritu. *Nemo ex Spiritu nascitur, nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de Spiritu; quia prope est Dominus obtritis corde.* Ille magisterio inflatus erat, & alicujus momenti sibi esse videbatur, quia Doctor erat Judæorum: deponit ei superbiam, ut possit nasci de Spiritu. Tollitur homini cervix, sed aspera & dura, ut sit lenis cervix ad portandum jugum Christi, de quo dicitur: *Jugum* *Mat. 11. 30.* *meum suave est, & onus meum leve.* Scientia humana offusas semper habet ignorantiæ tenebras. Evangelium humiliatio est doctorum, consolatio simplicium. Nisi credideritis, non intelligetis. Mens captivanda est sub jugo fidei, ut Mysteria, consilia, & viæ Dei cognoscantur. Cum Evangelium legimus vel audimus, nobis loquitur Christus Veritas ipsa, Verbum æternum Patris, lumen de lumine: sed proh pudor! testimonio ejus non credimus. Non credimus Deo, Domino, & Magistro qui a Deo venit ut nos doceat vitæ æternæ verba, & viam qua ad illam pervenitur. Non credimus justitiæ Doctori, nostroque & omnium hominum liberatori: & credimus seductori, mundo & diabolo. *Amen, amen dico tibi, Quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur & testimonium nostrum non accipitis.*

S. August. Tract. 12. in Jo. n. 8. 13. *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Nemo renascitur, resurgit, & in cœlum ascendit, nisi in Christo Jesu, cujus membrum per baptismum effectus est, & quocum unus est Christus. „ Deus voluit esse filius hominis, & homi-
„ nes voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos,
„ nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit
„ & ascendit. Non ergo ascensuri sunt in cœlum, quos
„ facit filios Dei? Ascensuri plane: hæc nobis promissio
„ est, *Erunt æquales Angelis Dei.* Quomodo ergo nemo
„ ascendit nisi qui descendit? Quia unus descendit, unus
„ ascendit. " Quid de ceteris intelligendum, nisi quia *membra ejus erunt, ut unus ascendat?* Ea spes est ceteris, quia *Ille propterea descendit, ut cum illo & in illo unus essent, qui per illum ascensuri essent.* Erat in cœlo Dominus, cum hæc Nicodemo loquebatur in terra mortali carne indutus. Tales esse debemus; ut aliquando per ipsum

sum ascendamus in cœlum, qui nobis locum paraturus ascendit. *Nostra autem conversatio in cœlis est.*

14. *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* „ Cum incredibilem suam erga humanum genus beneficentiam per baptismum Christus Jesus ostendisset, hujus causam addit, non minoris dilectionis erga humanum genus argumentum, scilicet Crucem. Quemadmodum igitur Paulus ad Corinthios scribens hæc simul jungit beneficia, baptismum & Crucem: *Numquid* (inquit) *Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ita & Jesus; eo quod hæc duo sint ineffabilis illius erga homines amoris argumenta, 1. Quod pro inimicis passus sit; 2. Quod mortuus integram peccatorum veniam per baptismum largitus sit. Sed cur non manifeste aperuit se crucifixum iri, sed veteri figura proposita? 1. Ut veterum cum novis cognationem significaret. 2. Ut non invitum ad Passionem venisse intelligas. 3. Ut nullum sibi eo damnum, sed multorum salutem secuturam ostendat. Ne igitur quispiam diceret, Quomodo possunt in Crucifixum credentes salvi fieri, cum se a morte non liberavit? veterem in medium adducit historiam. Nam si ad ænei serpentis simulacrum aspicientes Judæi a morte liberabantur: quanto majori qui in crucifixum credent beneficio fruentur? Vides ut figura veritati consentiat? Illic mortem fugerunt Judæi, sed temporalem: hic sempiternam fideles. Illic ictus serpentum suspensus serpens sanavit: hic tartarei serpentis plagas Jesus cruci affixus curavit. Illic corporeis oculis suspicientes, corporis salutem: hic incorporeis, omnium peccatorum remissionem consecuti sunt. Illic æs suspensum erat in serpentis effigiem: hic Dominicum corpus a Spiritu formatum. Serpens illic mordebat, & serpens sanabat: hic mors perdidit, & mors salvum fecit. Ad hæc, qui interimebat serpens veneno sæviebat: qui liberabat, nullo: sic & hic. Nam ea quæ perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum serpens venenum: Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, ut æneus serpens ab omni veneno. *Peccatum* enim *non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.* Hoc est quod significavit Paulus: *Exspolians*, inquit, *Principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quemadmodum enim cum fortis Athleta hostem alte erectum prosternit, clariorem facit victoriam: ita Christus toto orbe spectante hostiles conatus evertit: & qui in solitudine vulneratos curavit, eos ab omnibus feris in cruce suspensus tutatus est. Sed non dixit suspendi, sed *exaltari*, ut neque auditoribus ignominiosum (*Humiliavit enim semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum*) neque a figura abhorrens videretur. " Ut a peccatis sanemur, fide Christum crucifixum, Vitam nostram ante oculos nostros pendentem intueamur. Quæ virtute crucis Christi formata in nobis est fides, ejus intuitu augeatur & inardescat. Crucis virtute membra Christi facti sumus, & jus ad vitam æternam habemus; sed ea lege ut caro nostra, vitia, concupiscentiæ, cum illo crucifigantur. Nam *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* „ Quasi dicat: Ne mireris quod exaltari debeam ut salvemini; ita enim Patri videtur, qui adeo vos dilexit, ut pro servis, & quidem ingratis Filium daret. Atqui neque pro amico, neque pro justo facile quispiam id fecerit, quod Paulus his verbis ostendit: *Vix enim pro justo quis moritur.* Singula verba magnam vim habent, & immensam amoris significant vehementiam: *Sic Deus dilexit mundum.* Magna enim inter Deum & homines differentia est, & minime conferenda. Qui enim immortalis est, & nullo fine comprehenditur, qui potentissimus, ex terra & cinere factos, & innumeris peccatis obnoxios, & male de se meritos, & ingratos dilexit. *Sic dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret:* Non servum, non Angelum, non Archangelum. Nemo umquam pro filio tantam præ se tulit caritatem, quantam pro ingratis servis Deus... Pudeat tam immensæ non respondere dilectioni. Ipse ne unigenito quidem Filio nostri gratia pepercit, nos pecuniis in nostrum parcimus detrimentum. Si hominum quempiam pericula & mortem nostri gratia subeuntem videmus, eum omnibus præferimus, imprimis amicum habemus, & omnia nostra ei credimus, neque adhuc ejus meritis nos respondere arbitramur. Erga Christum autem eum gratitudinis modum minime servamus. Ipse animam pro nobis posuit, & pretiosum sanguinem fudit, neque propterea nos sibi conciliare potuit; nec pecunias illi pro sanguine rependimus in paupere esurienti: neque nudum induimus, & hospitem excipimus, sed pro nobis mortuum contemnimus. Quæ non meremur supplicia ob ingrati animi vitium tam immane? "

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. „ Quid enim boni fecerat mundus, ut illum sic diligeret Deus? Omnes enim homines non solum malos, sed etiam originali peccato mortuos Christus Dominus nester invenit. Et tamen etiam cum tales essemus, dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis: ac per hoc amavit etiam non amantes, sicut & Paulus Apostolus dicit, *Christus pro impiis mortuus est*, & per ineffabilem pietatem universo generi humano hoc exemplum dedit, dicens: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.*" Quod & B. Petrus Apostolus similiter præcepit dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Quod exemplum Domini secuturi sumus? Numquid ut mortuos suscitemus? Numquid ut supra mare pedibus ambulemus? Non utique, sed ut simus mites & humiles corde; & non solum amicos, sed etiam adversarios diligamus.

Sic Deus dilexit mundum, &c. Primum Dei donum, ejus amor est; primum divini amoris munus peccatoribus datum, Filius Dei unigenitus est: primum Filii Dei donum, fides est; quæ cererarum germen est gratiarum, principium vitæ novi hominis, clavis denique inferos claudens & cœlum reserans: *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, &c. Quid pro tanto munere postulat a nobis Deus? Cor nostrum. Pro tanto munere quam exigua res est cor hominis? Num dura conditio? Quid facilius? Quid suavius? Cor ergo nostrum Deo consecrare & reddere totum, totaliter, sine divisione prorsus ulla, non tardemus. Deus zelotes est; nullum dilectionis rivulum duci extra patitur, cujus derivatione amor illi debitus minuatur. *Minus enim te amat*, Deus meus, *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Peccatis nostris damnamur, Dei gratia salvamur. Magnus de cœlo descendit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. Ergo *quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse interimit, qui præcepta Medici observare non vult.* Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? *Salvari non vis ex ipso? Ex te judicaberis.*

Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, &c. „ Quasi diceret Christus Jesus: Non missus sum ut ille sacrorum interpres Moyses, ut Lege terrarum orbem condemnem, neque ad peccatum dumtaxat redarguendum mandatum fero, sed gratiam ad illud tollendum. Ut Filius ac hæres Patris, servitute hominis libero, condemnatricem Legem in justificantem Gratiam commuto, suorum criminum catenis constrictis peccata dimitto: salvaturus orbem terrarum, non condemnaturus veni. Oportebat enim Moysen ut famulum, condemnatricis Legis ministrum esse; Me vero ut Filium Dei execratione & maledictione Legis orbem terrarum vindicare, & benignitatis exuberantia infirmitatem mundi curare. "

18. 19. 20. *Qui credit in eum, non judicatur*; Si ex fide vivat, si fides in eo per dilectionem operetur, si mandata servet, si quemadmodum Christus Jesus ambulavit, & ipse ambulet, faciendo Patris æterni voluntatem; si Evangelio pareat. *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Non credit ut oportet, in nomine Salvatoris, qui non ambulat in via salutis, quam Evangelio suo docuit, quam exemplo suo monstravit, quam sanguine suo signavit.

Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. „ His verbis omnem aufert infidelibus excusationem. Nam si (inquit) ad operum rationem exigendam, & errata punienda venissem, possent sane excusari, si me non sequerentur: sin autem venerim ut a tenebris liberem, & ad lucem adducam, quisnam ejus miserebitur, qui cognita luce in tenebris potius degere perseverat? Cum enim nulla in re nos accusare possint, sed innumera a nobis acceperint beneficia, resiliunt tamen; quod alibi significavit his verbis: *Oderunt me gratis.* Et rursum: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Siquidem qui in tenebris versatur deficiente lumine, aliqua forte venia dignus est; qui vero adveniente luce tenebras sectatur, pravi animi præsefert argumentum. Sed cum multis hoc incredibile videatur, ut quispiam luci tenebras præferat, adducit causam quare ita affecti sunt. "

Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. „ Et profecto non ad judicandum, neque ad inquirendum venit, sed ad dimittenda peccata, & salutem per fidem largiendam: qua igitur ratione fugerunt? Si enim judicaturus venisset, aliquid habuissent excusationis. Qui enim alicujus sibi culpæ conscius est, judicem fugere solet: indulgenti autem errantes quoque obviam fiunt. Quod si ad indulgendum venit, consentaneum erat ut plurimorum criminum conscii prom-

Philipp. 3. 10.

S. Johann. Chrysost. Hom. 26. *in Johann.*

Coloss. 2. *Rom.* 5.

Galat. 5. 14.

Rom. 5. 7. *S. Johann. Chrysost. Hom.* 26. *in Johann.*

S. Cæsarius Arelat. Serm. 7. *inter Augustinianos de Temp. olim.* 61. *nunc* 273. *in Appendice. Rom.* 5. 6. *Matth.* 11. 27. 1. *Petri* 4. 11.

S. Augustin. Lib. 10. *Confess. S. Augustin. Tract.* 12. *in Johann. n.* 12.

S. Cyrill. Alexand. Lib. 2. *in Johann. P.* 153.

S. Johann. Chrysost. Hom. 27. *in Johann.*

Psalm. 36. *Johan.* 15.

„ pto animo ſe exhiberent, quod multi fecerunt: etenim „ Publicani & peccatores Jeſum ſequebantur, & diſcum- „ bebant cum eo. “ His ergo verbis, *Et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*, eos notat qui ſemper in malitia perſeverant.

Omnis qui male agit, odit lucem, &c. Primus cæcitatis ſpiritalis gradus eſt, tenebras peccati præponere luci veritatis. Eo ducit cupiditas. Secundus gradus eſt, veritatem odiſſe. Eo ducit amor peccati. Tertius eſt, veritatem fugere, perſequi, in injuſtitia detinere, ac opprimere. „ Eo ducit extrema cordis humani corruptio. Cur „ autem veritas parit odium, & inimicus hominibus hujus „ mundi amatoribus factus eſt Homo tuus verum prædi- „ cans, cum ametur beata vita, quæ non eſt niſi gaudium „ de veritate: niſi quia ſic amatur veritas, ut quicum- „ que aliud amant, hoc quod amant velint eſſe verita- „ tem: & quia falli nolunt, nolunt convinci quod falſi ſint? „ Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro *S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. c. 23. 26.* „ veritate amant. *AMANT* eam lucentem, oderunt „ eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & falle- „ re volunt, amant eam cum ſe ipſa indicat, & ode- „ runt eam cum eos ipſos indicat. Inde retribuet eis, „ ut qui ſe ab ea manifeſtari nolunt, & eos nolentes „ manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta . . . Ubique „ Veritas præſides omnibus conſulentibus te, ſimulque „ reſpondes omnibus etiam diverſa conſulentibus. Liquide „ tu reſpondes, ſed non liquide omnes audiunt. Omnes „ unde volunt conſulunt, ſed non ſemper quod volunt „ audiunt. Optimus miniſter tuus eſt, qui non magis „ intuetur hoc a te audire quod ipſe voluerit, ſed po- „ tius hoc velle quod a te audierit. “

21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.* „ Lucem „ amare incipit, qui peccata ſua confitetur. Accuſat Deus „ peccata tua: ſi & tu accuſas, conjungeris Deo. Quaſi „ duæ res ſunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus „ fecit: quod audis peccator, ipſe homo fecit. Dele quod „ feciſti, ut Deus ſalvet quod fecit. Oportet ut oderis in „ te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœ- „ perit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona „ opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium ope- „ rum bonorum, confeſſio eſt operum malorum. Facis „ veritatem, & venis ad lucem. Quid eſt, Facis verita- „ tem? Non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas, „ non dicis, Juſtus ſum, cum ſis iniquus, & incipis facere *S. Auguſt. Tract. 12. in Johan. n. 13.* „ veritatem. Venis autem ad lucem ut manifeſtentur ope- „ ra tua, quia in Deo ſunt facta: quia & hoc ipſum „ quod tibi diſplicuit peccatum tuum, non tibi diſpliceret, „ niſi Deus tibi luceret, & ejus veritas tibi oſtenderet. „ Sed qui & admonitus diligit peccata ſua, odit admo- „ nentem lucem, & fugit eam, ut non arguantur opera „ ejus mala quæ diligit. Qui autem facit veritatem, ac- „ cuſat in ſe mala ſua: non ſibi parcit, non ſibi igno- „ ſcit, ut Deus ignoſcat: quia quod vult ut ignoſcat, „ ipſe agnoſcit, & venit ad lucem: cui gratias agit, „ quod illi quid in ſe odiſſet oſtenderit. “

Qui facit veritatem, venit ad lucem, &c. Qui in bonis operibus ſuis non amant niſi Dei gratiam, quæ eſt illorum principium; niſi Dei voluntatem, quæ eſt illorum regula; niſi Dei gloriam, quæ illorum eſt finis; illa examinari volunt ad lucem Evangelii, ut laudetur in illis quod bonum eſt, damnetur quod malum, perficiatur quod imperfectum. Ambulemus in luce, veritatem diligamus: ſiquidem *filii* ſumus *lucis*, & Diſcipuli veritatis.

26. *Et venerunt ad Johannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Contentiones & æmulationes ſunt opera carnis, ex amore proprio & inanis gloriæ ſtudio oriuntur. *Omnes veniunt ad eum*: vox eſt invidiæ dolentis majora bona ab alio fieri aut procurari, quam a nobis, aut ab illis quibus ſtudemus aut adhæremus. Gravium illud malorum in Eccleſia ſeminarium! Pernicioſa labes, ſi Eccleſiaſticas inter Congrega- *S. Johann. Chryſoſt. Hom. 28. in Johann.* tiones, aut Religioſos Ordines, ſi inter animarum & conſcientiarum Moderatores, aut devotas perſonas quæ ab illis diriguntur, ſubrepat. Spiritalis putatur adhæſio, mere humanus plerumque affectus eſt. Hunc ut gehennam fugiamus: hic namque maxime ejus ignem accendit, hic diaboli undique ditionem propagat, hic ætatem & dignitatem omnem ſæviſſimo premit imperio, hic Eccleſias huc illuc diſtrahit, ſtudia partium in iis excitans, diſſenſiones nutriens ac diſſidia. Inanem gloriam fugiamus, quæ pravæ mater eſt æmulationis. Quo pacto autem vincemus? Si gloriam gloriæ comparemus. Quemadmodum enim terrenas divitias contemnimus, cum alias ſperamus divitias, cœleſtes ſcilicet ac æternas; ita & hujus vitæ gloriam contemnemus, cum longe majorem & veram gloriam intuemur, quæ non in hominum, ſed Angelorum, & ipſius Dei approbatione & commendatione poſita eſt. Si illud ſpectaculum contemplaberis, ſi illas coronas noveris, ſi ad illum plauſum te tranſtuleris, nunquam apud te terrenæ gloriæ affectus, aut humanarum laudum & applauſuum ſtudium prævalebit. S. Johannem Baptiſtam imitemur, qui ſalutem ſuam in Chriſto eſſe intelligens, apud illum ſe humiliavit, illi confitendo ceſſit, omnem illi honorem tribuit.

„ Jam dixerat ſuperius: *Nos omnes de plenitudine ejus* *S. Auguſt. Tract. 13. in Johan. n. 8.* „ *accepimus*. Et hoc confiteri Deum eſt. Quomodo enim „ omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, niſi ille „ ſit Deus? Nam ſi ſic ille homo ut non Deus, de ple- „ nitudine Dei accipit etiam ipſe, & ſic non Deus eſt. „ Si autem omnes homines de plenitudine ejus acci- „ piunt, ille eſt fons, illi bibentes. Qui bibunt fontem, „ & ſitire poſſunt & bibere; fons nunquam ſitit, fons „ ſe ipſo non eget. Fonte egent homines; aridis viſce- „ ribus, aridis faucibus currunt ad fontem ut refician- „ tur: fons fluit ut reficiat, ita Dominus Jeſus. Diſci- *Jacobi 17. 18. S. Cyprian. S. Auguſt.* „ pulis ſuis hic reſpondet Johannes: *Non poteſt homo* „ *accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo*. “ Hoc humilitatis Chriſtianæ fundamentum eſt. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum . . . Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*. Quamobrem, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*. Sit igitur humilis & ſummiſſa confeſſio, & *totum detur Deo*.

29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*. Chriſtus ſponſus eſt, Eccleſia ſponſa. Hæc Paſtorum particularium non eſt, ſed Chriſti Jeſu ſummi Paſtoris ac Sponſi ſui. In ea igitur honores ambire, dominari, quæ ſua ſunt quærere non debent, ſed Chriſti vocem audire, illi fideliter ſervire; non ſuam, ſed illius gloriam quærere; animas ad illum adducere, illique tradere ad ſpiritale connubium præparatas. „ *Aliquem hominem amare pro Chri-* „ *ſto, adulterium eſt*. Attendamus vocem Johannis: po- *S. Auguſt. Tract. 13. in Johann. n. 10. 11. 12.* „ terat in illo errari, poterat ipſe putari qui non erat: „ reſpuit a ſe falſum honorem, ut teneat ſolidam veri- „ tatem. *Qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt*. “ Ca- ſti eſtote, Sponſum amate. Tu vero qui es, qui hæc dicis? *Amicus ſponſi*, &c. Heu! quam multi in Eccleſia adulteri, *qui ſponſam tanto pretio emptam, amatam fœdam ut pulchra fieret, illo emptore, illo liberatore, illo decoratore, poſſidere volunt: & id agunt verbis ſuis, ut pro ſponſo amentur?* Cogitate aliquem peregre profectum commendaſſe amico ſuo ſponſam ſuam, & dixiſſe: Amicus meus es; vide, quæſo, ne forte me abſente pro me aliquis ametur. „ Qualis ille qui cuſtodiens ſponſam „ vel uxorem amici ſui, dat quidem operam ut nullus „ alius ametur, ſed ſi ſe amari pro amico voluerit, & „ uti voluerit commendata ſibi „ quam deteſtandus uni- „ verſo generi humano apparet? Videat illam aliquanto „ petulantius per feneſtram attendere, aut jocari cum „ aliquo, prohibet tanquam zelet: video zelantem, ſed „ videam cui, utrum amico abſenti, an ſibi præſenti. „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus commendavit amico ſpon- „ ſam ſuam, peregre profectus eſt accipere regnum, & „ tamen præſens eſt majeſtate. “ Zelet amicus pro ejus ſponſa; Sponſo zelet non ſibi: ſic Apoſtolus zelo ardebat, *2. Cor. 11. 2.* non ſuo, ſed Dei. *Æmulor vos*, inquit, *Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. Quid ergo times, quare zelas? *Timeo*, inquit, *me ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate quæ eſt in Chriſto*. Omnis Eccleſia virgo eſt. Diverſa ejus membra diverſis donis pollent, ſed omnes iſti una virgo. Pauca in corpore, omnia in mente ſervant virginitatem. *Quæ eſt virginitas mentis? Integra fides, ſolida ſpes, ſincera caritas*. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat Sponſo, a ſerpente corrumpi.

Paſtores, Concionatores, Doctores, Apoſtolum audite dicentem: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat Deus*. Et quiſquam no- *1. Cor. 3. 7.* ſtrum ſe aliquid eſſe exiſtimat? Si dixerimus quia aliquid ſumus, & non illi gloriam dederimus, adulteri ſumus: nos amari volumus, non Sponſum . . . *Amicus ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*. „ Qui vult gaudere de ſe, *S. Auguſt. Tract. 14. in Johann. n. 2.* „ triſtis erit: qui autem de Deo vult gaudere, ſemper „ gaudebit, quia Deus ſempiternus eſt. Vis habere gaudium „ ſempiternum? Inhære illi qui ſempiternus eſt. *Amicus* „ *ſponſi gaudet propter vocem ſponſi*, non propter vocem „ ſuam: & *ſtat*, & *audit eum*. Quid eſt ſtare? Per- „ manere in gratia ejus quam accepit. Et audit vocem „ ad quam gaudeat. Sic erat Johannes: noverat unde „ gaudebat, non ſibi arrogabat quod ipſe non erat: ſcie- „ bat illuminatum ſe, non illuminatorem. “

30. 31. *Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui de terra eſt, de terra loquitur*. Deus nec creſcit, nec minuitur. Si enim creſcit, perfectus non eſt: ſi minuitur, Deus non eſt. Quid igitur ſibi vult Johannes dicens: *Illum oportet creſcere, me autem minui*? Illum oportet exaltari, me autem *S. Auguſt. ibid. n. 4. 5.* humiliari. „ Antequam veniret Dominus Jeſus, homines „ gloriabantur de ſe: venit ille homo ut minueretur „ hominis gloria, & augeretur gloria Dei. Etenim venit „ ille ſine peccato, & invenit omnes cum peccato.

Si

„ Si sic venit ille ut dimitteret peccata, Deus largiatur, „ homo confiteatur. *Confessio hominis, humilitas hominis: „ miseratio Dei, altitudo Dei.* Si ergo venit ille dimittere homini peccata, agnoscat homo humilitatem suam, „ & Deus faciat misericordiam suam. *Illum oportet crescere, me autem minui*: hoc est, illum oportet dare, „ me autem accipere: illum glorificari, me autem confiteri. Intelligat homo gradum suum, & confiteatur „ Deo, & audiat Apostolum dicentem homini superbienti „ & elato: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem „ accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Intelligat ergo homo quia accepit, qui volebat suum dicere „ quod non est ejus; & minuatur: bonum est enim illi „ ut Deus in illo glorificetur, *ipse in se minuatur, ut „ in Deo augeatur. . . Crescat ergo in nobis gloria Dei, „ & minuatur gloria nostra, ut in Deo crescat & nostra.* „ Hoc est quod ait Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino „ glorietur.* In te vis gloriari? Crescere vis, sed malo „ tuo male crescis. *Qui enim male crescit, juste minuitur.* Crescat ergo Deus, qui semper perfectus est, „ crescat in te. Quanto enim magis intelligis Deum, „ & quanto magis capis, videtur in te crescere Deus: „ in se autem non crescit, sed semper perfectus est. Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multo amplius, lumen ipsum Dei crescit „ in te; ita velut Deus crescit, qui semper perfectus „ manet. Quemadmodum si curarentur alicujus oculi ex „ pristina cæcitate, & inciperet videre paululum lucis, „ & alia die plus videret, & tertia die amplius, videretur illi lux crescere: lux tamen perfecta est, sive „ ipse videat, sive non videat. Sic est & interior homo: proficit quidem in Deo, & ut Deus videtur in „ illo crescere: ipse tamen minuitur, ut a gloria sua „ decidat, & in gloriam Dei surgat. "

36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Per fidem Christus habitat in cordibus nostris. Vivit anima nostra, si Christum in se habeat inhabitantem tamquam in templo suo. Quid est in Christum credere? Non solum verbis ejus, & veritatibus ab eo revelatis fidem adhibere, sed in illo fiduciam omnem nostram collocare, ceu in unico salutis Mediatore per merita sanguinis sui, & virtutem gratiæ suæ. Hæc fides germen est vitæ æternæ. Sed ne sibi blandiantur, qui Christum Jesum Deum esse credunt, quasi hoc illis ad salutem sufficiat. *Non* enim, inquit, *omnis qui dicit mihi:* *Matth.* 12. *Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Cum ergo ait: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: meram & speculativam cognitionem, fidemque sterilem satis esse ad salutem non significat, sed fidem vivam, fidem caritate formatam, & bonis operibus ornatam. Vitæ & morum puritate fides obsignanda. Sicut ex pulsu vitam corporis cognoscimus, ita vitam fidei bonis operibus comprobamus. *Qui credit in Filium*, & diligit in quem credit, *habet* *S. Johann. Chrysost. Hom. 30. in Johann.* *vitam æternam*, nunc in spe, postea in re, si in fide & caritate perseveraverit. *Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*; hoc est, numquam ab eo discedet. *Non est* enim *in alio aliquo salus.* Et ne temporalem fore mortem putares, dixit: *Non videbit vitam*, ut ejus perpetuitatem demonstraret: *Sed ira Dei manet super eum.* „ In hac ira cum essent *S. August. Enchirid. c.* 33. „ homines per originale peccatum, tanto gravius & pernicioſius, quanto majora vel plura insuper addiderunt, „ necessarius erat Mediator, hoc est reconciliator, qui „ hanc iram sacrificii singularis, cujus erant umbræ omnia „ sacrificia Legis & Prophetarum, oblatione placaret. " *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per* em. 5. 10. *mortem Filii ejus: multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.*

C A P U T IV.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. UT *ergo cognovit Jesus* experientia, quod scientia infusa ex primo suæ conceptionis instanti prænoverat, & ab æterno sciebat ut Deus, *quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit & baptizat, quam Johannes* jam in vincula conjectus unquam fecerat & baptizaverat, (*quamquam Jesus non baptizaret* per se, *sed Discipuli ejus*, nomine illius & auctoritate, ut ministri baptismi ipsius, non Johannis, Christo gravioribus rebus occupato, scilicet doctrina, prædicatione, & miraculis) *reliquit Judæam*, ut Pharisæorum invidiæ ad tempus cederet; *& abiit iterum in Galilæam*, alterius Principatus regionem, ubi Pharisæi & numero pauciores, & minoris erant auctoritatis. Prima vice profectus fuerat in Galilæam post baptismum, ibique nuptiis interfuerat, & primum suorum miraculorum ediderat, nondum tradito Johanne: altera hac vice illuc profectus est, Johanne jam in carcerem conjecto, ut compertum est ex istius loci collatione *Matthæi* 4. 12. & *Marci* 1. 14. & ex S. *Natal. Alex. In Evang.*

S. August. Lib. 2. De Consensu Evang. c. 18. *P. Lamy, Harm. lib. 3. c.* 10.

Augustino, quem sibi anteponi non ægre ferret vir ille eruditus, qui duplicem Johannis carcerem absque fundamento commentus est. *Oportebat autem eum*, nempe Jesum, *transire per Samariam*, ut in Galilæam itinere breviori perveniret. Samaria enim Judæam inter & Galilæam media est.

5. *Venit ergo in civitate Samariæ, quæ dicitur Sichar*, sive Sichem, *juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo*, moriens, ut habetur Genes. 48. 22. *Dotibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Urbem porro *Sichem* Judæi per ludibrium *Sichar* appellabant, *Urbem ebriosorum*, quod malo schismate quasi inebriati & mente moti essent. Unde Ephraimitæ sive Samaritani ab Isaia *Isai.* 28. 1. *Ebriosi Ephraim* nuncupantur.

6. *Erat autem ibi*, nempe in illo prædio, *fons Jacob*, sive puteus, quem a Jacob Patriarcha effossum, vel quo usum cum familia sua Jacob fama ferebat. *Jesus ergo* *S. Johann. Chrysost. Hom. 30. in Johann.* *fatigatus ex itinere*, quod pedes confecerat, *sedebat sic supra fontem*, id est, juxta non in sella, aut commodo loco, sed humi, more & habitu hominis lassi. *Hora erat quasi sexta.* Causam lassitudinis & sitis exponit Evangelista, quia multum itineris fecerat Jesus, & jam erat meridies.

7. 8. *Venit mulier de Samaria haurire aquam*, cum hydria, ut moris erat. *Dicit ei Jesus: Da mihi bibere*, ex hydria jam impleta: (*Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent*) petiit aquam a muliere, absentibus Discipulis, qui id officii illi præstitissent. Gratis asserit novus Auctor, Judæos non solitos ea quibus indigerent pretio comparare a Samaritanis. Liber enim *Pirke avot*, ex quo id eruit, Christo longe recentior est. Et quamvis id Hebraicæ Traditiones habuissent, excepta fuisset necessitas iter agentium per Samariam regionem. Has denique traditiones Dominus & ejus Discipuli observare non tenebantur.

9. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Judæum esse noverat ex habitu & sermone. *Judic.* 12. 6. Dialectus enim Ephraimitas ab aliis Israelitis distinguebat, ut & Galilæos a Judæis, quanto magis Samaritanum a Judæo? Mulier porro mirata est quod Judæus ab ea potum posceret. *Non enim*, inquit, *contuntur Judæi Sa-* *Matth.* 26. *maritanis*: Id est, amice, & familiariter. Quod Legis- 73. *Act.* 11. peritorum traditio sic interpretabatur, ut emere quidem 3. *S. Cyrill.* necessaria liceret, ac civiliter conversari, ut cum Gen- *lib* 2. *in* tibus; non autem cum illis manducare aut bibere, ve- *Johann.* riti ne polluerentur. Odium ex Religione præsertim na- *p.* 179. tum, Schisma fecerat in Judaismo; Gentiles ritus cum Mosaicis miscuerant, Templum extruxerant in Monte Garizim, ubi per proprios Sacerdotes non Levitici generis offerebant sacrificia; novam ædificationem Urbis & Templi Hierosolymitani suis contra Judæos calumniis apud Regem Persarum tardaverant. Hinc odium acerbissimum utriusque gentis: hinc gravissimum apud Judæos convitium Samaritani nomen, quod Christo Jesu tribuerunt: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* 1. *Esdræ cap.* 4. *Joseph. lib.* 11. *Antiq. c.* 4. *Johann.* 8. 48.

10. *Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei*, si nosses Messiam hominibus a Deo promissum ac datum, *& quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere*, Filius scilicet *Johann.* 3. Dei, Salvator mundi: *tu forsitan petisses ab eo* prior: *&* 16. *dedisset tibi aquam vivam*, aquam perennem & perpetuo scaturientem, aquam salientem in vitam æternam, aquam quæ divinæ gratiæ per Spiritum sanctum in credentes effundendæ typus est. Johannis 7. 38. *Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Confer cum Isaiæ 12. 3. *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

11. 12. *Dicit ei mulier*, putans eum loqui de aqua elementari & communi: *Domine, neque in quo haurias habes*; situlam qua haurias non habes, *& puteus altus est*, seu profundus: *unde ergo habes aquam vivam?* Quomodo ergo ex illo mihi suppeditare posses aquam perenniter scaturientem? An vero aliunde uberiores & salubriores aquas educere potes, aut scatebram sub terra latentem invenire? *Numquid tu major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum*, posteris suis utendum reliquit, tamquam quo nullus sit his in locis melior; *& ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?*

13. 14. *Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis qui bibit* Non esu- *ex aqua hac, sitiet iterum*: sitim enim non sedat nisi ad rient, ne- breve tempus: *qui autem biberit ex aqua* illa viva *quam* que sitient. *ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Nullis necessitatibus *Isai.* 49. 10. unquam subjacebit: *sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Non extrinsecus illi quærenda erit, sed in illo erit per inhabitantem Spiritum sanctum: fiet, inquam, illi fons aquæ ad Deum usque & vitam æternam salientis. Emphasis est in voce *salientis*: aquæ enim ad altitudinem usque scaturiginis suæ saliunt. Principium autem gratiæ Deus est, qui est vita æterna: in vitam igitur æternam salit, ac homines in quibus manet, ad Dei fruitionem perducit.

S. Auguſt. Tract. 115. in Johan. n. 15.

15. *Dicit ad eum mulier* : *Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire*. Suſpirabat illa nolens indigere, nolens laborare. Aſſidue venire ad illum fontem, onerari pondere quo indigentia ſuppleretur; & finito quod hauſerat, rurſus redire cogebatur; & quotidianus ei fuit iſte labor; quia indigentia illa reficiebatur, non extinguebatur. Delectata ergo tali munere, rogat ut ei aquam vivam daret.

S. Cyrill. lib. 2. in Johann. p. 183.

16. 17. 18. *Dicit ei Jeſus* : *Vade, voca virum tuum*, ut eo conſcio tantum a me beneficium accipias, & cum illo communices, & *veni huc* una cum illo : vir enim caput eſt mulieris, ſine quo non decet illam beneficium a quopiam accipere. *Reſpondit mulier*, & *dixit* : *Non habeo virum*. Chriſtum æquivocatione decipere voluit, ut beneficium confeſtim acciperet. *Dicit ei Jeſus*, *Bene dixiſti, quia non habes virum* : *quinque enim viros habuiſti*, & *nunc quem habes*, cui adhæres, *non eſt vir tuus* legitimus : *hoc vere dixiſti*. Sic eam Chriſtus & ad vitæ impudicæ confeſſionem atque pœnitentiam ſenſim diſponit, & ad intelligendum quis & quantus eſſet qui cum ea colloqui dignabatur. Hæc enim una ratio propemodum erat illius juvandæ, ſi non jam eum ut merum hominem, ſed ut homine ſuperiorem admiraretur, puta cui inaudito modo ſua arcana paterent. Utiliter autem reſponſum ejus probat quo dixit virum ſe non habere, tametſi a tam multis fuerat corrupta. Non enim qui ex voluptate fit coitus, ſed qui ſecundum Legem eſt conſenſus, & quæ ex caſto amore conjunctio exiſtit, inculpatas nuptias efficiunt.

Gen. 12. 7. Gen. 33. 20. Deuter. 11. 26. 27. 28. Joſeph. lib. 11. Antiq. c. ult. & Lib. 13. c. 17.

19. 20. *Dicit ei mulier* : *Domine, video quia Propheta es tu*, qui res abditas cognoſcis. Tum ſermonem alio flectens, Dominum interrogat de quæſtione cultum divinum ſpectante, ac Samaritanos inter & Judæos controverſa. *Patres noſtri* Abraham & Jacob *in monte hoc* Garizim *adoraverunt* : & *vos* Judæi *dicitis quia Jeroſolymis eſt locus*, ſeu Templum *ubi adorare oportet*, ex Dei mandato, oblatis victimis, aliiſque ritibus publicis, ita ut extra hunc locum ſacrificia Deo non liceat offerre. Altare non procul a Schiſmis ſtruxerat Abraham paulo ante oblationem Iſaaci, deinde Jacob, & in monte Garizim pronuntiatæ erant benedictiones. Ibi Templum extruxerat Sanabelletes Alexandri Magni temporibus, & quamvis illud poſtea diruiſſet Hircanus, ſacra tamen ibidem eodem more fieri non deſierant. Deus vero juſſerat lata Lege, ut in certo loco, quem erat deſignaturus, ſibi ſacrificia offerrentur. Deuteron. 12. 13. & 14. *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris* : *ſed in eo quem elegerit Dominus*, *in una Tribuum tuarum offeres hoſtias*, & *facies quæcumque præcipio tibi*. Et verſ. 26. *Quæ autem ſanctificaveris* & *voveris Domino*, *tolles*, & *venies ad locum quem elegerit Dominus* : & *offeres oblationes tuas carnem* & *ſanguinem ſuper Altare Domini Dei tui*.

S. Cyrill. lib. 2. in Johan. c. 5.

21. *Dicit ei Jeſus* : *Mulier*, *crede mihi*, *quia venit hora*, proximum tempus eſt, *quando neque in monte hoc*, *neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem*. His nimirum locis vaſtatis, & Dei cultu non jam ad hunc aut illum locum reſtricto, ſed in omnem locum diffuſo : cum in omni loco nomini ejus offeretur oblatio munda. Non ait, *adorabimus*, ſed *adorabitis Patrem*, ut ſe ex adorantium numero eximat quatenus Verbum eſt ac Deus, qua ratione cum Patre potius adoratur.

Iſai. 2. 50.

22. *Vos adoratis quod neſcitis*, verum Deum unius tantum regionis Dominum aut certo loco definitum exiſtimantes; neque ex Legis ejus præſcripto, ſed ritibus ab hominibus adinventis adorantes : *Nos* Judæi *adoramus quod ſcimus* : Deus ſcimus quis ſit, ubi, & quo ritu colendus, hanc adepti cognitionem ex Moyſe & Prophetis. Nec mirum videri debet quod majorem ſui cognitionem Judæis quam Samaritanis aut aliis Gentibus dederit Deus, *Quia ſalus ex Judæis eſt*, Chriſtus Salvator ex Judæis oriundus eſt, quibus præſertim a Deo promiſſus fuit : *De Sion exibit Lex*, & *verbum Domini de Jeruſalem*. Se Judæis accenſet Chriſtus Jeſus, immo & adoratoribus, ſecundum formam ſervi ; in qua Patrem oravit & adoravit.

Hebr. 7. 16. Coloſſ. 2. 17.

23. *Sed venit hora*, & *nunc eſt*, jamjam tempus adeſt, *quando veri adoratores*, ſoli eo digni nomine, *adorabunt Patrem in ſpiritu* & *veritate*, non externis tantum ritibus, typicitque ſacrificiis ; ſed ſacrificio veteris Legis ceremonias implente, & adoratione præſertim cultuque ſpirituali. Veri adoratores adorabunt Patrem omnium Deum, non cultu ſuperſtitioſo, ſeu mendacio & erroribus immixto, ut vos Samaritani adoratis ; non cultu typico, ut Judæi : ſed cultu vero, ac ſpirituali. *Spiritus* ergo opponitur ſacrificiis & ceremoniis legalibus Judæorum, quas ad *Legem mandati carnalis pertinere*, cujus *reprobatio* facta eſt *propter ejus infirmitatem* & *inutilitatem*, & *umbras* eſſe *futurorum*, *corpus autem Chriſti*, S. Paulus docet. *Veritas* autem opponitur falſis dogmatibus & erroribus Samaritanorum. *Nam* & *Pater* omnium Deus *tales quærit qui adorent eum* : id eſt, tales poſtulat & amat adoratores.

24. *Spiritus eſt Deus*, & *eos qui adorant eum*, *in ſpiritu* & *veritate oportet adorare*. Deus eſt Spiritus puriſſimus, ab omni concretione corporis & materiæ ſegregatus ; ideoque ut ejus adoratio congrua ſit objecto ſuo, oportet ut a ſuis cultoribus ſpiritali cultu, mente pura, integra, incorrupta adoretur. Cultum typicum in Veteri Teſtamento Deus inſtituit, ut Chriſtum in Tabernaculo, Templo, Altari, Sacrificiis, victimis, Sacerdotibus, ac ceremoniis ut in typis cernerent, iiſque erudirentur *uſque ad tempus correctionis*, id eſt, novæ Legis, & ad cultum ſpiritualem perducerentur. Sed nova Lege per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum promulgari cœpta, cultus ſpiritualis & interior inſtaurabatur ab ipſo, ut homines gratia ejus adjuti, Deum in ſpiritu & veritate toto terrarum orbe adorarent. Juſti vero qui tempore veteris Legis Deum in ſpiritu & veritate jam colebant & adorabant, ſub Lege non orant poſiti, ſed ſub Gratia, & novi Teſtamenti per Chriſtum mediatorem, cujus fide juſtificabantur, hæredes. *Hebr.* 8. 10.

Geneſ. 49. Deuter. 18.

25. 26. *Dicit ei mulier* : *Scio quia Meſſias venit* : (*qui dicitur Chriſtus*) *cum ergo venerit ille*, *nobis annuntiabit omnia*. Verba per parentheſim poſita non ſunt mulieris, ſed Evangeliſtæ, ſignificationem nominis Meſſiæ explicantis. Meſſiam venturum tum Judæi, tum Samaritani noverant. Et hi namque Libros Moyſis recipiebant, in quibus Meſſiæ promiſſio & prædictio legitur. Adventus ejus tempus inſtare ex communi fama mulier audiverat. Hunc omnia ad ſalutem neceſſaria, & cultum Dei ſpectantia patefacturum credebat. *Dicit ei Jeſus*. *Ego ſum*, *qui loquor tecum*. Ego ſum Meſſias a Deo promiſſus, qui veni in mundum ut revelem omnia ad Deum rite colendum neceſſaria. Judæis frequenter rogantibus, *Quouſque animam noſtram tollis ? Dic nobis ſi tu es Chriſtus* : non palam, ut huic mulieri, ſe Chriſtum eſſe profeſſus eſt : fidelior enim hæc erat illis, qui non diſcendi, ſed arguendi gratia rogabant : nam ſi diſcere voluiſſent, verborum, ſcripturarumque & miraculorum ſufficiens eis fuiſſet doctrina. Samaritana integra & ſimplici mente petiit. Audivit enim, credidit, & alios ad credendum traxit. *S. Johan. Chryſoſt. Hom.* 33. *in Johann.*

27. *Et continuo venerunt Diſcipuli ejus* : & *mirabantur quia cum muliere loquebatur*, ſola, extranea, ignota, Samaritana, præter morem ſuum : nec conjicere poterant Samaritidem cœleſtium rerum diſcendarum, de quibus dumtaxat loqui ſolebat Jeſus, ſtudioſam atque avidam eſſe. *Nemo tamen dixit* : *Quid quæris*, *aut quid loqueris cum ea* ? Reverentia enim eorum erga Dominum ac Magiſtrum vetabat eſſe curioſos.

S. Chryſt. Hom. 33. S. Cyrill. lib. 2. in Johann. p. 194. S. Auguſt. Tract. 5. in Johan.

28. 29. 30. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier*, ut expeditius ac celerius curreret ad ſuos, nuntiatura quod ſibi felix fauſtumque contigerat : & *abiit in civitatem*, & *dicit illis hominibus* concivibus ſuis : *Venite* & *videte hominem*, *qui dixit mihi omnia quæcumque feci* : omnis vitæ meæ ſeriem, quam ſcire humanitus non potuit. *Numquid ipſe eſt Chriſtus* ? Non affirmat Chriſtum eſſe, quamvis crederet, quod ejus prudentiæ tribuunt SS. Patres. Noluit hujus ſe opinionis auctorem oſtendere, ut ſuo ipſi auditu ad fidem adducerentur, qui mulieris imperitæ & infamis de re tanta aſſertionem parvipendiſſent. Intelligebat proculdubio, ipſos modo Jeſum audirent, eadem de eo, quæ & ipſa, ſenſuros. Quod ſi quis obtuſioris eſſet ingenii, ut cognoſcere non poſſet quis & quantus eſſet, vitam ſuam a Chriſto patefactam illis indicat, ut hac ratione ipſos alliciat ad illum adeundum. *Exierunt ergo de civitate*, & *veniebant ad eum*.

31. 32. 33. 34. *Interea rogabant eum Diſcipuli*, *dicentes* : *Rabbi*, *manduca* ex cibis quos attulimus. Fatigatum enim ex itinere, & cibo ad reficiendas vires indigere noverant. *Ille autem dicit eis* : *Ego cibum habeo manducare*, *quem vos neſcitis* ; cibum alterius generis, quo ſpiritalis eſuries, ſeu animi deſiderium mei de converſione & ſalute hominum expleatur. Solent enim Hebræi cibum id appellare, quo deſiderium expletur, ut Pſal. 18. *Teſtimonia tua deſiderabilia ſuper aurum* & *lapidem pretioſum multum*, & *dulciora ſuper mel* & *favum*.

Dicebant ergo Diſcipuli ad invicem : *Numquid aliquis attulit ei manducare* ? Num aliquis nobis abſentibus & inſciis illi cibum miniſtravit ? *Dicit ei Jeſus* : *Meus cibus eſt*, *ut faciam voluntatem ejus*, *qui miſit me*, Patris mei, *ut perficiam opus ejus*, mihi commiſſum, ſcilicet hominum ſalutem, tum prædicatione, cui jam inſiſto ; tum paſſione, qua conſummabitur.

35. 36. 37. 38. *Nonne vos dicitis* vulgari proverbio, *quod adhuc quatuor menſes ſunt*, & *meſſis venit* ? quadrimeſtre ſpatium ante meſſem ſupereſt. *Ecce dico vobis* : *Levate oculos veſtros*, non corporis tantum ſed animi ; non ad corporeas dumtaxat ſegetes, ſed ad ſpirituales ; ad urbem proximam Samaritanorum, ad urbes & vicos non Judæorum tantum ſed omnium gentium : & *videte regiones*, *quia albæ ſunt jam ad meſſem* ſpiritualem. Deo præparante, prævenient, adjuvante, jam parati ſunt homines ad Evangelium meum ſuſcipiendum. Nunc ergo in eorum converſione & inſtructione laborandum eſt, ſicut demeti ſolent ſegetes cum flaveſcunt. *Et qui metit*, *mercedem accipit a* Domino meſſis : Prædicationi ergo & doctrinæ tamquam boni agricolæ inſiſtite ; poſt meſſem enim mercedem acci-

accipietis: & vobis, illisque quos ad Deum converteritis, æternam felicitatem procurabitis: & *congregat fructum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Satores sunt Patriarchæ, Prophetæ, Johannes Baptista, qui semina Evangelii jecerunt, Christus ipse, qui seminavit bonum semen in agro suo & per subministrationem Spiritus dat incrementum: Messores Apostoli, & apostolici viri. Simul autem gaudebunt in vita æterna satores & messores spiritualis segetis. *In hoc enim est verbum verum*, verissimum est vulgatum illud Proverbium: *Quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis*, in agro scilicet Judaico: *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Subactum est arvum a Prophetis, qui non tantum in Judæa, sed & per dispersiones varias apud Gentes, voce ac scriptis homines ad unius Dei cultum & ad morum emendationem excitarunt, quod semen est Evangelicæ frugis: Vos autem in arvum ab illis laboratum introistis, ab illis inchoata perfecturi.

39. 40. 41. 42. *Ex civitate autem illa* Sichimorum *multi crediderunt in eum Samaritanorum; propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Crediderunt ob sermonem mulieris testantis facta sua sibi ab Jesu fuisse indicata. Nosse enim arcana, divinum aliquid esse recte judicabant, illumque verum Deum esse qui illa cognoscens, asserebat se Christum esse a Deo promissum. Id enim civibus suis reticuisse Samaritidem non est verisimile. *Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret*, sive ut apud se diverteret: & *mansit ibi*, id est, in eorum civitate, *duos dies*, quibus illos docuit. *Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus*, scilicet ipsius Jesu. *Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam*; non solum, nec præcipue propter sermonem tuum *credimus* hunc esse Messiam, *Ipsi enim audivimus* ex ore ejus, & *scimus*, firmiter nobis persuasum est *quia hic est vere Salvator mundi*, non Israelis tantum, sed omnium gentium. His verbis confitentur omnes homines sub peccato positos esse, adeoque Redemptore & Mediatore indigere, ut postea scripsit Apostolus: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.* Cum enim dicerent Salvatorem esse mundi, intellexerunt, perditi; & veræ salutis, non brevi sed perpetuo duraturæ auctorem. In hoc porro magis admirabiles, quod sine miraculis crediderint. Quæ vero & quanta locutus sit Christus Samaritanis, Evangelista non commemorat, fructus sermonum ejus in illa civitate demonstrat.

S. Jo. Chrys. Hom. 34. in Jo. Rom. 3.

Origen. in hunc locum. S. Cyrill. Alexand.

43. 44. 45. *Post duos autem dies exiit inde*, nempe ex regione Samaritanorum, & *abiit in Galilæam*, quo iter susceperat relicta Judæa, ut initio Capitis dictum est: *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit*, sive ante, sive post, *quia Propheta in sua patria honorem non habet.* Confer cum *Matth.* 13. 57. *Marc.* 6. 4. & *Luc.* 4. 24. Patriam suam vocat Judæam, in qua Bethleem, ubi natus erat: vel Nazareth, ubi educatus: Galilææ autem nomine reliquum hujus Provinciæ extra Nazareth territorium. *Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi*, summo cum gaudio, *cum omnia vidissent* admirabilia *opera, quæ fecerat Jerosolymis in die festo*, Paschatis proxime præterito: & *ipsi enim venerant ad diem festum*, Legi & consuetudini morem gerentes.

46. 47. *Venit ergo iterum* JESUS *in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus*, seu Minister Regis, nempe Herodis Antipæ, Tetrarchæ Galilææ, quem Galilæi honoris causa Regem appellabant: *cujus* Reguli seu Regii Ministri *filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori*, id est, proximus erat morti.

48. 49. 50. *Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis* vos Capharnaitæ, *non creditis* me Christum esse: cum tamen Samaritani sine miraculis crediderint. *Dicit ad eum Regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.* Mortuum enim ab eo suscitari posse nondum credebat, immo ne quidem ab absente curari. *Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit.* Bono animo esto, filius tuus jam recte valet. *Credidit homo sermoni, quem dixit Jesus, & ibat.*

51. 52. 53. *Jam autem eo descendente*, seu redeunte domum, *servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, Quia filius ejus viveret*, optimeque valeret. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit: & dixerunt ei: Quia heri hora septima* (Quæ primæ post meridiem apud nos respondet) *reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit*; & *credidit ipse*, ex ejus scientia & potentia Christum Deum esse agnoscens, & *domus ejus tota.*

54. *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam* . . . Hoc secundum miraculum edidit Jesus, cum in Galilæam secundo venisset.

SENSUS MORALIS.

1. 3. *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Johannes, reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.* Prudentiæ & caritatis est, invidiæ & peccati occasionem non modo infirmis, sed improbis etiam subtrahere, quantum fieri potest. Cedendum aliquando, alias resistendum hostibus veritatis: resistendum, cum veritatem impugnant; cedendum aliquando, & fugiendum, cum prædicatores & defensores veritatis persequuntur: fugiendum, inquam, ut tutius veritas defendatur. Dei voluntas & gloria, Ecclesiæ utilitas, Animarum salus, fides in ministerio, regulæ sint fugæ vel resistentiæ. Abiit Jesus in Galilæam relicta Judæa, ut Pharisæorum invidiam, & insidias ad tempus declinaret. Poterat ille quidem & præsens ab his non teneri, si nollet; non occidi si nollet: sed quia in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se crediturus præbebat exemplum; (quia unusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem forte persequentium se, aut quærentium in malum animam suam; videretur autem sibi servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset:) *Fecit hoc ille Magister bonus ut doceret, non quod timeret.*

S. Aug. Tract. 15. in Jo. num. 2.

6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Fatigatur Deus pro creaturæ suæ salute; fatigatur ut nobis procuret æternam quietem; fatigatur in itinere ut nos quærat errantes & perditos. *Tibi fatigatus est ab itinere Jesus.* Adoremus fortem & infirmum Jesum: fortem, quia *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt*, & sine labore facta sunt. Infirmum, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* FORTITUDO *Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit. Fortitudo Christi fecit ut quod non erat esset: infirmitas Christi fecit ut quod erat non periret: Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua.* Fatigatus est ex itinere Jesus. Iter ipsius est caro pro nobis assumpta. Ideo fatigatus ab itinere, quid est aliud quam fatigatus in carne? Dei pro nobis incarnati & fatigati vestigia sequamur: vitæ istius mortalis, statusque nostri labores & lassitudines pro ejus amore & gloria perferamus. Non sit otiosa quies nostra, non voluptati serviens, sed indulgens necessitati; ad Dei gloriam, & ad finem salutis nostræ referatur, ut curato corpore, viribusque refectis, Deo serviamus alacrius, & in ejus opere, nostrique status officiis ferventius laboremus. Hæc enim vita laboris est, non quietis.

S. Aug. in Jo. Tract. 55. n. 6. & 7

7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.* Mulieris Samaritidis adventum ad fontem prænoverat ac decreverat. Ubi vero adfuit, eam statim doctrinæ suæ retibus expansis ab æterno implicare sibi proposuit cœlestis animarum venator. Mulier illa typus erat Ecclesiæ, non justificatæ, sed justificandæ. Ventura enim erat Ecclesia de Gentibus, alienigena a genere Judæorum. Audiamus ergo in illa nos, & in illa agnoscamus nos, & in illa gratias agamus pro nobis. *Dicit ei Jesus: Mulier da mihi bibere.* Qui bibere quærebat, fidem ipsius mulieris sitiebat.

S. Aug. Tract. 15. in Jo. n. 10.

10. *Respondit Jesus, & dixit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi; Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Donum Dei est Spiritus sanctus. Hujus doni se ipsum largitorem insinuat. Cui enim convenit ea largiri quæ Dei sunt? Nonne ei qui secundum naturam Deus est? Aquam autem vivam appellat vivificum illud Spiritus donum, per quod solum humana natura, quamvis perindeac montani stipites prorsus arefacta & omnis fructus expers diaboli fraude reddita, ad veterem naturæ pulchritudinem revocatur, & vivificam gratiam ebibens, variis bonorum generibus redimitur, & ad virtutis studium repullulans, uberrimos dilectionis divinæ ramos edit. Hinc Deus per Prophetam ait: *Glorificavit me bestia agri, dracones, & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo, Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

S. Cyrill. Alex. Lib. 2 in Jo. p. 180

Si scires donum Dei. Donum Dei gratia est: non datur ex meritis, quia ex ipsa est omne meritum. Si gratia Dei ex meritis esset, jam gratia non esset. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Gratiam nequidem desiderare, aut petere possumus; immo nec ejus necessitatem, & indigentiam nostram cognoscere sine gratia tenebras nostras illuminante, sine Spiritu Dei infirmitatem nostram adjuvante. „ Non enim sufficientes sumus „ cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis suf„ ficientia nostra ex Deo est. Et quid oremus, sicut „ oportet, nescimus: sed Spiritus adjuvat infirmitatem no„ stram. “ Christum Jesum, & Gratiæ ipsius necessitatem cognoscere, primus est ad conversionem gradus. *Mulier, si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.*

Rom. 11. 35

11. 12 13. „ Dicit ei mulier: Domine, neque in quo „ haurias habes, & puteus altus est . . . . Numquid tu „ major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, „ & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus? Respondit ei Jesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua „ hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam „ ego dabo ei, non sitiet in æternum. " Et verum est secundum hanc aquam, & verum est secundum quod significabat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa: hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum. *Cupiditatem* quippe *proni submittunt, ut ad voluptatem haustam de profundo perveniant, & fruuntur voluptate, præcedente & præmissa cupiditate. Nam qui non præmiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem.* Pone ergo hydriam, cupiditatem, & aquam de profundo, voluptatem: cum pervenerit quisque ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, concubitus est; numquid non iterum sitiet? Ergo *de hac aqua qui biberit, sitiet iterum: Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum . . . Satiabimur* (inquit Rex Propheta) *in bonis domus tuæ*. De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa de qua dictum est, *Apud te est fons vitæ*? Nam quomodo sitient, qui *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ?*

S. August. Tract. 15. in Jo. n. 16.

Ps. 64. 5.

Ps. 35. 10.

14. *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sicut enim si quis fontem in se ipso intus haberet, non sitiret umquam, ita qui hanc aquam habuerit, Spiritum sanctum scilicet in anima sua inhabitantem, fontem omnium bonorum cœlestium, nullam sitim bonorum terrenorum patietur, caritate cor ejus implente. Id quidem perfecte non fit in hac mortali vita, in qua perpetua pene pugna est cupiditatem inter & caritatem. Sed caritas Sanctos penitus implebit in æterna vita, omni cupiditate omnino exclusa & absumpta, cum mortale hoc induerit incorruptionem. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Omne* scilicet *datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum*; & humili gratiarum actione electorum in quos descendit, ad originem suam jugiter ascendit, illoque tandem Deo perfecte conjungit, & ad vitam æternam evehit.

Jac. 1. 17.

15. *Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ad laborem indigentia cogebat, & laborem infirmitas recusabat. Nondum audiebat dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Initium gratiæ, desiderium gratiæ est. Hæc prima gratiæ interioris operatio, ut desideretur, & desiderata per orationem postuletur. Domine, da nobis hanc aquam, Spiritum sanctum tuum, gratiam tuam, ut non sitiamus, nisi Te fontem aquæ vivæ. Fac ut gratia tua sit in nobis perennis instar fontis, non raptim transiens ut torrens, ut nec hyeme tribulationis, nec æstate prosperitatis deficiat. *Æstas probat fontem vel torrentem*: tentatio, an gratia sit fons in nobis, vel torrens, qui pravarum cupiditatum æstu siccetur. Cupiditas & iniquitas laborem semper adjunctum habet, comitem semper difficultatem, qua infelix anima fatigatur in cœnosa voluptatis via. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Puteus altus est. Ex hac aqua bibunt homines & pecora. Gratia vero & caritas ineffabilem suavitatem & facilitatem in bono secum affert, cum facit plus delectare quod Deus præcipit, quam delectat quod impedit. *Etenim Dominus dabit benignitatem*, sive (ut S. Augustinus legit) *suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quæ verba sic explicat S. Augustinus: „ Cum ergo cœperis odisse peccata, & confiteri „ Deo, cum te delectationes illicitæ rapiunt & ducunt „ ad ea quæ tibi non prosunt, ingemisce ad Deum: & „ confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem, & suavitatem justitiæ faciendæ dabit tibi, ut „ incipiat te delectare justitia, quem primo delectabat „ iniquitas: ut qui primo gaudebas in ebrietate, gaudeas „ in sobrietate; & qui primo gaudebas de furtis, ut tolleres homini quod non habebas, quæras donare non „ habenti quod habebas: & quem delectabat rapere, delectet donare; quem delectabat spectare, delectet orare; quem delectabant cantica nugatoria & adulterina, „ delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam, „ qui primo currebas ad theatrum. Unde nata est ista „ suavitas, nisi quia Dominus dabit suavitatem, & terra „ nostra dabit fructum suum? "

Sap. 5. 7.

Psal. 84. 13. S. Aug. in hunc Ps. n. 11.

16. 17. *Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixisti . . . Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir; hoc vere dixisti.* Altera gratiæ operatio in homine, est agnitio, horror, & confessio peccati. *Non habeo virum . . . Domine, ut video Propheta es tu.* „ Quinque viros priores „ animæ, quinque sensus corporis mystice S. Augustinus „ exponit. Quando enim quisque nascitur, antequam possit uti mente atque ratione, non regitur nisi sensibus „ carnis. Anima in puero parvulo quod auditur, quod „ videtur, quod olet, quod sapit, quod tactu sentitur, „ hoc appetit aut fugit. Appetit quicquid mulcet, fugit „ quicquid offendit hos quinque sensus. Hos enim quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor. Secundum „ hos quinque sensus tamquam quinque viros, prius vivit „ anima, quia istis regitur. Quare autem viri dicti sunt? „ Quia legitimi. A Deo quippe facti, & a Deo donati „ animæ. Infirma est adhuc quæ istis quinque sensibus „ regitur, & sub istis quinque viris agit: at ubi venerit „ ad annos exserendæ rationis, si eam susceperit optima „ disciplina & doctrina sapientiæ; quinque illis viris ad „ regendum non succedit nisi vir verus, legitimus & illis melior, & qui melius regat, & qui ad æternitatem excolat, ad æternitatem instruat. Nam isti quinque sensus non ad æternitatem nos regunt, sed ad ista „ temporalia vel appetenda, vel fugienda. Ubi vero intellectus sapientia imbutus regere cœperit animam, „ scit jam non solum fugere foveam, & ambulare in „ æquali quod oculi ostendunt animæ infirmæ, nec tantum canoras voces suaviter audire, dissonasque repellere; vel blandis odoribus delectari, putoresque respuere; aut dulcedine capi & amaritudine offendi; aut „ lenibus mulceri, & asperis lædi. Ista enim omnia infirmæ animæ sunt necessaria. Quid ergo regiminis adhibetur per illum intellectum? Non alba & nigra discreturus est, sed justa & injusta, bona & mala, utilia & inutilia, castitatem & impudicitiam, hanc ut „ amet, illam ut vitet; caritatem & odium, in hac ut „ sit, in illo ut non sit. Hic vir quinque illis viris in „ illa muliere non succedebat. Ubi enim non succedit „ ille, error dominatur. Nam cum cœperit anima capax „ esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab „ errore: sed error non regit, sed perdit. Post istos ergo „ quinque sensus mulier adhuc errabat, & error eam „ ventilabat. Error autem iste non erat legitimus vir, sed „ adulter: ideo ei Dominus ait: *Bene dixisti, Quia non „ habeo virum. Quinque enim viros habuisti*: quinque te „ sensus carnis primo rexerunt: venisti ad ætatem utendæ rationis, nec ad sapientiam pervenisti; sed in errorem incidisti. Ergo post illos quinque viros *iste quem „ habes non est tuus vir*. Et quid erat, si vir non erat, „ nisi adulter? *Voca* itaque non adulterum, sed *virum „ tuum*: ut intellectu me capias, non errore de me aliquid falsum sentias. Adhuc enim errabat mulier, quę „ aquam illam cogitabat: cum jam Dominus de Spiritu „ sancto loqueretur. Quare errabat, nisi quia adulterum, „ non virum habebat? Tolle ergo hinc illum adulterum „ qui te corrumpit, & *Vade, voca virum tuum*. Voca, „ & veni ut intelligas me. *Dicit ei mulier, Domine, „ video quia Propheta es tu*. Cæpit venire vir, nondum „ plene venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem & Propheta, nam de se ipso ait: *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua*. Item de illo dictum est ad Moysen, *Prophetam suscitabo eis de medio „ fratrum suorum similem tui*. Similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis. Proinde „ jam non multum errat mulier ista. *Video*, inquit, *quia „ Propheta es tu*. Incipit vocare virum, adulterum excludere. "

S. Aug. Tract. 25. in Jo. n. 21. 22. 23. Vide & Lib. Q. 83. Quæst. 64.

Marci 6. 4. Deuter. 18. 18.

22. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* " Samaritanos „ & Judæos a veris excipit adoratoribus: & quamvis „ meliores Judæos, venturos tamen longe deteriores, „ quanto figura veritate inferior est, indicavit: Ecclesiam autem significat, quoniam verus & debitus Deo „ cultus in ipsa est. Qui igitur sunt veri adoratores? „ Qui nullo loco divinum cultum circumscribunt, qui „ Deum in spiritu colunt, sicut & Paulus; Cui servio, „ *inquit*, in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus . . . . „ Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, „ Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Per „ spiritum autem, incorporeum significat. Opus est enim „ incorporei cultum etiam talem esse, & per incorporeum quod est in nobis, hoc est, per animam & animæ munditiam offerri. *Spiritus est Deus, & eos qui „ adorant, in spiritu & veritate adorare oportet*. Nam „ cum & Judæi & Samaritani neglecta anima munditiæ „ corporis plurimum studerent, ideo non ablutione & „ ornatu corporis, sed mente dicit adorandum. Quamobrem non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium; sic viventem hostiam exhibebis. In „ veritate enim adorare oportet: nam quæ superiori tempore figura erant, holocausta, sacrificia, incensum, „ non sunt amplius, sed omnia veritas. Non enim caro, „ sed malæ circumcidendæ sunt cogitationes, & nos „ ipsos crucifigere, & irrationales auferre cupiditates „ oportet atque mactare . . . "

S. Jo. Chrys. Homil. 33.

Rom. 1. 9. Rom. 12. 1.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Non jam in monte, non Jerosolymis, sed in Ecclesia catholica, in qua una, non in ulla alia congregatione vel secta, veri sunt adoratores: in qua una est verum sacrificium tam externum & visibile, oblatio munda, victima salutaris, quæ in omni loco, toto orbe, ubicumque

que Christiana Catholica Religio diffusa est, vero Deo offertur, tum internum, cujus visibile sacrificium signum est; scilicet sacrificium contriti cordis & casti corporis, *in spiritu* caritatis, qui filiorum & verorum Christianorum spiritus est; *in veritate* & puritate fidei, nullis erroribus admixtæ, qui Catholicorum est caracter. Ergo *intus age totum*. Et si forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te Templum Deo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos ... In Templo vis orare, in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in Templo suo audiet orantem.*

1. Cor. 2. 17. S. Aug. Tract. 15. in Jo. num. 25.

25. 26. *Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit: Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum.* Ita se Christus simplicibus manifestat. Samaritidem intus in animo docet, eamque ad sui cognitionem sensim adducit, ei Mysteria revelans, quæ sapientibus & prudentibus abscondit. Illi annuntiat omnia. Quid enim illi sciendum superest, qui Deum verum, & Christum Jesum novit? *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Gratias illi perpetuas agamus, qui venit in mundum propter nos, ut nos doceret omnia ad salutem necessaria. Illum audiamus in Scripturis Sacris nobis loquentem, qui Samaritanæ mulieri loqui, & illam altissima Religionis Mysteria docere dignatus est. Evangelium non solum audiamus & legamus, sed in tabulis cordis carnalibus inscriptum geramus; ejus sententias, historiam, præcepta, verba, miracula, exempla Christi Jesu Domini nostri frequenter animo repetamus, ut mundetur ac sanctificetur. „ Nam si in quacumque domo Evangelium est, illuc diabolus ingredi non audet: quanto minus animam ei assidua lectione familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animum, sanctifica corpus: hoc continget, si Evangelium semper & in animo habueris, & in lingua. Quod si linguæ obscœnitas animam coinquinat, perspicuum est spiritali lectione eam sanctificari, & gratia Spiritus sancti affatim perfundi. Divini cantus sunt Scriptura; hinc nobis & animæ nostræ affectibus remedium petamus, cujus utilitatem si intueremur, incredibili ei attentione vacaremus. "

Jo. 17. 3.

S. Jo. Chrys. Hom. 33. in Joann.

27. *Et continuo venerunt Discipuli ejus: & mirabantur, quia cum muliere loquebatur, &c.* Mirabantur Christi facilitatem, & incredibilem humilitatem, quod pauperem & Samaritanam mulierem tam benigne alloqui non dedignaretur. Mirabantur quia quærebat perditam, qui venerat quærere quod perierat. Bonum mirabantur, non malum suspicabantur. Deus qui masculum & feminam condidit, utrique sexui fidei & gratiæ suæ dona gratis distribuit. *In Christo Jesu non est masculus, neque femina.* Hoc sibi exemplum proponant Ecclesiæ Pastores & Doctores, nec prodesse renuant mulieribus. Non enim voluntatem suam, sed prædicationis utilitatem sequi oportet. Major plerumque in feminis docilitas quam in viris, pietas major, uberiora Dei dona, qui infirma mundi eligit, ut nemo in conspectu ejus glorietur. Verumtamen a diaboli caveant insidiis Evangelici Ministri; cum mulieribus conversentur in omni castitate, nimiam familiaritatem vitent; nec frequentia sint, nec diuturna eorum cum mulieribus colloquia, nec profana sint, sed de rebus dumtaxat ad salutem spectantibus; nec clandestina; & neque nobilibus magis ac divitibus, vel ingenio aut forma præstantioribus, quam pauperibus ignobilibus, simplicibus, spiritalem sacri ministerii curam impendant *Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.*

S. Aug. Tract. 15. in Jo. num. 29.

28. 29. *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: Numquid ipse est Christus?* „ Victrix corporeæ curæ, (inquit S. Cyrillus) & quæ stultis voluptatibus sæpe succubuerat, carnis usum necessarium defraudat, cibumque & potum aspernata in alium statum per fidem reformatur. Statim vero caritatem virtutum optimam amplexa, quod sibi oblatum est bonum, citato in urbem cursu studiose ac ferventer annuntiat. Inclamabat enim ei intus ad aurem cordis Christus Jesus: *Gratis accepistis, gratis date.* Hinc discamus non esse nobis imitandum ignavum illum servum, qui talentum humi defodit, sed illud exercere conemur, & alios ad Christi cognitionem & amorem verbo & exemplis adducere. Quod celeberrima illa mulier egregie præstat, quæ bonum sibi oblatum aliis communicat: quam hactenus hauserat aquam non jam e scaturigine hauriens, neque terrestrem hydriam domum denuo reportans, sed divina potius ac cœlesti gratia, sapientissimaque Salvatoris doctrina mentem plenam gerens. "

S. Cyril. Lib. 2. in Jo. p. 193. 194.

Reliquit hydriam suam mulier. Audito, *Ego sum qui loquor tecum*, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, & evangelizare curreret? *Projecit cupiditatem, & properavit annuntiare veritatem. Discant qui volunt evangelizare, projiciant hydriam ad puteum.*

S. Aug. Tract. 15. in Jo. num. 30.

S. Jo. Chrys. Hom. 33. in Joann.

„ Considera mulieris studium, sapientiam considera. „ Venerat hauriendæ aquæ gratia; & cum verum fontem inveniisset, contempsit alterum, ut nos exemplo, „ licet parvo, admoneret, spiritualium gratia sæcularia „ omnia esse nobis contemnenda, neque eorum, nisi ad „ necessitatem, ullam rationem habendam; quod & Apostoli fecerunt, & hæc mulier. Siquidem illi a Jesu vocati, retia reliquerunt, hæc sponte sua reliquit hydriam, & Dei gratia præveniente Apostolico munere „ fungitur: neque unum aut alterum, ut Andreas & „ Philippus, sed universam advocat civitatem, & populum ad Christum adducit. "

Reliquit hydriam suam mulier. Non fert hydriam sed refert gratiam. *Vacua videtur reverti onere, sed plena revertitur sanctitate. Quæ peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat: in nullo civitati suæ inferens detrimentum. Etenim si aquam civibus non intulit, tamen fontem salutis invexit.* Qui vere conversus ad Christum est, rerum terrenarum obliviscitur, abjicit onera, relinquit impedimenta, cupiditates refrænat, renuntiat voluptatibus, non solum pro cælestibus donis acceptis gratias agit, sed gloriæ Dei & salutis animarum zelo fervens, de Deo cum aliis colloqui amat, ad ejusque notitiam & amorem omnes invitare & adducere opportunitate data. *Venite, & videte: numquid ipse est Christus?*

Antiquus Pater in Serm. de eleemosyna & Muliere Samarit. olim edito sub S. Ambrosii nomine.

34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Opus Dei, animarum salus, Pastoris cibus ac deliciæ sint. Pastorali munere ac ministerio nihil in orbe majus aut excellentius, in eo tamen non diligenda celsitudo & excellentia, sed Dei voluntas: sacris insistendum functionibus, non quia nobis, sed quia Deo placent. Diligendum opus, non quia nostrum, sed quia Dei est: ab ipso, & propter ipsum inchoandum & perficiendum, qui omnis boni principium & finis est. Spiritus sanctus loquitur per os Prædicatoris, fidemque & caritatem in corde producit auditoris. Pari humilitate ac fervore in Apostolico ac Pastorali munere laborandum est, ne cum opus Dei in aliis perficere conamur per doctrinam, opus suum in nobis perficiat diabolus per superbiam. Apis imitanda, quæ supervolitat melli suo, ne hærens nectatur & suffocetur. *In mellis copia non frustra pennas habet apicula; nectit enim hærentem.* Opus ergo Dei perficientes in Spiritu Christi Jesu, cum illo dicamus: *Ego non quæro gloriam meam.* Et, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, &c. Christus Jesus seipsum futuris orbis Magistris, Pastoribus, Prædicatoribus, Doctoribus exemplum statuit acerrimi & præclarissimi ad docendum scientiam salutis, & ad Animarum conversionem studii, cui necessaria corporis etiam postponantur. Nam cum suavissimum sibi eum cibum esse dicit, nimirum facere voluntatem ejus, a quo missus est, & perficere opus ejus, Apostolici ministerii munus describit. Docendi enim curæ intentos esse illos dumtaxat oportet, & a carnis deliciis in tantum recedere, ut vix necessarium obsequium admittant, quod ad vitam conservandam exhibetur.

S. Cyrill. Alex. Lib. 2. in Jo. p. 197

35. *Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Quot Nationes quas Deus vocat ad fidem? Quot peccatores ad pœnitentiam excitandi? Quam ampla messis Evangelicis operariis destinata? Levate igitur oculos vestros, rogate Dominum ut mittat operarios in messem suam: ad Gentes quæ eum non noverunt, & nomen ejus non invocaverunt. Ite in agrum Domini, & in messe ejus laborate, quicumque ad hoc vocati estis, & zelo salutis animarum, fideique propagandæ flagratis. Æternæ vitæ promissio, Animarum salus, perfectio corporis electorum, gloria Dei tam seminatores quam messores coronantis, & sui fruitione beatificantis, ad laborem vos accendant. *Et qui metit, mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam; ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.*

38. *Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* „ Qui „ laboraverunt? Ipse Abraham, Isaac & Jacob. Legite „ labores eorum: in omnibus laboribus eorum Prophetia „ Christi; & ideo seminatores. Moyses & ceteri Patriarchæ, & omnes Prophetæ, quanta pertulerunt in illo „ frigore quando seminabant? Ergo jam in Judæa messis „ parata erat. Merito ibi tamquam matura seges fuit, „ quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant, & ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis „ humeris a sarcinis sæcularibus, Christum Dominum „ sequebantur. Vere matura messis. Quid inde factum „ est? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, & seminaverunt orbem terrarum, & surgit alia messis quæ „ in fine sæculi metenda est. De ista messe dicitur: *Qui „ seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Ad istam messem non Apostoli, sed Angeli mittentur. *Messores*, „ inquit, *Angeli sunt.* Ista ergo messis crescit inter zizania, & exspectat purgari in fine. Illa vero messis „ jam matura erat, quo prius missi sunt Discipuli, ubi „ Prophetæ laboraverunt. "

S. Aug. Tract. 15. in Jo. num. 32.

Ps. 132. Matth. 13.

Ne extollantur operarii Evangelici, cum uberem colligunt

ligunt messem; is enim sæpe fructus est precum, laborum, patientiæ aliorum: & alioqui totum Deo tribuendum est, quo adjuvante verbum seminatur, crescit, maturescit, colligitur, & in horreum infertur.

46. 47. *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus, &c.* Utiles sunt ad salutem calamitates, siquidem ad Deum nos revocant: *Ps.* 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt . . . Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.* Ad Christum Jesum accedamus, illique supplicemus humiliter, non solum ut sanet ægritudines corporis nostri, sed in primis ut infirmitates animæ nostræ incipientis mori, & in summo salutis periculo constitutæ, sanare dignetur. Miraculum gratiæ suæ *S. Cyrill. Alexandr.* ut operetur, credamus illum esse Salvatorem mundi, posse justificare impium, morbos animarum solo verbo posse curare, quin etiam mortuam animam suscitare. Ne imperfecta sit fides nostra, ut fides Reguli, cujus filius infirmabatur Capharnaum, qui potentiam ac beneficentiam Christi temporibus & locis circumscriptam putabat: ne cum ipso audiamus: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

50. *Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, & ibat.* Christi sermoni credidit, ipso Salvatore fidem in corde ejus inchoante, & postea perficiente, cum servi nuntiaverunt puerum in pristinam valetudinem subito restitutum; cessante febre ipsa hora quæ dixit ei Jesus: *Filius tuus vivit.* Miraculum duplex operatus est Jesus: unum in corde patris, in quo sanavit incredulitatem; alterum in filii corpore, a quo dispulit febrem. Sana, Domine, incredulitatem nostram, adauge & corrobora in nobis fidem: verbo tuo febrem abige, cupiditatum nostrarum æstum extingue; fac ut sermonibus tuis credens, in via mandatorum tuorum simplici obedientia ambulem ad domum cœlestem & æternam. Dic Ecclesiæ pro me, similibusque mihi peccatoribus coram divina tua Majestate gementi: *Filius tuus vivit.*

53. *Et credidit ipse, & domus ejus tota.* Cum ad *Ps.* 102. 2. 3. 4. Deum per ejus gratiam conversi estis, cum insigne aliquod beneficium ab illo accepistis; non solum gratias illi privatim referre debetis, dicentes: *Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam:* verum etiam operam dare oportet ut filii vestri ac domestici credant, fidemque sanctis operibus testentur, ut Christus in familia vestra regnet. *Credidit ipse, & domus ejus tota.*

CAPUT V.

Sensus Litteralis.

1. *Post hæc erat Festus dies Judæorum*, Pascha, se- *S. Irenæus Libr. 2. cap.* cundum ministerii Christi, secundum Sanctum Ire- *39.* næum; vel Pentecoste, secundum Sanctos Chrysostomum *S. Chrys. Hom. 35. in Jo. S. Cyr. Lib. 2. pag. 206.* & Cyrillum Alexandrinum, *& ascendit Jesus Jerosolymam*, secundum præscriptum Legis, ut exemplum obedientiæ in omnibus præberet.

2. 3. *Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.* In manuscriptis optimæ notæ Codicibus Græcis legitur, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Sic inter alios habet Vaticanus Codex vetustissimus & emendatissimus: alii vero Codices hæc verba, ἐπὶ τῇ omittunt. Secundum priorem lectionem vertendum esset: *Est autem Jerosolymis ad portam ovium*, qua scilicet oves immolandæ inducebantur in Urbem; vel, qua oves ad pascua educebantur, piscina, &c. Secundum alteram lectionem, quæ est Vulgatæ nostræ, quam etiam videntur secuti SS. Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, Theophylactus, & quæ Mss. codicibus Græcis aliquibus nititur, vertendum est in hunc modum: *Est autem Jerosolymis probatica piscina*, id est, piscina ovium, sic vocata ab ipsa *porta Gregis*, de qua 11. *Esdræ* 3. 1. Oves Græce πρόβατα dicuntur, hinc piscina ad portam ovium sita dicta est probatica. Piscina hæc seu stagnantium aquarum congeries, alibi dicitur *natatoria*, quod aquas abluendis immundis contineret, *Bethsaidam* appellatam, id est, *piscationis domum*, versio nostra Vulgata docet: *Betesdam*, seu *Bethesedam* *Johan. 9. 7.* Græcus Textus. *Bethesda domum misericordiæ* seu *gratiæ* significat, conveniens nomen ob beneficia sanitatis, quæ Dei misericordia & benignitate ægri in illa piscina consequebantur. *Bethesda*, significat & *domum effusionis*, aptum etiam piscinæ nomen, in quam aquæ ex variis aquæductibus fundebantur & confluebant. Circumdata erat hæc piscina quinque porticibus, in quibus ambulabant homines, & ponebantur infirmi, aquæ motum exspectantes. *In his jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum*, seu paralyticorum, & quibus aliqua pars corporis ab influxu vitali destituta erat, & inutilis ad usum facta, *expectantium aquæ motum*, sive impressionem salutiferam aquæ factam ab Angelo.

4. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam*, tempore a Deo præstituto, hominibus improviso, *& movebatur aqua*, quod signum erat descensus Angeli, & divinæ virtutis ad sanctiatem impertiendam illi, qui tunc in aquam immergeretur, paratæ. *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate*, cui nec ars, nec natura subvenire poterat. Naturalis ergo non erat illa per aquam piscinæ medicatio: primo quia stato tempore fiebat; 2. Quia omnia morborum genera sanabantur; 3. Quia non sanabatur nisi qui prior mergebatur in piscinam post Angeli descensum & aquæ motum. Quamvis porro Veteris Testamenti Historia non meminerit hujus piscinæ, & celebris miraculi in ea fieri soliti, neque etiam Josephus; silentium istud præscribere non potest Historiæ hujus Evangelicæ veritati. Omnia enim quæ Jerosolymis erant admiratione digna, in veteris Instrumenti libris scripta non sunt, nec a Josepho memorantur omnia miracula, præsertim quæ ad tempus dispensationis Christi pertinent. Verisimile porro est hanc vim aquis piscinæ probaticæ, seu piscinæ Siloe divinitus datam paulo ante adventum Christi, ut typus esset aquarum baptismi, quo sanantur Animæ a morbis peccatorum.

5. 6. 7. 8. *Erat autem quidam homo ibi*, juxta hanc piscinam, *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, ab annis triginta & octo immedicabili morbo detentus. *Hunc cum vidisset Jesus* jacentem, nec movere se valentem, utpote paralyticum, *& cognovisset quia jam multum tempus haberet*, quod tot annos infirmitate gravi & pertinaci laboraret, *dicit ei: Vis sanus fieri?* Quæ interrogatio eo spectabat, ut in eo impotentiæ ac miseriæ suæ *S. Cyrill. p. 208.* sensum, ac desiderium sanitatis vehementius excitaret. Emphasim quamdam habet hæc interrogatio, Utrum velit re optata frui, seque eam præbere posse, jamque ad id præstandum paratum esse significat, solamque petitionem ejus qui gratiam accepturus erat, præstolari. *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam.* Neminem habeo, a quo adjutus, opportuno momento demitti possim in piscinam: *Dum venio enim ego, alius ante me descendit*, sicque beneficium sanitatis præoccupat. *Dicit ei Jesus: Surge*, fruere sanitate, quam tibi impertior, ne diutius Angeli descensum & aquæ motum expectare cogaris: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Lectum tuum in domum transfer, quo signo cognoscant omnes qui te norunt, te perfecte sanatum esse.

9. 10. *Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat*, domum suam repetens. *Erat autem Sabbatum in die illo.* Dies qua Christus languidum illum sanavit, erat dies Sabbati. „ Dicebant „ ergo Judæi illi homini qui sanatus fuerat: Sabbatum „ est, non licet tibi tollere grabatum tuum. *Lex enim „ id vetat.* Nolite portare pondera in die sabbati, nec „ inferatis per portas Jerusalem (*ait Dominus*): Et no- *Jerem. 17. 21. 22. 24.* „ lite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati, „ & omne opus non facietis: sanctificate diem sabbati, „ sicut præcepi Patribus vestris.“

11. *Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Qui divina virtute me sanavit: divina pariter auctoritate mihi jussit ut lectum ferrem. Ipsi proinde parere debui.

12. 13. *Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi tolle grabatum tuum & ambula?* Quærunt non quod admirentur, sed quod calumnientur: non interrogant quis languidum sanavit, sed quis illi dixit, *Tolle grabatum tuum*, ut calumniandi ansam arripiant: non quis sit vir ille admirabilis, ac divinus ille Propheta, interrogant; sed contemptim & invidiose, *Quis est ille homo? . . . . . Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.* Nec enim eum ante viderat, neque ex nomine noverat. *Jesus enim declinavit* & subduxit se *a turba constituta in loco*, in quo edidit miraculum, ut Judæorum invidiam declinaret, & plausum popularem se non captare ostenderet; ut denique is qui sanus fuerat factus miraculum prædicare posset absque adulationis suspicione, siquidem miraculi Auctorem nondum noverat.

14. 15. 16. *Postea invenit eum Jesus in Templo* gratias Deo agentem pro accepto beneficio: *& dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Cave ne tale aliquid committas, quale ante hos triginta & octo annos. Divinitatem suam Jesus demonstrat, ea se nosse ostendens, quæ ante nativitatem suam clam acciderant: & sæpe morbos pœnas esse a Deo propter peccata irrogatas significat. *Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Nuntiavit Judæorum Primoribus, sive Synedrio, ut beneficii auctorem grato animo celebraret ac prædicaret, cujus nomen ex adstantibus in Templo didicerat. *Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc facie-*

faciebat in Sabbato. Religionis prætextum suæ adversus Jesum invidiæ ac malignitati obtendebant.

17. 18. 19. *Jesus autem respondit eis*, ut eorum oblocutiones temerarias, injustas, & malevolas esse ostenderet. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Pater meus ab exordio mundi hactenus operatur perpetuo, omnibus diebus, etiam sabbato, res creatas conservans, regens, animas creans, illuminans, perficiens, miracula faciens; homines, aliaque animantia continenter in vitam educens: & ego cum eo omnia divinæ potentiæ opera pari virtute & auctoritate edo. Quamobrem Legi non subjacent, cum Legem de sabbato sibi Deus non tulerit, sed hominibus. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum*, ut ipsi falso opinabantur sua invidia suisque præjudiciis excæcati, *sed & Patrem suum*, proprium ac peculiarem, non tantum gratia & adoptione, sed generatione seu natura, *dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*; id est, se esse æqualem Deo declarans. Verba Jesu eo sensu accipiebant Judæi, quem præ se ferunt, quod se Dei Filium natura, vere, proprie, Patri per omnia coæqualem assereret. Porro tantum abest ut hanc de se amoveat opinionem, aut eos reprehendat quod verba sua male intelligant; quin potius se natura Dei Filium esse confirmat. *Respondit itaque Jesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Significat Filium, ut Verbum & Sapientiam Dei, nihil agere nisi potestate a Deo Patre per æternam generationem accepta, nihil videre sive scire, nisi scientia sibi a Patre communicata, quæ potentia & scientia ipsa Dei natura est. Hanc Filius a se ipso non habet, cum suum non sit ipse principium, sed sit ex Patre ab æterno genitus, ejusdemque cum ipso substantiæ & potentiæ. Unde eadem sunt Patris & Filii opera. *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*. S. Cyrill. Alexandr. lib. 2. cap. 6. p. 214. 215. „ In eo autem quod „ potest eadem per omnia facere quæ sunt Dei ac Patris, & operari similiter ac Pater, identitatem probat „ suæ substantiæ. Quæ enim eamdem sortita sunt naturam, similiter operantur: quibus autem essendi ratio „ est diversa, his utique non erit idem in omnibus operandi modus. Igitur & Deus verus ex Deo Patre vero, eadem cum illo facere se posse ait; sed ut non solum virtute æqualis esse Patri videatur, sed ejusdem „ per omnia sententiæ, & unam in cunctis habere voluntatem, ait se non posse facere quidquam a se ipso, „ nisi quod viderit Patrem facientem. Idem vero est ac „ si dicat planius ad eos qui ob hominem in die sabbati „ curatum ipsum insectabantur: Existimatis sabbati honorem esse violatum; sed nusquam istud feci̇ssem, nisi vi„ derem Patrem similiter facere, qui, quæ ad constitu„ tionem mundi pertinent, etiam sabbato, quamquam per „ me, peragit. Fieri non potest igitur, inquit, ut qui „ ex ipso secundum naturam est Filius, non in omnibus „ quæ Patris sunt, operetur ac velit, non quasi aliunde „ tamquam a Magistro faciendi exemplum accipiat, aut „ etiam voluntatis impulsu ut eadem cum Patre velit adigatur, sed quod naturæ immutabilis legibus ad eamdem „ cum Deo Patre voluntatem & actionem efferatur." S. Cyrill. p. 220. *Non potest Filius a se facere quidquam, &c.* „ Nemo „ scandalizetur, cum per dispensationem dicere videtur „ Filius, non posse a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem: nam quia servi formam assumpsit, & homo factus est propter carnis conjunctionem, „ non semper ea quæ Deo convenit libertate atque auctoritate in loquendo utebatur, quin potius per dispensationem eam interdum adhibebat, quæ Deo pariter „ & homini conveniat. Adde, verbum illud, *Non potest*, non semper necessitatem aut imbecillitatem significare, sed plerumque denotare naturarum stabilitatem, „ & substantiarum statum inconcussum quoad essentiam, „ & naturalem ac immutabilem operationem uniuscujusque. Ita si quis dicat, Homo rationis compos cum „ sim, & rationali progenitus patre, non possum facere „ proprium veluti quiddam & a me ipso, quod non video deam inesse naturæ patris: tunc illud, *Non possum*, „ substantiam firmam esse, & mutari non posse in aliud „ ab eo quod est significat. Eodem itaque modo Christum dicentem intellige: *Non potest Filius a se facere „ quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Nolite, inquit, reprehendere opera Filii: Genitoris quippe sui essentiam in se ipso contemplatus, quarum rerum opificem esse videt, has facit, ac nihil aliud; „ cum non possit aliquid eorum quæ præter naturam „ suam sunt pati, propterea quod ex ipsa est."

Non potest Filius a se facere quidquam &c. Hæc verba imbecillitatem in Filio non inferunt; quia nec Pater quidquam facere potest sine Filio, cum una sit utriusque potentia & operatio circa creaturas, & scriptum sit de Filio: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Unde & hic ait: *Quæcumque enim ille fecerit*, scilicet Pater, *hæc eadem & Filius similiter facit*, non alia, nec dissimiliter. S. August. Tract. 18. in Johann. n. 8. „ Et quomodo posset „ eadem non similiter? Accipite exemplum. Cum scribimus litteras, facit eas primo cor nostrum, & dein„ de manus nostra. Manus servit imperanti cordi, eas„ dem litteras facit cor & manus, sed non similiter: „ cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, manus au„ tem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem dissimili„ ter. Unde parum fuit Domino dicere, *Quæcumque „ Pater fecerit, hæc & Filius facit*, nisi adderet, *& „ similiter*. Quid si enim hoc modo intelligeres quomo„ do quæcumque cor facit, hæc & manus facit, sed „ non similiter? Hic vero addidit, *Hæc & Filius simi„ liter facit*. Si & hæc facit, & similiter facit, exper„ giscere, stringatur Judæus, credat Christianus, con„ vincatur Hæreticus, æqualis est Patri Filius."

Denique cum dicitur Deum aliquid *non posse*, virtus ejus & naturalis perfectio significatur, a qua ipsum recedere æque impossibile est ac a natura sua. „ *Negare* S. Aug. lib. contra ser. „ enim *se ipsum non potest* (inquit Apostolus.) Ideo igi„ tur dictum est, quod non faciat aliquid Filius a se, Arian. c. 14. „ quia non est a se: & ideo quicquid facit, Patrem „ videt facientem; quia videt ex ipso faciendi se habe„ re potentiam, ex quo se videt existendi habere natu„ ram. *Et quod ait, Se non posse, non deficientis est, „ sed in eo quod de Patre natus est permanentis*: tam„ que laudabile est Omnipotentem non posse mutari, „ quam laudabile est quod Omnipotens non potest mori. „ Posset enim Filius facere quod non vidisset Patrem fa„ cientem, si posset facere quod per illum non facit Pa„ ter, hoc est, si posset peccare, neque naturæ immu„ tabiliter bonæ, quæ a Patre genita est, convenire, „ *Hoc autem quia non potest, non deficienter non potest, „ sed potenter*."

Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. „ Hoc est, quidquid Filius ha- S. August. „ bet ut faciat, a Patre habet ut faciat; quia a Patre Tract. 20. „ habet ut Filius sit. Quare a Patre habet ut Filius in Johann. „ sit? quia a Patre habet ut possit, quia a Patre ha- n. 4. & 8. „ bet ut sit. Filio enim hoc est esse, quod posset. Ho„ mo aliud est quod est, aliud quod potest. Si enim hoc „ esset esse ipsius quod posse ipsius, cum vellet posset. „ Deus autem cui non est alia substantia ut sit, & alia „ potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quicquid „ ejus est, & quicquid est quia Deus est, non alio mo„ do est, & alio modo potest, sed esse & posse simul „ habet, quia velle & facere simul habet. Quia ergo „ potentia Filii de Patre est, ideo & substantia Filii „ de Patre est: & quia substantia Filii de Patre, ideo „ potentia Filii de Patre est. Non alia potentia est in „ Filio & alia substantia: sed ipsa est potentia quæ & „ substantia; substantia ut sit, potentia ut possit. Ergo „ quia Filius de Patre est, ideo dixit: *Filius non po„ test a se facere quidquam*. Quia non est Filius a se, „ ideo non potest a se . . . . . *Non potest Filius a se „ facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facien„ tem*: quia videre Filii, hoc est natum esse de Patre. „ Non alia visio ejus, & alia substantia ejus; nec alia „ potentia ejus, alia substantia ejus. Totum quod est, „ de Patre est: totum quod potest, de Patre est: quo„ niam quod potest & hoc unum est, & de Patre to„ tum est."

20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini*. Ab humano more sumpta comparatio est. Qui enim mutuo se amant, omnia sibi mutuo communicant arcana. Cum itaque Pater amore infinito diligat Filium, omnia illi demonstrat quæ facit: adeoque nullum opus facit Pater, quod Filius non faciat: siquidem omnia facit quæ viderit Patrem facientem... Sic autem demonstrat Pater rem quam facit Filio, ut in Patre videat omnia Filius, & in Patre sit omnia Filius. *Videndo enim natus est, & nascendo videt*. Non ergo carnaliter accipiamus, quasi sedeat Pater, & faciat opus, & demonstret Filio, & videat Filius opus quod Pater facit, & faciat illud in alio loco, aut ex alia materia. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Verbum Patris est Filius, nihil dixit Deus quod non dixit in Filio. Dicendo enim in Filio quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit per quem faceret omnia. *Et majora his quæ hactenus fecit*, qualis est sanatio Paralytici recens facta, *demonstrabit ei opera*, ita ut vos in admirationem rapiant. Plus enim est mortuos suscitare, quam Paralyticum sanare. Utitur autem verbo futuri temporis, *demonstrabit*, quia de futuris operibus sermo est, quæ pater cum Filio facit una & indivisa potestate & operatione: quamvis ab æterno ei demonstraverit, scientiam illi communicando, sicut & potentiam, & essentiam. Demonstrat Pater Filio quæ ipse faciet, (inquit S. Cyrillus) non S. Cyrill. quasi depicta in tabulis proponat, aut quasi doceat igno- lib. 2. p. rantem, sed se ipsum totum in geminis natura expri- 222. mens & quæcumque ei proprie insunt, in se ipso demonstrans, ut ex quibus ipse est & apparet, quinam & quantus secundum naturam sit Pater, agnoscas.

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat*, pari potestate, imperio, libertate agens, Auctor vitæ æque ac Pater; qui proprius Dei caracter est. Deuteron. 32. 39. *Ego occidam,*

& ego vivere faciam. Tob. 13. 2. *Tu flagellas & salvas: deducis ad inferos, & reducis*. Sapient. 16. 13. *Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*. Majora igitur videbitis opera his quæ hactenus a me, qui Filius Dei sum, fieri vidistis, suscitationem scilicet Lazari, & aliorum quorumdam a morte ad vitam, in signum resurrectionis generalis. Non alios Pater, alios Filius mortuos suscitat: omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et ut ostenderet habere se quamvis a Patre datam, tamen parem potestatem, ideo ait, *sic & Filius, quos vult, vivificat*, ut ostenderet ibi voluntatem suam; & ne quis diceret, Suscitat Pater mortuos per Filium, sed ille tamquam potestatem habens, iste tamquam ex aliena potestate, tamquam minister, potestatem significavit his verbis; *Sic & Filius, quos vult, vivificat*. Non enim vult Pater aliud quam Filius; sed sicut illis una substantia, sic & una voluntas est. Mortuos autem suscitavit Filius non solum tempore vitæ suæ mortalis, sed & ante Incarnationem suam, & post Ascensionem suam, & in generali resurrectione mortuorum suscitabit, ut sequentia de novissimo judicio verba probant.

S. August. Tract. 21. in Johann. n. 10. 13.

22. 23. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Pater non judicat quemquam visibili præsentia majestatis, & externo aspectabilique judicio; sed omne judicium dedit Filio, quem constituit judicem vivorum & mortuorum. Ait alibi Christus: *Ego non judico quemquam . . . est qui quærat, & judicet*. Judicabit Pater, qui judicandi potestatem non ita dedit Filio, ut illa se abdicaret; de illo enim a Propheta dictum est non minus quam de Filio: *Surge Deus, judica terram:* judicabit invisibiliter cum Filio, & per Filium: judicabit Filius visibiliter, solus ille hominibus in judicio apparebit. Pater occultus erit, Filius manifestus in forma qua ascendit. Nam in forma Dei cum Patre occultus est, in forma servi hominibus manifestus. *Non* ergo *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, manifestum: in quo manifesto judicio Filius judicabit, quia ipse judicandis apparebit, dicens electis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*: dicens reprobis: *Ite, maledicti, in ignem æternum*. Ratio autem cur Pater omnem potestatem judiciariam Filio dederit, hæc est, *Ut* homines *honorificent* seu æquali honore colant *Filium* ac *Patrem, qui misit illum*. Si enim is qui Legatum, præsertim cum summa potestate missum, injuria afficit, is injuria afficere eum censetur, cujus personam Legatus sustinet: multo magis qui Filium Dei spernit, & Patrem spernere censetur qui misit illum.

Johan. 8. 15. 50.

24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me*, nempe Deo Patri testimonium reddenti per divina opera me Filium ejus esse, Deum verum ex Deo vero genitum, & missum in mundum per incarnationem, ad reparationem generis humani, *habet vitam æternam*, id est, certo habiturus est, si ex fide vivat, & mandatis obediat; *& in judicium non venit*, id est, non subjacebit damnationi, *sed transiit*, id est transibit *a morte in vitam* æternam & beatam.

25. 26. 27. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est*, seu proxime imminet, *quando mortui audient vocem Filii Dei*, seu illius obedient imperio ipsos ad vitam revocantis, *& qui audient, vivent*: id est, audientes vivent. Ita vim vocis suæ imperiique declarat. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Sicut Pater fons est & auctor vitæ; sic dedit Filio per æternam generationem ut sit fons & auctor vitæ. Unde par jus habet, æqualemque potestatem mortuos suscitandi. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*. Judicandi potestatem, quæ ei ab æterno est Patre, temporaliter ab eodem accepit cum incarnatus est & homo factus, ut visibiliter judicet mundum.

S. August. Tract. 19. in Johan.

Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Quid est, *Habet Pater vitam in semetipso*? „ Non alibi habet vitam, sed in semetipso. „ Vivere quippe suum in illo est: non aliunde, non alie„ num est: non quasi mutuatur vitam, nec quasi fit par„ ticeps vitæ, ejus vitæ quæ non est quod ipse, sed ha„ bet vitam in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse . . . „ Hoc solum interest inter Patrem & Filium, quia Pa„ ter habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit; „ Filius autem habet vitam in semetipso, quam Pater „ dedit . . . Non ergo sicut anima aliquid aliud est ante„ quam illuminetur, & fit melius cum illuminatur par„ ticipatione melioris, ita & Verbum Dei, Filius Dei, „ aliquid aliud erat antequam acciperet vitam, ut parti„ cipando habeat vitam: sed vitam habet in semetipso; „ & est ipsa vita. Quid ergo ait? *Dedit Filio habere vi„ tam in semetipso?* Breviter dixerim, Genuit Filium. „ Neque enim erat sine vita, & accepit vitam; sed na„ scendo vita est. Pater vita est non nascendo: Filius „ vita est nascendo. Pater de nullo Patre, Filius de Deo „ Patre. Quod ergo dixit, Dedit & Filio habere vitam „ in semetipso, idem est ac si diceret: Pater qui est vi„ ta in semetipso, genuit Filium qui esset vita in se„ metipso. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia „ Filius hominis est*. Ipse enim solus apparebit in for„ ma servi, Pater autem non apparebit, quia non est „ indutus forma servi. "

28. 29. *Nolite mirari hoc; quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*. Nolite mirari quod dixi de potestate mihi data omnes homines judicandi; aliquando veniet hora, qua mortui plane omnes, boni & mali, qui in sepulchris non exiguo tempore, ut Lazarus, sed diutissime fuerunt, audient vocem jussu Filii Dei ab Archangelo formatam. *Et procedent* seu exibunt e sepulchris, *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*; id est, resurgent ad vitam æternam: *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*; id est ad damnationem sempiternam.

S. August. Tract. 22. in Johann. n. 14. Tract. 23. n. 150.

30. *Non possum ego a me ipso facere quidquam*, sive ut Filius hominis, sive ut Filius Dei, potestate quam a Patre non acceperim, & quod per me ac mecum non faciat. *Sicut audio, judico*. Judicandi potestatem exerceo non modo ex potentia, sed ex sapientia quam nascendo accepi a Patre. Quod audio, hoc dico, quia quod est Pater, hoc sum: dicere enim meum, esse est; quia Verbum Patris sum. His ergo verbis commendat Filius quod de Patre est. Vel, *Non possum a me facere quidquam; sicut audio, judico*, quatenus sum in forma servi, audio enim tamquam præcipientis Patris imperium: *& judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Judicium meum propterea justum est, quia a Patris regula & voluntate non discedo, in quem nec ignorantia, nec pravus affectus cadere potest. Confer cum Isaiæ 11. 3. 4. „ Non secundum vi„ sionem oculorum judicabit, neque secundum auditum „ aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & „ arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet „ terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum in„ terficiet impium. "

31. 32. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum* (ut vos quidem tacite objicitis) *non est verum. Alius est*, scilicet Pater meus, vel Johannes, *qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium quod perhibet de me*. Certo mihi constat talem esse testem, qui a vobis rejici nullo jure possit.

S. Cyrill. Lib. 2. in c. 9. p. 244.

33. *Vos misistis ad Johannem*, publica auctoritate, nempe Synedrii magni, *& testimonium perhibuit veritati*. Non ultro se ingessit ad sententiam de me ferendam, liberum testimonium tulit. *Vos misistis* qui rogarent, & testimonium perhibuit veritati. Ab iis enim rogatus, qui ad ipsum missi fuerant, utrum esset ipse Christus, confessus est, & non negavit. Confessus est se non esse Christum, sed me esse ante ipsum: Testimonium ergo perhibuit veritati. Christus enim est Veritas. *Ego autem ab homine testimonium accipio*, quasi illo indigeam; *sed hæc dico* de Johanne, me vobis attemperans, *ut vos salvi sitis* credendo quæ de me dixit. Confer cum Johannis 8. 14. ubi Christus ait: *Et si ego testimoniam perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum*.

34. *Ille erat lucerna ardens* fervore caritatis, *& lucens* doctrina & prædicatione veritatis, ac vitæ sanctitate. Non erat ille lux hominum, interius ipsos illuminans, lux increata, lux vera, lux immensa; sed lucerna, ab illo fonte lumen mutuata: *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus*. Principio exultastis ob Prophetiam genti vestræ redditam, ob efficaciam doctrinæ, & admirabilem vitæ sanctimoniam, quæ in Johanne emicuit, & ad eum cum incredibili gaudio confluxistis: sed pro vestra levitate & inconstantia ipsum aspernari cœpistis, postquam mihi testimonium perhibuit, & vitia vestra libere increpuit.

36. *Ego autem habeo testimonium majus Johanne*, seu testimonio Johannis, quod parvifeciſtis, & cui credere noluistis. *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera* admirabilia & naturæ vim omnem ac leges excedentia, quæ nonnisi divina potestate & voluntate perfici possunt, ipsa (inquam) opera *quæ ego facio, testimonium* certius & clarius *perhibent de me, quia Pater misit me*. Ipsa opera quæ hactenus feci, & deinceps editurus sum ex voluntate Patris, testimonium perhibent me a Deo missum esse . . . „ Si Patris opera facit Christus „ Jesus, & quæcumque illi soli conveniunt, hæc ipse „ quoque propria virtute adimplet, quomodo cuivis non „ manifeste patebit eamdem cum illo sortitum esse na„ turam, & Patris proprietatibus præfulgere, ut qui ex „ ipso natus, eamdem cum ipso vim & operationem ha„ bet? Verumtamen ab eo se opera dicit accepisse, aut „ propter humanitatem & servi formam humilius de se „ loquens; aut Patris approbationem & assensum in fa„ ciendis miraculis donationis nomine adornans. Sic „ enim missum quoque se asserit, maxime cum exinani„ verit se ipsum propter dilectionem in nos. Humilia„ vit enim semetipsum, & humiliationis vilitatem alia „ ratione constare non comperiemus, quam quod inter„ dum ut homo loquatur. Sic per Psalmistam sub ejus „ persona propter nos humano more dictum est: *Ego*

S. Cyrill. Lib. 3. in Johann. P. 253.

„ *autem*

al. 2. 6. „ *autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem* „ *sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*“ Nam qui cum Deo Patre semper regnat, qui in eodem throno considet, Regem se constitutum fatetur ac Dominum, quæ habebat ut Deus accipere se dicens, cum factus est homo.

37. 38. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* 1. In Lege & Prophetis. 2. In baptismo & Transfiguratione, voce delapsa de cœlo. 3. Per miracula, quæ mecum & per me operatur ad confirmandum divinitatem meam, & quam hominibus annuntio veritatem. *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis*; Deus enim spiritus est, qui nec vocem habet corpoream, auribus corporis insonantem; nec formam & speciem sensibilem, oculis corporis aspectabilem; sed est omni figura & voce superior. Deuteron. 4. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis.* Moysen quidem Dei vocem audivisse Scriptura narrat; sed quemadmodum figura illa & corporea similitudo, quam videbant qui Deum videre dicebantur, vera Dei similitudo & figura non erat; ita illa, quam audiebant, non erat vera vox Dei, sed vox ex aere a Deo formata extrinsecus, non ore & lingua naturalibus instrumentis, quæ in Deo supremo Spiritu nulla sunt. Gloriabantur Judæi quod Deus Moysi, & per eum sibi locutus esset. *Nos scimus* (inquiebant) *quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit.* Ideo Christus eorum jactantiam retundit, declarans eos numquam veram Dei vocem audivisse, numquam veram ejus speciem perspexisse: non debere igitur efferri quasi Deum sensibili voce loquentem audiverint, sed sibi credere Verbo Patris. *Et verbum ejus non habetis in vobis manens*, verbum ejus ac mandatum de quo Propheta dixit, *Prophetam suscitabo eis, & ponam verba mea in ore ejus*; id est, de audiendo Messia vobis promisso, & nunc ad vos misso, vosque docente, in animis vestris insculptum non habetis, nec ad illud attendistis; *quia quem misit ille*, scilicet Deus Pater, *huic vos non creditis.*

S. Johann. Chrysost. Hom. 39.

S. Cyrill. lib. 3. *in Johann. p.* 256. 257. & 258.

Johann. 9. 29.

39. 40. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Verbum, *scrutamini*, non imperandi modo, sed indicandi positum S. Cyrillus intelligit. „ Quid prodest „ (inquit Christus) quod divinas scrutamini Scripturas, „ credentes per ipsas vos ad æternam vitam evehendos. „ Quippe cum eas de me testificari comperiatis, meque „ vitam æternam nominare, non vultis ad me venire ut „ vitam habeatis. Igitur unde vos salvari oporteret, inde damnationem vobis arcessistis, quos librorum Mosaicorum lectio ad contradicendi studium solum acuit: „ quæ vero ad æternam vitam conducunt, ne in animum quidem vestrum admittitis.“

S. Chrysos. Lib. 3. *in Johann. p.* 160.

Alii Patres verbum, *Scrutamini*, imperandi modo positum interpretantur. *Scrutamini Scripturas*, id est, attento animo eas expendite, quarum in littera & superficie hæretis, & quarum lectione sola, & legalium observantia ceremoniarum, vitam æternam vos consequi posse confiditis: sensum Scripturarum latentem velut thesaurum operosius inquirite ac effodite: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, verum Messiam, Dei Filium, mundi Salvatorem, Dei & hominum Mediatorem, veritati ac justitiæ doctorem, auctorem vitæ æternæ me esse declarantes: & tamen ad me venire, mihique credere non vultis, ut vitam æternam habeatis, quam nisi per me consequi non potestis.

41. 42. *Claritatem ab hominibus non accipio.* Quæ de mea dico auctoritate, non eo animo dico ut gloriam hominum captem. *Sed cognovi vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Vos intus novi, mihique perspectum & exploratum est quid vos a fide mihi adhibenda, & a vitæ æternæ itinere ingrediendo impediat, hypocrisim vestram, superbiam, invidiam. Novi vos dilectionem Dei non habere in vobis, nec studio gloriæ ejus prohiberi quo minus mihi credatis. Labiis siquidem Deum honoratis, cor autem vestrum longe ab eo est.

43. *Ego veni in nomine Patris mei*, divina ejus auctoritate, & ob illius gloriam omnia gerens, *& non accipitis me* Filium ejus, ab eo missum ad vos ob salutem vestram. Hoc certe argumentum est quod nulla ejus reverentia & dilectio sit in vobis. *Si alius venerit in nomine suo*, non a Deo missus, sed a se ipso intrusus, nullis hominum sanctorum, Scripturarum, operum Dei testimoniis munitus, non unam Dei gloriam quærens, sed hominum applausum laudesque captans, *illum accipietis.* Sic Judæi, qui Christum pertinaciter rejecerunt, eique credere noluerunt, recipient Antichristum, illique credent. Confer cum 2. ad Thessalon. 2. 8. 9. 10. „ Et tunc revelabitur „ ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu „ oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum: „ cujus est adventus secundum operationem satanæ, in „ omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & „ in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod „ charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. „ Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant „ mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt „ veritati, sed consenserunt iniquitati.“

S. Chrysost. h. 40. *in Johann. S. Irenæus L.* 5. *cap.* 25. *S. Chrys. h.* 40. *in Jo. S. Cyrillus lib.* 3. *p.* 268.

44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?* Ostendit non quid simpliciter impossibile sit, sed quid ab illis non sit exspectandum quamdiu tali sunt animo. Superbis enim, & gloriam humanam captantibus: gloriam vero, quæ a solo Deo cordi sincero redditur, non curantibus, humilis Christi status, ejusque doctrina de contemptu sui, de humilitate sectanda, de spernendis divitiis, de amanda paupertate placere non potest. Hæc Pharisæorum, & Scribarum ulcera cum a Christo tangerentur, ejus doctrinæ in omnibus repugnabant, illique struebant insidias.

45. 46. 47. *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* Nihil me opus erit accusatore, quem vobis inimicum putatis, animum meum ex vestro judicantes: Moyses vos accusat, cujus Lege gloriamini, & quem patronum ac defensorem vestri fore apud Deum speratis: *si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Si Mosaicis scriptis crederetis, utique & mihi crederetis. *De me enim ille scripsit*, tamquam de fine & scopo totius Legis. *Si autem illius litteris* seu libris *non creditis*, quem maximi facere, & cujus scripta ut præcipuæ & antiquæ auctoritatis revereri videmini, *quomodo verbis meis credetis*, quem minimi facitis præ Moyse? „ Et Evangelii quidem tam eminens est auctoritas, & tam sundata veritas, ut etiamsi nos propter tarditatem intelligentiæ nostræ nulla inveniremus a Moyse scripta de „ Christo, non solum esse aliqua, sed ad Christum omnia „ pertinere quæ scripsit; quia non ait, Et de me scripsit; sed, De me ille scripsit; credere deberemus. „ Nunc autem etsi de isto Evangelii capitulo, quod absit, dubitandum esset, compertis tam multis in scriptura Moysi de Christo testimoniis, omnis illa dubitatio tolleretur: & quia de capitulo Evangelii dubitandum non est, etiamsi illa comperta non essent, esse „ tamen credi oporteret.“

Deuter. 18. *S. Cyrill. L.* 3. *in Johann. c.* 2. *p.* 265

S. Aug. lib. 16. *Contra Faustum, cap.* 26.

SENSUS MORALIS.

1. 2. 3. 4. „ EST autem Hierosolymis probatica piscina... „ quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus autem „ Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & „ movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam „ post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.“ Hæc Piscina Ecclesiæ figura, in *qua salutaribus* aquis baptismi & lacrymarum pœnitentiæ, omne genus spiritualium infirmitatum sanatur, omne genus peccatorum emundatur. „ Et quemadmodum hujus aquæ natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed „ dumtaxat cum ab Angelo movebatur: ita & in nobis non „ simplex aqua operatur, sed cum Spiritus gratiam accipit, „ omnia abluit peccata. Juxta hanc piscinam jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, exspectantium aquæ motum. Verum tunc infirmitas corporis sanari volentem impediebat: nunc unusquisque potestatem „ habet accedendi. Non enim Angelus aquam movet, sed „ Angelorum Dominus totum perficit: jam non habet excusationis locum infirmus, non habere se hominem „ qui sibi opituletur; neque dum venit, alium descendere: sed licet universus mundus accedat, non consumitur gratia, neque virtus deficit, sed eadem semper permanet. Ut enim solares radii, singulis diebus „ illuminant, neque ex multa sui communicatione vis „ eorum minuitur: ita, immo longe minus Spiritus operatio ob accipientium multitudinem remittitur. Hoc „ autem factum est, ut qui in aqua corporis morbos „ sanari posse didicissent, in eo aliquandiu exerciti, animæ „ morbos per aquam curari posse facilius crederent.“

S. Johann. Chrys. h. 35. *in Jo.*

In his jacebat multitudo magna languentium, &c. Infelix hominis status post lapsum multiplici morborum genere adumbratus. Languent, cæci sunt, ignorantiæ tenebris excæcati, claudi & difficultatem ambulandi in via Dei continuo patientes, ad omne bonum per se impotentes & invalidi, aridi, omnique virtute destituti. „ Natura in tantum sana non „ est, in quantum id quod faciendum est aut cæcitate „ non videt, aut infirmitate non implet, dum caro „ concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vult homo faciat.“ Hinc Apostolus: *Mente*, inquit, *servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus, (ait S. Augustinus) captivatum est, infirmatum, vulneratum, corruptum, ita ut ad peccandum quidem sufficiat, ad aliquid vero boni agendum, quod ad salutem pertineat & ad meritum vitæ æternæ, nihil possit, nisi gratia medicinali Christi Salvatoris sanetur, & ad singulos actus adjuvetur. Exspectet igitur homo aquæ motum non otiosus & negligens, sed vigilans & laborans. Gratia Christi,

S. Aug. lib. De Perfectione justitiæ, c. 2. *Rom.* 7. 25.

Nat. Alex. In Evang.

cui tempus agendi semper adest, descendit : cor timore primum judiciorum Dei, tum amore, vel amore solo movebitur, sine quo inutiles essent pœnitentiæ lacrymæ.

Tertullianus lib. De Bapt. c. 5. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua.*

Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. Figura ista medicinæ corporalis spiritualem medicinam canebat, ea forma qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. „ Proficiente itaque hominibus gra-„ tia Dei, plus aquis & Angelo accessit. Qui vitia „ corporis remediabant, nunc spiritum medentur : qui „ temporalem operabantur salutem, nunc æternam re-„ formant : qui unum semel anno liberabant, nunc quo-„ tidie populos conservant, deleta morte per ablutionem „ delictorum. "

5. 6. *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri ?* In magnis peccatoribus superabundantes divitias misericordiæ & gratiæ sæpe Deus ostendit. Animæ nostræ morbi, quamvis inveterati & per se insanabiles, ab omnipotenti Medico sanari possunt, qui hunc in mundum venit ut maximos etiam peccatores salvos faceret. Ut porro sanetur cæcus, claudus, paralyticus, & spiritualiter aridus, necesse est primum ut Jesus oculis misericordiæ suæ illum respiciat, gratiaque sua præveniat jacentem, & sub pondere peccatorum suorum oppressum : deinde ut infirmus desideret ac postulet sanitatem, quia ægra, infirma, & corrupta voluntate morbum suum amabat, sanitatem aversabatur. Ab infirmitatibus igitur peccatorum nostrorum sanari non possumus, nisi veljmus ; sed Deus dat *velle & perficere* ; desiderium sanitatis, quam dare vult, inspirat. Qui operatur bonam voluntatem in nolentibus ut incipiens, & nostras etiam rebelles ad se convertit propitius voluntates, ipse cooperatur volentibus ut perficiens.

7. *Respondit ei languidus ; Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, &c. Quinque porticus piscinam cingentes, in quibus jacebant infirmi, quinque libros Moysis, seu veterem Legem significant. Lex prodebat infirmos, sed non sanabantur nisi in aqua, descendentis Angeli impulsu mota. *Lex demonstrabat infirmitatem, ut quæreret demonstrata infirmitas Salvatorem, a quo sanata voluntas posset quod infirma non poterat.* Lex peccatores convincebat, non absolvebat. Littera sine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat. *Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia. Sed concluſit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Hominem non habeo (inquit languidus). Vere necessarius erat illi homo ad sanitatem, sed homo ille qui & Deus est. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Venit ergo homo qui erat necessarius ; quare sanitas differretur ?

S. August. *Galat. 3. 21. S. Aug. Tract. 17. in Johann. n. 2. 7. 1. Tim. 2. 7.*

Domine, hominem non habeo, &c. Necessarius est peccatori conscientiæ Moderator doctus, pius, sapiens, fortis, benignus ; Evangelii & Ecclesiasticæ Disciplinæ vigorem tenens & custodiens, caritatis & misericordiæ viscera gerens, qui peccatori non indulgeat ad voluntatem sed ad sanitatem, qui descensum Angeli & motum aquæ, contritionem cordis, amoris pœnitentis affectum observet, ut mittat illum in piscinam, in aquas pœnitentiæ, quam SS. Patres *Baptismum laboriosum* appellant. Commiseratione digni sunt, qui hominem non habent his præditum dotibus, sed ignarum, imprudentem, ignavum, mollemque Directorem. *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* An vero animæ sanitatem consequentur, qui mitti nolunt in piscinam, id est, qui peccata gravia & inveterata diu deflere, & pro illis Deo satisfacere secundum Ecclesiasticæ Disciplinæ Leges recusant, antequam ad sacram Corporis Christi communionem admittantur ? „ In ipsa Ec-„ clesia ubi maxime misereri decet, teneri quam maxi-„ me debet forma justitiæ, ne quis a Communionis con-„ sortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem quam „ plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdo-„ tis extorqueat. " Admonendi sunt qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas existiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor si scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat delevit. „ Nec qui contumelias irrogat, si solum-„ modo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit „ ut verba præmissa superbiæ verbis subjunctæ humili-„ tatis impugnet : nec debitor absolutus est, quia alia „ non multiplicat, nisi & illa quæ ligaverat solvat. „ Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfaci-„ mus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quo-„ que quas dileximus, e contrario appositis lamentis in-„ sequamur, &c. . . . Neque enim Deus nostris crucia-„ tibus pascitur, sed delictorum morbos medicamen-„ tis contrariis medetur ; ut qui voluptatibus delectati „ discessimus, fletibus amaricati redeamus : & qui per „ illicita diffluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetip-„ sos restringendo surgamus : & cor quod insana læti-„ tia infuderat, salubris tristitia exurat : & quod vul-„ neraverat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vi-„ tæ. " Hoc est descendere in piscinam cum cœlestis illius hominis Christi Jesu gratia, sine qua nemo homo a peccatis mundari, ab animæ morbis & languoribus sanari potest.

S. Ambrosius, in Psal. 118. *S. Gregor. M. 3. P. Pastoral. Admonit. 3.*

3. 9. *Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille ; & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Tribus signis innotescit animæ sanatio. 1. Deseritur peccatum : *Surge.* 2. Removentur occasiones peccati : *Tolle grabatum tuum.* 3. In via mandatorum Dei, & Christianarum virtutum exercitiis ambulatur. *Et ambula.* Quod peccator a pravis suis habitibus, & a languore ex iis in anima relicto statim sanetur, extraordinariæ gratiæ rarum miraculum est. Id tamen quandoque Deus operatur, ut potentiam suam ostendat, & fiduciam pœnitentibus inspiret ampliorem. Id vero ut plurimum non præstat, ut infirmitatis suæ sensu, ac suorum recordatione peccatorum magis humilientur ; ut cum pravis habitibus pugnando, fidelitatem probent suam, casum timeant, sibi ipsis diffidant, & divinæ gratiæ quotidianum adjutorium humili oratione implorent. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.... Non operis imperium fuit* (inquit S. Augustinus) *sed operatio sanitatis.*

11. *Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* „ Tantum non „ dicit eos deliros & insanos, cum præciperent ne ejus, „ qui tam gravi & diuturno morbo ipsum liberaverat, „ mandatis pareret ac Magistrum sectaretur. Generosæ „ indolis, animique sinceri testimonium hoc responsum „ est. Respondisset vir aliquis malignus, dolosus, timi-„ dus, ingratus ; non sponte sua, sed alterius jussu id „ se facere : neque id suum, sed imperantis peccatum : „ & depositio lecto occultare ac dissimulare beneficium. „ Non ita paralyticus noster. Noverat enim Judæorum „ invidiam, quod non tam apparentem violationem sab-„ bati, quam miraculum a Christo patratum, gloriam-„ que ex divinis operibus illi accedentem impatienter „ ferebant. " Verum eorum livore & exprobrationibus insuper habitis beneficium clara voce prædicat. Hoc imitemur exemplum, accepta a Deo beneficia grato animo prædicemus, & spretis malignorum & invidorum censorum susurris, dicteriis, calumniis, in via Dei constanter ambulemus, non litteræ dumtaxat, sed spiritui Legis obedientes. Idque certum nobis sit & exploratum, religiosam observationem Sabbati, seu Dominicæ diei, Festorumque Christianorum, in cessatione a peccato, quod servile maxime opus est, & in morborum spiritualium curatione positam esse. Id intelligi voluit Christus Dominus sabbati, cum dixit Paralytico : *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.*

S. August. Tract. 17. in Johann. S. Chrysost. Hom. 36. in Johan.

12. *Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, & ambula ?* Hominem per contemptum appellant, quem Deum agnoscere debebant : Miraculum notissimum tacent ; mandatum de ferendo grabato per invidiam objiciunt. „ O pessimam „ feram invidiam ! Invidi feris sæviores, dæmonibus pa-„ res, & fortasse iniquiores. Ipsi namque nos hostiliter „ persequuntur, sibi invicem minime insidiantur : homi-„ nes autem invidi neque naturæ suæ consortes reveri-„ ti, eos infesto animo impetunt, atque se ipsos prius, „ quam quibus invident, supplicio afficiunt, animumque „ perturbationibus & anxietatibus temere cruciant.... „ Idcirco omnis venia invido desperanda est. Nam scor-„ tator voluptatis stimulos in excusationem affert, fur „ paupertatem, homicida furorem, frivolas quidem ne-„ que admittendas, qualescumque tamen excusationes : „ Invidus vero nullam nisi animi pravitatem atque ma-„ litiam. "

S. Johan. Chrysost. Hom. 6.

14. *Postea invenit eum Jesus in Templo, & dixit illi : Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Morbi & calamitates pœnæ sunt peccati. His recte utendum, & sincera conversione atque pœnitentia remedium a Deo summo animarum corporumque Medico quærendum est. „ Cum graviter ægro-„ tante anima nullo dolore afficiamur, & tamen levi „ corporis morbo summa diligentia medicinam perquira-„ mus ; ideo Deus ob animi peccatum corpus flagellat, „ ut deterioris partis supplicio, melior ad quærendum „ convertatur. Ita Corinthium fornicatorem S. Paulus „ corrigit, interitu carnis, & sectione corporis animi „ morbum coercens tamquam optimus Medicus, qui „ cum hydropisim vel splenen potionibus & levioribus „ medicinis sanare non possit, extrinsecus ferro & igne „ utitur. Hanc artem Christus in Paralytico exercuit, „ quod significat his verbis : " *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, id est, ne longe gravius, æternumque tormentum patiare. Nemo miretur ob brevem peccati voluptatem perpetuas a Deo

S. Chrys. Hom. 7. in Johan.

vindice

vindice pœnas infligi. Non tot annos peccaverat Paralycus noster, quot annos pœnas dedit. Triginta & octo annorum morbus fuit, momentanea forte peccati jucunditas. *Non enim tempore peccata, sed ex animo peccantium judicantur . . .* „ Quod si multos peccatores bona „ corporis fortitudine & prospera fortuna lascivien„ tes videamus, lugendi sunt potius quam invidendi: quod enim in hac vita nihil adversi patiantur, 1. *Cor.* 11. „ majoris in futura supplicii argumentum est. *Dum ju-* 32. *dicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Numquid vero omnes morbi propter peccata? Non omnes, sed plerique. Nonnullis probandæ patientiæ causa a Deo immittuntur, ut sancto Job, aliisque justis, aliis propter peccata, ut huic Paralytico. Quacumque vero ex causa veniant, æquo animo, patienter, & in spiritu pœnitentiæ sustinendi sunt, ut flagella Patris filios erudientis, ipsisque hæreditatem præparantis, quam nobis donandam confidimus, si paterna Dei castigantis disciplina meliores evadamus. Ubi vero nobis restituta fuerit valetudo seu animæ, seu corporis, gratias agamus Deo: nemo nos inveniat in spectaculis, in ludis, in compotationibus, sed in Templo. Ibi nobis innotescet Dominus Jesus, quem ignorabamus in *S. Augusti.* turba peccatorum: *Vidit eum postea Jesus in Templo.* In *Tract.* 17. turba eum non vidit, in Templo vidit. Dominus quidem *in Jo.* Jesus & in turba eum videbat, & in Templo; ille autem languidus Jesum in turba non cognoscit, in Templo cognoscit. Ibi ab eo salutare monitum audivit: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

17. *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Deum in summa quiete semper operantem adoremus, & tranquillo assiduoque labore honoremus, status nostri officia fideliter adimplendo propter ejus gloriam. Variæ sunt ac multiplices operationes nostræ in hac mortali vita, variæ cogitationes, varia negotia: una erit in altera vita, continua, nullisque interrumpenda necessitatibus operatio, Deum videre, *S. Aug. in* amare, laudare. *Non fluctuabit negotium nostrum, otio-* *Ps.* 147. *n.* 3 *sum negotium plenum solius dulcedinis, nulla interpellatum molestia, nulla fatigatione sauciatum, nulla nube* *Psal.* 83. 5. *perturbatum. Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare, & laudare, laudare in amore, amare in laudibus.* Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Quare, nisi quia in sæcula sæculorum amabunt te? Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te?* Ad beatam illam operationis in vita æterna unitatem suspiremus, nosque ipsos disponamus, mentem nostram ac voluntatem Deo in omni labore ac opere nostro unientes, illudque per ejus amorem sanctificantes & consecrantes.

19. 20. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Si filii Dei per gratiæ ejus adoptionem sumus, agnoscemus & humiliter profitebimur nihil nos a nobis ipsis facere posse boni, cum de nostro non habeamus nisi mendacium & peccatum, & ad bonum nihil possimus, nisi præveniamur & *Philipp.* 2. adjuvemur ab omnipotenti bono. Deus enim *operatur in* 13. *vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Se autem Patri cœlesti conformare nititur vir justus, dans operam ut sit perfectus, sicut Pater cœlestis perfectus est. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Atque in primis Dei caritatem imitatur, Deum diligens, sicut a Deo diligitur: *Pater enim diligit Filium*: & sicut Dei Filius incarnatus Christus Jesus Dominus noster voluntatem Patris & omnia ejus consilia adimplevit: ita vir justus, Deique per gratiam adoptionis filius, Dei voluntatem in omnibus exequi studet, eique se plene conformare ut regulæ indeficienti: *Et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.*

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & filius, quos vult, vivificat.* Vitam naturæ per Filium suum nobis dedit Pater, *In ipso* enim *vita erat, & vita erat lux hominum.* In Filio non minus quam in Patre, vivimus, movemur, & sumus. Per Filium dat nobis vitam gratiæ. *Sicut* enim *in Adam omnes moriun-* 1. *Cor.* 15. *tur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et, *Bene-* 22. *Ephes.* 1 *dixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Jesu.* Nullis nostris meritis, sed gratia ejus justificamur gratis. *Sic & Filius, quos vult, vivificat.* Vitam denique æternam electis suis per Christum Jesum Filium suum dabit. *Ego veni* (inquit) *ut vitam habe-* Jo. 10. 10. *ant, & abundantius habeant . . . Ego vitam æternam* 28. *do eis.* Gratias ob tanta beneficia agamus Deo Patri, per Filium ejus, in Spiritu sancto.

Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod vi- *S. Augusti.* *derit Patrem facientem . . . Pater enim diligit Filium,* *Tract.* 18. *& omnia demonstrat ei, quæ ipse facit,* &c. Sublimia *in Jo.* hæc & intellectu difficilia. Itaque valde caute hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus; & corde pio, & cum tremore. „ Hanc tenentes regulam sa„ nitatis, ut quod secundum fidem quam imbuti sumus, „ intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus: „ quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere „ nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelli„ gentiam differamus; hoc est, ut etiam si quid sit ne„ scimus, bonum tamen & verum esse minime dubite„ mus. " Ut autem perveniamus ad Mysteriorum tam sublimium intelligentiam, animum purgemus, mores emendemus. *Mores perducunt ad intelligentiam; genus vitæ perducit ad genus vitæ.* „ Alia vita terrena, alia vita „ cœlestis; alia vita pecorum, alia vita hominum, alia „ vita Angelorum. Vita pecorum terrenis voluptatibus „ æstuat, sola terrena conquirit, in ea prona atque pro„ jecta est: vita Angelorum sola cœlestia: vita hominum „ media. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus „ comparatur: si vivit secundum spiritum, Angelis so„ ciatur. Quando secundum spiritum vivis, quære etiam „ in ipsa Angelica vita utrum parvus an grandis sis. Si „ enim adhuc parvus es, dicunt tibi Angeli, Cresce, „ nos panem manducamus, tu lacte nutrire, lacte fidei, „ ut pervenias ad cibum speciei. Si autem adhuc inhia„ tur sordidis voluptatibus, si adhuc fraudes cogitantur, „ si mendacia non vitantur, si mendacia perjuriis cumu„ lantur: tam immundum cor audet dicere, Explica „ mihi quomodo videt Verbum? Etiamsi possim, etiamsi „ ego jam videam. Porro autem si forte ego non sum „ in his moribus, & tamen ab ista visione longe sum: „ quantum ille qui nondum isto superno desiderio rapi„ tur, terrenis desideriis prægravatus? Multum interest „ inter aversantem & desiderantem: & iterum multum „ interest inter desiderantem & fruentem. Vivis ut pe„ cora, aversaris: Angeli perfruuntur. Tu autem si non „ vivis ut pecora, jam non aversaris: desideras aliquid, „ & non capis. Inchoasti ipso desiderio vitam Angelo„ rum. Crescat in te, & perficiatur in te: & capias „ hoc non a me, sed ab illo qui & me fecit, & te. "

22. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Sic vivamus, ut venturum judicem securi videamus. Diligamus Salvatorem, ejusque præceptis pareamus, ut judicem sustinere possimus. Piis & impiis, electis & reprobis videbitur; in ea nempe judicaturus est, in qua judicatus: *Forma servis demonstrabitur; forma Dei filiis servabitur. Fiant ergo servi filii;* *S. Aug.* *qui sunt ad dexteram, eant in æternam hæreditatem olim* *Tract.* 21. *promissam, quam non videntes Martyres crediderunt, pro* *in Jo.* *cujus promissione sanguinem suum sine dubitatione fuderunt: eant illuc & videant ibi.* Eant per caritatem & mandatorum observantiam; hæc est via ad videndum Patrem, & Filium in forma Dei. *Qui habet mandata mea* (inquit) *& servat ea, ille est qui diligit me; qui au-* *Johan.* 14. *tem diligit me diligetur a Patre meo: & ego diligam* 21. *eum, & manifestabo ei me ipsum.* „ Non te fraudabo, „ o homo fidelis, crede quia videbis. Amas, & non vi„ des: amor ipse non te perducet ut videas? Ama, per„ severa in amando: non fraudabo, inquit, amorem „ tuum, qui mundavi cor tuum. Ut quid enim mundavi „ cor tuum, nisi ut Deus a te possit videri; *Beati mun-* *Matth.* 5. 8. *do corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* "

24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam.* Hæc summa Christianæ Religionis. 1. Evangelium audire, non auribus dumtaxat corporis, sed cordis: *Qui verbum meum audit.* 2. Trinitatis & Incarnationis Mysteria fide explicita credere: *& credit ei qui misit* *S. Augusti.* *me.* 3. Lapsum Adami, totiusque humani generis in *Tract.* 22. ipso, peccatum originale in omnes homines transfusum, *in Jo.* mortem animæ & corporis consecutam, illique & posteris communem, 4. Necessitatem Redemptoris ac Mediatoris, per cujus passionem, mortem, ac resurrectionem de morte ad vitam transeamus. 5. Spes vitæ æternæ: *habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam.* Christi verbo per fidem firmiter adhæreamus: illo in spe vitæ æternæ nutriamur: illud per caritatem servemus & executioni mandemus.

Qui credit in me . . . in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam. Duplex judicium est, unum discretionis, alterum damnationis. Primum spectant hæc Prophetæ verba: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Secundum hoc judicium, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Secundum autem judicium damnationis: *Qui audit verba mea,* inquit, *& credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam.* Quid est, *in judicium non venit?* In damnationem non venit, *sed transiit a morte ad vitam.* Quæ est vita tua? Fides. *Justus ex fide vivit.* Infideles quid? Mortui sunt. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (inquit Christus). *Surge qui dormis* (ait Apostolus) *& exsurge a mortu-* Rom. 1. 17. *is, & illuminabit te Christus.* „ Jam cum te credentem illuminaverit, transisti a morte ad vitam: Mane „ in eo quod transisti, & non venies ad judicium. Tran„ sire igitur de morte ad vitam, est transire ab infide„ litate ad fidem, ab injustitia ad justitiam, a superbia „ ad humilitatem, ab odio ad caritatem. "

25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei & qui audierint,*

dierint, vivent. Mortuos omnes ad vitam revocavit vox imperiumque Filii Dei: peccatores interim voce inspirationum suarum ad vitam vocat, & qui audiunt, vivunt. In potestate quidem omnium est audire vel non audire, quatenus libere audiunt vel non audiunt; sed plena & perfecta potestas non est ad audiendum, nisi Deus aures cordis aperiat. Quot inter Christianos qui vita corporis vivunt & spirant, vere sunt mortui! Qui enim credunt, & secundum veram fidem agunt, vivunt, & mortui non sunt: qui autem vel non credunt, vel sicut dœmones credunt, trementes & male viventes, Filium Dei confitentes & caritatem non habentes, mortui potius deputandi sunt. Et tamen adhuc agitur hora ista de qua locutus est Dominus: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei*. Ex quo locutus est Christus usque ad hoc tempus, & usque ad finem sæculi, ipsa una hora agitur, de qua S. Johannes ait: *Filioli, novissima hora est*. Nunc ergo qui mortui sunt, audiant vocem Filii Dei, & vivant; surgant in corde suo; de sepulchro suo procedant. „ Mortuus in corde tuo tam- „ quam in sepulchro jacebas, & tamquam saxo malæ „ consuetudinis gravabaris. Surge, & procede. *Quid „ est, surge & procede?* Crede, & procede. *Et qui au- „ dierint, viveni*. De qua vita? De Christo. *Ego sum*, „ inquit, *via, veritas, & vita*. Ambulare vis? *Ego* „ sum via. Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non „ vis? Ego sum vita. *Hoc dicit tibi Salvator tuus:* Non „ est quo eas, nisi ad me; non est qua eas, nisi per „ me . . . . Erigat te Christus per id quod homo est, „ ducat te per id quod Deus homo est, perducat te ad „ id quod Deus est. "

S. Augustin. Tract. 22. in Jo. 1. Jo. 2. 18.

S. Augustin. Tract. 23. in Jo. n. 6.

26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Paulus vitam habet, non in semetipso, sed in Christo. Tu fidelis ubi habes? Non in temetipso, sed in Christo. „ Vivo ergo „ (*inquit Apostolus*) jam non ego, vivit vero in me „ Christus. VITA NOSTRA tamquam nostra, id est, „ de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, pec- „ catrix, iniqua: vita vero bona de Deo in nobis est, „ non a nobis: a Deo nobis datur, non a nobis. Chri- „ stus autem in semetipso habet vitam sicut Pater, quia „ Verbum Dei. Non modo male vivit, & modo bene „ vivit; homo autem modo male, modo bene. Qui male „ vivebat, in vita sua erat: qui bene vivit, ad vitam „ Christi transiit. Particeps factus vitæ, non eras quod „ accepisti, & eras qui acciperes: Filius autem Dei non „ quasi primo fuit sine vita & accepit vitam. Si enim „ sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. „ Quid est enim, *in semetipso*? Ut ipsa vita ipse esset. "

S. Augustin. Tract. 22. in Jo. Galat 2. 20.

28. 29. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*. Tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, ut resurgant animæ, resurgant & corpora. Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Per quid anima, nisi per Deum Christum? per quid corpus, nisi per hominem Christum?

S. Aug. Tract. 23. in Johan.

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, &c. Inter bona & mala opera, nihil medium. Omnia enim opera, omnes actus voluntatis nostræ, vel ex amore Dei, vel ex amore proprio ortum habent: quæ ex caritate procedunt, ad Deum referuntur, & ab eo remunerabuntur: quæ ex cupiditate, non referuntur ad Deum, & ab eo punientur.

30. *Judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Voluntati Dei ut certissimæ & immutabili regulæ adhæreamus, ut judicium nostrum de rebus divinis & animæ nostræ salutem spectantibus semper justum ac rectum sit. Ideo enim sæpe falsum & injustum est judicium nostrum, quia voluntatem nostram & cupiditatem implere quærimus, non voluntatem Dei. Quamobrem *Pluit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*.

S. Augustin.

31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, &c.* Christi missio & divinitas probata est. 1. Testimonio Johannis. *Vos misistis ad Johannem, & testimonium perhibuit veritati*. 2. Testimonio operum divinorum: *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*. 3. Testimonio Patris. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*. 4. Testimonio Scripturarum. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Christi & Ecclesiæ Ministri de seipsis testimonium non perhibeant, jactantiam & ostentationem fugiant: bonorum operum exemplo, non humanis laudibus probari cupiant & satagant; Scripturas scrutentur; in illarum lectione non solum assidue versentur, sed earum sensum quærant & assequi curent, diligenti collatione ipsarum Scripturarum, Patrum antiquorum lectione, Ecclesiæ Catholicæ doctrina ab Apostolis tradita, & per continuam Episcoporum successionem ad nos usque transmissa. *Scrutamini Scripturas* quæ sunt *substantia Sacerdotii*, quæ *utiles* sunt *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Nulli se ingerant Ecclesiastico ministerio propria voluntate, non curæ animarum, non verbi divini prædicationi, non confessionibus excipiendis & conscientiis moderandis, absque legitima vocatione & missione. Unam vero Dei gloriam, & Animarum Christi sanguine redemptarum salutem pro fine habeant. Superbiam, inanemque gloriam, non solum fructum omnem laborum ipsis præreptum cogitent; sed & fidei fundamentum quodammodo concussuram, si in ea finem suum constituant. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?* Hinc Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem*, (inquit) *Christi servus non essem*. Non credunt, inquam, fide per dilectionem operante, qui gloriam humanam quærunt magis quam gloriam Dei. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis*.

2. Tim. 3. 16.

Gal. 1. 10.

1. Christianis omnibus commendetur lectio Scripturarum, quæ ad Christi cognitionem perducunt, & viam regni cœlestis, æternæque vitæ ostendunt. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*.

2. Inculcandum omnibus est divini amoris præceptum, qui *Nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur* (ut loquitur S. Augustinus). *Dilectionem Dei non habetis in vobis*.

3. Omnibus pariter inculcandum est, ut recta & pura intentione omnia opera sua confecrent, & semper in Christi nomine, ac propter Dei gloriam operentur; quod nisi faciant, agunt ut infideles, ut Pagani, animalia gloriæ, mancipia superbiæ, servi cupiditatis & voluptatis. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?*

CAPUT VI.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. *Post hæc*, non statim post Sermonem superiori capite descriptum, sed multis interjectis, quæ ab aliis Evangelistis narrantur, & post annum circiter, *abiit Jesus trans Mare Galilææ*, sive Lacum Genesareth, *quod est Tiberiadis*, ad eam lacus partem quæ Tiberiadi adjacet, civitati ab Herode Tetrarcha conditæ in honorem Tiberii Cæsaris. *Et sequebatur eum multitudo magna* pedestri itinere, pars beneficii, pars spectaculi, pars divinorum sermonum avida: *Quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in Montem Jesus, & ibi sedebat cum Discipulis suis*, ut paululum quiesceret. *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum*. Tertium istud Pascha fuit a baptismo Christi.

5. 6. *Cum sublevasset ergo oculos, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum*, cum de monte descendisset, locutus illis fuisset de regno Dei, ac infirmos illorum curasset, *dixit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum*, seu fidem ejus experiri volens; *Ipse enim sciebat quid esset facturus*, apud se decreverat, & cum Patre constituerat ab æterno, quid esset in his rerum circumstantiis facturus.

7. 8. 9. 10. *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*. Ducenti denarii septuaginta septem circiter libellis monetæ nostræ æquivalent. *Dicit ei unus ex Discipulis ejus Andreas frater Simonis Petri; Est puer* seu adolescens *unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* Ad tantam hominum multitudinem alendam hæc certe non sufficiunt. *Dixit ergo ei Jesus; Facite homines discumbere*. Tametsi enim humanum præsidium deficiat, eis alimenta divina virtute subministrabo. *Erat autem fœnum multum in loco*, ut commode discumberent: *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia*, præter mulieres, & pueros. Soli enim viri secundum morem Legis numerantur.

11. 12. 13. *Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset* Deo, *distribuit discumbentibus*, Apostolorum ministerio: *similiter & ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt*: postquam exempta fames, *dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt* seu residua sunt *fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant*. Omnia ita moderatus est Christus, ut ex circumstantiis miraculi necessitas, veritas, & magnitudo certo constarent. Confer cum *Matthæi* 14. *Marci* 6. & *Lucæ* 9.

14. 15. *Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fecerat signum* omnes naturæ vires adeo superans, dicebant: *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*, Messias a Deo promissus, & a nobis exspectatus.

Deuteron. 18.

tus. *Jesus ergo eum cognovisset* introspectis divina vi eorum consiliis, *quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem*, excusso alieni imperii jugo, spe facilis alimoniæ & terrenæ felicitatis per eum procurandæ; *fugit iterum in montem ipse solus*, tum ut fastum honoris & potestatis sæcularis declinaret, Regnumque suum de hoc mundo non esse opere demonstraret, tum ut orationi vacaret.

16. 17. 18. 19. 20. 21. *Ut autem sero factum est, descenderunt Discipuli ejus ad mare, & cum ascendissent navim*, in portu Bethsaidæ, *venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jesus*, tametsi multa nox esset. Ideo navim ascenderunt, & Capharnaum versus remigarunt, quo illum præcessisse putabant. *Mare autem, vento magno flante, exsurgebat*, intumescebat, concitabatur. *Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta*, provecti *vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt*, spectrum esse existimantes. *Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere* velut infaustum omen, aut nocturnum terriculum. *Voluerunt ergo accipere eum in navim*, enixe eum rogarunt ut in navim ascenderet, & cum ascendisset, jam secundis ventis & fluctibus, qui prius contrarii erant, *& statim navis fuit*, sive appulit *ad terram, in quam ibant*. Confer cum *Matth.* 14. *vers.* 22. *usque ad* 36. & *Marci* 6. *vers.* 45. *ad* 56.

22. 23. 24. *Altera die*, sequenti post miraculum multiplicationis quinque panum, *turba quæ stabat trans mare*, id est quæ in portu substiterat, *vidit* seu recordata est *quia navicula alia non erat ibi* pridie *nisi una, & quia non introisset cum Discipulis Jesus in navim* illam, *sed soli Discipuli ejus abiissent*: Jesum nullo navigio transfretasse, sed mare trajecisse ambulando super aquas, conjecit: *Aliæ vero venerunt naves a Tyberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Dominos*, ubi Dominus post gratiarum actionem illos quinque panibus refecerat. *Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque Discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum*, in Urbe in qua frequens morabatur.

S. Cyrill. Alexand. Lib. 3. in Jo. p. 294.

25. 26. *Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?* Christus vero inani & inutile quæstione neglecta, latentem in eorum cordibus morbum curare satagit increpatione & admonitione salutari. *Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa*, non quod credatis doctrinæ meæ miraculis tam insignibus confirmatæ, *sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*. Temporariam dumtaxat utilitatem & alimoniam facile & sine labore vobis subministrandam quæritis, quasi simile in vestri gratiam miraculum quotidie sim facturus.

27. *Operamini cibum qui non perit*, procurate vobis cibum longe excellentiorem & incorruptibilem, qui in ventrem non vadit, *sed qui permanet in vitam æternam*, cibum non corporis, sed animæ, qui comedentes servat a morte, & ad vitam æternam alit: *quem* cibum *Filius hominis dabit vobis*. Hunc ego ipse vobis dabo: *Hunc enim Pater signavit Deus*. Deus Pater meus, qui mentiri non potest, divinam quam habeo potestatem dandi hominibus cibum illum vivificum, semen illud immortalitatis, miraculis quæ operor quasi sigillo suo confirmat. Non erit mihi difficile cibum dare vobis permanentem, qui ad vitam & delicias conducat sempiternas. Nam etsi tamquam unus vestrum appaream, homo nimirum cum carne, unctus sum tamen & signatus a Deo Patre in omnimodam similitudinem cum ipso: nec minor ullo modo virtute Genitoris mea virtus est.

S. Cyr. lib. 3. in Jo. cap. 5. p. 300.

28. 29. 30. 31. *Dixerunt ergo ad eum: quid faciemus, ut operemur opera Dei?* Id est, opera apprime Deo grata. Meminerant Legi tribui vim alendi spiritaliter, *Deuteron.* 17. 3. Quærunt ergo an aliud præscribendum habeat præter observantiam Legis Mosaicæ, ut novum illum vitæ æternæ cibum promereri possint. *Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei*, opus Deo imprimis acceptum, *ut credatis in eum quem misit ille*. Non sufficit vobis cultus legalis ad salutem, Fides vobis necessaria est, qua credatis in Messiam & Salvatorem mundi, quem Patribus vestris promissum jam misit Deus, id est in me. In tertia autem persona loquitur, ut honorem muneris sui pro more referat ad Patrem. *Dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum* Messia dignum, *ut videamus & credamus tibi?* Luculentiora expetimus testimonia, majora miracula his quæ hactenus edidisti. *Quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo* descendentem *dedit eis manducare*. Moyses sexcenta millia & amplius Manna cibavit in deserto per annos quadraginta: Tu vero quinque millia tantum terrenis panibus, & semel quidem aluisti. Si Moyse major es, majora ede miracula. Hic incredulorum & ingratorum Judæorum sensus.

Exodi 16. 14. *Num.* 11. 7. *Ps.* 77. 24. *Sap.* 16. 20.

32. 33. 34. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo* panem vere cælestem, sed figuram & umbram dumtaxat illius: *sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum*, scilicet me ipsum, qui sum panis vitæ, non uni Judæorum genti, sed toti mundo datus. *Panis enim Dei est*, id est vere divinus & cœlestis, *qui de cœlo descendit*, non de nubibus dumtaxat, sed de sinu Dei Patris, *& dat vitam* perennem ac beatam *mundo*, omnibus ex orbe universo electis. *Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc*, tam desiderabilem, ut sine labore, sine anxietate alamur.

35. 36. *Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ*, panis vivus & vivificus: *Qui venit ad me*, qui se in disciplinam meam tradit, seque mihi devovet, *non esuriet; & qui credit in me, non sitiet umquam* . . . Longe igitur præstantior & admirabilior est panis, quem vobis offero, Manna quod ministerio Moysis datum est: siquidem qui Manna comederunt, adhuc esurierunt: longe excellentior & admirabilior aquis quas ex saxo eduxit, quas qui biberunt, adhuc sitiverunt. Panis qui vobis præsto est, potus simul ac cibus est, famem ac sitim extinguens animæ, ita ut nihil ipsi præterea necesse sit in æterna vita. *Sed dixi vobis, Quia & vidistis me*, spectatores fuistis miraculorum probantium missionem ac divinitatem meam, *& tamen non creditis* me esse Messiam, Filium Dei, Salvatorem mundi. Cor nempe vestrum incrassatum est.

37. 38. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Sed quamvis non credatis, nihil mihi perit ex populo electo, quem dedit mihi Pater in hæreditatem, nec infidelitas vestra fidem Dei evacuavit. Nam omnes qui mihi dati sunt a Patre, *prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus*, ad me venient, id est, mihi credent: *& eum qui venit ad me, non ejiciam foras*; eum qui mihi datus a Patre, ad me venit, non ejiciam e domo mea, ac regno, sed illum fovebo, protegam, adjuvabo ut perseveret, perseverantem denique coronabo: *quia descendi de cœlo* per Incarnationis meæ mysterium, *non ut faciam voluntatem meam*, nempe humanam, quæ dissentanea sit voluntati Patris; *sed voluntatem ejus qui misit me*: ut omnia congruenter agam paternæ voluntati, quæ & mea est, quatenus Deus sum, & Verbum in principio existens apud Deum.

Ephes. 1. 11. 12.

39. 40. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*; ut ex iis omnibus quos dedit mihi, neminem in æternum perire patiar; *sed resuscitem illud*, id est, electos omnes, ad gloriam cœlestem æternamque felicitatem, *in novissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium*, qui illum attento animo considerat in carne assumpta, & ex doctrina & miraculis vere Filium Dei esse agnoscit, *& credit in eum* fide viva, tamquam in Salvatorem & Mediatorem unum Dei, & hominum, *habeat vitam æternam*, certissime consequatur vitam æternam, ad quam ab æterno electus est; *& ego resuscitabo eum in novissimo die*, ad vitam immortalem, & beatam.

41. 42. 43. *Murmurabant ergo Judæi de illo*, sive contra illum, *quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Illum nempe merum hominem esse censebant, cujus terrenam se nosse putabant originem, humilemque conditionem. Et dicebant: *Nonne hic est Jesus filius Joseph* fabri, *cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi?* Si merus homo Jesus fuisset, Judæorum offensioni obviam iviisset, dicendo, Se e cœlo non descendisse secundum personam & naturam, quasi divinæ originis esset ac naturæ, verusque Deus ac Dei Filius; sed quod doctrinam cælitus inspiratam doceret. Tantum vero abest ut illam removeat intelligentiam & opinionem quod e cœlo reipsa descendisset, naturaque & origine verus Deus esset; quin immo illam adstruit & confirmat. *Respondit ergo Jesus*, & dixit eis: *Nolite murmurare invicem*, seu inter vos: quibus verbis omniscium se ostendit.

44. *Nemo potest venire ad me*, id est, mihi credere quod sim Messias, verus Dei Filius, mundi Salvator, & hoc nomine mihi adhærere, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* interius invictissima gratiæ suæ efficacia & suavitate omnia humana merita præveniente, cor aperiente, flectente, innovante, accendente, impellente, convertente, & ex nolentibus volentes faciente. *Et ego resuscitabo eum*, qui ad me venerit, & in me manserit, *in novissimo die*. Partem illi dabo in resurrectione Justorum.

45. 46. *Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei*. Omnes Ecclesiæ filii docti erunt a Deo, non voce tantum extrinsecus insonante, sed interius revelante. *Omnis qui audivit a Patre*, quem interius docuit Pater, *& didicit* eo illuminante & docilitatem fidemque donante, *venit ad me*, credit me esse Filium Dei, mundique Salvatorem, mihi eo nomine adhæret. *Non quia Patrem vidit quisquam*, velut ludimagistrum discipulos docentem, (Valde enim remota est a sensibus carnis hæc schola in qua Pater auditur & docet,) *nisi is qui est a Deo* genitus & missus Filius ejus unigenitus, *hic vidit*

Isai. 54. 13.

vidit Patrem, cujus in sinu manet, unius cum ipso naJo. 1. S. turæ & scientiæ. *Nemo Deum vidit umquam; Unigeni-*
Cyrill. Lib. *tus qui est in sinu Patris, ipse narravit.* Cum autem se
4. in Jo. p. & ex Deo esse, & vidisse Patrem statuit, se ipsum ex
348. omnium creaturarum numero excludit. Cum ergo extra omnia sit, & nemine Patrem vidente, solus eum ipse videat, numquid in omnium numero non esse censendus est, ut unus ex ipsis, sed extra omnia, ut supra omnia? Et, si cum a Deo omnia existere dicantur, ac nemo Patrem videat, solus ipse eum videt: illud, *a Deo*, recte intelligemus de ipso solo, quasi dicat *ex substantia Patris*.

47. 48. 49. 50. *Amen, amen dico vobis, Qui credit in me*, qui me Filium Dei esse credit, doctrinamque meam amplectitur, & mandata servat, *habet vitam æternam*, jus certissimum ad vitam æternam, pignus æternæ felicitatis. *Ego sum panis vitæ*, panis vivificus, & vitam æternam in me credentibus, spiritualiter per fidem caritate formatam manducantibus præstans. *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt*, quotquot illud manducaverunt, ad vitam enim corruptibilis corporis tuendam & sustentandam, non ad procurandam immortalitatem datum est. *Hic est panis de cœlo descendens*: Ego sum panis ille: *Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. Eo fine sum incarnatus ut quisquis mihi per fidem & caritatem intime unitus & incorporatus fuerit, in meque manserit, non moriatur morte æterna sive animæ, sive corporis. Divini enim hujus cibi virtute in vitam æternam, beatam, & gloriosam suscitandus est.

51. 52. *Ego sum panis vivus*, in me ipso vitam habens, panis Angelorum quatenus Verbum Patris & vita apud Deum, *qui de cœlo descendi*, & assumpta carne factus sum panis hominum in me credentium. *Si quis manducaverit ex hoc pane*, seu spirituali manducatione per fidem Incarnationis ac Passionis meæ, seu Sacramentali simul & spirituali per Sacramentum quod instituam Cor-
Tex. Græc. poris & Sanguinis mei, vivet in æternum: *Et panis, quem ego dabo*, ipsa *caro mea est*, quam ego dabo, id est, quam offeram Patri in altari crucis ut victimam *pro mundi vita*. Non ergo figuram dumtaxat carnis suæ, sed veram carnem se daturum in Sacramento Eucharistiæ, de quo hunc locum summo consensu veteres Patres intelligunt, & Ecclesia a Spiritu sancto edocta, Christus promittit.

53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem*, inter se disceptabant, *dicentes*: *Quomodo potest hic*, quem novimus, *nobis carnem suam dare ad manducandum?* An carnem suam aliorum more ciborum in frusta concisurus ac discerpturus est, ut eam manducandam apponat? Hoc impossibile & horrendum. Si nudam carnis suæ figuram vel merum panem carnis suæ virtute & efficacia plenum se daturum credentibus Christus Jesus promisisset, Judæorum contentionem facillime sedare, & offensionem removere potuisset, dicendo se panem daturum ceu figuram carnis suæ, & fide tantum, non ore carnem suam manducandam se commendare. Verum tantum abest ut ideam veræ carnis, veræque & oralis manducationis a verborum suorum sensu removerit, ut potius illam confirmaverit.

54. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, id est meam, *& biberitis ejus sanguinem* (quorum unum sine altero fieri non potest, siquidem in qualibet parte Sacramenti corpus Christi continetur & sanguis secundum substantiam & integritatem) *non habebitis vitam* æternam *in vobis*, id est, non perseverabitis in vita spirituali, ut sit vobis æterna. His verbis præceptum Christus tradit de carne sua manducanda in Sacramento Eucharistiæ, vel reipsa, vel voto & desiderio, si necessitas rem excludat. Qua de re legendi Theologi.

55. 56. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, eo modo quo manducari ac bibi debent, non ore solum corporis sumendo sub Sacramento, sed ore mentis & cordis per fidem & caritatem, *habet vitam æternam*, jus ad vitam æternam, pignus vitæ æternæ; *& ego resuscitabo eum in novissimo die*, vi corporis & Sanguinis mei, quod semen est immortalitatis & incorruptionis. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; non metaphorice solum aut mystice, sed re ipsa; non fluxus & caducus, sed æternus. *Qui man-*
S. Hilarius *ducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me*
l. 8. de Tri- *manet, & ego in illo*, non spirituali tantum, sed cor-
nitate, n. porali unitate & commixtione. „ De veritate carnis &
14. p. 958. „ sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim „ & ipsius Domini professione, & fide nostra *vere caro* „ *est, & vere sanguis est*. Et hæc accepta atque hausta „ id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in no„ bis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane „ his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum „ denegant. Est ergo ipse nobis ipse per carnem, & sumus „ in eo: dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. "
S. Cyr. lib. Christus non ait, „ Se dumtaxat in nobis futurum se-
10. p. 853. „ cundum relationem quamdam affectus, sed & per par„ ticipationem naturalem. Ut enim si quis ceram ceræ „ conjunctam igne simul liquefecerit, unum quid ex am„ bobus efficit, ita per corporis Christi, & pretiosi san„ guinis participationem ipse quidem in nobis, nos au„ tem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter „ vivificari potest quod natura sua est corruptibile, „ quam si corporaliter unitum sit corpori ejus qui secun„ dum naturam suam est Vita, hoc est, Unigeniti. "

58. *Sicut misit me vivens Pater*, sicut Pater qui misit me Deus vivens est, & fons omnis vitæ, *& ego vivo propter Patrem*, id est, Patre auctore; *& qui manducat me, & ipse vivet propter me*, id est, me auctore. Non est alia vita mea quam Patris: proinde mirum vobis esse non debet si carnem meam vivificare asseram eos qui illam manducabunt. „ Vivit ergo per Patrem: & quo *S. Hilarius* „ modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem *lib. 8. p. 957* „ ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ „ formam præsumitur, ut id de quo agitur, secundum „ propositum exemplum assequatur. Hæc ergo vitæ no„ stræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per „ carnem Christum habemus: victuris nobis per eum ea „ conditione qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos na„ turaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, „ naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter „ secundum Spiritum in se Patrem habeat, cum vivat „ ipse per Patrem? "

59. *Hic est panis*, caro mea est ille panis, *qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna & mortui sunt*: ut alterius naturæ, ita longe majoris virtutis est quam Manna, quod manducaverunt Patres vestri in deserto, & nihilominus mortui sunt. Manna enim figura tantum erat vivifici illius panis, quem vobis sum daturus. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*.

60. 61. *Hæc dixit Jesus palam in Synagoga docens, in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus*, non ex duodecim Apostolis, sed ex aliis qui frequentiores illum sectabantur, *dixerunt*: *Durus est hic sermo*, incredibilis, *& quis potest eum audire?* Quis patienter audiat?

62. 63. *Sciens autem Jesus apud semetipsum*, id est, ex se ipso nullo indicante, *quia murmurarent de hoc discipuli ejus*; quod dixerat se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, &c. *dixit eis*: *Hoc vos scandalizat?* Itane sermo ille quasi durus & incredibilis vos offendit? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Numquid omnem offensionem ex animis vestris non tollet aliquando Ascensio mea in cœlum, ubi eram prius, & ab æterno ut Deus, quo ascendam secundum naturam humanam, idem ipse qui descendi; quia unumquodque ad originem suam redire necesse est? Si carnem meam vivificare non posse putatis, quia natura sua comparata non est ad vivificandum; quomodo in cœlum ascendet, cum hoc æque carni per se sumptæ impossibile sit? Quod si præter naturam, & virtute Verbi Dei, cui *S. Cyr. Lib.* unita est, & in quo subsistens est, ascendat, quid prohi- *4. p. 375.* bet quo minus etiam vivificet, licet natura sua vivificare non possit? Nam qui cœleste effecit, id quod de terra est, vivificum æque reddet, tametsi corruptioni obnoxium.

64. *Spiritus est qui vivificat*; divinitas mea conjuncta carni vivificandi vim ipsi tribuit; ipsa vero caro per se sine divinitate nihil prodesset. Spiritus est Deus. Sicut ergo caro per se non vivit, sed ex spiritu: ita caro mea non est per se vivifica, sed per Verbum cui unita est. Corpus enim est ejus qui vita est secundum naturam, non autem alicujus terreni hominis, de quo jure dici possit, *Caro non prodest quidquam*. Non enim Pauli, ver- *S. Cyrillus* bi gratia, aut Petri, vel cujusvis alterius caro id in no- *ibid. p. 376.* bis præstabit: sed unica & sola Salvatoris nostri Jesu Christi, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* . . . . . Caro non prodest quidquam, *sed quo-* *S. Aug.* *modo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt,* *Tract. 27.* *quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello vendi-* *in Jo.* *tur, non quomodo Spiritu vegetatur*. Proinde sic dictum est, *Scientia inflat*. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. „ Et quid est, Scientia inflat? Sola sine carita„ te: ideo adjunxit, Caritas vero ædificat. Adde ergo „ scientiæ caritatem, & utilis erit scientia, non per „ se, sed per caritatem. Sic etiam nunc, Caro non pro„ dest quidquam, sed sola caro: accedat Spiritus ad car„ nem, quomodo accedit caritas ad scientiam, & pro„ dest plurimum; nam si caro nihil prodesset, Verbum „ caro non fieret ut inhabitaret in nobis. "

Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, spiritaliter, non carnaliter intelligenda sunt, non de carne mortua, sed viva, & Spiritui Deo personaliter conjuncta, ideoque vivifica. Verba quæ de carne mea manducanda vobis locutus sum spiritaliter intellecta vitam afferent; carnaliter accepta, ut plerique vestrum intellexerunt de carne mortua & in frusta concisa, qualis in macello venit, dentibusque dilanianda, vobis mortis essent occasio, quia *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Ceterum in sensu figurato & metaphorico

verba

verba sua non esse accipienda, quibus carnem suam se daturum in cibum promiserat, non esse (inquam) intelligenda de figura carnis suæ, sed de vera carne; non de manducatione dumtaxat spirituali, sed reali, ex eo compertum est: 1. Quod præmisso juramento fidem exigat: *Amen, amen dico vobis, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 2. Quod vere, non typice cibum esse carnem suam asserat, eamque veteri figuræ, scilicet Mannæ opponat. *Caro mea vere est cibus . . . . . Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, &c.* 3. Quod Judæos, Discipulosque suos de veræ carnis ejus vera realique manducatione verba ejus intelligentes, & velut incredibilia rejicientes non docuerit Magister optimus explicata figura & metaphora, quæ explicatio offensionem omnem ex eorum animis removisset, illosque continuisset in officio; cum verba Domini in sensu metaphorico intellecta, scilicet de figura carnis, & spiritali per fidem manducatione, nihil incredibile significarent. 4. Quod rei admirabilioris, & humanæ rationis comprehensionem non minus excedentis exemplo fidem adstruat carnis suæ in verum cibum dandæ. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Carnem ergo suam in Sacramento vere & reipsa manducandam, invisibiliter tamen, commendat Christus. *Verba quæ locutus sum vobis*, inquit, *spiritus & vita sunt*: Id est, *Sacramentum quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Sic interpretatur Sanctus Augustinus in Psalmum 98.

65. 66. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Verumtamen sunt quidam ex vobis qui verbis meis vitam & salutem afferentibus fidem non adhibent ob animi superbiam & contumaciam. Id dixit Jesus se cordium inspectorem & scrutatorem esse ostendens. *Sciebat enim ab initio Jesus*, ab eo primo tempore quo eum sectari cœperant discipuli, imo a primo instanti Incarnationis suæ, ut homo, ab æterno ut Deus, *qui essent non credentes, & quis* ex numero duodecim Apostolorum *traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me*, in me credere mihique adhærere, *nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Fides enim gratuitum omnino Dei donum est. „ *Igitur* Et qui Evan-
„ gelium non audierunt, & qui eo audito in melius com-
„ mutati perseverantiam non acceperunt, & qui Evan-
„ gelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum cre-
S. August. lib. de Corrept. & Grat. c. 7. „ dere noluerunt, quoniam ipse dixit: *Nemo venit ad*
„ *me, nisi ei datum fuerit a Patre meo*: & qui per æ-
„ tatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab origi-
„ nali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi
„ quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt,
„ ab illa consperssione discreti, quam constat esse damna-
„ tam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.
„ Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam
„ Mediatoris, hoc est, in sanguine secundi Adam ju-
„ stificati gratis. Itaque cum audimus: *Quis enim te*
„ *discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si*
„ *autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*
„ Ab illa perditionis massa quæ facta est per primum
1. Cor. 4. 7. „ Adam, debemus intelligere neminem posse discerni,
„ nisi qui hoc donum habet, quilquis habet, quod gra-
„ tia Salvatoris accepit.“

67. 68. *Ex hoc multi discipulorum ejus abjerunt: & jam non cum illo ambulabant.* Ex eo tempore, sive ea occasione multi ex discipulis ejus ab ejus comitatu & contubernio desciverunt, nec eum amplius ut Magistrum suum agnoscebant & sectabantur. *Dixit ergo Jesus ad duodecim* Apostolos: *Numquid & vos vultis abire?* Ut nullos sua causa quærere ostenderet, sed propter eorum salutem, ac ne velle quidem discipulos nisi volentes, & gratiam suam liberi arbitrii jura servare.

69. 70. *Respondit ergo ei Simon Petrus*, suo & aliorum nomine: *Domine, ad quem ibimus?* Quem alium adibimus & eligemus præceptorem? *Verba vitæ æternæ habes.* Verba tua vere divina sunt, & credentes ducunt *S. Cyrill. l. 4 p. 395.* ad vitam æternam: *Et* ideo *nos credidimus, & cognovimus*, certo persuasi tum verborum tuorum efficacia & auctoritate, tum operum tuorum admirabilitate, *quia Tu es Christus Filius Dei.* In Græco Textu cum gemino articulo verba leguntur, *Tu es ille Christus, ille Filius Dei*, ut Jesum verum Christum, verumque Dei Filium natura, non adoptione, significent, ab aliis qui aliqua ratione Christi & Filii Dei appellati sunt, distinctum, ut S. Cyrillus exponit.

71. 72. *Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi* ad Apostolatum, *& unus ex vobis diabolus est*, homo diabolicus, qui diaboli mores imitatur, incredulus, fur, sacrilegus, proditor? *Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem*: his verbis Judam notabat: *Hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim:* ejusque animum Jesus noverat.

SENSUS MORALIS.

3. 4. *Subiit ergo in Montem Jesus, & ibi sedebat cum Discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, &c.* Ut ad Paschatis Christiani, ac aliarum Ecclesiæ insignium Solemnitatum celebrationem se digne præparent Fideles: 1. A negotiorum sæcularium tumultu a pravis affectibus, quæ ferventium instar sunt fluctuum; ab occasionibus peccati enavigandum est. *Abiit Jesus trans Mare Galilææ.* 2. Sequendus Jesus, ad ipsum adeundum, ut animæ nostræ morbos curet per gratiam suam: sequendus autem est contriti cordis & amoris pœnitentis affectu, sequendus per viam laboriosæ pœnitentiæ: peccata enim non condonat, nisi vere pœnitentibus, & diligere incipientibus. *Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* *S. Chrys. Hom. 41. in Johann.* 3. In Montem ascendendum cum Jesu, orationi vacandum seorsim a turbis per aliquot dies. Idoneus scilicet ad cælestem Philosophiam locus solitudo. Aliquando Christus solus montem ascendit, & pernoctat, & orat; ut ostendat eum qui vult Deo frui, a mundi curis vacare, & quietum locum quærere, & societates quibus a Deo, divinisque rebus avocari ac distrahi potest, fugere oportere. 4. Induenda sunt misericordiæ viscera, nec oculi solum corporis ad pauperes convertendi, sed cordis, de illorum necessitatibus sublevandis pie solliciti. *Cum sublevasset oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.* Eleemosynæ uberes erogandæ sunt a divitibus: nec terreri debent multitudine pauperum, ac metuere ne forte non sufficiant ipsorum facultates ad sustentandam familiam, ad status sui conditionisque decorem servandum; sed in divina providentia confidere, quæ servis suis non deest, & virorum misericordium largasque eleemosynas erogantium bona temporalia, sicut & spiritualia multiplicat. „ Qui parce seminat, parce & me- *2 Cor. 9.*
„ tet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictio-
„ nibus & metet. Unusquisque prout destinavit in corde
„ suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: Hilarem enim
„ datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem
„ gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus sem-
„ per omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne
„ opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pau-
„ peribus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Qui
„ autem administrat semen seminanti, & panem ad man-
„ ducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum,
„ & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ: ut in
„ omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem,
„ quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.“
Omnes homines, quantumvis potentes & divites, mendici Dei sunt, ejusque providentia aluntur & sustentantur: Verum hunc honorem divitibus tribuere vult, ut sint providentiæ suæ ministri, curam gerendo pauperum, & ipsos alendo. *Facite homines discumbere.* 5. Superflua necessario danda pauperibus; colligendum ac seponendum est in pauperum usus quicquid superest necessitati personæ, ac familiæ decoroque status, etiamsi necessarium videatur cupiditati, vanitati, ac voluptati. Superflua divitum, necessaria pauperum. Pereunt alioqui, & divites perire faciunt divitiæ conservatæ, vel impensæ in damnum dominorum suorum. *Ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* 6. Qui Christum audierunt, qui sanati sunt, qui in bonis operibus exercitati, cælestem Panem esuriant ac ferventi caritate desiderantes ad Sacram Mensam accedant, panem cælestem, ipsum Christi corpus, manducaturi: cujus figuræ panes erant ab eo divina benedictione & omnipotenti virtute multiplicati, & turbis esurientibus distributi. *Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* 7. Virilem in *S. Cyrill. l. 3. in Johann. p. 282.* studio boni animum iis inesse oportet, qui ad Christi mensam accedunt. Unde discumbentium virorum dumtaxat meminit S. Evangelista, mulieribus & pueris utiliter ad nostram doctrinam silentio præteritis. Docet quippe nos tamquam in ænigmate, in studio boni viriliter agentibus convenientius quodammodo & magis proprie cibum a Salvatore suppeditatum iri, non autem iis qui vitiosis moribus sunt effæminati; sed nec iis qui mente sunt pueri, ut idcirco nihil capere possint eorum quæ sunt ad salutem necessaria. *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.* 8. Communionis fructus sit, ut Christum Jesum magis cognoscant, diligant, laudent, voce & operibus confiteantur. *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.* 9. Qui Pane cælesti, scilicet Christi corpore satiati sunt, illum sibi Regem eligere debent, illi in omnibus parere, cor illi suum consecrare ut in eo solus regnet, suos omnes affectus ac sensus illi subjicere. *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

15. *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit, &c.* *S. Johann. Chrysost. Hom. 41. in Johann.* Christus in montem fugit, dignitatum honorumque hujus mundi contemptum nos docens: utque his ipsetis futura

tura optaremus, complecteremur, amaremus. Regnum ſuum non hujus mundi, ſed cœli dicit. Gloriam mundi non quærit, ſed fugit. Imitemur Dominum noſtrum. Dignitatem filiorum Dei, claritatem æternam, regni cœleſtis conſortium, gloriam immortalem pluris faciamus temporalibus & tranſitoriis honoribus; gloria mundi quæ ſi cum gloria nobis a Deo promiſſa comparetur, umbra eſt & ſomnium. Omnis gloria hominis *tamquam flos agri*. Quid fragilius? Quid corruptibilius? Sed quamvis diuturna quid animæ conferret? Nihil ſane; verum majorem in modum officit, quippe quæ ſervos efficiat, & quidem emptis viliores; non hominum dumtaxat diverſa imperantium, ſed ambitionis crudelis dominæ mancipia. Si gloriam aucuparis, immortalem quære. Quid expetibilius, apud Deum & Angelos ejus, an apud homines in honore eſſe; corruptibilem, an incorruptam coronam conſequi; ad momentum, an ad ſæcula ſempiterna coronari?... „ Si Chriſtus Regem fieri conſcius regni ſui re- *Tertullianus lib. 10. de Idololat. c. 18.*
„ fugit, pleniſſime dedit formam ſuis, dirigendo omni
„ faſtigio & ſuggeſtu tam dignitatis, quam poteſtatis.
„ Quis enim iis magis uſus fuiſſet quam Dei Filius? Quales
„ & quanti eum faſces præcederent? Qualis purpura de
„ humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret,
„ niſi gloriam ſæculi alienam & ſibi & ſuis judicaſſet? Igi-
„ tur quam noluit, rejecit; quam rejecit, damnavit;
„ quam damnavit, in pompa diaboli deputavit. Non enim
„ damnaſſet niſi non ſua: alterius autem eſſe non poſ-
„ ſent, niſi diaboli, quæ Dei non ſunt. "

17. 18. & ſeq. *Et tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jeſus*. Tenebris obſcuratum eſt cor noſtrum, niſi ad nos veniat Jeſus qui tenebras noſtras illuminet. Sed & venti graviorum tentationum concutiunt animæ noſtræ naviculam, & naufragium illi minitantur abſente Jeſu. *Mare autem vento magno flante, exurgebat*. His tentationibus probatur fides & excitatur. Si Jeſum appropinquantem videt anima, & ſuccurrere paratum; verumtamen timet, niſi præſentiam ſuam verbo interiori cor pulſante, & in ſui amorem accendente manifeſtet. *Vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt. Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere*. Cum autem Chriſtus Jeſus novo modo intrat in Animam per gratiæ, fidei, ſpei, & caritatis incrementum, cito Anima proficit, & progreditur in via Chriſtianæ pietatis & perfectionis, cito pervenit ad patriam cœleſtem. *Voluerunt ergo accipere eum in navim: & ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant*.

26. *Amen, amen dico vobis; Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna; ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*. Pars Chriſtianorum maxima Chriſtum Jeſum propter utilitatem ſuam, pauci propter ipſius gloriam quærunt. Plerique Deo ſerviunt ut Judæi carnales, temporalium intuitu commodorum. Multi ex eis qui ſpiritales videntur, Deo ſerviunt ob ſpiritualia ſolatia; ſponſi munera magis amant quam ſponſum. *Quæritis me, quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*. Vix quæritur Jeſus propter Jeſum. Quæritis me propter aliud, quærite me propter me. Temporalia bona, non propter ſe, ſed propter ſpiritalia quæramus; ſpiritalia ipſa munera propter Deum. Propter utraque Deo gratias agamus, his utendum, ſolo Deo fruendum eſt. Quid eſt frui? Amo- *S. Auguſt. S. Chryſ. Hom. 42. in Johann.*
re illi inhærere propter ipſum. Temporalia propter ſpiritualia largitur hominibus ſui capacibus. Imperfectiores ſenſibilibus allicit, & præmonet ne hæc ſemper expetant, ſed deſiderent ſummum bonum, Deum ipſum dumtaxat, propter quem conditi ſunt. Spiritalium igitur potior nobis ratio ſit. Nam ſi ſpiritalia aſſequimur, amiſſis corporeis, nullum patimur detrimentum: ſine illis autem quæ nobis reliqua ſpes eſt? Quod ſolatium? Quocirca ſpiritalia præſertim nobis a Deo petenda & optanda ſunt. Hæc nos poſtulanda docuit Dominica Oratione. Non principatum, non divitias, non gloriam, non potentiam, ſed animæ utilitatem poſtulandam; non terrena, ſed cœleſtia petenda mandavit. Quæ enim amentia eſt, ea deſiderare & a Domino poſtulare, quibus inhærere, quæ diligere, de quibus ſolliciti eſſe prohibemur?

Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Non ſemper cle- *S. Chryſoſ. Hom. 43. in Johann.*
mentia & lenitate utendum, ſed aliquando Præceptorem duriuſcule gerere ſe decet, ut ignavum diſcipulum excitet: quem morem & hic & alibi ſæpe Dei Filius ſervavit. Accedentibus enim turbis, illique plaudentibus; ut humanam gloriam ſe contemnere, & eorum tantum ſalutis curam ſe habere oſtendat, aſperius illis reſpondet, ut eos erudiat. Modeſtia tamen & manſuetudine temperata reſponſio eſt: Non enim gulæ & ventris ſervos appellavit: non tot præcedentia miracula, quæ viderant, nec propterea in eum crediderant, exprobravit; ſed proxime factum miraculum præſertim commemorat, ut eos corporei cibi deſiderio, non ſpiritualium gratia bonorum quærere ſe ac ſequi oſtendat: quod maxima reprehenſione dignum eſt. „ Anima enim plus eſt quam eſca . . . Non
„ eſt regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax,
„ & gaudium in Spiritu ſancto... Eſca ventri, & ven- *Luc.* 13. 22.
„ ter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet . . . *Rom.* 14.
„ Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis: quæ non 17. 1. *Cor*
„ profuerunt ambulantibus in eis. " 6. 13. *Heb*

27. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet* 13. 9.
in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hoc eſt, nolite corporis cibum curare, ſed Animæ. Non tamen labori parcendum, & in otio ac deſidia vivendum eſt. In ſudore vultus, temporalis vitæ ſubſidia procuranda & vobis & pauperibus. „ Rogamus autem vos, fratres, *inquit*
„ *Apoſtolus*, ut abundetis magis, & operam detis, ut 1. *Theſſa.*
„ quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & opere- 4.
„ mini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, & ut
„ honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt... Qui furaba-
„ tur, jam non furetur: magis autem laboret operando
„ manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat
„ neceſſitatem patienti. Hæc igitur verba, *Operamini non*
„ *cibum qui perit*, non in otio & deſidia vivendum ſignifi-
„ cant: hic enim cibus eſt qui maxime perit, ſiquidem *Epheſ.* 4
„ omnis malitiæ fontes deſidia eſt & otium; ſed operan- 28.
„ dum, & erogandum indigentibus, qui cibus minime pe-
„ rit. Qui pigritiæ deditus ventri vivit, & deliciis vacat,
„ is cibum operatur qui perit: qui vero ex labore ſuo Chri-
„ ſtum nutrit & veſtit in paupere, quis cibum pereuntem il- *S. Johann.*
„ lum operari dicat; cum propter hoc opus cœleſte regnum, *Chryſoſt.*
„ æternaque bona nobis promittantur? At cum Judæi nul- *Hom.* 43.
„ lam fidei rationem haberent; cum non cogitarent unde *in Johann.*
„ & qua virtute cibus ille veniſſet, ſed ſatietatem ſine
„ labore quærerent, merito Chriſtus hunc appellavit ci-
„ bum qui perit. Quaſi diceret: Pavi vos, ut inde per-
„ manentem cibum quæreretis, quo nutriretur animus: vos
„ terreno attenditis. Ideo vilem hunc vobis cibum dare
„ nolo, qui caducam & fluxam vitam, ſed qui ſempi-
„ ternam præbeat: qui non corpus, ſed animam paſcat.
„ *Quem Filius hominis dabit vobis*. "

29. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille*. „ Diſcernitur ab ope- *Rom.* 3. 28.
„ ribus fides, ſicut Apoſtolus dicit, juſtificari hominem *S. Auguſt.*
„ per fidem ſine operibus Legis; & ſunt opera quæ viden- *Tract.* 25.
„ tur bona, ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non *in Johann.*
„ referuntur ad eum finem ex quo ſunt bona: *Finis* enim
„ *Legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. Ideo noluit
„ diſcernere ab opere fidem, ſed ipſam fidem dixit eſſe
„ opus. Ipſa eſt enim *Fides quæ per dilectionem opera-* *Galat.* 5. 6.
„ *tur*. Nec dixit, Hoc eſt opus veſtrum, ſed, *Hoc eſt*
„ *opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille*: ut qui
„ gloriatur, in Domino glorietur. "

32. *Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo . . . Ego ſum panis vitæ*, &c. Verum illum & vivificum Panem Manna ſignificabat. Signa mea dilexiſtis; qui ſignificabatur, contemnitis. Iſte panis Dominus Jeſus; panis Dei, & panis Deus; panis quem ſolus Deus dare poteſt, ex ejus ſcilicet ſubſtantia genitus; panis verus, qui veram vitam dat & conſervat filiis Dei, vitam immortalem & æternam. Huic Pani incorporari nos oportet, ut vivificemur; non mutatur in nos ut cibus carnis noſtræ, ſed nos in illum fide viva mutari debemus, ut ſimus unum Chriſti corpus & una caro; & vivamus Deo, de Deo. *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam*. His verbis ſignificatur æterna ſatietas, ubi nulla *S. Auguſt.*
eſt egeſtas. *Ego ſum panis vitæ*. Qui eſt panis cæli, *ſerm.* 130.
niſi Chriſtus? *Sed ut panem Angelorum manducaret ho-* *in Johann*
mo, Dominus Angelorum factus eſt homo. Si enim hoc non factus eſſet, carnem ipſius non haberemus: ſi carnem ipſius non haberemus, panem Altaris non manducaremus. Feſtinemus ad hæreditatem, quia magnum inde pignus accepimus. Deſideremus vitam Chriſti, quia tenemus pignus mortem Chriſti.

Ego ſum panis vitæ. „ Panis Angelorum ut Deus;
„ panis hominum ut Deus homo. In corpore & ſanguine
„ ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem commen- *S. Auguſt.*
„ davit corpus & ſanguinem ſuum? De humilitate ſua. *Enarr.* 1.
„ Niſi enim eſſet humilis, non manducaretur, nec bibe- *in Pſal.* 33
„ retur. Reſpice altitudinem ipſius: *In principio erat* n. 6.
„ *Verbum*, & *Verbum erat apud Deum*, & *Deus erat*
„ *Verbum*. Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant An-
„ geli, & manducantes ſaginantur, & integrum manet
„ quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet
„ ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo?
„ *Oportebat ergo ut Menſa illa lactesceret, & ad par-*
„ *vulos perveniret*. Unde autem fit cibus lac? Unde ci-
„ bus in lac convertitur, niſi per carnem trajiciatur?
„ Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc
„ manducat infans: *Sed quia minus idoneus eſt infans*
„ *qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, &*
„ *per humilitatem mammillæ & lactis ſuccum de ipſo*
„ *pane paſcit infantem*. *Quomodo ergo de ipſo pane* *Pſal.* 77.
„ *pavit nos Sapientia Dei?* Quia *Verbum caro fa-* 42.
„ *ctum eſt & habitabit in nobis*. Videte ergo humilita-
„ tem; quia *Panem Angelorum manducavit homo*. „ Ver-
bum illud quo paſcuntur Angeli ſempiternum, quod eſt

æquale

Philipp. 2. æquale Patri, manducavit homo: quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Sagittantur illo Angeli; sed *semetipsum exinanivit*, ut manducaret panem Angelorum homo, *formam servi accipiens*, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: ut jam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini *novum sacrificium*.

37. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Magnum arcanum & inscrutabile! „ Quicumque in Dei providentissima dis-
S. Aug. lib. de Correpț. & Grat. c. 9. n. 24. „ positione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, „ glorificati sunt; non dico etiam nondum renati, sed „ etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino pe- „ rire non possunt. " Hi vere veniunt ad Christum; quia ita veniunt quomodo ipse dicit, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et paulo post: *Hæc est*, inquit, *voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Ab illo ergo datur etiam perseverantia in bono usque in finem. „ Neque enim datur nisi eis qui non pe- „ ribunt; quoniam qui non perseverant peribunt. Talibus „ Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, us- „ que adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant „ & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in „ bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Di- „ scunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare „ debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute „ fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua: „ Non movebimur in æternum. „ Propter quod eis dici- tur, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa*: „ Neque enim ait, & non veniatis ad viam ju-
Psal. 2. 11. „ stam; sed ne pereatis de via justa: Quid ostendens, „ nisi eos esse commonitos, qui jam ambulant in via „ justa, ut in timore Deo serviant, id est, non altum „ sapiant, sed timeant? Quod significat, non superbiant, „ sed humiles sint: exultent Deo, sed cum tremore; „ in nullo gloriantes, quando nostrum nihil sit: ut qui „ gloriatur, in Domino glorietur: ne pereant de via „ justa, in qua ambulare cœperunt, dum sibi hoc ipsum „ assignant, quod in ea sunt. "

38. *Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Magnum sacra-
S. August. Tract. 25. in Johann. n. 15. 16. 18. mentum, magnum illud & dulce secretum! Ipsa est causa, Domine Jesu, quare non ejicias eum foras qui venit ad te, quia non voluntatem tuam facere descendisti de cœlo, sed voluntatem ejus qui te misit? ipsa. Timeo ne foras propterea exierit anima a Deo, quia superba erat; immo non dubito. Scriptum est enim: *Initium omnis peccati superbia*: &, *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo*. Scriptum est, firmum est, verum est . . . *Si superbia ejicimur, humilitate regredimur*. Caput omnium mor-
Eccli. 10. 15. borum superbia est, quia caput omnium peccatorum superbia. Unde abundat iniquitas? Per superbiam. *Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum . . . Tota humilitas tua ut cognoscas te.* Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit; *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei . . . *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras, quia descendi de cœlo, ut non faciam voluntatem meam, &c.* „ Qui ad me venit, incorporatur mihi, qui mihi ad- „ hæret humilis erit: quia non facit voluntatem suam, „ sed Dei: & ideo non ejicietur foras, quia cum super- „ bus esset, profectus est foras . . . Doctor itaque hu- „ militatis venit non facere voluntatem suam, sed vo- „ luntatem ejus qui misit illum. Veniamus ad eum, in- „ tremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos facia- „ mus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei; & non „ nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia caput „ nostrum esse voluit docendo humilitatem. "

39. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Christi summi Pastoris exemplum imitentur Animarum Pastores. 1. Dei voluntate & vocatione curam animarum suscipiant. 2 Illam unam exquirant, illi uni serviant in sacro Ministerio. 3. Ministerium suum cum humilitate impleant, ac pro salute animarum descendant ultro, siquidem vices gerunt Filii Dei, qui descendit de cœlo, non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. 4. Vigilantia sua, doctrina, labore, zelo, exemplo, precibus procurent, quantum possunt, ne ulla sibi commissarum Animarum pereat. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me*
S. Augst. Tract. 25. in Johann. *Patris; ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* . . . Ille Christo datus est, qui servat humilitatem; hunc accipit: qui non servat humilitatem, longe est a Magistro humilitatis. *Ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Sic non est voluntas in conspectu Patris vestri,

Natal. Alex. In Evang.

ut pereat unus de pusillis istis. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit: quia nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth. 18. 14. S. Aug. in Enchir. cap. 95.*

40. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quoscumque per Christum Jesum absolute salvare vult Deus, infallibiliter salvantur. In vita igitur æterna electi videbunt *in clarissima sapientiæ luce, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit & non velit, nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum quod in Psalmo canitur*, Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit. *Psal. 113.* *Quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Tres porro effectus indeficientes & prorsus infallibiles gratuitæ prædestinationis ad gloriam, seu voluntatis efficacissimæ Patris sui de salute electorum suorum, Christus indicat. 1. Vocationem efficacem, & incorporationem, ut sint membra sua, & ipse illorum caput. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non ejiciam foras.* 2. Perseverantiæ donum, quod illis certissime conferetur. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris; ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.* 3. Vitam æternam, qua cetera dona sua in electis suis Deus coronabit. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Divinam illam adoremus voluntatem, quæ nostræ sanctificationis & beatitudinis origo est: in ea confidamus; de nostra nihil præsumamus.

41. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi.* Sublimiores Christianæ Religionis veritates infirmos perturbant, impios excæcant, humiles Dei filios consolantur. Illis au- *S. Johann. Chrysost. Hom. 25. in Johann.* diendis nequaquam idonei sunt carnales homines, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Sic animales Judæi Jesum, cum pane saturati sunt, Prophetam appellabant, & Regem facere cogitabant; cum vero spiritalem cibum, & vitam æternam edocti, & a rebus sensibilibus abducti, resurrectionem & altiora Mysteria audiverunt, murmurare cœperunt & resistere veritati. Sic in iis impletum quod Pro- *Psal. 68.* pheta prædixit: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*: ut cum nullatenus ad di- *S. Cyrill. lib. 4. in Johann. p. 342.* vinorum Mysteriorum cognitionem oculos attollant, mali male pereant propter incredulitatem. Sic olim qui adversus Deum, & Moysem servum ejus murmurarunt in deserto, a serpentibus perierunt.

42. *Et dicebant: Nonne hic est Jesus Filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi.* Hinc discamus 1. Nec sensuum esse, nec rationis, de Religionis Mysteriis judicare, sed Dei revelantis auctoritati per Ecclesiam propositæ humiliter cedendum, mentemque captivandam in obsequium fidei. „ Discamus. 2. Nocere plurimum, non intellectua- „ libus cordis oculis virtutem Sanctorum perspicere, & „ in latentem eorum gloriam penitus oculos defigere, sed *S. Cyrill. lib. p. 343.* „ ex neglectu corporis pro nihilo sæpe habere id quod „ magnum apud Deum & venerandum est. Ita de Sanctis „ apud Prophetam Deus sub unius persona de omnibus lo- „ quens, ait: Benedictus vir qui confidit in Domino, & „ erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod „ transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit *Jer. 17.* „ radices suas: & non timebit cum venerit æstus. Et „ erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non „ erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. „ Pravum est cor hominum, & inscrutabile; quis cogno- „ scet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. „ Si ergo nos clarum apud Deum, & eximiis virtutibus „ conspicuum hominem superbe despexerimus, & ex cor- „ poris vili specie, aut generis ignobilitate angustum ani- „ mum esse statuerimus, nonne ab universorum Rege dis- „ sentire comperiemur, nec parvæ pœnæ obnoxii erimus, „ quod magnum est quandoque dicentes parvum, & lu- „ cem tenebras ponentes, & quod dulce est amarum sta- „ tuentes? Servandi sunt itaque Sanctis sui honores, & „ interna potius nobilitate, quam carnis rationibus sunt „ æstimandi. Sed inter nos plurimi eum qui abjectus sit „ in hoc mundo, licet virtutibus conspicuus sit, nullo „ honore & gloria dignum ducunt, sed solam opum co- „ piam, & corruptibilem ac brevi perituram gloriam „ æquis nequaquam oculis respicientes, minime curant „ an recte, an perperam judicent. "

44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* „ Judæi contra verba Jesu murmuran- „ tes, a pane de cœlo longe erant, nec esurire nove- „ rant. Fauces cordis languidas habebant, auribus aper- „ tis surdi erant, videbant & cæci stabant. " *Panis quip-* *S. August. Tract. 26. in Johann. Matth. 5. 6.* *pe iste interioris hominis quærit esuriem.* Unde alio loco dicit: *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* „ Justitiam vero nobis esse Chri- „ stum, Paulus Apostolus docet . . . Quid ergo talibus

„ murmurantibus respondit Jesus? *Nolite murmurare ad* „ *invicem*. Tamquam dicens: Scio quare non esuriatis, „ istum panem non intelligatis, neque quæratis. *Nemo* „ *potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit* „ *eum*. MAGNA GRATIÆ COMMENDATIO. *Nemo* „ venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, „ quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judica- „ re, si non vis errare... Nondum traheris? ora ut traha- „ ris. *Ne vero cogites te invitum trahi*: Trahitur ani- „ mus & amore. *Nec timere debemus ne dicatur nobis*: „ *Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico*: Parum „ est voluntate, etiam voluptate traheris. *Quid est trahi* „ *voluptate?* Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones „ cordis tui. *Est quædam voluptas cordis, cui panis dul-* „ *cis est ille cœlestis. Porro si Poetæ dicere licuit*, Tra- „ hit sua quemque voluptas; Non necessitas, sed voluptas, „ non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere „ debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur „ veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, de- „ lectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?... „ Da amantem, & sentit quod dico. " Trahe nos post te, Domine Jesu, curremus in odorem unguentorum tuorum. Nostras etiam rebelles ad te compelle propitius voluntates.

45. *Est scriptum in Prophetis*: *Erunt omnes docibiles* *S. August. Tract. 26. in Johann n. 7. 8. 9.* *Dei. Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Qui veniunt ad me per fidem, a Patre docentur. Non mirum quod me non agnoscatis, quia non auditis a Patre. Omnes homines ad Regnum Dei per æternam prædestinationem pertinentes docti erunt a Deo, non ab hominibus audient. „ Et si ab hominibus audiunt, tamen „ quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus „ revelatur... Exterior cultor arboris, interior est Crea- „ tor. Qui plantat, & qui rigat, extrinsecus operatur: „ hoc facimus nos. Sed neque qui plantat est aliquid, „ neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: *hoc* „ *est*, Erunt omnes docibiles Dei. *Qui omnes?* Omnis „ qui audivit a Patre; & didicit, venit ad me. " Vi- dete quomodo trahit Pater: docendo delectat, non ne- cessitatem imponendo... Disce trahi ad Filium a Pa- tre, doceat te Pater, audi Verbum ejus, quod *erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum*. Quomodo homines in carne constituti audiant tale Verbum? Quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Qui er- go a Christo audiunt, a Patre audiunt. *Non quia Pa- trem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Pa- trem*. Ego novi Patrem, ab illo sum: sed quomodo ver- bum ab illo cujus est verbum: non quod sonat & tran- sit, sed quod manet cum docente, & trahit audientem. Loquere, Domine Jesu, quia audit servus tuus, immo fac ut te audiam, aures interioris hominis aperi. Fac ne obsurdescam ad vocem interiorem gratiæ tuæ. Da ut ex illorum sim numero, de quibus per Prophetam dictum est: *Erunt omnes docibiles Dei*.

48. 49. *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducave- runt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. Panis mortuus & inanimis Judæos a morte cum animæ, tum corporis servare non poterat. Qualis Lex, talis cibus, mortuus, typicus, inutilis ad veram justi- tiam, quæ est animæ vita. Solus Jesus est panis vitæ, non in aere formatus, & Angelorum ministerio in ter- ram effusus, ut Judaicum populum ad tempus servaret a morte corporis; sed in cœlo natus, missus ad homines per Incarnationem, semper vivens, semper vivificus; vi- tam fidei & charitatis in membra sua semper difundens in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis; semper vitæ immortalis principium in Sanctis; qui eo nu- triuntur sine fastidio, sine rei alterius desiderio. *Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens*, &c. Hunc panem significavit Manna. Hic panis vita æterna est, pignus futuræ glo- riæ. Hunc ex Altari sancto, ex Mensa Domini accipi- mus: *Sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramen- ti. Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur*! Unde dicit Apostolus: *Judicium* *S. August. Tract. 26. in Johann. n. 11.* *sibi manducat & bibit*. Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, Fratres, *1. Cor. 11. 29.* *Panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad Altare apportate. Peccata & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera*. Antequam ad Altare accedatis, attendi- te quid dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Dimittis, dimittetur tibi. Securus accede; panis est, non venenum. Sed vi- de si dimittis; nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agas. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat.

52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æter- num; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Christus corpus suum in altari crucis pro vita o- mnium immolavit, & per ipsum rursus in nobis vitam inserit. *Postquam enim vivificum illud Dei Verbum in* *S. Cyrill. lib. 4. p. 354.* *carne inhabitavit, in suum bonum eam, hoc est, ad vi- tam reformavit, & omnino ei ineffabili unionis modo con- junctum, vivificam reddidit, non secus ac ipsum est se- cundum naturam. Proinde Christi Corpus vivificat eos qui* *S. August. Tract. 26. in Johan.* *sunt ejus participes*; non sacramentaliter solum, sed spi- ritualiter; qui scilicet Eucharistiam digne suscipiunt, & qui fide & caritate fiunt corpus Christi. *Norunt Fide- les corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Chri- sti. De Spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi*. Unde Apostolus exponens nobis hunc panem, *Ut panis*, *1. Cor. 10 17.* inquit, *unum corpus multi sumus*. O sacramentum pie- tatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! *Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Acce- dat, credat, incorporetur, ut vivificetur*. Non abhor- reat a compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo eru- bescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo.

Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *S. Johann. Chrysost. Hom. 45. in Johann.* Ut autem *non solum per dilectionem*, sed *reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vel- let, per Corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum Capite uniretur*. Hoc enim amantium maxime est. Hoc Job significabat de ser- vis, a quibus ita eximie amabatur, ut ejus carnibus ad- misceri se peroptarent: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Quod Chri- stus fecit ut majori nos caritate adstringeret, & ut suum *Psal. 31.* in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri per- mittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & desiderio suo omnes impleri. „ Ab illa igitur Mensa „ tamquam leones ignem spirantes surgamus diabolo for- „ midolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in „ nos præ se tulit caritatem. Parentes sæpenumero li- „ beros suos aliis alendos dederunt, ego autem longe „ aliter, mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus fa- „ veo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. Qui „ in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futu- „ ra. Vester ego frater esse volui, & communicavi car- „ nem propter vos & sanguinem: & per quæ vobis con- „ junctus sum, ea rursus vobis exhibui. Hic sanguis „ facit ut imago in nobis Regia floreat. Hic sanguis „ pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam sem- „ per irrigat & nutrit, languescere non sinit. Hic my- „ sticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos & An- „ gelorum Dominum ad nos allicit.... Hic est quo „ Christus emit, quo universam ornavit Ecclesiam. Ut „ enim homo servos auro emit & ornat, ita eos sangui- „ ne suo Christus. Qui hujus sanguinis sunt participes, „ ipsam regiam Christi stolam induti, spiritalibus armis „ muniti, imo ipsum induti sunt Regem. Sed sicut ma- „ gnum est & admirabile, ita si pure accesseris, ad sa- „ lutem accessisti: sin prava conscientia, ad pœnam & „ supplicium. *Qui enim manducat & bibit indigne, ju- „ dicium sibi manducat & bibit*. Nam si qui regiam „ purpuram coinquinant, haud secus quam qui scindunt, „ puniuntur: quid mirum si qui immunda conscientia „ corpus Christi accipiunt, idem supplicium subeant, „ quod qui eum clavis cruci affixerunt? "

53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quo- modo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Dei verbo & promissis sine hæsitatione credendum est. Qui Mysteria ratione curiose scrutatur, eorum fidem & fructum amittit. Vox ista, *quomodo*, Dei omnipotentiæ & sapientiæ injuriosa est. Agnoscamus Deum posse, quod nos fateamur investigare & comprehendere non posse. Li- tiganti Judæo, & dicenti, *Quomodo potest?* &c. repo- nit *S. Cyrillus*: Quomodo egressus es ex Ægypto?, Quo- „ modo in serpentem versa est virga Mosaica? Quomo- „ do lepra manus infecta est, & in pristinum statum rur- „ sum rediit? Quomodo in sanguinis naturam versa est a- „ qua? Quomodo per medium Mare sicco pede transisti? „ Quomodo amara illa aqua de Marra per lignum versa „ est in dulcem? Quomodo tibi aqua e petrarum uberi- „ bus effluxit? Quomodo propter te Manna decidit? „ Quomodo Jordanis immotus stetit? Quomodo Jerichun- „ tis inexpugnabiles muri corruerunt? " *S. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Johann. p. 339. 360. & 362.*

54. *Dixit ergo eis Jesus*: *Amen, amen dico vobis*: *Ni- si manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manduçat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vi- tam æternam*: &c. „ Quia vivifica facta est caro Salva- „ toris, utpote Vitæ secundum naturam, Verbo nimi- „ rum Deo unita; cum illam degustabimus, tunc vitam „ habebimus in nobis, ei quoque simul uniti, quemad- „ modum ipsa Verbo inhabitanti. Hanc enim ob causam „ etiam in suscitandis mortuis, non verbis tantum & „ nutu Deo convenienti Salvatorem operatum esse com- „ perimus, sed carnem suam quasi cooperatricem ad „ hoc potissimum adhibuisse, ut ostenderet illam vivifi- „ care posse. Quod si solo tactu sanctæ carnis id quod

„ corru-

„ corruptum eſt vivificatur, quomodo vitam æternam non „ conſequemur, cum ſanctam illam carnem in Euchari- „ ſtia manducabimus? In ſuum enim ipſius bonum, hoc „ eſt immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus, „ omnino transformabit. Id vero veteribus figuris in Mo- „ ſaica Lege adumbratum eſt. " Cum enim Iſraelitæ in Ægypto agnum immolaſſent, ac deguſtatis illius carnibus, ſanguine poſtes illiniviſſent, eos ut ſanctificatos exterminator Angelus præteribat. Quanto magis a morte æterna ſervabimur, ſi veri Agni pro ſalute noſtra immolati, ſcilicet Chriſti Jeſu carnem ſacroſanctam manducaverimus? *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus*, &c. Hinc S. Irenæus contra Hæreticos reſurrectionem carnis negantes: *Quomodo*, inquit, *carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & Corpore Chriſti nutritur, & eſt membrum ejus?* Ne igitur putarent auditores Chriſti Jeſu ſic in manducatione carnis ſuæ promitti vitam æternam, ut qui eam ſumerent, jam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus eſt occurrere. Nam cum dixiſſet, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: continuo ſubjecit, *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, „ Ut ha- „ beat interim ſecundum ſpiritum vitam æternam in re- „ quie, quæ ſanctorum ſpiritus ſuſcipit: quod autem ad „ corpus attinet, nec ejus vita æterna fraudetur, ſed „ in reſurrectione mortuorum, noviſſimo die. Caro enim „ mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. „ Cum enim cibo & potu id appetant homines, ut non „ eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat niſi „ iſte cibus, & potus, qui eos a quibus ſumitur, immor- „ tales, & incorruptibiles facit. *Cibus iſte* ſemen *eſt* im- „ mortalitatis." *S.Irenæus l. 5. cap. 2.* *S. Aug. S. Cyrillus.*

57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Qui digne manducat & bibit, Chriſto per caritatem intime conjungitur, & unione quodam modo naturæ commiſcetur, ſitque concorporalis, ac in illo viciſſim manet, creſcitque Chriſtus, myſtico modo nos in ſe mutans. „ Hoc eſt ergo „ manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in „ Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac „ per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non ma- „ net Chriſtus, procul dubio nec manducat (ſpiritali- „ ter) carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, etiam ſi „ tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & „ bibat: quia immundus præſumſit ad Chriſti accedere „ Sacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui „ mundus eſt: de quibus dicitur: *Beati mundo corde, „ quoniam ipſi Deum videbunt*." Ad ſacram igitur corporis Chriſti Communionem nos ut par eſt præparemus. Sic vivamus, ut quotidie mereamur accipere: Unus ſit nobis dolor divina hac eſca propter peccata noſtra privari. *S. Aug. Tract. 26. in Joann.* *Matth. 5.*

58. *Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Pater Filium ab æterno generans, communicat illi vitam ſuam: in temporum plenitudine Filium mittens per Incarnationem, eamdem illam vitam divinam humanæ Chriſti naturæ communicat; qui illam ex Patre, & propter Patrem recipit. Sic Fidelis quiſque corpus & ſanguinem Chriſti Jeſu ſumens, divinæ naturæ & vitæ fit particeps; ut vere dicere poſſit: *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Chriſtus*. Vivit in Chriſto, per Chriſtum, & in Chriſto. „ *Sicut miſit me vivens Pater*, &c. ac ſi „ diceret, Ut ego vivam propter Patrem, id eſt, ad il- „ lum tamquam ad majorem referam vitam meam, exi- „ nanitio mea fecit, in qua me miſit: ut autem quiſque „ vivat propter me, participatio facit qua manducat me. „ Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille ere- „ ctus vivit propter me." *Matth. 5. S. Aug. Tract. 26. in Jo.*

59. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Euchariſtia manna eſt Chriſtianorum in deſerto hujus mundi. Væ illi qui illam ſumere negligit, & ad illam digne ſumendam ſeſe moribus Chriſtiano dignis non diſponit. „ Si vitæ æternæ amore flagramus, ſi largitorem im- „ mortalitatis in nobis habere cupimus, caveamus ne la- „ queum nobis diabolus inſigniter fraudulentus ſtruat, „ damnoſam nempe religionem ac metum. At enim ſcri- „ ptum eſt (inquies) *Qui manducat & bibit indigne, „ judicium ſibi manducat & bibit*. Ubi vero probavi „ me ipſum, me indignum video. Quando ergo dignus „ eris? Quando te ipſum Chriſto ſiſtes? Nam ſi te pec- „ cata uſque deterreant, labi autem ceſſaturus ſis num- „ quam, vacuus comperieris omnino ſatisfactionis illius, „ quæ in æternum nos ſervat. Quare pie apud te ſtatuas „ Chriſtianę vivere, atque ita Euchariſtiæ particeps fias, „ credens eam non mortis ſolum, verum etiam morbo- „ rum noſtrorum ſpiritalium depellendorum vi pollere. „ Chriſtus enim exiſtens in nobis, ſopit ſævientem in „ membris noſtris carnis legem, & pietatem in Deum „ exſuſcitat, perturbationes mortificat, delicta noſtra no- „ bis non imputans, ſed potius ut ægrotos ſanans. Con- „ fractum enim alligat, erigit lapſum Chriſtus Paſtor „ bonus, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis." *S. Aug. Tract. 26. in Joann.* *S. Cyrill. lib. 4. in Jo. cap. 2. p. 365.*

69. 70. *Reſpondit ergo Simon Petrus, & dixit: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Timendum ne Chriſtus nos propriæ tradat ſive permittat voluntati. Electionis noſtræ eſt Chriſtum ſequi vel mundum. Nam hæſitabimus? Chriſto adhærebimus, an ejus adverſario? Mundumne audiemus, verba mortis habentem, an Jeſum verba vitæ æternæ docentem? Qui Jeſum deſerit, perire vult. Schola Chriſti, lucis & veritatis ſchola eſt. Ipſe veritas eſt, & vita æterna, quam docet. Veritatem docet, illuminando mentem: Vitam æternam docet, accendendo in cordibus caritatem. *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei*, „ Mira eſt Sanctorum Apoſtolorum fides, fervida confeſ- „ ſionis ratio, eximia & præcellens conſenſio. Non enim „ retro abierunt, ut illi qui durum vocabant illius ſer- „ monem, neque etiam leviter crediderunt; ſed certiores „ facti cœleſtis illum doctrinæ Magiſtrum eſſe. Tuta vero „ hujuſmodi fides eſt; ſed quæ talis non eſt, ex hominis „ mente facile evellitur, ut quæ altas & firmas radices „ non habeat. Unde Salvator in parabola de ſemente „ ait: *Aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia „ non habebat humorem*. Quemadmodum enim prius quam „ ſemina in terram jaciantur, agriculturæ lege terra „ proſcindi debet: ſic iis qui ad ſuſcipiendos divinos ſer- „ mones accedunt, illorum deſiderio cor prius aperien- „ dum eſt: ſic enim iis ſuſceptis, animam ſeu terram „ aliquam fœcundam reddunt. Igitur in certitudine Fi- „ dei ſapientiſſimi Diſcipuli ſe cognoviſſe ajunt & ſe cre- „ dere ipſum eſſe Chriſtum illum Dei Filium: oportebat „ enim & credere & intelligere. Neque enim ex eo quod „ res divinæ fide percipiuntur, idcirco ab earum inda- „ gatione & ſtudio omnino ceſſandum eſt: ſed conandum „ potius ut ad mediocrem ſaltem eorum notitiam eveha- „ mur, quæ ſit tamquam in ſpeculo & in ænigmate, ut „ S. Paulus ait. Rurſus autem optime dicunt, non pri- „ mum ſe cognoviſſe, deinde credere, ſed Fidei cogni- „ tionem ſubjungunt. Fidem enim ſequitur cognitio, non „ antecedit, juxta illud: *Si non crediderit is, non intel- „ ligetis*. Fide quippe ſimplici, non curioſa, baſis inſtar „ conſtituta, ſuperædificatur deinceps cognitio, quæ pau- „ latim in menſuram ætatis Chriſti, & in virum perfe- „ ctum ac ſpiritualem nos effert." *S.Cyrill. Alex. lib. 4. in Jo. p. 382.*

CAPUT VII.

Senſus Litteralis.

1. *Poſt hæc autem*, ex quo ſuperiorem ſermonem habuit, *ambulabat Jeſus in Galilæam*, degere perrexit in Galilæa: *Non enim volebat in Judæam ambulare*, ſeu in Judæa morari: tuto enim ibi verſari non poterat ſpectatis rerum circumſtantiis: *quia quærebant eum Judæi interficere*, Judæorum primarii, Phariſæi, Legis Doctores, Senatores invidia & odio perciti quærebant opportunitatem ipſum e medio tollendi.

2. 3. 4. 5. *Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum, Scenopegia*; id eſt, Feſtum Tabernaculorum, in memoriam peregrinationis quadragenariæ per loca deſerta & inculta, in quibus ſub Dei præſidio militarem in modum caſtra collocabant, & mutabant, ſub tentoriis quieſcentes. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus*, id eſt cognati ex Mariæ Virginis matris genere: *Tranſi hinc, & vade in Judæam*, nobiliorem regionem, Templo, Senatu, majori Doctorum, Procerum, & populi undequaque Hieroſolyma religionis ergo confluentis, multitudine inſignem *ut & diſcipuli tui*, qui auditores & ſectatores tui in Judæa eſſe cœperunt, *videant opera quæ tu facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe*. Nemo qui celebritatem nominis conſequi velit, admirabilia opera clam facit, ſed in publica luce, ſub omnium oculis. *Si hæc facis*, quibus te Meſſiam probas, *manifeſta te ipſum mundo*, doctrinam tuam, auctoritatem, poteſtatem omnibus manifeſtare ſtude, Te ut revereantur univerſi. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Illum eſſe Meſſiam a Deo promiſſum, & Dei Filium non credebant; alioqui humanam gloriam illum quærere non putaſſent, ex ſuo ingenio illum metientes. Ex illius enim celebritate gloriam ipſi captabant, ideoque optabant ut ex lateribus Galilææ excederet ac Jeruſalem ſe conferret, quo ejus auctoritas a Synedrio probaretur.

6. 7. *Dixit ergo eis Jeſus: Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*. Nondum tempus opportunum eſt ut Hieroſolyma proficiſcar: vobis tempus ſemper opportunum eſt, ut illuc ire poſſitis. Tempus morti meæ conſtitutum nondum advenit, ideo Jeruſalem impræſentiarum aſcendere non poſſum palam & manifeſto, cum Judæi vitæ meæ inſidientur: vobis autem nihil imminet periculi; unde, quando libuerit, illuc ire poteſtis. *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit; quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt*. Non poſſunt vos odiſſe homines improbi & ſæculo dediti, quia eorum opera non reprehen- *S. Chryſ. Hom. 47. Euthym in hunc locum.*

henditis, ideo secure cum ipsis versari potestis : me autem oderunt, non culpa mea, sed malitia sua, quia mala eorum opera reprehendo. Confer cum Sapientiæ 2. 12. &c. „ Circumveniamus ergo justum, quoniam contrarius „ est operibus nostris, & improperat nobis peccata Le„ gis, & diffamat in peccata disciplinæ nostræ. Promit„ tit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nomi„ nat. Factus est nobis in traductionem cogitationum no„ strarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoni„ am dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt „ viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, „ & abstinet se a viis nostris tamquam ab im„ munditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur „ patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones „ illius veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, „ & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus „ Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de ma„ nibus contrariorum. Contumelia & tormento interro„ gemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probe„ mus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus „ eum. "

8. 9. 10. *Vos ascendite ad diem festum hunc*, nec mei causa moremini: Ego *autem non ascendo*, vobiscum & palam, *ad diem festum istum*, *quia meum tempus nondum impletum est*, nondum advenit tempus passionis meæ : & tamen si vobiscum palam ascenderem, me Pharisæi ad mortem deposcerent. *Hæc cum dixisset*, *ipse mansit aliquamdiu in Galilæa*. Igitur absque æquivocatione dixit: Non ascendo ad diem festum istum. Primis enim solemnitatis diebus cum cognatis non ascendit. *Ut autem ascenderunt fratres ejus*, *tunc & ipse ascendit ad diem festum*, *non manifeste*, *sed quasi in occulto*: ne si in magno comitatu ascenderet, concitatos in se Pharisæorum & Legisperitorum animos magis accenderet.

11. 12. 13. *Judæi ergo quærebant eum in die festo*, primis Festivitatis diebus quærebant Jesum, ut illum morti traderent, *& dicebant*, *Ubi est ille?* nomine contemptim suppresso. *Et murmur multum erat in turba de eo*, vulgo in contraria studia diviso: *quidam enim dicebant*; *Quia bonus est*; *alii autem dicebant*; *Non*, *sed seducit turbas*. *Nemo tamen palam & libere de illo loquebatur propter metum Judæorum*, Senatorum & Pharisæorum, quos hic Galilæis, & vulgi turbæ Jesum sequenti opponit.

14. 15. *Jam autem die festo mediante*, in medio dierum quibus agebatur Scenopegiæ celebritas (quæ octo dies durabat, quorum primus & ultimus solemnes erant) tertia aut quarta die, *ascendit Jesus in Templum*, *& docebat*. *Et mirabantur Judæi*, Legisperiti, & Judæorum Primores, dicentes: *Quomodo hic litteras scit*, *cum non didicerit?* Unde illi tanta sacrarum Litterarum scientia, cum Scholas nostras non frequentaverit? Christum a Deo missum vel id unum illis persuadere debebat, quod sine ulla disciplina tam admirabilem planeque divinam doctrinam proferret.

16. 17. 18. *Respondit eis Jesus*, *& dixit*: *Mea doctrina non est mea*, *sed ejus qui misit me*. Occultis eorum cogitationibus respondit, hinc se Deum esse confirmans: Mea doctrina non est mea, sed mihi communicata a Patre, qui me misit. Cum sit in omnibus Patri similis, sitque Sapientia & Verbum Patris, eadem cum illo se dicere ait, nec modo diverso. Aut enim ex eo quod perfectissima ratione doctrina sua similis sit doctrinæ Patris, hanc illius esse declarat; aut ex eo quod ipse est Sapientia Patris, per quam cuncta loquitur & sancit, suam quoque doctrinam illius esse ait. His ergo verbis se insum æqualem esse Deo Patri ostendit, qui nihil plane didicit, sed omnium cognitionem habet ex natura sua, & ab alio non edoctus, propterea quod omnem intellectum excedit, & omnem scientiam creaturarum superat. *Si quis voluerit voluntatem ejus*, nempe Dei, sibi revelatam, & quantumcumque carnis affectibus contrariam, *facere*, *cognoscet de doctrina*, idoneus erit ad ferendum judicium de doctrina quam trado, *utrum ex Deo sit* ; *an ego a me ipso loquar*, a me adinventa, Deoque contraria dogmata prædicans. *Qui a semetipso loquitur*, qui doctrinæ suæ auctor est, suaque cogitata venditat, *gloriam propriam quærit*, honorem, plausumque popularem, & quæ sequuntur commoda, venatur. *Qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum*, cujus verba & facta non alio spectant quam ut Deus honoretur, quique propterea nihil ad gratiam dicit; nihil veri salutaris, quamvis acerbi subticet, *hic verax est*, dignus proinde cui fides adhibeatur ; *& injustitia in illo non est*, nulla in eum cadit suspicio falsitatis aut fraudis. Priori parte hujus sententiæ characterem Pharisæorum Christus delineat, qui docebant doctrinas & mandata hominum, Dei gloriam furabantur, & ad se ipsos transferebant: posteriori parte suum ipse delineat characterem, propriam enim gloriam non quærebat, sed Patris. De se autem in tertia persona loquitur modestiæ causa.

S. Cyr. l. 4. p. 412.

19. 20. 21. *Nonne Moyses dedit vobis Legem*, *& nemo ex vobis facit Legem?* Me violatæ Legis accusare audetis, quod languidos sabbato sanaverim: cum vos Legem temere violetis, cædem innocentis conjuratione facta moliri non dubitantes. *Quid me quæritis interficere*, innocentem & de vobis bene meritum? *Respondit turba*, quæ se illius criminis ream agi putabat, cum Scribas, Pharisæos & Senatores tantum postrema illa Christi verba perstringerent: *Dæmonium habes*, id tibi suggerit dæmon mendacii & calumniæ Pater: *Quis te quærit interficere?* Nemo nostrum tibi necem machinatur. Blasphemiam in Christum plebs infidelis evomit, Pharisæorum & Legisperitorum nutibus incitata. Palam autem negabant verum esse quod ei necem molirentur, quod ei injecta securitate persuasuros se existimarent, ne latebras quæreret; atque ita illi se facilius insidias structuros considerent. Similem namque ceteris hominibus esse putabant, quibus intimæ cordis cogitationes non patent. Negatio itaque fructus est perversitatis, & impietatis in Christum ratio altera. Unde enim sermonem Jesu ut minime verum repudiant, inde ipsummet Christum ut mendacem condemnant, addentes iniquitatem iniquitati.

S. Cyr. lib. 4 in Jo. p. 417 418.

22. 23. *Respondit Jesus* incredibili moderatione, convitium non repellens, nec eos potius a dæmone instigari ad blasphemiam ostendens: & dixit eis : *Unum opus feci* die sabbati, ægrum verbo sanans, *& omnes miramini*, idque ægre fertis, immerito inde offendimini, siquidem Lex circumcisionis ostendit omne opus prohibitum non esse die Sabbati. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem* (*non quia ex Moyse est*, *sed ex patribus*) quod non ita dico quasi circumcisionis auctor sit Moyses ; sed Patriarchæ, Deo jubente : Abraham enim hunc ritum posteris suis observandum dedit Dei mandato, *& in Sabbato circumciditis hominem*, sive puerum, si dies sit a nativitate octavus. *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato*, *ut non solvatur*, id est, ne violetur Lex Moysi (quamvis circumcisio speciem servilis operis haberet, nisi sacramentum esset Religionis) *mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Sine causa mihi succensetis, quia hominem quem paralysis totum occupaverat, sanavi die Sabbati; quod opus est caritatis, cujus præceptum ipsa circumcisione est antiquius.

Levit. 12. 3 Gen. 17. 10.

24. *Nolite judicare secundum faciem*, *sed justum judicium judicate*. „ Sepositis personis circa quas favor aut „ odium nasci solent, rem nudam spectate. Modo qui „ per legem Moysi circumciditis sabbato, non irascimi„ ni Moysi; & quia ego die Sabbati salvum feci homi„ nem, irascimini mihi. Secundum personam judicatis, „ veritatem attendite, justum judicium judicate : Nolite „ me honorato Moyse damnare, sed illo intellecto me „ honorate. Propter legem Moysi circumciditis, quando „ etiam sabbatum occurrerit & sanitatum faciendarum „ beneficentiam non vultis ut exhibeam per Sabbatum? „ Quia Dominus Circumcisionis & Dominus Sabbati, sa„ lutis est auctor: & servilia opera prohibiti estis face„ re Sabbato; si vere intelligatis servilia opera, non pec„ catis. *Qui enim facit peccatum*, *servus est peccati*. „ Numquid servile opus est, hominem sanare Sabbato? „ Quare manducatis & bibitis Sabbato, nisi quia perti„ net ad salutem quod facitis? Per hoc ostenditis opera „ salutis non esse ullo modo die Sabbati omittenda. Ergo „ *Nolite judicare secundum faciem*, *sed justum judicium* „ *judicate*. Si secundum veritatem judicetis, neque Moy„ sen, neque me condemnabitis, & veritate cognita „ me cognoscetis, quia *Ego sum Veritas*. "

S. August. Tract. 30. in Jo. n. 6.

Jo. 8. 34.

Jo. 4. 6.

25. 26. 27. *Dicebat ergo quidam ex Hierosolymis*, ex Hierosolymitanis civibus : *Nonne hic est quem quærunt interficere* Senatores nostri, Pharisæi, Legisque Doctores? *& ecce palam loquitur*, publice libereque docet, se defendit, illos objurgat, *& nihil ei dicunt*, contradicere illi non audent. *Numquid vere cognoverunt Principes*, Senatores magni Synedrii, penes quos est cognitio de Propheta vero vel falso, *quia hic est Christus?* id est, Messias verus a Deo promissus ad liberationem & salutem populi? *sed hunc scimus unde sit* : quibus parentibus natus: *Christus autem cum venerit*, *nemo scit unde sit*. Nata est hæc Judæorum opinio ex Prophetarum oraculis male intellectis, quibus Christi generationem absconditam, incomprehensibilem & æternam dixerunt. Quod enim illi de divina ejus natura dixere, Judæi ad humanam retulerunt, divinam in eo non agnoscentes. Hinc fabulabantur eum repente mundo appariturum, sed ignotum fore unde & quomodo advenerit.

Isai. 53. 8. Mich. 5. 2. S. Cyr. lib. 4 p. 446. S. Aug. Tract. 31. in Jo.

28. 29. *Clamabat ergo Jesus in Templo docens*, *& dicens*: *Et me scitis*, *& unde sim scitis*. Me quidem nostis ut hominem, & Mariæ filium ; & unde sim scitis, ubi natus sim & educatus: scitis, me esse Jesum Nazarenum; parentes meos scitis, nostis me secundum carnem & effigiem humanam (Solus enim in hac causa latebat Virginis partus, cui tamen testis erat maritus). Recte ergo dixit, *Et me scitis*, *& unde sim scitis*. Verumtamen altior & occultior mihi origo est : *& a me ipso non veni*: Me non ingessi muneri quod obeo, a Deo missus sum: *sed est verus qui misit me*, *quem vos nescitis*. Qui misit me Deus Pater meus, verax est in omnibus verbis suis, fidelis in promissis, & vos nescitis eum esse Patrem meum, & consilium ejus ac dispensationem de generis

neris humani salute per sanguinem Filii sui unigeniti procuranda ignoratis. *Ego scio eum*, novi quis sit, quæ ejus consilia, quæ voluntas, *quia ab ipso sum*, & *ipse me misit*. Ab eo genitus sum, & cum sim ab æterno in sinu ejus, misit me in mundum per Incarnationem. Utroque igitur nomine me audire & mihi obsequi debetis; & quia Filius Dei sum, & quia missus a Deo, quam missionem miraculis quotidianis confirmo, indivisa potestate cum Patre veraci factis.

30. 31. 32. *Quærebant ergo eum apprehendere*, captabant opportunitatem injiciendi in eum manus absque populi tumultu: *nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus*, tempus Passionis & mortis ejus a Patre, & ab ipsomet definitum. *De turba autem*, sive de plebe, *multi crediderunt in eum*, ut in verum Messiam a Deo promissum atque missum, & *dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Majora certe miracula non edet. Nulla est igitur dubitandi ratio quin hic sit Christus. *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc*, plebem hæc de illo dicentem; & *miserunt Principes*, seu Primores Pontificum, Senatores, & *Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.*

33. 34. *Dixit ergo eis Jesus: adhuc modicum tempus vobiscum sum*, usque ad proximum Pascha, quo mihi mortem inferetis, pati & mori volenti, & *vado ad eum qui me misit*. Ascendam ad Patrem, postquam a mortuis resurrexero. *Quæretis me*, & *non invenietis*. Etiamsi me quæratis, non invenietis: ab insidiis, & persecutionibus vestris, quin etiam a morte liber eo in perpetuum ad gloriam Patris assumptus: & *ubi ego sum, vos non potestis venire*. In cœlum, quo ego vado, admitti non potestis: inde enim vos excludit incredulitas vestra, contumacia, & odium in me capitale.

35. 36. *Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos*, inter sese, vel in animis suis: *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Numquid in dispersionem Gentium iturus est*, id est, ad Gentes toto orbe dispersas, & *docturus Gentes* id est Ethnicos? „ Maligna conjectura. Non enim
S. Cyril. Alex. lib. 5. in Jo. p. 407
„ dumtaxat iturum in Gentium dispersionem ajunt, sed „ forte edocturum Gentes addunt, ut ejus accusandi novum inde prætextum arripiat eorum suspicio. Nam misceri cum dispersis Gentibus eorum urbes aut regiones „ petendo, apud Judæos tritum erat & familiare, adeoque culpa vacabat: sed enarrare Legem alienigenis, „ & profanis aperire divina Mysteria, apud eosdem crimini datum est, nec periculo caruit. Ideo nonnullos „ hoc passim facientes Deus per Prophetam incusabat: „ *Et leges foris legerunt*. Quamobrem amarulente objiciunt, *Eum velle docere Gentes*, & ita tamquam paratum ad transgressionem Legis traducunt, personasumque „ habent ex iis quæ jam ante fecerit die Sabbati, quidvis etiam temere facturum, licet divinis repugnet Legibus, id ei familiare, ac pro nihilo esse credentes. „ Variis vanisque conjecturis mentes illorum agitabantur, „ quas fidei subjicere nolebant. Quis est hic sermo quem „ dixit; quæretis me, & non invenietis: & ubi sum „ ego, vos non potestis venire? " Nisi hoc velit quod conjicimus, quem sensum habet ipsius sermo? Ubi enim in Terra Palestina præsidium sibi sperat, cum Romani ipsi in his locis plurimum deferant auctoritati Synedrii, cujus judicium ipsi adversatur?

37. 38. 39. *In novissimo autem*, id est, octavo *die magno* sive celebriori *festivitatis* Tabernaculorum, *stabat Jesus* loco editiore ut ab omnibus conspiceretur & audiretur, & *clamabat dicens: Si quis sitit*, justitiam & omnia bona spiritualia, salutemque suam, *veniat ad me*, & *bibat*: credat in me, & sitim ejus restinguam, desiderium ejus satiabo. Ex rebus obviis sermonis occasionem capere Christus solebat. Eo autem die populus magna pompa ex fonte Siloe aquam hauriebat, Canticum illud Isaiæ usurpans: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Hoc conspecto, docet eos Christus quis sit fons vere
Grotius ad Jo. c. 7.
salutaris indicatus a Zacharia. *Qui credit in me*, ut Deum, mundique Salvatorem, ac vitam instituit secundum doctrinam meam, *sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus*, id est de corde ejus, *fluent aquæ vivæ*, abundantia nempe gratiarum & donorum Spiritus sancti, quam Messias credentibus daturus est, ut statim explicat. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat Spiritus datus*, visibiliter & cum plenitudine, *quia Jesus nondum erat glorificatus* per resurrectionem & ascensionem. Confer cum Isaiæ 44. 3. „ Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta su„ per aridam: effundam Spiritum meum super semen „ tuum, & benedictionem super stirpem tuam. *Et Joelis* „ 2. 28. 29. Et erit post hæc, effundam Spiritum meum „ super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & „ filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos, „ & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. „ *Et cum verbis S. Petri Act.* 2. 33. Dextera igitur Dei „ exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Pa„ tre effudit hunc, quem vos videtis & auditis. "

Nondum erat Spiritus datus, &c. „ Multa judicia præ„ cedentia Spiritus sancti habemus, antequam Dominus *S. August. Tract. 22. in Jo. n. 6.*
„ glorificaretur resurrectione carnis suæ. Non enim ali„ um Spiritum etiam Prophetæ habuerunt; qui Christum
„ venturum prænuntiaverunt. Sed modus quidam futurus
„ erat dationis hujus, qui omnino antea non apparuerat,
„ de quo hic dicitur. Nusquam enim legimus antea con„ gregatos homines accepto Spiritu sancto, linguis omni„ um gentium locutos fuisse. "

40. 41. 42. 43. *Ex illa ergo turba* plures, *cum audissent hos sermones ejus*, moti verborum majestate percellente animos, *dicebant: Hic est vere Propheta. Alii dicebant: Hic est Christus* patribus nostris a Deo promissus. *Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa* contempta regione *venit Christus?* In urbe Bethleem Judæ natum Jesum ignorabant, Nazareth educationis ejus locum noverant; genus ejus nesciebant: alioquin nullam ex Scripturis arripuissent ansam dubitandi num esset Christus. *Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David*, & *de Bethleem castello ubi erat David*, seu ubi habitabat in paterna domo, antequam ad regnum vocaretur, *venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba*, seu plebe, *Mich. 5. 2.* *propter eum*, aliis aliud de ipso sentientibus. *Matth. 3. 6.*

44. 45. 46. *Quidam autem ex ipsis*, satellites cum plebe permixti, *volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo Ministri ad Pontifices & Pharisæos*, & *dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum*, opportunitate data? *Responderunt ministri* conscientiæ verbis divinis commotæ resistere non valentes. *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, tanta eloquentia, gratia, efficacitate.

47. 48. 49. *Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis*, qui cum in ministerio nostro sitis, sententiam nostram, partesque nostras sequi debetis? *Numquid ex principibus*, id est, ex Senatoribus qui Legis scientia & auctoritate præcellunt, *aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis*, qui sanctitatis fama præeminent? *Sed turba hæc quæ non novit legem*, sola plebecula vilis & imperita, credidit in eum. Sed nulla ratio hominum imperitorum ac Legem non observantium habenda est, quia maledicti sunt, ut in ipsa Lege scriptum est: *Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus.*

50. 51. *Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum*, scilicet ad Jesum, *nocte, qui unus erat ex ipsis*: unus ex *Deuter. 17.* Senatu: *Numquid Lex nostra*, sive Judex Legem sequens, *26. Jo. 3.* *judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso*, & *cognoverit quid faciat?* Numquid hominem damnat inauditum? *Deuter. 13. 14.* Nonne accusatione prævia, & inquisitione facta interrogatur accusatus, audiuntur testes, rei defensio excipitur a judice, ut cognoscatur ejus vitæ ratio, & acta perspecta sint & explorata?

52. 53. *Responderunt*, & *dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es?* Sic eum per contumeliam vocant. Et tu fautor es istius hominis, quem plebeii solum homines ex Galilæa sectantur, gente ad factiones prona? *Scrutare Scripturas*, & *vide quia ex Galilæa Propheta non surgit.* Despecta illa regio, ex qua nullus Propheta prodiit. Ineptum prorsus argumentum; quasi nemo eximius nasci possit unde non alius talis prior natus sit. Hoc pacto quemlibet Prophetam, qui primus ex aliqua regione Prophetiæ dono insignis fuit, rejicere potuissent; quo agendi modo quid iniquius? Qua differendi ratione quid absurdius? *Et reversi sunt unusquisque in domum suam*, re infecta, cum nihil aliud hoc in consilio adversus Jesum decrevissent.

SENSUS MORALIS.

1. AMbulabat *Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*. Jesus persecutionem vitat secessu, non potestate, ut hominum superbiam confundat. Mortem absolute non fugit, sed differt, ut impleat voluntatem Patris. Fugit & latet ut homo, in medium insidiantium prodit, nec ab eis comprehenditur, volentibus licet ac paratis, ut Deus. Hoc scilicet dictis & factis suis Christus Jesus semper egit ut Deus crederetur & homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quæsivit. Quod ergo noluit in Judæam ambulare, cum in ejus mortem Judæi conjurarent, non impotentiæ fuit, sed caritatis. *Quando latuit ut homo* (inquit S. Augustinus) *non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse.* Ille enim quando voluit detentus est, quando voluit occisus. Sed membrorum suorum, id est fidelium suorum, in quibus ipse est (*Christus enim totus in capite & in corpore*) infirmitati consuluit, eosque aliquando persecutionem prudenter fugere docuit. *Non* ergo *perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem.* *S. August. Tract. 28. in Johan.*

Quærebant eum Judæi interficere, Benefactorem suum, Doctorem suum, Redemptorem suum, Dei Filium. O ingrati animi vitium omni monstro crudelius! sed quid in Judæos excandescimus? Nonne & nos Christiani, longe majo-

majoribus beneficiis a Christo affecti, quærimus interficere Jesum, cum eum offendimus, cum Legem ejus violamus, cum sanguinem ejus pro nobis effusum irritum ducimus & conculcamus. *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.*

Hebr. 6. 6. *S. Jo. Chrys. Hom.* 47. *in Joan.*

Quærebant eum Judæi interficere, invidiæ æstro perciti. Nihil invidia gravius. Per eam mors in mundum venit. Nam cum hominem honorari, Deique donis & gratia ornari diabolus conspexisset, ejus boni impatiens omnia molitus est ut eum perderet. Ex mala ista radice semper hic fructus erupit. Propter hanc Abel interemptus est, propter hanc David cædis periculum subiit, propter hanc & alii multi perempti sunt justi. Hac incitati Judæi Christum Jesum interfecerunt. Hanc malorum omnium radicem in nobis exscindamus. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*: Sed odientes malum, adhærentes bono: *caritate fraternitatis invicem diligentes.*

Galat. 5. 26 *Rom.* 12. 9. 10.

2. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia.* Solemnitates Judaicæ typi sunt Christianarum solemnitatum, quæ Dei beneficia per Christum nobis collata in memoriam revocant: Pascha scilicet liberationem nostram a peccati servitute: Pentecoste æternum cum Deo fœdus per Spiritum sanctum: Festum Tabernaculorum continuam Dei protectionem, providentiam & vigilantiam super Ecclesiam Militatem in deserto hujus mundi, & in hujus vitæ transitu; statum itinerantium, peregrinorum, & militum in quo sumus, donec ad terram promissam, ad cœlestem scilicet patriam perveniamus, ad requiem Dei, quæ perfecta erit a peccato liberatio, & divini fœderis consummatio. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Hebr. 13. 14.

3. 4. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis ... Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Carnalium parentum ambitionem, sacrilegam avaritiam, falsam prudentiam, amoris proprii voces, dicentes, *Manifesta te ipsum mundo*, Christi Sacerdotes audire non debent: sed unam Dei vocantis vocem. Blanditur ambitio, conciliatricula dignitatum, dicens *Transi hinc.* Virum tam egregiis dotibus instructum, tam præclaris talentis donatum, in loco ignobili & obscuro manere non decet: in Regiam civitatem, in Aulam te confer, ubi claritatem nominis consequere & ad primarias Ecclesiæ Dignitates viam tibi parabis. Dicit cupiditas: Tenui beneficio virum nobilitate aut eruditione insignem alligari indignum est: manifesta te ipsum mundo, ut pinguius, locupletius, tibique convenientius obtineas. Vox cupiditatis non audienda, sed caritatis: non vox ambitionis, sed humilitatis: non vox hominum carnalium; sed spiritualium. Ibi manendum, ubi Ecclesiæ utilis es, ubi aliorum salutem ita procuras, ut tua in periculo minus versetur. Non prævenienda, sed expectanda Dei vocatio. Carnis & sanguinis suggestionibus minime parendum. Parentes & cognati ut plurimum sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Propheticum illud animo insculptum gerant Ecclesiæ Ministri: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor a delicto maximo.*

Psalm. 18. 14.

5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Parentes & consanguinei ambitiosi, quorum ambitio & cupiditas filiis vel consanguineis ad Ecclesiasticum Ministerium assumptis suggerit ut seipsos mundo manifestent, ut Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas aucupentur, fidem certe non habent tantam, quanta Christianos decet; fidei lumen non sequuntur, ad Evangelium & Dei promissa non attendunt. „ *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt: Facis mirabilia, innotesce, id est, appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo quod caro factum est, & habitavit in nobis. Sed exemplo suo Ministris suis Christus ostendit, non esse audiendam prudentiam carnis, quæ *inimica est Deo, cum Legi Dei non sit subjecta*: Hanc reprobavit, quia *Prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritus, vita & pax.* “

S. Aug. Tract. 28. *in Jo. num.* 4. *Rom.* 8. 6. & 7.

6. *Dixit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: Tempus autem vestrum semper est paratum.* Carnalium hominum & amatorum sæculi, qui mundi gloriam quærunt, tempus semper est paratum: illam enim occasione qualibet data semper consectantur, & consequi pro votis possunt. Tempus vero membrorum Christi, qui cum eo regnaturi sunt in æternum, nondum advenit. Veniet aliquando tempus illud desideratum. „ Laborat nunc plebs Christi inter indignos, inter iniquos, inter blasphemantes, inter murmurantes, detrahentes, insectantes, & si liceat perimentes. Laborat quidem: sed *Non repellet Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet, quoadusque justitia convertatur in judicium*: id est, quoadusque justitia quæ modo est in Sanctis ejus, convertatur in judicium, cum in eis implebitur quod dictum est: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.* Habebat justitiam Apostolus, sed nondum illud judicium de quo dicit: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus.* Sit ergo modo tempus juste vivendi, postea erit tempus eos qui male vixerint judicandi. Hoc erit tempus judicii, de quo Dominus ait: *Tempus meum nondum advenit.* Erit enim tempus gloriæ, ut qui venit in humilitate, veniat in altitudine. Qui venit judicandus, veniet judicaturus: qui venit occidi a mortuis, veniet judicare de vivis & mortuis. *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit.* Quid est, manifeste veniet? Quia venit occultus. Tunc non silebit: nam quando venit occultus, *sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum.* “ *Tempus meum nondum advenit.* „ Hoc illis respondit Jesus, qui de gloria illum admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Nam & illi Discipuli utique gloriam requirebant, qui volebant sedere unus ad dexteram ejus, & alter ad sinistram: attendebant quo, & non videbant qua: Dominus eos ut ordinate venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelsa est enim Patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi: Patria est mansio Christi, via est Passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit Patriam? “ Denique & illis hoc respondit, quærentibus altitudinem, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Ecce qua venitur ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemoravit humilitatis, atque passionis .... Tempus nostrum nondum advenit. Quando veniet? *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

Psalm. 93. 11 15. *S. Aug. Tract.* 28. *in Jo. num.* 6. *Matt.* 19. 28. 1. *Cor.* 6. 3 *S. Aug. lib.* 10. *Confess. cap.* 23. *Psal.* 49. 3. *S. Aug. Tract.* 28. *in Jo. num.* 5. *Matth.* 20. 32. *Colos.* 3. 4.

Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Tempus Dei voluntate constitutum observare, non prævenire debet Christianus, qui voluntatem ejus facere decrevit, non suam. Voluntas Dei unum est omnium ejus motuum operationumque principium, ideo illam semper exquirit, certus voluntatem hominis a Domino præparari. Hæc a Dei voluntate dependentia, vera libertas est, contra vero independentiæ affectatio, vera & miserrima servitus.

7. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Non odit mundus amatores suos, non odit eos qui mores ejus sequuntur, non odit eos qui illius opera non arguunt, non improbant, non damnant. Væ Pastoribus qui verbo & exemplo non perhibent testimonium de mundo *quod opera ejus mala sunt!* Væ illis, qui bona dicentes quæ mala sunt, & mala quæ bona, a mundo diliguntur! Doctores & Prædicatores veritatis mundus amat, cum veritatem docent ac prædicant lucentem; odit, cum severam ac redarguentem annuntiant & prædicant ... Amant enim veritatem, cum se ipsam indicat; oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Graviter ferunt homines mundo dediti Censores vitiorum, affectuum, morumque suorum.

S. August. lib. 10. *Confess. cap.* 23.

8. *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.* Forte nos prævidebat, quia dies festos Judæorum non eramus acturi. Ideo ait, *Non ascendo, &c.* Nam & nos ipse, quia nos membra ejus, quia nos corpus ejus, quia ipse caput nostrum, quia *Totus Christus caput & corpus.*

S. Aug. Serm. 133. *alias* 8. *inter editos ex Mss. Cartusiæ majoris*

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam, &c. Veri Christi Discipuli festos Ecclesiæ dies alia longe dispositione celebrant quam filii hujus sæculi. Hi cum cognatis & amicis carnalibus ut plurimum conveniunt ad convivia, ad ludos, ad spectacula, ad choreas, ad voluptarias deambulationes: Illi vero a sæcularibus cætibus & societatibus recedentes, ad Templum Domini cum familia sua conveniunt, Missæ Parochiali, divinis Officiis intersunt, Dei verbum audiunt, piorum lectione librorum mentem pascunt, cœlestibus Sacramentis animam expiant ac reficiunt, caritatis & misericordiæ opera exercent, ad Deum corda erigunt ferventibus precibus. *Vos ascendite ad diem festum istum.* Qui autem dies festos in comessationibus, ludis, voluptatibus, aut negotiis sæcularibus transigunt; qui sacris illis diebus a peccatis, quæ servilia vere opera sunt, non abstinent, nec de illis pœnitentiam agunt, vel agere sincere proponunt, audire merentur ex ore Domini: „ Solemnitates vestras odivit anima mea ... Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere. “

Isaiæ 1. 12 14.

11. *Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est Ille?* Multi in majoribus Solemnitatibus Christum quærunt Judæorum instar, ut eum crucifigant Confessionibus & Communionibus sacrilegis. Veri autem ejus Discipuli illum quærunt ut adorent, laudent, amore complectantur, & in corde suo retineant. Hi fide præsentem intuentur & colunt: illi præsentem non vident, qui.

quia tenebris infidelitatis excæcati sunt : illum non inveniunt, quia non quærunt ut oportet. *Et dicebant : Ubi est ille ?*

12. 13. *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.* Sic & hodie positus est Christus Jesus in signum cui contradicitur. Pauci de illo, ejusque Mysteriis ac Religione ex piæ fidei affectu loquuntur, suamque in ea omnia quæ Religionem spectant, & in Ecclesia pie frequentantur, reverentiam verbis & operibus significant. *Quidam dicebant, quia bonus est.* Plures de Religionis Mysteriis, de Catholicis Dogmatibus, de Ecclesiæ Moribus, de votis Monasticis, de piis Confraternitatibus, Indulgentiis, Pietatis Exercitiis & devotionibus approbatis ab Ecclesia male loquuntur : carnales enim & animales homines non percipiunt quæ Dei sunt. *Alii autem dicebant, Non, sed seducit turbas.* Vix inveniuntur qui in sæcularium hominum societatibus & conventibus palam de Christo, de ejus cultu, amore, ac vera in ipsum pietate loquantur, ne mundo displiceant, ne contemnantur, ne irrideantur, ne sæculi amatoribus graves sint ac molesti, ne ut critici, ut devoti, ut civilitatis omnis imperiti fugillentur. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.*

Christianus secundum Dei Legem, & Evangelium Christi Jesu vivens, mundi de se judicia parvipendat, quæ cæca plurimum & iniqua sunt, hominum contemptum, & obtrectationes non curet, modo placeat Deo, cui se probavit. Se felicem existimet, cum despicitur, cum irridetur, cum patitur calumniam, cum derelinquitur. Sic enim Christo Jesu capiti suo similis est, & in eamdem transformatur imaginem. „ Et omnes, qui pie vivere
2. *Tim.* 3. „ volunt in Christo Jesu, persecutiones patiuntur . . . .
12. 2. *Cor.* „ In omnibus *ergo* exhibeamus nosmetipsos sicut Dei mi-
6. 4. *& seq.* „ nistros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in „ seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in „ castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, „ in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris & a „ sinistris : per gloriam & ignobilitatem ; per infamiam, „ & bonam famam, ut seductores, & veraces, sicut qui „ ignoti, & cogniti : quasi morientes, & ecce vivimus : „ ut castigati, & non mortificati : quasi tristes, semper „ autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locu-„ pletantes : tanquam nihil habentes, & omnia possiden-
S. Augustin. Tract. 28. *in Johann n.* 11. „ tes. Dicant ergo de te, si proficis in Christo ; dicant „ homines, *seducit turbas*. De ipso, *de* toto corpore „ Christi hoc dicatur. Cogita corpus Christi adhuc in „ mundo, cogita corpus Christi adhuc in area, vide „ quemadmodum blasphemetur a palea. Simul quidem tri-„ turantur, sed paleæ conteruntur, frumenta purgantur. „ Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolatio-„ nem, de quocumque hoc dictum fuerit Christiano. "

14. 15. 16. *Jam autem die festo mediante ascendit Jesus Templum, & docebat. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Christum formam Prædicatorum novæ Legis Concionatores imitentur. 1. Sacrum illud ministerium sine vocatione divina & missione legitimorum Ecclesiæ Pastorum non obeant : non ascendant in suggestum ut parentum & consanguineorum votis & desideriis obsequantur. Diu se exerceant in oratione & pietatis officiis, antequam verbi ministerium suscipiant. Quatriduo Jesus orat, ut ad concionandum quatuor postremis Solemnitatis diebus se disponat. *Jam die festo mediante ascendit Jesus in Templum.* 2. Concionatores docere debent scientiam salutis, non curiosos conceptus, & verborum lepores sine Scripturarum succo venditare, & declamare. *Et docebat.* 3. Dogmatum Religionis & Moralis Christianæ notitiam ex Scriptura Sacra & SS. Ecclesiæ Patrum Operibus, assidua lectione, & pia meditatione haurire debent. Illos non solum lectio doceat, sed unctio ; discipuli sint Spiritus sancti, qui doceat illos omnem veritatem, prius quam ut doctores plebis se gerant. *Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit cum non didicerit ?* 4. Doctrinam propriam non doceant, sed Christi & Ecclesiæ doctrinam ; quod sibi traditum est, non quod a se inventum ; nihil doceant, nisi quod a Deo per Jesum Christum derivetur, ad eumque referatur, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia : ut cum illo dicere possint : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.*

17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere ; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Verbum Dei intelligunt ac discernunt a verbis hominum, qui cum fide cor mundante illud audiunt vel legunt, quærentes cor Dei in verbis Dei, ut loquitur Sanctus Gregorius. Hi qui bonam voluntatem habent obediendi Evangelio, gustant & vident quam suavis sit Dominus.
S. Augustin. Tract. 29. *in Johann n.* 6. Si non intellexisti, crede. *Intellectus* enim *merces est Fidei. Ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas : quoniam nisi credideritis, non intelligetis.* Voluntatem nempe Dei facere, est operari opus ejus, id est, quod illi placet. *Hoc est* autem *opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* (ait Christus). *Quid est porro credere in eum ? Credendo amare, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Ipsa est fides quam a nobis exigit Deus : & *Non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat.* Hæc *Fides quæ per dilectionem operatur.* *Galat.* 5. 6. Hæc in te sit, & Christi doctrinam intelliges. Timendum ne si Dei voluntatem facere neglexerimus, si præ- 1. *Tim.* 1. cepta ejus violare assuescamus, paulatim a Dei notitia 19. excidamus, sicut quidam *bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragaverunt.*

18. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit : qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax* Jo. 5. 43. *est, & injustitia in illo non est.* Superbia & propriæ ina- 1. *Thess.* 2. nisque gloriæ appetitus, falsorum character est Propheta- 4. rum. Antichristus *veniet in nomine suo*, extollens se *supra omne quod dicitur & colitur.* Christus autem Jesus, Deo Patri æqualis & coæternus, tamen quia venit in tempore, & formam servi accepit, & habitu est inventus ut homo, quærit in omnibus gloriam Patris qui misit eum. „ Hic veracitas ejus ac justitia maxime confir-„ matur . . . Quid tu homo facere debes, qui quando „ aliquid boni facis, gloriam tuam quæris ; quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris ? „ Intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem : servus „ es, ne contemnas Dominum : adoptatus es, sed non „ meritis tuis ; quære ejus gloriam, a quo habes hanc „ gratiam, homo adoptatus, cujus gloriam quæsivit qui „ est ab illo unicus natus . . . In Antichristo injustitia „ erit, & verax non erit, quia gloriam suam quæsitu-
S. Augustin. ibid. n. 8. „ rus est, non Dei. Omnes ergo pertinentes ad corpus „ Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæ-„ ramus gloriam nostram. Sed si Christus quæsivit glo-„ riam ejus qui eum misit, quanto magis nos ejus qui „ nos fecit ? "

19. *Nonne Moyses dedit vobis Legem ? Et nemo ex vobis facit Legem.* Christus Jesus Legem dedit Mosaica longe præstantiorem : 1. Quia Lex vetus in tabulis lapideis scripta : Lex nova in cordibus. 2. Quia Lex vetus homines a peccato coercet timore pœnæ : Lex nova ad faciendum bonum inclinat amore justitiæ. Lex illa ser- *Rom.* 8. vitutis, ista libertatis, & gratiæ ; illa timoris, hæc amoris & caritatis. *Non enim*, ait Apostolus, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiri-* *Hebr.* 7. *tum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba* (*Pater*) 3. Quia Lex vetus remunerationem terrenam, Lex nova felicitatem æternam pollicetur. Jesus *melioris Testamenti sponsor & mediator* est, quod *in melioribus re-* *Johan.* 1. *promissionibus sancitum est.* Si ergo rei Judæi, qui Legem per Moysen datam non implebant ; quanto magis rei Christiani, qui Legem Evangelicam per Christum Jesum datam non implent, multo faciliorem, ac suaviorem ? *Lex* enim *per Moysem data est, Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est.*

Nonne Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem ? Verbi divini Prædicator animum non despondeat, cum se nihil promovere videt in conversione peccatorum : siquidem verbum Dei in ipso Moysis ore sterile infructuosumque fuit. Semen divini verbi seminare, Concionatoris est ; Dei vero incrementum dare. Nullum quandoque, vel exiguum certe fructum laborum suorum videt pius Concionator, ne sibi aliquid tribuat, ut sese humiliet, deque peccatis suis ingemiscat, quibus forte Evangelii fructus impeditur ; ut Christi gratiam sibi & auditoribus necessariam ferventius imploret. Lex enim sine gratia non nisi prævaricatores facit, quia caritatem non tribuit. *Et nemo ex vobis facit Legem.*

20. *Quid me quæritis interficere ? Respondit turba, & dixit, Dæmonium habes ; quis te quærit interficere ?* Christi Jesu mansuetudinem & humilitatem admirare & imitare, qui cum sit ipsa Veritas, sibi improperari sustinet quod a mendacii & calumniæ dæmonio agatur. Et homo mendax excandescit, & ultionis libidine inflammatur, cum mendacii palam arguitur ! „ Si quis igitur nobis insul-„ taverit, humiliemur ; si quis exasperatur, mitigemus : *S. Chrys.* „ si quis mordet & lacerat, & contumeliis prosequitur, *Hom.* 48. „ ne commoveamur, ne victi nos ipsos perdamus. Ete-*in Johann.* „ nim ira fera est vehemens & furibunda. Incantemus „ eam divinæ Scripturæ carminibus, dicentes : Terra & „ pulvis es, & quid superbis terra & pulvis ? Nihil tur-„ pius aspectu irati, nihil usu gravius. Si aspectus hor-„ rendus, multo magis anima. Quemadmodum enim cœ-„ num si contrectetur, gravius olet : ita & anima cum „ perturbata est, & multis intrinsecus fluctibus agitata. „ Sed non possum, inquis, inimicorum contumelias tole-„ rare. Qua de causa ? Nam si vere accusaris, etiam co-„ ram compungi deberes, & gratias eis agere. Sed falso tibi improperat inimicus : ride. Pauperem dixit ac „ mendicum, ride. Stultum dixit, jam illum defle. Nam „ *Qui dicit fratri Juo, Fatue, reus est gehennæ ignis.* „ Injuria ergo affectus, cogita supplicium quod illum „ manet, & non modo illi non irasceris, sed ejus vi-„ cem dolebis. Neque enim febribus ac phreneti labo-„ranti quispiam irascitur, sed illius miseretur. Sed

„ pusilli animi arguar, inquies, si tacuero. Imo tuam
„ omnes admirabuntur sapientiam, modestiam ac mansue-
„ tudinem laudabunt. Contra vero si contumelioſe res-
„ ponderis, occasionem dabis ut vera credantur quæ tibi
„ exprobrantur. Quare enim dives, si pauper appellatur,
„ ridet? Quia id falsum novit. Similiter si injurias no-
„ bis illatas rideamus, magnum erit argumentum quod
„ falso & sine causa arguamur. Apostolum audiamus :
2. Cor. 3. 6. „ *Cum inter vos*, inquit, *sit zelus & contentio, nonne*
„ *carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* spi-
„ rituales igitur simus, & sævissimam hanc belluam fræ-
„ no cohibeamus. Inter iram & insaniam nihil differt,
„ temporarius quidam dæmon est : immo infelicior est
„ homo ira abreptus eo qui a dæmone vexatur. Ille
„ enim venia dignus est, iratus nulla, qui sponte sua in
„ profundum perditionis ruit, & etiam ante futuram
„ gehennam dat pœnas. Tumultu enim quodam & æstu
„ intolerabili, diu noctuque variis cogitationibus anxius
„ jactatur. Ut igitur & præsenti supplicio liberemur &
„ futuro, Christi Jesu modestiam, mansuetudinem, &
„ humilitatem imitemur, qui cum maledicatur, non ma-
„ ledicit; cum afficitur contumeliis, non comminatur;
„ non ultionem sumit de Judæis, sed illos docet . . . .
„ propriisque neglectis injuriis, veritatis doctrinam, Dei-
„ que opera seu miracula ad ejus confirmationem facta
„ defendit ac vindicat. “ *Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, (non quia ex Moyse est, sed ex Patribus) & in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur Lex Moysi : mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Festi dies bonis operibus sanctificantur, tantum abest ne violentur. His diebus circumcidendæ sunt pravæ cupiditates ; exercenda *circumcisio cordis in spiritu, non littera*; totus homo sanandus a vitiis & pravis affectibus, ut in Deo quiescat. Hoc verum & spirituale sabbatum est.

24. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate*. Homines enim vident ea quæ parent, exteriora scilicet opera ; *Deus autem intuetur cor*, intentionemque scrutatur. Quamobrem Dei jura usurpat ; qui de proximo temere judicat. *Tu quis es qui judicas alienum servum?* (inquit Apostolus) *Domino suo stat aut cadit.*
Rom. 14.

Hoc vitium evadere in hoc sæculo, magni laboris est. Admonuit quidem Dominus Judæos, sed monuit & nos; illos convicit, nos instruxit; illos redarguit, nos excuit. Judæi quidem personaliter judicabant, sed ideo non pertinent ad novum Testamentum, ideo non habent in Christo regnum cœlorum, ideo non junguntur sanctorum societati Angelorum : terrena quærebant a Domino : „ Terra enim promissionis, victoria ab inimicis,
„ fœcunditas pariendi, multiplicatio filiorum, abundan-
„ tia fructuum, quæ illis omnia a Deo quidem vero &
„ bono, tamen ut carnalibus promissa sunt, omnia hæc
„ fecerunt illis verbis Testamentum. Quid est vetus
„ Testamentum? Quasi hæreditas pertinens ad hominem
„ veterem. Nos innovati sumus, homo novus facti su-
„ mus . . . Quid est homo novus? A vetustate innova-
„ tus. Ad quam rem innovatus? Ad desideranda cœle-
„ stia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam quæ
„ sursum est, & hostem non timet, desiderandam, ubi
„ non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi
„ vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi ne-
„ mo nascitur, quia nemo moritur; ubi nemo jam pro-
„ ficit, & nemo deficit; ubi non esuritur, & non siti-
S. August. Tract. 30. in Johann. n. 7. „ tur, sed satietas est immortalitas, & cibus veritas.
„ Hæc habentes promissa, & ad Novum Testamentum per-
„ tinentes, & novæ hæreditatis facti hæredes, & ipsius
„ Domini cohæredes, aliam spem valde habemus : non
„ personaliter judicemus, sed rectum judicium teneamus.
„ *Quis est qui non judicat personaliter? Qui judicat æ-*
„ *qualiter*. Non cum homines diverso modo pro suis
„ gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas
„ accipiamus. Sed quando inter duos judicamus, &
„ aliquando inter necessarios : fit nonnunquam judicium
„ inter patrem & filium; queritur pater de malo filio,
„ aut filius de duro patre : servamus honorificentiam
„ patri, quæ debetur a filio; non æquamus filium pa-
„ tri in honore; sed præponimus si bonam causam ha-
„ bet : filium æquemus patri in veritate; & sic tribue-
„ mus honorem debitum, ut non perdat æquitas meri-
„ tum. Veritatem in judicio non attendebant Judæi,
„ sed rationem habebant personarum, quia non succense-
„ bant Moysi, quod Circumcisionem die octavo, tametsi
„ sabbatum esset, celebrari præcepisset : Jesum vero da-
„ mnabant quod Sabbato sanitatis beneficium hominibus
„ conferret. Hoc est personarum rationem in judicio
„ habere, in uno reprehendere, quod in alio laudas ;
„ in uno damnare quod in altero approbas. “

33. 34. *Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non invenietis : & ubi ego sum, vos non potestis venire*. Jesus in hac vita quærendus est sincera conversione, pura caritate, bonisque operibus : alioquin periculum est ne in morte frustra quæratur. Quid vero inveniet, qui tunc Jesum non inveniet, nisi desperationem, damnationem, æternamque miseriam? *Et ubi ego sum, vos non potestis venire*. Ergo dum tempus habemus, dum opportunum tempus invitat, Jesum quæramus, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*. Quæramus eum, qui nos amantissime præveniens quærit ut ad illum eamus, & paret nobis immortalitatis locum, ubi cum ipso, per ipsum, & in ipso beati simus, æternumque regnemus. Quod si Deum quærere differamus, in interitu nostro ridebit, nosque a suo conspectu repulsos æternis damnabit suppliciis. Et quod majus supplicium, quam non invenire Jesum? Quam audire terribili voce dicentem : „ Quia vocavi, & renuistis : extendi ma-
„ num meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis
„ omne consilium meum, & increpationes meas neglexi-
„ stis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsan-
„ nabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit. Cum
„ irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tem-
„ pestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio
„ & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam :
„ mane consurgent, & non invenient me : eo quod exo-
„ sam habuerint disciplinam, & timorem Domini non
„ susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detra-
„ xerint universæ correptioni meæ. “ Proverb. 1. 24. & seq.

37. *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Illi soli veniunt ad Jesum, qui esuriunt & sitiunt justitiam, gratiam, & vitam æternam. Sed hanc sitim ipse Jesus in nobis efficit, ipse trahit eos qui ad illum veniunt, ut currant cum Sponsa in odorem unguentorum illius. Desiderare gratiam, initium gratiæ est. Sed spiritualia, cœlestia & æterna bona non sitiunt, qui carnalia, terrena, & temporalia concupiscunt. Illorum fruitione non extinguitur sitis Animæ ad imaginem Dei factæ, sed magis accenditur. *Animam enim Dei capacem quicquid Deo minus est, non implebit*. Sicut ergo cervus desiderat fontes aquarum, sic anima nostra Deum desideret. Ad Jesum eamus fide per dilectionem operante, hauriamus in gaudio aquas gratiæ de fontibus Salvatoris, hoc est, de Mysteriis ejus, cruce, vulneribus sacris. Quanta erit capacitas fidei nostræ, tanta erit aquæ illius cœlestis, sanctificantis, & bonorum operum fœcunditatem tribuentis copia. *Quantum vas fidei attulerit ad fontem, tantum implet* (inquit S. Augustinus) *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Venter interioris hominis, conscientia cordis est. Bibito ergo isto liquore vivescit purgata conscientia, & hauriens, fontem habebit; etiam ipsa fons erit.
„ Quid est fons, & quid est fluvius, qui manat de ven-
„ tre interioris hominis? Benevolentia, qua vult consu-
„ lere proximo. Si enim putet quia quod bibit soli ipsi
„ debet sufficere; non fluit aqua viva de ventre ejus : si
„ autem proximo festinat consulere; ideo non siccat,
„ quia manat . . . “ *Si credimus, bibimus. Et unusquisque in seipso debet agnoscere si bibit, & si vivit ex eo quod bibit : Non enim nos deserit fons, si non deseramus fontem*. Fides qua vere credentes in Jesum dicimur, non est aqua stagnans, sed viva & jugiter fluens. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Simul igitur & indeficientem copiam, & incredibilem operationem, & fontem & fluvios appellavit, & non unum, sed innumeros.
S. August. Tract. 31. in Johann. n. 4.
S. Johann. Chrysost. Hom. 60. in Johann.

39. *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Donum Spiritus sancti fructus est mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi. Oportebat caput nostrum, auctorem & exemplar novæ vitæ nostræ, novam in corpore suo naturali vitam accipere, antequam mystici corporis sui membris illam communicaret. Per resurrectionem regenerati (de qua scriptum est, *Resuscitans Jesum sicut & in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te*) prius quam Spiritum Christianæ regenerationis mitteret. Necesse erat a præsenti sæculo penitus separari, prius quam Pater futuri sæculi fieret per Spiritum sanctum abunde in credentes effusum. Itaque Spiritum sanctum ante Resurrectionem suam Christus Jesus non dedit, futurum significans, *Ut in resurrectione nostra caritas nostras flagret, & ab amore sæculi separet, ut tota currat in Deum*.
Act. 1.
S. August. Tract. 32. in Johann. n. 9.
„ Hic enim nascimur & morimur, hoc non amemus :
„ caritate migremus, caritate sursum habitemus, caritate
„ illa qua diligimus Deum. Nihil aliud in hac vitæ nostræ
„ peregrinatione meditemur, nisi quia & hic non semper
„ erimus, & ibi nobis locum bene vivendo præparabi-
„ mus, unde nunquam migremus. Si vivimus, si in ipsum
„ credimus qui resurrexit, dabit nobis non quod hic
„ amant homines qui Deum non amant; aut tanto plus
„ amant, quanto illum minus amant : tanto autem hoc
„ minus amant, quanto illum plus amant. Non promisit
„ nobis divitias terrenas & temporales, non honores &
„ potestates in sæculo isto. Videtis enim omnia hæc da-
„ ri & hominibus malis, ne magnipendantur a bonis.

„ Non

„ Non corporis sanitatem, non quia ipse illam non dat, „ sed quia & pecoribus dat. Non vitam longam. Quid „ est enim longum quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promisit longævitatem aut decrepitam senectutem; quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa cum venerit, murmurant. Non pulchritudinem corporis, quam vel corporis morbus, vel „ ipsa senectus quæ optatur, exterminat. Omnia ista non „ nobis promisit, qui dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vitam æternam promisit, ubi nihil timeamus, ubi non conturbemur, unde non migremus, unde non moriamur; ubi nec decessor plangatur, nec successor speretur. Quia ergo tale est quod
Ibid. n. 5. „ nobis promisit amantibus & Spiritus sancti caritate ferventibus, ideo ipsum Spiritum noluit dare, nisi cum „ esset glorificatus; ut in suo corpore ostenderet vitam, „ quam modo non habemus, sed in resurrectione speramus. Pignus accepimus, & hujus pignoris plenitudo „ postea dabitur. *Interim* in hac peregrinatione pignus „ nos consoletur, *quia* qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha, quid „ est cujus est arrha? "

43. *Dissensio itaque facta est in turba propter eum.* Dissensiones de Christo & ejus doctrina, ex hominum carnalium ignorantia & pravis affectibus in Ecclesia semper oriuntur. Ex his non offendantur fideles Christi ministri & servi; Veritatis hostibus & impugnatoribus resistere non cessent;
S. Gregor. Hom. 7. in Ezech. nec eos a bello adversus errores fidei & sane Morum disciplinæ contrarios gerendo absterreat falsus amor pacis, aut metus scandali. „ In quantum sine peccato possumus, vitare „ proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate „ scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur. "

S. Johann. Chrysost. Hom. 48. in Johann. 45. 46. *Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi; quare non adduxistis illum? Responderunt ministri; Numquam sic locutus est homo sicut hic homo.* „ Nihil veritate clarius & fortius. Pharisæi & Scribæ, qui sapientia præstare videbantur, & cum „ Christo semper versabantur ut ei insidiarentur, licet miracula viderint, & Scripturas legerint, non modo nihil „ utilitatis, sed damni plurimum acceperunt: ministri autem „ rudes & ignari tantum sermone persuasi sunt: & qui ad „ Christum capiendum iverant, ejus admiratione capti „ redierunt. Neque eorum tantum sapientia admiranda „ est, quod signis non eguerunt, sed quod sola doctrina crediderunt. Non enim dixerunt neminem unquam „ ita miracula fecisse, sed neminem umquam sic locutum. Non igitur ipsorum sapientia tantum sed & fortitudo admiratione digna est. Siquidem his, qui illos „ miserant, ita loquuntur, Pharisæis videlicet, qui „ omnia faciebant & conabantur ut caperetur. O vim „ admirabilem veritatis & gratiæ; quæ in Christi labiis diffusa est! "

CAPUT VIII.

Sensus Litteralis.

Matth. 26. 36. 1. 2. JESUS *autem perrexit in Montem Oliveti*, sive in hortum Gethsemani situm ad latus Montis Olivarum, ubi pernoctare & orare solebat cum Discipulis suis. *Et diluculo iterum venit im Templum*, ubi pridie docuerat; & *omnis populus venit ad eum* audiendum, & *sedens docebat eos.*

Levit. 20. 10. Deutet. 22. 22. Ezech. 16. 38. 40. 3. 4. 5. *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi* ad eum *mulierem in adulterio deprehensam* a duobus testibus, adeoque flagitii legitime convictam: & *statuerunt eam in medio* populi. *Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio*, in manifesto & flagranti facinore. *In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare*, criminis hujusce reas lapidibus obruere. Lex Moysis pœnam mortis in adulteras decernit; traditio & usus genus mortis definierunt lapidationem. *Tu ergo, quid dicis?* Tu qui Legem Moysis aliter ac nos sæpe interpretaris, quid ea de re censes? Romani capitalium jus suppliciorum Judæis non ita pridem eripuerant. In lapidatione Populus testibus præeuntibus judicium exequebatur, tolerantibus Romanis. Seniores Synedrii quærunt a Jesu quid sentiat.

6. 7. 8. *Hæc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum*: Ut occasionem captarent ex ejus responso eum accusandi aut contemptæ violatæque Legis, si illam absolveret; aut quod sibi non constaret, quippe qui meretrices in gratiam recepit; & a mansuetudine degeneraret, quam palam profitebatur. *Jesus autem in-*
Jerem. 23. 29. S. Amb. Epist. 25. ad Studium & Epist. 26. ad Irenæum. *clinans se deorsum, digito scribebat in terra*, an aliquam sententiam, an ipsorum peccata, an ipsa quæ mox protulit verba, incertum. Forte scribebat illud Propheticum. *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos.* Forte illud: *Festucam, quæ in oculo est fratris tui, vides: trabem autem, quæ in oculo tuo est non vides.* Certos forte non delineavit in terra caracteres, quibus aliquid significaret, sed incertas, nihilque significantes figuras delineavit, (quod homines meditabundi facere solent) ut quæstionem fraudis plenam declinaret. *Cum ergo perseverarent, interrogantes eum*, & responsum importune *flagitantes, erexit se, & dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Qui nec adulterii, nec paris aut gravioris criminis reus est, primum in eam lapidem mittat. Verba Legis respicit, qua sancitum est ut *Manus testium prima interficiat reum.* Ad suam ergo conscientiam quemque revocat, ut de adultera statuat quemadmodum de se statui vellet, juxta legem caritatis, & ut judicet an similium criminum, *Deut. 17. 7.* quæ Dei vindictam mereantur, sibi non sit conscius. Quod si ita sit, parcite, inquit, peccatores peccatrici, puniendi puniendæ, sicut & vobis parci vultis. *Et iterum se inclinans, scribebat in terra.* Hoc gestu ostendens nihil habere se quod adjiceret.

Matth. 7.

9. 10. 11. *Audientes autem*, id est, cum hæc dicentem Jesum audivissent, *unus post unum exibant*, sigillatim discedebant redarguente conscientia, *incipientes a Senioribus*: ita ut Seniores convicti & pudore suffusi, utpote plurium criminum rei, primi discederent, ceteri illorum exemplum sequerentur: *Et remansit solus Jesus, & mulier in medio stans*: in medio inquam, Apostolorum, & turbæ docentem Jesum audientis. *Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo*, qui non veni ut judicem mundum, sed ut salvem. *Vade*, abi libera & secura, & *jam amplius noli peccare.* Hoc adjecit Christus, ne peccandi commeatum dare videretur peccatrici parcens.

Hæc adulteræ mulieris Historia non semper & ubique constanter recta fuit in omnibus Græcis Latinisque Codicibus S. Johannis. Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 39. innuit scriptam a Papia ex veteri traditione, quam acceperat ex ore eorum qui cum Apostolis versati erant, & in Evangelio secundum Hebræos haberi. Abest ab antiquissimo Codice Vaticano, & a Græca Catena, in qua cum tres & viginti Auctores sint (inquit Maldonatus) nemo ejus meminit. Ejus non meminerunt S. Johannes Chrysost. S. Cyrill. Alexandrinus, Nonus, Theophylactus, qui Commentarios in Evangelium S. Johannis scripserunt. In multis tamen Græcis & Latinis Codicibus inveniri, testis est S. Hieronym lib. 2. adversus Pelagianos. Quin & Beza in uno tantum ex vetustis septemdecim Codicibus, quos penes se habuit, defuisse fatetur. Extat in Mss. Cambrigiensi antiquissimo, & in aliis quampluribus. Hanc ut Canonicam agnoverunt Ammonius Alexandrinus in Harmonia quatuor Evangeliorum, & Eusebius in Canonibus huic Harmoniæ additis, SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Euthymius; Ecclesiaque universa Græca & Latina. De illa ergo dubitari salva fide non potest, cum Sacra Synodus Tridentina confodiat Anathemate illum qui *Libros integros*, quorum indicem Decreto suo de Canonicis Scripturis adscripsit, *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit.* Hanc Historiam habent Versiones Syriaca & Arabica in Polyglotis Anglicanis editæ, necnon Persica & Æthiopica. In quibusdam tamen Exemplaribus Syriacis deesse, constat ex Versione quæ Viennæ & Antverpiæ edita est.

12. *Iterum ergo locutus est eis Jesus: Ego sum lux mundi.* Lux non Judææ solum, sed omnium Gentium; Lux interior, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. *Qui sequitur me*, seu ductum meum, *S. Cyr. lib.* doctrinamque meam, non ambulat in tenebris errorum, *5. in Jo.* & ignorantia rerum quæ ad salutem necessariæ sunt: *pag. 489.* *sed habebit* in animo suo *lumen vitæ*, id est, quod du- *Idem pag.* cit ad vitam æternam. *Ego sum lux mundi.* Non dicit, *487.* *In me est lux*, sed, *Ego sum lux*; ne quis in duos filios dividat Christum post Incarnationem.

13. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*, id est, legitimum. At homines sanctos, Legisque observantissimos, *1. Reg. 12.* de se ipsis testimonium perhibuisse, non animadverterunt *5.* Pharisæi cæci. Samuel enim Israelitis ait: *Testis est Dominus adversum vos, & testis Christus ejus in die hac,* *Psal. 7. 8.* *quia non inveneritis in manu mea quippiam.* David etiam de se ipso testatur: *Domine Deus meus, si feci istud; si* *Jerem. 15.* *est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus* *17.* *mihi mala.* Quin & Jeremias: *Domine Deus exercituum, non sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum a facie manus tuæ.* Apostolus denique Paulus aperte vociferatur: *Nihil mihi conscius sum.*

14. *Respondit Jesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Etiamsi nulla de me præcessissent Prophetarum vaticinia, nullum Johannis Baptistæ testimonium, testimonium meum *1. Cor. 4. 4.* de me ipso verum ac legitimum esset, *quia scio unde veni*, nempe a Patre: id est, Me esse Filium Dei & a Patre missum in mundum certo scio, & *quo vado*: nempe ad Patrem, legationis meæ rationem redditurus,

& præmium accepturus: *Vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado*, niſi a me diſcatis. Legationis injunctæ, arcanorumque mandatorum conſcius eſt legatus: reliqui hæc ab ipſo diſcere debent, ſecundum morem omnium gentium. Quod ſi is nulla in re commoda ſua captet, ob legationem multa mala perferat, propriam gloriam non quærat, ſed legantis, nec quicquid dicat quod legante dignum non ſit, nulla ratio eſt cur illi non credatur. Præterea, ubi quis ſuam enarrat naturam, & quæ ſibi ſubſtantialiter inſunt exponit, id per jactantiam facere, aut inanem gloriam captare minime cenſendus eſt, ut ſi Angelus dicat, Ego Angelus ſum; aut homo, Ego homo ſum; aut ſi ſol ita loquens inducatur: Ego cæleſtem orbem percurrens illuſtre lumen mortalibus præfero. Sic quamvis Salvator noſter Chriſtus Jeſus ſe mundi lucem eſſe dicat, verum eſt ejus teſtimonium; nec enim de alieno gloriatur, ſed quod ſibi per naturam convenit ut Dei Filio, explicat... *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt, quia ſcio unde venio*. Ex Deo ſum, & Deus, & Dei Filius: *Deus autem ſibi ipſi idoneus teſtis*.

S. Cyrill. lib. 5. in Johann. p. 489.

S. Chryſ. Hom. 51. in Johann.

15. *Vos ſecundum carnem judicatis*: ſecundum ſpeciem externam, ſecundum infirmitatem carnis quam in me conſpicitis, judicatis me fide dignum non eſſe, qui me lucem mundi dicam: ideo erratis, ad miracula non attendentes, quæ miſſionis ac legationis meæ litteræ ſunt, Dei ſigillo munitæ: *Ego non judico quemquam*. Nunc abſtineo judicis partibus, Doctoris & Salvatoris munus dumtaxat exercens. *Vos ſecundum carnem judicatis*; ex ſuggeſtione carnis, ex affectibus pravis judicatis: ego vero neminem ſic judico.

16. 17. 18. 19. *Et ſi judico ego*, ſi de me aut aliis quippiam teſtificor, *judicium meum*, ſeu teſtimonium, *verum eſt*, ac legitimum: *quia ſolus non ſum: ſed ego & qui miſit me Pater*. Mecum eſt Pater, qui me a ſe miſſum oſtendit, & voce de nube delapſa a magnifica gloria, & tot tantiſque miraculis. *Et in Lege veſtra ſcriptum eſt: Quia duorum hominum* conſentiens *teſtimonium verum eſt*, id eſt, ut verum ac legitimum recipiendum eſt: quanto magis meum, Patriſque teſtimonium? *Ego ſum* porro *qui teſtimonium perhibeo de me ipſo & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater*. Ego, cujus in vita nihil eſt obnoxium reprehenſioni; ego cujus doctrina omni ex parte ad Dei gloriam, ad veram pietatem ac ſanctitatem promovendam collineat, teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium etiam perhibet de me Pater, qui me miſit, cujus vox de cælo audita eſt in Jordane & in Monte ſancto, cujus & nomine quæ facio opera, me ab eo miſſum demonſtrant. *Dicebant ergo ei* Judæi: *Ubi eſt Pater tuus?* Demonſtra eum nobis ut videamus qualis ſit auctoritatis, quidve dicat. Pravis ſcilicet affectibus excæcati non intelligebant quem Patrem ſuum diceret: aut ab eo elicere volebant, quod in calumniam traherent, Patrem ſuum eſſe Deum. Forte & probri cauſa dicebant, *Ubi eſt Pater tuus?* Chriſtum ab obſcuro vel incerto patre, ex Joſeph, vel ex ſtupro genitum ſignificantes. *Reſpondit Jeſus*: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Perfecta enim Patris per Filium habetur notitia. Unde alibi ait: *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Et in Pſalmo: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*. Alter enim per alterum concipitur ob mutuam relationem. Idcirco Filium eſt quaſi quædam janua & via deducens in cognitionem Patris. Unde alibi ait: *Nemo vadit ad Patrem, niſi per me*: ex imagine enim & charactere, ad exemplaris cognitionem venitur.

Deuter. 17. 6. Matth. 18. 16. 2. Cor. 13. Heb. 10. 28.

S. Cyrill. lib. 5. in Johann. n. 495.

Johan. 14.

Neque me ſcitis, neque Patrem meum. Dicitis ergo, *Ubi eſt Pater tuus?* „ Quaſi jam me ſciatis; quaſi to-
„ tum hoc ſim quod videtis. Ergo quia me non noſtis,
„ ideo vobis Patrem meum non oſtendo. Me quippe ho-
„ minem putatis, ideo Patrem meum hominem quæri-
„ tis, quia ſecundum carnem judicatis. Quia vero ſe-
„ cundum quod videtis aliud ſum, & aliud ſecundum
„ quod non videtis; Patrem autem loquor occultus oc-
„ cultum, prius eſt ut me noveritis, tunc & Patrem
„ meum ſcietis. “

S. Auguſt. Tract. 37. in Johann. n. 2.

Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. Ille qui omnia ſcit, quando dicit, *forſitan*, non dubitat, ſed increpat. *Dubitationis verbum eſt cum dicitur ab homine, ideo dubitante quia neſciente; cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Ub. n. 3. 5.

„ Homines enim de his rebus quas certas habent, ali-
„ quando increpative dubitant, id eſt verbum dubitatio-
„ nis ponunt, cum corde non dubitent: velut, ſi indigne-
„ ris ſervo tuo, & dicas: Contemnis me, conſidera, for-
„ ſitan dominus tuus ſum. Hinc & Apoſtolus ad quoſdam
„ contemptores ſuos: *Puto autem quod & ego Spiritum*
„ *Dei habeam*. Qui dicit, *puto*, dubitare videtur; ſed
„ ille increpabat, non dubitabat. Alias Chriſtus Philip-
„ po loquens, abſolute ait: *Philippe, qui videt me, vi-*
„ *det & Patrem*. Non utitur verbo, *forſitan*, quia fidelis
„ audiebat, non fidei perſecutor: ideo non erat Domi-
„ nus increpator, ſed doctor. “

1. Cor. 7. 40.

20. *Hæc verba locutus eſt Jeſus in gazophylacio*, loco valde celebri ubi erant arcæ pecuniariæ ad recipienda dona & oblationes in ſarta tecta Templi, ubi & Primarii quidam e Sacerdotibus verſari ſoliti erant: *& nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus*: tempus mortis definitum a Patre, non quo cogeretur mori, ſed quo dignaretur occidi, impletis omnibus quæ ante paſſionem ejus prædicta erant futura de illo. Hanc horam exſpectabat Jeſus, non fatalem, ſed opportunam & voluntariam.

21. *Dixit ergo iterum eis Jeſus*: *Ego vado* ex hoc mundo ad Patrem, brevi moriar, ſponte quidem mea, ſed invidia & crudelitate veſtra, *& quæretis me*, poſt hac Meſſiam fruſtra expectantes, & in *peccato veſtro moriemini*; In hoc incredulitatis veſtræ peccato, ſimul cum Urbe veſtra peribitis. *Quo ego vado*, ſcilicet in cælum, *vos non poteſtis venire*, peccatorum pondere prægravati, ob infidelitatem & impœnitentiam a Deo reprobati.

22. 23. 24. *Dicebant ergo Judæi*, carnales & animales homines: *Numquid interficiet ſemetipſum*, nos præveniens ne illum occidamus, *quia dixit*: *Quo ego vado vos non poteſtis venire? Et dicebat eis*: *Vos de deorſum eſtis*, e terra, e mundo, ideoque terrena ſapitis: *Ego de ſupernis ſum*, ex Deo genitus ante omnia ſæcula: ideo ſuperna & cæleſtia ſapio & loquor. *Vos de mundo hoc eſtis*, hinc origo veſtra, ubi converſatio veſtra. *Ego non ſum de hoc mundo*, excelſior origo mea eſt, ut qui mundi ſim conditor quatenus Deus, quamvis in mundo ſim quatenus homo, miſſus a Patre ad redemptionem mundi. *Dixi ergo vobis*, id eſt, certo prædixi, *Quia moriemini in peccatis veſtris*, increduli & impœnitentes. *Si enim non crediderit is quia ego ſum* Dei Filius, Chriſtus, mundique Salvator Patribus veſtris promiſſus, a Prophetis prænunciatus, *moriemini in peccato veſtro*. Nec enim ullo modo pœnas effugient, qui in me non crediderint, impleta Scriptura, teſtimoniiſque ac ſermonibus de me, & operum inſuper meorum ſplendore priſcis vaticiniis conſentiente. *Niſi crediderit is quia ego ſum*, QUI SUM, id eſt verus Deus: Id enim Dei nomen eſt (Exod. 3. Qui eſt miſit me ad vos) *moriemini in peccato veſtro*.

Deuter. 18. 18. Pſalm. 93. 7. Iſai. 40. 9. Iſai. 60. 1. Malach. 1. 4. S. Cyrill. lib. 5. in Johann. p. 509. 510. S. Auguſt. Tract. 38. in Johann. n. 2. Secundum Johann. S. Chryſ. Hom. 52.

25. 26. 27. *Dicebant ergo ei* Judæi: *Tu quis es?* Qualis es? Id per contemptum, & inſultando dictum Sanctus Cyrillus notat, quaſi dicerent: Tu quem obſcuro loco, & ex vilibus parentibus natum novimus, quid de te magnificum jactes, aut quid admiratione dignum de te prædices? Iſta quippe audacia ab inſolenti Judæorum temeritate nequaquam aliena eſt. *Dixit eis Jeſus*: *Principium, qui & loquor vobis*. Ego ſum id quod vobis ab initio dixi, Chriſtus, Filius Dei, lumen Mundi, &c. Sane indigni eſtis qui ſermones meos audiatis, & qui ſim intelligatis; cum doctrinæ meæ, totque ac tantis miraculis credere nolitis, meque eo fine dumtaxat interrogatis, ut calumniæ occaſionem ex verbis meis captetis.

Principium, qui & loquor vobis. Ego qui vobis humano modo divina loquor, rerum omnium ſum principium, *Verbum* quod *erat in principio apud Deum, Deus, per quem omnia facta ſunt... Primus & noviſſimus... Primogenitus omnis creaturæ*. Hæc expoſitio planior eſt, Vulgatæ noſtræ convenientior, in qua S. Hieronymus, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, hunc locum reliquit intactum, ut ex Divina ejus Bibliotheca compertum eſt... *Dixit eis Jeſus*: *Principium, qui & loquor vobis*: Ego ſum ab initio, & ante ſæcula, & hoc eſt quod dico vobis.

Johann. 1. Apocal. 1. 17. Coloſſ. 1. 17. S. Ambr. lib. 3. de Fide cap. 4. & alibi paſſim. S. Aug lib. 5. de Trinit. c. 13. & Tract. 38. in Jo. Num. 23.

Multa habeo de vobis loqui, & judicare; Multa habeo quæ de vobis expoſtulem, & quæ in vobis arguam & merito damnem: *Sed qui me miſit verax eſt*. Sed dicere nunc ſufficit ad convictionem incredulitatis & pervicaciæ veſtræ, Patrem meum eſſe veracem, nec falli poſſe, nec fallere, teſtimonia ejus eſſe certiſſima & omni fide digna. *Non eſt* enim *Deus quaſi homo, ut mentiatur*, ſed teſtis fidelis eſt: *& ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*. Non alia doceo, quam quæ ab ipſo naſcendo accepi. *Et non cognoverunt* Judæi, *quia Patrem ejus dicebat Deum*. Non intellexerunt quod Patrem ſuum, a quo miſſus erat, Deum diceret, ſive quod ſe Filium Dei, non adoptione, ſed natura ſignificaret: quamvis hunc ſenſum ejus verba perſpicue præ ſe ferrent. Adeo excæcatæ erant eorum mentes.

28. 29. 30. *Dixit ergo eis Jeſus*: *Cum exaltaveritis Filium hominis*, poſtquam me ſuſtuleritis in crucem, *tunc cognoſcetis quia ego ſum* victor mortis, ex Reſurrectione: cœli & Angelorum Dominus ex Aſcenſione: Principium Spiritus ſancti cum Patre, ex ejuſdem Spiritus miſſione; vindex rebellium, ex Urbis Terræque veſtræ vaſtatione & excidio: *& a me ipſo facio nihil* (non enim ſum a me ipſo, ſed ex Patre Deus) *ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor*. Cum ſimplex ſit natura veritatis, hoc eſt Filio eſſe, quod noſſe. Ab illo ergo habet ut noverit, a quo habet ut ſit: non ut prius ab illo eſſet, & ab illo poſtea noſſet: ſed quemadmodum illi gignendo dedit ut eſſet, ſic gignendo dedit ut noſſet. *Et qui me miſit mecum eſt*, non receſſit a me, cujus auctoritate

S. Auguſt. Tract. 40. in Johann. n. 5.

tam.

tamquam paterna incarnatus sum; & *non reliquit me solum; quia ego quæ placita sunt ei facio semper*, & quatenus Deus, cum eo cuncta componens & regens, utpote unius cum ipso voluntatis & operationis, sicut unius essentiæ; & quatenus homo, ut illius voluntati ac beneplacito semper & in omnibus obediens. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.*

31. 32. *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo*, si in doctrina mea, in fide, necnon in observantia præceptorum meorum perseveraveritis, *vere discipuli mei eritis*, id est, digni quos pro discipulis meis agnoscam: *Et cognoscetis* magis ac magis veritatem doctrinæ meæ, mysteriorumque meorum arcana: & *veritas cognita & credita liberabit vos* a servitute peccati, a tyrannide diaboli, ab erroribus, a jugo Mosaicæ Legis, & in libertatem filiorum Dei vindicabit.

33. *Responderunt ei* Judæi, non illi qui jam crediderant, sed qui in turba erant nondum credentes: *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam*: Non sumus ex servili genere progeniti, sed Abrahami filii sumus ex Isaac filio liberæ, non ex Ismael filio ancillæ: & *nemini servivimus umquam* ut vænalia mancipia, servitute intrinseca & personali, qua servus omni jure sanguinis, nuptiarum, dominii caret: quamvis serviamus Romanis, quemadmodum olim Ægyptiis & Babyloniis extrinseca & politica servitute, ut populi devicti & jugo subditi: *Quomodo tu dicis, Liberi eritis?* Liberum enim hominem non posse manumitti, ratio, legesque docent.

34. 35. 36. *Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Hæc longe periculosior & turpior servitus, qua vos teneri non agnoscitis, de qua non ingemiscitis. Frustra ergo de ingenuitate vestra gloriamini. *Servus autem* malæ frugis, quales vos estis, *non manet in domo in æternum*, jus non habet manendi in familia heri sui toto vitæ suæ tempore; sed eum ejicere herus potest: *Filius autem manet in æternum*: Jus habet perpetuo manendi in paterna domo, ut bonorum paternorum heres. Ego Filius Dei, vos servi nequissimi. Vobis igitur metuendum est, nisi resipiscatis, ne a Domo Dei, ab Ecclesia, a cœlesti Mansione excludamini, & ejiciamini in tenebras exteriores. Ne tamen desperetis: Est enim qui vincula vestra disrumpat, Dei Filius, ego ipse, si in me credatis. *Si ergo vos Filius liberaverit* a peccati dæmonisque servitute, *vere*, non falsa persuasione, *liberi eritis.*

37. 38. *Scio quia filii Abrahæ estis*, secundum carnem: *sed quæritis me interficere*, ab Abrahæ fide & justitia omnino degeneres, *quia sermo meus non capit in vobis*, in animum vestrum non penetrat. *Ego quod vidi apud Patrem meum*, quod certa & evidenti notitia nascendo ex ipso accepi, *loquor*: & *vos quæ vidistis apud patrem vestrum*, scilicet diabolum, *facitis*, ejus exemplum secuti.

39. 40. *Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est*, alium non agnoscimus. *Dixit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis*, legitimi scilicet, *opera Abrahæ facite*: opera facite tam sancto parente digna, ejus fidem ac sanctimoniam imitamini. *Nunc autem quæritis me interficere hominem* (etsi nihil aliud essem quam homo) innocentem, & in vos beneficum, *qui veritatem vobis locutus sum*; hominem qui veritatem vos doceo, non qualemcumque, sed necessariam ad salutem, *quam audivi a Deo*: *hoc Abraham non fecit.* Tale quid non fecit Abraham, hominum secundum Deum amantissimus, qui captivos liberavit, peregrinos hospitio suscepit; veritatem a Deo sibi revelatam, quamvis in speciem minus credibilem, admisit in animum. Filii igitur Abrahæ secundum fidem & spiritum non estis, quamvis eo parente gloriemini.

Rom. 4. 9. 10. & seq. Galat. 3. 6. 7.

41. *Vos facitis opera patris vestri.* Longe alium ab Abrahamo patrem habetis, cujus filios pravis operibus vos probatis. *Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati*; id est, ex idololatris, quos scortatores tralatitio sensu vocant Moyses & Prophetæ: *unum Patrem habemus Deum*: unum Deum colimus, non plures, quem etiam patrem appellamus.

Heb. 11. 8. 9. 10.

42. 43. *Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset*, si Deum sincere coleretis ut patrem, sicut profitemini, *diligeretis utique me*, filii adoptivi unicum natura Dei Filium. *Ego enim ex Deo processi* æterna generatione, & *veni* in mundum per Incarnationem: *Neque enim a me ipso veni*, ut qui falso sibi Prophetæ munus arrogant; *sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis?* Cur locutionem meam non intelligitis? Causa in promptu est: *quia non potestis*, id est, non vultis *audire sermonem meum*, id est, obedienti animo amplecti doctrinam meam.

44. 45. *Vos ex patre diabolo estis*, imitando, non nascendo: & *desideria patris vestri vultis facere*, id est, libentes facitis. *Ille homicida erat ab initio*, quia ejus *invidia mors intravit in mundum*, & Cainum ad cædem fratris instigavit: & *in veritate non stetit*, a veritate defecit, quia Deo, qui prima & summa veritas est, amore casto non adhæsit, sibique inaniter placens, in sua excellentia velut in fine superbus conquievit, quasi suum sibi ipsi esset principium: & primam mulierem verbis & promissis mendacibus seduxit. *Quia non est veritas in eo*, id est, in affectu & voluntate ejus, immo veritatem odiit, ex quo a rectitudine & justitia, in qua conditus est, defecit; *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, pro ingenio suo ac malitia, nullius alterius instructione & impulsu; *quia mendax est*, totus est ad mendacium pronus, mentiri amat & fallere; & *pater ejus*, & auctor est ac inventor mendacii: ut si qua sit in vitiis præstantia, illi merito tribuatur. Hinc *Spiritus mendax* in Scriptura vocatur. *Ego autem si veritatem dico vobis*, qui spiritu bus erroris faciles aures & fidem præbetis, *non creditis mihi*: adeo alieno & aversо a veritate estis animo.

3. Reg. 22. 22. 2. Paral. 18. 21.

46. 47. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis vestrum mendacii, fallæ doctrinæ, aut alterius peccati me convincet? Porro *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* cum ea quæ dico fide digna sint. *Qui ex Deo est* tamquam patre per electionem, gratiam regenerationis, & imitationem, *verba Dei audit*, libenti, devoto, & obsequenti animo. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, id est, ex electorum ejus numero. „ Hoc ergo eis dictum est, qui non solum peccato „ vitiosi erant (nam hoc malum commune erat omnibus) sed etiam præcogniti quod non fuerant creditori, ex fide qua sola possent a peccatorum obligatione liberari. Quapropter præsciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id „ est in suis peccatis atque impietate morituros, in qua „ ei similes erant: nec venturos ad regenerationem in „ qua essent filii Dei, hoc est ex Deo nati, a quo erant „ homines creati. Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus: non quod aliquem hominem invenerit, qui vel secundum regenerationem jam esset ex „ Deo, vel secundum naturam jam non esset ex Deo. "

S. Aug. Tract. 42. in Jo. num. 16.

48. 49. 50. *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene*, id est optimo jure *dicimus nos quia Samaritanus es tu*, Religionis Judaicæ contemptor & hostis infensissimus, ut Samaritani, & *dæmonium habes*, doctrinæ & operum tuorum auctorem? Nulla capitalior blasphemia ea, qua *videntes in virtutibus Deum, Beelzebub calumniantur in factis.*

S. Hier. Ep. 149. ad Marcellam

Respondit Jesus: dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, illius gloriæ promovendæ unice studeo: & *vos inhonorastis me*, atrocissimis convitiis me petitis, quem ob Patris, qui me misit, reverentiam omni honore prosequi deberetis. *Ego autem non quæro gloriam meam*: cum doctrinam meam a Deo acceptam dico, cum me lucem mundi esse assero, cum me sine peccato esse pronuntio, cum me ex Deo processisse, & missum esse in mundum inculco, non id dico cupiditate humanæ gloriæ, ut opera mea probant: *Est qui quærat* gloriam meam, Deus scilicet Pater meus, & *judicet*, id est ulciscatur contumelias quibus me afficitis.

51. *Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit*, id est, doctrinam meam fide & opere complexus, in ea perseveraverit, *mortem non videbit in æternum*, mortem secundam & æternam non experietur, immo vita immortali & æterna donabitur.

52. 53. *Dixerunt ergo Judæi*, id est, Scribæ & Pharisæi: *Nunc cognovimus* certius & clarius quam ante hac, *quia dæmonium habes. Abraham mortuus est*, & *Prophetæ* mortui sunt: & *tu* neutiquam illis comparandus, *dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit*, id est, non experietur *mortem in æternum. Numquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est?* & *Prophetæ mortui sunt.* Numquid & Prophetis omnibus antecellis, qui cum non sua, sed Dei verba hominibus prædicarent, nihilominus mortui sunt? *Quem te ipsum facis?* Quem te esse præsumis? An vitæ Auctorem, ut & immortalis ipse sis, & alios a morte vindicare valeas?

54. 55. *Respondit Jesus: Si ego glorifico me ipsum*, si quod meum non est mihi arrogo, *gloria mea nihil est*, inanis est: *sed est Pater meus, qui glorificat me* divinis operibus ac miraculis, *quem vos dicitis quia Deus vester est.* Hic quem Deum vestrum & omnium rerum conditorem ac Dominum esse profitemini, Pater meus est, Deus Abraham, Isaac & Jacob, Moysis & Prophetarum. Hunc etsi Deum vestrum esse dicatis, adhuc tamen ignoratis: *Et non cognovistis eum*, ut oportet, quatenus in me & per me loquitur & operatur, ac de me testificatur: *Ego autem* penitus *novi eum: Et si dixero quia non scio eum* (quod absit) *ero similis vobis, mendax. Sed scio eum*, & *sermonem ejus servo*: ejus voluntati ac placitis religiose obedio.

56. *Abraham pater vester*, cum illi promissum esset a Deo, fore ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes, *exsultavit ut videret diem meum*, tempus Incarnationis meæ & conversationis inter homines: *vidit* fidei & Prophetiæ lumine. *Vidit, & gavisus est.* Diem Christi, immolationem ejus in cruce pro mundi redemptione, quam in arietis oblatione, & in Isaac præfiguravit, S. Joannes Chrysostomus interpretatur. Vidisse diem Domi-

Hom. 54. in Johann.

ni,

ni, id eſt Incarnationem ejus fidei oculis intuitum, cum miſit ſervum ut peteret uxorem filio ſuo Iſaac, dixit illi: *Geneſ. 24.* *Pone manum ſub femore meo, & jura per Deum cœli.* 3. *S. Aug.* Per femur intelligitur genus, ut S. Auguſtinus obſervat. *Tract. 43. in Jo. num. 16.* Ergo quæ fuit illa juratio, niſi quia ſignificabatur de genere Abrahæ venturum in carnem Deum cœli? . . . . . *Propheta erat Abraham. Cujus Propheta? Seminis ſui, & Domini ſui. Semen ſuum ſignificavit dicendo, Mitte manum ſub femore meo: Dominum ſuum ſignificavit addendo, & jura per Deum cœli.*

57. 58. *Dixerunt ergo Judæi ad eum*, ejus verba de corporali viſione Abrahami craſſe intelligentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Quomodo fieri potuit ut tu & Abraham alter alterum conſpiceretis, cum ab anno quinquageſimo ætatis adhuc plurimum abſis? Quem etſi attigiſſes, quid hoc eſſet ad eos annos qui ab ævo Abrahami numerantur? *S. Chryſ. Hom. 54. Jo p. 586.* *Dixit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Antequam Abraham fieret, Ego ſum*, ab æterno ſcilicet ut Dei Filius, veruſque Deus. Non dixit, *Antequam Abraham fieret, ego eram*, ſed, *ſum*. Quemadmodum Pater hoc verbo, *ſum*, utitur: ita & Jeſus, ſignificans ab æterno ſe eſſe, ab omnique tempore liberum, ut S. Chryſoſtomus obſervat, cui concordat *S. Cyr. l. 6. in Johan.* S. Cyrillus. *Proprie admodum*, inquit, *ac recte de Abrahamo uſurpat illud*, FIERI, *de ſe ipſo vero*, SUM, *docens omni quod a non eſſe ad generationem productum eſt omnino competere ut intereat, ei vero qui ſemper ſit nuſquam contingere poſſe ut ad non eſſe procedat. Major itaque & præſtantior eſt Abrahamo; major quidem, ut æternus; præſtantior vero, quia non eſt interitui ut ille obnoxius.* *S. Auguſt. Tract. 43. in Jo. n. 17.* Concordat & S. Auguſtinus. *Appende verba*, inquit, *& cognoſce myſterium.* Antequam Abraham fieret. *Intellige*, FIERET, *ad humanam facturam*, SUM *vero ad divinam pertinere ſubſtantiam.* FIERET, *quia creatura eſt Abraham. Non dixit, Antequam Abraham eſſet, ego eram; ſed*, Antequam Abraham fieret, *quia niſi per me non fieret*, ego ſum. *Neque hoc dixit, Antequam Abraham fieret, ego factus ſum.* In principio *enim* fecit Deus cœlum & terram: *nam* In principio erat Verbum . . . *Geneſ. 1.* *Johann. 1.* Antequam fieret Abraham, ego ſum. *Agnoſcite Creatorem, diſcernite creaturam. Qui loquebatur, ſemen Abrahæ factus erat, & ut Abraham fieret, ante Abraham ipſe erat.*

Merito itaque rejicienda Hugonis Grotii, expoſitio Socinianis favens. „ Fuerat, *inquit*, ante Abrahamum „ Jeſus divina conſtitutione, infra 17. 5. Apocal. 13. 8. „ 1. Petri 1. 20. Conſtat hoc, quia de ipſo ipſiuſque Eccleſia myſtice dictum erat, recente humano genere, „ futurum ut ſemen muliebre contereret caput ſerpentis, „ ut exponitur Rom. 16. 20. Unde ſimul intelligitur „ hunc hominem Jeſum majorem eſſe Abrahamo; quod „ ipſe innuere quam prædicare mavult." Rejicienda, inquam, hæc expoſitio eſt, ut Scripturæ ſenſui, Traditioni, & Eccleſiæ fidei ac doctrinæ contraria. 1. Verbum *ſum*, numquam eo ſenſu uſurpatur locis a Grotio laudatis. 2. Non de conſtitutione divina, ſed de reali exiſtentia erat Judæorum quæſtio, adeoque & Chriſti reſponſio. 3. Hoc ſenſu idem de quolibet alio homine ſancto dici potuiſſet: nam prædeſtinatio omnium electorum ante Abrahamum facta eſt. 4. Si de divina dumtaxat conſtitutione Chriſti reſponſio intelligatur, eodem ſenſu dicere licebit Jeſum natum & paſſum tempore Moyſis; Cyrum fuiſſe tempore Iſaiæ. 5. Judæi lapides non arripuiſſent ut Jeſum tamquam blaſphemiæ reum lapidarent, ſi divina tantum conſtitutione illum Abrahami nativitate priorem ſe dicere intellexiſſent: neque enim hinc majorem ſe Abrahamo facere viſus eſſet. 6. Jeſus illos docuiſſet, declarando ſe non reali exiſtentia, ſed divina tantum conſtitutione Abrahami nativitate priorem ſe dixiſſe. 7. Veritatem verbis æquivocis uſam, quæ homines in errorem inducerent, cum illos doceret, aſſerere impium eſt.

59. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe*, eorum furori ſe ſubducens, *& exivit de Templo.* Se autem abſcondit, vi Divinitatis ſe inconſpicuum reddens inimicis ſuis, ut S. Cyrillus explicat.

SENSUS MORALIS.

3. 4. 5. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*, &c. & ſeq. Quam multi Phariſæis & Scribis ſimiles zelum Legis præ ſe ferunt, cum ſpiritum Legis non habeant! Quam multi Lege ad cupiditates ſuas, ad odium, ad vindictam, ad avaritiam abutuntur. Infœlix illa mulier unum Legis mandatum violaverat: ſuperbi vero Phariſæi ſummam Legis violabant, caritatem, juſtitiam, manſuetudinem, Religionem, in Chriſtum Jeſum conjurati. Qui manſuetudinem Chriſti Jeſu imitari debebant, ex illius manſuetudine occaſionem ſumunt inſidiarum illi ſtruendarum. *Pſ. 44. 4. 5. S. Auguſt. Tract. 33. in Jo. n. 4. Iſai. 2.* De illo prædictum fuerat: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, Potentiſſime. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna: propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam.* Ergo *attulit veritatem ut doctor, manſuetudinem ut liberator, juſtitiam ut cognitor.* " Propter hanc eum eſſe regnaturum in Spiritu ſancto Propheta prædixerat. Cum loqueretur, veritas agnoſcebatur: cum adverſus inimicos non moveretur, manſuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus iſtis, id eſt, de veritate & manſuetudine ejus inimici livore & invidia torquerentur, in tertio, id eſt juſtitia, ſcandalum poſuerunt. Quare? Quia Lex juſſerat adulteras lapidari: & utique Lex quod injuſtum erat jubere non poterat: ſi quis aliud diceret quam Lex juſſerat, injuſtus deprehenderetur. Dixerunt ergo apud ſemetipſos. Verax putatur, manſuetus videtur; de juſtitia illi quærenda calumnia eſt: offeramus ei mulierem in adulterio deprehenſam, dicamus quid de illa in Lege præceptum ſit; ſi eam juſſerit lapidari, manſuetudinem non habebit: ſi eam dimitti cenſuerit, juſtitiam non tenebit. Ut autem manſuetudinem non perdat, qua jam populis amabilis factus eſt, ſine dubio eam dimitti debere dicturus eſt. Hinc nos invenimus accuſandi occaſionem, & reum facimus tamquam Legis prævaricatorem."

6. *Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* „ Scribebat in terra digito, qui Legem ſcripſerat. Peccatores in terra ſcribuntur, juſti in cœlo, ſicut habes dictum ad Diſcipulos: *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Secundo autem ſcripſit, ut gemino Teſtamento Judæos ſcias eſſe damnatos . . . Digito Dei Lex ſcripta eſt, ſed propter duros in lapide ſcripta eſt. Nunc jam Dominus in terra ſcribebat, quia fructum quærebat." *S. Amb. Ep. 26. Edit. noviſſimæ Pariſ. n. 4. S. Auguſt. Tract. 33. in Jo. n. 9. Luc. 10. 20.*

Cum ergo perſeverarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. „ Malas artes improborum confundit Jeſus, veritate, manſuetudine, & juſtitia illæſis. „ Non dixit, Non lapidetur, ne contra Legem dicere „ videretur. Abſit autem ut diceret, Lapidetur: venit enim „ non perdere, ſed quærere quod perierat. Quid ergo reſpondit? *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam „ lapidem mittat.* O reſponſio ſapientiæ! Quomodo eos „ intromiſit in ſe? Foris enim calumniabantur, ſe ipſos „ intrinſecus non perſcrutabantur: adulteram videbant, „ ſe non perſpiciebant. Prævaricatores Legis Legem impleri cupiebant, & hoc calumniando; non vere tamquam adulteria caſtitate damnando . . . . Impleatur „ Lex, lapidetur adultera: ſed numquid in illa punienda Lex implenda eſt a puniendis? Conſideret ſe unuſquiſque veſtrum, intret in ſemetipſum, aſcendat tribunal mentis ſuæ, conſtituat ſe ante conſcientiam ſuam, „ cogat ſe confiteri. Scit enim qui ſit: quia nemo ſcit „ hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui „ in ipſo eſt. Unuſquiſque in ſe intendens, peccatorem „ ſe invenit. Ergo aut iſtam dimittite, aut ſimul cum „ illa pœnam Legis excipite. Si diceret, Non lapidetur „ adultera, injuſtus convinceretur: ſi diceret, Lapidetur, „ manſuetus non videretur: dicat quod dicere debet & „ manſuetus & juſtus, *Qui ſine peccato eſt veſtrum, „ primus in illam lapidem mittat.*" Hæc vox juſtitiæ eſt: Puniatur peccatrix, ſed non a peccatoribus: impleatur Lex, ſed non a prævaricatoribus Legis. Hinc diſcant Judices, & Superiores, quibus corrigendi & puniendi peccatores officium & obligatio incumbit, pœnas ex animi perturbatione, ex odio, ex falſo & amaro zelo, ex hypocriſi & affectata juſtitiæ laude non infligere; ſed cum dolore, caritate, juſtitia, manſuetudine, propriæ fragilitatis humili agnitione & interiori humilitatis ſenſu, ſeipſos coram Deo magis reos conſiderantes. *S. Aug. ibid.* *1. Cor. 2. 11.*

Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. „ Quid tam divinum quam iſta ſententia; ut is „ peccatum puniat, qui exſors ipſe peccati ſit? Quomodo „ enim feras alieni ultorem, & proprii criminis defenſorem? *Nonne ſe magis ipſe condemnat, qui in alio „ damnat quod ipſe committit?*" *S. Ambroſ. Epiſt. 26. n. 12.*

11. 12. *Erigens autem ſe Jeſus, Dixit ei: Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnavit? quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jeſus: Nec ego te condemnabo.* Accuſatores mulieris unus poſt unum omnes receſſerunt. Relicti ſunt duo, miſeria & Miſericordia. Timere poterat ne ab illo puniretur qui erat ſine peccato; ſed qui adverſarios ejus repulerat voce juſtitiæ, illam voce manſuetudinis abſolvit. Nemo te condemnavit? *Nec ego te condemnabo.* NON *damnat, quaſi redemptio; corrigit, quaſi vita: quaſi fons abluit.* „ Et quia „ quando ſe inclinat Jeſus, ideo inclinat ut jacentes elevet; ideo ait Remiſſio peccatorum: *Nec ego te con- „ demnabo. Vade, & jam amplius noli peccare.* Ergo & „ Dominus damnavit, ſed peccatum, non hominem. „ Nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret, Nec ego te „ damnabo; vade, vive ut vis: de mea liberatione eſto „ ſecura, ego quantumcumque peccaveris, te ab omni „ pœna, etiam gehennæ & inferni tortoribus liberabo. „ Non hoc dixit: intendant ergo qui amant in Domino „ manſuetudinem, & timeant veritatem. Etenim *Dulcis „ & rectus Dominus.* Amas quod dulcis eſt, time quod „ rectus *S. Ambroſ. Epiſt. 25. n. 7. S. Aug. Tract. 33. in Johan.*

Psal. 24. 8. *Isai.* 42. 14. *secundum* 70. *Psal.* 85. 15. *Rom.* 2. 4. *&c.*

„ rectus est. Tamquam mansuetus dixit, *Tacui*: sed tam-
„ quam justus, *Numquid semper tacebo? . . . Misericors*
„ *& miserator Dominus*. Ita plane. Adhuc adde, *lon-*
„ *ganimis, & multum misericors*: sed time quod est in
„ novissimo, *& verax*. Quos enim modo sustinet pec-
„ cantes, judicaturus est contemnentes. An divitias bo-
„ nitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contem-
„ nis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam
„ te adducit? Tu autem secundum duritiem tuam, &
„ impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ &
„ revelationis justi judicii Dei, qui reddet uniquique se-
„ cundum opera ejus. "

Nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare. Hoc exemplum divinæ mansuetudinis Christi Jesu imitabantur Episcopi, qui pro reis apud Judices olim intercedere solebant: quem morem *S. Augustinus* in Epi-
73. stola ad Macedonium vindicat. „ Ipse Dominus, inquit,
4. „ apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera, &
„ eo modo nobis interceſſionis commendavit officium,
„ nisi quia ille terrendo fecit; quod nos petendo. Ille
„ enim Dominus, nos servi sumus: verumtamen ille sic
„ terruit, ut omnes timere debeamus. Quis enim est no-
„ strum sine peccato? Quod cum illis dixisset, a quibus
„ punienda offerebatur peccatrix, ut qui sciret se esse
„ sine peccato, prior in illam lapidem mitteret; cecidit sævitia, tremente conscientia. Tunc enim ex illa
„ jam congregatione dilapsi, solam Misericordi miseram
„ reliquerunt. Cedat huic sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Judæorum. Cedat humilitas
„ obsequentium, cui cessit superbia persequentium. Cedat
„ confessio fidelis, cui cessit simulatio tentatoris. "

Ibidem peccata non approbari a Sacerdotibus, qui pro reis intercedunt, sicut a Christo Jesu non est approbatum adulteræ mulieris crimen, *S. Augst.* ostendit. „ Nullo modo ergo culpas, quas corrigi volumus, ap-
„ probamus, nec quod perperam committitur, ideo vo-
„ lumus impunitum esse, quia placet; sed hominem mi-
„ serentes, facinus autem seu flagitium detestantes, quanto magis nobis displicet vitium: tanto minus volumus
„ inemendatum interire vitiosum. Facile enim est atque
„ proclive malos odisse, quia mali sunt: rarum autem &
„ pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt; ut in
„ uno simul & culpam improbes, & naturam approbes:
„ ac propterea culpam justius oderis, quod ea fœdatur
„ natura quam diligis. Non est igitur iniquitatis, sed
„ potius humanitatis societate devinctus, qui propterea
„ est criminis persecutor, ut sit hominis liberator. Morum porro corrigendorum nullus alius quam in hac
„ vita locus est: nam post hanc quisque id habebit quod
„ in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani
„ generis caritate intervenire pro reis, ne istam vitam
„ sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint fi-
„ nire supplicium. "

Vade, & noli amplius peccare. Sicut hæc fœmina typus est Ecclesiæ ex Gentibus idololatris colligendæ, cui impertitam Dei misericordiam accusare Judæi non possunt, si mores ipsi suos inspiciant: ita figura est Animæ cujuslibet peccatricis. Anima Christiana per gratiam sanctificantem sponsa fit Christi. *Despondi enim vos* (inquit Apostolus) *uni viro virginem castam exhibere Christo*. Per peccatum mortale fit adultera, violans fidem
2. *Cor.* 11. Christo Jesu legitimo sponso in baptismo datam, & adhærens creaturæ qua adhæsione corrumpitur; *Perdidisti*
Psal. 72. 27. *omnes qui fornicantur abs te*. Anima peccatrix adducitur ad Jesum, non a Pharisæis, sed a Sacerdotibus: misericordiam obtinet, modo peccata sua confiteatur, amore pœnitente redeat ad Sponsum, illi pœnitentiæ operibus satisfaciat. Fugatis dæmonibus qui illam accusabant, absolvitur; in omnia sponsæ jura restituitur. Sponsi vocem obedienter audit, salutare monitum humiliter suscipit, *Vade, & jam amplius noli peccare*, „ Facta secu-
„ ra de præterito, cave futura. Delevi quod commisi-
„ sti, observa quod præcepi, ut invenias quod pro-
„ misi. "

13. *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. „ Cum solitudinem
S. August. Tract. 34. *in Jo. Exod.* 13. 21. *Ps.* 77. 24. *Ps.* 104. 38. *S. Cyril. Lib.* 5. *in Jo. pag.* 286. „ peragrarent olim Israelitæ in terram promissam per-
„ gentes, nubes interdiu, volente Deo, Solis æstum tem-
„ perans, eorum capitibus imminebat: noctu vero co-
„ lumna ignis cum tenebris pugnans eos deducebat;
„ cumque prævium & ducem ignem sequerentur, nullo
„ modo aberrabant, sed recta in terram promissam fere-
„ bantur, nihil noctem & tenebras curantes; sic qui se-
„ quitur me, id est, vestigia doctrinæ meæ insistit, nus-
„ quam in tenebris erit, sed habebit lumen vitæ, my-
„ steriorum scilicet meorum revelationem, qua ad vitam
„ æternam perduci potest. "

Ego sum lux mundi, &c. „ Duplex est via, scilicet
S. August. Tract. 34. *in Jo. num.* 6. „ via lucis, quæ ducit ad vitam; & via tenebrarum,
„ quæ ducit ad mortem. Prima est vita Christiana, vita
„ fidei, spei, & caritatis; in qua Christus ipse via est,
„ veritas, & vita. Altera via est mundi, via cupidita-
„ tum, in qua dux est diabolus. "

Ego sum lux mundi, lux indeficiens. Non enim Soli isti visibili similis est Christus Sol justitiæ. Etsi Solem istum, cujus lucem homines & pecora vident, nolueris deserere, ipse te deseret, servitutis tuæ necessitate peragens diem. Dominus autem noster Jesus Christus interim & cum per carnis nubem non omnibus apparebat, per sapientiæ potestatem omnia tenebat. *Deus tuus ubique totus est. Si non ab illo facias casum, numquam a te ipse facit occasum . . . QUI sequitur me non ambulat in tenebris*. Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, quibus discernitur non album & nigrum, sed justum & injustum.

14. *Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado*. Testimonium sibi perhibet lux: aperit sanos oculos, & sibi ipsa testis est ut cognoscatur. Sed quid de infidelibus dicemus? Numquid illis non est præsens? *Est præsens & illis: sed quibus eam videant, oculos non habent cordis*. Audi de illis ex Evangelio prolatam sententiam: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Ergo ait Dominus: & verum ait, *Et si ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado*. Patri gloriam dabat Filius. Æqualis glorificat eum a quo est missus; quantum debet homo glorificare eum a quo est creatus? *S. August. Tract.* 35. *num.* 4.

15. *Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quemquam*. Temeraria judicia ex carnalibus affectibus, & pravis cupiditatibus, quæ mentem obnubilant atque perturbant, oriuntur. Hæc spiritalis homo, bonus scilicet Christianus devitet. Qui secundum carnem non ambulant, secundum carnem non judicant. Unusquisque enim prout affectus est, sic judicat. *Et quemadmodum secundum carnem vivere, malo vivere est; ita & secundum carnem judicare, injuste judicare*. Cavete ergo ne temere de fratribus judicando, in laqueum diaboli incidatis, & pereatis. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*. *S. Chrys. Hom.* 51. *in Johann.* 1. *Cor.* 4. 5.

Ego non judico quemquam, impræsentiarum. Ego enim non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam. „ Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare:
„ eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt; eos
„ perducendo ad vitam, qui credendo salutem non res-
„ puerunt. Prima ergo dispensatio Domini nostri Jesu
„ Christi medicinalis est, non judicialis: nam si primo
„ venisset judicaturus, neminem invenisset cui præmia
„ justitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores,
„ & omnino neminem immunem esse a morte peccati:
„ prius erat ejus misericordia præroganda, & post exeren-
„ dum judicium, secundum illud Prophetæ: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine* . . . Sed tamen ut agnoscatis jam & judicem Christum, audite
„ quod subjunxit: *Et si judico ego, judicium meum ve-*
„ *rum est*. Agnosce Salvatorem, ne sentias Judi-
„ cem. " *S. August. Tract* 36. *in Jo. num.* 4. 5. *Psal.* 160

21. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire*. Timenda sententia. Sunt quos Deus deserit, & desideriis cordis eorum ac reprobo sensui tradit. *Ego vado*: sed *Non deserit, nisi deseratur, ut pie semper juste que vivatur*. Sic deserti Deum frustra quærunt, quia recte non quærunt. *Quæretis me*. Igitur *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est*. Erit tempus quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. „ Qui a Deo deseruntur,
„ in peccatis suis moriuntur; impœnitentes ex hac vita
„ decedunt, quia pœnitentiam ad mortem differunt: *Et*
„ *in peccato vestro moriemini*. Si quis positus in ultima ne-
„ cessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœniten-
„ tiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc va-
„ dit: fateor vobis, *non illi negamus quod petit, sed non*
„ *præsumimus quia bene hinc exit* . . . Agens pœniten-
„ tiam ad ultimum & reconciliatus, si securus hinc exit,
„ ego non sum securus: *Pœnitentiam dare possum, secu-*
„ *ritatem dare non possum* . . . Vis te dubio liberare?
„ Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum
„ sanus es . . . Quare securus? quia egisti pœnitentiam
„ eo tempore quo & peccare potuisti. *Si autem tunc*
„ *vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non*
„ *potes; peccata te dimiserunt, non tu illa*. " Sed, inquis, quando me convertero, Deus ignoscet mihi. Sed, ut convertaris, necessaria tibi gratia est, necessaria voluntas, necessarium tempus. An tibi gratiam certo spondere potes indebitam, & qua toties abusus es; gratiam quam Deus excæcati, obduratis, derelictis, vel penitus aufert, vel infrequenter admodum tenuiterque tribuit? ut *S. Augustinus* docet. Prævaricatorem Legis digne lux deserit veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat: & ideo tantum audiat vocem Legis, qua admoneatur implorare Gratiam Salvatoris. Igitur *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Nec etiam *S. Aug. Lib. De Natura & grat. cap.* 22. *S. Aug. lib.* 3. *de Lib. Arbitrio.*

etiam de voluntate præsumendum. Bona enim voluntas a gratia est. „ Et illa est peccati pœna, justissima, ut „ amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla pos- „ set difficultate, si vellet. Id est autem, ut si quis sciens „ recte non facit, amittat scire quod rectum sit: & qui „ recte facere, cum posset, noluit, amittat posse cum „ velit." An denique diem crastinum tibi certo polliceri potes? Quot subitaneæ mortis exempla præsumptionem hancce tuam evertunt? Igitur *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Nemo desperet, nemo præsumat. Contra utrumque diaboli laqueum nos munire voluit, ac pro nobis vigilavit providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus ... Pœna eorum qui in peccato vivunt, & pœnitentiam non agunt, est in peccato mori. *Et in peccato vestro moriemini.* Pœna impœnitentium & in peccato morientium, est æternum a Deo separari, a cœlesti regno & Christi Sanctorumque societate excludi, in tenebras exteriores projici, ubi erit fletus & stridor dentium; mitti in stagnum ignis & sulphuris, quæ mors secunda & æterna est. *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

Eccli. 5. 8.

S. August. serm. 325. alias 27. inter Homil. 50.

23. 24. *Et dicebat eis. Vos de deorsum estis: ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Cœlestis hominis, secundi Adam membra sumus per gratiam regenerationis nostræ: de supernis hac ratione sumus: quæ terrena sunt ergo ne sapiamus; sed quæ sursum, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Christianus a mundo alienus esse debet. „ Nolite diligere „ mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dili- „ git mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam „ omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, „ & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; quæ non „ est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, „ & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem „ Dei, manet in æternum:" Vis habere dilectionem Patris, ut sis cohæres Filii? Noli diligere mundum. Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei, „ Vas „ es, sed adhuc plenus es: funde quod habes, ut acci- „ pias quod non habes. Non diligamus mundum, ne re- „ maneant in nobis Sacramenta ad damnationem, non „ firmamenta ad salutem. Firmamentum salutis est, ha- „ bere radicem caritatis, habere virtutem pietatis, non „ formam solam. Bona forma, sancta forma; sed quid „ valet forma, si non teneat radicem? Quomodo autem ra- „ dicamini; ut non eradicemini? Tenendo caritatem, „ *sicut dicit Apostolus*: In caritate radicati & fundati." Quomodo ibi radicabitur caritas inter tanta sylvosa amoris mundi? Exstirpate sylvas. Magnum semen posituri estis: non sit in agro quod suffocet semen. Hæc sunt verba extirpantia: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo.*

Epist. 1. S. Jo. c. 2. v. 15. 16.

S. August. Tract. 2. in Epist. Jo.

Ephes. 3. 17

28. *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Sicut sinus Patris schola est Filii, unde omnis veritatis cognitionem haurit nascendo ut Veritas ipsa subsistens: ita sinus Filii in carne pro nobis assumpta crucifixi schola est Christianorum in cruce genitorum, & in Christo crucifixo adoptatorum. Divinæ hujus scholæ doctrina tribus constat partibus. 1. Mysteriis sanctissimæ Trinitatis & Filii hominis. *Ego sum.* 2. Operibus & Passionibus Christi Jesu, ejusque morte pro nobis in Cruce oppetita. *Facio.* 3. Ejus doctrina & præceptis, atque consiliis. *Loquor.* Fundamentalia scholæ hujus dogmata sunt. 1. Christum Jesum esse verum Deum, & hominem verum in una persona. 2. Operationes ejus, propter operantis personæ dignitatem esse meriti & pretii infiniti. 3. Ejus doctrinam esse veritatem ipsam, fidei nostræ morumque regulam certissimam & indeficientem. Hanc scholam frequentemus ut *docibiles Dei*, ut Christi discipuli; corde simplici, fide viva justitiæ Doctorem, Verbum & Sapientiam æterni Patris andiamus; divinas ejus lectiones, veritatem nimirum & caritatem intimis in mentibus & pectoribus inscribamus, inscriptaque conservemus. Fideles simus & obedientes Deo sicut Christus Jesus, ut non relinquat nos solos, sed semper nobiscum maneat. *Et non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.*

31. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* In sermone Christi manere, est ejus legem, non ex parte, sed totam qua late patet, observare; non unum & alterum, sed omnia præcepta, totius vitæ tempore, fideliter, & perseveranter, ex caritate, cum gaudio & delectatione: ita ut verba Christi præ auro & argento, præ omnibus opibus & bonis temporalibus æstimemus: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti:* & *dulciora* sint nobis *super mel & favum.* In Dei verbo manere, est in fide & dilectione ejus perseverare. Maneamus ergo in eo, qui manet in nobis. Nos, si in illo non manserimus, cadimus: ille si in nobis non manserit, non ideo domum perdidit. Manet enim in se, qui numquam deserit se. Absit autem ab homine, ut maneat in se, qui perdidit se. „ Nos in illo manemus in- „ digentia: ipse in nobis manet misericordia. *Si vos „ manseritis in sermone meo*, &c. Quid est in verbo Dei „ manere, nisi nullis tentationibus cedere? Hujus man- „ sionis præmium est cognitio veritatis. Fides in ædifi- „ cio spirituali fundamentum & initium structuræ est: „ visio manifesta veritatis, culmen est & perfectio ædi- „ ficii. Amasti fundamentum, culmen attende, & ex ista „ humilitate aliam celsitudinem quære. Fides enim hu- „ militatem habet: cognitio & immortalitas & æterni- „ tas non habet humilitatem, sed celsitudinem, erectio- „ nem, nullam defectionem, æternam stabilitatem, nul- „ lam ab inimico expugnationem, nullum deficiendi ti- „ morem. *Si manseritis in verbo meo, veri discipuli mei „ eritis*, & cognoscetis veritatem. Sermo Christi veritas „ est, sed adhuc creditur, nondum videtur. Si manetur „ in eo quod creditur, pervenitur ad id quod videatur. „ CHARISSIMI, *nunc filii Dei sumus, & nondum ap- „ paruit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, „ similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.*" Magna promissio, sed merces est fidei. Quæris mercedem: opus præcedat.

S. August. Tract. 40. in Jo. num. 8. 9

1. Jo. 3. 2

32. *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Si non delectat veritas, delectet libertas ... Patrimonium Christianorum veritas est: fructus veritatis libertas. Judæi figuras & umbras futurorum in schola Moysis: Gentiles mendacia & errores in schola dæmonis: Christiani in Christi schola discant veritatem, quæ mendacium destruit, umbras dissipat, Legem implet. Amor veritatis nonnisi per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffunditur. Amor veritatis liberat nos a jugo legalium ceremoniarum, pravorum affectuum, terrenarum voluptatum & mundani timoris. *Et veritas liberabit vos.*

34. *Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* „ Si agnoscant homines ser- „ vitutem, videbunt unde accipiant libertatem. Inge- „ nuus est aliquis, captivatus a Barbaris, ex ingenuo fa- „ ctus est servus: audit homo miserator, considerat se ha- „ bere pecuniam, fit redemptor, pergit ad Barbaros, dat „ pecuniam, redimit hominem. Plane reddidit libertatem, „ si abstulit iniquitatem. Sed quis abstulit iniquitatem homo „ homini? Ille qui serviebat apud Barbaros a redemptore „ suo redemptus est, & multum interest inter redempto- „ rem & redemptum; tamen sub domina iniquitate for- „ te conservi sunt. Interrogo redemptum, Habes pecca- „ tum? Habeo (inquit) Interrogo redemptorem, Ha- „ bes peccatum? Habeo (inquit) Ergo nec tu te jactes „ redemptum, nec tu te extollas redemptorem: sed fu- „ gite ambo ad verum Liberatorem. Parum est quia qui „ sub peccato sunt, servi dicti sunt; & mortui dicuntur. „ *Quod timet homo ne faciat illi captivitas, jam illi fe- „ cit iniquitas.*"

S. Aug. serm 134. alias 48. de Verbis Domini, i cap. 3.

Qui facit peccatum servus est peccati. „ O miserabilis „ servitus! Plerumque homines cum dominos malos pati- „ untur, venales se petunt, non quærentes dominum non „ habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat? „ Quem appellet? apud quem interpellet? Apud quem „ se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui „ domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: „ servus peccati quo fugit? Secum se trahit quocumque „ fugerit. Non fugit se ipsum mala conscientia, non est „ quo eat, sequitur se, immo non recedit a se: pecca- „ tum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum, ut „ aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas tran- „ sit, peccatum manet: præteriit quod delectabat, re- „ manet quod pungat ... Ad Christum omnes fugiamus, „ contra peccatum Deum liberatorem interpellemus: ve- „ nales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur."

S. August. Tract. 41. in Jo. num. 4

36. *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* „ Non sine causa terruit, & spem dedit; terruit ne pec- „ catum amaremus; spem dedit, ne de peccati solutione „ diffideremus. *Omnis qui facit peccatum, servus est pec- „ cati. Servus autem non manet in domo in æternum.* „ Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccato? „ Audi spem tuam, *Filius manet in æternum. Si ergo „ vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*" Hæc spes nostra est, ut a libero liberemur, & liberando servos nos faciat: *Servi* enim *eramus cupiditatis, liberati servi efficimur caritatis.* Hoc & Apostolus dicit. *Vos* enim *in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem.* Noli ergo libertate abuti ad libere peccandum. *Erit* enim *voluntas tua libera, si fuerit pia. Eris liber, si fueris servus; liber peccati, servus justitiæ;* dicente Apostolo, *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* „ Prima libertas est carere criminibus. Nemo justus in „ hac vita sine peccato, multi justi dicti sunt sine que- „ rela, id est sine crimine. Crimen autem est peccatum „ grave, accusatione & damnatione dignissimum. Non „ ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat „ &

S. August. Tract. 41. in Jo. n. 8. 9. 13. Galat. 5. 13.

Rom. 6. 20.

Psalm. 118.

S. Aug. serm 134. alias 48. de Verbis Domini.

„ & laudat: nulla laudat, odit omnia. Quomodo odit „ Medicus ægritudinem & id agit curando ut ægritudo „ pellatur, æger levetur: sic Deus gratia sua hoc in nobis „ agit ut peccatum consumatur, homo liberetur. *Mu-* „ *nitur in vita proficientium, quod in vita consumitur per-* „ *fectorum*. Prima est ergo libertas, carere criminibus. „ Crimina sunt homicidium, adulterium, fornicatio, furtum, sacrilegium, & cetera hujusmodi. Cum cœperit ea „ non habere homo (debet autem non habere omnis Christianus homo) incipit caput erigere ad libertatem: sed „ ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare? Quia
Rom. 7. 23. „ *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi*
Ibid. 19. „ *mentis meæ: non enim quod volo bonum hoc ago; sed quod*
Galat. 5. 17. „ *odi malum, illud facio... Caro concupiscit adversus spi-* „ *ritum, & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis* „ *faciatis*. Ex parte libertas, ex parte servitus: *Nondum* „ *tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum* „ *æternitas*. Quæ igitur libertas plena atque perfecta in „ Domino Jesu, qui dixit: *Si vos Filius liberaverit,* „ *tunc vere liberi eritis*? Quando nullæ inimicitiæ, quando novissima destruetur mors. "

46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Solus Christus Pontifex est, *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*: solus ille verus *Agnus Dei, qui tollit peccatum*
Hebr. 7. 26. *mundi*. Nemo homo id sibi arrogare potest. *Si enim di-*
1. Johann. 1. 8. *xerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seduci-* *mus, & veritas in nobis non est*. Verumtamen eniti & satagere debent omnes Christiani, & præcipue Ministri Ecclesiæ, Pastores & Rectores Animarum, ut *sine que-*
Matth. 5. 16. *rela* sint, & *sine crimine*, morumque innocentia & sanctimonia præluceant. *Luceat lux vestra coram hominibus* (inquit Christus) *ut videant opera vestra bona & glo-*
Tertull. Apol. cap. 45. *rificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. De Christianis Tertullianus scribit in Apologetico; *Innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili Dispectore mandatam.*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Injuriam facimus Veritati increatæ, veritati incarnatæ, Veritati inspiratæ, quia illi non credimus, nec obedimus, immo vero resistimus. Non satis est *cognoscere veritatem*, sed & illam *diligere*, & *facere* oportet, ut Deo digni simus. Geniti sumus verbo veritatis, sanctificati Spiritu veritatis, discipuli Christi qui Veritas est: ambulemus igitur in veritate, mandata Dei servantes.

47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Qui Verbum Dei sine debitis dispositionibus audit, qui cum negligentia & fastidio; qui ex mera curiositate, qui sine reverentia; qui sine studio salutis suæ, non est ex Deo. Hanc ne vere amicum dixeris alicujus, qui loquentem libenter non audit? Si Dei amici sumus, illum in Scripturis sanctis, in Prædicatoribus suis, in piis libris loquentem lubenter audiemus: nec so-
Jacob. 1. 22. & seqq. lum *auditores, sed factores* Evangelicæ Legis, & verbi Dei, quod nobis prædicatur, erimus. „ Abjicientes igi- „ tur omnes immunditiam, & abundantiam malitiæ, in „ mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest „ salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, „ & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia „ si quis auditor est verbi, & non factor: hic compa- „ rabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in „ speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim ob- „ litus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in le- „ gem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non „ auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic bea- „ tus in facto suo erit. "

48. 49. *Responderunt Judæi, & dixerunt ei! Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me*. Divinum illud mansuetudinis exemplar aspiciant, illique se conforment Christiani, quicumque convitia, calumnias, opprobria & insultus hominum improborum patiuntur. *A*
S. August. *potentia discimus patientiam*. Quid enim sumus servi ad Dominum, peccatores ad justum, creaturæ ad Creatorem? Tamen quomodo si quid mali sumus, a nobis sumus: ita quicquid boni sumus, ab illo & per illum sumus. *Et nihil sic quærit homo quomodo potentiam; habet Dominum Christum magnam potentiam: sed prius ejus imitetur patientiam, ut perveniat ad potentiam*. Qui nostrum patienter audiret si ipsi diceretur, *Dæmoniam habes*? Quod dictum est ei qui non solum homines salvabat, sed etiam dæmonibus imperabat. Id unum respondet mitissimus Jesus: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam, &c.* Samaritanum appellaverant Pharisæi, hoc convitium non repellit, quia divinam ejus missionem, doctrinæ veritatem, miraculorum auctoritatem non petebat. Hominem a dæmone afflatum & impulsum dicebant: huic blasphemiæ respondet, quia ejus missionis & doctrinæ fundamentum quatiebat. Hinc discant Ecclesiæ Ministri personales & vagas injurias spernere, ab iis vero calumniis quæ ministerio suo officere possunt, in spiritu caritatis & mansuetudinis se purgare, *Ut non vituperetur* sacrum *ministerium*. Illis enim necessaria est bona vita; Ecclesiæ vero bona eorum fama. Omnes tandem Christiani patienter ferant injurias, convitia, calumnias, detractiones, exemplo Christi Jesu, convitia convitiis, detractiones detractionibus, calumnias calumniis non repellant, multo minus atrociori ultionis genere. „ Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut „ patientia majoribus tentationibus præparata in frivo- „ lis excidat .... Si linguæ amaritudo maledicto sive „ convitio eruperit, respice dictum: Cum vos maledixe- „ rint, gaudete. Dominus ipse maledictus in Lege est, „ & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum ser- „ vi consequamur, & maledicamur patienter, ut bene- „ dicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me protentum, aut nequam, reddam „ & ipse amaritudinis vicem necesse est aut cruciabor „ impatientia muta. " Maledicti autem vicem reddere Dominus nobis prohibet. Sequitur ergo ut a quo nos Dominus arcet idem æquanimiter pati admoneat .... „ Omnis injuria seu lingua, seu manu incussa, cum pa- „ tientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo „ telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum „ & obtusum. "
Tertull. de Patientia c. 8.

Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet. „ Est Pater qui gloriam meam a vestra di- „ scernat & separet. Vos enim secundum hoc sæculum „ gloriamini: ego non secundum hoc sæculum glo- „ rior, qui Patri dico, *Pater, clarifica me ea claritate, quam habui apud te, prius quam mundus fieret*. „ Quid est, ea claritate; sive ea gloria? Ab humana „ inflatione discreta. Secundum hoc judicat Pater. Quid „ est, judicat? discernit. Quid discernit? Gloriam Fi- „ lii sui a gloria hominum, quia ideo dictum est, *Un-* „ *xit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus* „ *tuis*. Non enim quia homo factus est, jam comparandus est nobis. Nos homines cum peccato, ille sine „ peccato: nos homines trahentes de Adam & mortem „ & delictum; ille de Virgine carnem mortalem, nul- „ lam iniquitatem. Denique nos nec quia volumus nati „ sumus, nec quamdiu volumus vivimus, nec quomodo „ volumus morimur: ille antequam nasceretur elegit de „ qua nasceretur, natus fecit ut a Magis adoraretur, „ crevit infans, & miraculis se Deum ostendebat, & „ infirmitate hominem præferebat. Postremo elegit & „ genus mortis, ut in cruce penderet, & ipsam crucem „ in frontibus fidelium figeret: ut dicat Christianus, „ *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu* „ *Christi*. In ipsa cruce quando voluit, corpus dimisit; „ in ipso sepulchro quamdiu voluit, jacuit; quando vo- „ luit, tamquam de lecto surrexit. Ergo secundum ipsam „ formam servi multum inter gloriam Christi, & glo- „ riam hominum ceterorum. " De ista gloria dicebat. *Non quæro gloriam meam. Est qui quærat, & judicet*, Salvatoris nostri humilitatem imitemur: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens*: gloriam propriam ne quæramus; cum lacessimur convitiis, maledictis, calumniis, Deo serviamus per infamiam & bonam famam: sacrificium gloriæ nostræ offeramus illi per Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucem pro nobis sustinuit, & in ea mori dignatus est, confusione contempta. Injurias apud ipsum deponamus, qui gloriæ nostræ & honoris curam habebit. *Est qui quærat, & judicet*.
Johan. 17. 5. Psal. 44. 6. Galat. 6. 14.

51. *Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*. Finem intendis? Media elige. Vitam æternam desideras? Sermonem & mandata Dei observa, secundum Evangelium vive. Mors duplex est; corporis, & animæ. Hæc vera mors est, nam illa migratio est. Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus, de qua loquebatur Jesus, cum diceret: *Si quis Sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*. Servemus igitur sermonem ipsius in fide: perventuri ad Dei nostri, at in se, visionem, quæ tota bonorum operum merces est, cum acceperimus plenissimam libertatem.

54. 55. *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. Et non cognovistis eum: Ego autem novi eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo*. Qui Dei voluntati ac mandatis non obedit, frustra gloriatur quod Deum cognoverit; immo convincitur mendacii teste & judice Veritate, idipsum per Apostolum suum Johannem confirmante. *Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est*. Quod vero Jesum spectat, secundum carnem judicantibus potuit & hinc arrogans videri, quia dixit: *ego novi eum*. Sed videte quid sequatur: *Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax*. Ergo *Arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur*.
1. Johann. 2. 3. 4. S. August. Tract. 42. in Johann. n. 15.

58. 59. *Amen, amen dico vobis: Antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent*

rent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe & exivit de Templo. Chriſtus Jeſus ut Verbum Patris & Sapientia ejus ab æterno in Deo Patre exiſtebat, & ſe nobis dare per Incarnationem ſuam decreverat. Venit in plenitudine temporum, & dedit ſe nobis. Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium. In ipſo cogitationes noſtras defigamus, & grato animo nos ipſi conſecremus, ut omnibus diebus noſtris in ſanctitate & juſtitia ſerviamus illi. „ Jeſus autem, tam-
S. Auguſt. ibid. n. 18. „ quam homo, tamquam in forma ſervi, tamquam humilis, tamquam paſſurus, tamquam moriturus, tam-
„ quam nos ſuo ſanguine redempturus; non tamquam
„ ille QUI EST, non tamquam *In principio Verbum, &*
„ *Verbum apud Deum*, abſcondit ſe. Nam cum illi la-
„ pides tulerunt ut mitterent in eum, quid magnum
„ erat ut eos continuo dehiſcens terra ſorberet, & pro
„ lapidibus inferos invenirent? Non erat magnum Deo:
„ ſed magis erat commendanda patientia, quam exſeren-
„ da potentia. Abſcondit ergo ſe ab eis ne lapidaretur.
„ *Tamquam homo a lapidibus fugit: ſed væ illis a quo-*
„ *rum lapideis cordibus Deus fugit.* “

CAPUT IX.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. ET *præteriens Jeſus*, poſtquam e Templo egreſſus eſſet, vel cum exiret, *vidit hominem cæcum a nativitate*: quod vitium humana ope inſanabile eſt: *& interrogaverunt eum Diſcipuli ejus*: *Rabbi*, Magiſter, *quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Ejuſ-ne peccato, vel a Deo præviſo, vel ab ejus anima præexiſtente, antequam uniretur corpori, commiſſo (ut multi Judæorum fingunt) an parentum peccato, velut cauſæ, congenita illa cæcitas tribuenda eſt? *Reſpondit Jeſus*: *Neque hic peccavit* ut cæcus naſceretur, *neque parentes ejus* hanc in illum calamitatem peccatis ſuis traxerunt: *ſed* divina providentia diſponente id evenit, *ut manifeſtentur opera Dei in illo*: Ut illius illuminatione pateat quanta & quam admirabilia ſint opera Dei.
Hom. 55. in Johann. De ſe, non de Patre dicit: Patris enim gloria manifeſta erat (inquit S. Johannes Chryſoſtomus.)

4. 5; *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*, Dei Patris, ut ejus Legatum, & doctrina, miraculiſque declarare Divinitatem meam, ac miſſionem meam confirmare, *donec dies eſt*: toto, quod mihi ſupereſt, mortalis vitæ tempore. *Veni nox, quando nemo poteſt operari.* Opera Patris perficere me oportet antequam patiar, ſicut operarii ante noctem diurnum penſum abſolvunt, ut ſcriptum eſt, *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam.* Nox enim commodum
Pſal. 103. 24. tempus non eſt ut intendant operi. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Quamdiu vitam mortalem in terris ago, mundum illumino, quantum in me eſt, doctrina mea, exemplis, miraculis.

6. 7. *Hæc cum dixiſſet, exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.* Quo minus conveniens videbatur ex ſe ſanandis oculis remedium, eo magis omnipotentiam Medici oſtendebat. „ Nam
S. Chryſ. ibid. „ cum ex limo formatum a Deo hominem audiviſſent &
„ crederent, ideo Chriſtus nunc ad eum modum oculos
„ finxit. Si enim dixiſſet, Ego ſum qui de terra formavi
„ hominem, arduum viſum eſſet auditoribus: re autem
„ oſtenſum jam negari non poterat. Quamobrem ipſe in
„ ſputo & pulvere commixto abſconditam gloriam mani-
„ feſtavit: neque enim parvum erat ut creaturæ opifex
„ putaretur. Ad hoc enim & alia aggreſſus eſt, & a
„ Patre totum eſt creditum. Majoris namque fides mi-
„ nus etiam confirmat. Omnium autem creaturarum ho-
„ mo præſtantiſſimus eſt, & inter membra noſtra oculus.
„ *Et* inunctis ex luto cæci oculis, *dixit ei: Vade, la-*
„ *va in natatoria Siloe*, ad locum in quem excipitur a-
„ qua fontis Siloe (*quod interpretatur Miſſus*) quod
„ verbum *Siloe* ſignificat *Miſſum*, non Domini Jeſu, ſed
„ Evangeliſtæ hæc interpretatio eſt, ad Meſſiæ nomen
„ alludentis, qui *Mittendus* appellatur a Prophetis. “
Fons autem ille celeber vocatus eſt Siloe, quod aqua ex eo in piſcinam, effluens, in varios hortos derivaretur & emitteretur. *Abiit ergo* cæcus, *& lavit* oculos ſecundum mandatum Jeſu, *& venit videns.*

8. 9. *Itaque vicini*, qui prope eum aut parentes ejus habitabant, *& qui viderant eum prius quia mendicus erat*, ad portam forte Templi quotidie ſedens, *dicebant*: *Nonne hic eſt, qui ſedebat & mendicabat?* Tali loco, non oſtiatim. *Alii dicebant*: *Quia hic eſt.* Certe hic ipſe eſt. *Alii autem*: *Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei.* Quibus altercationibus miraculi veritas magis inclareſcebat. *Ille vero dicebat*: *Quia ego ſum*: Ego ipſe, qui antea cæcus a nativitate, nunc video.

10. 11. 12. *Dicebant ergo ei*: *Quomodo aperti ſunt tibi oculi?* Quomodo contigit res adeo inſolita & admirabilis, ut nunc videas, qui a nativitate cæcus eras? Reſpondit: *Ille homo qui dicitur Jeſus*, ſolo nomine & publica fama mihi notus, *lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria* ſeu ad piſcinam *Siloe, & lava. Et abii; & lavi*, ſicut juſſerat, *& video. Et dixerunt ei: Ubi eſt ille? Ait: Neſcio.* Subduxerat enim ſe Jeſus ſeque abdiderat, ut Phariſæorum furorem declinaret.

13. 14. 15. 16. 17. *Adducunt eum ad Phariſæos*, ad Synedrium in quo plurimi erant Phariſæi, *qui cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit Jeſus, & aperuit oculos ejus.* Inde calumniæ anſam arripuerunt Phariſæi, capitales Jeſu inimici. *Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quando vidiſſet*, ſeu viſum recepiſſet. *Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi* ejus juſſu, *& video. Dicebat ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Linire quippe oculos Phariſaica ſuperſtitio ſervilibus operibus ſabbato vetitis annumerabat. *Alii autem*, quos invidia non ita excæcaverat, & in quibus aliquid bonæ fidei reliquum erat, *dicebant: quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Quomodo poſſet homo impius, qui ſe miſſum a Deo falſo jactaret, populumque ſeduceret, tam admirabilia, tam divina, vimque omnem naturæ ſuperantia opera facere in ſignum miſſionis ſuæ? Numquam certe Deus id permitteret, cum errori & mendacio ſuffragari non poſſit. *Et ſchiſma erat inter eos*, aliis aliud de Jeſu ſentientibus. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos*, ſabato? Quid de illo cenſes? *Ille autem dixit: quia Propheta eſt.* Abſit ut peccatorem cenſeam: quinimmo, virum a Deo miſſum, Deo gratum, Prophetam eſſe mihi certo perſuaſum eſt.

18. 19. 20. 21. 22. 23. *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat.* Non ſequitur quod poſtea crediderint; ſed cum non crederent, voluiſſe eos ex patre & matre nati veritatem facti ſcitcitari. *Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt? quomodo ergo nunc videt?* Audire deſiderabant ab illis aut non fuiſſe revera cæcum, aut certe natum non fuiſſe talem, ut everteretur miraculi fides, aut laus ejus minueretur. *Reſponderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt*; id certe nobis conſtat: *quomodo autem nunc videat*, quomodo viſum receperit, *neſcimus*; non aderamus cum id factum eſt, ut ea de re teſtimonium dicere poſſimus, *aut quis aperuit oculos, neſcimus: ipſum interrogate, ætatem habet* juſtam & legitimam ut ad interrogata congrue reſpondere poſſit; *ipſe de ſe loquatur.* Ipſe teſtimonium dicet de eo quod ipſi compertum eſt. *Hæc dixerunt parentes ejus* metu perturbati, *quoniam timebant Judæos*, primores Judæorum, Scribas, Phariſæos, Senatores: *Jam enim conſpiraverant Judæi*, id eſt, major pars eorum decreverat conſpiratione facta, *ut ſi quis eum*, nempe Jeſum, *confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret*; a Synagogis omnibus, & ex tota congregatione Iſraelis, velut profanus & impius excluderetur. *Propterea parentes ejus*, pater & mater cæci nati, homines magis quam Deum metuentes, ſibique potius conſulentes quam filio, *dixerunt*: *quia ætatem habet, ipſum interrogate.*

24. 25. 26. 27. *Vocaverunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus*, ut preſſiori interrogatione illum urgentes, aliquid ab eo elicerent, quod miraculi claritatem obſcuraret; *Et dixerunt ei: da gloriam Deo*: Veritatem, quam hactenus diſſimulaſti, coram Deo confitere. *Nos* Principes & Judices Populi, ad quos ſpectat judicium de veris falſiſque Prophetis, *ſcimus quia hic homo peccator eſt*, non Propheta, non miraculorum editor; ut tu ais. *Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt*, quod vobis conſtare dicitis, *neſcio*; nullum ejus rei argumentum habeo: *unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modo video*, ejus beneficio & gratia: *Dixerunt ergo illi: quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?* Ex ipſo curationis modo ſe aliquid deprehenſuros confidebant, quo veram aut certe congenitam cæcitatem non fuiſſe plebi perſuaderent. *Reſpondit eis: Dixi vobis jam, & audiſtis*, auribus corporis, utinam & cordis! *quid iterum vultis audire*, ſi credere non vultis? *Numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* O utinam! Si non vultis, incredulitate veſtra pertinaces, fruſtra me repetitis interrogationibus fatigatis.

28. 29. *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: tu diſcipulus illius ſis*, ſi vis hunc ſectari magiſtrum, te ſane dignum: *Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus*, alium non quærimus Doctorem: *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus unde ſit*: an a Deo miſſus, an ſuopte conſilio doceat.

30. 31. 32. 33. *Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt*, res ſane mira, *quia vos*, qui Magiſtri in Iſrael eſtis, & ſcientiam diſcernendi veros Prophetas a falſis vos habere gloriamini, *neſcitis unde ſit* Jeſus, *& aperuit oculos meos.* Verumtamen mihi viſum reſtituit: quo miraculo miſſionem ſuam evidenter probavit. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit*; Numquam exaudit impios, & falſos Prophetas, ita ut ad eorum ſanctitatem, vel miſſionem a Deo probandam miracula faciat. *Sed ſi quis Dei cultor eſt*, id eſt, recta de Deo ſentiat & doceat,

doceat, & *voluntatem ejus facit, hunc exaudit*, ut in Psalmis scriptum est: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* An id ignoratis! *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* A mundi conditione nihil tale auditum est, Nemo Prophetarum, nec ipse Moyses, quo Magistro gloriamini, similе miraculum ediderunt. *Nisi esset hic*, JESUS, *a Deo*, missus, *non poterat facere quidquam*, horum quæ fecit.

34. *Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Totus quantus ab utero matris scates peccatis, idque cum quo natus es, corporis vitium, animæ tuæ deformitatem indicat: & docere nos præsumis, miser? *Et ejecerunt eum foras*, ex loco ubi erant congregati, ex Templo, omnique Synagoga ignominiose expulerunt.

35. 36. 37. 38. *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum invenisset eum, dixit ei: Credis in Filium Dei?* In Christum Judæis promissum, qui Dei Filius est? *Respondit ille, & dixit: quis est, Domine, ut credam in eum?* Ubi est? Jam-ne venit? *Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum*, virtutem ejus expertus es, visum per ipsum recipiens: *& qui loquitur tecum ipse est*: Ego ipse, qui tecum loquor, sum Christus Filius Dei. *At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum*, ut verum Filium Dei. Fidem & adorationem internam externo ritu, gestuque corporis professus est. „ Promptus utique „ ad confessionem fidei, & ad pietatem cæcus. Post„ quam enim cognovit præsentem, & vere oculis sub„ jectum Filium unigenitum, adoravit eum, tamquam „ Deum, tametsi videret eum in carne gloria Deo di„ gna prorsus carentem. Verum illuminato corde vi & „ potestate illi insita, ad cogitationes bonas sapientiæ „ plenas assurgit, divinæque illius & ineffabilis naturæ „ pulchritudinem sibi animo repræsentat. Non enim „ adorasset ut Deum, nisi Deum esse credidisset, ex „ facto in se miraculo ad ita sentiendum institutus. "

S. Cyrill. lib. 16. in Johann. p. 632.

39. *Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* In hunc mundum veni ut judicium discretionis exerceam, homines qui res salutis suæ simpliciter ignorant, & ignorantiam suam atque cæcitatem humiliter agnoscunt illuminando; & eos qui se omnia nosse præsumunt, nec indigere doctrina mea, in tenebris ignorantiæ relinquendo, & permittendo ut magis excæcentur in pœnam peccatorum suorum & maxime incredulitatis. Quid ergo, *Ut qui non vident videant?* „ Qui se „ non videre confitentur, & Medicum quærunt, ut vi„ deant. Quid est, *& qui videant, cæci fiant?* Qui se „ putant videre, & Medicum non quærunt, in sua cæ„ citate permaneant. Ergo istam discretionem vocavit „ judicium, cum ait, *In judicium veni in hunc mun„ dum*, quo discernit causam credentium & confiten„ tium a superbis, se videre putantibus, & ideo gra„ vius excæcatis; tamquam dixerit ei peccator confi„ tens, & medicum quærens, *Judica me Deus, & di„ scerne causam meam de gente non sancta*: " illorum scilicet qui dicunt, *Videmus* & eorum peccatum manet: Qui *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*

S. August. Tract. 44. in Johann. n. 17.

Psal. 42. Rom. 1. 22.

40. 41. *Et audierunt quidam ex Pharisæis*, qui cum ipso erant ut eum observarent, & sermones ejus carperent: *Numquid & nos cæci sumus* ea, de qua loqueris, animi cæcitate? Dixit eis Jesus: *Si cæci essetis*, judicio vestro, id est, si vos cæcos agnosceretis, & lucem quæreretis, meamque doctrinam, quæ lux est mentium, obedienti animo audiretis, non haberetis peccatum. *Nunc vero dicitis: Quia videmus.* Vos sapere existimatis, inflati sensu carnis vestræ; superbia tumidi. Ideo *peccatum verum manet.* Vobis non condonatur incredulitatis peccatum. Nullam quippe excusationis rationem habetis, cum cæcitas vestra voluntaria sit.

SENSUS MORALIS.

1. *ET præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate.* Corporis cæcitas imago est cæcitatis spiritalis, in qua filii omnes Adami nascuntur, quæ vulnus est naturæ, peccato illatum. Quam deflenda hæc cæcitas quæ non illius lucis visione nos privat, quæ nobis cum pecoribus communis est; sed lucis æternæ, quæ vita est & felicitas nostra! *Et vita erat lux hominum.* Lux sine qua in tenebris & umbra mortis sedemus. Gratias agamus Salvatori nostro, qui per hanc mortalem vitam, per præsepe, per Crucem, per opprobria, dolores, mortemque pertransiens, nos misericorditer respexit, prius quam ipsum videre possemus: & cum essemus filii tenebrarum, nos per gratiam suam, fideique donum filios lucis effecit. *Ipse vidit cæcum, non ad eum cæcus accessit*: qua circumstantia generis humani demonstratur infirmitas, qui per se accedere ad Jesum non potest, nisi gratiæ ejus interiori vocatione præveniatur, in eoque desiderium illuminationis excitetur. *Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

S. Johan. Chrysost. Hom. 54. in Johann.

1. Pet. 2. 9.

S. August. Tract. 44. in Johann. n. 1.

Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. *Nat. Alex. In Evang.*

„ Genus humanum est iste cæcus. Quæ cæcitas per „ peccatum contigit in primo homine, de quo omnes „ originem duximus, non solum mortis, sed etiam ini„ quitatis. Si enim cæcitas est infidelitas, & illumina„ tio fides; quem fidelem quando venit Christus inve„ nit? Quandoquidem Apostolus natus in gente Pro„ phetarum dicit: *Fuimus & nos aliquando natura fi„ lii iræ, sicut & ceteri.* Si filii iræ, filii vindictæ, „ filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, nisi „ quia peccante primo homine vitium pro natura ino„ levit? Si vitium pro natura inolevit, secundum men„ tem omnis homo cæcus natus est. Si enim videt, „ non opus habet ductore & illuminatore; cæcus est „ ergo a nativitate . . . . . Totus mundus cæcus est: „ omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem dece„ pit: ideo venit Christus illuminator, quia diabolus „ fuerat excæcator. "

Ephes. 2. 3.

S. August. alibi.

Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.

„ Quod transiens cæcum vidit & illuminavit Jesus, si„ gnum erat illum a Judæis discessurum, & impiam tur„ bam relicturum, Gentesque respecturum, atque in illas „ omnem clementiæ suæ munificentiam transfusurum. Quæ „ etiam cæco nato assimilantur, quod in tenebris natæ „ sint, & velut a teneris annis vera Dei cognitione caruerint, nec a Deo per Spiritum ejus sint illuminatæ. „ Cæcus a Christo in transcursu conspectus, significat „ non proprie venisse Christum ad Gentes, sed ad so„ lum Israelem. *Non sum missus* (inquit) *nisi ad oves „ quæ perierunt domus Israel.* In transitu vero Christi, „ oculi Gentium sanati sunt, transferentis in eas mi„ sericordiam, propter rebellionem & incredulitatem „ Israel. Et hoc est quod Moyses decantabat. *Et ego „ provocabo eos in eo qui non est populus, & in gen„ te stulta irritabo illos*; Gens enim insipiens quæ servit „ creaturæ posthabito Creatore, & instar animalium ra„ tione carentium omni iniquitate pascitur, solisque re„ bus terrenis & caducis inhæret. Quoniam vero Israel „ Deum commovit ad iram sapiens & doctus in Lege „ & Prophetis, vicissim a Deo in iram provocatus est „ assumptis in ejus locum ac sortem insipientibus, qui„ bus per fidem & sapientiam Christus & sanctificatio „ & redemptio factus est, juxta Scripturam, adeoque „ lux & illuminatio. "

S. Cyrill. Alexand. lib. 6. p. 507.

Matth. 13. 25.

2. *Et interrogaverunt eum Discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ægritudines & infirmitates corporis generatim spectatas, ex Adami peccato ortum ducere, persuasum habebant Christi Discipuli. Grave jugum super filios Adam a die nativitatis eorum, variis miseriis & calamitatibus obnoxium esse. Has qui patiuntur, sub justa Dei manu se humilient, qui peccatores solos pœnis & miseriis subjicit, vel ut eorum peccata puniat, vel ut illos purificet atque a peccatis emundet. Peccator igitur erat & ille cæcus, quamvis ob peccatum personale suum, vel parentum, nativam non pateretur cæcitatem, sed ad manifestationem gloriæ Dei per miraculum, & gloriam Filii ejus Jesu Christi. *Ut manifestentur opera Dei in illo.*

3. *Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus*, &c. Cæcus ille natus innocens erat; aut certe crimen nullum commiserat, cujus in pœnam inflicta illi esset a Deo cæcitas. Quicumque vero spiritualiter cæci sunt, in pœnam peccati cæci sunt. *Ipsa ignorantia*, (inquit S. Augustinus) *in iis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Ignorantia igitur & cæcitas spiritualis vel peccatum est, vel pœna peccati, saltem originalis. Hinc baptismus, quo peccatum originale deletur, *Sacramentum illuminationis* a primorum sæculorum Patribus appellatur; eorumque de baptismo sermones inscribuntur, *In sancta lumina.* Verum Sacramentum illud quo peccatum ex Adamo contractum abstergitur, nos a vulneribus & pœnis quæ illius appendices sunt in statu naturæ lapsæ penitus non solvit: & sicut caritas quæ per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris non extinguit concupiscentiam: ita fides cujus lumen oritur in mentibus nostris, ignorantiæ tenebras penitus non dispellit. Quamobrem ad Dominum, qui lux & salus nostra est, confugiendum. *Dominus illuminatio mea, & salus mea... Deus meus, illumina tenebras meas.* Dominus illuminans, nos illuminati; Dominus salvans, nos salvati: si ergo ille illuminans, nos illuminati; & ille salvans, nos salvati; præter ipsum nos tenebræ & infirmitas. Incommutabilis Veritas Deus est: ab hac recedens anima tenebratur, accedens illuminatur. Homo igitur suæ cæcitatis auctor est. Concupiscentia, quæ parit peccatum quo creaturæ adhæremus derelicto Creatore, nos septem donis Spiritus sancti destitutos dæmoni tradit, sicut Dalila Samsonem, abrasis septem crinibus tradidit Philistæis, qui eruerunt oculos ejus, & eduxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt, eique illuserunt. Quicumque mortaliter peccant, fœdus cum diabolo ineunt, ejusque dominationi se subjiciunt: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno*

S. August. Epist. 194. Alias 109. ad Sixtum.

Psal 26. S. August. in hunc Psalm.

Judicum 16.

Isai. 28. 15.

fecimus pactum. Sed ea conditione cum illis fœdus init diabolus, qua Naas Princeps Ammonitarum olim fœdus cum habitatoribus Jabes inire proposuit. *In hoc* (inquit) *feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.* Duo sunt animæ nostræ oculi. Primus est oculus fidei, vel oculus prudentiæ Christianæ; hic oculus dexter; alter oculus est prudentia carnis; hic oculus sinister. Primus veritates salutis, divina mysteria, res æternas contemplatur: alter res caducas, & terrenas intuetur. Dextrum animæ oculum peccatoribus eruit diabolus, sinistrum servat, ut sint *Acuti ad vana, hebetes ad æterna*, (ut loquitur S. Ambrosius). *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ, viam autem sapientiæ nescierunt.* Quo magis peccata sua multiplicant, eorum cæcitas magis augetur, Deo gratiæ suæ lumen subtrahente, qui *Lege infatigabili spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.*

Reg. 11. 2.

Baruch. 3. 23.

S. Aug. Tract. 44. in Johan.

4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Quamdiu lucis usura fruimur, quamdiu vivimus, opera Dei faciamus, operi salutis nostræ incumbamus, officia status nostri impleamus. Caveamus ne nos intercipiat nox in qua nemo poterit operari ad salutem, nox quæ peccatoribus æterna erit, sine spe lucis ac diei, quia Sol justitiæ nunquam illis orietur, in tenebras exteriores detrusis. Quisquis in peccato moritur, illa nocte involvitur, quia non est operatus opera Dei, sed opera diaboli. In illa nocte Dives Epulo ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat: dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subveniebatur, & conatus est benefacere. Ait enim Abrahæ: *Pater Abraham, mitte Lazarum ad fratres meos, ut testetur illis, ne & ipsi veniat in hunc locum tormentorum.* O infelix, quando vivebas, tunc erat tempus operandi: modo jam in nocte es, in qua nemo possit operari. Timeamus & illam noctem, quæ peccatores excæcatos involvit in hac vita; in qua opera Dei, opera lucis non faciunt, sed opera dumtaxat tenebrarum.

Luc. 16. 27.

6. „ Hæc cum dixisset, exspuit in terram, & fecit lu„ tum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus. Et „ dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod inter„ pretatur Missus). Abiit ergo, & lavit, & venit vi„ dens. “ Lutum ex terra & saliva Christi Jesu confectum, figura est unionis Sapientiæ Æternæ cum terra carnis nostræ, & virtutis in sancta illa carne inhabitantis ad mentium nostrarum tenebras dispellendas, ad oculos interioris hominis nostri aperiendos. Aqua fontis Siloe; imago est baptismi Christi Missi a Patre, quo cæcitas filiis Adami congenita sanatur in iis qui verbo fidei obediunt. *Fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.* QUASI *lux tetigit, & lumen infudit; quasi Sacerdos per figuram baptismatis Mysteria gratiæ spiritalis implevit. Exspuit, ut adverteres quia interiora Christi lumen sunt. Et vere videt, qui Christi mundatur internis. Lavat saliva ejus, lavat sermo ejus.* Unde ait: *Jam vos mundi estis propter sermonem meum.* „ Quod autem „ lutum fecit, & superunxit oculos cæci, quid significat, nisi quod ipse hominem luto illito reddidit sani„ tati, qui de luto hominem figuravit, & *quod hæc caro „ luti nostri per baptismatis sacramentum æternæ vitæ „ lumen accipiat?* Accede & tu ad Siloam, hoc est, ad „ eum qui Missus est a Patre, diluat te Christus ut vi„ deas. *Accedite ad eum, & illuminamini.* “

S. Aug. Ep. 80. Edit. nov. Par.

Fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, &c. „ Fieri aliter non poterat ut Gentes injectam sibi cæ„ citatem excuterent, & divinam sanctamque lucem con„ templarentur, hoc est, sanctæ ac consubstantialis Tri„ nitatis notitiam assequerentur, nisi sanctæ ejus carnis „ fierent participes, & peccatum nigredinem inducens „ eluerent, exuerentque diaboli potestatem per sanctum „ baptisma. Cum vero Mysterii figuram tempus antever„ tentem in cæco Servator imprimeret, adimplebat in„ terim participationis illius vim per inunctionem sputi; „ quippe in typum baptismi jubet cito ablui cæcum Si„ loe, quod S. Evangelista interpretatur, *Missus*. Nemi„ nem autem alium esse Missum illum credimus, quam „ Filium unigenitum, & cœlitus a Patre huc profectum „ & delegatum ad peccati perniciem, & diabolicæ ty„ rannidis eversionem: ipsumque cognoscentes aquæ san„ ctæ Piscinæ invisibiliter innatare, abluimur cum fide, „ non ad deponendas sordes carnis, sed tanquam lippitu„ dinem quandam & impuritatem oculorum mentis eluen„ tes, ut deinceps puri pure divinam pulchritudinem in„ tueri possimus. Quemadmodum ergo credimus Christi „ Corpus esse vivificum, quoniam est viventis Dei Ver„ bi templum & habitaculum, omnem habens ejus vim „ & operationem: ita dicimus esse illuminationis para„ rium. Quippe vere corpus est lucis secundum natu„ ram. Et veluti cum mortuum suscitaret illum viduæ „ filium, non satis habuit imperare, & dicere: *Ado„ lescens, tibi dico surge*, tametsi verbo peragere soleat „ quæcumque placuerit, sed etiam loculo manum ad„ movit, probans etiam corpus suum vivificam vim & „ potestatem habere: sic illinivit sputo oculos cæci, do„ cens & corpus suum vel exili tactu lucem posse con„ ciliare; corpus est enim veræ lucis. “

S. Cyrill. lib. 6. in Johann. pag. 602.

Fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, &c. Cæcos tribus modis a Jesu illuminatos Evangelium commemorat. 1. Verbo. 2. Contactu. 3. Inunctione luti & lotione in Piscina Siloe. Ita spiritaliter cæcos triplici modo illuminat: 1. Verbo suo, Evangelii sui prædicatione. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* 2. Afflictionibus & calamitatibus inflictis, quasi manus suæ contactu salutari. *Manus Domini tetigit me.* Nos enim excæcat prosperitas, illuminat adversitas, ut ad Deum redeamus. *In luce sagittarum tuarum ibunt.* In prosperitate pericula inferni incurruntur, nec animadvertuntur. *Et pericula inferni invenerunt me.* Illa me invenerunt, inquit S. Augustinus, ego vero ea non inveniebam, qui gaudebam prosperis sæculi, in quibus plus fallunt pericula inferni. 3. Spiritualiter cæcos illuminat Christus luti inunctione, id est, nihil nostri consideratione, & sincera humilitate, nec non salutaribus pœnitentiæ lacrymis. *Tumore meo separabar abs te*, ait S. Augustinus, *& nimis inflata facies mea claudebat oculos meos.* Sed misericors Jesus *fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe.*

Psal. 118. Job 19. 21. Habacuc. 3. 11. Psal. 114. 3.

Abiit ergo, & lavit, & venit videns. Cæcus ille natus Christo ipsum illuminare volenti simpliciter & humiliter obedit: spiritualiter cæci Christo cæcitatem illorum curare volenti rebelles sunt. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Cæci obedientiam considera. Non dixit: Si lutum est aut sputum quod visum restituit, quid mihi opus aquis Siloe? Si aquæ Siloe cæcitatem curant, quid opus luto? cur linivit? cur lavari præcepit? Me lutum excæcaret, si viderem; an cæcum illuminandi vim habet? Quot cæcis aquis Siloe se laverunt, & nemo visum recepit? Non dubitavit, non cunctatus est ut Naaman Syrus; non murmuravit hic adversus Jesum jubentem ut lavaret oculos in Piscina Siloe, sicut ille murmuravit adversus Elisæum præcipientem ut lavaret in Jordane. *Abiit, & lavit, & venit videns.* Lavemur & nos in Piscina pœnitentiæ, ut visum interiorem recipiamus . . . Pulvis, pituita, fumus, peccata & iniquitates sunt. Tolle ista omnia, videbis sapientiam quæ præsens est, quoniam Deus ipsa sapientia est. Animi sordes abstergamus. Immunda enim anima veræ sapientiæ lucem intueri non potest. *Sunt autem sordes animi amor quarumlibet rerum, præter animum & Deum: a quibus sordibus quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur.* Et, ut alibi S. Augustinus ait, „ Sapientia Dei rapit omnem animam „ rationalem desiderio sui, tanto ardentiorem quanto „ mundiorem, & tanto mundiorem quanto ad spiritua„ lia resurgentem: tanto autem ad spiritualia resurgen„ tem, quanto a carnalibus morientem. “

Job 24. 13

S. Aug. Tract. 1. in Johan. S. Aug. lib. de Utilitate credendi c. 6. Idem. l. 2. de Trinit. c. 17.

10. 11. *Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, & unxit oculos meos*, &c. Multi de Christo dubitant ex infidelitate, aut silent ex timore, aut ejus opera examinant ex curiositate, aut ex malitia persequuntur, unus cæcus illuminatus illum ex fide & grati animi affectu palam coram plebe, coram Sacerdotibus, Legisperitis, Pharisæis, & Senatoribus confitetur & prædicat. Pharisæi spiritaliter cæci, tenebras suas magis amant quam lucem: cæcum natum maligna curiositate interrogant quomodo viderit, & veræ luci ipsis præsenti claudunt oculos. *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset* &c. Cæcitatis eorum argumentum est pravum de Christo Jesu judicium, ex invidia profectum, quæ de operibus judicat ex pravo præoccupatæ mentis adversus personas affectu, cum e contra de personis ex operum sanctitate ferri judicium æquitas postulet. „ Di„ cebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo „ a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dice„ bant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?“

Gen. 11. n. 16. 17.

Et schisma erat inter eos. Est mala concordia, & discordia bona. „ Siquidem qui turrim ædificabant, con„ cordes erant in malo; inde etsi inviti, ad bonum ta„ men dissenserunt. Et socii Chore male conveniebant, „ ideo bene divisi sunt. Et Judas cum Judæis prave con„ sensit. Mala autem concordia abscindenda est, bona „ servanda & fovenda. Malos fugiamus, sequamur bonos. „ Nam si membrum insanabile, metu ne reliqua corrum„ pat, incidimus, non quod illud negligamus, sed ut „ servemus cetera: quanto magis in his, qui male no„ bis juncti sunt, id faciendum? Quod si eos meliores „ reddere possemus, & nobis non officeremus, omnia „ tentanda essent: sin incorrigibiles sunt, & nobis obsunt „ ad salutem, abscindendi sunt a nobis. *Auferte ma„ lum ex vobis ipsis*, (ait Apostolus): *Tollatur de medio „ vestrum qui hoc opus fecit.* Periculosa est conversatio „ improborum. Non tam cito pestis invadit, & scabies „ corrumpit, ac pravorum hominum malitia. *Corrumpunt „ enim bonos mores colloquia mala.* Nemo malum ami„ cum

S. Chrys. Hom. 56. in Joann.

1. Cor. 5. 13.

1. Cor. 15. 35.

„ cum sibi conciliet, nam si perditos filios abdicamus, „ neque veremur naturam, neque ejus leges, neque ul„ lam necessitudinem; longe magis notos & consuetu„ dine devinctos fugiemus, si mali sint. Quamvis enim „ nullum inde nobis proveniat detrimentum, malas ta„ men suspiciones vitare non possumus. Alieni enim vi„ tam nostram non adeo perscrutantur, sed a sociis & „ consuetudinibus judicant. "

17. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est.* Vir ignobilis & pauper a Christo Jesu illuminari cœptus, Judæorum primores, Pharisæos, & Legisperitos sapientia vincit, parentes suos constantia in confessione veritatis. Jesum a Deo non esse, peccatorem esse, Legisque transgressorem conclamant illi: iste Prophetam prædicat, a Deo missum, Deique auctoritate & nomine docentem ac operantem. Parentes cæci nati, quamvis illum a Jesu sanatum & illuminatum esse noverint ex filii testimonio, periculo tamen persecutionis exponere se nolunt propter Jesum, imo nec filii sui gratia, ideo miraculum dissimulant, interrogationem Pharisæorum eludunt, timore ignominiæ silent, nec partes suscipere volunt confitendæ veritatis. „ Quomodo nunc videat, nesci„ mus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus, „ ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loqua„ tur. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant „ Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis „ eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam „ fieret. "

27. 28. *Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* Illi quos Deus per gratiam suam illuminavit, & filios lucis effecit, qui erant aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, acceptam lucem refundere debent in proximos, tenebras impietatis quavis occasione data dispellere, de Religione & pietate magnifice, cum zelo, constantiaque loqui coram incredulis, Dei beneficia gratiæque virtutem & divitias in se ipsis, aliisque peccatoribus prædicando; studiis omnibus eniti ut ad officiorum suorum agnitionem, ab horrorem odiumque peccati, ad Dei amorem adducantur; ut verbum Dei, Ecclesiæque doctrinam censoria libertate non examinent; sed humili, docilique animo audiant, conservent, ejusque mandatis obediant, sine quorum observantia non pervenitur ad vitam æternam. *Nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* Vere Christi Jesu discipulus erat cæcus illuminatus, qui dignus habitus est in illuminationis suæ exordiis pro illius nomine contumeliam pati. *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.*

31. *Scimus autem quia peccatores Deus non exaudit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Deus non exaudit preces impiorum & peccatorum, qui in peccati mortalis affectu perseverant, nec saltem incipiunt pœnitentiam. Odio sunt Domino impius & impietas ejus: illius igitur vota & preces Deo placere non possunt, nec ab illo exaudiuntur. *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Sed peccatorum vere ac sincere pœnitentium, & qui peccandi affectum ex Dei amore deposuerunt, preces Deus exaudit, de quo scriptum est: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Isai. 1. 15.

Psalm. 58.

Sic Publicanum oculos in terram demittentem, pectus percutientem, & dicentem, *Deus propitius esto mihi peccatori*, Deus exaudivit. Ista confessio meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. Juffit Deus in mente & corde ejus de tenebris lumen splendescere. Super senes & Doctores Israel intellexit ille Cæcus, sapientes superbos docuit, confutavit, jam sapientiam audiens intus docentem.

S. August. Tract. 44. *in Johann.*

32. 33. *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Hæc illum docuit non littera, sed Spiritus; non lectio, sed unctio.

34. *Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.* Mali Pastores arroganter & contumelioſe oves etiam innocentes excipiunt, *In peccatis natus es totus*: impatienter ferunt ut Pastoralis Officii partes ipsis ponantur ob oculos, quantavis cum humilitate & modestia id fiat a subditis: *& tu doces nos.* Unitatem non amant, ex grege expellunt immeritos, nec admodum curant revocare desertores, vel invitare & trahere alienos, ut fiat unum ovile, & unus pastor. *Et ejecerunt eum foras.* Ut discerent, toties interrogaverunt, & ingrati docentem projecerunt: ejecerunt eum foras, sed excepit Dominus: magis enim quia expulsus est, Christianus factus est; nec solum Christianus, sed Confessor Christi. A communione Synagogæ Judaicæ exclusus, in Ecclesiam a Christo Jesu suscipitur, sitque membrum corporis ejus. Hoc solatium sit Christianorum, qui injustis Censuris percelluntur. *Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?* In unitate & caritate maneat, scandalum vitet, patientiam servet, Christo capiti, & Ecclesiæ inhæreat, a qua secundum spititum nemo separatur innocens; & Deus illius patientiam coronabit.

S. August. Epist. 78. *alias* 137.

35. 36. 37. *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Occurrit Misericordia misero, invenit se non quærentem; invenit in tempore, quem ab æterno elegerat: invenit exteriori occursu, quem jam interius prævenerat & invenerat. De fide interrogat, ut cor ejus ad credendum præparet pio, quod excitat, desiderio. *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Cor ejus aperit ad credendum, fideique lumen infundit interius, cum loquitur & manifestat seipsum exterius, verbis (ut ita loquar) sacramentalibus, quæ id operantur quod significant. *Dixit, & facta est lux.* Lucem locutus est, & creavit. *Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine.* Tunc perfecte ab originali cæcitate liberatur, cum in Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum nostrum se credere profitetur. *Nemo* enim *liberatur a damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi*; per fidem, inquam, formatam caritate, humilitate sustentatam, religione & adoratione coram Deo & Jesu Christo Filio ejus prostratam. *Et procidens adoravit eum.*

S. August. lib. de Corrept. & Grat. c. 7

39. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant*, nullis suis meritis, sed gratuito misericordiæ Dei dono: *& qui vident*, id est sapientes sunt in oculis suis, *cæci fiant*, occulto Dei judicio, semper tamen justo. „ Et audierunt quidam ex Phari„ sæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid „ & nos cæci sumus? Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, „ non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia vi„ demus, Peccatum vestrum manet. " Quia dicendo, *Videmus*, Medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis. Ergo istam discretionem vocavit judicium, cum ait, *In judicium veni in hunc mundum*, quo discernit causam credentium & confitentium a superbis, se videre putantibus, & ideo gravius excæcatis; tamquam dixerit ei peccator confitens & Medicum quærens, *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta*: illorum scilicet qui dicunt: *Videmus*, & eorum peccatum manet.

S. August. Tract. 44. *in Johann*

Psal. 42. 1

CAPUT X.

Sensus Litteralis.

1. AMen, *amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Occasione cæci paulo ante sanati, & a Pharisæis extra Synagogam ejecti, qui se solos esse populi Doctores & Pastores gloriabantur, hic sermo a Christo habitus videtur, sequenti forte Sabbato. *Amen, amen dico vobis*, Pharisæi, ceterique Auditores, *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde*, perfosso pariete, *ille fur est*, quia venit ut alienas oves rapiat; *& latro*, quia venit ut mactet.

2. 3. 4. 5. 6. *Qui autem intrat per ostium*, a domino gregis aut ministris ejus admissus, *Pastor est ovium*, huic ovium cura commissa est, seque legitimum Pastorem esse reipsa ostendit. *Huic ostiarius aperit*, ut homini noto & domestico; *& oves vocem ejus audiunt* naturali quodam instinctu; *& proprias oves vocat nominatim*, & vicissim eas distincte novit: *& educit eas*, ad pascua salutaria. *Et cum proprias oves* ex caulis *emiserit, ante eas vadit*, viam illis monstrans; *& oves illum sequuntur* vocantem & præeuntem, *quia sciunt vocem ejus*, id est, sibilos & sonos quibus uti consuevit. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo*, quem venire ut illis noceat, non ut illas curet, ex ipsa voce persentiscunt, *quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit illis Jesus*, hanc parabolam; *illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis*: non intellexerunt quid hac similitudine significaret.

7. 8. 9. 10. *Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, Ego sum ostium ovium* dominici gregis, per quod ingrediuntur & ipsæ, & Pastores, quorum curæ ab uno summo Pastore commissæ sunt. *Omnes quotquot venerunt*, a Deo non missi, sed sua sponte ovium ductui & curæ se ingerentes, Pseudoprophetæ, & quilibet sine me Mediatore promittentes aditum ad salutem, aut summi Pastoris & Messiæ nomen sibi arrogantes, ut Theudas, Judas Gaulonites, &c. *Fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves*; electi eos non receperunt; & si qui forte seducti sunt ab eis, cito deposuerunt errorem. *Ego sum ostium, per me si quis introierit*, qui per fidem in me Christum Mediatorem, in ovile Dei seu in Ecclesiam ingressus fuerit, sive ut pastor, sive ut ovis, *salvabitur, & ingredietur, & egredietur*, & tutus erit a lupi infernalis incursibus; sicut ovis intra caulas secura est: *& pascua inveniet.* Pabulo Animæ suæ convenienti ac salutari non carebit. *Fur non venit nisi ut furetur, & mactet & perdat* resistentes ejus incursibus & bona sua defendentes. *Ego veni ut*

oves

oves meæ, electi mei, *vitam habeant*, veram, spiritalem, cœlestem, vitam gratiæ & gloriæ, *& abundantius habeant*: nec vitam solum, sed & genus omne felicitatis.

11. 12. 13. *Ego sum Pastor bonus*, cui conveniunt characteres omnes & virtutes boni Pastoris. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, vitam exponit suam quibusvis periculis, ut oves tueatur ab incursibus luporum & leonum. *Mercenarius autem*, custos ovium mercede conductus, *& qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ*, cum veri Pastoris affectum non habeat, turpique tantum lucro in earum custodia ducatur, *videt lupum venientem*; & vitæ suæ magis quam ovium securitati consulens, *dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & dispergit oves* Pastoris præsidio destitutas. *Mercenarius autem fugit*, deserto grege, *quia mercenarius est*, sua dumtaxat commoda quærens, *& non pertinet ad eum de ovibus*, non curat de ovium conservatione & incolumitate, cum res ipsius non agatur.

14. 15. *Ego sum Pastor bonus*, mercenario longe dissimilis: *& cognosco oves meas*, distincte ac perfecte, non quacumque cognitione, sed quæ amori & curæ conjuncta sit; *& cognoscunt me meæ*, me ut Pastorem ac Salvatorem suum cognoscunt fide quæ per dilectionem operatur, *sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*: similis inquam, est notitia qua cognosco oves meas & illæ vicissim me cognoscunt, ei qua me novit Pater, & ego agnosco Patrem. Quæ tamen dictio *sicut*, non perfectam æqualitatem, sed aliqualem dumtaxat similitudinem & imitationem ex parte ovium exprimit, in hoc positam quod Christus bonus Pastor oves suas diligat, curet, servet, sibique conjunctissimas, carissimas habeat, sicut Pater Christum ut Filium suum diligit Spiritu sancto; & oves vicissim Christum Pastorem suum diligant: eumque ut omnium bonorum suorum auctorem agnoscant. *Et animam meam pono pro ovibus meis*, vitam meam pro earum salute devoveo, & profundo.

16. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*, Gentes scilicet, seu electos ex Gentibus, quæ non sunt ex hoc ovili Israelitico: *& illas oportet me adducere* ad Ecclesiam meam, secundum Prophetarum vaticinia: *& vocem meam audient*. Evangelii mei prædicationi per ora Discipulorum meorum resonanti obedient; *& fiet unum ovile*, seu grex unus ex Populo Judaico & Gentili, absque ullo discrimine, *& unus Pastor*, me Pastorem unum habebunt & sequentur. „ Confer cum Isaiæ 49. 6. Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob „ & feces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem „ Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. „ *Et cum Ezechielis* 37. 21. *& seq.* Hæc dicit Domi„ nus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio „ Nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos un„ dique, & adducam eos ad humum suam. Et faciam „ eos in gentem unam in terra in montibus Israel, & „ Rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra „ duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. „ Neque polluentur ultra in Idolis suis, & abominatio„ nibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & salvos eos „ faciam de universis sedibus in quibus peccaverunt, & „ emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis „ Deus. Et servus meus David Rex super eos, & Pastor „ unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, „ & mandata mea custodient, & facient ea. *Et cap.* 34. „ 22. 23. Et salvabo gregem meum, & non erit ultra „ in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus. Et su„ scitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas, ser„ vum meum David; (*ita vocat Christum de familia Da„ vid nasciturum*) ipse pascet eas, & ipse erit eis in „ Pastorem. "

17. 18. *Propterea me diligit Pater*, hæc non postrema diligendi me ratio, quatenus homo sum, quia curam habeo ovium quas mihi dedit, & quas tanti facit, *quia ego pono animam meam* pro illis, *ut iterum sumam eam*. Sic tamen sponte libere vitam meam pono pro electis meis, ut illam mox resumpturus sim devicta morte. *Nemo tollit eam a me:* nemo mihi vitam eripere potest invito: *sed ego pono eam a me ipso*, lubens & volens morior: *& potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, a morte meipsum excitando. Potestate, non necessitate mortuus est Christus, potestate surrexit. *Hoc mandatum*, de morte subeunda pro ovibus, *accepi a Patre meo*. Quod ut mihi volenti & consentienti impositum est, sic illud summa exequor libertate obediens factus usque ad mortem.

19. 20. 21. *Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos*, horum occasione sermonum, aliis aliud de Jesu sentientibus. *Dicebant autem multi ex ipsis* blasphemantes: *Dæmonium habet & insanit: Quid eum auditis?* Verba ejus spernenda sunt, ut dæmoniaci, aut certe dementis. *Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis*, hominis cujus mens a dæmonio transversa agitur. *Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Quod illum operantem vidimus. Hoc certe opus non est dæmonis, sed divinæ potestatis.

22. 23. 24. *Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis:* Festum anniversarium Dedicationis Templi per Judam Machabæum celebrabatur, *& hyems erat*, dies scilicet 25. mensis Casleu, Decembri nostro respondentis, *& ambulabat Jesus in Templo*, id est, in atriis Templi, *in porticu Salomonis*, id est, in ea Porticu, quæ ut loco, ita & forma, respondebat pristinæ porticui, quam olim erexerat Salomon in parte Templi Orientali, unde & vetus nomen retinebat. *Circumdederunt ergo eum Judæi*, seu Judæorum Primores, Senatores, Pharisæi, Legisperiti, magno confluxu, & dicebant ei: *Quousque animam nostram tollis?* quousque nos suspensos tenes in dubio? *Si tu es Christus, dic nobis palam*, aperte, ingenue, sine verborum ambagibus & parabolarum involucris. Insidiose loquuntur, ut si negaret, fidem ei apud populum derogarent; si affirmaret, læsæ majestatis apud Romanos accusarent. Christum enim Regem fore, & quidem talem qui Reges subigeret, Judæi intelligebant. *1. Mach. 4. 52. & seq.*

25. 26. *Respondit Jesus*; *Loquor vobis*, jam diu & sæpe dixi vobis verbis æquivalentibus, me Christum esse missum a Patre, *& non creditis*, in infidelitate vestra pertinaces. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei*, miracula quæ divina potestate, Dei Patris mei auctoritate apud vos palam edo, testantur me Christum esse, de quo hæc a Prophetis prædicta sunt: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, ex numero electorum meorum. His enim qui prædordinati sunt ad vitam æternam Deus fidem donat gratuito misericordiæ suæ beneficio, quam vobis negat justo judicio ob peccata vestra. Illis dixit, *Non estis ex ovibus meis*, (inquit S. August.) *quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*. *S. August. Tract. 49. in Jo. num. 4.*

27. 28. *Oves meæ vocem meam audiunt*, animo docili ac obediente: *& ego cognosco eas*, agnosco quos ipsis impressi characteres (Novit Dominus qui sunt ejus) *& sequuntur me*, per imitationem: *& ego vitam æternam do eis*, id est, certissime dabo: *& non peribunt in æternum*, æterna morte non peribunt, quia etsi labantur in peccatum, in eo non perseverabunt, sed veram pœnitentiam agent: *& non rapiet eas quisquam*, seu vi, seu dolo, *de manu mea*, id est, de potentia mea, qua eas custodio.

29. 30. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei*. Quod dedit mihi Pater, id est, ut sim Verbum ejus, ut sim unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus, *majus omnibus est*, sive (ut Græci Textus vis habet) Pater qui oves illas benedictas & dilectas dedit mihi, rebus omnibus creatis major est, ejusque omnipotentiæ nemo potest resistere: ideo nemo potest eas eripere de manu Patris, consequenter nec de manu seu potestate mea. Una est enim Patris & Filii potestas, quia una divinitas. *Ego & Pater unum sumus*, non solum voluntate & concordia, sed natura & potestate. *Cum audit*, sumus, *abscedat confusus Sabellianus*; *cum audit*, unum, *abscedat confusus Arianus*: *gubernet Catholicus inter utrumque fidei suæ navigium, quoniam cavendum est in utrque naufragium. Dic ergo quod dicit Evangelium*, Ego & Pater unum sumus: *Non ergo diversum, quia* unum; *non unus, quia* sumus. *S. Aug. ibid num. 5. S. Aug. alibi.*

31. *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum*, quasi reum blasphemiæ, cum intelligerent eum sibi divinam adscribere potestatem & naturam. Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani & Sociniani. Ideo enim irati sunt, quia senserunt non posse dici, *Ego & Pater unum sumus*, nisi ubi æqualitas est Patris & Filii. *S. Augustin. Tract. 49. in Jo. num. 8.*

32. 33. *Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*: id est: palam feci apud vos Patres mei divina potestate, quam mecum indivisim communicavit: *propter quod eorum opus me lapidatis*, seu lapidare vultis? *Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*: Non ob aliquod bonum opus quod feceris, sed ob blasphemiam: *& quia tu homo cum sis*, ex carne & sanguine compositus ut ceteri, *facis te ipsum Deum*, te Deo dicis æqualem, teque & Patrem unum esse.

34. 35. 36. *Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in Lege vestra, quia Ego dixi, dii estis?* Verba sunt Dei ad judices: Ego, inquit, vos potestatis & nominis mei participes feci. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, quibus eximium aliquod munus a Deo demandatum est, & qui Deum repræsentant, *& non potest solvi* seu irrita fieri *Scriptura* sacra: *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Quanto minori jure mihi blasphemiæ crimen affingitis, cum natura Filius sim Dei, quem Pater sanctificavit, gignendo ex utero ante luciferum, in splendoribus sanctorum; quem increata sanctitate, plenitudine divinitatis, oleo illo lætitiæ præ consortibus consecravit ad munus quod obeo Doctoris, Legislatoris, & Salvatoris omnium hominum, quod solius Dei proprium est; & e sinu suo ubi eram in principio, in mundum me misit. Argumentum est igitur a minori ad majus: *Ps. 81. 6.*

majus: quia longe meliori jure Filium Dei se dicere potest, qui ejusdem est cum Deo Patre potestatis & naturæ, quique divinis operibus id demonstrat, quam qui Deum solummodo repræsentat ratione muneris quod gerit.

37. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Diluto blasphemiæ crimine, ad præcipuum sermonis sui argumentum redit, seque Christum esse probat. Si non edo opera Deo digna, & quæ me Filium ejus esse demonstrant, cum a nullo alio nisi a Deo, cujus sunt propria, fieri possint, mihi fidem non innoxie derogabitis. *Si autem facio* hujusmodi opera: *& si mihi non vultis credere*, seu verbis meis fidem habere, *operibus credite*, quibus verba confirmantur; *ita fiet ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*, per individuam potentiæ & essentiæ unitatem, necnon per intimam & perfectissimam inhabitationem unius personæ in alia.

39. 40. *Quærebant ergo eum apprehendere*, quod se Dei Filium natura, non adoptione sola constanter prædicaret: *& evasit de manibus eorum*, iterum demonstrans potestatem sibi non deesse pericula quævis evadendi. *Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi erat Johannes baptizans primum*, antequam in Salim veniret: *& mansit illic* aliquandiu. Ja. 3. 25.

41. 42. *Et multi venerunt ad eum*, memores testimonii quod Johannes illi perhibuerat: *& dicebant*: *Quia Johannes quidem signum fecit nullum*, & tamen eum summe venerati sumus, & prope pro Messia habuimus. *Omnia autem quæcumque dixit Johannes de hoc*, scilicet de Jesu, nempe illum esse Agnum Dei, Mundi Salvatorem, Dei Filium, *vera erant*, ut probat eventus, utque constat ex verbis & factis ejus. *Et multi crediderunt in eum*, ipsum esse Christum, verumque Dei Filium, ac Mundi Salvatorem, testimonio Johannis, quod in memoriam revocarunt, & ipsius Jesu miraculis adducti.

SENSUS MORALIS.

1. *Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Christus ostium est: quicumque per eum non intrat, quicumque in illum non credit, quantacumque morum probitate fulgere videatur, ille fur est & latro. Tales Pagani, Gentiles Philosophi, Pharisæi, Hæretici, & quicumque gloriam propriam quærunt. Dicant ergo Pagani, Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis unde gloriantur? „ Ad hoc enim debet uni„ cuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vi„ vere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest „ bene vivere? Quia Nec bene vivere dicendi sunt, qui „ finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatio„ ne contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & „ certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quod est „ Christus, & per januam intret in ovile: “ nisi, inquam, Christum agnoscat, confiteatur, & colat verum Deum & hominem verum, & per ejus fidem intret in ovile Christi, id est, in Ecclesiam Catholicam. Non solum autem Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam, nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. „ Humilis est enim janua Christus Dominus: Qui „ intrat per hanc januam, oportet humiliet se, ut sano „ capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed „ extollit, per maceriam vult ascendere: qui autem per „ maceriam ascendit, ideo exaltatur ut cadat. “ S. August. Tract. 45. in Jo. num. 2. 3. 4.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde ille fur est, & latro. Quicumque per Christum Jesum non intrat in Ecclesiasticum Ordinem, in Pastorale Ministerium, quicumque alium finem intuetur, quam Christi gloriam, Ecclesiæ utilitatem: quicumque alia ratione movetur, ille fur est & latro. Quem ad Clerum, & ad Pastorale Ministerium alliciunt & trahunt ambitio, avaritia, quietis & vitæ commodioris amor, familiæ suæ utilitas, ille fur est & latro. Quicumque per simoniam, vim, & malas artes Beneficia Ecclesiastica obtinet, & ea quæ Animarum curam adjunctam habent pro se petit, ille fur est & latro.

2. 3. 4. *Qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium.* Dotes, officia, signa boni Pastoris Christus summus Pastor exponit. Primum officium est legitimus ingressus in ovile Christi, per vocationem interiorem Spiritus ejus, non alio quam gloriæ Dei, utilitatis Ecclesiæ, sanctificationis animarum intuitu: per vocationem exteriorem, missionem, auctoritatem Apostolicam & Episcopalem. His enim veluti clavibus Spiritus sanctus ostium Pastoribus aperit, furibus & latronibus claudit. *Huic ostiarius aperit.* 2. Bonus Pastor oves docere debet, illis verbum Dei prædicare, illarum captui & intelligentiæ sermones suos attemperare, ut vocem ejus audiant. Pastor mutus, idolum est, non Pastor. Qui concionatur, & se auditorum ingenio non accommodat, comœdus est & declamator, non prædicator. *Et oves vocem ejus audiunt.* 3. Bonus Pastor oves suas cognoscere debet, earum bonam vel malam indolem, affectus, mores, necessitates internas, & externas perspectas habere, illas visitare, sublevare in egestate, in morbis corporis & animæ; præsto semper esse ad succurrendum omnibus & singulis: proprias oves vocare, non alienas; in alienum ovile nihil usurpare, Animarum alienæ curæ commissarum fiduciam sibi non conciliare, proprioque Pastori surripere. *Et proprias oves vocat nominatim.* 5. Bonus Pastor Animas educere debet e familia veteris hominis, & in familiam novi hominis Christi Jesu per baptismum introducere; educere per prædicationem divini verbi, per obsecrationes, correptiones, increpationes, per canonicam Pœnitentiæ administrationem ex peccatis earum, pravis habitibus & affectibus, e diaboli pompis, & voluptatibus & amore sæculi; & ducere eas in pascua salutaria, & viam Christianæ vitæ ac disciplinæ. *Et educit eas.* 6. Bonus Pastor præire debet ovibus, vitæ irreprehensibilis, & omnium virtutum Christianarum exemplo. *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Bonus Pastor commissum sibi gregem pascat *exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis.* S. Bern. Tract. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia.

7. 8. *Amen, amen dico vobis, Quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oves.* Prophetas audiverunt justi veteris Testamenti, quia cum Verbo Dei venerunt, & veritatis ministri, ac interpretes fuerunt. Intraverunt ergo per ostium, qui eos audierunt, sic in Christum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. *Tempora variata sunt, non fides.* Nos credimus Dominum Jesum Christum natum ex Virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse: totum hoc impletum esse jam credimus. In ejus sunt fidei societate nobiscum & illi Patres; qui crediderunt de Virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascensurum. *Habentes* (inquit Apostolus) *eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod & loquitur.* Quotquot ergo ante Christi adventum crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis Patriarchis, ac Prophetis Christum prænuntiantibus, oves erant, & Christum audierunt, non vocem alienorum. Alii sunt ergo quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes. Et si eos audierunt oves Christi aliquando errantes; vocem tandem Christi audierunt, ad ovile redierunt, in eoque usque in finem perseverarunt. *Est vox aliqua Pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum.* Quæ est ista vox? *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* „ Hanc vocem non negligit proprius, non „ audit alienus: nam & ille hoc ei prædicat, ut perse„ veret apud ipsum usque in finem, sed non apud eum „ perseverando non audit hanc vocem. Venit ad Chri„ stum, audivit alia & alia verba, illa & illa, omnia „ vera, sana omnia: inter quæ omnia est & illa vox: „ *Qui perseveraverit*, &c. Istam qui audierit, ovis est. „ Sed audiebat illam nescio quis, & desipuit, refriguit, „ audivit alienam; si prædestinatus est, ad tempus erra„ vit, in æternum non periit; redit ut audiat quod ne„ glexit, faciat quod audivit. Si enim de his est qui „ prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præscivit, „ & conversionem futuram; si aberravit, redit ut audi„ at vocem illam Pastoris, & sequatur dicentem: *Qui „ perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Bona „ vox, vera Pastoralis, vox salutis in tabernaculis justo„ rum. Nam facile est audire Christum, laudare Evan„ gelium, acclamare Concionatori: perseverare usque in „ finem, hoc est ovium vocem Pastoris audientium. “ S. Bern. Tract. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia. S. August. Tract. 45. in Johann. 2. Cor. 4. 13. S. August. Tract. 45. in Jo. num. 15.

9. 10. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Animæ ad Christum Jesum per ipsummet, qui salutis ostium est, ducendæ sunt. In manu ejus vita & omnium copia bonorum est, quæ misericorditer distribuit iis, qui in ejus gratia, non in propria virtute confidunt. Per Christum in Ecclesiam ingredimur, ut ibi pabulo divini verbi, Mysteriorum, Sacramentorum; ut sacratissimo Corpore & Sanguine ipsius pascamur. Per Christum egredimur ex hoc mundo, & in cœlum recipimur, æterna veritate pascendi. *Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* „ Id dixisse videtur, ut vitam habeant „ ingredientes, & abundantius habeant egredientes. „ Non autem potest quisque per ostium, id est, per „ Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit in spe„ cie; nisi per ipsum in Ecclesiam ejus, quod est ovile „ ejus, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide. „ Ideo ait: *Ego veni ut vitam habeant*, hoc est fidem „ quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ovi„ le ingrediuntur ut vivant, quia justus ex fide vivit: „ *& abundantius habeant*, qui perseverando usque in „ finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egre„ diuntur, quoniam veri fideles moriuntur; & abundan„ tius habebunt vitam, veniendo quo Pastor ille præces„ sit, ubi numquam deinde moriantur. “

Fur

Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat, &c. Qui Beneficium ac Ministerium Ecclesiasticum suscipit ut commodius vivat & lautius, ut Ecclesiæ reditibus ad luxum, ad ludos, ad voluptates abutatur; qui pravis dogmatibus, & moribus improbis, aut negligentia certe sua animas perdit, fur est & latro. Ille vero Pastor bonus est, qui exemplo Christi Jesu Pastorum Principis in id unum studiis & modis omnibus incumbit, ut vitam æternam ejus ovibus procuret. Ob hunc enim finem Pastor in Ecclesia constitutus est. *Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

11. *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Devovere se ipsum debet pro ovibus suis bonus Pastor ut victimam, tum per sancti Ministerii labores assiduos; tum etiam per vitæ suæ sacrificium, si opus sit, pro salute gregis. Sed proh pudor! sunt qui dominicas oves suis cupiditatibus, avaritiæ suæ, iræ suę, vindictæ, quieti immolant, illasque perire sinunt ut sumptibus parcant aut labori. *Philipp. 2.* *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* *S. Gregor. M. Hom. 14 in Evang.* Sane cum incomparabiliter longe sit melior anima qua vivimus, terrena substantia quam exterius possidemus; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?

12. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & dispergit.* Quis est mercenarius? Sunt in Ecclesia quidam Præpositi, de quibus Paulus Apostolus dicit, *sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* *S. Augustin. Tract. 46. in Johann.* Quid est, sua quærentes? *Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur a Præposito, & propter hæc servitur Deo; quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet.* In ordine Præpositorum Ecclesiæ, & filii sunt, & mercenarii. Præpositi qui filii sunt, Pastores sunt. Mercenarii non sunt Pastores merito, quamvis sint gradu: necessarii tamen sunt, (inquit S. Augustinus) multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum prædicant, & per eos vox Christi auditur: & sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem Pastoris per mercenarium. Mercenarios demonstravit Christus, dicens, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Quæcumque ergo dixerint vobis, facite: secundum opera vero eorum nolite facere.* *Matth. 23. 2.* Quid aliud dixit, nisi, per *mercenarios vocem Pastoris audite?* Sedendo enim in Cathedra Moysis Legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere. Certe enim tales sua quærunt, non quæ Jesu Christi, nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi, Tua quære, non quæ Jesu Christi. Quod enim facit male, non prædicat de Cathedra Christi: inde lædit unde mala facit, non unde bona dicit. „ Botrum carpe, spinam „ cave. Botrus aliquando de radice vitis exortus, pen„ det in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & por„ tat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis „ attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare „ nisi radices. Quære radicem spinæ, extra invenis a „ vite: Quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex ra„ dice. Cathedra ergo Moysi vitis erat: Pharisæorum „ mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes „ in sepe, Botrus inter spinas. Caute lege, ne dum quę„ ris fructum, laceres manum: & cum audis bona di„ centem, ne imiteris mala facientem. *Sanctus Paulus „ qui scripsit:* Neminem habeo tam unanimem, qui sin*Philipp. 2.* „ cera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim 20. „ quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi: *alio loco „ inter mercenarios filiosque distinguens ait*: Quidam au*Philipp. 1.* „ tem & propter invidiam & contentionem: quidam au15. „ tem & propter bonam voluntatem Christum prædicant, „ quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem „ Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione „ Christum annuntiant, non sincere, existimantes pressu„ ram se suscitare vinculis meis. Isti mercenarii erant, „ Paulo Apostolo invidebant." Quare invidebant, nisi quia temporalia requirebant? Sed quid adjungat, attendite. *Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* „ Veritas est Christus: veritas a „ mercenariis occasione annuntietur, veritas a filiis ve„ ritate annuntietur: filii æternam hæreditatem patris „ patienter exspectant, mercenarii temporalem mercedem „ conducentis festinanter exoptant: mihi humana gloria, „ cui mercenarios invidere video, minuatur: & tamen „ per linguas & mercenariorum & filiorum divina Christi „ gloria diffematur, cum sive occasione, sive veritate „ Christus annuntietur. Tres personas attende, Pasto„ rem, mercenarium, latronem. Diligendus est Pastor, *S. Augustin. serm. 137. alias 49. de Verbis Dom.* „ tolerandus mercenarius, cavendus est latro."

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Fugere, cum manendum est; cedere, cum resistendum; silere, cum loquendum, caracteres sunt mercenarii, commoda tantum sua, non ovium salutem & spiritualem utilitatem quærentis. „ Ecce nescio quis graviter peccavit, increpandus est, *S. Augustin. Tract. 46. in Johan. n. 8.* „ excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus „ erit, insidiabitur, nocebit cum potuerit. Jam ille qui „ sua quærit, non quæ Jesu Christi, ne perdat quod se„ ctatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimici„ tiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non „ corripit. Ecce lupus ovi guttur apprehendit: diabolus „ fideli adulterium persuasit, tu taces, non increpas: o „ mercenarie, lupum venientem vidisti, & fugisti. Res„ pondet forte & dicit, Ecce hic sum, non fugi, Fu„ gisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga ani„ mi timor est: corpore stetisti, spiritu fugisti."

14. 15. *Ego sum Pastor bonus; & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, cognitione adhæsionis & amoris; *& animam meam pono pro ovibus meis.* Sic bonus Pastor oves semper habet in corde, ad honorem & imitationem Patris æterni, & Filii ejus Jesu Christi: seque totum devovet, consecrat, impendit pro ovibus, paratus ad vitam etiam pro ipsarum salute profundendam, ut Christum summum Sacerdotem & victimam pro salute nostra factum imitetur. Pastorum officium audistis, ovium officia cogitate. *Et cognoscunt me meæ*, quasi dicat, *Diligentes obsequuntur. Qui enim veritatem non diligit, adhuc minime cognovit.* *S. Greg. M. Hom. 14. in Evang.* Videte si Christi oves estis, videte si eum cognoscitis, videte si lumen veritatis scitis; *non per fidem tantum, sed per amorem; non ex credulitate, sed ex operatione.* Nam *qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Ideo hic ait Jesus: *Sicut novit me pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.* Id est, *Ea caritate qua pro ovibus morior, quantum Patrem diligam ostendo* . . . . *S. Augustin. serm. 137. alias 49. de Verbis Dom.* Pastor bonus est in Ecclesia, qui non aliud quærit quam Deum; mercenarius qui aliud. *Quisquis autem a Deo præter Deum aliquid quærit, non casse Deum quærit.*

16. *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere*, &c. Bonus Pastor nusquam satis laborasse pro animarum salute sibi videtur. Alias & alias Animas Deo lucrari & acquirere conatur in dies, ut numerus electorum illi soli cognitus impleatur, & ad consummationem corporis Jesu Christi tandem perveniatur. Summum in laboribus sacri ministerii Pastorum solatium est, quod vocem Christi per eos loquentis oves audiant, qui & ostium est, & Pastor ovium: ostium, pandendo se; Pastor, intrando per se. Et quidem quod Pastor est, dedit & membris suis; nam Apostoli, & boni Episcopi sunt Pastores. Ostium vero nemo eorum se dicit. Hoc sibi Christus proprium tenuit, qua intrent oves. Denique Paulus Apostolus boni Pastoris implebat officium, quando Christum prædicabat, quia per ostium intrabat. At ubi oves indisciplinatæ cœperunt facere schismata, & alia ostia sibi ponere, non qua intrarent & congregarentur, sed qua errarent ut dividerentur, dicentes, alii, *Ego sum Pauli*; alii, *Ego sum Cephæ*; *1. Cor. 1. 12* alii, *Ego Apollo*; alii, *Ego Christi*: expaveſcens ad eos qui dixerunt, *Ego sum Pauli*; eamquam clamans ad oves, *S. Augustin. Tract. 47. in Johann.* Miseræ, qua itis? Non sum ostium. *Numquid Paulus* (inquit) *pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Qui vero dicebant, *Ego sum Christi?* invenerant ostium. Ad illum oves sibi commendatas adducere debent Pastores, ad eum errantes reducere, *Ut fiat unum ovile, & unus Pastor.* Ad consummatam illam ovilis Dominici, id est, Ecclesiæ triumphantis unitatem suspiremus, in qua perfecta erit caritas, Electos æternum Deo conjungens, & inter se connectens: omnia membra capiti, totum ovile pastori inseparabiliter adunans in pascuis uberrimis æternæ felicitatis. Interim vero Ecclesiam diligamus, ejusque unitatem servemus, extra quam non est salus. *Non* enim *habet Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem.*

17. 18. *Propterea me diligit Pater quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Nihil magis Pastorem amore Dei dignum reddit, nihil magis ejus sanctificationem promovet, nihil uberiorem gratiarum & benedictionum cœlestium copiam in ipsum derivat, quam bonorum & commodorum temporalium, ipsiusque vitæ contemptus, ut ministerium suum fideliter impleat. Vitam nimium diligere non debet bonus Pastor & Ecclesiæ Minister, sed eam Deo quotidie consecrare, & in ejus gloriam impendere, mori paratus occasione data, ut salutem procuret Animarum Christi pretioso sanguine redemptarum. Debet autem sacrificium ejus voluntarium esse, ut quamvis vitam conservare possit, eam nihilominus devoveat & profundat, si necesse sit, ex obedientia & caritate. *Et potestatem habeo ponendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus ani- *1. Jo. 3.* mas ponere. *S. Cyprian.*

20. *Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: Quid eum auditis?* Christus Jesus æterna Patris Sapientia, Veritas, hominum Redemptor tam atroces calumnias, tam horrendum contemptum patitur: & nos pro ipso contemni & contumeliis affici non sustinebimus?

mus? Patienter audit Filius Dei, *Dæmonium habet*: Patienter audit Sapientia, *Insanit:* Patienter audit Veritas, *Quid eum auditis?* Et nos viles homunciones, peccatores, nihil de nostro habentes præter mendacium & peccatum, ira, odio, ultionis libidine accendimur, in eos qui nobis maledicunt, qui nos contemnunt, vel convitiis & calumniis impetunt. Imitemur patientiam & mansuetudinem Pastoris nostri, si oves ejus esse volumus.

22. 23. 24. *Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Jesus in Templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* „ Non veritatem desiderabant, „ quam inquirere videbantur, sed calumniam præpara- *S. August. Hom. 48. in Johann. n. 3.* „ bat. *Hyems erat*, & frigidi erant: ad illum enim di- „ vinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere, est „ credere: qui credit, accedit; qui negat, recedit. Non „ movetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant a „ diligendi caritate, & ardebant nocendi cupiditate. „ Longe aberant, & ibi erant: non accedebant creden- „ do, & premebant persequendo. Quærebant audire a „ Domino, Ego sum Christus; & fortasse de Christo se- „ cundum hominem sapiebant. Prædicaverunt Prophetæ „ Christum, sed divinitatem Christi & in Prophetis, & „ in ipso Evangelio nec Hæretici intelligunt: quanto „ minus Judæi, quamdiu velamen est super cor eorum? „ Ad eorum cæcitatem obstupescamus, similemque pœ- „ nam timeamus." Loquitur enim nobis Jesus in Evangelio. Loquitur per os Ministrorum suorum, & Pastorum suorum, loquitur per inspirationes Spiritus sancti sui: & non credimus. Si enim vere crederemus in Christum fide viva, operibus testaremur nos esse Discipulos Christi, faciendo quæ docuit, imitando quæ gessit. 25. *Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ Ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.*

26. 27. 28. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Fides quæ per dilectionem operatur, & in qua perseveratur, signaculum est ovium Christi. Ex ore summi Pastoris didicistis quæ sint oves: *Estote oves. Oves credendo sunt, oves Pastorem sequendo sunt, oves Redemptorem* *S. August. Tract. 48. in Johann. n. 4. 5.* *non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves exeundo & pascua inveniendo sunt, oves vita æterna perfruendo sunt.* Tres ovium Christi notæ, tria Prædestinationis signa. 1. Verbi ejus amor & auditio cum docilitate & obedientia, *Oves meæ vocem meam audiunt.* 2. Cura singularis & eximia Filii Dei de illorum sanctificatione. *Et ego cognosco eas.* 3. Imitatio perseverans vitæ & operum Christi Jesu. *Et sequuntur me.* His jam tunc dat vitam æternam, cum gratiam largitur, quæ gloriæ semen & pignus est, & eas servat a perditione. *Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quid potest lupus? quid potest fur & latro? Non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ovibus, de quibus dicit Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus:* & *Quos præsci-* *2. Tim. 2. 19.* *vit, ipsos & prædestinavit; quos autem prædestinavit, ipsos & vocavit; quos autem vocavit, illos & justifi-* *Rom. 8. 30.* *cavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit*: de ovibus illis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis novit quod dedit. Ideo ait, *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Aliquando se ipsæ nesciunt oves, sed Pastor novit eas, secundum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ovium ante *Ephes. 1. 4.* constitutionem mundi, de qua dicit Apostolus, *Sicut ele-* *S. August. Tract. 45. in Jo. 12.* *git nos in ipso ante mundi constitutionem.* „ Secundum „ istam præscientiam Dei & prædestinationem, *quam* „ *multæ oves foris, quam multi lupi intus; & quam* „ *multæ oves intus, & quam multi lupi foris.* Quam „ multi modo luxuriantur, casti futuri; & quam multi „ blasphemant Christum, credituri in Christum; quam „ multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi rapiunt „ res alienas, donaturi suas: verumtamen modo vocem „ alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam mul- „ ti intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornica- „ turi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stantes ca- „ suri: (De prædestinatis enim loquimur; de his lo- „ quimur quos novit Dominus qui sunt ejus,) &c. ta- „ men ipsi, quamdiu recte sapiunt, Christi vocem au- „ diunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: & tamen „ secundum prædestinationem non oves isti, oves illi. „ O arcanum incomprehensibile, *O altitudo divitiarum* „ *sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia* „ *sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*" Væ præsumptioni humanæ, si salutem suam in manibus suis securiorem putat quam in manibus Salvatoris sui! Væ præsumptioni humanæ, si Salvatorem illam servaturum confidit sine cooperatione sua, & nisi vigilet ipsa ne laqueis mundi, dæmonis, propriæque voluntatis implicetur, præceps agatur, perdatur!

36. 37. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixit, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Nihil efficacius est ad famam Pastoris & Ministri Ecclesiæ contra calumnias & obtrectationes hominum improborum defendendam, quam vocatio & missio legitima, morum innocentia, operum sanctitas. Vocatio nostra sancta est, professio sancta, sed terribilius ea de causa judicium nos manet, nisi vita & moribus sancti simus; ut per opera nostra cognoscant omnes quia Deus in nobis est per Spiritum suum, & nos in Deo per intimam adhæsionem caritatis quam in cordibus nostris diffundit: & credant verbis quæ Dei nomine ad ipsos loquimur. Eo collineare debet tota boni Pastoris vita & conversatio, ut oves ejus Deum cognoscant, earumque fides crescat, nutriatur, roboretur, per caritatem operetur, perficiatur, consummetur. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia ego in Patre, & Pater in me est.*

CAPUT XI.

Sensus Litteralis.

1. 2. ERat *autem quidam languens Lazarus* nomine, *a Bethania* oriundus, seu ex vico sito in eo Montis Oliveti tractu, qui Bethania dicebatur, *de castello Mariæ & Marthæ, sororis ejus.* In quo vico seu castello habitabant Maria & Martha sorores ejus, eo no- *Luc. 7.* mine tunc apud Christi discipulos celebres, quod sæpe Christum & ejus Apostolos hospitio recepissent. *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur*, seu periculose ægrotabat. Unctionem a Maria penitente factam spectat Evangelista. Quæ enim post resurrectionem Lazari facta est, capite sequenti commemoratur.

3. 4. *Miserunt ergo sorores ejus ad eum*, scilicet ad Jesum, *dicentes* per nuntium: *Domine, ecce quem amas infirmatur*, sperantes fore ut eum sanaret, siquidem nec bonitas deerat, nec potestas. *Audiens autem Jesus, dixit eis; Infirmitas hæc non est ad mortem* vulgarem & permanentem; *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam*; ut illius infirmitatis occasione gloria Dei *S. Cirill.* & Filii ejus magis inclaresceat & celebretur. „ Nihil *lib. 7. 8. in* „ mirum (*inquit S. Cyrillus*) quod dixerit non esse ad *Joh. p. 676.* „ mortem infirmitatem Lazari, & tamen mors accide- „ rit: ad rei enim exitum respicientes, quodque pau- „ lo post erat resurrecturus, non quid medio tempore „ contigerit spectamus, sed in quem finem res tota re- „ ciderit:" suam autem Deique gloriam eamdem esse manifesto declarat, cujus vere Filius sit, ac unus cum Patre Deus.

5. 6. 7. *Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum*, a quibus hospitio excipi solebat, & quos dilectione sua dignos fecerat. *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco*, ubi nuntium accepit, *duobus diebus*, ut de morte ejus dubitari non posset, evidentiusque esset miraculum resurrectionis ejus, quod postea erat editurus. *Deinde post hæc dixit Discipulis suis: Eamus in Judæam iterum*, in sortem Tribus Judæ & Benjamin, versus Jerusalem. Tunc enim ultra Jordanem erant in Peræa.

8. 9. 10. *Dicunt ei Discipuli, Rabbi nunc quærebant te Judæi lapidare.* Non diu est quod te Judæi lapidibus obruere volebant: ne te extremo periculo iterum exponas precamur. *Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei?* Certum est ac definitum diei spatium, quod minui non potest. *Si quis ambulaverit in die, non offendit*, non impingit, *quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*, lux illi non affulget, cujus beneficio cavere possit offendicula. Proverbiali hoc effato significat Christus certum & con- *S. Cyrill.* stitutum esse tempus quo vivere debeat, & officium ex- *lib. 6. 7. in* plere suum, quo tempore illum Judæi interficere non po- *Jo. p. 678.* terant, cum nihil pati possit invitus. Hæc etiam subintelligi potest applicatio sententiæ, interprete S. Cyrillo: Nondum tempus est ut omnino recedam a Judæis, licet impii sint; sed quemadmodum lumen diei non deficit nisi duodecim horarum confecto spatio, sic neque ante tempus lumen doctrinæ meæ Judæis auferam, immo usque ad mortem cum eis manebo, ut eos in tenebris errantes illuminem; ut eorum peccatis & voluntariæ cæcitati tribuendum sit quod in me ut ad lapidem offendant. Significat denique Discipulos nihil acerbi passuros, quamdiu cum illo erunt, qui omnia illuminat.

11. 12. 13. 14. 15. 16. *Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit*, id est, mortuus est. Hebræis usitata erat figurata ista locutio, ut mortem somni nomine significarent. Quem loquendi modum ad mortem Lazari significandam eo convenientius usurpavit Jesus, quod brevi ipsum suscitaturus esset, ac tam facile ac homo dormiens a somno excitatur: *sed vado ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo Discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit*, convalescet; non est cur periculo te inferas, ut a somno salutari illum excites. *Dixerat autem Jesus de morte ejus*, quam somnum vocabat figurato loquendi modo: *illi autem putaverunt quia*

de dormitione ſomni diceret, ſeu de ſomno vulgari & ordinario, a quo tanquam a re noxia eum excitare vellet. Rudes enim adhuc erant in ſchola Chriſti. *Tunc Jeſus dixit eis manifeſte*, abſque metaphora: *Lazarus mortuus eſt*: *& gaudeo propter vos*; *ut credatis*, *quoniam non eram ibi*: Gaudeo propter vos, quia non eram ibi, precibus enim & fletibus piarum ſororum permotus fuiſſem ad ſanitatem illi reſtituendam: ex reſurrectione autem ejus fides in me veſtra augebitur & confirmabitur, meque vitæ Auctorem eſſe firmius credetis. Hæc gaudii mei ratio; veſter enim profectus mihi unice cordi eſt. *Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas*, *qui dicitur Didymus*, cujus nomen Græce ſignificat gemellum, ad Condiſcipulos: *Eamus & nos ut moriamur cum eo*. Cum decretum ſit Magiſtro noſtro ire in mortis periculum, eamus & nos in certam mortem: nec enim æquum eſt ut eum deſeramus. Quæ verba promptam quidem voluntatem, ſed & timiditatem, animumque generoſum & Dei amantem, ſed permixtum incredulitate ſapiunt. Nec enim vult remanere ſine Jeſu, ſed condiſcipulos ad periculum cum Magiſtro adeundum hortatur, *Eamus &c.* Si iverimus, de vita noſtra actum eſt; ſed tamen pati non recuſemus: neque enim tanti facere vitam nos oportet, ut ab illo ſeparemur.

S. Cyrill. Alexand.

17. 18. *Venit itaque Jeſus* Bethaniam: *& invenit eum*, ſcilicet Lazarum, *quatuor dies jam in monumento habentem*, jam a quatuor diebus in ſepulchro jacentem. *Erat autem Bethania juxta Hieroſolymam*, *quaſi ſtadiis quindecim*, dimidia paulo amplius leuca, ſecundum noſtram menſurandi rationem. Verum, dicet quiſpiam, ſi quindecim ſtadiis aberat Bethania, quomodo quatriduanus erat Lazarus? Reſpondetur, manſiſſe Chriſtum duos dies, antequam ad Lazarum iret. Pridie venerat nuntius, quo die mortuus eſt Lazarus: quarto itaque die venit Jeſus Bethaniam.

S. Chryſoſt. Hom. 61. in Johann.

19. 20. *Multi autem ex Judæis* Hieroſolymitanis, ob viciniam, *venerant ad Martham & Mariam*, feminas nobilitate & religione inſignes, *ut conſolarentur eas de fratre ſuo*, ut earum dolorem de morte fratris lenirent: quod officium per ſeptem dies extendi ſolebat. *Martha ergo ut audivit*, *quia Jeſus venit*, *occurrit illi*. *Maria autem domi ſedebat*, Judæos conſolatores in intima domo excipiens, & ab illis detenta.

21. 22. *Dixit ergo Martha ad Jeſum*: *Domine*, *ſi fuiſſes hic*, *frater meus non fuiſſet mortuus*: illum enim pro tuo in nos amore ſanaſſes. *Sed & nunc ſcio*, *quia quæcumque poposceris a Deo*, etſi naturæ viribus impoſſibilia, ut reſurrectionem fratris mei, *dabit tibi Deus*, tuis precibus concedet. Non dixit, Sed modo rogo te, ut reſuſcites fratrem meum. Neſciebat enim an fratri ſuo utile eſſet reſurgere. Hoc tantum dixit, Scio quia potes, ſi vis facis: utrum enim facias, judicii tui eſt, non præſumptionis meæ.

S. Auguſt. Tract. 49. in Johann. n. 13.

23. 24. *Dixit illi Jeſus*: *Reſurget frater tuus*. Non ait, Ego eum ſtatim reſuſcitabo, tum modeſtiæ cauſa, tum ut Marthæ animam paulatim ad miraculi fidem ac ſpem excitaret. *Dicit ei Martha*, exiſtimans eum de univerſali reſurrectione loqui, in mundi fine futura: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die*. De hac reſurrectione ſecura ſum: hoc objectum ſpei meæ.

25. 26. 27. *Dixit ei Jeſus*: *Ego ſum reſurrectio & vita*, Auctor ſum vitæ & reſurrectionis: ne ergo de me tam tenuiter ſentias, quaſi precario & aliena virtute, precibuſque ad Deum fuſis vitam procurare poſſim fratri tuo: per me & viventes vivunt, & mortui reſurgunt. *Qui credit in me*, qui me pro Chriſto & vitæ ac reſurrectionis Auctore agnoverit, mihique adhæſerit, *etiamſi mortuus fuerit*, *vivet*, reſurget ad vitam æternam. *Et omnis qui vivit*, qui mortalem in hoc mundo vitam agit, *& credit in me*, ſi in me credat fide per dilectionem operante, in eaque fide & dilectione perſeveret, *non morietur in æternum*, morte ſecunda; immo vivet vita immortali & beata. *Credis hoc?* Quaſi dicat Jeſus: Hoc præſertim credendum, hoc fratri tuo, tibique optandum eſt, hæc votorum ſumma eſſe debet ut per me æternum beateque vivatis. *Ait illi* Martha: *Utique Domine*, *ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, *qui in hunc mundum veniſti*. Jamdudum credidi te eſſe Chriſtum Filium Dei vivi, ac proinde vitæ datorem, qui in hunc mundum veniſti ut genus humanum a morte peccati, a morte æterna redimas & ſalves. Quando hoc credidi, credidi quia tu es reſurrectio; credidi quia tu es vita; credidi quod qui credit in te, etſi moriatur, vivet; & qui vivit & credit in te, non morietur in æternum.

S. Auguſt. Tract. 49. in Johann.

28. 29. 30. *Et cum hæc dixiſſet*, *abiit*, *& vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio*, id eſt, ſummiſſa voce, *dicens*: *Magiſter adeſt*, *& vocat te*. *Illa ut audivit*, *ſurgit cito*, *& venit ad eum*. Prompto animo vocanti obſecuta. *Nondum enim venerat Jeſus in Caſtellum*, *ſed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha*, prope ſepulchrum, quod extra vicum poſitum erat, pro more Hebræorum.

31. 32. *Judæi ergo* Hieroſolymitæ, *qui erant cum ea*, nempe cum Maria, *in domo*, *& conſolabatur eam*, *cum vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit*, *& exiit*, cum eam tam cito ſurrexiſſe conſpexiſſent, ac foras exire, *ſecuti ſunt eam*, comitati ſunt honoris cauſa, *dicentes*: *Quia vadit ad monumentum*, *ut ploret ibi*. Solebat enim illic major planctus excitari, velut renovato dolore. *Maria ergo*, *cum veniſſet ubi erat Jeſus*, *videns eum*, *cecidit ad pedes ejus*, proſtravit ſe in ſignum ſummæ venerationis, quia illum ceu Meſſiam a Deo promiſſum proſequebatur: *& dicit ei*: *Domine*, *ſi fuiſſes hic*, *frater meus non fuiſſet mortuus*. Non minor erat fides ejus quam Marthæ; poteſtatem Jeſu & caritatem ejus æque noverat: ideo eadem verba uſurpat. His autem verbis illum tamquam Deum allocutam, conjicit S. Cyrillus, tametſi non accurate locuta ſit, rata non adfuiſſe ipſum, quod abeſſet corpore.

33. 34. *Jeſus ergo*, *ut vidit eam plorantem*, *& Judæos qui venerant cum ea*, *plorantes*, *infremuit ſpiritu*, intime commotus eſt compatientis & condolentis affectu vehementi; *& turbavit ſeipſum*, triſtitiam in ſe ipſo excitavit, eamque ſignis evidentibus indicavit: *& dixit*: *Ubi poſuiſtis eum?* Ubi ſepeliviſtis? *Dicunt ei*: *Domine*, *veni*, *& vide*. Interrogat, & velut ignorantem ſe gerit, ut omni ſuſpicione careret miraculum.

S. Chryſt. Hom. 62. in Johann.

35. 36. 37. *Et lacrymatus eſt Jeſus*. Divinitatis ſignum editurus, humanitatis ſigna præmiſit, ut Deus & homo crederetur. *Neque enim in quo verum erat hominis corpus*, *& verus hominis animus*, *falſus erat humanus affectus*. Verum hos motus certæ diſpenſationis gratia, ita cum voluit animo ſuſcepit humano, ut cum voluit factus eſt homo. *Dixerunt ergo Judæi*: *ecce quomodo amabat eum*. Lacrymæ teſtes amoris in viro præſertim gravi & conſtante mortuum lugente. Tantiſper autem flet Jeſus, mox comprimit lacrymas: ne videatur durus quidem & immiſericors ſine ullo ſenſu doloris, ſi amici mortem, & piarum ſororum afflictionem ſiccis oculis cerneret: & ne a virili ſapientis conſtantia deficere videretur, ſi intemperanter fleret. *Quidam autem ex ipſis*, ſarcaſmo diabolico Domino Jeſu inſultantes, *dixerunt*: *Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere ut hic non moreretur?* Id enim multo facilius. Verum erratis, o Judæi, vos invidia tranſverſos agit. Qui enim noluit facere ut non moreretur, plus eſt quod facturus eſt, ut mortuus ſuſcitetur.

S. Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei c. 9. n. 3.

S. Cyrill. lib. 7. & 8. in Johann. pag. 686.

S. Auguſt. Hom. 49. in Johann.

38. 39. 40. *Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo*, vehementi dolore commotus, quem vultus teſtabatur, *venit ad monumentum*, in quo ſepultum erat Lazari corpus (*Erat autem ſpelunca*, *& lapis ſuperpoſitus erat ei*) ad claudendum oſtium ſpeluncæ. Hinc miraculi fides confirmatur, doli excluditur ſuſpicio. *Ait Jeſus*, *Tollite lapidem*: ne circumſtantes Judæi reſurrectionem mox futuram eſſe meram illuſionem dicerent, ſi clauſa ſpelunca Lazarus redivivus prodiiſſet. *Dicit ei Martha*, *ſoror ejus qui mortuus fuerat*: *Domine jam fœtet*, *quatriduanus eſt enim*. Jeſum velle reſuſcitare non exiſtimabat Martha, ſed tantum frui aſpectu amici jacentis: unde humane ipſum avocabat ab introitu ſpeluncæ, ne fœtore quatriduani cadaveris offenderetur. *Dicit ei Jeſus*: *Nonne dixi tibi*, *quoniam*, *ſi credideris*, me eſſe reſurrectionis & vitæ Auctorem, *videbis gloriam Dei*? Divinum glorioſumque opus quod mox ſum editurus.

41. 42. *Tulerunt ergo lapidem* miniſtri circumſtantes: *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis*, ad cœlum quæ Dei ſedes eſt, *dixit*: *Pater*, *gratias ago tibi*, *quoniam audiſti me*. Gratias agit ut homo, pro divina miraculorum quorumvis efficiendorum poteſtate, & loquitur ac ſi res perfecta eſſet, ſe de Patris voluntate certum eſſe docens, ſeque unum cum illo Deum oſtendens, qui precibus non indigeret. *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis*, volens quidquid ego volo, ſive qua Deus una tecum voluntate, ſive qua homo voluntate in omnibus tuæ conſentanea velim: *Sed propter populum qui circumſtat dixi* verba gratiarum actionis, *Ut credant quia tu me miſiſti*, videntes me tibi omnia accepta ferre, & poteſtatis quam habeo in mortem te auctorem profiteri; quam ſcilicet a te naſcendo accepi. Hic igitur gratiarum actionis modus *œconomice* a Chriſto uſurpatur, quatenus homo eſt, ne Judæi amplius illum in Beelzebub ſigna facere dicerent.

S. Cyrill. Alexand.

43. 44. *Et cum dixiſſet*, *voce magna clamavit*, ut ab omnibus ejus verba mortis imperium penes ipſum eſſe demonſtrantia audirentur: *Lazare*, *veni foras*. Exi vivus e monumento. Vox ejus operatoria erat, efficax, vivifica: non precibus, ſed imperio uſus ad mortuum ſuſcitandum, ſe vitæ Auctorem, verumque Deus a Deo Patre miſſum in mundum ad hominum ſalutem oſtendit. *Et ſtatim prodiit qui fuerit mortuus*, *ligatus pedes & manus infitis*. Prodiit e ſepulchro jubente Jeſu, quamvis manibus pedibuſque vinctis. Mortuorum corpora ita ſepeliebantur apud Judæos, ut totum corpus ſindone involutum faſciis aſtringeretur, ut puerorum corpora. *Et facies illius ſudario erat ligata*, linteolo velata funiculis aut nodis adſtricto. *Dixit eis Jeſus*: *Solvite eum*, *& ſinite abire*. Solvite faſcias quibus involutus & ligatus eſt, ut domum abeat. Solvi juſſit ab adſtantibus, ut vere reſurrexiſſe certum & exploratum haberent.

S. Johann. S. Chryſ. Hom. 63. in Johann.

Illum

Illum vero non duxit in domum, nec apud ſe retinuit, ne gloriam ex edito miraculo captare videretur.

45. 46. *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.* Crediderunt eſſe Meſſiam promiſſum Patribus & a Deo miſſum, miraculi magnitudine & veritate convicti. *Quidam autem ex ipſis* Judæis in impietate & incredulitate ſua obdurati, *abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus*, ut eorum gratiam aucuparentur.

47. 48. *Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant*: in Senatu congregati dicebant: *quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit.* Multa edit miracula, plebem ſibi conciliat, quid facto opus in re quæ & Religionem ſpectat & Rempublicam? *Si dimittimus eum ſic*, ſi eum agere ſinamus, nec illi contradicamus, *omnes credent in eum*, ut Meſſiam, eique ut Judæorum Regi parebunt: *& venient Romani* cum numeroſo & forti exercitu, *& tollent noſtrum locum & gentem.* Urbem noſtram, regionemque totam vaſtabunt: gentem internecione ac diſperſione delebunt. An ex animo id dicerent impii Politici hunc eventum revera metuentes, quia Meſſiam temporaliter regnaturum in Judæa exiſtimabant: an repugnante conſcientia, & ſpecie utilitatis publicæ invidiam ſuam velantes, non conſtat. Unum certum eſt, inexcuſabiles fuiſſe, cum non ignorarent Jeſum palam docere obediendum eſſe Cæſari, & quibuſcumque Rectoribus, Nullam potentiam terrenam affectare, Regnum etiam oblatum fugiſſe.

49. 50. *Unus autem ex ipſis, Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius* eoque nomine Synedrii Præſes, *dixit eis: Vos neſcitis quidquam*, parum cauti, parumque perſpicaces videmini in negotio publicum bonum ſpectante: *nec cogitatis, quia expedit vobis*, opportunum & utile vobis eſt, *ut unus*, quicumque & qualiſcumque tandem ſit, etiam innocens & juſtus, *moriatur homo pro populo*, pro ſalute Reipublicæ doveatur, *& non tota gens pereat*, id eſt a Romanis propter ipſum deleatur. Et hic quidem privatus erat Caiphæ ſenſus. Verum alius erat ſenſus Spiritus ſancti linguam ejus regentis, Jeſum ſcilicet pro mundi redemptione ac ſalute moriturum. *Hoc autem a ſemetipſo non dixit*; non proprio ſpiritu aut inſtinctu, quaſi ſenſum illum habens in animo quem Deus intendebat; *ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit.* Hoc non illius meritis ſed Sacerdotali officio datum; non quod ſummi Judæorum Pontifices Prophetiæ dono inſtructi ſeu adaucti eſſent, ſed quia ejus ore uti voluit Deus velut organo ad humanæ redemptionis mox per Jeſum Chriſtum implendæ myſterium prædicendum: *Prophetavit*, inquam, *quod Jeſus moriturus erat pro gente* Judæorum: *& non tantum pro gente*, una ſcilicet Judaica: *ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi* per omnes gentes, ſeu qui ab æterno electi erant a Deo ex omnibus gentibus, ut filii Dei fierent, *congregaret in unum*, in unam Eccleſiam, ut fieret unum ovile, & unus Paſtor. *Exod. 28. Joſeph. lib. 18. Antiq. c. 3.* Non ſine cauſa porro S. Evangeliſta notat Caipham Pontificem fuiſſe *anni illius*, quia quamvis ſummum Sacerdotium ad vitam duraret, filiique parentibus ſuccederent ſecundum Legem: ambitio tamen & avaritia frequentes perſonarum mutationes introduxerant ad Principum & Præſidum arbitrium.

Quamvis porro Propheticus fuerit ſermo Caiphæ, ipſe tamen Propheta non fuit, ut explicat S. Cyrillus Alexand. „ Ex iniqua mente, *inquit*, locutus eſt Caiphas quod locu- *S. Johann. Chryſt. Hom. 64. in Johann. S. Cyrill. lib. 7. 8. S. Aug. Tract. 49. in Jo.* „ tus eſt: attamen ſermo ejus rei veræ interpres extitit, „ veluti in ordine prophetiæ enunciatus. Quod enim mors „ Chriſti bonorum cauſa futura eſſet, prædixit loquens id „ quod ignorabat, & Dominum glorificans, ut Balaam, „ ex neceſſitate, quoniam Sacerdotii dignitatem obtinebat, „ non tamquam ei data Prophetia, ſed Sacerdotii functione: ſive quod poſtmodum, quæ dicta fuerant a Caipha, „ evenerunt, illo nullatenus Propheticam gratiam adepto. „ Conſentaneum eſt enim ut quod quidam loquuntur fiat, etſi „ nullo modo ſciant quod omnino futurum ſit. Enim vero „ Caiphas dicebat pro ſolis Judæis futuram Chriſti mortem: „ hic vero pro univerſa hominum natura. " Vide Origenem Tom. 3. in Johannem, ubi non omnem qui prophetat, Prophetam eſſe probat exemplo Balaam, quem *Augurem*, non Prophetam Scriptura Sacra vocat. Sicut non omnes qui opus aliquod ex ſe juſtum & bonum faciunt, propterea juſti ſunt, verbi gratia, qui ſunt in pauperes benefici ut ab hominibus laudentur, quia non ex habitu juſtitiæ, ſed ob vanam gloriam id faciunt.

53. 54. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* Communibus conſiliis mortem Jeſu omnimodo maturare decreverunt. *Jeſus ergo jam non palam ambulabat apud Judæos*, Hieroſolymitanos, aut Hieroſolymis vicinos, ad illum uſque diem qui ſextus fuit ante Paſcha, quo in Bethaniam rediit (ut capite ſequenti S. Johannes commemorat) *ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem*, aut Ephron, *2. Paralip. 13. 19.* prope Bethel, in Tribu Ephraim: *& ibi morabatur* latens *cum Diſcipulis ſuis*, ut homo cavens ſibi, ut juſtus aliis conſulens: ne vel illos magis exaſperaret, vel ſe data opera in periculum præcipitem daret, cum nondum veniſſet hora ejus.

55. 56. *Proximum autem erat Paſcha Judæorum*, quartum & ultimum prædicationis Chriſti: & aſcenderunt multi Jeroſolymam de regione illa, in quam ſe receperat Jeſus, *ante Paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos*, ut expiationibus ſolemnibus, ſacrificiis, orationibus ad Feſtum rite celebrandum ſe præpararent. *Quærebant ergo Jeſum*, aut mera curioſitate ducti, aut pravo animo, illum ut Sacerdotibus & Senatoribus traderent: *& colloquebantur ad invicem*, in Templo ſtantes: *quid putatis quia non venit ad diem feſtum?* Vobiſne videtur quod pro more venturus ſit ad diem feſtum? Alii affirmabant, habita ratione conſtantis ipſius pietatis in Lege obſervanda: negabant alii, ratione habita imminentis capiti ſuo periculi; quo prudenter poſſe deterreri videbatur ab aditu Urbis & Templi. *Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehenderent eum.* Senatus impulſu Pontificum & Phariſæorum, Decretum dederat, cum dirarum interminatione, (quemadmodum in criminibus violatæ Religionis, læſæ Majeſtatis, aut proditæ Reipublicæ fieri ſolet) ut ſi quis noſſet ubi degeret, vel lateret, id indicaret Synedrio, ut eum caperent, ac ſpecie judicii interficerent.

MORALIS SENSUS.

1. *ERat autem quidam languens Lazarus, &c.* Multi cum bonos & Deo acceptos viros mali aliquid, ut morbum, paupertatem, ſimileſque perpeti vident calamitates, perturbantur, ignari hæc maxime Dei amicis contingere. Nam & Lazarus Chriſti Jeſu amicus erat & ægrotus. *Erat quidam languens Lazarus . . . Domine, ecce quem amas, infirmatur.*

2. (*Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: cujus frater Lazarus infirmabatur.*) Mariæ & Marthæ domus Eccleſiæ figura eſt, quæ domus eſt orationis & caritatis. In ea ſunt Mariæ vitam in oratione & contemplatione agentes, & cor ſuum velut unguentum odoriferum ſuper Dominum effundentes. In ea ſunt Marthæ, bonis operibus occupatæ, & Chriſtum in pauperibus foventes, ac juvantes. In ea ſunt infirmi & languentes Lazari, imo & morientes morte peccati, qui Chriſti Jeſu omnipotenti virtute, & gratia ſuſcitantur. *Deus ergo ſepultos ſuſcitat, & ſolvit peccati compede vinctos.*

3. *Miſerunt ergo ſorores ejus ad Eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* In tentationem incidit anima, in peccatum labitur, cum ab ea Deus elongatur, & languens ſibi ipſi relinquitur. Eccleſiæ & fidelium amicorum preces cum fide, humilitate, fiducia ad Deum miſſæ a duabus ſororibus, mente & voluntate, eique peccatoris miſeriam, & amorem Jeſu qui pro peccatoribus mortuus eſt, exponentes, converſionem illius a divina miſericordia impetrant. Hanc pro ſe ipſo peccator imploret, & peccatorem eſſe intelligens, & a timore divinæ juſtitiæ ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertens, in ſpem erigatur fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat, & dicat ex animo: *Domine, ecce quem amas infirmatur*, ſufficit ut noveris; *Non enim amas & deſeris.* Mihi fiduciam inſpirant verba pietatis tuæ: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Si enim peccatores non amares, de cœlo ad terras non deſcenderes. *S. Proſper. Concil. Trid. Seſs. 6. cap. 6. S. Auguſt. Tract. 49. in Johann. Matt. 6. 13.*

4. *Audiens autem Jeſus, dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, &c.* In omnibus quæ nobis eveniunt calamitatibus, nihil aliud optemus & poſtulemus, quam Dei gloriam, ejus voluntatem, ſanctificationem noſtram; non carnis commoda, & temporales utilitates. Infirmi eſſe malimus, quam bona valetudine; pauperes magis, quam divites; contempti & abjecti in mundo, quam honoribus & dignitatibus conſpicui, ſi id ad gloriam Dei & Chriſti Jeſu conducat. *Sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei.* Unus hic ſit Chriſtianorum finis, unum votum, major Dei gloria.

5. *Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum.* Amor Chriſti Jeſu erga membra ſua, origo & fons eſt omnium miſerationum & beneficiorum ejus. Infirmitates, & res adverſæ electorum, pignora ſunt amoris Dei erga ipſos, ad eorum purgationem probationem, & perfectionem ab illo ordinatæ.

Non ſuum, ſed eorum, quos diligit, Jeſus bonum quærit, eorum ſanctificationem; bonos eos non ſupponit, ſed facit. Hoc amicitiæ Chriſtianæ exemplar. Utilitatem, aut delectationem ſuam non quærit in amicis, ſed illorum bonum præſertim ſpirituale, ut Dei amici fiant, ut illius verbum fideliter & obedienter audiant, ut Jeſum in familias ſuas & domos ſuſcipiant, ut ſi langueant & ægrotent, per Chriſti gratiam cito ſanentur; ſi mortui morte peccati, quantocyus ſuſcitentur. Id orare, ea de re ſolliciti eſſe imprimis debemus, ſi vere diligimus. *Illeveraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo,*

S. Auguſt. ſerm. 136. alias de Tempore 256. Idem ſerm. 356. alias 38. inter 50. Homilias.

aut ut ſit in illo. Hæc eſt vera dilectio: propter aliud ſi nos diligimus, odimus potius quam diligimus. „ Si omnis „ qui amat, ſalvum vult habere quod amat; ſi intelligat „ quæ ſit vera ſalus, incipit illam amare in ſe, & ipſam „ cogitur veram habere & in amico. Vera ſalus, vita „ æterna. Amicus igitur ad ſalutem æternam diligen- „ dus. Si Chriſtiana amicitia diligis, totum quicquid „ vis amico tuo præſtare ad hoc vis præſtare ut illam „ tecum teneat ſalutem. Amas enim juſtitiam, vis illum „ eſſe juſtum: amas ſub Deo eſſe, vis & illum eſſe ſub „ Deo: amas vitam æternam, illic eum vis tecum re- „ gnare in æternum. Quomodo amicus hujus ſæculi ſe- „ cundum ſæculum amans animam ſuam, febrem vult „ expellere de amico ſuo, quem ſimiliter amat ut ſe, „ propter præſentem ſalutem: ſic tu quemcumque dili- „ gis, propter vitam æternam dilige; cum inveneris „ iram, indignationem, odium, iniquitatem, ſic cone- „ ris expellere morbum animi; quomodo amicus ſæculi „ morbum corporis: ad hoc enim amas, ut facias quod „ & tu es. Ad hoc ama conjugem, ad hoc ama filium, „ ad hoc ama propinquum, vicinum, ignotum, inimi- „ cum, & erit in te perfecta caritas. "

9. 10. *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: ſi autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.* Quicquid in lumine Evangelii, & per Chriſti Jeſu gratiam agimus, bonum eſt. Quidquid ſine illis agimus, tenebræ ſunt. Lex Dei, voluntas Dei, lumen eſt, quod ſequi debemus, ne offendamus & cadamus: prudentia & mores ſæculi, voluntas noſtra, & amor proprius, nox eſt, in qua ſi ambulemus, offendimus. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis... Dirige me in via tua*, Domine Jeſu, *& ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Errabant Apoſtoli, cum ſecundum ſæculares prudentiæ regulas Magiſtro ac Domino ſuo conſilium dabant. Voluerunt enim conſilium dare Domino ne moreretur, qui venerat mori, ne ipſi morerentur. Cum ergo vellent dare conſilium homines Deo, diſcipuli Magiſtro, ſervi Domino, ægroti Medico, corripuit eos, & ait: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, &c.* Me ſequimini, ſi non vultis offendere: nolite mihi conſilium dare, quos a me oportet conſilium accipere.

Pſal. 118. S. Aug. Tr. 49. in Jo.

11. *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut a ſomno excitem eum.* Mors electorum ſomnus eſt. Mors juſtis deſiderabilis, ut quies & ſomnus operariis poſt diurnos labores. *Amodo jam dicit Spiritus: Ut requieſcant a laboribus ſuis.* Spe reſurrectionis mortem contemnere debemus, quaſi una duntaxat nocte duraturam. Fleant igitur mortuos ſuos, qui putant mortuos; *Ubi reſurrectionis fides eſt, non mortis eſt ſpecies, ſed quietis. Juſtis mors quietis eſt portus, nocentibus naufragium putatur.* „ Certe iis quibus „ gravis eſt timor mortis, non eſt grave mori: ſed gra- „ ve eſt vivere ſub metu mortis. Non ergo mors gravis, „ ſed metus mortis. Metus autem opinionis eſt: opinio „ vero noſtræ infirmitatis, contraria veritati... Inſipien- „ tes mortem quaſi ſummum malorum reformidant: ſa- „ pientes quaſi requiem poſt labores, & finem malorum „ exſpectant... Mors abſolutio eſt & ſeparatio animæ & „ corporis: non eſt autem mala ſolutio, quia diſſolvi & „ eſſe cum Chriſto, multo melius. Non igitur mala mors. „ Denique Mors peccatorum peſſima. Non utique mors „ peſſima generaliter: ſed peſſima ſpecialiter peccato- „ rum. Denique pretioſa juſtorum. Unde liquet *acerbitatem non mortis eſſe, ſed culpæ.*" Mors juſtis *ſtipendiorum plenitudo, ſumma mercedis, gratia miſſionis eſt.* Mors corporis *non metuenda fortibus, deſideranda ſapientibus, miſeris expetenda.*

S. Ambroſ. lib. 6. in Luc. p. 1398. S. Ambr. lib. de Bono Mortis, c. 8. Idem lib. 7. in Luc. n. 36.

14. 15. *Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſte; Lazarus mortuus eſt. Et gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi.* Abſentia Chriſti a Domo Lazari ægrotantis, figura eſt ſubtractionis gratiæ, quam ſequitur lapſus juſti. Hæc interdum multis prodeſt ad ſalutem, & illis etiam qui cadunt, ſi ſint ex electorum numero, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, quia humiliores, cautiores, & ferventiores reſurgunt: *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.*

Gaudeo propter vos, &c. Cum egregium aliquod opus edunt Paſtores animarum & Evangelii Miniſtri, gaudere poſſunt, modo non gaudeant ad vanitatem, ſed ob ſpiritualem Animarum profectum, aut converſionem. *Gaudeo propter vos, ut credatis.*

16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus: Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Si vere diſcipuli Chriſti ſumus, ad ipſum ſemper & ubique ſequendum parati eſſe debemus; ſive in vita, ſive in morte; nos illi victimarum inſtar devoventes; cum illo & propter illum, qui pro nobis mortuus eſt, bona omnia temporalia, honores, quietem, vitam ipſam exponere parati. *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Neque mors, neque vita nos ſeparet a caritate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Pſalm. 43. 22.

17. *Venit itaque Jeſus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* Habitus & conſuetudo peccati, ſepulchrum eſt animæ mortuæ, putridæ, fœtentis, ex quo excitari non poteſt, niſi gratiæ miraculo. Hoc peccatorum genus Lazarus in monumento quatriduanus repræſentat. Tres mortui, quos ſuſcitavit Jeſus, triplex genus peccatorum ſignificant, quos a morte peccati per gratiam ſuam revocat ad vitam ſpiritualem. „ Reſuſci- „ tavit filiam Archiſynagogi adhuc in domo jacentem; „ reſuſcitavit juvenem filium viduæ extra portas civita- „ tis elatum; reſuſcitavit Lazarum ſepultum quatridua- „ num. Intueatur quiſque animam ſuam: ſi peccat, „ moritur: peccatum mors eſt animæ. Sed aliquando in „ cogitatione peccatur. Delectavit quod malum eſt, „ conſenſiſti, peccaſti; conſenſio illa occidit te: ſed in- „ tus eſt mors, quia cogitatum malum nondum proceſſit „ in factum. Talem animam reſuſcitare ſe ſignificans Do- „ minus, reſuſcitavit illam puellam, quæ nondum erat „ foras elata, ſed in domo mortua jacebat: quaſi pec- „ catum latebat. Si autem non ſolum malæ delectationi „ conſenſiſti, ſed etiam ipſum malum feciſti, quaſi mor- „ tuum extra portam extuliſti: jam foris es, & mortuus „ elatus es. Tamen & ipſum Dominus reſuſcitavit, & „ reddidit viduæ matri ſuæ. Si peccaſti, pœniteat te: „ & reſuſcitat te Dominus, & reddet Eccleſiæ matri tuæ. „ Tertius mortuus eſt Lazarus. *Eſt genus mortis immane, mala conſuetudo appellatur.* Aliud eſt enim pec- „ care, aliud peccandi conſuetudinem facere. Qui pec- „ cat & continuo corrigitur, cito reviviſcit: quia non- „ dum eſt implicatus conſuetudine, nondum ſepultus. „ Qui autem peccare conſuevit, ſepultus eſt, & bene de „ illo dicitur, *Fœtet*: incipit enim habere peſſimam fa- „ mam, tamquam odorem teterrimum. Tales ſunt omnes „ aſſueti celeribus, perditi moribus. Dicis ei, Noli fa- „ cere. Quando te audit quem terra ſic premit, & tabe „ corrumpitur, & mole conſuetudinis prægravatur. Nec „ ad ipſum tamen reſuſcitandum minor fuit virtus Chri- „ ſti. Quotidie videmus homines peſſima conſuetudine „ permutata vivere melius, quam vivunt qui reprehen- „ debant. " Et Lazarum Dominus ſuſcitavit. Nemo deſperet, nemo de ſe præſumat. Omnes ſuſcitare poteſt, ne deſperemus: paucos ſuſcitat, ne de illius miſericordia præſumamus.

S. Auguſt. Tract. 49. in Johann. n. 3.

19. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.* Pias ſorores conſolabantur, ob mortem fratris illis condolentes. Animas ſuas non plangebant mortuas per incredulitatem & & invidiam in Chriſtum. „ Si quem de tuis charis mor- „ talitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & „ fleres: facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, „ vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. „ Animam tuam miſere perdidiſti, ſpiritualiter mortua „ ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum „ portare cœpiſti: & non acriter plangis, non jugiter „ ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel conti- „ nuatione lamentationis abſcondis? "

S. Cypria- nus. Tract. de Lapſis.

20. *Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.* Ut primum peccator novit appropinquare Jeſum ad cor ſuum primis inſpirationibus ac motionibus ad converſionem, faſtidio mundi ac voluptatum, intuitu & horrore deformitatis peccati, Martham, id eſt, voluntatem præmittere debet ad Jeſum per ſancta deſideria, per opera caritatis uberes eleemoſynas peccati redemptrices: interimque Maria, id eſt, mens intra ſe collecta vacare debet orationi, meditationi, vitam præteritam diſcutere; cor ſuum, omneſque illius affectus ſcrutari, peccata lacrymis expiare, mortuam Animam deflere, nullam niſi verbi Dei conſolationem admittere, ſola ſpe miſericordiæ divinæ inniti.

21. *Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Multi vadunt ad Jeſum cum eorum fratres, filii, uxores, mariti, propinqui, amici conſtituti ſunt in gravi periculo mortis corporalis: vix ad eum quiſquam confugit, cum mortui ſunt morte peccati, vel grave periculum eſt ne moriantur. Mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. „ Pro morte carnis quæ ſine dubio quandoque „ ventura eſt, curant omnes ne veniat: inde eſt quod la- „ borant. Laborat ne moriatur homo moriturus, & non „ laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cum „ laborat ne moriatur, ſine cauſa laborat: id enim agit „ ut multum mors differatur, non ut evadatur: ſi au- „ tem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æter- „ num. O ſi poſſemus excitare homines, & cum ipſis „ pariter excitari, ut tales eſſemus amatores vitæ per- „ manentis, quales ſunt homines amatores vitæ fugien- „ tis! Quid non facit homo ſub mortis periculo conſti- „ tutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt ho- „ mines quicquid unde ſibi viverent reſervabant. Quis „ non continuo prodidit ne percuteretur? Et poſt pro- „ ditionem fortaſſe percuſſus eſt. Quis non, ut viveret, „ continuo perdere voluit unde viveret, eligens vitam „ mendicantem quam celerem mortem? Cui dictum eſt, „ Naviga ne moriaris, & diſtulit? Cui dictum eſt, „ Labora ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus ju- „ bet ut in æternum vivamus, & obedire negligimus.

S. Auguſt. Tract. 49. in Johann. n. 2.

„ Non

„ Non tibi Deus dicit, Perde quicquid habes, ut vivas „ exiguo tempore in labore sollicitus: sed, da pauperi „ unde habes, ut vivas semper sine labore securus. "

22. *Sed & nunc scio, quia quæcumque poposcris a Deo, dabit tibi Deus.* Non dixit, Sed & modo rogo te ut resuscites fratrem meum. Nesciebat enim an fratri suo utile esset resurgere. Hoc tantum dixit, Scio quia potes, si vis facis: utrum enim facias, judicii tui est, non præsumptionis meæ. Sic orare debemus, cum temporalia petimus. Sed & in spiritualium petitione bonorum, fides & spes orant silente lingua. *Sed & nunc scio, &c.* O sanctæ mulieres, Christi familiares, si fratrem vestrum amatis, cur ejus misericordiam non flagitatis, de cujus potentia dubitare, pietate diffidere non potestis? Respondent: *Sic melius tamquam non orantes oramus, sic efficacius tamquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum, scit ipse cui non est opus ut aliquid dicatur, quid desideremus.* „ Simus quidem quod omnia „ potest, sed hoc tam grande miraculum, tam novum, „ tam inauditum, etsi ejus subest potentiæ, multum tamen excedit universa merita humilitatis nostræ. Sufficit nobis potentiæ locum, pietati dedisse occasionem, „ malentes patienter exspectare quid velit, quam impudenter quærere quod forsitan nolit. Denique quod nostris meritis deest, verecundia forsitan supplebit. "

S. August.

S. Bern. Tract. de Grad. Humil. c. 22

23. 24. 25. 26. *Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus.* Solatium fidelium, resurrectio mortuorum. Lazarum & alios suscitavit Jesus, ut futuræ omnium hominum in novissimo die resurrectionis fidem firmaret. *Non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit: quod tu si credas, cum legis, mens quoque tua, quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reviviscit.* Dicit ei Martha: *Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Dicit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, &c.* Christus omnis vitæ & resurrectionis in membris suis principium est, cum sit vita per essentiam, æternamque nativitatem. 2. Fons est resurrectionis ab infidelitate ad fidem, per inspirationem ipsius fidei; & a peccato ad gratiam, per inspirationem caritatis. 3. Auctor est & exemplar resurrectionis ad vitam immortalem & gloriosam, per vitæ gloriæque suæ communicationem. Tria hæc fidei nostræ dogmata una sententia complectitur, tradit, & firmat Christus Jesus. Primum his verbis: *Ego sum resurrectio & vita.* Alterum istis: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Tertium sequentibus: *Et omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Hæc credere necesse est ad salutem: *Credis hoc?* Sine fide explicita Divinitatis & humanitatis Jesu Christi nemo justificari potest. In hac nos exercere frequenter debemus ad Altare sanctum, ubi Christum vitam nostram reipsa præsentem in Eucharistiæ Sacramento adoramus; quia fides fons est orationis: utrumque complectitur & exprimit Marthæ confessio: *Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

S. Ambr. lib de Fide Resurrect.

32. 33. *Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus*, velut ad thronum gratiæ, ad fontem veræ consolationis; *& dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Nostris enim lacrymis & precibus fratris nostri sanitatem summa tua misericordia, & quam non semel expertæ sumus, divina tua in nos caritas non negasset. *Jesus ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu & turbavit se ipsum.* Non infirmitate seipsum turbavit, sed potestate. Humanos affectus ut in se ipso sanctificaret, assumpsit. *Ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Id significatur his verbis: *Turbavit seipsum.* Infremuit autem horrore peccati, per quod mors in mundum introivit: infremuit in mortem, & diabolum ejus auctorem: infremuit in Judæorum incredulitatem, qui hoc ipso, quod mox editurus erat miraculo abusuri erant, cum tamen faciendum esset ut crederent. Mystica denique significatio est in veris illis Christi Jesu affectibus. *Quid est quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi quomodo turbari debeas, cum tanta mole peccati gravaris & premeris?* Attendisti te, vidisti te reum, apud te dixisti: Illud feci, & pepercit mihi Deus; illud commisi, & distulit me: Evangelium audivi, & contempsi; baptizatus sum, & innocentiam amisi, baptismi solemne pactum irritum feci; pœnitentiam egi, & in eadem peccata relapsus sum: quid facio? quo eo? unde evado? *Quando ista dicis, jam fremit Christus; quia fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis.* Si *ipsa fides intus, ibi est Christus fremens.* In corde igitur hominis, quem premit magna moles & consuetudo peccati, transgressoris S. Evangelii, contemptoris pœnarum æternarum, „ fremat Christus, increpet se homo. Fle„ vit Christus, fleat se homo. Quare enim flevit Chri„ stus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit „ & turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi me„ rito displicentis fremere quodammodo debet in accu„ satione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi ce„ dat consuetudo peccandi? "

S. August. Tract. 49. in Johann.

34. *Et dixit: Ubi posuistis eum?* Perditum hominem quasi nescit Deus. Unde in judicio dicet: *Non novi vos, discedite a me.* Quid est, Non novi vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa justitia quam novi. Sic & hic tanquam nesciens talem peccatorem, cujus figura erat quatriduanus Lazarus, dixit: *Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide.* Peccator consuetudine peccati oppressus, mortuus est, vitam postulare non potest, ire per se non potest ad Jesum ut ab eo suscitetur: pro illo humiliter & ferventer orandus est Dominus: *Domine, veni & vide.* Vide infelicem animam, in qua putredo peccati imaginis tuæ lineamenta obliteravit. Quid est, *Vide?* Miserere. Videt enim Dominus quando miseretur. *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.*

35. 36. *Et lacrymatus est Jesus.* Totius generis humani mortem, Judæorum cæcitatem deflet. Lacrymis suis nostras sanctificat, abstergit, vanaque, & mundana gaudia expians, veram & æternam parit nobis lætitiam; pro te non fles, homo peccator, pro quo flevit Deus homo? Fles jacturam bonorum periturorum, & non fles jacturam gratiæ, caritatis, gloriæ? Non fles jacturam Dei tui? Fles Didonis mortem, ut Augustinus olim peccator, & non fles mortem animæ tuæ? Lacrymas tuas excitent sanctæ Christi lacrymæ, necnon sanguis pretiosus pro anima tua in cruce effusus, & ad illum redamandum te accendant, qui te summa caritate dilexit, & cum mortuus esses peccatis, vivificavit, paratus omnia tibi donare delicta si diligas. *Ecce quomodo amabat eum.*

Psalm. 24. 18.

38. *Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tolle lapidem. Dicit ei Martha: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.* Peccatoris inveterati sepulchrum, cor proprium est, consuetudinis mole, quasi duro gravique lapide, clausum gratiæ Dei; tenebris obscuratum, corruptione fœtens. Ad hoc malum per gradus pervenitur. „ Nam postquam terribili „ Dei judicio prima flagitia impunitas sequitur, exper„ ta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. „ Concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat con„ suetudo. Trahitur miser in profundum malorum, tra„ ditur captivus tyrannidi vitiorum, ita ut carnalium „ voragine desideriorum absorptus, suæ rationis divini„ que timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, *Non* „ *est Deus.* Jam indifferenter libitis pro licitis utitur; „ jam ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis „ animus, manus, vel pedes non prohibentur. Quemad„ modum denique justus corde alacri & absque labore „ pro bona consuetudine currit ad vitam, sic impius pro „ malo usu non ratione se gubernans, non timoris fræno revocans, intrepidus festinat ad mortem. Medii „ sunt qui fatigantur, angustiantur, qui nunc metu cru„ ciantur gehennæ, nunc pristina retardati consuetudi„ ne, descendendo vel ascendendo laborant. Supremus „ tantum & infimus current absque impedimento, & ab„ sque labore: ad mortem hic, ad vitam ille festinat; „ alter alacrior, alter proclivior. Illum alacrem caritas, „ hunc proclivem cupiditas facit: in altero amor, in „ altero stupor laborem non sentit. In illo denique per„ fecta caritas, in isto consummata iniquitas foras mit„ tit timorem. Illi veritas, huic cæcitas dat securitatem. "

S. Bern. Tract. de Gradibus Humil. cap. 21.

Tollite lapidem, ait Jesus. *Mortuus sub lapide, reus sub Lege.* „ Lex enim quæ data est Judæis, in lapide „ scripta est. Omnes autem rei sub lege sunt: bene vi„ ventes cum lege sunt. *Justo lex non est posita.* Quid „ est ergo, *Lapidem removete?* Gratiam prædicate. *Lit„ tera occidit, Spiritus vivificat.* Littera occidens, quasi „ lapis est premens. *Tollite lapidem.* Removete legis „ pondus, gratiam prædicate. Si enim data esset lex, „ quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia, „ sed concluſit omnia Scriptura sub peccato, ut promis„ sio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. " Poterat Christus solo verbo removere lapidem, sed illum removeri jussit, ut significaret homines cooperari saluti suæ debere; externa tollere impedimenta, proximas occasiones peccati, omnia quæ pravos habitus fovent. *Tollite lapidem.* Admonet Martha mortuum jam fœtere. Caritatis enim officium est monere innocentes ut a consortio & frequentatione peccatorum pravis exemplis fœtentium, & odorem mortis exhalantium, sibi caveant. *Jam fœtet, quatriduanus est enim.*

1. Tim. 1. 9.

S. August. Tract. 49. in Jo. Galat 3. 21. 22.

43. 44. *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras.* Cum Pastor sanctus orat pro conversione peccatoris, Christus orat. *Orat* enim *in nobis ut caput nostrum, orat pro nobis ut Sacerdos noster, oratur a nobis ut Deus noster.* Verumtamen non sufficit externorum impedimentorum amotio, non sufficiunt lacrymæ & oratio Pastoris, sed necessaria est vox gratiæ potentissimæ & efficacissimæ, qua Deus peccatorem prava consuetudine implicatum, e sepulcro duri cordis ad peccati confessionem evocet. Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit! Sed tamen surgit: occulta

S. August. alibi.

gra-

gratia intus vivificatur: surgit post vocem magnam. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata.* Per confessionem foras procedit peccator; mortuus erat, per contritionem revivisci, per confessionem foras prodit; ligatus tamen, donec Sacerdotis absolutione vincula ejus solvantur. *Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est magna gratia vocando.* Denique jussu Domini vincula solvuntur a Ministris. *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.*

S. August. Tract. 49. in Jo. Mat. 16.

S. Greg. M. Hom. 26. in Evang.

Dixit eis Jesus: Solvite eum, & finite abire. Discipuli jam viventem solvunt, quem Jesus resuscitaverat mortuum. *Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Illos* ergo dumtaxat *nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

47. 48. „ Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Con„ cilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo „ multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes cre„ dent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum „ locum & gentem. " Cum admirari deberent Sacerdotes, Legisperiti, & Pharisæi, & auctoritate sua efficere ut ab omnibus & agnosceretur & coleretur Jesus ut Messias a Deo promissus, quem & Prophetiæ, & doctrinæ veritas, & vitæ sanctitas, & indubitata miracula demonstrabant esse Filium Dei, & a Patre missum, ut ipse profitebatur, illum qui mortuum suscitaverat interficere voluerunt. O amentiam! Ei qui in aliis mortem vicerat mortem inferre meditantur, & dicunt, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Adhuc hominem appellant, cum tale Divinitatis ejus testimonium acceperint. *Qui facimus?* Credere oportuit, & colere, & adorare, neque amplius merum hominem existimare. Reipublicæ periculum comminiscuntur & obtendunt, ut perdant innocentem. Seditionis metum prætexunt, ut invidiæ suæ & ambitioni satisfaciant impii Politici. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani*, &c. Simulatus timor! Numquid enim populum ad seditionem impellebat Jesus? Num dissuadebat censum dare Cæsari? Nonne Regem ipsum facere turbæ voluerunt, & refugit? Nonne humilem & abjectam vitam duxit? Nonne domo & opibus caruit? Hæc ergo sine ratione ulla dicebant, sua adversus Jesum invidia excæcati. Nonne Jesus mansuetudinem docuit? Nonne alapis cæsos non ulciscì? nonne injuria affectos tolerare? Nonne ad patiendum quam ad inferendum aliis malum promptiores esse admonuit? Numquid hæc tyrannidem affectantis sunt, an tollentis? Sed publicum fingunt periculum hypocritæ, ut malignum invidiæ suæ consilium de occidendo Jesu exequantur. *Venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* An prudentes dici possunt, qui publico bono consulere videri volunt & proprium bonum, animæque suæ salutem negligunt? Plus perditi homines cogitabant quomodo nocerent, ut perderent; quam quomodo sibi consulerent, ne perirent. *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.* Nam & Romani post Domini passionem & glorificationem tulerunt eis & locum & gentem, expugnando & transferendo, & in eis impletum est quod prædixit Christus: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Ea fallorum Politicorum, & prudentium hujus sæculi sors est. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Timent perdere terram, & perdunt cœlum: timent perdere pecuniam, & perdunt animam: timent perdere temporale bonum, & amittunt Deum.

S. August. Tract. 49. in Johann.

Matt. 8. 10.

S. Aug. Ep. 187. alias 57. c. 12. num. 37. Ephes. 1. 4.

49. 50. 51. 52. *Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit*, &c. Mali quandoque salutaris veritatis oracula movente ac suggerente Deo proferunt, ne alii de gratiis ad proximi salutem sibi datis extollantur, eoque sanctiores se existiment, quo divinis illis talentis ditiores: aut sibi tribuant lumen, veritatem, doctrinam, intelligentiam quæ est a Patre luminum. *Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* „ Filios Dei appellavit utique præter Hebræam gentem, „ in ceteris etiam omnibus gentibus constitutos, non„ dum fideles, nondum baptizatos. Quomodo ergo Dei „ filios, nisi secundum prædestinationem, secundunrquam „ & Apostolus dicit, quod *Nos elegerit Deus in Christo „ ante constitutionem mundi?* Illa vero in unum congre„ gatio factura eos erat filios Dei. Neque enim *in unum* „ dictum est aliquem corporalem locum, cum de tali vo„ catione gentium Propheta prædixerit; Et adorabunt „ unusquisque de loco suo omnes insulæ gentium: *Sed* „ congregaret in unum *dictum est*, in unum spiritum, „ & in unum corpus, cujus unum caput est Christus. „ Talis congregatio ædificatio est templi Dei. Talem „ congregationem non generatio carnalis, sed regenera„ tio spiritalis facit. "

S. Joh. Chrys. Hom. 63. in Johann.

53. 54. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus ergo non in palam ambulabat*, &c. Non potentia ejus defecerat, sed in hominis infirmitate vivendi exemplum Discipulis demonstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles ejus, qui sunt membra ejus, oculis persequentium se subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potius devitarent, quam se offerendo magis accederent. Exemplo igitur suo doctrinam confirmavit, quam verbo tradiderat: *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Mundus Christum Jesum persequitur in doctrina sua, in lege sua, in membris suis: illum interficere cogitat, & rursus crucifigere: blanditiæ ejus, persecutiones sunt: illum fugiamus, Jesum sequamur ut fideles Discipuli, illum in cor nostrum suscipiamus, & cum illo procul a consilio impiorum conversemur. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Ad hoc consilium quatuor modis tenditur. *Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei.* Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, quibus armati resistant ne in consilium impiorum hominum abeant. „ Invitis necessaria est fortitudo qua resistant usque „ ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui „ attrahuntur illecti, indigent temperantia, quæ repri„ mit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec „ emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est „ opus prudentia, quæ ab utilibus inutilia discernit, & „ docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. Justitia „ indigent illi qui sequuntur spontanei. Justitia est recti„ tudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato „ consentit. "

Psalm. 1. S. Bern. ser. 72. de Diversis.

55. 56. *Proximum autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione, ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. Quærebant ergo Jesum*, &c. Quanto majori sollicitudine & diligentia purificare debent animas suas Christiani, ut verum Pascha celebrent! Bene & sincere quærant Jesum, ut Mysteriorum ejus fructum capessant. Timeant ne ad ipsos non veniat die festo per gratiam suam & Spiritum suum, defectu dispositionum debitarum ad Sacramenta suscipienda. Secum colloquantur in Templo coram Dei Majestate, quærentes num forte in se ipsis causa sit cur non veniat in cor eorum. *Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Pascha Judæorum typicum erat: Pascha nostrum veritas est. Celebratio Judæorum umbra erat futuri, id est Prophetia Christi venturi, & pro nobis illa die passuri. Habebant Pascha in umbra, nos in luce. Quid enim opus erat ut eis Dominus præciperet in Festo Paschatis agnum immolare, nisi quia ille erat de quo prædictum erat a Propheta: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet?* Sanguine occisi pecoris Judæorum postes signati sunt: Sanguine Christi frontes nostræ signantur. Et illa signatio, quia erat significatio, dicta est a domibus signatis exterminatorem prohibere. *Signum Christi a nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum habeat Christum habitatorem.* Quæramus Christum in Paschate, sed quæramus ut habeamus, quæramus ut teneamus, nec unquam ab eo separemur, cum Sponsa dicentes: *Tenui eum, nec dimittam.*

S. August. Tract. 50. in Jo. n. 2. Isai. 53. 7.

CAPUT XII.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. JEsus *ergo ante sex dies* Paschæ, sexto die ante Pascha, *venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus*, ubi habitabat Lazarus, *quem* mortuum *suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi*: invitatus ad cœnam est a Simone Leproso, Mariæ, Marthæ, & Lazari consanguineo vel amico: & *Martha ministrabat* sedula suo more, ut Jesum honoraret: *Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo*; ut resurrectionis ejus veritas in dubium revocari non posset. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi*, veræ & exquisitæ nardi, & unxit pedes Jesu, & *extersit pedes ejus capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti.*

4. 5. 6. *Dixit ergo unus ex Discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus; Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis*, (libellis circiter 115. monetæ Gallicæ æquivalentibus) *& datum est egenis?* Pietatis nomen avaritiæ suæ prætexebat fur sacrilegus. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum*, non quod de egenis curaret, *sed quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur*, seu reponebantur ad emenda necessaria, *portabat*, ut œconomus familiæ Christi. Ex quo apparet, etiam perfectissimæ vitæ non obesse communes possessiones, ex quibus necessaria ad vitam sustentandam procurentur.

7. 8. *Dixit ergo Jesus: Sinite illam* agere quod agit, *ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, ut meam præveniat sepulturam hoc pietatis opere, quod mortuo exhibere non poterit, utpote qui resurrectione mea hoc ejus officium sim præventurus, *Non ad luxum*, sed *ad mysterium* effusionem illam unguenti a Spiritu sancto dirigi Christus docet. *Pauperes enim semper habetis vobiscum*, non deerunt inter vos pauperes, in quos beneficia conferatis:

S. Cyril. lib. 7. 8. p. 696.

feratis: *Me autem non semper habetis*, sive habebitis, ut similia pietatis officia mihi mortalem vitam agenti, & vobiscum visibiliter conversanti exhibere possitis. Confer cum *Matthæi* 26. & *Marci* 14.

9. 10. 11. *Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est*: Magna multitudo Judæorum cognovit Jesum in Bethaniam esse reversum, & cum Lazaro cœnasse: & *venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis*, curiositate excitati. *Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Judæis*. Miraculo resurrectionis ejus victi, a Sacerdotum, Legisperitorum, & Pharisæorum partibus se subducebant, & *credebant in Jesum*, ut in verum Messiam.

12. 13. 14. *In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum*, in signum lætitiæ, & *processerunt obviam ei*, ut eum triumphali apparatu ut victorem mortis in Urbem introducerent: & clamabant, *Hosanna* Salva quæso: sive, Gloria, laus, & honor: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, Messias a Deo promissus. *Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est*: *Noli timere filia Sion*, secura esto, & exulta, Jerusalem; *Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ*, humilis, clemens, facilis, non suam utilitatem, sed tuam salutem unice quærens. Confer cum *Matthæi* 21. *Marci* 11. & *Luc.* 19.

Zachar. 9. 9.

16. 17. 18. 19. *Hæc non cognoverunt Discipuli ejus primum*, non intellexerunt quorsum ista fierent, eoque spectare propheticum oraculum: *sed quando glorificatus est Jesus*, cum post gloriosam resurrectionem assumptus in cœlum est, ipsique receperunt Spiritum sanctum, *tunc* eo illuminante *recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei*, rem gestam animo revolventes, & cum verbis Prophetæ conferentes, Prophetiam in triumphali illo ingressu Jesu in Urbem impletam esse intellexerunt. *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis*: Palam testabatur Jesum tantum miraculum edidisse, eumque verum esse Messiam & Christum a Deo promissum conclamabat. *Propterea & obviam venit ei turba; quia audierunt eum fecisse hoc signum*, & testibus oculatis fidem prudenter derogari non posse existimarunt. *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos*, alii aliis dixerunt: *Videtis quia nihil proficimus*, consiliis nostris, & senatusconsultis nihil promovemus: *ecce mundus totus post eum abiit*. Vis ingens hominum illum sectatur. Hoc dicunt quasi se ipsos incusantes, quod non jampridem Christum cum Lazaro interfecerint, seque ad cædem mutuo cohortantur, indignati quod turbæ crederent, veluti suis possessionibus ipsi essent ejecti, famaque & auctoritate minuti.

S. Cyrill. p. 699.

20. 21. 22. *Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo*, in Atrio Gentium, majestate loci, & solemnitatis magnitudine, Deique Israel nomine celebratissimo excitati. Neque enim vicinæ, & multo minus remotissimæ a Palæstina Gentes verum Deum colebant, ut docet S. Cyrillus. Sed „ Cum „ Judæorum regio contermina esset Galilææ, urbesque „ ac vicos inter se vicinos haberent, frequenter inter se „ ultro citroque commeabant, ac permiscebantur, ac „ utrique invitante ad id multiplici occasione invicem „ alteros adibant. Quoniam vero mens multo ardentior „ erat idolorum cultoribus, & ad mutationem in melius „ propensior, tanquam plus satis revicta confutataque „ inani eorum superstitione, ideo nonnulli facile senten„ tiam mutabant, sed nondum perfecte ad hoc ut soli „ secundum veritatem Deo servirent: ancipites vero & „ ambiguis hinc inde distrati rationibus ad defectionem, „ & suorum Magistrorum opinionibus insistentes, Plato„ nis (inquam) & aliorum id genus Sapientum, qui „ ajunt unum quidem esse universi Opificem, ceteros vero „ mundanosque tanquam quosdam Duces ab illo creatos „ ad rerum humanarum regimen. Moris ergo nonnul„ lis Palæstinis, Græcis maxime vicinam & contiguam „ Judææ regionem accolentibus, imitari & assumere quo„ dammodo eorum consuetudines ac mores, atque Mo„ narchiæ (*sive unius Dei*) nomen in honore habere, „ quod ita visum esset iis quorum paulo ante memini„ mus, etsi non eodem modo quo nos loquimur. Hic vero „ non omnino ad Judæorum ritus propensi, neque a Gre„ corum placitis & moribus digressi, sed mediam „ quandam rationem secuti, pii & cultores Dei „ nuncupantur. Igitur Græci qui in proximo habitabant, „ cum viderent suos mores a Judaicis non magnopere „ differre, quoad sacrificiorum ritus, & Monarchiæ præ„ sumptam opinionem, confluebant etiam adoraturi, ma„ xime in magnis solemnitatibus, idque non quasi suam „ religionem ac cultum deferentes, sed velut unum om„ nium Deum honorantes. " Gentiles illos in proxima dispositione Proselytos fuisse, S. Johannes Chrysostomus putat, ut mirum non sit si Jerusalem ascenderint Deum verum adoraturi. *Illi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ*, vel sibi notum, vel quem sciebant esse ex Discipulis Jesu, *& rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre*. Fac ut detur nobis locus & occasio videndi Jesum, de quo tam mirabilia audivimus. *Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Jesu*, quanto illum videndi desiderio Gentiles illi tenerentur.

S. Cyrillus lib. 7. 8. p. 700.

23. 24. *Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur Filius hominis*. Jam tempus imminet quo Gentium conversione glorificabor. *Amen, amen dico vobis, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Verumtamen id non continget nisi post mortem meam. Sicut enim granum frumenti sparsum in terram, nisi putrefactum & terræ calore resolutum fuerit, sine fructu manet: ita nisi moriar, Gentes ad salutem non perducam. Sterilis manebit Gentilitas, nec filios Dei parturiet, nisi velut granum frumenti mortuus fuero, & sanguine meo velut imbre cœlesti fœcunditatem illi tribuero, innumerosque ex ea fideles multiplicavero.

25. 26. *Qui amat animam suam, perdet eam*: Quicumque vitam suam, & commoda temporalia præ me ac rebus divinis amat, perdet vitam meliorem & æternam: *& qui odit animam suam in hoc mundo*, qui commoda temporalia hujus vitæ, ac vitam ipsam minoris faciens quam ea quæ ad Deum pertinent, illa propter me exponere & amittere paratus est, *in vitam æternam custodit eam*: vitam æternam in cœlis possidebit. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*; si quis se discipulum ac ministrum servumque meum profitetur, meum imitetur exemplum: *& ubi sum ego, illic & minister meus erit*. In regno meo æterna mecum felicitate & gloria perfruetur. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Confer cum *Matthæi* 10. 39. 16. 25. *Marci* 8. 35. *Luc.* 9. 24. 27. 33.

27. 28. *Nunc anima mea turbata est* timore & horrore mortis iminentis, ad quam Gentilium istorum adventus efficit ut attendam. Hos autem affectus in appetitu suo inferiori volens excitavit; ut se verum hominem, corpore & anima constantem esse demonstraret: tum ut se vitam suam pro gloria Patris & mundi salute devovere ac sacrificare ostenderet; repugnante licet naturali desiderio vitandi supplicia, opprobria, mortem acerbissimam & probrosissimam. *Et quid dicam?* Quid in tantis angustiis orabo Patrem? *Pater salvifica me ex hac hora*. Libera me, si fieri potest, a periculo passionis & mortis imminentis: *Sed propterea veni in horam hanc*. Verumtamen mortem non deprecor, siquidem ideo veni in mundum ut mortem subeam pro redemptione generis humani. Voluntatis igitur naturalis mortem horrentis hæc verba sunt: *Pater salvifica me ex hac hora*. Voluntatis vero deliberatæ ista sunt: *Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum*. Nomen tuum morte mea glorificetur. Indicat se pro veritate mori, quod Dei gloriam appellat. Debebat enim post ejus mortem orbis terrarum ad Deum converti, in Dei cogitationem venire, & ipsum colere. Quæ tamen non Patris tantum, sed & Filii gloria est, ut postea declarat. *Venit ergo vox de cœlo*. (Quod solum ferme oraculi genus temporibus Templi secundi supererat, ut Grotius ex Hebræis observat) *Et clarificavi* per te nomen meum divinis operibus & miraculis: *& iterum clarificabo*, in morte, resurrectione, ascensione tua, Evangelii prædicatione, & Ecclesiæ fundatione.

S. Cyrill. lib. 7. 8. in Jo. p. 703. 704.

S. Chryf. Hom. 66. in Johann.

29. 30. *Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat, Tonitrum esse factum: Alii dicebant, Angelus ei locutus est*. Pars adstantium a Christo Jesu magis distans, confusum dumtaxat sonitum audivit, & tonitruum existimavit. Alii propinquiores, qui vocem articulatam audierant, Angelum ei esse locutum putarunt. Respondit Jesus, & dixit: *Non propter me hæc vox venit*, ut per eam discerem aliquid; Novi enim omnia: *sed propter vos*: ad eruditionem vestram, ut me Filium Dei esse credatis.

31. 32. 33. *Nunc judicium est mundi*; judicium non condemnationis, sed vindicationis generis humani a diaboli potestate & tyrannide. Non enim venit Christus ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Cum igitur omnes homines propter primi hominis peccatum in potestatem diaboli justo Dei judicio traditi sint, nec ab ejus tyrannide eripiendi ac liberandi essent nisi per Filium Dei hominem factum; non potentia, sed justitia diabolum vincere voluit, & humanum genus ab ejus captivitate vindicare. *Quæ est* porro *justitia, qua victus est diabolus, nisi justitia Jesu Christi? & quomodo victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine ullo debito occidit*. Hoc erga mundum, id est, erga homines misericordiæ judicium est, erga diabolum justitiæ & condemnationis. *Nunc judicium est mundi: nunc Princeps hujus mundi*, diabolus, qui hominibus a se victis dominatur, *ejicietur foras*: e regno suo per mortem meam deturbabitur. Prædicebat ergo Dominus quod sciebat, post

S. Cyrill. l. 7. 8. in Jo. p. 707.

S. Aug. l. 13. de Trin. c. 14.

S. Auguſt. Tract. 52. in Jo. num. 7. 8.

poſt paſſionem & glorificationem ſuam per univerſum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat: cui quando ex fide renuntiant, ejicitur foras. Ejectus quidem fuerat de cordibus Patriarcharum, & Prophetarum, veterumque juſtorum: ſed quod ante Chriſti adventum & mortem in hominibus pauciſſimis factum eſt, nunc in multis populis per ejus crucem & mortem futurum ab ipſo prædicitur. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Juſtitiam judiciumque Dei mundum per Chriſti mortem a diaboli tyrannide vindicantis, duplici exemplo explicat S. Chryſoſtomus. „ Sit vio-
„ lentus quiſpiam tyrannus, inquit, qui omnes qui in ma-
„ nus ſuas venerint plurimis malis afficiat: hic ſi vel
„ Regem, vel Regis filium captum injuſte interimat,
S. Jo. Chryſ. Hom. 56. in Johann. „ illius mors etiam alios ulciſci poterit. Sit aliquis qui
„ debitores poſtulet, verberet, in carcerem conjiciat,
„ & hac inſania etiam nihil debentem coerceat: hic
„ etiam eorum quæ in debitores commiſit, dabit pœnas.
„ Non aliter in Jeſu Chriſto evenit. Eorum enim quæ
„ in nos fecit diabolus, propter ea quæ in Chriſtum au-
S. Auguſt. Tract. 52. in Johann. „ ſus eſt, poſtulatus eſt ad ſupplicium. *Nunc judicium eſt mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, per mortem ſcilicet meam, *Et ego ſi exaltatus fuero a terra*; cum e terra ſublatus in crucem fuero, *omnia traham ad me ipſum*, omnes prædeſtinatos ad ſalutem, ex quibus nemo eſt periturus. Verbum enim *trahere*, efficaciam & virtutem invictiſſimam ſignificat. Aut certe omnia hominum genera, ſive in linguis omnibus, ſive in ætatibus omnibus, ſive in gradibus honorum omnibus, ſive in artium licitarum & utilium profeſſionibus omnibus, & quicquid aliud dici poteſt ſecundum innumerabiles differentias, quibus inter ſe præter ſola peccata omnes diſtant, ab excelſiſſimis uſque ad humillimos, a rege uſque ad mendicum, *omnia*, inquit, *traham ad me ipſum*, ut ſim caput eorum, & illi membra mea. (*Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus*) id eſt, quo genere mortis, nempe crucis.

34. *Reſpondit ei turba: Nos audivimus ex Lege* (quo nomine non ſolos Moyſis libros, ſed & Pſalmos & Pro-
Pſ. 109. 4. phetas, omnemque Scripturam ſacram ſignificant) *quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari*, in crucem, *Filium hominis? Quis eſt iſte*
Iſai. 40. 8. Joan. 37. Dan. 7. 14. *Filius hominis?* quem dicis exaltandum. Ænigma erat carnalibus hominibus crucis & reſurrectionis Chriſti Myſterium, quod ab iiſdem Prophetis prædictum, a quibus regnum ejus & poteſtas æterna, non intelligebant.

35. 36. *Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt.* Brevi adhuc tempore lux vera vobis affulgebit: modicum apud vos ero Ego, qui inſtar lucis viam veritatis in credendis & agendis vobis monſtro. *Ambulate dum lucem habetis*: Credite dum me præſentem, vobiſque doctrina, miraculis & exemplis prælucentem habetis; *ut non vos tenebræ comprehendant*, ne cæcitas cordis vos occupet atræ noctis inſtar: *& qui ambulat in tenebris neſcit quo vadat.* Et viam qua incedit, & terminum quo perveniet prorſus ignorat. Allegoria eſt ſumpta a viatoribus, qui cadente ſole, niſi modica, quæ illis ſupereſt, luce utantur, in tenebris errant. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis*; ut lu-
S. Cyr. lib. 7 in Jo. p. 708. cis & vitæ æternæ participes ſitis. *Hæc locutus eſt Jeſus, & abiit & abſcondit ſe ab eis*: ſeceſſit Bethaniam, ne ante opportunum tempus ſe periculis exponeret. Reſpondere noluit Jeſus quæſtioni Judæorum, nec dilucidius illis explicare crucis & reſurrectionis ſuæ Myſterium, utpote ſtupidis, infidelibuſque, ſed illis cauſam indicavit cur ea quæ in Scripturis continentur non perciperent, ſcilicet malitiam, & defectum cooperationis lumini fidei.

Iſai 53. 2. 37. 38. *Cum autem tanta ſigna*, tot & tanta miracula *feciſſet* Jeſus *coram eis, non credebant in eum* Sacerdotes, & Phariſæi, parſque maxima plebis: *ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini, cui revelatum eſt?* Sic Iſaiæ vaticinium juſto Dei eos derelinquentis judicio in illis impletum eſt: Domine, quotuſquiſque eſt qui crediderit veritati quam audivit a nobis? Et cui revelatus, a quo agnitus eſt Meſſias, Chriſtus *Dei virtus*, per quem Pater omnia operatur?

39. 40. *Propterea non poterant credere*, id eſt nolebant,
Iſai. 6. 9. *quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & indduravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Impotentiæ credendi voluntatem conſequentis cauſa non fuit præſcientia Dei, ſed eorum cæcitas & obduratio ab Iſaia prædicta, cujus ſenſum, non verba profert S. Evangeliſta. Confer cum *Matth.* 13. 14. noſtrumque in eum locum lege Commentarium. *Quare autem non poterant, ſi a me quæra-*
S. Auguſt. Tract. 53. in Jo. n. 9 *tur: cito reſpondeo, Quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille cui abſcondi futura non poſſunt. Sed aliam cauſam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum:* Quia dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. *Etiam hoc eorum vo-*
1. Tim. 2. 13 *luntatem metuiſſe reſpondeo. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo & non adjuvando: quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt . . .* Sic dictum eſt, *Non poterant*, ubi intelligendum eſt quod nolebant: quemadmodum dictum eſt de Domino Deo noſtro: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* De omnipotente dictum eſt, Non poteſt. *Sicut ergo quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ: ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.*

41. *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus*, ſcilicet Chriſti Jeſu, prophetica viſione, *& locutus eſt de eo*, Capite ſexto, quod ſic incipit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum*, &c. Ex Johannis verbis cum hoc Iſaiæ oraculo collatis, invictum colligitur Divinitatis Chriſti Jeſu teſtimonium. Is enim quem vidit Iſaias, eſt Jehova, Dominus exercituum, cui miniſtrant Angeli, cujus gloria plena eſt terra, qui iniquitatem aufert, & peccata mundat. Is autem eſt Chriſtus Jeſus teſte S. Johanne: igitur Chriſtus Jeſus eſt verus unuſque Deus. Vide S. Baſilium lib. 5. contra Eunomium, S. Hilarium lib. 5. *De Trinitate*, n. 33. S. Cyrillum Alexand. lib. 7. & 8. *in Johannem*, pag. 709. & 710. & Theodoretum in cap. 6. Iſaiæ. „ Laudant, inquit, Seraphim Naturam
„ ſempiternam, quod non modo cœlum, ſed terram quo-
„ que univerſam gloria repleverit. Hoc vero Dei & Sal-
„ vatoris noſtri egit Incarnatio. Poſt adventum quippe
„ Domini gentes divinæ cognitionis radio perfuſæ ſunt.
„ Plenam igitur ejus gloria terram omnem dicunt, id
„ quod futurum erat vaticinando, factumque per Chri-
„ ſtum diſpenſationis Myſterium prænuntiando. Prius
„ quidem quam Verbum caro fieret, dominabatur uni-
„ verſæ terræ dæmon infeſtus, & creatura pro Conditore & factore ſuo adorata eſt. At poſtquam Verbum
„ Dei unigenitum factum eſt homo, ejus gloria repleta
„ eſt omnis terra. Flectetur enim ipſi omne genu, &
„ omnes linguæ & tribus ſervient ei, ſicut ſcriptum eſt.
„ *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum a voce cla-*
„ *mantis.* A voce, inquit, quæ terram omnem divina
„ gloria repletam ſignificabat, elevatus eſt lapis oſtii ſu-
„ perior. Quo in poſtes non incumbente, domum cuivis
„ de cetero intrare licuit. Ex quo enim Ozias Lege adhuc obtinente, adyta contra Legem penetrare auſus
„ eſt, inſinuatur per viſionem omnium Gentium vocatio.
„ Non putet enim quiſquam, ait, templo circumſeptam
„ eſſe Dei univerſorum gloriam. Univerſorum enim Dominus omnia replet. Atque hoc brevi manifeſtum fiet.
„ Omnes enim homines divinæ cognitionis lumine ſuſcepto, templa ubique erigent univerſorum Conditori; at-
„ que illis gloria repletis, hoc priore gloria ſpoliabitur:
„ & pro divino lumine, ignis Romani fumum excipiet.
„ *Et domus impleta eſt fumo.* “

42. 43. *Verumtamen & ex Principibus*, ex ipſis Senatoribus, *multi crediderunt in eum*, nondum ita excæcati & indurati: crediderunt, inquam, contemplativa, non activa fide; convicti eum eſſe Chriſtum, ſed voluntatem in ejus obſequium non redigentes, nec eum confiteri auſi, mundano timore prohibente: *Sed propter Phariſæos non confitevantur, ut e Synagoga non ejicerentur*, quod maxime probroſum erat. *Dilexerunt enim gloriam hominum*, honorem, exiſtimationem, & claram cum laude notitiam apud homines, *magis quam gloriam Dei*, quam veram gloriam quæ a ſolo Deo eſt, & quam promiſit ac retribuit confeſſoribus veritatis.

44. 45. *Jeſus autem clamavit, & dixit*: cum aliorum incredulitatem, aliorum fidem infructuoſam conſideraret, contenta & clara voce dixit: *Qui credit in me, non credit in me*, ſolum, *ſed in eum qui miſit me.* In me enim credit, qui me Filium Dei confitetur a Patre miſſum in mundum; ac proinde credit in Patrem cujus ſum legatus: *& qui videt me, videt eum qui miſit me.* Qui naturam meam ac dignitatem fide cognoſcit, & Patrem meum æternum cognoſcit; quia *Ego & Pater unum ſumus.*

46. 47. *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Ego ſum lux, quam Prophetæ venturam prænuntiarunt ad illuminationem mundi, ut in tenebris ignorantiæ, errorum & peccatorum non maneat. *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit*, id eſt, non crediderit fide per dilectionem operante, *ego non judico eum*, modo, in hoc primo meo Adventu. Vel, non ſum Auctor damnationis & perditionis illius, ſed ſua ipſe culpa perit, meum ſermonem contemnens. *Non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.* Illuminare, illuminare Jeruſalem quia venit lumen tuum & gloria Domini ſuper te orta eſt. *Iſaia* 60. *S. Cyrillus lib. 7. 8.*

48. 49. 50. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea*, qui non credit verbis meis, quod in mei contemptum ac injuriam cedit, *habet qui judicet eum: Sermo quem locutus ſum, judicabit eum in noviſſimo die.* Ipſa doctrina & prædicatio mea, quam ſpernit, damnatione dignum aperte demonſtrabit in noviſſimo die, quo ſum ad judicandum venturus. *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus*, proprio nomine, privataque auctoritate, quaſi res humano ingenio adinventas prædicans: *ſed qui miſit me Pater, ipſe*

ipse mihi mandatum dedit, ut homini, *quid dicam & quid loquar*. Non dicit, *Qui misit me Deus, & mandatum dedit mihi Deus*, sed *Pater*, ut se Filium Dei signi-
Deuter. 18. ficet, non merum hominem, quales erant Prophetæ, qui
18. tamen a seipsis non loquebantur, sed quæ Deus non quæ
S. Cyrill. Pater mandabat eis. In memoriam etiam revocat his ver-
lib. 9. in bis, quod Deus Moysi dixit de Messia: *Ponam verba mea*
Johann. p. *in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*. „ Adde quod cum Chri-
718 „ stus sit vivens ac subsistens Dei ac Patris Verbum,
„ necessario quæ in eo sunt enuntiat, voluntatemque
„ Genitoris in lucem edens, quasi mandatum aliquod se
„ accepisse ait: sicut sermo noster mentis nostræ, veluti
„ jussu ejus, arcana manifestat, idque celerrime. Simul
„ enim ac mens aliquid concepit, tum id voci commit-
„ tit: hæc autem foras erumpens, quæ intus & in men-
„ te sunt abdita enuntiat, nec de sibi mandatis quid-
„ quam mutat. Hac ratione Christus ait: *Qui misit me*
„ *Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, &*
„ *quid loquar: & scio quia mandatum ejus vita æterna*
„ *est*, " seu causa vitæ æternæ, quia credentibus & observantibus mandata Patris, quæ vobis denuntio, vita æterna dabitur: non credentes vero & non observantes, in mortem sempiternam incurrent. *Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor*. Et hæc ipsa quæmodo vobis locutus sum, verba sunt Patris, & sic a vobis accipienda sunt ut a Patre mihi demandata.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam,*
3. *ubi Lazarus fuerat mortuus . . . Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo: Maria ergo accepit libram unguenti . . . & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis*. Bethania *Domus* est *obedientiæ*. Ibi Jesus cum amicis suis epulatur. Ibi caritas activa, cujus Martha figura est, Christo Jesu in membris ejus ministrat. Ibi peccatores suscitati, & per pœnitentiam purgati, gratiæque ejus visitatione in bono confirmati, ad Sacram Mensam cum illo recumbunt, ejusque Corpore & Sanguine pretioso reficiuntur. Ibi caritas contemplativa, Deoque & Christo Jesu intenta, fidem suam, religionem, orationem, adorationem, totamque quam occupat animam, in conspectu ejus effundit; eleemosynas pauperibus copiose erogat, eorumque lacrymas temporalium largitione bonorum abstergit, miserias sublevat. *Unxit pedes Jesu, & exter-*
S. Aug. Tr. *sit capillis suis*. Capilli superflua corporis videntur. Habes
50. in Jo. quid agas de superfluis. *Tibi superflua sunt: sed Domini*
n. 6. Matt. *pedibus necessaria*. Pedes Domini, pauperes ejus. *Cum*
25. 40. *uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

4. *Et domus impleta est ex odore unguenti*. Bonus odor, bona fama ex bonis operibus, exemplisque sanctis diffusa. Qui male vivunt, & Christiani vocantur, injuriam Christo faciunt: de quibus dictum est, quod per eos *nomen Domini blasphematur*. Si per tales nomen Domini blasphema-
Rom. 2. 24. tur, per bonos nomen Domini laudatur. Unde Apostolus
2. Cor. 2. 15. ait: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis idoneus?* „ Felices qui bono odore vivunt: quid autem
„ infelicius illis qui bono odore moriuntur? Amasti be-
„ ne agentem, vixisti bono odore: invidisti bene agenti,
„ mortuus es bono odore. " Numquid quia mori voluisti, ideo odorem illum malum esse fecisti? Apis flores in mel & ceram: aranea in venenum omnia convertit. *Noli invidere, & non te occidet bonus odor*. Bonus odor pietatis Mariæ *avarum* Judam occidit.

5. *Quare*, inquit, *hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Quam cæca avaritia quæ Dei Filium triginta denariis dumtaxat, unguentum vero trecentis æstimat! Avaro præ temporalibus vilia sunt æterna, præ terrenis divina, Deus ipse vilis est. Quod in Dei honorem, in decorem domus ejus, in Ecclesiarum & Altarium ornamenta impenditur, perditum putat. Species caritatis contra caritatis opera murmurat. *Dixit autem, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habebat*. Fur sacrilegus erat Judas. Furem noverat Jesus, nec prodebat; sed potius tolerabat, & ad perferendos malos in Ecclesia nobis exemplum patientiæ demonstrabat. Fur sacrilegus erat Judas.
„ Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti &
„ peculatus; peculatus enim dicitur furtum de re publi-
„ ca; & non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo
S. Aug. Tr. „ publicæ: quanto vehementius judicandus est fur sacrile-
50. in Jo. „ gus, qui ausus fuerit non undecumque tollere, sed de
n. 10. „ Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Ju-
„ dæ perdito comparatur. " Quot sunt in Ordine Ecclesiastico fures! Quicumque Clericus reditus Ecclesiasticos, quorum non est dominus, sed œconomus tantum & dispensator, in usus cupiditatis aut vanitatis impendit: quicumque ex iis loculos congregat ad consanguineos ditandos: quicumque præter victum & vestitum aliquid ex Altari retinet: quicumque in pauperes, aliaque pia opera non erogat, quod præter honestam sustentationem supersit, fur est sacrilegus, novus Judas. *Quicquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum* S. Bern. *de Altario retines, tuum non est; rapina est, sacrile-* Epist. 2. *gium est*.

7. 8. *Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud: Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis*. Amor officia potius anticipat, quam differat. Maria Christum Jesum plurimum dilexit, ideo sepulturam ejus prævenit unguenti pretiosi in sacrum ejus corpus effusione. Non divina dumtaxat Christi natura & persona, quæ semper nobis præsens est præsentia majestatis; sed & sacra humanitas personæ divinæ ineffabiliter unita, in eaque subsistens, omnibus pietatis officiis prosequenda est: quam etsi oculis modo non videamus, fide intelligimus, credimus, & tenemus in S. Eucharistiæ Sacramento præsentem. Sed & in pauperibus nobis præsens est, in iis reficitur, induitur, sublevatur, hospitio excipitur, in infirmis visitatur, in captivis redimitur. *Quod uni* (inquit) *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

Me autem non semper habetis. Timendum ne Christum non semper habeamus. Semper illum habebunt boni, & misericordes, non semper habebunt male viventes, avari, non compatientes necessitatibus pauperum, nec illis benefacientes: fures enim sunt, quia Domini, cujus sunt villici & procuratores, bona non dispensant secundum ejus voluntatem & mandatum. *Pauperes semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis*. Si bonus es, habes Christum & in præsenti, & in fu- S. Aug. Tr. turo: in præsenti per fidem, per signum, per baptisma- 50. in Jo. tis Sacramentum, per Altaris cibum & potum. Habes n. 12. Christum in præsenti, & habebis semper; quia cum hinc exieris, ad illum pervenies, & cum illo æternum regnabis. Si autem male vivis; videris habere in præsenti Christum, quia intras Ecclesiam, signas te signo Christi, baptizaris baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad Altare Christi: sed si pergas male vivere, illum semper non habebis, ab illo æternum separaberis. *Me autem non semper habetis*.

12. 13. 14. 15. *In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. In Populi Christum Jesum solemni festivoque ritu excipientis devotione, dispositiones edoçemur, ad Christum Paschali Communione digne recipiendum necessarias. 1. Rami palmarum accipiendi sunt, quæ sunt insignia victoriæ. Mundum, carnem, diabolum, peccatum vicisse oportet: quam victoriam quia reportare non possumus, nisi per gratiam Jesu Christi, tota illi gloria, totus honos victoriæ tribuendus est. *Acceperunt ramos palmarum*. 2. Ferventibus desideriis Christo Jesu ad nos per Sacram Communionem venienti obviam eundem est. *Et processerunt obviam ei*. 3. Fides viva, spes firma in illum ut Salvatorem, Dominumque & Deum nostrum, piis laudibus & precibus ex intimo corde emissis expromendæ sunt. *Et clamabant Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. 4. Jugum ejus ferendum est, ejusque legi summa docilitate & humilitate parendum. *Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est*. 5. Cum timore servili non est excipiendus, sed cum timore filiali & amore ardentissimo, ut Rex cordis nostri. *Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit*. 6. Dare debemus operam ut regnet super nos, ut omnibus affectibus nostris dominetur; non turbæ Judaicæ inconstantiam imitari, quæ post exceptionem tam solemnem & festivos applausus, clamavit, *Crucifige, crucifige eum*.

20. 21. *Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderunt ut adorarent in die Festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre*. Quidam ex Gentibus, non Gentes integræ ascendebant in Jerusalem ad diem Festum, ut verum S. Cyrill. Deum adorarent. „ Erat *enim* in sola Judæa notus Alexand. „ Deus, & in solo Israel magnum nomen ejus: reli- lib. 5. in „ quam terram alta quædam tegebat caligo, nemine in Jo. p. 459. „ mundo divinam & cœlestem lucem habente præter „ unum Israel. Sed tunc temporis tamquam universis simul „ Gentibus in hoc mundo a cognitione Dei secluſis, seor- „ simque suum locum tenentibus, genitus est Populus „ Domini, pars ejus, funiculus hæreditatis ejus Israel: „ Sic rursus in universum orbem Sole intelligibili inve- „ cto, & lumine Israelitis decedente, Gentibus vero ap- „ pellente, extra universa Israel repertus est. Quippe „ dum exspectant lucem, factæ sunt illis tenebræ, juxta „ id quod scriptum est. Operientes lucem, in nocte am- „ bulaverunt. Ideo Salvator Pharisæos alloquens ait: „ *Ego sum Lux mundi*. Eleganter enim minatur se di- „ scessurum ab Israel, translaturum in universum mun- „ dum suam gratiam, & aliis jam cognitionis Dei radios „ expansurum. " Plenæ autem & universalis Gentium

omnium vocationis ad fidem præludium erat ille Gentilium quorumdam ascensus in Jerusalem ut adorarent in die Festo, & desiderium videndi Jesum. Quod cum Philippus Andreæ, & illi conjunctim Jesu nuntiassent, Jesus eis respondit.

23. *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*. Non in eo gloriam suam posuit quod Gentiles quidam eum videre vellent, sed quod Gentiles post Passionem & Resurrectionem suam essent in omnibus Gentibus creditura. Ex occasione igitur istorum Gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem Gentium, & declarat mox adesse horam glorificationis suæ, qua facta in cœlis, Gentes erant creditura. Unde prædictum est, *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua*. Hæc est gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret*.

S. Augusti. Tract. 51. in Johann. n. 8.

Psal. 107. 6.

Rom. 11. 25.

24. *Amen amen dico vobis, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Christus Jesus granum frumenti est, per Incarnationem in agrum hujus mundi missum, ut semen electorum, & totius Ecclesiæ; mortuum & sepultum in terra; germinans, multumque fructum afferens per resurrectionem suam; cibus fidelium in Ecclesia militante, cibus æternus Sanctorum in Ecclesia triumphante. Ipsum erat granum mortificandum, & multiplicandum: *Mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum*. Et nos, qui Christi membra per gratiam ejus sumus, granum frumenti esse debemus, humiliari, mortificari, in area ventilari, sub mola conteri, per ignem & aquam afflictionum, per lacrymas & labores pœnitentiæ transire, ut *Unus panis, unum corpus* cum Christo in gloria efficiamur.

S. Augusti.

Tertull. in Apolog.

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Quanta seges Christianorum ex morte Christi orta! *Hesterni sumus* (inquit Tertullianus) *& vestra omnia implevimus, urbes, insulas, palatium, sola vobis relinquimus Templa* . . . . Ex morte ipsa Martyrum, Christianorum ingens numerus germinavit. *Plures efficimur, quoties metimur: Semen est sanguis Christianorum*.

25. *Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Vitæ præsentis, & commodorum temporalium inordinatus amor, in plerisque hominibus causa est damnationis & mortis æternæ. Perversus vitæ amor est, quo propter seipsam, propter commoda temporalia, propter voluptates diligitur. Perverse vitam amat, qui illius amittendæ metu deest suis erga Deum, erga Ecclesiam, erga animam suam officiis. Ille enim creaturam præponit Creatori, carnem spiritui, tempus æternitati, media fini, donum donatori: quæ magna perversitas est. „ Si male „ amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti... „ Cum ergo causæ articulus venerit, ut hæc conditio „ præponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum „ homo cogatur alterum eligere, comminante mortem „ persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere." Hoc est, odisse in hoc mundo animam suam, ut in vita æterna custodiat eam.

S. Aug. Tr. 51. in Jo. n. 10.

S. Aug. ser. 330. alias 29. ex additis a Sirmondo.

Qui amat animam suam, perdet eam. „ Luctuosa „ res est perdere quod amas. Sed interdum & agricola „ perdit quod seminat. Profert, spargit, abjicit, obruit. „ Quid miraris? Iste contemptor & perditor avarus est „ messor. Quid factum sit, hyems & æstas probavit; ostendit tibi gaudium metentis consilium seminantis"... Martyrium olim, nunc pœnitentia & mortificatio Christiana probant hominem perverse non amare vitam suam. Nam & genus Martyrii est inter epulas esurire, pauperem esse inter divitias, continere inter voluptates, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ad malum proclivis appetitus.

26. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Tria sunt quæ Christianum ad vitæ, mundique contemptum, ad pœnitentiam, ad labores, ad amorem crucis excitare debent. 1. Obligatio Christum Jesum imitandi, & illum ubique sequendi... Frustra Christianum se esse gloriatur, qui Christum minime imitatur, qui non amat quod amavit; qui non contemnit quæ ille contempsit. *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. 2. Spes præmii, scilicet societatis ejus in regno æternaque felicitate. Quis Regem terrenum per maxima quæque pericula & labores non sequatur, si spem habeat se inter ejus Aulæ Primarios futurum, & multo magis, si regni socius & particeps futurus esset? Hanc igitur spem habentes, tanquam *anchoram animæ firmam*, & in verbis Christi fundatam, nos futuros æterni ejus regni participes, si ejus exemplum secuti fuerimus, ad propositum bravium curramus. 3. Honor quo Pater Æternus cumulabit eos, qui Filio suo fideliter servierint: illis individuam cum Unigenito suo communicans hæreditatem; *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Quo fructu? Quo præmio? *Ubi sum ego, illic & minister meus erit*. „ Gratis „ ametur, ut operis quo ministratur illi, pretium sit esse

1. Pet. 2. 21.

S. Aug. Tr. 51. in Jo. n. 1.

„ cum illo. Ubi enim bene erit sine illo? Aut quando „ esse male poterit cum illo? *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Quo honore nisi ut sit cum „ Filio ejus? Nam quem majorem honorem accipere poterit „ adoptatus, quam ut sit ubi est Unicus; non æqualis „ factus Divinitati, sed consociatus æternitati?"

Si quis mihi ministrat, me sequatur. „ Ministrant Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Hoc est enim, *me sequatur*, vias ambulet meas, non suas, sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulavit ille & ipse ambulare* . . . Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia, non aliud „ ibi quærere quam opus bonum, nesciente sinistra quid „ faciat dextera, id est, *Ut alienetur intentio cupiditatis ab opere caritatis*. Qui sic ministrat, Christo ministrat, rectèque illi dicetur: *Cum uni ex minimis meis feceritis, mihi feceritis*. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater ejus, honore illo magno, ut sit cum „ Filio ejus nec umquam deficiat felicitas ejus."

Philip. 2. 24.

Johan. 2. 6.

Matth. 25. 40.

Ubi ego sum, illic & minister meus erit. „ Ministri „ nomine non sancti tantum Episcopi, Sacerdotes, Prædicatores, Religiosi Viri intelliguntur, sed boni quilibet Christiani. Etiam vos pro modo vestro ministrate „ Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen „ doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando: ut „ unusquisque etiam Pater familias hoc nomine agnoscat „ paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo „ & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat „ disciplinam. Ita in modo suo Ecclesiasticum & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso."

S. Aug. Tr. 51. in Jo. n. 13.

27. 28. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc*. Christi turbatio, qui nostros assumere & pati dignatus est affectus, nostra consolatio est. Cum ad dura quæque turbamur; cum damnorum temporalium, contemptus, opprobriorum, persecutionum, mortis metu & horrore natura turbatur, ne despondeamus animum. Non ex repugnantia naturæ sentientis, sed ex dispositione & electione voluntatis Deus nos judicabit. „ O Domine „ Mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quod tu tantus tuæ ca„ ritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui „ suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando „ pareant, consolaris." Denique homo qui sequi vult Christum Jesum, audiat qua sequatur. Accessit forte hora terribilis; proponitur optio aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis: turbatur anima infirma propter quam sponte turbata est anima invicta: præpone tuæ voluntati voluntatem Dei. Creatorem tuum, Salvatorem tuum, Magistrum tuum imitare: Deum invoca in tribulatione, voluntatem ejus adora, qui te in hanc horam venire voluit. *Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur*. In periculis, in angustiis, in damnis rerum temporalium, in tribulationibus, in morbis, in vita, & in morte, unam Dei voluntatem impleri postulemus; unam ejus gloriam desideremus. *Pater, clarifica nomen tuum*. Id qui petit, semper exauditur.

S. Aug. Tr. 51. in Jo. n. 3.

31. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Christus Jesus morte sua mundum liberavit; diabolum vicit. Et nos fide ac meditatione mortis & crucis ejus diabolum vincamus & mundum. Christus vicit mundum, cum injuste a mundo judicatus est, tuncque in illo impletum fuit quod prædixit Propheta: *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris*. Sic justi mundum judicant & vincunt, cum ab illo persecutionem patiuntur, & ab iniquis opprimi videntur.

Psal. 50

Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. „ Numquid „ diabolus fideles non tentat? Quomodo ergo per Christi „ passionem & mortem ejus ejectus est foras? Tentare „ quidem non cessat: sed aliud est intrinsecus regnare, „ aliud forinsecus oppugnare; nam & munitissimam civitatem aliquando hostis oppugnat, nec expugnat. „ Et si aliqua tela ejus missa perveniunt, admonet Apostolus unde non lædant, commemorat *loricam & scutum fidei*. Et si aliquando vulnerat, adest qui sanat. „ Quia sicut pugnantibus dictum est: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis*: ita qui vulnerantur, quod sequitur au„ diunt: *Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; ipse est propitiatio „ peccatorum nostrorum*. Quid enim oramus, cum dici„ mus, *Dimitte nobis debita nostra, nisi ut vulnera nostra sanentur?* Et quid aliud petimus cum dicimus, *Ne „ nos inferas in tentationem*, nisi ut ille qui insidiatur „ vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla „ nos fraude, nulla nos possit virtute superare? *Quantaslibet tamen adversum nos erigat machinas, quando „ non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est „ foras*. Sed nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum „ vigilat qui custodit eam. Nolite ergo de vobis ipsis „ præ-

S. Augusti. ibid. n. 8.

1. Thess. 5. 8. 1. Jo. 2. 1.

„ præsumere, si non vultis foras ejectum diabolum in-
„ tro iterum revocare. "

32. *Et ego si exaltatus fuero a terra; omnia traham*
S. Johann. ad me ipsum. „ Traham, inquit, tamquam a Tyranno
Chrys. „ detentos, & per se minime potentes ad evadendum
Hom. 65. „ e manibus ejus, utpote repugnantis. „ Alio loco rapi-
in Johann. „ nam appellat. *Nemo potest spolia fortis rapere, ni-*
Matth. 12. *si prius alliget eum, & tunc spolia ejus rapiat.* Hæc autem ad illius vim ostendendam dicit, ut illic rapinæ, hic tractionis nomine usus sit.

Omnia traham ad me ipsum. Crux non solum tribunal est in quo Christus judicat mundum, sed & tronus misericordiæ erga peccatores, fons omnium benedictionum, causa nostræ liberationis, instrumentum nostræ salutis, origo gratiæ omnipotentis, qua Christus ad se trahit omnia. „ O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis
„ gloria passionis! In qua & tribunal Domini, & judi-
„ cium mundi, & potestas est Crucifixi! Traxisti, Do-
„ mine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ Templo
S. Leo ser. „ obumbratis significationibus tegebatur, pleno aperto-
57. de Pass. „ que Sacramento universarum ubique Nationum devotio
„ celebraret. Nunc etenim & ordo clarior Levitarum,
„ & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est unctio
„ Sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictio-
„ num omnium est causa gratiarum, per quam creden-
„ tibus datur virtus de infirmitate, gloria de oppro-
„ brio, vita de morte. "

35. *Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Sine Christo, qui verum lumen est animarum nostrarum, in tenebris ambulamus, erramus, offendimus, cadimus, vulneramur. Ambulemus in via Dei, dum lumen gratiæ ejus nobis præsens est; properemus ad bravium æternitatis, in via mandatorum Dei ambulemus, ne si hæream-, nil boni agentes & non progrediamur euntes de virtute in virtutem, nos tenebræ comprehendant, & nox æterna involvat. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Admirabili Evangelii luce in quam a Deo vocati sumus, bene utamur; credamus in lucem, id est in veritatem; non sterili fide, sed per dilectionem operante, ut renascamur in veritate. Sincera perfectaque conversione mortem præveniamus, ne Jesus a nobis recedat. *Hoc locutus, est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis.*

37. 38. 39. 40. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum... Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excecavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, Quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et, *Judicia tua abyssus multa.* Terribi-
Rom. 11. 35. le, sed justum & adorandum judicium est, quo peccator
Psalm. 55. in pœnam præcedentium peccatorum a Deo deseritur, durique ac cæci cordis desideriis traditur. Hoc velamen super corda peccatorum extendit superbia, tollit humilitas. Ingemiscentes de nostra ad bonum salutare agendum impotentia, quam ex primi hominis peccato ab origine contraximus, & propriæ voluntatis peccatis roboravimus, imploremus gratiam Christi Jesu, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Audiamus Dominum, & jubentem
S. August. quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere possi-
Tract. 53. mus. Nam & *Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia ex-*
in Johann. *tulit in superbiam, & quosdam nimia suæ voluntatis dif-*
n. 8. 9. *fidentia dejecit in negligentiam.* Illi dicunt, *Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate?* Isti dicunt, *Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate?* O Domine, o Pater qui es in cœ-
Luc. 22. 32. lis, ne nos inferas in qualibet istarum tentationum, sed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem, *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua*: ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non
Job. 1. 12. egeat adjutorio. Audiamus & Evangelium dicentem, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: Ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus, verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam *Et agendæ*
Galat. 5. 6. *sunt gratiæ, quia data est potestas: & orandum, ne suc-*
1. Cor. 1. 31. *cumbat infirmitas. Ipsa est fides quæ per dilectionem operatur, sicut ejus mensuram Dominus cuique partitus est, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.*
Rom. 10. 3. „ Non itaque mirum est quia *non poterat credere*, quo-
„ rum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei ju-
„ stitiam, suam vellent constituere, sicut dicit de illis
„ Apostolus, *Justitiæ Dei non sunt subjecti.* Quia enim
„ non ex fide, sed tamquam ex operibus tumuerunt:
„ ipso suo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offen-
„ sionis... Fides autem Christi est, credere in eum qui
„ justificat impium, credere in Mediatorem, sine quo in-
„ terposito non reconciliamur Deo: credere in Salvato-
„ rem, qui venit quod perierat quærere atque salvare;
Jo. 15. 5. „ credere in eum qui dixit, *Sine me nihil potestis face-*

„ re. Quia ergo ignorans Dei justitiam qua justificatur
„ impius, suam vult constituere qua convincatur super-
„ bus, in hunc non potest credere. Hinc & illi *non po-*
„ *terant credere*: non quia mutari in melius homines
„ non possunt; sed quandiu talia sapiunt, non possunt
„ credere. " *Hinc excæcantur & indurantur, quia ne-*
gando divinum adjutorium, non adjuvantur.

42. 43. *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur.* Christiani credunt, sed longe plures in caritate non radicati, Christum in quem credunt, factis confiteri erubescunt, metu, vel cupiditate prohibente. Contemni timent ab hominibus, si profiteantur pietatem: carnalium hominum oblocutiones, irrisiones, calumnias verentur, si vitam suam Evangelio conforment: timent displicere mundo, si uni Deo ser-
vire & placere contendant. *Dilexerunt enim gloriam ho-* *Hebr. 11.*
minum, magis quam Dei: Sancto Legislatori Moysi longe *24. 25.*
dissimiles, qui „ Fide negavit se esse Filium filiæ Pha-
„ raonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quam
„ temporalis peccati habere jucunditatem, majores divi-
„ tias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Chri-
„ sti: aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit
„ Ægyptum, non veritus animositatem Regis: Invisibi-
„ lem enim tamquam videns sustinuit. "

48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Christiani ex Evangelio judicabuntur, cujus observantiam in baptismate promiserunt. Damnabuntur, nisi Dei Christique Filii ejus mandatis fideliter obediverint; non aliquibus dumtaxat, sed omni- *Jacobi 2.*
bus. *Quicumque* enim *totam legem servaverit, offendat* *10. 12.*
autem in uno, factus est omnium reus... Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Quicumque Evangelio credunt, & secundum Evangelium vivere non curant, Christum spernunt, Christo injuriam faciunt. Aliter autem judicabuntur qui non audierunt, aliter qui audierunt & contempserunt. „ Qui-
„ cumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peri- *Rom. 2.*
„ bunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem *12. 13.*
„ judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud
„ Deum, sed factores legis justificabuntur. " Dei ergo legem ex caritate impleamus. Hæc summa Christianæ pietatis est, hæc ad vitam æternam certissima via. *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Moyses imminente morte, Lege Domini coram Populo Israel repeti-
ta, dixit: „ Considera quod hodie proposuerim in con-
„ spectu tuo vitam & bonum, e contrario mortem & *Deuter. 30.*
„ malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules *15.*
„ in viis ejus, & custodias mandata illius & vivas. "
Christus Jesus Redemptor, Magister & Legislator noster, consummato publicæ prædicationis Evangelii sui cursu, Passioni proximus, homines omnes ad Fidem Evangelicam ex omnibus gentibus vocatos his verbis alloquitur, & ad credendum ac obediendum doctrinæ suæ ac mandatis hortatur: „ Quia ego ex me ipso non loquor, sed qui misit me
„ Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid lo-
„ quar. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. " Excitavit nos ad desiderium æternæ vitæ, viam monstravit, auxilium tribuit ut pervenire possimus.

CAPUT XIII.

Sensus Litteralis.

1. *Ante diem festum Paschæ*, die scilicet decimaquarta mensis primi ad vesperam, antequam solemnis Paschæ dies illuxisset, quæ 15. erat mensis, de qua in Lege scriptum est: *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Paschæ Domini est, & quinta decima die mensis hujus Solemnitas Azymorum Domini est.* Pridie, inquam, hujus Solemnitatis, *sciens Jesus*, ab æterno, ut Deus, & a primo suæ Conceptionis instanti, ut *Levit. 23.*
homo, *Quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo* *5. & Num.*
ad Patrem; cognoscens imminere illam horam, quæ in *28. 6.*
ejus erat potestate, in qua ex hoc mundo per mortem, resurrectionem, & ascensionem suam transiturus erat ad Patrem: *cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, cum Apostolis suis, & in eorum persona omnibus electis suis, a Patre sibi datis, quos in mundo mille periculis, persecutionibus, calamitatibus expositos relicturus erat, hucusque insignia amoris sui argumenta dedisset: *in finem dilexit eos.* In fine vitæ perfectum in illos amorem evidentissimis indiciis & pretiosissimo pignore ostendit, institutione scilicet Sacramenti Corporis & sanguinis sui, de qua alii Evangelistæ, & ablutione pedum eorum, quæ præparatio fuit ad hoc sacrum Mysterium.

2. 3. 4. 5. *Et cœna facta*; absoluta cœna legali, *cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ* filius; id est, cum illi jam persuasisset diabolus scelus horrendum proditionis Christi Jesu: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus & quia a Deo exivit & ad Deum vadit*: Quamvis divinæ originis suæ, dignitatis ac potesta-

tis infinitæ, ac gloriæ quam mox intraturus erat, conſcius eſſet: ad humile miniſterium ſe demiſit: *Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua* extima, id eſt, tunicam exteriorem, ut ad ſervile quod mox obiturus erat, miniſterium expeditior eſſet: *& cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe*; qui miniſtrantium habitus eſt: *Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus*. Aliquorum pedes ante laviſſe, quam veniret ad Petrum, Evangelii contextus ſignificare viſus eſt Origeni, qui a Juda incœpiſſe commentatur, non a Petro: ut Medicus plurimis infirmis ſubminiſtrans juxta artem medicinæ, initium medendi facit ab his qui urgentur, quippe pejus affecti ſunt. Sed S. Auguſtinus a Petro incœpiſſe cenſet.

Orig. in Jo. pag. 382. Edit. Huet.

6. 7. 8. 9. *Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?* Tu Dei Filius, mihi peccatori, Dominus ſervo, Magiſter diſcipulo? *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modo*, non capis myſterium hujus ablutionis, non intelligis quo tendat hic ritus: *Scies autem poſtea*, tum me exponente, tum Spiritu ſancto docente. *Dicit ei Petrus*, Dominicæ humilitatis altitudine exterritus: *Non lavabis mihi pedes in æternum*. Numquam patiar ut Dominus meus mihi tam vile miniſterium exhibeat. *Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum*: niſi ſinas ut pedes tuos lavem, inobedientiæ tuæ merito a menſa mea, amicitia, familia & regno te excluſum iri denuntio. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus & caput*, ſed totum corpus tibi abluendum ſubmitto, potius quam a tua excludar amicitia, familia, & hæreditate. Id dixit *amore & timore perturbatus, & plus expaveſcens Chriſtum ſibi negari, quam uſque ad ſuos pedes humiliari*.

S. Auguſt. Tract. 56. in Johann. n. 2.

10. 11. *Dicit ei Jeſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus:* Qui totum corpus lavit in balneo, ſola pedum lotione indiget, qui terram calcando ſordes contrahunt: *& vos mundi eſtis*, ſpiritali munditie, animam per fidem, quam ſermonibus meis adhibuiſtis, ſanctificatam habentes; ita ut a levibus dumtaxat culpis, quæ humana converſatione facile contrahuntur, purgari & ablui indigeatis: *ſed non omnes*, mundi eſtis. Judam excipit, qui facinus proditionis jam animo volvebat. *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum; propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.*

12. 13. 14. 15. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum* ad cœnam juſtam ſive domeſticam quam finivit inſtituto Corporis & Sanguinis ſui Sacramento: *dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?* Attenditis-ne ad humile obſequium quod modo vobis exhibui? *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene dicitis: ſum etenim*. Nihil mihi alienum per adulationem tribuitis: ſum etenim Dominus redimendo, Magiſter docendo: *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes*: multo magis vos qui conſervi eſtis, hoc & ſimilia humillimæ ſervitutis officia vobis invicem exhibere debetis. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Exemplum imitandum propoſui, ut quod a me fieri vidiſtis, & vos ipſi præſtetis.

16. *Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo*: (familiare proverbium eſt) *neque Apoſtolus*, id eſt, qui miſſus eſt cum mandatis, *major eſt eo qui miſit illum*. Quia Apoſtoli futuri erant Principes Eccleſiæ & muneris auctoritate, & donorum excellentia, ideo eos munit contra ſuperbiam, quæ eminentiam vulgo comitatur, & docet quo ſublimiores erunt, eo magis illos debere ſe in aliorum uſus & miniſterium, maxime ſpirituale, impendere, & omnium Dei ſervorum ſervos ſe exiſtimare: & cum Eccleſiis a ſe fundatis ſacra auctoritate præerunt, ad omnium fidelium pedes humilitate ſe demittere, cujus exemplum a Magiſtro qui eos inſtituit, & Domino qui eos miſit, acceperunt.

17. 18. 19. *Si hæc ſcitis*, facienda vobis juxta doctrinam exemplumque meum, *beatis eritis ſi feceritis ea*. Fides enim quæ per dilectionem non operatur, ad damnationem magis eſt, quam ad ſalutem, eorum culpa qui non agunt, quæ facienda eſſe ad ſalutem conſequendam credunt. *Non de omnibus vobis dico* quod hæc facturi ſitis, & beati futuri; *ego ſcio quos elegerim*: Novi quales ſint, & quales futuri ſinguli veſtrum quos ad Apoſtolatum vocavi: *ſed ut adimpleatur Scriptura*: Verum hanc Scripturam oportet adimpleri, quia præſcientia Dei non fallitur: *qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum*. Quem menſæ meæ participem feci, pede ſublimi me premet, dejiciet, calcabit. *Amodo dico vobis, prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego ſum*. Hæc vobis prænuncio, antequam fiant, ne vos offendat inexſpectatus eventus, ſed cum impleta fuerint, credatis me Filium Dei eſſe, rerum futurarum & cogitationum cordium conſcium: & Chriſtum de quo hæc in Scripturis prædicta ſunt. Nemo porro exiſtimet ideo facta eſſe ab aliquibus opera mala, quæ in Scripturis prædicta ſunt, verbi gratia proditionem Judæ, quia Scriptura ea prædixerat: ſed Spiritum Sanctum rerum futurarum præſcium ea prædixiſſe, ut cum evenerint, pignus fidei prædictionem habentes, illum de quo hæc ſcripta ſunt, certo & indubitato cognoſcamus.

S. Cyrill. Alexand. lib. 9. in Jo. p. 361. S. Auguſt. Tract. 59. in Johann.

Non de omnibus vobis dico; ego ſcio quos elegerim, ad beatitudinem æternam, de qua ait; *Beati eritis ſi feceritis ea*. Hoc non de omnibus dicit: ſcit enim quos ad ſocietatem beatitudinis hujus elegerit. Non eſt ex eis Judas, qui panem Chriſti ſic edebat ut ſuper eum levaret calcaneum. *Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam.*

20. *Amen, amen dico vobis: Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit*. Ne ob humilitatis opera ſe parvipendendos exiſtimarent Apoſtoli, ad eorum ſolatium ſignificat ſuæ voluntatis eſſe ut Fideles illis omnia reverentiæ & charitatis officia exhibeant, quæ ipſe velut ſibi exhibita remunerabit: quia honor Apoſtolis exhibitus, ei qui illos miſit exhibitus cenſetur; ut honor & officia ipſi Chriſto exhibita, Patri a quo miſſus eſt, & qui in ipſo eſt, cenſentur exhibita. Nam in Legato is honoratur cujus Legatus eſt. In hoc unum tendit Chriſti comparatio. „ Cum iſta dicebat, non ab illo naturæ unitas; ſed in „ eo qui mittitur, mittentis commendatur auctoritas. „ Sic itaque eum qui miſſus eſt unuſquiſque accipiat, ut „ in illo eum qui mittit attendat. Si ergo attendas „ Chriſtum in Petro, invenies diſcipuli Præceptorem: „ ſi autem attendas Patrem in Filio, invenies Unigenini „ Genitorem: & ſic in eo qui miſſus eſt, ſine ullo accipis errore mittentem.“

S. Auguſt. Tract. 9. in Johann.

21. 22. *Cum hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu*, ſponte commotus eſt, & periculi conſideratione, & ſceleris Judæ horrore: *& proteſtatus eſt*, palam declaravit, quod tectius dixerat, fore ut ab uno ex Diſcipulis ſecum diſcumbentibus proderetur: *Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo ad invicem Diſcipuli, hæſitantes de quo diceret*. Perculſi rei vix credibilis atrocitate, obſervant ſi quod indicium male conſcii ex vultu colligere poſſent.

23. 24. *Erat ergo recumbens unus ex Diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus* familiarius ceteris. Hac modeſta circumlocutione ſeipſum Johannes deſignat. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt de quo dicit?* Nutibus ipſum rogavit ut Jeſum interrogaret quis eſſet proditor, tum ut inſontes extra ſuſpicionem eſſent, tum ut a ſcelerato caverent; tum ut ejus conatum pro viribus impedirent. Ad hujus loci intelligentiam obſervandum eſt, modum accubitus menſæ apud Judæos & Romanos hunc fuiſſe. Jacebant reclinata ſuperiori parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferiori in longum porrecta & jacente, capite leviter erecto, dorſo pulvilis modice ſuffulto. Et primus quidem diſcumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur juxta dorſum ſecundi. Diſcumbentibus ergo Chriſto & Diſcipulis, accubuit Petrus a tergo Chriſti, & Johannes a ſinu: Johannes in ſinu Chriſti, & Chriſtus in ſinu Petri. Non potuit ergo Chriſtus prompte colloquium cum Petro in aure habere leniter ſuſurrando. Petrus ergo ſupra caput Chriſti Johannem reſpiciens, nutu eum excitat ut de re interroget.

Lipſius Ligfoot de Horis Hebraic. in Jo. p. 659

26. 27. 28. 29. 30. *Reſpondit Jeſus*, ſubmiſſa voce, ne ceteri audirent: *Hic eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem* ſeu fruſtum panis in juſculum, *dedit Judæ Simonis Iſcariotæ* filio. *Et poſt buccellam*, cum fruſtum illud panis intincti a Jeſu acceptum comediſſet, *introivit in eum Satanas*, ut ſibi jam traditum plenius poſſideret, in quem prius intraverat ut deciperet. Prius ergo intraverat, immittendo in cor ejus cogitationem qua traderet Chriſtum: talis enim jam venerat ad cœnandum. Nunc autem poſt panem intravit in eum, non ut adhuc alienum tentaret, ſed ut proprium poſſideret. *Et dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citius*. Fac quod facere decreviſti, non impedio, ferre paratus ſum. *Vox hæc*, (inquit S. Leo) *non jubentis eſt, ſed ſinentis; nec trepidi, ſed parati: qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit ſe & moram non facere traditori; & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus quod a perſequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret*. Litteræ minus conſonat S. Cyrilli explicatio, qui hæc verba, *quod facis, fac citius*, non ad ipſum Judam, ſed ad diabolum, cujus inſtinctu proditionis ſcelus meditabatur, pertinere aſſerit.

Luc. 22. 3. 4. S. Auguſt. Tract. 62. in Johann. S. Leo ſer. 56. de Paſs. Dom. 7.

Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Nemo Apoſtolorum cum Jeſu diſcumbentium tunc intellexit vim illorum verborum: *quod facis, fac citius*. An Johannes ipſe tunc intellexerit, incertum. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas*, ut Dominicæ familiæ œconomus, *quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*; poſtridie celebrandum, ſcilicet die Veneris 15. menſis primi; *aut* illi dediſſe in mandatis *ut egenis aliquid daret. Cum ergo accepiſſet ille buccellam* intinctam a Jeſu, quæ non erat Euchariſtia, cujus ante fuerat cum ceteris Apoſtolis particeps, *exivit continuo*, dæmone impellente, ut facinus opere compleret.

Confer cum Luc. 22. 19. 21.

S. Auguſt. Tract. 62. in Jo. num. 3.

pleret. *Erat autem nox*, id eſt, initium noctis: Nam qui ſequuntur Sermones in multam noctem ſunt protracti.

31. 32. *Cum ergo exiſſet* Judas, *dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Nunc ego glorificandus ſum paſſione, morte, & reſurrectione; & Deus in me glorificabitur, ſiquidem innoteſcet mundo me non ſolum eſſe Filium hominis, ſed

S. Auguſt. Tract. 63. in Johann.

& Filium unigenitum Dei. *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo; & continuo clarificabit eum.* Quod ſi Deus per ipſum glorificatus eſt ſeſe humiliantem, & voluntatem Dei Patris in omnibus facientem: & Pater glorificabit eum, immortalitate & gloria corpus ejus donans, & nomen ejus ſuper omne nomen celebre ac venerabile faciens. Id autem continuo præſtabit, ejus reſurrectione maturata.

33. *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum* ſenſibili præſentia, in carne mortali. *Quæretis me*, præſentiam meam deſiderabitis; *& ſicut dixi Judæis; Quo ego vado, vos non poteſtis venire, & vobis dico modo.* Non poteſtis nunc venire mecum in cœlum ut ſitis gloriæ meæ participes: venietis autem poſtea, ſuo quiſque tempore, quo Judæi in infidelitate pertinaces numquam venient. Unde Judæis dixit: *Quæretis me, & non invenietis:* Diſcipulis autem dicens, *Quæretis me*, verba illa terribilia non

Jo. 7. 14.

addidit, *& non invenietis*, & paternum ſuum tenerumque erga eos amorem declaravit hoc nomine, *filioli*; & illis dilatam dumtaxat beatitudinem ſignificat, quæ Judæis incredulis penitus negata eſt.

34. 35. *Mandatum novum do vobis, Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Mandatum do vobis, ut ſolent abeuntes mandata ſuis dare: mandatum novum; mihi proprium ac peculiare, præſtans, eximium: mandatum novum, id eſt, novo modo expoſitum, nova formula traditum. Illud enim, *ſicut dilexi vos*, longe eſt expreſſius quam illud Legis, *ſicut te ipſum*. Sicut dilexi vos, non ob humanas rationes, non ob meam utilitatem, ſed propter veſtram ſalutem; ſicut dilexi vos uſque ad ſanguinis effuſionem, pro vobis mori non dubitans: ſic vos mutuo diligite, ut non tantum in rebus hujus vitæ, ſed maxime in his quæ ſalutem æternam ſpectant, dilectionem veſtram probetis, & pro aliorum æterna ſalute nulla incommoda, ne mortem quidem refugiatis. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, &c. Hoc mandatum quaſi de novo do vobis; ſingulari ſtudio & affectu, meo nomine, meoque exemplo inſtauratum, vobis commendo. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Legiſperitorum diſcipuli ex receptis quibuſdum ſententiis & interpretationibus Legis; Phariſæorum, ex habitu & ceremoniis; Johannis Baptiſtæ, ex auſteritate & jejuniis agnoſcuntur; vos vero meos eſſe diſcipulos cognoſcent omnes ex mutua dilectione. Hæc teſſera veſtra, hoc ſignaculum eſt, *Charitas*.

36. 37. 38. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis?* Quod ſuſcipis iter, in quo nos te ſequi non poſſe ais? *Reſpondit Jeſus: Quo ego vado*, ad crucem, ad mortem, & ſic ad gloriam, *non potes me modo ſequi*: nondum habes ſatis virium ut pro me mortem ſubeas: *ſequeris autem poſtea*. Cum indutus fueris virtute ex alto, Spiritu Sancto roboratus, adverſa quæque pro nomine meo pati poteris, & noviſſime mortem crucis, cum impleveris miniſterium a me tibi commiſſum in fundatione & regimine Eccleſiæ. *Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modo?* Quid impedit? Putas-ne me itineris moleſtia, aut ullis periculis terreri? *Animam meam pro te ponam*. Mortis etiam diſcrimini, ſi opus ſit, me pro tuo capite objiciam. *Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones?* Ita-ne vero? Paratum te eſſe profiteris ad mortem pro me ſubeundam? *Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me negabis*. Ego qui te melius novi animum tuum, tibi certiſſime futurum prænuntio, fore ut ter neges te meum eſſe diſcipulum, antequam gallus cantum ſuum abſolverit, ſeu antequam præterierit hora gallicinii.

SENSUS MORALIS.

1. „ ANte diem Feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad „ Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in „ finem dilexit eos. “ Chriſtus Jeſus in fine vitæ ſuæ mortalis majora perfectæ dilectionis indicia ſuis dedit, eximiis humilitatis & patientiæ exemplis, novorum Sacramentorum, maximique & jugis Sacrificii inſtitutione, ſanguinis ſui effuſione pro illorum, totiuſque mundi ſalute. Nihil omiſit quod vehementer amantem deceret, ut eorum in ſe caritatem augeret, & ad futura mala forti animo ſubeunda accenderet. In finem dilexit eos, hoc

S. Chryſ. Hom. 69. in Johann.

eſt, ſemper dilexit. *In finem dilexit*, id eſt, uſque ad mortem illum dilectio perduxit. Chriſtum Jeſum diligamus, quoniam ipſe prior dilexit nos, nec ſolis Apoſtolis, ſed nobis omnibus hæc ſummi amoris argumenta dedit. Diligamus in hoc mundo conſtanter ac perſeveranter, ut nihil nos ab ejus caritate ſeparet. Cum ipſo tranſeamus de hoc mundo ad Patrem. Hic tranſitus digna celebratio veri Paſchatis eſt. Paſcha Hebraice *tranſitum* ſignificat. Propterea tunc primum Paſcha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes Mare Rubrum tranſierunt. Nunc ergo figura illa Prophetica in veritate completa eſt, cum ſicut ovis ad immolandum ducitur Chriſtus, cujus ſanguine illitis poſtibus noſtris, id eſt, cujus ſigno crucis ſignatis frontibus noſtris, a perditione hujus ſæculi tamquam a captivitate vel interemptione Ægyptiaca liberamur: & agimus ſaluberrimum tranſitum, cum a diabolo tranſimus ad Chriſtum, & ab iſto inſtabili ſæculo ad ejus fundatiſſimum regnum. *Ideo quippe ad Deum permanentem tranſimus, ne cum mundo tranſeunte tranſeamus.* Aliud enim eſt tranſire de mundo, aliud eſt tranſire cum mundo: aliud ad Patrem, aliud ad hoſtem. *Nam & Ægyptii tranſierunt, non tamen tranſierunt per mare ad regnum, ſed in mari ad interitum.*

S. Auguſt. Tract. 55. in Johann.

2. 3. 4. 5. „ Et cœna facta, cum diabolus jam miſſiſſet in cor ut traderet eum Judas . . . . Sciens quia „ omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exi„ vit, & ad Deum vadit: ſurgit a cœna, & poſuit ve„ ſtimenta ſua, &c. & cœpit lavare pedes diſcipulorum. “ Propriarum miſeriarum cognitio, propriæ infirmitatis quotidiana experientia, hominem corruptum ſub potenti manu Dei non humiliant. Chriſtum vero Jeſum divinæ ſuæ originis, magnitudinis, gloriæ, poteſtatis conſideratio non prohibet ab humiliatione ſub pedibus viliſſimæ creaturæ, perfidi homuncionis, cujus cor diabolus poſſidet. Hinc diſcant homines nec de generis ſui ſplendore, nec de ſua poteſtate extolli. Dei magnitudinem, Chriſti humilitatem conſiderent, & ab ejus exemplo humiliari diſcant. Nihil deeſt humiliationi Salvatoris, omnes actionis hujus circumſtantiæ perfectionem ejus comprobant. Omnes miniſterii viliſſimi partes ipſe implet, nullo adjuvante, nullo ipſi miniſtrante. Exuit ipſe veſtimenta ſua, linteum accipit, ſe præcingit, aquam mittit in pelvim, diſcipulorum, & ipſius Judæ proditoris pedes lavat, extergitque linteo quo erat præcinctus. „ Cum illi Pater omnia de-

S. Auguſt. Tract. 55. in Johann.

„ diſſet in manus, ille diſcipulorum non manus, ſed pe„ des lavit: & cum ſe ſciret a Deo exiſſe, & ad Deum „ pergere, non Dei Domini, ſed hominis ſervi implevit „ officium. Ad cumulum humilitatis acceſſit, quod etiam „ illi non dedignatus eſt pedes lavare, cujus manus jam „ prævidebat in ſcelere. Quid autem mirum, ſi ſurre„ xit a cœna, & poſuit veſtimenta ſua, qui cum in for„ ma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit? Quid mirum ſi „ præcinxit ſe linteo, qui formam ſervi accipiens, ha„ bitu inventus eſt ut homo? Quid mirum ſi miſit aquam „ in pelvim unde lavaret pedes diſcipulorum, qui in ter„ ram ſanguinem fudit, quo immunditiam dilueret pec„ catorum? Quid mirum ſi linteo, quo erat præcinctus, „ pedes quos laverat, terſit, qui carne qua erat indutus, „ Evangeliſtarum veſtigia confirmavit? Paſſurus exitia, „ præmiſit obſequia: non ſolum eis pro quibus erat ſubi„ turus mortem, ſed etiam illi qui eum traditurus erat „ ad mortem. Tanta eſt quippe humanæ humilitatis uti- *Luc. 19. 20.*

„ litas, ut eam ſuo commendaret exemplo etiam divina „ ſublimitas: quia homo ſuperbus in æternum periret, „ niſi illum Deus humilis inveniret. Venit enim Filius „ hominis quærere & ſalvum facere quod perierat. Pe„ rierat autem ſuperbiam deceptoris ſecutus, ergo hu„ militatem Redemptoris ſequatur inventus. “

8. 9. *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Jeſus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Pulchrum ſpectaculum! Amor, fides, obſervantia, pietas, humilitas Petri certant cum humilitate & caritate Chriſti Jeſu. Horret ac metuit, conſiderans eum qui cum Patre unus Deus eſt ac Dominus univerſi, ſervile miniſterium obire; expaveſcit, videns eum cui miniſtrant Angeli, ad pedes hominum peccatorum abjectum. *Metuit* Diſcipulus *tantæ rei pondus*, & uſitatam ac familiarem ſibi reverentiam prætexens, recuſat officium, cujus nondum cauſam finemque noverat. Verum vincat oportet devotionem Petri humilitas & caritas Chriſti. Humilitas Petri vera non eſſet, nec pietas ejus ſincera, niſi Domini Jeſu voluntati ſubjecta. Qui enim ſpecie humilitatis voluntati Dei, Superiorumque mandatis eam ſignificantibus reſiſtit, ſuperbus eſt, ideoque partem cum Chriſto humilitatis Magiſtro non habet. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Nihil terribilius comminari Chriſtus poteſt animæ ipſum diligenti, quam æternam ab illo ſeparationem.

Niſi lavero, non habebis partem mecum. „ Significat *S. Cyr. lib. 9 in Jo. p. 723*

„ etiam his verbis, quod niſi quis per ejus gratiam ſor„ des ex peccato contractas abluerit, particeps futurus „ non ſit vitæ quæ ab eo manat, ſed regni cœlorum „ expers manſurus. Nec enim fas eſt impuris in ſuper„ nas manſiones ingredi, ſed qui per dilectionem in Chri„ ſtum puram habent conſcientiam, & ſanctificati ſunt „ in Spiritu per ſanctum baptiſma. “ Qui vero poſt baptiſmum inquinati ſunt peccato, pœnitentiæ aqua ablui debent, & ſanguine Chriſti ab ipſomet purgari & ſanctificari, ut Menſa ejus, communione corporis ejus, æternaque gloriæ ſocietate digni ſint.

10. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & Caput.* Caput hominis interioris, fides est, bonorum omnium sensuum, sanctorumque motuum origo; manus, opera, pedes, affectus. Hæc omnia subdenda sunt gratiæ Christi, ut ea operante fides pura sit ab erroribus, vita pura sit a criminibus; affectus puri sint a sordibus, quæ ex amore sæculi, & adhæsione ad res terrenas contrahuntur.

11. *Dicit ei Jesus: qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.* Toto vitæ hujus mortalis tempore mystica hæc pedum ablutio, id est, terrenorum affectuum purgatio in nobis exercenda est. „ In sancto quidem ba- *S. Augusti. Tract. 56. in Johan.* „ ptismate homo totus abluitur; verumtamen cum in re- „ bus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi „ igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate „ non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus „ afficimur, & sic afficimur, ut si dixerimus quia pec- „ catum non habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas „ in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lavat nobis, „ qui interpellat pro nobis: & quotidie nos opus habere „ ut pedes lavemus, id est, vias spiritualium gressuum 2. *Joan.* 1. 9. „ dirigamus, in ipsa Oratione Dominica confitemur, „ cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & „ nos dimittimus debitoribus nostris. " *Si enim confiteamur*, sicut scriptum est, *peccata nostra*, profecto ille qui lavit pedes discipulorum suorum, *fidelis est & justus ut dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate*, „ id est, usque ad pedes quibus conversamur in „ terra. Proinde Ecclesia quam mundat Christus lavacro „ aquæ in verbo, non solum in illis est sine macula & „ ruga, qui post lavacrum regenerationis continuo ex hu- „ jus vitæ contagione tolluntur, nec calcant terram ut „ opus habeant pedes lavare; verum etiam in eis, qui- „ bus istam misericordiam præbens Dominus, fecit eos „ de sæculo isto lotis etiam pedibus emigrare. In his „ autem qui hic demorantur, etiamsi mundi sint, quoni- „ am juste vivunt; opus tamen habent pedes lavare, „ quoniam sine peccato non sunt. Propter hoc dicit in „ Cantico Canticorum, *Lavi pedes meos, quomodo in- „ quinabo illos?* Dicit enim hoc cum cogitur ad Chri- „ stum venire, & terram calcare cum venit. " Vide & *Cantic.* 5. 3 S. Bernardum Sermone 1. *In cæna Domini*.

12. 13. 14. 15. *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Discipuli Christi sumus; ejus igitur documenta & præcepta animo complecti, diligere, prædicare & sectari debemus, ut Magistri nostri, Christi servi sumus; illi igitur in omnibus & semper obsequi debemus ut Domino nostro, qui nihil nisi justum, sanctum, salutare nobis præcipere potest. Ejus humilitatem & caritatem debemus imitari, & pro nostris viribus nos ei conformare. *S. Jo. Chrys. Hom. 70. in Johann.* Hæc enim vox, *quemadmodum*, similitudinem, non æqualitatem significat. Sic ludimagistri pueris litteras quam pulcherrimas scribunt, ut quoad poterunt imitentur. Ubi nunc qui conservos despiciunt? Ubi qui honores expetunt? proditoris pedes Dominus lavit, sacrilegi, furis, & ipso proditionis tempore, cum nulla speranda esset emendatio, mensam communem posuit; & elatis superciliis intumescis? *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Non dixit quod majus erat: Si ego pedes proditoris lavi, quid mirum si vos alter alterius: sed rem fecit; inde eam Discipulis tantæ humiliationis & caritatis testibus æstimandam reliquit. Ideo dicebat: *Qui fecerit, & docuerit,* *Matth.* 5. *hic magnus vocabitur.* Hæc enim vera doctrina est, quod doces id re ipsa operari. Quem fastum hoc humilitatis exemplum non tolleret? Quam non deprimeret elationem? Qui sedet super Cherubin, proditoris pedes lavit: tu homo, terra & pulvis, extolleris & intumescis? Quod si veram celsitudinem concupiscis, viam te docebo. Humilitas est. Numquam humilitas sine magnitudine animi, nec superbia sine pusillanimitate. Qui enim præsentibus terrenisque rebus tamquam magnis inhiat, is vilis est & abjecti animi. Sapiens parvifacit temporalia & peritura: nec igitur ea ab alio desiderat accipere: contra vero, qui sapiens non est, ad ludicra & vilia, puerorum instar afficitur, illaque admiratur.

S. August. serm. 58. in Johann. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Non dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. Debet tandem unusquisque se infra proximum humiliare, ut illum Christo lucretur. Debet, prout suæ conditioni, statui, vel officio convenit, pedum ipsius, id est affectuum & conversationis sordes lavare & abstergere bonis exemplis, fraterna correctione, salutaribus monitis & consiliis, adhortationibus, orationibus, injuriarum condonatione. Quid enim videtur in hac altitudine sacramenti Dominus significare, cum dicit, *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis:* nisi quod apertissime dicit Apostolus, *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos?* Invicem itaque nobis delicta donemus, pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus. *Coloss.* 3. 3.

16. 17. *Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo: neque Apostolus major est eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Non ad convincendam mentem, sed ad movendam voluntatem Discipulorum, duplici juramento confirmat Christus, servum non esse domino suo majorem, nec Apostolum eo qui misit illum. Id certe non ignorabant, quod speculationem attinet: sed necesse erat ut Ecclesiæ Pastores & Rectores persuasum haberent, se in firmissimo profundæ humilitatis fundamento suam omnem excellentiam collocare debere, suum meritum constituere: nihilque fore injustius, quam si servi ac discipuli præceptum & exemplum humilitatis a Domino suo & Magistro sibi traditum implere negligant, aut contemnant. *Si hæc scitis,* *Luc.* 18. 45. *beati eritis si feceritis ea.* Præstaret enim nescire, quam cognita nolle perficere. Unde alias ait: *Qui non cognovit voluntatem domini sui, & non fecit, vapulabit paucis: qui autem cognovit, & non fecit, vapulabit multis.* Nam ei qui sciens voluntatem Domini sui, contra illam fecerit, cognitio condemnationi erit: contempsit enim, cum ad officium implendum nihil ei deesset. Cognitio igitur sine operibus inanis est, Fides sine operibus mortua est. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.*

20. *Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Unio Christi cum membris suis tam intima, tam arcta est, ut collata ipsis officia & beneficia accipiat & remuneret velut sibi ipsi facta. Sed major est illius cum ministris suis conjunctio, propter unitatem Sacerdotii, cujus illos participes facit. Ab illo missi sunt, ut ille a Patre; locum illius in Ecclesia tenent: auctoritatem illius exercent; divinæ illius unctionis emanationem acceperunt; Sacerdotio illius funguntur. Quicumque igitur illos rejicit, vel spernit, Christum spernit & rejicit. Quicumque illos recipit & colit, Christum recipit & colit.

21. *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.* Quam immane sit Judæ scelus, quam horrenda proditio, nihil magis ostendit quam Christi Jesu turbatio. Tam nefarium est indigne communicantium crimen, tam execrandum scelus Sacerdotum & Pastorum, qui veritatem, Ecclesiam, bonum salutis animarum suis commodis postponunt, ut talis proditionis consideratione turbari posset Anima Christi Jesu, si adhuc in carne mortali versaretur, & his affectionibus obnoxia esset, quas propter nos suscipere, patique voluit. „ Id etiam fortassis nobis significare Dominus sua per- *Aug. Tract* „ turbatione dignatus est, quod falsos fratres, & domi- *60. in Jo.* „ nici agri zizania ita necesse est usque ad messis tempus „ inter frumenta tolerari, ut quando ex eis aliqua sepa- „ rari etiam ante messem urgens causa compellit, fieri „ sine Ecclesiæ perturbatione non possit. Hanc perturbationem sanctorum suorum per schismaticos & hæreticos „ futuram, quodammodo prænuntians Dominus, præfigu- „ ravit in se ipso, cum exituro Juda homine malo, & „ commixtionem frumenti in qua diu fuerat toleratus, „ separatione apertissima relicturo, turbatus est non car- „ ne, sed Spiritu. Spirituales enim ejus in hujusmodi scan- „ dalis non perversitate, sed caritate turbantur, ne for- „ te in separatione aliquorum zizaniorum simul eradice- „ tur & triticum. "

Unus ex vobis tradet me. Unus ex vobis, numero, non merito; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali, carnis adjunctione, non cordis socius unitate: proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est. Unde S. Johannes in Epistola sua scribit; *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Non erat igitur ex illis Judas: mansisset enim cum illis, si esset ex illis . . . Utrumque tamen verum, *ex nobis*, & *non ex nobis*: *secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis*: *secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.* *S. August. Tract. 61. in Jo. 2. Jo. n. 2. 19.*

23. 24. 25. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus,* &c. Virginalis castitas S. Johannis aditum illi patefecit in sinum Jesu, ex quo & Evangelii sui arcana, & amorem ardentissimum erga Jesum Christum hausit. Castitas porro & modestia arcto fœdere conjunctæ sunt. Non mirum ergo quod S. Johannes sancto pudore illum ab omni Jactantiæ spe deterrente, nomen suum fileat, cum favores Magistri sui commemorat. Aliunde nosci non vult, quam ex bonitate singulari Christi Jesu erga se; nec alia ejus dona enumerat, sed amorem unum, qui ceterorum omnium donorum fons & origo est. *Discipulus quem diligebat Jesus.*

Ideo

Ideo in ſinu Jeſu, in throno amoris ejus recumbit. Johannis caſtitatem, modeſtiam, caritatem, imitemur, & unuſquiſque noſtrum erit dilectus diſcipulus Jeſu. Digna Communione fit ut Jeſus in ſinu noſtro recumbat, & nos in ſinu Jeſu; ut maneat in nobis, & nos in eo. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: quis eſt de quo dicit?* Charitas & auctoritas Eccleſiæ ſimul concurrunt ut malorum Miniſtrorum crimina detegantur; conjunctiſque ſtudiis impediunt ne animarum ſaluti noceant.

S.Aug.ibid *Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Domine quis eſt?* Hic eſt pectoris ſinus, *ſapientiæ ſecretum*. In hoc ſinu qui per caſtitatem & caritatem recumbunt, cœleſti lumine illuſtrantur, & Spiritus eos docet de omnibus ad ſalutem neceſſariis, quin etiam ad regimen Eccleſiæ, & animarum directionem, ſi Præpoſiti ſint, vel in ſacro Miniſterio conſtituti.

26. 27. *Reſpondit Jeſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero*, &c. Dona Dei ab hypocritis recepta introitus diaboli in corda illorum ſequitur. Si buccellam panis a Chriſto accipere ficto animo tam exitiale eſt, quanto exitialius Corpus ejus & Sanguinem ſacrilega

1. *Cor.* 11. 27. Communione percipere? Sacrilega communio, cujus figura fuit panis intinctus a Chriſto Judæ porrectus, peccatoris obdurationem interdum conſumat. *Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas*. Scripſit Apoſtolus: *quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*. Et de his erat ſermo, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiſcrete negligenterque ſumebant. „ Hic ergo ſi corri-

S. Auguſt. Tract. 62. in Johann. „ pitur qui non dijudicat, hoc eſt, non diſcernit a ceteris cibis Dominicum Corpus; quo modo damnatur „ qui ad ejus Menſam fingens amicum accedit inimicus? „ Si reprehenſione tangitur negligentia convivantis, qua „ pœna percutitur venditor invitantis? Quid erat autem „ panis traditori datus, niſi demonſtratio gratiæ cui fuiſ- „ ſet ingratus? “

S.Aug.ibid num. 4. *Et dixit ei Jeſus: quod facis, fac citius.* „ Non præcepit facinus, ſed prædixit Judæ malum, nobis bo- „ num. Quid enim Judæ pejus, & quid nobis melius quam „ traditus Chriſtus, ab illo adverſus illum, pro nobis „ præter illum? *Quod facis, fac citius*. O verbum li- „ bentius parati, quam irati! O verbum non tam pœnam „ exprimens proditoris, quam mercedem ſignificans Re- „ demptoris! Id dixit, non tam in perniciem perfidi ſæ- „ viendo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando: quia tra-

Epheſ.5.25 *Galat.2.20* „ ditus eſt propter delicta noſtra, & *dilexit Eccleſiam*, „ *& ſemetipſum tradidit pro ea*. Et de ſe ipſo dicit Apo- „ ſtolus: *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. „ Niſi ergo ſe traderet Chriſtus, nemo traderet Chri- „ ſtum. Quid habet Judas niſi peccatum? Neque enim „ in tradendo Chriſto ſalutem noſtram cogitavit, propter „ quam traditus eſt Chriſtus, ſed cogitavit pecuniæ lu- „ crum, & invenit animæ detrimentum. Accepit merce- „ dem quam voluit, ſed nolenti eſt data quam meruit. „ Tradidit Judas Chriſtum, tradidit Chriſtus ſeipſum: „ ille agebat negotium ſuæ venditionis, iſte noſtræ re- „ demptionis. *Quod facis, fac citius*; non quia tu po- „ tes, ſed quia hoc vult qui totum poteſt. “

31. 32. *Cum ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo*. Gloriam ſuam in humiliationibus, opprobriis, paſſione, in obedientia uſque ad mortem Dominus noſter Jeſus Chriſtus conſtituit, quia hæc omnia ad gloriam Patris referuntur. Diſcat hinc Chriſtianus gloriam omnem ſuam & honorem in Dei cultu & fideli mandatorum ejus obſervantia ponere: diſcat in nullo alio niſi in Cruce Domini Jeſu gloriari, per quam illi crucifixus ſit mundus, & ille mundo. Nullum periculum generoſe & fortiter non adeat ut gloriam Dei procuret pro ſui ſtatus officio; ſic enim & ipſe gloriam æternam conſequetur. Noſtram enim felicitatem cum gloria ſua conjunctam divina bonitas eſſe voluit. *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo*.

34. 35. *Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, gratuito, nullis præcedentibus meritis: ita ſitis in omnes benefici, etiam in eos quibus ni-

S. Auguſt. Tract. 65. in Johann. hil debetis. Dilectio iſta, exuto vetere, induit nos hominem novum. Hæc antiquos etiam juſtos, Patriarchas, & Prophetas, ſicut poſtea ſanctos Apoſtolos innovavit: ipſa & nunc innovat Gentes, & ex univerſo genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarum, facit & col-

1. *Cor.* 12. 26. ligit populum novum, corpus novæ nuptæ, Filii Dei unigeniti Sponſæ. Propter quod pro invicem ſollicita ſunt membra in ea, & ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, & ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Audiunt enim atque cuſtodiunt, „ *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem di-* „ *ligatis*: non ſicut ſe diligunt qui corrumpunt; nec ſi- „ cut ſe diligunt homines quoniam homines ſunt: ſed „ ſicut ſe diligunt quoniam dii ſunt & filii Altiſſimi om- „ nes, ut ſint Filio ejus unico fratres, ea dilectione in- „ vicem diligentes, qua ipſe dilexit eos, perducturus eos „ ad illum finem qui ſufficiat eis, ubi ſatietur in nobis „ deſiderium eorum. “

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. „ Quid Chriſtus niſi Deum dilexit in nobis? „ Non quod habebamus, ſed ut haberemus: ut perducat „ nos ubi ſit Deus omnia in omnibus. Sic etiam Medicus „ recte dicitur ægros diligere: & quid in eis niſi ſalu- „ tem diligit, quam cupit utique revocare, non mor- „ bum, quem venit expellere? *Sic ergo & nos invicem* „ *diligamus, ut quantum poſſumus, invicem ad haben-* „ *dum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus*. Hanc „ dilectionem nobis donat ipſe qui ait, *Sicut dilexi vos,* „ *ut & vos diligatis invicem*. Ad hoc ergo nos dile- „ xit, ut & nos diligamus invicem: hoc nobis confe- „ rens diligendo nos, ut mutua dilectione conſtringamur „ inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris cor- „ pus tanti Capitis ſimus. “ Chriſtiana amicitia ſola illa eſt, qua homines in Deo, & propter Deum, per Spiritum Chriſti Jeſu ſe diligunt. Hæc propria nota Chriſtianorum, gratuita caritas, non quærens quæ ſua ſunt. Illos diligere qui nos diligunt, & nobis benefaciunt, amicitia mere humana eſt; illos diligere, qui nulla nobis benevolentiæ teſtimonia exhibent, immo & qui nos oderunt, quia mandatum Domini eſt, caritas eſt propria diſcipulorum Chriſti. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: tamquam diceret: „ Alia munera mea vobiſcum habent eti- „ am non mei, non ſolum naturam, vitam, ſenſum, ra- „ tionem, & eam ſalutem, quæ hominibus pecoribuſque „ communis eſt; verum etiam linguas, ſacramenta, pro- „ phetiam, ſcientiam, fidem, diſtributionem rerum ſua- *S.Aug.ibid* „ rum pauperibus, & traditionem corporis ſui, ut arde- „ at: ſed quoniam caritatem non habent, ut cymbala „ concrepant, nihil ſunt, nihil illis prodeſt. Non ergo „ in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere poſ- „ ſunt etiam non diſcipuli mei; ſed *In hoc cognoſcent* „ *omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis* „ *ad invicem*. “ Hoc ſigno primi Chriſtiani noſcebantur. 1.*Cor.*15.7. „ Ejuſmodi vel maxime dilectionis operatio notam vobis *Tertullian.* „ inurit penes quoſdam (*ait Tertullianus*). Vide, in- *Apolog.* 30. „ quiunt, ut invicem ſe diligant . . . & ut pro alteru- „ tro mori ſint parati. “

36. 37. 38. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Reſpondit ei Jeſus: Quo ego vado, non potes me modo ſequi; ſequeris autem poſtea*. „ Quid feſtinas Petre? Non- „ dum te ſuo Spiritu ſolidavit Petra. Noli extolli, pre- „ ſumendo, *Non potes modo*: “ Noli dejici deſperando, *S. Auguſt.* „ *ſequeris poſtea*. Cum ſe unuſquiſque noſtrum non poſſe operari bonum ſupernaturale perſpexerit, ad Deum confugiat, & *oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis*. Quamvis infirmitatis noſtræ conſcii ſumus, in Domino confidentes dicamus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat:* ſed ne confidamus in nobis, ne de viribus noſtris præſumamus: *Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam*. „ Voluntatem *S. Auguſt.* „ ſuam jactabat infirmus, ſed inſpiciebat valetudinem Me- *Tract.66.in* „ dicus. Iſte promittebat, ille prænoſcebat: qui neſcie- *in Johann.* „ bat, audebat: qui præſciebat, docebat. Quantum ſibi „ aſſumpſerat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid „ poſſet? Reſpondit ei Jeſus: *Animam tuam pro me po-* „ *nes? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec* „ *ter me neges*. Ita-ne facies pro me, quod ego nondum „ pro te? Præire potes, qui ſequi non potes? Quid tan- „ tum præſumis? Quid de te ſentis? Quid eſſe te credis? „ *Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter* „ *me neges*. Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna „ loqueris, & te parvulum neſcis. Qui mihi promittis „ mortem tuam, ter negabis Vitam tuam. Qui te jam „ putas mori poſſe pro me, prius vive pro te: Nam ti- „ mendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. „ Quanta enim vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt „ negare Chriſtum. “ *Non cantabit gallus, donec ter me neges*. In anima itaque Petri præceſſit quod offerebat in corpore. Non tamen pro Domino, ut temere præſumebat, præceſſit, ſed aliter quam putabat. Namque ante mortem & reſurrectionem Domini & mortuus eſt negando, & revixit plorando: ſed *Mortuus eſt quia ſuperbe præſumſit, revixit autem quia benigne ille reſpexit*.

Obſervatione dignus eſt S. Joannis Chryſoſtomi Commentarius, deſertionem Petri a gratia divina, in ejus præſumptionem pariter refundentis. „ Quid dicis, Pe- „ tre? dicenti, Non potes, te poſſe dicis? Experientia „ cognoſces nihil eſſe dilectionem tuam ſine gratia divi- „ na. Unde conſtat hunc caſum Jeſum pro ipſius utilitate „ permiſiſſe. Nam cum aſſertionis ſuæ fervore quodam non „ ſtaret Petrus, non quidem impulit ad negandum, ſed de- „ ſertum reliquit, ut ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem. “

CAPUT XIV.

Senſus Litteralis.

1. NON *turbetur cor veſtrum* his quæ dixi vobis de traditione mea ab uno veſtrum, de negatione ab altero, de morte mea, de periculis quæ ſubituri eſtis, *neque formidet*: ſed fide firmetur in Deum, & in

me

me Filium ejus unicum propter vos hominem factum. *Creditis in Deum & in me credite.* Sicut creditis Deum esse veracem & fidelem in promissis, ideoque in eo fiduciam collocare didicistis ut in Patre; & ejus ope tametsi illum non videatis, vos liberandos confiditis ex periculis:
S. Cyr. lib. 9 in Jo. p. 762 sic & in me ut Dei Filio, Redemptore vestro, Ecclesiæ
S. August. Tract. 67. in Jo. n. 1. auctore, & capite, verace, & in promissis fideli fiduciam collocate, certi quod numquam vos deseram, tametsi corpore absens, sed in omnibus periculis ero adjutor vester. Ex hoc loco duplex veritas confirmatur. 1. Divinitas Christi. *Creditis in Deum, & in me credite.* 2. Necessitas fidei explicitæ in Christum Deum & hominem, hominumque redemptorem per mortem & resurrectionem suam.

2. 3. 4. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quia Discipulis dixerat, *Quo ego vado, vos non potestis*
Tertull. in Scorpiaco. *venire:* & Petro; *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea*, metuebant ne ipsi Regno cœlorum excluderentur. Eos ergo consolatur his verbis: *In domo Patris mei*, in regno cælorum *mansiones multæ sunt*, varii gloriæ gradus, pro varietate meritorum servis meis destinati. *Si quo minus dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum.* Si locus non esset vobis, hoc aperte vobis dixissem: sed tantum abest ut id vobis dicam, ut contra abeam parare vobis locum. *Et si abiero, & præparavero vobis locum*, cœlum referans hucusque hominibus inaccessum, *iterum venio*, in novissimo die, & in morte uniuscujusque vestrum, *& accipiam vos ad me ipsum*, non anima tantum, sed & corpore glorificatos, æternumque victuros, *ut ubi sum ego & vos sitis*; ut in cœlo, ubi sum secundum divinitatem meam, & mox futurus sum etiam ut homo, ad dexteram Patris, sitis & vos con-
Rom. 8. 17. sortes felicitatis meæ. *Et quo ego vado, scitis, & viam scitis.* Sæpe enim dixi vobis me ad Patrem ire & quidem per mortem. Id, inquam, ex dictis meis facile intelligere potestis.

5. 6. 7. *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis; & quomodo possumus viam scire?* Nescimus quem in locum abeas, & quomodo possumus viam scire in hunc ignotum locum? Utrumque illos scire Dominus dixerat, utrumque se & Condiscipulos nescire Thomas asserit, & locum quo itur & viam qua itur. Sed mentiri Christus
S. August. Tract. 60. in Johann. non potest: illi ergo sciebant, & scire se nesciebant. Scimus aliquid habitu, ignoramus actu, quia non recordamur, nec mentem applicamus, aut non satis capimus. Apostoli Christum noverant, qui via est per quam ad cœlum patet aditus; sed ipsum esse viam nondum sciebant; noverant regnum cœlorum; sed non intelligebant hunc esse locum ad quem Christus iret. Non capiebant denique Passionis ejus, resurrectionis, & Ascensionis Mysterium, & quod hac via iturus esset ad Patrem. *Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Ego sum via illa de qua quæritis, qua ad Patrem itur; ego veritas & vita ad quam pervenitur. Doctrina unicam salutis monstro viam, exemplo præeo, merito viam aliis clausam aperio; gratiæ meæ virtute illos ambulare facio, & per fidem deduco ad Patrem. *Ego sum via veritas & vita* ad quam pervenitur, in cujus cognitione & fruitione vita æterna & beata posita est. Sive, ego sum doctor veritatis, cui credere, auctor vitæ, quam sperare, & ad quam tendere debetis. Ego sum veritas implens promissiones & ceremonias Legis, docens scientiam salutis, promittens & præstans æterna bona. Ego do vitam æternam, ad eam morte & resurrectione mea introduco. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, quatenus Mediatorem & Redemptorem, nemo nisi mihi & in me credat, nemo nisi me docente, ducente, operante, ad Patris cognitionem & fruitionem pervenire potest. *Si cognovissetis me*, plene & perfecte, *& Patrem meum utique cognovissetis*, siquidem unus sum cum ipso Deus; una Patris æterni, Filiique natura, & Filio fide cognito, qui ex Patre genitus, & ad Patrem est, cognoscitur etiam Pater. *Et amodo cognoscetis eum*, posthac, accepto Spiritu sancto, perfecta fide, magisque explicita, magis illuminata, magis firma eum cognoscetis: *& vidistis eum*, per opera miraculorum, quæ mecum & per me indivisim operatur. Secundum vim Græci Textus verti potest: *jam nunc cognoscitis & vidistis eum*, in me scilicet qui sum Filius ejus unicus: ut si quis dicat ei qui imaginem alicujus vidit, Jam illum ex lineamentis novisti. Norunt scilicet creduntque explicite Christiani Christo Jesu revelante ac docente, Mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod Judæi obscurius & fide magis involuta & implicita credebant. „ Lex enim Mosaica filiis Israel inclamabat:
S. Cyr. lib. 9 pag. 713. „ *Dominus Deus tuus unus est*: neque de Filio mentio-
„ nem aperte faciebat, sed a multorum Deorum cultu
„ eos dumtaxat abstractos, ad unius adorationem voca-
„ bat. Dominus autem noster Jesus Christus homo factus,
„ per multa signa & opera manifestavit nobis per seipsum
„ Patrem, unamque ostendit Deitatis naturam in sancta
„ Trinitate, vere subsistentem. Illud itaque, *Amodo*, ait,
„ propter imperfectionem cognitionis eorum qui sub Lege
„ erant. "

8. 9. 10. 11. *Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis*
S. Chrys. Hom. 73. in Johann. *Patrem*, fac ut Patrem videamus præsentem, sicut te videmus; *& sufficit nobis.* Nihil ultra quærimus; ejus visione donatis nihil ad solatium ac beatitudinem deerit. Patrem eodem modo videre volebat Philippus, quo Christum, eo saltem modo quo Prophetas Deum vidisse Scripturæ commemorant. Discipulum rudem adhuc & imperitum, in eoque omnes Magister optimus erudit. *Dicit ei Jesus: tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Cum a tanto tempore vobiscum familiariter agam, nondum nosti qualis sim natura, & unde sim? Nondumne intelligis me verum esse Dei Filium, qui a Patre exivi, & veni in mundum, ut homines salvem? *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Qui me recte pleneque novit fide perfecta, eadem fide novit & Patrem, cujus sum imago subsistens, viva & perfecta. *Quomodo* ergo *tu dicis; Ostende nobis Patrem?* cum nemini Pater ignotus esse possit, qui me optime noverit. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Secundum Textum Græcum, *non credis?* cum natura unum simus. His verbis 1. Personalis Patris & Filii distinctio explicatur, siquidem nihil est proprie in seipso. 2. Unitas essentiæ sive consubstantialitas; alioqui viso uno non videretur alter. 3. Ineffabilis personarum complexus, quem Theologi *Immanentiam & Circuminsessionem* vocant. *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor*; non ita mea sunt, ut non sint Dei Patris, a quo genitus sum. Ei quippe tribuit quod facit, a quo est ipse qui facit: *Pater autem in me manens ipse facit opera.* Ab eo enim inseparabilis sum potestate, & essentiæ unitate. *Non cre-* *S. August.*
ditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin *Tract. 71.*
propter opera ipsa credite. Ejusque communionem naturæ *in Johann.*
testantur ac demonstrant opera quæ solius Dei esse possunt. Indivisa opera indivisam potestatem: indivisa potestas indivisam naturam probant, quia in Deo idem est posse ac esse. Opera ergo probant quod ego in Patre, & Pater in me est. Neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus.

12. 13. 14. *Amen, amen dico vobis, Qui credit in me*, qui me esse Filium Dei credit, Patri consubstantialem, *opera quæ ego facio & ipse faciet*, fidei suæ merito per me potestatem obtinebit patrandi miracula similia his quæ ego edidi, scilicet dæmones ejiciendi, curandi infirmos, suscitandi mortuos: *& majora horum faciet:* his majora tum amplitudine, tum quodam faciendi modo patrabit. Majus enim fuit umbræ suæ transitu, quod Discipuli fecerunt, quam fimbriæ suæ tactu, quod ipse Dominus fecit, sanare languentes; & plures Apostolis prædicantibus, & miracula facientibus crediderunt, quam ipso Domino ore proprio prædicante, & miracula faciente. Per eorum enim prædicationem & miracula gentes integræ crediderunt. Hic istius sententiæ sensus: *Opera quæ ego* *S. August.*
facio, & ipse faciet, & majora horum faciet; quia ego *Tract. 72.*
ad Patrem vado: & me ad cœlos assumpto plura fieri *in Johann.*
miracula necesse erit ad fidei propagationem & Ecclesiæ nascentis incrementum. Ideo ad Patris dexteram sedens, potestatem dabo discipulis ac fidelibus meis per Spiritum sanctum quem illis mittam, similia, immo & majora miracula edendi. Quamvis autem quædam Apostolorum, & aliorum Sanctorum opera quodam modo majora fuerint miraculis Christi; non tamen majores Magistro discipuli, Domino servi, Unigenito adoptati, homines Deo: sed per eos majora illa opera facere dignatus est, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Majora facere per eos, quam præter eos, *non est defectio, sed dignatio.* Quid enim retribuant servi Domino, pro omnibus quæ retribuit eis? Quandoquidem inter cetera bona etiam hoc eis donare dignatus est, ut majora faceret per illos, quam præter illos. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* Quidquid per me, nomenque meum invocando, petieritis a Patre, quod ad gloriam Dei, Divinitatisque meæ manifestationem, ad confirmationem fidei pertineat; hoc faciam. Non ait, Hoc Pater dabit vobis, hoc vobis a *S. Cyr. lib. 9*
Patre impetrabo, sed, *hoc faciam*, ut ostendat se æque *pag. 809.*
ac Patrem exaudire preces fidelium, seque unum esse cum Patre Deum, unam esse utriusque operationem, omnipotentiam, essentiam. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Quicquid petieritis a me cum fide, & fiducia in meritis meis, non solum miracula, cum his opus erit, sed omnia spiritualia dona, & superna munificentia digna, omnia ad salutem vestram necessaria, hæc vobis præstabo. Neque vero ut alienæ bonitatis ac munificentiæ minister id spondet, sed ut cuncta habens in sua potestate, cum Patre & ipse existens, is per quem omnia & a nobis in Deum, & in nos ab ipso. Idcirco S. Paulus conjunctas pariter bonorum largitiones dignis semper adprecatur, dicens: *Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.*

15. 16. 17. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Constantem in me amorem, postquam a vobis abiero, non luctu, sed obedientia & fideli præceptorum meorum observantia comprobate: *& ego*, ut Mediator Dei & hominum, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum*, id est, consolatorem, *dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:* Qui non aliquot annis apud vos sit, ut ego fui,

sed

sed corda vestra perpetuo inhabitet: *Spiritum veritatis*, id est Spiritum veracem, veritatis doctorem, vel, Spiritum a me, qui sum Veritas, non minus quam a Patre procedentem: *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* Quem homines carnales & huic sæculo, rebusque temporalibus addicti, recipere non possunt, quia non curant nisi quæ oculis corporeis videntur: Spiritus autem ille sensibus corporis percipi non potest: nec illum intelligunt fide, aut gustant affectu. *Vos autem cognoscetis eum*, Vos a mundo & moribus ejus segregati, quamvis Spiritum sanctum corporeis oculis non videatis, quod impossibile est: illum tamen cognoscetis, *quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Vobiscum interius conversabitur familiariter, ac perseveranter, ut vos doceat, defendat, consoletur: & in animis vestris inhabitabit non solum ratione gratiæ ac donorum suorum, sed intima numinis sui ac personæ suæ communicatione. *Alium Paracletum* vocat, quia & ipse Christus consolator est & advocatus fidelium: & Deus unus in tribus personis Deus est totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

18. *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.* Morte ac discessu meo ex hoc mundo non vos relinquam ut filios orbos parente, cito resurgam, & visibiliter vobis adero redivivus: invisibiliter autem cum Spiritu sancto, a quo sum inseparabilis, ut Deus. Vel, veniam ad vos, continua vestri & Ecclesiæ meæ cura, regimine, protectione, & donorum spiritualium communicatione.

S. Chrys. Hom. 74. S. Cyrill. lib. 9. p. 812. S. Aug. Tract. 57.

19. 20. *Adhuc modicum: & mundus jam me non videt.* Brevi præsentiam meam corporalem subtraham mundo, id est, hominibus a mea disciplina alienis, ab illis non conspiciar amplius: *Vos autem videbitis me*: id est, non semel videbitis me post mortem meam: *Quia ego vivo: & vos vivetis*: quia reviviscam a morte, & vita spirituali vivetis, vita gratiæ; & aliquando etiam vita gloriæ, vita beatifica & æterna, virtute mortis & resurrectionis meæ.

In illo die, sive tempore quod resurrectionem meam sequetur, cum victor mortis apparebo, vos cognoscetis multo quam ante hac perfectius, per intelligentiam Scripturarum, & per rei ipsius experimentum: *Quia ego sum in Patre meo* per essentiæ unitatem, ut Filius unigenitus, verusque Deus: *& vos in me:* ut membra in corpore, ut palmites in vite, per Incarnationem meam: *& ego in vobis*, tamquam caput in membris, ea regens & in ea influens gratiam & caritatem. His verbis similitudo unitatis quæ inter nos & Christum, & inter Christum & Patrem intercedit, non æqualitas significatur. Vel, *In illo die*, cum ad vitam immortalem & beatam resurrexeritis, cognoscetis non per fidem, ut modo, sed per visionem intuitivam Dei ut in se est, *quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* „ In quo „ die, inquit S. Augustinus, nisi de quo ait, *& vos „ vivetis*? Tunc enim erit ut possimus videre quod credimus. Nam & nunc est in nobis, & non in illo: „ sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus; „ quamvis & nunc credendo noverimus, sed tunc contemplando noscemus. Quamdiu enim sumus in corpore quale nunc est, id est corruptibile quod aggravat „ animam, peregrinamur a Domino: per fidem enim „ ambulamus, non per speciem. Tunc ergo per speciem, „ quoniam videbimus eum sicuti est. Nam si etiam nunc „ Christus in nobis non esset, non diceret Apostolus: „ *Si autem Christus in nobis, corpus quidem mortuum „ est propter peccatum: spiritus autem vivit propter justificationem.* Quod vero etiam nunc nos in illo simus, „ satis ostendit cum ait: *Ego sum vitis, vos palmites.* „ In illo ergo die, quando vivemus in vita qua mors „ absorbebitur, cognoscemus quia ipse in Patre, & nos „ in ipso, & ipse in nobis: *Quia tunc perficietur hoc „ ipsum, quod & nunc inchoatum est jam per ipsum, „ ut sit in nobis, & nos in ipso.*“

S. Aug. Tr. 75. in Jo.

Rom. 8. 10. Jo. 15. 5.

21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Qui mandata mea fide complectitur, memoria tenet, studioque & affectu mihi placendi illis obedit, ille est qui me vere diligit: operibus enim dilectio probatur. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*, non jam quasi servus, sed quasi filius: *& ego diligam eum.* Nova illi amoris mei quo eum præveni cum Patre, & prior dilexi ut diligeret & mandata servaret, nova in dies argumenta & pignora dabo, novis eum cumulando beneficiis, *& manifestabo ei me ipsum*, singulari, perfectiore, plenioreque modo in hac vita; & per essentiæ meæ intuitivam & beatificam visionem in altera.

S. Cyrill. Alexand. lib. 10. in Jo. p. 828. S. Aug. Tr. 75. in Jo.

22. 23. *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes*, qui jam instigante Satana exiverat, sed Thadæus, frater Jacobi: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo?* Quid causæ est cur te toti mundo non sis manifestaturus, cum & Prophetæ prædixerint, & tu hactenus promiseris, quod regni tui gloriam gentibus omnibus manifestare, omnia ad te trahere, mundum salvare velles? Ex ignorantia processit Discipuli hujus interrogatio. *Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit*: Quicumque homo diligit me, dilectionem suam observantia mandatorum meorum demonstrabit: *& Pater meus diliget eum*, sicut & ego, cum una sit voluntas Patris & mea, una dilectio: *& ad eum veniemus*, per gratiæ & benedictionis omnis spiritualis incrementum; *& mansionem apud eum faciemus*, firmam & stabilem velut in templo nostro, faciendo ut in dilectione & bonis operibus perseveret.

Natal. Alex. In Evang.

24. 25. 26. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Qui præcepta mea non observant, illi certe non me diligunt, ac proinde tanto indigni sunt honore, ut ad eos veniamus, & in eorum animis inhabitemus. *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris.* Non mirum si Pater non honoret eos qui præcepta mea contemnunt: cum a me non sint originaliter profecta, non a me adinventa, non mei solius auctoritate edita, sed & Patris, ex quo genitus, & a quo missus sum. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens*, præsentia corporali, quam vobis brevi subtraham. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Consolator Spiritus sanctus, quem Pater mittet per me, & propter meritum meum: sive, quem mittet ut opus meum perficiat, ac vice mea vos dirigat, confirmet, consoletur, ille vos interius docebit omnia Mysteria adventus mei, vobisque omnium perfectam intelligentiam subministrabit, quam assequi modo non potestis: & quæcumque dixi vobis in memoriam revocabit. Ut Christus in nobis, ita & Spiritus ejus, idcirco ait: *Ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis.* Nam cum sit Christi Spiritus & mens ejus, non aliud quiddam existens ab ipso, naturalis identitatis ratione, licet in propria hypostasi intelligatur ac sit, omnia novit quæ in eo sunt. *Quis enim scit* (inquit S. Paulus) *quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Quocirca ut qui novit omnia quæ sunt in voluntate Unigeniti, omnia nobis annuntiat, non disciplina comparatam scientiam habens, ne ministri vicem implere videatur, & alterius sermones deferre, sed ut Spiritus ejus, & qui citra doctoris operam novit omnia quæ sunt ejus, ex quo & in quo est, divina Sanctis revelat Mysteria; ut exponit S. Cyrillus Alexand.

S. Cyrillus lib. 16. in Jo. p. 837. 1. Cor. 2. 11.

27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Pacem velut hæreditarium munus vobis relinquo valedicens: non tantum adprecor & opto vobis pacem, sed do ut auctor & Princeps pacis: non temporalem & mundanam, sed *meam*, interiorem, spiritualem, cœlestem, quæ exsuperat omnem sensum. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mundus enim, idest, homines qui secundum mundum vivunt, pacem verbis inanibus, adulatoriis, & ficto sæpe animo adprecantur: ego verbis efficacibus, quæ præstant id quod optant. Pax, quam reliquo vobis, sincera, firma est. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Non turbemini, quod vos ultimum vale dicam, neque animo pavidi sitis quasi meo proxime destituendi præsidio.

28. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos.* Repetite memoria, quæ paulo ante dixi, me vadere ad Patrem moriendo, sed cito reversurum ad vos resurgendo. *Si diligeretis me*, puro illo & perfecto amore qui proprium commodum non spectat, sed bonum, gloriam, voluntatem & beneplacitum personæ amatæ, *gauderetis utique quia vado ad Patrem*, mihi potius gratulari & congaudere deberetis ob meum hinc discessum & profectionem ad Patrem, quæ in gloriam meam cedet: *Quia Pater major me est*, secundum eam naturam spectato qua ad ipsum vado; major est, inquam, ratione gloriæ ac majestatis, ad quam me in præmium exinanitionis meæ & susceptæ formæ servi exaltabit. Christus enim *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens . . . Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Pater autem se non humiliavit, sed mansit in gloria & majestate. Major itaque est eo, qui ex dispensationis ordine minorationem suscepit, quique in ea fuit, donec gloriam & majestatem dignam Filio Dei acciperet, in ea natura, in qua se propter nostram salutem depresserat, sedens ad dexteram Patris, indutus decore, pristinaque fortitudine præcinctus.

Philipp. 2. S. Cyrill. lib. 10. in Jo. p. 845.

Observandum, hanc Christi sententiam, *Pater major est*, veterum Patrum alios ad naturam humanam referre, ut SS. Cyrillus, Augustinus, &c. alios ad divinitatem, ut nomen majoris non substantiæ inæqualitatem dicat, quæ una est Patris, Filii, & Spiritus sancti, sed originem, quia Filius est a Patre. Sic exponunt SS. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius. Neuter sensus consubstantialitati Patris & Filii derogat.

29. *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Hæc omnia prædixi vobis, prius quam eveniant, ut cum fuerint completa, firmius credatis me Filium esse Dei: & ut mihi magis magisque confidatis,

fidatis, & fidem adhibeatis ceteris quæ prædixi de auxilio meo vobis nunquam defuturo, & de vestra in gloriæ meæ consortium assumptione.

30. 31. *Jam non multa loquar vobiscum*, ob angustias temporis quod mihi ad mortem usque supereſt: *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*: Diabolus enim ministros suos mox impellet ut in me totis viribus sæviant: quamvis nihil juris habeat ut me occidat, nec mihi sit prævaliturus: Non ideo morior quod mortis debitor sim, *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Sed ut humano generi patefaciam amorem quo Patrem diligo, meamque ejus mandato de morte sic subeunda obedientiam. Loquitur Christus ut homo. *Surgite, a mensa, eamus hinc*. An statim exiverit Jesus, an aliquandiu manserit in cœnaculo donec divinum illum Sermonem compleret, an quæ sequuntur Discipulis dixerit in itinere, non consentiunt Interpretes. Probabilius est in Cœnaculo dixisse. Id enim probare videtur initium Capitis 18. *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron*.

SENSUS MORALIS.

1. NON *turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite*. Turbationem sentientis appetitus impedire non semper in nostra potestate est: sed cordis turbationem impedire possumus cum gratia Dei; si firma sit fides nostra, si pia in gratia Christi Jesu fiducia. In omnibus igitur tentationibus & rebus adversis actus fidei & spei frequentiores & serventiores exerceamus; per Christum accedamus ad Patrem, ut cor nostrum perpetua pace fruatur. *Non turbetur cor vestrum*. Magnum enim ad virtutem subsidium est mens imperterrita, sed hoc gratiæ Christi donum est. Animus enim superna gratia nondum firmatus, timidus est, facileque turbari & concuti solet. Unde S. Paulus Philippensibus bene precatur his verbis: *Pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*. Fides autem cor firmat, roborat, serenat, ut dicere possit: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Fides itaque armatura est infracta & lata, quæ ignaviam ac terrorem avertit, & nequitiæ tela irrita & inutilia prorsus efficit.

S. Cyrill. Alexand. lib. 9. in Jo. p. 761.

Philipp. 4. 7.

Psal. 126. 10.

2. 3. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum: Et si abiero, & præparavero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum*, &c. Spe vitæ & beatitudinis æternæ, Apostolorum & omnium fidelium animos excitat, erigit, consolatur Salvator noster. Illis quos ab æterno ex gratuita misericordia prædestinavit, quibus morte sua gloriam meruit, illis Ascensione sua cœlum reseravit. Paravit autem electis suis diversos gloriæ gradus, pro inæqualitate meritorum quæ in illis per gratiam suam creavit. Confidite ergo, & satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Nec despondeatis animos, quamvis sitis imperfecti: „ Quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, „ alius alio justior, alius alio sanctior: *In domo Patris mei „ mansiones multæ sunt*. Nullus eorum qui Dei manda„ ta servant, & in eorum observantia fideliter perseve„ rant, alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro „ suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem „ ille æqualis est omnibus, quem Pater-familias eis qui „ operati sunt in vinea jubet dare omnibus, non in eo „ discernens qui minus & qui amplius laboraverunt: quo „ denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo „ vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate „ mensura. Sed multæ mansiones, diversas meritorum in „ una vita æterna significant dignitates. " *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic erit resurrectio mortuorum*. „ Tamquam stellæ sancti diversas man„ siones diversæ claritatis, tamquam in cœlo sortiuntur „ in regno; sed propter unum denarium nullus separa„ tur a regno: atque ita Deus erit omnia in omnibus, „ ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut „ quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim „ quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod „ ipse non habet. " *Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis*.

S. August. Tract. 67. in Johann.

1. Cor. 15. 48.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. „ Mansio„ nes præparavit, & præparat, qui fecit quæ futura „ sunt. Præparavit prædestinando, præparat operando. „ Unde ait: *Vado parare vobis locum*. Hæc domus Dei, „ regnum Dei adhuc ædificatur adhuc paratur, adhuc „ congregatur. In illo erunt mansiones, sicut eas ad„ huc parat Dominus: in illo jam sunt, sicut prædestina„ vit Dominus „ . . . Fide autem locus in cœlis nobis paratur, fide, inquam, per dilectionem operante. Vadit ergo Dominus ad Patrem, ne videatur, latet ut credatur, ut creditus desideretur, desideratus habeatur. *De-*

S. Aug. Tr. 68. in Jo.

siderium dilectionis, præparatio est mansionis. Quia vado parare vobis locum. *Parat quodammodo mansiones: mansionibus parando mansores*. Domine Jesu, para locum & tibi in nobis, & in te nobis, qui dixisti: *Manete in me, & ego in vobis*.

Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum. „ Apparuit ergo „ Christus Jesus tamquam homo pro nobis Patri, ut nos „ qui ab ejus vultu propter veterem prævaricationem re„ pulsi fueramus, rursus coram Patre sisteret. Sedet ad „ dexteram ejus ut Filius, ut nobis adoptionem filiorum „ Dei tribueret. " Unde S. Paulus ait: *Et conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu*. Id autem omni ex parte non perficietur & consummabitur in nobis donec iterum veniat ad nos Christus in fine sæculi, & ab eo suscitati ad vitam immortalem, gloriosam, beatam, rapiamur illi obviam in aera, ut semper cum illo simus. *Iterum venio, ut accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis*.

S. Cyrill. lib. 9. in Jo. p. 764. Ephes. 2. 6.

6. *Ego sum via, veritas, & vita*: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Filius Dei qui semper in Patre veritas & vita est, assumendo hominem factus est via. *Ambula per hominem, & pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere qua ad illum venias, præter ipsum*. „ Si enim via esse ipse noluisset, „ semper erraremus. Factus ergo via est qua venias. „ Non tibi dico, Quære viam. Ipsa via ad te venit, „ surge & ambula. "

„ Tenere viam mediam, veram, rectam, tamquam in„ ter sinistram desperationis & dexteram præsumptionis, „ difficillimum esset nobis, nisi Cristus diceret, *Ego sum „ via, veritas, & vita*. Tamquam diceret, Qua vis „ ire? *Eo sum via*. Quo vis ire? *Ego sum veritas*. „ Ubi vis permanere? *Ego sum vita*. Securi ergo am„ bulemus in via: sed insidias timeamus juxta viam. „ Inimicus insidiari non audet in via; quia Christus est „ via: sed juxta viam plane non desinit. Unde in Psal„ mo dicitur, *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*. „ Quid metuis, si in via ambulas? Tunc time, si dese„ ris viam. Nam ideo etiam permittitur inimicus po„ nere juxta viam laqueos, ne securitate exsultationis „ via deseratur, & in insidias incidatur. " *Via Chri„ stus humilis: Christus veritas & vita, Christus ex„ celsus & Deus. Si ambules in humili, pervenies ad „ excelsum. Si infirmus humilem non asperneris, in excel„ so fortissimus permanebis*.

S. Aug. ser. 141. alias 55. de Verbis Domini.

S. Aug. ser. 141. alias 54. de Verbis Dom. & 34. ex Hom. 50. Psal. 139. 6

Ego sum via, veritas, & vita. In Christo ut homine minime sistere debemus, quia via nostra est; ad illum ut Deum tendere debemus. Ex quo intelligitur „ quam nul„ la res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Do„ minus, in quantum via nostra esse dignatus est, teneri „ nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, „ quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis, „ hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus ala„ criter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a tem„ poralibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, „ provehi atque pervehi mereamur. "

S. Aug. lib 1. de Doctrina Christi, cap. 34.

Ego sum via, veritas, & vita: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Solus Christus Jesus via nostra est, ut Mediator per sanguinem suum; veritas promissionum, quæ in illo solo ut capite electorum, & in nobis ut membris ejus complentur; vita nostra, ut principium vitæ, omniumque actionum Christianarum per gratiam suam. Via est, exemplo; veritas, verbo; vita, gratiæ suæ dono. Ipse demonstrat via. Via ista ambulantes quærit. „ Tria sunt homi„ num genera quæ odit: *remanentem, retro redeuntem, „ aberrantem*. Ab his tribus generibus malis Domino adju„ vante vindicetur & defendatur gressus noster. Jam vero „ cum ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius „ celerius. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeun„ tes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortan„ di, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via: „ qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius „ reliquerat, reversus est retro: qui fidem deserit, a via „ erravit . . . Quis est qui non proficit? Qui se putaverit „ esse sapientem: qui dixerit, Sufficit mihi quod sum, „ qui non dicit cum Apostolo: Unum autem, quæ quidem „ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora ex„ tendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium „ supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Qui sunt re„ tro redeuntes? Qui ex continentia revertuntur in im„ munditiam, qui ex sancto & singulari bono proposito „ virginitatis divertuntur in turpitudines voluptatis, & „ corrupta mente corrumpunt simul & carnem. Hos in„ crepat Apostolus Petrus, dicens: Melius erat illis non „ cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem re„ trorsum converti. O malum, retro respicere! Uxor „ enim Lot, quæ liberata a Sodomitis, contra præce„ ptum retro respexit, quod evaserat perdidit. Nec im„ merito in statuam salis repente conversa est, ut sa„ tuos suo etiam exemplo condiret. Qui sunt & aberran„ tes? Omnes hæretici, qui relicta veritatis via errando

S. Aug. lib. de Cantico novo c. 4.

Philipp. 3. 18.

2. Petr. 2. 21.

„ per

„ per desertum latrocinantur, & animas captant in pec-
„ catis præpediuntque ne quis ad patriam valeat perve-
„ nire: effecti lupi semitarii induti ovina pelle, cum
„ sint intus lupi rapaces; prædicantes Christum viam,
„ & qui eos sequuntur ducentes ad mortem. "

8. *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Deus totum hominis, *qui replet in bonis desiderium nostrum.* Præter illum, qui solus verum summumque bonum est, nihil desiderandum. Quid ergo res creatas, temporales, perituras quærimus? *Animam Dei capacem quidquid Deo minus est non implebit.* Sanandus & purgandus est per fidem & caritatem oculus cordis, ut videre possimus Deum sicuti est, similes ei per gratiam consummatam effecti.

9. *Dicit eis Jesus; Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* &c. Tanto tempore Deus nobiscum est per creaturas suas nobis potentiam suam, sapientiam, providentiam, bonitatem demonstrans; suis nos cumulans beneficiis, per Legem suam & Evangelium nos docens, per gratiæ suæ inspirationes nos urgens, per flagella sua nos admonens, ut eum velut Deum nostrum ac Dominum cognoscamus, ut ei tanquam Patri nostro obediamus: & tamen nondum cognoscimus eum, ut par est,
Isai 1. cognitione cum amore & bonis operibus conjuncta. „ Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe do-
„ mini sui: Israel autem me non cognovit, & populus
„ meus non intellexit. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi
„ autem spreverunt me. "

13. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* Ut obtineantur miracula, cum firma fide & fiducia filiali a Patre postulanda sunt per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, per ejus Mysteria & merita, intuitu amoris ejus erga Patrem, zeli ejus pro gloria Patris, sacrificii pro Ecclesia sua ab ipso oblati. 2. Sanctos miracula facere minime credendum est, sed Deum per intercessionem sanctorum. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* 3. Sola Dei gloria, non temporalis utilitas nostra quærenda est. Dei enim omnipotentia humanæ cupiditati non servit, sed omnia propter unam ejus gloriam operatur, qui rerum omnium principium & finis est. *Ut glorificetur Pater in Filio.*

14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Cur non semper exaudimur Deum orantes, nisi quia male petimus? *Petitis & non accipitis*, ait S. Jacobus Apo-
Jacobi 4. stolus, *eo quod male petatis, ut insumatis in concupiscentiis vestris.* Male ergo usurus eo quod vult accipere,
S. Aug. Tr. Deo potius miserente non accipit. *Proinde si hoc ab illo*
73. in Jo. *petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus.* Sic Israelitis manna cœleste fastidientibus, & carnes culpabili concupiscentia petentibus, concessit Deus magno eorum malo quod petebant. *Si quid petieritis me in nomine meo,* qui Salvator sum vester, si quid ad salutem vestram necessarium aut utile. „ Nam *Quodcumque petimus adver-*
Num. 11. 31. „ *sus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvato-*
„ *ris.* Et tamen ipse Salvator est, non solum quando fa-
„ cit quod petimus, verum etiam quando non facit: quo-
„ niam quod videt peti contra salutem, non faciendo
„ potius se exhibet Salvatorem. Novit *enim* Medicus
„ quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægro-
„ tus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem,
„ ut faciat sanitatem... Propterea non solum Salvator,
„ sed etiam Magister bonus, ut faciat quodcumque pe-
„ tierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit docuit quid
„ petamus: ut etiam sic intelligamus non petere nos in no-
„ mine Magistri, quod petimus præter regulam ipsius ma-
„ gisterii. Quæ autem in nomine ejus petimus, etsi non
„ tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim
„ quia petimus ut veniat regnum Dei, propterea non fa-
„ cit quod petimus, quia non statim cum illo in æter-
„ nitate. " *Differtur* enim *quod petimus, non negatur.* Verumtamen orantes tamquam seminantes, non deficiamus, tempore enim proprio metemus.

15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Nemo Deum diligit, qui mandata ejus non servat: Nemo Dei man-
S. Cyrill. data vere & ut par est servat, nisi qui Deum diligit.
lib. 9. in Observantia legis, probatio est dilectionis: dilectio prin-
Jo. p. 807. cipium est hujus observantiæ. Servus qui solo timore pœnæ legem exterius observat & mercenarius, qui temporalium commodorum intuitu, seipsos dumtaxat, non Deum amant; hypocritæ sunt, externi dumtaxat operis speciem Deo tribuunt, cor autem eorum longe est ab eo, & in creatura defixum. Caritatem operum cum fide conjungere, iis tantum congruit qui vere diligunt Deum. „ Quo-
„ circa demonstratio caritatis, & perfectissima ratio fi-
„ dei, est Evangelicorum Dogmatum, divinorumque præ-
„ ceptorum observatio. " *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui*
S. Aug. lib. *facit voluntatem Patris mei...* Qui dicit, Diligo Deum,
de Gratia & mandata ejus non custodit, mendax est. „ Quid bo-
Christi, „ ni faceremus, nisi diligeremus? (*inquit S. Augus-*
c. 26. „ *tinus*) aut quomodo bonum non facimus, si diligamus?
„ Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando a non
Nat. Alex. In Evang.
„ diligentibus, sed a timentibus fieri: tamen ubi non
„ est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte
„ bonum opus vocatur. "

16. 17. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Spiritus sanctus fideles consolatur. 1. Inspirando illis fiduciam Deum interpellandi ut Patrem optimum & beneficentissimum, *In quo clamamus, Abba, Pater.* 2. Bonorum cœlestium ac æternorum amorem inspirando. 3. Victores illos efficiendo tentationum, & peccati, quo uno malo affligi debent. Missio & donatio Spiritus sancti, fructus est laborum, orationum, passionis, & mortis Christi, qui & pro nobis Patrem semper interpellat ut Pontifex noster, ut Paracletum Spiritum sanctum det nobis, illumque una cum Patre nobis donat, ut maneat nobiscum in æter- *Rom.* 5. 5.
num, si tamen dilectores mundi non simus. Hunc enim mundus accipere non potest. Nam dilectioni hujus mundi, quæ ut minuatur & consumatur in nobis, continuo laborare debemus, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Verum, inquies, Quomodo Christus imperat Discipulis ut diligant eum, & ejus mandata servent, ut accipiant Spiritum sanctum, quem nisi haberent, profecto diligere, & mandata servare non possent? Respondetur, Spiritum sanctum jam habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligat. „ Jam itaque habebant Spiritum Discipuli, quem Domi-
„ nus promittebat, sine quo eum Dominum non dice- *S. Aug. Tr.*
„ bant; nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Do- *75. in Jo.*
„ minus promittebat. Habebant minus, dandus erat am-
„ plius. Habebant occulte, accepturi erant manifeste:
„ quia & hoc ad majus donum Spiritus sancti pertine-
„ bat, ut eis innotesceret quod habebant. " De quo munere loquens Apostolus ait: *Nos autem non spiritum* *1. Cor. 2. 12.*
hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

18. *Non vos relinquam orphanos; venio ad vos.* Pupilli facti sumus, sed non absque patre; quamvis enim corporalem ac visibilem præsentiam nobis subtraxerit Dominus Jesus, nobis tamen invisibiliter adest: nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Per fidem præsens est nobis Pater noster, in Corporis & Sanguinis sui Sacramento re ipsa nobis præsens est: *Psal.* 9. 14.
per gratiam sanctificantem & caritatem ad nos venit, & in nobis manet. Illum invocemus, illius adventum & præsentiam desideremus, cum fiducia dicentes: *Orphano tu eris adjutor.* Veni, Domine Jesu, & non derelinquas nos orphanos in hoc exilio. Imple quod promisisti, da ut impleamus & perficiamus quod jussisti.

19. *Adhuc modicum, & mundus me jam non videt: vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.* Modicum illud quam longum Dominum Jesum amantibus! Temporis brevitas, quod ad finem vitæ nostræ superest, consolari debet justos in persecutionibus & rebus adversis. Tempus breve est, quantumvis longa sit vita; modicum est, si cum æternitate comparetur; transit sicut umbra: & post modicum illud tempus, si juste, sobrie, & pie vixerimus, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Deum ut in se est videbimus; Chri- *1. Cor.* 15.
stum Jesum semper videbimus non solum in forma hominis, quam pro nobis assumpsit, sed etiam in forma Dei, *21. 22.*
& cum illo æternum regnabimus. *Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis.* „ Quia ille vivit,
„ ideo & nos vivemus. Per hominem quippe mors, &
„ per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in
„ Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivifi-
„ cabuntur. Quoniam nemo ad mortem nisi per illum,
„ nemo ad vitam nisi per Christum. Quia nos vixi- *S. Aug. Tr.*
„ mus, mortui sumus: quia vivit ipse, vivemus nos. " *75. in Jo*
Mortui sumus illi, quando viximus nobis: quia vero mortuus ille pro nobis, & sibi vivit & nobis. Quia enim vivit ille, & nos vivemus. *Nam sicut per nos mortem habere potuimus, non sic & vitam per nos habere possumus.*

21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me* *S. Aug. ib*
ipsum. „ Qui habet in memoria, & servat in vita; qui
„ habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet
„ audiendo, & servat faciendo; aut qui habet facien-
„ do, & servat perseverando; ille est qui diligit me.
„ *Opere est demonstranda dilectio, ut non sit infructuosa*
„ *nominis appellatio... Et ego diligam eum, & ma-*
„ *nifestabo ei me ipsum.* Diligam & manifestabo, id est,
„ ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc
„ dilexit, ut credamus, mandatum fidei teneamus: tunc
„ ad hoc diliget, ut videamus, & ipsam visionem mer-
„ cedem fidei capiamus. "

23. 24. *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum* *S. Aug. Tr.*
faciemus. „ Dilectio sanctos discernit a mundo, quæ *76. in Jo.*

„ facit

„ facit unanimes habitare in domo. In qua domo facit „ Pater & Filius manſionem; qui donant & ipſam di- „ lectionem, quibus donent in fine etiam ipſam ſuam ma- „ nifeſtationem. *Et ad eum veniemus*, &c. Deus Trini- „ tas Pater & Filius & Spiritus ſanctus veniunt ad nos, „ dum venimus ad eos, veniunt ſubveniendo, venimus „ obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo; „ veniunt implendo, venimus capiendo: ut ſit nobis eo- „ rum non externa viſio, ſed interna; & in nobis eorum „ non tranſitoria manſio, ſed æterna. *Qui non diligit „ me, ſermones meos non ſervat*. Hi ſunt dilectores mun- „ di, qui Patrem & Spiritum ſanctum numquam vident: „ Filium autem non ut beatificentur, ſed ut judicentur, „ ad modicum vident, nec ipſum in forma Dei, in qua „ eſt cum Patre & Spiritu ſancto pariter inviſibilis, ſed „ in forma hominis, in qua eſſe voluit mundo patiendo „ contemptibilis, judicando terribilis. "

25. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Ad omne opus bonum ac ſalutare neceſſaria nobis eſt gratia Spiritus ſancti. Menti neceſſaria eſt ut Dei voluntatem cognoſcat; voluntati, ut Dei legem diligat; memoriæ, ut omnium quæ ad ſcientiam ſalutis pertinent recordetur. Unde Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, ait: „ Propterea & ego audiens fi- „ dem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem „ in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, „ memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus, „ Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det nobis Spi- „ ritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus: il- „ luminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes „ vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus „ in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis „ ejus in nos, qui credimus ſecundum operationem po- „ tentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, „ ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram „ ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum & po- „ teſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne no- „ men quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed „ etiam in futuro. In iſtorum revelatione, quæ per Spi- „ ritum ſanctum in nobis perficitur, Incarnationis alti- „ tudinem, & abſconditi Myſterii vim ſpectamus. " Quod autem ipſius Chriſti præſentiam & virtutem impleat Spiritus ejus in ſanctis inhabitans, & cuncta doceat quæcumque ad hominum ſalutem neceſſaria, & in memoriam opportune revocet quæcumque docuit Dominus Jeſus, idem Apoſtolus explicat dicens: „ Hujus rei gratia „ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chri- „ ſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra no- „ minatur, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, „ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem „ hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus ve- „ ſtris: in caritate radicati & fundati, ut poſſitis com- „ prehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & „ longitudo, & ſublimitas, & profundum: ſcire etiam „ ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti, ut impleа- „ mini in omnem plenitudinem Dei.

Ephes. 1. 15. 16. & ſeq

S. Cyrill. lib. 10. in Jo. p. 838.

Epheſ. 3. 15.

27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. „ Chriſtus Jeſus pa- „ cem nobis relinquit iturus: pacem ſuam nobis dabit in „ fine venturus. Pacem nobis relinquit in hoc ſæculo: „ pacem ſuam nobis dabit in futuro ſæculo. Pacem ſuam „ nobis relinquit, in qua manentes hoſtem vincimus: „ pacem ſuam nobis dabit, quando ſine hoſte regnabi- „ mus. Pacem relinquit nobis, ut etiam hic invicem „ diligamus: pacem ſuam nobis dabit, ubi numquam „ diſſentire poſſimus. Pacem relinquit nobis, ne de oc- „ cultis noſtris invicem judicemus, cum in hoc ſumus „ mundo: pacem ſuam dabit nobis, cum manifeſtabit „ cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique a „ Deo. Pacem relinquo vobis, *pacem meam do vobis*. „ An forte pacem ſuam eam voluit intelligi qualem ha- „ bet ipſe? Pax vero iſta quam nobis relinquit in hoc „ ſeculo, noſtra eſt potius dicenda quam ipſius. Illi quip- „ pe nihil repugnat in ſe ipſo, qui nullum habet omni- „ no peccatum: Nos autem talem pacem nunc habemus, „ in qua adhuc dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra*. „ Eſt ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur Le- „ gi Dei ſecundum interiorem hominem: ſed non eſt ple- „ na, quia videmus aliam legem in membris noſtris re- „ pugnantem legi mentis noſtræ. Item inter nos ipſos eſt „ nobis pax, quia invicem nobis credimus quod invicem „ diligamus: ſed nec ipſa plena eſt, quia cogitationes „ cordis noſtri invicem non videmus; & quædam de no- „ bis quæ non ſunt in nobis, vel in melius invicem, vel „ in deterius opinemur. *Si tenuerimus uſque in finem „ qualem ab illo accepimus, qualem habet habebimus, „ ubi nihil nobis repugnet ex nobis, & nihil nos invi- „ cem lateat in cordibus noſtris*. Sic teneamus pacem, „ ubi adverſarium concorditer vincimus, ut deſideremus „ pacem ubi adverſarium non habebimus. "

S. Aug. ſer. 77. in Jo.

Rom. 7. 22 23.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. „ Homines „ qui diligunt mundum propterea dant ſibi pacem, ut „ ſine moleſtia litium atque bellorum, non Deo, ſed „ amico ſuo mundo fruantur; & quando juſtis dant pa- „ cem ut non eos perſequantur, pax non poteſt eſſe ve- „ ra, ubi non eſt vera concordia, quia disjuncta ſunt „ corda. Nos ergo quibus Chriſtus pacem relinquit, & „ pacem ſuam dat, non ſicut mundus, ſed ſicut ille per „ quem factus eſt mundus, ut concordes ſimus, junga- „ mus invicem corda, & cor unum ſurſum habeamus, „ ne corrumpatur in terra. "

28. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem*. „ Naturæ ſcilicet humanæ gratulandum eſt, „ eo quod ſic aſſumpta eſt a Verbo unigenito, ut im- „ mortalis conſtitueretur in cœlo, atque ita fieret ter- „ ra ſublimis, ut incorruptibilis pulvis ſederet ad dex- „ teram Patris. Hoc enim modo ſe iturum dixit ad „ Patrem. Nam profecto ad illum ibat qui cum illo „ erat. Sed hoc erat ire ad eum & recedere a nobis, „ mutare atque immortale facere quod mortale ſuſcepit „ ex nobis, & levare in cœlum per quod fuit in terra „ pro nobis. Quis non hinc gaudeat qui ſic diligit Chri- „ ſtum, ut & ſuam naturam jam immortalem gratule- „ tur in Chriſto, atque id ſe ſperet futurum eſſe per „ Chriſtum? Gloria enim Capitis, principium & pi- „ gnus eſt gloriæ corporis. "

S. Aug. Tr. 78 in Jo.

30. 31. *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Diabolus princeps eorum omnium eſt qui diligunt mundum, & ejus ſpiritu ducuntur, ejuſque concupiſcentiæ, pravis legibus & corruptis moribus ſe conformant. Miſerrimi ſunt, qui diaboli faciunt voluntatem, a quo captivi ducuntur. Verum diabolus non habet quidquam in eorum animabus, qui ſecundum Evangelium vivunt, qui mundo & pompis ejus verbis & factis renuntiarunt, qui Spiritum Chriſti habent; qui bellum gerunt cum vitiis & concupiſcentiis, quorum in cordibus Chriſtus habitat per fidem & caritatem, & qui mandata Dei fideliter obſervando, ſe illum vera ac ſincere diligere probant. *Et ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Princeps hujus mundi nihil habebit in nobis, niſi velimus. Nihil enim juris habet in nobis niſi per peccatum: quod voluntarie & libere committimus. Nihil juris habet in nobis, ſi de mundo non ſimus, ſi mundum non diligamus. Obediamus ergo Creatori, non deſertori; Redemptori, non interemptori; Liberatori, non captivatori; Doctori, non deceptori.

CAPUT XV.

Senſus Litteralis.

1. *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt*. Diſcipulos de ſuo diſceſſu non ſolum conſolatur Chriſtus Jeſus, ſed & eos hortatur, ne, cum abierit, ab illis fide & dilectione ſeparentur, ſed illi conſtanter adhæreant, ſi vivere velint vita ſpiritali: quod eleganti vitis metaphora declarat. *Ego ſum vitis vera*. Similis ſum viti, ejuſque proprietates mihi vere conveniunt: ſiquidem longe perfectius & excellentius vitam ſpiritualem, ſuccum, vigorem, alimentum in membra mea influo, quam vitis naturalis in palmites ſuos: & *Pater meus agricola eſt*, id eſt cultor tum vitis, tum palmitum. Vitem ſe dicit Chriſtus ſecundum humanam naturam, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ. Unius quippe naturæ ſunt vitis & palmites: ſed id ſibi tribuit ſecundum naturam humanam Deo perſonaliter unitam; neque enim vitam ſpiritualem in homines influeret, niſi ſimul Deus eſſet. *Ego ſum vitis vera*, Synagogæ Judaicæ longe diſſimilis, cui dicitur, *Quomodo converſa es mihi in pravum, vinea aliena*? Vera enim vitis non erat, de qua exſpectatum eſt, ut faceret uvas, fecit autem ſpinas. Patrem autem dicit agricolam, tum ut ſervet decorem parabolæ, cum ſe vitem feciſſet: Vitis enim & agricola diſtinguuntur; tum quia Patri, ut homo omnia accepta refert, a quo miſſus in mundum eſt. Secundum hoc ergo vitis Chriſtus, ſecundum quod ait; *Pater major me eſt*: ſecundum autem id quod ait, *Ego & Pater unum ſumus*, & ipſe agricola eſt.

Jerem. 2. 21. Iſai. 5.

S. Aug. Jo. 80. in Tr

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*: omnem hominem mihi inſitum per fidem & baptiſmum, ut palmes inſitus eſt viti, & fructum bonorum operum non ferentem, abſcindet & abjiciet ut palmitem inutilem, & *omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Auferet impedimenta profectus, variis modis emundabit & circumcidet, ut fœcundiorem reddat operibus juſtitiæ.

3. 4. 5. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*. Jam purgati eſtis falce Evangelicæ doctrinæ, quam recepiſtis, & ſervare cœpiſtis. *Manete in me, & ego in vobis*. In fide & caritate perſeverando, mihi ſemper adhærete: & ego ſemper in vobis manebo, vitam & vigorem ſpiritualem jugiter in vos influens. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite*; id eſt, ex ſe ſolo, niſi viti cohæreat: *ſic nec vos niſi in me manſeritis*; ita nec vos fructum ullum juſtitiæ ferre poteſtis, bonum ullum opus & vita æterna

dignum

dignum facere, nisi mihi per fidem & caritatem adhæreatis ut palmites viti. *Ego sum vitis, vos palmites*: Quos gratiæ meæ interiori subministratione, tamquam vivifico succo spiritaliter fructificare & bonis operibus abundare facio. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, uberem, copiosum; nullus alias editurus, sed sterilis mansurus: *Quia sine me nihil potestis facere*, nec magnum, nec parvum, nec difficile, nec facile. Nihil omnino sine gratia mea, non solum perficere, sed incipere, & absolute facere potestis. Nihil sine interiori gratiæ meæ vos prævenientis, vos trahentis, in vobis operantis ut velitis, & volentibus cooperantis auxilio.

S. Ambr. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagian. c. 8. & Tract. 81. in Johann.

Procul hinc Pelagiana Grotii interpretatio, qui hæc Græci Textus verba, χωρὶς ἐμοῦ, sic reddit: *Extra me, seorsim, separatim a me, nihil potestis facere*. Qui enim, inquit, a Christi præceptis & exemplo discedit, ab eo nihil bonæ frugis exspectandum est. Sic nullam aliam gratiam ad bene operandum, præter Christi præcepta & exempla necessariam agnoscit, quæ pura puta Pelagii hæresis est. Ceterum hæc verba, χωρὶς ἐμοῦ, verti debere, *sine me*, non solum Vulgata Versio Latina, quam Ecclesia declaravit authenticam, non solum loci paralleli, sed Latini Patres & Concilia Occidentis, quibus ea versio hujus loci probata est, plane evincunt: imprimis vero Concilium universale Africæ Carthagine celebratum anno 418. contra Pelagii hæresim, canone 6. cujus hæc sunt verba: „ Item placuit, ut quicumque dixerit; ideo nobis gratiam „ justificationis dari, ut quod facere per liberum jube„ mur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, „ tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed „ tamen possimus etiam sine illa implere divina manda„ ta, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Do„ minus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius pote„ stis facere: sed ait: *SINE* me nihil potestis facere.“ Orientales etiam Versiones, Syriaca, Persica, Arabica, Æthiopica vim Græci Textus eodem exprimunt modo secundum linguarum illarum proprietatem ac Vulgata nostra, *Sine me non potestis quidquam facere*. Damnanda itaque temeritas est, his verbis totius Ecclesiæ Latinæ traditione & usu consecratis, *Sine me*, &c. hæc substituere: *Extra me, seorsim, separatim a me nihil potestis facere*. Quasi palmites, id est fideles, Christo vite vera alias non egeant, quam ut ab eo per apostasiam seu infidelitatem, minime separentur; non autem ut ab eo per subministrationem interiorem Spiritus vivificentur; ut bonum cogitent, velint, facere diligant atque valeant, & suaviter ac efficaciter operentur. Quo fit ut *in omnibus actibus, cassisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus sit Deus: nullumque tempus interveniat quo ejus non egeamus auxilio.*

Concil. Arausic. 2. Can. 24.

Xystus Papa in Epist. ad Episcopos Africæ. Celestinus 1. Epist. ad Galliarum Episcopos.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. „ Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale „ alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per „ hoc & manentem in se habere Christum, & manere „ in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. „ Nam præciso palmite potest de viva radice alius pul„ lulare: qui autem præcisus est, non potest sine radice „ vivere.“

6. 7. *Si quis in me non manserit*, mihi perseveranter non adhæserit fide, dilectione, operibus bonis, *mittetur foras sicut palmes*, projicietur sicut palmes inutilis, *& arescet* cito separatus a vite, *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Colligetur a justitiæ divinæ ministris, & in ignem mittetur æternum, & ardebit sine fine. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint*; si mandata mea non memoria tantum, sed affectu retinueritis, & fideli obedientia servaveritis, *quodcumque volueritis*, quod ad Dei gloriam ac salutem vestram conducat, *petetis* a Patre, in nomine meo, *& fiet vobis*, id est, vobis concedetur.

8. 9. 10. *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis & efficiamini mei discipuli*. Ex hoc Patris mei gloria inclarescet quod uberes bonorum operum fructus afferatis, & perseverantia vestra in meo amore, & fidei evangelicæ propagatione, meos vos esse discipulos comprobetis. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea*. Date operam ut digni maneatis ea dilectione, in gratia mea & caritate perseverantes. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, vos diligere pergam; *sicut & ego Patris mei mandata servavi, & maneo in ejus dilectione*: qua scilicet me diligit. „ Sed numquid & hic gratia intel„ ligenda est qua Pater diligit Filium, sicut gratia est „ qua nos diligit Filius: cum simus nos filii gratia, non „ natura; Unigenitus autem natura, non gratia? An „ hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? „ Ita sane. Nam dicendo, *Sicut dilexit me Pater, &* „ *ego dilexi vos*, gratiam Mediatoris ostendit. Media„ tor autem Dei & hominum, non in quantum Deus, „ sed in quantum homo, est Christus Jesus. Et profecto „ secundum id quod homo est de illo legitur, *Et Jesus* „ *proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum &* „ *homines*. Secundum hoc igitur recte possumus dicere, „ quod cum ad naturam Dei non pertineat humana na„ tura, ad personam tamen Unigeniti Filii Dei per gra„ tiam pertinet humana natura, & tantam gratiam, ut „ nulla sit major, nulla prorsus æqualis. Neque enim illam „ susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab „ illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt. Manet „ ergo Filius in dilectione qua eum dilexit Pater & ideo „ servavit præcepta ejus. Quid est enim & ille homo, „ nisi quod Deus susceptor est ejus? Deus enim erat „ Verbum, Unigenitus gignenti coæternus: sed ut Me„ diator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum „ caro factum est, & habitavit in nobis.“

S. August. Tract. 82. in Johann.

2. Tim. 2. 5. Luc. 2. 52.

Psal. 3. 4.

11. *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum sit in vobis*, ut rationem habeam de vobis gaudendi, cum fructum multum attuleritis, & præcepta mea servaveritis: *& gaudium vestrum impleatur*: ut gaudium quo vos in me seu de me gaudetis, & hic magis augeatur, & in æterna vita consummetur.

12. 13. *Hoc est præceptum meum*, mihi peculiare & commendatissimum, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: eo modo quo vos dilexi, non privatæ utilitatis gratia, sed propter salutem æternam; ita ut temporalia omnia commoda, & vitam ipsam saluti proximorum postponatis: sicut vitam meam pro salute vestra devovi. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Affectum suum erga amicos nemo certioribus argumentis probare potest, quam pro illis exponendo vitam suam, qua nihil est carius.

14. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis*. Ita fiet ut semper a me diligamini; ac proinde nihil non a tam fideli & potenti amico sperare possitis. *Jam non dicam vos servos*, vobiscum deinceps non agam tamquam cum servis, (quamquam jure meo possem) *quia servus nescit quid faciat Dominus ejus*: nescit servus quid Dominus ejus facere decreverit: heri enim servis consilia sua patefacere non solent, sed amicis. *Vos autem dixi amicos*; ex quo vos vocavi, vos semper habui amicorum loco, *quia omnia quæcumque audivi a Patre, nota feci vobis*. Et hoc amoris erga vos mei signum est, quod Mysteria omnia ad vestram humanique generis salutem spectantia; omnia Patris mei consilia de mea morte, resurrectione, ascensione, missione Spiritus sancti, vocatione gentium, judicio universali, vita æterna; omnia mandata ad vestram sanctificationem, & Ecclesiæ meæ fundationem necessaria, quæ a Patre accepi ut legatus ejus, Deique & hominum Mediator, vobis revelavi. Omnia denique se nota fecisse discipulis ait, quæ se novit nota esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de qua dicit Apostolus, *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. „ Itaque sicut immortalitatem carnis & sa„ lutem animarum futurarum exspectamus, quamvis jam „ in pignore accepto salvi facti esse dicamur; ita omni„ um notitiam quæcumque Unigenitus audivit a Patre, „ futuram sperare debemus, quamvis hoc jam se fecisse „ dixerit Christus.“

1. *Cor.* 13. *S. Augustin. Tract.* 86. *in Joan.*

16. 17. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: non vos me priores amastis, & elegistis in dominum, in præceptorem, in amicum; sed ego prior vos elegi gratuita prorsus benevolentia, nullis vestris in me benefactis, vel officiis provocatus, *& posui vos ut eatis, & fructum afferatis, et fructus vester maneat*: In Apostolica etiam dignitate vos constitui, ut eatis in mundum universum, Evangelium meum prædicaturi; & fructum salutis tam in vobis ipsis, quam in omnibus Gentibus afferatis, ad gloriam meam permansurum: *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*. Ex qua spiritualium fructuum ubertate consequetur, ut quodcumque petieritis a Patre in nomine meo, det vobis, sive, *dem vobis*, ut S. Chrysostomus & Nonnus legunt, Patris & Filii æqualitatem inde confirmantes. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Hæc erga vos beneficia commemoro, ut exemplo meo vos mutuo diligatis, quod meum singulari præcipuumque mandatum est.

18. 19. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Animo recolite me qui sum innocens, qui Dei Filius, qui de cœlo descendi ut mundum redimam, qui tot eum beneficiis cumulavi, priorem ejus odia excepisse, contradictiones & persecutiones ejus sustinuisse. Tanto ergo exemplo vobis proposito animos sumite ad odium mundi tolerandum & persecutiones fortiter sustinendas. *Si de mundo fuissetis, mundum, quod suum erat diligeret*: si iniquis & incredulis hominibus similes essetis affectu & moribus; vos ut sibi similes diligerent: *Quia vero de mundo non estis*, & contraria sunt vestra, hominumque carnalium, mundi amatorum studia, *sed ego elegi vos de mundo*, quod electione mea & gratia factum est, qua vos a mundo secrevi & mihi adjunxi fide, moribus, studiis, *propterea odit vos mundus*.

20. 21. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo*; pluris fieri non solet servus domino suo. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt*. Si meis dictis paruere, parebunt & vestris; sed non est quod hoc speretis. Quemadmodum enim doctri-

nam

nam meam contempserunt, ita & vestram, quæ mea est, contemnent. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Odio vos habebunt, vos persequentur, prædicationem vestram contemnent, odio mei: quod ex eorum ignorantia ortum habet, affectata quidem & quæsita; cum ambitione sua, aliisque pravis affectibus excæcati, credere Deo, a quo missus suam, ipsi nolint.

22. *Si non venissem* in mundum instructus tam certis missionis meæ testimoniis, *& locutus fuissem eis*, id est, nisi eos docuissem, quid credendum, quid sperandum, quid diligendum, quid fugiendum, quid agendum ad vitam æternam consequendam, *peccatum non haberent*, rei non essent incredulitatis; magnum illud peccatum non haberent, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata, ut explicat S. Augustinus: *Nunc autem excusationem non habent de*
S. August. Tract. 88. in Jo. & Tract. 89. *peccato suo*, quo in me non crediderunt . . . „ Isti certe „ ad quos venit, & quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, „ qua possint dicere, Non vidimus, non audivimus: sive „ non acceptaretur ista excusatio ab illo cujus inscrutabilia sunt judicia, sive acceptaretur, etsi non ut ab „ omni damnatione liberarentur, certe ut aliquanto „ lenius damnarentur. "

23. 24. 25. *Qui me odit, & Patrem meum odit.* Injuriam enim & contumeliam mihi irrogatam, sibi etiam factam interpretatur Pater a quo missus sum, & cum quo unus sum Deus. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: si in eorum conspectu miracula non edidissem, quæ nemo alius homo edidit, tanta, tam multa, tam frequentia, ad probationem missionis ac divinitatis meæ, extra culpam fuissent non credendo me esse Christum & verum Dei Filium: *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum*. Nunc autem cum miracula illa viderint, prætexere non possunt ignorantiam qua peccatum excusent, sed odii in me ac Patrem meum convincuntur: *Sed ut*
Psalm. 35. 91. & 69. 5 *adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis*. Id porro evenit ut in me adimpleretur quod in Scripturis ipsis datis prædictum est, & quod David Messiæ typus sibi fieri conquestus est: Sine causa me odio habuerunt.

26. 27. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit ille testimoniam perhibebit de me*. Causa mea, quamvis tantis odiis obnoxia defensoribus non carebit. Consolator enim, quem ego post Ascensionem meam in cœlum mittam vobis, tum invisibiliter in corda vestra tum visibiliter, a Patre a quo habeo essentiam, vimque illum una cum ipso spirandi & mittendi; *Spiritum veritatis*, id est meum, qui sum Veritas; Spiritum qui veritatem novit, docet, manifestat, qui a Patre procedit, ut a primo principio & fonte totius Deitatis, ideoque Patri consubstantialis est, ejusdem cum illo naturæ, scientiæ, potentiæ; quem idcirco nec auctoritas, nec scientia, nec veracitas, ad reddendum testimonium, cui nihil opponi possit, necessariæ deficiunt. *Ille testimonium perhibebit de me*, de innocentia mea, de divinitate mea, de gloria mea, de veritate doctrinæ meæ, tum administrandis operibus & signis exterioribus, quæ in Ecclesia mea operabitur; tum divini luminis & caritatis infusione in cordibus hominum, ut in me credant, mihique adhæreant, *Et vos testimonium perhibebitis*, de me, *quia ab initio* prædicationis meæ, usque in diem assumptionis meæ, *mecum estis*, mecum estis conversati, & tamquam oculati testes omnia, quæ per me facta sunt, testari poteritis: ut sic divina humanaque testimonia concurrant.

Si de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, inquies, cur Filius dixit, *A Patre procedit*? Respondetur quia *Ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo ipse est*. Unde alias ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris*. „ Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, „ quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus „ sanctus, ubi sic ait, *De Patre procedit*, ut non di-
S. August. Tract. 99. in Johann. „ ceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus) ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus: „ ac per hoc *Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, „ sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre*. "

SENSUS MORALIS.

1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est*. Christo Jesu per fidem & caritatem adhæreamus, ut palmites veræ viti, quam Pater æternus in utero sanctissimæ Virginis plantavit, & propria manu excoluit; viti quæ vinum mysticum tulit, quo mundus redimitur,
S. Cyr. lib. 10. in Jo. c. 2. p. 857. 858. abluitur, sanctificatur, nutritur; roborantur in terris, & in cœlis inebriantur electi. Ex ea vite sunt Christiani, velut palmites. „ Regenerati enim sumus ex ipso, „ & in ipso, in Spiritu, ad ferendum fructum vitæ, „ non veteris illius & exoletæ; sed novæ, quæ in caritate erga ipsum posita est. Conservamur autem inesse, „ ipsi quodammodo inserti, & tradito nobis sancto man„ dato inhærentes, & nobilitatis bonum servare studen„ tes, id est, non sinentes inhabitantem in nobis Spiri„ tum vel minimum contristari; " per quem caritas, qua Deo conjungimur, in cordibus nostris diffunditur. „ Quemadmodum *igitur* radix naturalem suam qualita„ tem palmitibus impertit, sic unigenitum Dei Verbum „ Dei ac Patris, suæque naturæ quamdam veluti cogna„ tionem Sanctis inserit, Spiritum largiens iis qui uniti „ sunt ei per fidem & omnimodam sanctitatem, eosque „ ad pietatem alit, omnisque virtutis ac bonitatis cogni„ tionem, *ac amorem*, in iis operatur. " Agricolam vero Patrem dicit, quia totius Trinitatis indivisim opus est instauratio nostra & sanctificatio. Intelligamus itaque *Patrem nos in pietate nutrire per Filium in Spiritu:* & rursus erga *nos agricolæ vicem gerere, id est, prospicere & observare* providentia sua beneficentissima & misericordissima, *nosque omni cura dirigere per Filium in Spiritu sancto* . . . Nec talis agricola est, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Ob beneficium igitur incomparabile insitionis nostræ in hanc divinam vitem, & agriculturæ spiritualis nobis exhibitæ, (*Dei enim agricultura sumus*) gratias agamus Patri, per Filium, in Spiritu sancto.

S. August. Tract. 80. in Jo. 1. Cor. 3. 7. 9.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Christianus bonis operibus destitutus, palmes est sine fructu. Quamvis igitur per baptismum & fidem palmites simus, si tamen caritate & operibus justitiæ caruerimus, excidemur a vite vera, Christo Jesu, ut palmites inutiles, & in ignem æternum projiciemur. Quo spectat locus ille Prophetæ: „ Fili homi„ nis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemo„ rum, quæ sunt inter ligna sylvarum? Numquid tol„ letur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de „ ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce „ igni datum est in escam: utramque partem ejus con„ sumpsit ignis, & medietas ejus redacta est in favil„ lam . . . Hæc dicit Dominus Deus, Quomodo lignum „ vitis inter ligna sylvarum, quod dedi igni ad devoran„ dum, sic tradam habitatores Jerusalem. " Hæc sors palmitum infrugiferorum. Fructuosos vero palmites purgat Deus ut fructum uberiorem afferant. Quemadmodum enim vitis silvescit nisi putetur; ita etiam homo, cujus appetitiones luxuriantes gratia non coercet, nec resecat malas, desideria multa noxia parturit, quæ mergunt animam in interitum. Hæc autem purgatio fit per internas externasque admonitiones, & increpationes, per afflictiones & persecutiones, quibus velut falce resecat cœlestis Agricola cupiditatem animalis hominis, timores amoresque mundanos, desideria inania, curasque superfluas, quibus distinetur animus, & impeditur ne fructus pietatis uberes afferat. Væ palmitibus qui in hoc mundo falce Vinitoris cœlestis non purgantur! Maneamus in Christo per dilectionem ut palmites in vite, & cum nos per afflictionem purgabit, divinam ejus manum adoremus profectibus nostris consulentem . . . . „ Si in ejus dilectione „ maneamus, non arescemus, viventes succo radicis æter- *S. Paulinus*
„ næ; nec ad ignem amputabimur ira, sed ad fructum *Epist. 2. ad*
„ putabimur disciplina, purgantes nos Evangelicæ fal- *Severum*.
„ cis acie, ut castigata luxurie palmitis nostri, fructuosius pullulemus. "

Ezech. 15.

3. *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. In ipsis justis, qui mundati sunt lavacro aquæ per verbum vitæ, multæ appetitiones superfluæ & noxiæ quotidie serpunt. Nemo igitur in hac vita sic mundus est, ut non sit magis magisque mundandus. Multis autem modis perficitur hæc emundatio. *Non solo baptismo homines mundantur, mundantur & verbo veritatis ab illo qui ait*: „ Jam vos mundi estis propter verbum quod *S. Aug. lib. 2*
„ locutus sum vobis. *Mundantur & sacrificio contriti* *Cont. Cre-*
„ *cordis, ab illo de quo dictum est*: Sacrificium Deo spi- *sconium c.*
„ ritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus *12. Ps. 50.*
„ non spernit. *Mundantur & eleemosynis ab illo qui ait:* *Luc. 11. 41.*
„ Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *1. Petr. 4. 8.*
„ *Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, caritate,*
„ *ab illo qui dixit*: Caritas operit multitudinem pecca„ torum. Quæ una si adsit, omnia illa recte fiunt; si „ autem desit illa, omnia frustra fiunt. "

4. *Manete in me, & ego in vobis*. „ Non eo modo nos *S. August.*
„ in Christo, sicut ipse in nobis. Utrumque autem prodest *Tract. 81.*
„ non ipsi, sed nobis. Ita quippe in vite sunt palmites, ut *in Johan.*
„ viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant: ita „ vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum sub„ ministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem „ in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis „ prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmi„ te, potest de viva radice alius pullulare: qui autem „ præcisus est, sine radice non potest vivere. " *Sicut* *Rom. 10. 3.*
palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit

ſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Extra corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, & ſine Spiritu ejus, nullum afferre poteſt homo fructum ſalutis, ſed fructus mortis tantum & maledictionis. Magna gratiæ commendatio, corda inſtruit humilium, ora obſtruit ſuperborum, qui *ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* „ Nonne huic reſiſtunt „ veritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem, „ dicentes, A Deo habemus quod homines ſumus, a no- „ bis ipſis quod juſti ſumus? Non aſſertores ſunt liberi „ arbitrii, qui ſic loquuntur, ſed præcipitatores, ex al- „ to elationis, per inania præſumptionis, in profunda „ ſubmerſionis. Hos Veritas refellit, dicens: *Sicut pal- „ mes non poteſt facere fructum a ſemetipſo, niſi manſerit „ in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Qui ergo „ a ſemetipſo ſe fructum exiſtimat ferre, in vite non „ eſt; qui in Chriſto non eſt, Chriſtianus non eſt. " Si vere credimus nos ferre fructum juſtitiæ & ſalutis ex nobis ipſis non poſſe, gratiam Chriſti Salvatoris nobis ad omne opus bonum neceſſariam jugiter imploremus, maneamus in Chriſto per fidem & caritatem; promiſſiones & ſacrum baptiſmi noſtri pactum, votumque quotidie renovemus, ex intimo corde dicentes: „ Abrenuntio tibi „ ſatanæ, & omnibus pompis tuis, & cunctis operibus „ tuis, & adhæreo tibi, Chriſte. "

Rom. 10. 3.

S. Auguſt. Tract. 81. in Johann.

5. *Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* „ Sive ergo parum, ſive multum, ſine „ illius gratia præveniente, adjuvante, cooperante fieri „ non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Quia etſi pa- „ rum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus af- „ ferat: tamen niſi in vite manſerit, & vixerit de ra- „ dice, quantumlibet fructum a ſemetipſo non poteſt fer- „ re . . . Abſit ergo ut ſic intelligant filii promiſſionis, „ tanquam cum audierint Dominum dicentem, *Sine me „ nihil poteſtis facere*: quaſi convincant eum dicentes, „ *Ecce ſine te poſſumus cor præparare.* Abſit ut ſic in- „ telligant, niſi ſuperbi ſui arbitrii defenſores & fidei „ Catholicæ deſertores: ideo quippe ſcriptum eſt, *Ho- „ minis eſt præparare cor, non tamen ſine adjutorio Dei, „ qui ſi tangit cor, homo præparat cor.* Sane ſicut di- „ ctum eſt, *Hominis eſt præparare cor, & a Domino reſ- „ ponſio linguæ*, ita etiam dictum eſt, *Aperi os, & im- „ plebo illud.* Quamvis enim niſi adjuvante illo ſine quo „ nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire, tamen „ *os aperimus illius adjumento & opere noſtro; implet „ autem illud Dominus ſine opere noſtro* . . . . Quid eſt „ præparare cor, & os aperire, niſi voluntatem parare? „ Et tamen in divinis Litteris legitur: *Præparatur vo- „ luntas a Domino*; &, *Labia mea aperies, & os meum „ annuntiabit laudem tuam.* Ecce Dominus admonet ut „ pr paremus voluntatem; & tamen ut hoc faciat homo; „ adjuvat Deus, quia *Præparatur voluntas a Domino*: „ & *aperit os ita jubendo, ut nemo poſſit, niſi ipſe id „ facit adjuvando*, cui dicitur, *Labia mea aperies*... „ Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in „ nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus „ quod præcipit nobis: in qua ſi nos non prævenit Deus, „ non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur in nobis. „ Si enim ſine illo nihil poſſumus facere, profecto nec „ incipere, nec perficere; quia, ut incipiamus, dictum „ eſt: *Miſericordia ejus præveniet me*; ut perficiamus, „ dictum eſt: *Miſericordia ejus ſubſequetur me* ... Qua- „ propter *Multa Deus facit in homine bona, quæ non „ facit homo: nulla vero facit homo, quæ non facit Deus „ ut faciat homo.* "

S. Aug. lib. 2. ad Boniſacium, c. 9.

Prov. 8. Pſ. 50. 17.

Pſ. 58. 11. Pſ. 22. 6.

6. 7. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* „ Unum de duobus palmiti congruit, „ aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit: „ Ut ergo in igne non ſit, in vite ſit . . . Qui Chriſto non eſt unitus ut capiti, a corpore Chriſti reſecabitur; gratiæ ejus ſucco privabitur, & areſcet, dæmoni tradetur, igne æterno damnabitur: *Si manſeritis in me* per fidem & caritatem, & *verba mea in vobis manſerint* per aſſiduam meditationem, *quodcumque volueritis* manſioni in me veſtræ ac ſaluti, formulæque orandi a me traditæ conveniens, *petetis, & fiet vobis.* „ Manendo quip- „ pe in Chriſto quid velle poſſunt, niſi quod convenit „ Chriſto? Quid velle poſſunt manendo in Salvatore, „ niſi quod non eſt alienum a ſalute? Aliud quippe vo- „ lumus quia ſumus in Chriſto, & aliud volumus quia „ adhuc ſumus in hoc ſæculo. De manſione namque hu- „ jus ſæculi nobis aliquando ſubrepit, ut hoc petamus „ quod nobis non expedire neſcimus. Sed abſit ut fiat „ nobis, ſi maneamus in Chriſto, qui non facit quando „ petimus, niſi quod expedit nobis. Manentes ergo in „ eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcumque vo- „ luerimus petemus, & fiet nobis. Quia ſi petimus & „ non fiet, non hoc petimus quod habet manſio in eo, „ nec quod habent verba ejus quæ manent in nobis, ſed „ quod habet cupiditas & infirmitas carnis, quæ non eſt „ in eo, & in qua non manent verba ejus. Nam utique „ ad verba ejus pertinet oratio illa quam docuit; *Pater „ noſter qui es in cælis* . . . Ab hujus orationis verbis „ & ſenſibus non recedamus petitionibus noſtris, & quic- „ quid petierimus fiet nobis. Tunc enim dicenda ſunt „ verba ejus in nobis manere, quando facimus quæ præ- „ cepit, & diligimus quæ promiſit: quando autem verba „ ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non „ computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex „ radice. *Huc ſpectat quod in Pſalm. ſcriptum eſt*: Et „ memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. " Multi enim memoria retinent ut contemnant, vel etiam derideant & oppugnent ea. In his verba Chriſti non manent, qui attingunt quodammodo vitem, non cohærent illi ut palmites: & Ideo *Illis non erunt in beneficium, ſed in teſtimonium. Et quia ſic inſunt eis, ut non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis ut judicentur ex eis.*

Pſ. 102. 17.

8. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* Magis glorificatur Deus ſanctificatione Chriſtiani, quam totius creatione mundi; productione fructuum Spiritus ſui in animabus electorum, quam productione plantarum, florum & fructuum viſibilium: ſic enim formatur ſpiritalis ille mundus, cujus caput Chriſtus, cujus anima Spiritus ſanctus. Vis gloriam Dei procurare? Tuæ & aliorum ſanctificationi ſtudiis omnibus adlabora. Hic Apoſtolorum fructus; hic gratiæ Salvatoris triumphus. Glorificatur autem Deus in bonis operibus, ſi totum ipſi tribuatur. „ Si enim in hoc clarificatus eſt Deus Pater, ut fru- „ ctum plurimum afferamus, & efficiamur Chriſti diſci- „ puli, non hoc gloriæ noſtræ tribuamus, tanquam hoc „ ex nobis ipſis habeamus. Ejus enim eſt hæc gratia, „ & ideo in hoc non noſtra, ſed ejus eſt gloria. Unde „ & alibi cum dixiſſet, *Sic luceat lux veſtra coram ho- „ minibus, ut videant opera veſtra bona*, ne a ſemetipſis „ putarent eſſe bona opera ſua, mox addidit, *Et glori- „ ficent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* In hoc enim „ glorificatur Pater ut fructum plurimum afferamus, & „ efficiamur Chriſti diſcipuli. A quo efficimur, niſi ab „ illo cujus miſericordia prævenit nos? Ipſius enim ſu- „ mus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis. "

Mat. 5. 6. S. Aug. Tract. 82. in Jo. Epheſ. 2. 10

9. 10. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.* Omnia gratuito Chriſti erga nos amori debemus, ſicut omnia Chriſtus homo debet gratuito Dei erga illum amori. Unde enim eſſent nobis opera bona, niſi quia fides per dilectionem operatur? Unde autem diligeremus, niſi prius diligeremur? *Nos* ergo *diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Pater diligit Filium, & nos in Filio; Chriſtus Patrem diligit, & nos propter Patrem: Deum in Chriſto Jeſu, & Chriſtum Jeſum propter Deum pariter diligamus: in ſancta ejus humanitate non ſiſtat amor noſter, ſed Deo adhæreat, cui perſonaliter unita eſt. Amor noſter ſincerus ſit, dulcis, fortis, conſtans & perſeverans. *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & manſi in ejus dilectione.* Hinc apparebit vos in dilectione mea manere, ſi præcepta mea ſervetis, ſicut demonſtravi me in dilectione Patris mei manere, obediendo præceptis ejus uſque ad mortem. Non autem ut nos diligat Deus, prius præcepta ejus ſervamus; ſed niſi nos diligat, præcepta ejus ſervare non poſſumus. *Hæc eſt gratia quæ humilibus patet, ſuperbos latet.*

1. Jo. 4. 19.

11. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum ſit in vobis, & gaudium veſtrum impleatur.* Amor Dei obſervantiam legis, obſervantia legis parit gaudium cordis. Hoc gaudium Chriſtianum eſt, fructus Spiritus ſancti, ſemen & pignus æterni gaudii. Tunc gaudium illud in electis implebitur, cum in ipſis perfecta erit caritas; tunc perfecta erit caritas, cum nulla erit cupiditas. Dei beatitudo, quæ nec minor fuiſſet ſine nobis, non fit major ex nobis. „ Gaudium igitur ejus de ſalute noſtra, quod „ in illo ſemper fuit cum præſcivit & prædeſtinavit nos, „ cœpit eſſe in nobis quando vocavit nos: & hoc gau- „ dium merito noſtrum dicimus, quo & nos beati futu- „ ri ſumus: ſed hoc gaudium noſtrum creſcit & profi- „ cit, & ad ſuam perfectionem perſeverando pertendit. „ Ergo inchoatur in fide renaſcentium, implebitur in „ præmio reſurgentium. "

S. Aug. ibid

S. Auguſt. Tract. 83. in Johann.

12. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Hæc Legis Chriſtianæ plenitudo, caritas. *Ubi* ergo *caritas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? Ubi autem non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe?* „ Dæmon „ credit, nec diligit; nemo diligit qui non credit. Fru- „ ſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam qui non „ diligit: nemo autem poteſt deſperare qui diligit. Ita- „ que ubi dilectio eſt, ibi neceſſario fides & ſpes: & „ ubi dilectio proximi, ibi neceſſario etiam dilectio Dei. „ Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proxi- „ mum tanquam ſeipſum; quandoquidem non diligit & „ ſeipſum? Eſt quippe impius & iniquus: *Qui* autem *di- „ ligit iniquitatem*, non plane diligit, ſed *odit animam „ ſuam.* Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos „ invicem diligamus, & quicquid aliud præcepit, facie- „ mus: quoniam quicquid eſt aliud hic habemus. Forma „ porro & exemplar dilectionis qua nos mutuo proſequi

debe-

S. Augustin. Tract. 83. in Johan.

„ debemus, dilectio est qua Christus dilexit nos. Ut „ quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possi- „ mus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem dili- „ gamus, ut dilectionem nostram discernamus a ceteris, „ qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec dili- „ gunt. Qui autem se propter habendum Deum dili- „ gunt: ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est „ hæc dilectio in omnibus hominibus: pauci se propte- „ rea diligunt ut sit Deus omnia in omnibus. "

1. Jo. 3. 16.

13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic suam in nos dilectionem testatus est Christus pro nobis moriendo; sic & nos Christianam erga proximos dilectionem testari debemus, temporalia omnia, ipsamque vitam, pro illorum æterna salute, si necesse fuerit, exponendo. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Qui non ita affectus est, Communione Corporis Christi dignus non est. *Si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet præparare.* „ Nam quæ Mensa est Potentis, nisi unde sumitur „ Corpus & Sanguis ejus, qui animam suam posuit pro „ nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter ac- „ cedere? Et quid est considerare & intelligere quæ ap- „ ponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? „ Et quid est, sic mittere manum, ut scias quia talia „ te oportet præparare, nisi quia sicut Christus pro no- „ bis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fra- „ tribus animas ponere? *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* „ Hoc est talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti „ dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias „ celebramus, atque in convivio quo & ipsi saturati sunt, „ ad Mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmo- „ dum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad „ ipsam Mensam Domini non sic eos commemoramus, „ quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut eti- „ am pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eo- „ rum vestigiis adhæreamus: quia impleverunt ipsi cari- „ tatem, qua Dominus dixit non posse esse majorem. „ Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Do- „ mini Mensa pariter acceperunt. "

Prov. 23. 1. 2 secundum 70. S. Aug. Tract. 84. in Jo.

1. Petr. 2. & 21.

S. Cyr. lib. 10. in Jo. p. 883.

14. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Jam non dicam vos servos, &c. vos autem dixi amicos, &c.* Dulcis labor est Deum amantibus, cum proxima & copiosa est merces. Quid porro majus aut illustrius, quam Christi amicum esse & appellari? Hanc dignitatem sperare non posset homo nisi Deus promitteret. Quam facile obtinetur amicitia Dei? Faciendo ejus voluntatem; quod a nobis ut a servis & creaturis suis jure suo exigere potest, nulla proposita mercede, nullo promisso honore. Amicus Dei esse si voluero, nunc fio. Quam cæcus & ingratus peccator, qui diaboli servus, quam Dei amicus esse mavult! *Jam non dicam vos servos, sed amicos, &c.* „ Sicut duo sunt timores, qui „ faciunt duo genera timentium: sic duæ sunt servitu- „ tes, quæ faciunt duo genera servorum. Est timor quem „ perfecta caritas foras mittit, & est timor castus perma- „ nens in sæculum sæculi. Illum timorem qui non est in „ caritate, attendebat Apostolus, cum dicebat: *Non* „ *enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* „ Illum autem timorem castum attendebat cum dicebat: „ *Noli altum sapere, sed time.* Illo timore, quem foras „ caritas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso „ timore mittenda: utrumque enim junxit Apostolus, ser- „ vitutem, & timorem, dicendo: *Non enim accepistis* „ *spiritum servitutis iterum in timore.* Ad hanc servitu- „ tem servum pertinentem intuebatur & Dominus di- „ cens, *Jam non dicam vos servos*, &c. Non utique ille „ servus pertinens ad timorem castum, cui dicitur, *Euge* „ *serve bone, intra in gaudium Domini tui*: " sed ille servus pertinens ad timorem foras a caritate mittendum, de quo alibi dicit: *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Quoniam itaque dedit nobis Deus potestatem filios Dei fieri; non servi, sed filii sumus. Lex vetus servos fecit per timorem; Lex nova filios & amicos facit per caritatem. Amicitiæ Christi fructus est revelatio Mysteriorum, quæ Judæi in Veteri Testamento sub variis figuris latentia & obsignata portabant, non intelligebant, quia servi erant, non amici. Nobis autem servatum est & datum nosse Mysteria Regni Dei, Agno revelante, qui solus dignus est aperire librum, & solvere signacula ejus.

Mat. 25. 21. Jo. 8. 35.

S. Augustin. Tract. 86. in Johann.

16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.* „ Hoc „ est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus, quando „ Christum nondum elegeramus, & ideo non diligeba- „ mus? Nam qui eum non elegit, quomodo diligit? „ Quid ergo eramus, nisi iniqui & perditi? Cur ait, „ *Non vos me elegistis*, nisi quia misericordia ejus præ- „ venit nos? Procul ergo, qui præscientiam Dei defen- „ dunt contra gratiam Dei & ideo dicunt nos electos „ ante mundi constitutionem, quia præscivit Deus nos „ futuros bonos, non se ipsum nos facturum bonos. Non „ hoc dicit, qui ait, *Non vos me elegistis*. Si enim pro- „ pterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præ- „ sciverat; simul etiam præscisset quod eum nos fuisse- „ mus prius electuri. Non est ut dicas, Ideo electus „ sum quia jam credebam. Si enim credebas in eum, „ jam elegeras eum. Sed audi, *Non vos me elegistis*. „ Non est ut dicas, Antequam crederem, jam bona „ operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis „ ante fidem, cum dicat Apostolus, *Omne quod non est* „ *ex fide, peccatum est*? Quid ergo dicturi sumus audi- „ endo, *Non vos me elegistis*: nisi quia mali eramus, „ & electi sumus ut boni per gratiam nos eligentis es- „ semus? Non est enim gratia, si præcesserant merita: „ est autem gratia: hæc igitur non invenit, sed efficit „ merita. Elegit, & posuit ut eamus, & fructum affe- „ ramus: nullum itaque fructum, unde nos eligeret, ha- „ bebamus. *Elegi vos, & posui, ut eatis, & fructum* „ *afferatis*. Imus, ut afferamus, & ipse est via qua imus, „ in qua nos posuit ut eamus. *Et fructus vester maneat,* „ *ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det* „ *vobis*. Maneat ergo dilectio, ipse est enim fructus no- „ ster. Hunc Deo Patri per Jesum Christum Filium ejus „ offerentes, nos impetraturos confidamus, quicquid no- „ bis expedit ad salutem. "

Rom. 14. 23

17. 18. *Non vos me elegistis*, &c. Pastorum & Ministrorum Evangelicorum formam hic tradit Christus Jesus. 1. Necessaria ipsis vocatio est, ut non se ingerant, sed electionem Christi exspectent, ejusque voluntatem circa statum saluti suæ convenientem exquirant. *Elegi vos*. 2. Ut missione & auctoritate legitima ad sacrum ministerium, & Ecclesiæ regimen promoveantur. *Posui vos*. 3. Ut honorem, divitias, temporalia commoda, otium & quietem non quærant, sed laborem. *Ut eatis*. 4. Ut laborando in verbo & doctrina, folia non quærant, id est, hominum laudes & applausus, sed fructus, conversionem peccatorum, profectum animarum, Ecclesiæ propagationem, Dei gloriam. *Et fructum afferatis*. 5. Ut omnia faciant propter electos, qui fructus sunt manens, cum sint in caritate radicati. *Et fructus vester maneat*. 6. Labores suos, & fructum, assidua oratione Deo commendare debent per merita Jesu Christi, qui gratia sua labores eorum sanctificat, qui sanguine suo fructum, quem afferunt, acquisivit. Quicquid autem petierint ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ utilitatem, ad suam & aliorum salutem pertinens, se per Christum Jesum impetraturos confidant. *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*. 7. Cum reliquis Ecclesiæ Ministris pacem & concordiam, non solum externam & politicam, sed veram & sinceram, quæ fundatur in caritate, fervent: quod ita demum fiet, si non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; si non suam, vel Ordinis sui, aut Societatis, sive Congregationis gloriam, aut privata commoda spectent in finem laborum suorum, sed unam Dei gloriam, cui serviunt in spiritu, ut operarii inconfusibiles. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Hæc dilectio primus Spiritus sancti fructus est, radixque ceterorum. *Fructus Spiritus caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia*. „ Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit „ unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest „ habere quem veraciter diligit? Quis est longanimis in „ bono perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? „ Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bo- „ mus nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, „ nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis utili- „ ter mansuetus, nisi cui dilectio moderetur? Quis ab „ eo continet unde turbatur, nisi diligat unde honesta- „ tur? " . . . 8. Pastores & Operarii omnes Evangelici parati esse debent ad odia mundi toleranda, & ad persecutiones fortiter sustinendas, exemplo Christi Domini. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*.

Galat. 5.

S. Augustin. Tract. 87. in Johann.

19. 20. Odium mundi & persecutiones pati, sors est electorum. Ad eas sustinendas roborari debent. 1. Exemplo Christi. *Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum Capite*. 2. Dilectione Dei, illos a mundo separantis. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. „ Iste „ mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui „ per Christum salvatur, & cui per Christum peccatum „ omne donatur, de mundo electus est inimico, dam- „ nato, contaminato. Ex ea quippe massa, quæ tota in „ Adam periit, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est „ mundus pertinens ad reconciliationem: quem mundus „ odit, ex eadem massa pertinens ad vasa iræ, quæ per- „ fecta sunt ad perditionem. 3. Quia a mundo diligi, „ mundumque diligere, & Christi Jesu servum esse, duo „ sunt quæ simul cohærere nullatenus possunt. " *Non* *est servus major Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Qui diligit mundum, & a mundo diligitur; nomine tantum, non re Christianus est. *Adulteri, nesci-*

S. Aug. ibid.

Jacobi 4. 4 & 5.

neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus: inimicus Dei conſtituitur. Hinc rurſus S. Jo. ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* 4 Felices ſunt, qui odia & perſecutiones mundi propter Chriſti nomen, id eſt, propter juſtitiam patiuntur, miſeri qui faciunt. *Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia neſciunt eum qui miſit me.*

1. Jo. 1. 15.

22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Væ illis quibus Dei beneficia in graviorem damnationem cedunt! Gratiæ exteriores quibus peccator propria infidelitate abutitur, nihil aliud illi conferunt, niſi ut inexcuſabilis coram Deo reddatur. Sic Incarnatio Chriſti & ejus prædicatio ac miracula Judæos qui illum exſpectare debebant, & ex Prophetarum vaticiniis agnoſcere ac recipere, penitus inexcuſabiles, adeoque graviore damnatione dignos effecerunt. Lux ipſis non defuit; ſed in tenebris ſuis lucentem pravi cordis duritie, & malignarum cupiditatum vehementia rejecerunt. Quod Deus cor eorum non emolliverit, malam eorum voluntatem in bonam non converterit, quod gratia ſua poterat, juſtum Dei judicium eſt; non excuſatio peccati; ſed alterius pœna peccati. Si nullam habent excuſationem Judæi, qui in Chriſtum credere, ejuſque Legem accipere noluerunt; multo minus excuſari poſſunt Chriſtiani, qui cum fidem & legem Chriſti in Baptiſmo ſe ſuſcipere profeſſi fuerint, ſeque ſervaturos ſolemniter promiſerint, eam tamen violare pro nihilo ducunt. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; quanto magis deteriora putatis mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Hebr. 10. 28. 29. 30.

23. *Qui me odit, & Patrem meum odit.* „ Si interrogarentur Judæi utrum diligerent Deum, quid aliud quam ſe diligere reſponderent, nec ex animo mentientes, ſed errando potius opinantes? Quomodo enim diligerent Patrem Veritatis, qui haberent odio Veritatem? Nolunt enim ſua facta damnari, & hoc habet veritas ut talia facta damnentur: tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt ſuas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Neſciunt autem illam eſſe Veritatem, quæ tales quales ipſi ſunt damnat, oderunt ergo quam neſciunt, & cum illam oderunt, profecto & eum de quo nata eſt, niſi odiſſe non poſſunt. Ac per hoc quia Veritatem, qua judicante damnantur, de Patre Deo natam neſciunt; utique etiam ipſum & neſciunt, & oderunt. "*O miſeros homines, qui cum eſſe volunt mali, nolunt eſſe veritatem qua damnantur mali!* *Nolunt enim eam eſſe quod eſt, cum ſe ipſos debeant nolle eſſe quod ſunt: ut ipſa manente mutentur, ne ipſa judicante damnentur.* Chriſtum odit, qui Legem ejus non diligit. Tametſi clamet ſe diligere, operibus probat ſe odiſſe. Vellet non eſſe legem Dei, qua cupiditates ejus & mala opera prohibentur, judicantur, damnantur. Legem autem Chriſti odiſſe, Deum odiſſe eſt ſumme bonum, beneficentiſſimum, præ rebus omnibus amabilem, & quidem ſine cauſa odiſſe. *Quia odio habuerunt me gratis.*

S. Auguſt. ſerm. 90. in Johann.

26. 27 *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Triplex Myſterium hac una ſententia revelat Dominus. 1. Myſterium adorandum Trinitatis divinarum perſonarum: Patrem ſine principio, qui Filium ab æterno generat: Filium qui naturam ſecundam accipiens a Patre, cum illo Spiritum ſanctum, amorem ſubſtantialem Patris & Filii, utrique conſubſtantialem & æqualem ſpirat. 2. Myſterium Incarnationis Filii Dei. Niſi enim Jeſus Chriſtus Deus eſſet, Spiritum ſanctum mittere non poſſet, ſiquidem mittere perſonam non poteſt, niſi quæ ab ipſo procedit; nec illi teſtimonium perhiberet Spiritus veritatis, ſi falſum eſſet quod de ſua Divinitate & miſſione a Patre, Chriſtus ipſe dixit. 3. Myſterium Miſſionis Spiritus ſancti in Eccleſiam ad eam formandam; in ejus Miniſtros, ad cooperandum formationi corporis ejus; in credentes, ut mundum vincant cum ſuis erroribus, amoribus, terroribus. *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Conſolator Spiritus eſt in omnibus tribulationibus. Spiritus eſt conſolator eorum, qui mundi ſolatiis privari malunt, quam Chriſto. Spiritus eſt veritatis, cujus amorem inſpirat, cujus Prædicatores formet; cujus Martyres & Confeſſores confirmat & roborat teſtimonium Incarnatæ Veritati in ipſis & per ipſos reddens. *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* „ Dabit vobis fiduciam teſtimonium perhibendi caritas Dei diffuſa in cordibus veſtris, per Spiritum ſanctum qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere, ſed contra ſuam pollicitationem timore magno compulſus eſt ter negare Timor autem iſte non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem. Denique ante Paſſionem Domini, ſervilis timor ejus interrogatus eſt a femina ſervitutis; poſt reſurrectionem vero Domini liberalis ejus amor ab ipſo Principe libertatis: & ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur; ibi quem dilexerat negabat, hic quem negaverat diligebat. *Sed adhuc etiam tunc amor ipſe infirmus fuerat & anguſtus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus ſanctus.* Qui poſteaquam illi eſt abundantia gratiæ largioris infuſus, ſic ad perhibendum de Chriſto teſtimonium quondam ejus frigidum pectus accendit, atque illa prius trepida, quæ veritatem ſuppreſſerant, ora reſeravit, ut cum omnes in quos venerat Spiritus ſanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Judæorum circumſtantibus turbis, ſolus ad teſtimonium de Chriſto perhibendum præ ceteris promptius emicaret, illiuſque interfectores de illius reſurrectione convinceret." *Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus ſancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretioſiſſimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis Judæos adverſarios Chriſti faceret pro illo paratos mori, a quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit Spiritus ſanctus miſſus, ante promiſſus.*

S. Auguſt. Tract. 92. in Johan.

Act. 2. 14.

CAPUT XVI.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. 4. HÆc locutus ſum vobis, *ut non ſcandalizemini.* Hæc de Judæorum incredulitate, de publico in vos odio, & incommodis quæ vobis imminent, vobis prædixi, ut vos muniam contra ſcandala, veſtroſque animos confirmem, ne turbemini ut re inexſpectata & intolerabili. Mala enim prævisa minus percellunt. *Abſque Synagogis facient vos.* Vos e Synagogis ejicient, omnique ſacro commercio, & Iſraelitici Populi communione privatos denuntiabunt. *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Immo tempus imminet, quo omnis, Judæus præſertim, qui vos interfecerit, arbitretur ſe ſacrificium offerre Deo, ſeu pium & Deo gratiſſimum opus facere. Græce, Λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. Sic Judæi de Paulo dicebant: *Tolle de terra hujuſmodi: non enim fas eſt eum vivere.* Si alii numero amplius quam quadraginta ſe devoverunt non manducare neque bibere, donec eumdem Paulum interficerent. S. Juſtinus Martyr paſſim Tryphoni exprobrat, Judæos diris execrationibus ſolitos in Synagogis devovere quotquot in Chriſtum crederent. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Non ob culpam aliquam veſtram vos perſequentur, ſed ex ignorantia falſum eorum zelum non excuſante, cum ſit craſſa & affectata. Non enim conſiderant ea quibus convinci poſſunt Deum eſſe Patrem meum, meque eſſe Dei Filium in mundum. *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Ego vero hæc vobis prænuntio, ut cum illa hora venerit, memores ſitis me hæc vobis prædixiſſe, indeque firmius credatis me eſſe Deum, qui omnia noverim antequam fiant: meque hæc propter bonum veſtrum permittere, & promiſſam vobis in præmium patientiæ gloriam retributurum ſperetis, agnoſcentes me non minus veracem in promiſſionibus adimplendis, quam in perſecutionibus prædicandis.

Verſiones Syriaca, Arab. Perſ. Æthiop. Act. 22. & 23. *Juſtinus Dial. cum Tryphone.*

5. 6. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.* Hæc autem vobis ita particulatim, ita explicate non dixi hucuſque, quia in tuto eratis, & omnem perſecutionem in me convertendam noveram. Unde neceſſe non erat ut hæc ſciretis: nunc vero cum a vobis ſim diſceſſurus, oportet ut hæc vobis prænunciem, ut adverſus tot perſecutiones vos muniam. *Et nunc vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?* Ita ſtupefacti eſtis, ut nemo veſtrum me interroget amicorum more longe abeuntium, quo vadam, quo conſilio, qua cauſa, quo fructu, quid facturus, quando rediturus. *Sed quia hæc locutus ſum vobis*, quia imminentem abſentiam meam, & conſequentia pericula vobis prænunciavi, *triſtitia implevit cor veſtrum.* Id impedit quo minus me, ut antea interrogetis.

S. Joannes Chryſoſt.

7. *Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis ut ego vadam*, regni cæleſtis poſſeſſionem aditurus, & locum vobis in eo paraturus: & Spiritum ſanctum ut pignus vobis miſſurus. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos:* Ita quippe divino decreto conſtitutum eſt, ut Spiritus conſolator ad vos non veniat, niſi cum exaltatus fuero & glorificatus: *Si autem abiero, mittam eum ad vos:* Ut omnibus conſtet Spiritus ſancti donationem fructum eſſe Paſſionis & Reſurrectionis meæ. *Mittam eum ad vos*, ut vice mea vos dirigat, illuminet, confirmet, conſoletur. *Sedens ad dexteram Patris* (inquit Tertullianus) *miſit vicariam viam Spiritus ſancti, qui credentes agat.* Et alibi: *Spiritus ſanctus ad hoc miſſus a Chriſto, ad hoc poſtulatus a Patre, ut eſſet doctor veritatis, Dei villicus, Chriſti vicarius.*

Joann. 7. 37

Tertull. lib. de Præſcrip. c. 13. *Ibid. cap.* 28.

8. 9. 10. 11. *Et cum venerit ille, arguet mundum*, id eſt homines peccatores convincet *de peccato, de juſtitia, & de judicio*: quod graviſſimi peccati rei ſint; quod ego ſim juſtus & ſanctus; quod judiciaria poteſtas in mundum mihi conveniat, quam poteſtatem in diabolum mundi corrupti & damnandi principem jam exerceo. Tria fuiſſe apud Judæos cauſarum genera, viri eruditi obſervant. 1. Publica judicia *de peccato*, id eſt, de cauſis criminalibus. 2. Privata ex æquo & bono, dicta *de juſtitia*. 3. Privata certam ex lege formulam habentia, dicta *de judicio*. Ad hæc alludere Chriſtum hoc loco. *De peccato quidem* incredulorum multitudinem, & Judæos imprimis Spiritus ſanctus convincet, ac oſtendet prædicantibus vobis, variis linguis loquentibus & miracula in nomine meo operantibus, illos graviſſimi pecca-

Deuter. 18. 21. *Rom.* 3. *S. Chryſ. Hom.* 27. *in Joann.*

peccati incredulitatis reos esse, *quia non crediderunt in me*, Prophetam illum & Messiam verum a Deo promissum, Dei Filium. Convincet mundum omnem, tam Judæos, quam Gentiles de peccato, eo quod fidem in me non habeant, sine qua nemo potest a peccatis liberari. *De justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* De sanctitate & justitia mea atque innocentia convincentur, meque esse justitiæ auctorem, eamque non ex Legis operibus naturali rationi consonis, sed a me uno expectandam, meoque ex merito sperandam, & ex fide in me Salvatorem mundi. Quod ex eo demonstrabitur, quia mox in cælum recipiar. Neque enim si injustus & peccator fuissem, ad Patrem ascendissem, libere domum ejus scilicet cælum ingrediens, & ad dexteram ejus sedens. Nec jam videbitis me infirmitate circumdatum, sed paternæ gloriæ & claritatis, quam apud ipsum habui, prius quam mundus fieret, consortem crederis. *De judicio autem* convincet mundum Spiritus sanctus, ut se judicio & damnationi obnoxium esse intelligat, *quia Princeps hujus mundi* diabolus per me *jam judicatus est*, & mox ejiciendus foras, regnoque suo spoliandus, corruente idololatria, & vero Dei cultu apud omnes gentes instituto.

12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Adhuc multa supersunt vobis dicenda, quæ profundiorem Mysteriorum explicationem, Ecclesiæ constitutionem, statum, ac regimen spectant; sed iis supersedeo, quia illa modo capere non potestis, cum adhuc rudes, imbecilli & imperfecti sitis. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, diriget ac deducet in omnem veritatem, ad bonum regimen Ecclesiæ, ad perficiendum homines in fide & bonis moribus necessariam. *Docebit omnem veritatem* in Scripturis sanctis, in verbis, institutisque meis latentem. *Non enim loquetur a semetipso.* Non aliena aut diversa docebit ab iis quæ ego docui ex Patris voluntate, quia non est ex se ipso; sed ejusdem cum Patre meque ipso essentiæ, sapientiæ, voluntatis: *sed quæcumque audiet, loquetur*, ea docebit, quorum cognitionem a Patre & a Me, cum natura accepit: *& quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Prophetiæ donum vobis infundet, quo futura prænoscatis, quæ vos scire, ad Apostolicam functionem, Ecclesiæque regimen utile fuerit. *Sed quæcumque audiet, loquetur.* „ Audire illi scire est; scire vero „ esse. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo „ procedit; a quo illi essentia, ab illo scientia: ab illo „ igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia. „ Nec movere nos debet quod verbum futuri temporis „ positum est, *Quæcumque audiet, loquetur.* Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. „ In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine „ fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat, fuit & erit, sed tantum est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; & ideo illi tantum convenerat dicere, *Ego sum qui sum*: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit & est. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ergo & scivit, & scit, & sciet: ac per hoc, & audivit, & audiet: quia hoc est illi audire quod scire, & scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, & audiet, a quo est: ab illo est, a quo procedit." *S. Augustin. Tract. 99. in Johan.*

14. 15. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ille divinitatem meam ac gloriam per Evangelii prædicationem, donaque, & signa ipsam comitantia, manifestabit, quia de me, seu de plenitudine divinitatis meæ cogitionem omnis veritatis accipiens, ut essentiam, æterna Processione a me pariter & a Patre, vobis revelabit, aperiet, suggeret, explicabit omnia ad doctrinæ meæ intelligentiam, & ædificationem Ecclesiæ necessaria. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*; natura, sapientia, veritas, potentia, perfectiones omnes, quas ab ipso per æternam generationem accepi: *Propterea dixi, Quia de meo accipiet*, a Patre accipiendo, cum quo mihi individua naturæ communio est; *& annuntiabit vobis* doctrinam Patris & meam. A Patre enim & a Me, ut ab uno principio procedit & mittitur: unde nihil annuntiare & docere potest, nisi quod a nobis acceperit procedendo. Non ergo propterea, sicut hæretici Macedoniani putaverunt, minor est Filio Spiritus sanctus: quasi Filius accipiat a Patre, & Spiritus sanctus a Filio quibusdam gradibus naturarum: sed de Patre accipit Spiritus sanctus, unde accipit Filius: quia in sancta Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, Pater solus est. *S.Cyrill.lib 11. in Jo.* *S. Augustin. Tract. 100. in Johan.*

16. 17. 18. *Modicum, & jam non videbitis me*; post breve temporis intervallum præsentia mea sensibili & conversatione non fruemini, quia morte vobis subtrahar: *& iterum modicum, & videbitis me*, & post breve tempus iterum me videbitis redivivum, immortalem, gloriosum, *quia vado ad Patrem*: quia tempus instat, quo per mortem & resurrectionem intercedentem mihi ad Patrem eundum est: me igitur quasi raptim & transitum per vos facientem conspicietis. *Dixerunt ergo* quidam *ex Discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc, quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur.* In animum enim inducere non poterant Jesum tam cito moriturum, nec ipsum statim resurrecturum esse intelligebant.

19. 20. 21. 22. *Cognovit autem Jesus*, vi sua divina, *quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.* Ad id quod eos perplexos tenebat, directe non respondet: satis tamen innuit se de morte & resurrectione sua loqui. *Amen, amen dico vobis, Quia plorabitis & flebitis vos* ob Passionem ac mortem meam: *Mundus autem gaudebit.* Judæi inimici mei, Pharisæi mundi amatores gaudebunt, quasi me devicto: *vos vero contristabimini.* Gaudium persecutorum meorum cumulum apponet tristitiæ ac lamentationi vestræ. Discipulos autem solatur Dominus spe melioris sortis, & egregia comparatione rem illustrat. *Mulier cum parit*, cum nititur ad edendum partum, *tristitiam habet, quia venit hora ejus*, tempus gravissimorum dolorum: *Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Maximi quidem partus dolores sunt, sed breves præ gaudio: edito enim in lucem puero tantus est in matre lætitiæ sensus, ut jam præteritorum dolorum quasi non meminerit præ gaudio de puero nato. *Et vos igitur*, similiter & vos *nunc quidem tristitiam habetis*, imminet vobis tristitiæ gravissimæ tempus propter mortem meam: sed breve erit tempus illud mœroris ac fletus vestri: Resurrectione enim mea, & gloriæ meæ conspectu vos cito recreabo. *Iterum autem videbo vos*, a die resurrectionis meæ ad Ascensionem usque me vobis conspicuum præbens, & de regno Dei vobiscum colloquens: *& gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Perennis erit gaudii vestri causa, quia me non mori amplius, sed æternum vivere, & ad Patris dexteram sedere firmissime credetis. In ipsis tribulationibus, & persecutionibus, quas pro nomine meo patiemini, exultabitis lætitia inenarrabili, Spiritu sancto vos interius gaudio cumulante, donec intretis in gaudium Domini, quod nemo vobis eripiet.

23. 24. *Et in illo die me non rogabitis quidquam.* Cum ad Patrem assumptus fuero, non opus erit ut me interrogetis, ut solebatis quando vobiscum eram vitam agens mortalem; quia Spiritus sanctus docebit vos omnia, quæ scire vos oportet. Neque vero vobis metuendum est ne omni præsidio sitis destituti, cum vobis sensibilem præsentiam meam subtraxero. *Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, id est, per me ut Mediatorem, sive, meritorum meorum intuitu, *dabit vobis.* Me enim habebitis *Advocatum apud Patrem.* Id vobis omnia asseveratione polliceor. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, tamquam Redemptoris & Mediatoris vestri: vel enim me præsentem interpellabatis in necessitatibus vestris, vel preces vestras simpliciter dirigebatis ad Patrem, nulla mei facta mentione. *Petite* conceptis verbis in nomine meo, *& accipietis*, pro votis impetrabitis quod petieritis, *ut gaudium vestrum sit plenum*, copiosum, perfectum, in præsenti futuraque vita. Veteribus usitatus non fuit communiter hic precandi modus: nunc autem per Christum statuitur & docetur, cum tempus humanæ per eum reparationis effulsit, & cujusvis boni perfectio per eum inducta est. Quemadmodum enim Lex nihil ad perfectum adduxit, sed imperfecta erat justitia quæ secundum eam exercebatur, sic & peccandi modus. Ex quo autem Christus nos cum Deo reconciliavit, non aliter ad Deum & Patrem accedimus, quam per ipsum, in uno Spiritu. Ideo ait: *Ego sum ostium, Ego sum via, Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quatenus ergo Filius ac Deus est, una cum Patre sanctis bona largitur, & benedictionem internam una cum eo nobis impertit. *Gratia vobis & pax* (inquit Paulus) *a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Quatenus vero Mediator, & Pontifex, & Advocatus, offert Patri supplicationes pro nobis. Ipse enim est omnium nostrum fiducia apud Patrem. Sic orat Ecclesia, *Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hunc precandi modum ignoravit Synagoga; quamvis forte Patriarchæ, Prophetæ, nonnullique alii justi fidem explicitam Christi habentes, & a Deo magis illustrati, in nomine Messiæ orarent. *S.Cyrill.lib 11. in Jo. p. 916.* *Jo. Epist. 1. c. 2.* *Rom. 1. 7.*

25. *Hæc in proverbiis*, sive parabolis, quasi sub umbris & involucris, & subobscure *locutus sum vobis. Venit hora*, tempus imminet, *cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam*, post Resurrectionem meam, & per Spiritum Paraclitum, *de Patre annuntiabo vobis.* De Trinitatis Mysterio, de aliis Mysteriis regni Dei, de Patris voluntate, de constitutione & regimine Ecclesiæ meæ, de omnibus quæ precari debeatis in nomi-

nomine meo, vos instruam, omniaque vobis apertissime & explicatissime aperiam.

26. 27. 28. *In illo die*, tunc temporis, *in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos*. Non dico vos indigere precibus meis; quia Pater meus adeo vos amat, ut vel me tacente, vobis in nomine meo petentibus beneficia concessurus sit. Se pro nobis rogaturum, ut homo est, non negat. Siquidem alias ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; & de illo scribit Apostolus, *Qui etiam interpellat pro nobis*. . . „ Sed Patrem ocyus
S. Cyrill. lib. 11. in Jo. p. 939. tom. 8. 34. Hebr. 7. 25. „ daturum eis pollicetur quæ postulaverint, non utique „ Filii solum impulsu, qui advocatus & mediator est, „ sed ultro quodammodo eo munificentiæ delatum, & „ quasi quoddam debitum solvat Christum diligentibus, „ summam nempe benignitatem. Neque vero quispiam „ putaverit, aut stulte asseruerit, Discipulis, aut Sanctis „ quibuslibet mediatione Filii nullatenus opus fore. „ Omnia quippe per ipsum a Patre sunt in Spiritu, quo- „ niam Advocatus est, teste Johanne, non pro nostris „ peccatis solum, sed etiam pro totius mundi. Ceterum „ hæc ait, ut ostenderet longe gratissimum esse Patri ho- „ norari ac diligi Filium suum. " *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego a Deo exivi*, id est, quia ego missus sum a Deo, ex quo natus ab æterno ut Filius ejus unigenitus. *Exivi a Patre* per æternam generationem, *& veni in mundum*, assumpta carne in utero Virginis: *iterum*, id est, nunc vice versa, *relinquo mundum*, consummata dispensatione mea, & generis humani redemptione; *& vado ad Patrem*, per Ascensionem ad cœlos mox revertar. Lege S. Hilarium lib. 6. *De Trinitate*, *p.* 899. & 900. Edit. postremæ Paris.

29. 30. *Dicunt ei Discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis*. Non jam obscuro & parabolico sermone uteris. *Nunc scimus* experientia docti, *quia scis omnia: & non opus est tibi ut quis te interroget*: cum noveris interrogare volentium cogitationes, & dubitationes antequam tibi proponantur. *In hoc credimus quia a Deo existi*. Ob hoc firmius credimus te Filium Dei esse, ac verum Messiam. Cogitationes enim introspicere, divinum est.

31. 32. *Respondit eis Jesus: Modo creditis. Ecce venit hora, & jam venit: ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis*. Jam quidem creditis, sed tempus imminet, quando me solo derelicto, & amore magistri posthabito, metu perculsi separabimini, in diversa loca fugientes. *Et non sum solus*, & tamen solus non sum, *quia Pater mecum est*, cujus ego Filius sum consubstantialis, nullius indigens ope, qui proinde comprehendar ab inimicis meis, mortique tradar, quia volo, non quod mihi ad resistendum necessarii sitis.

33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*: Id est, ut in fide & dilectione mea firmi & stabiles, non turbemini, & scandalizemini ex iis quæ mihi, vobisque sunt eventura. *In mundo pressuram habebitis*: affligemini, persecutionem patiemini ab hominibus: *Sed confidite*, animum sumite meo exemplo, a me sperate auxilium, *ego vici mundum*. Vobis quidem pugnandum, sed cum hoste prostrato. Mundum appellat totum id quod veritati & legi Dei opponitur, quod hominem a Deo avertere tentat. Omnia ergo quæ in mundo sunt, honores, divitiæ, voluptates, timores, persecutiones, homines improbi, dæmones, & quicquid est aliud, quo homo a Deo avertitur, mundus est. Hæc omnia Christus superavit & vicit, quem a voluntate Patris nec mors, nec tota inferni potestas avertere potuit: & per gratiam suam vires nobis
Epist. 1. 4. 4. & 5. 4. subministrat quibus mundum vincamus. Unde S. Johannes ait: *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo . . . . . Omne quod natum est ex Deo vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. „ Propter hanc pacem totum agitur quod Christiani su-
S. Aug. Tr. 104. in Jo. „ mus. Hæc enim pax finem temporis non habebit, sed „ omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit. „ Propter hanc Sacramentis ejus imbuimur, propter hanc „ mirabilibus ejus operibus & sermonibus erudimur, pro- „ pter hanc Spiritus ejus pignus accepimus, propter hanc „ in eum credimus & speramus, & ejus amore, quan- „ tum donat, accendimur: hac pace in pressuris omni- „ bus consolamur, hac a pressuris omnibus liberamur: „ propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, „ ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus. "

SENSUS MORALIS.

Psal. 119. 165. S. Aug. Tr. 93. in Jo.

1. HÆc *locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Canitur in Psalmo, *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*. „ Merito itaque Chri- „ stus promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fie- „ rent testes ejus, subjunxit: *Hæc locutus sum vobis, „ ut non scandalizemini. Cum enim caritas Dei diffun- „ ditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui da-*
Nat. Alex. In Evang.
„ *tus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, „ Ut non sit illis scandalum*. " Si verbum Dei meditemur, & in corde conservemus, suavissimum in eo solatium, præsentissimumque remedium adversus omnia scandala inveniemus.

2. 3. *Absque Synagogis facient vos: sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*. „ Nolite solitudinem formidare: separati
S. Augusti. ibid. „ quippe a congregatione eorum, tam multos in nomine „ meo congregabitis, ut illi metuentes ne Templum quod „ erat apud eos & omnia Legis veteris Sacramenta de- „ ferantur, interficiant vos, sic fundentes sanguinem ve- „ strum, ut Deo se præstare arbitrentur obsequium. Ec- „ ce est illud quod de his dixit Apostolus, *Zelum Dei „ habent, sed non secundum scientiam*: Obsequium se „ putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei. O
Rom. 10. 2. „ error horrendus! Ita ne ut placeas Deo, percutis pla- „ centem Deo; & templum Dei vivum te feriente pro- „ sternitur, ne Dei templum lapideum deferatur? O ex- „ secrabilis cæcitas! Sed ex parte in Israel facta est, ut „ plenitudo gentium intraret, ex parte, inquam, non ex „ toto. Non enim omnes, sed aliqui ex ramis fracti sunt, „ ut insereretur oleaster. Nam Spiritu sancto implente Di- „ scipulos Christi, cum linguis omnium gentium loqueren- „ tur, cum per eos divina miracula frequentarentur, &
Rom. 11. 15. „ divina eloquia spargerentur, etiam occisus ita dilectus „ est Christus, ut ejus Discipuli expulsi a congregatio- „ nibus Judæorum, ex ipsis quoque Judæis ingentem mul- „ titudinem congregarent, & nullam solitudinem for- „ midarent: " *venit hora &c.* Nondum præteriit tempus persecutionis Discipulorum Christi, Prædicatorum & doctorum veritatis, ab hominibus malis. Hæc hora ad finem usque mundi durabit. Hora electorum est æternitas. In hoc sæculo causa innocentiæ ac pietatis non semper victrix est. In justitia & patientia perseverandum est usque ad mortem, ad promerendum coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se: Hostes vincere, pericula & tribulationes vitare nititur carnalis homo ne patiatur, Spiritualis vero patitur ut vincat; calcatur ab improbis ne cadat; moritur ut vivat.

4. *Sed hæc dixi vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Et nos verborum
S. Johann. Chrysost. Hom. 76. in Johann. Christi ac præceptorum ejus in tentationibus & tribulationibus reminiscamur: Aspiciamus in Auctorem fidei nostræ & consummatorem Jesum, & beatos nos existimemus, si propter ipsum patiamur. In cruce gloriemur, in tribulationibus gaudeamus. Nam si quis pro charissimis aliquid passus, etiam gloriatur; quam molestiam sentire putandus est, qui propter Deum aliquid patitur, & pati amat? Si Christus ipse proposito gaudio sustinuit crucem, si per eam in gloriam suam intravit; multo magis nos in cruce gloriari debemus; & in tribulationibus gaudere, non labores, sed præmia considerantes. Quemadmodum enim mercatores non maris pericula, sed lucrum spectant: ita & nos cœlum, & Dei præsentiam.

Sed hæc dixi vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hoc unum est ex argumentis quibus veritas Christianæ Religionis invicte demonstratur, quod Christus Jesus prædixerit quæcumque sibi & Ecclesiæ suæ eventura erant; eaque evenerint quemadmodum fuerant ab illo prædicta.

6. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Pauci sunt qui crucem diligant, qui rebus
2. Cor. 7. 11. adversis imminentibus & evenientibus non contristentur supra modum. Adeo infirmi sumus in fide, ut magis affligamur timore boni sensibilis & temporalis amittendi, quam gaudeamus spe bonorum invisibilium & æternorum. Tristitia sæculi, quæ mortem operatur, cor hominis Christiani non occupet, non impleat; sed tristitia quæ secundum Deum est, quæ pœnitentiam stabilem in salutem operatur, cor ejus affligat, non absorbeat, non dejiciat, non illi dominetur; sed fides, spes, & amor Dei semper in illo prævaleant. Hæc tristitia excitet hominem ad Deum interrogandum in oratione, & ad postulandum ab ipso per Jesum Christum ejus lumen & gratiam necessariam ad ejus voluntatem perficiendam, & ad eum sequendum quo ivit. *Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*.

7. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*: Spiritus enim sanctus mitti non poterat, nisi Deo nobis reconciliato, & cordibus nostris a peccato purgatis, quorum utrumque Christi sanguine effectum est. Expiemus igitur peccata nostra per pœnitentiam, animas abluamus in sanguine Christi, ut fiant Templum Spiritus sancti. Secundo, Discipuli a visibili carnis Christi præsentia pendentes, non erant satis dispositi ad suscipiendum Spiritum sanctum: a sensibilibus bonis abstrahendi erant, ut ad invisibilia bona disponerentut; a Christi Jesu humanitate ad divinitatem ascendere eique ut Dei Filio, & uni cum Patre Spiritus sancti principio toto cordis affe-

S. Aug. Tr. 94. in Jo.

ctu adhærere debebant ut ipsum Spiritum sanctum acciperemererentur. *Expedit vobis ut ego vadam*, &c. quasi diceret, *Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur a vobis : caro quidem factum Verbum habito in vobis ; sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis.* Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. *Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis ; si carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis . . . Non potestis capere Spiritum, quandiu secundum carnem persistitis nosse Christum.* Unde Apostolus ait : *Etsi noveramus secundum carnem* 2. Cor. 5. 16. *Christum, sed nunc jam non novimus.* Etiam ipsam quippe carnem Christi non secundum carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit.

Hinc discamus, adhæsionem hominibus, etiam piis & sanctis, impedimentum esse sanctitatis, & consolationum interiorum, quæ puriores, solidiores, suaviores & utiliores sunt. Quanto magis carnales affectus hominem indi- Genes. 6. 50. gnum reddunt Spiritu sancto ? *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.*

8. 9. 10. 11. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Quis audeat dicere, quod per Discipulos Christi arguat mundum Spiritus sanctus, & non arguat ipse Christus ; cum clamet 2. Cor. 13. 3. S. Aug. Tr. 95. in Jo. Apostolus, *An vultis experimentum accipere ejus qui loquitur in me Christus ?* Sed quia per Spiritum sanctum diffundenda erat caritas in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, quo impediri possent ne arguere mundum, qui persecutionibus fremebat, auderent, propterea dixit, *Ille arguet mundum*, tanquam diceret ; *Ille diffundet in cordibus vestris caritatem : sic enim timore depulso arguendi habebitis libertatem.* Rom. 8. Vers. 9. & 22. & c. 1. vers. 17. & 18

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Hæc Domini sententia tres veritates fundamentales Christianæ Religionis complectitur. 1. Generalem naturæ depravationem & corruptionem in Adamo per ejus inobedientiam, & regnum peccati usque ad Christum Jesum. 2. Reparationem naturæ per novum hominem, & secundum Adam Christum Jesum, regnumque justitiæ Christianæ per gratiam ipsius. 3. Condemnationem peccatorum in peccatis perseverantium, & de- Rom. 5. 7. structionem regni peccati per ultimum judicium. Transfusio peccati originalis, & vulnerum ipsum consequentium : constitutio & inspiratio veræ justitiæ per Jesum Christum Salvatorem nostrum : Judicia Dei in punitione temporali & æterna peccati, sine Spiritus sancti lumine, sine fide cognosci non possunt. *Ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio... De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Cæcitas enim, obstinatio, & invidia Judæorum in Christum Dominum, & impugnatio veritatis, quam illis Christus annuntiavit, tam manifestis Prophetarum oraculis, tot & tantis miraculis confirmatam, argumentum est repugnantis peccati, dominantis cupiditatis. Illorum incredulitate convincimur quantum grâtiæ Salvatoris debeamus ob fidei donum : siquidem non minus quam illi *Eramus natura filii iræ.* Ephes. 2. 3. Hic fructus est descensus Spiritus sancti. Fructus alter est, ut justitiæ legalis inutilitatem, & necessitatem justitiæ Dei, quæ est per fidem Christi Jesu, cognoscamus ; per fidem, inquam, Christi, qui mortuus est propter peccata nostra, qui resurrexit propter justificationem nostram, qui in cœlos ascendit, ut sedens ad dexteram Patris objectum sit fidei & fiduciæ nostræ.

De justitia vero, quia ad Patrem vado. Arguit mundum Spiritus sanctus de peccato, quia in Christum non credit : & de justitia eorum qui credunt. „ Ipsa quippe „ fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Qua„ propter mundus de peccato quidem suo, de justitia vero „ arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ. S. Aug. Tr. 95. in Jo. „ *Omnia enim quæ arguuntur*, ait Apostolus, *a lumine* „ *manifestantur*. Quantum enim malum sit eorum qui Ephes. 5. 13. „ non credunt, non solum per se ipsum, verum etiam „ ex bono potest apparere eorum qui credunt. Et quo„ niam ista vox infidelium esse consuevit, Quomodo cre„ demus quod non videmus ? Ideo credentium justitiam „ sic oportuit definiri, *Quia ad Patrem vado, & jam* „ *non videbitis me*. Beati enim qui non vident & cre„ dunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eo lau„ data est fides eorum quia credebant quod videbant, id „ est filium hominis, sed quia credebant quod non vi- Jo. 20. 29. „ debant, id est Filium Dei. Cum vero & ipsa forma „ Dei subtracta eorum esset aspectibus, tum vero ex omni „ parte impletum est, *Justus ex fide vivit*. "

„ Denique *de judicio* quo *Princeps judicatus est mun*- Rom 1. 17. „ *di*, arguitur a Spiritu sancto mundus : quoniam cum „ suo principe judicatur, quem superbus atque impius „ imitatur. " *Si enim Deus Angelis peccantibus non pe-* 2. Petr 2. 4. *percit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tra-* S. Aug. ibid *didit cruciandos in judicium reservari* : Quomodo non a Spiritu sancto de hoc judicio mundus arguitur, quando in Spiritu sancto hæc loquitur Apostolus ? *Credant* itaque *homines in Christum, ut arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur : Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum quos justificatos non imitantur : Caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur, quem judicatum imitatur.* Etenim *Ne sibi existimet parci superbia duræ mortalium, de superborum supplicio terrenda est Angelorum.*

12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* „ Ne a nobis ex„ spectetis audire, quæ tunc noluit Dominus Disci„ pulis dicere, quia nondum poterant illa portare : „ sed potius in caritate proficite, quæ diffunditur in Rom. 5. 5. „ cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est „ vobis, ut Spiritu ferventes & spiritalia diligentes, „ spiritalem lucem, spiritalemque vocem, quam carnales „ homines ferre non possunt, non aliquo signo corpora„ libus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus „ auribus instrepente, sed interiore conspectu & auditu „ nosse possitis. Non enim diligitur quod ignoratur. *Sed cum diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione ut melius & plenius cognoscatur.*

Docebit vos omnem veritatem. Quomodo id fieri potest, S. Aug. Tr. ut homo cognoscat omnem veritatem, cum dicat Apo- 96. in Jo. stolus, *Ex parte scimus ?* Id impletur, quia per Spiritum 1. Cor. 13. sanctum fit id, cujus nunc pignus accepimus, ut ad ipsam 9. plenitudinem veniamus, de qua idem Apostolus ait, *Tunc* 1. Cor. 13. *autem facie ad faciem*, &, *Nunc scio ex parte, tunc* 12. *autem cognoscam sicut & cognitus sum* : „ non quod in „ hac vita sciat totum, quod usque ad hanc perfectio„ nem futurum nobis Dominus promisit per caritatem „ Spiritus, dicens : *Docebit vos omnem veritatem*. Reno„ vamini itaque spiritu mentis vestræ, ut intelligatis quæ „ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta ; *Ut in caritate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo & sublimitas, & profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem* Ephes. 4. 23. *Dei*. Illo enim modo vos docebit Spiritus sanctus omnem Rom. 12. 2. veritatem, cum magis magisque diffundet in cordibus Ephes. 3. 17. vestris caritatem. Spiritum veritatis invocate, ipsi corda vestra præparate gratiæ cooperando, qua ipse præparat ; mundate conscientiam, mores emendate, ut Christianas veritates intelligere possitis. „ Errat *enim* quisquis putat „ veritatem se posse cognoscere cum adhuc nequiter vi„ vat. Nequitia est autem mundum istum diligere, & ea S. Aug. lib. „ quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea de Agone „ concupiscere, & pro his laborare ut acquirantur ; & Christiano „ lætari cum abundaverint ; & timere, ne pereant ; & c. 13. „ contristari, cum pereunt. Talis vita non potest puram „ illam & sinceram & incommutabilem videre veritatem, „ & inhærere illi, & in æternum jam non moveri. "

Docebit vos omnem veritatem. Spiritus sanctus Apostolos docuit omnem veritatem fidei & salutis. Quid autem illos docuerit, quid prædicaverint a Christo & Spiritu ejus instituti & illuminati, non aliter sciri potest, nisi per Ecclesias quas condiderunt, & quibus ipsi prædicarunt, tam viva voce, quam per Epistolas postea. „ Constat proinde „ omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis „ matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati de„ putandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apo- „ stolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit : omnem Tertull. De „ vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sa- Præsc. c. „ piat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & 21. „ Christi, & Dei. " Quis ita demens, ut Apostolos aliquid ignorasse dicat ? „ Latuit aliquid Petrum, ædifican„ dæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cœlorum con„ secutum, & solvendi & alligandi in cœlis & in terris po„ testatem ? Latuit & Johannem aliquid dilectissimum Do„ mino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam „ traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ „ demandavit ?... Dixerat plane aliquando : Multa ha„ beo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea susti„ nere. Tamen adjiciens, cum venerit ille Spiritus veri„ tatis, ipse vos deducet in omnem veritatem : ostendit il„ los nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos „ per Spiritum veritatis repromiserat : & utique implevit „ repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum „ Spiritus sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt, nec „ Spiritus sancti esse possunt, qui necdum Spiritum san„ ctum possint agnoscere Discipulis missum ; sed nec Ec„ clesiam defendere, qui quando & quibus incunabulis „ institutum est hoc corpus, probare non habent. "

14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & an-* S. Aug. Tr. *nuntiabit vobis.* „ Id dupliciter intelligi posse S. Augu- 100. in Jo. „ stinus observat. Vel quia diffundendo in cordibus cre„ dentium charitatem, spiritalesque faciendo, declaravit „ eis quomodo Filius Patri esset æqualis, quem secundum „ carnem prius tantummodo noverant, & hominem sicut „ homines cogitabant. Vel certe quia per ipsam charita„ tem fiducia repleti, & timore depulso, annuntiave„ runt hominibus Christum : ac sic fama ejus diffusa est „ toto orbe terrarum. " *Ille me clarificabit*, id est, Ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum

dabitis

dabitis odorem, commendabitis honorem. Filius missus est in mundum ut glorificaret Patrem; Spiritus sanctus missus est ut glorificaret Filium: Persona procedens eam glorificat, a qua procedit, sive per æternam generationem, ut Filius; sive per spirationem æternam, ut Spiritus sanctus: & nos qui per creationem a Deo exivimus, ad ejus gloriam omnia, quæ ab illo accepimus, dona referamus, illisque secundum voluntatem ejus utamur. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

16. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Totum vitæ præsentis curriculum, *modicum* est, & *modicum*, prosperis & adversis, tristitia & gaudio permixtum. *Tempus breve est.* Se interdum abscondit Jesus Animabus sanctis, suavitatem sensibilem præsentiæ suæ, interiores consolationes illis subtrahit, ut earum fidelitatem, amoremque castum probet, ut eas purget a terrenorum affectuum reliquiis, ut ardentius in illis excitet desiderium sui. *Modicum & non videbitis me*: sed cito illas consolatur amantissimus Sponsus, ab iis non discedens, quas sponsavit sibi in fide, in justitia, & in sempiternum; sed paululum se abscondit, ut ejus desiderio ardentiori incensæ dicant: *Indica mihi, quem diligit anima* *Cant. 1. 6.* *mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie ... Quis mihi det* *Cant. 8. 1.* *te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deosculer te,* *S. Bern. ser.* *& jam me nemo despiciat?* „ Præteriens teneri vult, abi- *74. in Cant.* „ens revocari. Neque enim hoc irrevocabile Verbum. „ It & redit pro beneplacito suo, quasi visitans dilucu„lo, & subito probans. Et ire quidem illi quodammodo „ dispensatorium: redire vero semper voluntarium est: „ utrumque autem plenum judicii. At penes ipsum ho„rum ratio. Nunc vero constat in anima fieri hujusmo„di vicissitudines euntis & redeuntis Verbi. Sicut ait: „ *Vado & venio ad vos.* Item: *Modicum & non vide„bitis me, & iterum modicum & videbitis me.* O mo„dicum & modicum! O modicum longum! Pie Domi„ne, modicum dicis quod non videbimus te? Salvum sit „ verbum Domini mei, longum est, & multum valde „ nimis. Verumtamen utrumque verum, & modicum „ meritis, & non modicum votis. Habes utrumque in „ Propheta: *Si moram fecerit, exspecta eum, quia ve-* *Habac. 2.* „*niet, & non tardabit.* Quomodo non tardabit, si mo„ram fecerit, nisi quia quod ad meritum satis est, non „ est satis ad votum? Porro anima amans votis fertur, „ trahitur desideriis, dissimulat merita, Majestati oculos „ claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, & fidu„cialiter agens in eo. Intrepida denique & inverecun„da revocat Verbum, & cum fiducia repetit delicias „ suas, solita libertate vocans non Dominum, sed dile„ctum. *Revertere, dilecte mi.*“

20. 21. 22. *Amen, amen dico vobis, Quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Gemitus & lacrymæ, pars est Christiani. Flet, ingemiscit, contristatur, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, ne de Deo cogitet, ne ipsum diligat quantum debet. Flet, quia continuis peccandi periculis expositum se videt; quia non quod vult bonum hoc agit, sed quod non vult malum hoc facit, ingemiscens exclamat, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Ingemiscit, quia peregrinatur a Domino in hac valle miseriæ. Qui mundi gaudium diligunt, æternum cum mundo flebunt; qui vero lugent gaudente mundo, æterno gaudio in futura vita perfruentur. Non omnes lacrymæ christianæ sunt & sanctæ. Interest quam ob causam quis ploret ac gemat. Suas habet lacrymas caritas, habet & suas cupiditas. Sunt lacrymæ pœnitentium, sunt amantium, sunt & peccatorum. Morte Christi Jesu in cruce regenerati sumus, & patimur adhuc quotidie per ejus gratiam, donec in nobis plene formetur gloriosa regeneratione seu resurrectione. Tempus illud erit gaudii, nunc tempus est doloris & lacrymarum. *Charissimi, nunc filii Dei sumus & nondum* *1. Jo. 3. 2. S.* *apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, si-* *Aug. Tract.* *milis ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*“ Hunc *101. in Jo.* „ totius laboris sui fructum Ecclesia nunc parturit de„siderando, tunc est paritura cernendo; nunc parturit „ gemendo, tunc paritura latando; nunc parturit oran„do, tunc paritura laudando. Et ideo masculum, quo„niam *Ad istum fructum contemplationis cuncta officia* „ *referuntur actionis* ... Ibi ergo finis qui sufficit no„bis. Æternus igitur erit: neque enim nobis sufficit „ finis, nisi cujus nullus est finis. De hoc ait Dominus: „ *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Non tardat Do„minus promissum, *Modicum & videbitis me*, ubi jam „ nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil deside„randum remanebit, nihil quærendum latebit. Hoc mo„dicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: „ cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fue„rit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mun„dus, de quo dictum est, *Mundus autem gaudebit*: nec „ tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tri- *Rom. 12.* „stes simus, sed ut ait Apostolus; *Spe gaudentes, in* „*tribulatione patientes*: quia & ipsa parturiens, cui com„parati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam „ tristis est de præsenti dolore. Spe gaudeamus, quia *2. Cor. 4. 17.* „ id quod in præsenti est momentaneum & leve tribula„tionis nostræ, supra modum in sublimitate æternum „ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus „ nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ „ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non vi„dentur, æterna.“

23. 24. *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam dictum est, *non peti in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem salutis.* Qui petit ut filius Dei, ut membrum Christi, in Spiritu sancto, se egenum, pauperem, & omni gratia indignum agnoscens, accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quod debet accipere. *Quædam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur.* Ita sane intelligendum est quod *S. August.* ait, *Dabit vobis*, ut ea beneficia significata sciantur his *Tract. 102.* verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. „ Exau- *in Johann.* „diuntur quippe omnes sancti pro se ipsis, non autem „ pro omnibus exaudiuntur vel amicis suis, vel quibus„libet aliis, quia non utcumque dictum est, *dabit*;“ sed, *Dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*; gaudium utique spirituale, non carnale; quod tunc erit plenum, cum aliquid ei non erit addendum. „ Quicquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium „ consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, „ si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam posci„mus viam. Quicquid autem aliud petitur, nihil peti„tur, quia in tantæ rei comparatione quicquid aliud „ concupiscitur, nihil est. *Petite, & accipietis, ut gau„dium vestrum sit plenum.*“ Id est, Hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos misericordia divina non fraudabit.

27. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, &c.* „ Diligimus Deum, quia ipse prior dilexit nos. *1. Jo. 4. 10.* „ Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti su„mus. Prorsus donum Dei est diligere Deum. *Ipse ut* *S. August.* „*diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes* *Tract. 102.* „*amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus.* Non *in Jo. Rom.* „ enim amaremus Filium, nisi amaremus & Patrem. A- *5. 5.* „mat nos Pater, quia nos amamus Filium; cum a Pa„tre & Filio acceperimus, ut & Patrem amemus & „ Filium: diffundit enim caritatem in cordibus nostris „ amborum Spiritus, per quem Spiritum & Patrem ama„mus & Filium, & quem Spiritum cum Patre amamus „ & Filio. Amorem itaque nostrum pium quo colimus „ Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est: ideo quip„pe amavit ipse quod fecit.“ *Sed in nobis non face- ret quod amaret, nisi antequam id faceret nos amaret.* Amor itaque Dei, primum omnium ejus donorum est. Amorem amori rependamus; & si Deum diligimus, nihil nos de nostro retribuere agnoscamus, sed de donis ejus ac datis: Deum enim amamus de Deo.

28. *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Æternam generationem Filii in sinu Patris; Incarnationem ejus in utero Virginis Matris; vitam ejus gloriosam in Resurrectione, de qua ait Apostolus, *Resuscitans Jesum, sicut* *Act. 13. 33.* *scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, adoremus; humiliationes ejus imitemur contemptu gloriæ sæcularis & divitiarum; mundum relinquamus affectu; tota propensione voluntatis, amoris pondere feramur ad Patrem, cujus ad dexteram Christus sedet in gloria: ibi sit cor nostrum, ubi est caput nostrum Christus Jesus, ubi est totum nostrum, Deus benedictus in sæcula.

31. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* „ Si Christiani estis, pressuras in isto mundo „ sperate: tranquilliora & meliora tempora nolite spe„rare. Quod vobis Evangelium non promittit; nolite „ vobis promittere. Quid dicat Evangelium, scitis: „ Christianis loquimur, fidei prævaricatores esse non de„bemus ... Bonum est tibi ut attendas illum qui non *S. August.* „fallitur, nec fefellit aliquem, qui tibi promisit non hic *Enarrat.* „lætitiam, sed in se; & cum transierint ista, speres *in Ps. 96. n.* „quia cum illo regnabis in æternum; ne cum hic vis *20. S. Aug.* „regnare, neque hic habeas jucunditatem, neque illic *Epist. ad* „invenias.“ *Rom. Exp.*

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, &c. *inchoata n.* „ Tribulationes & molestiæ cum per justitiam Dei red- *18.* „duntur peccatis, bonos & justos, & quibus jam plus „ peccata ipsa displicent quam ulla corporis pœna, non „ reflectunt ad peccandum, sed ab omni labe peni„tus purgant. Pax enim perfecta etiam corporis suo tem„pore dabitur, si nunc pacem quam Dominus per fidem „ dare dignatus est, incoepisse spiritus noster atque in„commutabiliter teneat.“

Confidite, ego vici mundum. „ Quare dicit *confidite*, *Joann.* ¦ „ nisi quia nobis vicit, nobis pugnavit? Ubi enim pu„gnavit? Quia hominem suscepit. Tolle quod de Vir„gine natus, tolle quod semetipsum exinanivit formam

„ servi

„ ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, &
„ habitu inventus ut homo: tolle hoc, ubi luctamen?
„ ubi certamen, ubi tentatio? Ubi victoria quam non
S. Aug. ſer. 97. alias 21 de Verbis Domini. „ præceſſit pugna? *In principio erat Verbum, & Verbum*
„ *erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Numquid hoc
„ Verbum Judæus crucifigeret? Numquid hoc Verbo im-
„ pius inſultaret? Numquid hoc Verbum colaphis cæde-
„ retur? Numquid ſpinis coronaretur? Ut autem iſta
„ pateretur, *Verbum caro factum eſt*: & iſta paſſus re-
„ ſurgendo vicit. Ergo nobis vicit, quibus ſecuritatem
„ reſurrectionis oſtendit. Dicis Deo, *Miſerere mei, Do-*
„ *mine, quoniam conculcavit me homo.* Tu te noli con-
„ culcare, & non te vincet homo. Ecce enim homo po-
„ tens terret te. Unde te terret? Spolio, damno, tor-
„ queo, occido. Et clamas tu, *Miſerere mei, Domine,*
Pſalm. 55. „ *quoniam conculcavit me homo.* Si verum dicis, te ip-
„ ſum attendis: quia times minas hominis, mortuus te
„ conculcat: & quia non timeres niſi eſſes homo, con-
„ culcat te homo. Quod eſt ergo remedium? O homo,
„ hære Deo, a quo factus es homo: illi adhære, in ipſo
„ præſume, ipſum invoca, dic illi: *In te, Domine, vir-*
„ *tus mea: in Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi*
„ *homo.*“ Ex fide vivamus, in Chriſto per caritatem maneamus, & mundum facile vincemus, voluptates & terrores, dæmonemque mundi principem adverſus nos bonis illicientibus, maliſque terrentibus pugnantem, Chriſti virtute & gratia ſuperabimus. *Omne* enim *quod natum eſt*
1 *Jo.* 5. *ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Ne illos infœliciſſimos, qui tanti Imperatoris neglectis præſidiis, ſe a mundo vinci ac penitus profligari patiuntur!

CAPUT XVII.

Senſus Litteralis.

1. 2. HÆC *locutus eſt Jeſus, & ſublevatis oculis in cœlum*, orantis habitu, ſeu ritu Pontificis pro ſe & pro populo oraturi, *dixit*: *Pater, venit hora* ignominiolæ Paſſionis ac mortis meæ, mecum a te prædefinita, *clarifica Filium tuum*, demonſtra hominibus innocentiam ac dignitatem meam novis in paſſione ac morte mea miraculis, celerique reſurrectione & aſſumptione in cœlum, *ut Filius tuus clarificet te*: efficiendo ut divina Majeſtatis tuæ gloria per Evangelii prædicationem hominibus innoteſcat. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* Siquidem ei ut homini, & omnium hominum Redemptori, daturum te promiſiſti poteſtatem in omnes homines; *ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam*, id eſt omnibus electis, ſecundum propoſitum voluntatis tuæ, quos illi dediſti in peculium, utpote ab eo redemptos, & omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus per ipſum & in ipſo repletos.

3. *Hæc eſt autem vita æterna*, hæc autem ratio ſive modus eſt æternæ vitæ conſequendæ, *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: id eſt, ut cognoſcant te eſſe illum qui ſolus eſt verus Deus, teque ut talem ſincere colant, idolis, & quibuslibet creaturis, ſeu falſis Numinibus excluſis. Hæc igitur particula, *ſolum*, hic Filium & Spiritum ſanctum a communione veræ Deitatis non excludit, ſed omnes illos falſi nominis Deos, quos cæca Gentilitas introduxerat. Ut
S. Chryſ. H. 79. S. Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Jo. pag. 952. cognoſcant te, & Filium tuum Jeſum Chriſtum eſſe ſolum illum verum Deum. Nec enim aliter perfectam Patris cognitionem quis accipiet, quam ſi Filium etiam una cognoſcat, ejus ſemper cognitione una cum Genitoris notitia concurrente. Nam ſimul ac quis novit Patrem novit & Filium. Cum unum igitur & verum dixit Patrem ac Deum, non excluſit ſe ipſum. Nam cum ex ipſo ſit, & in ipſo ſecundum naturam, verus etiam idem erit ac ſolus Deus. *Dii enim gentium dæmonia.* Omnis autem creatura ſerva eſt. Ex hoc loco explicitæ fidei in Chriſtum Jeſum Deum verum, hominemque verum, hominumque redemptorem ac mediatorem neceſſitas invicte probatur. Gentes nec Deum noverant, nec Chriſtum; Judæi Deum, non Chriſtum noverant: Fides porro in Deum & Criſtum ad ſalutem neceſſaria eſt; quam utriſque procuraturus, promeriturus & daturus Chriſtus advenit.

4. *Ego te clarificavi ſuper terram*, gloriam tuam ho-
S. Auguſt. Tract. 105. in Jo. Pſ. 21. 18. Jo. 15. 15 minibus patefeci prædicatione, vita & converſatione mea, miraculis: *opus conſummavi quod dediſti mihi, ut faciam*, quod mihi commiſiſti, ſcilicet opus redemptionis humanæ, opus reconciliationis hominum tecum. Loquitur in præterito ob rei tum propinquitatem, tum certitudinem. Conſummaſſe ſe dicit, quod ſe conſummaturum certiſſime novit. Sicut longe ante in prophetia præteriti temporis uſus eſt verbis, quando poſt annos plurimos futurum fuerat quod dicebat: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*: non ait, Fodient, & dinumerabunt. Et in hoc ipſo Evangelio, *Omnia*, inquit, *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*: quibus ait poſtea, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Qui
Iſai. 45. 11. ſecundum 70. enim certis & inimitabilibus cauſis omnia futura prædeſtinavit, quicquid factum eſt fecit: nam & per Prophetam dictum de illo eſt, *Qui fecit quæ futura ſunt.*

5. *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipſum, claritate quam habui prius quam mundus eſſet, apud te.* Nunc ergo viciſſim gloriam quam habui apud te ut Filius tibi conſubſtantialis & coæternus, prius quam mundus fieret, communica cum humanitate mea, cum carne mea, illam reſuſcitans, ad cælos evehens, & ad dexteram tuam collocans. Clarifica me gloria non aliena & *S. Cyrill. lib. 11. in Jo. c. 6* adventitia, ſed propria & naturali, quam apud te & tecum indiviſim ſemper habui ut Filius tuus, veruſque Deus, & ad quam nihilominus prædeſtinatus ſum a te ut homo, Deique & hominum mediator ante omnia tempora. Confer cum *Rom. 1. verſ. 1. Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.* „ Secundum hanc ergo præ- *S. Auguſt. Tract. 105. in Jo. n. 8.*
„ deſtinationem etiam clarificatus eſt antequam mundus
„ eſſet ut eſſet claritas ejus ex reſurrectione mortuorum apud
„ Patrem, ad cujus dexteram ſedet. Cum ergo videret
„ illius prædeſtinatæ ſuæ clarificationis veniſſe jam tem-
„ pus, ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in
„ prædeſtinatione jam factum, oravit dicens: *Et nunc*
„ *clarifica me tu Pater, apud temetipſum claritate quam*
„ *habui prius quam mundus eſſet, apud te:* tamquam
„ diceret, Claritatem quam habui apud te, id eſt illam
„ claritatem quam habui apud te in prædeſtinatione tua,
„ tempus eſt ut apud te habeam etiam vivens apud te in
„ dextera tua.“

6. 7. 8. *Manifeſtavi nomen tuum*, non ſolum quo cœli & terræ Creator, ſed quo Pater Filii unigeniti ac tibi coæqualis diceris, *hominibus*, præſertim electis, *quos dediſti mihi de mundo*, quos a promiſcua peccatorum multitudine ſegregatos ſumma bonitate & caritate qua eos dilexiſti, mihi ut membra Capiti, ut diſcipulos Magiſtro, ut ſervos Domino, in hæreditatem dediſti redimendos, juſtificandos, docendos. *Tui erant*, æterna electione, & *mihi eos dediſti* ut eorum redemptori, ut homini propter ipſos facto, ut eos morte mea tecum reconciliarem. De mundo ſibi a Patre datos dicit homines, quibus alias ait, *Ego vos elegi de mundo.* „ Quos Deus Fi-
„ lius de mundo elegit cum Patre, idem ipſe homo Filius
„ de mundo eos accepit a Patre: non enim Pater illos Filio
„ dediſſet, niſi elegiſſet. Sicut ergo Filius non inde ſepa- *S. Auguſt. Tract. 106. in Johann.*
„ ravit Patrem, quando dixit, *Ego vos de mundo elegi*,
„ quoniam ſimul eos elegit & Pater: ſic non inde ſepa-
„ ravit & ſe, quando dixit, *Tui erant*, quia & ipſius
„ Filii pariter erant. Nunc autem homo idem ipſe Filius
„ accepit eos qui non erant ipſius, quia & formam ſer-
„ vi accepit Deus idem quæ non erat ipſius.“ Addit Chriſtus, *Et ſermonem tuum ſervaverunt.* Doctrinam meam abs te profectam, quam eis tuo nomine annuntiavi & tradidi, cordi ſuo impreſſam retinuerunt, & ad præcepta mea vitam ſuam conformaverunt. *Nunc cognoverunt quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt.* Nunc fide, & experientia convicti, certiſſime cognoſcunt, omnia verba & opera mea eſſe abs te in me inexiſtente, & in me ac mecum, inſeparabiliter atque indiviſim operante. *Quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis*: Doctrinam quam mihi promulgandam demandaſti, & quam a te accepi naſcendo, eis annuntiavi & tradidi: *& ipſi acceperunt*; fide & opere compleverunt: *& cognoverunt vere quia a te exivi*, ut Filius a Patre per æternam generationem; *& crediderunt* fide ſincera & firma, *quia tu me miſiſti.* Crediderunt me Deum verum a te genitum ab æterno, & hominem verum, Meſſiam ſeu Chriſtum, mundique Redemptorem a te miſſum in plenitudine temporis.

9. 10. *Ego pro eis rogo*, tamquam hominum Mediator, *non pro mundo*, non pro reprobis, qui ſecundum mundi concupiſcentiam vivunt, nec ſunt in ea ſorte gratiæ ut abs te ſint electi de mundo: *ſed pro his, quos dediſti mihi*, ut per me vitam conſequantur æternam; *quia tui ſunt*, æterna omnino que gratuita electione miſericordiæ tuæ. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt:* ob indiviſam naturæ divinæ ac potentiæ unitatem omnia tua mea ſunt, mihi per æternam generationem communicata: & ob Incarnationis diſpenſationem omnia mea tua ſunt, quæcumque ſcilicet mihi dediſti ut homini, unde tui ſemper ſunt electi, quos dediſti mihi: *& clarificatus ſum in eis.* Eo nomine te pro eis rogo, quia & tui ſunt, & mei: & quod per eos gloria mea promovenda ſit ac manifeſtanda.

11. *Et jam non ſum in mundo*, eo impenſius tibi eos commendo, quia jam ſum e mundo diſceſſurus, *& hi in mundo ſunt*, illos poſt me relinquo in mundo tantis fluctibus expoſitos; *& ego ad te venio.* Redeo ad te ut homo ad dexteram tuam in cælo ſeſſurus. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo*, poteſtate tua, *quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos*, ut ſint unum animo, concordia, fide, caritate, ſicut & nos voluntate & natura unum ſumus. Non æqualitatem igitur, ſed ſimilitudinem, τὸ *ſicut* ſignificat, ut omnes Interpretes notant; quemadmodum

Matt.5.48 dum & in Dominica illa sententia : *Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

12. 13. 14. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* De absentia sua anticipate loquitur, tanquam proxime futura. Servabam eos doctrina, monitis, exemplis, tamquam a te mihi creditos. *Quos dedisti mihi*, a te dilectos & electos, *custodivi* a periculis animæ & corporis, ne perirent: *& nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, nisi Judas Iscariotes vir perditus & reprobus, exitioque dignus, quod suo merito sibi arcessivit. Unde non mea culpa aut negligentia contigit ejus perditio, sed *ut Scriptura impleatur*, quæ perditionem ejus prædixit. *Nunc autem ad te venio & hæc loquor*, Discipulis audientibus, & in mundo unde mihi abeundum est, remanentibus, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*. Ut gaudium quod hactenus ex mea protectione & cura pro ipsis conceperunt, augeatur & perficiatur in eis post meam Resurrectionem & Ascensionem in cælum, nec præsentiam meam sensibilem desiderent, orationis hujus memores quam pro ipsis ad te fundo, meque exauditum esse certi, se tibi mihique semper fore curæ certissime credant & confidant. *Ego dedi eis sermonem tuum*, doctrinam quam in mundo prædicari jusseras, illis tradidi: *& mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Ob receptum Evangelium mundo sunt exosi, quia moribus, studiis, & affectibus animi mundo renuntiarunt, & ejus amatoribus dissimiles sunt, exemplum meum secuti.

15. 16. 17. *Non rogo ut tollas eos de mundo*, ut eos ab hominum iniquorum societate penitus separes: mali enim bonis semper erunt permixti quandiu durabit mundus: *sed ut serves eos a malo*, id est, a mundi malitia & corruptione, & a diabolo peccati auctore. *De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.* Jam quidem alieni sunt animo ab omni mundi malitia, & exemplis meis instituti. *Sanctifica eos in veritate*, perfice eos in sanctitate, & confirma per veritatem tuam eorum animis a Spiritu sancto, quem eis daturus es, magis magisque imprimendam. *Sermo tuus veritas est.* Doctrina Evangelii, cujus prædicationi sunt destinati, veritas est, & Pseudoprophetarum mendaciis, & Philosophorum erroribus opposita; & legales figuras adimplens, necnon veteres Prophetias. Unde vere sanctos, internaque, non legali tantum justitia perfectos esse velim Evangelii Præcones & Ministros Novi Testamenti. Hanc eis, Pater sancte, a te adprecor sanctitatem.

18. 19. *Sicut tu me misisti in mundum*, ut hominibus annuntiarem veritatem Evangelii, voluntatemque tuam: *& ego misi eos in mundum*, ut Evangelicam veritatem omnibus Nationibus prædicent. *Misi*, id est, mittere constitui ut legatos meos, operisque mei vicarios. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum*, me tibi in sacrificium offero, Sacerdos simul & victima, *ut sint & ipsi sanctificati in veritate*, ut veram per Spiritum sanctificationem virtute ac merito sacrificii mei consequantur. Confer cum *Hebr.* 9. 13. 14. „ Si enim sanguis hircorum & taurorum, & „ cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emunda„ tionem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per „ Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, „ emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad „ serviendum Deo viventi? *Et cap.* 9. 10. In qua voluntate „ sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi se„ mel. *Et cap.* 13. 12. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret „ per suum sanguinem populum, extra portam passus est.“

20. 21. *Non pro eis autem rogo tantum*, non pro solis Apostolis, *sed & pro eis qui credituri sunt, per verbum* prædicationis *eorum in me*, fide viva & perseverante: *Ut omnes unum sint*, ut unius corporis membra, caritate conjuncta, *sicut tu Pater in me, & ego in te*, ut summa animorum consensione & concordia divinam nostram Unitatem, quantum fieri potest, imitentur, *ut & ipsi in nobis unum sint*, ut se in nobis & propter nos diligentes per Spiritum sanctum, unum sint sanctissimo illo unionis modo, quo conjungi homines possunt; *ut credat Mundus quia tu me misisti.* Ut infideles videntes admirabilem illorum consensionem in professione unius fidei, mutuamque dilectionem, credant me a te missum esse, vereque Deum qui tam sanctæ sim Religionis Auctor.

Jo.1.12.1. Petr. 2.4. 22. 23. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*: ut sicut natura Filius tuus sum, sic illi per gratiam filii Dei adoptivi sint, *& divinæ consortes naturæ.* Omnia bona & dona mihi a te collata cum eis communicavi, quantum capere possunt, ut quæ mihi natura sunt propria, sint illis participatione communia: præsertim vero, *ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Ut ad exemplum nostrum unum sint, & inter se, & nobiscum. *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Ego in eis per naturæ, quam assumpsi, communionem, per Spiritus mei participationem, per singularem dilectionem, & gratiæ meæ communicationem, per corporis & sanguinis mei manducationem & potum; & tu in me per essentiæ unitatem: *ut sint consummati in unum*, ut inter se & nobiscum perfecte conjuncti sint; *& cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut me dilexisti.* Tot enim tantorumque donorum collatio indicium est dilectionis erga illos tuæ; sicut omnium donorum, quibus me, ut hominem, cumulasti, thesauri, gratiaque unionis personalis, argumentum est amoris erga me tui & missionis a te meæ.

24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum*, opto & peto ut electi, quos dedisti mihi prædestinatione tua, sint mecum in regno tuo, in cœlis, quo brevi sum ascensurus, ejusdem gloriæ consortes, *ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*, gloriam, quam mihi dare constituisti, ut homini, in præmium humiliationis, obedientiæ, passionisque meæ, *quia dilexisti me ante constitutionem mundi*, id est, ab æterno. Gratia gloriaque Christi Jesu capitis nostri, primi prædestinatorum, primogeniti in multis fratribus, ex gratuita æternaque dilectione Dei ortum habet. „ Est enim „ præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse „ Salvator, ipse Mediator, Dei & hominum homo Chri„ stus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel „ operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana „ quæ in illo est, comparavit? Appareat itaque nobis in „ nostro Capite ipse fons gratiæ, unde secundum uniusquisque mensuram se per cuncta ejus membra diffun„ dit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicum„ que Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo fa„ ctus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de „ quo est ille natus; eodem Spiritu fit in nobis remissio „ peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum haberet „ ille peccatum . . . Sicut ergo prædestinatus est ille „ unus ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus ut membra ejus essemus. Humana hic merita con„ ticescant, quæ perierunt per Adam: & regnet quæ „ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum no„ strum unicum Dei Filium, unum Dominum.“ Philipp.2. 8. 9. 10. Hebr.2.9. *S.Aug. lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 15.*

25. 26. *Pater juste, mundus te non cognovit*, in cujus ignorantiæ tenebris justo judicio illum reliquisti in pœnam peccati: *Ego autem te cognovi*, quod & doctrina & operibus ostendi: *& hi* te revelante, ac per me docente *cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum*, proprietates tuas, & in primis magnam illam misericordiam, qua me redemptorem, mediatorem, & magistrum hominibus dedisti; *& notum faciam* magis, ac magis, misso de cœlis, post Ascensionem meam, Spiritu sancto: *ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis*, ut eos tam bene de te institutos ames, sicut me amas; vel, ut eo perfectius te ament, quo melius cognoscent; sicque mihi conjunctiores sint, ut membra capiti, & in amore tuo perseverantes, numquam a me divellantur.

SENSUS MORALIS.

1. 2. *Hæc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Poterat Dominus Unigenitus & coæternus Patri, in forma servi, & ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio: *Sed ita se Patri exhibere voluit percatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.* Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti Magisti non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio. Oculis ad cælum sublevatis orat, ut mentes & corda ad Deum erigenda significet, cum oramus. *Pater, venit hora*, &c. Horam mortis nostræ a Deo definitam exspectare semper debemus in spiritu obedientiæ, & ad illam nos disponere ut victimas sacrificii, quod offerre ipsi debemus vitæ nostræ Deo, illius Auctori, & Domino. *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Ut Mediator Dei & hominum Christus Jesus resurrectione glorificaretur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Quod ergo ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*; sic intelligendum est, tamquam dixerit, *Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis.* Solam gloriam quæ ex Deo est desiderant filii Dei; eamque ad Deum solum ut ad finem ultimum referunt; & per humilitatem, quæ via est a Christo Jesu calcata & monstrata, ad eam pervenire satagunt. *S. Augusti. Tract.104. in Johan.*

3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Si vita æterna in cognitione & amore Dei & Filii ejus Jesu Christi posita est, illi soli hoc in mundo beati sunt, qui Dei cognitioni & amori incumbunt. Studium omne, cognitio & scientia omnis, quæ ad hunc finem non refertur, vanitas est & afflictio spiritus. Miseratione digni sunt, qui omnia noverunt præter Evangelium; qui nihil ignorant præter scientiam salutis. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*, &c. Deum nosse, & non Christum Jesum, est nosse vitam æternam ex parte, sed ignorare viam qua ad ipsam pervenitur, auctoremque cognitionis & amoris, quibus illa comparatur & obtinetur . . . „ Æterna vita est ipsa cognitio veritatis . „ Qua- *S. Aug. lib. de Moribus Eccles. Catbol. c. 25.*

„ Quamobrem videte quam sint perversi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, ut „ perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit præmium. „ Quid ergo agendum est, nisi ut eum ipsum quem cognoscere volumus, prius plena caritate diligamus? "

v. 5. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, &c. Tunc vere Deum glorificamus, cum opus consummamus, quod nobis dedit ut faciamus, cum implemus officia status ad quem nos vocavit. Sic Dei voluntatem facimus, quæ est sanctificatio nostra. Hoc opus non solum inchoandum, sed consummandum est: nusquam intermittendum, donec perfectum sit. Aliis nos ingerere non debemus oneribus ac negotiis, quæ statum nostrum non spectant, & quæ nobis non dedit Deus ut faciamus. De hoc uno scilicet quod nobis imposuit, a nobis rationem exiget in novissimo die. Væ illis, qui opus istud non perfecerunt, cum ex hoc mundo exeundum est. Væ illis, qui aliud in Dei opere, quam Dei gloriam quæsiverunt! *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Deum in nobis ipsis super terram per bona opera glorificemus, ut apud semetipsum nos glorificet in cælis, consummando benedictionem omnem spiritualem qua benedixit nos in Christo Jesu.

6. *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*, &c. Illis manifestavi non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus. Nam quod Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. *Hæc est enim vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi.* Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur auctorem. „ In hoc ergo quod fecit hunc mundum cælo „ terraque conspicuum; & antequam imbuerentur fide „ Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem „ quod non est injuriis suis cum diis falsis colendus, no„ tus in Judæa Deus. In hoc vero quod Pater est hujus „ Christi, per quem tollit peccatum mundi, hoc nomen „ ejus prius occultum omnibus nunc manifestavit eis quos „ dedit ei Pater ipse de mundo. "

S. August. Tract. 106. in Johann.

Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Christi Jesu sumus, illi a Patre dati; pretio magno, scilicet ejus sanguine ab ipsomet empti, ejus verbo instituti, ejus baptismo mundati, ejus gratia sanctificati, ejus fide, spe & caritate donati, ut Deum Patrem, ut ipsummet Christum Filium ejus, & Spiritum sanctum cognoscamus & diligamus. Ne nos injustos & ingratos, si mundo nos devovere, si diaboli servituti nos iterum subjicere malumus quam Christo Jesu servire!

7. 8. *Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Fide Christiana Deum omnis boni auctorem, etiam in Christo Jesu agnoscimus & profitemur, principium & fontem divinitatis ejus, missionis ejus, doctrinæ, virtutum, miraculorum ejus. Unde omnia refert ad Patrem. Quanto magis agnoscere & humiliter profiteri debemus, omne bonum, & omne donum quod in nobis est, a Dei erga nos bonitate & beneficentia proficisci? *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Inæstimabile inter cetera donum fidei est, qua Christum Jesum Salvatorem nostrum, Divinitatem ejus, Incarnationem ac Missionem, Evangelium, Mysteriaque omnia, ipso revelante cognoscimus. *Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.* Ob tam pretiosum & inæstimabile donum, gratias immortales agamus Domino Deo nostro.

1. Cor. 4. 7.

9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Mundus, societas reproborum, quorum caput diabolus, a Deo maledictus est, a Christi Jesu oratione, quam pro electis suis obtulit Patri, necnon ab ejus sacrificii applicatione, quod fructum spectat æternæ vitæ consequendæ, alienus est. Notum illud *S. Augustini:* „ Si de aliquibus ita certa esset Ec„ clesia, ut qui sint illi etiam nosset, qui licet adhuc „ in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in „ æternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non „ oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa „ est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis „ in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus „ exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adver„ santur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro „ eis exaudiatur Ecclesia, & filii efficiantur Ecclesiæ. "

S. Aug. lib. 21. de Civit Dei c. 23.

Cum igitur Christus nosset, mundum, id est, societatem iniquorum in peccato perseverantium, damnatum iri cum diabolo; *& in diebus carnis suæ preces supplicationesque offerens* Patri, sit *exauditus pro sua reverentia*, pro mundo non rogavit, quasi a se excommunicato, & a se justo judicio in æternum præciso. *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum.* Si partem habere cum hoc mundo volumus, illum diligere, nos illi conformare, partem habere cum Christo non possumus.

Hebr. 5. 7.

S. Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 33.

Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Bonus Pastor pro ovibus sibi a Christo commissis assiduas & ferventes preces Deo per Jesum Christum offerre debet, pro suis illarumque peccatis Deo sacrificium offerre, ut quos elegit in ipso ante mundi constitutionem, sancti sint & immaculati in conspectu ejus; ut quos prædestinavit membra fieri Unigeniti Filii sui, corpori ipsius conjungantur, ut a peccato serventur, ut in gratia & caritate perseverent. Patres-familias pro filiis suis, & omnibus ad familiam pertinentibus Deum orare debent, ut eos servet ab omni iniquitate, ut eis amorem suum inspiret, ut eos æternis bonis dignos faciat. In precibus, quas pro uxore, pro familia, pro servis fundunt, & uxores pro maritis, &c. spectare non debent privatam utilitatem, commodumque suum, sed unam Dei gloriam: magis illos movere non debet ad orandum pro suis, quod sui sunt, quam quod Dei sunt, sibique a Deo commissi, *Pro his rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Id maxime optare debent ut sint Dei & Christi, non ut sint mundi, si vere Deum diligunt, & ipsos propter Deum. Verus enim, sincerus, & ardens amor efficit ut amici bonum amicorum magis diligant ac promoveant, quam suum. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.*

11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut & nos.* Continuo divinæ gratiæ adjutorio indigemus, ut mundum vincamus, rerum creatarum illecebris corda nostra & amores nostros dividentem. Hanc gratiam assidua, humili, & fervente oratione implorare oportet: atque ut eam impetremus, conservare debemus cum fratribus unitatem spiritus in vinculo pacis; ut per caritatem nobis sit cor unum & anima una in Domino, & ea ratione adorandam trium sanctissimæ Trinitatis personarum consensionem quantum nobis possibile est, operante in nobis Spiritu sancto, qui Patris & Filii nexus est, imitemur. „ Servari, vult di- *S. Cyril. lib.* „ scipulos in benevolentiæ & voluntatum unione, *ait* *11. in Jo. c.* „ *S. Cyrillus*, animo & spiritu inter se quodammodo com- *9. p. 972.* „ mixtos, & pacis ac mutuæ dilectionis lege; arctissi„ moque caritatis vinculo constringi, & ad eam unio„ nem progredi, ut voluntatum illa conjunctio imago sit „ naturalis, quam in Patre & Filio intelligimus unitatis, „ quæ nulla rerum hujus mundi, aut voluptatum vi concu„ ti, aut in voluntatum dissimilitudinem abduci patiatur, „ sed illæsam potius charitatis vim conservet in pietatis & „ sanctimoniæ unitate, quod & fieri contigit. " Nam in Actibus Apostolorum legimus, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*, in unitate nimirum Spiritus; istud enim ipsum est quod & a Paulo dictum est, *Unum corpus, & unus Spiritus, unum etenim corpus multi sumus*, in Christo. Omnes enim de uno Pane participamus, & omnes in uno perunctí sumus Spiritu, nimirum Christi. Ut igitur concorporales, uniusque & ejusdem Spiritus comparticipes futuros, in unitatem spiritus intemeratam, & firmam animorum consensionem servari vult suos discipulos. Hanc animorum consensionem & unitatem qui infringit ac violat, fructum orationis & passionis Christi quantum in se est impedit & evacuat.

Act. 4. 32. Ephes. 4. 4.

14. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Fidelitas in prædicatione & observantia verbi Dei & Moralis Evangelicæ, secundum puritatem suam, prout a Christo Jesu tradita est, mundi inimicitiam commovet in Prædicatores & defensores veritatis, in cultores pietatis. Qui Deo placere studeni, amatoribus mundi placere non possunt. Hinc Ethnici primorum sæculorum Christianos velut humani generis hostes invectabantur. Cui convitio respondet Tertullianus: *Si inimicos jubemur diligere, quem habemus odisse? ... Hostes judicare maluistis, qui sumus plane, non generis humani tamen, sed erroris.* Et alibi de Christiana Religione loquens: „ Ni„ hil, *inquit*, de causa sua deprecatur, quia nec de condi„ tione miratur. Scit se peregrinam in terris agere; inter „ extraneos facile inimicos invenire, ceterum genus, se„ dem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere. " Vivere in mundo ut peregrinum, & exulem mundi, caracter est Christianorum, quo Christo Jesu assimilantur. *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Ea tantum sapere debet Christianus, quæ sursum sunt, non quæ super terram, ut vita ejus abscondita sit cum Christo in Deo. Ab erroribus, cupiditatibus, voluptatibus, sensu, rationibus, moribusque mundi alienus sit oportet, qui Christi vult esse discipulus & imitator. Unde Paulus de se ipso & Christo scribit: *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ideo & se in discipulorum suorum ordine collocat Dominus, eosque sibi comparat in odio mundi incurrendo & tolerando, quia ejus imitatione, qua homo est, quod fieri dignatus est pro nobis, ad omne viritutis genus evehimur, a mundi cupiditatibus, avaritia, ambitione, voluptatibus, institutis alieni. Christus enim ad hoc bonum se nobis ducem præbuit, *ut per supramundanam vitam de mundo exeamus. Supra*

Apolog. c. 37 Ejusdem lib. cap. 1.

Galat. 16. 14. S. Cyril. lib. 11. in Jo. c. 9. p. 981.

mun-

mundum enim est Evangelica conversatio atque disciplina.

15. 17. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Quamvis mundo inhærere, præsentemque vitam diligere Evangelici Operarii non debeant, Dei tamen voluntati læto animo obsequi debent, eos in mundo permanere volentis ad opus ministerii, ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi. „ Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Quod si vi- „ vere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid „ eligam ignoro. Coarctor autem e duobus; desiderium „ habens dissolvi, & esse cum Christo multo magis me- „ lius: permanere autem in carne, necessarium propter
Philip. 21. 22. 23. „ vos. „ Timendum quidem illis est ne mundi aura pestifera afflati inquinentur & corrumpantur: sed Deum orent assidue cum fiducia, ut virtute orationis & meritorum Christi sui, & per victricem gratiæ ejus potentiam, servet eos a malo. Dum aliorum conversioni & sanctificationi allaborant, veram a Deo sanctitatem per Christum Jesum suppliciter postulent. *Sanctifica eos in veritate.* Sanctificantur enim in veritate hæredes Testamenti novi, cujus veritatis umbræ fuerunt sanctificationes veteris Testamenti: & cum sanctificantur in veritate, sanctificantur in Christo, qui dixit, *Ego sum via, veritas & vita.* Sancti esse debent Ecclesiæ Ministri & Operarii Evangelici, cum ad sacrum Ministerium admoventur, siquidem a mundo separati affectu, institutis, & moribus esse debent, quia in separatione Christianę sanctitatis initium positum est: sed proficere debent magis ac magis in eadem sanctitate, fierique sanctiores, idque fervente & perseverante oratione a Deo postulare per Dominum nostrum Jesum Christum, quia id fieri sine adjutorio gratiæ ejus non
S. Aug. Tract. 108. *in Johan.*
Philip. 1. 6. potest, *Illo eorum sanctificante provectum, qui sanctificavit inceptum.* Unde Apostolus ait: *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Ne tandem vere sanctos esse putent, qui externa dumtaxat pietatis exercitia frequentant, sed qui vitam omnem suam secundum regulas Evangelii componunt, omniaque opera sua in Spiritu Evangelii perficiunt fide, spe, & caritate Deum colentes, factisque demonstrantes sermonem ejus, qui veritas est, animis suis insitum esse. *Sermo tuus veritas est.*

S. Cyrill. l. 2. *in Johan. c.* 10. 19. *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* „ Pro nostris peccatis seipsum san- „ ctificavit, id est consecravit Unigenitus, ac tamquam „ hostiam sacram obtulit in odorem suavitatis Deo & „ Patri; ut eo sublato, quod naturam hominis a Deo se- „ parat, scilicet peccato, nihil amplius impediat quo „ minus Deo proximi simus, illique inhæreamus per par- „ ticipationem sancti Spiritus reformantis nos ad justi- „ tiam & sanctimoniam, atque ad primam imaginem.
Rom. 4. 25. „ Justificati vero per fidem in Christum sumus, *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter* „ *justificationem nostram.* Tota enim in eo tamquam in „ primitiis generis, ad novitatem vitæ natura hominis „ reparata est, & in suum veluti principium reversa ad „ sanctificationem reformata est. *Sanctifica* igitur *eos*, o Pater, inquit, *in veritate tua*, id est in me. *Tuum enim* „ *Verbum veritas est*, id est ego, *Et pro eis sanctifico* „ *me ipsum*, id est, consecro & offero, unus pro cunctis „ moriens, ut eos in novitatem vitæ reformem, *ut sint*
Ephes. 4. „ *& ipsi sanctificati in veritate*, id est in me. „ Nos ipsos per Christi gratiam sanctificemus, id est, offeramus Deo hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Ne conformemur huic sæculo, sed *renovemur spiritu mentis nostræ*, deponentes, destruentes & crucifigentes *veterem hominem* per pœnitentiam & mortificationem Christianam, & *induentes novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.*

Et pro eis ego sanctifico me ipsum, &c. Naturam a me assumptam sanctifico divinitatis unctione, ut electi mei de mea plenitudine sanctitatem hauriant. „ Sanctificatur „ *ergo* propter nos in Sancto Spiritu, non quidem alio „ ipsum sanctificante, sed ipsomet sanctificationem suæ „ carnis operante. Suscepit enim Spiritum qui suus est, „ & accipit quidem quatenus est homo, sibi vero illum
S. Cyrill. l. 2. *in Johann. cap.* 10. *p.* 991. „ dat ut Deus. Hoc autem agebat propter nos, ut ex „ ipso in universum genus sanctificationis gratia promanaret. Quemadmodum enim per prævaricationem in „ Adam tamquam in primitiis generis humani, natura „ damnata morte fuit, in illo audiens, *Terra es, & in* „ *terram reverteris:* eodem modo per obedientiam & ju- „ stitiam Christi, in quantum factus est sub lege, quam- „ vis legislator existens ut Deus, in totam naturam pro- „ manat benedictio, & per Spiritum vivificatio. „

Et pro eis ego sanctifico me ipsum. Id est, eos in me ipso sanctifico, cum & ipsi sint ego. Illi enim de quibus loquitur, membra sunt ejus, quatenus caput est Ecclesiæ & omnium electorum: & *unus est Christus caput & corpus.*

S. Augustin. Tract. 108. *in Johann. n.* 5. 20. 21. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Illa oratione pro omnibus quos redemit, sive tunc in carne viventes, sive postea futuros, Redemptor noster oravit, cum rogans pro Apostolis qui cum illo tunc erant, adjunxit etiam illos qui per verbum eorum fuerant in eum credituri. Eadem enim Evangelii doctrina, idem verbum fidei & salutis, quod ab illis prædicatum est, continua traditione per eorum successores ab ipsis ad nos manavit incorruptum. Et nostri ergo sunt Apostoli, super quorum fundamentum ædificati sumus ipso summo angulari lapide Christo Jesu: unde & præsentis temporis Ecclesia tam vere dicitur *Apostolica*, ac Ecclesia temporum Apostolicorum. Orat autem Christus pro omnibus electis suis, ut unum sint unitate fidei & caritatis, tendente ad unitatem æternam corporis mystici Christi Jesu in cœlis consummandam. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Adoptionis gratia facit ut unum simus in Patre, qui nos regenerando consortes divinæ suæ naturæ esse dedit, ad honorem & imitationem ineffabilis generationis qua essentiam suam unigenito Filio naturaliter ab æterno communicat. Nos in Christo unum facit, cujus membra sumus, fratres, cohæredes. Unum denique nos facit in Spiritu sancto, qui velut anima est & vita corporis mystici, & nexus omnium illius membrorum inter se, & cum capite Jesu Christo, hunc in illa Spiritum influxu perenni diffundente. *Ut & ipsi in nobis unum sint.*

22. 23. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Cum Christus sit Unigenitus æterni Patris, hanc nobiscum gloriam communicare dignatus est ut filii Dei nominemur & simus per adoptionem, quam gloriam ac dignitatem consecuti sumus in baptismo. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Hæc autem gratia Christianos tam arcta unione, tam perfecta Christo conjungit & Deo Patri, ut ipse Christus justos ex fide viventes dignetur fratres suos vocare. *Vade*, inquit, *ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Divina hæc unio per baptismum inchoatur, per Eucharistiam perficitur, in qua verum Christi Jesu Corpus & Sanguinem realiter sumentes, cum illo quodammodo commiscemur, illique concorporales efficimur, & una caro cum illo, ut SS. Patres loquuntur. „ Ut ergo „ ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, „ atque nos una commisceremur, rationem quamdam ex- „ cogitavit Unigenitus per convenientem sibi sapientiam „ & consilium Patris. Uno enim corpore suo credentes „ in se benedicens per mysticam Communionem, eos cum „ sibi, tum inter se concorporales efficit. Quis enim eos „ qui per illud sanctum Corpus ad unitatem cum Chri- „ sto conjuncti sunt, diviserit, & a naturali inter se „ unione removerit? Nam si omnes de uno pane parti- „ cipamus unum omnes corpus efficimur. Christus enim „ dividi non potest: Ideo & Christi corpus nominatur Ec- „ clesia, & nos ejus membra. Uni enim Christo per „ sanctum ejus corpus omnes uniti, maxime cum eum „ unum & indivisibilem in nostris corporibus sumamus, „ ei potius quam nobis nostra membra debemus. *Hinc* „ *Apostolus*: Aliis, *inquit*, generationibus non est agni- „ tum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis „ Apostolis ejus & Prophetis in Spiritu. Gentes esse co- „ hæredes & concorporales, & comparticipes promissio- „ nis ejus in Christo Jesu per Evangelium. „ Quod si concorporales sumus omnes inter nos in Christo, neque solum inter nos, sed & ei qui in nobis est per suam carnem, quomodo non jam aperte unum sumus omnes, & inter nos, & in Christo? Christus enim est unitatis vinculum, cum idem sit Deus & homo. Sicut autem corpus unum sumus cum Christo & in Christo per Mysterium Incarnationis ejus, & per corporis ipsius in Eucharistiæ Sacramento sumptionem; ita unus sumus spiritus per Spiritus sancti participationem, quem effudit in nos abunde. Unde Apostolus ait: „ Supportantes invicem in „ caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. „ Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una „ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum „ baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super „ omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. „ Uno enim in nobis inhabitante Spiritu, unus omnium Pater in nobis erit Deus per Filium, ad unitatem mutuam & suam adducens eos qui sunt participes sancti Spiritus. Tam sanctæ, tam salutaris, tam glorioſę unionis gratiam ne per peccatum amittamus, quod solum nos a Deo dividere potest, magna sollicitudine & vigilantia caveamus. Immo curemus ut sacra hæc unitas arctior in nobis in dies fiat. „ Veri- „ tatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per „ omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus com- „ pactum & connexum per omnem junctu̇ram subministra- „ tionis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque „ membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in „ caritate. „ Hæc unitas in cælo consummabitur, omnibus electis Christo post beatam resurrectionem in vita immorta-

Rom. 5. 1. 2. *Johann.* 10. 37.

S. Cyrill. l. 11. *in Johann. cap.* 31. *p.* 998. 999. 1000.

1. *Cor.* 10. 17.

Ephes. 4. 14 *Ephes.* 3. 5.

Ephes. 4. 3. 4. 5. 6.

Ephes. 4. 15. 16.

li unitis. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia* (scilicet Christo Dei Filio) *tunc & ipse Filius subjectus erit*
1. Cor. 15. 28. *ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* „ Caput & corpus, unus Christus : locus proinde capitis, locus est & corporis : gloria capitis in membra redundat. Si loca dicenda sunt, & quibus non corpora „ continentur, & locus est cuique rei ubi est ; locus „ Christi æternus ubi semper est, ipse Pater est, & locus patris Filius est, quia *Ego*, inquit, *in Patre*, & „ *Pater in me est* ... Et, *Sicut tu Pater in me, & ego* „ *in te* : & locus noster ipsi sunt : *Ut & ipsi in nobis* „ *unum sint* : & nos locus Dei sumus, quoniam templum „ ejus sumus, sicut orat pro nobis qui mortuus est pro „ nobis, vivitque pro nobis, ut in ipsis unum simus ; quia „ factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, „ quæ nos sumus. Sed quis idoneus loca ista, vel quæ „ sunt in locis istis, sine spatiosis capacitatibus, & sine „ corporeis molibus cogitare? Non parum tamen profi- „ citur, si saltem quidquid tale oculis cordis occurrit, „ negatur, reputur, improbatur : & lux quædam in qua „ ista neganda, respuenda, improbanda cernuntur, sicut „ potuerit, cogitatur ; & quam sit certa cognoscitur, & „ amatur ; ut inde surgatur, atque ad interiora tenda- „ tur : quæ cum penetrare mens invalida, & minus „ quam illa sunt, pura, nequiverit ; non sine amoris ge- „ mitu & desiderii lacrymis inde pellatur ; & patienter „ ferat quamdiu fide mundatur, atque ut illic habitare „ valeat, sanctis moribus præparatur. Quomodo ergo „ non erimus cum Christo ubi est, quando in Patre
Colos. 3. 5. S. Aug. Tract. 11. in Johan. n. 3. 4. Ibid. „ cum illo erimus, in quo est? Hinc Apostolus „ ait : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt* „ *quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ* „ *sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim* „ *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* : „ Ecce interim fide ac spe vita nostra ubi Christus est, „ cum illo est, quia cum Christo in Deo est. „ Ecce velut jam factum est, quod oravit ut fieret, dicens : *Volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum* : sed nunc per fidem. Quando autem fiet per speciem? Cum *Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Tunc videbimus gloriam ejus ut Unigeniti a Patre, & gloriam quam dedit illi Pater in Incarnatione, & in Resurrectione, ut homini. Quam quidem gloriam ut æterno Patris in se amori acceptam refert Caput nostrum, *Quia dilexisti me ante constitutionem mundi* ; ita & nos quicquid spiritalium bonorum est, quod a Deo per Christum accepimus, & accepturi sumus, gratiam & gloriam, acceptam referre debemus amori quo nos Deus gratis dilexit in Christo Jesu ante constitutionem mundi.

25. 26. *Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt quia tu me misisti.* Sua culpa & voluntaria cæcitate mundus non cognovit Deum & Filium ejus Jesum Christum, quia carnales homines dilexerunt tenebras magis quem lucem ..... Illis igitur donum fidei non tribuit Pater, quia justus est : dedit autem iis quos elegit de mundo, quia misericors est. „ Mundus ille damnationi prædestinatus merito co- S. Aug. Tract. 11. in Johann. „ gnovit : mundus vero quem per Christum reconcilia- „ vit sibi, non merito, sed gratia cognovit. Quid est „ enim cognoscere, nisi vita æterna? Quam mundo dam- „ nato utique non dedit, reconciliato dedit? Propterea „ itaque mundus non cognovit, quia justus es, & me- „ ritis ejus ut non cognosceret tribuisti : & propterea „ mundus reconciliatus cognovit, quia misericors es, & „ ut cognosceret, non ei merito, sed gratia subveni- „ sti. " Omnis porro cognitio quæ de Deo, & de Christo Jesu Domino nostro, & ejus Mysteriis habetur, ad Dei dilectionem ordinari debet, si enim sit sterilis, nec amorem pariat, in majorem damnationem vertitur eorum quibus data est. „ Et notum feci eis nomen tuum, & S. Aug lib 12. de Doct. Christ. c. 15. 6. Et lib. 3. c. 10. „ notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis „ sit ; & ego in ipsis. *Unde* & Legis & omnium divi- „ narum scripturarum plenitudo & finis est dilectio rei „ qua fruendum est, *scilicet Dei*, & rei quæ nobiscum „ ea re frui potest, *scilicet proximi*. Et quisquis Scriptu- „ ras divinas, vel quamlibet eorum partem intellexisse si- „ bi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam gemi- „ nam caritatem Dei & proximi, nihil intellexit. *Nam* Scri- „ ptura non præcipit nisi caritatem, nec culpat nisi cupi- „ ditatem, & eo modo informat mores hominum. "

CAPUT XVIII.

Sensus Litteralis.

1. 2. *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis*, ex domo in qua cœnaverat, sive ex loco ubi substiterat cum discipulis colloquens, & Patrem orans, & progressus est extra urbem, *trans Torrentem Cedron*, ita vocatum non a cedris hinc inde consitis, sed a nigredine sive obscuritate, aquis scilicet ejus simo & cœno atratis, *ubi erat hortus*, pars villæ Gethsemani, *in quem introivit ipse & discipuli ejus*, orationis causa. *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis*. Illuc secedere solebat ad orandum, & pernoctare, his præsertim festis diebus.

3. *Judas ergo cum accepisset cohortem*, a Præside, seu partem cohortis, quæ Paschatis tempore ab illo dari solebat Senatoribus ad servandam Urbem & Templum, *& a Pontificibus* seu primariis Sacerdotibus, *& Pharisæis* datos *Ministros*, seu domesticos satellites, quibus magis fidebant quam ethnicis militibus, *venit illuc cum lanternis, & facibus, & armis*, ut incluso in lucernis lumine faces accenderent, si forte exstingueretur, & recessus omnes ac latebras scrutarentur, si opus esset : cum armis vero, ne discipuli Jesu resistere auderent, & ne populus eum de manibus militum eriperet. Adeo timebant Sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ, ne elaberetur.

4. 5. 6. *Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant, super eum*, ne ex imprudentia, vel impotentia in manus inimicorum incidisse putaretur, *processit* obviam eis, sponte se obtulit, *& dixit eis : Quem quæritis*, tanto apparatu & ardore? *Responderunt ei : Jesum Nazarenum* : quem nec tanta luce, nec Judæ osculo demonstratum agnoscebant, mirum in modum perturbati. *Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis : Ego sum :* abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, quasi solo ejus halitu diffiati, si voluisset, perituri.

7. 8. 9. *Iterum ergo interrogavit eos*, cum isto miraculo moniti in sua cæcitate & contumacia permanerent : *Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus, Dixi vobis quia ego sum*, ipse qui vos alloquor. *Si ergo me quæritis, sinite hos*, discipulos meos, liberos & illæsos *abire*. Potentiam suam ostendit, qui hoc quasi jure imperat, & jubendo operatur. Id autem præstitit, id est, prohibuit ne discipuli sui tenerentur & interficerentur, *Ut impleretur sermo quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quemquam*. Si enim capti fuissent, periculum erat ne Christum negarent utpote imbecilli in fide & infirmi, ac in æternum perirent. Si enim Petrus fortior ceteris ita misere lapsus est, quid de aliis existimandum? Noluit ergo Christus eos supra vires tentari, aut periculis exponi, antequam accepto Spiritu sancto in fide & caritate confirmati essent. Hinc S. Augustini sensus *inimicos videt* (inquit) *& hoc faciunt quod ubet : sinunt eos abire, quos non vult perire. Numquid autem non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicumque non pereunt?* S. Aug. Tract. 112. in Johann.

10. 11. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum*, ad Domini defensionem præ fervidæ indolis impetu incitatus : *& percussit Pontificis servum : & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam*. Nolo enim armis defendi, & vim vi repellere, sed patientia & mansuetudine vincere mundum, mortem, diabolum. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Vis-ne prohibere ne passionem & mortem subeam ad humani generis redemptionem, & ad destruendum mortis imperium, quemadmodum Patris mei decreto constitutum est? Confer cum *Matthæi* 26. Vers. 51. & 52. *Marc.* 14. Vers. 47. & *Luc.* 22. Vers. 50. & 51.

12. 13. 14. *Cohors ergo, & Tribunus*, seu Præfectus Romanæ cohortis, *& Ministri Judæorum, comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum*, a Juda moniti ut cum magna cautione eum ducerent, quod solitus esset interdum e turba inconspicuus elabi : *Et adduxerunt eum ad Annam primum*, sive honoris causa ob ejus ætatem, dignitatem, & auctoritatem apud generum Caipham, & apud Judæos : *Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius* : sive quia domus ejus erat vicinior : sive ut ab eo disceret quonam, & quomodo ducendus esset Jesus. *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo*. In memoriam revocat Evangelista Caiphæ dictum cap. 11. memoratum, ut inde intelligarur hominis illius odium in Jesum, quem nulla alia prolata causa, prætextu utilitatis publicæ, & quidem imaginario, interficiendum, præjudicaverat : simul etiam ad ostendendum, quod instar Prophetæ prædixerat, non intelligens, Christum scilicet non pro se, sed pro mundi salute, innocentem passum esse.

15. 16. 17. *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus*, de suis nimium præsumens viribus in tanto periculo, nec memor verborum Jesu, qui illi dixerat : *Non potes me sequi modo*. Sequebatur *& alius discipulus*. Johannem ipsum, qui hæc scribit, fuisse putant SS. Johannes Chrysostomus & Cyrillus : quod affirmare S. Augustinus non audet, quia tacetur. Solet autem se idem Joannes ita significare & addere, *Quem diligebat Jesus*. Fortassis ergo & hic ipse est : vel potius aliquis ex Hierosolymitanis civibus,

qui

qui eam Jesum sectabatur: *Discipulus autem hic notus erat Pontifici*, ut popularis. *Et introivit cum Jesu in atrium* seu domum *Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris*, se non ausus ultro ingerere præ verecundia & timore, sperans tamen se ab altero intromittendum. *Exivit ergo alius discipulus, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum*, ancillam janitricem rogavit ut Petrum introduceret, quod illa fecit. *Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Si discipulus alter fuisset Joannes pariter Galilæus, videtur quod illum esset pariter interrogatura. *Dicit ille: Non sum.* Vide Commentar. nostrum in *Matth. cap.* 26.

18. 19. *Stabant autem servi*, privata domus servitia, *& ministri* publici, ut apparitores, lictores, &c. *ad prunas*, sive struem carbonum, quam accenderant, *quia frigus erat*, quod Paschali tempore, maxime noctu, non insolitum testantur, qui illuc sunt peregrinati. *Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se*, in aula subdiali Pontificis. *Pontifex ergo interrogavit Jesum de Discipulis suis*, cur Discipulos colligeret, *& de doctrina ejus*, quænam ea esset, tacite indicans eum novitate doctrinæ Mosaicam Legem evertere velle; collectione vero discipulorum, turbas & factiones in Republica excitare.

20. 21. *Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo.* Docui coram omnibus qui me audire vellent, quod factionum & seditionum auctores non faciunt: *ego semper*, id est assidue, *docui in Synagoga & in Templo, quo omnes Judæi* undique *conveniunt, & in occulto locutus sum nihil*, quod contrarium esset his quæ palam docui, & quod ad eamdem doctrinam non pertineret, ad eundem finem non tenderet. „ In occulto locutus sum *S. August. Tract. 113. in Johan.* „ nihil, quod publicum esse nollem. Nam quod seorsim „ Discipulis loquebatur, non in occulto loquebatur. „ Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot homi- „ nibus loquitur; cum scriptum sit, *In ore duorum vel* „ *trium testium stabit omne verbum*: præsertim si hoc „ loquitur paucis, quod per eos velit innotescere mul- „ tis, sicut ipse Dominus ait illis quos adhuc paucos *Matth. 10. 27.* „ habebat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumi-* „ *ne; & quod in aure auditis, prædicate super tecta?* „ Ergo & hoc ipsum quod ab ipso dici videbatur occul- „ te, quodammodo non dicebatur in occulto: quia non „ ita dicebatur, ut ab eis quibus dictum fuerat, tacere- „ tur; sed ita potius ut usquequaque prædicaretur.“ Addit Jesus: *Quid me interrogas? Interroga eos, qui au-* *Johann. 7. 46.* *dierunt quid locutus sum ipsis; ecce hi sciunt quid dixerim ego.* Frustra me interrogas, cui fidem non habere decrevisti. Auditores meos testes appello, ipsos satellites vestros, scitis quid vobis retulerint.

22. 23. 24. *Hæc autem cum dixisset, unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Itane respondes, tam superbe, tam contumaciter? Confer cum 3. *Reg.* 22. 24. ubi refertur Sedeciam filium Chananæa Michæam Prophetam coram Rege Achab in maxillam percussisse. Confer & cum *Act.* 23. 3. ubi Paulo coram Sacerdotibus & toto concilio perorante, Princeps Sacerdotum Ananias præcepit ministris suis percutere os ejus. Tunc Paulus dixit ad eum: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum Legem, & contra Legem jubes me percuti?* Jesus vero modestiæ & mansuetudinis admirabilis exemplum præbens, *Respondit ei: Si male locutus sum*, si quid dixi contumeliosum in Pontificem, *testimonium perhibe de malo.* Accusa, ut causa dicta plectar. *Si autem bene, quid me cædis?* Immeritum, contra jus omne. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Primam Petri negationem, quam alapæ Jesu infictæ hic præmittit Joannes, in domo Caiphæ contigisse, & consequenter alapam quoque ibidem inflictam fuisse Christo, ex aliis Evangelistis constat. Quod igitur hic scribit Evangelista, *Et misit eum Annas*, &c. vim habet plus quam perfecti, & intelligendum, *Miserat.*

25. 26. 27. *Erat autem Simon Petrus stans* in aula subdiali Caiphæ, *& calefaciens se*, (ut præmisit Evangelista, qui narrationem interruptam negationis Petri nunc resumit) *Dixerunt ergo ei* quidam ex ministris, sive militibus, aut servis: *Numquid & tu ex Discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum: Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Se premi sensit Petrus memoratione horti, & metuit ne violatæ publicæ Potestatis reus ageretur ob abscissam Malcho auriculam. *Iterum ergo negavit Petrus, & statim gallus cantavit.* Vide quæ ad Matthæi c. 26. de trina Petri negatione diximus.

28. *Adducunt ergo Jesum a Caipha*, id est, ab ædibus Caiphæ, *in Prætorium*, in domum Prætoris, scilicet Pilati. *Erat autem mane*, primi diei Paschalis: *& ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur*, id est, ne redderentur immundi ingressu ædium viri Ethnici: vel etiam ne damnationis participes viderentur: nam statim a damnatione sacris vesci non licebat, ut notat Maimonides: *sed ut* impolluti, & salva *Num. 19. 22. Act. 10. 28. 11. 3.* religione, *manducarent Paschа*, quo nomine non intelligitur Agnus Paschalis, quem die præcedente ad vesperam comederant, secundum Legem; sed sacrificia pacifica, quæ totis illis septem diebus Azymorum immolabantur, & communi nomine Pascha vocabantur, seu Paschales victimæ, ut patet ex Deuteron. 16. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.*

29. 30. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*, ipsorum cedens superstitioni, in Litostroton, quæ porticus erat supra plateam ædificata, *& dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Cujus criminis ipsum accusatis tam alieno tempore? *Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Nisi certo certius constaret hunc esse criminis non vulgaris reum, tuo non sisteremus judicio damnandum. Sic auctoritate sua suppleri volunt, quod probationibus deerat.

31. 32. *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum Legem vestram judicate eum.* Nullius criminis convictum, & indicta causa, legum pœnis subjicere mihi quidem non licet, sed vos secundum Legem vestram *S. Cyrill. lib. 12. in* eum judicate, si hominem prorsus innocentem punien- *Jo. p. 103.* dum statuit. *Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.* Scis nobis ademptum esse jus gladii, ex quo Judæa in Provinciam a Romanis redacta est: Tuum igitur est, non nostrum in eum animadvertere qui crimina commisit capitali supplicio luenda. *Ut sermo Jesu adimpleretur, quem dixit, significans qua morte esset* *Matth. 20* *moriturus.* Ita factum est ut impleretur quod Jesus di- *19.* xerat, se tradendum esse Gentibus, & cruci affigen- *Jo. 13. 14.* dum, quo supplicii genere a solis Romanis, non a Ju- *12. 32.* dæis affici poterat.

33. 34. 35. *Introivit ergo iterum in Prætorium* Pilatus, unde exiverat ad Judæos, *& vocavit Jesum*, illum interrogaturus, *& dixi ei: Tu es Rex Judæorum?* Tune Rex ille es, quem Judæi jampridem venturum sibi pollicentur? Aut eum te esse prædicas? *Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* An ex tua sententia, an ex aliorum suggestione id rogas? Respondit Pilatus: *Numquid ego Judæus sum*, ut scire possim quem Regem ex Prophetarum suorum vaticiniis Judæi expectent, & qui sint istius Regis caracteres? Non ergo ex me ipso rogavi, sed ex instinctu Judæorum. *Gens tua, & Pontifices tui*, istarum rerum intelligentes, *tradiderunt te mihi*, ad meum tribunal te adduxerunt, præjudicatum, quasi seditionis auctorem. *Quid fecisti?* Quo facto eis occasionem dedisti te accusandi velut tanti criminis reum? Sic occulte rimatur an se Regem profiteatur Jesus. Sed prius habenda erat quæstio de crimine, quam interrogaretur, si secundum juris ordinem procedere Judex iniquus voluisset.

36. 37. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo.* Regnum meum non est terrenum & temporale; ac proinde non est talis conditionis ut statum Romani Imperii perturbet. *Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis.* Si terrenum regnum affectassem, collegissem milites, qui pro me fortiter dimicarent, & Judæorum me perdere volentium conatibus resisterent: *Nunc autem regnum meum non est hinc*: ideo nihil ejusmodi conatus sum. *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu?* Siquidem communi sensu te Regem esse negas, certo ergo sensu te Regem esse profiteris, & Regnum tibi vendicas nobis ignotum? *Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego.* Dicis quod res est. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quamobrem me Regem esse non nego, Christum, Filium Dei, Regni cœlorum Dominum, jure nativitatis æternæ; quod quidem regnum his qui veritati credunt, ad quam docendam veni in mundum, & temporaliter natus sum de Virgine, a me paratum est. *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Omnis qui stat a veritate, qui recte ac juste agere studet, doctrinam meam amplectitur, qua veritati attestor, mihique credit & obedit ut doctori veritatis.

38. 39. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* Existimavit Pilatus Jesum Philosophum agere, qui de veritate, regno, justitia, fortitudine, &c. palam & libere differeret sine Superiorum injuria. Obiter autem quærit cu- *Matth. 27.* jus generis sit illa veritas, cujus se Magistrum profite- *17.* tur, sed tamen non instat, ratus id sui fori non esse. *Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.* Nullum crimen. *Est autem consuetudo vobis*, in vestri gratiam introducta, *ut unum* reum *dimittam vobis in Pascha: Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Regem vestrum? quod contemptim a Pilato dictum est. Vultis ut dimittam Jesum, quem plerique dicunt esse Christum Judæis promissum?

40. *Clamaverunt ergo rursum omnes*, tam Pontifices, quam populus in eorum studia tractus: *Non hunc a te dimitti volumus, sed Barabbam. Erat autem*

Barabbas latro, & caput cruentæ seditionis. Confer cum *Matth.* 27. *Marc.* 15. & *Luc.* 23.

SENSUS MORALIS.

2. Reg. 15. 1. *Jesus egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, quem introivit ipse & Discipuli ejus.* David typus in plerisque Christi, a filio suo bello petitus, Hierosolymis migrans, transiit Torrentem Cedron, flens, nudis pedibus, & operto capite. Hanc figuram Jesus adimplet. Sicut autem perfidus Achitophel Judæ, ita Absalon ingratus & rebellis filius populi Judaici gessit imaginem. Verum hostes non fugit Jesus, nec mortem reformidat. Qua enim ratione id faceret, cui propositum erat pati, ut sua passione genus humanum, redimeret? Vadit ad locum in quem frequenter cum discipulis suis orationis causa secedebat, ut a proditore facile inveniretur. Hortus erat, veteris paradisi formam gerens. In horto tristitiæ passio Christi inchoatur, ut lacrymis suis, mortali tristitia, oratione, ac sanguineo sudore expiet Adami peccatum in horto voluptatis commissum.

S. Cyrill. lib 11. *in Jo. c.* 12. *p.* 1011.

2. *Judas ergo cum accepisset cohortem, & a Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc*, &c. Judas, qui relicto Dei Filio, se Dæmoni addixerat, maluit esse dux inimicorum Christi, quam Apostolorum socius: minister esse maluit invidiæ & odii Sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum in Dominum Jesum, quam Sacerdotii & caritatis ejus ministerium sacrum obire. Sic anima quæ suæ cupiditatis serva est, ut perfidus Judas avaritiæ, ad serviendum alienis cupiditatibus, & ad prodendum Christum, ad violandum quælibet religionis, justitiæ & caritatis officia parata est. Judas miraculorum & divinæ potestatis Christi immemor, qui se insidiis inimicorum subduxit, quando voluit, per medium illorum transiens, putat se eum capturum etiam invitum, satellitum numero fretus. O cæcitatem!

S. Aug. Tr. 112. *in Jo. num.* 3.

6. *Ut ergo dixit eis, Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*, &c. *Ego sum* dixit, & impios deiicit. „ Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc „ fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc po„ tuit? Et nunc ubique per Evangelium, *Ego sum*, di„ cit Christus, & a Judæis exspectatur Antichristus, ut „ retro redeant, & in terram cadant, quoniam dese„ rentes cœlestia, terrena desiderant. Certe ad com„ prehendendum Jesum persecutores cum Traditore ve„ nerunt, quem quærebant invenerunt, audierunt *Ego* „ *sum*: quare non comprehenderunt, sed abierunt retro, „ & ceciderunt, nisi quia hoc voluit, qui potuit quic„ quid voluit? Verum si numquam se ab eis permitteret „ apprehendi, non quidem illi facerent propter quod „ venerant, sed nec ipse faceret propter quod vene„ rat. " *Eum quippe illi occidendum quærebant sæviendo, sed quærebat nos & ipse moriendo.*

Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Omnes prosternuntur, & a nemine illorum Dei manus, & Christi Jesu, qui Dei virtus est, omnipotentia agnoscitur. Sic iniquorum fortunam, consilia, valetudinem sæpe Deus evertit; sed illi solum ad ipsum convertuntur, quorum cor efficacissima gratiæ suæ suavitate misericorditer tangit, faciens ut ipsa eversione erigantur ad salutem. Saulus Ecclesiæ persecutor, qui Jesum esse Christum & Filium Dei non noverat, a Deo prostratus subito convertitur, & ex persecutore fit vas electionis: Judas Christi Apostolus, miraculorum ejus testis, tot ab illo gratiis cumulatus, prosternitur, & magis induratur. O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

7. *Iterum interrogavit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.* Christiani se ipsos ad pedes Jesu crucifixi serio interrogent, quem quærant. An mundum, an Jesum? Jesum quærunt plurimi ut peccatis suis iterum crucifigant, non ut colant, & legi ejus ac mandatis obediendo diligere se probent.

11. *Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Calicem amarissimum passionis malitia & crudelitas Judæorum Christo paravit, sed ideo illum bibit Chri- Rom. 8. 31. stus, quia ei a justitia Patris oblatus est, *Qui Filio pro-* 32. *prio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Ephes. 5. 2. Calicem illum ut Christus pro salute nostra biberet, ejus charitas, qua major cogitari non potest, effecit. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Tribulationes, calamitates, mortificationes, contradictiones quas patimur, suscipere ac pati debemus, ut calicem a Deo paratum, in spiritu obedientiæ, caritatis, pœnitentiæ, ut justitiæ Dei satisfaciamus pro peccatis nostris. Si nos persequantur homines, & nos cupiditas aut imprudentes amici ad ultionem excitent; respondeamus: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

12. *Cohors ergo & Tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum & ligaverunt.* Jesum ligaverunt, a quo solvi potius velle debuerunt. Vincula passus est Dominus, ut malum usum nostræ libertatis expiaret; ut gratiam ad rectum ejus usum suæ captivitatis merito nobis compararet: ut nos olim peccati servos, justitiæ liberos faceret, ut nobis libertatem filiorum Dei procuraret: ut Discipulos suos in vinculis suis gloriari doceret. *Paulus vinctus Jesu Christi.* In eorum numero qui tunc imposuerunt Christo vincula fortassis erant, qui ab eo postea liberati a peccati servitute dixerunt: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.*

S. Aug. Tr. 121. *in Jo. Psal.* 115. 16.

22. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu*, &c. „ Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne velle„ mus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut „ terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujusmodi qualibet pœna, vel etiam gravi„ore puniri? *Quid enim horum per potentiam jubere non „ potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam „ nos docere maluisset, qua vincitur mundus?* Dicet ali„ quis, Cur non fecit quod ipse præcepit? Cur percu„ tienti respondit, & non potius alteram maxillam præ„ buit? Quid quod & veraciter, mansuete, justeque res„ pondit, non solum alteram maxillam iterum percussuro, „ sed totum corpus figendum præparavit in ligno? Et „ hinc potius demonstravit, " *Magna illa præcepta patientiæ non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam visibiliter præbeat homo & iratus. Quanto ergo melius & respondet vera placatus, & ad perferenda graviora tranquillo animo fit paratus?* Beatus enim est qui in omnibus quæ injuste pro justitia patitur, potest veraciter dicere: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

S. Aug. Tr. 113. *in Jo. num.* 4.

Psal. 56. 8.

Unus ministrorum dedit alapam Jesu. Ministri Sacerdotum & Senatorum olim ad Jesum comprehendendum missi, cum in doctrinæ ejus admiratione defixi re infecta rediissent, numquam sic locutum esse hominem conclamantes, dominorum suorum offensionem incurrerunt. Unde commoti in illos Pharisæi dicebant: *Numquid & vos seducti estis? Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit Legem maledicti sunt.* Cum ergo responsum Jesu illius eventus memoriam Sacerdotibus & Pharisæis refricaret, siquidem ipsos illorum ministros suorum sermonum testes appellabat, *Ecce hi sciunt quæ dixi ego*, ferox ille Minister ne benevolus erga Jesum crederetur; plura loqui illum non sinit, & inflicta alapa responsa interpellat, ex quibus aliquid damni turbæ ministrorum inferri posse putabat. Hanc pro nobis patitur ignominiam, qui peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Quemadmodum enim morte sua mortem nostram destruxit, sic ignominiam nobis propter peccatum debitam ignominia sibi per alapam inflicta delevit. Hæc passionis Christi circumstantia per Prophetam prædicta est. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Dominus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.* Dominus noster Jesus Christus, etiam cum alapæ ei infliguntur, patienter sustinet, quamvis Deus verus sit, terræque ac cœli Dominus: nos autem miseri, terra ac pulvis, peccatores, quando fratrum aliquis durius aliquid in nos protulerit, more draconum exasperati in eum insurgimus, & mille pro uno convitiis eum petimus, nec modum iræ ponimus, aspicientes in fidei nostræ auctorem & consummatorem Jesum.

S. Cyrill. lib. 11. *p.* 1026. *Jo.* 7. 47. 48 49.

Isai. 50. 6 7.

28. *Et ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* O cæcitatem! Habitaculo contaminari timent alieno, & pollui non timent scelere proprio. Alienigenæ ethnicique Judicis Prætorio inquinari metuunt: & sanguinis innocentis effusione inquinari non metuunt. Se criminis expertes fore stulte putant, si suis ipsi manibus Christum non occidant, sed suæ crudelitatis ministrum Pilatum faciant. Sed in eis impletur Propheticum illud oraculum: *Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.* Quemadmodum enim Christum Jesum Romano Prætori judicandum ac damnandum tradiderunt, ita viciissim ii Romanorum traditi sunt Imperio, & in Urbis obsidione & excidio tam inauditis calamitatibus afflicti, ut si licuisset, in montibus & speluncis abditi emori multi mallent, quam bellum tam immane spectare. Quod optaturos prænuncians Dominus ait: *Tunt incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos.*

S. Aug. Tr. 114. *S. Cyrill. lib.* 12. *in Jo. p.* 1033. 1034. *Psal.* 27. 4. *Luc.* 23. 30.

Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, &c. Pharisaicam illam superstitionem imitantur hypocritæ, excolantes culicem, camelum autem glutientes; quod exterius est calicis & disci abluentes, conscientiæ vero puritatem non curantes; externa quædam pietatis exercitia ab hominibus adinventa scrupulosius frequentantes, justitiæ vero & caritatis præcepta sine scrupulo violantes.

36. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod est Christi regnum, nisi credentes in eum, qui-

quibus dicit, *De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo?* Quamvis eos vellet esse in mundo : propter quod de illis dixit ad Patrem, *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Unde & hic non ait, Regnum meum non est in hoc mundo ; sed, *non est de hoc mundo.* Non ait, Regnum meum non est hic ; sed *non est hinc.* Hic est enim regnum ejus usque in finem sæculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem: messis enim finis est sæculi, quando messores venient, id est Angeli, *& colligent de regno ejus omnia scandala* : quod utique non fieret, si regnum ejus non esset hic. Sed tamen non est hinc; quia peregrinatur in mundo: regno suo quippe dicit, *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Erant ergo de mundo, quando regnum ejus non erant, sed ad mundi Principem pertinebant. „ De mundo ergo est quidquid hominum a vero „ quidem Deo creatum, sed ex Adam vitiata atque da„ mnata stirpe generatum est: factum est autem regnum „ non jam de mundo, quidquid inde in Christo regene„ ratum est. " Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ: de quo regno dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo . . .* Si ad Christi regnum pertinere volumus, de hoc mundo esse non debemus: siquidem nos in numerum suorum in sancto baptismo cooptavit solemni professione facta quod mundo & pompis ejus renuntiaremus. *Nihil interest ubi sitis in sæculo, extra sæculum estis.*

Jo. 17. S. Aug. Tract. 115. in Jo.

Mat. 13. 39.

Coloss. 1. 13.

Tertul lib. ad Martyres.

37. *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Regnum Dei, regnum est veritatis. Hujus cognitio per fidem, & amor per caritatem, Dei dona sant, non secundum merita nostra, sed secundum ejus propositum & gratiam nobis collata. „ Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, „ cum omnes Veritas creaverit, quis non est ex verita„ te? Sed non omnes sunt quibus ut audiant veritatem, „ hoc est, ut obaudiant veritati, & credant in verita„ tem, ex ipsa veritate præstatur, nullis proculdubio „ præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Ideo „ non ait Christus: Omnis qui audit vocem meam, ex „ veritate est ; ne ideo dictus *ex veritate* putaretur, „ quia obtemperat veritati ; sed ait, *Omnis qui est ex „ veritate, audit vocem meam.* Itaque non ideo est ex „ veritate, quia ejus audit vocem: sed ideo audit, quia „ ex veritate est, id est, quia hoc illi donum a verita„ te collatum est. Quod quid est aliud, quam donante „ Christo credere in Christum. "

S. August. Tract. 115. in Johann.

38. *Dicit ei Pilatus : Quid est veritas?* Quam multi Pilati exemplo ignorant quid sit veritas, aut discere non curant, aut sibi prædicatam vel quovis modo annuntiatam, vel inspiratam contemnunt ; aut se nosse dissimulant, ne ei testimonium verbis & operibus perhibeant? Ad veritatis defensionem quilibet Christianus pro virili sua parte tenetur, si fidem aut justitiam impugnari, si opprimi videat innocentiam. Ad hoc enim renatus in Christo est, ut testimonium perhibeat veritati. Ipsam, ut sese nobis manifestet, interrogare debemus veritatem sincere, amanter, humiliter, perseveranter. *Quid est veritas?* Enimvero *Veritas nulli comperta sine Deo, nulli Deus cognitus sine Christo, nulli Christus cognitus sine Spiritu sancto, nulli Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento.*

Tertullian.

CAPUT XIX.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. TUnc ergo, rejecta scilicet a Sacerdotibus & Pharisæis propositione sua, de Jesu dimittendo in die festo, & omnibus Barabbam illi præponentibus, *apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit* per lictores suos, seu milites prætorianos. *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus : & veste purpurea circumdederunt eum.* Pallio coccineo induerunt. *Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum :* velut histrionico Regi illudentes: *& dabant ei alapas.* Vide Commentar. nostrum ad cap. 27. S. Matthæi.

4. 5. *Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras*, ex atrio in quo flagris acerbissime cæsus est, *ut cognoscatis* publica hac & iterata contestatione mea, *quia nullam invenio in eo causam*, nullum crimen. Ita ipse se iniquitatis damnat Præses, qui Sacerdotum & Pharisæorum odiis, populique clamoribus obsequens donaverat pœnam hominis innocentis. *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum*, seu paludamentum. *Et dicit eis* (Pilatus) *Ecce homo.* Quam inepte crimen affectati Regni illi affingatur, vos ipli perpendite.

6. 7. *Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri* illorum, *clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum.* Repetiti clamores odii acerbitatem ac furorem significant. *Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, & crucifigite.* Hoc facite, si lubet vestro periculo. *Ego enim non invenio in eo causam.* Damnare non possum insontem. *Responderunt ei Judæi : Nos Legem habemus, & secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Se natura Filium Dei esse finxit, prædicavit, ac persuadere hominibus conatus est; pro vero Messia se haberi voluit : proinde dignus est pœna in Lege adversus Pseudoprophetas & blasphemos constituta.

Deuteron. 6. 4.

8. 9. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*, hinc stimulante conscientia quod insontem flagris cedi jussisset, hinc seditionis periculo ob pertinacem Judæorum in Christum furorem: vel etiam timuisse censeri potest ob res miras de eo auditas, ne forte verum esset eum alto ex sanguine Divum genus ducere, quod de suis Heroibus Græci ac Romani veteres credebant. Non mirum porro quod hæc cogitatio Pilati mentem subire potuerit, siquidem Lycaones persuasum habebant Paulum & Barnabam Deos esse similes hominibus factos, & vocabant Barnabam quidem Jovem, Paulum vero Mercurium.

Act. 14. 11

10. *Et ingressus est Prætorium iterum*, amplioris inquisitionis gratia: & dixit ad Jesum: *Unde es tu?* Unde natus, quibus parentibus? cœlestibus, an terrenis? *Jesus autem responsum non dedit ei:* tum quia responderat quod satis esset ad innocentiam suam comprobandam ; tum quia indignus erat Pilatus cui divinæ ac æternæ generationis Christi Jesu Mysterium patefieret. *Dixit ergo ei Pilatus*, silentium illius admiratus; *Mihi non loqueris?* mihi judici tuo non respondes? *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Non attendis me pro eo munere quod gero auctoritatem ac vires habere damnandi te supplicio crucis vel te absolvendi ac impunitum dimittendi? Potestatem jactat, juris & æqui immemor.

11. 12. *Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, de cœlo, Dei consilio ac decreto speciali, quo statutum est ut moriar, & eo quidem mortis genere, cui me sponte subjicio. *Propterea qui me tradidit tibi*, Populus Judæorum, *majus peccatum habet.* Gravioris sunt peccati rei qui me tibi tradiderunt, quam tu, quia Judæi a Prophetis edocti nullam habent excusationis probabilem rationem: tuum vero peccatum minuit ignorantia. Illi ex invidia, odio & furore me tibi tradiderunt: tu ex timore & ignavia hostibus meis serviliter morem geris. Nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem debet occidere: sed tamen id invidendo facere multo magis malum est, quam timendo. *Et exinde quæ ebat Pilatus dimittere eum.* Magis ac magis de ejus innocentia convictus, quærebat obtentum quo eum favorabiliter dimitteret. *Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ostendis te non esse fidum Cæsari, cujus locum tenes, & cujus tueri jura tibi pro officio incumbit: *Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari* Quicumque sine Imperatoris auctoritate in Provinciis Romanis Regium nomen usurpat, reus est Majestatis.

13. *Pilatus autem cum audisset hos sermones*, metuens ne perfidiæ apud Tiberium suspicacissimum Principem *accusaretur, adduxit foras Jesum : & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Litostrotos* (Græce) hoc est, lapidibus constratus: *Hebraice autem*, sive lingua Syriaca quæ tunc vernacula erat Judæis, *Gabbatha*, quæ vox locum altum & editum significat. Cæsarem magis timuit Pilatus, quam Deum. Parum curavit clamores Judæorum dicentium: *Nos Legem habemus, & secundum Legem debet mori, &c.* cessit furori clamantium, *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.* Eorum Legem non timuit, ut occideret: sed magis Filium Dei timuit, ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum Legem gentis alienæ.

S. August. Tract. 116. in Johann.

14. *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis : Ecce Rex vester.* Dies erat præcedens sabbatum Paschale, id est, incidens in dies Paschales, quod propterea erat solemnius. Pridie autem sabbati vocabatur *Parasceve*, id est *præparatio*, quia eo die res necessariæ ad sabbatum præparabantur. *Hora quasi sexta*, id est sub meridiem. Id factum *hora tertia* narrat S. Marcus. Ratio conciliandi sanctos Evangelistas communior & verior hæc est : Spatium viginti quatuor horarum, quibus constat dies, more Judaico divisum fuisse in octo partes, quarum unaquæque erat trium horarum. Prima pars diei inchoabatur hora tertia, secunda sexta, tertia nona, quarta duodecima, & sic reliquæ juxta varias noctis Vigilias. Hæ etiam erant horæ precum, & ascendendi ad Templum tempore diurno : & unaquæque statarum horarum significabatur tubæ sonitu pios convocantis. Non modo autem tempus quo ea hora advenerat & data fuerat, sed totum etiam spatium trium horarum, donec sequens audiretur tuba, ejusdem horæ nomine significabatur; omne spatium, exempli gratia, quod a nona ad duodecimam seu meridiem (prout hodie numeramus) intercedebat, vocabatur *hora tertia* : quod a meridie ad tertiam pomeridianam, *hora sexta*. Itaque posito quod tempus crucifixionis Christi paululum antecesserit duodecimam nostram sive meridiem, ut ex illa voce, *quasi*, colligitur;

Marc. 15. 25.

ligitur; vere etiam & appositè dicitur a Marco *Hora tertia*, cum spatium illud temporis quod a tertia hora nomen trahebat, nondum præteriisset, quamvis finis ejus instaret, immineretque signum tubæ ad horam sextam indicandam. Mitto quod S. Augustinus scripsit, quia notissimum est. Jesum hora tertia crucifixum fuisse clamoribus Judæorum; hora vero sexta manibus militum. Quæ conciliandi ratio sensui litterali non ita convenit.

S. Aug. l. 3. de consens. Evang. c. 13.

Et dicit Judæis: Ecce Rex vester. Ironia est. Ecce quem Regnum affectasse fingitis, a quo timendum Cæsari persuadere mihi frustra nitimini. Commiseratione certe vestra dignus est: quiescite igitur, & finite ut illum dimittam.

15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle* e medio, *crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Non alium Regem agnoscimus præter Imperatorem Romanum. Solebant dicere: *Non habemus Regem nisi Deum*, nunc clamabant, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Odium Jesu extorquet ab eis servitutis invisæ publicam professionem. Tantum potest ira, ut sæpe dicantur quæ maxime nocent.

16. 17. 18. *Tunc ergo tradidit eis illum.* Id est, eorum votis annuens, militibus eum dimisit, jubens *ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt*, sive abduxerunt. *Et bajulans sibi crucem* (ut solebant malefici apud Romanos, testibus Artemidoro lib. 2. cap. 61. Plutarcho lib. *de tarda Dei vindicta*, Dionysio in Antiquitatibus lib. 7. Plauto, &c.) *Exivit* extra urbem, *in eum qui dicitur Calvariæ locus, Hebraicè autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos* latrones, *medium autem Jesum.* Vide Commentar. Nostrum *in Matth. cap. 27.*

19. 20. 21. 22. *Scripsit autem & titulum*, sive inscriptionem *Pilatus*, quæ causam mortis illius exhiberet; *& posuit super Crucem*, id est in superiori parte crucis. *Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus.* In suburbano, ubi solebant esse loca suppliciorum. *Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine.* Ut omnes qui e diversis Mundi partibus ad Festum confluxerant, legere possent. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere Rex Judæorum*, quod ita accipi potest quasi eum Judæi pro Rege habuerint: *sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Quod Regium nomen ac dignitatem sibi arrogaverit. *Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Quod meo jussu scriptum est, mutari nolo.

23. 24. *Milites ergo cum crucifixissent eum*, nudum, *acceperunt vestimenta ejus*, Id est, vestem exteriorem, scilicet pallium, quod erat quadratum, habens quatuor angulos, in quibus appendebantur fimbriæ (*& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem*) *& tunicam* interiorem, quæ corpori ejus immediate adhærebat. *Erat autem tunica inconsutilis*, sine commissura, *desuper texta per totum*, continuo textu a summa parte ad imum contexta: *Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Aleæ jactu uni adjudicatur, ne divisa in quatuor partes fiat inutilis, filis diffluentibus. Quod ita factum est, *Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.*

Marc. 27. 31. Marc. 15. 24. Luc. 23. 14. Psalm. 21. 19.

25. 26. 27. *Stabant autem juxta crucem Jesu*, ut eum videre & loquentem audire possent, *Mater ejus* Virgo Maria, *& soror Matris ejus Maria Cleophæ* conjux, *& Maria Magdalene... Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat*, Johannem scilicet Zebedæi filium, *dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.* Hic tibi pro me filii erit loco, hic tibi filii officia exhibebit. *Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.* Hanc ut matrem posthac observabis, & illius curam geres, dilectione & sollicitudine filiali. *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, in domum suam, & curam. Hinc intelligitur, Josephum B. M. Virginis sponsum, cum hæc gererentur, mortuum fuisse: alioquin Matris suæ curam alteri Jesus non demandasset.

28. 29. 30. *Postea, sciens Jesus quia omnia* quæ passurus erat a Judæis vivus, *consummata sunt*, maxima ex parte, *ut consummaretur* etiam *Scriptura*, ut implerentur Vaticinia, quibus prædicebatur potandum esse aceto, dixit, *Sitio.* Sitim ex sanguinis copiosa effusione, & acerbissimis cruciatibus contraxerat. *Vas ego erat aceto plenum*, ad potandum cruciarios, & ad sistendum sanguinem ex eorum vulneribus diffluentem. *Illi autem*, nempe milites, *spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes*: id est, spongiam ramusculis hyssopi, quasi funiculis calamo seu arundini circumligantes, *obtulerunt ori ejus.* Confer cum *Matth. 27. 48.* & *Marci 15. 36. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est.* Quicquid Dei consilium & voluntas a me faciendum aut tolerandum in hac mortali vita ad hominum salutem decrevit: Quicquid de mea dispensatione & passione veteribus figuris adumbratum, & Prophetarum vaticiniis prædictum, jam impletum & perfectum est. *Et inclinato capite*, ut se sponte mori ostenderet, *tradidit Spiritum*, in manus Dei Patris. *Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestiem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit?*

Ps. 68. 22.

S. Aug. Tract. 19. in Johann. n. 6.

31. *Judæi ergo* (*quoniam Parasceve erat*, Vigilia & præparatio sabbati) *ut non remanerent in cruce corpora sabbato*, (*erat enim magnus dies ille sabbati*; id est, solemnis admodum & celebris, utpote qui unus esset septem dierum Paschalium) *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura*, ut mors eorum crurifragio accelleraretur, *& tollerentur* eorum corpora e patibulo ante vesperam qua sabbatum inchoabatur. Confer cum *Deut. 21. vers. 22. & 23.* „ Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in „ patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed „ in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est qui „ pendet in ligno. „ Hanc legem Judæos sua ætate religiosè servasse scribit Josephus.

32. 33. 34. 35. 36. 37. *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*; quod superfluum fuisset: *sed unus militum*, spiculatorum, *lancea*, qua erat armatus, *latus ejus aperuit*, seu perfodit, quod divino consilio factum est, ut morte Jesu certissimo testimonio comprobata, fides resurrectionis ejus firmaretur: *& continuo exivit sanguis & aqua*, præter naturæ ordinem. Nisi enim manatio illa aquæ & sanguinis ex Christi Jesu mortui latere miraculum fuisset, Sanctus Evangelista triplicem de hujus eventus veritate asseverationem non subjunxisset. *Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus.* Mos est Joannis de se in tertia persona loqui. Testimonium ejus qui id scribit ad memoriam sempiternam, firmum est & minime fallax, tametsi singulare sit, quia testis oculatus erat. *Et ille scit quia vera dicit*: certo sibi conscius est se rem narrare prout gesta est, licet priores Evangelistæ non meminerint. Hæc autem testatus est & scripsit, *Ut & vos credatis*, id factum esse, Jesumque vere mortuum esse, ac proinde a mortuis vere resurrexisse. *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Quod de agno Paschali, Christi typo, in Lege præceptum est. *Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Videbunt (in die scilicet ultimi judicii) eum cujus latus lancea perfoderunt. Versio Septuaginta Interpretum Zachariæ locum ita reddit: *Et aspicient ad me pro eo quod insultaverunt.* Textum vero Hebraicum sic vertit S. Hieronymus: *Et aspicient ad me quem confixerunt.* Varias illas interpretationes peperit varietas lectionum. Septuaginta Interpretes forte legerunt *racdu*, quod optime verterunt, κατωρχήσαντο, id est, *insultaverunt*, Sanctus vero Hieronymus, & alii legerunt in Hebræo fonte *dachru*, id est, *transfixerunt*, quod & in hodierno Codice legitur; utrumque verbum constat iisdem litteris, sed aliter dispositis. Commutatio igitur & similitudo litterarum *Daleth* & *Resch* variam lectionem fecit. „ Johannes autem Evangelista, qui de pectore Domini „ hausit sapientiam, Hebræus ex Hebræis, quem Salva„ tor amabat plurimum, non magnopere curavit quid „ Græcæ litteræ continerent: sed verbum e verbo in„ terpretatus est, ut in Hebræo legerat, & tempore „ Dominicæ Passionis dixit esse completum.„ Utramque interpretationem alias commemorans S. Hieronymus ait: *Discrepat Evangelistæ, septuaginta Interpretum, nostraque translatio: & tamen sermonum varietas Spiritus unitate concordat.* Nec vero absimile est olim etiam apud 70. Interpretes variam fuisse lectionem hujus Zachariæ loci. Tertullianus enim legit, *quem pupugerunt*; S. Cyprianus, *in quem transfixerunt*, quamvis sola Versione Septuaginta Interpretum Latine reddita uterentur. Id confirmant Viri eruditi ad hunc Zachariæ locum in Scholiis Editionis Sixtinæ: Ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο; *Sic quoque est in quibusdam aliis libris*; *in quibusdam antecedit*, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν *Est qui habeat*, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *nec habeat*, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, quæ duplex videtur esse interpretatio.

Lib. 4. de Bel. Jud. cap. ult.

Exod. 12. 46. Num. 9. 12. Zachar. 12. 10.

S. Hieron. in Zachar. c. 12.

Epist. 101. ad Pamach. de optimo genere interpretandi. Tertull. l. adversf. Judæos c. 14. lib. de Resurrect. carnis c. 22. lib. 3. contr. Marcion. c. 7. S. Cyp. lib. 2. adverf. Jud.

38. 39. 40. *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa* (*eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem*, hactenus, *propter metum Judæorum*, qui contumeliam excommunicationis irrogabant omnibus qui se discipulos Jesu profiterentur, ejicientes eos e Synagoga) *ut tolleret corpus Jesu*, Rogavit Pilatum ut sibi liceret e cruce tollere corpus Jesu, ac sepelire. „ Et permisit Pi„ latus. Venit ergo *ad crucem*, & tulit corpus Jesu. „ Venit autem & Nicodemus qui venerat *ante hac* ad „ Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes „ quasi libras centum. „ Ut pollincturæ magnificentia suam de Jesu existimationem, suumque in illum religiosum affectum testarentur. *Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverant illud linteis* involutum *cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.*

Matth. 27. 57. Marc. 15. 43. Luc. Luc. 23. 50. Johann. 3.

41. 42. *Erat autem in loco*, in illo suburbano, *ubi crucifixus est*, *hortus*; *& in horto monumentum novum*,

vum, in quo nondum quisquam positus erat: quod divino consilio factum, ne quis alius surrexisse crederetur. *Ibi ergo, propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.* Urgebat scilicet tempus; paucæ supererant horæ usque ad vesperam, quæ solemni sabbato initium dabat, & ideo longius deferri non poterat sacrum corpus.

SENSUS MORALIS.

1. *TUnc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* Christo Jesu pro nobis flagellato recte accommodantur illa Prophetæ verba: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Aquila & Theodotion, referentibus Heracleoto & Theodoreto, interpretati sunt, *Supra dorsum meum araverunt peccatores.* Supra sacrum Christi Jesu corpus barbari milites loris & virgis sulcos duxerunt, sacram ejus carnem proscindentes ad eum modum quo aratrum terram proscindit, & sanguinis rivos ex toto illius corpore effundentes. Immanem illam flagellationem in carne innocenti patitur Jesus, ut concupiscentiam in corpore nostro dominantem expiet, & sanet. Cum igitur angelus satanæ nos colaphizat, & tentat de impudicitia, Christum pro nobis flagellatum cogitemus, & gratiam ejus imploremus, atque ut ipsam impetremus, orationi jungamus macerationes carnis, per flagellationem Jesu Christi ipsum Salvatorem nostrum orantes ut peccatum nobis dominari non patiatur, & a tentatione nos liberet, & quam inviti patimur concupiscentiæ rebellionem detestemur. Ingemiscamus coram Deo, cum Apostolo dicentes: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Et cum Propheta: *Ego autem in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Apostolum imitemur, corpus nostrum castigantes, & in servitutem redigentes, affligentes, *lividum facientes* ut SS. Patres explicant, ne in eo regnet peccatum. Immunitatem a flagellis vel disciplinis sponte susceptis Christum flagellatione sua nobis procurasse qui finxerit, haud sanæ mentis est. Quin etiam favet Hæreticis, qui Christi satisfactione immunitatem ab onere satisfactionis nobis procuratam asserunt. Sed nobis præstitit flagellatione sua, nosque docuit, ne peccato & diabolo serviamus, nosque divinæ iracundiæ flagellis æternum obnoxios reddamus. Hic sensus est Versuum Prudentii, Amœni, aut Sedulii, de Columna cui Christus ad flagellationem subeundam fuit alligatus.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus; atque columnæ
Annexus, tergum dedit ut servile flagellis.
Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

Non more Judaico, quo constitutum erat ut verbera quadragenarium numerum non excederent, sed Romano, Christum flagellatum fuisse a Romanis Militibus, jussu Pilati Romani Præsidis, longe probabilius est, & S. Hieronymi auctoritate firmatum. Etsi more Judaico, Milites barbaros numerum Lege Mosaica præscriptum longe excessisse credibile est, cum sine modo illos in Christum Jesum sæviisse, tota passionis ejus probet historia.

Apud Lacedæmonios solemnis erat flagellationis dies, quo pueri per integrum diem flagellis cœsi ante Dianæ aram, sæpenumero verbera ad mortem usque læti alacresque tolerabant. Christus acerbissimam flagellationem proposito gaudio patitur, ut divinæ justitiæ pro nobis satisfaciat, nosque a verberibus liberet. *Multa* enim *flagella peccatoris.* De viro autem justo scriptum est: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* In corpore nostro mortificationem Christi circumferamus, flagellationem acerbissimam, quam pro nobis pertulit, grato & devoto animo honorantes. „ Optime pœnitet, qui dum carnem „ verberibus mactat, lucrum quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus compensat: & salubrem illi amaritudinem ingerit, cujus olim noxia tunc delectatione pecavit. Nihil differt quibus pœnis caro pœnitentis adducitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur. " Dignum Deo spectaculum homo pœnitens, qui sui ipsius in corde se constituit judicem, reum in corpore, manibus se gaudet exhibere tortorem. „ Hæc est hostia quæ viva mactatur, ad Deum „ per Angelos oblata defertur: & sic humani corporis vi„ ctima illi unico sacrificio, quod in ara crucis oblatum est, „ invisibiliter permiscetur: & in uno thesauro sacrificium „ omne reconditum, videlicet & quod unumquodque membrum, & quod Caput omnium obtulit electorum. "

2. *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum.* Spinis coronatur Dominus Jesus, & pallio purpureo ad irrisionem regiæ dignitatis suæ indutus, a militibus illuditur & cæditur. Sic hominum superbiam & ambitionem expiat: sic pro Adami primo peccato, quod superbia fuit inobedientiæ parens, justitiæ Patris satisfacit. Regiam dignitatem ultro sibi oblatam a turbis in deserto respuit, fugit, quia coronam parabant nullis spinis intertextam, nullis contumeliis probrosam. Nunc vero spineam coronam, & coccineam clamydem, qua per ludibrium a militibus induitur, gerere non recusat. Hæc scilicet insignia Regi per cruceni regnanti conveniunt. Regem hominem a subditis suis sic excipi, sic illudi, sic verberari; quis sine commiserationis sensu; quis sine indignatione advertus barbaros & impios illos subditos audiret? Hæc non solum a subditis, sed a creaturis suis patitur Rex gloriæ, cœli terræque Dominus, & nostri causa patitur, nec compatimur! *Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas.* O qualia tributa! Superbi & ambitiosi Christiani, qui honores, dignitates, mundi gloriam, laudes hominum concupiscunt, & sæpe malis artibus quærunt, qui independentiam affectant, qui Dei donis extolluntur, & ejus lege contempta dicunt in corde suo, *Non serviam*, coronam spineam Jesu Christo plectunt, eum per ludibrium Regem salutant, alapas infligunt Salvatori suo. „ Exurge „ Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum „ tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die. Ne „ obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum „ qui te oderunt ascendit semper. " Omnium vero miserere, qui sub potenti manu tua, & ad pedes Christi tui humiliati sincero animo ajunt: *Deo subjecta esto anima mea, quia ipse Deus meus, & Salvator meus.*

5. (*Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum:*) *Et dicit eis: Ecce homo.* Hoc diademate nobis coronam gloriæ comparat: his spinis maledictionem solvit terræ nostræ, spinas & tribulos nobis germinantis. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua*, immo potius noverca Synagoga, *in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus*: in die quo sibi desponsavit Ecclesiam, quam diem & ardentissime desideravit, & cum gaudio incredibili vidit: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

„ ECCE HOMO, non clarus imperio, sed plenus op„ probrio: si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum „ videtis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibrio„ sa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis „ cæsus est, fervet ignominia, frigescat invidia. „ Ecce *Vir dolorum & sciens infirmitatem.* Hominem-ne agnosceretis, nisi vos monerem? *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* ECCE HOMO, *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ad hunc statum eum peccata nostra redegerunt, Fortius clamant crimina nostra quam Judæi: *Crucifige, crucifige eum.* Christus pro peccatoribus clamat ad Patrem, *Miserere*: peccatores ingrati contra Christum clamant, *Crucifige.*

10. 11. „ Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? „ Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & po„ testatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non ha„ beres potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum „ esset desuper. " Ubi non respondebat Jesus, *sicut ovis silebat*: ubi respondebat, *sicut Pastor docebat.* Discamus ergo quod dixit, quod & per Apostolum docuit, quia *Non est potestas nisi a Deo*; & plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa si eum timore alterius majoris potestatis occidit .... Christi Jesu singulare & admirabile silentium honoremus patientia nostra & silentio, quærimonias, excusationes, murmurationes, & impatientiæ verba comprimendo, quæ variis in occasionibus amor proprius effundere solet. Persecutiones, calumnias, obtrectationes, convitia, detrimenta, morbos, orbitates, lites improbas, adversa quæque volente Deo nobis inferri & contingere cogitemus, qui pœnæ auctor est, non culpæ: patiamur cum ovium mansuetudine, exemplo Christi Jesu, *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste.* Corde humiliato dicamus cum Propheta: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove a me plagas tuas.* Secundum infirmitatem carnis loquor, ne a fortitudine manus tuæ ego deficiam in increpationibus. Cæterum sciens te propter iniquitatem corripere hominem, ad flagella paratus sum, & non sum turbatus. „ Amici mei „ & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & „ steterunt. Et qui juxta me erant, de longe steterunt, „ & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et „ qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; & „ dolos tota die meditabantur. Ego autem tamquam „ surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os „ suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non „ habens in ore suo redargutiones. "

17. *Et bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locus*, &c. Christus verus Isaac, ut Dei victima, portat lignum sacrificii sui in monte offerendi: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Ut victor, portat arma quibus diabolum, peccatum, mortem, mundumque debellaturus erat. „ Delens quod adversus „ nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium „ nobis, & tulit illud de medio, affigens illud cruci: „ & expolians principatus, & potestates, traducit confiden-

Pſ. 128. 5.
Pſ. 37. 18.
1. *Corint.* 9.
S. Iren. lib. 6. *adverſ. Hæreſ. c.* 72
S. Paulin. Epiſt. 43. *S. Pet. Chryſ. Homil.* 16.
Deuter. 25.
S. Hier. in cap. 27. *S. Matt. Tertull. lib. ad Martyres. Plutarch. in Inſtitutis Lacon. Cicer. Tuſcul.* 11.
Pſal. 31.
S. Petrus Damian. lib. 1. *Epiſt.* 8. *ad Clericos Florentinos. Idem Opuſc.* 43. *cap.* 6.
Pſ. 73. 22. 23.
Pſal. 61.
Cantic. 3.
Hebr. 11. 2
S. Auguſt Tract. 116 *in Johann*
S. Aug. Tract. 126. *in Johan.*
Rom. 13. 1.
Pſal. 37.
Geneſ. 22. 6
Coloſſ. 2. 4. 5.

„ fidenter, palam triumphans *illos in ſemetipſo*. “ Ut Rex denique ſceptrum gerit quo populum ſuum regat. *Cujus principatus ſuper humerum ejus.*

Iſai. 9. 6. *Et bajulans ſibi crucem exivit*, &c. Crucis pondere Chriſtus Jeſus opprimitur. Non mirum, ſiquidem peccata noſtra cum ipſa cruce portabat. Graviſſimum eſt peccati onus: *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Pſ. 37. 5. Peccatum non adeo grave eſt peccatori qui illud amat. In ejus corde velut in centro eſt: Gravia porro in centro non gravitant (inquiunt Philoſophi). At in Chriſto ſunt peccata noſtra extra centrum, quia peccatum non fecit: quapropter graviſſimum illi eſt crucis onus, in qua peccata noſtra in ſe portat. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.*

18. *Ubi crucifixerunt eum: & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jeſum.* Chriſtum uſque ad crucem ſequi, cum illo cruci configi caritate debemus. *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem crucis, factus pro nobis maledictum*, ut nos a maledicto liberaret: crucifixus eſt in medio latronum, ut nos ad ſocietatem perduceret Angelorum. Humiliemus nos ipſos ad pedes crucis ejus. Felices nos exiſtimemus, ſi Dei cauſa detur nobis aliquid pati. „ Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens „ injuſte. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia „ ejus . . . . Inſpicite vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in ſtatera caritatis appendite ... Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis eſt fixus in cruce. Domine Jeſu, nullus te quærit, nullus te invenit niſi crucifixus. O „ glorioſa crux, radicare in me, ut aſcendam ad te.“

1. Petr. 2. 24. *1. Petr. 2. 19. 20. 21.* *S. Aug. lib. de Sancta Virginit. c. 54. 55.*

25. 26. 27. *Stabat autem juxta crucem Jeſu mater ejus. Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem, & Diſcipulum ſtantem quem diligebat, dixit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo: Ecce mater tua.* Stat juxta crucem Virgo ſanctiſſima, ſuo & Eccleſiæ totius nomine, ut Chriſtum Jeſum in cruce morientem offerat Patri, ſeque ipſam per illum offerat in holocauſtum. Mater Jeſu ſtans juxta crucem præſagiebat ac repræſentabat fidelitatem Eccleſiæ, Martyrum conſtantiam, ſexus etiam infirmioris invictam fortitudinem, quem nec mors ipſa ſeparare poterit a charitate Dei, gratia Jeſu Chriſti roboratum, quæ ex ejus cruce manat. Tunc impletur Simeonis Prophetia: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* „ Pertranſiit ipſius animam vis doloris, ut plus „ quam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimium corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus. Chriſtus corpore moritur in cruce, Maria „ corde commoritur juxta crucem. Facit illud caritas, „ qua majorem nemo habuit: facit & hoc caritas, cui „ poſt illam ſimilis non fuit ... In tabernaculo illo duo „ videres altaria; aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti; Chriſtus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipſa ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatis in cruce „ manibus celebrare cum Filio ſacrificium veſpertinum, „ & cum Domino Jeſu corporali morte redemptionis „ noſtræ conſummare Myſterium: ſed hoc ſolius Summi „ Sacerdotis privilegium erat ut ſanguine munus intra „ Sancta inferret, nec poterat hæc ei conſors cum alio quo eſſe dignitas & in reparatione hominum nulli „ angelo, nulli homini cum eo fuit, aut eſſe potuit „ communis auctoritas. Cooperabatur tamen plurimum, „ ſecundum modum ſuum, ad propitiandum Deum, ille „ Matris affectus: cum tam propria quam Matris vota „ caritas Chriſti perferret ad Patrem: cum quod Mater „ peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, & Filius Patrem: Mater vero poſt utrumque ardebat, unumque erat quod diverſa exhibebant „ officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater ſancta intendebat; quod in commune elaborabat „ dilectio: ſimulque ſe complectebantur pietas & charitas & bonitas: Matre ſupplicante, Filio interpellante, patre propitiante. Filius ad pectus Matris & ubera, Pater ad Filii crucem & vulnera reſpiciebat. “

S. Bernar. *Arnoldus Abbas Bonævallis Tract. de ſeptem verb. Domini.*

Cum vidiſſet Jeſus Matrem, &c. *dixit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.* Fecit quod faciendum monuerat, & exemplo ſuo ſuos inſtruxit Præceptor bonus ut a filiis piis impendatur cura parentibus, *tamquam lignum illud in quo fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.* In S. Johannis perſona electos omnes in filios recipit ſanctiſſima Virgo Maria, teſtamento Jeſu Chriſti in cruce morientis. Illam cum fiducia invocemus, & colamus ut Matrem; ejuſque Filio placere ſtudeamus animæ corporiſque caſtimonia, ut & illi grati ſimus. Hac virtute, necnon & dilectione qua Chriſto crucifixo adhæſit, meruit Johannes munus illud inæſtimabile, ut Matri Jeſu loco filii eſſet, illamque Matrem haberet, quæ Deum peperit: *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Vices Filii naturalis filius accipit adoptivus, & transfunditur in miniſtrum filialis affectus: formaturque & firmatur in ambobus pietatis unicæ gratus concorſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ. Tu igitur, Johannes ſancte, ad hoc eligeris ut miniſtres & obſequaris, „ ea dilectione „ qua filius; ea obedientia qua diſcipulus; ea abjectione „ qua miniſter & famulus. Petro commendatur Eccleſia, „ tibi Maria: illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica & „ quieta: illi atria & veſtibulum, & altaria ſanguinum: tibi commendatur altare incenſi, & Sancta ſanctorum. Ad „ culmen miniſterii tui nullus tecum admittitur: ſolus illi aſſiſtis propitiatorio: ſolus illud vas aureum continens „ manna, illud divinæ legis ſcrinium, Pontifex deſtinatus „ obſervas. “

Arnoldus Bonæval.

Mulier, ecce filius tuus. „ Teſtabatur de cruce Chriſtus, & teſtamentum ejus ſignabat Johannes, dignus „ tanto teſtatore teſtis .... Sed nec Maria minor quam „ matrem Chriſti decebat, fugientibus Diſcipulis ante „ crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis Filii vulnera, „ quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem. Aut fortaſſe quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, putabat ſe & ſua morte „ publico muneri aliquid additurum. „ Sed Jeſus non egebat adjutore ad mundi redemptionem, qui dixit: *Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter, mortuos liber.* Suſcepit quidem Matris affectum, ſed non quæſivit hominis auxilium .... Chriſto patienti cum pia Matre compatiamur, offeramus illi noſmetipſos *Hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem*; per Chriſtianam mortificationem paſſionem ejus in carne noſtra adimpleamus, ut dicere poſſimus cum Apoſtolo: *Gaudeo in paſſionibus, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.*

S. Amb. lib. 10. in Luc. n. 131. 132. *Pſ. 37. 8.* *Coloſſ. 1. 24.*

28. *Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio*, &c. Siti ſua intemperantiam Adami & filiorum ejus Chriſtus expiat. Ejus exemplum ad tolerandam ſitim, jejuniorum ſaltem diebus, nos roboret. Sitim ejus honoremus a potu abſtinendo extra horam refectionis. Carnis terat ſuperbiam, non cibi tantum, ſed potus parcitas. Sitim inordinatam, ſitim vitioſam bonorum & delectationum temporalium qua corda noſtra conſummuntur, reſtinguamus aceto quod ori Salvatoris noſtri oblatum eſt, paſſionis ejus amaritudine.

Sitio. Chriſti *ſitim ſacramentalem* vocat Arnoldus Abbas, *qua non tam deſideratur potus, quam hominum ſalus*. Hanc ſitim David prædixerat his verbis. *Quouſque irruitis in hominem? Interficitis univerſi vos tamquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ? Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti.* „ Retribuebant enim mala pro bonis. Illi interficiebant, „ illi repellebant; ego autem ſitiebam: illi pretium „ meum cogitaverunt repellere; ego eos, in corpus „ meum ſitiebam trajicere. Bibendo enim quid faci„ mus, niſi humorem foris poſitum in membra mitti„ mus, & in corpus noſtrum ducimus? Hoc fecit Moy„ ſes in capite vituli. Caput vituli, magnum ſacra„ mentum. Caput enim vituli, corpus erat impio„ rum, in ſimilitudine vituli manducantis fœnum, ter„ rena quærentium, quia omnis caro fœnum. Iratus „ Moyſes in ignem miſit, comminuit, in aqua ſparſit, „ bibendum populo dedit; & ira Prophetæ adminiſtratio facta eſt Prophetiæ. Corpus enim illud in ignem „ mittitur tribulationum, & verbo Dei comminuitur... „ Et quid jam evidentius, quam quod in corpus illud „ civitatis Jeruſalem, cujus imago erat populus Iſrael, „ per baptiſmum trajiciendi erant homines? Ideo in „ aqua ſparſum eſt, ut in potum daretur. Hoc uſque „ in finem ſitit iſte, currit & ſitit. Multos enim bibit, ſed numquam erit ſine ſiti. Inde eſt enim *Sitio, Mulier, da mihi bibere*. Samaritana mulier ad puteum ſitientem Dominum ſenſit: & a ſitiente ſatiata eſt: *Senſit prior illa ſitientem, ut biberet ille credentem*. Et in cruce poſitus, *Sitio* dixit, quamvis illi non hoc dederint quod ſitiebat. “ *Ipſos enim ſitiebat*: at illi non hoc dederunt quod ſitiebat. *Ipſos enim ſitiebat*: at illi acetum dederunt.

Arnoldus Bonæval. *S. Aug. Enarrat. in Pſ. 61. 3. 4.* *S. Aug. Enarrat. in Pſ. 61.* *Exod. 32. 20.* *Joan. 4. 7.*

Sitio. Cervus ſerpentes necat, & poſt ſerpentium interemptionem majori ſiti inardeſcit, peremptis ſerpentibus ad fontes acrius currit. Chriſtus Jeſus cum antiquo ſerpente diabolo in cruce pugnavit, eumque vicit, debellavit: ideo proximus conſummationi victoriæ dixit; *Sitio*. Sitiamus & nos fontem vivum, Deum noſtrum; ſed ut alacrius curramus ad fontem, ſerpentes necemus. Serpentes vitia tua ſunt: *Conſume ſerpentes iniquitatis, tunc amplius deſiderabis fontem veritatis. Interfice in te quidquid contrarium eſt veritati*: & cum te videris vacare a cupiditatibus perverſis, deſidera fontes aquarum: habet Deus unde te reficiat, & impleat venientem ad ſe poſt interremptionem ſerpentium, tamquam velocem cervum. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus.*

S. Aug. Tract. 119. in Johan. *Pſ. 41.*

30. *Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſum-*

summatum est. Consummata est justitia Dei, quæ majorem & accuratiorem satisfactionem exigere non potuit pro hominum peccatis, quam satisfactionem hominis Dei. Consummata est caritas & misericordia Salvatoris, cujus majus specimen præbere non potuit, quam moriendo pro hominibus peccatoribus, inimicis, ingratis. Consummata
Hebr. 10. est malitia, & crudelitas hominum, qui acerbissimas pœnas, & mortem atrociissimam maximeque contumeliosam Auctori vitæ intulerunt. Consummata sunt vetera omnia sacrificia una *oblatione* qua Christus Pontifex futurorum bonorum *consummavit in sempiternum sanctificatos*. Humilitas, obedientia, patientia Christi Jesu consummatæ sunt. *Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum*. A Christo moriente gratiam bene moriendi humiliter postulemus. Christianæ vitæ, nostrique status officia, Dei Mandatis, & Evangelio obedientes impleamus, & consummemus. Ad spiritum Deo reddendum parati simus. Ne a nobis avellatur vita, sed reddatur Creatori a quo accepimus. Mors Christiani sacrificium est: spontaneum ergo sit & voluntarium. Dominium est, supremo vitæ & mortis Domino exhibitum: cum subjectione fiat & obedientia. Satisfactio est, humilis sit. Restitutio est, amore justitiæ sanctificetur. Cursus nostri consummatio est, omnium officiorum Christianæ vitæ sit consummatio. *Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum*.

S. August. Tract. 120. in Johann. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*. Obstetricante lancea latus Christi mortui apertum est, ut illic vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. *Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hæc & lavacrum præstat & potum*.
Genes. 6. 16 „ Hoc prænuntiabat quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non
„ erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia.
„ Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dor-
Genes. 2. 22 „ mientis, & appellata est vita materque vivorum. Ma-
„ gnum quippe significavit bonum ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux,
„ quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vul-
1. Jo. 5. Arnoldus Abbas Tract. de septem verb. Domini. „ nere isto salubrius? *Tres sunt qui testimonium dant in*
„ *cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres*
„ *unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in ter-*
„ *ra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*.
„ Sufficere nobis non posset ad intellectum veritatis te-
„ stimonium quod de cœlo est, quod sibi ipsi perhibet
„ Trinitas, nisi nobis innotesceret aliquibus signis & aliquibus argumentis fidei veritas. Sunt itaque hæc tria,
„ Spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua
„ purificationis. Non redimit sanguis, nisi quos gratia
„ vocat & lavat: nec nisi ablutos & mortuos peccato
„ Spiritus sanctificat. In commune participant redemptio,
„ & ablutio, & sanctificatio. Alterum sine altero esse
„ non potest: quodque agitur, unum est, non multiplex.
„ Spiritus namque sanctus superfertur Mysteriis, interest
„ Sacramentis, quorum rationem aqua mundans significat, quæ illius rei continet signum, cui & sanguis
„ Christi, & Spiritus Dei præbet effectum. In aqua mundamur, in sanguine informamur . . . . Admitte me,
„ Domine Jesu, in cor tuum, ut inde latices salutis hauriam. " Da ut cum eodem caritatis ardore, cum eodem devotionis affectu sacra Mysteria Corporis & Sanguinis tui ex Altari percipiam, quo manantem ex latere tuo sanguinem sugerem: siquidem firma fide credo bibi in Calice, quod fluxit ex latere.

CAPUT XX.

Sensus Litteralis.

Marc. 16. 2. Luc. 4. 1. 1. 2. UNa autem *Sabbati*, id est, prima die hebdomadis, *Maria Magdalene*, cum aliis piis mulieribus, quibus ad opus pietatis dux erat, *venit mane cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*: sub noctis finem itineri se commisit, cum tenebræ nondum discussæ essent, & ad monumentum pervenerunt cum sol inciperet illucescere: *& vidit lapidem sublatum a monumento*. Saxum magnæ molis, quo specus os clausum fuerat, inde revolutum conspexit. *Cucurrit ergo*, cum comitibus, & primariis Discipulis celeriter nuntiavit quod primum viderat, & quod sibi venerat in mentem, corpus scilicet Domini ablatum fuisse. *Et venit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum, quem amabat Jesus*, ipsum nempe, qui hæc scripsit, Johannem, *& dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento*, an honoris, an contumeliæ majoris causa, incertum: *& nescimus ubi posuerunt eum*. Id Magdalene dictura non videtur, si cum aliis mulieribus jam vidisset Angelos, & de Resurrectione Domini tam clarum tam certum eorum testimonium audivisset.

Nat. Alex. In Evang.

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad monumentum*, rem exploraturi. *Currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro*, utpote ætate junior & velocior, *& venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset*, capite in specum intromisso, utpote qui sepulchrum introspicere non poterat erectus, cum ostium humile, & sepulchrum profundum esset, *vidit posita*, seu jacentia in terra, *linteamina*, quibus corpus Jesu fuerat involutum, velut absentis corporis exuvias: *non tamen introivit*, Petrum expectans. *Venit ergo* paulo post *Simon Petrus sequens eum, &*, omnia diligentius exploraturus, *introivit in monumentum, & vidit linteamina posita*, sive jacentia, *& sudarium quod fuerat super caput ejus*, quo caput ejus obtectum, & facies velata fuerat Judaico sepeliendi more, *non cum linteaminibus*, id est fasciis sepulcralibus, *positum, sed separatim involutum*, seorsim complicatum, *in locum unum*. Quæ linteorum tam accurata collocatio furti suspicionem omnem amovebat. Fures enim festinant, nec agunt aliena a suo instituto. *S. August. Tunc ergo introivit & ille Discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit*, corpus Jesu sublatum esse, quod Maria Magdalene dixerat. *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Nondum sacram Scripturam plane intelligebant. Et quamvis Jesum non semel audivissent se resurrecturum tertia die asserentem, Mysterii tamen sublimitas, & tarditas ingenii, fideique infirmitas obstabant quo minus hoc in animum admitterent. Confer cum *Lucæ* 24. 4. ubi scriptum est de *undecim* Apostolis cum mulieres referentes audivissent se ad monumentum Domini Angelos vidisse, qui eum a mortuis resurrexisse asseruerant, sicut ipse Jesus eis prædixerat: *Et visa sunt ante illos, sicut deliramenta, verba ista, & non crediderunt illis*. Subdit S. Johannes Vers. 10. *Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos*. Petrus & Joannes in domum reversi sunt.

S. August. in Jo. num. 9.

11. 12. *Maria autem* Magdalene, quæ ad monumentum cum Petro & Johanne iterum venerat, aliis etiam piis mulieribus comitantibus, & hac secunda vice Angelos cum illis viderat Christi resurrectionem nuntiantes, illis recedentibus paululum morata, *stabat ad monumentum foris plorans*, extra speluncam scilicet in qua excisum fuerat sepulchrum. *Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis*, albis ac splendidis vestibus indutos, *sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu*: sicut Cherubin ab utraque extremitate arcæ.

Exod. 25. 18. 19.

13. 14. 15. *Dicunt ei illi: Mulier quid ploras?* Absterge lacrymas, nulla tibi mæroris, immo magna lætitiæ ratio est. *Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum*, oculos a monumento ad hortum vertit, ut solent anxii: *& vidit Jesum stantem: & non sciebat quia Jesus est*: Domino plenum ac perfectum ejus contuitum ad tempus impediente, ut & vocis perceptionem. *Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras, quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset*, id est, horti illius colonus, illumque audivisse colloquium quod mox habuerat cum Angelis, *dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum*, quem a me quæri nosti, *dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam:* si hic locus non est corpori Domini mei, indica mihi ubi lateat, & ego alio transferri curabo, ut honeste sepeliatur.

16. 17. *Dicit Jesus: Maria*: ea voce qua facile agnosceretur. *Conversa illa dicit ei: Rabboni* (*quod dicitur Magister*). Cum vero ad pedes Domini provoluta, eos pro more complecti & osculari vellet, *dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Ne in pedum meorum complexu moreris, opportuno tempore id facies: alias me tibi conspiciendum dabo: nondum enim ad cœlum ascendi. *Vade autem ad fratres meos*, ad Discipulos meos, quos ut fratres diligo, *& dic eis*: hæc mea verba illis refer: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; Deum meum & Deum vestrum*. *Vestrum* natura & veritate, *meum* ratione carnis assumptæ. Veteres Patres, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, Leonem Magnum sententiam illam, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, aliter fuisse interpretatos norunt Eruditi: sed eorum interpretationes non ita planæ sunt ac litterales, ut compertum erit legentibus.

S. Chrys. Hom. 85. in Jo. S. Hieron. Epist. ad Hedib. Q. 5. S. Cyr. l. 12. S. Aug. Tract. 121. in Jo. S. Leo serm. 2. de Ascens. & c

18. *Venit Maria Magdalene annuntians Discipulis Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi*. Videtur autem assecuta in itinere pias alias mulieres, quæ cum ipsa venerant ad monumentum, & paulo ante ipsam ex horto exiverant: & dum una cum ipsis pergeret, *Jesus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*. Quod S. Matthæus commemorat.

Matt. 28. 9.

19. 20. *Cum ergo sero esset die illa, una Sabbatorum*, eadem die, ad vesperam, *& fores essent clausæ*, clausis foribus domus *ubi erant Discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit Jesus, &*

ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Clauſis foribus intravit, ut corpus ſuum glorioſum eſſe comprobaret. Ea virtute ad Apoſtolos intravit januis clauſis, qua in mundum intrans clauſo exivit utero Virginis. *Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus*, necnon pedes, in quibus erant cicatricum veſtigia. *Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli, viſo Domino*, ipſummet eſſe in eodem corpore redivivum minime dubitantes. *Luc. 24. 39. 40.*

21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: Sicut miſit me Pater* ad annuntiandum Evangelium, qua legatione ſum perfunctus; *& ego mitto vos*: pari auctoritate vos mitto in mundum univerſum, ad Eccleſiam meo nomine fundandam, colligendam, regendam.

22. 23. *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit*, flatum ſeu anhelitum in eos immiſit, Spiritum ſanctum ſe ipſis interius infundere hoc ſymbolo ſignificans, ſicut in primi hominis creatione Deus inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem: *Et dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*, cum hoc privilegio & auctoritate ut aliis dare poſſitis poteſtate miniſterii ad quod vos inauguro: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quorumcumque peccata remittenda eſſe judicaveritis, verbiſque ipſis remiſeritis, poſt quam eos cognoveritis pœnitentia duci, eis vere ac reipſa remittentur a Deo: & quos a remiſſionis gratia tamquam indignos repuleritis, Dei judicio a venia repellentur. Non nudum miniſterium annuntiandi Evangelii, aut declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed judiciaria poteſtas his verbis a Chriſto collata eſt Apoſtolis, & omnibus Legis novæ Sacerdotibus. Hoc Sacramentalis Confeſſionis fundamentum: ut quicumque remiſſionem peccatorum conſequi volunt, omnia & ſingula peccata mortalia Sacerdotibus aperiant: qui audita peccatorum varietate, & qualitate, ab ipſo reo accuſatore ſui, noverint cui remittenda ſint, cui retinenda, quis ſolvendus, quis ligandus; quis ſatisfactionis, & pœnæ ſalutaris modus pœnitentibus imponendus. „ Sed ajunt *Hæretici* ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; quis eſt ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: Hæreſis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non reſolvit: non vult ſolvere quod ligavit: in quo ſe ſua damnat ſententia. Dominus enim par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit. Ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet... Eccleſiæ utrumque licet, Hæreſi utrumque non licet; jus enim hoc ſolis permiſſum Sacerdotibus eſt. Recte igitur hoc Eccleſia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet; Hæreſis vindicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipſa de ſe pronuntiat, quod cum Sacerdotes non habeat, jus ſibi vindicare non debeat Sacerdotale. Specta etiam illud, quoniam qui Spiritum ſanctum accepit, & ſolvendi peccata poteſtatem & ligandi accepit. Sic enim ſcriptum eſt: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur; & quorum retinueritis, retenta erunt.* Ergo qui ſolvere non poteſt peccatum, non habet Spiritum ſanctum. Munus Spiritus ſancti, eſt officium Sacerdotis, jus autem Spiritus ſancti, in ſolvendis ligandiſque criminibus eſt. Quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & poteſtate?“ *S. Ambr. lib. 1. de Pœnitentia p. 2.*

24. 25. *Thomas autem unus ex duodecim*, unus ex Collegio Apoſtolico, quod primum fuit Duodecimvirum, *qui dicitur Didymus*, id eſt gemellus, *non erat cum eis quando venit Jeſus.* Aberat cum Jeſus Sociis ſe conſpicuum præbuit. Quo caſu abeſſet, fruſtra quæritur. Divina diſpenſatione id contigiſſe, minime dubium. *Dixerunt ergo ei alii Diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*; quidam codices legunt, *fiſſuram*, alii *figuram*, id eſt foramina & veſtigia clavorum, quibus cruci affixus fuit, *& mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus*, lancea poſt mortem perforatum, non credam ipſum reſurrexiſſe: immo deluſos omnium veſtrum oculos putabo & phantaſma pro vero corpore vos accepiſſe. Pertinax certe incredulitas Thomæ, qui nec piis mulieribus, nec Apoſtolis, nec ipſi Chriſto, qui reſurrectionem ſuam non ſemel prædixerat, credidit.

26. 27. *Et poſt dies octo*, primo die ſequentis hebdomadæ, a Reſurrectione Domini octavo; *erant Diſcipuli ejus intus*, in eadem domo Hieroſolymis concluſi & abditi, *& Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſit*, ut ipſa Reſurrectionis die, *& ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ*, ejus incredulitati, quæ ex infirmitate potius quam ex malitia orta erat, mederi volens: *Infer digitum tuum huc*, in loca clavorum. Thomæ verba repetit, ut ſe omniſcium oſtendat. *Et vide manus meas*, tactu explora. *Et affer manum tuam & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Pertinaciam depone. Crede ſaltem ſenſuum tuorum certiſſimo teſtimonio. Senſibus corporis in rei cujuſque evidentia credendum eſt: & miſerabiliter decepti ſunt Philoſophi, qui eis recte diſpoſitis, de propriis objectis debito modo applicatis negabant eſſe credendum. „ Quid agis, Academia procaciſſima? (*inquit Tertullianus*) totum vitæ „ ſtatum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipſius „ Dei providentiam excæcas, qui cunctis operibus ſuis „ intelligendis, incolendis, diſpenſandis, fruendiſque fallaces & mendaces dominos præfecerit ſenſus. An non „ iſtis univerſa eruditio ſubminiſtratur? An non per iſtos „ ſecunda quoque mundo inſtructio acceſſit? Tot artes, „ tot ingenia, tot ſtudia, negotia, officia, commercia, „ remedia, conſilia, ſolatia, victus, cultus, ornatuſque, „ omnia? Totum vitæ ſaporem condierunt, dum per hos „ ſenſus omnium homo animal rationale dignoſcitur, in„ intelligentiæ capax, & ipſius Academiæ . . . Non li„ cet, non licet nobis in dubium ſenſus iſtos devocare, „ ne & in Chriſto de fide eorum deliberetur: ne forte „ dicatur quod falſo Satanam proſpectaret de cælo præ„ cipitatum: aut falſo vocem Patris audierit de ipſo te„ ſtificatam: aut deceptus ſit cum Petri ſocrum tetigit: „ aut alium poſtea unguenti ſenſerit ſpiritum, quod in „ ſepulturam ſuam acceptavit: alium poſtea vini ſapo„ rem, quod in ſanguinis ſui memoriam conſecravit. „ Sic enim & Marcion phantaſma eum maluit crede„ re, totius corporis in illo dedignatus veritatem. At „ quin ne in Apoſtolis quidem ejus ludificata natura „ eſt. Fidelis fuit & viſus & auditus in monte: fide„ lis & guſtus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis „ Galilææ: fidelis & tactus exinde creduli Thomæ. „ Recita Johannis teſtationem: Quod vidimus, inquit, „ quod audivimus, oculis noſtris vidimus & manus no„ ſtræ contrectaverunt, de ſermone vitæ. Falſa utique „ teſtatio, ſi oculorum & aurium & manuum ſenſus na„ tura mentitur.“ *Tertull. lib. de Anima cap. 17.*

28. *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus!* Te Deum ac Dominum meum confiteor, cui me credere & parere juſtum eſt. Thomam his verbis Chriſtum Jeſum Deum non appellaſſe, ſed rem inſolitam & admiratione dignam vulgari exclamatione ſignificaſſe, Sociniani inepte reſpondent, cum Evangelii textus hæc verba ad Jeſum directa expreſſe teſtetur: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Id agnovit Chriſtus fidem ejus commendans, repulſurus utique Thomæ confeſſionem, ſi falſo dictus fuiſſet Deus. Unde S. Hilarius Arianorum hæreſim Thomæ confeſſione refellit hunc in modum: „ Veritatem igitur Evangelici ſacramenti Thomas intelligens, Dominum ſuum, „ & Deum ſuum eſſe confeſſus eſt. Non hic honoris eſt „ nomen, ſed naturæ confeſſio eſt: rebus enim ipſis atque „ virtutibus Deum credidit. Et Dominus profeſſionis hujus religionem non honoris eſſe docuit, ſed fidei, dicens: *Quia vidiſti credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Videns enim Thomas credidit. Sed „ quid credidit, quæris? Et quid aliud credidit quam quod „ profeſſus eſt: *Dominus meus & Deus meus?* Reſurrexiſſe enim per ſe ex mortuis in vitam, niſi Dei natura non potuit: & creditæ religionis fides hoc eſt „ profeſſa, quod Deus eſt. Anne ergo nomen Dei, non „ naturæ res exiſtimabitur, cum profeſſio nominis fidem „ naturæ creditæ ſit ſecuta? Nam utique religioſus Fi„ lius, & qui non voluntatem ſuam, ſed ejus qui ſe miſerat faceret, & qui non honorem ſuum ſed ejus a „ quo venerat quæreret, honorem hujus in ſe nominis „ recuſaſſet; ne quod ipſe unum Deum prædicaverat. Sed „ veræ & apoſtolicæ fidei myſterium confirmans, & naturæ „ in ſe paternæ nomen agnoſcens, beatos eſſe docuit, qui „ cum ſe reſurgentem e mortuis non vidiſſent, Deum tamen „ per reſurrectionis intelligentiam credidiſſent.“ *S. Hilar. lib. 7. de Trinit. p. 925. Edit. Pariſ. PP. Benedict.*

29. *Dixit ei Jeſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vidit hominem Thomas, Deum certiſſime credidit & confeſſus eſt. *Quia vidiſti me*, id eſt tetigiſti. Verbum enim videndi ſenſibus omnibus accommodatur, quia generalis quodammodo ſenſus eſt viſus. Dici etiam poteſt, non auſum fuiſſe Thomam tangere, cum ſe illi tangendum Jeſus offert. Non enim ſcriptum eſt: *Et tetigit Thomas.* Sed ſive aſpiciendo tantum, ſive etiam tangendo viderit & crediderit, illud quod ſequitur, magis Gentium fidem prædicat atque commendat, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Id eſt, beatiores illi, Deoque gratiores. Præteriti temporis uſus eſt verbis, tamquam ille qui quod erat futurum, in ſua noverat prædeſtinatione jam factum. *S. Auguſt. Tract. 121. in Johann.*

30. 31. *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum*, tum ante paſſionem, tum poſt Reſurrectionem, *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, ut minime neceſſaria. *Hæc autem* præcipua & ſele-

& selecta *scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei*, cui uni omnes Veteris Testamenti de Messiæ Prophetiæ conveniunt, & in eo impletæ sunt: verus & naturalis, non adoptivus Dei Filius: *& ut credentes*, fide non qualicumque, sed actuosa, *vitam habeatis in nomine ejus*. Vitam æternam merito sanguinis & mortis ejus, & per ejus misericordiam & gratiam assequamini.

Grotius vir eruditus, sed in suis sæpe conjecturis audacior, arbitratur duos postremos istius capitis Versus conclusionem esse totius Operis, & ibi finiisse Johannem Evangelium suum. Ac sicut caput ultimum Pentateuchi & caput ultimum Josue, post Moysis & Josue mortem additum est a Synedrio Hebræorum, ita & caput quod sequitur post mortem Johannis additum ab Ecclesia Ephesina, hoc maxime fine, ut ostenderetur impletum quod de longævitate ac non violenta morte Johannis Dominus prædixerat. Cetera autem quæ in eo capite narrantur, addita ad demonstrandum tempus, locum & occasionem illius oraculi. Argumento hoc nititur, quod in fine capitis clausula huic similis reperitur: *Scimus quia verum est testimonium ejus*. Quibus verbis, inquit, Ecclesia ostendit se de supra positis a Johanne minime dubitare, nec de his etiam quæ ex privatis ipsius Commentariis erant deprompta: cum alioqui si Johannes hoc scripsisset, dicturus fuisset ut supra cap. 19. 35. *Et ille scit quia vera dicit*.

Verum hæc debilior conjectura est, quam ut illi præbere possimus assensum, cum Ephesina Ecclesia depositum apud se Johannis Evangelium conservare potuerit, ac declarare genuinum esse Johannis Opus; non item illi addere integrum caput, cum Ecclesiæ demandata non sit a Christo auctoritas aliquid addendi libris canonicis seu Veteris seu Novi Testamenti. Minime dubium quin Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteri intellexerint maledictioni obnoxios fore qui ad
Apocal. ult. 18. 19. S. Johannis Evangelium, non minus quam ad ejus Apocalypsim aliquid addidissent. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus Partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta*. Denique antiqui Patres SS. Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, & omnis Ecclesia Catholica 21. caput ab ipso Johanne Apostolo scriptum sentiunt. *Post narrationem rei gestæ* (inquit S. Augustinus) *in qua Thomas discipulus oblatis sibi tangendis in Christi carne vulnerum locis, vidit quod credere nolebat, &*
S. Aug. Tr. 122 *in Jo. n.* 4. *credidit, interponit hæc Evangelista Johannes, & dicit:* „ Multa quidem & alia fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. „ Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine „ ejus. Hoc capitulum velut libri hujus indicat finem: „ sed narratur hic deinde quemadmodum se manifestaverit Dominus ad Mare Tiberiadis, & in captura pi„ scium commendaverit Ecclesiæ sacramentum, qualis „ futura est ultima resurrectione mortuorum. Ad hoc „ itaque commendandum valere arbitror, quod tanquam fi„ nis interpositus est libri, quod esset etiam secutura nar„ rationis quasi procemium, quod ei quodammodo faceret „ eminentiorem locum. " Leve tandem est argumentum quo nititur Grotius; cum tam vere scribere potuerit S. Johannes in plurali numero, *Et scimus quia verum est testimonium ejus*: ac vere dixit Nicodemus: *Rabbi, scimus*
Johann. 3. *quia a Deo venisti Magister*. Hunc loquendi modum Hebræis familiarem esse nemo nescit: immo & ceteris fere linguis, ut plurali pro singulari interdum utantur emphasis gratia. Unde ipse Dominus Nicodemo respondit: *Amen, amen dico tibi, Quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*.

SENSUS MORALIS.

1. UNA *sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum*. Omnia impedimenta vincenda ut Jesum quæramus & inveniamus, Mariæ Magdalenæ exemplum nos docet. Omnia facile vincemus, si Deum diligamus, si ad bona opera impigri simus, & ardentes, non negligentes, non tardi, non tepidi. *Venit mane*. Si caritas in cordibus nostris non tepescat, auxilio gratiæ suæ externa impedimenta Deus removebit. *Et vidit lapidem sublatum a monumento*.

2. 3. *Currit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*. Fidelis Anima, quæ Christum Jesum se amisisse putat, turbatur, dolet, ingemiscit, nihil non agit ut illum reperiat; non lentis & mollibus gradibus ambulat, sed currit ut inveniat dilectum suum. *Cucurrit*, venit ad Pastores qui Petrum simul & Johannem illi exhibeant, auctoritatem & caritatem conjungentes. Impigri porro esse debent Rectores Animarum ut illis subveniat in periculis & anxietatibus, & ad Jesum inveniendum illas adjuvent. Sed currere simul debent Petrus & Johannes. Inseparabiles esse debent in Pastoribus & Rectoribus animarum auctoritas & caritas. *Currebant autem duo simul*. Quo major auctoritas, eo major caritas esse debet in Ecclesiæ Rectoribus. Ut ad Jesum quærendum curramus, diligere illum debemus ut Petrus, ab illo diligi ut Johannes. Diligi nos prius oportet, ut diligamus & curramus. *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui prævenit voluntatem bonam, eamque operatur in nobis, & currendi vires efficacissimas præbet, quæ nullis obicibus impediantur, nullis motibus retardentur, nullis causis suspendantur. *Currebant autem duo simul*.

In Animarum regimine caritas auctoritatem præveniat, illique viam præparet, ne infirmi auctoritate territi, vel ejus pondere oppressi, Jesum non inveniant. *Et ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum*. „ Sit Rector singulis compas- *S. Gregor. M. p.* 2. *Pastor. c.* 5.
„ sione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: „ ut & per pietatis viscera in se infirmitatem cetero„ rum transferat, & per speculationis altitudinem se„ metipsum quoque invisibilia appetendo transcendat: ne „ aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut in„ firmis proximorum congruens appetere alta derelin„ quat. Hinc Apostolus: *Quis infirmatur*, inquit, *&* „ *ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non* *1. Cor.* 11 „ *uxor?* Hinc Jacob vidit scalam cui Dominus innite- *Gen.* 28. „ batur, & Angelos ascendentes ac descendentes: quia „ Prædicatores recti non solum sursum sanctum caput „ Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, „ sed deorsum quoque ad membra illius miserando de„ scendunt. Hinc Moyses crebro Tabernaculum intrat „ & exit: & qui intus in contemplationem rapitur, „ foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana „ considerat, foris onera carnalium portat . . . Veritas „ per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in „ monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: „ imitationis viam bonis Rectoribus sternens; ut etsi „ jam summa contemplando appetunt, necessitatibus ta„ men infirmantium compatiendo misceantur. Tales se„ se qui præsunt exhibeant, quibus subjecti occulta quo„ que sua pandere non erubescant: ut cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant. Hæc S. Gregor. Sic Petrus & Johannes simul currunt ad quærendum Jesum: sed Johannes præcurrit citius Petro.

5. 6. 7. 8. *Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum*, &c. Johannes typus est vitæ contemplativæ, orationi & studio veritatis deditæ. Hanc pia quævis Anima & Deum amans contemplatione assequi potest: verumtamen Ecclesiæ examini & auctoritati Pastorum inspirationes suas, cogitata, visa, propositum omne, vias ad quas se trahi a Deo putat, cum humilitate subjicit, ut ab iis approbentur, ne illusionibus decepta Jesum non inveniat, sed perdat. Petrus typus est vitæ activæ, & auctoritatis Pastorum, ad quos pertinet ingredi in sanctuarium veritatum fidei, quæ velut linteamina sunt in Scripturis sacris & Traditione involuta & complicata. De fidei controversiis judicare, Scripturarum Mysteria evolvere & explicare fidelium dilectioni, pertinet ad Petrum & illius Successores, & Episcopos universos, quorum personam gerebat. *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita... Tunc ergo introivit & ille Discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit*. Pastorum judicium prævenire in rebus religionis, & quæstionibus fidei nondum ab Ecclesia definitis, cui scientia Scripturarum, & auctoritas illas explicandi concredita est, admodum periculosum est; caracter est aut zeli imprudentis, aut superbæ ignorantiæ. *Nondum enim sciebant Scripturam*.

11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum*, &c. Fidelis anima stare debet *ad monumentum* exemplo Mariæ Magdale- *Coloss.* 3. 3. læ, Christo Jesu commori, & consepeliri. *Mortui enim* *2. Tim.* 2. *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in* *11. Rom.* 6. *Deo . . . . . Fidelis sermo: nam si commortui sumus,* 4. *& seq. & convivemus . . . . . Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato*. 2. Fidelis anima *foris*, extra mundum, stare debet, non jacere; a negotiorum sæcularium tumultu, a carnalium hominum societate secedere ut Jesum quærat. *Maria stabat ad monumentum foris*. 3. Fidelis anima profundere debet lacrymas ex amore pœnitente manantes, vel ex dolore de absentia Sponsi cœlestis. *Plorans*. 4. Lachrymas illius comitari debent humilitas, inclinatio cordis, inquisitio Christi Domini. *Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum*. 5. Cum fervore, pia sollicitudine, & perseverantia quærendus est Jesus exemplo Magdalenæ. Monumentum

vacuum jam viderat, jam ſublatum Dominum nuntiaverat; quid eſt quod ſe iterum inclinat, iterum videre deſiderat? Sed amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit: quia *Vis amoris intenſionem multiplicat inquiſitionis*. „ Quæſivit er. *S. Gregor. M. Hom. 25 in Evang. Cantic. 3.* „ go prius, & minime invenit: perſeveravit ut quæreret, „ unde & contigit ut inveniret: actumque eſt ut deſide- „ ria dilata creſcerent, & creſcentia caperent quod in- „ veniſſent. *Hinc Sponſa in Canticis ait*: In lectulo meo „ per noctes quæſivi quem diligit anima mea: quæſivi il- „ lum, & non inveni. Invenerunt me vigiles qui cuſto- „ diunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidi- „ ſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem „ diligit anima mea. " Cœleſtis Sponſus prius non inveniendus quæritur, ut poſt inventus ſtrictius teneatur. Sancta enim deſideria ut diximus, dilatione creſcunt. Si autem dilatione deficiunt, deſideria non fuerunt. 6. Omnes fidelis animæ cogitationes & affectiones defixæ eſſe debent in Deo & Salvatore noſtro Chriſto Jeſu, exemplo Magdalenæ quam nec Angelorum viſio & conſolatio detinet quo minus cogitet de Jeſu, & illum quærat. *Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, &c.* & ſibi fingit eum, quem putat hortulanum, in corde ejus legere nomen ejus quem quærit & diligit. Adeo amore ſuo occupata eſt. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum*. 7. Animæ fidelis amor generoſus nullis difficultatibus terretur, cum pietatis opus agreſſa eſt. Omnia enim poſſibilia ſunt amanti. Ubi amatur, aut non laboratur, aut ipſe labor amatur. Omnia vincit amor. *Et ego eum tollam*.

Fideles animas illum ſincere, fideliter, humiliter, perſeveranter quærentes, ob illius abſentiam gementes variis modis Chriſtus Jeſus conſolatur. 1. Per Miniſtros ſuos, per ſanctos Sacerdotes & Paſtores, qui Angelorum miniſterium obeunt, ſedentes ad tumulum Jeſu. *Et vidit duos Angelos in albis, ſedentes . . . Dicunt ei, Mulier quid ploras?* 2. Illas conſolatur præſentia ſua, quamvis non manifeſta, nec ſenſibili, ſeu ſub propria ſpecie, ſed ſub aliena, in Sacramento Euchariſtiæ. *Vidit Jeſum ſtantem, & non ſciebat quia Jeſus eſt*. Neſcit anima Jeſum eſſe, ſi ſenſus, rationemque interroget. 3. Illas conſolatur verbo ſuo. *Mulier quid ploras? Quem quæris?* Vocat eas nomine ſuo, familiariter cum ipſis colloquitur. *Dicit ei Jeſus: Maria*. 4. Illas conſolatur interioribus illuſtrationibus, & ſpiritalibus deliciis, quarum guſtu agnoſcentes illum in corde ſuo præſentem, illum unum audire ſibi proponunt ut magiſtrum, illi uni ut ſponſo adhærere, illi uni ut domino famulari. *Converſa illa dicit ei: Rabboni* (*quod dicitur Magiſter*.) 5. Fideles animas conſolatur Jeſus ſuorum ſublimitatem Myſteriorum in meditatione & contemplatione illis aperiendo, tanta interdum luminis & gratiæ ubertate ut aliis etiam ea nuntiare, & exponere valeant. *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum*. 6. Fideles animas conſolatur Jeſus ſpe caſtorum amplexuum, quibus non in terris quidem, ſed in cœlo conglutinabuntur Dilecto ſuo. Id ſignificavit Mariæ Magdalenæ dicens: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: id eſt, ut explicat *S. Leo ſer 72. de Aſcenſ. Dom. 2.* Sanctus Leo: *Nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me ſenſu carnis agnoſcas. Ad ſublimiora te differo, majora tibi præparo; cum ad Patrem aſcendero, tunc me perfectius veriuſque palpabis, apprehenſura quod non tangis, & creditura quod non cernis*.

19. *Cum ergo ſero eſſet die illo, una Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis*. Chriſti deſideria efficacia, verba operatoria ſunt. Pacem cum adprecatur, largitur. *Pax vobis*. Pax Deum inter & homines ſanguine ejus & morte ſancita: reconciliatio hominum cum Deo ejus reſurrectione conſummata eſt. Hæc Myſterii utriuſque gratia, quam Eccleſiæ ſuæ in domo una congregatæ annuntiat. *Pax vobis*. Infirmos adhuc & nutantes Diſcipulorum animos contra mundi terrores pacis ſuæ pignore confirmat & corroborat. *Pax vobis*. Deo per Chriſtum Jeſum Mediatorem noſtrum reconciliati, pacem cum divina ejus Majeſtate ſervemus. „ Nunc autem in Chri- *Epheſ. 2.* „ ſto Jeſu, vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis „ prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, „ qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ „ ſolvens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum „ decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in „ unum novum hominem, faciens pacem, & reconci- „ liet ambos in uno corpore Deo per crucem, interfi- „ ciens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens evangeli- „ zavit vobis pacem, qui longe fuiſtis & pacem iis qui „ prope. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo „ in uno Spiritu ad Patrem . . . . . Juſtificati ergo ex „ fide pacem habeamus ad Deum per Dominum no- „ ſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & acceſſum habe- „ mus per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & „ gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Pacem in no- „ bismetipſis habeamus, Dei legem diligentes & obſer- „ vantes. " *Pax multa diligentibus legem tuam*. Pax *Pſal. 118.* enim non eſt impiis quorum cor quaſi mare ſervens. Pax contra omni operanti bonum; pax enim juſtitiæ comes eſt, fructus Spiritus ſancti. Pacem denique cum omnibus habere & conſervare ſtudeamus. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. *Rom. 12. 18.* Sic Deus erit nobiſcum; quia non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Pax divinum plane bonum. Non tamen pax omnis amanda & complectenda eſt. Quædam enim diſſenſio optima, & quædam perniciosiſſima concordia. Illa dumtaxat bona & optanda eſt, quæ propter bonum initur, ac Deo nos conjungit: ſic pacem cum hominibus ſervare debemus, ut erroribus & vitiis inimici ſemper ſimus. Concordia in malo pax non eſt: ſic latrones & ſicarii concordes ſunt. Nulla vera pax niſi apud illos, quos gratia & caritas Dei habitare facit unius moris in domo, quorum in medio ſtat Jeſus, & ait: *Pax vobis*.

20. *Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus*. Suſcepta a Chriſto Jeſu vulnera pacem nobis pepererunt: oſtenſa vulnera ad pacem nos hortantur. Vulnera pro nobis ſuſcepta cœlo inferre maluit, abolere noluit, *Ut Deo patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet*. *S. Ambroſ. in Luc. Hebr. 3. 12. 24.* Clamant pro nobis non vindictam, ut ſanguis Abel contra fratricidam; ſed miſericordiam & gratiam. *Acceſſiſtis ad Teſtamenti Novi Mediatorem Jeſum & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel*. Gratias agamus Salvatori, qui vulnera noſtri cauſa ſuſcepit, ſervavit, oſtendit. Amori noſtro crucifixo mutuum amorem rependamus. Manus ejus, pedes, ac latus inſpiciamus in omnibus anguſtiis & rebus adverſis; ut pacem, tranquillitatem, & lætitiam interiorem ex ſacris illis ſalutis noſtræ fontibus hauriamus. *Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino*.

21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Paſtores & Prædicatores Evangelici ob eundem finem, & iiſdem conditionibus a Chriſto mittuntur, quibus Chriſtus miſſus eſt a Patre, ut deſtruant errorem, doceant ac prædicent conſtanti animo veritatem, mundi corruptioni ſe totis viribus opponant, regnum Dei ſtabiliant, nutriant caritatem, vitæ ſanctimonia omnibus præluceant, ad mundi odia perferenda, & perſecutiones pro veritate & juſtitia ſuſtinendas parati ſint; nullis parcant laboribus pro gloria Dei, pro Eccleſiæ utilitatibus, pro ſalute animarum; gloriam ſuam non quærant, nec privata commoda, ſed quæ Jeſu Chriſti; ſe in omnibus exhibentes ut fideles Dei miniſtros, & ad mortem uſque certantes; in caritate, patientia, humilitate, manſuetudine collaborantes ad deſtructionem corporis peccati, ad ædificationem corporis Chriſti. *Sicut miſit me Pater; & ego mitto vos*.

22. *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit; & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*. Chriſtus Jeſus, unum cum Patre Spiritus ſancti principium, eadem omnipotentia qua homini animam rationalem dedit, *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem*, *Geneſ. 2. 7* nunc inſpirat Chriſtianis Spiritum ſanctum, velut alteram animam, & novæ ſpiritaliſque vitæ principium. Ne te vivere putes, o Chriſtiane, niſi Spiritum ſanctum habeas. Formam habes hominis, ſed non habes vitam. Porro niſi Spiritu intus vegeteris, fruſtra de forma gloriaris. Unde autem cognoſcetur te Spiritum ſanctum habere? Ex fructibus. *Fructus Spiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas . . . Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus*. *Gal. 5. 22. 23. 25.*

23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt*. 1. Peccatorum remiſſionem ſola a Deo elicere poteſt cordis vera converſio. 2. Non alibi quam in ſolo gremio Catholicæ Eccleſiæ dimitti poſſunt peccata converſis. 3. In præſenti tantum ſæculo remiſſio omnium peccatorum converſis concedi poteſt. Tres hæ fidei veritates ſunt . . . . Miniſtri ergo Pœnitentiæ probare debent ex pœnitentiæ fructibus an vera ſit & ſincera peccatorum converſio, ut niſi vere contritis & converſis peccata non remittant: alioquin eorum judicium a Deo, cujus Miniſtri ſunt, ratum in cœlis non habetur: & illi ut ſuo abuſi miniſterio, & ut infideles bonorum Domini diſpenſatores, graviſſimas pœnas dabunt. *Theſauro* enim *ſuo invigilat Deus, nec ſinit obrepere indignos*. Qui igitur in peccata mortalia lapſi fuerint, & per confeſſionem ac pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, ſed adhuc in vetuſtate perdurant „ non ſe a nobis reconciliari poſ- „ ſe exiſtiment, niſi prius veterem hominem cum ſuis „ actibus exſpolient, & novum induant, & ipſi in „ eodem novo homine (id eſt in Chriſto Jeſu) no- *S. Eligius Hom. 4.* „ va creatura, (id eſt novi homines) per pœniten- „ tiam fiant, ſicut dudum per baptiſmum facti fue- „ rant, ut hoc Apoſtoli dictum merito illis conveniat: „ *Vetera tranſierunt, facta ſunt omnia nova*. Si igitur „ condignam Deo pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, *S. Fulgentius lib. 2. de Remiſſ. peccat. c. 5. & 6. Tertull.*

„ & ſi

„ & si adhuc eadem admittere non vultis; sed cum Dei „ gratia & adjutorio in omni bonitate, & justitia & ve„ ritate perseverare desideratis; tunc scire potestis: quod „ noxia vetustate exuti, nova creatura facti estis, & „ vere cum Deo reconciliamini per Christum, & per „ nos, quibus dedit ministerium reconciliationis. " Frustra igitur daretur a Sacerdote absolutio, si peccator necdum factus esset nova Creatura. Colligitur autem ex pœnitentia morumque immutatione an factus sit nova creatura; & an illum Sacerdos ad Sacramentorum participationem per januam reconciliationis possit admittere. Nam si mortalium peccatorum reus in Confessione emendationem eorum sæpe spoponderit, & fidem sæpe fefellerit, vix prudenter colligi potest ipsum mutatum esse in novam creaturam, eumque talem esse de quo vere dicatur: *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*, nisi ex prævia morum & vitæ emendatione fecerit fidem se a Deo factum esse novam creaturam. Omnes igitur peccata confessos solvere pro arbitrio non debent Sacerdotes Pœnitentiæ administrationi præfecti; sed aliquos pro meritis culparum ligare debent, & a Sacramento-
S. Gregor. M. rum participatione arcere. „ Videndum est quæ culpa „ præcesserit, & quæ sit pœnitentia secuta post cul„ pam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gra„ tiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc „ enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbi„ trium sequitur Judicis. "

26. 27. 28. „ Et post dies octo, iterum erant Disci„ puli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus ja„ nuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. „ Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & „ vide manus meas, & infer manum tuam, & mitte in „ latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. " Thomæ incredulitatem permisit Christus, ut Ecclesiæ fidem confirmaret, ut gratiæ suæ virtutem ostenderet. Poterat certe Christus Thomæ infidelitatem omnipotentia sua impedire; sed eam permittere maluit, ut majus ex ea bonum eliceret, nempe majorem ipsius Apostoli fidem & humilitatem, majorem gratiæ suæ gloriam ac laudem: infidelium conversionem, credentium in fide confirmationem. „ Egit miro modo superna clementia, *S. Gregor. M. Hom. 26. in Evang.* „ ut Discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vul„ nera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infide„ litatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, „ quam fides credentium Discipulorum profuit: quia dum „ ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni „ dubitatione postposita in fide solidatur. Sic quippe „ Discipulorum Dominus post resurrectionem suam dubi„ tare permisit, sicut ante nativitatem suam habere Ma„ riam Sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non „ pervenit. Nam ita factus est Discipulus dubitans & „ palpans testis veræ resurrectionis, sicut Sponsus Ma„ tris fuerat custos integerrimæ virginitatis. " O admirabilem Christi Jesu erga Thomam bonitatem & amorem! Tenebræ erant super faciem abyssi, & dixit Deus, Fiat lux. Propter ovem unam errantem venit iterum ad Discipulos bonus Pastor. Clausa janua cordis ejus per ejus infidelitatem, stat in medio, fidei lucem, pacem largitur, qua frui non poterat infidelis manens. *Stetit in medio, & dixit: Pax vobis.* Propter unum Apostolum venit, eumque infidelem, pervicacem, Condiscipulorum suorum testimonio, immo Magistri ac Domini sui prædictioni ac promissis credere renuentem: propter illum iterat miraculum quod octo ab hinc diebus ediderat. Caritas Domini fortior est incredulitate Discipuli. Dixerat Thomas: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in loca clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ejus infirmitati cœlestis Medicus condescendit. Age, experire quod credere non vis. Mitte digitum & manum in vulnera quæ tui causa servavi, ut incredulitati tuæ mederer. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis* . . . .

Quæ fuit Christi Jesu erga Thomam misericordia & caritas, eadem erga te est, Christiane frater. Propter te unum fecit, quod propter plurimos. Quoties ad te venit, lumine gratiæ suæ mentem tuam illustravit, cor tetigit, fidem tuam excitavit, pacem tibi obtulit, quam dare mundus non potest; qua nemo fruitur quandiu peccatum ipsi dominatur. *Stetit in medio, & dixit: Pax vobis.* Tu vero mundo addictus, peccato irretitus, sensuum voluptatibus inescatus, divinæ gratiæ inspirationibus restitisti; servorum Dei testimonio credere noluisti, dicentium, *Vidimus Dominum*, experti sumus jugum ejus suave esse & onus leve: Christi servitus, & mandatorum ejus observantia; vita secundum Evangelii regulas instituta, longe suavior est vita hominum mundi moribus & cupiditatibus suis servientium. Dixisti ut Thomas, *Non credam.* Ecce *iterum* venit ad te Jesus, infirmitati tuæ condescendit, tibi pacem affert, vulnera ostendit pro te suscepta & conservata; incredulitatem, imbecillitatem fidei tibi amanter exprobrat: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Cum Thoma respondet: *Dominus meus, & Deus meus.* Fides tua humilis sit, prompta, ardens, perfecta. Cor sursum erige, fidem Deo, obedientiam exhibe Domino. *Dominus meus, & Deus meus.*

29. *Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hæc nostra felicitas est, qui Christum in carne non vidimus, & tamen Evangelio credidimus. O nos beatos! si tamen fidem nostram operibus demonstremus. Ille etenim vere credit, qui exercet operibus quod credit. Contra de his qui fidem nomine tenus retinent Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ad beatum Job de antiquo humani generis hoste Dominus dicit: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* „ Quis etenim per fluvium designatur, nisi humani generis „ fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit & „ quasi aquę more usque ad competentem terminum decur„ rit? *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, „ quæ non revertuntur.* Quid per Jordanem nisi baptizato„ rum forma signatur? Quia enim in Jordanis flumine ipse „ Auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, recte „ Jordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui intra „ Sacramentum baptismatis continentur. Antiquus ergo „ hostis generis humani fluvium absorbuit, quia a mundi „ origine usque ad Redemptoris adventum, vix paucis „ electis evadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus hu„ manum traxit. De quo recte dicitur: *Absorbebit fluvi„ um, & non mirabitur*: quia pro magno non habet cum „ infideles rapit. Sed grave est quod subditur: *Et habet fi„ duciam quod influat Jordanis in os ejus.* Quia postquam in„ fideles quosque a mundi origine rapuit, adhuc se posse „ decipere etiam fideles præsumit. Nam ore pestiferæ per„ suasionis eos quotidie devorat, in quibus a confessione fidei „ reproba vita discordat. Hæc pertimescite, hæc solli„ cita mente cogitate. Paschalia festa peregimus, sed ita „ vivendum nobis est ut pervenire ad æterna Festa merea„ mur. Transeunt cuncta quæ temporaliter festiva cele„ brantur. Curate qui his solemnitatibus interestis, ne ab „ æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse „ festis hominum, si deesse contingat festis Angelorum? „ Umbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens. " Idcirco hanc annue agimus, ut ad eam quæ non est annua, sed continua perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Ad magnam illam Resurrectionis Octavam suspiremus, quæ in cœlo per totam æternitatem celebrabitur, in qua Christus Jesus fidei nostræ consummator, Discipulis suis se manifestabit in gloria, illosque æterna pace donabit. Ibi solum negotium laus Dei erit, tota actio Halleluja. Hic fatigamur canendo Halleluja. Odor nos quidam divinę laudis, & illius quietis attingit, sed *S. Aug. ser. 252. alias de Diversis* ex majore parte mortalitas premit. Onerosa nobis est laus Dei propter molem corporis nostri. Plenitudo sine cessatione in *cap. 9.* Halleluja post hoc sæculum, & post laborem erit. Dicamus ergo quantum possumus, ut semper dicere mereamur. „ Ibi ci„ bus noster Halleluja, potus Halleluja, actio quietis Hal„ leluja, totum gaudium erit Halleluja, id est, laus Dei. „ Quis enim laudat aliquid sine defectu, nisi qui fruitur sine „ fastidio? Quantum ergo erit robur in mente, quanta im„ mortalitas & firmitas in corpore, ut neque mentis deficiat „ intentio in contemplatione Dei, neque membra succum„ bant in continuatione laudis Dei? . . . Tunc erit Halle„ luja in re: modo autem in spe. Spes cantat, amor *Idem ser. 255.* „ cantat modo, amor cantabit & tunc: *Sed modo can„ tat amor esuriens, tunc cantabit amor fruens.* Halle„ luja. Laudemus Dominum vita & lingua, corde & „ ore, vocibus & moribus. Sic enim sibi dici vult Deus „ Halleluja, ut non sit in laudante discordia. Concor„ dent ergo prius in nobis ipsis lingua cum vita, os cum „ conscientia. Concordent voces cum moribus; ne forte „ bonæ voces testimonium dicant contra malos mores. „ O felix Halleluja in cœlo, ubi templum Dei Angeli „ sunt! Ibi enim concordia summa laudantium, ubi est *Idem ser.* „ exultatio secura cantantium: ubi nulla lex in membris *256.* „ repugnans legi mentis; ubi non est rixa cupiditatis, „ in qua periclitetur victoria charitatis. " Hæc beatitudo illis a Christo parata, *qui non viderunt & crediderunt*, ac in fide per dilectionem operante perseverarunt.

CAPUT XXI.

Sensus Litteralis.

1. 2. 3. *Postea manifestavit se iterum Jesus Discipulis ad Mare Tiberiadis: manifestavit autem sic.* Postquam Christus Thomæ totique Apostolorum collegio se conspicuum præbuit, se rursus manifestavit Discipulis ad Mare Tiberiadis, in Galilæa, quo venturum se dixerat. Manifestavit autem se hoc modo. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui* Matth. 28. *erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex Di-* 7. *scipulis ejus duo*: quorum nomina frustra quærerentur, cum ea siluerit S. Evangelista. *Dicit eis Simon Petrus:*

Vado

Vado piscari. Volo ire piscatum. *Dicunt ei: Venimus & nos tecum*. Et nos itineris tui & laboris socii esse volumus. Innocentem artem, ad victum, qui aliunde non suppetebat, comparandum exercuerunt, ne cui graves essent, aut in otio degentes eleemosynis ad pauperum invalidorum sustentationem præcipue erogandis alerentur. *Et exierunt* ex hospitio, *& ascenderunt in navim*, ibi relictam: *& illa nocte nihil prendiderunt*. Dei providentia factum est, ut hac nocte nihil caperent, quamvis nox tempus sit opportunum piscationi.

4. 5. 6. *Mane autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt* statim *Discipuli quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus*, blande ac familiariter eos compellans: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Aliquid-ne obsonii habetis, ex piscatione vestra? *Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis*. Cum a piscatione reverterentur, & prope littus essent, ubi minor erat spes inveniendi, uno retis jactu tot pisces illos capturos spondet, quanti sufficerent, si ad navigii dexteram rere jaciant. Qua admonitione se omniscium esse significat. *Miserunt ergo* rete, jussui Domini obedientes; *& jam non valebant illud retrahere præ multitudine piscium*, quibus onustum erat.

7. *Dixit ergo Discipulus ille quem diligebat Jesus*, Petro: *Dominus est*. Illum nempe ex miraculo primus omnium agnoverat, ipso Domino intus illuminante & admonente. *Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se* (*erat enim nudus*) *& misit se in Mare*, ut citius ad Jesum perveniret. Erat autem tunica vestis superior, quæ stola dicitur, sive toga. Hanc induit Petrus, ut honestiori & modestiori habitu se Christo sisteret: sed illam constrinxit, ne impedimento esset natando. Quod ergo hic de Petro ait Evangelista (*erat enim nudus*) non sic intelligendum est quasi nudus omnino esset in navi cum sociis, sed quod superiorem vestem abjecisset ut commodius piscaretur. Hebræis enim nudum dici, qui toga exutus, interula solum indutus est, ex parallelis Scripturæ sacræ locis constat. Ita Saul nudus prophetasse, David nudus saltasse, Isaias nudus ambulasse dicitur. Sic in libro Job dicitur: *Nudos spoliasti vestibus*.

1. *Reg.* 19. 24. 2. *Reg.* 6. 20. *Isai.* 20. 2. *Job.* 22. 6.

8. 9. *Alii autem Discipuli navigio venerunt* (*non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis*) *trahentes rete piscium*, id est, piscibus plenum, cujus tantum pondus erat, ut non posset e mari sustolli in navim . . . . . Proprios mores referunt Petrus & Johannes: ille ferventior, hic altior erat: ille vehementior, hic perspicacior: ideo Johannes prior agnovit Jesum; Petrus prior ad eum properavit, præ amore & desiderio Dominicæ præsentiæ moram navigii non sustinens. *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem*, novo miraculo Domini Jesu omnipotentiam confirmante. An vero ex nihilo an ex subjecta materia hæc produxerit, incertum.

S. Jo. Chrysost. Hom. 86. in Jo.

10. 11. *Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc*. Ut ex magnitudine miraculi virtutem ejus magis cognoscerent. *Ascendit Simon Petrus*, in navim, ut totius piscationis præfectus, *& traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*. A Petro & sociis id factum, sed ipse solus ut ceterorum dux nominatur. *Et cum tanti essent*, tot numero, tanti mole, *non est scissum rete*, quod tertium miraculum fuit.

12. 13. 14. *Dicit eis Jesus: Venite, prandete*. Nocturno piscationis labore defatigati estis, tempus est ut reficiamini. Simul autem cum ipsis cibum sumpsisse Jesum intelligendum est, ut redivivi corporis sui veritatem confirmaret. *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? Scientes quia Dominus est*. Quamquam conspectus erat olim viso augustior, nemo tamen ausus est eum interrogare quis esset: adeo evidens illis erat esse Dominum Jesum. *Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter*: unicuique distribuens ut pater-familias. *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus Discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis*. Primum apparuit diversis ipso Resurrectionis die, iterum die octavo, Thomæ & ceteris Discipulis una congregatis; nunc tertium.

Act. 1. 4. *&* 10. 41.

15. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Johannis* fili, *diligis me plus his?* Condiscipulis tuis præsentibus, ut olim fidenter professus es, & tu projectione tua in mare ut ad me citius pervenires significasti? *Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te*. Non addit plus his. Lapsus eum modestiorem fecerat. Sufficit ei testimonium perhibere cordi suo, noluit esse judex cordis alieni. *Dicit ei*, JESUS, *Pasce agnos meos*. Fideles suos agnos & oves promiscue vocat. Pasce, id est, rege ut Pastor. *Pasce*, id est, ipsis, non tibi consule; *Pasce agnos meos*, non tuos. Quam vocum vim se optime intellexisse Petrus demonstrat. „ Pascite qui in vobis est gregem „ Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed „ voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed „ forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit „ Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem glo- „ riæ coronam. “

Matth. 26. 33. *S. Aug. ser.* 147. *alias* 24. *de Sanctis.* 1. *Petri* 5. 2. 3 4.

16. 17. *Dicit ei iterum Jesus: Simon Johannis, diligis me? Ait illi: etiam, Domine, tu scis quia amo te*. Corda enim omnium nosti, & quo te prosequor amorem edisti. *Dicit ei*, JESUS; *Pasce agnos meos*. Doce ac rege fideles meos ex utroque populo, Judaico & Gentili. *Dicit ei tertio: Simon Johannis, amas me?* Ter interrogat, ut amoris trina professione trinam expiet negationem. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me?* Timebat scilicet ne Jesus, cui notior erat quam sibi ipsi, nosset aliquem in ipso amoris defectum, aut ipsum non perseveraturum in charitate prævideret. *Et dixit ei* Petrus: *Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te*. Quod amem te, & scis, & testimonium præbes. In dilectione autem an permansurus sim, clarius ipse nosti: nihil enim ego de futuris dixerim, neque de iis quæ non novi, decertabo: ipsa doctus sum experientia non contradicere Domino. Tu vero fons veritatis, tu abyssus intelligentiæ; tuis insistere statutis edoctus sum, in te quidem confidere, verumtamen non altum sapere, sed timere. *Dixit ei* JESUS: *Pasce oves meas*. Agnos & oves, filios & patres, plebes & Pastores, sive Episcopos in tota Ecclesia, per mundum universum diffundenda, Petri regimini committit. Hoc fundamento nititur Petri & Successorum ejus in Sede Apostolica primatus divino jure institutus. *Pasce oves meas*. Cui non planum non designasse aliquas, se assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Sunt quidem & alii cœli janitores, & gregum Pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. *Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor*.

S. Chrys. H. 81. in Jo. B. Theodor. serm. de Charitate Tom. 4. pag. 688.

S. Bern. lib. 2. de Consider. cap. 8

18. 19. *Amen, amen dico tibi, Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas* expeditus ac liber, ut modo tunicam indutus & præcinctus ex navi in Mare te misisti, ut ad me citius venires, & iterum in navim ascendisti, ut rete piscibus plenum traheres. *Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis*. Cogeris extendere manus tuas vinculis ab alio constringendas, & clavis configendas in cruce: duceris ad mortem, repugnante naturali voluntate. His verbis igitur Petrum in charitate perseveraturum, & Martyrium crucis Dei causa perpessurum, Christus prædicens, veram esse Petri responsionem, trinam amoris professionem ab illo editam, confirmat. *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Quo genere mortis Deum glorificaturus esset. *Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me*. Et hoc tibi signum quod me sequeris in cruce.

20. 21. 22. *Conversus Petrus*, id est retro respiciens, *vidit illum Discipulum quem diligebat Jesus, sequentem*, scilicet Johannem ipsum, *qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?* Tanti favores Johanni a Christo exhibiti hoc loco repetuntur, qui Petro in animum tunc venerunt ut crederet hunc in diligendo Christo sibi non esse imparem. Quare, cum ipse post trinam amoris professionem accepisset prædictionem ferendæ mortis ad Domini exemplum, curiositate quadam humani ingenii, & dilecto Discipulo rem gratam se facturum arbitratus, interrogat quid de ipso sit futurum. *Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid?* Quem exitum habebit? *Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*. Legendum, *Si eum volo manere*, constat ex Græco Textu, Syriaca Versione, & melioris notæ Codicibus Latinis. Sensus est, *Si eum volo manere*, in vita, *donec veniam* hora quam decrevi, illum placida morte ad æternam beatitudinem evocaturus, *Quid ad te? Tu me sequere*. Tuum non est alienis te ingerere negotiis, aut abdita scrutari; sed me compellantem sequi.

S. Chrys. H. 87. S. Cyril. lib. 12. in Jo p. 1121. 1122. *S. Hier. lib. 1. contr. Jovin. cap. 14. Polycrat. apud Euseb. lib. 3. cap. 31. S. Irenæus apud eumdem lib. 3. cap. 23. Orig. apud eumd. l. 3. c. 1. Dionys. Alex. apud eumdem lib. 7. cap. 25. Tertull. lib. de Anima cap. 50. Hypol. lib. de Antich.*

23. *Exiit ergo sermo inter fratres*, rumor inter Discipulos permanavit, *Quia Discipulus ille non moritur*, Johannem moriturum non esse. *Et non dixit Jesus, Non moritur*. Sensum verborum Christi non fuerant assecuti, non quod essent ambigua, sed quod non satis attenderent, aut tardioris adhuc intellectus essent. Non dixerat quippe Jesus Johannem mortem non subiturum; *Sed, Sic eum volo manere*, si eum volo superstitem esse, *donec veniam, quid ad te?* Quid tua refert? Mortuum esse S. Joannem Evangelistam, certissime probant testimonia Polycratis Ephesini Episcopi, qui discipulos ipsius viderat, S. Irenæi Episcopi & martyris, Tertulliani, Sancti Hyppoliti, Origenis, Dionysii Alexandrini, S. Johannis Chrysostomi, S. Augustini, Celestini I. & toti-

& totius Concilii Epheſini Oecumenici. S. Joannis immortalitati faviſſe videri poſſit S. Ambroſius in Pſalmum 45. ubi hæc leguntur: *Antichriſtus ex abyſſo aſcendit, ut adverſus Eliam, atque Enoch, atque Johannem, qui propter teſtimonium Domini Jeſu terris ſunt redditi, præliaretur, ut legimus in Johannis Apocalypſi.* Verum nomen Johannis hoc loco ab omnibus Manuſcriptis abeſſe, uno excepto, ſolos Eliam & Enoch memorari, monent eruditi S. Ambroſii Editores & Illuſtratores, Aſcetæ Benedictini Congregationis S. Mauri.

Hieron. de VirisIlluſt. c.9. S.Chryſ Hom. 26. in Epiſt. ad Hebr. S. Aug. Tract. 124. in Jo. S.Cyr.Alex. H. in Transf. ChriſtiT.5. S. Cyrillus S. Auguſt. Tract. 124. in Jo. S. Auſt

24. *Hic eſt Diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his*, quæ vidit, & audivit, nihil de ſuo dicens, *& ſcripſit hæc*, tum paulo ante narrata, cum toto libro: *& verum eſt teſtimonium ejus*, firmum, irrefragabile, ut teſtis ocularis, & ab ipſa Veritate, cujus Diſcipulus eſt, edocti.

25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus*, miracula, *quæ ſi ſcribantur per ſingula*, ſi recenſeantur figillatim, *nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros*. Hyperbole eſt ſacris Litteris non infrequens. Multa quippe miraculorum millia edita ſunt a Chriſto Jeſu Salvatore noſtro: ſed illuſtriora tantum a Sanctis Evangeliſtis ſcripta ſunt, & per quæ maxime poſſent auditores ad incorruptam fidem firmari, & doctrina tam morum quam dogmatum inſtitui. In hujuſmodi porro locutionibus hyperbolicis nec mendacium eſt, nec æquivocatio, ſed figura, qua „ ſalva rerum fide, plerumque verba excedere videntur fidem. Quod non fit quando aliquid quod erat obſcurum vel dubium, cauſa & ratione reddita exponitur: ſed quando quod apertum eſt vel augetur vel extenuatur, nec tamen a tramite ſignificandæ veritatis erratur: quoniam ſic verba rem quæ indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit quouſque credatur, a quo ultra quam credendum eſt vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. "

SENSUS MORALIS.

3. 6. *Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim; & illa nocte nihil prendiderunt.* Hæc piſcatio figura eſt Evangelicæ prædicationis, in qua Petrus Dux eſt ceterorum. Magni labores in ſacro Miniſterio regiminis animarum, & prædicationis Evangelicæ ſubeundi, tota nocte vitæ hujus mortalis laborandum: nec movere debet Evangelicos operarios exiguus piſcationis myſticæ fructus, ſed humanum laborem fruſtra eſſe cogitare debent, niſi Jeſus ſtans in littore, ſua gratia laborantibus in Mari benedicat. *Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis.* In dexteram navigii retia jaci jubet, certam converſionem, & fidem eorum ſignificans, qui ad dexteram ſunt collocandi. *Crediderunt* enim *quotquot præordinati erant ad vitam æternam*; & credent qui ſuperſunt: ideo non ait: Mittite in dexteram veſtram, ſed in dexteram navigii: multi enim ad ſiniſtram ſunt navigii, qui nobis ſunt ad dexteram; & e contrario ad dexteram navigii, qui nobis ſunt ad ſiniſtram: Multi convertuntur & ſalvantur, quos convertendos minus ſperabamus: multi retrocedunt & damnantur, de quorum ſalute confidebamus. *Miſerunt ergo, & jam non valebant illud retrahere præ multitudine piſcium.* Quod maximæ hominum capturæ per Apoſtolos faciendæ, & ad Eccleſiam primitivorum, quæ eſt in cœlis, adducendæ præſagium fuit.

10. *Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc.* Chriſtus ex piſcibus a ſe productis, & aliis quos Apoſtoli ceperant, communes facit epulas, ut ſic oſtendat & eos quos ipſe converterat, & quos Apoſtolorum miniſterio erat converſurus, cœleſti convivio offerendos, & Chriſto Jeſu æternum incorporandos, ut unum ſint illius corpus, unus cum illo Chriſtus. *Caput* enim *& membra unus eſt Chriſtus*; ut S. Auguſtinus identidem inculcat.

S. Auguſt.

11. *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* Manu Petri, manu Paſtorum trahi debent in terram, a fluxis nimirum ſæculi voluptatibus, & occaſionibus peccati ad ſtabilem & firmam Chriſtianæ juſtitiæ profeſſionem. *Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* Duabus piſcationibus, quarum una facta eſt initio prædicationis Chriſti, altera poſt ejus reſurrectionem, duos Eccleſiæ ſtatus ſignificari Sanctus Auguſtinus docet: prima ſtatum Eccleſiæ in hoc ſæculo militantis, altera ſtatum Eccleſiæ in futuro ſæculo triumphantis. „ Prima piſcium captura bonos & malos ſignificat, quos nunc habet Eccleſia; „ iſta vero tantummodo bonos, quos habebit in æternum, completa in fine hujus ſæculi reſurrectione mortuorum. Ibi Jeſus non ſicut hic in littore ſtabat quando juſſit piſces capi, ſed aſcendens in unam navim quę „ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere puſillum, „ & in ea ſedens docebat turbas: ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem, *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Et illic quod captum eſt piſcium in naviculis fuit; non ſicut hic rete extraxerunt in terram. His ſignis ibi Eccleſia in hoc ſæculo, hic vero in fine ſæculi figurata eſt: ideo illud ante, hoc poſt reſurrectionem Domini factum eſt; quia ibi nos Chriſtus ſignificavit vocatos; hic reſuſcitatos. Ibi retia non mittuntur in dexteram, ne ſolos ſignificent bonos; nec in ſiniſtram, ne ſolos malos; ſed indifferenter, *Laxate*, inquit, *retia veſtra in capturam*, ut permixtos intelligamus bonos & malos: hic autem, inquit, *Mittite in dexteram navigii rete*, ut ſignificaret eos qui ſtabant ad dexteram, ſolos bonos. Ibi rete propter ſignificanda ſchiſmata rumpebatur: hic vero quoniam tunc jam in illa ſumma pace Sanctorum nulla erunt Schiſmata, Evangeliſta dixit, *Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete*: tamquam primam piſcationem reſpiciens in qua ſciſſum eſt, & in illius mali comparatione commendans hoc bonum. Ibi capta eſt multitudo piſcium, tanta, ut impleta duo navigia mergerentur: non enim merſa ſunt, ſed tamen periclitata. Unde enim exiſtunt in Eccleſia, tanta quæ gemimus: niſi cum tantæ multitudini obſiſti non poteſt, quæ ad ſubmergendam propemodum diſciplinam intrat cum moribus ſuis a ſanctorum itinere penitus alienis? Hic autem miſerunt rete in dexteram partem, *& jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Quid eſt, *jam non valebant illud trahere*, niſi quia illi qui pertinent ad reſurrectionem vitæ, id eſt, ad dexteram, & intra Chriſtiani nominis retia defunguntur, nonniſi in littore, id eſt, in fine ſæculi, cum reſurrexerint, apparebunt? Ideo non valuerunt ſic trahere retia, ut in navem refunderent quos cæperant piſces; ſicut de illis omnibus factum eſt, quibus rete diſruptum, & naviculæ preſſæ ſunt. Habet autem iſtos dextros Eccleſia poſt finem vitæ hujus in ſomno pacis, velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat quo trahebantur. "

Vide & ſerm. 248. 249. 250. 251. 252. Editionis noviſſimæ Pariſ. Aſcetarum BB. Congreg. S. Mauri.

Luc. 5.

S. Auguſt. Tract. 122. in Jo. num. 7

15. *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Johannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam, Domine, tu ſcis quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos*: „ Trepidavit Petrus, & negavit ter. Cordis inſpector vult audire quod ametur, & parum eſt ſemel. Interrogat hoc, audit prope cum tædio ipſius Petri. Miratur enim interrogari ſe a præſcio toties, cum ſemel ſufficeret reſpondere etiam neſcienti. Sed tamquam diceret Dominus, Expecto, donec numerus legitimus impleatur: tertio confitetur per amorem, quia ter negaverat per timorem. "

S. Auguſt. ſer. 355. alias Hom. 27. in ter 50.

Diligis me plus his? Paſce oves meas. Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem. *Qui hic animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & ſubveniendi & Deo placendi charitate.* „ Contra hos ergo vigilat tanties inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit „ ſua quærere, non quæ Jeſu Chriſti. *Nam quid eſt aliud, Diligis me? Paſce oves meas, quam ſi diceretur*, Si me diligis, non te paſcere cogita: ſed oves meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua; ne ſis ex iis de quibus ait Apoſtolus: Erunt homines ſeipſos amantes, amatores pecuniæ, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, irreligioſi, ſine affectione, detractores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, procaces, cæcati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. " Hæc omnia mala ab eo velut fonte manant, quod primum poſuit, *ſeipſos amantes*. Non ergo nos, ſed Dominum amemus: & in paſcendis ejus ovibus ea quæ ſunt ejus, non ea quæ ſunt noſtra quæramus. „ Neſcio quo enim inexplicabili modo, „ quiſquis ſe ipſum, non Deum amat, non ſe amat; „ & quiſquis Deum, non ſeipſum amat, ipſe ſe amat. „ Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur utique amando ſe: non ergo ſe amat, qui ne vivat ſe amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non ſe diligendo magis diligit, qui propterea non ſe diligit, ut eum diligat de quo vivit. Non ſint ergo ſe ipſos amantes qui paſcunt oves Chriſti, ne tamquam ſuas, ſed tamquam ipſius eas paſcant; & velint ex illis ſua lucra conquirere, ſicut amatores pecuniæ; vel eis dominari, ſicut elati; vel gloriari de honoribus quos ab eis ſumunt, ſicut ſuperbi; vel in tantum progredi ut etiam hæreſes faciant, ſicut blaſphemi: nec cedant ſanctis Patribus, ſicut parentibus non obedientes: & eis qui eos corrigere volunt, quia perire nolunt, mala pro bonis reddant, ſicut ingrati: interficiant animas & ſuas & alienas, ſicut ſceleſti; materna Eccleſiæ viſcera diſſipent, ſicut irreligioſi; non compatiantur infirmis, ſicut ſine affectione; famam ſanctorum maculare conentur, ſicut detractores; cupiditates peſſimas non

S. Auguſt. Tract. 123. in Johann.

Philip. 2. 21

2. Tim. 3. 2. &c.

„ refre-

„ refrenent, ſicut incontinentes; exerceant lites, ſicut „ immites; neſciant ſubvenire, ſicut ſine benignitate; „ indicent inimicis piorum quæ occultanda cognoverint, „ ſicut proditores; humanam verecundiam inverecunda „ exagitatione perturbent, ſicut procaces; non intelligant „ neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, „ ſicut cæcati; lætitias carnales ſpiritualibus gaudiis „ anteponant, ſicut voluptatum amatores magis quam „ Dei. Hæc enim atque hujuſmodi vitia, ſive uni homini accidant omnia, ſive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum „ ſunt homines ſe ipſos amantes. Quod vitium maxime „ cavendum eſt eis qui paſcunt oves Chriſti, ne ſua quærant, non quæ Jeſu Chriſti; & in uſus cupiditatum „ ſuarum conferant, pro quibus ſanguis fuſus eſt Chriſti. Cujus amor in eo qui paſcit oves ejus, in tam „ magnum debet ſpiritaliter creſcere ardorem, ut vincat „ etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, „ & quando cum Chriſto vivere volumus. “

S. Auguſt. ſerm. 253. alias de Temp. 149.

Diligis me? Paſce agnos meos, paſce oves meas. „ Tamquam diceret, Quid mihi retribuis, quia diligis „ me? Dilectionem tuam oſtende in ovibus meis. Quid „ mihi præſtas, quia diligis me; quando ego tibi præſtiti, ut diligeres me? Sed dilectionem tuam erga me „ habes ubi oſtendas, habes ubi exerceas; *Paſce agnos „ meos*. Qualiter autem eſſent paſcendi agni Dominici, „ oves tanto pretio comparatæ quanta eſſent dilectione „ paſcendæ, in conſequentibus demonſtravit. Poſtquam „ enim Petrus impleto legitimo numero trinæ reſponſionis profeſſus eſt ſe eſſe Domini dilectorem, commendatis ſibi ovibus ejus, audit de ſua futura paſſione. „ Hic demonſtravit Dominus ſic diligendas oves ſuas ab „ eis quibus eas commendat, ut parati ſint mori pro „ eis. Unde S. Johannes ait: Sicut pro nobis Chriſtus

1. Jo. 3. 16. „ animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere. “

18. 19. *Amen, amen dico tibi: Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua mor-*

S. Auguſt. Tract. 123. in Joan. *te clarificaturus eſſet Deum*. Hunc invenit exitum ille negator & amator; „ præſumendo elatus, negando proſtratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus: hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe morituрum perverſa feſtinatione promiſerat. Faciat ejus reſurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut prius Chriſtus pro Petri ſalute, deinde Petrus pro Chriſti prædicatione moreretur. Præpoſterum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cum iſtum diſpoſuiſſet ordinem Veritas. Animam ſuam ſe poſiturum pro Chriſto Petrus pu-

Jo. 13. 37. „ tabat, pro Liberatore liberandus: cum Chriſtus veniſſet animam ſuam poſiturus pro ſuis ovibus, in quibus „ erat & Petrus. Nunc jam firmitas cordis ad ſuſcipiendam mortem pro nomine Domini vera ipſo donante „ ſumatur, non falſa nobis errantibus præſumatur. Nunc „ eſt ut vitæ hujus non metuamus interitum; quia reſurgente Domino vitæ alterius præceſſit exemplum. “ *Sequere me*. Chriſtiani, & præcipue Paſtores, in hoc totis viribus incumbere debent, ut Chriſtum Jeſum ſequantur, imitentur, operibus ac laboribus ſuis, nec non rerum adverſarum, perſecutionum, & mortis etiam, ſi opus ſit, tolerantia Deum glorificent. „ Repugnabit natura: *Sed moleſtia quantacumque ſit mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille qui cum ſit vita noſtra, etiam mortem voluit perferre pro nobis*. „ Si Paſtor bonus „ qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, ex ipſis ovi„ bus tam multos ſibi Martyres fecit: quanto magis de„ bent uſque ad mortem pro veritate certare, & uſque „ ad ſanguinem adverſus peccatum, quibus oves ipſas pa„ ſcendas, hoc eſt, docendas regendaſque committit? “

22. *Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere*. De aliis ſolliciti ſint Paſtores ex charitate, non ex curioſitate. Illis conſuiant, illos juvent, ut Chriſtianæ vitæ & ſui ſtatus officia fideliter impleant: ſed futuram illorum ſortem Dei providentiæ relinquant & commendent: arcana Dei ne ſcrutentur. Chriſtum amando, ſequendo, pro veritate uſque ad mortem certando felices ſe putent, & Deo gratias agant, cum pro ejus gloria aliquid patiuntur. Hæc vitæ activæ ſors eſt, ſignificatæ per Petrum: in Dei & Myſteriorum ejus cognitione interim proficiant, & cognitionis amoriſque ſui conſummationem in futura vita expectent, illam præguſtent, quantum dederit Dominus, ad eam ſuſpirent: quæ ſors eſt vitæ contemplativæ ſignificatæ per Johannem, ut egregie S. Auguſtinus explicat. Duas vitas, inquit, ſibi divinitus prædicatas & commendatas novit Eccleſia, quarum una eſt in fide, altera in ſpecie; una in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria, una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una declinat a malo, & facit bonum; altera nullum habet a quo declinet malum, & magnum habet quo fruatur bonum; una cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat; una fortis eſt in adverſis, altera nihil ſentit adverſi; una carnales libidines frenat, altera ſpiritalibus delectationibus vacat; una eſt vincendi cura ſollicita, altera victoriæ pace ſecura; una in tentationibus adjuvatur, altera ſine ulla tentatione in ipſo Adjutore lætatur; una ſubvenit indigenti, altera ibi eſt ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata ut ſua ſibi ignoſcantur ignoſcit; altera nec patitur quod ignoſcat, nec facit quod ſibi poſcat ignoſci; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut ſine ulla tentatione ſuperbiæ cohæreat ſummo bono; una bona & mala diſcernit, altera quæ ſola bona ſunt cernit: ergo una bona eſt, ſed adhuc miſera; altera melior & beata. Iſta ſignificata eſt per Apoſtolum Petrum, illa per Johannem. Tota hic agitur iſta uſque in hujus ſæculi finem, & illic invenit finem: differtur illa complenda poſt hujus ſæculi finem, ſed in futuro ſæculo non habet finem. Ideo dicitur huic, *Sequere me*: de illo autem, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere*. Id eſt, tu me ſequere per imitationem perferendi temporalia mala, ille maneat donec ſempiterna venio redditurus bona. Perfecta me ſequatur actio, informata meæ paſſionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero.

S. Auguſt. Tract. 124. in Johann.

24. 25. *Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*. Dilecti Diſcipuli tui, & aliorum Sanctorum Evangelii tui Scriptorum teſtimonium ſumma reverentia recipimus, Domine Jeſu: quæcumque ab illis ſcripta ſunt firma & humili fide complectimur; quæ ſcripta non ſunt adoramus; quæ ſcripta ſunt, da ut pro modulo noſtro hic capiamus quantum neceſſe eſt ad ſalutem; da ut Legem tuam Evangelicam diligamus & impleamus in via peregrinationis noſtræ, ut Myſteriorum Evangelicorum veritatem in Patria contemplemur. AMEN.

F I N I S.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM
SANCTI EVANGELII SECUNDUM
MATTHÆUM, MARCUM, LUCAM, ET JOHANNEM.

A

Ablutio cordis quando cibos ſumimus, aut a foro, id eſt a negotiis terrenis & ſæcularibus converſationibus redimus. 320. n. 1. & ſeq.

Abnegatio ſui. 185. In quo poſita? 189. n. 15. 232. n. 16. 399. 401. n. 24.

Abrahæ Filios de lapidibus Deus ſuſcitavit, cum nos ex Gentibus ad fidem vocavit. 18. 377. n. 8. Abrahæ Filios ſe eſſe Judæi gloriantur. 323. Qui vere Filii Abrahæ? *Ibid.* Abraham propheta erat, & diem Chriſti vidit. 509. n. 56. *Antequam Abraham fieret*, Jeſus Chriſtus erat. *Ibid.* Legitima hujus loci explicatio ex Patribus aſſerta adverſus neotericum interpretem. *Ib.*

Abſolutio. Ligandi & ſolvendi poteſtas S. Petro ut Eccleſiæ perſonam gerenti, & omnium Epiſcoporum capiti & formæ, a Chriſto tradita. 188. n. 12. Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus. 199. n. 14. Ea poteſtate abutuntur Sacerdotes, qui contra legem a Chriſto poſitam, & contrarias Eccleſiæ regulas abſolvunt aut ligant. *Ibid.* Illos dumtaxat debemus per Paſtoralem ſententiam ſolvere, quos Chriſtum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. 518. & ſeq.

Accuſatio Chriſti Jeſu, conſolatio eſt Chriſtianorum qui calumniam patiuntur. 459.

Aceto potatur Chriſtus Jeſus. 558. n. 28. & 29.

Adam. A perditionis maſſa, quæ facta eſt per primum Adam, nemo diſcernitur, niſi per gratiam Mediatoris; hoc eſt, in ſanguine ſecundi Adam gratis juſtificatus. 497.

Adoleſcens qui Chriſtum ad paſſionem ductum ſequebatur amictus ſindone, quis fuerit? 338. n. 9. Adoleſcens, recedens a patre, & bona ſua diſſipans, peccatoris typus. 429.

Adoratio proprie dicta ſoli Deo debetur. 21. n. 8. Veri adoratores. 27. n. 7. 495. n. 23. 24. 486.

Adventus Chriſti triplex. 252. n. 4. 338. n. 5.

Adverſarius, cum quo in via concordia ineunda eſt. 34. n. 25.

Adulterium in corde. 35. n. 26. Adulteri Chriſtum & Eccleſiam ſingulariter inhonorant. 317. n. 3. Aliquem hominem amare præ Chriſto adulterium eſt. 482. n. 29. Adultera mulier coram Chriſto ſiſtitur. 507. Hæc hiſtoria Canonica eſt. *Ibid.* & ſeq. Moraliter explicatur. 510. Adultera mulier typus erat Eccleſiæ ex gentibus idololatris colligendæ, & animæ cujuslibet peccatricis. 512.

Ægyptus. In Ægyptum cur fugit Chriſtus. 11. Ægyptus præſentia Chriſti guſtum quemdam ſanctificationis adepta. *Ibid.* Ex Ægypto Chriſtus redit. *Ibid.*

Æquivocationum & reſtrictionum mentalium patronis non favet Chriſti factum, qui Diſcipulis Emmauntem euntibus conſpicuum ſe præbens, finxit ſe longius ire. 460.

Ager figuli emptus ex pecunia, quæ Judæ proditori numerata, & ab ipſo in Templum projecta eſt. 285. n. 4. Dei providentia dirigente pretium ſanguinis Chriſti ad emendum agrum in ſepulturam peregrinorum impenſum eſt. 292. n. 3. Hujus rei myſterium. *Ibid.*

Agnus Dei Chriſtus Jeſus. 469. Ejus unius ſanguine omnes homines redimi potuerunt. 472.

Agonia Chriſti in horto. 270.

Alapa Jeſu inflicta. 555.

Alienum eſt quod male poſſidetur: male autem poſſidet qui male utitur. 214.

Amaritudines interiores & conſolationes animæ fidelis. 461.

Ambitio poteſtatis a malo eſt; ordinatio poteſtatis a Deo. 21. n. 6. & 7. Sæpe quos vitia nulla delectant, facit ambitio criminoſos. 22. Ambitionis tentatio. 27. n. 7. Caret ambitione religioſa devotio. *Ibid.* Ambitio vilis & indecora. 224. n. 2. Radix æmulationis & murmurationis. 223. n. 11. Ambitio Eccleſiaſticarum dignitatum a Chriſto damnata. 222. 327. n. 3. Ambitionis & ſuperbiæ vulnus quam timendum & cavendum Eccleſiaſticis præſertim viris. 417.

Amici. Saluti ſæpe noſtræ magis nocent amici. 115. n. 20. Amicitiarum humanarum abuſus a Chriſto amicorum ſuorum deſertionem patiente expiatus. 279. Amicitiæ Chriſtianæ officium. 385. Exemplar in Chriſto Jeſu Lazarum & ſorores ejus diligente. 523. n. 5.

Amor Dei. Deus non colitur niſi amando. 18. Sine amore Creatoris nullis quiſquam bene utitur creaturis. 19. Amoris Dei & proximi præcepta. 235. 236. 344. 407. Amor ſummus Dei in homines. 478. n. 16. Amoris Dei erga homines argumenta. 481. Amor quadripartitus Dei, ſeu quatuor amoris affectus, quibus omnium perrumpuntur obſtacula, quæ impediunt ne ad Chriſtum accedamus. 310. Amor Dei ſumma Religionis Chriſtianæ. 406. n. 27. Menſura eſt remiſſionis peccatorum. 405. Deus in nobis non faceret quod amaret, niſi antequam id faceret, nos amaret. 476.

Amor mundi. Amatores rerum temporalium Jeſum apud ſe manere nolunt. 239. Amor mundi impedit ne Deus cognoſcatur. 470. n. 10.

Amor proprius interdum ſpeciem pietatis obtendit, ne Chriſto fideliter & prompte pareamus. 406.

Andreas & Petrus primi Novi Teſtamenti prædicatores electi. 23. Andreas Joannis Diſcipulus Chriſtum ſequitur. 469. Simonem Petrum fratrem ſuum ad Jeſum adducit. 469. n. 41.

Angaria & Angariare. 38. n. 36.

Angelus Magos monet ne revertantur ad Herodem. 9 n. 9. Joſeph, ut cum puero Jeſu & Matre ejus in Ægyptum fugiat. *Ibid.* n. 10. Ut in Judæam revertatur. *Ibid.* n. 13. Angeli Chriſto miniſtrant. 22. Reſurrectionem Chriſti nunciant. 299. n. 2. 3. & 4. 301. n. 2. 3. & 4. Angeli Cuſtodes ſemper Deum vident. 198. n. 8. Angelorum viæ. 203. n. 7. Angelus Incarnationem Chriſti nunciat Mariæ Virgini. 351. Nativitatem paſtoribus. 365. Angelus Chriſtum in agonia poſitum ſolatur. 454.

Anima. Animarum immortalitas. 234. n. 7. Unio Dei cum anima juſti indiſſolubilis eſt ex parte Dei. 329. n. 2. Perditionis animarum cauſa triplex. *Ibid.* Ad earum converſionem tria præſtanda. 428.

Anna Prophetiſſa puerum Jeſum Meſſiam ac Redemptorem Iſraeli promiſſum confitetur & prædicat. 367. n. 36. 37. & 38. Anna Chriſtianarum viduarum exemplar. 375. n. 37. & 38.

Anna & Caiphas Principes Sacerdotum. 401. Ad Annam ductus Jeſus. 554.

Apoſtolorum vocatio & electio. 102. n. 1. 108. n. 2. 311. n. 3. Miſſio. 94. 318. 398. Illis donum miraculorum Chriſtus impertit. 102. n. 1. Chriſtum piſcatores ad Apoſtolatum vocaturum Prophetæ prædixerunt. 24. n. 18. Apoſtolorum elogium. 25. Hos humanis laboribus Chriſtus exercere voluit, ne indefeſſos redderet in Divinis. *Ibid.* Illiteratos miſſit ad prædicandum, ne fides credentium non virtuti Dei, ſed humanæ eloquentiæ tribueretur. *Ibid.* Dei conſilium pauperes piſcatores ad fundandam Eccleſiam ſuam eligentis. 27. n. 8. Ex Apoſtolorum vocatione documenta quinque ad mores informandos colliguntur. *Ibid.* Apoſtoli ſal terræ, lux mundi, Civitas ſupra montem. 30. Gentibus omnibus Leges Evangelicas intulerunt, Romanis Imperatoribus admirabiliores, qui ſubditas Nationes adigere non potuerunt ut Romanis Legibus viverent. 33. Eccleſiæ per Apoſtolos ignobiles, imperitos, infirmos fundatio, certiſſimum eſt veritatis Chriſtianæ Religionis argumentum. 108. Apoſtolorum magnanimitas & fortitudo in conſideratione perſecutionum, quæ ipſis a Chriſto prænuntiantur. 111. n. 11. Eorum ſolatium. *Ibid.* Imitandum Sacerdotibus, & Evangelii prædicatoribus exemplum. *Ibid.* Apoſtolorum charitas ſollicita de proximorum neceſſitatibus ſublevandis. Hanc imitari debent Paſtores & Sacerdotes. 177. n. 20. Apoſtolorum contentio de Primatu. 198. n. 1. 325. n. 6. 453. Apoſtolorum fides. 501. Illos ad humilitatem Chriſtus informat puero in medium illorum conſtituto. 325. n. 6.

Apparitiones Chriſti a mortuis redivivi. 299. 344. 459. 562. 567.

Aquæ in vinum converſæ miraculum. 474. Aqua viva, quam Chriſtus ſe daturum promittit. 483. Fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Ibid.*

Aquilarum instar ad Christum Sancti convolabunt. 255. n. 17.
Archelaus Herodis Magni Filius, non Rex, sed Ethnarca constitutus ab Augusto Cæsare, dimidia paterni Regni regia potestate præfuit. 11. n. 14.
Arundo vento agitata, carnalium hominum typus. 126. n. 6.
Avaritia radix omnium vitiorum. 214. n. 11. 276. n. 8. 282. n. 24. Christo Jesu persecutores semper peperit. 303. Difficilis conversio hominum pecuniæ & lucris temporalibus addictorum. 310. n. 5. Maxime publicanorum. *Ibid.* Ab omni avaritia cavendum. 414. n. 25. Non solum avarus est qui rapit aliena, sed & qui cupide servat sua. *Ibid.*
Augusti Edictum de universi Orbis descriptione. 365.

B

BAbylonica transmigratio. 3. Babyloniæ & Jerusalem duarum civitatum mysticarum cives. 158. n. 19.
Baptismus, Baptismi institutio. 304. n. 11. Virtus. *Ibid.* Quanta Baptismi gratia. *Ibid.* Quisquis baptizatus est, debitor est totius Legis Evangelicæ implendæ. n. 12. Baptismus Joannis e cœlo, an ex hominibus? 227. n. 13. 231. 13. Spiritus Sanctus invisibiliter in nos descendit in Baptismo. 307. n. 3. Spiritualis per Baptismum regeneratio ad salutem absolute necessaria. 476. 480. Baptismus infantium. 519. Collatus ab improbis Ministris ratus est. 473. Quisquis baptizet, Christus baptizat. *Ibid.* Baptismus sine charitate nihil prodest. *Ibid.* Catechumeni ad Baptismum non admittendi sine fide expressa Incarnationis & Passionis Christi. 402.
Baptismus Joannis a Cœlo, an ex hominibus. 17. n. 13. 232. n. 14. 332. n. 7. 447. Figura Baptismi Christi, ad illum præparans. 305. 468. n. 24. Baptismi Christi & Joannis discrimen. 375. n. 16. & 17. 377.
Baptismus Christi. 380. n. 21. Cur Spiritus Sanctus in Jesum baptizatum & orantem sub signo sensibili descendit. 375. n. 22.
Barabbas latro & homicida. Jesu cum Barabba comparatio contumeliosissima. 287. 292. n. 5. 341. n. 5.
Beatitudo hominis Christiani in cognitione & amore Dei & Christi posita. 187. n. 10. Beatitudines Evangelicæ. 29. & seq. 386. n. 20. 21. 22. 388. n. 20. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt. 409. Beati qui non viderunt & crediderunt. 562.
Beelzebub Deus Acaronitarum a musca nomen habens. 320. Beelzebub Dæmonum Princeps. *Ibid.*
Beneficentiam Christus jubet; cujus duo sunt officia, scilicet eleemosynam erogare, & mutuum dare potentibus & egentibus. 38. n. 36.
Beneficiorum curam animarum annexam habentium Collatoribus quæ observanda? 312.
Bethania, an Bethabara, locus ubi S. Joannes baptizabat? 469. n. 28. Bethania domus obedientiæ, figura Ecclesiæ. 529.
In Bethleem & omnibus finibus ejus trucidati ab Herode infantes. 9. Bethleem domus panis. Natus in ea Jesus. 370.
Blasphemia in Filium hominis & in Spiritum Sanctum quid sit, & quomodo remittatur, vel non? 136. n. 19. 413. n. 10. Blasphemiis lacessitur Jesus in Cruce pendens. 289. n. 21. 296. n. 16.
Bonæ arboris fructus boni. Arbor bona, voluntas bona. 18. 387. n. 43. 44.
Bonorum omnium radix charitas; malorum omnium radix cupiditas. 35. n. 26. Nemo se ex malo bonum per se facit. *Ibid.* Non est voluntas bona quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur. 73. Hac Domini sententia, *Non potest arbor bona malos fructus facere &c.* Manichæi & Pelagiani abutebantur. 67. n. 9. Nemo bonus nisi solus Deus. 208. n. 13. Bonum, quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. 146. n. 21.
Boanerges, nomen Zebedæi filiis a Christo impositum. 311. n. 3.
Booz in Christi Genealogia recensitus, quis fuerit? 3. Tres Booz perperam commentus est Lyranus. *Ibid.*

C

CÆci a Christo illuminati in domo. 89. n. 20. Prope Jericho. 219. n. 16. & 17. 443. n. 35. Peccatoris cæcitas. 99. n. 22. Ejus illuminatio. *Ibid.* Nemo extra Ecclesiam illuminari potest. 99. n. 23. Cæcitas & obduratio cordis, præcedentium peccatorum pœnæ sunt, subsequentium causa. 158. Firmitas in rerum temporalium amore, spiritualis cæcitatis causa. *Ibid.* Cæcitatis interioris per Christi gratiam curatio. 222. n. 12. 13. 14. 15. 16. Cæci nati illuminatio. 513. Ejus obedientia. 516. Pharisæos & Legis peritos sapientia vicit, parentes suos constantia & confessione veritatis. 517. Factus est Confessor Christi. *Ibid.* Cæcus Bethsaidæ a Christo sensim curatus. 322. n. 4. Ejusdem miraculi moralis explicatio. 323. n. 5. Cæci tribus modis a Christo illuminati. 516 Omnis homo cæcus natus est secundum mentem. 515. Cæcitas & obduratio cordis sæpe peccata sunt. *Ibid.* Velamen cæcitatis super corda peccatorum extendit superbia, tollit humilitas. 531. n. 37. Quid agendum, ut spiritualis cæcitas nostra a Jesu curetur, & inopia nostra ab eo sublevetur. 331. n. 11.
Cæci & duces cæcorum, qui secundum traditiones, opiniones & errores hominum, ac prudentiæ terrenæ & animalis principia, non secundum legem Dei conscientias moderantur. 179. n. 8. In Dei judicio non excusabuntur, qui cæcis ducibus adhæserint. *Ibid.* Cæcus cæcum ducens. 387. n. 39. Filius Dei in judicium venit in hunc mundum, ut qui non vident videant gratuito misericordiæ Dei dono; & qui vident, id est sapientes sibi ipsis videntur, cæci fiant occulto Dei judicio, semper tamen justo. 517. n. 39.
Cæsari quæ sunt Cæsaris reddenda. 234.
Cœlum apertum in Baptismo Christi. 375. In cœlum nemo ascendit nisi Filius hominis qui est in cœlo. 477.
Cainan Filius Arphaxad, an retinendus in Genealogia Christi secundum Lucam. 376.
Caiphæ consilium adversus Jesum. 267. n. 2. 275. n. 2. 523. Caiphas adversus Christum actor, & judex. 274. 286. 553. Non ejus meritis, sed officio divino donatum est, ut futuram Christi mortem pro populo prædiceret. 524. Non fuit proprie propheta. *Ibid.*
Calamitatibus publicis improbi terrentur, non justi. 451.
Calix mors appellata in Scripturis, & sors quæ providente Deo cuique obtigit. 219.
Camelum per foramen acus intrare facilius est, locutio proverbialis apud Judæos. 209. n. 19.
Calvariæ mons: unde ita vocatus? 288. n. 15. Christus ibi crucifixus. 289.
Canibus sanctum non dandum. 69. Panis Filiorum non mittendus canibus. 60. & 181.
Capharnaum eversio a Christo prædicta. 404.
Captivorum visitatio, consolatio, & redemptio. 124.
Caro Christi danda pro mundi vita. 496. Manducanda, & vere cibus. *Ibid. Caro non prodest quidquam*, quis hujus sententiæ sensus? 497.
Cathedra Moysi. 239. n. 1.
Census. An liceat Censum dare Cæsari. 234. Census generalis totius Imperii sub Augusto Cæsare. 365. Census ille spiritualiter expositus. 369.
Centuplum omnia pro Christo relinquentibus promissum. 216. n. 16. 443.
Centurionis fides. 77. n. 9. 80. n. 4. & 5. Centurionis servus a Christo sanatus. 76. Centurionis humilitas. 81. n. 6. & 7. Centurio Deum in Christi morte glorificans. 457.
Chananæa mulier. Filia ejus a Christo sanata. 176. n. 13. 320. n. 4. Chananææ mulieris fides. 180. n. 11. Humilitas & perseverantia in oratione. 181. n. 15. & 16. Hanc imitari debent pœnitentes ut ad sacram Eucharistiæ communionem digne se disponant. *Ibid.* Et Christiani omnes ut eorum orationes Deo sint acceptæ. *Ibid.* 321. n. 2. Ab imitatione Chananææ longe absunt mulieres pleræque Christianæ, quæ dæmoni aditum pandunt in corda Filiarum suarum per sæculi amorem & mores, per luxum, choreas, spectacula. 322.
Charitas summa Legis & Prophetarum. 66. n. 6. Charitatis erga proximum regula a Christo tradita. 71. n. 6. Charitas vera est cum in Deo diligitur amicus, & propter Deum inimicus. *Ibid.* Charitatis officium est de juribus suis aliquid remittere, ne infirmi offendantur. 197. n. 16. Charitatem in nobis extingui vel refrigescere non sinamus. 253. n. 8. Duo præcepta Charitatis. 334. n. 4. Christi regnum in Charitate fundatum. 405.
Chlamyde coccinea per ludibrium indutus est Christus, ut dissolutas lascivasque nuditates expiaret. 293. n. 7.
Choreæ cæteræque Sæculi & Aulæ voluptates, sunt incentiva vitiorum. 168. n. 4. 319. n. 4.
Christiani frumentum sint, non paleæ. 19. n. 4. Bonis christianis inter malos patienter vivendum, sed ab eorum iniquitate recedendum. *Ibid.* Sal terræ & lux mundi pro modulo suo esse debent. 43. n. 11. Quotidie proficere debent in observantia mandatorum Dei. 45. n. 15. Christiani nomen sine bonis operibus majorem damnationem arcessit. 75. n. 13. Christiani in vias Gentium & Samaritanorum abeuntes. 98. Qui Christo digni? 107. n. 24. & 25. Christiani, utpote homines novi Testamenti, non debent inhærere terrenis. 109. Plerique judaice vivunt in Ecclesia. 125. Boni christiani characteres. 126. Christianis ovium mansuetudo, prudentia serpentis, columbæ simplicitas imitandæ. 111. Totius vitæ suæ actis Christum prædicare debent. 126. n. 7. & 8. Mundo mortui, & Deo viventes Dei Filii evadunt. 187. n. 8. Commune quoddam Sacerdotium habent. 320. n. 7. Cum Christo capite unus Christus effecti. 357. n. 35. Sancti esse

esse debent, quia ex Spiritu Sancto renati. *Ibid.* Tria Christianis omnibus commendanda. 494.
Christianorum, qui Christum non audiunt, eique non obediunt, gravius quam Judæorum crimen est. 163. n. 29. Vitam & amaritudines vitæ adjunctas tolerare debent cum patientia, mortem obire cum lætitia, resurrectionem expectare cum fiducia. 188. n. 13. Christiani conjuges familiarius adhærent membris Christi, cum imitantur parentes Christi. 6. n. 3. Tota vita Christiani boni sanctum desiderium est. 196. n. 13.
Christi Divinitas voce Patris in Baptismo declarata. 17. n. 16. Omnia illi a Patre tradita. 123. n. 23. Christi Divinitas invicte probatur contra Arianos & Socinianos ex S. Petri confessione: & ex eo quod sit Dominus David simul & Filius. 239. n. 17. Ex miraculis ab eo editis. 125. n. 3.
Christus vere & natura Patri Consubstantialis. 478. n. 17. & 18. 527. & seq. 535. n. 34. 35. & 36. 494. 508. 519. 522. n. 25. Christi Divinitas invicte probatur contra Arianos & Socinianos ex confessione Thomæ Apostoli. 562. n. 28. Ex remissione peccatorum, & cognitione cogitationum cordis. 308. n. 3. Christus unum cum Patre non voluntate solum & concordia, sed natura & potestate. 518. Gloriam ejus vidit Isaias, cum vidit Dominum sedentem super solium excelsum. 528. Christus in Patre, & in ipso Pater. 536. In ipsum credendum ut in Deum. *Ibid.* Patrem se majorem esse quo sensu dixerit? 537. n. 28. His verbis, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum &c.* Christus Dei Filius a communione veræ Deitatis non excluditur. 550. n. 3. Non adoptione, sed natura Dei Filius. 352. Non ratione tantum conceptionis admirabilis ex Spiritu Sancto, sed æternæ generationis ex Deo, & unionis hypostaticæ naturæ assumptæ cum persona Verbi. *Ibid.* & 356. n. 32. & 33.
Christus verus homo & verus Deus. 179. n. 7. Christi humanitas, altare per divinam personam sanctificatum. 245. n. 13.
Christi Nativitatis locus, tempus, eventa. 6. n. 1. 365. A Magis adoratur. 7. n. 1. Non Judæis solum, sed Gentibus regendis Rex natus. 8. n. 5. Fugæ ejus in Ægyptum rationes. *Ib.* n. 9. & 10. Non necessitate fugit, sed potestate. *Ibid.* Unde Nazaræus vocatus? 11. n. 15. Oblatio ejus in Templo. 366. n. 22. & 23. Inventus in medio Doctorum. 368.
Christi baptismus. 16. n. 14. & 15. 376. 379. Christus Joannis baptismum suscipiendo, suum consecravit. 19.
Christi tentatio. Multis de causis tentari voluit, quæ exponuntur. 20. n. 1. Cur desertum ceu locum certaminis elegerit? *Ibid.* Solus dux esse potest ut de deserto ad Paradisum redeamus. 26. Cur post jejunium tentari voluerit, ratio multiplex. 20. Ordo tentationis Christi. Variis modis tentavit illum diabolus, sicut primum Adam in Paradiso. *Ibid.* n. 2. Ad superandas tentationes Mediator noster est non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum. *Ibid.* Humilitate Diabolum vicit, non potentia. 21. n. 4. Christi secessus in desertum, & tentatio post Baptismum, cujus rei documentum sint? 307. n. 4.
Christi prædicatio, doctrina, miracula. Ministerium suum incipit a prædicatione pœnitentiæ & Regni Cœlorum, ut Joannes. 22. n. 12. Per civitates & castella prædicans, & omne genus languorum curans, Concionatorum exemplar est. 100. n. 27. Discipulos suos interrogat, quid homines & ipsimet de illo sentiant. 183. n. 7. & 8. Miraculis missionem, & prædicationem suam confirmat. 77. n 14. Christi Jesu miracula nec Julianus apostata, nec posteriorum temporum Judæi negare ausi sunt. Eorum fabula. 100. n. 26. Non missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, tametsi omnium hominum redemptor. 176. n. 15. 180. n. 13. Venit ad Discipulos suos ambulans super mare. 166. n. 18. Christus unus Magister. 240. n. 5. & 7. 244. n. 5. & 7.
Christus, ut vox Legis, & lingua Prophetarum audiendus. 195. n. 5. Discipulis suis prohibet, ne se Christum & Deum esse dicant ante opportunum tempus. 184. n. 13. Gratias agit Patri ob mysteria Discipulis revelata. 122. n. 21. Pauper a Pauperibus sequendus. 62. n. 16. 84. In illo omnia possidentur. 131. n. 20.
Christus medicus animarum a peccatoribus contemnitur. 169. Ad eum oratione ascendendum, ut ab infirmitatibus & languoribus animarum nostrarum curemur. 181. n. 17. Ortus ejus de tribu Juda per Mariam Virginem demonstratur. 4. Quo sensu Primogenitus Mariæ Virginis dictus? 6. n. 3. Ad Christi stirpem quomodo pertinere possumus? 1. n. 1. & 2. Qui Christi frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. 8.
Christus in Evangelio docens, humiliter audiendus. 375. n. 40. Nos intus docet. 376. Verbo & exemplo nos docet, Dei cultui & amori nihil præponendum. 376. n. 49. Errant qui doctrinam Christi adversam esse dicant Reipublicæ, 378. n. 14. Quo sensu nihil in occulto se docuisse dixerit. 555. n. 20. & 21.
Christus Pastor bonus. 556. Solus Pontifex sanctus & innocens. 513. n. 46 Suos in finem dilexit. 533. Illos non servos, sed amicos appellare & habere dignatus est. 541. n. 14. & 15.
Christus Mediator. 537. & 541. n. 8. 9. 10. Ex ejus plenitudine omnes accipiunt. 482. Christus via, veritas, & vita. 536. n. 6. in Christo ut homine minime sistere, ad illum ut Deum tendere debemus. 538. Tria sunt hominum genera, quæ odit Christus, quatenus via nostra est: 1. remanentes; 2. retro redeuntes: 3. aberrantes. *Ibid.* Christus ostium salutis est. Quicumque per illum non intrat, & in illum non credit, aut ejus gloriam non quærit, fur est & latro. 519. Christus in nobis, & nos in ipso. 518 Christus noster apud Patrem advocatus. 519.
Christi triumphalis ingressus Hierosolymam. 224. 331. 445. 517. Regni ejus in Ecclesia & animis fidelium figura est. 228. n. 1. 2. & 3. Pullus asinæ injugis & indomitus, cui triumphator insidet, populi Gentilis typus est. 332. n. 1.
Christus a Cognatis suis male habitus, qui illum in furorem versum esse dicebant. 311. n. 4. Passionem & Resurrectionem suam Discipulis Christus prædicit. 185. n. 14. 193. n. 16. 219. n. 11. A militibus comprehensus & vinctus. 273. n. 37. 282. n. 25. 554. Ducitur ad Caipham. 273. n. 40. Ab eo interrogatur. *Idid.* Colaphis & alapis cæditur, sputis fædatur. 274. n. 46. 284. n. 33. Coram Pilato sistitur, a quo interrogatur. 286. n. 6. & 7. 555. 559. flagellatur. 287. n. 11. 341. n. 3. & 559. n. 2. Corona spinea redimitus illuditur. 287. n. 12. 342. n. 3. & 559. n. 2. In quinque sensibus passus, ut sensuum nostrorum peccata & voluptates expiaret. 340. n. 11. Crucifigitur inter duos latrones. 287. 457. Qua hora? 557. n. 14. pro suis Crucifixoribus orat. 457. Se desertum a Patre queritur. 289. n. 23. Non necessitate, sed charitate se mori ostendit. 297. n. 20. Clamans voce magna spiritum emittit, & Patri commendat. 459. Iterum patitur a Christianis plurimis. 185. n. 13.
Christi Resurrectio. 299. Christo omnis Potestas data in cœlo & in terra. 296.
Christi Ascensio in Cœlum, & sessio ad dexteram Patris. 344. n. 9. & 463. Christi in cælum assumptio, gloriæ ejus & salutis nostræ consummatio est. 246.
Christus Judex. Quid significet ventilabrum in manu ejus? 16. n. 13. Unumquemque ex operibus judicabit. 67. n. 10. Tam verax in comminatione pœnarum, quam in promissione præmiorum. 190. n. 17. Judicii diem & horam quomodo se nescire Christus dixit? 338. n. 4. Qua ratione Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio? 490. n. 23. 493. n. 22.
Cibum Christi nemo accipit, nisi fuerit ante sanatus. 182. n. 18. Nullus cibus præter Deum & Christum animam nostram satiare potest. *Ibid.* n. 19. Cibus spiritualis nemini deficit sine ejus vitio. 403. Cibus qui non perit. 367. n. 27.
Circumcisio Christi. Ejus causæ & rationes. 366. n. 21. 371. n. 21. Circumcisio a Moyse data, non ex Moyse, sed ex Patribus. 539. n. 22. 23. Sabbato data, si dies esset a pueri nativitate octavus. *Ibid.* Circumcisio spiritualis. 362.
Claves Regni Cælorum, sive summa potestas Ecclesiam regendi, Petro a Christo tradita. 184. n. 12. Claves non homo unus, sed Unitas accepit Ecclesiæ. *Ibid.* Ad Claves Ecclesiæ per pœnitentiam confugiendum. 204.
Cœlibatus & Continentia. Cœlibatus propter regnum Cælorum servatus. 208. n. 8. 211. n. 3. & 4. Dei donum est. *Ibid.* His datum, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. *Ibid.* n. 3.
Cœnæ magnæ Parabola. 423. Moralis ejusdem Parabolæ sensus. 425. & seq.
Cogitationes malæ. 91. n. 4.
Communibus manibus manducare quid sit? 308. n. 1.
Communio. Ad Sacram Communionem Corporis Christi Dispositiones. 182. n. 20. 339. n. 3. 529. n. 12. Christum quis magis honoret, frequentius an rarius ad Sacram Communionem accedens? 356. n. 8.
Concilium Pontificum & Pharisæorum adversus Jesum, 267. n. 2. 275. n. 2. 523. & 526.
Conciliorum in Christi nomine congregatorum auctoritas. 197. n. 16.
Concionatoris Evangelici dotes & officia. 306. n. 1. 319. n. 5. Christus Concionatorum novæ Legis exemplar. 401.
Concordia. Est mala concordia, & discordia bona. 515.
Confessio peccatorum Baptismo Joannis prævia. 15. n. 7. Singulorum peccatorum confessio, apud Judæos solemnis. *Ibid.* Confessio duplex, peccati, & laudis. Utraque gratiæ Dei effectus. 100. Initium bonorum operum est confessio operum malorum. 482. Per Confessionem foras prodit peccator, qui per contritionem revivisçit. 470. Confessionis Sacramentalis necessitas & fundamentum. 561.

Conſcientia cum Deo per pœnitentiam componenda. 415. Conſcientiæ Moderator qualis eligendus. 307. n. 2. Conſcientiæ Moderatores, Concionatores, Paſtores, diſcipulos ad Jeſum mittere debent, non ſibi ipſis devincire. 392. n. 19. S. Joanni Baptiſtæ ſimiles ſint. 392. n. 26. Seducuntur qui cæcos aut corruptos conſcientiæ Moderatores eligunt. 451.
Conſilia Dei de aliorum vocatione, & aliorum derelictione non temere diſcutienda. 130. n. 17. & 19.
Conſilium Evangelicum omnia vendere & dare pauperibus. 216. n. 16. 213. n. 8.
Conſilium impiorum fugiendum. Quatuor modis in illud abeunt homines. 526. n. 53. & 54.
Conſolatio multiplex piarum animarum Jeſum quærentium, & ob illius abſentiam gementium. 563.
Conſolationibus ſpiritualibus inhærere non debent animæ piæ. 194. Tunc maxime timendum eſt, cum ſupernis conſolationibus ac deliciis nos Deus perfundit. 195. n. 6. Pretioſa divina conſolatio eſt, nec facile tribuitur admittentibus alienam. 216.
Conſummatum eſt, Chriſti morientis verbum, explicatur. 558. & ſeq.
Contemplatio & oratio perfecta hujus viæ a Chriſti Jeſu & myſteriorum ejus contemplatione non abſtrahit. 318. n. 1.
Contemplativi vias ſuas, inſpirationes, viſa ſubjicere debent Paſtorum examini, ne illuſionibus decepti Jeſum non inveniant. 563.
Contemni & irrideri a Mundo & carnalibus hominibus, ſors piorum eſt. 494. n. 11.
Contemptus proximi grave peccatum. 203. n. 7. & 8. A contemptu fratrum duo nos abſterrere debent: videlicet quod Chriſtus eos redempturus venerit; & quod eorum Angeli Deum videant. *Ibid.*
Contumelias & convitia patienter ferat Chriſtianus exemplo Chriſti. 505. n. 20. A potentia diſcat patientiam. 513. n. 48. & 49.
Converſio. Ad veram converſionem tria neceſſaria. 287. Omnia converſionis impedimenta perrumpit amor Dei. 344. n. 3. Veræ converſionis ſigna. 385. n. 26. Primus gradus ad converſionem peccatoris eſt extremæ ſuæ miſeriæ conſideratio. 429. Gradus alter, propoſitum renunciandi peccatis, & illorum occaſionibus. 430. Tertius, odium & deteſtatio peccati ex amore Dei concepta. *Ibid.*
Convivium. Ad convivium invitandi pauperes retribuere non valentes. 422. 425. n. 12. Sæcularium hominum conviviis intereſſe non debent Sacerdotes & Rectores animarum, niſi compellat neceſſitas, urgeat charitas. 424.
Cor. Quæ de corde exeunt, non quæ in os intrant, coinquinant hominem. 175. Quidquid ex prava cordis cupiditate procedit, peccatum eſt. 109. n. 6. In corde noſtro ſemina ſunt peccatorum omnium: in ſolo corde Chriſti virtutum omnium ſemina & principia: id eſt, ex nobis ipſis peccatores, ex Chriſti gratia & miſericordia boni ac juſti ſumus. 180. n. 10. Cordis duri characteres. 278. n. 12.
Corona ſpinea Jeſus coronatur & illuditur. 288. n. 12. Corona ſpinea Chriſti myſterium erat contumeliæ ac dedecoris, ex quo Chriſti gloria: myſterium infirmitatis, ex quo Eccleſiæ fortitudo: myſterium doloris, ex quo fidelium lætitia. 294.
Correptionis fraternæ præceptum. 198. n. 11. 12. & 13. 204. n. 9. 440. Correptionis fraternę modus. *Ibid.* Ex charitate cum zelo & prudentia facienda eſt. *Ibid.*
Crucem ſuam tollit Jeſus. 288. n. 14. 294. n. 10. 342. n. 4. 559. n. 17. Ratio multiplex, cur Chriſtus Jeſus mortem Crucis elegerit. 294. n. 11. Crucis altitudo, longitudo, latitudo, profunditas quid myſtice ſignificent. *Ibid.* Crux Jeſu fons omnium benedictionum. *Ibid.* In Cruce tribunal Domini, Judicium Mundi, potentia Crucifixi. *Ibid.* Crux Chriſti tribunal eſt, in quo duos inter latrones medius judicium minatur & exercet. 295. 459. Chriſti Divinitas per mortem Crucis cognoſcenda. 508. n. 28. Crux victoriæ Chriſti inſtrumentum & trophæum. 340. Ejus elogium. *Ibid.* Crux Chriſti confuſio ſapientium mundi. 342. n. 9. Crucis titulus. 297. n. 19. 457. n. 38. 558. Crux ferenda quotidie. 117. n. 22. 106. n. 17. 399. Crux duobus modis fertur, cum aut per abſtinentiam affligitur corpus, aut per compaſſionem proximi affligitur animus. 324. n. 6.
Crux Chriſti virtus eſt & gloria Chriſtianorum in tribulationibus. 296. n. 19. Crucem ferre, non merum conſilium, ſed præceptum eſt. 117. n. 22. Accipere Crucem ſuam, eſt pati pro Chriſto quidquid intulerit Mundus. *Ibid.* falſa & carnalis amicitia, quæ nos ab amore Crucis avertit. 188. Crucem ferendo ſequendus eſt Chriſtus. 189.
Cultus exterior abſque interiori, Deo non placet; ad ſalutem inutilis eſt. 178. n. 4.
Curioſæ, otioſæ, vanęque confabulationes. 187. n. 8.
Curioſitas temeraria gradus eſt ad hæreſim, imo ad Atheiſmum. 186. n. 1.

D

Dæmonum operatio, hominis everſio. 77. n. 14. Dæmones Chriſtus expellit. 78. n. 14. & 19. 306. n. 11. In porcos abire permiſſi a Domino. *Ibid.* & 86. n. 21. Quomodo illum cognoverunt. 306. n. 11. Energumenum a ſe liberatum cur in numerum ſuorum Diſcipulorum Chriſtus cooptare noluit? 306.
Dæmoniacus mutus a Chriſto curatus & liberatus. 89. n. 23. & 24. 409.
Dæmon linguam peccatoris ligat ne peccata ſua confiteatur. 100. n. 25. 411. n. 14. & 15. Aliorum linguam ſolvit, ut male loquendo regnum ejus firment ac propagent. 101. Dæmoniacum cæcum & mutum ſanat Chriſtus ejecto dæmone. 135. n. 12. Dæmoniacus ille hominis peccatoris typus. 142. n. 15. Dæmon repetens domum ex qua fuerat ejectus. 138. n. 28. 411. n. 14. & 15. Extra Eccleſiam nemini poteſtas datur ejiciendi dæmones ex hominum corporibus, uti nec ex illorum animabus. 222. Dęmones oratione & jejunio ejiciuntur. 192. n. 15. 196. n. 14. Demon non ejicitur ope dæmonis, ſed Spiritu Dei. 136. n. 14. 15. & 16. Cur Chriſtus dæmonibus ſilentium indixit, nec ab illis divinitatem ſuam prædicari permiſit. 307. n. 7. Dæmonia in nomine ipſius ejicientes prohiberi vetat a Diſcipulis ſuis, quamvis non ſint ex eorum Collegio. 325. n. 7. Dæmonium immundum Chriſtus ejecit ex homine. 380. n. 33. Dæmonium impudicitiæ. 382. Demoniacus ferus. 395.
Damnatorum duplex ſupplicium. 74. 334. n. 6. Damnatorum pœnę tenebrarum exteriorum nomine ſignificantur. 77. n. 11. 236. n. 6. Externa illorum ſupplicia. 261. n. 26. 266. n. 9. 325. n. 10. 327. n. 4. & 5.
David ad Achimelech Sacerdotem confugit, ſeu ad Abiathar, a quo panes propoſitionis accepit. S. Marcus cum Auctore Sacro I. Regum conciliatur. 309.
Derelictum ſe a Deo quo ſenſu Chriſtus queritur? 289. n. 23. Vox iſta, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? membrorum vox erat, non capitis. 296. n. 18.
Detractionibus & conviciis maledicorum hominum laceſſiti, cum Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem promovere ſtudemus, proponere nobis debemus exemplum Chriſti. 298.
Devotiones præpoſteras qui Dei mandatis anteponunt, zelo phariſaico ducuntur. 178. n. 2. & 5.
Deus unus. 196. n. 9. 334. n. 4. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. 195. n. 7. 238. n. 13. Deus nec creſcit, nec minuitur. Quomodo creſcit in nobis. 482. n. 30. & 31. *Deum nemo vidit unquam*. Qua ratione inviſibilis? 468. n. 18.
Dei miſericordia & Juſtitia. Quodam modo invitus homines punit. 266.
Dei providentia. 55. n. 21. 22. 23. & 24. Dei providentiæ confidendum. 63. n. 19. 20. 21. & 22. 106. n. 21. 114. n. 18. 413. n. 6. & 7. 417. n. 22. Egregium divinæ providentiæ documentum in miraculo multiplicationis quinque panum a Chriſto Domino facte. 170. n. 11.
Deo ſolo fruendum: mundo rebuſque temporalibus utendum eſt. 173. n. 21. Deum qui cognoſcit & diligit, ad illum proximos & amicos adducere modis omnibus nititur. *Ibid.* Deo nihil præponendum. 216.
Diabolus omnia regna mundi qua ratione Chriſto oſtendit. 21. n. 6. Periculoſior diaboli tentatio eſt, cum nobis per organa ſua blanditur. 27. n. 7. Diaboli eſt blandiri ut noceat, Dei corripere ut proſit. *Ibid.* Nihil habet in nobis niſi velimus. 21. n. 4. 542. Perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt. *Ibid.* Sępe de Scripturis ipſis divinis laqueum fidelibus parat. *Ibid.* Chriſtus illum alligavit, & vaſa ejus diripuit. 144. n. 18. 313. n. 8. Diabolus per Chriſti mortem victus & foras ejectus. 528. & 530. n. 31. Chriſtus non poteſtate ſola, ſed Juſtitia diabolum debellavit. 409. n. 22. Diabolus de corde hominis expulſus illum vehementius tentat. 307. n. 8.
Didrachma ſolvit Chriſtus. 193. n. 18. & 19. 197. n. 16.
Dilectio Dei maximum & primum mandatum. 235. n. 9. Dilectio proximi ſecundum legis mandatum. *Ibid.* n. 10. Illi vere ſe diligunt, qui ſe propter habendum Deum diligunt. 543. n. 12.
Dilectio mutua mandatum novum. 531. Proximum diligere debemus ſicut Chriſtus dilexit nos. 541. n. 12. & 13. Hæc propria nota Chriſtianorum. *Ibid.* & 536. Nemo vere Deum diligit, niſi qui mandata ejus ſervat. 511. n. 15. 541. n. 14. & 15. Nemo Dei mandata vere & ut par eſt ſervat, niſi qui Deum diligit. 539. n. 15. Ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur. *Ibid.* Opere demonſtranda eſt dilectio, ut non ſit infructuoſa nominis appellatio. 539. n. 19. Quæ maxima dilectio? 541. n. 12. & 13. 544. n. 13.
Directores boni ex fructibus cognoſcuntur. 389.

Discipulorum Christi dispersio tempore passionis ipsius prædicta. 271. n. 22. Discipulorum Christi paupertas & austeritas. 139. n. 1.
Discipulorum septuaginta duorum missio. 404. Potestas in dæmones ipsis a Christo data. *Ibid.* De quibus admoniti? *Ibid.*
Dispensator fidelis. 414.
Divitiarum studium & avaritiam Christus damnat. 54. n. 16. & 17. Divitiis Deoque servire impossibile. 54. n. 19. 63. n. 18. Divites avari serviunt miserrimam & indignissimam servitutem. *Ibid.* Divitiæ fallaces. 155. Spinæ sunt. *Ibid.* Earum amor sementem divini verbi suffocat. *Ibid.* Divites divinæ providentiæ erga pauperes ministri quoad temporalia, pauperum providentia juvantur quoad futuræ vitæ bona. 170. n. 11. Divitiarum rectus usus, & fidelis dispensator. 434. Divitiarum contemptus. 330. n. 7.
Divitis horrea destruentis Parabola. 413. n. 26. Moraliter explicatur. 416. & seq.
Divitis Epulonis & Lazari historia. 432. Solæ in divite condemnantur superbia, immisericordia, vita mollis & voluptuaria. 435. Divitis & Lazari in vita & in morte sors diversa. Non post mortem solum, sed in vita Lazarus divite felicior. 436. Divitis Epulonis tormenta. *Ibid.* Similia supplicia divitibus immisericordibus parata sunt. *Ibid.*
Divitum salus quam difficilis. 116. 120. 130. n. 6. 442. Qui divites salventur. 214. n. 12. Opum suarum dispensatores sunt a Deo constituti, magis quam absoluti domini. 267. Divitiæ periculosæ. 329. n. 5.
Doctrina Christi summa docilitate audienda. 130. n. 18.
Doctrinæ Pharisæorum & doctrinæ Christi characteres oppositi. 501. Doctrina Christi, doctrina Patris. *Ibid.*
Dominicæ festorumque dierum religiosa observantia. 139. n. 4. Dominicis præsertim & festis diebus opera misericordiæ exercenda. 311. n. 1. Anima nostra curanda. 422. n. 14.
Dona spiritualia gratis accepta, gratis danda. 104. n. 6. 109. n. 5.
Drachmæ repertæ parabola. 428.

E

Ecclesia visibilis. 31. n. 14. Quicunque ab ea recesserunt, aut in ea secundum Evangelium non vivunt, Christi sunt adversarii. 144. n. 19. In Ecclesia boni cum malis permixti. 158. n. 19. Mali in ea tolerandi. 162. n. 26. Navis in medio mari jactata fluctibus, Ecclesiæ typus est. 171. n. 15. Adversus Ecclesiam inferi portæ non prævalebunt. 170. n. 11. Ecclesiæ unitas diligenda, & usque ad sanguinis effusionem tuenda. 303. n. 9. Potestas remittendi peccata extra Ecclesiam non est, aut exerceri non potest. 188. n. 12. Ecclesiæ perpetuitas, indefectibilitas & infallibilitas a Christo promissa. 300. n. 12. Christus cum Ecclesia & fidelibus suis usque ad consummationem sæculi. 304. Catholica Ecclesia tamquam vera mater nec peccantibus filiis superbe insultat, nec correctis difficile ignoscit. 188. n. 12. Ecclesiam qui non audit, habendus est ut Ethnicus & Publicanus. 199. n. 13. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. 204. n. 10. Christus visus Apostolos adjuvit, ut Ecclesiam per omnes gentes diffundendam crederent: vita Ecclesia nos adjuvat ut Christum resurrexisse credamus. 462.
Ecclesiastici regiminis formam & modum Christus præscribit 223. n. 12. Fidelium Ecclesiæ Ministrorum officia. 257. n. 25. 494. Malorum Ecclesiæ Ministrorum characteres. 257. n 25.
Electi pauci. 218. n. 9. 233. n. 2. Hi sunt, qui a massa perditionis præscientia Dei & præordinatione discreti & secundum propositum vocati. *Ibid.* Electi sola perseverantia innotescunt. 219. n. 14. Non ideo nos Deus elegit quia futuros esse bonos præscivit. 544. n. 16. Electorum in Christo nemo peribit. 499. Gratuitæ electionis ad gloriam tres effectus indeficientes. *Ibid.* Elegit nos Christus, non nos illum. 541. n. 16. & 17.
Eleemosyna sanctum fœnus. Deus idoneus fidejussor pauperum, & largissimus redditor usurarum. 50. n. 26. 417. Pauper ex necessario suo aliquid demens ut pauperibus eleemosynam eroget, sacrificium Deo acceptius offert quam dives qui ex superfluo. 450. Quibus profit eleemosyna, quibus non profit. 317. Animo pœnitente erogata, peccata expiat. 412. Genus quodam baptismatis est. *Ibid.* n. 41. Præsertim regni cælestis. 417.
Eleemosyna justitia est. 51. n. 1.
Eleemosyna Judæorum tripartita. 51. n. 2. Christianus ab eleemosynæ & cujusvis boni operis ostentatione alienus. *Ibid.* n. 2. & 3.
Eleemosyna Ecclesiastica. 169. n. 10. Qui divitias erogat pauperi, Deo servandas in cœlo credit. 213. n. 8. Solas eleemosynas Christus in ultimo judicio quodammodo imputabit. 261. n. 24. 265. n. 6. & 7.
Eleemosyna sacrificium, pauper quasi sacramentum est. 265.
Eliæ lingua clavis cœlorum. 188. n. 12. Moyses & Elias cum Jesu loquentes. 191. n. 2. Elias ante secundum Domini adventum venturus. 205. Primum Domini adventum præcessit Joannes in spiritu & virtute Eliæ. *Ibid.* n. 10. Elias cum venerit, omnia restituet. 324. n. 2.
Elisabeth Joannis mater sterilis. 349. n. 7. 356. n. 18. Concipit. 350. n. 24. Spiritu Prophetiæ repleta. 354. n. 42. Parit filium. 354. n. 57. & 58. Nomen illi imponit. *Ibid.* n. 59. & 60. Elisabeth prius sterilis, deinde miraculo fœcunda, Ecclesiæ & animæ typus. 362. n. 57. In utero ejus ad Mariæ vocem infans exultat. 357. Deiparæ Virgini divinum conceptum gratulatur. *Ibid.*
Emmaus. Duobus Discipulis euntibus Emmaus Christus redivivus & gloriosus apparet. 459.
Encænia seu Festum anniversarium Dedicationis Templi. 516. Sermo Christi in Encæniis. 519.
Episcoporum est Divini Verbi alimoniam populis ministrare. 170.
Episcopi & Presbyteri sunt unus cum Christo Sacerdos. 312 Animarum Medici. *Ibid.* Belli adversus dæmonem sub Christo summo Imperatore Duces. *Ibid.* Quanta humilitate & charitate Christianum populum regere debent Episcopi & Sacerdotes. 330. Episcoporum officia. 401. n. 16. & 17. Pro reis olim intercedere solebant apud Principes & Magistratus, Christi mansuetudinem imitati. 511.
Evangelii titulus. 1. Auctoritas Ecclesiæ velut sigillum est, quo obsignatur Evangelium. *Ibid.* Evangelii definitio, excellentia, finis. *Ibid.* Quod antiquis per Prophetiam revelabatur, posteris eorum per Evangelium prædicatur. *Ibid.* Evangelium multiplici ratione sanctum. *Ibid.* Sic audiendum, ut præsens Dominus. *Ib.* Frequens Evangelii lectio sanctificat animam. *Ibid.*
Evangelium Jesu Christi cur dicatur? 2. Evangelii lectio sæcularibus viris magis necessaria quam Monachis. *Ibid.* Evangelii loci difficiles ab ejus lectione deterrere non debent Christianos, quantumvis simplices, & theologica scientia destitutos. *Ibid.*
Evangelii doctrina, mysterium a sæculis absconditum. 153. A Judæis transferenda ad Gentes. 228. n. 20. Evangelicæ prædicationis contemptores quæ pœna maneat? 291.
Evangelium ante mundi consummationem ubique prædicabitur. 249 An ante Hierosolymorum excidium in universo mundo prædicatum fuerit. *Ibid.* n. 13. Evangelicæ prædicationis efficacia. 254. n. 10. Evangelii prædicatio in universo orbe, in testimonium multiplex. *Ibid.*
Evangelii Ministris & Prædicatoribus, nulla superflua requirentibus, omnia necessaria debentur. 104. n. 7. Nonnisi apud boni nominis viros debent commorari. *Ibid.* n. 8.
Evangelii Scriptores Apostoli, aut Apostolici. *Præfat. in S. Marcum.* Evangelii prædicationem ubique terrarum Christus Apostolis demandavit. 343. n. 6. Illud Apostoli, accepto Spiritu Sancto, ubique terrarum prædicaverunt. *Ibid.* n. 10.
Evangelii credibilitas. 355. n. 1. Evangelii studium & meditatio. *Ibid.* n. 2. Evangelium non solum aufert ignorantiam docendo, sed adjuvat ad faciendam justitiam per gratiam Spiritus Sancti. 307. n. 5.
Evangelii Ministri. Ad Evangelicum Ministerium legitime & rite exercendum quæ necessaria? 505. In una Dei providentia, non in mediis humanis confidere debent Operarii Evangelici 405. n. 3. & 4.
Eucharistiæ institutio 270. n. 17. 453. Hæc verum Christi corpus pro nobis traditum & immolatum, non mera figura corporis. 270. Sub utraque specie a solis Sacerdotibus Sacrificium celebrantibus, non ab omnibus fidelibus sumendum Christus edixit. *Ibid.* n. 18. Propitiatorium Sacrificium. *Ibid.* n. 19. Sacramentum unitatis quo unum cum Christo, & inter nos fieri debemus. 278. n. 13. Christi corpus & sanguis in Eucharistia lac filiorum est, nexus, ac vinculum membrorum Christi, fœderis æterni sigillum, redemptio, pretiumque servorum & captivorum. 277. n. 9. quibus dispositionibus ad Eucharistiæ sumptionem accedendum. 279.
Eucharistiæ promissio. 495. Non figuram dumtaxat suæ carnis, sed veram carnem in hoc Sacramento se daturum Christus promisit. 496. Non spirituali tantum modo, sed corporaliter, & per participationem naturalem Christus in nobis est per Sacram Eucharistiam. *Ibid* Eucharistia panis vitæ, Sacramentum amoris. 542. Pignus resurrectionis & immortalitatis. *Ibid.* Ille digne non sumit nisi qui Christum in se manentem habet per charitatem. 501. Cum quibus dispositionibus ad Eucharistiæ sumptionem accedendum. 455. 497. Panis, quem Discipulis Emmaus euntibus Christus post resurrectionem dedit, non erat Eucharistia. 459. Per hoc Sacramentum Christus cognoscitur. 461.

Eunuchorum triplex genus. 211.
Excommunicationis pœna nulla in Eccleſia major eſt. 205. In correptionem ſaluberrimam, Deo volente, cedere atque proficere poteſt. *Ibid.*
Excuſationes in peccatis. 141. Ita excuſandi homines, ut peccata nunquam excuſentur. 140. n. 6.
Exorciſtæ Judæorum. 136. n. 15. 143. n. 17.

F

FAcere & docere. Non ſolos Prælatos & Doctores, ſed Chriſtianos omnes & ſingulos id officii ſuo modo ſpectat. 45. n. 15.
Faciendum alteri, quod ſibi. 66. n. 6.
Fatue, qui dixerit fratri. 34. n. 23.
Febris animæ a ſolo Chriſto ſanari poteſt. 291.
Felicitas. Magnæ virtutis eſt cum Felicitate luctari: magnæ Felicitatis eſt a Felicitate non vinci. 172.
Fermentum. Cavendum a fermento Phariſæorum & Sadducæorum. 183. n. 4. 186. n. 5. 415. Moralis corrupta fermentum eſt ex corruptione cordis originem ducens, quæ mores plurimorum inficit, ac depravat. *Ibid* n. 7. Fermentum Herodis. 91. & 322 n. 3. Fermenti in farinæ ſatis tribus abſconditi myſtica Expoſitio, 161. Corpus Chriſti in Euchariſtia divinum fermentum. *Ibid.*
Feſti Eccleſiæ dies qua ratione celebrandi. 504. n. 8.
Feſtuca in oculo fratris. 387. n. 41. & 42.
Ficus a Chriſto maledicta. 226. Cujus rei typus. 231. n. 11. 331. n. 3. Ficus in vinea plantatæ & ob ſterilitatem ſuccidi juſſæ Parabola. 419. Ficus infructuoſæ parabola moraliter explicata. 332. n. 2. 422.
Fides & cognitio myſteriorum, gratuitum Dei donum, pro quo agendæ Deo gratiæ. 196. n. 10. 346. 498. n. 29. Cum de fidei myſteriis agitur, humana ratio non audienda. 237. n 11. Ea vis fidei, ut montes transferre poſſit. 192. n. 14. 231. n. 11. & 12. 331. n. 5. Fides grano ſinapis comparata. 196. n. 13. Fons Orationis. 231. n. 12. Errores turbarum de Chriſto oſtendunt Fidem eſſe donum Dei. 402. n. 18. & 19. Hanc ſolus Deus augere poteſt. 401. n. 5. Myſteriorum intelligentia, merces Fidei. 505. n. 17.
Fidei Confeſſio. 146. n. 22. 325. n. 7. 413. n. 8. 9. 11. & 12. Chriſti Fides verbo & operibus confitenda. 115. n. 19. 345. 416. n. 8. 483. n. 36.
Fidelis in minimo, & in majori. 432.
Filii Dei Conſubſtantialitas cum Patre & coæternitas contra Socinianos vindicata. 463. Vid. *Chriſtus*. Filius Dei unigenitus homines in ſe credentes filios Dei adoptivos facit. 471. n. 12. & 13. Ejus exinanitionem comprehendere æque impoſſibile eſt ac magnitudinem. *Ibid.* Incarnationis ejus conſilium oppugnat, qui terrenis ac ſenſibilibus bonis adhæret. 472.
Filii Dei per Chriſti mortem in unum congregandi. 527.
Filius hominis Chriſtus in Evangelio antonomaſtice appellatus. Hæc veritas contra Crellium & Wolzogen Socinianos, ac Grotium vindicatur. 386. n. 3. 4. & 5.
Firmus. Nemo erit a Deo firmus, niſi qui ſe a ſeipſo ſentit infirmum. 172. n. 19.
Flagellatio Chriſti Jeſu, Flagellis & diſciplinis ſponte ſuſceptis pie honoratur. 559.
Fons aquæ ſalutaris Chriſtus Jeſus. 545. Non nos deſerit fons, niſi deſeramus fontem. *Ibid.*
Fratres Chriſti qui ſint qui non credebant in eum? 501.
Fructus alius centeſimus, alius ſexageſimus, alius trigeſimus. 156. n. 7.
Frumenti granum mori neceſſe eſt ut fructum afferat. 527. Granum frumenti Chriſtus Jeſus. 530. Chriſtiani granum frumenti eſſe debent. *Ibid.*
Fucorum uſu manus inferunt Deo Chriſtianæ mulieres. 340. n. 11.
Fuga in perſecutione. 106. n. 17. Perſecutio corpore interdum fugienda, non animo. 113. n. 14. Chriſtus Jeſus cur fugit & latet ut homo? 503. n. 1.

G

GAbriel Angelus apparuit Zachariæ. 349. Miſſus ad Mariam Virginem. 351.
Galilæi a Pilato in ſacrificiis interrempti. 419.
In Galilæa primum Chriſtus prædicavit. Cur Galilæa Gentium appellata? 23. n. 11.
Galilææ urbes incredulas, Corozaim, Bethſaida, Capharnaum, Chriſtus increpat. 122. n. 16. 17. 18. & 19.
Gallinæ pullos ſub alas congregantis ſimilis Chriſtus. 247. n. 20.
Gaudium. Qua ratione gaudendum in Sanctorum Natali? 356. n. 14. & 15. Chriſtianis unde gaudendum? 406. n. 20. Gaudium majus in Cœlo de converſis peccatoribus, quam de juſtis ſtantibus. 428. n. 10. Gaudium chriſtianum inchoatum in fide renaſcentium, implebitur in præmio reſurgentium. 5 . n. 11. Gaudium mundi & triſtitia electorum modicum durant; utriuſque vices. 546. n. 16. 17. & 18.
Gazophylacium. Vidua duo æra minuta mittens in gazophylacium, plus omnibus miſit. 377. n. 7. 336. n. 7.
Gehennæ nomen unde ad locum ſupplicii Damnatorum translatum eſt? 34. n. 23.
Genealogia Chriſti ſecundum Matthæum. 3. Antitheſis inter Catalogum generationis primi Adam, & ſecundi Adam. *Ibid.* Cur David & Abraham in Genealogia Chriſti potiſſimum nominati? *Ibid.* Cur tres Reges in ea prætermiſſi? *Ibid.* Genealogia Joſeph, non Mariæ Virginis a Matthæo deſcripta. 4. n. 12. Cur generationes omnes in tres teſſera Decades diviſæ? *Ibid.* Genealogia Chriſti ſecundum Lucam. 375. Stemma genealogicum Joſeph exhibet pariter Lucas, non Mariæ Virginis. 377.
Gentiles volunt videre Jeſum. 526. Veniunt Hieroſolymam adoraturi in die feſto. *Ibid.* Vicinæ tamen, & multo minus remotiſſimæ a Paleſtina Gentes unum verum Deum non colebant. *Ibid.* Quidam ex Gentibus, non Gentes integræ aſcendebant in Jeruſalem ad diem feſtum, ut verum Deum adorarent. 529. n. 20. & 21.
Gentium vocatio, & reprobatio Judæorum. 82. n. 9.
Gloria & laus humana non appeti a recte faciente, ſed ſubſequi debet recte facientem. 51. n. 2. Vana gloria & oſtentatio fugienda, cujus ſtudium hypocritarum proprium eſt. 52. n. 3. 4. 5. Bonorum operum fructus corrumpit. 56. & 61. n. 15. Inanis gloriæ contemptus. 141. n. 12. 498. Vitium iſtud inimicum piæ fidei. 243. n. 3. Paſtoribus Eccleſiæ maxime fugiendum. *Ibid.*
Gloriæ humanæ aviditas impedit ne fides recipiatur, 491. n. 44. Gloriæ propriæ ſtudium character eſt falſorum Prophetarum, & Antichriſti 505. n. 18.
Gloriam Chriſti ab hominum gloria quomodo diſcernit Pater æternus? 513. n. 10.
Gratiæ Chriſti neceſſitas ad rerum divinarum cognitionem. 130. Ad omne opus bonum. 540. n. 25. Ad mandata Legis implenda. 329. n. 5. Sine gratia Chriſti nihil poſſumus facere, ſive parum, ſive multum, nec cor præparare. 542. Gratia Donum Dei. 485. Eam ne quidem deſiderare aut petere ex propriis viribus poſſumus. *Ibid.* Prima gratiæ operatio eſt in homine, ut deſideretur, & deſiderata per orationem poſtuletur. *Ibid.* Altera eſt horror & confeſſio peccati. *Ibid*
Gratiæ medicinalis Chriſti ſuavitas cum efficacia conjuncta. 499. n. 44. & 45. Ejus œconomia & efficacitas confeſſione omnipotentiæ Dei in ſymbolo exprimitur. 357. n. 36. & 37. Gratia & charitas ineffabilem ſuavitatem & facilitatem in bono ſecum affert. 501.
Gratiæ & Legis diſcrimen. 356. n. 18. Quod Dei gratiis & benedictionibus non cumulemur, culpa noſtra eſt. 356.
Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum, & gratia pro gratia, quam de plenitudine ejus accipimus. 468. & ſeq.
Gratia dona Dei creſcunt in eis, qui recte utuntur; qui tamen rectus uſus, Dei munus eſt. 492. n. 11.
Grotius Zachariæ vaticinium de Rege pullo aſinæ inſidente, ad Sion venturo, ad Zorobabel perperam detorquet. 225. Grotii expoſitio Socinianis favens refellitur. 510. Grotii Pelagiana interpretatio hujus loci Joannis XV. *Sine me nihil poteſtis facere*. 541. Grotii audacior conjectura, quod vigeſimum primum caput Evangelii ſecundum Joannem Sanctus Evangeliſta non ſcripſerit, ſed Epheſina Eccleſia poſt ejus mortem addiderit. Refellitur hic error. 563.

H

HAbitus. Ad habitus pravos eradicandos opus eſt oratione, qua anima humilietur; & jejunio, quo caro mortificetur. 196. n. 14.
Hemorrhoiſſa mulier a Jeſu curata. 89. & 395. Ejus fides. 96. n. 15. Mulier illa peccatoris typus. *Ibid.* n. 16. Hujus mulieris pudorem, humilitatem, ſpem peccator imitetur. *Ibid.* n. 17. Morbi & curationis ejus circumſtantiæ typi ſunt morborum animæ & curationis eorum per gratiam Chriſti medicinalem. 317. n. 2. Concupiſcentia per hujus mulieris morbum ſignificata. 397. Hic ſanari incipit per gratiam medicinalem Chriſti, perfecte curabitur per charitatem conſummatam. 398.
Hæreditas. In hæreditate fratrum dividenda immiſcere ſe Chriſtus noluit. 413. n. 13. & 14. 416.
Hæretici pſeudo-prophetæ ſunt. Eorum characteres. 71. n. 7. 448. Quomodo convincendi. 71. Etſi bonos videtur oſtendere laudabilis converſatio, malos facit ipſa diviſio. 73. Cavendi & fugiendi. *Ibid.* Unde cognoſcantur? *Ibid.* Miſſionis ſuæ documenta proferre non poſſunt. 448.
Herodis Magni tempore Chriſtus natus. 7. n. 1. Ejus crudelitas. 9. n. 11. Mors. 11. n. 14. Herodes Politicorum impiorum typus. 12. Chriſtianis ſecundum Deum

Deum viventibus non deeſt Herodis perſecutio. *Ibid.* Quinam cum Herode naſcentem Salvatorem perſequuntur. 13. n. 8.
Herodes Antippas Galilææ Tetrarcha. 163. n. 1. Dubitat, num Jeſus ſit Joannes Baptiſta redivivus. *Ibid.* n. 2. & 318. n. 3. & 399 Ducit Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui. 165. Quam ob rem a Joanne Baptiſta arguitur. *Ibid.* Joannem vult occidere. 165. Jubet illum decollari. *Ibid.* n. 7. & 8. Vulpes a Chriſto dictus. 420. n. 32. Coram illo ſiſtitur Jeſus. 456. Et ab eo illuditur. 458. n. 11.
Herodiadis filia coram Herode ſaltat. Spondet Herodes illi ſe daturum quidquid petierit. Sponſionem juramento confirmat. 164. Puella, ſuggerente matre, petit caput Joannis Baptiſtæ. *Ibid.*
Hieroſolymam ingreditur Chriſtus ut Rex, ut victor, ut victima pro totius mundi peccatis immolanda. 229. n. 4.
Homicidium. Non homicidium dumtaxat, ſed iram, convitium, & verba contumelioſa, præcepto *Non occides* prohiberi Chriſtus docet. 34. n. 20. 21. 22. & 23.
Hora crucifixionis Chriſti, circa quam Evangeliſtæ conciliantur. 561.
Hoſanna filio David. 225. n. 5.
Hoſpitalitatis merces. 496. 107. 110. 462. n. 29.
Humanitas ſancta Chriſti omnibus pietatis officiis proſequenda. 529. n. 7. & 8.
Humilitas a Chriſto diſcenda. 131. n. 22. Humilitas virtutes alias accipit, ſervat acceptas, ſervatas conſummat. *Ibid.* Non ſolum humilitatem cognitionis, ſed cordis Chriſtus docet. *Ibid.* Suæ humilitatis exemplo morbum ambitionis in Diſcipulis curat. 227. n. 16. & 17. Tota victoria Salvatoris, qua & diabolum vicit, & mundum, humilitate eſt confecta. 8. n. 8. Humilitas Chriſti damnat ſuperbiam hominis pro juribus ſuis contendentis. 197. n. 16. Via humilitatis & crucis ineunda, ut ad regnum cœlorum perveniamus. 223. n. 9. Humilitas via compendiaria ad cœleſtium myſteriorum cognitionem. 302. n. 6. 406. Gradus eſt ad veram celſitudinem. 201. n. 3. 403. n. 48. Maximum fidei noſtræ opus. 216. Cum animi celſitudine conjungenda. *Ibid.* Ad unum humilitatis primatum Eccleſiaſticis viris aſpirare licet. 240 n. 7. 327. n. 3. 534. n. 16. & 17. Humilitas gratiæ divinæ ſemper familiaris. 358. n. 38. Noviſſimum locum elegit. 421. & 424. Qui ſe humiliat exaltabitur. *Ib.* Humilitatis chriſtianæ ſenſus & affectus quam oppoſitus præſumptioni? 404. n. 57.
Hydropicus a Chriſto curatus. 422. Divitis avari typus. 424. n. 2. & 4.
Hypocriſis virtutum fucus, tinea ſanctitatis. 61. n. 15. Peſtis inſtar fugienda. *Ibid.* Characteres hypocritarum. 244. n. 10. & 11. 245. n. 14. 335. n. 6. Hypocritarum & vere humilium oppoſitio. 385. n. 33. Hypocriſis fermento comparata. 415. n. 1. Hypocritarum gaudium momentaneum & inane. *Ibid.*

I

Jacobus Zebedæi filius, cum Joanne fratre de navi vocatus, & Apoſtolus electus. 25. In Transfiguratione aſſumptus. 191. In horto. 271. Ejus & Joannis fratris ambitioſa petitio. 219. 328. n. 6. Jacobus aſſumptus a Chriſto in ſuſcitatione filiæ Jairi 316. *Zelo* incenſus contra Samaritanos. 400. Jeſum de tempore everſionis Templi interrogat. 336.
Jactantia juſtos de gradu altiore meritorum præcipitat. 21. n. 4. Jactantiæ laqueum ſpiritualibus fortibuſque viris diabolus tendit. 27. n. 6. Jactantia fugienda. 100. n. 24.
Jairi Principis Synagogæ filiam Chriſtus a morte ſuſcitat. 88. & 397. Mortis ejus & reſurrectionis myſtica ſignificatio. 96. n. 14. 99. n. 2:. 317. n. 4.
Jechonias Joſiæ filius idem qui Joachim. 3. n. 9. Jechoniæ duo. 4. Jechoniæ prioris fratres cur in Chriſti genealogia recenſiti? *Ibid.* Jechonias qua ratione ſterilis a Deo denunciatus, cum filium habuerit Salathielem? *Ibid.* n. 10.
Jejunium remedium ſalutis. 20. Chriſtus in jejunio ſuo Quadrageſimæ nobis oſtendit Sacramentum. *Ibid.* Jejunii vis ad tentationes vincendas. 26. n. 3. Jejuniorum utilitas. 54. n. 15. Jejunia frequentia Diſcipulorum Joannis & Phariſæorum. 88. n. 12. 94. n. 12. Jejunium magnum & generale abſtinere ab iniquitatibus & voluptatibus. *Ibid.* Jejunium duplex: tribulationis & gaudii. 95.
Jejunium Chriſti. Tria a Domino ad ſalutem noſtram principaliter ordinata: Sacramentum, deſertum, jejunium. 437.
Jeremiæ Vaticinium de abductione decem Tribuum in captivitatem *Vox in Rama eſt* &c. Infantium Bethleemitarum cædi ab Herode factæ S. Matthæus appoſite accommodat. 10. n. 12.
Jeruſalem interfectrix Prophetarum. 420. Excidium ejus a Chriſto prædictum. *Ibid.*
Jeſus Salvator & Meſſias a Deo promiſſus. 3. Chriſtus eſt, id eſt unctus ut Sacerdos, Rex, & Propheta, *Ibid.* Joſue typus Jeſu Chriſti. *Ibid.* Nominis Jeſu vis & excellentia. 5. n. 20. Idem eſt Jeſus & Emmanuel, non ſono, ſed ſenſu. *Ibid.* n. 22. Jeſus verus Meſſias Deique filius 167. n. 25. 322. Jeſum eſſe verum Meſſiam a Deo promiſſum probat Iſaiæ vaticinium in ipſo adimpletum. 134. n. 11. Jeſus verus Dei filius, & filius Davidis, verus Meſſias Davidi promiſſus. 235. 351. In Jeſum unum erigendi ac defigendi oculi. 195. n. 7. Vide verb. *Chriſtus*. Regnum Jeſu æternum. 352. 357. Poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. 367. n. 34. 375. Quomodo ſapientia & ſcientia proficiebat. 368. n. 42. Quomodo quærendus? *Ibid.* Amiſſus non invenitur ſine dolore & lacrymis. 376.
Ignis inferni inextinguibilis & æternus. 260.
Ignem in terram mittere venit Chriſtus. 414. Ignis inferni corporeus 433. n. 24. De hujus natura, qualitatibus, & loco non eſt operoſius diſputandum. 432. n. 22.
Ignorantes Dominum nulla exceptio tuetur a pœna. 418. n. 47. & 48. Gravius peccat ſciens voluntatem & legem Dei, quam ignorans. *Ib.* Ignorantia ſimplex divinæ legis neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat. *Ib.* Nec paſtores, nec oves, nec Directores, nec eos qui diriguntur, abſolvit. 389. n. 39.
Impœnitentia eſt Spiritus Blaſphemiæ, quæ non remittitur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. 145. Unum ſuffugium eſt ne ſit irremiſſibilis blaſphemia, ut cor impœnitens caveatur, nec aliter prodeſſe pœnitentia credatur, niſi ut teneatur Eccleſia, ubi remiſſio peccatorum datur. *Ib.*
Impœnitentes Chriſtianos gravior pœna manet, quam Tyrios, & Sidonios, immo quam nefarios Sodomorum incolas, 129.
Impudicorum characteres in dæmoniaco fero adumbrati. 397.
Incarnatio. Dei omnipotentia, ſanctitas, miſericordia in Incarnati Verbi Myſterio maxime eluxerunt. 351 n. 49. 50. & 51. Tres effectus Incarnationis Chriſti 364. n. 78. 79.
Infantia Chriſtiana. In ea proficiendum & perſeverandum. 212. n. 6. 331. n. 4. 403. n. 48. 444. n. 17.
Infantium cædes ob Herode imperata. Hujus hiſtoriæ veritati non præjudicat Joſephi ſilentium. 9. n. 11. Infantes pro Chriſto occiſi, martyres gratiæ, victimæ Sapientiæ Incarnatæ. 10. Perſecutionem pro Chriſto pati & mori nos docuerunt. *Ib.* n. 12.
Infidelitatis magnum peccatum, quo tenentur cuncta peccata. Hujus rei Judæi non fuiſſent, niſi Chriſtus veniſſet, eoſque docuiſſet. 542.
Infirmitatum corporis bonus uſus. 84. Quicunque ſunt ſpiritualiter infirmi, ducendi ſunt ad Jeſum ut ſanentur. 381. n. 14.
Inimicorum dilectio in Evangelio præcepta, nota Chriſtianorum propria. 39. & ſeq. Merces diligentium inimicos, adoptio filiorum Dei. *Ib.* Inimici qua ratione diligendi? 50. n. 27. Cum inimicum amas, fratrem amas. *Ib.* Sic diligere debemus inimicos, quo modo Medicus diligit ægrotos. *Ib.* Pro illis orandum. Deo contumeliam infert, qui contra inimicum orat. *Ib.* n. 29. Contra inimici malitiam orandum eſt, ut illa moriatur, & ille vivat. *Ib.* De inimicorum dilectione rurſus 386. n. 26.
Injuriarum condonatio. 54. n. 14. 60. n. 11. & 14. 199. n. 17. Non ad hoc valet, ut ſit iniquitas impunita, aut torpens diſciplina. *Ib.* & 440. n. 3. Nulla eſt injuria, quam non debeas condonare. 205. n. 15. Qui non vult injurias condonare proximo, peccatorum veniam a Deo non obtinebit. 205. 425. Injuriarum condonatio neceſſaria ut oratio nobis ſit utilis. 332. n. 6. Injuriæ ſepties proximis dimittendæ, id eſt, frequentiſſime. 332. n. 3. & 4.
Innocentia Chriſtiana. 46. n. 17.
Intelligentiæ donum ferventi oratione a Deo poſtulandum. 180. n. 9.
Intentio recta. 54. n. 18. Opera noſtra Deo non placent, niſi fiant intentione ſuperna ob finem charitatis. *Ib.* Puritas intentionis in omni opere bono neceſſaria, ut non ſolum bonum ſit quod facimus, ſed & propter quod facimus. 62. n. 17. Gemina virtus in homine perfecto, intentio, & actio. 355. n. 1. Pura & recta intentio, Chriſtianæ vitæ oculus. 412.
Invidia non modo phariſaicum, ſed diabolicum crimen. 139. n. 2. 415. n. 12. Non minus invidi, quam fornicatores a cœtu fidelium exterminari merentur. 141. n. 11. Invidia nulla malignitas pejor. 143. 163. n. 29. Vetuſtum invidiæ malum. 503. Gravium malorum in Eccleſia ſeminarium. 537.
Joannis Baptiſtæ magnitudo, dignitas, & miniſterium ab Angelo prænuntiantur. 350. n. 14. 15. 16. & 17. An Joannes in utero Chriſtum agnoverit, rationis uſu, & Spiritus Sancti illuſtratione donatus? 353. n. 40.

Joannis Baptiſtæ nativitas, circumciſio, nomen afflante Spiritu Sancto impoſitum. 354. n. 57. & 58. Manſit in deſertis uſque in diem quo miniſterium ſuum obire cœpit. 355. n. 80. A Deo miſſus. 356.

Joannis Baptiſtæ veſtis aſperior, prophetarum propria. 14. n. 5. Cibus ejus locuſtæ inſecti genus, non herbarum & foliorum ſummitates. 15. n. 6.

Joannis Baptiſtæ prædicatio. 14. n. 1. 375. Prædicationis ejus locus, veſtitus, cibus, piæ meditationis argumenta. 14. n. 6. Pœnitentiam & Regnum cœlorum proximum prædicat. 14. n. 2. & 3. Vox Verbi. *Ib.* n. 4. Limes veteris & novi Teſtamenti. 121. n. 10. 128. n. 11. Mirabilior Elia. 18. n. 1. Phariſæos & Sadducæos graviter increpat. 15. n. 8. Fiduciam juſtitiæ tum propriæ cum alienæ Judæis eripit. *Ib.* n. 10. Fructus pœnitentiæ & bonorum operum non facientibus ſecurim & excidium minatur. *Ib.* n. 11. Baptiſmus ejus typicus. *Ib.* n. 7. Ejus prædicatio Concionatorum Evangelicorum & Directorum exemplar. 306. 363. n. 75. & 76. 364. n. 80. 377. n. 2. Typus legis. *Ib.* n. 2. Officio Angelus. 305. Remiſſionem peccatorum non dabat, ſed ad eam præparabat. 363. Sacerdotum & Levitarum a Phariſæis ad Joannem Legatio 472.

Joannis Baptiſtæ de Chriſto teſtimonium multiplex. 466. n. 15. & ſeq. 490. n. 33.

Joannis Baptiſtæ miſſio in carcerem ſtatim poſt Baptiſmum & tentationem Chriſti non contigit. 306. n. 6.

Joannes Baptiſta Herodem prophetica libertate corripit. 164. Ejus juſſu in carcerem detruditur. 165. n. 8. In vinculis liberior, quam Herodes in ſolio. 124. n. 2. Ex vinculis mittit legationem ad Chriſtum. *Ibid.* Duo ejus Diſcipuli ad Chriſtum miſſi, duorum populorum typi, Judaici, & Gentilis. 125. Coram eis multa miracula Chriſtus edit. 120. n. 3. Joannes juſſu Herodis decollatur. 165. n. 8. A Diſcipulis ſuis ſepelitur. *Ib.* n. 9. Mors ejus Jeſu nunciatur. *Ib.*

Joannis Baptiſtæ zelum, fidelitatem, conſtantiam in reprehenſione vitiorum, & correptione peccatorum, paſtores animarum, & prædicatores imitari debent. 167. 307. Joannes Martyr caſtitatis. Præclara ipſum inter & Joſeph Patriarcham antitheſis. 168. n. 6.

Joannis Baptiſtæ laudes. 120. n. 5. 6. 7. & 8. 126. Ejus humilitas. 126. 450. Nemo inter natos mulierum eo major. 120. Chriſtus arguit duritiem cordis Judæorum, qui nec ſibi, nec Joanni crederent. 121. n. 14. 129. n. 13. Joannem laudat Chriſtus. 390. Lucerna erat ardens & lucens 490. n. 34.

Joannes Apoſtolus & Evangeliſta. Ejus privilegia. *Præfat. in Joan.* Ejus Evangelium ubi, quando, & qua occaſione ſcriptum. *Ibid.* A Platonicis celebratum. *Ibid.* Evangeliorum primitiæ. *Ib.* Ejus ſenſum quis percipere poteſt? *Ibid.* Joannes dilectus Jeſu Diſcipulus in ejus ſinu recumbit. 532. n. 23. & 24. Virginalis caſtitas aditum illi patefecit in ſinum Jeſu. *Ib.* Stat juxta Crucem. 558. Mariæ in filium, & Maria illi in Matrem a Chriſto datur. 560. Præcurrit citius Petro ad monumentum. 561. Solus cognoſcit Chriſtum in littore poſt reſurrectionem. 565. Non dixit Jeſus Joannem non moriturum. *Ibid.* Mortuum eſſe certum eſt. *Ibid.*

Jonæ Prophetæ ſignum. 137. n. 24. & 25. 182. n. 3. 409. Jonas Chriſti Domini typus. 146. n. 25.

S. Joſeph Faber Lignarius. 154. n. 25. Ille, & Maria Virgo ex una tribu. 4. n. 12. Verum utriuſque matrimonium. *Ib.* Vere pater Chriſti mente, non carne. *Ib.* Spiritus ſanctus Joſeph, & Mariæ filium dedit Jeſum Chriſtum. *Ibid.* Omne nuptiarum bonum in illis impletum eſt. *Ibid.* Joſeph inſignis juſtitia & charitas. 5. n. 19. Cur Angelus ei in ſomnis apparuit, Mariæ vero vigilanti? 5. n. 19. & 11. n. 13. S. Joſeph paterna auctoritas in impoſitione nominis Jeſu. 5. n. 20. Joſeph de Maria Virgine ſuſpicio falſa, non malevola. *Ib.* n. 20. Angeli monitu fugit in Ægyptum cum puero Jeſu & ejus matre ſanctiſſima. 9. n. 10. Cum iiſdem revertitur mortuo Herode. 11. n. 13. Divino monitu ſecedit in Galilæam. 11. n. 14. S. Joſeph obedientia & æquanimitas in proſperis & adverſis imitandæ. 12. n. 10.

Joſeph ab Arimathæa Corpus Jeſu poſcit a Pilato. 291. n. 30. 558. Ponit illud in monumento novo in petra exciſo. *Ib.* & 297. n. 23. 457. Joſeph Chriſtum Jeſum ſepelientis elogium. 343. n. 13.

Ira cohibenda. 46. n. 17. Recens ira evellatur, ne in odium convertatur. 68. n. 2.

Iſaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium. &c.* Chriſto S. Matthæus applicat. Hæc applicatio quæ ſenſus eſt litteralis oraculi Prophetici, vindicatur. 6. n. 21. Ex Iſaiæ memorato vaticinio miſſionem ſuam probat Chriſtus Jeſus. 380.

Judas & fratres ejus cur in Chriſti genealogia recenſiti? 3.

Judæ Iſcariotis pactum cum Sacerdotum Principibus de Chriſto tradendo. 268. n. 9. Proditionem ejus Chriſtus prænuntiat. *Ib.* n. 13. 14. & 15. 278. Judæ traditio 269. & 275. n. 7. 281. Falſa ejus pœnitentia & deſperatio. 285. n. 2. 291. n. 2. Judæ traditio. Judam a fide defeciſſe S. Hieronymus cenſet. 486. n. 7. Judas fur ſacrilegus. 526. Multi Judæ ſimiles in Ordine Eccleſiaſtico fures. *Ib.* Satanas in Judam intrat poſt bucellam panis. 455. 532. n. 26. 535. n. 26. & 27. Ad impietatis cumulum per gradus pervenit. 455. Qui Judæ imitatores? *Ib.* & 534. n. 21.

Judea in provinciam redacta, & in plures Tetrarchias diviſa. 376. n. 1. & 2.

Judæi quo ſenſu credere non poterant? 528. n. 39. & 40. Judæi rei non fuiſſent infidelitatis, niſi Chriſtus veniſſet, eoſque docuiſſet. 542.

Judæorum cæcitas a Prophetis prædicta. 150. n. 5. Cæcitate pleni ſunt ob ſuperbiam & contemptum Evangelii. *Ibid.* Quibuſdam cæcitas profuit ad converſionem. *Ibid.* Judæi Galilæi Jeſum ob parentum ejus obſcuram conditionem & paupertatem contemnunt. 154. n. 25. Eorum incredulitas impedit ne Chriſtus apud illos edat miracula. *ibid.* n. 27. Judæorum Codices ad inſtructionem gentium recitantur. 8. n. 5.

Judicium ultimum quo modo timendum? 190. Salutaris ejus recordatio. *Ibid.* Judicii dies nemini homini vel Angelo notus. 251. n. 28. Chriſtus ad judicium improviſus & inexpectatus hominibus adveniet. *Ib.* n. 29. 446. Quomodo ſe quiſque præparare debet ad judicium? 256. 265. 441. 451. 493. n. 22. Chriſti ad ultimum judicium adventus. 259. Sententia a Chriſto judice ferenda 260. Judicium peccatoribus terribile. 264. Judiciorum divinorum timor ad mundi peccatique fugam compellere nos debet. 254. n. 12. 13. & 14. 451. n. 25. & 28.

Judicium duplex, unum diſcretionis, alterum damnationis. 493. Judicium mundi per Chriſti mortem non condemnationis eſt, ſed vindicationis generis humani a diaboli tyrannide. 527. n. 31. 32. & 33. Sermo Chriſti judicabit nos in noviſſimo die. 526. n. 48. Chriſtiani ex Evangelio judicabuntur. 531. n. 48.

Judicium temerarium ſuperbaque & immitis vitæ alienæ cenſura, vel curioſa exploratio. 65. n. 1. & 2. Juſtitiæ & charitati repugnat. 68. n. 1. Non judicandum ſecundum faciem. 502. n. 24. Judicia temeraria vitanda. 511. n. 15.

Jugum Chriſti ſuave. 123. n. 24. 25. & 26. 132. n. 23. Leve fit charitate & ſpe beatitudinis futuræ. *Ib.* Jugum mundi aſperrimum. *Ib.*

Juramenti religio, perjurii crimen. 36. n. 29. Scribarum & Phariſæorum circa juramentum errores. *Ib.* & 241. n. 12. Jurisjurandi Herodiani falſa religio 168. n. 5. Non modo perjurium, ſed juramentum omne non neceſſarium Dei lege prohiberi Chriſtus docet. 36. n. 30. 48. n. 24. Quæ occurrit aliquando jurandi neceſſitas, a malo eſt. 36. n. 31. Chriſtianum oportet habere apud externos vitam fide dignam, ut ne poſtuletur quidem ab eo jusjurandum. 36. Falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt. 48. n. 24.

Juſtitia Chriſtiana. Vera juſtitia in quo poſita? 356. n. 6. Veræ juſtitiæ characteres. 348. n. 2. Juſtitia chriſtiana tota pene in humilitate & pœnitentia poſita. 19. n. 5. Maxima & plena juſtitia eſt ſe inferiorem etiam ipſis inferioribus exhibere. *Ib.* Omnem juſtitiam id eſt omnia divinæ Legis mandata implere nos oportet, ex quo filii Dei per Baptiſmum facti ſumus. *Ib.* Juſtitiæ fames & ſitis in quo poſita ſit? 29. n. 5. 41. n. 5. Amare juſtitiam eſt diligere Deum. *Ib.* n. 5. Juſtitiæ Chriſtianæ & Phariſaicæ diſcrimen. 33. n. 19. 45. n. 16. Veri perfectique amatores juſtitiæ pro illa non ſolum contemnunt voluptates, ſed dolores. 155. Juſta vita cum volumus adeſt, nec plus aliquid perficienda juſtitia, quam perfectam voluntatem requirit. 132. n. 23.

Juſti in hujus vitæ decurſu boni ſimul & mali ſunt; inde boni, unde filii Dei; inde mali, unde filii ſæculi. 74. Juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Dei. 153. n. 19

L

Laborantes Chriſtus reficit. 131. n. 21. Amarius laborant cogitationibus divites, quam operationibus pauperes. 132.

Lacrymarum gratia. 41. n. 4. Lacrymæ pœnitentium, vinum Angelorum *Ib.* Dulciores lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. *Ib.*

Lacrymæ Jeſu ſuper Jeruſalem. 446. Et ſuper animam peccatricem. 447. Lacrymæ noſtræ cum ejus lacrymis miſcendæ. *Ib.* Lacrymæ Chriſti ob mortem Lazari. 522. Vis lacrymarum Chriſti. 525. n. 35. & 36. Gemitus & lacrymæ pars Chriſtiani. 549.

Lapis angularis, ab ædificantibus reprobatus, Chriſtus. 228. n. 18. 232. n. 16.

Latrones duo cum Jeſu crucifixi. 295. n. 15. 457. Latronum alter illum blaſphemiis inceſſit. 289. Alter illum orat. 457. Oranti Paradiſum Chriſtus promittit. *Ibid.*

Quo promiſſo oſtendit ſe gratiam meritis non dare. 459. Bonus Latro Chriſti in Cruce Confeſſor ſuo ſanguine baptizatus. 460.
Latus Chriſti lancea tranſixum. 558. Ex latere Chriſti morientis Sacramenta fluxerunt, Eccleſia formata eſt. 561.
Lazarus mendicus. *Vid.* Dives Epulo.
Lazarus Mariæ & Marthæ frater, Chriſti Jeſu amicus. Mors eius & reſurrectio. 521. Quid myſtice ſignificet? 525. Mortuus ſub lapide, reus ſub lege. *Ibid.* Lazarus redivivus, unus ex diſcumbentibus apud Simonem Leproſum. 526. Judæorum Sacerdotes necem illi inferre moliuntur. 527.
Leproſi curatio a Chriſto. 76. n. 2. 3. 4. & 5. 306. Animæ lepra, & ejus ſanatio. 79. & 308. n. 10. Decem leproſi. 440. n. 12. 17. & 18.
Legiſperitus Chriſtum interrogat quid facto opus ad vitam æternam poſſidendam? 495.
Lex & Prophetæ uſque ad Johannem; Lex, ut reos faceret qui deſiderarent ſalutem; Prophetæ ut promitterent Salvatorem. 32. Legis & gratiæ diſcrimen. *Ibid.* & 472. Lex per Moyſen data, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta. 32. 472. In Lege & Prophetis quatuor erant, quæ Chriſtus implevit. 32. n. 16. Lex impletur vel cum fiunt quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata ſunt. *Ibid.* Lex impleta eſt per gratiam liberantem, quæ non implebatur per litteram jubentem. 32. Legem Chriſtus adimplevit in ſe ipſa, in ſe ipſo, in membris ſuis. 44. n. 14. Legem univerſam implere tenemur, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ; non propter bona temporalia, ſed propter cæleſtia, & æterna. 45. Lex Chriſti Moſaica Lege longe præſtantior. 505. n. 19. Alienigenis legem enarrare & profanis aperire divina myſteria, crimini datum apud Judæos. 503. n. 35. Lex Dei, vitæ noſtræ regula. 524. n. 9. & 10. 522. n. 26.
Libertas prima eſt carere criminibus. 512. n. 36. In hac vita inchoata eſt, non perfecta juſtorum libertas. 513.
Ligandi & ſolvendi poteſtas S. Petro ut Eccleſiæ perſonam gerenti, & omnium Epiſcoporum Capiti, a Chriſto tradita. 188. n. 12. Item omnibus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus. 199. n. 14. Ligandi & ſolvendi poteſtate abutuntur Sacerdotes, qui contra legem a Chriſto latam, & contra Eccleſiæ regulas abſolvunt, aut ligant. *Ibid.*
Limbus. Theologorum Catholicorum de Limbo Patrum ſententiam, a S. Auguſtino approbatam, immerito fugillant Heterodoxi. 433.
Lingua domanda. 46. n. 18. 237. n. 8.
Litigare pro rebus terrenis qua ratione Chriſtiano indignum. 416. n. 13.
Loth. Sors uxoris Loth in memoriam revocanda. 440. Quinam illam imitentur? 443.
Lotio pedum Apoſtolorum. 532. Humilitas Chriſti in hoc miniſterio. 533. n. 2. 3. & 4. Myſtica pedum ablutio. 534. Chriſti Jeſu Diſcipulorum ſuorum pedes abluentis humilitas & charitas imitandæ. 535.
S. Lucas Pauli Diſcipulus græce ſcripſit Evangelium poſt SS. Matthæum & Marcum. *Præfat. in Lucam.* Quidam Apoſtolorum Diſcipuli ante illum hiſtoriam rerum a Chriſto geſtarum contexere fruſtra conati. 348. n. 1. Non conſilio tantum humano & propria electione, ſed inſpiratione Spiritus Sancti Evangelium ſcripſit. *Ibid.* Audita magis ab his qui viderant, a Deipara Virgine præſertim, & Apoſtolis, quam a ſe viſa ſcripſit. 350. Ordinem temporis num ſervaverit in omnibus? *Ibid.* n. 3.
Lucerna corporis oculus ſimplex. 409.
Luctus beatitudo Chriſtianorum in terris peregrinantium. 29. n. 4. Multi flent fletu Babylonico. 41. n. 4. Humilium fletus magnus eſt concupiſcentiæ carnalis interitus. 41.
Lumbos præcincti, & lucernas ardentes in manibus tenentes, noviſſima noſtra, & Domini adventum expectare debemus. 414. 418.
Lunaticus a Chriſto curatus. 192. 324. n. 4. 399. Miraculum iſtud moraliter exponitur. 324. n. 2. Cur Apoſtoli Dæmonem ex pueri lunatici corpore ejicere non potuerint? 192. n. 14. Lunaticus typus peccatoris. 196. n. 10. Lunaticus typus eſt peccatoris ab adoleſcentia mortali peccato, & diaboli ſervituti addicti. 403. n. 38. & 39.
Lux vera omnem hominem illuminans Chriſtus Jeſus. 470. 507. n. 12. 510. n. 12. 528. Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. 520. Qui male agit, odit lucem: qui facit veritatem, venit ad lucem. 482.
Luxuria & impudicitia homines ſibi magis ſubjicit diabolus, quam per alia vitia. 307. n. 7. Luxurioſi & impudici ſimiles homini a dæmone poſſeſſo, qui in monumentis habitabat, & a nemine domari poterat. *Natal. Alex. In Evang.* 316. n. 1. Luxurioſi & impudici hominis characteres. 319.
Luxus & ſtudium pretioſarum veſtium ſine culpa non ſunt. 126. n. 6.

M

Magi Chriſti adoratores qui fuerint? An plures? An Reges? 6. n. 2. Statim ab ortu Chriſti, ante Deiparæ Virginis purificationem venerunt. *Ibid.* Ex qua regione, incertum. *Ibid.* Magorum illuminatio, magnum teſtimonium cæcitatis. *Ibid.* Balaami poſteri fuerunt, aut ab ejus poſteris traditionem de ſtella magni Regis ortum indicatura accepere. 7. n. 3. Quæ illis apparuit ſtella, fatum Chriſti non fuit, ſed Chriſtus ſtellæ. *Ib.* Illuſtrioris ſtellæ, ſcilicet gratiæ fideique ſplendore illuminati. *Ibid.* Cur ſtella Magis Jeruſalem appropinquantibus ſe ſubduxit? 8. n. 5. Deum infantem agnoverunt & adoraverunt. 8. n. 8. Munera cur ab illis Chriſti oblata? *Ibid.* n. 9. Munerum ſignificationes myſticæ. *Ib.* Magi Chriſtum adorando Sacerdotes quodammodo facti. *Ibid.* Ad altiora paulatim provecti. 9. n. 9. Primitiæ Gentium ad Chriſti fidem vocatarum. 12. n. 1. Magorum fides & devotio quomodo imitanda? 12. n. 3. Adorato Chriſto, per aliam viam revertendum, ut Magi. Alia via, nova vita. *Ibid.* n. 4.
Magnitudo ſæcularis parvifacienda. 356. n. 14. & 15.
Magnus in Regno Cœlorum quis? 33.
Malachiæ vaticinium cur ſub Iſaiæ nomine citavit Sanctus Marcus? 304.
Maldonatus impegit in expoſitione Angelici illius Oraculi, *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Ejus expoſitio refellitur quod nova ſit, Scripturæ ac Patribus repugnet, Socinianis faveat? 352.
Mali tolerandi exemplo Chriſti. 277. n. 10.
Malo non reſiſtendum Chriſtus docet. Quo ſenſu? 372. n. 33. A malo liberari petimus in Oratione Dominica. Quis hujus petitionis ſenſus? 53. n. 13.
Mammonæ & Deo ſervire, impoſſibile. 54. n. 19. 63. n. 18. De mammona iniquitatis amici faciendi. 431. Mammona iniquitatis ſunt omnes ſæculi divitiæ, undecunque congregentur. *Ibid.*
Mandata Dei ſervanda. 115. Sine illorum obſervantia non patet ad vitam æternam aditus. 213. n. 7. Mandatum maximum & primum, amor Dei. 235. n. 9. Secundum, amor proximi. *Ibid.* n. 10.
Mandatum novum, dilectio mutua. 535. n. 34. & 35.
Manducare manibus illotis. 174.
Manſiones multæ in domo Dei. 536. n. 2. 3. & 4. Multæ manſiones diverſas meritorum in æterna vita ſignificant dignitates. 538. Manſiones electis ſuis in Regno Cœleſti Chriſtus præparavit & præparat. *Ibid.*
Manſuetudo Chriſti Jeſu. 140. Quæ terra manſuetis ſeu mitibus promiſſa? Quæ delectatio pacis? 29. n. 3. Eſſe mitem eſt non reſiſtere Deo. 41. n. 3. Manſuetudo ad Scripturam Sacram legendam, & doctrinam Chriſti cum fructu audiendam, diſpoſitio neceſſaria. *Ibid.* Zelus manſuetudini, zelo manſuetudo conjungi debet. *Ibid.*
Manus aridæ a Chriſto ſanatio. 141. n. 10. Moraliter explicatur. 312. n. 1. Manum Chriſtiani arefacit cupiditas, extendit charitas. 141.
S. Marcus Evangeliſta cum Johanne Marco minime confundendus. *Præfat. in Marc.* Evangelium græce ſcripſit. *Ibid.* Illud approbavit S. Petrus. *Ibid.* S. Marcus S. Petri Diſcipulus & interpres. *Ibid.* Caput decimum ſextum S. Marci olim a quibuſdam perperam in dubium revocatum eſt. 343.
Maria Virgo. Omnes Mariæ Virginis laudes hoc uno continentur elogio, *De qua natus eſt Jeſus &c.* 4. Cur deſponſata, ſeu nupta Jolepho antequam conciperet. 4. n. 16. 350. n. 24. & 25. Maria Virgo perpetua. 5. n. 17. & 18. 366. Corpore Chriſti Dei Mater, Spiritu vero mater membrorum Chriſti. 7. Beatior percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti. *Ibid.* n. 3. Nominis Mariæ ſignificatio. 350. n. 24. & 25.
Mariæ Virginis angelica ſalutatio. 351. n. 28. 355. Virginitatem Deo voverat cum ab Angelo ſalutata eſt. 351. n. 34. Spiritus Sancti virtute Filium Dei concipit. 352. n. 35. In quo poſita gratia, quam apud Deum invenit? 356. n. 30. & 31. Gratiæ plenitudo in Maria Virgine. 354. Præ omnibus mulieribus benedicta. 355. Mater Dei. *Ibid.* Mediatrix hominum apud unicum Redemptionis Mediatorem Chriſtum conſtituta. 360. n. 41. Fons omnium gratiarum & benedictionum, benedictus fructus ventris ejus. *Ibid.* n. 42.
Maria viſitat Cognatam ſuam Eliſabeth. 360. n. 39. & 40.

Cantico ſuo magnificat Deum. 354. 360. Mariæ Virginis partus. 365. Purificatio. 366. n. 22. & 23. Maria primum templum & altare, in quo ſe æterno Patri Chriſtus obtulit. 371. n. 22. Animam ejus doloris gladius in Filii paſſione pertranſivit. 367. n. 35. 560. Duo altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti. *Ibid.* Maria compaſſione ſua ad propitiandum Deum quodam modo cooperata. *Ibid.*

Maria Magdalena vere poſſeſſa & vexata a ſeptem dæmonibus, a Chriſto liberata; illum prædicantem comitata eſt. 394. Eadem videtur cum peccatrice & Maria Lazari ſorore. *Ib.* Maria Magdalena & altera Maria Reſurrectionem Domini nuntiant Apoſtolis & Diſcipulis. 459. Illi Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam primo ſe conſpicuum præbet. 343. n. 3.

Maria Magdalena & altera Maria Chriſti ſepulchrum diligenter obſervant. 298. n. 24. Ad illud veniunt ſacrum ejus corpus uncturæ. 309. n. 1. Reſurrectionem ejus ab Angelis diſcunt. 302. Et Diſcipulis ejus nuntiare jubentur. *Ibid.* Illis in itinere Jeſus apparet. 303. Pedes ejus complectuntur, & illum adorant. *Ib.* Maria Magdalena ſtat juxta Crucem Jeſu. 290. n. 29.

Maria Lazari ſoror optimam partem elegit. 405. Ejus fides. 522. Jeſum ungit unguento pretioſo, de cujus perditione queritur Judas. 526. Mariæ defenſionem adverſus Judam Chriſtus ſuſcipit. 268. n. 7. & 8. 275. n. 3. & 4. 526. Devotio Mariæ unguentum ſuper caput Jeſu effundentis, fidem & pietatem Eccleſiæ deſignat. *Ib.*

Martha Jeſum in Domum ſuam recipit. 405. Mariæ & Marthæ domus, Eccleſiæ figura. 523. Mariæ & Marthæ officia. 524. Duæ vitæ, contemplativa ſcilicet & activa in ſanctis illis ſororibus ſignificatæ. 522. Martha Chriſtum Filium Dei vivi, Mundi Redemptorem, vitæ & reſurrectionis auctorem confitetur. 522. n. 25.

Martyrii fructus & gloria. 117. Martyrii duplex genus. 112. Martyres ad menſam Domini non ſic commemoramus, ut oremus pro eis, ſed magis, ut ipſi pro nobis orent. 199. n. 13.

Mater & Fratres Chriſti, qui Dei voluntatem faciunt, 139. n. 31. 149. 395.

Matrimonii vinculum perpetuum. 36. n. 28. 207. 210. n. 1. 334. n. 1. & 2. 432. n. 18.

Matthæus Levi appellatus, Publicanus: Ejus vocatio & converſio. 87. n. 7. 310. n. 5. & 6. 385. n. 27. In ejus præſertim vocatione divina miſericordia eluxit. 92. n. 8. Omnia ſuæ vocationis implevit officia. *Ib.* Ejus cum Moyſe comparatio. *Ib.* In prima ſui converſione peccantium gregem poſt ſe trahit ad ſalutem. 93. n. 9. Cur ad ſcribendum Evangelium primus electus ſit? 2. Hebraice ſcripſit. *Ib.* Græcæ Verſionis antiquitas. *Ib.*

Maxilla altera percutienti præbenda; quo ſenſu id intelligendum? 37. n. 34. 568.

Medici animarum auſteriorem vel mitiorem diſciplinam in earum Directione ac regimine prudenter ſequuntur, magiſtra charitate. 129.

Menſa Chriſti, doctrina ab ipſo tradita, & ab Apoſtolis prædicata. 310. n. 6.

Menſa potentis eſt unde ſumitur corpus & ſanguis ejus qui animam ſuam poſuit pro nobis. 196. n. 13.

Menſura bona & conferta. 386. Par menſura redditur. 387.

Meritum bonorum operum. 31. n. 12. Totum divinæ miſericordiæ tribuendum; totum Chriſti meritis & Dei promiſſionibus innixum. *Ibid.* & 440.

Meſſis ſpiritualis. 101. n. 29. 484. n. 35. 487. n. 38.

Michææ vaticinium de Chriſto in Bethleem naſcituro a S. Matthæo prolatum. Nulla Evangeliſtam inter & Prophetam diſſenſio. 8. n. 5.

Militibus quid prædicandum. 375. n. 14. 378. n. 14.

Miniſtri Chriſti qui ſint? 530. n. 26. Qua ratione animarum ægritudinibus curandis incumbere debent. 107. n. 1. Miniſtri Eccleſiæ ab omni cupiditate & rerum terrenarum affectu alieni penitus eſſe debent. 110. Manſuetudinem ovium debent imitari. *Ibid.* n. 9.

Miracula. Chriſtus afferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, miraculis conciliavit auctoritatem. 24. n. 20. Miraculis miſſionem ſuam ac Divinitatem Chriſtus confirmat, quæ in corporibus & in animis operatur. 392. n. 22. 480. Miraculorum finis. 476. n. 11. Miracula ante Evangelium rara. 480. Miracula Jeſu magicis artibus tribuere, dementiſſimæ impietatis eſt. *Ibid.* Miracula quæ in exordiis ſuis per Apoſtolos, Chriſto Jeſu auctore, corporaliter faciebat Eccleſia, quotidie in ejus nomine ſpiritualiter facit. 345. Aliter Magi miracula faciunt, aliter boni Chriſtiani, aliter mali. 400. n. 49. & 50. Miraculorum aliarumque gratiarum gratis datarum promiſſio Eccleſiæ facta ad confirmationem Evangelicæ doctrinæ cum opus fuerit. 343. n. 8. Primum ſuorum miraculorum Virginis Matris precibus Chriſtus conceſſit. 476.

Miſericordia commune omnibus officium. 378. n. 10. Qui miſeretur pauperis, Deo fœnerat. 336. Miſericordia Dei quibus modis imitanda? 389. n. 36.

Miſericordibus, qui & erogandis eleemoſynis. & in condonandis injuriis ſunt faciles, miſericordia a Chriſto promiſſa. 30. n. 6. 42. n. 6. Miſericordia Salvatoris prædeſtinatis adhæret, ſive cum convertuntur, ſive cum præliantur, ſive cum coronantur. *Ibid.* Miſericordia præſtat Sacrificio. 94. n. 11. Ipſa verum Sacrificium eſt. *Ibid.* Miſericordia, qua homini ſubvenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt Sacrificium. *Ibid.* Operum miſericordiæ meritum & merces. 118. Hęc exercere poſſunt pauperrimi, a quo remuneratur bona voluntas, ubi deeſt facultas. *Ibid.* n. 24. & 25.

Miſericordia, judicium, & fides graviora legis. 242. 245. n. 14.

Mœchia. Non ſola adulteria reipſa commiſſa, ſed omnis impudicitia, omnis cogitationum & affectuum impuritas, præcepto *Non mœchaberis*, prohibetur, Chriſto interprete. 35. n. 26.

Monaſterium. Ut quis Deo fidelis ſit in Monaſterio, octo ipſi præſtanda ſunt exemplo Sancti. Præcurſoris. 392. n. 24.

In montem cum Chriſto quis aſcendat? 193. n. 1. Ad montem contemplationis & perfectionis non ſtatim aſcenditur, ſed per gradus. *Ibid.*

Monumentum. Mariam Magdalenam ad monumentum Chriſti ſtantem, flentem, & quærentem imitetur fidelis anima. 563.

Monumenta Judæorum extra urbes. 290. In Chriſti morte aperta. *Ibid.*

Moralis Chriſtianæ regulæ. 328. n. 1. Has qui corrumpunt & ſecundum eas non dirigunt animas conſcientiarum moderatores, ut falſi Prophetæ fugiendi ſunt. 73.

Morbos & infirmitates corporis quinque de cauſis Deus infligit. 309. Ad ſalutem utiles ſunt. 487. 492.

Mors. Conſanguineorum & amicorum ſuorum mortem immodice deflere Chriſtiani non debent. 98. n. 19. Mortis Chriſti meditatio. 297. n. 20.

Mors impii 338. n. 5. Semel mori, magnum oraculum: quando mori, magnum arcanum: male mori, magnum & irreparabile malum. 337. n. 7. Qua ratione bona mors juſti, mala mors peccatoris. 398. Chriſtiano non timenda. 398. n. 52. Mors animæ maxime timenda, non corporis. 415. n. 4. & 5. Mors juſtis deſiderabilis. 524. n. 11. Non mors gravis, ſed metus mortis. *Ibid.* Mors non metuenda fortibus, deſideranda ſapientibus, miſeris expetenda. *Ibid.*

Mortui a mortuis ſepeliendi. 78. n. 17. 400. Lex Pontifici Maximo Judæorum, & Nazaræis preſcripta, ne quantumvis proximorum Exequiis intereſſent. *Ibid.* Mortui a Chriſto ſuſcitati. Filia Jairi. 88. 317. Filius viduæ Naim. 390. Lazarus. 521.

Moriens Chriſtus ſpiritum ſuum Patri commendat. 459. Poteſtate emiſit animam. *Ibid.* & 558. Mortuus eſt ut Martyr ſuæ divinitatis & Charitatis. 458.

Moyſis de Chriſto teſtimonium. 491. n. 45.

Mulier una unctrix capitis & pedum Chriſti apud quatuor Evangeliſtas. 268. 275. n. 4.

Mulier exclamans, *Beatus venter quis te portavit*. 409.

Mulier in Civitate peccatrix. Ejus converſio & pœnitentia. 391. Chriſtus illi peccata multa dimittit, quia dilexit multum. 391. n. 50.

Mulieris incurvatæ a decem & octo annis a Chriſto curatio moraliter explicatur. 419.

Mulieres ſanctæ juxta Crucem Jeſu ſtantes, 290. n. 29. 297. n. 22. 558. Ad ſepulchrum Jeſu veniunt cum aromatibus, Reſurrectionem ejus diſcunt ab Angelo, & nuntiant Apoſtolis. 459. Pietas illarum imitanda. 461. n. 1. & 2. Piæ mulieres quomodo miſſionibus Evangelicis cooperari poſſunt? 396.

Mulierum ſalutem ita procurare debent Eccleſiæ Paſtores, Concionatores, & Conſcientiarum Moderatores, ut nimiam cum eis familiaritatem vitent. 487. n. 27.

Munditia cordis. 30. n. 7. 42. n. 7. Non ſola impudicitia, ſed omnis amor inordinatus creaturæ cor inquinat. *Ibid.* n. 7. Cor mundatur fide per dilectionem operante. 43. Nemo in hac vita ſic mundus eſt; ut non ſit magis magiſque mundandus. Multis modis hæc emundatio perficitur. 542. n. 3.

Mundus a Chriſto victus. 547. Chriſtianus a Mundo alienus. 512. n. 23. Mundus odio habet electos. 503. Pro Mundo non rogat Chriſtus. 550. & ſeq. Qui Deum quærunt, Mundo placere non poſſunt. 403. n. 53. Mundi de ſe iniqua judicia Chriſtianus juxta Evangelium vivens parvipendet. 504. Mundo fidei donum Deus non tribuit, quia juſtus eſt; illud confert iis quos elegit de Mundo, quia miſericors eſt. 554. n. 25. & 26.

Mutuum gratis dandum. 387. n. 35. & 36.

Myſteria divina humilibus & ſimplicibus a Deo revelata, ſæculi ſapientibus abſcondita. 130. n. 18. 404. n. 20.

N

NAaman Syrus. 380. n. 27. Gentilis populi typus, a lepra peccatorum mundati Christi baptismate. 382.
Nathanaelis elogium. 469. 473. Cur illum in Apostolorum numerum Christus non adlegit? *Ibid.*
Nativitatis Christi mysterium moraliter exponitur. 369.
Navis Petri, Ecclesia Catholica. 383. n. 3.
Nazareni. Cur Christus miracula apud illos non fecerit? 318. n. 1. Christum extra civitatem suam ejecerunt. 382. n. 29.
Negotiator homo typus Christi, qui admirabile commercium cum hominibus inivit. 162. n. 25.
Nicodemi conversio. 476. Colloquium Jesu cum Nicodemo. *Ib.* Moraliter explicatur. 479. Plurimi Christiani similes Nicodemo quoad imperfectionem fidei. *Ib.* n. 1. & 2. Nicodemus Jesum in Concilio Pharisæorum defendit. 503.
Ninivitæ Judæos in judicio condemnaturi. 137. Christianos magis quam Judæos in judicio damnabit exemplum Ninivitarum agentium pœnitentiam ad prædicationem Jonæ. 147. n. 26. Pœnitentiam humilem, austeram, sinceram, ferventem, & promptam egerunt Ninivitæ. *Ibid.*
Nobilitas sine pietate inanis. 356. n. 5.
Numisma Census. 234. n. 5.
Nuptiæ in Cana Galilææ. Cur illis interfuit Jesus? 451. Primum miraculorum suorum ibi fecit. 474. Nuptiæ quomodo a Christianis celebrandæ? *Ibid.* Mysticæ Christi nuptiæ. 235. n. 1. 511.
Nuptialis vestis. 236. n. 5.

O

OBtrectatio & Calumnia universale peccatum est. 1. Propagatione, ut peccatum Adami. 2. Malitia & immanitate, ut peccatum crucifixorum Christi. 3. Duratione, ut peccatum diaboli. 143.
Occasiones proximas peccati præcidendas, ac deserendas, vitandamque charissimorum & conjunctissimorum societatem si nos ad peccatum pertrahant, Christus docet, Traditio confirmat, 35. n 27. 47. n. 22.
Oculus animæ. Ejus sanitas quo studio conservanda. 62. n. 17. Oculus malevolus in se trabem non videns, in alieno festucam videt. 63. n. 2. Oculi Christianorum pudici. 35. n. 26. Lascivos aspectus Christus damnat. 47. n. 21. Quam pura est pupilla oculi, tam pura debet esse vita hominis christiani. *Ibid.*
Odor bonus Christi sunt Christiani qui recte vivunt. 454. Quidam bono odore vivunt, alii bono odore moriuntur. *Ibid.*
Opera bona qua ratione abscondenda, vel ostendenda. 44. n. 13. Glorificatur Deus in bonis operibus si totum illi tribuamus. 543. n. 8. Opus Dei est ut in Christum Jesum credamus. 492.
Operatio una erit in altera vita, continua & nullis interrumpenda necessitatibus. 493. n. 17.
Operarii iniquitatis a Regno Cœlorum excludendi. 512.
Oratio. Aliter orare quam Christus docuit, non ignorantia sola est, sed & culpa. 58. n. 5. Oratio Dei donum & gratia est. 70. n. 4. In oratione ea petenda, quæ & Deum dare deceat, & accipere nobis expediat. *Ibid.* n. 5. Ut impetrentur a Deo quæ petuntur, orantes boni esse debent, bona petere, bene, & ad bonum. 205. Vis orationis publicæ. 52. n. 5. & 205. n. 14. Vis orationis cum jejunio conjunctæ. 196. n. 14. Modus orandi stando a Christo non damnatus. 52. n. 4. Oratio in abscondito. *Ibid.* n. 5. In oratione vitandum multiloquium, quid sit? *Ibid.* n. 4. Clauso ostio orare quid sit? 57. n. 3. Spiritualis solitudo ad orationem necessaria, corporalis opportuna. 58. Negotium orationis plerumque plus gemitibus, quam sermonibus agitur. 57. n. 4. Orationis fervor & perseverantia. *Ibid.* n. 4. & 5. 142. n. 14.
Orantes sæpe Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad utilitatem. 180. n. 14. Quo plura sunt impedimenta conversionis & bonæ voluntatis, eo magis augendus est fervor orationis. 224. n. 15. Nihil ad orationis efficaciam conducibilius christiana concordia & unanimitate. 199. n. 15. & 16. 204. n. 12.
Oratio. Deus solus docere potuit ut se vellet orari. 411. Oratio Dominica Breviarium totius Evangelii. *Ibid.* n. 2. Ordo petitionum Orationis Dominicæ, indicat ordinem desideriorum; ordo vero desideriorum ordinem charitatis. *Ibid.* Oratio in Christi nomine facienda, ut exaudiamur. 546. n. 23. & 24. Cur non semper exaudiamur Deum orantes? 539. n. 14. Turbari non debet Christianus si statim a Deo non impetrat quod petit. 335. 356. n. 13. Oratio continua & perseverans sit. 443.
Oratio Dominica, & ejus expositio. 52. n. 7. 61. 408.
Oratio Christi. Christus orat pro nobis, orat in nobis, oratur a nobis. Cum ipso, & per ipsum orandum. 86. Christus in oratione pernoctans nobis præbet exemplum 388. 12. & 13. Orationis Christianæ conditiones in oratione Capitis nostri attendendæ. 455. n. 40. & 41. Oratio Christi pro omnibus electis suis, non pro mundo. 551. Oratio Christi pro Crucifixoribus suis. 458. Oratio Christi in horto. 271. 280. Cur ter oravit? 282.
Ordo rerum agendarum. 169. n. 9. Nemo melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod divina potestate prohibetur, quam cupidius agere quod humano consilio meditatur. 170.
Osculo Jesus a Juda traditus. 283.
Osee vaticinium *Ex Ægypto vocavi filium meum*, in Christum impletum est. Hujus oraculi veritas, & ad Christum applicatio secundum sensum litteralem, adversus Julianum Apostatam vindicatur. 9 n. 10.
Otium sanctum querit charitas veritatis: negotium justum suscipit veritas charitatis. 169. n. 9.
Ovis errans quæsita. 98. n. 10. Oves Christi vocem ejus audiunt. Est vox aliqua pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. Quæ est ista vox? 519. n. 7. & 8. Propriæ notæ & characteres ovium Christi. 522. n. 26. Secundum præscientiam Dei & prædestinationem multæ oves foris, multi lupi intus. *Ibid.* Oves Christi non peribunt in æternum, & de manu ejus eas rapere nemo potest. 517. Ex iis quos elegit Deus ab æterno ex populo Judaico & gentili, unum ovile fit per Christum bonum Pastorem. 518.

P

PAcem hominibus bonæ voluntatis nascente Christo Angeli annuntiant. 365. Pax Deo offerenda in honorem Dominici Natalis. 371. Natalis Domini, natalis est pacis. 372. Pacem suam Discipulis velut hæreditarium munus Christus reliquit. 536. Pacem nobis reliquit ad Patrem iturus, pacem suam dabit nobis in fine venturus. 540. n. 27. Pax fructus mortis & resurrectionis Christi ab eo Discipulis datus. 564.
Pacem hospitibus, & iis, qui Verbum Dei recipiunt, non solum optant, sed afferunt Prædicatores Evangelici. 110. n. 8.
Pacifici filii Dei. Qui vere in semetipsis pacifici? 30. n. 8. Beati qui pacem cum Deo, secum ipsis, & cum proximo servant, ac inter dissidentes conciliant. 42. n. 8. Pacem, cui Christus beatitudinem promittit, etiam arctissima amicitiarum vincula non sibi vindicat, si cum Dei voluntate non concordant. *Ibid.* Pacem malam Evangelium solvit. 109. n. 4. 116. Vera & falsa pax; illa fructus charitatis, ista cupiditatis. *Ibid.* In vita æterna summa pax est atque perpetua. 364. Quatuor hominis status, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. *Ibid.* Vera pax fructus & merces Charitatis. 462. Verus pacis amator, inimicorum ejus amator est. 458.
Panes propositionis dati Davidi & comitibus ejus. 309.
Panis quotidianus & supersubstantialis a Deo petitus in Dominica Oratione. 53. n. 10. Quinque panibus quinque millia hominum Christus pascit. 165. 318. 398. Miraculum istud mystice explicatum. 318. n. 6. Moralis istius miraculi explicatio. 322. n. 1. & 2. Figura est consecrationis & communionis Eucharisticæ. 170. n. 11. Septem panum multiplicatio in deserto. 177. n. 19. & 20. Panis vitæ caro Christi est, non figura carnis. 496. Christus panis Angelorum ut Deus, panis hominum ut Deus homo. 498.
Parabolis cur usus est Christus in suis sermonibus? 149. n. 1. 4. & 5. 155. n. 2.
Parabolæ, ex arbore fici. 251. n. 26. Fermenti in Farinæ satis tribus absconditi. 152. n. 16. Mystice explicatur. 161. Duorum filiorum, resipiscentis, & inobedientis, 227 n. 15. 231. n. 14. Grani sinapis. 152. n. 15. Mystice explicatur. 159. Negotiatoris quærentis bonas margaritas. 153. n. 21. Moraliter explicatur. 162. n. 25. Ovis errantis a Pastore quæsitæ. 198. n. 10. Nuptiarum filii Regis. 232. Moraliter explicatur. 235. Operariorum a patrefamilias in vineam conductorum. 217. Regis rationem a servis suis exigentis, & decem millia talenta uni ex illis dimittentis. 200. n. 18. Moraliter explicatur. 206. n. 17. 18. & 19. Seminum. 149. n. 2. 156. Sagenæ missæ in mare. 153. n. 22. Moraliter explicatur. 162. Talentorum & minarum. 258. n. 9. 445. Moraliter explicatur. 262. 446. Decem Virginum. 258. Moraliter exponitur. 261. Vineæ a Patrefamilias locatæ malis agricolis. 227. 334. n. 1. 447. Moraliter explicatur. 231. 335. 448. Thesauri abscondit. 153. n. 19. Moralis ejusdem expositio. 161. n. 24. Zizaniorum. 151. & seq. Amici postulantis tres panes ab amico. 409. Quæ mystice explicatur. 410. Divitis horrea destruentis. 413. n. 23. Filii Prodigi, Ovis recuperatæ, & Drachmæ repertæ. 428. Moraliter explicantur. 427. & seq. Hominis Computantis sumptus ad turrin ædificandam. 335. Judicis & Viduæ. 441. Moraliter ex-

plicatur. 443. Hominis ab Hierusalem in Hierico descendentis. 405. Ejusdem sensus mysticus. 407. Publicani & Pharisæi. 442. Moraliter explicatur. 443. Seminum. 314. n. 1. & 2. 394. Hominis seminantis & jacto in terram semine dormientis, negotiaque sua interdiu agentis. 314. n. 5. Servorum Dominum suum expectantium. 414. Villici diffamati. 431.

Paracletus. Vid. *Spiritus Sanctus*.

Paralyticus a Christo sanatus. 86. Hominis lapsi typus. 90. Paralysis interioris curatio per gratiam. 87. Paralyticus per tectum in grabato demissus curatur a Christo. 308. 384. n. 18. Paralytici a quatuor bajulis Christo oblati curatio mystice explicata. 309.

Parentes Deo in amore postponendi. 84. n. 16. 126. n. 21. Parentum honor in quo positus? 178. Nulla parentum, nulla carnalium necessitudinum in Ecclesiastici Ministerii functionibus habenda ratio est. 149. n. 29. Reverentia & obedientia Parentibus & Superioribus exemplo pueri Jesu exhibenda. 360. n. 5.

Parvuli non scandalizandi. 198. n. 5. Parvuli fieri debemus, ut regnum Cœlorum consequamur. *Ib.* n. 2. & 3. Parvulum in Christi nomine qui suscipit Christum suscipit. *Ib.* n. 4. 399. n. 46. Parvuli Jesu oblati, quibus manus imponit. 208. n. 11. 331. n. 3. 442. Parvulos ad Christum venire qui prohibent. 212. n. 6.

Pascha transitus. 533. n. 1. Ultimum Pascha Christi. 337. 454. Typici & veri Paschatis discrimen. 338. 526. n. 55. & 56. Christiani paschatis digna celebratio. 274. n. 1. 277. n. 9. 454. n. 8. 515. 526. n. 55. & 56. Cur Christus in Festo Paschatis occisus? 267. n. 3. Paschatis Legalis celebratio. 269. n. 10. Id tum a Christo ultimo vitæ suæ anno, tum a Judæis vulgo, legitima die celebratum. *Ib.* n. 11. Tempus & locus immolationis Agni Paschalis. *Ib.* Paschali Cœnæ tam legali quam mysticæ cum Christo præter duodecim Apostolos nullus interfuit. 269. n. 12.

Passio Christi. 271. 338. 454. Dei magnitudo non solum in miraculis, sed & in passione Filii sui admirabilis. 442.

Pastor bonus Christus. 271.

Pastoris boni officia & dotes. 428. 519. Pastorum & mercenariorum discrimen. 519. Eligendus Pastor, tolerandus mercenarius, & cavendus est latro. *Ibid.*

Pastores, Concionatores, & conscientiarum Moderatores metuere debent, ne labores eorum infructuosos reddat fidei & bonorum operum defectus. 196. n. 13. Pastorum & Moderatorum conscientiæ prudens œconomia erga recens conversos peccatores, & infirmos. 95. n. 13 Per se, non per Vicarios dumtaxat, gregem pascere debent, & Dei verbum prædicare. 124. n. 1.

Pastorum & Ministrorum Evangelicorum forma a Christo tradita. 544. n. 16. Auctoritas & charitas in Pastoribus Ecclesiæ conjungendæ ut animas ad Jesum quærendum adjuvent. 563. Pastorum cibus ac deliciæ opus Dei & animarum salus. 487. n. 34.

Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ vocatio & characteres. 499. n. 39. Pastorum genus & conditio & fortuna minime consideranda; sed honoranda, amanda, & suscipienda veritas est, quam docent & prædicant. 163. n. 28. Ob eundem finem & iisdem conditionibus mittuntur a Christo, quibus Christus missus est a Patre. 564. Sui ipsius amantes esse non debent, sed Christi, qui oves ejus pascendas suscipiunt. 366.

Pastores ad Christi præsepe ab Angelo invitati. 365. Fidem eorum & fervorem Christianus imitetur. 371. n. 15. & 16.

Pater unus in cœlis. 240. n. 6. Pater cœlestis omnia tradidit filio. 123. Cur Deum orantes Patrem nostrum appellamus? 52. n. 7. 58.

Patrem nemo novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. 509. Pater & Filius unum sunt. 525. Nemo venit ad Christum nisi tractus a Patre. 499. Pater cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus. 409. 411.

Patientia Christi in Malcho vulnerata. Patientiæ Laus. 451. n. 19.

Patientiæ Christianæ præcepta. 37. Triplex injuriarum genus, in quibus Dominus docet patientissimum & ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere. *Ibid.* n. 36. Christiana Charitas & patientia omnia relinquere, omnia agere, omnia dare, omnia pati propter Christum parata est. 48. n. 25. Idoneus patientiæ sequester Deus. *Ibid.* Spiritualium lex certaminum in eo posita est, ut injuriam vimque nobis inferentibus cedamus. 49. Falsa patientia Philosophorum. *Ibid.* Patientia virtus est nobis cum Deo communis. *Ibid.* Patientia Christi in tribulationibus imitanda: calicem tribulationum prior bibit Medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. 152. n. 15. Religionis veritas patientia & martyrio propugnanda. 283. n. 26.

Pauperis & Divitis parabola. 432.

Paupertas Christi Jesu. 200. n. 57. Paupertas Christiana caput omnium virtutum. 483.

Pauperes spiritu qui sint? 28. n. 2. 40. n. 2. Divites, qui pauperes spiritu non sunt, non intrabunt Regnum Cœlorum. *Ibid.* Paupertas spiritus, humilitas. *Ibid.* Paupertas voluntaria, martyrii genus. 42. n. 9. Nemo pauper qui Deo dives. 139. n. 1. Præmium pauperum Evangelicorum relinquentium omnia ut Christum sequantur. 210. n. 21. & 22. 276. Pauperes juvandi. 215.

Peccati, pœnarumque peccato debitarum varii gradus. 34. n. 23. Nullum peccatum absolute irremissibile est præter impœnitentiam finalem. 136. Peccatorum mensuram & terminum Dei justitia statuit. 246. n. 17. Corpus & anima passeres duo peccato venditi, a Christo redempti. 114. n. 18. Peccatoris anima a diabolo possessa. 86. n. 20. Magis peccator est qui se non intelligit peccatorem. 186. Quanta cordis durities peccatorum, qui nec Dei promissis, nec minis ad meliorem frugem convertuntur. 128. n. 14. Peccatoris indurati animo semper imago criminis obversatur. 167. n. 2. Venialia peccata præcavenda. 115.

Peccatum. Etsi nullum tam grave peccatum sit, quod vere pœnitentibus non remittatur, ex malitia tamen peccantibus metuenda est justitiæ divinæ severitas. 313. n. 9. Peccati miserrima servitus. Ab ea nos solus Christus liberat. 509. n. 34. & 36. Preces peccatorum, qui in mortalis peccati affectu perseverant, Deus non exaudit. 517. n. 31. Peccator ex habitu & consuetudine in Lazaro mortuo, sepulto, & fœtente adumbratus. 525. 38. Peccatum puniendum est aut a Deo vindicante, aut ab homine pœnitente. 357. n. 20. Peccatum philosophicum a Christo in Cruce pendente damnatum. 457.

Peccatorum remissio. 394. n. 48. Peccata remittendi potestatem Apostolis & eorum Successoribus Christus dedit. 562. Debitores sumus Deo & ob peccata remissa, & ob non admissa. 393. n. 41. Remitti peccata non possunt nisi vere conversis, in Ecclesia Catholica, in præsenti sæculo. 564. Absque sincero Dei amore nulla remissio peccatorum. 394.

Peregrinum esse, virtus & officium hominis Christiani. 461.

Perfectum esse, idest ad Dei & Jesu Christi Salvatoris, ac Domini nostri similitudinem, totis viribus eniti, non consilium tantum, sed præceptum est. 40. n. 32.

Persecutiones electis utiles. 451. n. 12. Persecutio nunquam piis deest in ipsa Ecclesiæ pace. 30. n. 9. 544. n. 18.

Persecutionum propter justitiam patientibus Regnum Cœlorum a Cristo promissum, Hæreticos, Schismaticos, & quosvis iniquos hæc beatitudo non spectat. 30. n. 9 & 10. Fuga in Persecutione. 106. n. 17.

Perseverantia. 106. n. 16. Perseverare usque in finem, est omnium vocem pastoris audientium. 112. n. 13. Donum perseverantiæ mereri non possumus, orando impetrare possumus. 253. n. 9.

Petrum totum mundum dimisit, & totum mundum accepit. 215 Primatus S. Petro datus, jure divino institutus, & in Romanos Pontifices ejus successores transfusus. Super illum ædificata est Ecclesia. 102. n. 2. 108. n. 2. 184. n. 12. 187. n. 11. 311. Vinculum est Sacerdotalis Unitatis. 102. n. 2. Propter primatum gerebat universalis Ecclesiæ personam, cum claves Regni Cœlorum accepit. 173. n. 20. 184. n. 12. Major S. Petri, quam Eliæ potestas. 187. n. 12. Ardor fidei in S. Petro eximius. 167. n. 21. Christo jubente ambulat super aquas. *Ibid.* n. 22. Timore percellitur, & ob infirmitatem fidei a Christo reprehenditur. *Ibid.* n. 23. & 24. 172. n. 18. Confidenter ambulans super aquas ut veniat ad Jesum, figura est firmorum qui sunt in Ecclesia, timens ad flatum venti vehementis figura est infirmorum. *Ibid.* n. 19. In tributi solutione Christo conjunctus. 193. n. 19. A Christo corripitur, quod passionem illi dissuaderet. 185. n. 16. 322. n. 7.

S. Petri præclara Confessio, ob quam *Beatus* a Christo prædicatur. 184. 497. Fides Petri nunquam defectura in Ecclesia, & in ipsius Petri Sede. 453. In eo omnium fortitudo munitur. *Ibid.* Petrus Christianorum omnium, Pastorum omnium, & totius Ecclesiæ fidem confirmavit. 383. Ad Petrum & illius successores pertinet controversias fidei judicare, Scripturarum mysteria evolvere. 563. Petro agnos & oves pascendas commendat Christus post resurrectionem. Hinc S. Petri, & Romanorum Pontificum illius Successorum Primatus in Ecclesia universa jure divino institutus iterum probatur. 565.

Petrus Ecclesiæ unicæ typus, in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, unus pro omnibus respondet. 187. n. 9. Ejus in Sede sua vivit potestas & excellit auctoritas. *Ibid.* n. 11. Petri fides tanta divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica unquam prærumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. *Ibid.*

Petri trina negatio a Christo prædicta. 271. n. 23. 533.

Con-

Conſummata. 274. 340. n. 12. 453. n. 33. & 34. 456. n. 54. Ipſum labi cur Deus permiſit ? 285. Ejus præſumptio cauſa fuit, cur a Divina Gratia ſit deſertus. 280. 339. 456. n. 33. 535.
Petri pœnitentia & lacrymæ. 280. 284. n. 34. 535. Amoris trina profeſſione trinam expiat negationem. 565. Petri laudes cur Marcus ejus Diſcipulus & interpres prætermiſerit. 322. n. 7. Petro martyrium a Chriſto prædictum. 566.
Petri Socrus a Chriſto ſanata. 77. 83. 306. Domus Petri Eccleſia Catholica. In ea ſola pro remiſſione peccatorum, & extinctione cupiditatum noxiarum utiliter oratur. 83. n. 11.
Phariſæi cum Herodianis conjurati, ut Jeſum capiant in ſermone. 233. n. 3. & 4. 332. Ex Chriſti manſuetudine occaſionem ſumunt inſidiarunm illi ſtruendarum. 510. Mores & vitia Phariſæorum. 240. 243. 310. n. 7. 334. n. 6. 409.
Phariſæorum blaſphemia. 90. n. 25. Blaſphemantium Phariſæorum animos deterius occupabat Dæmon, quam dæmoniaci muti corpus. 100. n. 26. Phariſæi Diſcipulis Chriſti vitio vertunt, quod ſpicas vellerent Sabbato: quorum innocentiam adverſus illos Chriſto multiplici vindicat argumento. 133. Phariſæi conſilium ineunt cum Herodianis de Jeſu occidendo. 134. n. 9. Illorum malignitas & crudelis invidia in Jeſum. 140. n. 5. Mandata Dei poſtponunt doctrinis & traditionibus hominum, hypocritæ. 175. n. 3. & 4. Cæci & duces Cæcorum. *Ibid.* n. 8. Phariſæorum ex Cathedra Moyſi docentium dicta ſervanda & facienda, opera non imitanda. 239. n. 1.
Philippi Apoſtoli vocatio. 469. Nathanaelem ad Jeſum ducit, & Meſſiam eſſe docet. *Ibid.* Jeſum rogat, ut Patrem oſtendat. 535.
Phylacteria. 240. n. 3.
Pietatis veræ & falſæ diſcrimen. 240.
Pilatus Judææ Præſes Jeſum interrogat. 286. n. 6. Silentium ejus admiratur. *Ibid.* n. 7. Innocentem agnoſcit, vult dimittere, cum Barabba comparat. 287. 457. Jeſum flagellatum damnat ſupplicio Crucis. 287. n. 11. 458. n. 24.
Piſcatio admirabilis Petri & ſociorum. 383. Piſcatio myſtica duplex, noctis una, diei altera. 384. n. 5. Piſcatio mirabilis, cujus dux Petrus, poſt reſurrectionem Chriſti. 565.
Piſcina probatica, juxta quam languidus a Chriſto ſanatus. 487. Myſtica ſignificatio. 491. Peccatores in piſcinam pœnitentiæ mergendi. Dotes hominis ſeu moderatoris conſcientiæ ipſis neceſſarii ut animæ ſanitatem conſequantur. *Ibid.* Quibus ſignis innoteſcit animæ ſanatio in myſtica illa piſcina? 492.
Plantatio a Patre non ſata eradicabitur. 175. n. 7. Non ſolum Hæreticos & Schiſmaticos, ſed etiam malos Chriſtianos ſpectat illa ſententia. 132. Bona voluntas prima plantatio eſt cœleſtis agricolæ: prava voluntas & cupiditas plantatio dæmonis. *Ibid.* n. 7.
Pœnitentiæ prædicatio. 14. n. 2. Ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſario vana. *Ib.* Deus pœnitentiam examinat. *Ibid.* n. 3. Pœnitentia pectoris domum Spiritui Sancto parat. *Ibid.* Negotium Divinæ Miſericordiæ curat. *Ib.* Pœnitentia in ſacco & cinere. 130. Qui digni pœnitentiæ fructus. 18. n. 2. 377. n. 8. 459.
Pœnitentia Baptiſmus laborioſus. 377. Inter omnia Chriſtianæ vitæ officia maxime prædicanda eſt pœnitentia. *Ib.* Veræ pœnitentiæ imago in converſione mulieris peccatricis. 393. Certant peccatoris humilitas, & Dei Clementia. 430. Peccatores abſolvi non debent a Sacerdotibus pœnitentiæ Miniſtris, niſi facti ſint novæ in Chriſto creaturæ. 472. Chriſtus amicos ſuos a pœnitentiæ laboribus non diſpenſat, ſed per Spiritus Sancti gratiam præparat. 385. n. 34. & 35. Pœnitentiam agere peccatoribus non meri conſilii res eſt, ſed præcepti. 420. n. 3. Pœnitentiam ad mortem differre, quam periculoſum. 511. n. 21.
Politici impii, ita viventes, ac ſi nec animarum immortalitatem, nec reſurrectionem corporum futuramque vitam crederent. 237. n. 10. Falſorum Politicorum, & Prudentium ſæculi quæ ſors. 526.
Porci, in quos mittitur a Chriſto legio dæmonum, typi ſunt hominum gulæ, & libidini deditorum. 86. n. 21. Lex ſuillæ carnis eſu Judæis interdicens, quid ſignificet? *Ibid.*
Porta ſalutis anguſta. 419. n. 23. & 24.
Poteſtas Eccleſiaſtica miniſterium eſt, non Dominatio. 244. n. 8. 223. n. 12.
Prædeſtinatio Sanctorum in ſolam Dei miſericordiam, non in merita hominis refundenda eſt. 123. n. 22. Prædeſtinationis exemplar luciditſimum eſt prædeſtinatio Jeſu Chriſti Capitis noſtri. 551. n. 24.
Prædicationis Evangelicæ ordo & œconomia. 402.
Prædicatoris Evangelici dotes & officia. 18. n. 1. Qui propter temporalia Evangelium prædicat, Mammonæ ſervit, non Deo. 63. n. 19. Prædicatores docere debent exemplo Chriſti ſicut poteſtatem habentes. Cum imperio porro docetur, cum prius agitur quam dicatur. 75. Neque affectare, neque negligere debent eloquentiam. 112. n. 12. Apoſtolicæ vitæ auſteritatem illos imitari decet. 139. n. 1. Omnes pœnitentiæ Prædicatores ſunt præcurſores Chriſti. 140.
Prædicatores ac Prælati majoribus expoſiti ſunt periculis, quam auditores. 154. n. 1.
Principium qui & loquor vobis. Explicatur hæc Chriſti ſententia. 508. Principum Chriſtianorum dominatio qualis eſſe debeat? 330. n. 10.
Propheta ſine honore in Patria ſua. 154. n. 26. 163. n. 29.
Prophetæ a Judæis vexati & occiſi. 241. n. 16.
Proſelytorum duplex genus. 240. n. 11.
Publicani, hominum genus Judæis inviſum 39. n. 40. Præcedent Phariſæos in Regnum Dei. 227. n. 15. Quid ipſis prædicandum? 375. n. 12. & 13. 378. n. 12.
Publica onera cum publicis neceſſitatibus æquanda ſunt, 378. n. 12.
Purgatorii fides 137.
Purificatio B. Mariæ Virginis. Vid. *Maria Virgo*.

Q

Quadraginta dierum jejunium a Chriſto conſecratum. 20.
Quærendus propter ſeipſum Deus. 498. In hac vita quærendus, alioquin periculum eſt ne in morte fruſtra quæratur. 506. n. 34. & 35.
Quæſtio inter Joannis Diſcipulos ac Judæos de Legalibus Purificationibus, & de Baptiſmo Jeſu & Joannis. 478.
Quietiſtarum damnatur error, quod imperfectorum ſit myſteria Jeſu meditari. 325.
Quotidianus & ſuperſubſtantialis panis. 53. & 59.

R

Raca. 34. n. 22.
Rapina. Ad rapinam gradus eſt immoderata cupiditas poſſidendi. 214.
Reatus. Quid ſit reum eſſe concilio, quid reum eſſe judicio, quid reum eſſe gehenna ignis? 34.
Reconciliatio fraterna Sacrificio & oblationi munerum ad Altare præmittenda. 35. n. 27. 46. n. 19. Sacrificium Deo eſt fratrum reconciliatio. *Ib.* Non differendum fraternæ reconciliationis negotium. *Ib.* n. 20.
Rectorum animarum officia. 312. n. 2. Non totum actioni, ſed aliquid conſiderationi ſui ipſius dare debent. 313. n. 5. Non ſolum Nobilibus & divitibus ſæculi, ſed hominibus vulgi ſe impendant & ſuperimpendant pro animabus eorum. *Ib.* Calumniis & injuriis turbari non debent, nec earum metu a functionibus Miniſterii ſui prohiberi. *Ib. n.* 7. Conſanguineos ignorent, cum ipſos ab officio ſuo & ſacro Miniſterio advocant. 314. n. 10.
Regeneratio ſpiritualis ex aqua & Spiritu Sancto. 516.
Regibus debita officia & tributa reddenda. 193. n. 18. 448. Regi nummos, Deo nos ipſos debemus. 333. n. 2. 334. n. 2.
Regina Auſtri. 138. n. 27. Eccleſiæ typus. *Ib.*
Regnum Cœlorum a Chriſto promiſſum. 417. Regnum Chriſti cur dicatur Regnum Cœlorum? 14. n. 3. In duobus præſertim poſitum eſt Chriſti Regnum. *Ibid.* Regnum Cœlorum ſolis innocentibus aut vere pœnitentibus patet. *Ib.* 231. n. 14. Vim patitur. 121. n. 9. 127. n. 10. Theſaurus eſt: gratia invenitur, meritis & labore comparatur. 161. n. 24. Pretioſa margarita eſt, pro cujus adeptione omnia contemnenda & exponenda ſunt. 162. n. 25. Recumbere in Regno Cœlorum quid ſit? 82. Quis in eo major? 198. n. 1. 2. & 3. Regnum Dei & Juſtitia ejus primum quærenda ut bonum noſtrum. 56. n. 25. 64. n. 22.
Reguli filius a Chriſto ſanatus. 488. n. 46.
Relapſi peccatoris pejor quam antea ſtatus. 148. 411. n. 26.
Religionis Chriſtianæ veritas. 283. n. 29. Ex verbo Dei & Eccleſiæ doctrina de rebus Religionis judicium ferendum eſt. Religionis Chriſtianæ ſumma. 493. n. 24.
Repudii libellus. 328.
Reſtitutionis neceſſitas ad ſalutem. 446.
Reſurrectio Chriſti Jeſu. 299. n. 2. Reſurrectioni Chriſti fidei nolentes ſuffragantur Phariſæi & Sacerdotes Judæorum. 298. n. 25. Qua ratione in Chriſto ſpiritualiter reſurgere debeamus? 301. n. 2. & 4. Quibus argumentis redivivi corporis ſui veritatem Chriſtus Apoſtolis probavit? 460. Poſt reſurrectionem ſuam comedit, non neceſſitate ſed poteſtate. *Ib.* Qua ratione

in Christo spiritualiter resurgere debeamus? 345. n. 4. Christus omnis vitæ & resurrectionis in membris suis principium est. 525. n. 23. Jesum a mortuis redivivum quis invenit? 461.
Resurrectio spiritualis vitæ novitate comprobanda. 302. n. 5. Magnitudo potentiæ Domini, secundum quod homo factus est in virtute resurrectionis ejus apparet. 303. n. 7. Christianæ pietatis in Jesum resurgentem officia. Ib. n. 9. Fructus resurrectionis Christi, potestas illi data in Cœlo & in terra. Ib. n. 10.
Resurrectio mortuorum. 234. n. 7. 426. 448. Resurrectio & apparitio multorum in resurrectione Christi. 290. n. 28. An resurrexerint ad vitam immortalem? Ib. Tres mortui a Christo suscitati tria peccatorum genera significant, quos hodieque per gratiam suam suscitat. 392.
Rete Ecclesiæ rumpunt Heretici, Schismatici, mali Ministri. 384. n. 6.
Retro respiciens, non est aptus Regno Dei. 400.

S

Sabbatum non violatur a Sacerdotibus in Templo operantibus. 133. n. 3. Nec ove ex fovea extracta, nec opere quocunque ad animam pertinente. 134. n. 7. Christus Dominus Sabbati. Ib. n. 5. 386. n. 3. 4. & 5. Manus arida Sabbato a Christo curata. 134. n. 6. & 8. 141. n. 10. Christiana Sabbata, sive Solemnitates qua ratione sanctificandæ? 141. n. 9. 387. n. 7. Sabbato curare an liceat? 422. Sabbatum propter hominem factum. 309. Hydropicus. 422. Mulier ab annis octodecim incurvata. 419. Sabbatum secundoprimum. 385. Sabbatum spirituale in quo positum? 310. n. 8.
Sacerdotes & Prædicatores verbi Dei, Patriæ suæ, familiæ, cognationi, carnalis affectus vinculis nimis adstringi periculosum est. 318. Omnes functiones suas obire debent tamquam Deo præsente. 356. Unam Dei vocem, non parentum audire. 504. n. 3. & 4.
Sacerdotum & Pastorum malorum dicta servanda sunt cum sua non dicunt sed Christi: mala vero eorum opera non sunt imitanda. 242. n. 1. Lugendi qui ex pravis moribus Sacerdotum vitiis suis quærunt auctoritatem. 243. Lucrum ex sacro Ministerio non solum non quærere sed & domesticorum manus cohibere. 109. n. 5. Non verbo tantum, sed exemplo eradicare cupiditatem. 104. n. 6.
Sadducæorum errores. 234. 448. Eorum quæstionem circa resurrectionem solvit Christus. 448.
Sæculo futuro qui digni? 449. n. 35.
Sagena missa in mare, typus est Ecclesiæ & Prædicationis Evangelicæ. 162. n. 26.
Sal evanidum & insulsum. 31. n. 13. 326. n. 11. Salis proprietates & significationes. 31. 43. Sal mysticum. 328. n. 6.
Samaritani Christum non recipiunt. 400. n. 51. Colloquium Jesu cum Samaritana. 583. Samaritani credunt in Christum. 483. Colloquium Jesu cum Samaritana moraliter explicatur. 485. Mulieris illius admirabilis conversio. Ib. & 487.
Samson typus resurrectionis Christi. 303.
Sancti homines hic viventes secundum Deum æstimandi sunt & colendi. 499. n. 42.
Sanctorum gloria inæqualis. 218. Omnes tamen in vita æterna æquales erunt. 221. Sanctorum apud Christum unicum Mediatorem intercessio salutaris. 83. n. 11.
Sancta canibus dare, & margaritas porcis projicere. 69. n. 3. Oppugnatores veritatis, canum; contemptores veritatis, suum symbolo designantur. 70. Sanctum dant canibus, qui ad Sacerdotium impuros homines provehunt: & qui peccatores lethalium criminum habitu aut prava consuetudine implicatos, vel in proximis occasionibus peccati hærentes absolutione donant, & ad Sacram Communionem admittunt. Ibid. Id a Christo prohibitum. 65. n. 3.
Sanctificatio naturæ assumptæ a Christo per unctionem Divinitatis: sanctificatio electorum ex ejus plenitudine. 553 n. 19.
Sanguineus Christi sudor in agonia. 454. Sanguinis Christi virtus. 500.
Satanæ Regni eversio. 404.
Scandalum quam grave crimen. 201. n. 5. Aliud exterius, aliud interius, idque triplex. Contra utrumque nos munit sermo divinus. 202. n. 6. Quicunque nobis scandali & ruinæ spiritualis auctores sunt, quamvis maxime nobis necessarii & amici, deserendi, sunt & abjiciendi. Ib. Væ scandalorum auctoribus. 203. 440. Scandalorum pœna. 125. n. 5. 472. Scandalum ex Christo pati, quid sit? 125. n. 4. Scandalum Pharisaicum contemnendum. 179. num. 7. Scandalum pusillorum. 439. n. 1. & 2. Impossibile est ut non veniant scandala. 438. n. 1. & 2.
Scenopegia seu Festum Tabernaculorum. 501.
Scribæ populi. Quod eorum officium apud Judæos? 8. n. 4. Scriba doctus in regno Cœlorum. 154. n. 23. 163. n. 27.
Scripturæ Sacræ veteris ac novi Testamenti, Doctoris & Prædicatoris Evangelici thesaurus. 163. n. 27. Ejus lectio quam utilis Christianis ad salutem? 237. n. 11. 438. Major Scripturarum fides, quam mortuorum in mundum redeuntium. 438. Scripturarum intelligentia singulare Dei donum. 462. n. 45. 46. & 47. Scrutandæ Scripturæ. 531. n. 39. Quo animo legendæ. 492. In iis quæ intelligere non possumus, dubitatio auferenda, intelligentia differenda. Ibid. Purgandus animus ad Scripturarum & Mysteriorum intelligentiam. Ibid.
Scriptura non præcipit nisi charitatem, nec damnat nisi cupiditatem. 239. n. 16. Ille tenet & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Ibid.
Seductores cavendi. 451. n. 8.
Sensuum recte dispositorum, & de propriis objectis debito modo applicatis judicantium testimonium certissimum est. 562. Quinque viri Samaritanæ mulieris, mystice quinque sensus corporis, qui non ad æternitatem, sed ad temporalia appetenda vel fugienda nos regunt. 486. n. 16. & 17.
Separationem & dissensiones Evangelicæ prædicationis occasione futuras prædixit Christus. 414.
Sepulchrum Jesu publico sigillo obsignatum, & militari præsidio munitum. 291. n. 31. Cur Jesus in monumento novo sepultus? 297. n. 23. Moralia documenta ex Christi sepultura colligenda. Ib.
Sermo Domini in monte. 28. Non solos Apostolos, sed Christianos omnes spectat. 75. n. 15. Sermo Domini post cœnam. 533.
Serpens Æneus typus Christi in Cruce pendentis. 477. 481.
Servorum curam ut gerere debent domini, & qua charitate illos regere. 80. 392.
Servus fidelis & prudens. 418. Agnoscens voluntatem Domini, & non faciens. Ib. n. 47. & 48. Servi inutiles sumus, etiamsi fecerimus omnia quæ præcepta sunt. 439.
Servus est peccati qui facit peccatum. 509. n. 34. 512. Ab ea servitute nonnisi per Christum liberamur. 509. n. 36. Servus non manet in domo in æternum. 509.
Signum de cœlo petunt Pharisæi & Sadducæi. 182. n. 1. 322. n. 2. Signa excidii Hierosolymitani, & finis Mundi. Signum Christi ad judicium venientis in cœlo conspicuum. 230. n. 24. Signa ultimi judicii moraliter explicata. 249. n. 18. Et 19. Alia signa primi adventus, alia secundi tempus deposcit. 322. n. 2.
Silentium admirabile Jesu Christi in passione sua, quomodo a nobis honorandum? 283. n. 32. 292. n. 4. 340. n. 10. 559. n. 10. & 11.
Siloe fontis aqua, imago baptismi Christi. 516. n. 6.
Simeon puerum Jesum ceu Messiam a Deo promissum agnoscit & prædicat, 367. 372. n. 25. Ejus Canticum. 374. Prophetia. 367. n. 34. & 35. Simeonis Canticum moraliter explicatum. 374.
Simon Cyrenæus Crucem portat post Jesum. 288. n. 14. 457.
Simon Pharisæus convivio Christum excipit. Murmuranti Simoni, quod peccatricem pedes suos ungere pateretur, proposita duorum debitorum parabola Christus respondet. 391.
Sinapis granum, Christianæ Religionis & Ecclesiæ typus. 160. n. 21. Grano sinapis similis est gratia in animo hominis abscondita. Ib.
Sinus Christi crucifixi schola Christianorum. Divinæ hujus scholæ doctrina tribus constat partibus. 512. n. 28.
Sitis Christi in Cruce. 558.
Solemnitates Judaicæ, typi Christianarum solemnitatum. 504.
Solis defectio prodigialis Christo moriente. 289. n. 22.
Solitudinis laudes. 25. n. 1. Turba hominum relinquenda, cum de vitæ rationibus, vel de re gravi ad salutem pertinente deliberandum est. 26. Jesus in sacro secessu procul a mundi tumultibus quærendus. 169. n. 8.
Sollicitudo temporalium immodica & anxia damnatur. 55. n. 20. 22. & 23. 414. A rerum temporalium sollicitudine facilis est in avaritiam lapsus. 417. n. 22.
Sperare in Christi nomine quid sit? 142. n. 14.
Spiritus Sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum apparuit quadruplici de causa. 16. Christus factus est velut unus ex nobis, ut assuefieret Spiritus Sanctus manere in nobis. 473. Spiritus Sancti plenitudine Christus ad Sacerdotium æternum consecratus. 381. n. 17. & 18. Hoc Spiritu nos perfundens non solum Christianos effecit, sed & Christos. Ib. Spiritus Sanctus a Christo Patris nomine promissus. 460. 536. n. 16.

n. 16. & 17. Dispositiones ad recipiendum Spiritum Sanctum. 460. 477. Ubi vult spirat. 463. Sub aquæ vivæ Symbolo significatus & promissus. 503. n. 37. Visibiliter, & cum plenitudine non datus nisi post Resurrectionem & Ascensionem Christi. *Ib.* 506. n. 39. Hujus rei rationes. 547. n. 7. Fideles triplici modo consolatur. 239. n. 16. Et 17. Testimonium de Christo perhibuit & perhibet. 542. 545. n. 26. & 27. Ejus Divinitas. 538. A Patre & Filio procedit. 542. 546. n. 14. & 15. Confessores & Martyres roborat ut testimonium Christo perhibeant. 545. Christus Spiritum Sanctum Apostolis dat insufflando. 562. 564. *Arguit mundum de peccato, de justitia, & de judicio.* 545. Hæc Domini sententia tres veritates fundamentales Christianæ Religionis complectitur. 548. Docet omnem veritatem. 546. *Non loquitur a semetipso, sed quæ audiet loquetur.* Hic locus ejus Divinitati non derogat. *Ib.* Docet omnem veritatem, cum magis magisque diffundit in cordibus veritatem. 548.

Sponsus Christus, Ecclesia Sponsa, amici Sponsi Pastores, Doctores, Concionatores. Zelo pro Sponsa, flagrare debent; non sibi tamen zelare, sed Sponso. 482. n. 29.

Status & conditionis electio in Spiritu Dei facienda. 213. n. 7. & 8.

Stultum & imprudentem haberi propter Deum, gloriosum est. 313. n. 6.

Sudaria plura ad Jesu Christi sepulturam adhibita. 251. n. 30.

Superbi a Deo dispersi, humiles exaltati. 361. De Dei donis non superbiendum. 406. n. 17. & 18.

Superbia quadruplex. 243. n. 4. Adversus Superbiam pugnat Deus tamquam contumeliæ suæ propulsator. 244. n. 9. Superborum magnitudo fumo & somno similis. *Ibid.* n. 9.

Surdi & Muti curatio a Christo. 320. n. 6. & 7. Surdus & Mutus, hominis peccatoris typus, in cujus spirituali curatione Christus per gratiam suam eadem operatur. 321.

T

TAlentorum a Deo acceptorum bonus usus. Ratio de illis ab unoquoque reddenda. 447.

Talionis lex. 37. n. 32. Exactio talionis antiquis Judæis qua ratione permissa? *Ib.* Lex talionis justitia injustorum est; non fomes, sed limes furoris. 38.

Tempestas a Christo sedata. 78. n. 18. Ejus mystica significatio. 84. n. 17. 167. n. 25. Unicuique sua cupiditas tempestas est. 172. n. 19.

Templi structura. 247. n. 1. 336. n. 1. Sensus Litteralis. 449. Templi excidium a Christo prædictum. *Ib.* n. 2. Jesus vendentes & ementes e Templo ejicit. 331. n. 4. Templum Hierosolymitanum Ecclesiæ figura. 336. n. 1. Templum Dei in latronum convertit specum, qui lucra de Religione sectatur. 337. Reverentia Templis debita. 476. Nundinationes in Templo Dei. 476. Templum domus orationis. *Ibid.* Nundinationes in locis Templo contiguis prohibitæ. 333. n. 4. Quinam domum Dei speluncam latronum faciant. *Ib.* & 476. Templo turpe lucrum inferre vetitum. 286. Templi Dei profanatio & violatio multiplex. 230.

Templi ruinam ex justitia & ex misericordia Deus decrevit. 252. n. 1. Signi illius admirabilitas. 226. n. 9. Templi velum scissum in duas partes Christo moriente. 251. n. 26. Quid miraculum istud significet? 252.

Templum Dei omnes & singuli sumus, quotquot in Christo baptizati sumus. 252. n. 3.

Templum corporis sui solvendum, & in tribus diebus excitandum Christus prædixit. 475.

Tempus opportunum res suas temporales agendi quærunt homines, & tempus non arripiunt, quod opportunum semper adest, agendi maximum & unice necessarium salutis suæ negotium. 186. n. 2. Tempus gratiæ Judæi non observant, ideo a Christo reprehensi. 415. Tempus gloriæ Christi & electorum ejus. 504. n. 6.

Tenebræ prodigiosæ Christo moriente. 289. n. 22. Tenebras mundo Judaicæ cæcitatis ostentant. 296. n. 17.

Tentare Deum quid sit? 21. n. 5.

Tentationes Diaboli. Tria præcipue tela diaboli. 381. n. 3. & 4. Causæ tentationum, causæ cupiditatum sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ. 22. n. 9. Quid respondendum tentatori. *Ib.* In Christo tentati sumus, in illo diabolum superamus. 26. n. 2. Cur Deus tentationes graviores irruere permittat in Christianos illi per Baptismum conservatos? *Ib.* Ne inducamur in tentationem, precamur Oratione Dominica. 53. n. 12. 60. Quibus armis tentationes vincantur Christus docet. 381. Adversus tentationes & insidias diaboli continuo vigilandum & orandum. 455.

Testamenti novi sanguis. 270. n. 19.

Testamentum Christi in Cruce Matrem Discipulo dilecto, Matri Discipulum commendantis. 558. Electos omnes in Johannis persona in filios recipit Deipara Virgo testamento Christi morientis. 560.

Testimonium Jesu de se ipso verum est. 507. n. 14. Testimoniis falsis Jesus accusatus. 283.

Thamar aliæque famosæ mulieres, cur in Genealogia Christi nominatæ? Triplex ratio. 3.

Thesaurus in cœlo. 27. n. 6. 62. n. 19. Thesaurus cœli, manus pauperis. *Ibid.*

Thomæ Apostoli generosus animus, & Dei amans. 522. Thomas Christum interrogat quo vadat, & quæ sit via. 536. Ejus incredulitas. 562. n. 24. & 25. Cur a Christo permissa? 565. Illi Christus vulnera sua palpanda offert. An tetigerit, incertum. 562. n. 29. Thomæ confessio. *Ibid.*

Timor carnalis excutiendus Christiano. 113. n. 16. & 17. Impius timor est, cum quæ non timenda sunt timentur, & quæ timenda sunt non timentur. 114. Christus non solum verbo, sed etiam exemplo abstulit omnem timorem. *Ibid.* Ad omne recte factum, & ad omne peccatum, amor aut timor ducit. *Ibid.* Timor carnalis manum ab externo peccati opere prohibere potest, voluntatem mutare non potest. 168. n. 3. Timor pœnarum inferni salutaris. 265. n. 8. Timor pædagogus ad caritatem ducens. *Ibid.* Timoris servilis & casti discrimen. 404. 415. Timendus vere quis? 413.

Titulus Cruci Jesu inscriptus. 288. n. 19.

Trabs in oculo proprio. 387. n. 41. & 42.

Traditus est Christus ad mortem a Patre; seipsum tradidit pro nobis; & a Juda se tradi permisit. 197. n. 15. 535.

Traditiones Pharisæorum & Scribarum. Propter vanas illas Traditiones Mandata Dei transgrediebantur. 173. n. 1. & 2. 320.

Traditiones Apostolicæ cognosci non possunt nisi per Ecclesias matrices & originales fidei quas condiderunt, & quibus prædicarunt Apostoli. 548.

Transfiguratio Jesu Christi. 190. & seq. 324. n. 1. 399. In transfiguratione Christi spes Sanctæ Ecclesiæ fundata. 194. Ostendit Deus in Filii sui transfiguratione finem quo tendimus, & viam qua tendimus. *Ibid.* Totius Christi, Capitis & membrorum perfecta transfiguratio. 326. n. 1. Spiritualis transfiguratio. 402.

Traxit ad se omnia Christus per mortem in Cruce suam. 528.

Tribulationes Christianis salutares. 124. Christianorum est pati mala temporalia, & sperare bona sempiterna. 43. n. 10. Ipsis patientia in tribulationibus non minus necessaria, quam fides. 112. n. 13. Qua animi dispositione Christianis tollerandæ. 175. n. 6. Illas in gratiam electorum suorum Deus attemperat. 255. n. 15. Quantum quis patiatur, non tam spectandum est, quam qua de causa patiatur. 295. n. 15.

Trinitatis Sanctissimæ mysterium ex Baptismi institutione probatum. 207. Deus Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus veniunt ad nos dum venimus ad eos. 540.

Tristitia extrema Christi in horto. 271. n. 25. & 26. 339. n. 6. Contristari cum Christo debemus usque ad mortem peccati in nobis. 339. n. 6. Tristitia sæculi, secundum Deum. 547. n. 6. Tristitia justorum vertetur in gaudium. 546. n. 19.

Triumphalis ingressus Jesu Christi Hierosolymam. 224. & seq.

Turbavit semetipsum Jesus, fremuit & flevit, non infirmitate, sed potestate. 525. n. 32. & 33. Quid mystice significaverit ille Christi affectus? *Ibid.* Hos affectus in se Christus excitavit, ut se verum hominem probaret. 527. n. 27. & 28. Christi turbatio nostra consolatio est. 530. n. 27. & 28. Turbationes cordis nostri in rebus adversis impedire cum Dei gratia possumus. 538.

V

VÆ divitibus, saturatis, ridentibus, benedictis ab hominibus. 386. n. 24. 25. & 26. Væ Corozaim & Bethzaida. 404. n. 13.

Væ multiplex Pharisæis & Legisperitis. 409.

Vallis impleta crescit, mons & collis humiliatus decrescit. 415. n. 5.

Velum Templi scissum est in duas partes moriente Christo. Quid hoc miraculo significatum? 290. n. 26. Velum peccati, quod inter nos & misericordiam Dei interjectum erat, ne sanctuarium cœleste videre & ingredi possemus, Christi morte direptum est. 297. n. 21.

Ver-

Verbum Filius Dei vere & natura Deus eſt. 465. Perſona a Patre diſtincta. *Ibid.* Patri coæternum. *Ibid.* Res omnes creatæ in illo vita ſunt. *Ibid.* Lux mentium a pleriſque non percepta. *Ibid.* Nemo niſi per ipſum illuminatur ad ſalutem. *Ibid.* Lux eſt in tenebris lucens, & omnibus præſens. 470. n. 9. Omnem hominem illuminans. *Ibid.* Verbum Caro factum. 407. Ut de carne vitia carnis extingueret. 471. Vere Uni enitus Dei Filius, in ſe credentes Filios Dei adoptivos facit. 467. Plenitudo gratiæ & veritatis proprius Verbi Incarnati character. *Ibid.* De plenitudine ejus omnes accepimus. 468. Verbum Dei Dominus Jeſus Chriſtus. Ejus infinita magnitudo. *Ibid.*

Verbi euntis & redeuntis viciſſitudines in Animabus Sanctis, quibus interdum ſuavitatem ſenſibilem præſentiæ ſuæ ſubtrahit, ut earum Fidelitatem, amoremque caſtum probet. 549. n. 16.

Verbum Dei verbum ſalutis, alimonia æternitatis. 27. n. 5. Adverſarius eſt cum quo in hac vita concordare debemus. 46. n. 20. Gladius bis acutus, ſeparans a nobis quod impedimento eſt ad ſalutem. 154. Omnes intus verbi Dei auditores ſumus, & omnes foris & intus in conſpectu Dei factores eſſe debemus. 75. n. 14. Verbi Dei & Miniſtrorum ejus contemptores quæ damnatio maneat? 110.

Verbum Dei quo ſtudio, qua pietate audiendum. 155. n. 3. 4. 5. 6. & 7. Varii obices ne Verbum Dei fructum afferat in iis, a quibus auditur. *Ibid.* In iis qui bono & optimo corde illud ſuſcipiunt, multum & varium fructum affert. *Ibid.* n. 7. Verbum Dei ignis eſt, piorum auditorum animos in Dei amorem accendens. 461. Qui ex Deo eſt, Verbum Dei audit: qui non audiunt, ex Deo non ſunt. 509. n. 46. & 47. Cum debitis diſpoſitionibus audiendum. *Ibid.*

Verba noviſſima Jeſu Chriſti in Cruce morientis. 289. n. 23. 296. n. 18. 457. n. 33. & 34.

Verba. Maxima pars culparum atque pœnarum a verbis ſumit exordium. 34. n. 23. Ad verbum convicii expiandum non ſufficit eleemoſynas facere, niſi remedium reconciliationis adjungatur. 46. n. 18. Verba mala ex corde pravo & corrupto ducunt originem. 137. n. 20. & 21. 146. n. 22. Verba ſcurrilia in Viris præſertim Eccleſiaſticis damnanda. 144. Ex verbis juſtificatio, & condemnatio. 137. 144. Verbum otioſum. 146. n. 22.

Veritas patrimonium Chriſtianorum. 512. n. 32. Lucens amatur, redarguens odio habetur. 481. Ubique præſidet omnibus eam conſulentibus. 482. Deo inviſi ſunt Eccleſiæ Miniſtri, qui veritatis confeſſionem & prædicationem ex commodis ſuis ſuſpendunt. 448. Chriſtus in Mundum venit, ut teſtimonium perhibeat veritati. 557. n. 37. Qui ex veritate eſt, Chriſti vocem audit. *Ibid.* Multi Pilati exemplo ignorant quid ſit Veritas. *Ibid.* n. 38. Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cum adhuc nequiter vivat. 557.

Veſtimenta Jeſu ſorte inter milites diviſa. 288. n. 17. Myſtica explicatio. 297. n. 13.

Via, Veritas, & Vita Chriſtus. 536. 538.

Via vitæ & ſalutis æternæ anguſta & arcta. 66. n. 7. 71. n. 7. Via ſalutis anguſta eſt cupiditati, dilatatur Charitati. 72. Viæ ad cœlum duæ dumtaxat, innocentia, & pœnitentia. 231. n. 14.

Victimæ Dei in hoc mundo per pœnitentiam & charitatem eſſe debemus. 37. n. 5.

Videbunt in quem transfixerunt. Variæ hujus loci Zachariæ lectiones. 554.

Vidua Sareptana, ad quam miſſus Elias. 380. n. 25. & 26. Eccleſiæ typus. 382. n. 25. & 26. Heroicum charitatis illius exemplum Chriſtianis imitandum. 382.

Vidua Naim. Chriſtus Filium ejus a morte ſuſcitat. 390. Adoleſcens ille defunctus typus eſt peccatoris nondum tumulo pravi habitus & perverſæ conſuetudinis ſepulti. 390. n. 12. Vidua Naim typus Eccleſiæ. 392.

Vidua duo æra minuta mittens in gazophylacium, plus omnibus miſit. 334. n. 7.

Vigilantia Chriſtiana. 251. 256. 281. 336. 414. & ſeq.

Vigilantia Chriſtiana, & humilis oratio origo eſt fortitudinis noſtræ. 281. Orandum ut vigilemus, vigilandum ut oremus. 342. n. 8.

Vigiliæ noctis tres apud veteres Hebræos, deinde quatuor a Pompej temporibus. 166. n. 18.

Villici diffamati parabola. 431. Moraliter expoſita. 433.

Vineæ agricolis locatæ, qui Filium Domini ſui occiderunt, Parabola de Judæis explicata. 228 447. Moralis expoſitio. 231.

Vinum novum in Regno Dei bibendum quid ſit? 270. n. 20.

Vinum cum felle mixtum Jeſu morienti propinatum. 288. n. 16. Myſtice explicatur. 295. n. 12. Mundi voluptates vinum cum felle mixtum. *Ibid.*

Vinum ex aqua factum a Chriſto in nuptiis Cananiticis 476.

Virginum dignitas & excellentia. 237.

Virorum erga uxores compatiens charitas. 210.

Viſio Dei; beatitudo mundis corde promiſſa. 30.

Viſionum & revelationum privatarum examen. 234. n. 8.

Vita æterna. 266. n. 10. Bonis operibus comparatur. *Ibid.*

Vita per Chriſtum. 493. 539.

Vitæ temporalis nimius & inordinatus amor impedimentum eſt pietatis Chriſtianæ. 117. n. 23. 190. n. 16. 529.

Vitis vera Chriſtus, Pater agricola, nos palmites. 540. Manere in Chriſto debemus ut palmites in vite, alias fructum ſalutis ferre non poſſumus. 542. n. 4. 6. & 7.

Vitulus ſaginatus, typus Chriſti pro peccatis noſtris occiſi. 430.

Ultionem injuriarum Chriſtus prohibet, patientiam imperat. 34. Altera maxilla potius præbenda percutienti, quam charitatis & patientiæ bonum amittatur. 37. n. 34. Hoc præceptum Chriſti præparatione cordis implendum. *Ibid.* Chriſtianos qui mala rependunt malefactis judicabunt Ethnici Philoſophi, qui beneficia eſſe rependenda docuerunt. 50. n. 27.

Umbra mortis quid ſit? 22. n. 11. Diſcrimen inter mortem & umbram mortis. *Ibid.*

Unctionis extremæ Sacramentum Marci cap. 6. inſinuatum. 318.

Unguentum ſuper Chriſti caput & pedes effuſum. 275. n. 3. Tres ſpecies unguentorum myſticorum, cum quibus ad Jeſum accedere debemus. 304. 338.

Unio divina Chriſti capitis cum membris, & membrorum cum Capite. 553.

Vocatio divina. Vocationi, divinæ abſque mora parendum. 84. n. 16. Multi vocati. Non ſolum multi, ſed omnes ſufficienter vocati. 236. n. 7. Alii vocantur, & venire contemnunt: alii vocantur & veniunt: alii compelluntur ut intrent. 426. n. 22. & 23.

Voluptas omnis quæ a dæmone, ſive a mundo & carne cum dæmone fœderatis offertur, homini Chriſtiano ſuſpecta eſſe debet, quamvis innoxia ſecundum ſe videatur. 27. n. 4.

Voluptates ſæculi, porcorum cibus. 428.

Voluntas noſtra Dei voluntati omnino ſubjicienda & conformanda eſt. 281. n. 21. 341. n. 7. 456. 499. Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. 215. Bonæ voluntatis ſacrificium nunquam plene perſolvitur, niſi mundi hujus cupiditas perfecte deſeratur. *Ibid.* Quoſdam nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam: quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. 531. n. 35.

Votum virginitatis & continentiæ. 208. 212.

Votum commune baptizatorum. In eo ſervando fidelitas. 357. n. 34.

Uſuræ iniquitas. Fœnus pecuniæ, fumus animæ. 50.

Utilitas noſtra reſpuenda, ubi Divinitatis injuria eſt. 212. n. 6.

Vulnerum cicatrices a Chriſto redivivo & glorioſo ſervatæ. 565. Suſcepta a Chriſto vulnera pacem nobis pepererunt: oſtenſa vulnera ad pacem nos hortantur. *Ibid.*

Uxor non dimittenda, ſeu in perpetuum a thoro abjicienda, niſi ob fornicationem. 36. n. 28. Chriſtianorum virorum erga uxores charitas; uxorum erga viros reverentia, fides, dilectio. 47. n. 23.

Z

Zacharias Propheta. Vaticinium ejus de Rege ad Sion venturo, inſidente pullo aſinæ, ad Zorobabelem pertinere, perperam aſſerit Grotius. 224. Chriſto vindicatur. *Ibid.* Zachariæ vaticinium de triginta argenteis, quibus Jeſus appretiatus eſt & traditus, expenditur. 286. n. 5. Cur a S. Matthæo citatum Jeremiæ nomine? *Ibid.*

Zacharias filius Barachiæ inter templum & altare occiſus, quis fuerit? 241. n. 18.

Zacharias Joannis Baptiſtæ pater Summus Sacerdos non fuit. 349. n. 5. Uxorem duxit Eliſabeth de filiabus Aaron. *Ibid.* Ambo juſti ante Deum, non tamen omnis prorſus expertes peccati. *Ibid.* n. 6. Zachariæ thus in Templo adolenti apparuit Angelus Gabriel, & filii nativitatem futuram nunciavit. 349. n. 13. Zachariæ incredulitas & diffidentia, pœnaque divinitus inflicta. 350. n. 19. & 22. Nato puero Joannis nomen imponit, 354. n. 63. Locutionis uſus illi divinitus.

nitus reſtitutus . *Ibid.* n. 64. Canticum Zachariæ . *Ibid.* n. 68. Zacharias Legalis Sacerdotii & populi Judaici typus, ex quo jam ſene Chriſtus natus eſt ſecundum carnem . 357. n. 22.

Zachæus Chriſtum in domum ſuam recipit . 445. Qua ratione imitandus. 446.

Zaram cum Pharez cur in Chriſti genealogia recenſitus ? 220. Zaram & Pharez duorum populorum typi . *Ibid.*

Zebedæi filiorum ambitio . 219. 328. n. 6. Zelus eorum ignem de cœlo in Samaritanos excitare volentium, Chriſto repreheníus . 400. Zelus amarus Miniſtris Chriſti vitandus . 403.

Zelus domus Dei . 474. n. 17.

Zizaniorum Parabola moraliter explicata . 158. Multi primo zizania ſunt , & poſtea triticum fiunt . *Ibid.* n. 19.

Zorobabel qua ratione genitus a Salathiele dicatur , cum filius ſit Phedaiæ Fratris Salathielis ? 4. n. 11.

INDEX
CONCIONATORIUS
PRO DOMINICIS ET FESTIS TOTIUS ANNI.
IN QUO

Sensus Litterales & Morales Concionibus servientes, in usum & gratiam Concionatorum, Parochorum, & Catechistarum, sub diversis Evangeliorum singulorum Thematibus, cum exordiis, Confirmationibus ac Perorationibus, rite apteque disponuntur ac denotantur.

DOMINICA S. ADVENTUS.

THEMA.

Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Lucæ 21.

Exord. PEtebant olim, Matth. 16. Pharisæi & Saducæi a Christo: *ut signum de Cœlo ostenderet eis*, in signum Adventus sui primi de Cœlo. Signum (inquam) de Cœlo, quale ediderunt olim Josue solem sistens: Samuel tonitrua eliciens: Isaias umbram reducens: Elias ignem e Cœlo advocans: Moyses Manna obtinens, pag. 182. Sed aliud signum non dedit Christus eis, nisi signum Jonæ Prophetæ, quod non de Cœlo, sed de Mari sumptum erat, *ibid.* Simili modo petebant etiam Apostoli a suo Domino, Matth. 24. Signum Adventus ejus secundi. *Quod signum Adventus tui, & consummationis sæculi?* At benignior eos responso dignatus est, dum ait: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis*, p. 450. Sed quia hæc nobis modo viventibus, tunc non victuris, parum prodesse possunt.

Confirm. 1. Propone disparitatem signorum primi & secundi Adventus Christi, p. 322. & seq. 2. Posteriora moraliter explica, p. 255. num. 18. & 19. Post quæ.

Epilog. Conclude, quomodo quis per gratias primi Adventus Christi se possit disponere ad terrores secundi.

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. Matth. 11.

Exord. MIram rem proponit hodiernum Evangelium: innocentem in vinculis, reum in libertate, Joannem in Carcere, Herodem in Throno. Carcer hic typus est mundi, p. 124. & seq. Joannes typus Justorum, Herodes Impiorum, *ibid.* At felicior est Joannes in carcere & vinculis, quam Herodes in libertate & throno. Herodes liber timet, Joannes vinctus timetur. Herodes Christum non quærit, Joannes ex vinculis mittit ad eum, sine quo nec ipse, nec ullus quid boni valet facere, quid pati adversi. En, quod imitemur.

Confirm. *Homo natus de Muliere .... Multis repletur miseriis*, inquit Job cap. 14. Sed hic, ut in his subsistat & proficiat, cum Johanne 1. recta ire debet ad Christum, id est, jugiter vitam, passionem, ac mortem ejus recogitare, 124. 2. Gaudere cum Johanne in tribulationibus, quia purgant animam, *ibid.* 3. Quia eam Deo conjungunt, *ibid.*

Epilog. Igitur in vinculis tribulationum non dolendum, sed gaudendum, non murmurandum, sed Deo regratiandum.

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA.

Tu quis es? Joan. 1.

Exord. PRæsens Evangelium ad litteram nobis proponit veridicum & humile responsum S. Johannis Baptistæ interrogationi Judicum Sinagogæ, idest, Sacerdotum & Levitarum, an esset Christus, an Elias, an Propheta? Nam *confessus est, & non negavit .... quia non sum ego Christus*, &c. p. 468. *Medius autem vestram stetit .... Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* O veritas! o humilitas! Moraliter habemus & nos Judices nostros, qui nos interrogant: *Tu quis es?* & qui illi? Quidve illis respondendum?

Confirm. Quilibet homo tres habet Judices, unum internum, alterum externum, tertium supremum: intra se conscientiam, circa se proximum, supra se Christum, & quilibet horum suo modo petit a te: *Tu quis es?* Christianus, Religiosus, Sacerdos, Judex, Subditus &c. qualem te profiteris? *Tu quis es?* Humilis, liberalis, pudicus, pacificus, frugalis, amans proximum, justus, studiosus salutis? Vide quid respondeas, cordi, quod nequis, quid hominibus quos non decet, quid Christo, quem nefas est fallere. *Tu quis es?* quem mores & opera demonstrant? Nonne interdum potius Paganum, quam Christianum? Sæcularem quam Religiosum, Laicum, quam Sacerdotem, Superbum, quam humilem, avarum, quam liberalem, lubricum, quam pudicum, &c. *Tu quis es?* Noli audire amorem proprium, quia seductor & adulator est. Noli credere aliis, quos sæpe fallis simulatione virtutum, & qui te sæpe fallunt adulatoriis sermonibus, p. 472. Sed Johannem audi, Johannem considera, apud te ipsum, apud proximum, apud omniscium Creatorem. Responde veraciter, responde humiliter, sic laudes repudia, ut veritatem non offendas, *ibid.*

Epilog. Sed præcipue sic vive, ut in morte, & judicio Christo Judici interroganti: *Tu quis es?* secure valeas respondere.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMA.

Omnis Vallis implebitur, & omnis Mons humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Lucæ 3.

Exord. AD Litteram hæc Isaiæ Prophetia intelligitur de Judæorum reductione ex captivitate babylonica &c. pag. 377. typice vero de Christo universum genus hominum a diaboli & peccati servitute liberaturo &c. *ibid.*

Confirm. Moraliter: omnis pusillanimitas in spem erigenda. 3. Omnis præsumptio propriæ sapientiæ & justitiæ deprimenda. 3. Omnis pravitas vitæ. 4. Omnis asperitas morum in rectos, tractabiles, mansuetos per Incarnationem & Adventum Christi mutanda, p. 379.

Iterum: Incarnatio Christi (teste Gregorio) humiles exaltavit, superbos humiliavit, injustos correxit, iracundos mites reddidit, *ibid.* & p. 380.

Epilog. Qui ergo fructum ex Adventu Christi desiderat, octo hæc vitia, per exemplum & verbum Christi deponat, & in oppositis virtutibus sese exerceat; tunc hic per fidem, post per speciem fructuose *videbit salutare Dei*.

DO-

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

THEMA.

Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur. Luc. 2.

Exord. VErba Thematis ad Litteram tantum intelliguntur de ruina & resurrectione Judæorum, p. 367.

Confirm. Latius intelligi etiam possunt de toto genere humano, p. 371. Quomodo huic signo contradicant Judæi, quomodo Pagani, quomodo Christiani, p. 411.

Epilog. Non ergo contristari debet sincerus Christianus, si ejus vitæ: non zelosus Pastor, si ejus doctrinæ contradicatur, cum non sit Discipulus major Domino suo. *Ibid.*

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Erat subditus illis. Luc. 2.

Exord. AD Litteram præsens Evangelium nobis proponit humilem obedientiam Christi suæ Virgineæ Matri, & Nutricio Josepho. Quomodo, & quare obedierit, p. 406.

Confirm. Initium lapsus nostri fuit inobedientia Adami Primi: initium reparationis nostræ fuit obedientia Adami Secundi: sic via obedientiæ (ut ait Gregorius) redeundum est ad Paradisum his, qui per viam inobedientiæ ab illo recesserunt. Dilce hic 1. Humilitatem (cum S. Bernardo) p. 377. 2. Obedientiam carnalibus & spiritualibus Parentibus (cum S. Ambrosio & Origene) p. 376.

Epilog. Duplici hac virtute, veluti duabus spiritualibus alis, facile volabis hic ad perfectionem virtutis, post ad consummationem gloriæ.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi. Joan. 2.

Exord. UNicum fecit Jesus signum in Nuptiis in Cana Galilææ, scilicet mutationem Aquæ in Vinum: multiplex facit in Nuptiis Christianis, dum illæ rite celebrantur, p. 474.

Confirm. Tres sunt in Christianis Nuptiis invitandi, ut perpetuo sanctæ sint. Maria, Jesus, Discipuli, p. 475. Maria, imitando ejus virtutes, *ibid.* Jesus, ejus spiritum per orationem attrahendo, &c. *ibid.* & seq. Discipuli, 1. In matrimonio sese instar Discipulorum Christi gerendo, 2. Justa Discipulorum Christi monita, nobis scripto relicta, observando.

Epilog. Tunc per Patrocinium B. Mariæ Virginis aqua tribulationis mutabitur in vinum castæ dilectionis, & patientiæ Christianæ.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8.

Epilog. SEniores Judæorum, quos Centurio ad Jesum misit, minus fidei, plus vero vanitatis, quam Centurio, habentes, non sunt functi fideliter legatione, & ideo non exauditi, p. 76.

Confirm. 1. Duo Comites efficacis orationis sunt vera fides, & profunda humilitas. Qui his associatus orat, quodlibet impetrat, p. 80. 2. Duo gradus humilitatis: primus cognitio propriæ infirmitatis, alter divinæ miserationis. *ibid.* 3. Hanc humilem cognitionem statim sequitur sanatio per verbum Dei.

Epilog. In omni ergo mentis & corporis necessitate cum fiducia & humilitate ad Christum accedamus, & cum Centurione illico exaudiemur.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Motus magnus factus est in mari . . . ipse vero dormiebat. Matth. 8.

Exord. PRopone Historiam Evangelicam fuse ad Litteram explicatam, p. 78.

Moraliter: 1. Navis est Ecclesia, p. 85. 2. Cor humanum jactatum tentationum Procellis, *ibid.* n. 18. Agitatum concupiscentiæ fluctibus, *ibid.* n. 19. Somnus Christi, fides sopita in corde, *ibid.* Confirm.

In tentationibus & passionibus Christum per fidem excita, *ibid.* Confuge ad illum cum Apostolis per orationem, & statim fiet tranquillitas magna. Epilog.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Simile factum est Regnum Cœlorum Homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

Exord. NOn una, sed pluribus de causis locutus est Jesus ad turbas in parabolis, p. 149. n. 1. & p. 150. n. 5.

Confirm. Seminis boni Sator Christus Dominus est, p. 158. n. 14. Zizaniorum Diabolus, *ibid.* Sinit tamen Deus utraque mixtim crescere usque ad messem, *ibid.* & quare? *ibid.*

Epilog. Demus nos operam, ne Zizania simus, p. 159.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

THEMA.

Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis. Matth. 13.

Exord. OPtime S. Gregorius; *Regnum Cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur*, quæ cum sua doctrina & prædicatione Evangelica, ut ait S. Hieronymus, recte grano sinapis comparatur, p. 159. n. 21.

Confirm. 1. Quomodo hæc Ecclesia, in suo exordio minima, creverit per orbem, *ibid.* & 160. 2. Quomodo hæc Ecclesia per suam doctrinam crescat in cordibus fidelium. *ibid.*

Epilog. Nobis ergo assumendæ sunt pennæ Columbæ, ut volantes ad altiora virtutum, habitare in ramis hujus arboris, terrenaque fugientes, ad Cœlestia festinare possimus, p. 161. & seq.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

THEMA.

Simile est Regnum Cœlorum Homini Patri-familias, qui exiit primo mane conducere Operarios in vineam suam. Matth. 20.

Exord. PRoponitur Evangelii littera, & mystice ex SS. Augustino & Gregorio explicatur, p. 220. n. 1.

Confirm. Moraliter, 1. Quomodo colamus Deum, quomodo nos Deus? *ibid.* & seq. 2. Quomodo ejus vineam? p. 221. 3. Qua mercede? *ibid.*

Epilog. Igitur dum tempus habemus colamus Deum, eum adorando, vineam ejus bene vivendo, & pro humili perseverantia denarium vitæ æternæ accipiemus, & inter primos numerabimur, *ibid.* & p. 222.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

THEMA

Exiit qui seminat, seminare semen suum. Matth. 13.

Exord. QUis seminator? Quis ejus exitus? quod semen, illiusque dignitas? Qui ager? &c. p. 155.

Confirm. Moraliter: semen secus viam, *ibid.* In petra. *ibid.* In spinis, *ibid.* n. 5. In terram bonam, 156. n. 7. & seq.

Epilog. Vitemus tria impedimenta verbi Dei, & animam, quæ ager Dei est, ad recipiendum externum & internum verbum ejus, bene præparemus; tunc producemus optatum fructum, alii centesimum, alii sexagesimum, alii trigesimum, p. 155. & seq.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

THEMA.

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt . . . de Filio hominis. Luc. 18.

Exord. AD Litteram verba thematis exponuntur ad longum, p. 218. & seq. n. 9.

Confirm. 1. Quibus datum nosse Mysterium, virtutem, ac fructum Crucis Christi? p. 219. 2. Quomodo post Christum Hierosolymam non terrestrem, sed Cœlestem ascendere possimus, & debeamus? *ibid.* & seq.

Epilog. Et in hoc, pluſquam in honoribus, voluptatibus, & bonis hujus vitæ, ſumma conſiſtit noſtræ felicitatis.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Ductus eſt Jeſus in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. 4.

Exord. ITer Jeſu in deſertum, & cauſæ quatuor, cur tentari voluerit, p. 20.

Confirm. Evangelium præſens, duplex nobis in Chriſto imitationis proponit exemplum. 1. Seceſſum ejus, duce Spiritu ſancto, in deſertum, p. *Ibid.* 2. Tentationem ejus a diabolo, p. 26.

Epilog. Turbas ergo cum Chriſto, dum de re grâvi ad ſalutem pertinente deliberandum eſt, relinquamus, & tentationibus, cum his Deo permittente pulſamur, fortiter reſiſtamus, *ibid.* & ſeq.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Transfiguratus eſt ante eos. Matt. 17.

Exord. LIttera Evangelii ad longum, p. 191. & ſeq.

Confirm. 1. Hæc Chriſti in Monte Thabor Transfiguratio, æternæ Beatitudinis, quæ Sanctis promittitur, levis delineatio & adumbratio fuit, p. 193. 2. Qua via ad illam perveniatur? *ibid.* & ſeq.

Epilog. Duplicem ergo crucem Chriſti, 1. Ejus Evangelium, de quo S. Auguſtinus: *Tota vita hominis Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivit, crux eſt, & martyrium*: 2. Immiſſas & permiſſas hujus vitæ adverſitates libenter ſuſcipiamus ac portemus, tunc facile ad montem æternæ felicitatis pertingemus.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Luc. 11.

Exord. DUD oculos figo in horrendam blaſphemiam, quam Phariſæi in præſenti Evangelio, contra Chriſtum effutire auſi ſunt, video, quod eorum animos deterius, magiſque tenebat dæmon, quam corpus illius muti, quem Chriſtus a dæmone liberaverat. Illius linguam &c. p. 101. uſque ad teſtimonium Juliani Apoſtatæ incluſive. Sed ad Phariſæos redeamus. Conſummata ergo Phariſæorum malitia erat &c. *ibid.* Hanc animi peſtem, cum Primogenita ſua Filia detractione, vobis hodie fuſius proponam.

Confirm. Admirationem, plauſumque populi ferre non valentes Phariſæi &c. p. 142. uſque ad n. 17.

Epilog. Fugiamus ergo invidiam, & quæ inde naſcitur, detractionem &c. p. 102. & 141. n. 11.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Subiit in montem Jeſus . . . erat autem proximum. Paſcha Feſtum Judæorum. Joan. 6.

Exord. SEries Evangelii ad litteram proponitur, p. 494. & ſeq. Sed quid ſub cortice hiſtoriæ hujus latet? Ingens myſterium: ſcilicet, quid Chriſtianus tempore Quadrageſimæ inſtante Paſchate, vel quolibet alio ex ſolemnioribus Feſtis agere debeat, & quomodo ſeſe ad illa diſponere.

Confirm. Ut ad Paſchatis Chriſtiani, ac aliarum Eccleſiæ inſignium Solemnitatum celebrationem ſe digne præparent fideles, &c. ad longum, p. 497. & ſeq.

Epilog. Sic ergo Chriſtum cum turba Evangelica ſequamur, & non tantum ejus doctrina, miraculis, Sacramentis, gratia &c. in hac vita, ſed etiam poſt illam, gloria ejus perpetuo paſcemur in Cœleſti Patria.

DOMINICA V. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Joan. 8.

Exord. QUicumque pervenire vult ad certum finem, debet uti mediis neceſſariis ad illum finem. Finis ad quem conditi & vocati ſumus, & ad quem omnes libenter perveniremus, vita æterna eſt: medium, ſermonis ac mandatorum Dei obſervatio. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. id eſt, ſecundum Evangelium vive, tunc vives hic in Dei gratia, poſt in ejus gloria, & *mortem non videbis in æternum.* Mors duplex eſt &c. p. 513.

1. Sermo Dei adverſarius eſt, cui in via debemus conſentire, p. 46. 2. Gladius bis acutus, ſeparans nos a mundo, & jungens Deo, p. 116. & ſeq. 3. Ignis eſt, qui piorum animos in Dei amorem accendit, p. 462. Sed 4. opus eſt illi adverſario non contradicere, gladio illo bene uti, ignem illum in dies fovere, aliter verbum Dei, ut Salvianus advertit *lib. 4. de Gubernatione Dei*, non erit tibi aliud, quam Circulus aureus in naribus ſuis, p. 74.

Epilog. Si ergo ſapientes, & non fatui eſſe velitis, ſic ſermonem Dei audite, ut illum opere impleatis, p. 75. n. 14.

DOMINICA PALMARUM.

THEMA.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Exord. PRæſens Evangelium ad litteram deſcribit pompam, qua Chriſtus ingreſſus eſt urbem Jeruſalem, tum ut regni ſui naturam ſic adumbraret, quod pacificum & humile eſt, & ab hujus ſæculi faſtu alienum: tum ut Prophetæ vaticinium in ſe impletum oſtenderet, &c. p. 225. Sed tantum Chriſtus ingreditur Jeruſalem ut Rex? etiam ut Victor, & Victima.

Confirm. Ingreſſus Chriſti in Jeruſalem, ut ſtatim dixi, triplex eſt, 1. Regis, 2. Victoris, 3. Victimæ. Ad longum, p. 229. & ſeq. 4. Turbæ illum præcedentes & ſequentes quæ ſint, *ibid.* 5. Quo ſenſu verba thematis & nos ei acclamare debeamus, p. 226. & ſeq.

Epilog. Suſcipiamus nos in animam noſtram noſtrum Redemptorem, ut Judæi hodie in ſuam urbem, ut Regem per obedientiam & humilitatem: ut Victorem per gratitudinem & imitationem in pugna ſpirituali: ut Victimam per compaſſionem & amorem, & ſemel ab ipſo recipiemur in Jeruſalem Cœleſtem.

DOMINICA PASCHATIS.

THEMA.

Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome . . . valde mane una ſabbatorum veniunt ad monumentum, ut urgerent Jeſum. Marc. 16.

Exord PRæſens Evangelium ad litteram nobis exhibet maturam diligentiam, fidelem amorem, & ſincerum obſequium harum trium Mulierum Chriſto exhibitum. Primum in verbis: *Valde mane*: Secundum in verbis: *Veniunt ad monumentum*: Tertium, in verbis: *Ut urgerent Jeſum.* Steterunt fideliter ſub cruce morientis Salvatoris, unde Apoſtoli aufugerant: *Omnes, relicto eo, fugerunt.* Eadem fidelitate quærunt ſepultum, ut ei extrema conſtantis amoris oſtendant obſequia. Sed ſenſu morali oſtendunt cunctis Chriſtianis, quando, ubi, & quomodo Jeſum diligenter, fideliter, & ſincere quærere debeant, p. 345. & ſeq.

Confirm. I. Quærere debent *valde mane*, p. 302. & 344. & ſeq. 2. Quærere debent cum aromatibus variarum virtutum, *ibid.* n. 1. & p. 344. & ſeq. 3. Præcipue die dominico in templo (ſecundum reflexionem S. Leonis) p. 302.

Epilog. Tunc Jeſum cum piis illis Mulieribus invenietis, non mortuum, ſed vivum, & ab illo vivificæ gratiæ augmentum, pignuſque æternæ gloriæ accipietis.

FERIA II. PASCHATIS.

THEMA.

Tu ſolus Peregrinus es in Jeruſalem? Luc. 24.

Exord. OB varias cauſas, divina ſua potentia, tenuit hodie Chriſtus oculos ſuorum Diſcipulorum, ne eum agnoſcerent, p. 344. & ſeq. ſed quare illis apparuit non in ſpecie hortulani, ut Mariæ Magdalenæ? non in ſpecie ſua naturali, ut Apoſtolis? Res plena myſterii eſt, quod explicabo.

Confirm. Tribus modis quis Peregrinus eſt in Eccleſia Chriſti: duo mali, tertius bonus eſt. 1. Poteſt quis eſſe Peregrinus a neceſſaria cognitione fidei, ejuſque Myſteriorum. Et quot Chriſtiani &c. p. 461. Qui alioquin in ſæculi notitia perſpicaciſſimi ſunt. 2. Alia quadam ratione peregrinum eſſe virtus eſt &c. *ibid.*

& p. 461. 3. In peregrinatione hujus vitæ non afficiamur amore Patriæ, sed viæ: & hoc valde periculosum est, *ibid.*

Epilog. Vitemus primum & ultimum; *nam accedentem ad Deum, oportet credere*, & illum, in quem credit, non Creaturas, quærere. Sit nobis dulcis Patria, non peregrinatio cum suis transitoriis & periculosis impedimentis, & in morte portæ Jerusalem Cœlestis nobis ultro patebunt.

FERIA III. PASCHATIS.

THEMA.

Pax vobis. Luc. 24.

Exord. PAcem attulit Christus hominibus sua nativitate, p. 365. pacem reliquit discessurus per mortem ex hoc mundo, p. 537. & seq. Pacem precatus est Apostolis suis redivivus, p. 462. Nec mirum, nam pax est fructus resurrectionis Christi, p. 565.

Confirm. Licet pax divinum plane bonum sit; non tamen pax omnis amanda &c. p. 565. Oremus ut Jesus stet in medio cordis nostri, nobisque pacem illam afferat &c. p. 462. nam illam pacem habentes sunt Filii Dei, per spem, p. 42. & seq.

Epilog. Illam pacem servantes fiemus post hanc vitam Filii Dei per possessionem pacis æternæ.

DOMINICA IN ALBIS.

THEMA.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Joan. 20.

Exord. AD litteram exponitur Evangelium præsens, 563. & seq.

Confirm. Ad mores 1. Cur Thomæ incredulitatem permiserit Christus? &c. p. 565. & seq. 2. Eadem, quæ fuit Christi erga Thomam misericordia & charitas, etiam erga te est, Christiane &c. *ibid.* & seq. 3. Sed major adhuc tua, quam Thomæ felicitas, *ibid.* & p. 566.

Epilog. Fidem ergo moribus exprime, & tunc lætum Pascha celebrabis in tua conscientia, & post transitum ex hoc mundo, lætiorem in Patria, *ibid.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

THEMA.

Ego sum Pastor bonus. Joan. 10.

Exord. PRopriétates boni Pastoris, quomodo sint in Christo p. 518. & seq.

Confirm. I. Quomodo debeant esse in Ecclesiasticis & sæcularibus præpositis, Patribus-familias &c. p. 520. 2. Qui sint inter illos Mercenarii? *ibid.* 3. Quales debeant esse oves? *ibid.* & seq.

Epilog. Curent ergo hi boni esse Pastores, quos Deus aliis præposuit: illi bonæ oves, quos Deus aliis subjecit, si primi velunt inter Pastores, non inter Mercenarios numerari: secundi inter oves, non hircos poni in die Judicii.

DOMINICA III POST PASCHA.

THEMA.

Modicum, & videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me. Joan. 16.

Exord. TExtus Evangelii explicatur respectu Christi, p. 546.

Confirm. Moraliter exponitur respectu fidelium, p. 549. Et ideo non deficiendum Christiano in adversis, in fletibus, in persecutionibus, quia modicum &c. *ibid.* & seq.

Epilog. E contra spe gaudendum, quia *quod in præsenti est momentaneum &c. ibid.*

DOMINICA IV. POST PASCHA.

THEMA.

Cum venerit Paraclitus ille arguet mundum de peccato, de Justitia, & de Judicio. Joan. 16.

Exord. VErba Thematis litteraliter exponuntur respectu Christi & Judæorum, p. 546.

Confirm. Respectu Apostolorum, & totius mundi, pag. 548. Attendite ergo præterita peccata, ut de illis pœniten-

tiam agatis: studete conservare adeptam, vel recuperare amissam justitiam: & in omni verbo, opere & cogitatione mementote, quoniam pro his semel adducemini in judicium. Epilog.

DOMINICA V. POST PASCHA.

THEMA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Joan. 16.

NIhil æque nos Christus docuit quam orare. Docuit verbo, docuit exemplo. Docuit verbo Matth. 6. *Sic vos orabitis*. Docuit exemplo, p. 288. Docuit verbo Matth. 7. p. 70. Docuit exemplo, p. 272. & seqq. Docuit verbo, *ibid.* Docuit exemplo, p. 457. Et simul modum orandi docuit, p. 455. n. 40. Sed quid opus, ut oratio nostra apud Christum, & per illum apud Patrem sit efficax? Quatuor requiruntur conditiones. Exord.

1. Petere in nomine Christi, p. 539. 2. Orare Patrem, id est in statu gratiæ, 3. Bona petere & ad bonum, p. 71 & seq. 4. Perseveranter, 77. & 443. Confirm.

Sic orantes semper exaudiemur ad salutem, pag. 344. & 356. Epilog.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

THEMA.

Hæc dixi vobis, ut non scandalizemini. Joan. 15.

BEne olim dixit Christus Luc. 17. *Impossibile est, ut non veniant scandala* &c. 438. 440. Exord.

I. Scandalum quam grave peccatum, p. 201. 2. Aliud exterius, aliud interius, idque triplex. Contra utrumque nos munit sermo divinus, p. 202. 3. Omnes scandali authores deferendi, p. 201. Confirm.

Tunc facili negotio & pœnam scandalizantium evademus, p. 198. & seq. & recta versus Cœlestem Patriam rendemus. Epilog.

DOMINICA PENTECOSTES.

THEMA.

Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Joan. 14.

CHristus Salvator noster ante discessum suum atque Ascensum in Cælum, sanctum se missurum promisit Spiritum Discipulis Patris sui nomine, p. 460. Exord.

Quod & promissum Dominus hodierno die Pentecostes implevit, p. 462.

Moraliter 1. Quid de Spiritu sancto credere debeamus, p. 537. & seq. 541. 2. Quomodo ad Spiritum S. recipiendum nos præparare possimus, p. 546. & seq. Confirm.

Missio & donatio Spiritus S. fructus est laborum, passionis & mortis Christi, qui & pro nobis semper Patrem interpellat ut Pontifex noster, ut Paracletum Spiritum sanctum det nobis, illumque una cum Patre nobis donat ut maneat nobiscum in æternum, p. 539. Epilog.

FERIA II. PENTECOSTES.

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 5.

IMmensus Dei erga homines amor fuse ad Litteram explicatur, p. 478. & seq. Exord.

I. Confirmatur ex SS. Patribus Christum Dominum mortuum esse tam bene pro justis quam peccatoribus, p. 481. 2. Non in mundum venisse ad judicandum, sed ad peccata dimittendum, & homines salvandum, p. 482. Confirm

Ambulemus in hac luce, veritatem diligamus: siquidem *Filii* sumus *Lucis* & Discipuli veritatis, p. 482. Epilog.

FERIA III. PENTECOSTES.

THEMA.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 10.

OCcasioni cæci paulo ante sanati, & a Pharisæis extra synagogam ejecti, qui se solos esse populi Doctores & pastores gloriabantur, hic sermo a Christo habi- Exord.

habitus videtur: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde* perfosso pariete *ille fur est*, quia venit ut alienas oves rapiat; & *latro*, quia venit ut mactet. Subjungit postea *Ego sum Pastor bonus . . . Cognosco meas, & cognoscunt me meæ*. p. 517. Bonus Pastor se totum devovet, consecrat, & impendit pro ovibus, paratus ad vitam etiam pro ipsarum salute profundendam, ut Christum verum Pastorem ovium imitetur. Hoc Pastoris officium, jam ovium officia proponenda, p. 520.

Confirm. Moraliter I. Quænam sint propriæ notæ & characteres ovium Christi, p. 521. & seq. 2. Quomodo Animæ ad Christum, qui salutis ostium est, adducendæ sunt, p. 519.

Epilog. Christus ostium est, quicumque per eum non intrat, quicumque in illum non credit, quantacumque morum probitate fulgere videatur, ille fur est & latro, &c. Vide *sensum moral.* p. 519.

DOMINICA SS. TRINITATIS, SEU I. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28.

Exord. PEr hæc sacri Evangelii ore divino prolata verba, forma Baptismatis declaratur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, expresse exprimitur; in horum enim nomine, & non nominibus baptizandi sunt fideles, &c. 304.

Confirm. Moraliter I. Sacramenti Baptismi virtus, p. 304. n. 11. 2. Quanta Baptismi gratia, *Ibid.* n. 12.

Epilog. In Christo renati per Baptismum nativitati pristinæ ex Adamo renuntiemus, deponamus veterem hominem cum actibus suis, carnis renuntiemus operibus. Vota in Baptismo facta frequenter renovemus, & secundum ea vivamus, p. 480.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

Exord. IN hodierni Evangelii Parabola homo quidam typice Deum; *servus*, Christum Dominum designat; *Cœna magna*, Beatitudinem æternam, quæ post finem vitæ mortalis tamquam diei, electis exhibenda est; *multi vocati*, Judæorum populum, &c. p. 422. Hujus & Parabolæ sensum egregie Tertullianua & S. Augustinus explicant, p. 423.

Confirm. Triplex excusatio invitatorum ad Cœnam mysticam pertinet ad triplex istud Concupiscentiæ Genus: *Omne quod est in mundo, Concupiscentia Carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. 1. Joan. 2. Primo, Concupiscentia Carnis, *Uxorem duxi*. p. 387. 2. Concupiscentia oculorum, *Quinque juga Boum emi*. ibid. 3. Superbia vitæ, *Villam emi*. *ibid.* Ad resistendum Concupiscentiæ carnis considerandum. 1. Voluptates sæculi porcorum esse cibos, 2. Concupiscentiæ oculorum, fallaciam divitiarum & honorum, p. 157. 3. Superbiæ vitæ, magnitudinem superborum fumo & somno similem, p. 244.

Epilog. Deus nos invitat ad delicias gloriæ suæ, ad ubertatem domus suæ, ad æternam sui fruitionem. Venite ad Cœnam, *quia jam parata sunt omnia*. Toto igitur fidei, spei, & charitatis fervore ad cœlestem illam Cœnam properemus.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Exord. SAlvator noster Jesus (uti Sacer Evangelista hodie commemorat) quærit peccatores pia sollicitudine: invenit cum exultatione: portat misericordissima compassione: recipit paterna charitate: Quod & Christus ostendit tribus parabolis, ut Pharisæorum superbiam refellat, murmurantium, quod peccatores ad colloConfirm. quium & familiaritatem reciperet, p. 426. & seq.

Prima Parabola ovis perditæ, & a Pastore inventæ, moraliter explicata a Tertulliano & S. Petro Chrysologo, pag. 428. Altera, Drachmæ perditæ, & inventæ, quæ & moraliter explicatur. *ibid.* & seq. Tertia Parabola filii prodigi, qua Dei misericordia erga peccatores commendatur, & fiducia nostra ad veniam, per pœnitentiam excitatur, p. 429. & seq.

Epilog. Convertere ergo, peccator, ad Dominum Deum tuum, & persevera, si vis ipsi & Angelis creare gaudium: hocque compensabitur tibi gaudio infinito in cœlis.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc. 5.

Exord. HOmo natus ad laborem, sicut avis ad volatum. Laborant boni & mali in hoc mundo, sed animo & sorte dispari. Boni in Luce fidei: Mali in tenebris infidelitatis, errorum & peccatorum. Boni cum gaudio: Mali cum mœrore & molestia. Boni fructuose: Mali steriliter & inaniter.

Confirm. Laborandum ergo ut aliquando beati simus, sed ne sit inanis labor noster: 1. Debemus laborare in Luce fidei: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, p. 384. In præsentia & verbo Christi: *In verbo tuo laxabo rete*. p. 156. & seq.

Epilog. Denique conclude cum S. Augustino explicans S. Petri verba: *Exi a me, quia homo peccator sum*. p. 384. &c.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Matth. 5.

Exord. QUamvis Pharisæi viderentur mandata Legis exacte observare, id tamen non tam virtutis amore fecerunt, quam ob humanum respectum, ut laudes externas venarentur. Sed quia justitia nostra perfectior esse debet, idcirco & observatio mandatorum accuratior a nobis requiritur, *plus quam Pharisæorum*, alioquin *non intrabitis in Regnum Cœlorum*.

Confirm. Moraliter 1. Justitiæ Christianæ & Pharisaicæ discrimen, p. 45. Justitiam in humilitate & pœnitentia esse positam, p. 19. n. 5.

Epilog. Vera autem justitia est observantia mandatorum Dei per charitatem. In via mandatorum Dei semper incedere & proficere, numquam stare & quiescere debemus, quamdiu in hac via sumus, &c. p. 356.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Marc. 8.

Exord. SAcer Evangelista miraculum multiplicationis septem panum, a Christo patratum, misericordia commoto erga turbam, qui relictis oppidis suis, illum per desertum sequebantur ut verbum ejus audirent, hodie demonstrat. E quo miraculo Dei providentia egregie colligitur.

Confirm. 1. Dei providentia nobis omnia subministrari, p. 55. 2. Quomodo illi confidendum, p. 63. & seq. & p. 417. & seq.

Epilog. Sollicitudinem omnem, quia a Deo abducit, prohibet Dominus: In eum solummodo curas vestras jactate, & ipse vos enutriet. *Verumtamen quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Attendite a falsis Prophetis. Matth. 7.

Exord. IN hodierno Evangelio nobis Christus detegit triplicem radicem illusionum, contra quas & nos triplici modo munire, voluit, ne a via salutis averteremur, ac in viam perditionis deduceremur.

Confirm. Contra primam illusionem nos munit, jubendo, ut a falsis Prophetis nos caveamus, nec illorum nos committamus directioni, *Attendite a falsis Prophetis*. p. 72. & 73. Contra secundam nos munit, docendo, erroneam esse præsumptionem de fide bonis operibus destituta, quasi sufficiat illa ad salutem. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum*. p. 73. Contra tertiam nos munit, docendo, voluntatem nostram Dei voluntati conformandam esse, ut ad æternam beatitudinem perveniamus. *Sed qui facit voluntatem Patris mei*, &c. p. 281. n. 21.

Epilog. Conclude cum S. Ambrosio, p. 75.

DO-

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Luc. 16.

Exord. QUoniam igitur Evangelica Parabola, quam hodie nobis proponit Ecclesia, ad Eleemosynæ necessitatem & utilitatem docendam & persuadendam tota collineat:

Confirm. Propone 1. Divitibus obligationem eleemosynam erogandi divino præcepto impositam esse, p. 45. & 46. 2. Magnas utilitates & fructus ex eleemosynis in eos redundantes, *ibid.* n. 19. & seq.

Epilog. Dei sunt quæcumque possidemus. Horum nobis usus dumtaxat permissus est, dispensatio credita, &c. *Nihil o homo, tuum est. Servus es, tuaque omnia Domini sunt.* Ergo secundum Domini Legem, ac mandata opes tuas, immo opes ejus dispensa, da esurienti, tege nudum, cura male affectum, ne egenum ac in triviis projectum neglexeris, pag. 435. & seq.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Luc. 19.

Exord. CHristus Salvator noster Civitatem Jerusalem postquam deploravit, Templum ingressus, expulit ex illo ementes ac vendentes, significans Templum Domum orationis esse. Quare demonstretur.

Confirm. 1. Profanatio & violatio multiplex Templi Dei, pag. 230. & seq. 2. Reverentia Templis debita. *ibid.* & p. 437. & seq.

Epilog. Templum Dei quoque omnes & singuli sumus, quotquot sumus in Christo baptizati. Templi hujus & ædificii spiritualis lapides charitate compaginantur & connectuntur, &c. p. 252. n. 3. & seq.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

Exord. IN hodierni Evangelii Parabola videmus superbiam & ostentationem in Pharisæo damnatam: Humilitatem in Publicano commendatam. Pharisæus magna arrogantia virtutes suas deprædicabat: *Non sum sicut ceteri homines.* E contra publicanus de longinquo stabat, pectus suum percutiens, dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*, p. 443. Quam sententiam dedit Dominus justus judex. Humiliat superbum, exaltat humilem. *Dico vobis, Descendit hic justificatus in domum suam ab illo: Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur, ibid.* & seq.

Confirm. Moraliter 1. Quam grave peccatum superbia, p. 361. & seq. 2. Necessitatem humilitatis ad æternam salutem, p. 134. & 223. & seq. n. 9.

Epilog. Cave, homo Christiane, superbiam, miseriam tuam agnosce, ut Dei misericordiam impetres. Peccata tua agnosce, ut tibi Deus ignoscat. Humilia te in omnibus, ut preces tuæ gratæ sint, quia Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, p. 368.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Adducunt ei surdum & mutum. Marc. 7.

Exord. NArrat S. Evangelista Salvatore a finibus Tyri & Sidonis egresso, oblatum ei a quibusdam surdum & mutum. Sed diversa est hæc historia, nam Matthæus & Lucas asserunt quod ille mutus a Dæmonio vexaretur, p. 320. & seq. Surdus ille & mutus peccatoris typus est, obturatas habet aures, ne doctrinam salutis, sive per ministros, sive per se ipsum, ad cor ejus loquentis, audiat, & percipiat, p. 321. & seq.

Confirm. Moraliter 1. Quomodo dæmon linguam peccatoris ligat, ne peccata sua confiteatur, p. 395. 2. Quomodo curandus, p. 322.

Epilog. Orantibus, gementibus, & pœnitentibus merita sua Jesus applicabit; aperientur in nobis aures interioris hominis gratia ejus operante, solvetur lingua nostra in Dei Laudes, gratiæ Christi vim & admirabitur & prædicabit.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Luc. 10.

Exord. DIlectio proximi Legis naturæ præceptum est, in Lege Mosaica renovatum, in Lege tandem Evangelica a Christo magis explicatum: Hoc post primum & maximum de dilectione Dei mandatum, Summa legis est.

Confirm. Timeo ne ignoretis quis sit proximus, quod ignorabat Legisperitus ille, qui Christo quæstionem proposuit, tentans illum: *Quis est meus proximus.* Quod vobis demonstrabo.

1. Quis sit proximus, & quæ regula secundum quam Proximi dilectio mensuranda est, p. 235. n. 10. & p. 237. n. 15. 2. Quæ sint officia dilectionis proximo debita secundum Legem, *ibid.* & p. 238. 3. Quod sit exemplar, cui nos in exhibendis hujus dilectionis officiis, conformare debemus, p. 535. & seq.

Epilog. Christum imitemur, & sicut ille misericordiam suam in nos exercuit, ita misericordiam in proximos exerceamus, p. 407. & seq.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, &c. Luc. 17.

Exord. QUam fœda, quam horrenda sit mortalis peccati lepra & quam difficilis ejus curatio, solo fidei lumine cognosci potest. Lepræ macula in peccati pœnam aliquoties a Deo vindice inflicta, ut illius fœditate significaretur hominibus peccatum incomparabiliter fœdius esse. Maria soror Moysis lepra percussa est ob peccatum murmurationis & invidiæ contra fratrem suum Dei amicum. Jam medium carnis ejus devoratum erat a lepra, cum Moyses pro ea Deum oravit, p. 79. & 80.

Confirm. Hinc ex lepræ malignitate proponere statui. 1. Quam enormis sit peccati lepra, p. 86. n. 20. 2. Quomodo curanda, p. 80. & 441. & seq.

Epilog. Mundati autem & liberati a peccati lepra, enarrare & prædicare debemus laudes & gloriam Salvatoris, & medici animarum nostrarum Jesu Christi in omnibus *gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Nemo potest duobus Dominis servire.... Non potestis Deo servire & Mammonæ. Matth. 6.

Exord. CHristus in hodierni Evangelii Textu cupiditatem expugnat, charitatem ubique commendat. Damnat cupiditatem, his verbis: *Non potestis Deo servire & Mammonæ*, p. 55. Charitatem commendat hac sententia, *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, ibid.* n. 25.

Confirm. Cum ergo Salvator nos doceat terrena despicere & spiritualibus adhærere bonis, demonstrabimus 1. Temporales perituraque divitias esse contemnendas, p. 54. n. 18. & seq. 2. Æternasque vero divitias diligendas & quærendas, p. 85.

Epilog. A rerum temporalium sollicitudine facilis in avaritiam lapsus est. Vitanda igitur sollicitudo, ut avaritia omnis caveatur, &c. p. 310. & seq. & p. 473.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Ecce Defunctus efferebatur. Luc. 7.

Exord. EVangelium hodiernum proponit nobis Adolescentem defunctum, qui & a Christo quidem excitandus efferebatur: p. 392. Sed nostrum est satagere, ut defungamur non morte impiorum, de qua Propheta David: *Mors peccatorum pessima*, sed morte Justorum: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, p. 398.

Confirm. Ut ergo digna ad mortem præparatione pessimam peccatorum mortem evitemus, ostendemus. 1. Quid sit mors impii, p. 337. n. 5. 2. Quid bona mors, pag. 524. num. 11. & quibus operibus comparetur, pag. 562.

Epilog. Conclude cum S. Augustino: Timenda non mors corporis, sed mors animæ ..... Habes quid agas ut

num-

numquam moriaris. Si timos mortem, ama vitam, vita tua Deus est, via tua Christus est, vita tua Spiritus sanctus est, &c. p. 415. & seq.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

Exord. PRæceptum de sanctificatione Sabbati hodierni Evangelii occasione explicare statui, cum Christus illud Legisperitis & Pharisæis explanare dignatus sit, p. 422. & seq,

Confirm. Quod & fuse exponitur, p. 46. & 142.

Epilog. Benedictionibus spiritalibus illi soli cumulantur, qui voluntatem suam Dominicis Festisque diebus non faciunt, & in viis pravis non ambulant, sed in viis mandatorum Dei, & faciunt voluntatem ejus, quæ est eorum sanctificatio, &c. p. 387. n. 2.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Matth. 22.

Exord. HIstoriam Evangelicam hujus Dominicæ ad longum explicatam, vide p. 235. n. 9. In qua nobis exhibetur maximum & primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Confirm. 1. Amor Dei omnibus affectibus nostris dominari debet, p. 116. & seq. n. 21. Omnia nostra opera in Dei Amore & proximi posita esse debent, p. 238.

Epilog. Diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos. Amor itaque Dei primum omnium ejus donorum est. Amorem amori rependamus, & si Deum diligimus, nihil nos de nostro retribuere agnoscamus, sed de donis ejus ac datis, p. 254.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Confide, Fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Fxord. EVangelium hodiernæ Dominicæ nobis proponit Paraliticum in lecto jacentem, qui & peccatoris figura est, ad omne opus bonum ac supernaturale invalidi. Solus Christus illum sanare potest. Offertur illi & commendatur per Ecclesiæ fidem & preces. *Ecce offerebant ei paralyticum*, p. 90. n. 1.

Confirm. De remissione peccatorum tria credenda sunt. 1. Quod Peccatorum remissio sola Deo propria sit, p. 90. & 188. & seq. 2. Quod non alibi quam in solo gremio Ecclesiæ Catholicæ peccata dimittantur vere conversis, p. 98. & 188. 3. Quod Remissio peccatorum conversis possit concedi, p. 91.

Epilog. Conclude proponendo veræ Conversionis signa: 1. Dei mandatis fideliter & prompte obedire. 2. Pravas cupiditates & peccati reliquias destruere & abolere. 3. Vitare societates, quæ ad peccatum inducere possunt. 4. Deo gratias agere, omniaque opera nostra ad ejus gloriam referre, p. 88.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Matth. 22.

Exord. PEr hodiernam Parabolam, tria Christus Dominus intelligit, 1. Judæorum ad nuptias cœlestes vocationem, ac duritiam cordis eorum, quia venire noluerunt: Secundum, vocationem infidelium: Tertium, vocationem fidelium, p 234. & 235.

Confirm. Moraliter 1. Quinam ad nuptias vocati sunt, & quibus paratæ, p. 235. Quæ nostra debet esse vestis nuptialis, *ibid.* & 236.

Epilog. Multi vocati, sperate. Pauci electi, timete ne ex infelici illo numero sitis, quod culpa sane vestra continget. Præparate vos ad nuptias Agni, vestem nuptialem semper habere curate. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, &c. 2. Petri 1. V. 10. & 11.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN

THEMA.

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Joan. 4.

Exord. CHristus Salvator noster in hodierno Evangelio increpat Regulum, cujus filius infirmabatur Capharnaum, qui potentiam ac beneficentiam Christi temporibus & locis circumscriptam putabat: ne cum ipso audiamus: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*, p. 191.

Confirm. Ostendam 1. Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati committenda, p. 41. & seq. 2. Quod nullum sacrificium Deo acceptius sit sacrificio propriæ voluntatis, p. 159. & 214.

Epilog. Ad Christum Jesum accedamus, illique supplicemu humiliter cum Regulo Capharnaitano, non solum ut sanet ægritudines Corporis nostri, sed imprimis ut infirmitates animæ nostræ incipientis mori, & in summe salutis periculo constitutæ, sanare dignetur, &c. p. 191. & seq. n. 46.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Omne debitum dimisi tibi . . . Nonne ergo oportuit & te misereri Conservi tui, &c. Matth. 18.

Exord. HOdiernum Evangelium litteraliter explicatur, p. 200. Ad debita Conservis & proximis nostris dimittenda, nos excitare debet, 1. Exemplum Dei debita nobis misericorditer condonantis, p. 206. Secundo, Indignatio Domini & pœnæ immisericordibus paratæ, *ibid.* & 207. Confirm.

Epilog. Efficiamur similes Deo per misericordiam, & *omnia quæ vultis ut faciant vobis homines hoc facite illis*. Hoc præcepto omnia Charitatis officia continentur, quod & egregie a S. Gregorio M. explicatur, p. 71. n. 6.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Matth. 22.

Exord. PRæcipua duo homines officia Christus in hodierno Evangelio docet, scilicet, 1. Quid Regi, 2. Quid Deo debeant: Regibus debita officia & tributa debentur: Deo nos ipsos debemus.

Confirm. Quod & moraliter explicandum, p. 237. n. 9. & 145. n. 36. 37.

Epilog. Prælatis & Pastoribus animarum, nec non Regibus pietatis & obedientiæ officia debemus, n. 217. & seq. sed Deus ex toto corde diligendus est, &c. p. 36.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Domine, filia mea modo defuncta est. Matth. 9.

Exord. TRes mortuos a Christo suscitatos, clare sancta commemorant Evangelia; Lazari triduo sepulti, D. Joannes cap. 11. Filii unici viduæ prope civitatem Naim Lucas 7. & Puellæ Jairi Principis hodiernus Evangelista Matthæus.

Confirm. Per tres autem hos mortuos tria peccatorum genera intelliguntur. Cordis scilicet, oris, & operis, p. 96. 1. In filia Jairi resuscitata, p. 99. & seq. 2. in filio viduæ prope Naim, p. 392. Tertio in Lazaro jam fœtenti, p. 524. & seq.

Epilog. Ut animæ nostræ resurrectionem impetremus, ad Deum per fidem accedere oportet, illi miseriam & animæ mortuæ statum ferventi sollicitudine exponere, cum fiducia in Dei bonitate, & in virtute SS. Humanitatis passionis & mortis Domini ipsi supplicare, ut animam ipsius spiritu, quo vivebat, destitutam, ejusdem spiritus nova effusione vivificet, p. 88.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

THEMA.

Tunc plangent omnes tribus terræ. Matth. 24.

Exord. ANalogia excidii Templi Jerosolimitani, & mundi, p. 247. &c.

Confirm. Moraliter: 1. Hoc templum homo Christianus est in corpore & anima, p. 251. & seq. Secundo. Quomodo destruendum in peccatoribus, p. 246. &c. Tertio, Quomodo exscindendum in reprobis, p. 247. & seq. & p. 251.

Epilog. Diligenter ergo hoc templum nunc custodiendum obedientia mandatorum Dei, fuga peccati, & exercitio virtutum, & si alicubi ruinosum fiat, reparandum illico Sacramento Pœnitentiæ.

IN-

INDEX CONCIONATORIUS

IN PRÆCIPUA FESTA TOTIUS ANNI.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

THEMA.

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.

Exord. CHristum Piscatores ad Apostolatum vocaturum Prophetæ prædixerunt, p. 52.

Confirm. Ex Apostolorum vocatione propone. 1. Quinam vocantur, & quomodo nos Deus vocat, p. 426. 2. Sine cunctatione parendum Christo nos interius vocanti, p. 27. & 84.

Epilog. Igitur sequamur & nos Christum, peccata vitando, opera bona faciendo.

In FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

THEMA.

De qua natus est Jesus; qui vocatur Christus. Matth. 1.

Exord. OMnes beatissimæ Virginis Mariæ laudes hoc uno continentur elogio, *De qua natus est Jesus*. Vetus Orator Philippo Macedoni adulatus dixit: Sufficiat tibi filium habuisse *Alexandrum*. Beatæ Mariæ Virginis, citra adulationem, dicimus: *Sufficit tibi filium habuisse Jesum*. Vide p. 4. & 5.

Confirm. Ostende Mariam Virginem fuisse perpetuam, 3. & seq. n. 8. & liberam a maledictione Evæ, p. 365.

Epilog. Vivamus semper & operemur tanquam Deum præsentem cogitantes, Beatæ Mariæ Matris Dei, ante partum, in partu, & post partum Virginis, castitatem æmulemur, p. 5. & seq.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

THEMA.

Beati, qui non viderunt & crediderunt. Joan. 20.

Exord. THomas, unus ex Collegio Apostolico, quod primum fuit duodecim-virum aberat cum Jesus sociis se conspicuum præbuit. *Dixerunt ergo & alii Discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum: & mittam manum in latus ejus, non credam.* Pertinax certe incredulitas Thomæ &c. p. 562. & seq. Sed hanc Thomæ incredulitatem permisit Christus, ut Ecclesiæ fidem confirmaret &c. 564. & seq.

Confirm. Hujus fidei per Christum tam feliciter restitutæ occasione dicatur, 1. Fidem & cognitionem mysteriorum, gratuitum Dei donum esse, p. 157. n. 10. & seq. Secundo nostram esse felicitatem, qui Christum in carne non vidimus, & tamen Evangelio credidimus, &c. p. 565. & seq. n. 29.

Epilog. Pro quibus laudemus Dominum vita & lingua, corde & ore, vocibus & moribus. Concordent prius in nobis ipsis lingua cum vita, os cum conscientia. Concordent voces cum moribus, ne forte bonæ voces testimonium dicant contra malos mores.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

THEMA.

Exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Luc. 2.

Exord. IN hujus Solemnitatis Evangelio divinum declaratur mysterium, & divinæ dispensationi ac decretis nesciens, servit Cæsar Augustus &c. p. 562. Nam orbe peccato nascitur Rex pacificus &c. *ibid.* in Civitate divino consilio Bethleem, *ibid.*

Confirm. Nativitatis Christi mysterium &c. moraliter exponatur, p. 370. & seq.

Admiremur divitias bonitatis Christi Jesu, qui se nascens dedit nobis socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium, &c. *ibid.* Epilog.

IN FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

THEMA.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Matth. 23.

AD normam S. Stephani qui pro se lapidantibus Deum precatus est, proponatur. Exord.

1. Præceptum de dilectione inimicorum, p. 39. n. 39. & seq. 2. Quam pauci sint inter Christianos qui per hunc gradum ad Beatitudinem pervenire velint, p. 42. n. 9. Confirm.

Non solum verbo, sed exemplo nos ad maledicta sustinenda, & calumnias æquo & læto animo tolerandas Christus informavit, &c. p. 43. n. 10. Epilog.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

THEMA.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Jesus. Joan. 21.

INter prærogativas, quibus S. Joannes inter alios Apostolos excelluit, fuit virginalis ejus castitas, quæ etiam causa fuit, eum magis a Christo fuisse dilectum, quæ dilectio aditum illi patefecit in sinum Jesu, p. 341. Exord.

Qua de causa hic agendum de munditia cordis, p. 31. & 42. n. 7. Confirm.

Nemo igitur in hac vita sic mundus est, ut non sit magis magisque mundandus, quæ Emundatio perficitur verbo veritatis, Sacrificio contriti cordis, Eleemosynis, ac charitate, &c. p. 542. Epilog.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

THEMA.

Impleti sunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc. 2.

HOdierni Evangelii litteram susius exponit S. Epiphanius, p. 366. Exord.

Agatur, vel de utilitate Circumcisionis spiritualis, vide verbum *Circumcisio*, in Indice rerum & verborum, vel de SS. Nomine JESU, p. 5. & 6. & seq. Confirm.

Posses concludere per verba S. Leonis Magni, p. 6. & seq. Epilog.

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI.

THEMA.

Vidimus enim stellam ejus in oriente. Matth. 2.

EX SS. Patribus Evangelii Littera proponitur, pag. 7. Agnoscamus in Magis Adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique primitias, p. 12. Exord.

1. Divinæ gratiæ nos vocantis Ductum fideliter & obedienter sequamur, *ibid.* 2. Magorum Devotionem imitemur, p. 12. Confirm.

Regem, Sacerdotem, & pro nobis mortuum Christum agnoscentes & laudantes, tanquam in auro, & thure, & myrrha, novam viam carpamus, non qua venimus, sed qua redeamus, *ibid.* & seq. Epilog.

IN-

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus. Lucæ 2.

Exord. SEnsus Litteralis Evangelii hujus ad longum explicatur, p. 366. & seq. n. 22. & 23. Deipara Virgo primum templum est & Altare, in quo se æterno Patri Christus obtulit, ipse Sacerdos & victima, p. 371.

Confirm. 1. Quomodo nos pœnitentia humili Christum digne offeremus, p. 372. 2. Fide, Spe, & Charitate Christo occurramus, ut Justus Simeon, *ibid.* n. 25.

Epilog. In Resurrectionem multorum positus est, in hoc enim a Deo missus, ut multi in eum credant, & qui crediderunt, salvi fiant, &c. p. 372. & seq.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Exord. IN Hodierni Festi Evangelio Christus malignos repellit, laborantes vocat. His ait, *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*: Iltis vero: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*, &c. p. 131.

Confirm. Hac de causa proponantur S. August. verba, & ostendatur 1. Quos laborantes Deus vocat, p. 133. 2. Humilitatis vim & efficaciam, *ibid.* 3. Quomodo leve Christi Jugum, p. 134.

Epilog. Conclude, cum D. Augustino, explicans, quæ sarcina nos premit & aggravat, & Christi sarcina, quæ nos sublevat, &c. p. 133.

IN FESTO S. JOSEPHI.

THEMA.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus. Matth. 1.

Exord. SAnctus Josephus justus erat, id est omni virtutum genere ornatus, 5. n. 19. Ideoque omni fidelium veneratione dignissimus.

Confirm. 1. Quia Sponsus Mariæ castissimus, p. 5. Quia Pater Christi mente, non carne, p. 4.

Epilog. Obedientiam & æquanimitatem S. Josephi in prosperis & adversis imitari debent Christiani, &c. pag. 13. n. 10.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

THEMA.

Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.

Exord. MAlus Angelus nostræ perditionis Auctor fuit, colloquendo cum Eva: Sanctus Angelus Gabriel nostræ reparationis nuntius fuit, colloquendo cum Virgine Maria, &c. p. 357. n. 26.

Confirm. Moraliter ostenditur 1. Plenitudo gratiæ in Maria, p. 357. 2. Quare benedicta in mulieribus vocata, pag. 358. & seq.

Epilog. Imitemur B. Virginis Mariæ humilitatem, ejus modestiam, prudentiam, ac fortitudinem, p. 361.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI

THEMA.

In Domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joann. 14.

Exord. QUia Christus Salvator noster Discipulis suis dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire*; & Petro, *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea*, metuebant, ne ipsi Regno Cœlorum excluderentur, &c. p. 536. & seq. n. 2. 3. 4. Moraliter proponatur.

Confirm. 1. Quomodo Christus meritis suis nobis Cœlum mercatus est, p. 538. 2. Qua via ad Deum tendere debeamus p. 539.

Epilog. Deus totum hominis, *qui replet in bonis desiderium nostrum*. Præter illum, qui solus verum, summumque bonum est, nihil desiderandum, &c. p. 539. & seq.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

THEMA.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Exord. NE autem incredibilis videatur Passio & mors Filii Dei, mundique redemptio per mysterium Crucis ejus, utitur Christus Scripturis, qua Nicodemus quasi manu duci possit ad credendum mysterium per eam adumbratum, &c. Vide p. 4, 8. n. 14. 15.

Confirm. Hac de causa demonstrentur 1. Rationes quare Christus id mortis genus in Cruce elegerit, p. 395. 2. Quare medius inter duos Latrones crucifigi voluerit, p. 396.

Epilog. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Non ut mortuos suscitemus, supra mare pedibus ambulemus, sed ut simus mites & humiles corde, & non solum amicos, sed etiam inimicos diligamus, p. 184.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

THEMA.

Assumptus est in Cœlum, & sedet a dexteris Dei. Marc. 16.

Exord. CHristus Dominus post reportatam de morte, inferno, & dæmone victoriam, triumphabundus in Cœlum ascendit.

Confirm. Demonstretur 1. Quod Christi in Cœlum assumptio, gloriæ ejus nostræque salutis sit consummatio, p. 346. & seq. 2. Quomodo & cor nostrum cum illo ascendere debeat. *ibid.*

Epilog. Thesaurus autem noster in Cœlis est. Christus Jesus, &c. p. 346. & seq.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

THEMA.

Caro mea vere est cibus. Joan. 6.

Exord. ADmirabilis Eucharistiæ Sacramenti dignitas & excellentia, quæ uno verbo demonstrari non potest, uti nec Dei summa perfectio, nec dignitas Christi pluribus nominibus a Scriptoribus sacris exprimitur, p. 495. & seq. Restat tamen explicandum, quod ipsi Christus Dominus tribuit in hodierno Evangelio.

Confirm. 1. Christus Corpus & sanguinem suum in Eucharistia nobis donat, ut verum cibum & potum animarum nostrarum, p. 279. 2. Ut symbolum & principium nostræ cum ipso conjunctionis, & mutuæ illius in nobis, ac nostri in illo mansionis, *ibid.* & seq. 3. Ut æternæ vitæ pignus, p. 495. & seq.

Epilog. Paranda est Anima ad Christum digne excipiendum in sacra Communione. Cor variis virtutibus ornatum esse debet, humilitate, christiana mortificatione, & paupertate spiritus, &c. p. 339.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

THEMA.

Quis putas puer iste erit. Luc. 2.

Exord. EVangelium Festi hodierni ad Litteram explicatur, p. 354. & seq.

Confirm. Moraliter 1. Quomodo Elisabeth fuerit Ecclesiæ typus, p. 362. 2. Zacharias typus peccatoris pœnitentis, *ibid.* n. 64.

Epilog. In Sanctorum Natali, præcipue in Natali S. Joannis Baptistæ, gaudendum, *Sanctus enim non solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum*, ait S. Ambrosius. Gaudendum, non lætitia sæculari, sed gaudio spirituali. Gaudendum in Domino, non cum mundo. Vide sequentia, p. 356. Ad longum.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

THEMA.

Quem dicunt homines esse filium hominis? Matth. 16.

Exord. EVangelica Historia ad Litteram explicata, p. 182.

Confirm. Moraliter 1. Hominum superbiam, jactantiamque Christus verbis factisque damnat, p. 186. & seq. 2. In cogni-

cognitione & amore Dei hominis Christiani positam esse Beatitudinem, p. 187.

Epilog. Eliæ lingua *clavis Cœlorum* fuit: siquidem pluviam per annos plurimos cohibere potuit, & precibus iterum excitare. Verum longe major S. Petri quam Eliæ potestas. Illi siquidem Christus ipse potestatem dedit aperiendi claudendique Cœlum peccatoribus, ut spiritalem gratiæ imbrem in animas eliceret vel suspenderet &c p. 188. n. 11.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

THEMA.

Nescitis, quid petatis. Matth. 20.

Exord. CUm Mater filiorum Zebedæi Christum brevi moriturum, tertia die resurrecturum, Regnique possessionem aditurum audivisset, pro filiis sollicita cum illis ad Jesum accessit, petens incrementum filiorum, &c. Quæ & explicant SS. Patres, p. 219. & seq.

Confirm. Moraliter proponitur. 1. Ambitionis vilitas & quam indecora, p. 223. 2. Viam humilitatis & Crucis esse ineundam, quam Christus monstravit, *ibid.*

Epilog. Conclude cum S. Bernardo: *Si gloriari oportet, forma tibi Sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria, parvane tibi videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria Sanctorum?* &c. p. 224.

IN FESTO S. LAURENTII.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Joan. 12.

Exord. GRano frumenti in hodierno Evangelio se comparat Christus, quia nisi mortuus fuisset & sanguine suo velut imbre cœlesti fœcunditatem tribuisset, sterilis mansisset gentilitas, nec filios Dei parturiisset, p. 527.

Confirm. Tria sunt quæ Christianum ad vitæ mundique contemptum, ad pœnitentiam, ad labores & amorem crucis excitare debent. 1. Obligatio Christum Jesum imitandi, p. 530. 2. Spes præmii, scilicet societatis ejus in regno, æternaque felicitate, *ibid.* 3. Honor quo Pater æternus cumulabit eos, qui Filio suo fideliter servierint, *ibid.*

Epilog. Quicumque vitam suam & commoda temporalia præ Christo ac rebus divinis amat, perdet vitam æternam. Qui vero commoda temporalia ac vitam ipsam, ad normam S. Laurentii, minoris fecerit, vitam æternam in Cœlis possidebit.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. 10.

Exord. COnquerentem in Festivitatis hodiernæ Evangelio audivimus Martham, quod soror Magdalena eam solam reliquerit in ministerio: at nos jure potiori conqueri possumus, quod magna illa soror nostra MARIA nos solos hodie reliquerit ministrare, ipsa in Cœlo sedens ad Pedes Domini pro nobis supplicatura, ubi & anima ejus magnificat Dominum, & Spiritus ejus exultat in Deo salutari suo.

Confirm. Moraliter 1. Quomodo cum Maria ob collata in nos beneficia Deum magnificare debemus, p. 360. & seq. 2. Quomodo & cum Maria Virgine, a nobis adoranda sit ejus omnipotentia, sanctitas, & misericordia, p. 361.

Epilog In filios nos recepit SS. Virgo Maria Testamento Jesu Christi morientis. Illam cum fiducia invocemus & colamus ut matrem; ejusque Filio placere studeamus animæ corporisque castimonia, ut & illi grati simus, & Beatitudinem consequamur æternam.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

THEMA.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Luc. 6.

Exord. MYsterio non caret duodenarius Apostolorum numerus. Christus enim spiritale regnum conditurus Judaicæ Reipublicæ imaginem quodammodo expressit. Sicut enim Tribus duodecim, juxta numerum 12. Filiorum Israel, ita duodecim erant Apostoli, p. 102. & 108. Qui duodenarius numerus per figuras Biblicas explicatur, *ibid.*

Confirm. Moraliter proponatur. 1. Magnanimitas & fortitudo Apostolorum in persecutionibus, pag. 111. & 112. 2. Quam longe absint Christiani ab Apostolorum imitatione, p. 113.

Si Christi Discipuli esse velimus, ejus humilitatem, mansuetudinem & patientiam imitemur: doctrinam ejus discamus, & opere illam exerceamus, *ibid.* n. 15. & seq. Epilog.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

THEMA.

Jacob autem genuit virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Matth. 1.

BEatissimæ Virginis Mariæ Nativitatem summa cum animi devotione ac gaudio celebrandam esse, hæc suadet ratio. Exord.

1. Quia Mater Dei, p. 354. 2. Quia mediatrix hominum apud Christum, p. 360. & 361. Confirm.

In Beatæ Mariæ Virginis Matris misericordiæ laudes nos in nostris necessitatibus spiritualiter visitantis, erumpamus, & gratias agamus Benedicto fructui Ventris ejus Christo Jesu, qui per illam ceu aquæductum de Paradiso exeuntem, aquam vivam gratiæ suæ in nos derivat, &c. p. 360. & seq. Epilog.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

THEMA.

Et surgens, secutus est eum. Matth. 9.

HOdierni Evangelii Littera ad longum, p. 88. n. 7. vel p. 308. n. 4. Inscrutabile est divinæ vocationis mysterium, quo Deus omnis generis & conditionis homines vocat, ne de illius misericordia quisquam desperet, p. 92. & seq. n. 8. Quapropter hic agatur de vera conversione peccatoris, quæ & tribus gradibus fieri potest. Exord.

Primus est, extremæ suæ miseriæ consideratio, pag. 429. Secundus, propositum renuntiandi peccatis & illorum occasionibus, *ibid.* Tertius, odium & detestatio peccati ob amorem Dei, p. 430. Confirm.

S. Matthæum sequamur, non Evangelium scribendo, sed Evangelica præcepta servando, qui mox ut vocantis Salvatoris audivit imperium, non cunctatus est, sed divitias sprevit, carnales affectus abrupit, & post Christi vestigia lætus & impiger properavit, p. 93. Epilog.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

THEMA.

Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei. Matth. 18.

IN hodierno Evangelio Christus non seipsum, sed parvulum, velut innocentiæ & humilitatis exemplar, proponit, p. 200. demonstratur e S. Hilario, Clemente Alexand. & S. Leone. Exord.

1. Quinam pro parvulis sint habendi, *ibid.* 2. Humilitatem gradum esse ad celsitudinem. 3. Quam necessaria sit humilitas, ut participes simus Divinitatis, gratiæ & Beatitudinis Christi, p. 201. Confirm.

Discamus a Christo Salvatore nostro, non solum humilitatem cognitionis, sed & humilitatem cordis, &c. p. 132. Exord.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

THEMA.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. 15.

MUtua ac fraterna in hodierno Evangelio mandatur ac præcipitur dilectio, quæ & Legis Christianæ plenitudo est, p. 235. n. 12. Forma & Exemplar dilectionis, qua nos mutuo prosequi debemus, est dilectio, qua nos Christus dilexit, quam & S. Augustinus describit, *ibid.* Exord.

Moraliter 1. Quomodo Deus diligendus, p. 235. 2. Quomodo proximus, *ibid.* 3. Quomodo inimicus, p. 50. & seq. Confirm.

Deum imitare, qui pluit super bonos & malos, & solem suum oriri facit super justos & injustos. Hoc semper versemus animo, quod qui inimicum benedicit, se ipsum benedicit, & qui illi maledixit, in se ipsum maledicta detorquet: & qui pro inimico orat, pro se magis quam pro illo orat, p. 51. Epilog.

IN

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5.

Exord. CUm hodiernum Evangelium de superna Beatitudine repletum sit, Beatitudines octo Evangelicas in particulari assignandæ.

Confirm. 1. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, p. 41. 2. Beati mites, &c. *ibid.* 3. Beati qui lugent, &c. p. 42. 4. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, &c. *ibid.* 5. Beati misericordes, &c. *ibid.* 6. Beati mundo corde, &c. *ibid.* 7. Beati pacifici, &c. e. 43. 8. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c. *ibid.*

Explica moraliter hæc verba: *Justi autem in vitam æternam*, p. 266. n. 10. Epilog.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Vide Concionem Dominicæ 9. post Pentecosten.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

FINIS.

Scaff.ª Tosc.ª
Est 23
Tab. 6
Num. 13

NATALE
IN
Eva Figlia

1290
3442